



BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
3
G
34
NAPOLI
3 G 34



GASPARIS SANCTII CENTVMPVTEOLANI,


E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

IN COLLEGIO COMPLVTENSI *sacrarum literarum Interpretis,*

IN EZECHIELEM & DANIELEM Prophetas Commentarij cum Paraphrasi.

NVNC PRIMVM PRODEVNT, INDICIBVS *cùm Locorum Regularúmque Scripturæ sacræ, tum rerum notabilium illustrati.*

Cum priuilegio Regis.





LVGDVNI,
SVMPTIBVS HORATII CARDON
M.DC.XIX.





ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. FERDINANDO DE TOLEDO,

MARCHIONI DE XARANDILLA,

GASPAR SANCTIVS è Societate IESV, S. P. D.



VR hosce in Ezechielem Commentarios tuo nomini, ac patrocinio commendari voluerim, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, non vna causa est, sed multæ, eædémque neque vulgares, neque communes, nisi cum admodum paucis. Neque in his numero generis splendorem, qui à Regia, atque Imperatoria nobilitate, & gloria tantum habet, quantum optari ab omnibus, obscurari neque ab inuidia, neque à temporis diuturnitate possit. Alia sunt quæ tu plus amas, & curas, siue in teipso, siue in antiquis augustísque natalibus, non tam nobilitatis antiquæ, quàm antiquæ, & quasi domesticæ ac naturalis virtutis ornamenta: quæ & ipsa per se splendidissima sunt, & vbi cum generis amplitudine, atque splendore coniunguntur, aliquid habent excellentius, & diuino simile. In hæc tu, FERDINANDE, intueris quotidie, curásque diligenter, vt in tuis moribus maiorum tuorum exempla viuant: quod sanè facis adeò feliciter, vt in ætate adhuc iuuenili, neque senilem prudentiam, neque in omni virtutum genere constantiam quisquam desideret. Habes hoc à præclara naturæ bonitate, quæ eos tibi ad pietatem, quæ vera est, & penè sola nobilitas, admouet stimulos, vt non nisi de vera gloria, de veris, ac solidis ornamentis animi cogitare sinat. Sed nescio quomodo illi ipsi, qui à natura generantur, igniculi domesticis accenduntur exemplis, & præclari ad virtutem impetus eorum memoria, quos habemus generis communione coniunctos, incitantur magis. Qua in re, ô FERDINANDE, planè felix es, cùm domi habeas exempla, quæ occursent oculis quotidie, eorum quibus cum tibi non solùm est generis, sed etiam nominis, diuinitus credo, facta communitas. Quòd si in nomine ad formandos mores vis aliqua foret, vt nonnulli ea in re plus satis superstitiosi existimarunt, illud tibi in illustrissima familia nomen datum est, à quo TOLETANA domus non leue cepit suæ nobilitatis incrementum. Quis enim,

ô FERDINANDE, neſcit quantum FERDINANDVS proauus inter Hiſpanos proceres nomen, quantam nobilitatis antiquæ, ac ſolidæ, quantam virtutis opinionem obtinuerit. Norunt id qui eadem cum illo tempeſtate vixerunt, quibus non admirationi ſolùm, ſed etiam venerationi fuit: & cùm perrarò cõmendata ac nobilitata virtus exſors ſit ab inuidia, quæ in aliorum gloria aliquid ſemper quærit, quod obſcuret, & deterat; ea tamen fuit in FERDINANDO pietas, ea religio, atque modeſtia, vt maleuolorum etiam, quibus grauis eſt aliorum ſplendor, obtriuerit, ac ſuperarit inuidiam. Neque id ſanè in FERDINANDO mirum, tametſi in aliis perquam rarum, cùm ipſe humanos honores, ad quos ex eo ordine plurimorum anhelat ambitio, non expeteret, imò ſæpe recuſaret oblatos: quia illius animus attollebatur altiùs, & humana hæc, quæ ſtupor hominum admiratur, & ſuſpicit, contemnenda cenſebat. Verè religioſus, & humilis, qui neque ſe inanis gloriæ, aut popularis laudis ſtudio, neque ſua, aut indignis Chriſtiano homine voluptatibus, fugacibúſque rationibus impenderit. Hæc enim illi, aut ſola, aut maxima cura fuit, vt ſe totum ad diuinæ voluntatis ſtudium, Deíque maiorem gloriam attemperarit. Quare ſeceſſum amabat potius quàm publicam lucem, & quàm illud, quod magnorum Principum quaſi quoddam theatrum exiſtimatur. Multus erat ſecum de ſe frequenter, ac diu cogitans, & ſui à ſe muneris ſeueram exigens aſſiduámque rationem; neque vllum habebat tempus magis ſibi opportunum, & gratum, quàm quod in precibus, meditationéque conſumeret. Nulla erat tam grauis cauſa, niſi fortè maior appareret diuinæ gloriæ ſignificatio, quæ deſtinatum orationi tempus eriperet. Quid multa? ſic ſuæ vitæ rationes, ſic ſingula temporum ſpatia diſpenſabat Religioſus Princeps, vt inter tam lautæ, atque copioſæ familiæ, inter adminiſtrationis publicæ graues, atque moleſtas curas, quibus pro ſuo officio, ac ſtatu deeſſe non poterat, videre te crederes Religioſum hominem qui à terrenis, ſæcularibúſque negotiis cogitationes, & curas abduxiſſet. Quàm verò ſubditos ſibi populos amanter ſit amplexus, quàm illorum neceſſitatibus liberali manu, ac prõpta humanitate ſubuenerit, vt miſerorum ſiue inopiam, ſiue calamitatem propriam eſſe duxerit, illud ſatis nobis argumento eſt, quòd cùm nullius peccatum, vt publica exigebat, & recta ratio, impunitum relinqueret, amaretur potius ab omnibus, tanquam benignus, ac prouidus pater, quàm ſeruili, aut ſimulato obſequio timeretur vt Dominus. Hæc ego audiebam ab omnibus, quo tempore in Oropeſanum Collegium miſſus ſum, ſub id tempus, quo magnus ille ac Religioſus Princeps exceſſit è viuis: cùm adhuc in ſubditorum oculis recentes eſſent lacrymæ, & infixus animo ex acerbo tanti Parentis funere conceptus dolor.

En, FERDINANDE, alterius FERDINANDI domeſticum exemplum, quo nullum eo ſæculo inter Hiſpanos proceres illuſtrius. Sed habes aliud alterius item FERDINANDI ex eadem familia non minus illuſtre, illius dico FERDINANDI DE TOLEDO, quem non tam quæſiti, atque obiti, quàm oblati atque repudiati honores toti terrarum orbi commendarunt. Noui ego FERDINANDVM, cùm adhuc eſſem adoleſcens, quem ille vt erat

ingenio

ingenio liberali, ac benigno, à ſua conſuetudine non repellebat, imò ad illam vltro, & non infrequenter aduocabat. Obſeruabam in eo Sanctitatis antiquæ ſpecimen quoddam ſingulare, eam in vultu, ac toto corporis habitu modeſtiam, vt videre mihi viderer, non viſum copioſum, & nobilem inter ſuos, ſed Hilarionem, Macarium, aut Antonium ſeparatum à turba, & ſeueriori diſciplinæ, ac mortificandis ſentientis naturæ motibus intentum. Neque tamen ideo in ſeceſſu ſe & latebras ſic ſubducebat à populari turba, vt non etiam eſſet de proximorum ſalute, atque inſtitutione ſollicitus. Neque ſuæ conſcientiæ, atque talento ſatisfactum putabat, niſi in illam etiam curam incumberet, quàm literatis viris, inter quos ipſe locum obtinebat eximium, à Deo videbat fuiſſe mandatam. Quare cùm ætate eſſet graui, & afflicta valetudine, obibat tamen plerumque pedibus pagos, & vicos, & Apoſtolico more Chriſtianæ fidei rudimenta ætati rudi, ac teneræ non vt Magiſter ſolùm, ſed vt amans, ac ſedula nutrix indulgebat. Erat planè cœlo, hominibúſque gratum ſpectaculum videre hominem genere nobilem, ætate, caníſque venerabilem, & doctrina grauem demittere ſe ad pueriles ruſticóſque conuentus, atque ibi Catechiſtem agere, repueraſcere quodammodo cum pueris, & ruſticè aliquo etiam modo ſapere cum ruſticis. Hæc in religione vitæque ſanctitate conſtantia, quæ ſanè diu latere non potuit, ſic permouit Principum animos, vt exiſtimauerint tantam, támque demiſſam nobilitatem, tantam doctrinam aliquo titulo, atque Eccleſiaſtico honore ornari oportere. Quare Epiſcopatum iterum, ac tertiò offerunt; ſed ille, qui vitam elegerat priuatam, & humilem, iterum, & tertiò repudiat. Ad extremum cùm Cardinalitia dignitas à Põtifice ſummo vltro foret oblata, eâdem qua dignitates alias, & titulos, conſtantia reiecit. Quo tempore illud accidit admirabile, quódque ſatis oſtendit quàm eſſet FERDINANDVS, & ſui compos, & rebus hiſce inferioribus longè ſuperior. Venit de nocte tabellarius, qui faſciculum literarum tum à Philippo Rege, tum à Pontifice ſummo afferre ſe dicebat: excepit illum perhumaniter FERDINANDVS, neque illo ſubito, ac nocturno aduentu quicquam commotus eſt, aut aliquid de antiqua conſuetudine mutauit. Faſciculum autem non ante reſignauit quàm exſoluiſſet deſtinatum de more tempus orationis, & ſacrum ſuo etiam tempore peregiſſet. Porrò quòd oblatam dignitatem ſupremæ proximam tam excelſo animo reſpuerit, neque mihi, neque aliis mecum plurimis nouum accidit, qui ex inſtituto viuendi genere facile cõiectabant FERDINANDI ſenſus atque conſilia. Quare cùm gratulatoriũ carmen adornaſſem de oblata dignitate, præclaróque tantorum Principum de FERDINANDI Sanctitate doctrináque iudicio, ſuſtinui me, quia futurum non putabam vt delatam vltro purpuream illam dignitatem admitteret, expectauíque, de quo non dubitabam, rerum euentum, vt non tam de oblato, quàm de repudiato titulo gratularer. Quod feci poſtea multo quàm antea facere inſtitueram, libentiùs, & gratulatus ſum FERDINANDO: primùm quòd religioſum pectus contra hoſce honorum titulos egregiè muniſſet, & Hiſpaniæ noſtræ quòd virum genuiſſet talem cuius animum neque caperent, neque titillarent ampliſſimæ huius dignitatis inſignia.

Illud ad extremum non omittam, quòd P. Franciſcus SCRIBA è noſtra Societate ſcriptis prodidit egregium de FERDINANDI ſanctitate teſtimonium: cùm enim viri ætate noſtra ſanctiſſimi D. Ioannis de RIBERA Archiepiſcopi VALENTINI ſanctitatem commendaret, eo vtebatur argumento quòd tam in ætate iuuenili, quàm in matura, & graui illos habuiſſet, aut ſocios, aut amicos, in quibus præter cæteros religio, & ſanctitas emicaret. Et in his numerat ſanctum Carolum BORROMÆVM, quem proximè vidimus in Sanctorum cenſum eſſe relatum: & Antonium de CORDVBA, qui poſtea Societatem noſtram ingreſſus eſt, qui ad tuam quoque familiam, ô FERDINANDE, pertinet: qui ingentes opes, & illuſtres titulos, quos & præclarum ingenium, & generis ſplendor promittebat, pro Chriſto contempſit, & illos cum paupertate voluntaria, & religioſa humilitate cõmutauit. In his etiam tertium numerat FERDINANDVM, quaſi tantis viris non eſſet inferior: quo cum familiariter vixit ſanctiſſimus ille VALENTINVS Antiſtes, cùm Salmanticæ vbi tum ſacras profitebatur diſciplinas in ætate iuuenili illuſtre præbuiſſet honeſtatis exemplum.

Hæc breuiter de his, qui noſtra memoria in Oropeſana familia, & vitæ ſanctitate, & religionis gloria floruerũt: neque enim animus eſt omnia perſequi. quis enim ſtylus illuſtrare poſſet, aut etiam leuiter connumerare ſingula? Sed eſt tecum, ô FERDINANDE, actum præclarè, qui cùm tantorum virorum animatum exemplar per ætatem ſpectare non potueris, habes tamen quotidie præſens in auo tuo IOANNE religioſiſſimo Principe, quod occurſet oculis, domeſticum exemplum: in quo vno ſpectare licet, quidquid in multos naturæ bonitas, ac pietatis ſtudium contulerunt. Quare non eſt cur foris virtutum documenta petas, domi habes familiaria, ac propria: quæ eo ſunt ad imitationem grauiora, quo altiùs inſiguntur imagines, quæ per oculos, quàm verba, quæ per aures admittuntur ad animum. Spectaſti enim, ſat ſcio, & obſeruaſti ſedulò quemadmodum in religioſi Principis animo Dei gloria maior principem locum occuparit: vt temporum ſpatia, & ſibi, & familiæ toti eo ordine, ac moderatione diſpenſet, vt primo loco regnum quæratur Dei, deinde illa quæ, quia humana, non alio quàm additamenti nomine vocantur. Vidiſti quàm creber in ampliſſima domo fuerit Euchariſtiæ vſus: quemadmodum domeſticos omnes exemplo præeat, & deſides in religionis curſu, atque torpentes animos nouis quotidie rationibus inſtimulet. Quo ſingulari artificio id conſecutus eſt, vt gynæceum non procul abſit à cœnobio, & aulici miniſtri illorum imitentur ſtudia, qui in religioſis clauſtris ſub ſeueriori diſciplina continentur. Neque ignoras quàm facili ac liberali manu miſerorum ſubleuetur inopia:: vt in domo nõ tam inſtructa ac lauta (quamquã nemo in eo genere quidquam deſideret) quàm miſericorde, ac pia, afflicti habeant, atque ærumnoſi commune perfugium. Hæc tu FERDINANDE, quotidie vides, neque vides oculis otioſis, & lippis, ſed perſpicacibus & attentis, vt quod in aui optimi domeſtica diſciplina admiraris, & ſuſpicis, quódque in illo communi omnium ordinũ præconio cõmendari cernis, id in teipſum quaſi iure hereditario trãſcribas. Neque natura tua ad pietatẽ, & bene de omnibus promerendũ prona noſtris

ad

ad omne pietatis officiū hortationibus eget. Ipsa à generoso sanguine hausit igniculos, quibus sic instimulatur, atque vritur, vt nisi aliorum tenuitati, atque offensionibus occurrat, vitam sibi esse acerbam putet. Quocirca necesse non est vt à nobis Virgilianum illud audias, quo posteri ad exprimendam in seipsis paternæ virtutis imaginem excitari solent.

Tu facito mox cùm matura adoleuerit ætas
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum
Et Pater Æneas, & auunculus excitet Hector.

quia illud tute tibi frequenter obiicis, neque ad tacitas illas magnorum principum voces aures obturas.

Hæc grauia sunt, quæque ad amorem & obseruantiam peregrinos etiam & barbaros animos impellant. Accedit ad hæc propria quædam, & potentissima ratio ab officio orta animi non immemoris, aut ingrati, qui beneficium agnoscit, & illud monumento publico testatum esse vult. Hæc ad extremum permouit me, vt hoc pertenui rudíque munusculo quasi quodã legitimo testimonio profitear, quantum tibi tuorúmque familiæ nostra debeat Societas. Nihil hîc dico de BRIGANTINA domo, ac LVSITANA gloria, de Regia stirpe, de immensa illius liberalitate, qua nascentem primùm Societatem complexa est, quam adultã fouit, quam multis quotidie modis officiísque prosequitur. Vbi enim multa sunt, pauca dixisse, & quæ heroica, ac rara, tenui stylo, leuiter, atque ieiunè tractasse, iniuria est. His igitur in præsentia omissis, quæ plus ingenij, ac temporis desiderant, quid à TOLETANA familia Societas acceperit explicare promptum non est. Adduxit FERDINANDVS proauus primus in Oropesanam sedem Societatem: quam multis antea modis, & ornarat mirificè, & aliis qui duriùs erant erga illam affecti, commendarat. Eidem FRANCISCVS frater pro PHILIPPO Rege Peruanæ Prouinciæ quondam moderator singulari prudentia ac religione Princeps insigne ibidem excitauit Collegium, illíque ad necessarios sumptus abundè prouidit. Quod potuit FERDINANDVS alter, quem repudiatæ pupuræ gloria nomen peperisse potuit immortale, largitus est. Quomodo IOANNES auus quotidie de Societate animo verè paterno mereatur, tute præsens & vides, & probas. Neque abs te sibi minora Societas promittit, cuius sensus probè, atque consilia cognouit, & amplectitur. Quare cùm tantæ spei, támque prolixæ liberalitati respõdere nullo modo Societas possit, quod potest offert lubens, & grata: neque enim hæc mea solius est, sed conspirans totius Prouinciæ vox: quæ per me, & gratum animum, & prõptam voluntatem significat. Accipies igitur, PRINCEPS OPTIME, nostras in Ezechielem excubias: opus sanè, licèt magno longóque studio elaboratum, rude tamen, & pro tanti Prophetæ maiestate exiguum. Sed accipiet ex tuo patrocinio ac nomine, quod ab auctore ignoto atque humili non potest, habebítque quid iudiciis hominum non semper æquissimis obtendat. Bene vale PRINCEPS HVMANISSIME, cui, & longam vitam, & æternam felicitatem, & cupio & precor.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

DAMVS tibi, Benigne Lector, nostros in Ezechielem commentarios, serius quidem quàm putabamus, sed necessariò: cùm impedimenta interim occurrerint, quæ neque declinare, neque præuidere potuimus, quo tempore nos illos euulgaturos esse breui polliciti sumus. In quibus eum tenuimus, tum in tractando, tum in disponendo modum, atque ordinem, qui in aliorum Prophetarum expositione seruatus est, quia illum accidisse tibi percommodum & gratum intelleximus. Sunt in hoc Propheta, quod te non fugit, quædam præter modum obscura, à quibus seuerè quondam arcebant Hebræi, donec illis à sacerdotali ætate, ingenij, atque prudentiæ, maturitas adueniret. In illis à nobis quamplurimum potuimus studij, atque operæ, positum est. Neque tam nobis nostra placent, vt nostro labori vel ingenio propriam illorum expositionem arrogemus. Secuti tamen sumus, id, quod post longam & accuratam operam magis videbatur expeditum & facile. Neque quidquam reliquimus quantumcumque arduum & implexum, in quo nostra non laboret commentatio. In multis fateor diuinandum fuisse, in visione præsertim extrema, templíque descriptione, quia in Scriptura nihil habemus præter coniecturas, eásque sic obscuras, & incertas, vt multi censuerint, neque id sine causa, sudandum esse multum, sine vllo tamen aut magno operæpretio. Ego ab horum cogitatione non longè sum; existimo tamen non tam illa esse attentis lectoribus inaccessa, vt inter dumeta, & salebras non sese aliquis aperiat ad veritatem aditus. Quòd si in illa arcana adytaque sacraria minus admißi sumus, diuinæ tamen sapientiæ pulsauimus fores, vt in eo nobis conatu præluceret. Quæ in re licèt nostra nobis commentatio non placeat, probabis tamen, sat scio, benigne Lector, bonique consules studium, quo tuæ vtilitati vtcumque seruimus, confirmabísque candore tuo atque æquitate animum nostrum, vt illi, quos paratos iam habemus in reliquos Prophetas, commentarij in lucem quam expectant, quàm ocyßimè prodeant. VALE.

APPRO

APPROBATIO SVPERIORVM.

GO LVDOVICVS DELA PALMA Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Toletana, potestate ad id mihi factâ à Reuerendo admodum Patre Mucio Vitelleschi Præposito Generali; facultatem concedo, vt liber commentariorum in Ezechielem Prophetam à P.Gaspare SANCTIO Societatis nostræ compositus, & eiusdem Societatis PP.Ludouici de Torres, Gundisalui de Albornoz, Gasparis Hurtado, Augustini de Tamayo iudicio examinatus, & approbatus typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & nostri officij Sigillo munitas dedimus COMPLVTI. 5. Martij Anni 1618.

LVDOVICVS DELA PALMA.

CENSVRA.

E Senatus supremi consulto legi hæc in Ezechielem Prophetam splendidissima commentaria à sapientissimo P.Gaspare SANCHEZ è Societate Iesu constructa, vtiliter sanè & sapienter, ad scientiam pariter, & salutem. Quare nullius lima, aut manu, sed prælo digna iudico. MATRITI apud nostrum D. Martini Benedictinum cœnobium decimo Kalendas Maij, anno salutis millesimo sexcentesimo decimo octauo.

F. ANTONIVS PEREZ.

N eximiis P.Gasparis SANCTII Commentariis in Ezechielem, quos iussu Patris Prouincialis vidi, panduntur planè, ac plenè omnia tanta ingenij facilitate, vt prorsus clarè Propheta difficilis, & obscurus, cui lucis plurimum auctor, neque minus nobis admirationis attulit. Opus quidem est doctum, elegans, eruditum, literæ apprimè tenax, doctrinæ Patrum, veritati, ac fidei consentaneum, & ad excitandam fouendámque pietatem opportunum. Dignum tandem quod in publicam lucem ad omnium vtilitatem prodeat. Ita censeo. Iesu Delmonte Kalendas Octobris anno 1617.

GASPAR HVRTADO.

OMMENTARIA in Ezechielem Prophetam P.Gasparis SANCHEZ accuratè vidi, & non solùm aliquid orthodoxæ fidei, & bonis moribus quoquo modo aduersum non inueni, sed omnia exactissimè laborata & pro auctore, & nostra Societate dignissima, vt in eorum lucem, & vtilitatem typis excusa prodeant. In hoc Collegio Occaniensi.2. Octobris.1617.

GONZALO DE ALBERNOZ.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV in prouincia Lugdunensi.


EGo Bartholo. Iacqvinotivs Societatis Iesv in prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, Opus quod inscribitur, *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate Iesv, Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum Interpretis, in Ezechielem Prophetam Commentarij cum paraphrasi*, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos, absque Superiorum eius permissione imprimant, permitto Horatio Cardon Lugdunensi Bibliopolæ, vt ad sex primos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni die 5. Maij 1619.

B. Iacqvinotivs.

APPROBATIO.


IOannes Clavdivs Deville in sacra Theologia Magister, & in S. Pauli Lugdunensis Canonicus, & in hac Lugdunensi Diœcesi, à Domino Dionysio Simone de Marquemont, Illustrissimo, & Reuerendissimo Archiepiscopo, librorum Censor designatus: fidem facimus, nos *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate* Iesv *Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum Interpretis, in Ezechielem Prophetam Commentarios cum paraphrasi*, perlegisse, omniáque in illis iuxta orthodoxam Catholicæ Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum sanam doctrinam summa cum eruditione exponi. Lugduni apud sanctum Paulum 15. Nouembris 1619.

Deville.

R.D. D. Thomæ de Meschatin la Faye huius libri imprimendi facultas.


THomas de Meschatin la Faye, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Opus inscriptum, *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate* Iesv *Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum Interpretis, in Ezechielem Prophetam Commentarij cum paraphrasi*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 16. Nouembris 1619.

Meschatin la Faye.

SVMMA PRIVILEGII A CHRIstianissimo Galliarum Rege concessi.


LVdovici XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus literis cautum, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inscribitur, *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate IESV Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum Interpretis, in Ezechielem Prophetam Commentarij, cum paraphrasi*, præter Horativm Cardon Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare sine consensu dicti Horatii Cardon. Idque omne sub confiscatione librorum, aliísque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die 7. Augusti 1617.

De mandato Regis,

Signatum

Brvlart.

INDEX



INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS EXPLICANTVR.

Primus numerus caput: secundus numerum marginalem: tertius col. a, b, c, d, e, literas in margine positas: p. Prolegomena, indicant.

EX TESTAMENTO VETERI.

5. Ma



INDEX REGVLARVM SCRIPTVRÆ SACRÆ, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS TRADVNTVR.

Tale



IN



IN EZECHIELIS PROPHETIAM COMMENTARII.



QVOD in Isaiæ, Ieremiæque Commentariis fecimus, vt quædam præmitteremus Prolegomena, quæ nobis ad eorum scripta & præferrent facem, & aditum aperirent; id etiam in Ezechiele, qui neque minùs obscurus, aut impeditus est, faciendum esse duximus. Quare quod de patria, ac genere; quod de scriptis, quod de vita, atque obitu illius explorare potuimus, in hæc Prolegomena paucis conferemus.

PROLEGOMENON I.

De patria, ac genere Ezechielis.

1. *Ezechielis genus.* DE genere sacerdotali fuisse Ezechielem, imò & Sacerdotem, ipse docet statim in principio, cuius pater vocabatur Buzi. Sic enim ipse de se cap. 1. vers. 3. *Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem.* Neque audiendi sunt Hierosolymitani Targumitæ, qui illius patrem vocatum esse tradunt Ieremiam, sed traxisse cognomen ex ignominia à petulante turba, & per ludibrium appellatum fuisse Buzi, id est, contemptum. Et multo minus qui, vt Clemens Alexãdrinus docet lib. 1. Strom. somniarunt, eundem fuisse apud prophanos Pythagoram, & apud Hebræos Ezechielem. *Ezechiel falsò putatur fuisse Pythagoras.* Fabulosum hoc commentum Clemens confutat suprà, vbi docet Zachariam, & Aggæum, qui post Ezechielem prophetarunt, fuisse Pythagora longè antiquiores; nisi fortè putant Pythagoræ animam, iuxta ipsius delirantem philosophiam, in Ezechielis aut exanime, aut nondum animatum, corpus migrasse. Quo quid insanius?

A De patria nihil habemus ex Scriptura, quod ego viderim. Tradunt tamen Isidorus lib. de vita, & obitu Sanct. c. 39. Epiphanius de morte, & vita Prophetarum c. 9. Chronicon Alexandrinum, siue Siculum, Dorotheus in Synopsi c. 16. illum fuisse ex Sarera, siue Sarira. An verò primùm à parente impositum habuerit Ezechielis nomen, vel postea ab euentu cognomentum illud consecutus sit, postquam audiuit à Deo cap. 3. vers. 9. *Vt adamantem, & vt silicem posui faciem tuam, ne* B *timeas eos*, incertum est. Hoc postremum videtur non improbabile, si nominis notationem consideres. Ezechiel etenim fortitudinem Dei, aut à Deo roboratum sonat; quæ compellatio à liberali Domini promissione videtur esse nata. 2. *Eius patria.*

PROLEGOMENON II.

De scriptis, scribendique charactere.

C NIHIL puto aliud scripsisse Prophetam, præter illa quæ nunc habemus, quæque nunc commentationibus illustrare contẽdimus. Iosephus lib. 10. Antiq. c. 6. duos libros ab illo editos esse contendit, neque aliquid præterea addit. Sixtus Senensis in Bibliotheca v. *Ezechiel*, ex Athanasio in Synopsi aprocryphum librum Ezechieli adscriptum esse dicit: sed ego in Athanasio nihil inuenio. Fieri poterit, vt liber alter, de quo Iosephus, ali- D quando extiterit, exciderítque, quia prophetica fide visus est indignus. Oraculorum eius argumenta paucis in sua Synopsi complexus est Athanasius. 3. *Quid Ezechiel Scripserit.*

Clemens item libro primo Stromat. ait Ezechielem Iudaicas scripsisse Tragœdias, & in his metro inclusisse tragico Moysis vitam: eo fortasse consilio, vt Iudæorum consolaretur mœrentes animos, 4.

qui grauiter ferebant dominatum barbarum, & exilij Babylonici incommoda. A Nam cùm ſimilia paterentur Patres in Ægypto, & per Moyſem excuſſo iugo libertatem eſſent conſecuti; accommodatum videbatur exemplum, quod ad fœturam eiuſdem Gentis non diſſimilem adhiberetur: quódque idem omnino à Dei benignitate toties explorata expectare iuberet. Audi Clementem. *De Moyſis autem educatione nobiſcum quoque conſentiet Ezechielus Iudaicarum tragœdiarum Poëta, in Actu, qui inſcribitur* ἐξαγωγὴ, *id eſt, Eductio, ſic ſcribens ex perſona Moyſis:* B

Noſtrum videret nam genus cùm creſcere,
Eſt machinatus in nos plus ſatis doli
Rex Pharao, laterũ acribus laboribus,
Ædificiorúmq; opprimẽs nos molibus,
In vrbibúſque turrium ob ſe miſeros:
Dein publico Hebræis iubet præconio,
Proiicere maſculos profundũ in fluuiũ.
Quæ pepererat me abſcondit aſt parẽs
Menſibus,vt aibat,tribus,prodita vidẽs
Expoſuit,ornatu mihi circumdato C
Ad fluuij ripas,hiſpida vbi erat palus.
Maria ſoror ſed noſtra ſpectabat prope.
Dein nata Regis,quæ carebat liberis,
Venit aquis vt limpidis corpus ſuum
Recreet,videns ſtatim me ſuſtulit.
Cognouit Hebræum eſſe, verbaque hæc ait:
Maria ſoror celerẽ ad eã mouens pedẽ
Tibi ex Hebræis viſne nutricem parem
Puero? puellæ nata Regis annuit.
Profecta matri dixit,illaque aduenit
Mox mater,vlnis filiúmq; amplectitur. D
At nata Regis dixit:Hunc ô fœmina
Alas,tibi merces tua haud negabitur.
Nomen dedit Moyſes mihi, quod ab humida
Ripa repertum ſuſtulit fluminea.
Infantiæ at tempus mihi vbi tranſiit
Ad regiam me mater adduxit domum,
Cùm cuncta dixiſſet prius mihi ordine,
Genúſque patrium, Deique munera.
Dum puerilis nobis itaque ætas fuit,
Et victus amplus,& doctrina regia,
Æquè dabantur,ac ſi eſſem eius filius. E
Plenus dierum ſed vbi affuit ſinus,
Egreſſus ædes regias.

Deſunt verba filiæ Pharaonis.

Deinde cùm narraſſet pugnam Hebræi, & Aegyptij, & ſepultum in arena Aegyptium, de alia pugna ſic dicit:

Feris cur qui te eſt imbecillior?
Nobis is autem dixit; Et quis Iudicem
Te huc miſit, aut magiſtratum? Num occidere
Me vis,heri ſicut cecidiſti virum?
Times ego dixi: Qui apertũ iſtud fuit?

5\. Ex eo fortaſſe libro ſumptum eſt illud, quod ex Ezechiele citat Tertullianus, libro de carne Chriſti cap. 23. quod figuram videtur habere prouerbialem. Cùm enim ille de illibata Mariæ fœcundàque virginitate ageret,ait: *Legimus quidem apud Ezechielem de vacca illa, quæ peperit, & non peperit. Sed videte,ne vos* (Marcioniſtas alloquitur) *iam prouidens Spiritus ſanctus notaret, hac voce diſceptaturos ſuper vterum Mariæ.* Fuiſſe autem hoc prouerbium vſurpatum à Patribus,quaſi ex Scriptura ſumptum,multi ex Græcis Patribus docent. Clemens Alexand. lib.7. ſtrom. Epiphanius contra hæreſim Ebionitarum ſub finem. Gregorius de benedictionibus propheticis. qui ferme omnes de Virginis fœcunda integritate capiunt. Vnus tamen ex omnibus Tertullianus Ezechielis putat eſſe teſtimonium.

6\. *Stylus qualis.* Stylus eius, vt autor eſt in præfatione Hieronymus, neque ſublimis eſt, neque demiſſus; ſed inter vtrumque medius. *Sermo*, inquit, *eius, nec ſatis diſertus, nec admodum ruſticus eſt; ſed ex vtroque temperatus:* neque aliud exigebat materia; neque in re triſti, & varia aliter videbatur formandus propheticus ſermo. Effecit prophetiam obſcuram, non quidem forma ipſa verborum, in qua nihil inuenies peregrinum, & horridum; ſed res ipſa natura ſua difficilis, & implexa; quæ altior eſt, quocumque explicetur charactere, & modo; quàm vt illam aſſequi poſſet aut ingenium vulgare, aut in ingenio ſummo mediocris attentio. Hieronymus ſic ad Paulinum de Ezechiele: *Principia,& finem tantis habet obſcuritatibus inuoluta, vt apud Hebræos iſtæ partes cum exordio Geneſeos ante annos triginta non legantur.* Idem in præfatione ad Ezechielem. Impeditam autem, & variis implicatam nexibus prophetiam Cretenſis labyrinthi aptiſſima quadam ſimilitudine Maronianis carminibus expreſſit. *Prophetia huius obſcuritas.*

Hic labor,illa domus,& inextricabilis error,
Vt quondã Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter,ancipitémque
Mille viis habuiſſe dolũ,quo ſigna ſequentũ
Falleret indeprehẽſus,& irremeabilis error.

Hæc Hieronymus in Procœmio ad caput 45. Ezechielis.

PROLEGOMENON III.

Quo tempore, & quandiu prophetauit.

7\. *Quo tempore & quandiu prophetauerit.* QVo tempore prophetare cœperit, ipſe docet ſtatim in principio; anno, videlicet, quinto poſt tranſmigrationem

nem Ioachim, siue Iechoniæ, cum quo simul ipse Babylonem abductus est, id est, anno quinto Sedeciæ, & anno 16. aut 17. Nabuchodonosor, & ætatis suæ anno 30. vt postea in commentationis principio magis constabit. Prophetauit autem in Chaldæa eodem omnino tempore quo Ieremias Hierosolymæ; imò vt nonnulli putant, etiam Hierosolymæ: nam eò ab Angelo traductum esse credunt, de quo nos suo loco. Quandiu prophetauerit ex Scriptura nihil est certum. Communiter tamen viginti annos prophetasse creditur. Coniectura sumitur ex cap. 1. vbi visionem cœlestem accepisse se dicit anno quinto transmigrationis Ioachim, & cap. 40. vbi tradit visionem vltimam ex his quas Scripturæ mandauit, id sibi contigisse affirmat anno 25. transmigrationis Ioachim; inter quæ duo extrema viginti interiecti sunt anni.

PROLEGOMENON IV.

De vita, & morte ipsius.

8. *Vita eius.* Communis est omnium ferme interpretum, Patrúmque sententia cum Iechonia Babylonem fuisse traductum. Quid ibi fecerit, quanto captiuis vsui, atque solatio fuerit, tradit Epiphanius lib. de vita, interitúque Prophetarum, & ex eo Dorotheus in Synopsi, vterque v. *Ezechiel*, & cum eis Isidorus, Chronicô Siculum, & complures alij. *Miracula ab Ezechiele edita.* Ait igitur Epiphanius prodigiis illum nobilitatum ingentibus, aperuisse fluuium, quò suos ad vlteriorem ripam traduceret incolumes, & in mediis fluctibus demersisse Chaldæos, qui eodem alueo illos insequebantur: sicut fecit olim Moyses, cùm eidem populo Ægyptij propè mare Rubrum, extrema omnia minarentur. Traditur etiam cùm extremam famem sustentaret populus, neque quicquam esset propius quàm vt animas agerent; impetrasse à Deo piscium multitudinem, illáque fugientes iam miserorum animas reuocasse. Neque minùs in homines vesanos, & impios fuisse seuerum, quàm in abiectos, & afflictos fuisset antè benignus. Cùm enim ex captiuorum numero Danitæ, atque Gaditæ eos, qui legi se obsequentes præbuissent, à patria religione vellent abducere, eóque nomine illis forent infensi, insigni prodigio, quàm id Deo foret ingratum significauit. Immissi quippe venefici serpentes illorum infantes, & quicquid apud ipsos pecorum alebatur, interemerunt. Plura vide apud Epiphanium, Chronicon Siculum, & Dorotheum suprà. Vxorem duxisse constat ex cap. 24. vers. 18. vbi iubetur in vxoris funere non lugere. Illud minùs certum quod ex aliorum, credo, non ex sua sententia tradit Nazianzenus, oratione 43. in extremis verbis, Ezechielem fuisse Ieremiæ seruum, quod Aretas ideo censet verum non esse, quia Ezechiel fuit è genere sacerdotali.

9. *Ezechielis mors.* De ipsius morte nihil habemus præter ea quæ cum Epiphanio tradit Dorotheus, & Isidorus suprà; & quotquot ea de re vnquam meminere. Dicũt enim duriùs exprobrasse Iudæorum duci proditæ religionis immane crimen: quod cùm homo sceleratus, & insolens ferre non posset, in illum egisse capitali iudicio, aut certè suis ipsum manibus mortem attulisse Prophetæ. Sed de duce illo nihil addunt, neque ego de illo; neque diuinando quidem quicquam afferre possum. *A quo occisus.* Sub id tempus quo Ioachim, siue Iechonias eductus est de carcere, verisimile est in viuis fuisse Ezechielem, atque fortasse etiam viuente Zorobabele, qui dux postea fuit, & in patriam reduxit populum, suæ tutelæ, ac fidei à Cyro Persarum Rege creditum. At hi neque tam impij fuerunt, vt à parentum religione defecerint, neque tam ingrati, ac barbari, vt extinctum vellent, à quo tam grandia quotidie beneficia recepissent. Quòd si hoc etiam concedamus, de occidendo Propheta cogitasse; at quomodo id facere potuerint, non video, cùm autoritatis in aliena regione nihil habuerint. Alij iudices fuisse videntur captiuæ Gentis ex eodem genere, vt ex Daniele constat cap. 13. vbi duo dicuntur esse senes, qui populi exercebant iudicia, quósque falsi testimonij conuictos condemnauit Daniel capitali supplicio. Ab his iudicibus fortassis occisus est Ezechiel. neque enim alios inter captiuos cum potestate fuisse video. De genere mortis nihil habemus, quod ego viderim proditum ab Historicis, tantùm inuenio apud Chrysostomum ad illud Matth. c. 23. *Quæ occidis Prophetas.* homil. 46. *Misi*, inquit, *ad te Isaiam, & serrasti eum: misi ad te Ieremiam, & lapidasti eum: misi Ezechielem, & tractum super lapides excerebrasti eum.* Addit Epiphanius sepultum fuisse Prophetam in Chaldæa in monumento Sem, & Arphaxad, ex quibus ortus fuit Abraham, eiusque sepulcrum à Iudæis magno in honore, ac religione habitum.

IN CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM.



ZECHIEL qui captiuus Babylonem abductus fuerat cum Iechonia, trigesimo ætatis suæ anno speciem vidit minacem, & horribilem, quæ Solymitanis ciuibus, qui reliqui fuerant in vrbe, extremum portendebat exitium. In Cherubinis enim, & curru, qui cum ingenti fragore, ac fremitus incredibili rotarum volubilitate ferebatur, in ignea specie horribilem in modum scintillante Chaldæorum exprimebatur exercitus, quem Deus tanquam dux, & imperator agebat, qui in igneo throno Prophetæ supra currum, & animalia sedens obiectus est.

CAPVT I.

1. *ET factum est in trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis, cùm essem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei.*

2. *In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioachin,*

3. *Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Domini.*

4. *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone; & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius: & de medio eius quasi species electri, id est, de medio ignis:*

5. *Et in medio eius similitudo quattuor animalium: & hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.*

6. *Quattuor facies vni, & quattuor pennæ vni.*

7. *Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, & scintillæ quasi aspectus æris candentis.*

PARAPHRASIS.

A 1. ANNO ætatis meę trigesimo, mense quarto, qui & Iunius, & eius quinto die, cùm inter captiuos ad fluuium Euphratem considerem, aperti mihi sunt cœli, & in eis illustrissimas à Deo visiones accepi.

2. In quinta, inquam, die mensis quinti, eo anno, qui à transmigratione Regis Ioachim quintus agebatur,

3. Verbum accepit à Deo, cuius etiam spiritu afflatus, & instinctus est Ezechiel sacerdos filius Buzi, iuxta fluuium Euphratem, in terra Chaldæorum, vbi captiuus eo tempore morabatur, B

4. Aspexi (inquit Ezechiel) & ecce turbo vehemens ab Aquilone violentus, & præceps, quem ingens comitabatur nubes, & igneus globus, qui seipsum introrsus conuoluebat, complicabátque; quem splendor quidam circundabat eximius; in igne verò medio species quædam electrina visebatur.

C 5. Ex igne extabant quatuor animalium similitudines, quorum hic erat aspectus, & ordo: species quædam humana apparebat inter illas, quæ quoddam erat quasi subiectum, quod quatuor illas animalium formas continebat, sustentabátque.

6. Cuilibet autem illorum quatuor animalium (quæ pro vno censentur animali, quia in vno supposito quadruplex illa sustentatur species) quaternæ erant
D facies, & totidem pennæ.

7. Quia hominis species aliorum animalium formas sustentabat, speciei illius quadriformis status erat rectus, qualis est solius hominis statura: quare pars illa, quæ à renibus ad pedes vsque pertinet, quæ pedum nomine significatur, recta erat. Cùm autem crura essent humana, & recta, pedes tamen similitudinem sumpserunt à vitulo: quare pars illa extrema bisulca videbatur, & cornea. Illæ verò

8. Et manus hominis sub pennis eorum in quattuor partibus: & facies & pennas per quattuor partes habebant.

9. Iunctæq; erant pennæ eorum alterius ad alterum: non reuertebantur cùm incederent: sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur.

10. Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quattuor; facies autem bouis, à sinistris ipsorum quattuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quattuor.

11. Facies eorum, & pennæ eorum extentæ desuper: duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum:

12. Et vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat: vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cùm ambularent.

13. Et similitudo animalium, aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.

14. Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.

15. Cúmque aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram iuxta animalia, habens quattuor facies.

A animalium formæ non aliter, atque ferrum ab igne candens scintillabant.

8. Cùm quatuor animalia quaternis essent alis instructa, binas tamen habuere manus erumpentes ab humeris: tam verò manus, quàm alas in quatuor habebant partibus, quia in quatuor angulis currus visebantur.

9. Quia verò celeritas significabatur in animalibus, illorum alæ volantium in modum erant extentæ: quare licèt medius intercederet currus, pennæ tamen
B vnius cum alterius pennis iungebantur. Ferebantur autem intento semper, atque citato cursu, & vultu in eam partem, ad quam mittebantur, sic offirmato, vt nullam in partem detorquerent oculos, aut faciem conuerterent.

10. Hic verò quadriformium animalium aspectus erat, atque ordo: Facies hominis media, quæ reliquas sibi associabat, continebátque. A dextera ipsius parte quatuor in locis, species sese leonis efferebat; quapropter quatuor erant leoninæ
C facies. A sinistra vitulinæ totidem; supra caput tamen hominis eodem numero extabat aquilarum species.

11. Illorum facies eleuatæ erant sursum, quasi auidè alterius expectarent imperium; quod etiam significabant superiores pennæ extentæ, paratæ volare quáprimum ad locum sibi destinatum. Duæ verò inferiores pennæ non expandebantur, sed iungebantur inter se, vt partes illas in nudo corpore velarent, quæ honestè apparere non poterant.

D 12. Vniuscuiusque illorum animalium is erat incessus, vt antrorsus semper offirmaret faciem; quia illò cursum moliebatur, & incitabat suum, quò diuinus illud spiritus agebat. Neque in incedendo sinuosum, & tardum instituebat cursum; sed rectum, & velocem.

13. Animalium porrò species, & visio tota non aliter splendebat, emicabátque quàm ardentes prunæ, aut accensæ lampades. Neque huic dissimilis erat species altera, quæ mihi in animalium medio dis-
E currere visa est; obiectus est enim ignis, & de illius medio emicans fulgur.

14. Hæc autem animalia siue mitterentur, siue reuocarentur à cursu, ea celeritate, ac studio iubentis obsequebantur imperio; vt videre te crederes fulgetræ coruscantis similitudinem.

15. Cúmque intentus essem animalium spectro contemplando, oblatæ sunt mihi iuxta animalia rotæ, quæ ea velocitate, ac volubilitate ferebantur, vt suspenso cursu terram non existimarentur

16. *Et aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio maris: & vna similitudo ipsarum quattuor: & aspectus earum & opera quasi sit rota in medio rotæ.*

17. *Per quattuor partes earum euntes ibant, & non reuertebantur cùm ambularent.*

18. *Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus: & totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quattuor.*

19. *Cúmque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea: & cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rotæ.*

20. *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur, sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.*

21. *Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant: & cum eleuatis à terra, pariter eleuabantur & rotæ, sequentes ea: quia spiritus vitæ erat in rotis.*

22. *Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, & extenti super capita eorum desuper.*

23. *Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum: vnumquodque duabus alis velabat corpus suum, & alterum similiter velabatur.*

24. Et

A attingere. Cùm verò quatuor essent rotæ; sic tamen erant inter se similes vt vnam esse rotam quilibet iudicaret in quatuor locis, ad quatuor nempe quadrigæ angulos collocatam.

16. Ea verò species erat rotarum, ea materies, ex qua videbantur compactæ, vt qui illas intueretur, videre se crederet, aliquid marinis fluctibus non dissimile; omnibus aspectus idem, eadem videbatur esse materies. Quæ in rebus omnibus ita conueniebant, quasi omnes essent eodem spatio, ac corpore conclusæ;
B altera nimirum in alterius medio comprehensa.

17. Hæ quia in quatuor erant angulis quadrigæ, per quatuor mouebantur spatia, in sua quælibet statione. Neque ad alterutrum declinabant latus, aut vllos faciebant in ambulando flexus.

18. Statura autem, id est, moles, & altitudo rotarum grandis erat, & species illarum horribilis valde. Omnes namque quatuor, quasi spectarent diuinum im-
C perium, oculis erant in toto ambitu distinctæ.

19. Sic quatuor illæ rotæ ad animalium incessum, suum quoque moderabantur motum, vt ambulantibus illis, aut quiescentibus, ipsæ quoque aut mouerentur, aut quiescerent; & si quando illa eleuarentur à terra, ipsæ quoque sursum cum illis raperentur.

20. Ex eo verò rotarum, atque animalium siue ingressu siue in quiete oriebatur tanta consensio, quia vno atque eo-
D dem agitabantur spiritu, & eò ferebantur, quocumque illa rapiebat spiritus. Perinde enim mouebantur rotæ, ac si illis spiritus inesset vitalis.

21. Adeò inter animalia conueniebat, & rotas, vt inter illa nullum esset in motu temperando dissidium. Ad animalium namque progressum, progrediebantur rotæ; & ad quietem illorum similiter quiescebant: si sursum eleuarentur è terra, ipsæ quoque se sursum attol-
E lebant; sic in omnibus attemperatè, vt spiritus, & sensus inesse rotis existimari posset.

22. Super animalium capita nubes quædam apparuit, quæ licèt in crystalli similitudinem splenderet, supra capita animalium expansi; aliquid tamen portendebat horribile.

23. Sub illa verò nube animalium superiores pennæ erectæ erant, & alterius ad alterum expansæ; inferiores verò tam huius, quàm illius corporis inhonesta velabant.

24. Ala

24. *Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei: cùm ambularent quasi sonus erat multitudinis vt sonus castrorum. cúmque starent, dimittebantur pennæ eorum.*

A 24. Alarum autem sonus, quem audiebam, instar murmuris erat, quod excitare solent aquæ de monte præcipites; erat, inquam, alarum strepitus vehemens, ita vt Dei strepitus, & fragor vocari potuerit. Et hæc quidem cùm animalia starent, expectaréntque iubentis imperium. At cùm mouerentur, sonitus videbatur, & fremitus multitudinis ad bellum incitatæ; & qualis esse solet in castris, cùm ardet pugna, & clamor, & tuba ad cædem, & sanguinem milites hortantur. Cùm verò starent, demittebantur, complicabantúrque pennæ: & tantùm ille supererat sonus, de quo priùs.
B

25. *Nam cùm fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant, & submittebant alas suas.*

25. Tunc autem animalia stabant, demittebántque pennas, & castrensis ille sonus conticebat, cùm ardentem illum, & concitatum cursum vox desuper ex firmamento audita morabatur.

26. *Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni: & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper.*

26. Et supra firmamentum, & nubem, C quæ supra animalium caput erat expansa, thronus visebatur splendidus, & varius, quasi formatus esset è sapphirino lapide. Et supra throni illius speciem, alia rursus species visebatur humana, quæ throno insidebat.

27. *Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus eius per circuitum: à lumbis eius & desuper, & à lumbis eius vsque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu.*

27. Species hæc humana similitudinem referebat electri ignem extrinsecus circumquaque euomentis. Electrum, inquam, referebat à lumbis ad summum vsque verticem capitis: nam inde ad pe-
D des vsque cùm ignis in omnem partem emicaret, non tamen vlla apparebat electri similitudo.

28. *Velut aspectum arcus cùm fuerit in nube in die pluuiæ. hic erat aspectus splendoris per gyrum.*

28. Splendor ille igneus, qui thronum circumfundebat in gyrum, similis erat arcui, qui pluuiali tempore fulget in aëre.

Vers. 1. *Et factum est in tricesimo anno.*]

1. 

Hic videtur Ezechiel primùm afflatus spiritu prophetico. Quando prima omnium hæc visio oblata est Prophetę, & statim cap. 2. à Deo missus esse traditur ad durum sub illud tempus prophetandi munus: & tandem ad superandas difficultates, quæ non poterant non esse graues & molestæ, cùm agendum esset cum duro, & peruicaci populo; confortatus est à Deo, & contra saxeas frontes, adamantina fronte communitus. Hic multa Patres, & interpretes de coniunctione *&*, quæ statim in principio occurrit; quæ cùm nihil coniungat, quia nihil antecessit, alia atque alia fingunt, nec videntur esse prorsus otiosa. Vide Gregorium in hunc locum, & Augustinum in Psalmum 4. qui dicunt coniunctionem illam referri non ad id, quod prolatum voce, aut Scri- E ptura notatum; sed ad quod quis aut in animo versat, aut sensu aliquo capit, quod esse in Scriptura frequens docuimus ad illud Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* vbi illud *sui*, ad sponsum refertur, quem nondum nominarat sponsa, in eius tamen cogitatione, ac desiderio tota erat defixa, vbi nos adduximus exemplorum satis. Sed sanè longè alia ratio est, vt plerunque alij censent, idque quàm verissimè: neque enim hîc aliquid aliud obseruandum, quàm idioma illud esse Hebraici sermonis, in quo ornatus gratia particula *&* sine vllo significationis pondere in initio non capitum solùm, sed etiam librorum adhibetur. Ab ea voce incipiunt, Exodus, Leuiticus, Numeri, Iosue, Ruth, & omnes penè libri, qui sacram continent Historiam.

Et, in principio ab Hebreis positū.

Regvla. Relatiuum aliquando refertur ad id, quod aliquis secum cogitat.

In tricesimo anno.] Non facile explicatu est, vnde tricesimus hic annus trahat exordium. Quare variè cogitant, ac laborant interpretes. Quidam putant hunc annum tricesimum esse à Iubilæo 2.

Anni vnde numerentur ab Ezechiele.

quod proximè præcesserat; ita quidam Hebræorum magistri, in quibus est Rabbi Dauid, & ipsius pater Ioseph Kimhi,& Rab.Salomon;quæ sententia meritò à Hieronymo ac Theodoreto reiicitur. Nam licèt tricesimus ille annus à Iubilæo in annum quintum Iechoniæ transmigrationis incurreret; non tamen apud Hebræos à Iubilæo digeri solent,ac numerari tempora. Alij ab eo tempore deducunt, quo inuentus est, regnante Iosia,liber legis; ita putat Chaldæus,cui cum Hieronymo subscribunt Theodoretus Historia scholastica in Ezechiel. Dionysius, Vatablus, Pintus:quam sententiam meritò meo iudicio reiicit Pradus. Tempora enim numerari solent à re maximè celebri, & omnibus communiter nota; at inuentus liber,non erat tanti momenti,vt ab eo duci temporum mensura debuerit. Sanè Ieremias sæpè tempus suæ præponit prophetiæ;neque tamen vnquam libri meminit à Iosia reperti, cùm tamen illius recens esset inuentio,sed regni Iosiæ, Ioacim, Sedeciæ,à quorum imperio suas notabat prophetias.

3. *A Nabapol Assar ducta à quibusdam annorũ computatio.* Pradus annum illum tricesimum ab imperio Chaldæorum deducit: quod iniit primùm Nabapol Assar, seu Nabuchodonosor senior, qui pater fuit Nabuchodonosoris magni, qui Syriam subegit,& Hierosolymam euertit;quod visum antè fuerat Scaligero lib.2. de emendatione temporum,cap.de Cyclo Chaldaico Iudæorum. In quam cogitationem ideo venit, quia cùm Ezechiel hæc in Chaldæa scriberet, numerandi rationem,quæ tunc captiuis ignota esse non poterat,adhibere debuit: neque tunc aliquid stabile, ac notum Iudæis esse videbatur, vnde sumeretur numerandi principium. Accedit quòd ab hoc Rege temporum calculum deducit aliquando Ptolemæus, qui dum agit de Cambysis, Darij Histaspis, & Adriani regnis annorum numerum à Nabuchodonosoris senioris imperij tempore dinumerat. Et addit hoc ipsum fecisse Aggæum, & Zachariam, qui cùm Regem haberent nullum, quem in temporum computatione respicerent, ad externos Reges temporum rationem referebant. Propter hæc Pradi sententia mihi videtur non improbabilis: sed vt hæc vera sint, tamen aliquid est, quod curiosus animus in hac explicatione desiderat. Successerit quidem Nabapol Assari Nabuchodonosor, vt tradit Iosephus ex Beroso lib.1.contra Apionem;at quis nouit ab inito Chaldæorum imperio ad annum quintum exilij Iechoniæ annos exactos fuisse triginta? Accedit quicquid sit de Chaldæorum consuetudine, quòd Hebræi tam olim in patria liberi, quàm postea apud Babylonios extorres suas notabant historias, siue vaticinia ab illorum Regum ætate, qui tunc, cùm res ageretur,siue scriberetur, dominabantur,siue illi alieni essent,siue domestici. De Hebræis, integra Republica, docent millies Prophetæ, maximè Ieremias; de eisdem in aliena regione captiuis docet Aggæus cap.1. & 2. Zacharias cap. 1.& 7. vbi annus notatur Darij, Esdræ caput 1. annus Cyri primus, & Nehemiæ cap.2. vbi notatur annus vicesimus Artaxerxis.Hæc mihi difficilem reddunt Pradi sententiam.

4. Theodoretus, quem Maldonatus sequitur, censet agi tunc annum à captiuitate tricesimum, quando hæc ab Ezechiele proposita. Quod ideo probat, quia paulo pòst cap.4.v.6.dixit Deus Ezechieli, *Dormies super latus tuum dextrum secundò, & assumes iniquitatem domus Iuda 40. diebus, diem pro anno,diem, inquam,pro anno dedi tibi.* Quæ verba non obscurè significant adhuc 40. captiuitatis annos esse reliquos. Cùm enim septuaginta annorum futurum esset Iudæorum exilium, si 40. supersint, constat iam exactos esse triginta. Quomodo abinitio captiuitatis ad annum vsque quintum Iechoniæ translati, triginta numerantur anni.sic explicat Theodoretus: ait enim, anno decimooctauo Iosiæ indictum esse à Deo Iudæorum exilium, à quo anno, ad tempus à Propheta descriptum,triginta numerantur anni. Sume etenim ex imperio Iosiæ annos tredecim, tot enim sunt reliqui ex triginta, quos regnauit Iosias; adde vndecim ex regno Ioacim; & quinque ex Iechoniæ exilio, deinde tres menses ex illius regno,& totidem ex regno Ioachaz: & ex eis triginta annorum colliges summam. Sed cur à decimooctauo anno regni Iosiæ duci debeat captiuitatis tempus,exemplo probat Theodoretus. Nam ideo, inquit, quadringentis annis futuri dicuntur Hebræi in terra Ægypti, quia ab eo tempore, quæ prædicta fuit Abrahæ illa populi apud Ægyptios commoratio, quadringenti anni translacti sunt. Sic enim Deus ad Abraham: *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicinet eos seruituti,& affligent 400.annis.*Eodem modo 4.Reg.c.22. dictum anno Iosiæ decimooctauo: *Ecce ego adducam mala super locum istum, & super habitatores eius.*

Hæc sententia nunquam mihi probari po- 5.
tuit: quæ quàm infirmis nitatur fundamentis, ex illorum solutione constabit. Primùm durum est exilij durationem, non ab exilij exordio, sed ab eius denuntiatione metiri. Neque exemplum Ægyptiæ moræ nimis in oppositum premit:nam quadringentos annos non solùm ægyptia commoratio, sed etiam peregrinatio in regione Canaanitide complent, vt communis est doctorum sententia, vt nos pluribus ostendimus ad illud Actor.7. v.6.*& malè tractabant eos annos quadringentos.* Neque obscurè indicat locus Genesis, qui ex peregrinatione filiorum Abrahæ in terra non sua, & ex afflictione, & seruitute Ægyptia, summam illam tot annorum absoluit. Nihilo plus vrget somnus ille ad diem vsque quadragesimum productus:tum quia non eo tempore dormire iussus est Propheta; quo primùm hac visione illustratus est à Deo, præceptum enim in dextrum incumbendi latus accepit cap.4. hæc verò species oblata est cap.1. Deinde quia ab anno 5. transmigrationis Iechoniæ, ad finem vsque captiuitatis, id est, ad annum septuagesimum,anni supersunt non quadraginta, sed quinquaginta septem. Captiuitas namque, vt constat Daniel.c.1. cœpit anno tertio Ioacim. Inde ad annum quintum à transmigrationis Ioachin, siue Iechoniæ, anni sunt tredecim, aut quatuordecim pro diuersa numerandi ratione. Quos si de septuaginta detrahas, multo plures supersunt, quàm Theodoretus reliquos esse vult.

Mihi illa placet explicatio,quam in præfatio- 6. *Hæc visio contigit anno 30. Ezechielis.*
ne huius Prophetæ secutus est Hieronymus. Tenet Origenes homil.1. & Gregorius homil.2. in Ezechielem, Historia scholastica in Ezechiele, Hugo, Lyra, Dionysius, nempe tricesimum annum ætatis esse Prophetæ, in qua nihil video distortum,aut difficile, neque quod à quoquam mediocriter attento improbari debeat. Illud obiici video, quòd temporis ratio ab eo deduci

&

& solet, & debet, quod celebre est, & compertum omnibus; at qui natalitius dies Ezechielis notus omnibus esse poterat, cùm eo maximè tempore, quo prophetare cœpit, vnus, aut alter tantùm nosset illum in rerum esse natura? Neque exemplum in Scriptura occurrit, vbi quis ab ætate sua in historia scribenda, seu vaticinij tempore notando, sumat exordium. Ego primùm hîc video designari tempus illustre, ac maximè notum illis, quos præcipuè spectabat & species oblata, & primum hoc Ezechielis oraculum. Notat enim annum quintum transmigrationis Regis Ioachim, quod perinde est, ac si diceret: *anno quinto regni Ioachim*. Nam cùm tribus tantùm mensibus regnum administraret, & statim Babylonem esset traductus, perinde fuit dicere, *quinto transmigrationis anno*, atque *quinto anno regni Ioachim*. Cùmque in Chaldæa scriberet, vbi magis erat notus captiuis, quàm Sedecias qui tunc ipsius loco regnabat Hierosolymæ, optimè eius nomen notatum est, potius quàm Sedeciæ. Neque captiuus Ioachim, & constrictus vinculis, nomen regium amiserat, neque vt est verisimile, regiam apud suos obseruantiam. Vtrumque probat locus qui huc valde facit, ex 4. Reg. cap. 25. v. 27. vbi anni numerantur à transmigratione Ioachim; & ipse licèt esset in vinculis, Rex tamen appellatur. *Factum est verò in anno tricesimo septimo transmigrationis Ioachim Regis Iuda.* Et quidem Propheta ab anno transmigrationis suæ numerum sumit annorum, in quibus aliquod à Domino vaticinium accepit. vide cap. 8. cap. 20. cap. 24. cap. 26. cap. 29. cap. 31. cap. 32. in principio, & maximè omnium apertissimè c. 40. in quo postrema continetur visio. *In vicesimo quinto anno transmigrationis nostræ.*

A transmigratione, seu regno Ioachim numerantur anni ab Ezechiele.

Ioachim etiã dum captiuus esset, Rex dicebatur.

7. Quòd verò ætatis suæ Propheta meminerit, non leuis, vt reor, causa est. Non quidem illa, quam respuunt, atque fastidiunt aliqui, quòd in ætate sua consignatum esse voluerit Propheta vaticinij tempus; hoc etenim mihi etiam vehementer displicet, sed vt in se aliquid obseruet, & notet, quod valde commendat Ezechielis modestiam; qui id à se remouet, quod in aliis eodem fortasse tempore commendari viderat. Eodem namque tempore prophetabat in Chaldæa Daniel, & in Iudæa Ieremias, quorum illustre nomen, & fama celebris; vterque à primis annis spiritu afflatus prophetico; vterque apud omnes magno in loco habitus; neque apud contribules solùm, sed etiam apud externos. De Daniele quanto fuerit apud Babylonios in pretio, ex toto ipsius libro non obscurè constat. De Ieremia docuit Nabuchodonosor, qui militiæ principi commendauit, vt illum susciperet liberaliter, rebúsque omnibus commodaret. vide Ieremiam cap. 39. & cap. 40. Quod ergo Ezechiel magnum esse audierat in Ieremia, qui puer adhuc ad propheticale ministerium vocatus est, & in Daniele, qui ab adolescentia miras habuit illustrationes à Deo, id à se remouet modestus Propheta, dum ait, non priùs sibi oblatam esse visionem à Deo, quàm tricesimum annum esset ingressus; ætatem nempe sacerdotalem, vt simul sacerdotale obiret, & prophetale munus. quæ duo inter se perquam aptè consentiunt. Neque hîc audiendum esse puto Iosephum, qui lib. 10. Antiq. c. 8. Ezechielem puerum esse dicit, cùm abductus fuit cum Iechonia Babylonem, nam quæ de Ezechiele primo etiam captiuitatis tempore dicuntur, aliquid innuunt supra puerilem ætatem.

Ezechiel anno ætatis suæ trigesimo prophetare cœpit.

A *In quarto, in quinta mensis.*] De mensibus eorúmque nominibus, egimus ad cap. 1. Zachariæ, ac Pradus satis hic diligenter. Habent Chaldæi nomina mensium propria, vt constat ex his libris, scriptoribúsve, qui aut in Babylonia scripserunt, aut aliquandiu apud Babylonios commorati sunt, vt vides apud Zachariam, & Esther. Hebræi sicut olim Romani à numero mensibus nomen indiderunt. Vt enim hi *Quintilem*, *Sextilem*, *Septembrem*, menses suos appellant: sic Hebræi *mensem primum*, *secundum*, &c. ex eo maximè tempore, quo Deus primo loco numerari voluit mensem illum, quo populus Ægyptium iugum ex suis ceruicibus excussit. Exodi cap. 12. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* B Quia verò Hebræorum menses initium, & finem capiunt à luna; quæ nostros menses non ordine rato, atque stabili, sed potiùs fortuito aut inchoat, aut finit, & dimidiat: ideo certò definiri non potest, in quem nostrorum mensium Hebræorum menses incurrant. Chaldaica paraphrasis, vbi noster, *in quarto*, habet תמוז *thamuz*, qui nostro Iunio plerunque respondet. 8.

Quis ordo, & nomina mensium Hebræorũ.

Cùm essem in medio captiuorum, iuxta fluuium Chobar.] Heb. *Cùm essem in medio transmigrationis.* Hîc ego duos Hebraismos deprehendo valde in Scriptura sacra familiares. Alter est in voce *medium*, quæ adiuncta præpositionibus, licèt ad elegantiam aliquid, nihil tamen addit ad significationem. C Quare in medio captiuorum, nihil est aliud, quam inter captiuos, aut eo in loco, vbi captiui morabantur. Alter est in voce *transmigratio*. Solent enim eiusmodi abstractæ voces pro concretis adhiberi, sicut *congregatio* pro congregatis, *circumcisio* pro Iudæis, *plantatio* pro plantis, & huiusmodi sexcenta; à quibus non abhorrent Latini, qui *consessum*, *concionem*, pro his qui consederunt passim vsurpant: sic hoc loco, pro exulibus, transmigratio ponitur. 9.

Vox mediũ interdum redundat.

REGVLA. *Nomina abstracta pro concretis.*

Chobar fluuium significat magnum, vt punico vocabulo Betis *Guadalkibir* vocatur, id est, fluuius magnus. & *Mazarkibir*, arx magna. D Est autem fluuius hic Euphrates; qui in Scriptura non semel magnus dicitur fluuius. Hic à magnitudine, vt credo, etiam à Latinis Chobar appellatur, quamuis Plinius aliam afferat nominis rationem lib. 6. c. 26. ait enim nomen illud datum esse flumini, quia à quodam Cobare diuisum est; ne vasta aquarum mole ciuitatem obrueret. 10.

Chobar idẽ qui Euphrates, & magnum aliquid sonat.

Habitarunt autem captiui iuxta flumen, eo puto Chaldæorum consilio, quia Gentem illam odiosam, & grauiter olentem secum intra mœnia habitare noluerunt; quod item fecerunt ante hoc tempus Assyrij, qui, vt constat ex 4. Reg. cap. 18. ad ripas fluminum considere iusserunt. *Transtulit Rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocauitque eos in Hala, & in Habor fluuiis Gozam.* E Idem fecere longo pòst tempore Romani, qui trans Tiberim sordidum illud hominum genus ablegarunt. Sic Philo de legatione ad Caium, vnde Martialis lib. 1. Epist. 98. Iudæum *transtiberinum* vocat. Quod verò ad ripas fluminis Chobar consederint, habitauerintque Iudæi, indicat Ezechiel ipse cap. 3. *Veni, inquit, ad transmigrationem, ad acervum nouarum frugum, ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar, & sedi vbi illi sedebant, & mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum.* Huc facit quòd Psal. 136. captiui prope flumina Babylonis habitare dicuntur, ibique ærumnosam vitæ conditionem lamentati, vide ibi Euthymium. 11.

Iudæi prope flumina extra vrbem habitare iussi.

Aperti sunt cœli.] Visio de qua pluribus postea, tanquam 12.

tanquam si in cœlo res ageretur, obiecta fuit procul in terra speculanti Prophetæ. quare vt illam spectaret, aperti dicuntur esse cœli. Hæc autem non de aereo cœlo capio, sed de illo, quod propriè, & citra omnem figuram cœlum vocatur. Dicuntur aperti cœli, quia ablata sunt à propheticis oculis impedimenta omnia, quæ obstare poterant, quo minus ad id quod obiiciebatur in cœlo, aspirare posset oculorum acies; tametsi cœli propriè aperti, id est, diuisi non fint. Quomodo Isaias cap. 64. cœlum disrumpi, id est, aperiri postulat, vt Saluator descendat; cùm tamen illo descendente non minus integrum futurum esset, ac solidum, quàm antea. *Vtinam,* inquit, *dirumperes cœlos, & descenderes.* Apertus dicitur nouus orbis, qui interfuso Oceano clausus videbatur; quia inuenta nauigationis arte, impedimentum illud sublatum est, quod homines ab orbis noui ingressu prohibebat. Sic fenestram apertam esse dicimus solaribus radiis, etiamsi crystallum, aut aliam pellucidam materiam obiicies, quia illa impedimentum non est, quominus cubiculum illustretur à sole. Sic ergo aperti sunt cœli propheticis oculis, quia introspicere potuerunt, atque illa notare, quibus intus Deus futuros rerum euentus portendebat. Plura in hanc sententiam diximus ad illud Isaiæ c.45. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*; vbi etiam docuimus quo sensu terra, id est, virginale claustrum apertum esse dicatur in Christi seruatoris ortu: quia nimirum impedimento non fuit Christo nasciturо.

Aperiri dicitur id, à quo impedimentum tollitur.

13. *Et vidi visiones Dei.*] Actio pro obiecto ponitur, aut termino actionis, vt loquuntur Physici, quomodo *timor* pro re timenda sumitur, *potentia* pro armis, peste, &c. *auditio* pro sermone, *custodia* pro præcepto, *aucupium, venatio, piscatio*, pro captis auibus, feris piscibus. sic etiam visio pro specie oblata, seu spectro ponitur. Dicuntur autem *visiones Dei*, vel quia quæ magna sunt, Dei esse dicuntur, vt *montes Dei*, *cedri Dei*; aut quia in illo spectro visus est Deus; aut certè quia, à Deo obiecta visio, & non à mendaci spiritu, aut à delirante phrenesi. Ad omnes has explicationes patet textus, in secundam magis propendet animus.

REGVLA. *Actio pro obiecto, aut termino actionis.*

14. Vers. 3. *Factum est verbum Domini ad Ezechielem.*] *Verbi* iuxta Hebræorum idioma significatio tam latè patet, quàm vox Latina *res*; quare hîc videri potest pro visione sumi. Sed credo id sibi velle quod simpliciter sonat: nam reuera verbum factum est à Domino, & satis longum ad Prophetam, vt constat ex capite 2. Et vt verbum plus haberet ponderis, accedente horrifica specie, quam multis hoc capite describit Propheta; ideo hæc, quæ primo capite commemorantur, antecedunt. Quare cùm verbo Domini horribilis hæc visio deseruiat, quantumuis longa sit Hieroglyphicæ visionis descriptio; verbum tamen factum esse dicitur. Adde quòd hæc visio muta non est; sed signis loquitur, & figuris, cuius sensus mox aperiemus: quocirca verbum dici potest, verbum, inquam, Hieroglyphicum. Quòd si verbum hoc non tantùm spectet figuram, & vaticinium præsens, sed etiam prophetias omnes, quas diuino instinctus spiritu edidit Ezechiel, minus habet difficultatis hæc oratio, quod probant, aut indicant, qui hoc primùm loco afflatum esse censent spiritu prophetico Ezechielem. Quare hoc non solùm proœmium videri possit primæ huius visionis, sed etiam totius libri. Quæ sententia omnino mihi probaretur; nisi locus vbi factum dicitur esse verbum, illud in angustum, & definitum aliquid coarctasset.

15. *Secus flumen Chobar.*] Obseruauimus ad illud Psal. 136. *super flumina Babylonis*, aptum esse in fluuiorum ripis orationi locum, quia motus ille fluentis aquæ, & crystallinus liquor ad cœlestia eleuat languentem animum. Sic Daniel cap. 10. ad Tigrim speciem vidit, huic non valde dissimilem. Et longo pòst tempore Iudæorum oratoria ad fluminum ripas videntur excitari solita. Sanè Paulus Actor. 16. cùm iuxta flumen domum esset intuitus, suspicatus est oratorium esse, seu proseucham; quia illud forsitan Iudæis vsitatum esse nouerat. Iuxta fluuium igitur Chobar Ezechiel intentus forsitan meditationi, hanc à Deo insignem illustrationem accepit.

Prope flumina aptus orationi locus.

16. *Et facta est super eum ibi manus Domini.*] In manu Dei vis significatur, & potentia, qua Deus suos mirabilem in modum confirmat, & roborat, seu magnam in illis efficit rerum conuersionem; aut alienos exagitat, vexatque durè: aut certè spiritus vehemens, & ardens qui magnam animis mutationem inducit, aut ardorem inspirat. Sic cùm Eliæ vis, atque celeritas describitur, qui currum antecedebat Regis Israel; manus Domini facta fuisse traditur super eum 3. Reg. 18. *Manus Domini facta fuit super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab.* Actor. cap. 13. *Ecce manus Domini super te, & eris cæcus.* Cùm verò diuinus afflatus magnum aliquid in Prophetarum animis efficiat, fit vt prophetiæ spiritus manus dicatur Domini 4. Reg. cap. 3. de Elisæo, *Cúmque caneret Psaltes, facta est super ipsum manus Domini.* Hoc loco Domini manus duo videtur præstitisse Prophetæ; & spiritum propheticum, vt visionem aspiceret, & futura cognosceret; & constantiam, & robur, quo improborum minas, & audaciam contemneret, & adamantina fronte, aduersariorum frontes, & spiritus frangeret.

In manu vis significatur, & potentia.

17. Vers. 4. *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone.*] Spectrum hoc, vt putat hîc Theodoretus, & Hieronymus, & res ipsa indicat non obscurè, exitium portendit ciuitatis. Nam quodcumque obiectum est propheticis oculis, horribile est, à quo sperari nihil possit benignum, & mite. Multa de tota visione, multa de singulis partibus à multis dicta, & vt rei ipsius obscuritas exigit, sanè variè. Ego vt alia omittam, puto cum Hieronymo, ac Theodoreto, Ruperto, & Petro Comestore in Ezechiele cap. 1. quibus è recentioribus subscribunt aliqui, in quibus sunt Pradus, Maldonatus, & Alcasar, hîc aliquid bellicum, & hostile portendi. quod dum singula prosequimur, magis constabit. Quicquid autem odiosum est, & infensum, id totum spectare ad Hierosolymæ excidium. quod Propheta ipse sæpè, & dilucidè significat, maximè à capite quarto. Puto autem in curru, quem bellicum esse arbitror, potius quàm triumphalem, exercitum designari Babylonicum, qui in Solymitanam vrbem diuinam inuehebat indignationem, & vltricem manum; quomodo Isaiæ cap. 10. dixit Dominus Assyrium suam esse virgam, & in ipsius manu suam indignationem inflammari. Neque parum adiuuat hanc coniecturam, quòd ignis in eo curru portari dicitur, qui, vt suo dicemus loco, Chaldæorum agmina præcedebat. Adde quòd quatuor animalia quæ trahebant, aut assistebant currui, mirè Chaldæorum

Hæc visio excidium spectat Ierusalem.

Currus non tam triumphalis, quàm bellicus.

Nabuchodonosoris mores, & ingenium.

rum ingenium, & Nabuchodonosoris mores, ac spiritus produnt: vocatur enim aquila Ieremiæ cap.48. *Ecce quasi aquila volabit, & extendet alas suas ad Moab.* & Ezechiel.c.17. aquila dicitur grandis magnarum alarum. Imò & de Chaldæis hoc ipsum dicit Habacuc c.1.v.8. Vocatur item leo Ierem. cap.5.v.6. Turbini prætereà ruenti, ac tempestati comparatur Chaldæorum exercitus, Habac. suprà, & Ierem.c.23.v.19. *Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens.* Hæc mihi veri videntur plusquam similia. De singulis dicemus suo loco pluribus.

Turbo præceps aliquid significat.

18. *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone.*] Per turbinem vis significatur incitata, & præceps, qualis est exercitus, quem ira rapit, & studium vindictæ. Aquilonem pro Babylone sumi nemo dubitat; quia ab Aquilone Hierosolymã spectat. Licèt ante in Chaldæa visionem hanc accepisset Propheta: ab Aquilone tamen ingruere tempestatem dicit, quia illam videbat Hierosolymam versùs incitari.

Arma Dei.

19. *Et nubes magna, & ignis inuoluens.*] Ventus turbinis, de quo proximè, impellebat nubem horribilem, & vastam, euomentem ignem, micantem fulgure, & durissima quæque minitantem. Ex qua illa torquebantur spicula, quæ arma dicuntur esse Dei. Sapient.5.v.22. *Ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur* (nempe insensati) & Habacuc 3. *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Quid sit *ignis inuoluens*, obscurum est. Quidam fulgura esse credunt; quod Septuaginta sibi velle videntur, cùm vertunt, *Et ignis fulgurans.* neque id displicet; commodè namque fulgur ignis appellatur inuoluens; vel quia ipsum sese vibrare videtur, & variis quasi spiris conuoluere; aut quia nubem inuoluit, circumstátque, sicut frondes arborem, à qua nascuntur, aut solem radij, quos a se diffundit. Sed credo *ignem inuoluentem*, seu, vt alij conuertunt, *sese reciprocantem*, aut *se inuoluentem*, esse fulmen, quia & ipsum ignis est, & noxium magis quam fulgur, quod metu quidem exterret, sed nemini graue nocumentum affert. Contrà fulmen non solùm metu concutit homines, sed etiam exanimat: quare Dei arma vocari possunt, quæ Deus ex nube in stolidum, & peruicacem populum eiaculatur. Pro *inuoluens* Hebræi מתלקחת *mitlakachat*, quod cùm sit in Hitpael, communiter passiuo, seu reciproco sensu conuertunt interpretes. Pagninus *inuoluens se*, Tigurina *reciprocans se.* & Hieronymus Exodi 9. v.14. in re non dissimili passiuè etiam exposuit. *Grando, & ignis*

Ignis inuoluens quid.

Fulminis descriptio.

20. *iuxtà pariter ferebantur.* Quod si passiuè capias, multo hæc aptius in fulmina, quàm in fulgura conueniunt. Nam licèt fulgura, cùm è nubibus emicant, intortas interdum ostendant flammas; id tamen neque perpetuum; neque illud nomen ab his, qui de re sublimi, atque meteora disputant, aut loquuntur, acceperunt. Quod longè aliter obseruamus in fulmine. Cùm enim flammam inuoluentem se, in spiras inflexam, aut quod de Dracone dixit Maro lib.5. Æneid. *longos dat corpore tortus.* statim lapsum è nube fulmen coniectamus. Quod etiam in fulminatis arboribus apparet, in quibus tractus quidam, spirarum in modum efformati relinquuntur. Ex qua figura fulmen ignis vocatur *trisidus*, aut *trisulcus*, aut quod ad rem maximè facit, *tortilis.* Hæc mihi ita probantur, vt tamen quæ de fulgure alijs visa sunt, non improbentur.

21. Nihilominus puto ignem hic inuoluentem, aut reciprocantem se non esse fulgur, aut fulmen, sed igneum globum, in ipsa nube manentem perpetuò, & illam illustrantem, de quo postea. Quod ideo mihi persuadeo, quia ab illo igne splendebat in circuitu nubes, vt statim dicitur, quod neque a fulgure, neque à fulmine contingit: nam illa plerumque pars nubis fulgurante, aut fulminante cœlo collucet, vnde ignis erumpit; at hìc tota circumcirca nubes splendere dicitur. Item quia de medio ignis species apparuit, in electri similitudinem, quod indicat ignem illum non esse crebris fulgurum coruscationibus varium, atque discissum. Quomodo enim si rerum naturam spectes, cui sese Deus ad hominum commodiorem vsum attemperat; fulgurante perpetuò nube illa notare potuisset Propheta, quæ postea illustri narratione minutim obseruat. Neque parum fauet huic cogitationi, quòd ignis ille, e cuius medio illa prodierunt, de quibus postea, inuoluens dicitur, aut reciprocans se, quæ neque in fulgur, neque in fulmen apte conueniunt. Non enim hæc reciprocant sese; id est, ad se redeunt, conglobántque, aut erumpentes, aut erumpere gestientes flammas: nam, vt dicit Christus Matth.24. de fulgure, *Exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem.* quod de fulmine violentiùs excusso affirmari potest multo magis. At ignis alius cùm ardeat vehementer, gestiátque flammas longiùs eiaculari, illas tamen cohibet, & magna interdum mole seipsum in eodem loco sustentat. Hæc mihi minùs videntur impedita; si quis tamen aliter statuat, non repugno. Quod in tota visione prædictum esse volo, quæ eiusmodi est, vt in varias pateat explicationes, in quarum nulla mens acquiescit; neque puto quenquam in ea, quam excogitauit, omnino sibi placuisse.

22. *Et splendor in circuitu eius.*] Si de fulguribus superiora intelligantur, significatur vsque adeò frequentes esse coruscationes, vt non nubes solùm, sed quæcumque circumcirca sunt, latè colluceant: si de igne in nube conglobato, res videtur minùs difficilis. Habet enim ignis sphæram suam, quam splendore compleat: sphæra verò quam habebat ignis ille cœlestis, ambitus erat nubis, quam impleuerat.

23. *Et de medio eius quasi species electri.*] id est, *de medio ignis.* Illud *eius* si idioma intuearis Latinum, ambiguum est; tam enim referre potest *nubem*, quàm *ignem*. quæ tamen amphibolia in Hebraico idiomate non est, quòd in pronominibus distinctas habent generum terminationes. Hic verò terminatio fœminea est, atque ideo ignem spectat, non nubem; quia אש, pro quo noster *ignis*, in fœmineo genere reperitur, vt apparet proximè in *inuoluens*, quod nunquam inuenies in ענן *anan*, pro quo noster *nubes.* Ex quo nonnulla coniectura sumitur, vt credamus aliquem esse ignem in nube non fulgurantem, in quo illa cerneretur species; de quo videtur hìc esse sermo. Iuxta Hebræorum idioma, quod medium interdum otiosè ponit; ita vt *de medio*, idem sit quod *de*; *in medio*, idem quod *in*. vt diximus nuper ad illud, *in medio captiuorum*; non necessarium est, vt species sit in medio ignis; sed satis est, si in extrema illius parte sit, aut ex igne prodeat. Porrò species non videtur habere figuram aliquam expressam, aut effigiem; quia neque electrum in aliquam certam speciem efformatum est. Tantum ergo significat in igne, aut ex igne

splendo

splendorem existere, qualem in electro conspicimus; de cuius imagine, & forma suo postea loco. A

Vbi noster *electrum*. Heb., est חשמל *chosmal.* quæ cùm hoc tantùm loco reperiatur, non facile doctores assequuntur, quid valeat. Quare quidam ex Hebræis Angelum esse censent. In quo infantiliter errant, sicut alibi passim. Nam quòd colorem significet, ipse docet postea Propheta cap.8. vbi describens eum quem in igne viderat, dicitque à lumbis deorsum similem esse חשמל, vbi notus aliquis color indicatur. Quid verò electrum sit, obscurum est. Duæ electri species occurrunt non infrequenter: alterum quod etiam succinum appellatur, est enim quarundam arborum succus, siue humor, qui in lapidis duritiem tempore concrescit. de quo Plinius lib.37.c.3. quòd auri referat similitudinem, & ab Hispanis appellatur *ambar.* de quo est illud Maronis Eclog. B

Electri duo genera.

Pinguia corticibus sudent electra myricæ.

Est item electrum nobile metallum, siue ex varia metallorum admixtione fiat; siue purum sit, & sine aliena concretione simplex, nam ea de re variæ sunt interpretum sententiæ. Illud ex auctoribus satis constat splendidissimum esse, & pro fingendis vasis non inferius auro. Quare dum phialam donatam sibi à Rufo commendat Martialis, ab electri splendore similitudinem petit, lib.3.Epig.50. C

Vera minus flauo radiant electra metallo.

A quo etiam Vulcanus a Marone fingitur splendorem, & firmitudinem Æneæ armis addere voluisse.

Quicquid in arte mea possum promittere curæ,
Quod fieri ferro, liquidóque potest electro.
Quantum ignes, animæque valent.

Hic electrum absque dubio pro metallo sumitur; vt est communis ferme omnium interpretum sensus. & magis erit postea perspicuum, cùm ventum fuerit ad versum 27.

25. Vers.5. *Et in medio eius similitudo quatuor animalium.*] Illud *eius* ad ignem refertur, vt ostendit genus fœmineum. Ex medio igitur ignis, id est, ex igne, aut iuxta ignem ex Hebraici sermonis proprietate, extabant quatuor animalium similitudines, & species, quas statim latè minutéque describit. D

26. *Et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.*] Mitto hìc aliorum cogitationes, qui variè animalia hæc aut dissecant in plura, aut in vnum contrahunt, atque consociant. Cùm enim hic multa sint obscura, quæque longam operam desiderant; in quibus nobis, quantumcunque agamus festinatò, immorandum est diù; multa nobis omittenda sunt, & illa tantùm aut commemoranda, aut refellenda, quæ magnis auctoribus placuerunt, aut in sapientum animis inueterarunt. Ego primùm obseruo cum doctorum plurimis, imò si vnum, aut alterum excipias, cum omnibus, quatuor hìc esse animalia, eaque quadriformia; id est, quæ vno in corpore quatuor habent animalium figuras. Et ex his verbis item obseruo, illarum tot formarum speciem hominis esse quasi subiectum, quod formas illas quatuor animalium continet, & sustentat. Id enim valet illud, *similitudo hominis in eis.* id est, in illa diuersarum formarum compositione, habitum, seu conformationem humani corporis esse fundamentum, quia videlicet status rectus est, quod vni datum est homini, & reliqua, præter admodum pauca, ab humana specie desumpta sunt. E

27. Quemadmodum, si profana licet cum sacris cóponere, ab antiquis describebatur Serapis, ea forma vt ex corpore, atque ceruice humana tria pullularent, atque extarent capita, caninum, leoninum, & lupinum. Et Hecates, siue Dianæ caput in humano corpore triforme pingebatur à Gentilibus. Apud quos sæpe creditur Hecate *τρίμορφος, τριωσοκέφαλος*. Sic Claudianus de raptu,

Hecate tria formis, item Serapis.

Ecce procul ternis Hecate variata figuris.

& Maro lib.4.Æneid.

Tergeminámque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

28. Antequam ad describenda quadriformia hæc animalia descendam, notanda mihi sunt quæ in aliorum cogitatione non probem. Quatuor hìc video interpretum sententias. Altera est Lyrani, & Theodoreti, qui ita in humano corpore quatuor disponunt capita, vt in quatuor mundi latera directò respiciant. Quam sententiam optimè oppugnat Alcasar in cap.4. Apocal. v.7.& 8. notatione 12. Quia si capita in contrarias partes spectent, neque in partes omnes moueri possint animalia; efficitur non posse vnumquodque coram facie sua ambulare; quod de illis affirmat hìc Propheta. Item quia non videtur quomodo in ea capitum dispositione, assignari possit dextrum, & sinistrum, aut aquilinum caput esse desuper; quod habes in textu. Rationes alias pete ab Alcasar.

29. Pradus aliter efformat quatuor hæc animalia. Ait enim, non esse necesse requirere id, quod propriè dicitur caput aut facies, sed satis esse vt in humano corpore aliquid appareat, quod humanam naturam repræsentet; aliquid nimirum, leoninum, aquilinum, humanum: quale est instructum esse alis, habere in ceruice, aut hirsuto pectore leoninas iubas; & denique pedes vitulinos. Tunc autem euitatur aliquid monstrosum, & deforme, quod non videtur æthereatum mentium speciem, ac naturam decere. Hanc sententiam optimè suprà improbat Alcasar, iisdem propè rationibus, quibus superiorem. Quia cùm alæ vtrumque latus instruant, & leoninæ iubæ medium pectus, ceruicémque conuestiant, non apparet quomodo quædam animalia à dextris, quædam à sinistris esse possint; aut quomodo aquilæ facies supra cæteras sit, quod textus manifestè docet. Item quia cùm quatuor facierum meminisset Propheta, in quibus facié aquilæ posuerat, & faciem vituli, statim addidit quatuor alas singulorum, & vituli pedes; vbi apertè hæc à facie aquilæ, & à facie vituli distinguit. Quare neque alæ, facies aquilæ, neque pedes, facies vituli sunt. Adde his, quòd neque ex hirsuto pectore, aut ceruice iubata; aut ex alis discernere potuisset Propheta leonis esse, aut aquilæ faciem, cùm etiam animalia alia iubata sint, & aquilarum alæ aliarum volucrum pennis sint quàm simillimæ.

30. Quod verò deformem putat, ac monstrosam quadriformem illam animalium speciem, id mouere debet neminem, vt quatuor animalium facies à cœlesti natura submoueat. Nam facies illæ Hieroglyphicæ sunt; quæ non tam indicant beatorum spirituum mores, & ingenium, quàm quod Deus per illorum species hominibus portendat mala. Neque nouum est in Scriptura sacra, vt quæ sanctissima sunt, longéque pulcherrima, obiiciantur hominibus aut in monstri cuiusdam, aut impuri etiam animalis effigie: aut etiam in euentu aliquo, seu historia, in qua nihil apparet

REGVLA. Quæ turpia sunt rei honestissima possunt esse typus.

apparet quòd laudes,& quamplurima occurrũt, quæ iure reprehendas. De historia docet Hieronymus epist. 131. ad Rufinum, qui tamen aliis in locis ante non admiserat. vt in Oseam c. 10. in Isaiam c.45. & in hunc Prophetam cap. 12. sed mutauit sententiam, & quod priùs negauerat, confirmat exemplis. Idem docet Augustinus lib.22. contra Faustum Manichæum, vbi docet Loth,& Oseam, in eo etiam actu in quo vxores, & filiæ figura fuerunt Synagogæ, aliquid adumbrasse diuinius. Idem docet de congressu Iudæ cum Tamar. Idem Gregor. lib.3.Moral.c.22. & confirmat exemplo Dauid & Bersabee. De figura docet Theodoretus in eo dialogo, qui dicitur *Impatibilis*. & in Numeros q. 39. & confirmat exemplo ænei serpentis, qui seruatoris Christi typus fuit, & quidem vt habes Eccl.25. *Non est caput nequius super caput colubri.*

31. Illud verò de monstrosa compositione, quæ viros doctos eò adduxit, vt aliter de hac Ezechielis visione cogitarent, minùs mouere debuisset viros doctos, quíque in sacris literis mediocriter versati sunt. Nam eiusdemmodi quæ putantur monstra, multa in Apocalypsi, multa in Prophetis Testamenti veteris obseruamus. An non monstrum animalia quatuor plena esse oculis antè, & retrò, Apoc. c.4. & eadem senis alis instructa,& sine vlla intermissione clamantia, *Sanctus, Sanctus?* An monstrum non est, quod aquila clamat, *væ, væ?* Apoc.c.8. An indecorum quòd Christus in agno, cui 7. cornua sunt,& totidem oculi, significetur; atqui id habes Apoc. c.5. Et, vt maximè qui monstrosam animalium imaginem fastidiunt, contendant, non effugient, quominus in hac Ezechielis visione prima aliquid esse monstrosum fateantur. Neque enim à leone, vitulo, atque homine auferre possunt alas; & ab aquila, & aliis vitulinos pedes; quæ sanè illorum naturis nullo modo consentanea sunt, & animal quadriforme nemo vendicabit à monstro.

Monstrosa quadā forma in Scriptura.

32. Alcasar in cap.4. Apocal. v.7. & 8. notatione 12. aliter efformat propheticum hoc animal; cui quidem attribuit veram,& propriam faciem viuentis hominis: & trium aliorum animalium non veras, & proprias, sed simulatas arte, atque laruatas species, quales in galea gestari solent ad aliorum terrorem, siue ad armorum ornatum, & insigne ab imperatore, siue ab eleganti, atque strenuo milite. Atque ideo hominem, qui laruatas, & mortuas imagines in casside gestat, cataphractum inducit. Addit præterea quatuor manus erumpentes ab humero.

33. Ego in illa figura primùm probo illorũ animalium ordinem, & situm, quorum laruatæ facies finguntur ab Alcasar: sed laruatas esse facies,& nō potiùs veras,& proprias, nullus mihi persuaserit. Neque enim video cur à vera ac naturali forma ad laruas, & inanes imagines confugiendum sit, cùm à propria significatione recedendum non sit, nisi cùm grauis adigit ratio, quæ aliquid impium, aut absurdũ declinare vult. Quid verò hîc absurdi sit, si veræ sint, atque viuentes formæ, non video. Ratio Alcasaris est, quia textus ait, non *quatuor capita vni*, sed *quatuor facies vni*. quæ apud me aut nihil habet, aut parum momenti. Quis enim ignorat *faciem* per Synecdochen pro toto sumi capite; imò in *facie* peculiaris est ratio, quæ pro toto animali nō rarò sumitur, vt pluribus ostendimus ad illud Isaiæ cap.25. *Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colli-*

Regvla. Facies pro eo sumitur, cuius est facies.

A *gati*. Quare *facies hominis*, idem est quod homo; *facies frigoris*, & *facies gladij*, idem quod frigus, & gladius. Sic ergo hîc *facies quatuor vni*, idem est quod quatuor capita cuilibet; aut in quolibet animalia quatuor. Et est opportunum exemplum, quia de animalibus sermo est, illud Amos c.5. *Si fugiat vir à facie leonis*. id est, à leone. & illud Eccl.c.21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum*, id est, quasi à colubro. Quod si *facies* hoc loco laruam significat, cur non hominis etiam laruam esse dicamus,& non propriam, & veram hominis formam; cùm non minus de homine, quàm de aliis dicatur habuisse facies? *Facies hominis, & facies leonis, à dextris ipsorum quatuor.*

B Fateor in armis gestare milites terrificas formas, quo timorem hostibus incutiant. Sanè vt Plutarchus in Mario prodit, in Cimbrorũ equitum galeis hiantium animalium horribiles formæ visebantur. Fateor illorum animalium formas satis esse aptas, vt potentis, & præferocis imperatoris galeam insignirent: at terroris plus afferunt ipsorum animalium animatæ formæ, quos armant vngues, rostra, cornua. 34.

Animalium forma in militū galeis.

Addit præterea Alcasar loricatum esse, & cataphractum animal illud quadriforme; quod mihi semper visum est durum. Primùm, quia vt terribile aliquid hostibus obiiciat, satis est habere leonis, aquilæ, & tauri facies; quæ belluæ sunt C feroces, & cruentæ: deinde quia non videtur quomodo ex loricato corpore erũpere possint, & se foras efferre quatuor alæ, quas in singulis animalibus esse Propheta docet. De quaternis manibus quas singulis animantibus attribuit, mox dicemus: tum etiam de alarum situ, quas omnes ex humeris extare in suo schemate significat Alcasar. Neque, credo, si loricata essent animalia, id latuisset Prophetam, qui alia in speciem leuiora persecutus est explicatè & minutim. 35.

Ego vt iam tandem meam cogitationem aperiam, censeo in ea tot animalium compositione, quasi fundamentum esse hominem, cuius è col- D lo recto humana se facies efferebat, quæ media erat inter leoninam, & vitulinam formas; illam habebat à dextris, hanc à sinistris, quæ ex humano collo, seu humeris tanquam è trunco rami pullulabant; supra caput faciem habebat aquilinam. quæ omnia non obscurè textus ipse demonstrat. *Facies*, inquit, *leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Quod cap. 10. vbi eadem explicatur visio, magis perspicuè constat, vbi facies hominis secundo loco, id est, in medio duarum facierum collocatur. Omnes autem facies in eandem partem erant intentæ, & eandem spectabant regionem; atque ideo an- E te faciem suam ambulare dicuntur animalia. Status erat rectus, qualis videlicet est humanus; non pronus in terram, qualem cæterorum animalium finxit natura,& ideo pedes dicuntur esse recti. Quid verò pedum significetur nomine statim dicemus, quorum plantæ bisulcæ erant, quales in vitulis vngulas spectamus. Hæc de tota forma animalium, quæ quatuor fuerunt sibi quamsimillima; de quibus adhuc nonnulla nobis obseruanda sunt. 36.

Status animalium humanus.

Vers.6. *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni.*] Id est, cuilibet quatuor animalium quadriformiũ (quod pro vno censetur animali, quia in vno quasi supposito sustentatur multiplex illa species) quatuor erant pennæ, quo in loco, mox di- 37.

cemus v.11.Sunt qui dicāt cuilibet speciei quatuor esse pennas; atque ideo cùm 24. facies in quatuor animalibus reperiantur, pennas esse putant 64.in his sunt quidam ex Hebræorū magistris cum Chaldæo paraphraste; quorum sententiam probat Maldonatus. Sed non puto esse necessarium, neque video vbi statui possint tot illæ pennæ, nisi aliam statuamus animalium dispositionem, qualem nemo quòd ego viderim excogitauit.

Pes, pro eo quod est ab imo ventre ad pedes.

38. Vers.7. *Et pedes eorum pedes recti.*] Pes apud Hebræos id omne complectitur, & honestè significat, quod est ab imo ventre ad summos vsque pedes, vt obseruauimus ad illud Isaiæ cap.6. *& duabus velabant pedes eius.* Septuaginta vertunt crura eorum recta. Ex quo colligitur horum animalium staturam esse hominis, quia solus ille rectam habet illā corporis partem, quæ pedis nomine significatur. Hîc obserua hāc repetitionem eiusdem nominis Hebræis esse familiarem, & propriam; qui pro verbo substantiuo nomen interdum iterant, quod antecesserat. vt Zachar. c.6. *& montes montes ærei.* id est, montes erant ærei. Cantic.8. *Lampades eius,lampades ignis.* id est, lampades eius erant ignis. sic hoc loco, *Pedes eorum pedes recti,* idem est, quod *pedes eorum erant recti.*

Repetitio vsitata Hebraeis.

39. *Et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.*] Cùm crura essent humana,& recta,pedes tamen erant vitulini,id est,bisulci,ac cornei. Cur verò animalibus vsque adeò velocibus vngulæ supponantur animalis vsque adeò tardi, in sensu morali explicabimus postea.

40. *Et scintillæ quasi aspectus æris candentis.*] Hæc Maldonatus de vitulinis pedibus intelligit, quos putat ita scintillare sicut æs politum, & tersum oppositum Soli,aut lucenti corpori.Ego potiùs existimo, vt etiam plerique alij censent, ad totum animal quadriforme referri. Scintillabant autem & collucebant, siue ab externa flamma splendore concepto, siue quia ipsa inflammata erant animalia, quæ diuinam ad sceleratum populum indignationem inferebāt. Inflammari autem, aut ardere dicuntur qui vehementer indignati sunt, non solùm apud sacros, sed etiā apud profanos scriptores. vnde in Scriptura frequens, *exarsit ira, accensus est furor.* De profanis duo nobis exempla sufficiant: alterum Tullij Act. in Verrem. *Inflammatus scelere, & furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.* Et Virgil.lib.12.Æneid.de Turno,

Flamma furoris symbolum.

His agitur furiis,totòque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt,oculis micat acribus ignis.

Diuinum igitur furorem scintillis è toto corpore emicantibus significari puto. Neque mihi improbabile est, similitudinem illam de qua suprà vers.4. instar electri, esse quatuor hæc animalia instar electri, aut candentis æris scintillantia. Quod apertè significari videtur statim vers. 13. vbi animalium aspectus fuisse dicitur, quasi carbonum ignis ardentis,& quasi aspectus lampadarum.

41. Vers.8. *Et manus hominum sub pennis eorum in quatuor partibus.*] Ex hoc credo loco,putat Alcasar cuilibet animali quaternas esse manus, quia quaternæ sunt alæ in eorum quolibet. Maldonatus quia cuilibet faciei quaternas putat datas esse pennas; quaternas quoque manus attribuit; ac perinde sedecim in quolibet animali manus agnoscit. Ego binas singulis inesse puto, sicut est communis aliorum sensus; quia duæ alæ in

Cuilibet animali binæ manus.

A ea corporis parte constituuntur, vt mox dicemus, vnde manus, & brachia non videntur erupturæ fuisse. Neque sine causa dictum esse arbitror cap. 10. v. 21.cùm præcessisset cuilibet animali quaternos esse vultus, & totidem alas; nihil de numero manuum esse definitum, quia manus ex ea corporis parte pullulasse constabat,vnde naturaliter existunt,ex humeris, nempe, vbi duas tantùm animalium alas statuamus. *Quatuor,* inquit, *vultus vni,& quatuor alæ vni,& similitudo manus hominis sub alis eorum:* sub alis, inquam,illis, quibuscum simul esse commodè poterant.

Vbi noster *in quatuor partibus,* Heb. רבעים *ribe-* 42.
B *hem,* id est,in quatuor quadraturis, seu angulis, & lateribus, nēpe in quatuor locis, quæ ad currus,de quo postea,angulos spectabant. Cùm ergo ad quatuor angulos assisterent; necesse erat vt in quatuor etiam partibus alas haberent, & manus. Quod meo iudicio non obscurè significat,quod proximè succedit.

Et facies,& pennas per quatuor partes habebant.] 43.
Illud & particulā est meo iudicio non tam coniunctiua,quàm,vt alibi sæpè,rationalis. Reddit, credo, rationem cur in quatuor partibus, siue angulis manus sint sub alis, quia in quatuor angulis currus alata visebantur animalia.

Iunctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum.] 44.
C Quia celeritas ostenditur in animalibus qualis apparet in eorum micante fulgure, vt habes infrà vers.15. Ideo animalium pennæ,volantium in modum erant extentæ, atque ideo extremæ alarum partes animaliū, quæ eodem spatio currus directò gradiebantur, se mutuo tangebant, id est,eorum quæ ad anteriorem partem currus astiterant inter se, & eorum vicissim, qui ad posteriorem constiterant, licèt illa medius currus diuideret. Non videtur commodior alia informari posse figura,cùm constet animalia ambulare coram facie sua. Quòd verò pennæ quæ coniunguntur, diuersorum sint, modus ipse dicendi apertè declarat. Illud enim *alterius ad al-*
D *terum,*diuersa planè animalia secernit, cùm sit in genere non fœmineo,& in secundo casu;si verò altera ala ad alteram eiusdem animalis alam iūgeretur,diceretur potiùs alterā ad alteram.

Alæ quomodo iunctæ.

Non reuertebantur cùm incederent.] *Reuerteban-* 45.
tur Heb.est לא יסבו *lo yssabu.* quod *circuire*, seu *gyrare* valet,non *retrouerti.* Quare sensus est animalia antrorsum semper spectare,& moueri, id est, ferri intento semper,atque citato cursu,& vultu rectà in eum locum obfirmato,tanquam in scopum, ad quē ille destinabatur cursus; ita vt nullam in partem aut detorquerent oculos, aut faciem conuerterent. Quare quidam pro *reuertebantur,conuertebantur* transferunt. Nam quòd re-
E tro aliquando redierint, videtur posse colligi ex hoc ipso cap. vers.14. *Animalia ibant, & reuertebantur.* vbi verbum est שוב lōgè diuersum ab eo, quod in præsentia versamus. Hoc enim *circuire,* aut *gyrare* significat,vt diximus; illud *retro conuerti.* Quare *non reuertebantur,* hoc loco, ad faciem refero, seu oculos, non ad cursum. Quomodo Cant.6.ad sponsam, quæ cùm à sponso laudaretur, propter modestiam, & pudorem ingenuum faciē auerterat, dicunt puellæ psaltriæ, *Reuertere,reuertere Sulamitis;reuertere,vt intueamur te,*id est, conuerte faciem ad nos. Puto autē hoc dicendi modo celeritatē indicari, & animi, ac corporis vires in vnum tantùm studium, & curā esse collectas; nā qui segniter rē aliquā aggreditur, ille facilè

Celeritatis signum, & obedientiæ perfectæ.

facilè ad alia omnia & cogitationem deflectit & detorquet oculos. Sanè 4. Reg. c.4. cùm Elisæus ad excitãdum Sunamitidis filium Giezi seruum suum cum baculo misisset, illi iussisset vt omnem omnino moram abrumperet, celeritatem summam his verbis explicuit: *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quisquam, non respondeas illi.* Quod perinde est ac si diceret; ne reuertaris, aut conuertaris, cùm ambulaueris. nam qui alium salutat, aut salutatus respondet; ad illum se animo necessariò, & vt fert salutationis officium, etiam vultu conuertit.

46. Vers.9. *Sed vnumquodque ante faciẽ suam gradiebatur.*] Explicat quid sit in ambulãdo non reuerti; nẽpe in destinatum locum obfirmare faciem; neque illã in vllam partem deflectere. Id enim est, *ante faciem suam ambulare*, id est, eò tendere, quò rectà spectat vultus.

47. Vers.10. *Similitudo autem vultus eorum, facies hominis.*] Describit iã animalium formas, quas nõdum, credo, Cherubinorum esse cognouerat, vt ipse indicat Propheta cap.10.v.20. *Ipsũ est animal quod vidi subter Deum Israel, iuxta fluuium Chobar, & intellexi, quia Cherubin esset.* Describit primùm animalium, id est, Cherubinorum faciẽs; & primo loco statuit hominis faciem, quia in animali illo quadriformi prima species, & quasi totius compositionis fundamentum erat hominis similitudo. Ideo ab illa incipit, à qua aliorum animalium formæ sinistræ dicuntur, & dextræ. Quare in medio ponitur aliarum omnium, quæ quasi totius corporis domina est, & alias sibi, quasi alienas, & peregrinas associat.

48. *Et facies leonis à dextris ipsorum quatuor, &c.*] A dextra animalium parte, facies spectabatur leonis, à sinistra verò vituli. Quatuor verò facies dicuntur leonis, & vituli, & statim aquilæ, quia quatuor erant animalia, quibus multiplex illa facies inerat.

Aquila supra caput hominis.

49. *Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.*] Speciẽ aquilæ supra hominis caput statuo; ita vt tres aliæ species illi subiectæ sint; id enim valet *desuper ipsorum.* Has species seu facies neque laruatas esse diximus, contrà quàm putabat Alcasar; neque signa quædam, aut animalium notæ, vt statuebat Pradus, quæ, vt puto, satis à nobis suprà num.30.& 34. confirmata sunt. Sed addo id quoque coniectari posse ex cap.41. vbi Cherubinis duo dicuntur esse facies, hominis, & leonis; neque aliter idem Propheta loquitur de leonis, quàm de hominis facie. *Duas*, inquit, *facies habebat Cherub: faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte.* Neque possent apparere facies illæ, nisi essent perfectæ, atque integræ, imò à seipsis ob quantulum separatæ, cùm inter vtramque faciẽ intercederet palma. Vide quæ eo loco diximus, num. 52. Quòd verò desuper sit aquilæ facies, id est, altior aliis, inter alias hæc videtur adduci posse ratio, quia animalia reliqua humi gradiũtur; aquila verò supra terram attollitur, aut in ea terræ parte sedet, quæ sublimior est, de qua est illud Iob c. 39. *In arduis ponet nidum suum: in petris manet & in præruptis silicibus.* In Hebraico textu quem nunc habemus, neque apud Septuaginta inuenitur *desuper.* Noster interpres addit, vel quia magis correctos habuit codices; vel quia quod alibi facit interdum, explicare voluit id, quod in Hebraico textu videbatur obscurius.

50. Vers.11. *Facies eorum, & pennæ eorum extentæ de-*

A *super.*] Quidam distinctionem statuunt post *facies eorum*, ita vt facies non dicantur extentæ, sed summatim tales dicãtur animalium facies, quales proximè descriptæ fuerant, in hunc modum: *Et hæ quidem facies tales erant.* Ita Rabbi Dauid, cuius sententiam probat Maldonatus. Ego tam alas, quàm facies animalium extensas esse puto, & eleuatas: facies quidem, quia habitus ille promptum indicat animum, & parendi auidum; qui expectat quid sibi negotij mandetur à Domino, qualem obseruamus in canibus, qui pendere videntur à dominorum ore; & expectare auidè quid à se peractum esse velint. Neque ratio deest satis idonea & grauis, cur facies exten-
B di sursum, & eleuari debeant: vt enim vides hoc ipso in capite vers.26. supra Cherubinos similitudo visebatur throni, in quo, vt dicemus postea, Dominus sedebat, cuius ab ore intentis oculis, & extenta facie expectabant, & optabant imperium.

De pennis res est magis expedita & prompta. 51.
Duæ alæ ad volandum expeditæ.
Pennæ namque expansæ auiditatem indicant, & studium; sicut demissæ, atque contractæ defatigationem, & otium. Desuper autem dicuntur extentæ, vel quia extrema pennarum pars sursum spectabat, neque in latus, vt fieri plerumque solet, expandebantur: vel quia illæ tantùm alæ dicuntur extensæ, quæ superiores sunt, & ex hu-
C meris enatæ: nã hæ tantùm ad volatum explicantur, reliquæ duæ inferiores ad tegẽdum corpus contrahuntur. Et hoc posterius mihi probatur magis, quia magis est è rei ipsius natura. Neque enim alæ, licèt in pennata hominis statura eleuari sursum possint, quẽmadmodũ brachia; at nunquã id apparet in auibus, ex quibus ducitur hæc similitudo. Deinde quia habitus ille non est eius qui volare gestit, séque in volantis modum, & speciem cõponit; nemo enim alis antrorsus explicatis volat. Quare hunc ego sensum magis puto cum rerum natura, & textu tam Latino, quàm Hebraico conuenire: si superiores alas expansas esse dicamus, quia de infe-
D rioribus mox agit, aliúmque vsum nudis corporibus opportunum attribuit. Quod etiam indicat tam Hebraica vox מלמעלה *milmahalah*, quã Latina *desuper*, quæ non significant quòd ad superiora ab inferioribus assurgit, sed quòd à superioribus ad inferiora demittitur. Quæ si vera sint, nullo modo fauent animalium schemati, quod efformarunt Pradus, & Alcasar, de quibus nos paulo antè.

Duæ pennæ singulorum iungebantur.] Idem est 52.
fortasse, quod antè traditum vers. 9. & eadem fortasse sententia. Si enim omnium animalium extendebantur alæ, non sursum, sed in latus, facile intellectu est, quomodo alarum extrema se
E mutuò contingere potuerint. Sed alium hîc sẽsum esse puto; & discrimen notari inter superiores, & inferiores pennas, de quibus mox. Superiores, nam extentæ erant, & ad volatum exprõptæ; inferiores verò cõtractæ, atque coniunctæ, quia aliũ habebant vsum longè dissimilẽ. Quare locum sic expono: *Duæ singulorum alæ iunctæ erant inter se, atque complexæ; & eadẽ duæ tegebant corpora eorum.* Tunc autem illud *&*, non coniungit, sed explicat, aut rationem reddit in hunc sensum: Duæ pennæ singulorum iungebantur, quia duæ illæ pennæ illorum corpora velabant.

Duæ alæ cõtractæ ad velandam corporis nuditatem.

Et duæ tegebant corpora eorum.] In cap. 6. Isaiæ, 53.
ad illud, *duabus velabant pedes eius.* ostendimus Seraphinos illos duabus alis velasse partes illas,
Pes aliquid significat obscœnum.

quæ in humana specie non poterant honestè nudari, quas pedum nomine significari diximus. Vt enim nihil indecorum obiici patimur eorum oculis, quorum auctoritatem veremur: sic etiam species nulla, quæ indecorum aliquid referret, obiici debuit à Seraphinis maiestati diuinæ. Cuius rei gratia, Exod. cap. 21. cautum est ne sacerdos absque feminalibus, id est, subligaculis, quæ obscœna tegerent, ascendat ad altare, ne ibi aliquid appareret indecorum. Sic ergo hîc, dum ab alis Cherubinorum corpora velata dicuntur, eas partes velatas esse credo, quæ saluo pudore, non possunt esse non velata. Cui cogitationi fauet pictura ipsa, quæ complicatis alis, eas quas dixi partes abscondit, & tegit. Hinc constat vnde inferiores istæ pennæ pullulant, nempe ex coxis ad velandum femora, sicut superiores ex humeris ad volandum. Ex quo etiam fit verisimile id, quod obseruauimus suprà num. 41. non fuisse in hisce animalibus quaternas manus, quia sub inferioribus alis parum esset decoræ, & extra locum suum; neque apparet quis illarum vsus futurus sit.

Nihil in Dei cõspectu impurum.

54. Vers. 12. *Et vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat.*] De quolibet animali quadriformi loquitur; quod ita mouebatur, vt rectas semper quatuor animalium facies inferret, cuius statim rationem reddit.

55. *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur.*] Spiritus est vis quædam, aut impulsus qui animum instigat, & mouet; qualis est affectus quicunque, quocumque afficiat modo, aut impellat animum; siue ad pium & sanctum, siue ad vitiosum & culpabilem motum. Quomodo in Scriptura dicitur spiritus fornicationis, furoris, zelotypiæ, compunctionis. Quo sensu accipitur illud Prouerbiorum cap. 29. *Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt, & reseruat in posterum.* id est, nescit stultus cohibere vehementes animi motus, sed statim totam vim effundit æstuantis animi. Est præterea spiritus vis aliqua extrinsecus allata, quam nos inspirationem, siue afflatum vocamus; profani autem ardorem. Quomodo lib. 9. Æneid. Nisus ad amicum,

Spiritus pro graui affectu, & pulsu.

——— Dine hunc ardorem mentibus addunt
Euriale, an sua cuique Deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iam dudum inuadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.

Vera obedientiæ forma.

Spiritum hic ego Dei voluntatem, & imperium interpretor: quod ita æthereis mentibus graue est, vt impetum habeat vehementem, quique animos obsequentes sic impellit, vt neutram in partem à proposito sibi scopo declinent. Et quemadmodum nauis eò fertur rectà, quò impellit ventus, qui perflat à puppi; sic quia impetus spiritus, siue inspirationis diuinæ, animalia illa vehementer agebat, rectà ferebantur ad datum sibi negotium, & coram facie sua recto semper vestigio gradiebantur. Quæ sit inspiratio, constabit magis ex hoc cap. v. 25.

56. *Nec reuertebantur cum ambularent.*] Hæc à nobis suprà explicata sunt num. 45. vbi diximus pro *reuertebantur* esse verbum סבב *sabab*, quod circuire, seu gyrare valet, id est, sinuosam viam, & per varios flexus, & anfractus instituere: non verò reuocare cursum, aut retro conuerti. Vt enim sagitta à bene curuato neruo emissa, aut plumbea pila, ab incendiario puluere contorta, recta via magna percurrunt spacia, quia magna vis est quæ illa vibrat, & torquet: sic quia non

A est impulsus leuior à diuino spiritu, atque imperio, obsequentes animi à recto cursu ne lato quidem vngue discedunt.

Vers. 13. *Et similitudo animalium, & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium.*] Hæc, credo, similitudo fuit de qua suprà vers. 4. *Et de medio eius*, (id est, de medio ignis) *quasi species electri.* Hæc enim non aliter splendet, quàm carbones ignis, aut lampadis splendor. Vt enim suprà multa breuiter, & obscuriùs proposita sunt, quæ postea pluribus, & clariùs explicantur; sic quod de specie electri obscurè, nunc magis exponitur dilucidè. 57.

B *Hæc erat visio discurrens in medio animalium splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.*] Iam aliam aggreditur visionem ab animalibus diuersam, licèt cum animalibus simul. Erat enim inter quadriformes illas animalium species ignis, ex quo quasi quædam emicabant fulgurum scintillæ. de quo pluribus postea cap. 10. v. 6. & 7. 58.

Vers. 14. *Et animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.*] Non est sibi Propheta contrarius, dum affirmare videtur hoc loco, quod proximè negauerat, dum dixit, *nec reuertebantur, cùm ambularent.* Illic enim verbum adhibuit quod circuire valet, aut per anfractus, & flexus à recta via declinare, & hoc negat Propheta, vt num. 45. latiùs exposuimus. Hoc verò C loco, verbum quod redire significat, & recta via siue ambulando progredi, siue retrò redire. vtrũque enim est prompti, atque obsequentis animi; sicut non minus est in equo laudabile, si incitatum persequatur cursum, quàm si iussus eadem illum celeritate reuocet, sine flexu, sine cunctatione, ac mora. Imò puto prouerbiali specie duabus his vocibus significari promptum studium, atque alacre, quo quis alterius voluntati incunctanter obsequitur. Sic Dominus apud Zachariam cap. 9. v. 8. cùm ageret de Angelis, qui promptum ipsi ministerium exhibent; ait, *Circundabo domum meam ex his qui militant mihi euntes, & reuertentes.* Idem, credo, explicuit apud D Matth. cap. 8. Centurio, cùm dixit, *Dico huic vade, & vadit; & alij veni, & venit.* Quanta verò celeritate Cherubini diuina peragant mandata, siue mittantur, siue reuocentur, docet inducta similitudo fulguris, in quo nihil est ignauum, nihil non vehemens, & acre. 59.

Obedientiæ typus.

Vers. 15. *Cùmque aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram iuxta animalia habens quatuor facies.*] Modus dicendi obscurus, & implexus obscuritatis aliquid attulit rei, seu Ænigmati non parum impeditæ: quod priusquam expedire aggredior, obseruo currum hic à Propheta describi, cuius vsum, aut significationem in morali sensu, seu Ænigmatis expositione pòst adducemus. E Licèt enim in toto hoc capite, & in capite 10. vbi aut eadem species describitur, aut certè non multo diuersa, nomen currus non audiatur, neque in tota prophetia, quod ego viderim; tamen apertè dicitur in hac Ezechielis visione fuisse currus Eccli. cap. 49. v. 10. *Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubin.* Neque inusitatum est vt per Synecdochen rotæ adhibeantur pro curribus, Isaiæ c. 5. *Et rotæ eius quasi impetus tempestatis.* Ierem. 47. *A multitudine rotarum eius.* Quod apud profanos non infrequens. Virgil. 12. Æneid. 60.

Rota pro curru.

Turbidus èque rotis magnam respexit ad vrbem.
& Tullius in Arati Phænomenis,
——— Hunc tangit rota feruida Solis.

Hic

Hic locus facem nobis præferet ad eas tenebras,
quas offundit multarum rerum obscura perple-
xitas. Accommodatè ad currus formam, qua-
tuor numerantur rotæ, quæ quo locari ordine
debeant, ipsa currus, seu quadrigæ natura docet.
61. Has rotas proximè antecedebant Cherubini,
neque in toto cursu siue progrederentur antror-
sum, siue retrorsum regrederentur, ab illis rece-
debant, non quidem trahentes quadrigam, vt
equi solent, ipsæ namque rotæ à spiritu, qui in
ipsis erat, mouebantur, sed vt alia obirent mini-
steria, de quibus suis locis.
Cùm contemplandis quadriformium anima-
malium spectris intenti essent oculi prophetici,
apparuit rota vna super terram iuxta animalia.
Modus hic dicendi, quia inusitatus, torsit diu
magna doctorum hominum ingenia. Cur hæc
rota (& idem dicendum est de tribus aliis) su-
per terra dicatur eleuata, primùm explorandum
est. Non dubium erat quin rotæ illæ essent su-
pra terram, cùm tota visio, vt suprà diximus, sese
Prophetæ obiecisset in cœlo. Ideo enim suprà
v.1. dicitur, *Aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei.* si
illud *super* indicat super terram eleuatam esse
62. rotam, & non per terram volui. Aliquid ego
hîc odoror neque alienum à rerum natura, &
visionis proposito accómodatum maximè. So-
lent non profani solùm, sed sacri etiam scri-
ptores hoc ferme modo celeritatem summam
exprimere, cùm dicunt aliquem volare potius,
quàm per terram incedere; id est, supra terram
moueri, aut terram non attingere, quæ volatus
descriptio, & explicatio est. Quare idem esse
reor rotas esse super terram, atque volare, id est,
cursu ferri citatissimo. Quem passim per vola-
tum exprimunt in omni, vt reor, lingua, scripto-
rum optimi. Quòd verò supra terram ferri, aut
illam non attingere, velocitatem significat sum-
mam, docent, vt dixi, profani, & sacri non infre-
quentes, ex multis accipe exépla pauca. Ex pro-
fanis, est optimú illud Æneid. lib. 7. de Camilla.

Terram dicuntur non tangere, quæ velocissima sunt.

——Cursúque pedum præuertere ventos,
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneres cursu læsisset aristas:
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

& magis ad hunc locum Silius, vt puto, Ita-
licus,

————Erectus in auras
It sonipes, rapidáque volans per aperta procella,
Tenuia vix summa vestigia ponit arena.

63. Eadem dicendi forma reperitur in Scriptura.
Isaiæ c. 41. cùm sermo esset de Abraham, aut de
illius posteris, qui celeritate maxima promissam
sibi terram occuparunt; iuxta nonnullorum sen-
tentiam, qui sanè pauci non sunt, his verbis ex-
plicatur incredibilis illa velocitas: *Semita in pe-
dibus eius non apparebit.* id est, pes eius, aut pedis
vestigium non apparebit in terra. Ego in com-
mentariis, aliam esse putaui loci sententiam. Sed
est exemplum optimum, & huic nostro quàm
simillimum Daniel. 8. vbi cùm obiiceretur Da-
nieli species, quæ Alexandri Macedonis admi-
rabilem in peragrando subiugandóque orbe ce-
leritatem portendebat; hircus apparuit, qui su-
per faciem terræ sic incedebat, vt illam pede
non contingeret. *Ecce, inquit, hircus caprarum
veniebat ab Occidente super faciem totius terræ non
tangens terram.* Idem significari puto in quatuor
rotis, quas super terram spectabat Propheta.
Hæc dicta sint, modò illud *super* eleuatum ali-

A quid dicat supra terram, non verò si in terra sit,
quod potius reor: quia Heb. est בארץ.
Apparuit rota vna, &c. habens quatuor facies.] 64.
Mihi certum est nihil aliud sibi velle locum
istum quàm quatuor esse rotas sibi quàm simil-
limas. modus loquendi durus, & difficilis. Ego
sic interpretor, rotam quidem vnam in quatuor
partibus videri, id est, eandem rotæ similitudi-
nem. id enim est habere quatuor facies, quia in
quatuor partibus eadẽ spectabatur facies. Quo-
modo si eandem, aut etiam vnam esse dicas in
multis locis Cæsaris imaginem, quam idem ex-
pressit typus in charta, aut eadem ex metallo
conflauit forma. Similitudo enim facit, vt quæ
B multa sunt, vnum communiter appellatur: sic
cùm duo inter se bellè consentiunt, vnum habe-
re dicimus animum, & vnum esse atque idem.
Quare cùm quatuor sint rotæ omnino sibi si-
miles, optimè vna dicitur rota, quoad speciem
videlicet, & faciem; cuius tamen quatuor sunt
facies, id est, quatuor similitudines; ita vt quam
in vno angulo faciem vides, in quatuor angulis
videre te putes, quia nihil hîc vides, atque illic
diuersum. Quòd autem rota vna quatuor ha-
bens facies, quatuor rotæ sint, statim ipse indi-
cat Propheta, qui referens sese ad illa, quæ pro-
ximè dixerat, subdit, *& aspectus rotarum*; quas
nempe viderat. Et statim, *& vna similitudo ipsa-
C rum quatuor.* Si hîc hypallagen esse statuas, sen-
sus erit facilior, in hunc modum, *Apparuit vna
facies in quatuor rotis*, pro, *Apparuit vna rota habens
quatuor facies.*

Similitudo facit vnũ.

Vers. 16. *Et aspectus rotarum, & opus earum qua-* 65.
si visio maris.] Describit nunc rotas à materia;
ex qua etiam colligitur qualis rotarum futurus
sit aspectus. vbi noster *maris*, Hebr. est *tharsis*, cu-
ius significatio obscura est, & nõ solùm ab aliis,
sed etiam à vulgato non eodem semper modo
cõuertitur. Modò enim mare, modò hyacinthus;
interdum chrysolithus exponitur, id certum est
significari hac voce splendidum aliquid. Quare
rotarum opus, ex materia efformatum videba-
D tur illustri, atque perspicua. & qui rotas intue-
batur speciem collucentem aut mari, aut chry-
solitho similem spectare se putabat. Ex his mi-
hi intelligere videor non eundem esse Cheru-
binorum atque rotarum aspectum. illi enim, vt
suprà coniectabamus, electri referebant simili-
tudinem; hæ verò tharsis; quæ quamcunque in
partem accipiatur, certè ab electro vt significa-
tione, sic etiam similitudine differt.
Et vna similitudo ipsarum quatuor, & aspectus ea- 66.
rum, &c.] Hîc distinctionem adhibeo. His ver-
bis rotarum maxima significatur similitudo,
quando ea numerantur, dicuntúrque similia; in
quibus aliqua videbatur notari posse differétia.
E *Quasi sit rota in medio rotæ.*] Hic locus mirè 67.
torsit, distraxítque Ezechielis interpretes; quo-
rum tot penè sententiæ sunt, quot capita. Qui-
dam sic implicari putant rotas inter se, quem-
admodum in materiali sphæra varij includun-
tur, & implicantur orbes. Sed quando constat
illas rotas affixas esse quadrigæ, quæ non pos-
sunt esse non discretæ loco; aliter nobis locus
hic tentandus, & explicandus est. Pradus at-
temperata ad quadrigarum rotas commentatio-
ne, rotam inclusam modiolum esse putat; ex quo
ad rotarum canthos, seu circulum extremum
radij ducuntur, sicut ad perispheriam è centro
lineæ.
Mihi aliquot occurrunt huius nodi expediẽ- 68.

di modi; quos in re vsque adeò difficili producere non erit abs re. Et primùm obseruo familiare esse tam profanis,quàm sacris scriptoribus talia appellare aliqua,qualia se primùm spectantium oculis obiiciunt, licèt res ipsa longè aliter habeat. Sic profani Scyllam,Nioben,Athlantes hominum nomine compellant;cùm tamen vasti sint montes, quia procul spectantibus, faciem oculis obiiciunt humanam. Quod loquendi genus Scriptura sacra non fastidit, quæ discurrentes cometas stellas vocat, quia tales apparent; quódque nobis summum, aut extremum videtur in cœlis, summum simpliciter appellat. Spectabat Propheta quadrigam illam vehementi delatam impetu à longinquo loco, cúmque vna è regione alterius,vtpote in eodem axe volueretur, in altera contineri videbatur; sicut in eclipsi luna, quæ à sole procul abest, in sole videtur esse conclusa.

Talia aliqua dicuntur, qualia apparent.

69. Quòd si in motu rotarum comparatio fieret: cùm motus vnius alterius motui non esset dissimilis,vna rota in altera videri poterat inclusa, ac fixa,quia videri poterat in eius complexu esse,& eodem quo ipsa nixu,atque impetu rotari. Quomodo primum cælorũ mobile orbes alios, quos in suo complectatur ambitu, eodem quo se motu, atque impetu conuertit. Et quia rotæ neque trahuntur, neque alieno voluuntur impulsu, quia spiritus vitæ est in ipsis rotis; dici fortasse posset rotam esse in rotarum medio, quasi intus aliqua lateat rotarum machina, quæ tacitè,ac tectè rotas illas impellat,ac voluat: sicut videmus molem interdum non leuem latentium rotarum artificio moueri.

70. Aliæ solutiones huiusmodi excogitari possunt ab ingenio explorandæ veritatis auido; mihi hæ non omnino videntur expeditæ, quæque implicatos passim nodos exoluant. Quam adducit Pradus, ideo mihi non omnino placet, quia neque rationem similitudinis reddit, quæ in rotis est, aut illam explicat; neque aliquid ostendit inusitatum, aut nouum. Quid enim tale est, quòd quadrigæ rotis medius insit modiolus, quod in curulibus rotis semper videmus. neque aptè modiolus *rotæ* significatur vocabulo, quia neque circularis est,sicut rota, neque sphæricus.

71. Ego puto hîc similitudine quadam explicari, quanta esset rotarum omnium similitudo, quæ tanta est quanta in rerũ natura potest esse maxima.Perinde enim est ac si dicas quatuor illas rotas sic in rebus omnibus conuenire, vt nulla in re videantur esse dissimiles; vt qui vnam viderit, omnes viderit, neque vllo modo vnam ab altera secernas. Quemadmodum si in vna rota omnes rotæ sint,eodem spatio,& in eodem corpore conclusæ, &, vt loquuntur Physici, penetratæ. Tunc enim cùm vna tantùm rota videatur, multæ sunt rotæ, quas tamen nemo queat distinguere. Et eo sensu diximus suprà num.64. vnam esse rotam cum quatuor faciebus, quod perinde esse dicebamus, ac si vna rota in quatuor spectaretur locis. Hunc sensum magis indicat caput 10. v.10. *Aspectus earum,& similitudo vna quatuor, quasi sit rota in medio rotæ.* Hîc autem obseruatu maximè est opus,non dixisse Prophetam in medio rotæ aliam esse rotam; sed rotas ita esse inter se similes, *quasi sit rota in medio rotæ.* id est, quasi rota in eodem quo aliæ spatio conclusæ. Eodem nos dicendi modo similitudinem maximam explicamus. Cùm enim patri similis

Similitudo maxima.

A est filius, in filio patrem nos spectare dicimus, quasi in illo foret inclusus,in illo spiraret, & viueret, & in alieno corpore non secus ac suo, & seipsum ostenderet, & assuetas sibi functiones exerceret. Sic cùm lib.3.Æneid.dixit Andromache viso Ascanio,

O mihi sola mei super Astianactis imago!
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Dicere etiam posset ad huius loci similitudinem: Videre mihi videor in te ô Ascani, filium meum quasi esset in te; quia tu mihi omnino illius effigiem repræsentas. Ita certè locutus est idem Virgil. lib. 5. Æneid. de pueris in quibus agnoscebatur paterna forma,

B *Excipiunt plausu pauidos,gaudéntque tuentes*
Dardaniæ,veterúmque agnoscunt ora parentum.

Idem alius ex profanis Ouidius, credo,in Metamorph.

Cuius erat facies,in qua matérque patérque
Cognosci possent.

Vers. 17. *Per quatuor partes earum euntes ibant,* 72.
& non reuertebantur.] Non ibant rotæ in quatuor regiones,ad Ortum,puta,Occasum, Septentrionem, & Austrum; sed quia in quatuor partibus erant, ad quatuor nimirum angulos quadrigæ, per quatuor spatia mouebantur, in sua nempe quælibet statione. Neque ad alterutrum declinabant latus, aut vllos faciebant in ambulando C flexus; quia spiritu impellebantur vehementi; sicut etiam animalia, non aliter quàm lapis à funda,aut ab arcu sagitta,quæ rectà feruntur ad destinatum locum. Hîc à nobis pluribus explicata sunt vers.9.

Vers.18. *Statura quoque erat rotis,& altitudo: &* 73.
horribilis aspectus.] Pro *statura* Hebr. est גביהם *ghebchem.* quæ Hebræorum magistri *dorsa eorum* interpretantur. Quòd si admittamus staturam, seu dorsum apta translatione, canthos, seu perispheriam esse dicemus; quæ in rotis sunt id, quod in animali dorsum. Sed puto vtraque voce tam Hebraica, quàm Latina vastam rotarum molem significari, quam deinde clariùs vox statim D subiecta declarat, *& altitudo.* Nihil enim,vt reor, vox *altitudo* diuersum à statura significat; particula quippe *&*, non semper coniungit, sed interdum, idque non infrequenter, expositiua vox est; valétque idem quod *id est.* In tanta autem mole,támque vehementer incitata,non poterat aspectus non esse terribilis, maximè cùm in rotarum medio ignis esset accensus, nihil non ad ignis similitudinem collucens.

Et totum corpus oculis plenum in circuitu.] Totæ 74.
rotæ quantæcunque erant, in toto circuitu, distinctæ erant, & quasi stellatæ oculis; quasi intentæ ad imperium Dei, cuius, vt dicemus statim,quasi animatæ spiritu mouebantur.

E Vers.19. *Cúmque ambularent animalia, ambula-* 75.
bant pariter & rotæ iuxta ea.] In hoc versu, & duobus sequentibus explicat Propheta quemadmodum cum animalibus rotæ consentirent; illa assistentia, hæ à quatuor angulis affixæ currui. Cùm enim illa ambularent, eleuarentur, quiescerent; sic etiam rotæ ad eorum instar incessum moderabantur, aut quietem.

Vers.20. *Quocumque ibat spiritus,illuc, eunte spi-* 76.
ritu,& rotæ pariter eleuabantur.] Ostendit vnde orta sit rotarum,atque animalium siue in ingressu, siue in quiete, & otio tanta consensio, quia vno, atque eodem agitabantur spiritu; neque illi vllo obluctabantur modo, aut segniter ad diuinum afflatum accurrebant. Quare vel ascende-

re

re iussa, vel descendere, vel quiduis aliud facere admittebant imperium non grauate, séque ad illius executionem quamprimum accingebant.

77. *Spiritus enim vitæ erat in rotis.*] Rogaret hic aliquis quomodo ad animalium motum mouerentur rotæ; cùm virtus in illis motiua nulla sit, maximè ad tot locorum differentias, quas in corporibus, quibus neque anima, neque appetitus vllus inest, negat Philosophia. Quòd enim animalia se variè huc, atque illuc egerint, in quibus sensus est, & motus, mirandum non est; at id contingere in corpore inanimato, quale rotarum est, id planè mirabile. Huic cogitationi respondet Propheta; docétque mysticis illis rotis aliquid inesse magis, quàm corporibus aliis, quibus vitale nihil, aut sensile datum est. Illas enim agitat, & in tot motus, ac loca rapit spiritus vitæ, quo animantur, & impelluntur intus, non secus atque si animalis vitæ non essent expertes. Spiritus autem est ille idem qui animalia ad varios motus moderatur, & pellit. Hæc auctores communiter.

78. Ego hic duo obseruo; primum iuxta Hebræorum idioma subaudiri hîc posse conditionalem particulam, in hunc sensum. Perinde mouebantur rotæ, ac si illis spiritus inesset vitalis. Vt enim viuens, vt seipsum moueat, alieno non indiget pulsu; quia vim habet in se localis motus effectricem; sic quia non apparebat vis vlla externa, quæ rotas, rotatásque quadrigas impelleret, aut traheret; quia voluntas & imperium agebat diuinum, quod tamen Propheta videre non poterat, ideo spiritum vitæ, id est, quasi vitalem spiritum habuisse rotas affirmat Propheta.

79. Alterum est, tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores viuum id appellari, quod à seipso moueri aut solet, aut apparet. quia hoc opus est, atque argumentum vitæ. Vnde quod Græci ὑδράργυρον, Latini argentum appellant viuum, quia tremulum est, & moueri videtur interno pulsu, ac suo. *Viua,* seu *viuentes aquæ*, aut, quod idem esse reor, *aquæ*, seu *fontes vitæ*, illæ dicuntur, quæ collectitiæ, clausæ, seu stagnantes non sunt; sed quæ vltrò scaturiunt, & suo quasi nutu mouentur, & fluunt. Sic viua dicitur lucerna & ignis, quia aliquis in ipsis motus est. Viua item fides, quia ipsa ad bene operandum quodammodo mouet, & mouetur. Sic modò viuæ dicuntur rotæ, id enim est habere spiritum vitæ, quia moueri videtur à se, cùm externus pulsus nullus appareat.

Viuum dicitur quod mouetur à se, vel moueri videtur.

80. Vers. 22. *Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, & extenti super capita eorum desuper.*] Hinc aggreditur explicare Propheta visionem nouam, seu eiusdem visionis partem nobilissimam. Descripserat animalia, & rotas (affixas nempe currui) auriga deerat, & imperator qui vastam illam moderaretur molem; & animalia illa frænaret, & regeret. Is nunc proponitur, & describitur à Propheta. Pro *firmamento*, Heb. est רקיע *rakiah*, quod expansum valet; quare interdum pro aëre, interdum pro cœlo, nonnunquam pro nubibus vsurpatur. Hæc enim omnia expansa sunt. Hic, vt credo, pro cœlo sumitur, quia visio hæc in cœlo propheticis oculis apparuit. Sed credo ibi quoque speciem visam esse terræ, quia in terra gesta sunt, & impleta, quæ cœlestis illa visio portendebat: quare suprà rota apparuit super terram, & arcus cœlestis in nubibus apparet. In cœlo itaque, quasi in regione sublunari res gereretur, apparuit spe-

Firmamentum quid.

A cies hæc tota: quemadmodum si quod Athenis accidit, id Romæ producatur in scenam, ibique quasi res agatur, spectanda proponatur Romanis oculis. Erat igitur in cœlo quædam nubium similitudo similis crystallo, quæ, vt aliis in locis sæpè, sedes erat, & vehiculum Dei. Illa autē horribilis apparuit Prophetæ, siue quia venerabilis 81.
erat propter diuinam maiestatem, quam portare, ac sustentare videbatur; siue quia species ipsa horrorem incutiebat, & consternationem animi: cùm minas ostentaret, & præsens exitium. Qualia passus est Propheta, qui ad horribilem visionem cecidit pronus in faciem, vt ipse fatetur c. 2. statim in principio. Seu certè, quia ibi sese Prophetæ obiecit diuina gloria, timorem incussit non seruilem, & ignobilem, sed qualis ab obseruantia religiosa nasci solet. Porrò *horribile*, seu *terribile* pro *admirabili*, aut *venerabili* sumi res est certa, satísque tam in sacra, quàm in profana literatura cognita. De profanis est illud Lucani:

Horribile idem quod admirabile aut venerabile.

Arboribus suus horror inest.

& Catulli ad Licinium Caluum oratorem,

Non est mî malè, sed bene ac beatè
Quòd non dispereunt tui labores.
Dij magni! Horribilem & sacrum libellum
Quem tu scilicet ad tuum Catullum Misti.

Hoc idem docuit Seruius ad illud, Virgilij lib. 1.
C Æneid.

Horrentique atro nemus imminet vmbrâ.

In Scriptura sacra res est minùs dubia, vbi *horribile* sæpe pro admirabili, illustri, ac prodigioso ponitur. 2. Reg. 7. Deus populo suo horribilia, atque magnalia fecisse dicitur. & vbi Ioel apud nostrum vulgatum c. 2. diem Domini vocat terribilem; eundem Petrus Actor. 2. diem appellat manifestum, Græcè ἐπιφανὴς, id est, *illustris*. Et quidem *timor*, pro *admiratione*, & *stupore*; & *timeo* pro *admirari* frequens est. Lucæ 7. suscitato filio viduæ, dicitur, *timor omnes accepit*. & Luc. 1. nato Ioanne, *factus est timor super omnes vicinos*. Nihilominus *horribile* hoc loco in priori significatione capiendum arbitror, quia, vt dicemus postea in allegorico sensu, in tota visione nihil est non formidabile. 82.

Timor idem, quod admiratio.

Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum.] Nubes, aut nubis similitudo, quam hoc loco firmamentum appello, supra caput expandebatur animalium. Interim verò dum nullum ederetur signum ab eo, qui tanquam illius visionis moderator residebat in throno, animalia erectas habebant, atque expansas alas, eo prorsus modo quem suprà ad vers. 11. nam easdem aliquando fuisse demissas dicemus statim. Est autem hîc sermo de superioribus pennis, quæ extabant ex humeris, nam de inferioribus E agit in sequentibus proximè. 83.

Vers. 23. *Vnumquodque duabus alis velabat corpus suum, & alterum similiter velabatur.*] Eadem est sententia quæ suprà versu 11. dicendi modus paulo obscurior. Heb. sic habet: *Vnicuique duæ (pennæ) tegentes ipsis; vnicuique (inquam) duæ pennæ tegentes ipsis corpora ipsorum.* 84.

Vers. 24. *Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonus sublimis Dei.*] Duo tempora videntur hîc ab Ezechiele constitui, in quibus explicatæ erant, & extentæ animalium pennæ. Alterum cùm non mouerentur, sed starent expectarent que imperatoris signum, vt iter arriperent; alterum cùm in ipso essent cursu citato, & recto. De priori agit hîc; & dicit alarum 85.

 sonum,

sonum, quem stantia edebant animalia esse vehementem. ideo enim subdit, *quasi sonus sublimis Dei.* Est autem satis compertum, & tritum, quæ magna sunt in quocunque genere, vocari *Dei.* vt *montes Dei, cedri Dei.* Eius autem soni magnitudo similitudine quadam explicatur, quæ in Scriptura sacra sæpius auditur, vt infrà cap.43. in principio, & Apocalyp. cap.1. cap.14. cap.19. Vt autem sonitus maris, licèt ingens sit, est tamen confusus, neque quicquam aliud auditur præter horrisonum quoddam murmur, sic in multitudine compressa, erumpere tamen gestienti, confusus fremitus impatientis animi; quia ægrè fert cohiberi se; neque tamen obluctari audet contrà ducis imperium, aut contra illum aliquid apertè mutire. In hoc autem spectro tam animalium, quàm rotarum, vt postea latiùs, exercitus adumbratur hostilis, qui interdum consistit, & quiescit, interdum mouetur & pugnat; in eo tamen semper est aut tumultus, aut murmur, non eodem tamen semper fremitu, aut modo. Nunc quiescentis motum exprimit à frementis, atque æstuantis maris, aut aquarum torrentis similitudine; statim verò, sonum quem edit in incessu alia similitudine declarat.

REGVLA. *Quæ magna sunt Dei vocantur.*

86. *Cum ambularent quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorum.*] Ex his meo iudicio non obscurè constat, hac horribili specie hostiles significari acies, quando incedentis huius agminis sonus castrensis esse dicitur, aut castrensi similis. Qui verò sit hic castrorum sonitus, non est coniectare difficile. In castris namque, cùm mouentur, clangor auditur lituorum, armorum strepitus, & hominum clamor. Sed, credo, de sonitu illo similitudo sumitur, qui tunc in castris excitatur maximus, cùm collatis hinc inde signis magis ardet pugna; tunc enim colliduntur arma, excitatur fragor, auditur & vincentium clamor, & morientium gemitus. Talis audiebatur Machab. 2. cap.5. eodem propè loco, ac modo, quo sonus hic incedentis animalium agminis auditus est ab Ezechiele. & 1. Regum cap.14. v.19. à Saule, cùm mutuis se vulneribus conficiebant Philistim. Hic verò tam horribilis sonus ex alarum concussu fiebat; vt ex cap.10. colligitur v.5. & ex his quæ proximè sequuntur.

87. *Cumque starent, demittebantur pennæ eorum.*] Hæc mihi facilè persuadent ambulantium animalium sonitum ex alarum concussione fieri, quæ pennas habebant expansas, & erectas: nam cùm quiescerent, habere dicuntur illas laxatas, & demissas. Quare tantùm supererat mutus ille strepitus, & confusus sonus, qui torrentium aquarum imitabatur fragorem.

88. Vers.25. *Nam cum fieret vox super firmamentum, &c. stabant, & summittebant alas suas.*] Vox illa absque dubio eius erat, qui supra firmamentum sedebat in throno, de quo statim. Erat autem vox tanquam imperatoris, qui vt interdum cogit, & accelerat agmen; sic etiam interdum iubet vt subsistat, ac quiescat. Quod fecit Dominus & sæpe, & diu, cùm ducem se præbuit populo, quem ex Ægyptia seruitute, in terram promissionis eduxit. Modò enim ad motum nubis, & igneæ columnæ mouebat, modò ad illarum quietem commissum sibi populum morabatur. Tunc verò contrahebant animalia, demittebantque pennas, & sonitus ille castrensi similis conticebat. Aut certè ideo comprimebatur iste sonitus laxatis pennis, quo meliùs audiretur sublimis illa vox de throno, ad cuius imperium aures, & animos excitabant.

Obedientiæ typus.

Vers.26. *Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni.*] Locum describit, vbi consederat ille, cuius obsecuta voci pennata animalia demittebant alas. Supra firmamentum, id est, suprà expansam nubem, quæ animalium imminebat capiti. Thronus videbatur splendidus, & varius, quasi formatus esset à sapphirino lapide. 89.

Et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.] In throno, qui supra firmamentum erat, species visebatur hominis; quæ similitudo referebat Deum, cuius auspicio, & ductu moles illa Hieroglyphica regebatur. Ex his facile constat, thronum non esse in curru, cui assistebant animalia pennata; quia neque in curru firmamentum erat; & supra firmamentum spectabatur thronus. 90.

Vers.27. *Et vidi quasi speciem electri.*] Hæc, vt puto, species erat illius visionis quasi hominis, qui sedebat in throno. Quid sit electrum, diximus suprà ad versum quartum. Electrum istud ignitum videbatur, tam secundùm interiorem partem, quàm secundùm exteriorem, & in toto circuitu. id enim valet, vt opinor, quod sequitur proximè: *Velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum, à lumbis eius, & desuper.* Quibus verbis eam Hieronymus putat esse sententiam; vt à lumbis ad caput vsque sursum vir ille, qui sedere videbatur in throno, formatus esset ex electro candente, atque micante propter ignem, qui latebat, & igniebat intrinsecus; quicquid verò à lumbis reliquum est ad pedes, id ita esse splendens ab igne, vt species tamen abesset electri, tam intus quàm in circuitu. Quæ explicatio mihi non displicet, neque alia in præsentia occurrit opportunior. Ab hac non longè abit Dionysius, & sequuntur omnino Maldonatus, & Pradus. quæ magis perspicua sunt ex c.8. v.2. vbi hæc eadem visio iterum recurrit. 91.

Vers.28. *Velut aspectus arcus cùm fuerit in nube, in die pluuiæ. hic erat aspectus splendoris in gyrum.*] 92. Hanc iridis speciem Maldonatus statuit à lumbis deorsum, ita vt pedes ambiat, & circumfulgeat ad lumbos vsque ab inferiori parte. cui cogitationi valde fauet ductus ipse, atque ordo verborum, & multi ex interpretibus aut sequuntur, aut indicant, dum aiunt similitudinem illam cœlestis arcus existere ab illa flamma, quæ à lumbis sedentis in throno deorsum est. Ita Gregorius, Theodoretus, & Hugo. Mihi probatur magis id quod putat Alcasar in cap.4. Apocal. v.3. not.5. nempe similitudinem eius, qui sedebat in throno ab iride totam circumfundi. Quod planè suadet L X X. translatio, qui ita vertunt, *splendor eius in circuitu velut visio arcus.* eodem ferè modo Chaldæus. Imò & Hieronymus non modò putat similitudinem sedentis ab iride circundari; sed etiam visionem totam. Cùm enim explicaret id quod proximè sequitur, *Hic erat aspectus splendoris per gyrum,* ait: *Per gyrum Dei, vel throni, vel omnium quæ perspecta sunt.* Si textum intueris Hebraicum nihil occurrit huic nostri cogitationi contrarium; sic enim habet ad verbum, *velut aspectus arcus qui fit in nube in die pluuiæ; sic erat aspectus splendoris per circuitum.* Neque alius est vulgati sensus, licèt paulo obscurior. In quo, quod valde est tam sacris, quàm profanis auctoribus vsitatum, per Zeugma hîc repeto verbum, quod proximè præcesserat, in hunc sensum, *Et vidi velut aspectum arcus,* &c. quasi dicat, talis erat

Iris quid in visione habeat.

splendor

splendor in circuitu throni, qualis splendor arcus in die pluuiæ. In quam sententiam eo libentiùs ingredior, quia talis species etiam apparuit Apocal.4. quæ aliquid indicat Deo familiare, ac proprium. *Et iris erat in circuitu sedis.* Hæc puto magis ad veritatem,& textum. Sed neque, credo, aliquid diceret improbabile, qui statueret ex iride, seu arcu cœlesti sumi ad explicandum circularem splendorem, non quidem colorum varias species, quas spectamus in iride, sed tantùm semicircularem formam, quia ad circumfusum splendorem exprimendum, assumpta videtur similitudo; ad quam versicolor illa varietas, parum videbatur necessaria.

Sensus visionis allegoricus.

93. Hic finitur visio longè difficilis quam nemo explicare aggressus est, qui in sua sibi sententia aut placuerit vnquam, aut placere debuerit; vsque adeò implicitos habet nexus,& difficiles explicatus. Vt autem historicus, seu literalis sensus, si vllus alius, varius & incompertus est; sic allegoricus, & mysticus aliis alius est, & sanè multiplex. Hunc nos, exposita vtcunque litera, aperire, & quasi ex cortice medullam eruere tentabimus: in quo tamen non morabimur diu, quia in eo plures alij accuratè, & penè solùm versati sunt, solùm dicemus, aut certè id maximè, quod cum ea explicatione facit, quam præter cæteras amplexi sumus.

94. *Visio prima aliquid aduersum minatur Hierosolymæ.* Visionis huius eò spectat summa, vt Iudaicæ gentis exilium,& mortem, & vrbis Solymitanæ excidium ostendet. Quod non difficile deprehendet ille, qui varia huius Prophetæ loca attentiùs explorauerit, quæ nos suis locis, vt cursus ipse commentationis dederit, expendemus. Expressit sanè Propheta ipse sine vllo prorsus Ænigmate cap.43.v.3. *Vidi, inquit, visionem secundùm speciem, quam videram, quando veni vt disperderet ciuitatem; & speciem secundùm aspectum, quem videram iuxta fluuium Chobar.* Accommodatè ad finem hunc, reliqua omnia quæ ad visionem hanc pertinent, impeditam, & variam, obiecta sunt propheticis oculis. Et primùm puto in variorum animalium formis, quas in spectro illo Cherubini sumpserant, adumbrari Chaldæorum exercitum, qui sub Nabuchodonosor tanti agminis duce, Solymitanis cladem, & exilium inuexit. Figuræ namque leonis, atque aquilæ qui voraces sunt, atque cruenti satis Chaldæorum sæuitiam,& auiditatem ostendunt. Et quidem Ierem. cap.48.v.40.& cap.49. v.22.& Ezechiel. cap.17. Nabuchodonosor aquila vocatur. & Habac.c.1. Chaldæorum exercitus cum aquila confertur. *Volabunt quasi aquila festinans ad comedendum: omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens.* Idem etiam non semel appellatur leo Ierem.49. *Ecce quasi leo ascendet*; vbi etiam Deus ostendit se in eo exercitu futurum esse ducem. Vitulus licèt neque adeò ferox sit, neque carniuorus, adduci tamen solet ad amplificandam crudelitatem maximam,& robur eximium Psal.21. *Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Iustinus

In animalibus exprimitur Chaldæorũ exercitus.

Chaldæi cõparati aquilis.

95. Martyr quæst.44. ad orthodoxos, in quatuor animalibus exprimi putat Nabuchodonosor; alio tamen dissimillimo sensu. Ait enim, non tam ad terrorem, quàm ad consolationem captiuorum oblatam esse hanc quatuor animalium speciem Ezechieli. *Per Ezechielis, inquit, visionem declarata sunt quæ euentura erant Nabuchodonosori*

A *regi Babylonis, quæ consolatio forent Israëlitis Babylone exulantibus. Vidit autem Propheta quadrifrontia animalia, similitudines habentia hominis, leonis, vituli, & aquilæ. Dicit autem & Propheta Daniel de Nabuchodonosore, quòd ei creuerint vngues vt aquilæ, & pili vt leonis, quódque herbis pastus fuerit more vituli, & hominis cor ei datum fuerit. Hac visione consolationem quandam affert Israëlitis, in prævalidam, durámque potestatem Babyloniorum intuentibus, & de recuperanda libertate desperantibus. Vt igitur de hac desperatione deducat Israëlitas Deus, efficiátque vt in ipsius Dei potestatem intueantur, ostendit Propheta mansueti, & immansueti animalis coniunctionem, & habentis graues humeros, & volucris compactionem. Mansuetum enim animal*

B *est homo, immansuetum leo: & graues humeros habet vitulus; aquila verò animal est volucre, & leue. In illis igitur declarat regni feritate immansuetudinem, mutationem; in his verò translationem grauitatis seruitutis in libertatem. Est enim subiugalis vitulus, aquila verò à iugo libera. Ostendit & Propheta rotam, in rota, indicans per eas Iudæorum abductionem in exilium, & abductionem in patriam.* Acutè quidem hæc Iustinus. Sed cùm in Nabuchodonosor Dan.c.4. aliquid humanum,& vitulinum audiam, nihil tamen audio quod leonem aut sonet, aut oleat; quod sanè requiret, quicunque hanc explicationem probare voluerit. Sed facit contra hanc expositionem,

C quod capite 43. Cùm iam benignior est Deus in Ierusalem, reditque vt ciuitatem instauret, & templum ædificet, eadem quoque species apparuit. Qua de re agemus suo loco, nunc satis sit dixisse ibi quoque aliquid sonare militare; castra nempe Persarum, quæ vt Babylonicas fregerunt vires, sic etiam rem instaurauere Iudaicam.

Sonus animalium similis esse dicitur sonitui aquarum multarum, quæ comparatio exercitus multitudinem, atque impetum declarat. Nam exercitus Chaldæorum sæpe cum fluminibus, aut aquis exundantibus confertur, vt habes in commentariis nostris in Isai. c.8.à num.16. Et facit plurimum, quòd cùm animalia mouerentur, talem dicuntur sonitum edidisse, qualis au- 96.

Chaldæorũ robur, & sæuitia.

D diri solet in castris. Ad extremum addo, quæ in animalibus hisce significari possunt; illa in Chaldæorum ingenio, & pertinaci, atque indefesso studio reperiri. De quibus Isaias c.5. ita loquitur, ad hanc visionem attemperatè, vt non alia videatur posse commodior expositio. Sic enim de Chaldæorum exercitu: *Non est deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet; neque soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calciamenti eius. Sagittæ eius acutæ, & omnes arcus extenti. Vngulæ equorum eius vt silex, & rotæ eius quasi impetus tempestatis. Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum, & frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat. Et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris.* De Chaldæis eadem fermè quæ

E hîc in Hieroglyphico symbolo dixit Ieremias cap.4.v.13. *Ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus eius.* Et facit quod visio ab Aquilone dicitur aduenire: Chaldæa verò comparatione Hierosolymæ Aquilonaris est.

Huic exercitui Dominus velut dux, & imperator præest, quia & ipse euocauit externas illas copias, ipse coëgit, ipse quodammodo sanctificauit. Quare bellum illud sanctificatum dicitur Ierem.c.6. per illum Deus pœnas exegit ab impio, & scelerato populo, per illam suam in Iudæorum gentem, indignationem effudit. De quo Isaias cap.10. *Væ Assur virga furoris mei, & baculus* 97.

Deus malorum interdum exercitibus præest.

ipse

ipse est, in manu eorum indignatio mea. Quare eius voci sic erant obsequentes, vt tunc mouerent castra; atque explicarent alas, cùm ipse praeciperet; tunc verò quiescerent, & alas contraherent, cùm suae voluptatis vel minimum signum edidisset, vt habes de animalibus, vers. 25.

98. *Deus tardus ad iram, & vindictam.* Quòd animalia velocia, leo videlicet, & aquila vitulino ingrederentur incessu, ea videtur ad allegoricum sensum non inepta ratio, quia cùm Deus, vt est ad miserendum, & benefaciendum pronus, & ad vindictam tardus (quia vt cum voluptate largitur, sic cum dolore punit;) furorem suum quem instimulabant, acuebántque populi peccata, & in mitissimo animo leoninos ingenerabant spiritus, vituli non retardabat incessu; interim verò dolebat, vsurpabátque secum illud Isaiae cùm de plectendo populo cogitaret, c.1. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis!* Est autem optimum, & elegans symbolum hominis, qui cùm furore aestuat, vindictaeque sumendae inflammatur studio, cohibet tamen erumpentem iram, vimque sibi
99. *Ira cohibenda, & eius symbolum.* affert, & moram ne praeceps feratur ad alterius malum, leo cum vitulinis pedibus; sicut prouerbio, aut symbolo non dissimili, qui celeritatem prudenti tarditate morantur, remoram pisciculum ignauum, & tardum sagittae implicant. Bouis autem tarditas vsque adeò nota est, vt in prouerbium abierit. Cùm enim lentè aliquid faciendum praecipitur, hoc fermè modo explicari solet à Graecis *ἀτρέμας βᾶς*, id est, *placidè*, seu *molli pede bos.* Et de Helaeis foeminis tradit Plutarchus in libro de Iside, & Osiri, solere in publicis votis à Baccho precari vt veniret *βοέῳ ποδί*, id est, *bouino*, aut *vitulino pede*, nempe tacito, atque sedato gressu. Item quia, vt postea dicemus pluribus, in hac populi vexatione Deus non tam cladem, quàm salutem intuebatur populi, vt multis locis ipse significauit apud Isaiam, & Ieremiam; & in hoc Propheta non semel. His igitur animalibus vitulinas subiicit plantas, quae terrae quam calcant, noxiae esse non solent, sed potiùs maiorem in modum opportunae. cùm illam aratro subigant, & ad satus accipiendos mollita gremio disponant. Vnde Isaiae cap. 32. *Beati, qui seminatis super omnes aquas mittentes pedes bouis.*

100. Scintillabant animalia, id est, Chaldaeorum acies, & carbonum in modum inflammabantur, quia Dei indignationem portabant, inuehebántque in Iudaeorum gentem. Neque diuersus modus, aut species Deo ipsi indignato tribuitur Apoc. c.1. *Oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius similes auricalco, sicut in camino ardenti, & vox illius, tanquam vox aquarum multarum.* His accedebat alarum strepitus, qui ardentem, & stimulatum animum indicabat; qui eo videbatur indignationis pondus ferre difficiliùs, quia vitulino incessu, tanquam compede ligatus, & tanquam à fraeno coërcitus, lentius gradiebatur, quàm ignea vis, & furoris intùs aestuantis impetus ferebat.

101. *Qualis exercitus instructus à Deo.* Alae verò partim expansae, & aliorum alis associatae, partim verò collectae, & velantes eas corporis partes, quae honestè, ac verecundè nudari non poterant, aliquid indicant ab honesta disciplina profectum. Neque enim à Deo qui dux erat agminis, poterat non institui ex optima militiae disciplina illa Chaldaeorum ab ipso euocata, & quasi sanctificata legio; in qua cum ordinato incessu, modestia quoque seruari debuit. Alterum indicant animalium pennae alterius ad al-

A terum coniunctae; quod non contingeret, nisi pari niterentur gressu, & eodem semper graderentur spacio. Alterum tanto studio velata femora, quae modestiam, & temperantiam significant, praesertim, quia id decebat maximè imperatoris oculos qui à delectis sibi, atque metatis Chaldaeorum castris nusquam aberant. Haec quidem seruarunt Cherubini, qui probè nouerant, quid tanti imperatoris prudentia praescriberet, & tanti Regis maiestati deberetur. Vt autem Chaldaei praescriptum sibi ordinem ex disciplina militari seruauerint; at in altero, eorum saltem aliquos, suo potiùs genio, seu intemperantiae, quàm imperatoris voluntati indulsisse, satis
102. *Verecundiae, atque modestiae studiũ.*
B constat ex Ieremiae Threnis. Neque id mirum, cùm ignorarent ad vrbis excidium, & Iudaeorum cladem agi se nutu, auspicióque diuino. Isai. 10. *Vae Assur virga furoris mei, & baculus ipse est; in manu eorum indignatio mea, &c. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit.*

Quòd verò in superiori capitis parte aquila 103.
sit, aliquid habet considerationis, & momenti; & quidem locus ipse sublimis aquilae debetur, quae in arduis ponit nidum suum, cui in castris speculatoris munus attribui posset, quia & ipsa acie est vsque adeò acuta, vt videat quae longissima sunt, & ita firma, vt solem ipsum aduersum non conniuentibus intueatur oculis. In castrorum er-
C go ordinata acie ab imperatore summo id spectari maximè, & penè solùm debet, quid summus velit imperator. id speculetur ratio, solérsque, aut potiùs humilis prudentia necesse est: edicátque inferiori, atque promiscuae multitudini, quid in militia, ex coelesti disciplina instituta facto opus sit, imperétque ne quisquam contra Domini praeceptum quicquam moliatur. Ac tandem è sublimi loco, aut denunciet periculum, quod impendere cernit, aut inductum doleat. Sanè speculantem aquilam contemplatur Ioannes Apoc. c. 8. & quod speculatoris proprium est, instare iam cladem iterum, atque iterum ingemi-
D nantem. *Vidi, inquit, & audiui vocem vnius aquilae volantis per medium coelum, dicentis voce magna: Vae, vae, vae habitantibus in terra.*

Quod ad rotas attinet suo loco diximus, pro- 104.
bauimúsque ex cap. 49. Eccli. affixas esse currui, in quibus duo maximè spectari licet. & quòd nunquam è Cherubinorum latere discederent, siue eleuarentur, & ambularent, siue descenderent, atque subsisterent; & quòd ita essent inter se aequales, ac similes, vt vna putaretur omnium facies, & vna existimaretur in altera, id est, vt suprà explicabamus, eadem in quatuor partibus moueri rota putaretur. Haec consensionem maximam significant, quae ad felices bellorum euentus magnum habet momentum. Quòd verò *In acie consensio.*
E animatae dicuntur esse rotae, & illustratae oculis; indicat in corporibus illis inanimatis nihil fortuito fieri, ac casu; sed à diuina prouidentia, atque consilio regi. Cui sic obsequuntur libenter, ac si nullo externo agerentur impulsu, sicut coeli suos obeunt ratos, atque constantes motus, non secus atque si seipsos suo nutu, atque anima cierent. Vt autem prudens, atque oculatum animal, Deum, si sapit, intuetur, & spectat assiduè, quid actum à se velit: sic illae rotae, quot habent oculos, habent autem plurimos, omnes eò videntur intendere, vt diuinam voluntatem explorent. *Obediens intuetur Deum.*

In huius exercitus imperatore Deo, qui in 105.
throno sedet, & desuper spectat quid rerum fiat, quídque

quidque factum oporteat, præscribit, aliqua etiam obseruanda. Primum supra currum est, vt diximus, id est, non in acie cum Cherubinis strepentibus, & quasi à furore suo ad aliorum interitum delatis; sed sedens, quod quietum animum, & sedatum ostendit, à quo omnis abest perturbatio, omnis temeritas; omnia consilio moderatur, & prudentia, quæ à sedentibus, & quietis, non à tumultuantibus præstari solent. Pars superior, caput nempe, & pectus similitudinem habet electri, quod ita splendet, vt tamen noxium non sit: quia Dominus etiam, cùm maximè videtur in populum sæuire, cogitationes cogitat pacis, & non afflictionis; quique non vult hominum mortem, sed vt ab instituto scelerato conuersi viuant. At quæ à lumbis sunt deorsum ad pedes vsque, speciem habent ignis; quia qui Dei incitatos ad malorum interitum gressus cõsiderat, & rotarum sonitus, Cherubinorúmque præcipitem cursum (qui passus videntur esse Dei, quia ab eius imperio, & nutu in omnem partem obsequentes aguntur) Deum quoque eodem impetu, atque ardore ferri, suspicari posset. Optat ergo Deus homini pro sua mitissima natura bonum; cuius pectus est ex electro atque auro, etiam dum cursu incitari videtur ad eius mortem. Neque supplicium sumit nisi dolens, & gemens, atque ideo dum ardent pedes, ipse sedet; & dum indignatur, aurum tamen, & electrum ostentat.

Supplicium à Deo cum moderatione, & misericordia.

106. Hoc idem, opinor, significat iris, quæ thronum circumfundit; promittit namque, vltróque offert populo pacem, modò resipiscat; sin verò molestus, & sceleratus esse pergat, pedes ostendit igneos, à quibus conculcetur. Hoc credo ab iride ostensum esse Prophetæ; sed vide an alius esse possit sensus ex electri natura; de quo sic Plinius lib. 33. c. 4. *Venena deprehendit: namque discurrunt in calicibus arcus cœlestibus similes, cum igneo stridore, & gemina ratione prædicum.* Venenum, inquit, electrum prodit, vel quia in poculis arcus describit versicolores, quales in iride spectamus: vel quia stridore quodam aliquid in poculo mortiferum latere edocet. Hoc idem Deus dum in throno sedet, indicat populo, in quem armatas illas acies producit. Habet enim in pectore conceptum venenum, iram videlicet, quam in eo thesaurizauit homo peccator, quam veneni nomine explicari satis est notum. Vnde tritum est, *virus acerbitatis in aliquem effundere,* aut *venenum*

Electri natura.

Deus peccatorem ante supplicium admonet.

A *euomere*; id est, furorem suum sumendo de aliquo vindictam explere. Hoc itaque venenum habere se in homines conceptum significat Deus; aut ostensa iride ab electro formata, aut eo fremitu atque stridore, de quo priùs.

Sed placet magis quod dicebam priùs de pace vltrò oblata peccatori, si modò à sua væsania resipiscat. Quod etiam docet species superior tanquam electri; & in aquilæ, leonísque spectris suppositæ vitulinæ plantæ, quæ lento incedunt gradu; sed quo tardior Deus ad plectenda hominum errata graditur, eo grauior & postea pœnarum acerbitas. De qua optimè Valerius Maximus, *Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit* 107.
B *ira, sed tarditatem supplicij grauitate pensat.*

Deus pacē, & veniam offert.

Hunc sensum esse reor allegoricum visionis, quia tota, vt antè diximus, excidium spectat Hierosolymæ; & aliquod potiùs minax, & horribile, quàm mite, atque benignum portendit. Hæc, qui volet, ad alterius cuiusuis peccati vindictam accommodare potest satis aptè. Ostendunt enim quo sit Deus in peccatorem animo, quàm expectet patienter, quàm minetur seuerè, quomodo tandem longam in tolerando patientiam compenset postea acerbitate supplicij. 108.

Explicationes sunt aliæ mysticæ, quas Patres, 109.
C & interpretes adducunt, sed non puto satis cum literali, seu historico sensu conuenire; non tamen ad moralem sensum importunæ sunt. Quidam enim in animalibus quatuor designari Euangelistas arbitrantur: alij Doctores, & viros Apostolicos, qui diuino mouentur, & gubernantur motu; & in tota visione Ecclesiasticam œconomiam adumbrari putant. De his ego nihil in præsentia dicam, quia non valde faciunt ad interpretis partes. Adeat qui volet Hieronymum, & Gregorium qui de morali sensu satis multa;
D & S. Macarium, qui homiliam primam de hac Ezechielis visione instituit, Ambrosium lib. 3. de virgin. Origenem homil. 1. in Ezechiel. Nazianzenum oratione 43. Alcasarem in c. 4. Apocal. v. 7. & 8. notat. 13. Pinedam in suo Salomone præuio lib. 6. c. 1. à quibus ego commemorandis, & explicandis abstineo; ne actum agam. Illud addo spectri huius explicationem moralem sic esse difficilem, vt quindecim illius diuersas explicationes inuenerim. Neque dubito quin plures aliis excogitatæ sint, aut in posterum sint excogitandæ, vsque adeò res implexa est, & variis cogitationibus exposita.

IN CAPVT SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

OSTENDIT Propheta visione illa horribili, de qua proximè, concussum se, atque collapsum fuisse: cùm verò ex pauore se, atque consternatione recepisset, datum sibi fuisse Prophetale munus, edictúmque vt ad rebellem, & pervicacem populum verba faceret, quæ in complicato continebantur volumine, quæ nihil aliud spirabant, nisi durum, ac triste.

CAPVT II.

1. *HAec visio similitudinis gloriæ Domini. & vidi, & cecidi in faciem meam, & audiui vocem loquentis. Et dixit ad me: Fili*

PARAPHRASIS.

E 1. TAlis erat aspectus splendoris per gyrum, hæc visio similitudinis gloriæ Domini, quæ à me nuper pluribus descripta

li hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum.

A scripta est, cuius magnitudo stuporem mihi, & consternationem attulit: quare vt illam primùm aspexi, in faciem cecidi. Tunc verò audire visus sum vocem, quæ me ex stupore collapsum his verbis excitabat: Fili hominis animum reuoca; erige te è puluere; sta super pedes, vt me loquentem audias.

2. Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos: & audiui loquentem ad me,

2. Postquam verò locutus est, vigor in me, & spiritus rediit, quem mihi stupor ex horribili spectro conceptus ademerat; fecitque, vt qui priùs exanimatus cecideram
B
erectus pedibus insisterem, audirémque illum, qui his me verbis alloquebatur.

3. & dicentem: Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad Gentes apostatrices, quæ recesserunt à me: ipsi & patres eorum præuaricati sunt pactum meum vsque ad diem hanc.

3. Fili hominis, ecce legatum te constituo, vt mea perferas mandata ad Israeliticum populum; ad Gentem, quæ datam mihi fidem sæpe prodidit; & parentum impietatem amplexa pactum sanctè, atque legitimè percussum à multis antè sæculis ad hanc vsque diem præuaricata est.

4. Et filij dura facie, & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te: & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus:

4. Gens planè peruicax, quæ ad cordis duritiem,
C
frontis quoque duræ impudentiam adiecit: ad illam tu legationem obibis, præmittésque illud familiare Prophetis, *Hæc dicit Dominus Deus*, quo à me mandatum te accepisse significabis.

5. Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant, quoniam domus exasperans est: & scient quia Propheta fuerit in medio eorum.

5. Prophetabis ad gentem istam, ô Ezechiel, fieri etenim potest, ne vacua sit, & inanis denunciatio hæc prophetica. Fortè enim obedient voci tuæ, nisi malint in sua obstinatione quiescere, atque persistere, quod facient potiùs sat scio; quia domus est rebellis, & impatiens iugi. Et sciet in
D
medio populi fuisse Prophetam, per quem sua Dominus mandata denunciet.

6. Tu ergo fili hominis ne timeas eos, neque sermones eorum metuas: quoniam increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est.

6. Licèt gens sit rebellis, & indocilis, quæque propheticis verbis tanquam compuncta stimulis in te desæuiat; tu tamen neque illam metuas, neque quid loquatur, aut minetur cures. Viuis quidem inter scorpiones, qui pungunt, & lacerant, ídque inter illos, qui pro admonitione prophetica ignominiam referunt, & plagas. At tibi neque vultus truculentus, & asper, neque verba minacia timorem incutiant;
E
est enim populus exasperans, & irritans me: qui verò eiusmodi est, me prohibente nihil assequetur ex voto.

7. Loquéris ergo verba mea ad eos, si fortè audiant, & quiescant: quoniam irritatores sunt.

7. Nihilominus mea ad Gentem istam mandata perfer; fieri namque potest, vt aures præbeat obsequentes, & dociles, nisi in sua obstinatione hærere malit, quod faciet potiùs; quia ingenio est peruicaci, ac duro.

8. Tu autem fili hominis audi quæcunque loquor ad te: & noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est: aperi os tuum, & comede quæcunque ego do tibi.

8. Tu autem, ô Ezechiel, noli illius populi difficile, ac peruicax ingenium imitari, qui suo mauult studio, ac genio, quàm diuinis obtemperare mandatis: quare aperi os

9. Et

A ri os tuum, & ore hiante, atque auido excipe, & vora quicquid tibi comedendum porrexero.

9. *Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber: & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus, & foris: & scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.*

9. Post hæc videre visus sum manũ ad me rectà demitti, & in ea volumen cõplicatum: quod explicuit, & expandit coram me, quod in vtraque parte scriptum erat tam in facie, quàm in tergo. In quo nihil continebatur, nisi amarum, & triste; & ad lugubres cantus, & ferale carmen opportunum.

Vers.1. *Hæc est visio similitudinis gloriæ Domini.*]

1. HEbræi hæc pertinere putant ad superius caput. Neque sanè malè videbatur, quod modò principium facimus secundi capitis, posse cum fine præcedentis contexi; hoc modo. *Hic erat aspectus splendoris per gyrũ: hæc visio similitudinis gloriæ Domini.* Sed in hoc non multum esse video momenti; neque distinctio eadem est apud omnes: neque admodũ antiquum inuentum. Quia verò species hæc sæpè, vt suis locis videbimus, occurrit Prophetæ; ideo tam distinctè, & latè illam aggressus, & persecutus est. Appellatur verò *visio similitudinis gloriæ.* quia in eo spectro Deus gloriosum se propheticis oculis obiecit. Dicitur namque gloria, pulchritudo, & maiestas, qualis sese ostentabat in splendore, atque iride, in electrina specie, & in throno, cui insidebat Dominus. Gloria item vocatur de sceleratis hominibus, aut de superbis hostibus sumpta vindicta, qualem hoc loco de rebelli, atque infideli populo sumpturus Deus progrediebatur. Sic enim Deus gloriosè magnificatus esse dicitur, id est, maximam consecutus gloriam, cùm in mari rubro Ægyptias opes, & potentiam demersit. De qua victoria hoc est ab Hebræis institutum Epiniciũ: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus.* & Eccles. c.36. *Glorifica manum, & brachium dextrum; excita furorem, & effunde iram.* Sic Isaias in visione nõ admodum dissimili vidisse dicitur gloriam Dei, cap.6. de quo Ioannes cap.12.v.40. *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est cum eo.*

Gloria dicitur Dei sũptũ de peccatore supplicium.

2. *Et vidi, & cecidi in faciẽ meam.*] Cùm vehementior species aliqua apparet, stuporem inducit, atque cõsternationem hominibus, præsertim cùm horrificũ aliquid obtenditur. Sic Daniel cap.10. *Vidi visionem grandẽ hanc, & non remansit in me fortitudo: sed & species mea immutata est in me, & emarcui.* Sic Isaias cap.21. *Corrui cùm audirem: Conturbatus sum cùm viderẽ.* Scio *in faciem cadere*, idẽ esse quod adorare, quod tunc fieri existimatur demissiùs, cùm aliquis ita se ad alicuius pedes abiicit, vt in terram procumbat, illámque osculetur, & lingat. Sicut facturi dicuntur illi, de quibus Psal.71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terrã lingent:* & in hunc sensum accipit hìc Hieronymus, vbi docet quãtum intersit, si quis in faciẽ cadat; aut retrorsum. Cadere nãque in faciem obseruantiæ est, & humilitatẽ semper olet; cadere verò retrorsum, semper peccatum aut supponit, aut indicat. Sic Abrahã Gen.c.17. bis traditur in faciem cecidisse, & Prophetæ sæpius. At Heli qui peccasse dicitur, retrorsum. Et de Dan Gen.49. *Fiat Dan coluber in via, mordens vngulas equi, vt cadat* B *eques retrorsum:* quia nẽpe ad morsum colubri ex equo ceciderat. Et Iesus oraturus ad Patrẽ procidit in faciem suã, Matth.26.v.19. & eodem tẽpore impij satellites, Ioã.18.v.6. *Abierunt retrorsũ, & ceciderunt in terrã.* Cur cadere retrorsum in peiorem semper partẽ sumatur, diximus ad illud Isaiæ c.28. *vt vadant, & cadãt retrorsum.* Hæc fermè Hieronym⁹, alij Ezechielis casũ à stupore & cõsternatione profectũ esse putãt, quod mihi magis videtur ad verũ sensũ, vt principio diximus.

3. *Fili hominis sta super pedes tuos.*] Visionis magnitudo, & ex ea visione conceptus stupor in terrã abiecerat Prophetã, quem Dominus excitat, attentóque iubet esse animo, vt arcanum oraculũ accipiat. Appellat autem filium hominis, & nũc primùm, & in prophetiæ decursu perquam sæpè. Vel vt humanæ, id est, luteæ cõditionis admonitus, nihil sibi supra humanæ naturæ vires assumeret; neq; oblatæ visionis altitudine elatus insolesceret, quod accidit Paulo 2.Corint. c.12. cui post plurimas, cásque mirificas illustrationes, datus est acer carnis stimulus, qui ipsum quasi percussũ colapho, humanæ infirmitatis admoneret. Quod facit sæpe Dominus, dum hominẽ ad sublimem aliquem gradum, atque ordinẽ attollit. Hieronymus in cap. Danielis 8. ad illud, *Intellige fili hominis.* ait, ideo Danielẽ, Zachariam, & Ezechielem filios hominis appellari, quia cùm essẽt inter Angelos, & cum illis, dũ oraculis illustrantur diuinis, loquerentur, in eam cogitationẽ venire possent, vt aliquid habere se putarẽt Angelicũ, à qua Deus Prophetã cogitatione depellit, dum filium hominis vocat, id est, hominẽ iuxta Hebræorum idioma, rem videlicet humilẽ; cuius origo è puluere, cuius finis puluis, sicut & nomen: tam etenim Latinè *homo*, quàm Hebraicè *Adam*, terram sonat, & puluerem.

4. *Sta super pedes.*] Sicut horribili visione exanimatus ceciderit; sic etiam excitatus est, & animus, qui excidisse videbatur, reuocatus, & hoc puto verius. Hieronymus iuxta ea, quæ proximè de Prophetæ casu, atque adoratione docuerat, existimat iussum esse Prophetam, qui pronus iacebat, stare, ac surgere; neque enim humi prostratus audire commodè poterat diuinam vocem. Idem penè Theodoretus, *Stans,* inquit, *audi quæ à me dicuntur; non huc, atque illuc te conuertens.* Ego accommodata, ad hanc Hieronymi, Theodoretique cogitationem addo. Solere olim à stantibus aut diuinum oraculum, aut quod diuinum aliquid oleret, audiri. Obseruabimus hæc ad illud Ieremiæ c.1. *Tu ergo accinge lũbos tuos, & surge.* Vbi diximus, verbum Dei olim etiam à Paganis ea obseruantia, ac religione solitum audiri, vt

Verbum Dei à stantibus auditur.

Quanta verbo Dei reuerentia debetur. non indecorè, ac molliter sedentes; sed religiosè ac reuerenter stantes acciperent. De Regibus duo habemus exempla, alterum Num. 23. n. 22. Nam cùm Balam verbum haberet Dei ad Balac Moabitarum Regem, sic illum ad audiendum comparat, *Sta Balac, & ausculta*. Græcè magis accõmodatè ad hunc Ieremiæ locum ἀνάστηθι, id est, surge. Alterum Iudic. cap. 4. Nam cùm Eglon Rex item Moab audiisset ab Aod, *Verbum Dei habeo ad te*; vt illud acciperet, *statim surrexit de throno*. Quod fuisse tunc omnibus vsitatum, argumento est, quia eo Aod vsus est artificio, quia sedentem non ita commodè, quàm stantem vulnerare poterat. Sciebat autem illum statim ac verbum audiisset Dei è throno surrecturum.

5. Quare fideles olim, non solùm dum Euangelium in sacro recitabatur, quod etiam hodie fit; sed quádo Sanctorum historiæ, aut denique aliquid aliud sacrum legebatur, stantes audiebant. ita Augustinus tom. 10. homil. 26. quam omnino lege. Illustre hac de re magni imperatoris Constantini habemus exemplum, de quo Eusebius in Constantini vita cap. 29. *Quod si eo dicente aliquando aliqua occasio incidisset de Theologia loquendi, erecto corpore consistens, contractoque vultu, & depressa voce, adhibita summa prudentia, ac moderatione, præsentium animos cœlesti disciplina initiare, ac deuouere videbatur*. Quomodo verò stans, diuinum, aut theologicum verbum audierit, docet idem Eusebius suprà cap. 33. quod quia mirè ad præsens institutum facit, libuit huc transcribere. Sic ergo ibi de Constantino Eusebius: *Ac ne illud quidem mihi tacitè prætermittendum videtur, quod nobis ipsis præsentibus summa cum admiratione gesserat. Nã cùm eius singulari erga Deum pietate adducti, postularemus, vt de Seruatoris monumento, & sepultura disputãtes nos audire vellet: libentissimè sanè aures suas sermonibus nostris præbuit, & in ipsa basilica magno auditorum cœtu circumfusus, erectúsque stans, communem cum reliquis audiendi operam exhibuit, cùmque flagitaremus, vt regali in solio, quod ibi sessionis causa positum erat, se declinaret; minimè cessit nostris precibus, quin potius contento animo quæ dicebantur secum diiudicabat: & Theologiæ decretis, veritatis testimonium dabat. Sed cùm iam multum temporis fluxisset, & nos longiores essemus, finémque facere statueremus: hîc quidem ille restitit, & vt omnem sermonem absolueremus hortatus est. Rursus verò, vt sederet deposcentibus nobis; subrisit, & austero vultu respondit: nefas esse, institutis de Deo disputationibus, negligentes aures præbere. Sibi verò hoc esse in primis vtile, præsertim cùm pium sit de diuinis rebus disserentes, erectos audire. Sed absoluto aliquando tandem hoc sermone, nos domum perreximus, & vsitatis nosmetipsos exercitationibus dedimus.*

Constantini pietas, & in audiendo Dei verbo reuerentia.

Theologicas quæstiones stans audit, & reuerenter Constantinus.

6. Quantum verò honoris Senatorum, aut Principum mandatis habuerint Romani, indicat Plinius lib. 18. c. 3. apud quem viator, qui Senatus mandata ad Cincinnatum operi intentum rustico deferebat, cùm nudum videret, vt agrestis illa cura poscebat, minúsque quàm decebat senatorij mandati dignitas compositum, sic illum ad audiendum parat: *Vela corpus, & proferam Senatus, populique Romani mandata*.

Romani Senatus mandata cum reuerentia audire soliti.

7. Astantibus audiendum esse verbum Dei, docet Gregorius lib. 27. c. 23. *Ausculta hæc Iob, sta, & considera*. alio tamen sensu, nempe vt statim ad implendum quicquid à Domino accepimus mandati, properemus. Neque enim quicquam audiisse confert, si complere spernas. *Sæpè quidã superna iudicia miramur; prædicamenta cœlestis patriæ cùm audiunt, diligunt; mira opera interna dispositionis*

Quo animo audiendum verbum, seu inspiratio Dei.

A *obstupescunt: sed tamen amando, & viuendo ad hæc eadem opera assurgere negligunt*. vide reliqua.

Vers. 2. *Et ingressus est in me Spiritus, postquam locutus est mihi*.] Hieronymus hæc de Spiritu sancto accipit, quẽ Gregorius sequitur; quia nemo aut surgere poterit, si ceciderit, aut stare cùm surrexit, nisi spiritus ille vitã, ac vires dederit. Quare iusti iubentur stare, de peccatore autem meritò potest dici illud Deut. 28. *Non erit stabile vestigium pedis tui*. Hæc quidem verè, quæ etiã probat Maldonatus, & alij. Sed iuxta ea, quæ suprà magis probabamus, credo hîc de spiritu humano, vitali nempe, ac vegeto sermonem esse: quẽ ademisse videbatur, aut infirmasse stupor ex horribili illa specie conceptus. Ita indicat Theodoretus, tenẽt Lyra, Dionysius, & Hugo, Vatablus, & Pradus. Neque hîc loquendi modus alienus à Latinorum, atque Hebræorum vsu, qui vt abire, excedere, excidere, & surgere animũ dicunt, cùm quis aut metu, aut alia quauis vehemẽti perturbatione exanimatur: ac etiã reuocare dicunt fugientem animũ, vel spiritum. Et quomodo, cùm animus, seu spiritus quemquam deserit, abire, seu exire dicitur: sic etiam cùm redit, eodem prorsus modo dici potest ingressus. In Scriptura sanè frequens est hic dicendi modus, cũ aliquis à metu, seu à dolore graui recreatur. *Reuersus est ad me spiritus meus*. 1. Reg. 30. de puero Amalecita, *Cùm comedisset reuersus est spiritus eius, & refocillatus est*. Et Iudith c. 13. de Achior, *Angustiatus præ pauore cecidit in faciem suam super terram, æstuauit anima eius: postea verò quam resumpto spiritu recreatus est*, &c. Et Psal. 22. eodem sensu dicitur, *Animam meam conuertit*. quasi iam aufugisset. Eodẽ modo puto dici, hoc loco ingressum spiritum, nempe vitalem eundem in locum, vnde per pauorem, & cõsternationẽ egressus videbatur. Licèt quod de Spiritu sancto putabat Hieronymus, & Gregorius, mihi valde videatur probabile; neque parũ fauent eadẽ penè verba, quę iterum redeunt cap. 3. v. 24. quæ duriùs à Spiritu sancto distrahuntur. Sed non difficilè componi possunt istæ, quæ diuersæ videntur esse sententiæ: nam spiritus diuinus, id est, diuina quædam virtus infusa languẽti, atque exanimato Prophetæ, reuocauit spiritũ humanũ, qui aufugisse videbatur, quo ingresso in Prophetæ corpus, ad ingressũ diuini vigorẽ, animúmq; restituit, fecitque, vt qui iacebat priùs ab animo relictus, erigeret sese, staretq; supra pedes. 8.

B

Spiritus abire dicitur & reuocari.

C

D

Et statuit me supra pedes meos.] Aut ille qui locutus est ad me, aut spiritus reuocatus, qui cùm aufugit, languentem me, atque etiam exanimem reddiderat. Vt enim abiens vires mihi, atque animum ademit, abiecitque in terram; sic idem rediens restituit vires, fecitque vt vegeto starem, & erecto corpore. 9.

E Vers. 3. *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israël, ad Gentes apostatrices*.] *Mitto* hoc loco actum significat, non tam secundum, vt dicunt Logici, quàm primum. id est, constituo te legatum, aut nunciũ qui mea mandata ad populum perferas tam Iudaicum, quàm Gentilicium; tam ad eos, qui Babylone, quàm ad illos, qui Hierosolymę morantur. Cum illis enim omnibus egit Propheta, & diuinis oraculis perferendis vel ad bene de rebus sperandum erexit; vel etiam deterruit à peccato. Sed licèt de Gentibus multa, & ad Gentes nõ pauca prædixerit Propheta; vt contra Tyrios, Ægyptios, Babylonios, &c. hîc tamen quæ Gentes appellantur, apostatrices Iudæi sunt; qui patria, & vera religione prodita, ad fallacium deorum 10.

rum

rum inania, atque nefaria sacra defluxerunt. Hæ propriè vocari possunt apostatrices, quia defecere ab eo, quod antè complexæ fuerant; quod in Gentilium mores, & instituta non conuenit. Quia cuicumque Deorum honorem deferát, & cultum religiosum, nunquam tamen interim à dæmonis cultu, & honore recedunt; quem in illorum Deorum quolibet venerantur.

11. *Præuaricati sunt pactum meum.*] Hæc multo clariùs indicant Gẽtes illas esse Iudaicas, cum quibus Deus pactum quoddã iniit planè coniugale ad montem Sina: vbi populus nullum se alium habiturum esse Deum promisit. Quod pactum vsque adeò transgressus est inuerecundè, vt non in vrbem solùm, sed etiam in templum ingẽtem Deorum numerum inuexerit. Vide quæ de hac impietate Propheta tradit infrà cap. 8.

12. *Vsque ad diem hanc.*] Satis didicisse poterant Apostatrices illæ gentes, quàm esset vanus idolorum aris impensus honor; quàm veræ Prophetarum minæ, quàm potens Deus conseruare, ac perdere, si modò illis aliquid inesset sani consilij, ac mẽtis; cùm eam ob causam extorres se viderent à patria, & alienarũ Gentiũ addictos seruituti: in exilio tamen sacris operabatur impiis, & Babylonicum in morem, nouis quotidie religionibus studebat. Sic prædixerat antè Ieremias cap. 16. *Eiiciam vos de terra hac in terram, quã ignoratis vos, & patres vestri, & seruietis ibi diis alienis die, ac nocte.* Id credo indicat illud, *vsque ad diem hãc.* id est, vsque ad exilij etiam longum, & crudele tempus. Quasi iam inde à multis sæculis intermissa non fuerit parentum antea, & nunc etiam temporis filiorum impietas. Hoc planè est quod dixit Isaias c. 48. *Transgressorem ex vtero vocaui te.* & Ierem. 2. *A sæculo confregisti iugum, rupisti vincula.*

13. Vers. 4. *Et filij dura facie, & indomabili corde sunt.*] Qui ad cordis duritiem, frõtis inuerecundæ impudentiam adiecit, de illius salute, qui bene de rebus iudicant, actum esse censent. Duram faciẽ appello, quam perfrictam dicunt Latini; qualis est illorum, qui aliorum oculos non verentur, neque quicquam habẽt, quod alij de profligatæ vitæ genere aut sentiant, aut loquantur. De qua Ierem. cap. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Cur autem dicitur indomabile, quod adeò non mollescit, aut frangitur donis, aut suppliciis, vt silicis in modum quotidie magis, atque magis obdurescat. Hæc eadẽ sub hoc tempus non semel audierat populus à Ieremia c. 5. *Percussisti eos, & non doluerunt; attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam; indurauerũt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Et clariùs cap. 3. *Domus Israel attrita fronte est, & duro corde.* De hoc hominum statu grauiter loquuntur, & horribiliter Patres. vide Bernardum lib. 1. de consideratione ad Eugenium in principio, vbi post aliqua auditu horribilia addit: *Quid ergo cor durum? ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus: minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens. Ipsum est cui præteritorum, præter solas iniurias, nihil omninò non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla, nisi fortè ad vlciscendum prospectio, seu præparatio est. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.*

Cor durum, & obstinatum.

14. *Et dices ad eos, hæc dicit Dominus Deus.*] Certè

quędam erant Prophetarum notæ, tam in externo habitu, quàm ipso genere, ac stylo prophetici sermonis. Habitus fuit ex cilicino sacco, vt cõstat ex Zachariæ c. 13. vbi pseudoprophetæ, vt veros se Prophetas simularent, saccum assumebant, prophetici ministerij insigne. *Confundentur Prophetæ vnusquisque in visione sua, cùm prophetauerit, nec operietur pallio saccino, vt mentiantur.* Tale gestabat pallium Elias, de quo 4. Reg. c. 1. *Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus.* & Ioannes Baptista, qui ad Eliæ similitudinem vestem habuit textam ex Camelorum pilis. Saccum item habuit Isaias, cui cap. 20. dixit Dominus, *Solue saccum de lumbis tuis.*

Habitus Prophetarum & insignia.

Solebant iidem, quo suis verbis fidem conciciliarẽt propheticã, familiare illud quasi procœmium præmittere, *Hæc dicit Dominus.* Hæc habes ex Ezechiele infrà cap. 13. qui cùm ageret de falsis Prophetis, qui videri studebant veri, ait, *vident vana, & diuinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cùm Dominus non miserit eos.* Cùm ergo dicit Deus: *Dices ad eos, hæc dicit Dominus.* nil puto dicit aliud, quàm, *Propheta ad eos,* quia istud est prophetici sermonis exordium. 15.

Verba Prophetis familiaria.

Vers. 5. *Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescãt.*] Hic loquendi modus, vt docet hîc Hieronymus, arbitrij humani libertatem significat. Quasi dicat Deus, prophetabis ad eos, ô Ezechiel, fieri etenim potest, ne inanis sit, & vacua prophetica denunciatio. Hæc porrò verborum forma frẽquẽs est in Scriptura, & in hoc Propheta sæpius auditur. Communis explicatio est, quam Hieronymus indicat, fieri nempe posse, vt peruicax ille populus indomabilem ceruicem, de qua proximè, flectat aliquando, & durum pectus, & attritã faciem color ingenuus, & verecundus obnubat. 16.

Si textum Hebraicũ paulo explores attentiùs, alia videtur esse posse sententia, à qua non abhorret vulgati translatio. Nempe siue audiant, & obsequantur sermonibus propheticis, siue quiescant, nempe in sordibus suis, neque de vitę instituto mutando laborent (quod potius erit, quia gens est rebellis, & exasperans) loquere tamen ad illos meo nomine, vt si minùs, quod probos decet, accuratè præstiterint, & ideo grauia pertulerint incommoda, non tam diuinæ obliuioni, vel incuriæ, quàm suis sibi meritis ascribant. Ita fermè Theodoretus, dicunt apertè Maldonatus, Pradus, & Vatablus, & fauet valde Tigurina translatio, & antiquissima Hispanica Iudæorum versio, qui sic reddunt hunc locum, & alium similem postea cap. 3. *Falales las mis palabras, quier lo escuchen, quier lo escusan.* Et meo iudicio non obscurè colligitur cap. 3. in extrema clausula, vbi idem est dicendi modus, qui in alium sensum explicari non potest. *Qui audit, audiat; & qui quiescit, quiescat; quia domus exasperans est.* Vult autẽ Deus se iustum ostendere, neque omisisse aliquid eorum, quibus indigere posse videbatur hominum salus, vt si quando iudicaretur ab homine, nulla disceptatione vinceret. Quod Isaiæ cap. 5. fecit, dum vineam, ex qua nihil collecturus erat præter labruscas, id est, fœtentes vuas, tam accuratè instruxit, tam diligenter excoluit, vt cùm in iudiciũ veniret, diceretque, *Iudicate inter me, & vineam meã. Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & nõ feci ei?* apparet iustus: cùm sustulisset sepem, continuisset pluuiam, & in vinea nihil videres præter spinas, & tribulos. Hæc mihi explicatio non videtur aliena, in priorem tamen pronior est animus. 17.

Deus se in peccatoris caussa iustũ ostendit.

18. *Quoniam domus exasperans est.*] Hæc eò vidētur spectare quod proximè dixerat, *si fortè quiescat,* quo sensu modò explicuimus, nēpe quiescat ab audiēdo; vel quiescat, seu perseueret in vitæ turpitudine. Ac si dicat, hoc posterius faciet, sat scio, quia domus est rebellis, & exasperans, habétque ceruicem indomitã, & faciem inuerecūdam, & durã. Domus idem est, quod Gens, natio, seu magna aliqua familia; quomodo genus Israëliticum, domus dicitur Iacob, seu domus Israël.

19. *Et sciens, quia Propheta fuerit in medio eorum.*] Ne postea liberos se clamēt a culpa, quia nemo fuit exilij tempore à quo quid facto opus esset, aut quid diuina ferret voluntas, docerentur, iubet Ezechieli Deus, vt adeat populum, clamétque ad illum prophetico more; ita vt in eo tanto exulum conuentu nemini obscurum sit, fuisse Prophetam, qui modò diuina promissa, modò cœlestes minas populo proponeret.

20. Vers. 6. *Tu ergo fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas.*] Hæc verba nonnihil fauent expositioni, quam posteriori loco probabamus, quòd nempe domus exasperans auditura nō esset propheticam vocem; imò indicāt ideo infensam fore Prophetæ, & in eius vitam aliquid hostile moliturā. Eò năque spectat animus additus, confirmatúsque contra illorū conatus, & minas. Deinde quia illos incredulos, & subuersores appellat, quod animū indicat peruicacē, & durum.

21. *Quoniam increduli, & subuersores sunt tecum.*] Vbi noster *increduli,* Heb. est סרבים *sarabim.* quod variè reddunt interpretes. Quidam rebelles, alij declinantes; Septuaginta *παροιστρήσουσι.* Quòd si ex his omnibus vnam velis significationem cōflare; qui hîc increduli vocantur, inobedientes sunt, & rebelles, quique ferarum in modum cōtra doctores suos, & monitores impatienter ferociunt. Sanè verbum quod adhibuerunt LXX. magnam importat animorum offensionem: tam enim æstuabunt furore, atque instimulabuntur reprehensionis aculeis homines increduli, quàm boues solent exagitari ab œstro; quo instigante furiunt, aguntúrq; præcipites, neque vllo, vi etiam adhibita, consistunt loco. Sic ergo viri illi rebelles prophetica libertate, quasi œstro compuncti, in illos bacchabuntur ferino prorsus ingenio, à quibus se admoneri impatientur ferunt.

22. Vbi vulgatus *subuersores,* Heb. est סלונים *salonim.* quam vocem Hieronymus infrà cap. 3. v. 20. reddit *offendiculum.* Alij frequentes *spinas.* Vtraque translatio satis indicat quātum laboris Prophetæ paratum sit, à rebelli, & contumaci populo. In quo, neque mollius, neque magis opportunū erit hospitium; aut expeditior via, quàm si inter vepres cubandum, aut inter spinas horrentes, & implexas incedendum sit. De offendiculo, vt exponit Hieronymus, sensus est non admodum diuersus: nam vt qui inter spinas incedit, & compungatur sæpe necesse est, & spissum, & tardum moliatur gradum; sic qui inter saxa, aut salebras, aut aliquid aliud importunum incedit, offendat passim necesse est, & molestum, atque impeditū cursum instituat. Quòd si cū vulgato *subuersores,* legas, vt planè legendū est, non est minùs grauis, aut minùs accōmodata sententia, neque, vt reor, admodum à superiore diuersa. Vt enim quę occursant spinæ, seu quæcūque alia viarum offendicula, viā aut impediunt, aut reuocant, inanémque reddunt laborē, & cursum antè susceptum; sic *subuersores* in Metaphora parum diuersa, dissoluunt ac destruunt quicquid artificum industria

A molitur: id est, quicquid Propheta in euerso populo ædificare cōtendit, in moribus nempe corruptis, quos ad meliorē frugē informare studet.

Et cum scorpionibus habitas.] Laborem Deus, qui à malè conciliato populo impendebat, proponit, ne quod imparatis contingere solet, ab inopinato, atque improuiso malo perturbetur; neque magis securam illi stationem fore dicit, quàm si inter scorpiones ageret, insidiosa animalia, & veneni plena. Notat autem Hieronymus scorpioni fistulatam esse caudā, in qua venenum seruat inclusum, quod in carnem ab aculeo sauciam statim effundit. Huiusmodi vulnera ab ingrato, atque væsano populo patiebantur olim B Propheta, & nunc etiam passim viri Apostolici; qui & saucij sæpè redeunt ab impiorum cōgressu, quos constanti pectore, & oratione nō futili, atque adulatoria ad pietatem erudiunt; & viscera referunt, non quidem veneni, at fellis, atque absynthij redundātia, doloris nempe à peccatoris inuerecunda obstinatione cōcepti. Pro scorpione Heb. est עקרב *akrab.* quæ vox, vt credo, propriè scorpionē, id est, animal venenatum significat; figuratè verò spinosam herbā, & scorpionis instar, aculeatam. In quem sensum accipit Pagninus, qui pro *scorpionibus,* tribulos adhibuit. Sanè id valet eadem illa vox 3. Reg. 12. vbi pro flagello sumitur, ex frutice illo spinoso cōtexto. C *Pater meus,* inquit Roboam, *cecīdit vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus.* Quod si סרבים spinas significat, vt suprà notabamus, accōmodatè nunc sub eadem Metaphora tribuli adiiciuntur. Porrò habitasse videri possunt Prophetæ inter scorpiones, tribulos nempe, & aculeata flagella, quia durè vexati fuerunt, & concisi flagris, vt de Isaia constat, Ieremia, & Ezechiele, vt principio diximus Prolegomeno 4. Nemo enim fermè illorum fuit, qui non ex illo, quasi vepreto laceratus exierit, de quibus est illud Pauli ad Heb. 11. *Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, &c.* 23.

Scorpio quomodo noceat.

Vir apostolicus durè acceptus.

Scorpio spinosa planta.

Verba eorum ne timeas, & vultus eorū ne formides.] 24.
D Vt Scorpius quācumque illum in partem sumas, nihil obiicit aliud, quàm spinas, vulnus, & venenum; sic populus ille, quo cum Prophetæ futurus erat congressus, intentabat aculeos, vim, & cædem, & quicquid ab insana, & irritata multitudine timeri poterat aduersi. Quare Deus Prophetæ animum, quem concussisse, ac fregisse videri poterant aut verba minacia, aut intēta vulnera, confirmat & integrat; quasi ab illis, se auctore, atque auspice, nihil immineret periculi. Porrò sicut *facies alicuius* pro illo ponitur, iuxta Hebræorum idioma, cuius est facies. vt, *facies gladij, venti, frigoris,* pro gladio, vento, & frigore, vt diximus cap. 1. num. 33. sic etiam vultus ali- E cuius. Eadem quippe ratio est, cùm idem sit Heb. nomen פנים *panim.* ex cuius proprietate modus ille loquendi natus est. Quare Psal. 44. vbi dicitur, *vultum tuum deprecabuntur.* idem est, quod *te deprecabuntur.* Hic igitur illud, *vultum eorū ne formides,* idem est prorsus quod *ne illos formides.*

REGVLA. *Facies & vultus pro persona.*

25. *Quia domus exasperans est.*] Ad duplicem sensum patet hic locus, vtrumque textui, ac rerum naturæ accommodatum. Referri quippe potest ad illud quod paulo antè præcesserat, *cum scorpionibus habitas.* Cuius eam videtur rationem reddere, quia rebellis est, & contumax populus. Ab illis namque qui eiusmodi sunt ingenij, nihil expectari potest aliud, quàm spinarum stimulis, & scorpionum venenata vulnera.

Seu

Seu certè rationem adducit,cur nihil ab illo po- A
pulo,quantumuis inflammetur,ac sæuiat,timen-
dum sit, quia exasperans est, nempe Deum : vbi
autem Deus offensus , nihil sibi quisquam pro-
mittere potest ex voto. Sic Matathias Machab.
1. c. 2. languentes filiorum animos contra im-
piorum armatas acies confirmabat: *A verbis viri*
peccatoris,ne timueritis,quia gloria eius stercus, & ver-
mis est.

Vers.7. *Loquéris ergo verba mea ad eos,si fortè au-*
diant,&c.] Hic versus expositus suprà est vers.4.

26. Vers.8. *Nihil esse exasperans sicut domus exaspe-*
ratrix est.] Hinc non obscurè coniectare licet,
quid dicatur exasperans,nempe qui difficilem se
præbet ad diuinum imperium,& in sua siue sen- B
tentia,siue consilio obstinatò hæret,qualis, ipso
Deo testãte,foret Ezechiel,si quod modò à Deo
mandatũ accipit,præstare noluisset. Monet igi-
tur Dominus Prophetam,ne velit in exasperan-
tium numero censeri, tacitè illi malum illud in-
tentans,quod exasperãti populo proximè mina-
tur. Videtur autem hoc dicendi genere signifi-
care Dominus,à Sacerdote,qualis erat Ezechiel,
& ab eo, qui spiritu instinctus esset prophetico,
aliquid amplius esse requirẽdum,quàm ab alio-
rum ignobili,& profana turba.

27. *Aperi os tuum, & comede quæcumque ego do tibi.*]
Magnum aliquid sit necesse est, quod Deus sub C
tam seuera cõtestatione commendat. Neque le-
ue negotium, quod vt subire Propheta audeat,
proposita securitatis spe,diuina promissione cõ-
firmatur. Ex quo discẽt,qui ad prophetale mu-
nus,id est, ad Apostolicum ministerium aspirãt,
non nisi iubente,imò & quodammodo cogente
Domino,prouinciam illam esse suscipiendam,vt
illius auspiciis Apostolicum opus adeatur , ad-
ministretúrque;qui in re tam periculosa, & gra-
ui solus præstare potest à periculo liberum.

Concionator mittendus à Deo.

28. Sed refert plurimum, imò refert omnino , vt
ab eo qui vocat,& instimulat, impleatur pectus
his rebus,quæ deinde expromãtur ad alios, for-
metur à Deo lingua,imò se Deo mouendam,at-
que regendam tradat; & orationis materiam nõ D
ab alio hauriat, quàm à diuina manu. Hæc ho-
minem per loca periculosa , ac lubrica & dedu-
cẽt facilè,& præstabunt incolumem. Hæc puto
significari hoc loco , in quo Deus ori Prophetæ
librum porrigit deuorandum , sicut infantis ori
cibos ingerit nutrix: ex quo depromat vir Apo-
stolicus,& orator pius,quibus suam orationem,
quam non otiosam,aut vanam esse vult,cópleat,
& instruat. *Aperi,*inquit Dominus,*os tuũ,*& cibos
cape, quos mea tibi manus parauit,& ingerit.

Vnde sumẽda concionatori materies.

29. Hîc nonnemo otiosum existimabit illud,*aperi*
os tuum; cùm statim dicatur comedendus liber:
quis ore non aperto aut accepit aliquid deuorã-
dum; aut deuorauit acceptũ?sed si Scripturæ cõ- E
suetudinẽ aspicies, inuenies in hoc dicendi mo-
do Scripturæ sacræ familiari nihil esse otiosum,
cùm studium ardẽs,& conatum ingentẽ indicet
vox addita , quæ nihil videtur addere sententiæ.
Sic Christus in Euãgelio sæpe,sic Iob,sic Dauid
cùm locuturi essent,os suum aperuisse dicuntur;
aut quia non clàm & furtim,sed apertè,& clarè;
aut cùm diu tacuissent,meditatò,& seriò loque-
rentur,os antè concluserant, vt deinde conside-
rata magis , aut expectata dicerent. Sic Sponsa
Cant.1.optat,& petit,vt osculetur spõsus osculo
oris sui;vbi redundare vidẽtur duo illa nomina,
osculum,& *os.* neque enim ab osculãdo abesse po-
test osculũ , nec hoc imprimitur nisi ab ore. Sed

Os aperire epitasim habet.

REGVLA. *Vox interdum,quæ videri potest otiosa,plurimum facit ad effectum.*

in his nominibus suauitas maxima , & affectus
exprimitur.Sic ergo nunc,cùm iubetur Prophe-
ta aperire os,& quod oblatum fuerit à Domino,
vorare,iubetur,vt auidè,ac studiosè voret, quod
faciunt plerumque, qui longam, & vrentem fa-
mem explere volunt,id quod videmus quotidie
in hirundinum pullis,qui hianti ore allatos à pa-
rentibus cibos expectant. Sanè qui stomacho
sunt nauseante, & graui, aut hebeti palato , aut
aliam ob causam cibos fastidiunt;vt docẽt quo-
tidie qui morbo laborãt, os claudunt interdum
pertinaciter,neque adduci possunt,vt illud ape-
riant; quare necesse est vim afferre ,& cibos in-
gerere recusantibus.Id ergo videtur iubere Do-
minus; ne sit Propheta rebellis,& exasperãs, sed
aperiat os,& vltrò oblatos sibi cibos,quantum-
cũque graues,& insulsos admittat.Dixit aliquid
simile Domin⁹ Ps.80.*Dilata os tuũ,& implebo illud.*

Vers.9. *Et vidi,& ecce manus missa ad me,in qua* 30.
erat inuolutus liber.] Cuius fuerit manus illa,quæ
idoneos prophetico stomacho cibos attulit , nõ
explicat Propheta, est tamẽ verisimile ab aliquo
ex ministris,qui astabãt illi,qui sedebat in thro-
no,allatumesse librũ:nã credibile est aliquos ad-
fuisse,præter quatuor animalia,de quibus suprà,
licèt illorum Propheta nõ meminerit. Apparuit
autem manus,vt modus ipse dicendi nõ obscu-
rè significat,à corpore diuulsa;imò & à brachio:
sicut sola etiam manus visa est Daniel.c.5.Chal-
dæorum Regi Balthasari,quia,vt hæc ad scribẽ-
dum brachio,non indigebat, sic etiam neque il-
la ad apprehendendũ , porrigendúmque librum.

In qua erat inuolutus liber.] Descriptio est vo- 31.
luminis. Vt enim alibi à nobis dictum est, liber
non eodem modo olim apud Hebræos , imò &
apud Gentes cõcinnabatur, sicut apud nos mo-
dò. Adglutinabantur enim chartæ chartis,& in
longitudinem interdum maximam extentę circa
paxillum conuoluebantur;vnde volumen dictũ.
In hanc formam compactus erat liber,quẽ Eze-
chieli Dominus deuorandum porrexit , in qua
forma,vt docet hîc Theodoretus,Scripturam sa-
cram conseruabant Iudæi ; & vt audio nostro
etiam tempore conseruant.

Librorum forma.

Septuaginta pro *libro inuoluto,*legunt *capitulum* 32.
libri. quomodo eadem verba Psal.39.reddiderũt,
In capite libri scriptum est de me. vbi Hieronymus,
in volumine libri, quod idem est, quod *liber inuolu-*
*tus:*Origenes ideo appellari putat non *librum,*sed
caput libri. quia diuinus sermo si cum diuina cõ-
paretur sapientia,breuissimus est. Polychronius
putat ab humana natura non potuisse tãtum vo-
rari librum, atque ideo non librum,sed libri ca-
pitulum,id est, vt ego interpretor, libri titulum
esse porrectum. Ego in capite,seu capitulo sum-
mam quandam contineri,ac significari puto eo-
rum,quæ in magno etiã volumine continentur.
Quomodo capita concionis vocamus breuem
aliquam complexionem eorum,quæ pluribus in
cõcione tractantur.Sic ego illud Psal.39.de quo
nuper, interpretor, *in capite libri scriptum est de me.*
id est,totius libri Scripturę nempe sacræ,summa
est de me,quia de me loquitur,aut me intuetur.
Neque puto valde erraret à vero sensu,qui pri-
ma verba Scripturæ sacræ , *In principio creauit*
Deus cœlum , & terram, &c. pro quibus Heb. est
in capite, sic exponeret : *In summa* , siue *vt sum-*
matim dicam, creauit Deus cœlum,&c. Quia reue-
ra quæ magna sunt, neque paucis minutim, at-
que distinctè explicari poterant , breui qua-
dam summa complexus est Moyses. Vt ergo

Quid caput, seu capitulũ in libro.

iam tandem ad intermissa redeam; in capitulo libri porrectam esse puto à Deo, & à Propheta deuoratam summam eorum omnium, quæ deinde populo distinctiùs, atque explicatiùs annuntiauit. Quæ sanè grauia fuerunt, & amara; quare illa vorare, atque concoquere, non potuit Prophetæ non esse molestum.

33. *Qui scriptus erat intus, & foris.*] Liber olim, id est, volumen oblongum, de cuius figura nuper, in vna tantùm facie scribebatur, in interiore videlicet, quæ complicata literas interiùs notatas occultabat. Ex quo fiebat vt non priùs totus legeretur, quàm esset euolutus, & explicatus liber: vnde ortum est commune illud, ac tritum in librorum fine, *Explicit*, quo significamus absolutum esse librum, & perfectum opus, quasi iam explicuerit se, & euoluerit quod implicatum, atque inuolutum legi non poterat. Si quando tamen aliquid rudibus notabatur characteribus, aut scribebatur negligétiùs, quia in aliam chartam limatiùs postea transcribendum esset, in exteriori quoque facie, id est, in aduersa, seu aduersaria scribebatur. Vnde eiusmodi libri, seu codices vocati sunt aduersaria, Hispanicè *borradores*. Quod fiebat interdum, cùm opus esset longum, vt docuit Iuuenalis Satyra 1. qui cùm longum significare vellet opus, de Oreste, dixit,

Liber olim in vna tantùm scriptus facie.

Aduersaria quid.

Scriptus & in tergo, nec dum finitus Orestes.

in tergo, id est, in aduersa facie, quæ plerumque inscribi non solet. Hi libri ab inscripto tergo Opisthographi dicuntur. Talis erat liber, quem vorauit Ezechiel, scriptus intus & foris, quia minas continebat lamentationésque plurimas, de quibus in tota prophetia & latè, & crebrò. Et quidem vox Hebraica optimè explicat rationem Græci nominis Opisthographi. Vbi enim vulgatus habet *intus, & foris*, Heb. est פנים ואחור id est, in facie, & in tergo.

34. *Lamentationes, & carmen, & væ.*] Hæc tria varij

A variè distinguunt; ego cum Theodoreto ad illud cap. 3. v. 2. *aperui os meum*, nihil arbitror significari lætum, quia secunda, & læta non bene cadunt in rebelle, ac contumax ingenium, in attritam frontem, & sceleratam vitam. Hieronymus carmen putat ad iustorum præmium, quod etiam ex Hebræis placuit Rab. Salomoni. Idem tenet Dionysius, & Hugo. Et sanè si liber ille omnia cõtinet, quæ in tota prophetia latiùs explicantur; satis est verisimile in carmine aliquid indicari non odiosum, aut triste; quando in prophetia aliqua sunt eius generis, vt potiùs confirmét, & exhilarent animos, quàm deiiciant, &

B contrahant. Quod videtur expressisse Ecclesiasticus cap. 49. v. 11. vbi, vt puto, summam quandam complectitur totius prophetiæ Ezechielis. *Commemoratus est*, inquit, *inimicorum in imbre, benefacere illis, qui ostenderunt rectas vias.* Nihilominus non mihi displicet, quod dicebam modò, nihil hîc esse non minax, & amarum, quod etiam tenent Maldonatus, & Pradus. Neque vox Hebraicá הגה *hagah*, aut Latina *carmen*, nimis in oppositum vrgent. Hebraica quidem aliquid indicat commune magis, & ad varios affectus trahi potest. Quare Pagninus, & Tigurina *Gemitum*

C reddidere, & antiquissima translatio Hispanica *Guaias*, quæ vox lugubrem næniam, seu lamentum valet. Carmen autem non magis lætum aliquid, & gratum, quàm flebile, atque ferale significat; quale est Epicedium, & conceptæ lamentationum formulæ, vt est illud: *Væ soror, & væ frater: væ domine, & væ inclyte.* Et quidem Hispanica vox *Guaias*, hoc lamẽtationis genus importat. Neque exempla desunt in Scriptura, vbi carmen aliquid lugubre atque funereum significat. Afferam ex hoc Propheta duo cap. 27. *Assumens super te carmen lugubre.* & cap. 32. *Fili hominis cane carmen lugubre.* Quare in posteriorem hanc sententiam magis inclinat animus.

IN CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM.

INSPIRAT Dominus Prophetæ quid ad impium, & indocilem populum dicturus sit; aliquid nempe durum, & amarum, quod significat liber carminibus notatus funestis, ac tristibus, quem à Propheta vorari Dominus iubet. Cùm verò confligendum esset Prophetæ cum attrita Iudæorum fronte; frontem illi tribuit ex adamante, ac silice, ne quid à Iudæorum furore, atque insania metuat. Mittit deinde illum adamantina corroboratum fronte; & verbis ad prophetandum instructum, ad contribules suos, qui simul cum ipso commigrarunt è patria; apud quos cùm mœrens, & silens septemdialem moram posuisset, speculatoris audit impositum sibi nomen, & munus; quod si negligenter obeat, quantum sibi periculum impendeat, docetur. Iussus deinde in solitudinem secedere, gloriam videt Domini, qualem antea iuxta flumen Chobar. Vnde rediens domum vinculis pedes, ne se foras efferat, & linguam silentio, aut etiam naturali aliquo impedimento constringitur, ne ad destinatum vsque tempus aliquid loquatur.

CAPVT III.

1. *ET dixit ad me: Fili hominis quodcumque inueneris, comede: comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel.*

2. Et

D PARAPHRASIS.

1. CVm verò expansus esset coram me liber, dixit mihi Dominus, vt quodcumque oblatum esset mihi, comederem. Cúmque illius imperium non inuitus acciperem; adiecit vt volumẽ, quod priùs

A priùs mihi fuerat oſtenſum, comederem; & ad filios Iſrael propheticam legationem obirem.

2. *Et aperui os meum, & cibauit me volumine illo:*

2. Tunc ego diuino obſecutus imperio, os ſtatim aperui, cui Dominus illud ingeſſit volumen, quod priùs expanderat, cibauitque vario illo, ac prophetali pabulo.

3. *Et dixit ad me: fili hominis venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto, quod ego do tibi. Et comedi illud: & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.*

3. Tunc iterum ad me Dominus: Quod excepiſti ore, ô fili hominis, id ad ventrem, viſceraque tranſmitte, efficeque, vt illud retineant, & concoquant. Comedi illud, & mellis ori meo ſuauitatem indulſit. B

4. *Et dixit ad me: Fili hominis vade ad domum Iſrael, & loquéris verba mea ad eos.*

4. Cùm datum à Domino librum tranſmiſiſſem ad ſtomachum, & illius calore concoxiſſem; quamprimum mihi à Domino mandatum eſt, vt legatus ad Iſraelis domum proficiſcerer, & ad illam verba, atque mandata perferrem, quibus deuoratus proximè liber notatus fuerat.

5. *Non enim ad populum profundi ſermonis & ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Iſrael.*

5. Dixit autem prouinciam illam fore non difficilem, cùm ad gentes peregrinas, & barbaras, quarum ignotus eſt, atque profundus ſermo, non eſſet ineunda C legatio; ſed ad domum Iſrael, quæ paulo antè migrarat Babylonem; neque patriam linguam peregrino, & barbaro idiomate corruperat.

6. *Neque ad populos multos profundi ſermonis, & ignotæ linguæ, quorum non poſſis audire ſermones: & ſi ad illos mittereris, ipſi audirent te.*

6. Non, inquit, mitteris ad populos, quorum ignotus eſt, atque profundus ſermo; ex quo quid velint, aut cogitent, ne coniectare quidem poſſis. Quòd ſi ad illos auctore me, atque auſpice contenderes; ipſi, mihi crede, nihilominus audirent te.

7. *Domus autem Iſrael nolunt audire te: quia nolunt audire me, omnis quippe domus Iſrael attrita fronte eſt, & duro corde.*

D 7. Domus autem Iſrael, quia iam pridem ad vanum idolorum cultum defluxit; neque ad mea monita aures aduertit obſequentes, & dociles; ideo tuam quoque vocem auerſantur, & reſpuunt; quia nomen meum tuo ſermoni prætendis, vſque adeò frontem inuerecundè perfricuit; & obſtinato corde ad meam vocem, & voluntatem obdurauit.

8. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.*

8. Neque tibi, ô Propheta, animus frangatur, & cadat, cùm audis cum ingenuus duris, attritiſque frontibus tibi futurum eſſe certamen. Ego enim vultum largiar audacem, & fortem; & frontem ad E perferendos ictus magis duram, quàm habent illi, quibuſcum confligendum, & quaſi aduerſis frontibus concurrendum eſt.

9. *Vt adamantem, & vt ſilicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas à facie eorum: quia domus exaſperans eſt.*

9. Quia tibi cum dura, atque attrita fronte certandum eſt, cum gente videlicet exaſperante, atque indomita, ſaxeam tibi dabo, atque adamantinam frontem, cui nocere non poterit, quamuis contumax, & dura Iudæorum inſania.

10. Et dixit ad me: Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi:

11. Et vade, ingredere ad trāsmigrationem, ad filios populi tui, & loqueris ad eos, & dices eis: Hæc Dicit Dominus Deus: si fortè audiant, & quiescant.

12. Et assumpsit me spiritus, & audiui post me vocem commotionis magnæ: Benedicta gloria Domini de loco suo;

13. Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum sequentium animalia, & vocem commotionis magnæ.

14. Spiritus quoque leuauit me, & assumpsit me: & abij amarus in indignatione spiritus mei: manus enim Domini erat mecum, confortans me.

15. Et veni ad transmigrationem, ad aceruum nouarum frugum, ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar, & sedi vbi illi sedebant: & mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum.

16. Cùm autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens:

17. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me.

18. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annunciaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via sua impia, & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.

19. Si

A 10. Tunc iterum ad me: Fili hominis, excipe attentis auribus, quos ad te sermones ego loquor, eósque animo tuo manda, & accuratè serua.

11. Age iam, ô Propheta, & populares tuos, qui tecum simul transmigrarunt, alloquere, ea vsus familiari forma, quam suis vaticiniis obtendunt Prophetæ. Audient fortasse te, & à murmure, atque tumultu conquiescent.

12. Tunc verò rapuit mè spiritus, & eô deduxit, quò me diuinum imperium
B aduocabat. Videbar autem eo tempore audire à tergo vocem tumultus, atque fragoris vehementis, Dei videlicet gloriosi, qui Solymitanis ciuibus infensus, electum sibi iam antea domicilium deserebat.

13. Audiebam item strepitum, quem ex alarum concussu animalia pennata vehementem edebant. Fremitum præterea rotarum, quæ animalium sequebantur vestigia; vocem nimirum quasi à tumultuante turba, & à commotione magna
C personantem.

14. Spiritus ille, qui me assumpserat, leuauit me sublimem à terra, & in locum deduxit à Deo destinatum. Ibam autem spiritu subamaro, & tristi, quia contribulibus non poteram non esse molestus; & tamen diuina manus fortis, & dura ad legationem illam obeundam vrgebat.

15. Veni igitur, vt imperata facerem ad contribules meos, qui migrarant è patria ad locum, qui nouarum frugum aceruus appellatur, in quo consederant iuxta
D fluuium Chobar, & sedi inter illos, posuíque ibi mœrens septemdialem moram.

16. Cùm autem exactum iam septem dierum lugubre silentium, audiui rursus diuinam vocem, quæ hunc in modum loquebatur mihi:

17. Fili hominis speculatorem te Israelitico populo præposui, vt illi impendens malum maturè prædicas. Audies igitur ex ore meo verba, illaque meo nomi-
E ne ad populum referes, tanquam meorum consiliorum nuncius, & interpres.

18. Si ego tibi, ô Ezechiel, aliquando præcepero, vt hæc ad impium meo nomine referas, *morte morieris, ô impie!* ídque tu nunciare recusaueris; neque monueris, vt sceleratam vitam execretur, & viuat: morietur quidem impius in peccato suo, æternæ damnationis reus; tu tamen illius mortis pœnas mihi dabis eiusmodi, vt alienum sanguinem tuo proprio sanguine compenses.

19. Sin

19. Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.

A 19. Sin verò impius abs te admonitus, mutare noluerit viuendi modum, & in peccatis obstinatò hæserit; morietur ille quidem propter iniquitatem suam; tu autem eapropter morti, quam effugisti, obnoxius non eris.

20. Sed & si conuersus iustus à iustitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem: ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annunciasti ei: in peccato suo morietur, & non erunt in memoria iustitiæ eius, quas fecit: sanguinem verò eius de manu tua requiram.

20. Neque abs te tantùm admonendus est, qui malè diu vixit, & in peccatis iam pridem occalluit; sed etiam qui cùm iustus antè fuerit, à iustitia peccando defecit. Si ergo iustus, dum se peccatis implicat, iustus esse desierit, aliquid illi durum,
B & aduersum obtendam. Quòd si forsan ille, quia non illum status sui, atque periculi monuisti, moriatur; ita morietur, vt anteactæ vitæ merita obliuioni dentur; abs te tamen incuriæ tuæ, atque alieni sanguinis pœnas exigam.

21. Si autem tu annunciaueris iusto vt non peccet iustus, & ille non peccauerit: viuens viuet, quia annunciasti ei, & tu animam tuam liberasti.

21. Si verò iustum admonitione tua à peccando deducas, viuet quidem ipse, & tu quia illum maturè monuisti periculi paratam alioqui mortem declinasti.

22. Et facta est super me manus Domini, & dixit ad me: Surgens egredere in campum, & ibi loquar tecum.

22. Irruit in me postea spiritus Domini, à quo in mandatum accepi, vt in cam-
C pum secederem à turba; vt ibi seorsum quid ad me Dominus loqueretur, audirem.

23. Et surgens egressus sum in campum: & ecce ibi gloria Domini stabat quasi gloria, quam vidi iuxta fluuium Chobar: & cecidi in faciem meam.

23. Cùm ergo in solitudinem egrederer, obiecta est mihi gloria Domini ea specie, quæ mihi priùs oblata fuerat ad fluuium Chobar, quæ sic me concussit, ac terruit, vt statim corruerim pronus in faciem.

24. Et ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos: & locutus est mihi, & dixit ad me: Ingredere, & includere in medio domus tuæ.

24. Rediit tamen illico ad me animus, & vigor, quem reuocauit Spiritus,
D qui ingressus est in me, fecítque vt excitarer à terra, & starem supra pedes meos; à quo statim audiui: Ingredere, ô Ezechiel, in domum tuam, & ibi aliquandiu clausus commorare.

25. Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis: & non egredieris de medio eorum.

25. Ecce, ô fili hominis, pedibus tuis iniecta sunt vincula, quibus ligaberis; neque domo in aliorum conuentus pedem efferes.

26. Et linguã tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans: quia domus exasperans est.

26. Efficiam præterea vt lingua adhærescente palato elinguis fias, ne quod verbum ad populum obiurgatorium facias
E quia rebellis, & contumax est.

27. Cùm autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui audit, audiat: & qui quiescit, quiescat: quia domus exasperans est.

27. Cùm autem à me loquendi mandatum acceperis, tunc & loquendi expeditè, & exeundi domo facultatem accipies. Tunc verò propheticum illud legitimum exordium vsurpare licebit, *Hæc dicit Dominus*, siue illi audiant, & obsequantur, ad quos verbum facies propheticum; siue in suis malint hærere flagitiis: est enim populus rebellis, & contumax, quíque furoris mei aculeos in seipsum exacuit.

Vers. 1.

Verſ.1. *Dixit ad me,&c. Quodcumque inueneris comede.*]

Obedientia cæca.

1. DVRVM videbatur hoc præceptum, vt quis quodcumque oblatum eſſet, comederet. Offerri quippe poterat inſulſum aliquid, & amarum, ad quod Prophetæ nauſearet ſtomachus, & ipſa horreret hominum natura. Vt autem Abrahami laudamus obedientiam, quia egreſſus eſt è patria iubente Domino, neſciens quò euocaretur, aut in qua regione ſibi eſſet commorandum, vt notauit Paulus ad Heb. 11.v.9. ſic laudari poteſt obſequens Ezechielis animus, qui paratus erat omnem vorare cibum, quantumcumque inſuauem palato, & humanæ valetudini contrarium. Quòd ſi illa figurata dicendi forma aliquod à Domino mandatum accipiendum exiſtimabat Propheta, quod in eo contineretur volumine, quod nuper capite præcedenti viderat; non minoris erat negotij pondus, aut leuius prompti ad parendum animi documentum.

2. *Comede volumen iſtud.*] Iam viſus fuerat Propheta non reſpuiſſe quicquid ciborum foret à Domino propoſitum. Tunc verò Deus qui vim afferre hominum arbitrio non ſolet, exploratæ, atque obſequenti voluntati volumen illud, de quo nuper oſtendit, & hianti ori comedendum propinat, in quo erant *lamentationes, & carmen, & væ.*

3. *Et vadens loquere ad filios Iſrael*] Cum ipſo volumine inditum eſſe ſpiritum propheticum, oblatamque prophetandi materiam, putat Maldonatus, neque meo iudicio, temerè, quando ſtatim iuſſus eſt ad filios Iſrael proficiſci, & munus obire prophetale: id enim valet *vadens loquere.*

Exemplar viri apoſtolici.

Ex quo vir Apoſtolicus quomodo munus illud grande exercere debeat, mirificum habet documentum. Primùm enim neceſſe eſt, a Domino recipiat, quam populo nuntiatum eſſe velit, haud dubium (vt ſe res habet,& humani mores hac tempeſtate) quin *lamentationes, carmen, & væ.* Deinde expedit, vt quod accepit à Deo concionis argumentum voret, & concoquat; orando, videlicet, meditando,& in ſuum ſibi ſanguinem, & ſubſtantiam conuertat, vt non tam ab artifice lingua aliena verba, quam ab imis viſceribus propria exprompta fuiſſe videantur. Sanè Dauid non priùs à ſe impertiendam eſſe doctrinam duxit impiorum animis, quàm ſpiritum accepiſſet principalem, qualis Doctorum eſt, aut Prophetarum. Atque ideo cùm Pſal.50. dixiſſet, *Spiritu principali confirma me;* ſubdit, *docebo iniquos vias tuas.* Neque ſtatim eodem Pſalmo idoneum ſe putabat, vt laudes annuntiaret diuinas, donec Deus ipſius aperuiſſet labia, per quæ ad alios, quod propinauerat, eructaret.

Oratio concionatori neceſſaria.

Vult quidem Deus, vt os aperiamus noſtrum, id eſt, vt oremus; aut animos ſaltem oſtendamus volentes: quod vbi præſtiterimus, ſuarum eſſe partium dicit illud implere. Pſal.8. *Dilata os tuum, & implebo illud.* Quod ſe experientia ipſa didiciſſe, docet Dauid Pſ.118. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Hunc Hieronymus idoneum eſſe putat Euangelij nuncium, & qui vtiles ad homines habere poſſit ſermones. *Niſi ante, inquit, comederimus apertum volumen, docere non poſſumus filios Iſrael.*

4. Verſ.2. *Et aperui os meum, & cibauit me volumine illo.*] Vix dum diuino obſecutus imperio, os aperuerat, cùm oblatum eſt volumen à liberali manu,& regio vere edulio cibatus Propheta.

Verſ.3. *Et dixit,&c. Venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur.*] *Comedo* hîc latè ſumitur pro omni actione qua atteritur, & conficitur, ſeu coquitur,& digeritur cibus, quia in vtroque mutatur cibus, atque conſumitur, quod valet verbum Hebraicum אכל, vnde frequens in Scriptura, *comedit ignis, gladius,* &c. id eſt, conſumpſit, diſſoluit. His igitur verbis id videtur ſignificare Deus, vt accepit ore, ad ventrem, viſceraque tranſmittat; neque, quod ſæpe faciunt, qui ægro ſunt corpore, aut nauſeante ſtomacho, ingeſtos euomat cibos; ita ex Hebræis exponit Rab. Dauid. Porrò hîc futurum pro imperatiuo ſumitur, quod apud Hebræos frequens. Et quidem, niſi accuratè verſentur, & diu concoquantur, quæ Dominus nobis deuoranda porrigit, non poterit Apoſtolicus doctor aut eructare in concionando diuinos ſenſus, aut tanquam ſedula nutrix in lac doctrinæ ſolidæ conuertere, quæ teneris auditorum animis immulgeat. 5.

Et factum eſt in ore meo quaſi mel dulce.] Duobus modis hæc accipiunt interpretes. Alij ſimpliciter hæc putant eſſe dulcia, quia à Deo oblata, licèt in illis nihil appareat niſi *lamentationes, & carmen, & væ.* Quin verò qui de Deo altè, & dignè cogitat, nihil, quod à Deo datur in mandatis, aut Deo exiſtimatur eſſe gratum, poteſt eſſe non lætum,& optabile. Aut certè quia Dei proprium eſt emollire dura, & quæ amara ſunt, illis aliquid admiſcere mellis, vt in diuinis mandatis aut nihil ſit πικρὸν, aut certè ſit eiuſmodi, vt appellari poſſit γλυκόπικρον. Hinc Deus ſuum eſſe iugum ſuaue dixit, & onus leue. Et experientia ipſa doctus cecinit Dauid Pſal.118.v.103. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Sic lamentationes, & væ, quæ non poſſunt eſſe non amara infuſa Ezechielis ori à diuina manu, mellis inſtar obtinent; ſicut pœnitentis lacrymæ, quæ quia à Domino, & propter Dominum ſunt, dulciores longè ſunt, vt dicit, gaudiis theatrorum. 6.

Dei mandata fideli ſeruo grauia non ſunt.

Quòd ſi hæc principio dulce eſſe ſtatuas, pòſt verò fellis inſtar amara, quod alij cenſent adducto illo Ierem. cap.15. v.16. *Inuenti ſunt ſermones tui, & comedi eos; & factum eſt verbum tuum in gaudium,* &c. Quàm verò ſermones illi antea dulces, aliquanto pòſt euaſerint amari, ipſe docet v.18. *Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis.* Et Apocal.c.10. quo loco reſpectaſſe videtur Ioannes ad hunc Ezechielis locum, *Accipe librum, & deuora illum, & facies amaricari ventrem tuum; ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Idem omnino puto accidiſſe nunc Ezechieli, neque ipſe obſcurè indicat hoc ipſo capite verſ.14. *Spiritus, inquit, quoque leuauit me, & aſſumpſit me, & abij amarus, in indignatione ſpiritus mei.* Si in hunc ſenſum accipias, videndum eſt, cur dulcis in ore, amarus in viſceribus fuerit deuoratus liber. In quo & datus videtur ſpiritus propheticus,& oblata prophetandi materies. Et primùm non puto in eo volumine legiſſe Prophetam, aut cognouiſſe lamentationes, carmen, & væ, ſed ſignificaſſe in eo libro, lamentationes eſſe, quas poſtea variis rerum articulis agnouit. Cùm ergo lamentationes illas inuolutas voraſſet Ezechiel in obſignato libro, ſeu inuoluto, 7.

Honor qui eſſe videtur in Magiſtratu plenus fellis.

quemad

quemadmodum inauratas pilulas à Pharmaceuta deuorat ægrotus, non insuauiter, quæ non longè pòst stomachum vexant, atque discruciant. Dulce primùm videri Prophetæ potuit, spiritu nobilitari prophetico, diuinorum consiliorum esse conscium, & si humanas etiam rationes intuearis, magno esse apud homines loco, & veneratione, quasi cum spiritibus agat cœlestibus, & quodammodo se supra hominum naturam attollat: at vbi dura hominibus nuntiare iubetur, & ab illis ideo duriùs accipitur, inuidiam sibi ex seuera denuntiatione conflat, neque vnquam à metu, seu periculo vacat; tunc planè amaritie excruciatur stomachus, & gaudium ex illo siue honore, siue fauore conceptum facile mutatur in lamentationem, & carmen, & væ.

8. Idem nunc accidit his, qui aut volumen vorant, nempe in quo sacra continetur eruditio, ac sapientia; maximè si accedat munus prophetico simile, docendi, concionandi, aut pascendi commissum sibi gregem. Hæc enim quæ ad gloriam, plausúmque præclara, ad vtilitatem opportuna maximè sunt, si quis attente consideret; & quantum in ipsis est laboris, ac molestiarum exploret; inueniet profectò nihil esse magis aut durum, aut amarum. August. epist. 148. rem in seipso sæpius expertus aliis notam, & commendatam esse voluit. Sic enim ille ad Valerium Presbyterum: *Ante omnia peto, vt cogites religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore facilius, & latius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur. Sed nihil apud Deum miserius, ac tristius, & damnabilius.* Hæc porrò amarities ex melle immoderatè gustato nasci solet. Vt enim medicina tradit, & res ipsa vsu quotidiano docet, si quispiam plus satis comedat mellis, bilem sentit in stomacho, quæ pungit, & mordet; id quod Scriptura sacra innuit Prouerb. cap. 25. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud.*

In Episcopatu plurimum amaritudinis & periculi.

9. Vers. 4. *Et dixit, &c. Vade ad domum Israel, & loquêris verba mea ad eos.*] Non vult Deus otiosum esse volumen à Propheta deuoratum; sed statim mittit ad filios Israel, quorum videlicet causa, & librum, & futurarum rerum cognitionem deuoranda porrexerat. Sed hîc obseruandum maximè non mitti Prophetam, cùm in ore habebat dulce illud volumen, sed quando ad stomachum traiecit, & eius amaritiem re ipsa expertus est. Maximè enim interest, vt qui aliis dolorem afferre vult, ipse priùs doluerit, & fel priùs ebiberit, quod aliis propinare studet. Dedit quidem Dominus Prophetæ verba sua, sed dedit vt doctori, vt ad alios transfunderet; sicut duos in vberibus fontes natura matri, non ad sui vsum, sed ad teneræ sobolis alimentum attribuit. Quæ sint autem illa verba, quæ Deus ad populum perferri iubet, non est difficile statuere, illa nempe, quæ Propheta paulo antè in dato sibi volumine comederat, *lamentationes*, scilicet, *carmen, & væ.* Neque sanè ad peccatorem, qui sicut eo tempore Israeliticus populus, obstinarat in peccando animum, aliquid afferri poterat opportunius. Sanè hæc Dei verba, quasi quoddam nobis exemplar sunt, eorum quæ vtiliter contumaci Genti proponi possunt.

Dolor in eo, qui dolorem in aliis mouere vult potentissimus.

10. Vers. 5. *Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris; ad domum Israel.*] Legationem illam docet non fore difficilem, quia neque ad procul dissitas regiones legatur, A neque ad illas, quarum profundus est, & ignotus sermo, vt necesse sit aut nouam, & inauditam linguam, aut certè nouam aliquam dialectum ediscere, qualis est Assyria, ad quam missus est Ionas, aut Babylonica, qua eodem propè tempore vsus est Daniel, cùm in Babylonia cum Babyloniis ageret. Sed ad Israelitas, qui proximè translati fuerant, neque dum patriam linguam peregrino, ac barbaro idiomate corruperant. Appellatur autem profundus sermo, id est, ignotus, & obscurus, per quandam metalepsim; nam quæ profunda sunt, obscura sunt, & hæc figuratè pro ignotis, & difficilibus sumuntur.

Vers. 6. *Neque ad populos multos profundi sermonis.*] Res planè difficilis agere cum his, quorum 11.
B linguam ignores, difficilior multo, si iubente Deo cum his agendum sit; qui vt diuersi prouinciis, sic etiam sermone diuersi sunt, ita vt noua quotidie lingua comparanda, & nouæ quotidie molestiæ in re prorsus insuaui exorbendæ sint. Ab hoc labore soluit Prophetam Dominus; cùm illi cum Gente solùm Israelitide futuram esse dicit contentionem, aut vsum. Hinc mihi colligere videor, quàm sit difficile regiones obire trans Oceanum Euangelij causa, cùm gens sit & ferini multis in locis ingenij, & profundi sermonis, & ignotæ linguæ: cùmque pro regionum varietate, variæ quoque sint linguæ, quas ediscere & C molesti est, & infiniti propè negotij. Quare qui illarum Gentium conuersioni Apostolicam nauant operam, rem sanè suscipiunt multo magis arduam quàm quæ olim à Deo Prophetis est iniuncta. Qua in re cùm è nostra Societate viri fuerint plurimi, qui rem Christianam in transmarinis regionibus mirificè promouerunt: tamen B. Franciscus Xauier Orientis Apostolus fuit omnino mirabilis. Cui, vt de Paulo dixit Hieronymus, prius orbis defecit, quàm studium, cursúsque Euangelij. Audi Hieronymum in illud Amos cap. 5. *Qui vocat aquam maris. Effusus est super faciem vniuersæ terræ, vt prædicaret Euangelium, de Hierosolymis vsque ad Illyricum, & ædificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædica-* D *tum, sed vsque ad Hispanias tenderet, & à mari Rubro, imò ab Oceano, vsque ad Oceanum curreret, imitans Dominum suum, & solem de quo legimus à summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius, vt ante eum terra deficeret, quàm studium prædicandi.* Hæc Hieronymus de Paulo. magnum sanè opus, & pectore dignum Apostolico, sed nostro Xauerio, quoad sermonem profundum, ignotámque linguam, res sanè multo difficilior. Exorbuit tamen difficultates omnes, & quod superari posse non videbatur, vicit iter durum pietas.

Linguas peregrinas addiscere quantus labor.

Et si ad illos mittereris, ipsi audirent te.] Quinam 12.
sint illi, qui audituri dicuntur, non omnibus idem visum est. Rab. Dauid Iudæos esse putat; & in hanc sententiam locum interpretatur: Si ego E non mitterem te ad illos, nempe Iudæos, sed tu ad illos in tuo accederes nomine, quod pseudoprophetæ faciunt, ipsi audirent te, quia humanis potius abducuntur figmentis, quàm diuinis obsequuntur oraculis. Sed meliùs alij fermè omnes cum Hieronymo putant, hæc spectare ad Gentes profundi sermonis, & ignotæ linguæ. Quasi dicat Dominus; etiamsi apud Gentes alieni sermonis quasi mutus esses, & elinguis; cùm neque tuus illis, neque contrà illorum tibi sermo foret apertus; tamen audirent te, auditáque susciperent, multo faciliùs, atque libentiùs, quàm populus tuus, cui communis est lingua, commune nomen,

Eius qui à Deo mittitur, licet elinguis sit, & mutus, opera non inutilis.

nomen, communis religio. Sanè, vt dicebam modò, B.Pater Franciscus Xauier, cum primùm alias, atque alias prouincias adiret, & linguam audiret, quam nunquam ante nouerat, quasi mutus erat. Audiebant tamen Gentes rudem illum, & penè informem sermonem, quem tamen diuinus spiritus sic animabat; vt mirabiles faceret non hominum plurimorum modò, sed etiam Regnorum conuersiones. Quod de Iudæorum ingenio contumaci, ac duro diximus, in Ecclesiæ incunabulis expletum esse vidimus. vbi Iudæorum paucissimi, Gentilium verò plurimi ad Ecclesiæ complexum accessere.

13. Vers.7. *Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.*] Explicat cur difficiles auditores habiturus sit Propheta, minúsque salutaribus monitis obsequentes, quia iam eò offirmauerant animos, vt alienos colerent Deos, quos in euertenda Hierosolyma superiores fuisse cæci arbitrabantur, & auitam religionem abiicerent. Ne ergo vero Deo quicquam honoris detulisse viderentur, eius Prophetæ, quem fortasse alioqui, aut amabant, aut honesto in loco habebant, aduersabantur, & illius verbis nihil inesse ponderis, ac fidei, aut certò credebant, aut Chaldæorum studiis blanditi simulabant.

14. *Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde.*] Os durum appellat Latinus, inuerecundum, quod cùm sibi oggeri videat indecora, quæque minùs honestos decet, & ingenuos spiritus, non tamen pudore suffunditur, aut aliquo alio signo pudefieri se, aut commoueri significat. Id verò significatur perquam bellè, dum frons hîc non tam vocatur dura, quam attrita: fieri etenim solet vt aliqua dura sint, quæ tamen, si quando vis accederet grauior, frangerentur; at quæ attrita, quæque læuore suo, iteratam sæpe manum, atque operam produnt, & duritiem ostendunt, & manem artificis in sculpendo curam. Quam indocilem, obstinatámque duritiem per *callos* in aliis corporis locis significamus: quomodo manus ad aliquod opus occalluisse dicimus, cùm in eo diu versatæ sunt, neque molestiæ aliquid ex eo sumunt. Sic ergo cùm Deus Israeliticæ Gentis duram illam frontem dolare vellet, & ingenuo pudore deiicere, attriuit illam, potius quam compunxit, & tantùm reliquit consumptæ inutiliter operæ certa vestigia. De hac eiusdem Gentis duritie, in qua mollienda, seu etiam frangenda assiduus perit, & luditur artificis conatus, dixit Ieremias cap.5. *Attriuisti eos, & noluerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram.* & cap.2. *Frustrà percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* Planè sicut via pedibus conculcatur, & atteritur; & saxa quibus pauimentum constratum est, à frequenti turba pedibus atteruntur, neque tamen se calcantium subtrahunt pedibus, & sicut scopuli alluuntur, & atteruntur fluctibus, & tamen in sua duritie perstant: sic attritus peccatorum animus non se subducit à vitiis, neque saxea frons tot percussa modis, & ad vtilem penè coacta verecundiam, desinit esse frons meretricis, quæ nescit erubescere: licèt continenter à diuina misericordia fluctibus alluatur; vt de perfrictæ frontis fœmina dixit Maro Æneid.6.

Illa solo fixos oculos auersa tenebat.
Nec magis incepto vultum sermone mouetur,
Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Obstinationis natura.

15. Vers.8. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem.*] Frangendus A videbatur, & retardandus animus Prophetæ, ne aggrederetur datum sibi negotium, cùm audisset futurum esse sibi sermonem, seu veriùs certamen, cum ingeniis duris, attritisque frontibus, à quibus non sine causa quiduis sibi periculi formidare poterat. Quare illum Deus corroborat, & animo iubet esse constanti, atque alacri, cùm faciem promittit audacem, & fortem, & frontem ad perferendos ictus magis duram, quàm habent illi, quibuscum confligendum, & quasi aduersis frontibus concurrendum est. Metaphora sine dubio ab illis sumitur, qui collisis frontibus certare solent, quales tauri sunt, & arietes, qui dura sunt fronte, & cornibus præduris, & B acutis. Hi verò aut frequentis conflictus, aut collisionis mutuæ signa ferunt; tauri quidem in contusis fractisque cornibus, vt quotidie videmus; arietes verò in attrita fronte, qua aduersarios incessunt, proturbántque. Fortasse pugnax, & rebelle Iudæorum ingenium, & obstinatum animum hac Metaphora significauit proximè Deus, cùm dixit, *Domus Israel attritæ fronte est.* Quia quemadmodum aries aut lacessendo, aut repugnando, ex crebro conflictu attritam habet frontem, vt pastores obseruant; sic populus ille proteruus, & pugnax, dum resistendo Deo, qui frontem & faciem scelerum exprobratione percutit, frontem habet attritam, & callosam, & C eiusmodi ferendis ictibus assuetam.

Impudicitia, atque obstinationis signum.

16. Vers.9. *Vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam.*] Fronti aduersariorum inuerecundæ, non tam duræ, quàm obduratæ, adamantinam, atque siliceam frontem opponit, cui nocere non poterit offirmata, & contumax Iudæorum insania: Adamas enim, siue id verum sit, siue ex opinione hominum, cui se in loquendo Scriptura sacra frequenter acommodat; eius creditur esse naturæ, vt domet omnia, neque ipse ab vlla vi, seu arte domari possit, vnde nomen traxit; ἀδάμας enim Latinè indomitum sonat, aut indomabile. Quare franguntur mallei, fatiscit incus, & omne ferramentum dissultat, & rumpitur, neque ta- D men ab aduersaria vi quicquam patitur adamas. Satis ergo à Domino munitur Propheta contra frontem attritam, & duram aliorum: neque aliud experiuntur qui Dei causam, ipso iubente, suscipiunt; quos diuinus sic animat, ac roborat spiritus, vt alij à seipsis fiant; vincántque facilè illa, quibus humana succumbebat vis, & industria.

Deus Ezech. se missis robur ingenerat, & audaciam.

Quia domus exasperans est.] Si illud *quia*, rationem reddat, sensus est non difficilis. Ideo nempe adamantinam frontem datam esse Prophetæ, quia terrere voluit, atque conterere rebellem populum. Si tamen *quia*, idem valeat quod *quanquam*, vt Maldonato placet, quem vsum frequentem habet vox Heb. כי *ki.* vt multis E docet in Thesauro Pagninus, sensus erit: Quantumcunque populus ille contumax contendat, nihil tamen efficiet contra te, quia fronti illorum duræ frontem oppones adamantinam.

17. Vers.10. *Et dixit, &c. Omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi.*] Nil puto dictum esse Prophetæ pòst explicatiùs, quod non priùs scriptum esset, licèt obscurius, & in compendio in volumine, quod porrectum à Domino vorarat. Quare assumendos esse dicit in corde sermones Dei, quia priùs in viscera traiecti sunt: deinde iterum audiendi, quia quæ inuoluta vorauit, illa eadem postea explicatiùs audiuit. Sic videtur reddi causa posse, cur prius cordi mandandi dicantur esse sermones,

nes, quàm auribus, cùm contrà communiter fiat: nam per aures ad animum trāsmittuntur verba, atque ideo in auribus resonare priùs necesse sit. Quòd si de corde, & auribus, sine vllo respectu ad deuoratum librum ista consideres, sensus erit & accommodatus prophetico spiritui, & animo obsequenti, & pio non importunus. Nā, vt principio diximus de Propheta, qui nesciens quidquid à Deo propinatum est, totum exorbuit, hoc vno contentus quod sciret porrectum esse à diuina manu; id etiā facit animus pius, qui amplectitur prius quæ iniuncta sunt a Domino, cordique infigit, & studiose seruat: deinde verò audit eadē, à spiritu interiùs loquenti, sed audit practicè, & attente meditatur, & complet: meditatio namq; genus quoddam locutionis est, cui adest auditus, id est, obediētia. Nisi mauis hîc esse ὕστερον πρότερον, priorique loco reponēdum, quod videtur in posteriorē fuisse reiectum: prius enim audimus quàm in corde conseruamus audita. Cuius generis tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores exempla obuia. Quale est illud Ioan. c.12. de Magdalena, *Vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis.* priùs extersera, deinde vnxit.

Obedientia cæca.

18. Vers.11. *Et vade, ingredere ad transmigrationem ad filios populi tui.*] Filij transmigrationis dicūtur illi, qui proximè cū Iechonia, & paulo antè sub Ioacim, translati fuerant ad Chaldæos. Sed roget aliquis, cur, si visio, de qua nuper, & de qua iterum in hoc capite, ad ciuitatem Solymitanam spectabat, nunc ingredi iubetur Propheta, ad eos qui procul inde aberant, & ad quos animalium fremitus, & rotarum sonitus; & cœlestes deniq; minæ non pertinebant. Huic cogitationi satisfacere videtur Hieronymus in Ezechielis præfatione, vbi docet ægre tulisse Iudæos exules, quòd adducti Ieremiæ vaticinio, vltro se Chaldæorum Regi tradidissent. Cùm viderent incolumes ciues, qui remanserant, & stare adhuc vrbem, quā excisum iri prædixerat. Quare tumultuabantur, & animo variis motibus æstuanti, aliquid minimè sibi futurum ex vsu moliebantur. Vt ergo illorum inquietos animos cōponat, & sedet; quid vrbi, Iudæorúmque reliquiis horribilis illa visio portendat, exponit; vt cōstat ex cap. 4. quod totum in ciuitatis strage declaranda cōsumitur; neque aliud fortasse sibi vult, quod statim additur. *Si fortè audiant, & quiescant.* quiescant, inquam, & queri, & plorare desinant, quòd Ieremiæ monitis, imò potiùs meis obtēperauerint; ac tādem sibi persuadeant ex vsu sibi fore, si Nabuchodonosoris imperio in præsentia pareant.

19. Porrò quia Gens illa à Dei religione, bona ex parte, ad peregrina, & vana simulacra defluxerat; nō appellat *filios populi mei*, sed *filios populi tui*. quasi iam illorum præcipuam quandam, & paternam curam abiecisset. Hîc verò obseruandum, quæ Deo grata non sunt, etiamsi ab ipso antè dilecta, atque instituta fuerint, non appellari sua, sed eo nomine, vt esse iudicentur aliena. Sic solemnitates non vocat *meas*, sed *vestras*, Malach. c.1. Sabbata, neomenias, Kalendas nō *mea*, sed *vestra*. Isai. c.1. & populum qui vitulum adorarat aureū, non vocat *suum*, sed *tuum*. Sic nāque ad Moysem Exodi cap.32. *Vade, descende, peccauit populus tuus.* Sic nunc quia populus longè à vera religione defecerat, populum appellat Ezechielis non suū.

REGVLA. *Quæ Deo ingrata sūt aliena vocantur.*

20. Vers.12. *Et assumpsit me spiritus.*] Tria valet vox *spiritus*, vnum propriè, duo figuratè. propriè ventum; figuratè Angelum, aut substantiam corporis expertem; seu certè illustrationem, motum, ardorem, siue impetum animi. Ad hæc tria patet hu-

Spiritus multa significat.

A ius loci sententia. Si ventum esse statuas, vt nōnulli volunt, in quibus est Hugo, & antiqua trāslatio Hispanica; quæ ita vertit, *lleuome vn viento.* quemadmodum de Elia dicitur 4. Reg. c.2. v.11. *Ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Sēsus est magno impetu delatum esse Prophetam ad locum, vbi propria erat, ac frequens captiuorum commoratio. Tunc verò subaudienda est similitudinis nota, in hunc modum: Tunc corripuit me quidam quasi ventus, & citato impetu deduxit. Si spiritus motum significet animi, aut illustrationem, ita vt illi species esset oblata eius loci, ad quem à Domino accersebatur; cui se præsentem adesse cogitabat, (quod nos vulgato Scripturæ modo dicimus esse in spiritu, in aliquo

B loco) sensus est, extasim passum Prophetam, & alienatum à sensibus, visum sibi fuisse mutasse locum, & inter captiuos medium constitisse. Neque hoc mihi displicet, quia eodem modo etiam audiuit, quo tempore hæc sibi contigisse ait animalium vocem, & rotarum spiritum, & ita putant Gregorius, Dionysius, Lyra, & Hugo in morali sensu, Maldonatus, & Vatablus.

Hieronymus spiritum humanum intelligit, id est, ardorē, motum, & impetum; sic enim ad illud quod statim sequitur, *spiritus quoque leuauit me. Sublimis ipso spiritus sui impetu ferebatur, cupiens ire quo Dominus imperabat. Spiritum autem eum non Spiritum*

C *sanctum, sed spiritum hominis intelligamus, de quo in multis locis dicitur: vt in Isaia, de nocte consurgit spiritus meus ad te Deus.* 21.

Theodoretus à diuina virtute assumptum esse dicit, eóque deductum, quò à diuina voce vocabatur. Cùm enim vellet, quod habebat à Domino, præstare mandatum, neque infirmos, & graues posset gressus moliri, corripuit illum virtus diuina, cunctantémque promouit. Idem penè Polychronius. Ex quibus id habemus, non in spiritu raptum esse ita, vt cùm eodem hæreret in loco, mente tamen alio peregrinante, spectasset illa de quibus hîc; sed mutasse reuera locum, migrasséque eò, vbi frequēs erat Iudæorum turba. 22.

D Hoc postremū mihi videtur magis expeditū, vt aliqua diuina impellente virtute assumptus sit Propheta, quā virtutē Angelum esse credo, quod Pradus opinatur; sicut Loth ab Angelis, cùm pigritaret exire de Sodomis eductus est, & positus extra ciuitatē, Gen. cap.19. v.16. & Habacuc Dan. c.14. v.32. & ipse Ezechiel iterū c.8. à spiritu ductus est in Ierusalē, de quo postea suo loco, pluribus. Quòd verò locum Propheta mutauerit, multa deinde aut suadent, aut indicant, vt quòd ad transmigrationem venerit, quòd septem dies ibi posuerit; quibus exactis, aliud à Domino verbum acceperit. neque hîc aliquid video insitatum, & durum, in aliis expositionibus aliquid

E est, in quo hærere possit attentus lector. 23.

Et audiui post me vocem commotionis magnæ.] Hic dicendi modus motum significat, quando post se audiisse dicitur Propheta vocē cōmotionis, id est, animalium, atque rotarum, quæ à tergo Prophetę, magna, vt apparet, celeritate, mouebantur. 24.

Benedicta gloria Domini de loco suo.] Hæc communiter existimatur esse vox illa cōmotionis, de qua proximè. ita Gregorius, Theodoret⁹, Hugo, Dionysius & Pintus, quasi animalia canerēt, aut spiritus alij cœlestes laudes victori Deo. Et illi triūphanti iter expedirēt ad facilē, atque gloriosum cursū. Quomodo Ps.67. *Cātate Deo; psalmū dicite nomini eius: iter facite ei, qui ascēdit super Occasū.* Dicitur autē de loco suo venire, id est, aut de cœlo, aut de tēplo, vbi suū sibi quasi stabile domiciliū posue- 25.

rat:ex quo putabatur ad debellādas inimicorum acies,quasi excursiones facere militares. Sic Michæas cap.1. *Ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terra;& consumentur montes subtus eum, & valles scindentur sicut cara à facie ignis.* Hieronymus hîc valde obscurè loquitur,neque facilè teneas,quid maximè probet.

26. Ego potiùs existimarem hæc verba non esse illius vocis argumentum,quam ex commotione magna auditā à se fuisse narrat Propheta. Quam vocem minacem, atque horribilem fuisse oportet,quæ, vt docet hîc Hieronymus, *Dei iram super Israel populum venturā esse monstrabat.* Et ita putant Maldonatus,& Pradus. Puto igitur illud *benedicta gloria*, &c.carmen non esse, sed significari commotionem illam magnā ideo fieri, quia Dei benedicta gloria è loco mouebatur. Vt enim,cū magni nominis Principes ex loco migrāt, molitio magna fit, & à stipante famulitio strepitus commotionis magnæ:sic cùm Deus egreditur è templo,quod propter populi peccata deserebat, facta est horribilis commotio. Non aliter accidit quo tempore iterum à Romanis exustum est templum, & derelictum à diuina gloria. Refert enim Iosephus lib.7. de bello cap.12. auditū esse strepitum,vocémque non dissimilem discedentis Deo de tēplo. *Festo, inquit, die quam Pentecosten vocant,noctè sacerdotes intimum tēplum more suo ad diuinas res celebrādas ingressi,primùm quidē motum,strepitumque senserūt,postea verò subitā vocē audiere qua diceret,migremus hinc.* Hæc eadē refert Apollonius lib. 1.excidij Hierosolymitani,qui inter alia prodigia quæ cladem illā antecessere,hoc etiā cōnumerat.

E templo excessit Deus ante eius excidium.

Excepti primùm sonitus, dein turbida multo
Vox protracta sono, tectis migremus ab istis.
Cedamus socij,mœstúmque relinquite sedes.

Idē tradit Cornelius Tacitus lib.21.Annal. *Expāsa repētè delubri fores,& audita maior humana vox excedere Deos,simul ingens motus excedentium.* Hanc sententiā amplectitur Hugo, qui cùm exponeret illud *de loco suo*,ait: *Per quod significabatur,quòd libertas quam Dominus dederat ciuitati sua Ierusalē,auferretur ab ea: & templum,& gloria tēpli,& cultus eius destrueretur.* Idem putat Maldonatus,neque abnuit Hieronymus. quæ ab hac voce, atque strepitu nihil iucundum, aut opportunum Iudæorum commodis designari putat.

27. Hæc mihi magis videntur ad textū, & ad institutū,de quo paulo antè. Neque enim tam minantur exitium captiuis apud Babylonios,quàm ciuibus,qui se futuros esse putabant Hierosolymæ liberos ab hostili metu.Hæc verò ideo ostēsa sunt Ezechieli,cū exul ageret Babylone,vt tumultuantes exules sedaret,proposita calamitate, quæ contribulibus suis propediē imminebat,qui reliqui fuerint in patria.Dolebant namque,vt ex Hieronymo docuimus, & tradit Historia schol. in Ezechiele c.1. quòd se in Chaldæorum potestatem tradidissent,séque putabant à Ieremia deceptos, cùm extare cernerent Hierosolymā, cui ipse proximam indixerat ruinam.Vt ergo animo essent minus in Ieremiā offenso,secúmque benigniùs āctum existimarent,qui maturè deditione facta,suæ sibi saluti cōsuluerāt, edocet quis exitus,&calamitas ab offenso,& indignato Numine maneat eos, qui pacati,ac liberi Hierosolymæ relicti videbantur, cùm excedente de loco suo, id est,de templo Domino, cuius auspiciis,atque patrocinio singulari res steterat Iudaica, omnium ludibrio,libidini, ac furori expositæ videntur illæ Iudæorū reliquiæ.

28. Libet hîc adiicere existimasse antiquos religionis Gentilicæ cultores,tamdiu ciuitatem incolumem fore, quandiu certa quædā Numina,quibus publica credebatur tutela,manerent in tēplo,actúmque tunc fore de communi salute;quādo ipsa aut vltrò excederet è templis, aut aliorum manibus inde tollerētur. Inde orta fabula de Palladio, in quo sita putabatur Troianorum fortuna. Hinc Maro ex hac Gentilium opinione,Æneid.2.

Dij gentium recedere credebantur, cùm caperetur ciuitas.

Excessere omnes adytis,arisque relictis
Dij,quibus imperium hoc steterat.

29. Neque credo,erraret valde,qui ideo propheticis oculis obiectā esse speciem putaret discedentis è tēplo Dei:vt populo,qui iam Gentilicis erat imbutus erroribus,signū ostēdere desertæ ciuitatis à Domino, & hostiū prædæ, atque libidini propositæ. Didicerat enim vel proximè à Babyloniis, apud quos exulabat, vel antea à finitimis Gentibus,quorum superstitio ignota esse non poterat, tunc proximam esse ruinæ ciuitatem,cùm deorū simulacra delubra reliquissent. Sanè,vt autor est Q.Curtius lib.4.cùm capta est ab Alexādro Tyrus,Apollo traditur reliquisse vrbē,& ad Alexandrum transfugisse.Porrò cùm vastāda esset,atque capiēda ciuitas,excedere inde tutelares Deos cōmunis erat Gentiū opinio,vt tradit Æschylus in tragœdia quę inscribitur ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας. vnde,vt tradit Seruius ad locum citatū Virgilij, & Macrobius lib.3.Saturnal.c.9.cùm propè esset, vt caperetur ciuitas, certo carmine ab hostibus euocabantur tutelares Dij, quia aliter vrbē obtineri non posse existimabant.Euocationis formulam habes apud Macrobium. Hæc ita propono,vt lector habeat, quid expendat,non vt illa probem,aut suadeam.

30. Vers.13. *Et vocem alarum animalium percutientiū alterā ad alterā.*] Hæc vox est,vt credo,diuersa ab illa,quæ vox dicitur commotionis magnæ. Hæc enim fuisse videtur à turbine,& stipantiū turba, quæ militarem in modum perstrepebat:illa verò ab alarum cōcussu,collisionéque mutua,& totarū strepitu.De alis,rotisq; satis à nobis multa c.1.

31. Vers.14. *Spiritus quoque leuauit me,& assūpsit me.*] Assumptum se Propheta dixerat suprà v.12.idem nunc repetit,sed magis explicatè. Nam prius nimis videbatur egisse cōcisè,ita putat Theodoretus,cui subscribūt Maldonatus,& Pradus. Spiritus ergo qui Prophetā assumpserat leuauit illum sublimem,arbitror,à terra,& in locum à Deo designatum deduxit:quod indicat LXX. translatio (si modò correcta, nā in Sixtianis codicibus aliter habetur) in verbis proximis, *Abij sublimis in impetu spiritus.*

32. *Abij amarus in indignatione spiritus mei.*] En quomodo volumē illud antea dulce,incipit nūc absynthij in modum amarescere. Sciebat enim,aut coniectabat Propheta,ex voce illa commotionis magnæ; & ex specie diuinæ gloriæ excedentis è templo,durū se captiuis apportare nunciū,quod ingenuis animis perquam molestū, & mortis instar est. *Indignationem* hîc idē esse puto quod *dolor*, quasi sibi ipsi displiceret Propheta,vitámque inciperet habere odiosam,& ægram,quòd prophetale suscepisset munus, in quo omnino deberet multas exorbere molestias,& contribulium suorum inuidiam subire. Porrò indignationi admixtum esse dolorem docuimus in nostris commētariis in Ierem.c.7.n.30.& 31. vbi ex Aristotele 2.Rhetor.c.2. diximus iracundiam,seu indignationem esse appetitum vindictæ cū dolore. An verò hæc amaritudo tunc tēporis accederet, cùm à spiritu leuaretur Propheta, aut cùm iam ageret prope flumen inter exules relictus à spiritu, à quo delatus est,nō est exploratum. Pradus

Iracundia quid.

dus tunc putat, quando desertus est ab Angelo; tunc enim tardo ingrediebatur incessu, tristes secum cogitationes versans; quia & de populi sui dolebat impendente clade, & diuinus furor, quem tantopere in contumaces Iudæorum mores æstuare cognouerat, ipsum quoque, quamuis longè abesset à culpa, acerbè concusserat.

33. Ego potiùs existimo indignationem illam, id est, dolentis animi grauem affectionem, tunc accidisse, quando inter animalium fremitus, stridorémque rotarum ferebatur: tum quia statim dicit adfuisse sibi manum Domini, imò illam videtur ostendere causam fuisse indignatæ sibi, atque amaræ mentis: tum quia nondum venisse existimari potest, ad locum, vbi maxima captiuorum turba consederat. statim enim scribitur, *Et veni ad transmigrationem.*

34. *Manus enim Domini erat mecum confortans me.*] Quidam illud *enim*, aduersatiuam esse particulá arbitrantur; & sic locum exponunt. Cùm ego abiecto essem, & amaro animo, parúmque ad datum mihi negotium audaci, adfuit mihi diuina manus, addiditque exanimato mihi animű, qué rei magnitudo, & difficultas ademerat, seu, vt quidam putant ex Hebræorum magistris, in quibus est Rab. Salomon, corroboratus est Propheta à diuina manu, ne laborem sentiret, aut molestiam, ex celeri illo, atque inusitato cursu, seu volatu cùm raptus ab Spiritu ad transmigrationem vsque peruenit. Hieronymus aduersatiuè particulam assumit, & exponit confortatű fuisse, adeò vt auderet nomen speculatoris accipere; & quæ audierat, grauia, nimirum, & molesta ad populű neque docilé, neque bene animatű deferre.

Enim aduersatiua particula.

35. Ego particulam *enim*, rationalé esse arbitror, quod non improbāt Hugo, Maldonatus, & Pradus; cuius verò rationé reddat, obscurius. Quod tunc, credo, coniectare quilibet potest non difficile, cùm explicuerimus vim verbi חזק *chazak*, pro quo vulgatus reddidit *cőfortans*. Significat hoc verbum præcipuè tenere, seu apprehendere, sed frequentiùs cum potestate, atque victoria, sicut apud Græcos *κρατέω*, & apud Latinos *teneo*. Ex quo fit, vt *præualere* etiam interdum valeat, & superiorem esse, quod etiá apud Latinos valet *conforto*: vt Psal. 13. *Mirabilis facta est sciétia tua ex me, confortata est, & non potero ad eá.* Hinc חזק *fortem* significat, & *vehementem*, vt Exod. 10. v. 19. *Flare fecit ventum vehemétem.* Vnde in Scriptura obuium, *in manu forti*, ac *valida*, seu *robusta*. Sic ergo *manus confortans* hoc loco, robusta manus est, quomodo vertunt LXX. *Et manus Domini facta est super me fortis.* Erit ergo sésus: Veni amarus, quia Domini manus vehemens, & fortis vrgebat me, & inualescens ad rem difficilem, & amará impellebat. Quam sententiam, vt dixi, indicāt LXX. & cum illis Chaldæus. tenet Maldonatus, neque Prado displicet, indicat textus Hebraicus, quem sic reddit Pagninus, *Et manus Domini super me fortis.*

36. Illud nonnihil huic cogitationi incommodat, quòd vulgata non dicit solùm *confortans*. tunc enim res esset non difficilis; sed *confortans me*. Fateor id minus esse è nostra sententia; verùm neq; deest, quod huic obiectioni aliquatenus occurrat. Primùm quia in Hebraico textu nihil est, cui respódeat accusatiuus ille *me*. Deinde quia si *cőfortare* præualere significat, *confortans me*, idé valet quod *præualens in me*. Minus hæc quidem ad Latinum idioma, sed quod non valde abhorret ab Hebraico; quod sępe verbis neutris, quorű vsum habet hoc loco verbum *robora*, modum adhibet actioni, si quam habet, accommodatű. quomodo dicimùs *depereo te*, id est, perditè amo; *ardebat Alexin*, ardéter amabat; *exulto iustitiam Dei*, id est, cum exultatione laudo. *victimat filium*, id est, instar victimæ lacerat. Sic modò *confortans me*, id est, fortiter, ac vehementer vrgens, & sternens.

REGVLA. *Verba neutra cùm actiuè significant modű alicuem adhibent actioni.*

37. Vers. 15. *Et veni ad transmigrationem ad aceruum nouarum frugum.*] Quarto mése, vt cap. 1. in principio diximus, visionem hanc accepit Ezechiel. Aut certè si diuersa fuit, nő longè ab illo tépore, népè ad mésem Iulium, qui quartus, aut quintus Hebræorum mensis est. Quare eo tempore meti non poterant nouæ fruges; siue illæ hordeaceæ sint, quia hæ in dies azymorű incurrunt, siue triticeæ: quia hæ iá maturæ sunt falci, atq; areæ sub tépus Pentecostes, quod antegreditur lógè quartum mensem, aut fortasse quintum, in quo hæc patiebatur, aut intuebatur Propheta. Ex quo prudenter omnes penè interpretes sibi persuadent, cùm ad transmigrationé delatus est Ezechiel; nő esse triturandis, aut purgandis frugibus in area intentos filios tráſmigrationis, sed venisse ad locum, qui Hebraicè dicitur תל אביב *tal abib.* qué interpretari licet *aceruum nouarum frugum.* Neque nouum est in Scriptura, vt explicatio, notatióq; nominum propriorű, pro nominibus ipsis propriis adhibeantur. quomodo Psal. 75. *Factus est in pace locus eius*, id est, in Salem. & Cant. 8. *in ea quæ habet populos*, pro Baalhamon. Sic etiá nunè pro *tal abib*, positum est, *aceruus nouarű frugum.* Quæ verò fuerit huius nominis ratio, nő laboro; ea videtur non inepta, quia ibi prope fluuium locus videbatur terendis vétilandísque frugibus opportunus.

REGVLA. *Explicatio nominis pro nomine.*

38. *Ad eos qui habitabant iuxta flumé Chobar.*] Quod sit flumen Chobar, diximus cap. 1. num. 10. Euphratem nempe, qui mediam Babylonem interfluebat. Vt autem Iudæi post excisam vrbé trans Tiberim apud Romanos habitabant, vt tradit Philo de legatione ad Gaium, & Martialis lib. 1. Epig. 38. vbi Iudæos transtiberinos vocat. Et qui capti fuerant priùs ab Assyriis, locati dicuntur in Hana, & in Habor fluuiis Gozan, 4. Reg. c. 18. qua de re nos pluribus suprà cap. 1. n. 11. Sic puto in fortuna non dissimili Iudæos apud Babylonios aut trans Euphratem, aut iuxta illius ripas consedisse. Certè si verum est, quod de Ezechiele prodit Epiphanius, vltra Euphratem potius, quàm citrà, suas sibi sedes locasse videntur Iudæi. Ait enim Epiphanius, diuisum ab Ezechiele fluuium, quo suos ad vlteriorem ripam incolumes traduceret, quos ad mortem vsque vexabant, insectabantúrque Chaldæi: & in mediis fluctibus demersos esse Chaldæos, qui eodem alueo, & per eadem vestigia ad illorum necem anhelabát. sicut olim Ægyptios, cùm eundé insequerentur populum, marini fluctus obruerűt.

Iudæi exules prope flumina habitare soliti.

39. Sed roget hìc aliquis; si iuxta fluuium Chobar oblata est Ezechieli species, de qua suprà c. 1. neque ab ea visione tempus intercessisse videtur, aut certè non multum; quomodo à spiritu leuatus Propheta dicitur, & ad fluuiű deductus? Propter hæc non videbatur improbabile, motum illum, cursúmque Prophetæ in spiritu tantùm contigisse. Sed non est negotij magni nodum hunc extricare. Sanè lata sunt spatia, quæ cursu suo in regione Babylonica permeat Euphrates; quare accipere potuit visionem illá primá iuxta fluuium Chobar inter captiuos alios; & tamen abesse quàm longissimè ab eo loco, in quem à spiritu postea delatus est, ad vicum nempe, seu pagum illum, qui dictus est *tal abib*, seu

aceruus nouarum frugum: sicut qui Cordubæ esset, sedere diceretur ad Bethim; & tamen ab Hispali distaret longe, quam idem alluit fluuius. Neque sine causa additur, *Ad aceruum nouarum frugum.* quia licet iuxta fluuium sederet, non tamen ad illum locum, qui eo notabatur vocabulo. Neque ratio defuit, cur in eo loco consistere iubetur Propheta, quia aut plures erant, qui in ora illa littorali morabantur; aut certè hi delusos se putabant, eóque nomine magis tumultuabantur.

40. *Et sedi, vbi illi sedebant: & mansi ibi septem diebus mœrens.*] *Sedere* commorari est, quia qui sedet cessat à cursu, & quasi stabilem habitationem acquirit. Sedere item habitum indicat soliciti, atque mœrentis animi. mœror etenim, qui animi quædam ægritudo est, vt animum afficit, redditque languidum; sic etiam quodammodo abiicit, ac debilitat corpus. Et in hanc significationem potiùs assumo: quia vocem hanc in solitudine, atque angore frequentem esse video: & in hoc ipso captiuorum tempore sæpiùs hęc vox auditur in Ieremiæ threnis.

Septemdialis luctus.

41. *Et mansi ibi septem diebus mœrens.*] Cur septem dies in luctu, mœroreque transegerit Propheta, ratio aliqua adduci potest ex Hebræorum, imò & aliarum Gentium solenni, & quasi legitima consuetudine. Septem quippe dies ponuntur in luctu ab his, qui honestiori funere quempiam prosequuntur. Gen. 50. septem impensi dicuntur dies funeri Iacob. *Venerunt ad aream Atad, quæ sita est trans Iordanem, vbi celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi impleuerunt septem dies.* Quam consuetudinem apud Hebræos increbuisse, & vim quandam legis obtinere, suadet illud Eccli. 22. *Luctus mortui septem dies; fatui autem, & impij omnes dies vitæ illorum.* Hinc credo ortum esse, vt cum quis familiariter alicuius infortunium graue lugere vult, & vehementè ex eo se capere dolorem significare; septem dies apud illum tacitus sedeat, dolorémque animi aliqua significatione prodat. Sic amici Iob, qui ad illum venerant consolandi gratia, vbi cognouerunt dolorem esse vehementem, Iob cap. 2. *Sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum.* Puto igitur septemdialem hunc luctum, & silentium esse familiare quoddam acerbi doloris indicium, & beneuolentis animi legitimum argumentum; quo à miseris initur aliqua gratia, & quasi beneuolentia

Exules pro mortuis habiti.

42. captatur. Hoc verò si ab alio vspiá, ab Ezechiele hoc loco præstari debuit, qui cùm grauia esset afflicto, ac tumultuanti populo nuntiaturus, illorum animos aliqua ratione conciliatos oportuit. Cúmque exules pro mortuis habeantur, quia sunt velut germina reuulsa ab altrice terra, aut sicut abscissi à trunco rami, illis septemdiali planctu, aut, quod idem est, septemdiali silentio parentari decuit. Sanè ab hoc eodem Propheta captiui Iudæi mortui dicuntur, & in alieno solo, tanquam in sepulchris cadauera, tumulati. Sic enim cap. 37. de captiuis tanquam de vita functis loquutus est, postquam de ossibus aridis egerat, quæ vestita carnibus ad vitam redierunt. *Ossa hæc vniuersa domus Israël est,* &c. *& dices ad eos: Hæc dicit Dominus vester, ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris, populus meus, & inducam vos in terram Israël.*

43. Vers. 16. *Cum autem pertransissent septem dies.*] Illo septem dierum lugubri silentio spectare potuit Propheta Iudæorum studia, quæ postea seuerius reprehenderet, & ab illis beneuolentiam iniret, qua reprehensionis acerbitas aliqua ratione leniretur.

Vers. 17. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël.*] Hinc iam apparet, quid in illa dulcedine 44.
deuorati voluminis, absynthij lateret, & fellis. Hactenus omnia videbátur esse dulcia, quale est videre spectrum illud cœleste, spiritu afflatú esse prophetico, ab spiritu leuari, & quædam alia, quę datum à Domino munus comitantur. At in speculatoris nomine, ac munere, quod ad hæc sustinere iubetur Propheta, quantum insit fellis, quæ statim à Domino latè proponuntur, & explicantur, satis ostendunt. In speculatore duo sunt, quæ ipse maximè obseruare, & accuratissimè præstare debet. Alterú est, vt in excubiis sit, & oculis, atque animis intentis obseruet, quid ab hostibus mali, aut paretur, aut impendeat. Alterum, vt clamet, edicátque, vt omnes sibi maturè à periculo caueant. Quare fieri non potest, vt speculatoris animus quietus sit, & otiosus, cùm illius somno, vel inertiæ propositum sit capitale supplicium,

Speculatoris munus, & periculum.

de quo mox. Porrò Prophetam speculatorē esse, 45.
non nunc primùm apud Ezechielem audimus. Dixit enim idé de se Isaias cap. 21. vbi cùm speculatoris partes expressisset, addidit, *super speculã Domini ego sum.* Dixit item idem de se Habacuc cap. 2. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem meam, & contemplabor vt videam quid dicatur mihi.* Cùm autem Deus alia in speculatoribus reprehendat, tum maximè quòd cæci sint, dormiántque, cùm illos insomnes curæ, atque vigiliæ deceant, Isa. 56. v. 10. *Speculatores omnes cæci,* &c. *dormientes & amantes somnia.*

Propheta speculator.

Audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex 46.
me.] Hoc proprium est speculatoris munus, vt videat nempe a Deo reuelante, aut quid impendeat mali, aut quid facto sit opus; illúdq; deinde referat ad populum. Id se facturú dixit Habacuc citatus nuper. *vt videam,* inquit, *quid dicatur mihi.* Speculator itaque iste in vnum Deum intendit, neque ad alia omnia distrahit cogitationem, & mentem, neque quid alibi aut curetur, aut fiat, pensi habet, quia cœlestium est, non terrenorum studiorum explorator. Neque quid vulgus hominum sentiat, aut dicat, statuat, aut velit, curat, referendúmque putat ad hominum aures; quia illud potiùs contēnendum est, cùm inanis sit sonitus, & stridor sine mente. Consecrauit enim propheticam linguam Dei potius mandatis annunciandis, quàm hominum nugis, & ineptiis; neque patitur vt ore formato iam, & erudito a Deo mundus abutatur ad ludicra. Id planè significat illud, *annunciabis ex me.* id est, meo nomine, quasi consiliorum meorum nuncius, & interpres, seu, quod idem est, ego pectus tuum, quod quasi meum esse duco, cogitationes meas populis aperiam. Hæc sibi dici quoque putet vir Apostolicus, si modò ex aliorum vsu futuram esse studeat exhortationem suam.

Concionatoris qualis sermo.

Vers. 18. *Si dicente me ad impium, morte morieris,* 47.
non annunciaueris ei.] Hoc merum est absynthium, & fel: in quod tandem abiit insignis illa dulcedo, quam expertus antè Propheta fuerat in volumine primùm deuorato. Neq; enim potest esse non amarum teneri quenquam annunciare dura ei, cui placere studeas, proposito vitæ, animæque periculo, si contrà quidquã audeas. Hic ego duo obseruo. Alterú, otiosum videri cuipiá posse annúciari a Propheta moriendú esse impio, cùm id eidé à Domino dictú esset: *Si dicente,* inquit Dominus,

minus, *me ad impiũ*, &c. sed reuera otiosum nõ est. vel quia hoc de impio dictum est vniuersè, sicut etiam vniuersè omnibus proponitur lex; tunc autem quæ impiis propositæ sunt minæ, iterari debent à Propheta, viróque Apostolico, renuntiarique assiduè, quod semper infixũ debet esse memoriæ. vel, quod potiùs reor, quia hoc loco *ad*, sicut alibi sæpè, sumptum est pro *de*, quod etiam dicendum est de *in*. Exẽpla de vtraque propositione adduximus ad illud Actor. cap. 2. *Dauid enim dicit in eũ*, id est, *de eo*. De *ad* accipe pauca, Lucæ cap. 19. *Ait Iesus ad eum, quia hodie salus domui huic facta est*, id est, de eo, non enim sermo dirigebatur ad Zachæum, sed ad circumstantes. Ad Heb. c. 1. *Et ad Angelos quidem dicit*, id est, de Angelis. & c. 4. *Ad quem nobis sermo*, id est, de quo. sic hoc loco *ad impium*; idem est, quod *de impio*. Hæc mihi soluta, & facilis expositio est. sed si ita accipias, *si me dicente tibi: O Ezechiel, vt ad impium hæc mandata perferas, morte morieris ô impie, & nõ annunciaueris*, &c. non admodum repugnauerim.

REGVLA. Ad, & in, *pro* de.

48. *Ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requirã.*] Si Propheta siluerit, & propter eius inertiam peccator à profligato vitæ cursu non recesserit; morietur quidem ille propter iniquitatem suam, quia in se habuit, quòd eo supplicij genere mulctari potuerit; sed trahet in eandem secum calamitatem ignauum, & obliuiosum Prophetam; contra quem clamabit sanguis ille, quẽ diuina vindicta expressit ab impio. Hic multa Patres de Prælatorũ ignauia, atque periculo; ac de illorum somnolentia, & incuria, quos Deus excubias agere perpetuas iussit. De quibus lege Gregorium in hunc locum, & Chrysostomum ad illud Epist. ad Heb. c. 13. *ipsi enim peruigilant.* homil. 34. Vtriusque verba grauissima sunt, planéque horribilia, digna, quæ legantur, ac expendantur ab illis, qui aut animarũ curam suscepere, aut curis vacant Euangelicis.

Speculatorũ inertia formidanda.

49. Hic porrò duo notandi sunt Hebraismi, alter in præpositione *in*, quæ interdum idẽ valet quod *propter*. quomodo Paulus sæpè se vinctum appellat *in Domino*, id est, propter Dominum. Thrẽ. c. 3. *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei*, id est, propter contritionem. Sic hoc loco, *in iniquitate sua morietur*, id est, propter iniquitatem. & 1. Reg. c. 28. v. 21. sic Dauid ad Saul, *in duabus rebus gener meus eris*. id est, propter duas res. & Oseæ c. 12. *Seruiuit Israël in vxore*.
50. id est, propter vxorem. Alter est requirere alicuius sanguinem, idem esse quod vlcisci, qui dicẽdi modus in Scriptura sacra obuius est, Psal. 9. *Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est.* Genes. c. 9. v. 5. *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis*, &c. Quid sit autem sanguinem requirere, docuit statim: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Metaphora verò duci videtur à creditore, qui debitorem vrgere solet in iudicio, donec debitam sibi pecuniam extorqueat. Quibus verbis satis perspicuè significat Deus, Dominum se esse sanguinis effusi, sibíque ab illo iniuriam irrogari, qui sanguinem effudit, aut qui, cùm posset ac deberet obstare, quo minùs funderetur, negligenter tamen se gessit, atque iniustè. Requirere autem tam in hoc, quàm in aliis Scripturæ locis, idem esse videtur, quod repetere, seu vendicare tibi quod ablatum est, aut quod à tuo vsu, seu potestate quoquo modo abiit.

In, *idẽ quod* propter.

Sanguinem requirere quid.

51. Hic nos exploremus oportet, quod suppliciũ

A minetur Dominus impiis, aut his, qui illorum periculis, cùm debeant, non occurrent; an moriturus dicatur spirituali morte, nempe animæ, quam adducit peccatum; vel corporea, quæ vitã extinguit, quam spirando ducimus? De spirituali accipiunt cõmuniter Patres, quasi Propheta dicat, peccaturum quidẽ impium, nõ admonitum à speculatore; peccaturum itẽ speculatorem, qui neque ruinæ spiritualis proximum admonuit, neque hærentem in peccato coarguit. Mihi verisimilius est de corporali morte minas intendi, quod etiam videtur sentire Pradus, & tenet non obscurè Gregorius in hunc locum. *Si hoc loco*, inquit, *sanguinis nomine mors corporis designatur, valde* B *nobis timendum est de nostro silentio; quia si Prælatus de morte corporis quandoque morituri, tam grauiter reus tenetur, quo reatu de morte animæ subiecti constringetur, quæ potuisset semper viuere, si verba correctionis audisset.* Et cùm ipse Ezechiel seipsum explicuerit, non est cur aliorum testimonium aduocemus, qui cap. 33. vbi hæc eadem verba, aut certè non admodum diuersa repetit, vbi gladij meminit, & sanguinis propriè, seu materialiter effusi. Comparat enim Deus cum speculatore Prophetam, qui non aliter denunciat à diuino furore supplicium impendẽs, quàm speculator imminere cladem ab hostili ferro. Adde quòd Deus non minabatur impio spiritualem mortem, id est, pec- C catum; sed potiùs mortem, si obstinato consilio persistere vellet in peccatis: nempe gladium, famem, & mortẽ quæ tam in hoc Propheta, quàm in aliorum plerisque frequenter audiuimus. Atqui nil aliud videtur hic Deus intentare Prophetæ, quàm quòd declinaturus esset impius, si meliora meditaretur vitæ consilia; declinaret autem gladium, quem iamiã stringebat in ipsius viscera Chaldæus. Quare satis est verisimile, illud *morte morieris*, de corporali morte, & illud *sanguinem eius de manu tua requirã*, de proprio sanguine esse intelligendum. Quasi effundendus dicatur Prophetæ sanguis, gladio nempe, seu quod idem propriè est, alio quouis mortis genere illi D esse pereundum, qui occurrere noluerit seria, atque matura denuntiatione impendenti gladio. Sanè mortem subiit corporalem occisus à leone Propheta, qui minùs fideliter iniunctum sibi à Deo præceptum impleuit 3. Reg. c. 13. Et morti traditus est Ionas, licèt, vt ipse confessus est, à morte, & inferno liberatus fuerit, quia peccatoribus, qui Niniue morabantur, denuntiare refugiebat, illis post quadraginta dies fore pereundum. Hæc mihi satis videntur verisimilia; verùm à communi Patrum sententia recedere non libet, qui vt æternam mortem indictam putant peccatori, quem peccati neque pudet, neque pœnitet; sic etiam peccatum & æternam E mortem, quæ affinis est peccato, Prophetæ, qui mutus fuerit, cùm clamare debuit, comminatur.

Prælatus cuius mortis reus, si morituros nõ admonuit.

Vers. 19. *Si autem tu annuntiaueris impio*, &c. 52.
Tu autem animam tuam liberasti.] Notum est ex Hebræorum idiomate *animam* pro vita sumi. Quo sensu audis in Euangelio sæpè, qui amat, aut qui odit animam suam; & animam portare in manibus. quare animæ nomen, non magis ad hanc, quàm ad illam explicationem facit. Liberauit itaque animam suam à peccato, qui peccantem admonuit; vel vitam suam à corporali morte, qui aliis autor fuit, vt mortem peccato debitam effugerent.

Anima pro vita.

Vers. 20. *Si conuersus iustus à iustitia sua fuerit,* 53.
& fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo.]

delatus est in Ierusalem;aut certè cùm vasa sumpsit transmigrationis, & noctu ingressus in alio-
67. rum se conspectum dedit cap.12. de lingua ad sermonis vsum expedita docet idem Propheta eodem capite, vbi actionis hieroglyphicæ explicationem aperit contribulibus suis. Sanè locutus dicitur cap.24. cum rationem reddit, cur vxore mortua, nullam ostendat lugentis, aut dolentis animi significationem. Ego sæpe arbitror constrictam esse, ac sæpe etiam solutam Prophetæ linguam. nam cap.24. locutus est. Deinde cap.33. id est, longè post hæc tempora, eo nempe anno quo capta est ciuitas, duodecimo, videlicet anno transmigrationis rursus soluta dicitur lingua. Atque ita soluta, vt non iam ampliùs constringeretur: quæ verba non obscurè indicant sæpius solitam esse ligari. Audi Ezechielem cap.33. v.22. *Et factum est in duodecimo anno in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ venit ad me qui fugerat de Ierusalem dicens, vastata est ciuitas. Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere, antequam veniret, qui fugerat, aperuitque os meum, donec veniret ad me manè:& aperto ore meo. non silui amplius.* Quæ verba ostendunt siluisse antea: quando verò primùm soluta lingua fuerit, factaque loquendi facultas, non constat; mihi verisimile est tunc cœpisse loqui Prophetam, ex quo mandatum accepit silendi, cùm cap.6.v.2. dixit Deus, *Pone faciem tuam ad montes Israel, & prophetabis ad eos, & dices.* Neque est improbabile, tunc fuisse ligatam Prophetæ linguam, quando ipsa non audacter, & libere locuturus esset, vt exigebant populi peccata: est enim Prophetæ, & viro Apostolico elinguem esse melius, quàm loquacem, si sermo magis est ad voluptatem, & plausum, quàm ad vsum. Quod sumere mihi videor ex cap.33.v.22. vbi soluta dicitur Prophetæ lingua antea ligata; quando audito nuncio de Hierosolyma capta, non fuit amplius os occlusum, qui liberiùs potuit, & constantiùs loqui.

Ezechieli sæpe ligata lingua.

Melius est concionatori elinguem esse, quàm inutilia loqui.

68. Vers.25. *Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis: & non egredieris in medio eorum.*] Quia Dominus priùs illustrare voluit Prophetæ spiritum, & complere multarum rerum cognitione, iniecit illi vincula, ne ex illa recederet statione, quam cœlestis intuebatur influxus. Quo consilio vsus est Habacuc, vt cœlestem acciperet illustrationem cap.2. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi.* Quæ verò fuerint hæc vincula, & an hæc reuera, & propriè, an tantùm in specie, & figuratè contigerint, dicemus simulac de lingua quoque ligata dixerimus. Porrò hic locus verum religiosum admonet, ne locum deserat sibi ab obedientia designatum; in illum quippe influunt Dei & illustrationes veræ, & beneficia maxima.

Religiosus seruat locũ ab obedientia designatum.

69. Vers.26. *Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo; & eris mutus, nec quasi vir obiurgans.*] Ligarat pedes, ne se Propheta foras efferret; nunc elinguem facit, ne quod verbum ad populum, propheticum puto, aut obiurgatorium loquatur. Hoc sibi velle arbitror illud, *ne quasi vir obiurgans,* id est, non loqueris quæ à me interim audieris, quæ nihil ferme habent, præter reprehensionis aculeos. Hic tamen, nostro more, quædam breuiter explorare libet.

70. Primò quærimus an hæc in se fieri Propheta existimauerit, rerum tantùm imagine proposita; an in seipso vere, ac propriè fuerit expertus. Quidam hic tantùm rerum speciem, seu visionem accidisse putant, non proprium rerum experimentum. Ita Chaldæus, qui tam vinculis, quàm diuino præcepto, quod funiculorum instar obtinet, ligatos censet esse pedes. Cui subscribit Maldonatus, & rem in visione contigisse putat. Alij ferme omnes cum Hieronymo, ac Theodoreto, tam antiqui, quàm noui vera existimant intercessisse vincula, verè constrictum Prophetam. quod mihi valde placet, quia id ad significationem confert plurimum. Cùm enim de Hierosolymæ excidio, ciuiúmque ignobili, ac dura seruitute sermo sit; nullo modo calamitas illa explicari videbatur posse commodius, quàm homine non è vulgo, ac triuio constricto vinculis, idque expectantibus aliis, ad quos species illa miserabilis pertinebat. Quòd si huic addas diuturnum silentium, vel elinguem Prophetam, optima miseri, atque captiui populi forma proponitur. nam silentium proprium est eorum, qui dura aliorum, atque tyrannica seruitute premuntur. Quare captiui in threnis silentes inducuntur, & apud Prophetas omnes *silentium ærumnosi* status aut signum adhibetur, aut symbolum.

Verè ligatus, & elinguis Ezechiel.

Quod attinet ad vincula, placet, quod Pra- 71.
dus putat, si vincula vera intercessisse statuamus, iniecta fuisse non ab aliis Iudæis, à quibus propter attritam frontem, & ferream ceruicem exulceratis timeri poterat; sed à familiaribus, ac domesticis, alioqui non in propria domo, sed in aliena, ac publica datus esset in vincula. Cur verò à domesticis ligari debuerit; idque non hostili, sed amico animo, ea videtur grauis causa, vel occasio, quia cùm septem diebus taciturnus sederet ad aceruum nouarum frugum, &, vt coniectare licet, ex oblati spectri horrore attonitus, & stupidus, & secum aliquid tacitè submurmurans, facilè in eam cogitationem homines rei magnitudinis ignari, venire potuerunt, vt existimarent illum commotum esse mente; atque adeò, ne aliis ludibrio foret, ex eius vsu, ac dignitate futurum, si domi se, licèt constrictus vincu-
lis, aut neruo, contineret. Tentarunt hoc ipsum 72.
domestici, ac familiares in Christum Marci cap.3. eadem cogitatione, atque consilio, cùm illum malè sanæ mentis esse crederent. *Et cùm audissent sui, exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem versus est.* Et quidem, quia Prophetarum, & corporis cultus, & loquendi modus, à vulgari hominum cultu, & sermonis forma erat alienus, à vulgo hominum Prophetæ à mente iudicabantur excidisse. 4.Reg.9. viri quidam principes dixerunt ad Iehu de Helia, *Quid venit insanus iste ad te?* Quod etiam de suis vatibus censuere Gentiles, qui *insanire*, ac *vaticinari* eodem statuebant numero. Sanè Plato in Phædro, insanos appellat Prophetas, & accommodatè ad hunc sensum, multa de Sibyllis, ac vatibus fabulantur Poëtæ. *Quidam*, inquit Plato, *diuino beneficio sunt insani, vt Prophetæ, & Sibyllæ.*

Ezechiel à domesticis ligatus.

Propheta vulgo existimati insani.

De lingua ad sermonis vsum impedita, licèt 73.
videatur satis ad veritatem, quòd Chaldæus putat ligatam esse linguam, non aliis vinculis, quàm Domini præcepto, qui edixisse visus est Prophetæ, ne intempestiuos efferret sermones; cùm nondum essent animi ad audiendum parati; tamen, vt est communis interpretum sententia, aut ex eo tempore mutus fuit Propheta; aut alio quouis modo impedita lingua; ne saltem in propheticum, aut obiurgatorium sermonem erumperet. Id enim, vt paulo antè dicebamus, optimè explicat

explicat statum captiui populi, cuius linguam etiamsi prouocatam iniuriis sic constringit metus, vt neque in summo dolore, de sua fortuna queri, atque mutire audeat.

74. *Quia domus exasperans est.*] Hîc constat, quàm errarit longè Polychronius, qui ideo censet constrictum esse vinculis Prophetam, quia parere Domino noluit, furorem metuens attritæ frontis, & æreæ ceruicis; quemadmodum similem ob causam Ionas iactatus priùs tempestate graui, in marinæ postea belluæ stomachum demersus est. Neque enim silentij causa dicitur inobedientia, ac metus Ezechielis; sed contumacis populi durities, quæ propheticæ vocis officium retardabat.

Propter peccata populi lingua constringitur Doctoris.

75. Vers. 27. *Cùm autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum.*] Satis est verisimile accepisse Ezechielem aut omnia, aut prope omnia oracula, quæ scriptis mandauit, eo tempore, quo erepta illi fuit loquendi, ac domo prodeundi facultas: Quæ tamen omnia ad populum effudit, cùm soluta lingua fuit, & data libertas in publicam lucem prodiendi. Tunc enim liberum fuit Prophetæ loqui, seu, quod idem est, tunc eius os apertum fuit omnino, vt diximus suprà num. 67. cùm va-

A stata fuit ciuitas ab hoste Chaldæo, duodecimo nempè anno post transmigrationem, & octauo, aut eo circiter, postquam inclusus est domi, & silere aut iussus, aut coactus. Sic habes c. 33. v. 22. vt notauimus suprà num. 67. *Cùm locutus*, inquit, *fuero tibi.* id est, cùm acceperis à me mandata omnia, seu oracula, quæ tam ad populum tuum, quàm ad Gentes alias delaturus es.

Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus.] Soluta linguâ meo loquéris nomine, aut prophetico spiritu, & autoritate cum aliis ages, id enim est, *dices ad eos: Hæc dicit Dominus.* hæc namque quasi forma est, & proœmium propheticæ vocis. Ex quo colliget vir Apostolicus; quíque è loco superiori B verba ad populum habet, quàm debeat diligenter, & diu secretò secum illa meditari, quæ à Domino in illum vsum acceperit; (neque enim alia in concionem verecundè possunt, & honestè proferri) cùm longum tempus datum fuerit Ezechieli, vt illa secum meditetur, ac verset, quæ à Deo in publicam commoditatem oblata sunt. 76.

Meditari secum debet concionator, quæ ad populum effundat.

Qui audit, audiat; & qui quiescit, quiescat.] Hæc à nobis explicata sunt suprà v. 12. ad eadem propè verba.

IN CAPVT QVARTVM.

ARGVMENTVM.

CONSTRICTVS tenebatur, & elinguis domi Propheta, cúmque vocis nullam haberet facultatem, & vsum; signis loquitur, notísque hieroglyphicis, quod vnum mutus præstare poterat. Sumit primùm iubente Domino tabulam, quam hoc loco laterem appellat, in eáque describit, quàm sit angusta obsidione premenda Hierosolyma. Deinde sartaginem prope ciuitatem constituit, in qua Chaldæorum adumbratur exercitus; cuius erat militare signum aut olla succensa, aut in sartagine, seu prunario vase ardentes flammæ. Denique iubetur in latus decumbere sinistrum tercentos ac nonaginta dies, in quibus totidem significantur anni, quibus decem tribus auita religione prodita ad idola colenda defluxerat: quibus exactis conuerti iubetur ad dextrum, diebus quadraginta; quia domus Iuda totidem annis alienis se superstitionibus polluit. Ad extremum panes ex variis seminibus commiscere iubetur, & sub humano stercore torreri, pro numero dierum, quibus durabit ciuitatis obsidio, quibus diebus singulis vescatur ad mensuram angustam: quod portendebat, quanta obsessis futura esset angusta res cibaria.

CAPVT IV.

1. *ET tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te: & describes in eo ciuitatem Ierusalem.* C

2. *Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.*

PARAPHRASIS.

1. CVm constrictus, & mutus desiderem domi, locutus est ad me Deus in hunc modum: Sume tibi ô Ezechiel, tabulam in laterculi similitudinem quadratam, in qua ante oculos proposita describes, primùm Ierusalem.

2. Deinde ordinatas Chaldæorum acies, qualiter ab imperatore perito, ac vigilante in obsidenda, atque oppugnanda vrbe instrui solent. Ædificabis machinas, vallos comportabis, & aggerem; & circum vndique castra dispones; præferrataque statues in circuitu ligna, quæ arietum

3. Et

iam tandem ad intermissa redeam; in capitulo libri porrectam esse puto à Deo, & à Propheta deuoratam summam eorum omnium, quæ deinde populo distinctiùs, atque explicatiùs annuntiauit. Quæ sanè grauia fuerunt, & amara; quare illa vorare, atque concoquere, non potuit Prophetæ non esse molestum.

33. *Qui scriptus erat intus, & foris.*] Liber olim, id est, volumen oblongum, de cuius figura nuper, in vna tantùm facie scribebatur, in interiore videlicet, quæ complicata literas interiùs notatas occultabat. Ex quo fiebat vt non priùs totus legeretur, quàm esset euolutus, & explicatus liber: vnde ortum est commune illud, ac tritum in librorum fine, *Explicit*, quo significamus absolutum esse librum, & perfectum opus, quasi iam explicuerit se, & euoluerit quod implicatum, atque inuolutum legi non poterat. Si quando tamen aliquid rudibus notabatur characteribus, aut scribebatur negligètiùs, quia in aliam chartam limatiùs postea transcribendum esset, in exteriori quoque facie, id est, in aduersa, seu aduersaria scribebatur. Vnde eiusmodi libri, seu codices vocati sunt aduersaria, Hispanicè *bortadores*. Quod fiebat interdum, cùm opus esset longum, vt docuit Iuuenalis Satyra 1. qui cùm longum significare vellet opus, de Oreste, dixit,

Liber olim in vna tantū scriptus facie.

Aduersaria quid.

Scriptus & in tergo, nec dum finitus Orestes.

in tergo, id est, in aduersa facie, quæ plerumque inscribi non solet. Hi libri ab inscripto tergo Opisthographi dicuntur. Talis erat liber, quem vorauit Ezechiel, scriptus intus & foris, quia minas continebat lamentationésque plurimas, de quibus in tota prophetia & latè, & crebrò. Et quidem vox Hebraica optimè explicat rationem Græci nominis Opisthographi. Vbi enim vulgatus habet *intus, & foris*, Heb. est פנים ואחור id est, in facie, & in tergo.

34. *Lamentationes, & carmen, & va.*] Hæc tria varij A variè distinguunt; ego cum Theodoreto ad illud cap. 3. v. 2. *aperui os meum*, nihil arbitror significari lætum, quia secunda, & læta non bene cadunt in rebelle, ac contumax ingenium, in attritam frontem, & sceleratam vitam. Hieronymus carmen putat ad iustorum præmium, quod etiam ex Hebræis placuit Rab. Salomoni. Idem tenet Dionysius, & Hugo. Et sanè si liber ille omnia cótinet, quæ in tota prophetia latiùs explicantur; satis est verisimile in carmine aliquid indicari non odiosum, aut triste; quando in prophetia aliqua sunt eius generis, vt potiùs confirmét, & exhilarent animos, quàm deiiciant, & B contrahant. Quod videtur expressisse Ecclesiasticus cap. 49. v. 11. vbi, vt puto, summam quandam complectitur totius prophetiæ Ezechielis. *Commemoratus est*, inquit, *inimicorum in imbre, benefacere illis, qui ostenderunt rectas vias.* Nihilominus non mihi displicet, quod dicebam modò, nihil hîc esse non minax, & amarum, quod etiam tenent Maldonatus, & Pradus. Neque vox Hebraica הגה *hagah*, aut Latina *carmen*, nimis in oppositum vrgent. Hebraica quidem aliquid indicat commune magis, & ad varios affectus trahi potest. Quare Pagninus, & Tigurina *Gemitum* C reddidere, & antiquissima translatio Hispanica *Guaias*, quæ vox lugūbrem næmiam, seu lamentum valet. Carmen autem non magis lætum aliquid, & gratum, quàm flebile, atque ferale significat; quale est Epicedium, & conceptæ lamentationum formulæ, vt est illud: *Va soror, & va frater: va domine, & va inclyte.* Et quidem Hispanica vox *Guaias*, hoc lamētationis genus importat. Neque exempla desunt in Scriptura, vbi carmen aliquid lugubre atque funereum significat. Afferam ex hoc Propheta duo cap. 27. *Assument super te carmen lugubre.* & cap. 32. *Fili hominis cane carmen lugubre.* Quare in posteriorem hanc sententiam magis inclinat animus.

IN CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM.

INSPIRAT Dominus Prophetæ quid ad impium, & indocilem populum dicturus sit; aliquid nempe durum, & amarum, quod significat liber carminibus notatus funestis, ac tristibus, quem à Propheta vorari Dominus iubet. Cùm verò confligendum esset Prophetæ cum attrita Iudæorum fronte; frontem illi tribuit ex adamante, ac silice, ne quid à Iudæorum furore, atque insania metuat. Mittit deinde illum adamantina corroboratum fronte; & verbis ad prophetandum instructum, ad contribules suos, qui simul cum ipso commigrarunt è patria; apud quos cùm mœrens, & silens septemdialem moram posuisset, speculatoris audit impositum sibi nomen, & munus; quod si negligenter obeat, quantum sibi periculum impendeat, docetur. Iussus deinde in solitudinem secedere, gloriam videt Domini, qualem antea iuxta flumen Chobar. Vnde rediens domum vinculis pedes, ne se foras efferat, & linguam silentio, aut etiam naturali aliquo impedimento constringitur, ne ad destinatum vsque tempus aliquid loquatur.

CAPVT III.

1. ET dixit ad me: Fili hominis quodcumque inueneris, comede: comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israël. D

2. Et

PARAPHRASIS.

1. CVm verò expansus esset coram me liber, dixit mihi Dominus, vt quodcumque oblatum esset mihi, comederem. Cúmque illius imperium non inuitus acciperem; adiecit vt volumē, quod prius

2. Et aperui os meum, & cibauit me volumine illo:

3. Et dixit ad me: fili hominis venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et comedi illud: & factum est in ore meo sicut mel dulce.

4. Et dixit ad me: Fili hominis vade ad domum Israel, & loquéris verba mea ad eos.

5. Non enim ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Israel.

6. Neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones: & si ad illos mittereris, ipsi audirent te.

7. Domus autem Israel nolunt audire te: quia nolunt audire me, omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde.

8. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.

9. Vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas à facie eorum: quia domus exasperans est.

A priùs mihi fuerat ostensum, comederem; & ad filios Israel propheticam legationem obirem.

2. Tunc ego diuino obsecutus imperio, os statim aperui, cui Dominus illud ingessit volumen, quod priùs expanderat, çibauitque vario illo, ac prophetali pabulo.

3. Tunc iterum ad me Dominus: Quod excepisti ore, ô fili hominis, id ad ventrem, visceraque transmitte, efficeque, vt illud retineant, & concoquant. Come-
B di illud, & mellis ori meo suauitatem indulsit.

4. Cùm datum à Domino librum transmisissem ad stomachum, & illius calore concoxissem; quamprimum mihi à Domino mandatum est, vt legatus ad Israelis domum proficiscerer, & ad illam verba, atque mandata perferrem, quibus deuoratus proximè liber notatus fuerat.

5. Dixit autem prouinciam illam fore non difficilem, cùm ad gentes peregrinas, & barbaras, quarum ignotus est, at-
C que profundus sermo, non esset iucunda legatio; sed ad domum Israel, quæ paulo antè migrarat Babylonem; neque patriam linguam peregrino, & barbaro idiomate corruperat.

6. Non, inquit, mitteris ad populos, quorum ignotus est, atque profundus sermo; ex quo quid velint, aut cogitent, ne coniectare quidem possis. Quòd si ad illos auctore me, atque auspice contenderes; ipsi, mihi crede, nihilominus audirent te.

D 7. Domus autem Israel, quia iam pridem ad vanum idolorum cultum defluxit; neque ad mea monita aures aduertit obsequentes, & dociles; ideo tuam quoque vocem auersantur, & respuunt; quia nomen meum tuo sermoni prætendis, vsque adeò frontem inuerecundè perfricuit; & obstinato corde ad meam vocem, & voluntatem obdurauit.

8. Neque tibi, ô Propheta, animus frangatur, & cadat, cùm audis cum ingeniis duris, attritisque frontibus tibi futurum esse certamen. Ego enim vultum lar-
E giar audacem, & fortem; & frontem ad perferendos ictus magis duram, quàm habent illi, quibuscum confligandum, & quasi aduersis frontibus concurrendum est.

9. Quia tibi cum dura, atque attrita fronte certandum est, cum gente videlicet exasperante, atque indomita, saxeam tibi dabo, atque adamantinam frontem, cui nocere non poterit, quamuis contumax, & dura Iudæorum insania.

10. Et dixit ad me: Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi:

A 10. Tunc iterum ad me: Fili hominis, excipe attentis auribus, quos ad te sermones ego loquor, cósque animo tuo manda, & accuratè serua.

11. Et vade, ingredere ad trãsmigrationem, ad filios populi tui, & loquêris ad eos, & dices eis: Hæc Dicit Dominus Deus: si fortè audiant, & quiescant.

11. Age iam, ô Propheta, & populares tuos, qui tecum simul transmigrarunt, alloquere, ea vsus familiari forma, quam suis vaticiniis obtendunt Prophetæ. Audient fortasse te, & à murmure, atque tumultu conquiescent.

12. Et assumpsit me spiritus, & audiui post me vocem commotionis magnæ: Benedicta gloria Domini de loco suo;

12. Tunc verò rapuit mè spiritus, & eô deduxit, quò me diuinum imperium
B aduocabat. Videbat autem eo tempore audire à tergo vocem tumultus, atque fragoris vehementis, Dei videlicet gloriosi, qui Solymitanis ciuibus infensus, electum sibi iam antea domicilium deserebat.

13. Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum sequentium animalia, & vocem commotionis magnæ.

13. Audiebam item strepitum, quem ex alarum concussu animalia pennata vehementem edebant. Fremitum præterea rotarum, quæ animalium sequebantur vestigia; vocem nimirum quasi à tumultuante turba, & à commotione magna
C personantem.

14. Spiritus quoque leuauit me, & assumpsit me: & abij amarus in indignatione spiritus mei: manus enim Domini erat mecum, confortans me.

14. Spiritus ille, qui me assumpserat, leuauit me sublimem à terra, & in locum deduxit à Deo destinatum. Ibam autem spiritu subamaro, & tristi, quia contribulibus non poteram non esse molestus; & tamen diuina manus fortis, & dura ad legationem illam obeundam vrgebat.

15. Et veni ad transmigrationem, ad aceruum nouarum frugum, ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar, & sedi vbi illi sedebant: & mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum.

15. Veni igitur, vt imperata facerem ad contribules meos, qui migrarant è patria ad locum, qui nouarum frugum acer-
D uus appellatur, in quo consederant iuxta fluuium Chobar, & sedi inter illos, posuíque ibi mœrens septemdialem moram.

16. Cùm autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens:

16. Cùm autem exactum iam septem dierum lugubre silentium, audiui rursus diuinam vocem, quæ hunc in modum loquebatur mihi:

17. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me.

17. Fili hominis speculatorem te Israelitico populo præposui, vt illi impendens malum maturè prædicas. Audies igitur ex ore meo verba, illaque meo nomi-
E ne ad populum referes, tanquam meorum consiliorum nuncius, & interpres.

18. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annunciaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via sua impia, & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.

18. Si ego tibi, ô Ezechiel, aliquando præcepero, vt hæc ad impium meo nomine referas, *morte morieris, ô impie!* ídque tu nunciare recusaueris; neque monueris, vt sceleratam vitam execretur, & viuat: morietur quidem impius in peccato suo, æternæ damnationis reus; tu tamen illius mortis pœnas mihi dabis eiusmodi, vt alienum sanguinem tuo proprio sanguine compenses.

19. *Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.*

20. *Sed & si conuersus iustus à iustitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem: ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annunciasti ei: in peccato suo morietur, & non erunt in memoria iustitiæ eius, quas fecit: sanguinem verò eius de manu tua requiram.*

21. *Si autem tu annunciaueris iusto vt non peccet iustus, & ille non peccauerit: viuens viuet, quia annunciasti ei, & tu animam tuam liberasti.*

22. *Et facta est super me manus Domini, & dixit ad me: Surgens egredere in campum, & ibi loquar tecum.*

23. *Et surgens egressus sum in campum: & ecce ibi gloria Domini stabat quasi gloria, quam vidi iuxta fluuium Chobar: & cecidi in faciem meam.*

24. *Et ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos: & locutus est mihi, & dixit ad me: Ingredere, & includere in medio domus tuæ.*

25. *Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis: & non egredieris de medio eorum.*

26. *Et linguā tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans: quia domus exasperans est.*

27. *Cùm autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui audit, audiat: & qui quiescit, quiescat: quia domus exasperans est.*

A 19. Sin verò impius abs te admonitus, mutare noluerit viuendi modum, & in peccatis obstinatò hæserit; morietur ille quidem propter iniquitatem suam; tu autem eapropter morti, quam effugisti, obnoxius non eris.

20. Neque abs te tantùm admonendus est, qui malè diu vixit, & in peccatis iam pridem occalluit; sed etiam qui cùm iustus antè fuerit, à iustitia peccando defecit. Si ergo iustus, dum se peccatis implicat, iustus esse desierit, aliquid illi durum,
B & aduersum obtendam. Quòd si forsan ille, quia non illum status sui, atque periculi monuisti, moriatur; ita morietur, vt anteactæ vitæ merita obliuioni dentur; abs te tamen incuriæ tuæ, atque alieni sanguinis pœnas exigam.

21. Si verò iustum admonitione tua à peccando deducas, viuet quidem ipse, & tu quia illum maturè monuisti periculi paratam alioqui mortem declinasti.

22. Irruit in me postea spiritus Domini, à quo in mandatum accepi, vt in cam-
C pum secederem à turba; vt ibi seorsum quid ad me Dominus loqueretur, audirem.

23. Cùm ergo in solitudinem egrederer, obiecta est mihi gloria Domini ea specie, quæ mihi priùs oblata fuerat ad fluuium Chobar, quæ sic me concussit, ac terruit, vt statim corruerim pronus in faciem.

24. Rediit tamen illico ad me animus, & vigor, quem reuocauit Spiritus, qui ingressus est in me, fecitque vt excita-
D rer à terra, & starem supra pedes meos; à quo statim audiui: Ingredere, ô Ezechiel, in domum tuam, & ibi aliquandiu clausus commorare.

25. Ecce, ô fili hominis, pedibus tuis iniecta sunt vincula, quibus ligaberis; neque domo in aliorum conuentus pedem efferes.

26. Efficiam præterea vt lingua adhærescente palato elinguis fias, ne quod verbum ad populum obiurgatorium facias
E quia rebellis, & contumax est.

27. Cùm autem à me loquendi mandatum acceperis, tunc & loquendi expeditè; & exeundi domo facultatem accipies. Tunc verò propheticum illud legitimum exordium vsurpare licebit, *Hæc dicit Dominus*, siue illi audiant, & obsequantur, ad quos verbum facies propheticum; siue in suis malint hærere flagitiis: est enim populus rebellis, & contumax, quíque furoris mei aculeos in seipsum exacuit.

Verſ.1. *Dixit ad me,&c. Quodcunque inueneris comede.*]

1\. *Obedientia cæca.*

DVRVM videbatur hoc præceptum, vt quis quodcumque oblatum eſſet, comederet. Offerri quippe poterat inſulſum aliquid, & amarum, ad quod Prophetæ nauſearet ſtomachus, & ipſa horreret hominum natura. Vt autem Abrahami laudamus obedientiam, quia egreſſus eſt è patria iubente Domino, neſciens quò euocaretur, aut in qua regione ſibi eſſet commorandum, vt notauit Paulus ad Heb. 11.v.9. ſic laudari poteſt obſequens Ezechielis animus, qui paratus erat omnem vorare cibum, quantumcumque inſuauem palato, & humanæ valetudini contrarium. Quòd ſi illa figurata dicendi forma aliquod à Domino mandatum accipiendum exiſtimabat Propheta, quod in eo contineretur volumine, quod nuper capite præcedenti viderat: non minoris erat negotij pondus, aut leuius prompti ad parendum animi documentum.

2\. *Comede volumen iſtud.*] Iam viſus fuerat Propheta non reſpuiſſe quicquid ciborum foret à Domino propoſitum. Tunc verò Deus qui vim afferre hominum arbitrio non ſolet, exploratæ, atque obſequenti voluntati volumen illud, de quo nuper oſtendit, & hianti ori comedendum propinat, in quo erant *lamentationes, & carmen, & væ.*

3\. *Et vadens loquere ad filios Iſrael*] Cum ipſo volumine inditum eſſe ſpiritum propheticum, oblatámque prophetandi materiam, putat Maldonatus, neque meo iudicio, temerè, quando ſtatim iuſſus eſt ad filios Iſrael proficiſci, & munus obire prophetale: id enim valet *vadens loquere.* Ex quo vir Apoſtolicus quomodo munus illud grande exercere debeat, mirificum habet documentum. Primùm enim neceſſe eſt, a Domino recipiat, quam populo nuntiatum eſſe velit, haud dubium (vt ſe res habet,& humani mores hac tempeſtate) quin *lamentationes,carmen, & væ.* Deinde expedit, vt quod accepit à Deo concionis argumentum voret, & concoquat; orando, videlicet,meditando,& in ſuum ſibi ſanguinem, & ſubſtantiam conuertat,vt non tam ab artifice lingua aliena verba, quàm ab imis viſceribus propria exprompta fuiſſe videantur. Sanè Dauid non priùs à ſe impertiendam eſſe doctrinam duxit impiorum animis, quàm ſpiritum accepiſſet principalem; qualis Doctorum eſt, aut Prophetarum. Atque ideo cùm Pſal.50. dixiſſet, *Spiritu principali confirma me;* ſubdit, *docebo iniquos vias tuas.* Neque ſtatim eodem Pſalmo idoneum ſe putabat, vt laudes annuntiaret diuinas, donec Deus ipſius aperuiſſet labia, per quæ ad alios, quod propinauerat, eructaret. Vult quidem Deus, vt os aperiamus noſtrum, id eſt, vt oremus; aut animos ſaltem oſtendamus volentes: quod vbi præſtiterimus, ſuarum eſſe partium dicit illud implere. Pſal.8. *Dilata os tuum, & implebo illud.* Quod ſe experientia ipſa didiciſſe, docet Dauid Pſ.118. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Hunc Hieronymus idoneum eſſe putat Euangelij nuncium, & qui vtiles ad homines habere poſſit ſermones. *Niſi ante, inquit, comederimus apertum volumen, docere non poſſumus filios Iſrael.*

Exemplar viri apoſtolici.

Oratio concionatori neceſſaria.

4\. Verſ.2. *Et aperui os meum, & cibauit me volumine illo.*] Vix dum diuino obſecutus imperio, os

A aperuerat; cùm oblatum eſt volumen à liberali manu,& regio vere edulio cibatus Propheta.

Verſ.3. *Et dixit,&c. Venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur.*] *Comedo* hîc latè ſumitur pro omni actione qua atteritur, & conficitur, ſeu coquitur,& digeritur cibus,quia in vtroque mutatur cibus, atque conſumitur, quod valet verbum Hebraicum אכל, vnde frequens in Scriptura, *comedit ignis gladius,* &c. id eſt, conſumpſit, diſſoluit. His igitur verbis id videtur ſignificare Deus, vt accepit ore, ad ventrem, viſceraque tranſmittat; neque, quod ſæpe faciunt, qui ægro ſunt corpore, aut nauſeante ſtomacho, ingeſtos euomat cibos; ita ex Hebræis exponit Rab. Da-
B uid. Porrò hîc futurum pro imperatiuo ſumitur, quod apud Hebræos frequens. Et quidem, niſi accuratè verſentur, & diu concoquantur, quæ Dominus nobis deuoranda porrigit, non poterit Apoſtolicus doctor aut eructare in concionando diuinos ſenſus, aut tanquam ſedula nutrix in lac doctrinæ ſolidæ conuertere, quæ teneris auditorum animis immulgeat. 5.

Et factum eſt in ore meo quaſi mel dulce.] Duobus modis hæc accipiunt interpretes. Alij ſimpliciter hæc putant eſſe dulcia, quia à Deo oblata, licèt in illis nihil appareat niſi *lamentationes, & carmen, & væ.* Quin verò qui de Deo altè, & di-
C gnè cogitat, nihil, quod à Deo datur in mandatis, aut Deo exiſtimatur eſſe gratum, poteſt eſſe non lætum,& optabile. Aut certè quia Dei proprium eſt emollire dura, & quæ amara ſunt, illis aliquid admiſcere mellis, vt in diuinis mandatis aut nihil ſit πικρὸν, aut certè ſit eiuſmodi, vt appellari poſſit γλυκύπικρον. Hinc Deus ſuum eſſe iugum ſuaue dixit, & onus leue. Et experientia ipſa doctus cecinit Dauid Pſal.118.v.103. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Sic lamentationes, & væ, quæ non poſſunt eſſe non amara infuſa Ezechielis ori à diuina manu, mellis inſtar obtinent; ſicut pœnitentis
D lacrymæ, quæ quia à Domino, & propter Dominum ſunt, dulciores longè ſunt, vt dicit, gaudiis theatrorum. Quòd ſi hæc principio dulce eſſe ſtatuas, pòſt verò fellis inſtar amara, quod alij cenſent adducto illo Ierem. cap.15. v.16. *Inuenti ſunt ſermones tui, & comedi eos; & factum eſt verbum tuum in gaudium,* &c. Quàm verò ſermones illi antea dulces, aliquanto pòſt euaſerint amari, ipſe docet v.18. *Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis.* Et Apocal.c.10. quo loco reſpectaſſe videtur Ioannes ad hunc Ezechielis locum, *Accipe librum, & deuora illum, & facies amaricari ventrem tuum; ſed in ore tuo erit*
E *dulce tanquam mel.* Idem omnino puto accidiſſe nunc Ezechieli, neque ipſe obſcurè indicat hoc ipſo capite verſ.14. *Spiritus,* inquit, *quoque leuauit me, & aſſumpſit me, & abij amarus, in indignatione ſpiritus mei.* Si in hunc ſenſum accipias, videndum eſt, cur dulcis in ore, amarus in viſceribus fuerit deuoratus liber. In quo & datus videtur ſpiritus propheticus,& oblata prophetandi materies. Et primùm non puto in eo volumine legiſſe Prophetam, aut cognouiſſe lamentationes, carmen, & væ, ſed ſignificaſſe in eo libro, lamentationes eſſe, quas poſtea variis rerum articulis agnouit. Cùm ergo lamentationes illas inuolutas voraſſet Ezechiel in obſignato libro, ſeu inuoluto,

6\. *Dei mandata fideli ſeruo grauia non ſunt.*

7\.

Honor qui eſſe videtur in Magiſtratu plenus fellis.

quemad

quemadmodum inauratas pilulas à Pharmaceuta deuorat ægrotus, non insuauiter, quæ non longè pòst stomachum vexant, atque discruciant. Dulce primùm videri Prophetæ potuit, spiritu nobilitari prophetico, diuinorum consiliorum esse conscium, & si humanas etiam rationes intuearis, magno esse apud homines loco, & veneratione, quasi cum spiritibus agat cœlestibus, & quodammodo se supra hominum naturam attollat: at vbi dura hominibus nuntiare iubetur, & ab illis ideo duriùs accipitur, inuidiam sibi ex seuera denuntiatione conflat, neque vnquam à metu, seu periculo vacat; tunc planè amaritie excruciatur stomachus, & gaudium ex illo siue honore, siue fauore conceptum facile mutatur in lamentationem, & carmen, & væ.

8. Idem nunc accidit his, qui aut volumen vorant, nempe in quo sacra continetur eruditio, ac sapientia; maximè si accedat munus prophetico simile, docendi, concionandi, aut pascendi commissum sibi gregem. Hæc enim quæ ad gloriam, plausúmque præclara, ad vtilitatem opportuna maximè sunt, si quis attente consideret; & quantum in ipsis est laboris, ac molestiarum exploret; inueniet profectò nihil esse magis aut durum, aut amarum. August. epist. 148. rem in seipso sæpius expertus aliis notam, & commendatam esse voluit. Sic enim ille ad Valerium Presbyterum: *Ante omnia peto, vt cogites religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore facilius, & latius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur. Sed nihil apud Deum miserius, ac tristius, & damnabilius.* Hæc porrò amarities ex melle immoderatè gustato nasci solet. Vt enim medicina tradit, & res ipsa vsu quotidiano docet, si quispiam plus satis comedat mellis, bilem sentit in stomacho, quæ pungit, & mordet; id quod Scriptura sacra innuit Prouerb. cap. 25. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud.*

In Episcopatu plurimum amaritudinis & periculi.

9. Vers. 4. *Et dixit, &c. Vade ad domum Israel, & loquêris verba mea ad eos.*] Non vult Deus otiosum esse volumen à Propheta deuoratum; sed statim mittit ad filios Israel, quorum videlicet causa, & librum, & futurarum rerum cognitionem deuoranda porrexerat. Sed hîc obseruandum maximè non mitti Prophetam, cùm in ore habebat dulce illud volumen, sed quando ad stomachum traiecit, & eius amaritiem re ipsa expertus est. Maximè enim interest, vt qui aliis dolorem afferre vult, ipse priùs doluerit, & fel priùs ebiberit, quod aliis propinare studet. Dedit quidem Dominus Prophetæ verba sua, sed dedit vt doctori, vt ad alios transfunderet; sicut duos in vberibus fontes natura matri, non ad sui vsum, sed ad teneræ sobolis alimentum attribuit. Quæ sint autem illa verba, quæ Deus ad populum perferri iubet, non est difficile statuere, illa nempe, quæ Propheta paulo antè in dato sibi volumine comederat, *lamentationes*, scilicet, *carmen, & væ.* Neque sanè ad peccatorem, qui sicut eo tempore Israeliticus populus, obstinarat in peccando animum, aliquid afferri poterat opportunius. Sanè hæc Dei verba, quasi quoddam nobis exemplar sunt, eorum quæ vtiliter contumaci Genti proponi possunt.

Dolor in eo, qui dolorem in aliis mouere vult potentissimus.

10. Vers. 5. *Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris; ad domum Israel.*] Legationem illam docet non fore difficilem, quia neque ad procul dissitas regiones legatur,

A neque ad illas, quarum profundus est, & ignotus sermo, vt necesse sit aut nouam, & inauditam linguam, aut certe nouam aliquam dialectum ediscere, qualis est Assyria, ad quam missus est Ionas, aut Babylonica, qua eodem prope tempore vsus est Daniel, cùm in Babylonia cum Babyloniis ageret. Sed ad Israelitas, qui proximè translati fuerant, neque dum patriam linguam peregrino, ac barbaro idiomate corruperant. Appellatur autem profundus sermo, id est, ignotus, & obscurus, per quandam metalepsim; nam quæ profunda sunt, obscura sunt; & hæc figuratè pro ignotis, & difficilibus sumuntur.

Vers. 6. *Neque ad populos multos profundi sermo-* 11.
B *nis.*] Res planè difficilis agere cum his, quorum linguam ignores, difficilior multo, si iubente Deo cum his agendum sit; qui vt diuersi prouinciis, sic etiam sermone diuersi sunt, ita vt noua quotidie lingua comparanda, & nouæ quotidie molestiæ in re prorsus insuaui exorbendæ sint. Ab hoc labore soluit Prophetam Dominus; cùm illi cum Gente solùm Israelitide futuram esse dicit contentionem, aut vsum. Hinc mihi colligere videor, quàm sit difficile regiones obire trans Oceanum Euangelij causa, cùm gens sit & ferini multis in locis ingenij, & profundi sermonis, & ignotæ linguæ: cumque pro regionum varietate, variæ quoque sint linguæ, quas ediscere &
C molesti est, & infiniti prope negotij. Quare qui illarum Gentium conuersioni Apostolicam nauant operam, rem sanè suscipiunt multo magis arduam quàm quæ olim à Deo Prophetis est iniuncta. Qua in re cùm è nostra Societate viri fuerint plurimi, qui rem Christianam in transmarinis regionibus mirificè promouerunt: tamen B. Franciscus Xauier Orientis Apostolus fuit omnino mirabilis. Cui, vt de Paulo dixit Hieronymus, prius orbis defecit, quàm studium, cursúsque Euangelij. Audi Hieronymum in illud Amos cap. 5. *Qui vocat aquam maris. Effusus est super faciem vniuersæ terræ, vt prædicaret Euangelium, de Hierosolymis vsque ad Illyricum, & ædificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædica-*
D *tum, sed vsque ad Hispanias tenderet, & à mari Rubro, imò ab Oceano, vsque ad Oceanum curreret, imitans Dominum suum, & solem de quo legimus à summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius, vt ante eum terra deficeret, quàm studium prædicandi.* Hæc Hieronymus de Paulo. magnum sanè opus, & pectore dignum Apostolico, sed nostro Xauerio, quoad sermonem profundum, ignotámque linguam, res sanè multo difficilior. Exorbuit tamen difficultates omnes, & quod superari posse non videbatur, vicit iter durum pietas.

Linguas peregrinas addiscere quantus labor.

Et si ad illos mittereris, ipsi audirent te.] Quinam 12.
sint illi, qui audituri dicuntur, non omnibus idem visum est. Rab. Dauid Iudæos esse putat; & in hanc sententiam locum interpretatur: Si ego
E non mitterem te ad illos, nempe Iudæos, sed tu ad illos in tuo accederes nomine, quod pseudoprophetæ faciunt, ipsi audirent te, quia humanis potius abducuntur figmentis, quàm diuinis obsequuntur oraculis. Sed meliùs alij fermè omnes cum Hieronymo putant, hæc spectare ad Gentes profundi sermonis, & ignotæ linguæ. Quasi dicat Dominus; etiamsi apud Gentes alieni sermonis quasi mutus esses, & elinguis; cùm neque tuus illis, neque contrà illorum tibi sermo foret apertus; tamen audirent te, auditaque susciperent, multo faciliùs, atque libentiùs, quàm populus tuus, cui communis est lingua, commune nomen,

Eius quia Deo mittitur, licet elinguis sit, & mutus, opera non inutilis.

nomen, communis religio. Sanè, vt dicebam modò, B. Pater Franciscus Xauer, cum primùm alias, atque alias prouincias adiret, & linguam audiret, quam nunquam ante nouerat, quasi mutus erat. Audiebant tamen Gentes rudem illum, & penè informem sermonem, quem tamen diuinus spiritus sic animabat; vt mirabiles faceret non hominum plurimorum modò, sed etiam Regnorum conuersiones. Quod de Iudæorum ingenio contumaci, ac duro diximus, in Ecclesiæ incunabulis expletum esse vidimus. vbi Iudæorum paucissimi, Gentilium verò plurimi ad Ecclesiæ complexum accessere.

13. Vers. 7. *Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.*] Explicat cur difficiles auditores habiturus sit Propheta, minúsque salutaribus monitis obsequentes, quia iam eò offirmauerant animos, vt alienos colerent Deos, quos in euertenda Hierosolyma superiores fuisse cæci arbitrabantur, & auitam religionem abiicerent. Ne ergo vero Deo quicquam honoris detulisse viderentur, eius Prophetæ, quem fortasse alioqui, aut amabant, aut honesto in loco habebant, aduersabantur, & illius verbis nihil inesse ponderis, ac fidei, aut certò credebant, aut Chaldæorum studiis blanditi simulabant.

14. *Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde.*] Os durum appellat Latinus, inuerecundum, quod cùm sibi oggeri videat indecora, quæque minùs honestos decet, & ingenuos spiritus, non tamen pudore suffunditur, aut aliquo alio signo pudefieri se, aut commoueri significat. Id verò significatur perquam bellè, dum frons hic non tam vocatur dura, quam attrita: fieri etenim solet vt aliqua dura sint, quæ tamen, si quando vis accederet grauior, frangerentur; at quæ attrita, quæque læuore suo, iteratam sæpe manum, atque operam produnt, & duritiem ostendunt, & manem artificis in sculpendo curam. Quam indocilem, obstinatamque duritiem per *callos* in aliis corporis locis significamus: quomodo manus ad aliquod opus occalluisse dicimus, cùm in eo diu versatæ sunt, neque molestiæ aliquid ex eo sumunt. Sic ergo cùm Deus Israeliticæ Gentis duram illam frontem dolare vellet, & ingenuo pudore deiicere, attriuit illam, potius quam compunxit, & tantùm reliquit consumptæ inutiliter operæ certa vestigia. De hac eiusdem Gentis duritie, in qua mollienda, seu etiam frangenda assiduus perit, & luditur artificis conatus, dixit Ieremias cap. 5. *Attriuisti eos, & noluerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram.* & cap. 2. *Frustrà percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* Planè sicut via pedibus conculcatur, & atteritur; & saxa quibus pauimentum constratum est, à frequenti turba pedibus atteruntur, neque tamen se calcantium subtrahunt pedibus, & sicut scopuli alluuntur, & atteruntur fluctibus, & tamen in sua duritie perstant; sic attritus peccatorum animus non se subducit à vitiis, neque saxea frons tot percussa modis, & ad vtilem penè coacta verecundiam, desinit esse frons meretricis, quæ nescit erubescere: licèt continenter à diuina misericordia fluctibus alluatur; vt de perfrictæ frontis fœmina dixit Maro Æneid. 6.

Obstinationis natura.

Illa solo fixos oculos auersa tenebat.
Nec magis incepto vultum sermone mouetur,
Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

15. Vers. 8. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem.*] Frangendus videbatur, & retardandus animus Prophetæ, ne aggrederetur datum sibi negotium, cum audiisset futurum esse sibi sermonem, seu veriùs certamen, cum ingeniis duris, attritisque frontibus, à quibus non sine causa quiduis sibi periculi formidare poterat. Quare illum Deus corroborat, & animo iubet esse constanti, atque alacri, cùm faciem promittit audacem, & fortem, & frontem ad perferendos ictus magis duram, quàm habent illi, quibuscum confligendum, & quasi aduersis frontibus concurrendum est. Metaphora sine dubio ab illis sumitur, qui collisis frontibus certare solent, quales tauri sunt, & arietes, qui dura sunt fronte, & cornibus præduris, & acutis. Hi verò aut frequentis conflictus, aut collisionis mutuæ signa ferunt; tauri quidem in contusis fractisque cornibus, vt quotidie videmus; arietes verò in attrita fronte, qua aduersarios incessunt, proturbántque. Fortasse pugnax, & rebelle Iudæorum ingenium, & obstinatum animum hac Metaphora significauit proximè Deus, cùm dixit, *Domus Israel attrita fronte est.* Quia quemadmodum aries aut lacessendo, aut repugnando, ex crebro conflictu attritam habet frontem, vt pastores obseruant; sic populus ille proteruus, & pugnax, dum resistendo Deo, qui frontem & faciem scelerum exprobratione percutit, frontem habet attritam, & callosam, & eiusmodi ferendis ictibus assuetam.

Impudicitia, atque obstinationis signum.

16. Vers. 9. *Vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam.*] Fronti aduersariorum inuerecundæ, non tam duræ, quàm obduratæ, adamantinam, atque siliceam frontem opponit, cui nocere non poterit offirmata, & contumax Iudæorum insania: Adamas enim, siue id verum sit, siue ex opinione hominum, cui se in loquendo Scriptura sacra frequenter acommodat; eius creditur esse naturæ, vt domet omnia, neque ipse ab vlla vi, seu arte domari possit, vnde nomen traxit; ἀδάμας enim Latinè indomitum sonat, aut indomabile. Quare franguntur mallei, fatiscit incus, & omne ferramentum dissultat, & rumpitur, neque tamen ab aduersaria vi quicquam patitur adamas. Satis ergo à Domino munitur Propheta contra frontem attritam, & duram aliorum: neque aliud experiuntur qui Dei causam, ipso iubente, suscipiunt; quos diuinus sic animat, ac roborat spiritus, vt alij à seipsis fiant; vincántque facilè illa, quibus humana succumbebat vis, & industria.

Deus strenuis se missis robur ingenerat, & audaciam.

Quia domus exasperans est.] Si illud *quia*, rationem reddat, sensus est non difficilis. Ideo nempe adamantinam frontem datam esse Prophetæ, quia terrere voluit, atque conterere rebellem populum. Si tamen *quia*, idem valeat quod *quanquam*, vt Maldonato placet, quem vsum frequentem habet vox Heb. כי *ki*, vt multis docet in Thesauro Pagninus, sensus erit: Quantuncunque populus ille contumax contendat, nihil tamen efficiet contra te, quia fronti illorum duræ frontem oppones adamantinam.

17. Vers. 10. *Et dixit, &c. Omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi.*] Nil puto dictum esse Prophetæ pòst explicatiùs, quod non priùs scriptum esset, licèt obscurius, & in compendio in volumine, quod porrectum à Domino vorarat. Quare assumendos esse dicit in corde sermones Dei, quia priùs in viscera traiecti sunt: deinde iterum audiendi, quia quæ inuoluta vorauit, illa eadem postea explicatiùs audiuit. Sic videtur reddi causa posse, cur prius cordi mandandi dicantur esse sermones,

nes, quàm auribus, cùm contrà communiter fiat: nam per aures ad animum trāsmittuntur verba, atque ideo in auribus resonare priùs necesse sit. Quòd si de corde, & auribus, sine vllo respectu ad deuoratum librum ista consideres, sensus erit & accommodatus prophetico spiritui, & animo obsequenti, & piò non importunus. Nā, vt principio diximus de Propheta, qui nesciens quidquid à Deo propinatum est, totum exorbuit, hoc vno contentus quod sciret porrectum esse à diuina manu, id etiā facit animus pius, qui amplectitur prius quæ iniuncta sunt a Domino, cordique infigit, & studiosè seruat: deinde verò audit eadē, à spiritu interiùs loquenti, sed audit practicè, & attente meditatur, & complet: meditatio namq; genus quoddam locutionis est, cui adest auditus, id est, obediētia. Nisi mauis hìc esse ὕστερον πρότερον, priorique loco reponēdum, quod videtur in posteriorē fuisse reiectum: prius enim audimus quàm in corde conseruamus audita. Cuius generis tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores exempla obuia. Quale est illud Ioan. c.12. de Magdalena, *Vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis.* priùs exterserat, deinde vnxit.

Obedientia sacra.

18. Vers.11. *Et vade, ingredere ad transmigrationem ad filios populi tui.*] Filij transmigrationis dicūtur illi, qui proximè cū Iechonia, & paulo antè sub Ioacim, translati fuerant ad Chaldæos. Sed roget aliquis, cur, si visio, de qua nuper, & de qua iterum in hoc capite, ad ciuitatem Solymitanam spectabat, nunc ingredi iubetur Propheta, ad eos qui procul inde aberant, & ad quos animalium fremitus, & rotarum sonitus; & cœlestes deniq; minæ non pertinebant. Huic cogitationi satisfacere videtur Hieronymus in Ezechielis præfatione, vbi docet ægre tulisse Iudæos exules, quòd adducti Ieremiæ vaticinio, vltro se Chaldæorum Regi tradidissent. Cùm viderent incolumes ciues, qui remanserant, & stare adhuc vrbem, quā excisum iri prædixerat. Quare tumultuabantur, & animo variis motibus æstuanti, aliquid minimè sibi futurum ex vsu moliebantur. Vt ergo illorum inquietos animos cōponat, & sedet; quid vrbi, Iudæorúmque reliquiis horribilis illa visio portendat, exponit; vt cōstat ex cap. 4. quod totum in ciuitatis strage declaranda cōsumitur; neque aliud fortasse sibi vult, quod statim additur. *Si fortè audiant, & quiescant.* quiescant, inquam, & queri, & plorare desinant, quòd Ieremiæ monitis, imò potiùs meis obtēperauerint; ac tādem sibi persuadeant ex vsu sibi fore, si Nabuchodonosoris imperio in præsentia pareant.

19. Porrò quia Gens illa à Dei religione, bona ex parte, ad peregrina, & vana simulacra defluxerat; nō appellat *filios populi mei*, sed *filios populi tui*, quasi iam illorum præcipuam quandam, & paternam curam abiecisset. Hìc verò obseruandum, quæ Deo grata non sunt, etiamsi ab ipso antè dilecta, atque instituta fuerint, non appellari sua, sed eo nomine, vt esse iudicentur aliena. Sic solemnitates non vocat *meas*, sed *vestras*. Malach. c.1. Sabbata, neomenias, Kalendas nō *mea*, sed *vestra*. Isai. c.1. & populum qui vitulum adorarat aureū, non vocat *suum*, sed *tuum*. Sic nāque ad Moysem Exodi cap.32. *Vade, descende, peccauit populus tuus.* Sic nunc quia populus longè à vera religione defecerat, populum appellat Ezechielis non suū.

REGVLA. *Quæ Deo ingrata sūt aliena vocantur.*

20. Vers.12. *Et assumpsit me spiritus.*] Tria valet vox *spiritus*, vnum propriè, duo figuratè. propriè ventum; figuratè Angelum, aut substantiam corporis expertem; seu certè illustrationem, motum, ardorem, siue impetum animi. Ad hæc tria patet huius loci sententia. Si ventum esse statuas, vt nōnulli volunt, in quibus est Hugo, & antiqua trāslatio Hispanica; quæ ita vertit, *llevome vn viento.* quemadmodum de Elia dicitur 4. Reg. c.2. v.11. *Ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Sēsus est magno impetu delatum esse Prophetam ad locum, vbi propria erat, ac frequens captiuorum commoratio. Tunc verò subaudienda est similitudinis nota, in hunc modum: Tunc corripuit me quidam quasi ventus, & citato impetu deduxit. Si spiritus motum significet animi, aut illustrationem, ita vt illi species esset oblata eius loci, ad quem à Domino accersebatur, cui se præsentem adesse cogitabat, (quod nos vulgato Scripturæ modo dicimus esse in spiritu, in aliquo loco) sensus est, extasim passum Prophetam, & alienatum à sensibus, visum sibi fuisse mutasse locum, & inter captiuos medium constitisse. Neque hoc mihi displicet, quia eodem modo etiam audiuit, quo tempore hæc sibi contigisse ait animalium vocem, & rotarum spiritum, & ita putant Gregorius, Dionysius, Lyra, & Hugo in morali sensu, Maldonatus, & Vatablus.

Spiritus multa significat.

Hieronymus spiritum humanum intelligit, id 21.
est, ardorē, motum, & impetum; sic enim ad illud quod statim sequitur, *spiritus quoque leuauit me. Sublimis ipso spiritu sui impetu ferebatur, cupiens ire quo Dominus imperabat. Spiritum autem eius, non Spiritum sanctum, sed spiritum hominis intelligamus. de quo in multis locis dicitur: vt in Isaia, de nocte consurgit spiritus meus ad te Deus.*

Theodoretus à diuina virtute assumptum esse 22.
dicit, eóque deductum, quò à diuina voce vocabatur. Cùm enim vellet, quod habebat à Domino, præstare mandatum, neque infirmos, & graues posset gressus moliri, corripuit illum virtus diuina, cunctantémque promouit. Idem penè Polychronius. Ex quibus id habemus, non in spiritu raptum esse ita, vt cùm eodem hæreret in loco, mente tamen alio peregrinante, spectasset illa de quibus hìc; sed mutasse reuera locum, migrasséque eò, vbi frequēs erat Iudæorum turba.

Hoc postremū mihi videtur magis expeditū, 23.
vt aliqua diuina impellente virtute assumptus sit Propheta, quā virtutē Angelum esse credo, quod Pradus opinatur; sicut Loth ab Angelis, cùm pigritaret exire de Sodomis eductus est, & positus extra ciuitatē, Gen. cap.19. v.16. & Habacuc Dan. c.14. v.32. & ipse Ezechiel iterū c.8. à spiritu ductus est in Ierusalē, de quo postea suo loco, pluribus. Quòd verò locum Propheta mutauerit, multa deinde aut suadent, aut indicant, vt quòd ad transmigrationem venerit, quòd septem dies ibi posuerit; quibus exactis, aliud à Domino verbum acceperit. neque hìc aliquid video insitatum, & durum, in aliis expositionibus aliquid est, in quo hærere possit attentus lector.

Et audiui post me vocem commotionis magnæ.] Hic 24.
dicendi modus motum significat, quando post se audiisse dicitur Propheta vocē cōmotionis, id est, animalium, atque rotarum, quæ à tergo Prophetę, magna, vt apparet, celeritate, mouebantur.

Benedicta gloria Domini de loco suo.] Hæc cōmuni- 25.
ter existimatur esse vox illa cōmotionis, de qua proximè. ita Gregorius, Theodoretus, Hugo, Dionysius & Pintus, quasi animalia canerēt, aut spiritus alij cœlestes laudes victori Deo. Et illi triūphanti iter expedirēt ad facilē, atque gloriosum cursū. Quomodo Ps.67. *Cātate Deo; psalmū dicite nomini eius: iter facite ei, qui ascēdit super Occasū.* Dicitur autē de loco suo venire, id est, aut de cœlo, aut de tēplo, vbi suū sibi quasi stabile domiciliū posuerat:

rat:ex quo putabatur ad debellãdas inimicorum acies,quasi excursiones facere militares. Sic Michæas cap.1. *Ecce Dominus egreditur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ:& consumentur montes subtus eum, & valles scindentur sicut cera à facie ignis.* Hieronymus hic valde obscurè loquitur,neque facilè teneas,quid maximè probet.

26. Ego potiùs existimarem hæc verba non esse illius vocis argumentum,quam ex commotione magna auditã à se fuisse narrat Propheta. Quam vocem minacem, atque horribilem fuisse oportet,quæ, vt docet hîc Hieronymus, *Dei iram super Israel populum venturã esse monstrabat.* Et ita putant Maldonatus,& Pradus. Puto igitur illud *benedicta gloria*, &c. carmen non esse, sed significari commotionem illam magnã ideo fieri, quia Dei benedicta gloria è loco mouebatur. Vt enim,cũ magni nominis Principes ex loco migrãt, molitio magna fit, & à stipante famulitio strepitus commotionis magnæ:sic cùm Deus egreditur è templo,quod propter populi peccata deserebat, facta est horribilis commotio. Non aliter accidit quo tempore iterum à Romanis exustum est templum, & derelictum à diuina gloria. Refert enim Iosephus lib.7. de bello cap.12. auditũ esse strepitum,vocémque non dissimilem discedente Deo de tẽplo. *Festo, inquit, die quam Pentecosten vocant, noctè sacerdotes intimum tẽplum more suo ad diuinas res celebrãdas ingressi,primùm quidẽ motum, strepitumque senserũt,postea verò subitã vocẽ audiere quæ diceret,migremus hinc.* Hæc eadẽ refert Apollonius lib.1.excidij Hierosolymitani,qui inter alia prodigia quæ cladem illã antecessere,hoc etiã cõnumerat.

E templo excessit Deus ante eius excidium.

Excepit primùm sonitus, dein turbida multo
Vox protracta sono, tectis migremus ab istis.
Cedamus socij,mecúmque relinquite sedes.

Idẽ tradit Cornelius Tacitus lib.21.Annal. *Expassa repẽte delubri fores,& audita maior humana vox excedere Deos simul ingens motus excedentium.* Hanc sententiã amplectitur Hugo, qui cùm exponeret illud *de loco suo*, ait: *Per quod significabatur,quòd libertas quam Dominus dederat ciuitati suæ Ierusalẽ auferretur ab ea: & templum,& gloria tẽpli,& cultus eius destruetur.* Idem putat Maldonatus,neque abnuit Hieronymus. quæ ab hac voce, atque strepitu nihil iucundum, aut opportunum Iudæorum commodis designari putat.

27. Hæc mihi magis videntur ad textũ, & ad institutũ,de quo paulo antè. Neque enim tam minantur exitium captiuis apud Babylonios,quàm ciuibus,qui se futuros esse putabant Hierosolymæ liberos ab hostili metu. Hæc verò ideo ostẽsa sunt Ezechieli,cũ exul ageret Babylone,vt tumultuantes exules sedaret,proposita calamitate, quæ contribulibus suis propediẽ imminebat,qui reliqui fuerint in patria. Dolebant namque,vt ex Hieronymo docuimus, & tradit Historia schol. in Ezechiele c.1. quòd se in Chaldæorum potestatem tradidissent,séque putabant à Ieremia deceptos, cùm extare cernerent Hierosolymã, cui ipse proximam indixerat ruinam. Vt ergo animo essent minus in Ieremiã offenso,secúmque benigniùs actum existimarent,qui maturè deditione facta,suæ sibi saluti cõsuluerãt, edocet quis exitus,& calamitas ab offenso,& indignato Numine maneat eos, qui pacati, ac liberi Hierosolymæ relicti videbantur, cùm excedente de loco suo, id est,de templo Domino, cuius auspicijs,atque patrocinio singulari res steterat Iudaica, omnium ludibrio,libidini, ac furori expositæ vide-
28. rentur illæ Iudæorũ reliquiæ. Libet hîc adiicere existimasse antiquos religionis Gentilicæ cultores,tamdiu ciuitatem incolumem fore, quandiu certa quædã Numina,quibus publica credebatur tutela,manerent in tẽplo,actúmque tunc fore de communi salute;quãdo ipsa aut vltrò excederẽt è templis, aut aliorum manibus inde tollerẽtur. Inde orta fabula de Palladio, in quo sita putabatur Troianorum fortuna. Hinc Maro ex hac Gentilium opinione, Æneid.2.

Dij gentium recedere credebantur cùm caperentur ciuitates.

Excessere omnes adytis,arisque relictis
Dij,quibus imperium hoc steterat.

Neque credo,erraret valde;qui ideo propheticis 29.
oculis obiectã esse speciem putaret discedentis è tẽplo Dei:vt populo,qui iam Gentilicis erat imbutus erroribus,signũ ostẽdere desertæ ciuitatis à Domino, & hostiũ prædæ, atque libidini propositæ. Didicerat enim vel proximè à Babyloniis, apud quos exulabat, vel antea à finitimis Gentibus,quorum superstitio ignota esse non poterat, tunc proximam esse ruinæ ciuitatem,cùm deorũ simulacra delubra reliquissent. Sanè,vt autor est Q.Curtius lib.4.cùm capta est ab Alexãdro Tyrus,Apollo traditur reliquisse vrbẽ,& ad Alexandrum transfugisse. Porrò cùm vastãda esset,atque capiẽda ciuitas,excedere inde tutelares Deos cõmunis erat Gentiũ opinio,vt tradit Æschylus in tragœdia quę inscribitur ἑπταθήβαις.vnde,vt tradit Seruius ad locum citatũ Virgilij, & Macrobius lib.3.Saturnal.c.9.cùm propè esset, vt caperetur ciuitas, certo carmine ab hostibus euocabantur tutelares Dij, quia aliter vrbẽ obtineri non posse existimabant. Euocationis formulam habes apud Macrobium. Hæc ita propono,vt lector habeat, quid expendat,non vt illa probem,aut suadeam.

Vers.13. *Et vocem alarum animalium percutientiũ* 30.
alterã ad alterã.] Hæc vox est,vt credo,diuersa ab illa,quæ vox dicitur commotionis magnæ. Hæc enim fuisse videtur à turbine,& stipantiũ turba, quæ militarem in modum perstrepebat:illa verò ab alarum cõcussu,collisionéque mutua,& rotarũ strepitu. De alis,rotisq; satis à nobis multa c.1.

Vers.14. *Spiritus quoque leuauit me,& assumpsit me.*] 31.
Assumptum se Propheta dixerat suprà v.12.idem nunc repetit,sed magis explicatè. Nam prius nimis videbatur egisse cõcisè,ita putat Theodoretus,cui subscribũt Maldonatus,& Pradus. Spiritus ergo qui Prophetã assumpserat leuauit illum sublimem,arbitror,à terra,& in locum à Deo designatum deduxit:quod indicat LXX. translatio (si modò correcta, nã in Sixtianis codicibus aliter habetur) in verbis proximis, *Abij sublimis in impetu spiritus.*

Abij amarus in indignatione spiritus mei.] En quo- 32.
modo volumẽ illud antea dulce,incipit nũc absynthij in modum amarescere. Sciebat enim,aut coniectabat Propheta,ex voce illa commotionis magnæ; & ex specie diuinæ gloriæ excedentis è templo,durũ se captiuis apportare nunciũ,quod ingenuis animis perquam molestũ, & mortis instar est. *Indignationem* hîc idẽ esse puto quod *dolor*, quasi sibi ipsi displiceret Propheta,vitámque inciperet habere odiosam,& ægram,quòd prophetale suscepisset munus, in quo omnino deberet multas exorbere molestias,& contribulium suorum inuidiam subire. Porrò indignationi admixtum esse dolorem docuimus in nostris commẽtariis in Ierem. c.7.n.30.& 31. vbi ex Aristotele 2.Rhetor.c.2. diximus iracundiam,seu indignationem esse appetitum vindictæ cũ dolore. An verò hæc amaritudo tunc tẽporis accederet, cùm à spiritu leuaretur Propheta, aut cùm iam ageret prope flumen inter exules relictus à spiritu, à quo delatus est,nõ est exploratum. Pradus

Iracundia quid.

dus tunc putat, quando desertus est ab Angelo; tunc enim tardo ingrediebatur incessu, tristes secum cogitationes versans; quia & de populi sui dolebat impendente clade, & diuinus furor, quem tantopere in contumaces Iudæorum mores æstuare cognouerat, ipsum quoque, quamuis longè abesset à culpa, acerbè concusserat.

33. Ego potiùs existimo indignationem illam, id est, dolentis animi grauem affectionem, tunc accidisse, quando inter animalium fremitus, stridorémque rotarum ferebatur: tum quia statim dicit adfuisse sibi manum Domini, imò illam videtur ostendere causam fuisse indignatæ sibi, atque amaræ mentis: tum quia nondum venisse existimari potest, ad locum, vbi maxima captiuorum turba consederat. statim enim scribitur, *Et veni ad transmigrationem.*

34. *Manus enim Domini erat mecum confortans me.*] Quidam illud *enim*, aduersatiuam esse particulã arbitrantur; & sic locum exponunt. Cùm ego abiecto essem, & amaro animo, parúmque ad datum mihi negotium audaci, adfuit mihi diuina manus, addiditque exanimato mihi animũ, quẽ rei magnitudo, & difficultas ademerat, seu, vt quidam putant ex Hebræorum magistris, in quibus est Rab. Salomon, corroboratus est Propheta à diuina manu, ne laborem sentiret, aut molestiam, ex celeri illo, atque inusitato cursu, seu volatu cùm raptus ab Spiritu ad transmigrationem vsque peruenit. Hieronymus aduersatiuè particulam assumit, & exponit confortatũ fuisse, adeò vt auderet nomen speculatoris accipere; & quæ audierat, grauia, nimirum, & molesta ad populũ neque docilẽ, neque bene animatũ deferre.

Enim aduersatiua particula.

35. Ego particulam *enim*, rationalẽ esse arbitror, quod non improbat Hugo, Maldonatus, & Pradus; cuius verò rationẽ reddat, obscurius. Quod tunc, credo, coniectare quilibet potest non difficile, cùm explicuerimus vim verbi חזק *chazak*, pro quo vulgatus reddidit *cõfortans*. Significat hoc verbum præcipuè tenere, seu apprehendere, sed frequentiùs cum potestate, atque victoria, sicut apud Græcos κρατέω, & apud Latinos *teneo*. Ex quo fit, vt *præualere* etiam interdum valeat, & superiorem esse, quod etiã apud Latinos valet *conforto*: vt Psal. 13. *Mirabilis facta est sciẽtia tua ex me, confortata est, & non potero ad eã.* Hinc חזק *fortem* significat, & *vehementem*, vt Exod. 10. v. 19. *Flare fecit ventum vehemẽtem.* Vnde in Scriptura obuium, *in manu forti*, ac *valida*, seu *robusta*. Sic ergo *manus confortans* hoc loco, robusta manus est, quomodo vertunt LXX. *Et manus Domini facta est super me fortis.* Erit ergo sẽsus: Veni amarus, quia Domini manus vehemens, & fortis vrgebat me, & inualescens ad rem difficilem, & amarã impellebat. Quam sententiam, vt dixi, indicát LXX. & cum illis Chaldæus. tenet Maldonatus, neque Prado displicet, indicat textus Hebraicus, quem sic reddit Pagninus, *Et manus Domini super me fortis.*

36. Illud nonnihil huic cogitationi incommodat, quòd vulgata non dicit solùm *confortans*. tunc enim res esset non difficilis; sed *confortans me*. Fateor id minus esse è nostra sententia: verùm neq; deest, quod huic obiectioni aliquatenus occurrat. Primùm quia in Hebraico textu nihil est, cui respõdeat accusatiuus ille *me*. Deinde quia si *cõfortare* præualere significat, *confortans me*, idẽ valet quod *præualens in me*. Minus hæc quidem ad Latinum idioma, sed quod non valde abhorret ab Hebraico; quod sępe verbis neutris, quorũ vsum habet hoc loco verbum *robora*, modum adhibet

REGVLA. *Verba neutra cùm aliud significant modũ aliquem adhibent actioni.*

A actioni, si quam habet, accommodatũ. quomodo dicimus *depereo te*, id est, perditè amo; *ardebat Alexin*, ardẽter amabat; *exulto iustitiam Dei*, id est, cum exultatione laudo. *victimat filium*, id est, instar victimæ lacerat. Sic modò *confortans me*, id est, fortiter, ac vehementer vrgens, & sternens.

Vers. 15. *Et veni ad transmigrationem ad acervum nouarum frugum.*] Quarto mẽse, vt cap. 1. in principio diximus, visionem hanc accepit Ezechiel. Aut certè si diuersa fuit, nõ longè ab illo tẽpore, nẽpe ad mẽsem Iulium, qui quartus, aut quintus Hebræorum mensis est. Quare eo tempore meti non poterant nouæ fruges; siue illæ hordeaceæ sint, quia hæ in dies azymorũ incurrunt, siue triB ticeæ: quia hæ iã maturæ sunt falci, atq; areæ sub tẽpus Pentecostes, quod antegreditur lõgè quartum mensem, aut fortasse quintum, in quo hæc patiebatur, aut intuebatur Propheta. Ex quo prudenter omnes penè interpretes sibi persuadent, cùm ad transmigrationẽ delatus est Ezechiel; nõ esse triturandis, aut purgandis frugibus in area intentos filios trãsmigrationis, sed venisse ad locum, qui Hebraicè dicitur תל אביב *tal abib.* quẽ interpretari licet *acervum nouarum frugum*. Neque nouum est in Scriptura, vt explicatio, notatióq; nominum propriorũ, pro nominibus ipsis propriis adhibeantur. quomodo Psal. 75. *Factus est in pace locus eius*, id est, in Salem. & Cant. 8. *in ea quæ* C *habet populos*, pro Baalhamon. Sic etiã nunc pro *tal abib*, positum est, *acervus nouarũ frugum*. Quæ verò fuerit huius nominis ratio, nõ laboro; ea videtur non inepta, quia ibi prope fluuium locus videbatur terendis vẽtilandisque frugibus opportunus. 37.

REGVLA. *Explicatio nominis pro nomine.*

Ad eos qui habitabant iuxta fluuiũ Chobar.] Quod sit flumen Chobar, diximus cap. 1. num. 10. Euphratem nempe, qui mediam Babylonem interfluebat. Vt autem Iudæi post excisam vrbẽ trans Tiberim apud Romanos habitabant, vt tradit Philo de legatione ad Caium, & Martialis lib. 1. Epig. 38. vbi Iudæos transtiberinos vocat. Et qui capti fuerant priùs ab Assyriis, locati dicuntur in Hana, & in Habor fluuiis Gozan, 4. Reg. c. 18. D qua de re nos pluribus suprà cap. 1. n. 11. Sic puto in fortuna non dissimili Iudæos apud Babylonios aut trans Euphratem, aut iuxta illius ripas consedisse. Certè si verum est, quod de Ezechiele prodit Epiphanius, vltra Euphratem potius, quam citrà, suas sibi sedes locasse videntur Iudæi. Ait enim Epiphanius, diuisum ab Ezechiele fluuium, quo suos ad vlteriorem ripam incolumes traduceret, quos ad mortem vsque vexabant, insectabantúrque Chaldæi: & in mediis fluctibus demersos esse Chaldæos, qui eodem alueo, & per eadem vestigia ad illorum necem anhelabát. sicut olim Ægyptios, cùm eundẽ insequerentur populum, marini fluctus obruerũt. 38.

Iudæi exules prope flumina habitare soliti.

E Sed roget hìc aliquis; si iuxta fluuium Chobar oblata est Ezechieli species, de qua suprà c. 1. neque ab ea visione tempus intercessisse videtur, aut certè non multum; quomodo à spiritu leuatus Propheta dicitur, & ad fluuiũ deductus? Propter hæc non videbatur improbabile, motum illum, cursúmque Prophetæ in spiritu tantùm contigisse. Sed non est negotij magni nodum hunc extricare. Sanè lata sunt spatia, quæ cursu suo in regione Babylonica permeat Euphrates; quare accipere potuit visionem illã primã iuxta fluuium Chobar inter captiuos alios; & tamen abesse quàm longissimè ab eo loco, in quem à spiritu postea delatus est, ad vicum nempe, seu pagum illum, qui dictus est *tal abib*. seu 39.

aceruus nouarum frugum: sicut qui Cordubæ esset, sedere diceretur ad Bethim; & tamen ab Hispali distaret longè, quam idem alluit fluuius. Neque sine causa additur, *Ad aceruum nouarum frugum.* quia licet iuxta fluuium sederet, non tamen ad illum locum, qui eo notabatur vocabulo. Neque ratio defuit, cur in eo loco consistere iubetur Propheta, quia aut plures erant, qui in ora illa littorali morabantur; aut certè hi delusos se putabant, eoque nomine magis tumultuabantur.

40. *Et sedi, vbi illi sedebant: & mansi ibi septem diebus mœrens.*] Sedere commorari est, quia qui sedet cessat à cursu, & quasi stabilem habitationem acquirit. Sedere item habitum indicat soliciti, atque mœrentis animi. mœror etenim, qui animi quædam ægritudo est, vt animum afficit, redditque languidum; sic etiam quodammodo abiicit, ac debilitat corpus. Et in hanc significationem potiùs assumo: quia vocem hanc in solitudine, atque angore frequentem esse video: & in hoc ipso captiuorum tempore sæpiùs hęc vox auditur in Ieremiæ threnis.

41. *Et mansi ibi septem diebus mœrens.*] Cur septem dies in luctu, mœroréque transegerit Propheta, ratio aliqua adduci potest ex Hebræorum, imò & aliarum Gentium solenni, & quasi legitima consuetudine. Septem quippe dies ponuntur in luctu ab his, qui honestiori funere quempiam prosequuntur. Gen. 50. septem impensi dicuntur dies funeri Iacob. *Venerunt ad aream Atad, quæ sita est trans Iordanem, vbi celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi impleuerunt septem dies.* Quam consuetudinem apud Hebræos increbuisse, & vim quandam legis obtinere, suadet illud Eccli.22. *Luctus mortui septem dies; fatui autem, & impij omnes dies vitæ illorum.* Hinc credo ortum esse, vt cùm quis familiariter alicuius infortuniū graue lugere vult, & vehementè ex eo se capere dolorem significare; septem dies apud illum tacitus sedeat, dolorémque animi aliqua significatione prodat. Sic amici Iob, qui ad illum venerant consolandi gratia, vbi cognouerunt dolorem esse vehementem, Iob cap. 2. *Sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum.* Puto igitur septemdialem hunc luctum, & silentium esse familiare quoddam acerbi doloris indicium, & beneuolentis animi legitimum argumentum; quo à miseris initur aliqua gratia, & quasi beneuolentia

Septemdialis luctus.

Exules pro mortuis habiti.

42. captatur. Hoc verò si ab alio vspiā, ab Ezechiele hoc loco præstari debuit, qui cùm grauia esset afflicto, ac tumultuanti populo nuntiaturus, illorum animos aliqua ratione conciliatos oportuit. Cúmque exules pro mortuis habeantur, quia sunt veluti germina reuulsa ab altrice terra, aut sicut abscissi à trunco rami, illis septemdiali planctu, aut, quod idem est, septemdiali silentio parentari decuit. Sanè ab hoc eodem Propheta captiui Iudæi mortui dicuntur, & in alieno solo, tanquam in sepulchris cadauera, tumulati. Sic enim cap. 37. de captiuis tanquam de vita functis loquutus est, postquam de ossibus aridis egerat, quæ vestita carnibus ad vitam redierunt. *Ossa hæc vniuersa domus Isrăel est, &c. & dices ad eos: Hæc dicit Dominus vester, ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris, populus meus, & inducam vos in terram Israel.*

43. Vers.16. *Cum autem pertransissent septem dies.*] Illo septem dierum lugubri silentio spectare potuit Propheta Iudæorum studia, quæ postea se-

A ueriùs reprehenderet, & ab illis beneuolentiam inire, qua reprehensionis acerbitas aliqua ratione leniretur.

Vers. 17. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel.*] Hinc iam apparet, quid in illa dulcedine 44.
deuorati voluminis, absynthij lateret, & fellis. Hactenus omnia videbātur esse dulcia, quale est videre spectrum illud cœleste, spiritu afflatū esse prophetico, ab spiritu leuari, & quædam alia, quę datum a Domino munus comitantur. At in speculatoris nomine, ac munere, quod ad hæc sustinere iubetur Propheta, quantum insit fellis, quæ statim à Domino latè proponuntur, & explicantur, satis ostendunt. In speculatore duo sunt, quæ
B ipse maximè obseruare, & accuratissimè præstare debet. Alterū est, vt in excubiis sit, & oculis, atque animis intentis obseruet, quid ab hostibus mali, aut paretur, aut impendeat. Alterum, vt clamet, edicátque, vt omnes sibi maturè à periculo caueant. Quare fieri non potest, vt speculatoris animus quietus sit, & otiosus, cùm illius somno, vel inertiæ propositum sit capitale supplicium, de quo mox. Porrò Prophetam speculatorē esse, 45.
non nunc primùm apud Ezechielem audimus. Dixit enim idē de se Isaias cap. 21. vbi cùm speculatoris partes expressisset, addidit, *super speculā Domini ego sum.* Dixit item idem de se Habacuc cap. 2. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum*
C *super munitionem meam, & contemplabor vt videam quid dicatur mihi.* Cùm autem Deus alia in speculatoribus reprehendat, tum maximè quòd cœci sint, dormiántque, cùm illos insomnes curæ, atque vigiliæ deceant, Isa.56.v.10. *Speculatores omnes cæci, &c. dormientes & amantes somnia.*

Speculatoris munus, & periculum.

Propheta speculator.

Audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me.] Hoc proprium est speculatoris munus, vt 46.
videat nempe à Deo reuelante, aut quid impendeat mali, aut quid facto sit opus; illúdq; deinde referat ad populum. Id se facturū dixit Habacuc citatus nuper. *vt videam,* inquit, *quid dicatur mihi.* Speculator itaque iste in vnum Deum intendit, neque se ad alia omnia distrahit cogitationem, &
D mentem, neque quid alibi aut curetur, aut fiat, pensi habet, quia cœlestium est, non terrenorum studiorum explorator. Neque quid vulgus hominum sentiat, aut dicat, statuat, aut velit, curat, referendúmque putat ad hominum aures; quia illud potiùs contēnendum est, cùm inanis sit sonitus, & stridor sine mente. Consecrauit enim propheticam linguam Dei potius mandatis annunciandis, quàm hominum nugis, & ineptiis; neque patitur vt ore formato iam, & erudito à Deo mundus abutatur ad ludicra. Id planè significat illud, *annunciabis ex me.* id est, meo nomine, quasi consiliorum meorum nuncius, & interpres, seu, quod idem est, ego per os tuum,
E quod quasi meum esse duco, cogitationes meas populis aperiam. Hæc sibi dici quoque putet vir Apostolicus, si modò ex aliorum vsu futuram esse studeat exhortationem suam.

Concionatoris qualis sermo.

Vers.18. *Si dicente me ad impium, morte morieris,* 47.
non annunciaueris ei.] Hoc merum est absynthium, & fel: in quod tandem abiit insignis illa dulcedo, quam expertus antè Propheta fuerat in volumine primùm deuorato. Neq; enim potest esse non amarum teneri quenquam annunciare dura ei, cui placere studeas, proposito vitæ, animæque periculo, si contrà quidquā audeas. Hic ego duo obseruo. Alterū, otiosum videri cuipiā posse annūciari a Propheta moriendū esse impio, cùm id eidē à Domino dictū esset: *Si dicente,* inquit Dominus,

minus, *me ad impiũ*, &c. sed reuera otiosum nõ est. vel quia hoc de impio dictum est vniuersè, sicut etiam vniuersè omnibus proponitur lex; tunc autem quæ impiis propositæ sunt minæ, iterari debent à Propheta, viróque Apostolico, renuntiarique assiduè, quod semper infixũ debet esse memoriæ. vel, quod potiùs reor, quia hoc loco *ad*, sicut alibi sæpè, sumptum est pro *de*, quod etiam dicendum est de *in*. Exẽpla de vtraque propositione adduximus ad illud Actor. cap. 2. *David enim dicit in eũ*, id est, *de eo*. De *ad* accipe pauca, Lucæ cap. 19. *Ait Iesus ad eum, quia hodie salus domui huic facta est*, id est, de eo, non enim sermo dirigebatur ad Zachæum, sed ad circumstantes. Ad Heb. c. 1. *Et ad Angelos quidem dicit*, id est, de Angelis. & c. 4. *Ad quem nobis sermo*, id est, de quo. sic hoc loco *ad impium*; idem est, quod *de impio*. Hæc mihi soluta, & facilis expositio est. sed si ita accipias, *si me dicente tibi: O Ezechiel, vt ad impium hæc mandata perferas, morte morieris ô impie, & nõ annunciaueris*, &c. non admodum repugnauerim.

REGVLA. Ad, & in. pro de.

48. *Ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requirã.*] Si Propheta siluerit, & propter eius inertiam peccator à profligato vitæ cursu non recesserit; morietur quidem ille propter iniquitatem suam, quia in se habuit, quòd eo supplicij genere mulctari potuerit; sed trahet in eandem secum calamitatem ignauum, & obliuiosum Prophetam; contra quem clamabit sanguis ille, quẽ diuina vindicta expressit ab impio. Hîc multa Patres de Prælatorũ ignauia, atque periculo; ac de illorum somnolentia, & incuria, quos Deus excubias agere perpetuas iussit. De quibus lege Gregorium in hunc locum, & Chrysostomum ad illud Epist. ad Heb. c. 13. *ipsi enim peruigilant*. homil. 34. Vtriusque verba grauissima sunt, planéque horribilia, digna, quæ legantur, ac expendantur ab illis, qui aut animarũ curam suscepere, aut curis vacant Euangelicis.

Speculatorũ inertia formidanda.

49. Hîc porrò duo notandi sunt Hebraismi, alter in præpositione *in*, quæ interdum idẽ valet quod *propter*. quomodo Paulus sæpè se vinctum appellat *in Domino*, id est, propter Dominum. Thrẽ. c. 3. *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei*, id est, propter contritionem. Sic hoc loco, *in iniquitate sua morietur*, id est, propter iniquitatem. & 1. Reg. c. 28. v. 21. sic Dauid ad Saul, *in duabus rebus gener meus eris*. id est, propter duas res. & Oseæ c. 12. *Seruiuit Israël in vxore*.
50. id est, propter vxorem. Alter est requirere alicuius sanguinem, idem esse quod vlcisci, qui dicẽdi modus in Scriptura sacra obuius est, Psal. 9. *Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est.* Genes. c. 9. v. 5. *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis*, &c. Quid sit autem sanguinem requirere, docuit statim: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Metaphora verò duci videtur à creditore, qui debitorem vrgere solet in iudicio, donec debitam sibi pecuniam extorqueat. Quibus verbis satis perspicuè significat Deus, Dominum se esse sanguinis effusi, sibique ab illo iniuriam irrogari, qui sanguinem effudit, aut qui, cùm posset ac deberet obstare, quo minùs funderetur, negligenter tamen se gessit, atque iniustè. Requirere autem tam in hoc, quàm in aliis Scripturæ locis, idem esse videtur, quod repetere, seu vendicare tibi quod ablatum est, aut quod à tuo vsu, seu potestate quoquo modo abiit.

In, idẽ quod propter.

Sanguinem requirere quid.

51. Hîc nos exploremus oportet, quod suppliciũ A minetur Dominus impiis, aut his, qui illorum periculis, cùm debeant, non occurrent; an moriturus dicatur spirituali morte, nempe animæ, quam adducit peccatum; vel corporea, quæ vitã extinguit, quam spirando ducimus? De spirituali accipiunt cõmuniter Patres, quasi Propheta dicat, peccaturum quidẽ impium, nõ admonitum à speculatore; peccaturum itẽ speculatorem, qui neque ruinæ spiritualis proximum admonuit, neque hærentem in peccato coarguit. Mihi verisimilius est de corporali morte minas intendi, quod etiam videtur sentire Pradus, & tenet non obscurè Gregorius in hunc locum. *Si hoc loco*, inquit, *sanguinis nomine mors corporis designatur, valde* B *nobis timendum est de nostro silentio; quia si Prælatus de morte corporis quandoque morituri, tam grauiter reus tenetur, quo reatu de morte animæ subiecti constringetur, quæ potuisset semper viuere, si verba correctionis audiuisset*. Et cùm ipse Ezechiel seipsum explicuerit, non est cur aliorum testimonium aduocemus, qui cap. 33. vbi hæc eadem verba, aut certè non admodum diuersa repetit, vbi gladij meminit, & sanguinis propriè, seu materialiter effusi. Comparat enim Deus cum speculatore Prophetam, qui non aliter denunciat à diuino furore supplicium impendẽs, quàm speculator imminere cladem ab hostili ferro. Adde quòd Deus non minabatur impio spiritualem mortem, id est, pec- C catum; sed potiùs mortem, si obstinato consilio persistere vellet in peccatis: nempe gladium, famem, & mortẽ quæ tam in hoc Propheta, quàm in aliorum plerisque frequenter audiuimus. Atqui nil aliud videtur hîc Deus intentare Prophetæ, quàm quòd declinaturus esset impius, si meliora meditaretur vitæ consilia; declinaret autem gladium, quem iamiã stringebat in ipsius viscera Chaldæus. Quare satis est verisimile, illud *morte morieris*, de corporali morte, & illud *sanguinem eius de manu tua requirã*, de proprio sanguine esse intelligendum. Quasi effundendus dicatur Prophetæ sanguis, gladio nempe, seu quod D idem propriè est, alio quouis mortis genere illi esse pereundum, qui occurrere noluerit seria, atque matura denuntiatione impendenti gladio. Sanè mortem subiit corporalem occisus à leone Propheta, qui minùs fideliter iniunctum sibi à Deo præceptum impleuit 3. Reg. c. 13. Et morti traditus est Ionas, licèt, vt ipse confessus est, à morte, & inferno liberatus fuerit, quia peccatoribus, qui Niniue morabantur, denuntiare refugiebat, illis post quadraginta dies fore pereundum. Hæc mihi satis videntur verisimilia; verùm à communi Patrum sententia recedere non libet, qui vt æternam mortem indictam putant peccatori, quem peccati neque pudet, neque pœnitet; sic etiam peccatum & æternam E mortem, quæ affinis est peccato, Prophetæ, qui mutus fuerit, cùm clamare debuit, comminatur.

Prælatus cuius mortis reus, si moriturum nõ admonuit.

Vers. 19. *Si autem tu annuntiaueris impio*, &c. 52.
Tu autem animam tuam liberasti.] Notum est ex Hebræorum idiomate *animam* pro vita sumi. Quo sensu audis in Euangelio sæpè, qui amat, aut qui odit animam suam; & animam portare in manibus. quare animæ nomen, non magis ad hanc, quàm ad illam explicationem facit. Liberauit itaque animam suam à peccato, qui peccantem admonuit; vel vitam suam à corporali morte, qui aliis autor fuit, vt mortem peccato debitam effugerent.

Anima pro vita.

Vers. 20. *Si conuersus iustus à iustitia sua fuerit,* 53.
& fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo.]

Hic locus valde perplexus est, & variis explicationibus expositus. Illud videtur certum, impiũ à iusto hoc loco, non ea ratione secerni, qua communiter distinguitur à Theologo. Illũ enim iustum vocat Theologus, qui à peccato liber est; contrà impium, qui peccatum admisit, quãtumuis scelus exhorruerit. At hîc Propheta consuetudinem considerat in impio, & obstinatum animum; in iusto verò aliqualem in colenda sanctitate constantiam, quam tamen aliquando vnus, aut alter lapsus interrũpit. Quomodo impij vocari potuerunt postremi Reges Ierusalem, qui variis temporibus à Chaldæorum Rege capti fuerunt, vel occisi, seu Prophetæ falsi, & qui suprà dicuntur ceruicem habere indocilem, & ferream, & attritam frontem. Iustus verò vocari potuit Dauid, etiam dum variis se sceleribus implicuit; quia & ante infelix illud tempus sanctè vixerat, & statim admonitus à Nathan, à scelere resipuit. Quare hîc Propheta, seu speculator, admonere iubetur tam impium, id est, qui iam pridem pietatem abiecit, & in peccatis obduruit; quàm iustum, qui cùm antè pietatem coluerit, à vitiis tamen aliquando superatus est, neque leuius in hoc, quam in illo periculum obtenditur obliuioso, & desidi. Nunc videndum, quid hac in re Patres censeant, & quid nobis magis videatur cum textu congruere.

Iustus quis, atque impius.

54. Sed priùs exploremus quid sit *offendiculũ*, quia vox hæc non leuem implicat difficultatem. Pro offendiculo Heb. est מכשול *micsol.* quam L X X. reddidere *tormentum*, Theodotus *infirmitatẽ*, Theodoretus *barathrum*, aut quid simile. Hieronymus infrà cap. 21. v. 15. *ruinas. Qui multiplicat ruinas.* & Ierem. 6. v. 21. *Ecce ego dabo in populum istum ruinas.* Ex quibus intelligitur facilè in *offendiculo*, aut mortem exprimi; aut durum aliquid quod mortem inuehat, aut dolorem aliquem, & molestiam inducat, aut certè vtriusque mortis occasionem.

55. His vtcunque positis aliorum iam sententias explicemus. Vatablus occasiones intelligit peccandi, quæ ad mortem spiritualem deducunt insipientes: quales sunt honores, diuitiæ, & alia quæ vulgò numerantur in bonis, quæ vires animi debilitant, & nisi homo sibi ab illis, tanquam ab hoste caueat, in exitium trahunt. Quare iuxta Vatabli mentem, qui sentire videtur cum quibusdam Hebræorum Magistris, Rab. Salomone, Rab. Dauid, & illius parente Iosepho, hæc est sententia. *Cùm ego,* dicit Dominus, *diuitias, aliásq; commoditates humanæ vitæ viro antea iusto largitus fuero; atque ille abusus benignitate mea, aut vano elatus spiritu, aut in luxum, intemperantésque delicias solutus à iustitia defluxerit, ita vt offendiculum sibi ex mea liberalitate parauerit: si illum non admonueris, vel vt sibi caueat, vel, vt ad iustitiam quam prodiderat, redeat; cum illo simul tu quoque morieris.*

56. Alia expositio adduci posset huic non dissimilis, si in *offendiculo* tormentum intelligas, seu infirmitatem, aut certè ruinam, id est, ruinæ aliquam occasionem; ita vt effectum hîc sumas pro causa, aut occasione ruinæ. In hanc sententiam, si ego iusto occasionem offeram, qua probari, explorari, atque augeri virtus possit, quale tormentum est, ab hoste, seu à tyranno propositum, seu infirmitas, cui multi per impatientiam succumbunt; aut alia quæcumque res, cui ipse, quia resistere noluit, fœdè lapsus est. & tu non admonueris, &c. Tam verò in hac, quàm in præcedente explicatione ὕστερον πρότερον est, quando quod priori loco statui debuit, in posteriori collocatur, quod in Scriptura sacra fit non rarò; quale est illud Marònis lib. 1. Æneid.

——frugésque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Deinde particula conditionalis *si*, quæ priori membrò præfixa est, iterari etiam debet in posteriori, hoc modo. *Si ego ponam, aut si ego posuero offendiculum coram iusto, & si conuersus fueris iustus à iustitia sua,* &c.

Gregorius hîc, quẽ Hugo sequitur, longè aliter exponit, putátque in peccati pœnam, obiici iusto iam antè lapso aliquid, ad quod allisus, atque impactus iterum offẽdat. Illum tu iam audi homil. 11. in Ezechielem. *Peccatori non redeunti, & contemnenti ponit Deus, vbi grauius impingat, peccatũ quippe, quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, & causa peccati; aut peccatũ est, & pœna peccati.* & plura alia in hanc sententiam. Deinde lõgè post hæc verba explicat quid sit Deum offendiculum ponere. Nam cùm dixisset: *Quia videre pœnitendo noluit, vbi iam impingit, iusto eum iudicio deserens, ponã ei, vt & alibi impingat.* Addit statim: *Quod tamen Domini ponere est nequaquam ad peccatum premere, sed nolle à periculo liberare, sicut de Pharaone dicitur, ego indurabo cor eius.* vide totam homiliam, quæ planè grauis est, lectúque dignissima.

Peccatum peccati pœna.

In aliam sententiam tres magnos interpretes adduco; qui licèt in vnum aliquid non omnino conspirent, tamen nõ admodum inter se dissentiunt. Hi sunt Hieronymus, Theodoretus, Origenes, qui in *offendiculo* aliquid agnoscunt à beneuolentia potius, quàm ab odio, atque offensione profectum. Licèt enim molestum aliquid sit, & naturæ sentienti contrariũ, est tamen eiusmodi, vt reducat ad Deum, aperiátque oculos, quos cæcauerat culpa. Audi Hieronymum. *Iustus, si fecerit impietatẽ, atque peccatum, non statim moritur, sed ponitur offendiculum coram eo, seu tormentum, seu, vt Theodotus dixit, infirmitas, vt torqueatur, & planã viam non inueniat, & intelligat se languidum. De quibus & Apostolus dixit 1. Cor. 11. Ideo infirmantur multi apud vos, & dormiunt multi. Prodest enim iusto intelligere delictum suum, conscientiaque tormentum, & dicere cum Psalmista: Conuersus sum in ærumna mea, dum mihi infigitur spina.* Adde tu his, quæ adduxit Hieronymus, illud Oseæ cap. 2. *Ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria,* &c. *Et dicet vadam, & reuertar ad virum meum priorem.* 57.

Aduersum aliquid à Deo mittitur vt hominem abducat à peccato.

Theodoretus offendiculũ putat exitium sceleratæ vitę, nempe barathrum, quod propositum à Deo iusto, qui à iustitia cecidit, illum ad sanã mentem reuocat, & statum meliorem. Hæc sententia grauis est, & proximè videtur rem ipsam attingere: sed nescio quomodo minùs, cum eo quod statim succedit, aptè consentit. Iuxta quã expositionem valde notandum, quòd non satis videtur habere Deus, quod peccatorem admonuerit, terroremque obtenderit gehennæ, aut spinis semitas omnes obsepserit; per quas sese ostentabat ad peccandum aditus; sed etiam id à speculatore exigit proposito graui aut corporeæ aut spiritualis vitæ periculo, vt ad illum clamet, edicátque seuerè, vt sibi ab eo quod paratum est malum maturè caueat. Ex quo etiam colliget attentus lector, quàm desideret Deus hominum salutem, quando illi tot modis, atque rationibus prouisum esse vult. 58.

Deus de hominum salute sollicitus.

Ego ex his omnibus conflare sententiam vnã curabo, si quomodo consequi potuero, quæ & textum impleat, & magis rerum ipsarum naturæ conueniat. Et primum mihi videtur in *offendiculo,* 59.

Offendiculi quid. culo, nihil apparere benignum ac molle; sed potiùs aliquid ab offensione, & iustitia vindice profectum; siue illud sit priuatio illorum, quæ magis expediunt,& muniunt viam,quæ ad salutem deducit æternam;id est, quia Deus offendicula occursare permittit,quæ benignior animus, & indulgentia maior à semita summouerat. Interdum enim ea Deus dicitur facere,aut ponere, quæ non remouet, aut quæ tantùm permittit:vt paulo antè diximus ex Gregorio. Et quidem de via Iusti offendicula tolli,sæpè audis in Scriptura,quæ tunc Deus ponere existimari potest, cùm inde non aufert. Prouerb. cap.4. *Viam sapientiæ monstrabo tibi,ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris non artiabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* & cap.15. *Iter impiorum, quasi sepes spinarum: via iustorum absque offendiculo.* Isaiæ cap.57. sic Deus de iusti via. *Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei.*

60. Aut certè Deus paratum habet peccatori supplicium, nisi resipiscat, barathrum, nempe crucem,aut gladium;quo ostenso dicit tacitè, *morte morieris.* Et hoc videntur voluisse LXX. quia vocem מכשול *micsol*, reddidere *βάσανον*, id est, cruciatum,& ipsa vox Hebraica,quæ *casum* significat, seu ruinam. In quam sententiam inclinat Maldonatus.Quare idem esse puto,cùm de iusto iam tamen lapso dicitur, ponendum esse offendiculum coram eo, atque de impio dicitur,*morte morieris.* Idem enim valet ferrum intentare alicuius iugulo;aut crucem ostendere, ac dicere illi esse moriendum. Idem etiam penè relinquendum offendiculum in via, atque aliquem in via casurum esse. In hac cogitatione, nullum offendiculum video admodum difficile, in quod impingat ista sententia. Neque tamen ideo alias non amplector, quæ se magno autorum suorum pondere tuentur.

61. *Quia non annunciasti ei, in peccato suo morietur: & non erunt in memoria iustitiæ eius,quas fecit: sanguinem verò eius de manu tua requiram.*] Clausulam istam obscuram reddit hyperbaton, quod aliqua ratione, quæ filo continenti contexi potuere,dissociat. Sublato autem hyperbato, sic aptè concluditur,atque ordinatur sententia: *In peccato suo morietur* (iustus,qui cecidit) *& non erunt in memoria iustitiæ eius,quas fecit: quia verò tu non annunciasti, sanguinem eius de manu tua requiram.* Quomodo iustitiæ eius, qui post opera præclara lapsus est, in Domini memoria futuræ non sint, disputant pluribus Scholastici. vide Magist.4.d.22. & 14. S.Thom.ibid.1.p.q.88. art.1.q.89.art.4. Hæc eadem iterat Propheta cap.18. v.14. vbi nos ea de re fortasse pluribus.

62. Vers.22. *Et facta est.&c. Surgens egredere in campum,& ibi loquar tecum.*] Consederat, vt vidimus, Propheta in captiuorum medio, vbi per otium, illorum consilia, atque conatus spectare potuit, quæ postea acri,atque seuero sermone reprehenderet, & ab illis, quod ars præscribit oratoria, gratiam iniret, & beneuolentiam captaret. Sed postquam ibi satis moræ posuisse visus est, euocatur à turba, & in campum seorsum, id est, in solitudinem secedere iubetur. Quo id autem consilio fiat, non videtur difficile coniectare. Quidam ideo separatum esse putant, vt viso diuino iudicio, quod illi statim oblatum est, metum abiiceret, propter quem, quod accepisset à Domino mandatum, nunciare cunctabatur; & adductus minacibus verbis, de quibus nuper, adamantinam frontem cum dura Iudæorum fronte concuteret. Sed hæc explicatio non aptè cum isto rerum articulo consentit. Neque enim quicquam hactenus definitè nuntiare iussus est; tantùm enim habebat in mandatis, vt quæcunque accepisset à Domino, illa, nisi vitæ mallet subire dispendium, ad populum deferret. Placet magis quod Theodoreto visum est, quódque Pradus admittit;ideo in agrum fuisse vocatum Ezechielem,quia ibi otium est,& quies à forensi, ac populari strepitu, & dissipatum rerum contemplationi secessus opportunus. Vt autem Oseæ cap.2. dixit ad fugitiuam sponsam Deus, *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*; sic nunc eodem consilio dicit Deus, *Egredere in campum, & ibi loquar tecum.*

Vers.23. *Et surgens egressus sum in campum: ecce ibi gloria Domini stabat,quasi gloria quam vidi, iuxta fluuium Chobar.*] Hæc species sæpe oblata est Prophetæ; ideo suprà tam accuratè descripta. Cur visio illa gloria dicatur Domini, suprà explicuimus. Est autem visio illa aptissima rebus omnibus, quas Dominus Prophetæ statim à sequentis capitis initio proposuit. Vt enim in illo spectro nihil intuebamur non horribile, contrà ciuitatem Solymitanam iam Chaldæorum gladio, fami, pestique deuotam;sic prophetia tota, paucis admodum exceptis cædem sonat, & famem, & illa omnia,quibus cruento in prælio,& obsidione longa perfuncta est. 63.

Et cecidi in faciem meam.] Idem etiam acciderat Prophetæ, cùm primùm species illa desuper oblata est;ex quo licet existimare,quàm illa fuerit horrifica,cùm ex ea licèt priùs tam considerata, atque perspecta diligenter, nihil decesserit horroris, nihil sit ab admiratione, siue stupore remissum.Quid sit *in faciem cadere*,ad eadem verba diximus,cap.1. 64.

Vers.24. *Et ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos.*] Quæ hic dici poterant, suprà à nobis adducta sunt cap.2. ad eadem verba: neque hîc quicquam muto. Si de humano spiritu, id est, de vigore, qui ex animo consternato decesserat, hæc accipias, vt suprà magis opinabamur verisimile; post *pedes meos*,statuendum est punctum, & quod proximè sequitur, *Et locutus est mihi*, non est ad *spiritum* referendum, sed ad Dominum,cuius gloria propheticis oculis obiecta est. Sed, vt dixi,nihil de priori sententia aut adimo,aut muto. 65.

Ingredere, & includere in medio domus tuæ.] Magnum aliquid, & arcanum portendit secessus hic, atque abstrusio Prophetæ. Hieronymus in Propheta incluso, portendi putat vrbis obsidionem, idem penè Apollinaris, & Theodoretus. Sed non videtur improbabile, imò potiùs ad veritatem magis, quod ex Rab. Dauid sententia putat Maldonatus,ideo domi inclusum esse Prophetam,vt ibi illa tot acciperet oracula,quæ toto hoc libro disseminata sunt. Quare ligatus etiam mansit, & mutus, ne domo pedem foras efferret, aut quicquam eorum, quæ audierat, ad populum produceret, donec os aperiretur occlusum, & ligati pedes soluerentur. Quare quæ toto hoc libro legis, Ezechiel audit à Deo, non ab Ezechiele populus. Et ideo frequens est in principio omnium ferme capitum, *Audi fili hominis*, aut his affinia. Quo verò tempore facta fuerit aut potestas exeundi domo, aut loquendi facultas, ipse videtur indicare Propheta: de egressu extra limina cap.8. si modò ab Angelo 66.

 delatus

image
not
available

explicat statum captiui populi, cuius linguam etiamsi prouocatam iniuriis sic constringit metus, vt neque in summo dolore, de sua fortuna queri, atque mutire audeat.

74. *Quia domus exasperans est.*] Hic constat, quàm errarit longè Polychronius, qui ideo censet constrictum esse vinculis Prophetam, quia parere Domino noluit, furorem metuens attritæ frontis, & æreæ ceruicis; quemadmodum similem ob causam Ionas iactatus priùs tempestate graui, in marinæ postea belluæ stomachum demersus est. Neque enim silentij causa dicitur inobedientia, ac metus Ezechielis; sed contumacis populi durities, quæ propheticæ vocis officium retardabat.

Propter peccata populi lingua constringitur Doctoris.

75. Vers. 27. *Cùm autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum.*] Satis est verisimile accepisse Ezechielem aut omnia, aut prope omnia oracula, quæ scriptis mandauit, eo tempore, quo erepta illi fuit loquendi, ac domo prodeundi facultas. Quæ tamen omnia ad populum effudit, cùm soluta lingua fuit, & data libertas in publicam lucem progrediendi. Tunc enim liberum fuit Prophetæ loqui, seu, quod idem est, tunc eius os apertum fuit omninò, vt diximus suprà num. 67. cùm vastata fuit ciuitas ab hoste Chaldæo, duodecimo nempè anno post transmigrationem, & octauo, aut eo circiter, postquam inclusus est domi, & silere aut iussus, aut coactus. Sic habes c. 33. v. 22. vt notauimus suprà num. 67. *Cùm locutus*, inquit, *fuero tibi.* id est, cùm acceperis à me mandata omnia, seu oracula, quæ tam ad populum tuum, quàm ad Gentes alias delaturus es.

Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus.] Soluta linguâ meo loquéris nomine, aut prophetico spiritu, & autoritate cum aliis ages, id enim est, *dices ad eos: Hæc dicit Dominus.* hæc namque quasi forma est, & proœmium propheticæ vocis. Ex quo colliget vir Apostolicus, quique è loco superiori verba ad populum habet, quàm debeat diligenter, & diu secretò secum illa meditari, quæ à Domino in illum vsum acceperit; (neque enim alia in concionem verecundè possunt, & honestè proferri) cùm longum tempus datum fuerit Ezechieli, vt illa secum meditetur, ac verset, quæ à Deo in publicam commoditatem oblata sunt. 76.

Meditari secum debet concionator, quæ ad populum effundat.

Qui audit, audiat; & qui quiescit, quiescat.] Hæc à nobis explicata sunt suprà v. 12. ad eadem propè verba.

IN CAPVT QVARTVM.

ARGVMENTVM.

CONSTRICTVS tenebatur, & elinguis domi Propheta, cùmque vocis nullam haberet facultatem, & vsum; signis loquitur, notisque hieroglyphicis, quod vnum mutus præstare poterat. Sumit primùm iubente Domino tabulam, quam hoc loco laterem appellat, in eáque describit, quàm sit angusta obsidione premenda Hierosolyma. Deinde sartaginem prope ciuitatem constituit, in qua Chaldæorum adumbratur exercitus; cuius erat militare signum aut olla succensa, aut in sartagine, seu prunario vase ardentes flammæ. Denique iubetur in latus decumbere sinistrum tercentos ac nonaginta dies, in quibus totidem significantur anni, quibus decem tribus auita religione prodita ad idola colenda defluxerat: quibus exactis conuerti iubetur ad dextrum, diebus quadraginta; quia domus Iuda totidem annis alienis se superstitionibus polluit. Ad extremum panes ex variis seminibus commiscere iubetur, & sub humano stercore torreri, pro numero dierum, quibus durabit ciuitatis obsidio, quibus diebus singulis vescatur ad mensuram angustam: quod portendebat, quanta obsessis futura esset angusta res cibaria.

CAPVT IV.

1. *ET tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te: & describes in eo ciuitatem Ierusalem.*

2. *Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.*

PARAPHRASIS.

1. CVm constrictus, & mutus desiderem domi, locutus est ad me Deus in hunc modum: Sume tibi ô Ezechiel, tabulam in laterculi similitudinem quadratam, in qua ante oculos proposita describes, primùm Ierusalem.

2. Deinde ordinatas Chaldæorum acies, qualiter ab imperatore perito, ac vigilante in obsidenda, atque oppugnanda vrbe instrui solent. Ædificabis machinas, vallos comportabis, & aggerem; & circum vndique castra dispones; præferrataque statues in circuitu ligna, quæ arietum

3. Et

A tum in modum portas effringant, & mœnia verberent, atque discutiant.

3. Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum inter te, & inter ciuitatem: & obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obsidionem, & circumdabis eam: signum est domui Israel.

3. Sume præterea ferream sartaginem cum ardentibus prunis, quæ Chaldæis est pro militari signo, quam iner te, & ciuitatem, quasi murum ferreum interpones. Tum deinde aduersam faciem ad ciuitatem obuertes: & quia ipsa hostis obsidebit, tu hoc ipso hieroglyphico signo significabis. Hoc enim Israelitico populo portentum esse volo.

4. Et tu dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates domus Israel super eo numero dierum, quibus dormies super illud, & assumes iniquitatem eorum.

4. Dormies deinde in sinistrum latus
B incumbens. Quo somno Israelitici populi supplicia portendas, dierum numero ad annorum moram attemperato, cuius tu iniquitatem, & pondus in teipsum assumpsisse videbere.

5. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos & nonaginta dies: & portabis iniquitatem domus Israel.

5. Imposui tibi iniquitatem, & pondus domus Israel. Cùm verò tercentis, atque nonaginta annis inuerecundè decem tribuum impietas dominata sit, totidem diebus sinistro incumbens lateri dormies, & eo modo Gentis illius iniquitatem portabis; significabísque quid illorum impietati
C supplicij debeatur.

6. Et cùm compleueris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundò, & assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus, diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.

6. Cùm autem anni illi fuerint completi, conuersus in dextrum latus, & in illud incumbens quadraginta rursus diebus dormies, in quibus assumes in te iniquitatem, & pondus domus Iuda, quæ totidem annos vitam egit profligatam, & turpem: singulis namque diebus singulorum annorum spatia respondent.

7. Et ad obsidionem Ierusalem conuertes faciem tuam, & brachium tuum erit extentum: & prophetabis aduersus eam.

7. Post mysticum hoc, & hieroglyphicum somnum, qui totidem definiet dies obsidionis Hierosolymæ, quot ipse sibi à
D dormiente vindicabit. Obuertes faciem tuam minacem, & toruam ad Ierusalem, extendésque brachium, quasi gladium illi, & vulnus intentans; & durum in illam vaticinium intorquebis.

8. Ecce circumdedi te vinculis: & non te conuertes à latere tuo in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuæ.

8. En vinculis constrictus es, & alterum procumbes in latus, à quo te non versabis in alterum, donec tot compleas in somno arcano dies; quot tolerabit in sua obsidione Solymitana ciuitas.

9. Et tu sume tibi frumentum, & hordeum, & fabam, & lentem, & milium, & viciam: & mittes ea in vas vnum, & facies tibi panes numero dierum, quibus dormies super latus tuum: trecentis & nonaginta diebus comedes illud.

9. Sicut in somno supra sinistrum la-
E tus obsidionis spatium definiisti; sic nunc edulio insipido, agresti, & parco, qualem solum appetet extrema fames, quàm sit obsessis angustus, & insulsus futurus cibus significabis. Sumes igitur frumentum, hordeum, & fabam, & lentem, & viciam, & milium, & ex his omnibus in vno pistorio vase subactis panes finges iuxta numerum illorum dierum, quibus in sinistrum latus incumbes, tercentos videlicet, & nonaginta, quos in totidem dierum edulium parabis.

10. Cibus autem tuus quo vesceris, erit in pondere

10. Demensum verò tuum in singulos

pondere viginti stateres in die: à tempore vsque ad tempus comedes illud.

A los dies viginti staterum erit, quod nempe decem vnciarum pondus non excedat; quo vesceris à tempore, quo super sinistrum incumbes latus; donec expleto definito tempore in alterum te latus conuertas.

11. *Et aquam in mensura bibes, sextam partem hin: à tempore vsque ad tempus bibes illud.*

11. Eodem autem tempore ad angustum cibum, angustum quoque potum adhibebis, sextam videlicet partem hin in dies singulos à tempore, quo parcè vesceris rustico, ac lapidoso pane.

12. *Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud: & stercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum.*

12. Panem illum ex diuersorum seminum commixtione subactum ita coques, B sicut sub prunis, calidóque cinere, focacius, seu subcinericius panis ex hordeo coqui solet, quem in omnium conspectu ardentibus humani stercoris cineribus operies, illorúmque calore torrebis.

13. *Et dixit Dominus: Sic comedent filij Israel panem suum pollutum inter Gentes, ad quas eiiciam eos.*

13. Tunc ad me Dominus: Sicut tu polluto vesceris pane, sic filij Israel panem sibi parabunt obscœnum, ac pollutum inter illas Gentes, in quas illos postea dispertiam.

14. *Et dixi: A a a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta; & morticinum, & laceratum à bestiis non comedi ab infantia mea vsque nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda.*

14. Ad hæc ego: Absit à me Domine; C neque enim ego vnquam à teneris annis, illis vsus sum cibis, quos lex remouet ab Hebræorum mensa; aut quorum natura, ac modus nauseam mouet. Abstinui enim semper à suffoco, morticinio, & ab eo, quod laceratum est à bestiis; neque gustaui vnquam aliquid immundum.

15. *Et dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis: & facies panem tuum in eo.*

15. Tunc rursus ad me Deus: Quando tantopere humanum stercus stomacho nauseante fastidis, illud tibi cum bouino commutare licet, in quo minus est, D quod stomachus, & natura horreat; sub eo tibi subactum panem torrere permitto.

16. *Et dixit ad me: Fili hominis: Ecce ego conteram baculum panis in Ierusalem: & comedent panem in pondere, & in solicitudine: & aquam in mensura, & in angustia bibent.*

16. Et iterum Dominus ad me: Ecce ego efficiam, vt in Ierusalem non sit panis, qui sustentet, & roboret obsessos, sicut baculus senile sustentat corpus. Comedent enim panem non vt natura, aut necessitas exigit largè, & abundanter; sed ad mensuram, eámque vehementer angustam; idque non sine perturbatione, ac metu, ne quod ipsis reliquum est cibi à famelicis aliis auferatur: quod ipsis in aqua- E rum mensura eodem etiam modo continget.

17. *Vt deficientibus pane & aqua, corruat vnusquisque ad fratrem suum: & contabescant in iniquitatibus suis.*

17. Cùm ciues fame pereant, confugient ad fratres, apud quos ciborum aliquid esse suspicabuntur. Cùm autem illi non minùs laborent angustè, alter in alterius aspectu fame deficiet, corruétque, ita vt alter alteri non possit esse subsidio. Contabescent denique aut enecti fame, aut tabe consumpti; quia sic exigit illorum obstinata perfidia.

1. CCEPERAT de manu Domini volumen Ezechiel, dulce primùm, deinde vehementer insipidum, in quo vniuersim, atque confusè cognouerat contineri lamentationes, & carmen, & væ. Quid verò illud lamentabile, ac lugubre foret, explicatè non nouerat: agit iam Deus illius obscuri, atque impluti libri quasi anagnosten, & interpretem, & pluribus explicat, quæ tanquam in compendio, atque inuolucro neque legere, neque intelligere Propheta potuisset. Hæc porrò accepit per aliquot annos, dum mutus, & vinculis constrictus desideret domi, à publico aliorum congressu, atque conuictu separatus. In quibus meditandis, cùm longam, ac sedulam operam posuisset, & quasi fortis Athleta ab Alipta Deo esset instinctus, & adamantina communitus fronte, post diuturnam moram in lucem, & quasi in arenam descendit, & quæ à Deo horribilia acceperat, ad populum produxit, quod ipse hauserat amarum poculum, tam contribulibus suis, quàm externis Gentibus propinauit.

Visionem hanc, & cõplures alias accepit Propheta, cùm vinctus adhuc esset, & mutus.

2. Vers. 1. *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem.*] Hoc videtur in libri principio fuisse contentum, & ideo primo loco Prophetæ propositum: quod compendium quoddam est eorum, quæ res Solymitana pertulit à Chaldæis. Hæc verò proponi iubentur, non tam auribus, vt pleraque alia, quàm oculis Iudæorum, vt vno aspectu contemplari liceret, quæ oratione longa explicari non possent. Iubet ergo Dominus, vt dum clausus est Propheta domi, in tabula describat Ierusalẽ a Chaldæis obsessam, & apparatum, atque instructum omnem bellicum, quo vrgeri solet ab hostibus obsidio, eo, vt arbitror, consilio, vt ex illa miserabili rerum specie captiui cognoscant, quanto fuerit leuior sua, quàm illorum fortuna, qui in vrbe remanserunt, quos tam angustè, ac durè vexari vident: ac tandem incipiant ex aliena calamitate discere, quid Ieremiæ consiliis debeant, in quem, tanquam in furiosum, & insanum multa iactabant, & Prophetæ nomine, & viro tanto prorsus indigna.

3. *Sume tibi laterem.*] Hic nonnulli quærunt coctilis ne sit, an crudus ille laterculus, in quo scribi iubentur obsessa Hierosolyma, & Chaldæorum castra. Hugo, & Lyra crudum putant esse laterem, quem Hispani *adouen* appellant: quia videtur in coctili, quem Hispanus *ladrillo* vocat, malè posse duci lineas, & figuram incidi. Alij communiter laterem coctum esse credunt, & ea maximè ratione ducuntur, quòd vox Hebraica לבנה *labenah*, aliquid sonat candidum, quod in crudo laterculo non apparet; secus autem in coctо. Ego propter tot virorum auctoritatem in eam opinionem adducor, vt coctilem esse laterem opiner. Nihilominus quid mihi vero videatur similius, paucis ostendam.

4. Et primùm puto tam vocem לבנה, quàm Græcam πλίνθος, quem adhibuere LXX. & *laterem*, significare aliquid aliud, quàm nos voci *lateri*, seu *lateribus* subesse existimamus; figuram nempe omnem quadrilateram, seu etiam latam, qualis est tabula, ex quacunque illa materia quadrari, aut fieri contingat. De Hebraica voce לבנה mihi dubium non est, quæ corpus significat candidum, quale est lunare; quod hominũ oculis speciem obiicit albicantis tabulæ. & ideo לבנה dicitur, eodem nempe vocabulo, quo laterculus. Ne-

Later pro tabula.

A quã semel vox eadem lapis appellatur, sicut hic reddidit Chaldæus Paraphrastes Exod. 24. *Sub pedibus eius tanquam opus lapidis sapphirini.* lapis autem ille propitiatorium referebat, quod instar habebat tabulæ pro scabello diuinis substratæ pedibus. Item apud hunc Prophetam cap. 10. v. 1. לבנה *lapis* redditur. *quasi lapis sapphirus*, seu sapphirinus. Neque video, si notationẽ spectes Hebraici vocabuli, quomodo laterculus coctilis appellari debeat לבנה, cùm candidus nõ sit; sed potiùs ruber, nisi fortè quis putet Hierosolymis, aut Babylone candidos esse lateres, quod fingi quidẽ cogitatione potest; probari fortè non ita facilè.

B De voce Græca πλίνθος, audaciùs hoc affirmo, cuius vsus varius, & tabulam, seu laminam valet ex quacunque materia. Sanè vocẽ illam Symmachus πλίνθιον transtulit, quã Hieronymo teste, etiam abacum significat, in cuius puluere solent Geometræ lineas radio describere. Dioscorides πλίνθον appellat κολύβδινον, id est, laminam plumbeam: Aristophanes πλίνθον χρύσεον, id est, laminam, seu tabulam auream. & in columnis quadrati lapides, cui columniarum basis innititur, aut cui capitellum imponitur, πλίνθος appellatur. Ab hac figura forma quædam Mathematica nomen habet Plinthij, quo etiam nomine tabella latruncularia vocatur. 5.

C De voce Latina non est adeò certum, verumtamen aliquid significare aliud, à laterculo seu crudo, seu coctili, mihi difficile non est. Vt enim ipsius nominis ratio docet, lateres sunt, qui lateribus vndique clauduntur, vt sunt quadranguli. Quare Hispani quidquid tetragonũ est, seu quadratum, *ladrillo* vocant: sicut Latini tessellatum. Quare ipsis familiare est, *ladrillo de Iabon*, *ladrillo de turron*, *ladrillo de Sal*, & similia. & in textu quadrata segmenta *ladrilleios* dicuntur. & quæ ex illis contexta sunt, quæ tessellata vocant Latini, labor de ladrilleios appellant Hispani. 6.

D Ex his ego coniectabam non sumpsisse Prophetam, id quod propriè laterẽ appellamus subactam, nempe cretam figularem, & in quadrũ redactam; sed tabulam ex alia materia, seu laminam cretatam, in qua penicillo, aut calamo describi posset ciuitas, & machinaméta alia in Chaldæorum exercitu, de quibus mox. Quam mihi sentẽtiam multa persuadẽt. Primùm, quia longè est ab hominum vsu, imò & à rerũ natura, vt in latere, in propria significatione, aliquid penicillo pingatur, aut incidatur stilo. Deinde quia eo cõsilio, vt apparet, hæc à Propheta describuntur, vt in illis populus intelligat futuros ciuitatis, & contribulium euentus: quare ita exprimi debuerunt, vt videri ab omnibus, & intelligi possent, quod certè fieri non posset, nisi admodum laboriosè, ac tardè, si lineæ essent in concolore latere descriptæ. 7.

E Sanè cùm Deus vellet eidem populo aliquid ob oculos ponere, quod rerum figuram admoneret, illa in grandi volumine notari voluit, vt ab oculo etiam festino, & properanti legi, & obseruari possent. Isaiæ c. 8. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, velociter spolia detrahe, citò prædare.* En quàm pauca verba in grãdi volumine iubentur inscribi. Neque video quem laterculus vsũ habere possit in hac hieroglyphica pictura. Nam quod quidam aiunt, in latere ciuitatis muros significari, quasi lateritij forent; id nemo regionis illius, & fabricæ tam priuatæ, quàm publicæ peritus admittet. Cùm enim regio illa petrosa sit, è saxo potius, quàm è latere excitantur ædificia; quare laterum nusquam auditur nomẽ, 8.

Laterculorũ vsus in Iudæa rarus.

nisi

nisi cùm de regionibus aliis sermo est, de Ægypto, puta, Babylone, aliísque locis, quæ minus commodè pro construendis domibus saxa suppeditant. Sanè à lateribus quædam è murorum portis fictilis vocatur Ierem.c.19. *quæ est iuxta introitum portæ fictilis*, vt multi putant, quod sibi nomen nullo modo vendicaret, si muri forent lateritij. Sed neque illa porta ideo vocatur fictilis, quia è laterculo constructa; sed aliam ob caussam, quam in illum Ieremiæ locum adduximus.

9. Hæ me coniecturæ eò deducunt, vt existimē laterem pro tabella sumi, siue lamina; vbi diuerso magísque aspectabili colore distinguerentur quæ à Domino iubentur effingi. Quod prophetandi genus per signa non infrequens est. Sic in quadam quasi imagine prophetauit Isaias excalceatus, & nudus cap.20. Ieremias catenis oneratus cap.27. & fracta laguncula cap.19. & Zacharias pascens priùs pecus occisionis cap. 11. & deinde assumpta persona stulti pastoris; & noster Ezechiel sæpiùs, quàm aliorum quiuis. Sic ergo nunc signis regiæ ciuitatis euentus annunciat: vt oculis vel inuiti videant indociles Iudæi, quod auribus audire detrectant. Neque mihi difficile est à Propheta per plures annos vincto, atque elingui, missam esse tabulam duræ illius calamitatis nunciam, quæ pro ipso loqueretur, quando ipse neque foras prodire, neque si posset, impedita lingua, loqui permitteretur.

Propheta signis loqui soliti.

10. Vers.2. *Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones.*] Id est, describes in tabula ordinatas Chaldæorum acies, qualiter ab optimo, ac vigilante imperatore in obsidenda, atque oppugnanda ciuitate ordinari solent. Pro *munitionibus* Heb.est דיק *daick*, quam varij variè accipiunt. Septuaginta propugnacula transferunt, Chaldæus machinas, Vulgatus semper munitiones, quas Hieronymus illas esse putat, quæ hostibus aditum ad fugam, & libertatem præcludunt. Rab.Salomon machinam esse censet, quæ saxa iaculatur intra mœnia, quales sunt balistæ, & catapultæ, aut quoduis aliud murale tormentum. Rab.Dauid, cui Pradus subscribit, turrim esse opinatur ligneam, quam describit Vitruuius lib.10.cap.1. quæ muros aut æquabat, aut excellebat, in qua machinamenta quædam locabātur, quæ saxa, & tela intra ciuitatis mœnia torquebant, aut ipsa mœnia alio, atque alio modo verberabant. Idē videtur sentire Iosephus, qui lib. 10. Antiq.c.11. erectas dicit fuisse turres à Chaldæis, ex quibus propugnatores stantes pro mœnibus arcebantur. Quid horum sit, incertum est; ego aliquid hîc cum Hieronymo vniuersalius proponi arbitror, quod deinde singulatim clariùs exponitur. Antiqua Hispanica translatio *bastida* reddidit, quæ turrim significat ligneam, vt putabat Kimhius.

Turris lignea.

11. *Et comportabis aggerem.*] Heb. סוללה *solelah*, à radice, quæ sternere, seu complanare significat. Est autem agger nō obiecta moles, quā pro muro hostes hostibus opponūt, quas vulgò milites *trincheas* appellant; sed quæ comportari solent ad consternenda, complanandaque loca salebrosa, atque concisa, quales sunt fossæ, quæ viam aggressuris impediunt. Hic agger ab Hispanis *fagina* dicitur, nempè materia seu eruta, seu cædua; quales sunt cespites, ramalia, trunci, saxa, quæ intercisa complent; & quod inuium erat, peruium reddunt, & planū. Fecerunt fortasse Chaldæi, quod eodem in loco, multo pòst Romani, qui excisa sylua, vastam quandam voraginem

Agger quid.

A impleuerunt. de quibus sic Iosephus lib.6. de bello. cap.4. & cap.5. *Qui* (nempe Titus) *iussit exercitum totum, quod erat vsque ad muros spatium cōplanare. Cuncti igitur maceriis, ac sepibus dirutis, quibus hortos, ac prædia incolæ præmunierant, omnique opposita quamuis frugifera sylua excisa, repletum est, quicquid erat cauum, & vallibus impeditum.*

Et pones arietes in gyro.] Vox Heb. כרים propriè *arietes* valet, figuratè machina quædam in capite præferrata, quæ muros verberat, ac disiicit; quæ etiam in re militari vocatur aries, quia ad arietis similitudinem, quasi aduersa fronte, in muros incurrit, qui ciuitatis quasi frons quædam sunt: neque aliter ad grauiorem ictum retro 12.
B reducitur, quàm aries retrogressus, vt ex lōgiori spatio impetum capiat, fortiùs Antagonistæ sui frontem collidit. Quidam ex Hebræis כרים duces, & pugnatores interpretantur, sed alij eiusdem farinæ, arietes intelligunt, in quibus est Rab.Dauid, & Iosephus Pater.

Vers.3. *Et tu sume tibi sartaginem ferream.*] Hic locus in varias sententias interpretes distraxit: quia res videtur & exploratu difficilis, neque congruens vlla occurrit ratio, cur inter castra, & muros sartagini locus esse debeat. Dicam priùs quid aliis placeat; deinde quid mihi minus videatur difficile. Origenes in sartagine supplicij acerbitatem intelligit, sartago quippe 13.
C ferrea grauissimi cruciatus instrumentum est; quale capite 22. Ieremias explicuit, cùm de duobus pseudoprophetis ageret. *Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit Rex Babylonius in igne.* Et 2.Machab.2. post duros alios cruciatus hic postremo loco adhibitus est ab Antiocho. *Cùm iam per omnia inutilis factus esset, iussit ignem admoneri, & adhuc spirantē torrere in sartagine.* Vide quæ diximus Ierem. c.1. ad illud, *ollam succensam ego video.* à n.44. quæ valde huc faciunt.

Sartago quid.

Maldonatus ciuitatis symbolum putat esse sartaginem, quia vt muro vallatur ciuitas, sic septa videtur muro sartago, cóque ferreo, id est, forti. quasi significetur, quantumcumque ferrei 14.
D sint, & inexpugnabiles Hierosolymæ muri, excisum tamen iri ab oppugnatore Deo, cuius potentiæ firmamentum omne instar obtinet stipulæ. Sed hæc explicatio, quo minus mihi placeat, facit (si statuas hoc signum non esse à superiore diuersum) quòd frustrà videbatur exprimenda ciuitas in sartagine, cùm iam antè fuisset in latere descripta: neque tamen sine muris efformari debuit, in quos apparatus bellici spectabant, arietes præsertim, quorum vsus in obsidione præcipuus est ad verberandos sternendósque muros: sed etiamsi diuersum sit signum; tamen extra ciuitatem positum est inter Prophetam, & ciuitatem, vt constat, qui locus magis conuenit
E in obsidentem hostē, quàm in vrbem obsessam.

Hieronymus in sartagine media inter Prophetam, & ciuitatem obsessam, iram interpretatur esse Dei, quæ eò iam progressa est, vt non iam precibus flecti, ac placari possit, sicut ferrum, quod durum est, neque facile mollescit, ac flectitur. Non longè ab Hieronymo abeunt Theodoretus, & Apollinaris; qui inter Deum, & vrbem sartaginem statuunt, impedimentum nempe, ne Deus spectare videatur ciuitatis excidium; aut, ne ad Deum accederent laborantium preces: aut ad illos Dei appropinquaret miseratio. quo sensu, atque metaphora non admodum diuersa dixit Ieremias Thren.cap.3. *Opposuisti nubem tibi, ne transiret oratio.* Isaiæ cap. 59. 15.

Impedimentum orationi à peccatore positū.

Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret. In hanc sententiam incumbunt plures alij, in quibus sunt Gregorius, Hugo, Dionysius, Lyra, & nouissimè Pradus. Quorum ego sententiam, vt debeo, veneror, & amplector, non tamen ita pertinaciter, vt non putem licere etiam mihi in re vsque adeò impedita, & varia aliam sententiam aperire, quam expendet lector, & de illa tandem statuat, vt volet.

16. *Ignis Chaldæorum insigne.* Castra esse Chaldæorum, quæ describi iubentur in latere, nemo, credo, dubitat. Videtur autem maximè rerum naturæ consentaneum, vt vbi castrorum metatio est, ibi sit etiam castrorum insigne, quod quasi illorum forma est, & imperatoris nomen, & quasi auspicium ostentat. Quod ne multis probem, facit ipsius rei consuetudo communis apud omnes Gentes, & quia nemo tam est illius consuetudinis nescius, cui hoc inexploratum, aut saltem inauditum sit. Illud porrò certum Chaldæorum vexillum ignem esse quod gestari solitum in prunario, siue olla ferrea, & agmen ipsum antecedere docuimus ad illud Ieremiæ cap. 1. *Ollam succensam ego video.* Quæ quia non minus huc, quàm illuc faciunt, lubet in hunc locum illorum pleraque transcribere. Sic igitur nos ibi à num. 45.

17. *Sol & ignis Chaldæorũ Dij.* Coluisse pro Deo Chaldæos ignem, res est tam à profanis, quàm à sacris scriptoribus, neque obscurè, neque vno tantùm loco prodita. Hanc fuisse Hebræorum traditionem, docet Hieronymus in traditionibus Heb. super Genes. qui ideo dicunt in ignem fuisse coniectum Abrahamum, quòd ignem Chaldæorum Deum adorare noluerit. Quod etiam docet Lyranus, atque Burgensis in illud Genes. 11. *Mortuus est Aram ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum.* Vt ergo ignem pro Deo coluere Chaldæi, sic etiam plus est quàm verisimile, aliarum Gentium more secum in castris ignem circumtulisse, tutelarem vtique Deum. *Gentiles Deos suos viæ portant comites.* Omnes enim Gentes Deos viæ duces, & comites secum asportabant, vt docet Seruius ad illud Virgilij 6.

Errantésque Deos, &c.

Vide reliqua, quæ habes in cap. 7. Act. à num. 88. quæ huc valde faciunt. Ab his, sicut alia plurima sumpserunt Persæ, qui Babylonicum imperium ad suam Gentem, & nomen transtulerunt. Ex quorum consuetudine Chaldæorum quoque ritum, & militare insigne coniectare licet; quia verisimile est id, quod erat Babylonici imperij, ad Persicum quoque imperium fuisse

18. *Chaldæos, & Persas antecedebat ignis.* transcriptum. Certè Agathias lib. 2. histor. Persas à Chaldæis accepisse religiosum hunc ignis cultum prodit. Reges porrò Persarum, qui reliqua Deorum turba reiecta, & ignem, & Solem coluerunt, quocumque procederent antecedebat ignis, viæ comes & dux. Ita Xenophon lib. 8. Cyripædiæ. Q. Curtius lib. 3. Procopius lib. 2. belli Persici, Ammianus Marcellinus lib. 23. Tertullianus in Apolog. c. 16. Cuius etiam rei aliquod habemus in Scriptura sacra vestigium. Nam Iudith cap. 10. iuxta LXX. versionem, Holophernem Chaldæorum ducem (vt multis probat Serarius, qui putat historiam Iudith contigisse ante solutam captiuitatem; quod non leuiter suadet Nabuchodonosoris nomen, à quo imperatorium illud nomen accepit) lampades antecedebant argenteæ, *Et annunciauerunt ei de ea* (nempe Holopherni, de Iudith, illius

A seruі) *& exiuit in proscenium; & lampades argenteæ præcedentes eum.* Quòd verò lampades illæ non essent ad exigendas tenebras, ex eo fit perspicuum, quia, quo tempore egressus est Holophernes, multus iam erat dies, quia Iudith orto iam die prodiit è Bethulia. Aliquid verò temporis, in progressu, colloquióque seruorum cum Iudith, & rursus cum Holopherne positum esse oportuit: quare propter tenebras nulla indigebat Holophernes prælucente lampade.

Ad hanc credo consuetudinem respexisse Ieremiam, & in olla succensa vidisse Chaldæorum exercitum, cuius erat signum præuius ignis in olla, seu prunario, quod olla dicitur, sicut etiam B lebes, quia illius fundum altius est, sicut lebetis esse solet, ne ignis ille sacer, vel à vento dissipetur, extinguatúrve, vel aliquo motu, seu concussu excidat. Ex hac explicatione lucem accipit illud Ioel. c. 2. vbi loquitur de Chaldæorũ exercitu, *Ante faciem eius ignis vorans.* In hanc ego sententiam magis inclino; quia lenior est, neque video quid in ea aut durum occurrat, aut inerudítum: & facit quod non olla dicitur accendés, aut inflammans, quod vastatoris exercitus epitheton est, sed accensa, quod ollæ, seu lebetis proprium est, in quo portatur ignis. Accensa verò dicitur, aut quia ab igne quem in se cohibet, ignescit; aut per metonymiam, quia ignem con- C tinet ardentem. Huc facit quod dicit Ieremias cap. 4. num. 15. *notum facientis idolum de monte Ephraim.* Erat autem ibi sermo de Chaldæis, neque procul de monte Ephraim cognosci posset Chaldæorum idolum, nisi esset ignis, qui è longinquo loco videri solet, atque cognosci. Vide quæ ibi diximus.

Porrò sartaginem succensam esse, sicut ollam 20.
apud Ieremiam, mihi dubium non est; alioqui quid sartago in illa descriptione obsessæ, atque afflictæ ciuitatis significare possit, nihil video in qua lectoris curiosi, atque attenti animus acquiescat. Cùm verò signum pro re signata sumi, ac tantundem valere existimetur, quomodo no- D men auctoris manu subscriptum consignat literas, eásque pro auctore suo, cum eadem auctoritate, ac fide statuit, atque supponit; & sigillo non minor habetur fides, aut reuerentia, quàm auctori: sic militari signo dux, & imperator, imò imperium ipsum repræsentatur; neque minori ignominiæ ducitur signum ab hoste capi, quàm ducem ipsum in hostium potestatem venisse. *Signum militare pro duce, atque exercitu.* Quare quæ statim dicuntur, optimè in signum illud militare conueniunt: quod dum intuetur Propheta, intueri censetur Chaldæorum castra, quæ cum igne, de more, præcedit sartago ferrea. Ad hanc explicationem, quæ statim succedunt, attemperabo.

E *Et pones eam murum ferreum inter te & ciuitatẽ.*] 21.
Non erat in ciuitate sartago, vt vides, sed inter Prophetam, qui procul spectabat ciuitatis angustias; & ciuitatem ipsam: erat autem absque dubio medius Chaldæorum exercitus. Ait igitur sartaginem illam instar habere muri ferrei, quia Chaldæorum acies, quam ignis ardens in sartagine referebat, fortissima erat; figura verò prouerbiali, vt reor, qui fortes sunt, siue ad repugnandum, siue ad lacessendum muri dicuntur ferrei, quod de Ieremia dixit Dominus cap. 1. *Dedi te in murum æreum.* quod etiam profanis in vsu est. Horat. lib. 1. epist. 1. *Murus pro forti.*

——— Hic murus aheneus esto.
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Milites

Milites verò strenuos pro muris esse æreis, imò & æreos muros appellari, docet ex sententia Socratis Plato lib.6. de legibus, vbi potius ferreos commendat, quàm saxeos, aut lateritios muros. Quare commodè Chaldæi milites laborum patientissimi, & in Iudaici nominis odium vehementer inflammati, iure possunt muri vocari ferrei, quorum nomine ferrea sartago in murum ferreum posita vocari potest.

Et obfirmabis faciem tuam ad eam.] Hæc ad ciuitatem refero, non ad sartaginem. Obfirmat autem Propheta faciem, in Ierusalem, quia Deus, cuius ipse in actione illa hieroglyphica typus est, iam statuerat illam delere funditus. Eodem propè modo vsus antè fuerat in eandem ciuitatem Ierem. cap.21. *Posui enim faciem meam super ciuitatem hanc in malum, & non in bonum.* Et clariùs Leuit. cap. 17. *Obfirmabo faciem meam contra animam illius.*

22. *Et erit in obsidionem, & circumdabis eam.*] Hæc videtur obscuræ illius descriptionis explicatio; siue descriptus laterculus ad eandem cum sartagine visionem pertineat; siue, quod potiùs reor, ad diuersam. Eò quippe spectat hoc signum, vt ostendat obsessum iri Hierosolymam à Chaldæorum exercitu. Illud porrò, *& circumdabis eam.* idem esse puto, atque *dices eam esse circumdandam.* Qui loquendi modus in Scriptura infrequens non est, maximè apud Prophetas, qui id facturi dicuntur, quod faciendum esse denuntiant. Sic Deus Isaiæ dixit cap.6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.* id est, dic excæcandos esse eorum oculos, & aures aggrauandas. Et Ierem. cap.1. *Ecce constitui te hodie super Gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* id est, vt annuncies euellendum esse, & destruendum, &c.

REGVLA. *Id facere dicimus, quod faciendum esse significamus.*

23. *Signum est domui Israel.*] Id est, hoc portentum est, quod hieroglyphicè, & obscurè portendit, atque significat id quod euenturum est Genti Israëlitidi: quod tu sine vllo verborum integumento interpretaberis, dicésque apertè obsidendam esse ciuitatem ab his, quorum castra sartago, seu olla, id est, vas æreum cum ardentibus prunis antecedit, nempe à Chaldæis.

24. Vers.4. *Et tu dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates domus Israel super eo numero dierum, quibus dormies super illud.*] Locum aggredimur tot implicitum nodis, vt illum extricari altioris videatur ingenij, quàm humani. Certè nemo tam in illo euoluendo versatus est diligenter, vt in sua sibi explicatione satisfaciat. Quem ego, quia necesse est, nisi velim interpretis officium deserere, explicare contendam; neque tamen ita in mea expositione acquiescam, vt non aliam requiram magis ad veritatem, & textum, quàm sanè ab aliis mihi dari, & studeo & peto. Oro interim Prophetam sanctum, quem ad ipsius intelligenda, atque explicanda oracula patronum assumpsi, vt mihi in sua causa, atque operè laboranti proximè adsit, lucísque ad exploranda hæc obscura, atque arcana mysteria aliquid obtineat.

25. Multa hîc occurrunt, quæ multiplici nexu nodum impediunt, quem expedire contendimus; quę singulatim à nobis exploráda sunt. Primùm, quid sit *iniquitas*; nã hæc non culpã solùm, sed etiam impositam culpæ pœnam importat. Deinde, an hîc de duobus regnis, Israëlis nempe, ac Iudæ sermo sit; aut de altero tantùm. Tertiò, quomodo computandi sunt anni. Tandem A quid decubitus ille Prophetæ, in vtrumque latus futurum portendat.

Quod ad primum attinet, certum est, *iniquitatem, impietatem, peccatum,* & similia in Scriptura sacra tam sonare culpam, quàm illius supplicium; ab exemplis abstineo, quia passim obuia. Pro supplicio, id est, pro exilio, ac seruitute, quam subierunt Israëlitæ, sumunt plerique tam Græcorum, & Hebræorum, quàm Latinorum interpretes, Theodoretus, Polychronius, Hieronymus, cui iuniores non pauci subscribunt. Neque leuis videtur esse ratio, quia, quod statim adiicitur de pane tam immundo, & insuaui, tum etiam arcto, & de aqua in angusta B mensura, non tam propriè culpam, quàm culpæ significat impositam pœnam. 26.

Alij *iniquitatem*, pro culpa capiunt. In quibus sunt ex Hebræis Rab. Salomon, & Rab. Dauid; ex Latinis Lyra, Vatablus, & Isidorus, & nouissimè Pradus, qui hæc satis accuratè disputat, in quam ego sententiam magis propendeo. Cuius ratio potissima est, ac penè sola, quia vtcumque verses supplicij tempus, quod Israëlitæ, quicumque illi fuerint, subiere; nunquam annorum numerum, quem in suo decubitu Propheta significat, deprehendes. Accedit quòd cubitus, & somnus, maximè cùm quis ita in latus vnum incumbit, vt diu se non conuertat in alterum, obC stinatum in peccando animum adumbrat. Rationi, pro aliorum sensu, cùm ad illorum verborum explicationem ventum fuerit, respondebimus. 27.

Secundò iam expediamus, cuius nam populi sit hæc iniquitas, duarúmne tribuum, an decem; an vtriusque Gentis. Plerique tam ex antiquis quàm ex recentioribus cum Hieronymo, ac Theodoreto putant per Israel, intelligi decem tribus, quæ sub Ieroboam à duabus aliis distractæ sunt. Quod ideo videtur persuaderi posse, quia, vt variè numerantur anni, in Prophetæ somno, seu recubitu in alio, atque alio latere; sic etiam vt diuersi sint populi, videtur esse necesD sarium. 28.

Sunt tamen alij, qui de vno populo hæc accipiunt, nempe Iudaico, in quo tamen, è decem tribubus contineantur aliqui, quod reuera accidit; quia non omnes ex aliis tribubus adhæsere primùm Ieroboamo; neque omnes, quibus principio Ieroboami cõsilia placuere, in eius fide perstiterunt: multi enim adiunxerunt se postea duabus tribubus, à quibus antè defecerant, & cum illis, quasi in populum vnum, imò quasi in familiam vnam coaluere. Qua de re nos in capite octauo Zachariæ ad illud, *Domus Iuda, & domus Israel sic saluabo vos.* Credo autem tantam aliarum tribuum ad duas alias multitudinem E confluxisse variis temporibus, quibus variè etiam affectus est populus ille antè diuisus; vt duarum tribuum numerum æquauerit, certè non multo videretur inferior. Quod grauia quædam tum aliorum, tum maximè Scripturæ sacræ testimonia persuadent. Audi Iosephum lib. 8. Antiq. cap. 3. *Tunc enim* (quando regnum primum diuisum est) *ad Roboam Hierosolymis degentem è tota Israelitarum ditione confluxerunt Sacerdotes, & Leuitæ, & quotquot è reliqua plebe erant boni, ac iusti, patrias suas relinquebant, vt Hierosolymis Deum colere liceret, offensi Ieroboami tyrannide, qui eos ad suarum vitularum adorationem vi adigere volebat. Quò factum est vt Roboami Regnum integro triennio talibus accessionibus cresce-* 29.

Ex decem tribubus multi se ad duas adiunxerunt.

ret. Hæc Iosephus, qui hæc sumpsit ex lib. 2. Paral. c.11. vbi hæc habes: *Sed & de cunctis tribubus Israel, quicumque dederant cor suum, vt quærerent Dominum, venerunt in Ierusalem, ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum, & roborauerunt regnum Iuda.* Et de Asam, qui proximus his temporibus, scribitur 2.Paral.c.15. *Congregauit vniuersam Iudam, & Beniamin, & aduenas cum eis de Ephraim, & Manasse, & de Simeon, plures enim ad eum confugerant ex Israel, videntes quòd Dominus Deus illius esset cum eo.* Et, vt ex eodem constat libro, cap.30. sub initium Ezechiæ regni, plurimi ex aliis familiis ad illam, vnde exciderant, religionem redierunt, è tribubus nempe Asser, Manasse, & Zabulon. Sed quis dubitet, quo tempore in aliarum tribuum finibus grassabatur Assyriorum exercitus, cùm omnes sibi ab illo extrema timerent omnia, neque interclusi essent ad fugam aditus, euasisse plurimos communem illam plagam; & in cognato sibi populo quæsiisse perfugium! Quare verisimile mihi est, quod dicebam nuper, non minorem è decem, quàm è duabus tribubus numerum in Iudæorum finibus consedisse.

30. De hoc igitur populo è Iudæis, aliisque tribubus promiscuè coalito, sermonem hic esse, & hieroglyphicum vaticinium, mihi videtur satis verisimile. Neque enim video, quid in tota hac prophetia spectare possit decem tribus, quæ iam pridem abductæ fuerant ab Assyriis; aut quomodo verum esse potuerit, illo annorum numero exacto, quem designabat somnus, seu decubitus in sinistrum latus, liberandas esse à captiuitate decem tribus, cùm hactenus constet non rediisse, imò, vt Oseas prædixit cap.1.v.6. nunquam existimantur rediturae. *Non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum: & domui Iuda miserebor, & saluabo eos.*

31. Sed illud incommodat huic sententiæ, quod Israëlis meminit Propheta seorsum à Iuda, & aliud pro Iuda, aliud pro Israële tempus decubitus assignat. Huic obiectioni non difficile occurri posset ex dictis. nam si, quo sensu notauimus suprà, Israëlitæ, id est, plurimi è decem tribubus in vnum cum Iudæis, id est, cum duabus tribubus corpus coaluerunt, quid mirum si diuersis nominibus vtatur Scriptura, cùm tamen ad vnum loquatur populum. Quod ideo videtur fecisse non infrequenter, ne ex illo cœtu ex variis familiis coacto, quemquam excluderet. Hinc credo fit, vt notauimus ad illud Zachar. c.8. *Domus Iuda, & domus Israël.* interdum Solymitanum populum Iuda, interdum Israël, interdum vtroque compellari nomine. Docuit hoc Hieronymus in commentariis super Malachiam in principio. vbi post decem tribuum captiuitatem, vocatum esse tradit Iudaicum populum *Israël.* Neque exempla ab alio, quàm ab Ezechiele in hoc ipso capite sumi necessarium est. Versu namque 13. dicitur, *Sic comedent filij Israël panem suum pollutum inter Gentes, ad quas eijciam eos:* quod de decem tribubus, quæ iam pridem fuerant eiectæ, nemo sanus accipiet. Et cap.5.v.4. apertè dicit Ierusalem esse domum Israël. Isaias cap.46. *Dabo in Sion salutem, & Israeli gloriam meam.* vbi Israël pro Iuda sumitur, quia quo tempore hæc ab Isaia dicebantur, iam Israël non solùm diuisus, sed etiam captus erat ab Assyrio. Et idem Isaias cùm ageret cum Iudæis, qui ex Iuda Patriarcha propagati sunt, Iacob domum, & Israëlis appellat. *Audite*, in-

Solymitanus populus modò Iuda, modò vocatur Israel.

A quit, *hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel, & de aquis Iuda existis*; id est, de genere Iuda. Quando ergo constat tam Iudæ, quàm Israëlis nomen in gentem illam Solymitanam, & Iudaicam solere conferri, videamus, cur eidem populo non idem annorum numerus ascribatur.

32. Hic, vt est communis interpretum sensus, de peccato agitur Idololatriæ, quia hæc per antonomasiam *peccatum* dicitur, seu *iniquitas.* & ideo Eccli. cap. 49. tres tantùm Reges dicuntur non peccasse, quia idolis non erexerunt aras, neque illis vllum impenderunt honorem. *Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam omnes peccatum commiserunt:* B *nam reliquerunt legem altissimi Reges Iuda, & contempserunt timorem Domini.* Duo fuerunt quasi populi in Iudæorum finibus, postquam in duo regna, seu factiones Israëliticum genus dissectum est. De vtroque seorsum agit Propheta, & vtriusque diuersa merita proponit, mystico illo, ac hieroglyphico decubitu; Israëli, id est, Genti, quæ ex aliis tribubus, in Iudæorum se cœtum, ac religionem dedit, 390. annos, quos si à tempore, quo gens illa à Hierosolyma, & templo distincta est, & aureis conflatis vitulis, religionem mutauit, deprehendimus, non est cur ampliùs aliquid requiramus. Id verò probatu difficile non est, si à Ieroboami tempore, ad C quartum, seu quintum transmigrationis annum tempora digeramus. Quam ego summam sic ineo. Roboam, quo regnum ineunte dissectus est populus, regnauit annos 17. 3. Reg. c. 14. Abias 3. 3.Reg. c.15. Asa annos 41. 3.Reg.15. Iosaphath annos 25. 3.Reg.c.22. Iorā annos 8. 4.Reg. c.8. Ochozias annum 1. 4. Reg. cap. 8. Athalia 7. 4.Reg.c.11. Ioas annos 40. 4.Regum cap.12. Amasias 29. 4.Reg.14. Osias, seu Azarias 52. 4.Reg.15. Ioathan annos 16. 4.Reg.15. Achaz totidē, 4.Reg. 15. Ezechias 29. 4.Reg.18. Manasses 55. 4.Reg.21. Amon annos 2. 4.Reg. 21. Iosias annos 31. 4.Regum 22. Ioakim annos 11. 4.Reg.23. Sedecias 11. annos, 3.Reg. 24. ex D cuius regno sumo quatuor annos, quia in quartum eius annum incurrit quartus annus transmigrationis, in quo species hæc oblata fuit Ezechieli, & somnum illum mysticum ducere iussus est, de quo nunc agimus. Ex his annis summam 33.
ego colligo annorum 387. quos ego in duas partes distribuo, in tempus videlicet illud, quod præcessit 40. annos, qui Iudæ assignantur, ad regnum videlicet Manassæ Regis Iuda; in quo toto tempore peccauit Israël ab ætate Ieroboam, & qui è decem tribubus ad Hierosolymam, & templum conuenerunt, qui non videntur omnino suorum contribulium studium, & mentem abiecisse, tempus illud totum Israëli attribuo, E quia à tempore Ieroboā, idololatra existimatur, saltem in suo genere. Cui etiam adscribo quadraginta alios annos, in quibus sub Manasse etiam idola coluerunt duæ aliæ tribus, quæ minus ad illud vsque tempus impiè vixere; quia iisdem se peccatis implicuerunt, vt videtur plus quàm verisimile. Quare Israëlitarum, qui Hierosolymæ, & in omnibus Iudæorum finibus morabantur, iniquitas 390. durauit annos.

34. Sed dices, ex summa, quam nos suprà per singulorum Regum tempora collegimus, esse tantum 387. annos. quare vt tempus illud mystici somni compleatur, tres addendi sunt anni. Huiusmodi solutio in promptu est, quam aliis in locis sæpe adhibent interpretes, cùm annorum summa,

Idololatria simpliciter vocatur peccatum.

summa, quod sæpe contingit, non eadem in omnibus Scripturæ sacræ locis apparet. Est enim Scripturæ familiare, quæ à communi loquendi more non abhorret, vt annos inceptos interdum numeret, interdum omittat. Ex quo etiam fit non rarò, vt alij de eadem re plures, alij pauciores annos annumerent: qua de re egimus in nostris commentariis super Zachariam, ad illud cap. 1. *Iste iam septuagesimus annus est.* Et in Ieremiam cap. 25. in principio, vbi in hoc eodem argumento, quod modò versamus, optimum occurrit exemplum. Cùm enim Daniel cap. 1. dixisset venisse Nabuchodonosor in Ierusalem anno Ioakim tertio, Ieremias tamen cap. 25. id contigisse affirmat anno 4. Regni Ioakim; quorum locorum ea est conciliatio, quia alter quartum annum inchoatum adhibuit, alter omisit; vterque bene, & ex familiari Hebræorum vsu. Quare viri huius consuetudinis non ignari, in magna aliqua annorum summa, qualis hæc est, de tribus aut quatuor annis non laborant, quia sciunt plures ex mensibus ad annua spacia adiectis posse conflari, & eosdem existimari pauciores; quia menses iidem ab aliis detrahuntur.

REGVLA. *Annus inceptus interdum numeratur, interdum omittitur.*

35. Nunc explorandum, an ab eo tempore, quod Deus magis habuit inuisum, ad quartum annum transmigrationis quadraginta intercesserint anni. Nam vbi hoc à nobis fuerit expressum, res planè videbitur neque aliena, neque improbabilis. Hoc ego tempus illud esse puto, in quo regnauit Manasses, in quo eò se proiecit ad impij Regis prauum exemplum cætera multitudo, vt execrabilis impietatis signa, non in vrbe solùm, sed etiam intra augustissimi templi penetralia prostituerit. Lege cap. 21. lib. 4. Reg. inuenies quemadmodum impuram Gentium religionem in ciuitatem induxerit, regionésque alias regio subiectas nomini, vt in templo variis in locis aras excitauerit: vt populum, nimium ad impium mandatum obsequentem, à patria religione abduxerit, perfeceritque, vt est grauis Regum, ad ignobilem plebem, & timidum populum auctoritas; vt ad sceleratas aras prosterni, & nefarias obire cæremonias neque erubuerit, neque dedecori sibi fore putauerit. Quare Deus propter hoc peccatum Manasse, quod in publicum scelus, & commune exitium redundauit; minatus est Iudaico nomini cladem illam, quam postea à Chaldæorum exercitu sustinuit. 4. Reg. c. 21. v. 10. *Locutúsque est Dominus in manu seruorum suorum Prophetarum, dicens: Quia fecit Manasses Rex Iuda abominationes istas pessimas, &c. Et peccare fecit etiam Iudam in immunditiis suis; propterea hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego inducam mala super Ierusalem, & Iuda, vt quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius.* Idem dixit Ieremias cap. 15. v. 4.

Manasse impietas.

36. Ex hoc ergo tempore quærendi nobis sunt anni quadraginta, in quibus populus iniquus dici potuit, id est, in quo publicè, & impunè peccabatur: nam publica, atque impunita peccata, publico supplicio mulctari solent. Hanc ego quadraginta annorum summam in hunc modum instituo. Manasses, vt suprà vidimus, annos regnauit 55. Amon annos duos, Iosias annos 31. Ioakim annos 11. e Sedeciæ regno sumo quatuor annos, quia quarto anno transmigrationis hæc fuisse miracula Ezechieli existimantur. Ex his anni numerantur 103. ex quibus si annos detrahas 31. quibus Iosias Rex sanctus rem administrauit Iudaicam, quo tempore sublatæ sunt non ex templo solùm, sed etiam è Regno toto Gentilicæ sordes; anni sunt reliqui 72. Atqui si res expendatur paulo accuratius, inueniemus non ineunte regno, sed iam longissimè progressu, ad illam impietatem peruenisse populum, quam Deus supplicio illo publico damnauit, de quo suprà, à quo ducendus est annorum 40. calculus.

37. Mundauit Rex sanctus Ezechias ciuitatē, & regnum Gentilicis sordibus, 4. Reg. 18. *Ipse dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses: siquidem vsque ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum.* Cùm ergo Gentilicæ impietatis reliquias sustulisset Ezechias; grandibúsque beneficiis demeruisset sibi populum Deus, & illustribus signis se verum esse Deum probauisset; deleto, subita atque horribili strage, Assyriorum exercitu, conuerso sole retro decem lineas; & Regi reddita desperata salute, non videbatur populus tam citò relicturus religionem illam, quam antè probauerat, neque eò adducendus, vt in ipso etiam templo mutis supplicaret simulacris. Deinde quia non videtur intentatum a Domino supplicium, in principio Regni; sed cùm iam cum ipso regno progressa esset Iudæorum impietas, anno videlicet trigesimo secundo. Ex regno itaque Manassæ, quod 55. durauit annos, sumo 23. quos si addas duobus annis Amon, vndecim Ioakim, quatuor transmigrationis, summa erit annorum 40. Hæc mihi videntur non nimis impedita, à quibus non longe abit Emanuel Sà, neque tamen in hac explicatione omnino mihi satisfacio: atque ideo non tam aliis persuadeo, quam propono examinandam sententiam. Et cupio afferri aliquid ab aliis, in quo nemo quicquam aut damnet, aut requirat.

38. Ad extremum exploremus oportet, an hæc verè ita contigerint, an visione solùm imaginaria. Hieronymus speciem oblatam affirmat, rem tamen verè contigisse negat, ad illud Oseæ cap. 1. *Et ablactauit eam.* Cuius ea ratio est, quia non videtur fieri posse, vt quis tot dies in vnum latus immotus incumbat. Sed plerique alij contrà sentiunt; & reipsa putant Prophetam priùs 390. dies supra sinistrum; deinde super dextrum 40. dies iacuisse. Ita tenet Chrysostomus lib. 3. de Dei prouidentia. Basilius in illud Isaiæ 8. *Sume tibi librum grandem.* Theodoretus in cap. 1. Oseæ. Et sanè si hoc portentum est ad captiuorum, seu eorum, qui reliqui fuerant Hierosolymæ, aliquid aspectabile esse oportuit; quemadmodum cùm vasa sumpsit transmigrationis; aut cùm Isaias nudus oberrauit ante Iudæorum oculos, quæ nulli prorsus vsui fore viderentur, si occulte fierent, & tantùm in visione occurrerent imaginari. At durum est, inquies, in eodem semper latere cubare! ita sanè fateor, verùm interdum hæc patientia, aut necessitas tolerat, vt in ægrotis videmus, qui longo tempore ita incumbunt in latus, aut supini iacent, vt lapides putes; aut infixos terræ truncos. Sed aliquid hic ego supra humanum intueor: nam qui eo modo iacere iussit, ille vires addidit, & constantiam, vt cum minori fastidio fieret, quàm illi, quos aut voluntas propria, aut valetudinis necessitas addixisset, seu alligasset lecto. Iam redeamus ad textum.

Verè Ezechiel super vnum latus decubuit multos dies.

Et tu dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitatem domus Israel super eo numero dierum.] 39.
Hæc a nobis iam explicata sunt, quo videlicet

sensu sumatur *iniquitas*; ponere verò iniquitatem, idem est quod repræsentare, eo nempe dierum numero, annorum numerum, quem ad illud vsque tempus in aliena regione compleuerunt decem tribus. Cur verò in sinistro latere Gens significatur, quæ à templo, patriáque religione recessit, ea existimatur esse ratio, quia Samaria illius factionis caput, & regia sedes ad sinistram partē spectat Hierosolymæ. Ita docet idē Ezechiel infrà cap.16. *Soror tua maior Samaria ipsa, & filiæ eius, quæ habitant ad sinistram tuam.* Fortasse ideo sinistra pars datur decē tribubus; quia illis minùs fauit, atque indulsit Deus, quia tractauit quasi alienas, neque ex eis sumpsit aut regium nomen, aut templi sui, & quasi stabilis domicilij sedem. Quæ autem minus sunt nobis chara, & peiori in loco, ea communiter ad læuam collocamus. In somno autem, aut decubitu fixo, significatur credo, iniquitas obstinata. ex qua nemo aut exurgere studet, aut leuiter saltem aliorsum conuerti. Quo loquendi modo, aut certè non admodum diuerso,
40. explicari solet obfirmatus in malo animus; qualis est qui ab Apostolo dicitur *spiritus compunctionis*, ad Rom. cap.11. v.8. quem Theophylactus & Oecumenius exponunt *spiritum pertinacem in malo.* Et facit valdè quòd spiritus iste compunctionis apud Isaiam cap. 29. appellatur spiritus soporis. vbi LXX. *spiritum compunctionis* transtulerint. Heb. תרדמה *tardemah,* qui somnus est non leuis, qui otij, atque quietis gratia sumitur, sed grauis & profundus, qui ita languentes consopit, ac mergit, vt altè sepeliat, & mortis cuiusdam instar obtineat. Idem credo significatum est in Ephraim, qui ita in flamma decumbit, vt tamen non reuersetur, sicut neque nunc Ezechiel ab eo latere, super quod incubuit. Oseæ cap.7. *Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reuersatur.* id est, vt exponit Hieronymus, qui non agit pœnitentiam, neque ab eo mutatur, quod semel arripuit.

Decem tribus cur in sinistro latere significata.

Somnus obstinationis symbolum.

41. Vers.7. *Et ad obsidionem Ierusalem conuertes faciem tuam, & brachium tuum erit extentum, & prophetabis aduersùs eam.*] Hactenus hieroglyphico decubitu ostendit Propheta quot annis durarit tam decem, quàm duarum tribuum obstinatio; dum pro singulis annis singulos assumit in immoto illo recubitu dies. Nunc verò significat quot illi annos in peccatis exegere; aut quot ipse dies in illo mystico siue somno, siue cubatione posuerit; tót dies fore obsidendam vrbem, rémque cibariam angustè, & parcè, adde etiam & amarè suppeditandam. Nunc videndum, quomodo tot diebus durasse videri possit obsidio illa extrema, quæ rem Solymitanam, & Iudaicam omnino subuertit. Si spectes quæ Ieremias tradit cap.39. v.2. & cap. 52. v.4. tum in extrema Chaldæorum obsidione positi videntur 550. dies. Obsessa quippe ciuitas est anno nono Sedeciæ, mense decimo, decima die mensis, quod spatium numerum illum dierum longè superat, & si annus nonus, aut decimus tredecim habeat menses, quod ex ratione intercalari frequēs erat apud Hebræos, numerabis dies multo plures. Sed solutionem non difficilem habeo à Ieremia cap.34. & cap.37. vbi significat Propheta, cùm obsedisset Hierosolymam Chaldæus aliquot dies, audiissétque Ægyptium obsessis Iudæis subsidio venire, soluisse per aliquot dies obsidionem, & malè mulctato Ægyptiorum exercitu, & Syria tota sibi subiugata, obsidionem interruptam instaurasse. Eo verò tempore, quod non videtur fuisse exiguum, respirauit ciuitas, & quasi libera foret à periculo, Hebræos seruos, quos iuxta Domini præceptum liberos dimiserat, rursus in seruitutem reuocauit, Ierem. cap.34. cap. verò 37. docet idem Ieremias, cùm rei Ægyptiæ intentus esset Chaldæus, reuersurum iterum, vt intermissam obsidionem renouaret. Quare 18. menses in obsidione positi videntur, vt habes ex Ieremia, & tradit apertè Iosephus lib.10. Antiq. cap.11. Si ergo dies illos detrahas, quos in summouendo Ægyptiorum exercitu consumpsit Chaldæus, qui, vt dixi, non videntur fuisse pauci, quibus soluta ciuitas videri potuit, reliqui erunt 390. dies, quos in obsidione numerat Ezechiel.

Mensis apud Hebræos intercalaris.

Ad obsidionem Ierusalem conuertes faciem.] Vt omnia hîc signis portenduntur obscuris, sic puto nunc etiam rem signis demonstrari. Sumit, vt apparet, Propheta hostis personam, qui iā omninò apud se statuit, nisi excisa Hierosolyma, nullum esse sumendum quieti spatium; quare vultum offirmat hostilem, videlicet toruum, & minacem, contra Ierusalem, quam priùs efformarat in tabula: neque enim aliter Dei offensionem, & Chaldæorum præferoces spiritus significare poterat, quia mutus erat eo temporis, ac rerum articulo. 42.

Ezechiel mutus signis vaticinatur.

Et brachium tuum erit extentum.] En aliud signū hostilis animi! extentum namque brachium pugnantis est, aut aliquid inimicum minantis. Quo signo muti, quia lingua non possunt, furorem suum, aut vindictæ studium declarare solent. pro *extentum,* Heb. est חשופה *chasuphah,* quod etiam nudatum sonat: quæ significatio nostram cogitationem iuuat, nam olim milites nudos ostentabant in pugnando lacertos: vt picturæ omnes antiquæ docent; & suadet illa Numani insolens oratio ad Phryges lib.9. Æneid. 43.

Milites olim nudis lacertis pugnabant.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Sanè hanc hodiéque consuetudinem seruant Punici, atque aliæ barbaræ nationes, à quibus fortasse non abhorrebant Babylonij, quorum nunc personam Propheta repræsentat. Hanc sententiam probant Maldonatus, & Pradus.

Vers.8. *Ecce circumdedi te vinculis, & non te conuertes à latere tuo in latus aliud donec compleas dies obsidionis tuæ.*] Iam suprà vidimus ligatum fuisse Prophetam, & inclusum domi cap.3. v.25. qui habitus est captiui, vel obsessi, qui neque se expedire potest, neque liberam lucem intueri. Significari verò obsidionis tempus, & angustias, ipse docet Dominus, dum iubet, vt in idem semper latus incumbat, donec tempus impleat obsidionis, dies nimirum 390. quam obsidionem appellat Prophetæ; vel quia ipse etiam tantodem tēpore ligatus futurus erat, & inclusus; vel quia futura erat suæ ciuitatis obsidio. Hinc collige 40. dies, de quibus mox, non pertinere ad obsidionis tempus, quando iam erat finitum obsidionis spatium, cùm in alterum se latus Propheta conuertit. 44.

Vers.9. *Et tu sume tibi frumentum, & hordeum, & fabam,* &c.] Hactenus in accubitu super sinistrū latus, definitum obsidioni spatium exprimitur; iā alio hieroglyphico signo quàm angusta, agrestia, atque insipida futura sint alimenta portendit; dum congerere iubet illa, quæ porcis, atque brutis aliis parari solēt potius, quàm hominibus in escam, in vas vnum, illaque subigere, atque in vnū cogere, vt inde fingātur panes, insipidi sanè, 45.

quósque

quósque solùm appetat extrema fames. Quæ sint ista granorum genera obscurum est, sicut aliæ innumeræ plantarum species; & ideo obseruauit hìc Hieronymus, hæc ab interpretibus aliter, atque aliter solere conuerti. Allusit fortasse ad hûc insipidum, ac lapidosum panem Ieremias Thren. 3. v. 16. *Fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere.* Vbi Septuaginta, *Excussit calculo dentes meos.* quo loco nos aliquid de lapidoso pane.

46. *Trecentis, & nonaginta diebus comedes illud.*] Parat sibi cibum Propheta tenuem, & insipidum pro tempore quo vallata fuit ciuitas a Chaldæo: de reliquo tempore quo super latus dextrum conuersus incubuit, nihil de potu, ac cibo præscri-
B bitur à Deo. Rationem reddit Hieronymus, quia grauior imminet pœna his, quibus magis explorata, magisque contempta fuerit diuina voluntas; atque ideo duæ tribus quæ Deum habuere sibi magis familiarem, & nihilominus à Deo neque minùs, neque verecundiùs recesserunt, grauiori supplicio mulctatæ sunt. Quare quid illis pœnarum sit impositum, Scriptura tacuit, vt ex angusto, & insulso victu 390. dierum coniectent alij. Fortasse hic cibus licèt tam durus, & parcus, vt vitam non tam sustentet, ac roboret, quàm mortem differat; illis quadraginta diebus, qui omnium fuere longè miserrimi, omnino defecit: atque ideo non fuit, cur Propheta verus futuræ calamitatis annunciator, pro quadraginta diebus panis meminisse debuerit. Huc videtur inclinare Hieronymi sententia. Alij aliter occurrunt. Mihi ea videtur expedita ratio: quia post illos 390. dies non ea fuit Iudæorum conditio, vt tam angustus futurus sit cibus, quàm eo tempore, de quo nunc Propheta. Nam quadraginta illi dies, de quorum alimento tacet, consecuti sunt captam iam vrbem, & hostium in ciuitatem subactam irruptionem. Tunc verò cùm aperta esset ciuitas, & cibus aut quæreretur foris, aut à victore hoste, & vrbis iam domino præberetur, non erat, quod pro illo tempore prouidere sibi Propheta de alimento debuerit, cùm cibus ille forma quædam fuerit, & pondus eius, quem in vrbe conclusa comederunt obsessi. Quod verò cùm ciuitatis instaret direptio, & vastitas; cibus esset nullus, ita vt non tam machinatio, & ferrum, quàm fames muros aperuerit, constat ex 4. Reg. c. 25. & Ierem. c. 39. *Mense autem quarto, nona mensis obtinuit fames ciuitatem, & non erant alimenta populo terræ.*

47. Quod autem ex eo die ad direptam vrbem, & exustum templum quadraginta transierint dies, quos portendebat Prophetæ somnus super dextrum latus, hinc liquet non obscurè. Capta est ciuitas, vt nuper vidimus, mense quarto, die nona mensis: mense autem quinto, die septima, vt legis 4. Reg. cap. 25. v. 8. *Venit Nabuzardan princeps exercitus seruus Regis Babylonis in Ierusalem.* Ecce habes triginta dies ab vrbe capta, ad reditum vsque Nabuzardan; sed quæ statim commemorantur, non minùs decem diebus videntur fieri potuisse, quæ quadraginta complent dies. *Et succendit domum Domini, & domum Regis, & domos Ierusalem, omnémque domum combussit igni: & muros Ierusalem in circuitu destruxit.*

48. Vers. 10. *Cibus autem tuus, quo vesceris, erit in pondere viginti stateras.*] Materiam priùs ostenderat insulsam videlicet, & crassam, ex qua panis subigeretur; nunc pondus definit, pro dierum singulorum demenso, viginti nempe stateres: quæ mensura pro sustentanda vita satis est angusta. Pro *stateribus* Heb. est *siclus*, qui, vt Hieronymus
A putat, quatuor valet drachmas, id est, semiunciam: quare demensum Prophetæ diarium decem vnciarum fuit. Alij, qui aliud esse putant stateris pondus, duplo nempe minùs, quinque tantùm vncias in demenso ponunt. Sanè vtcumque sit, pertenuis fuit cibus ille, quando exemplar Deus esse voluit illius alimenti, quod in extrema inopia, & rerum angustiis adhiberi solet.

A tempore vsque ad tempus comedes illud.] Tempus multa significat: mensuram nempe certam, & familiarem, qualis est *dies, mensis, annus.* De anno est illud Daniel. cap. 4. de Nabuchodonosor. *Et septem tempora mutentur super eum:* & illud c. 12. v. 7. *In tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Vbi 49. *Tempus qua mensura.*
B tempus sine dubio annum significat, vt statim explicat; dum ait, eo spatio dies contineri mille, ducentos, & nonaginta, quæ tres annos complent cum dimidio: *tempus* enim annus vnus est, *tempora* duo anni, *dimidium temporis*, anni dimidium. Hic *tempus* dies est, quæ notissima est temporum mensura. Quare in singulos dies stateres illi viginti attribuuntur. Alij à tempore in tempus, sic exponunt vt ab initio ad finem vsque 390. dierum totidem panes consumantur, sed est omnino sensus idem verborum, nam vnicuique dierum illorum suus respondet panis. Hispanica translatio reddit, *de hora en hora*, id est, singulis horis, sed omnino malè.

C Vers. 11. *Et aquam in mensura bibes sextam partem hin.*] De *hin* disputat Mariana noster lib. de ponderibus & mensuris cap. 14. Hieronymus *hin* mensuram esse dicit sextarij castrensis, cuius sexta pars æquat sextam partem sextarij Italici. Cui ex Hispanicis mensuris respondeat, non est facile statuere, quia sæpe mutata est ponderis, ac mensurarum ratio. Sed vtcumque se res habeat, angusta est mensura illa, ita vt nihilo magis abundent obsessi potu, quam victu. Quod ante hoc tempus dixerat Isaias cap. 30. *Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem.* 50.

Vers. 12. *Et quasi subcinericium, hordeaceum comedes illud.*] Panis focaceus, seu focarius, seu subcineritius dicitur, qui a Græcis ἐγκρυφίας, qui co-
D quitur sub cinere, aut prunis tectus; qui etiam speusticus vocatur à Plinio, quia citò parabilis est, & festinatò coquitur. Talis erat panis quem ex illa insipida, crassáque materia subigebat Ezechiel, quod faciebat diebus singulis, vt modus ipse coquẽdi probet, de quo statim; neque enim sub humano, seu bubulo stercore multi panes simul coqui potuere, sicut in furno assolent; neque panes multi, aut massa grandis, in vasi fictili subiguntur, quale fuisse, in quo massam illam commiscuit Ezechiel, docet L X X. translatio. 51.

Et stercore, quod egreditur de homine, operies illud, in oculis eorum.] Multa hîc sunt, quæ mirè obsessorum tenuitatem amplificant, & panis confusa materia, eaque agrestis; & pondus exiguum, & 52. *Fames obscœna.*
E coquendi modus. Solent qui tenui sunt, & angusta fortuna, ad parandos cibos, pro lignis, quorum ipsis copia non est, stercus adhibere siccum, quod concipere possit, & fouere ignem, hoc, vt nos sæpè vidimus, bubulum est plerumque. Sed maior erit obsessorum calamitas, quando hoc extremum aberit pauperum refugium: cùm enim aut bubuli, aut equini stercoris copia non sit; quia neque equis, & bobus fames pepercerat, ad parandos cibos, stercus cõgeritur humanum; sub quo absconduntur panes subcineritij, id est, qui cineribus stercoris humani torrentur.

In oculis eorum.] Hinc constat hanc non esse 53.

 speciem

speciem tantùm imaginariam, quando hæc ita peragi iubentur, vt spectari possint à captiuo populo, qui rerum nouitatem admiratus, de illarum spiritu, atque significatione roget. Quod eo consilio videtur esse factum, vt qui Ieremiæ monitis obsecuti, sese Chaldæorum potestati tradidissent, cognoscerent, quanto secum actum esse benigniùs, cùm viderent peiorem esse conditionem illorum, qui in vrbe remansissent. Non itaque captiuorum proponuntur ærumnæ; sed illorum, quos captiui fortunatos esse prædicabant.

54. *Panis pollutus quis.* Vers. 13. *Sic comedent filij Israel panem suum pollutum.*] Pollutum panem vocari putant aliqui, quia ex diuersis seminibus subactus est. Lege etenim hoc ipsum videtur esse cautum, dum iubet, ne ager diuerso seratur semine, Leuit. 19. ne videlicet ex diuersis granis farinæ fiat impura commixtio. Sed hoc non videtur probari posse, tum quia loci illius alia ratio est; neque pollutus censeretur ager, in quo promiscua essent seminum diuersa grana; neque aceruus ex diuersis seminibus congestus. Tum maximè, quia cùm ibi Propheta aliquid pollutum esse diceret, non iussus est mutare semina; sed mutare fimum, ita vt pro humano, bouinum supponeret excrementum. Quare ab stercore potius, quàm à granorum varietate panis polluebatur. Quòd autem locus vbi confecti cibi depositæ essent ab homine reliquiæ, pollutus esset, & execrabilis, & multo magis panis, quem humanus operuisset fimus, habes ex Deuter. cap. 23. *Habebis locum extra castra, ad quem egredieris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo, cùmque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies, quo releuatus es, &c. Et sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis.*

55. *Inter Gentes, ad quas eiiciam eos.*] Hæc si leuiter inspicias, non satis consentire videbuntur cum his, quæ suprà à nobis quasi certa constituta sunt. Diximus enim adumbrari Prophetæ vinculis, & pane graui, & insipido, tum etiam in angusta mensura, statum quem Solymitani ciues habuere, quo tempore obsessi fuerunt à Chaldæis. At hìc passuri dicuntur hæc non in obsessa vrbe, sed inter Gentes, ad quas captiui postea relegandi sunt. Huic obiectioni occurrit acutè Pradus, dum ait Iudæos tunc panem illum pollutum comesturos, cùm essent inter Gentes, ab illis nempe obsessi; nempe inter Babylonios, qui vndique dispositis castris vrbem circumuallabant: ad quos postea eiecti sunt. Inter Gentes igitur conclusi vitam illam trahent, quam conclusus domi repræsentabat Ezechiel.

56. Vers. 14. *Et dixi: A a a, Domine Deus ecce anima mea non est polluta, & morticinum, & laceratum à bestia non comedi ab infantia mea.*] Heb. vna tantùm dictio est אהה, quam vulgatus tergemina interiectione exprimit, dum reddit A a a, vt Ieremiæ cap. 1. v. 6. cap. 14. v. 13. & Ezechiel infrà cap. 20. v. 49. quæ iteratio trina magnum animi auersantis sensum, atque fastidium indicat. Probat autem Propheta difficile sibi, atque molestum fore panibus vesci humano coopertis stercore; cùm semper à cibis abstinuerit, quos lex ab Hebræorum mensa remouet; aut quorum natura, ac modus stomacho nauseam mouet: à suffocato nempe, morticino, aut quod fuerit à bellua laceratum, quibus qui pastus fuerit, pollutus esse existimatur, Leuit. c. 22. *Morticinum, & captum à bestia non comedent, nec polluentur in eis.* Non constat ex Scriptura pollutum esse, qui cibum comederit ea ratione coopertum, & coctum, qualem

Cibus quis immundus.

A nunc horret, & auersatur Propheta; neque leges plerumque statuunt de rebus, quæ perquam rarò, aut non nisi necessitate cogente fiunt, quale est hoc inusitatum cibi coquendi genus. Sed cùm lex multa prohiberet, quæ non videbantur mollioribus stomachis opportuna; sic erant assueti Iudæorum stomachi cibis delicatis, ac mundis, vt maximè horrerent, & fastidirent immunda omnia. Hinc, credo, ortum, vt manus sæpe lauarent ante cibos, & variis vterentur purificationibus, mundarentque diligenter, vt Christus obiecit, *quod deforis est calicis, ac paropsidis.* Quare sicut Petrus, licèt homo piscator esset, & fortunæ tenuis, sic tamen horrebat immunda, vt B cum fastidio nauseabundus diceret, Actor. 10. *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum.* Sic Ezechiel mundis assuetus eduliis, audito stercoris humani nomine horret, & clamat, *A a a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta.* Porrò hìc *anima*, pro ipso ponitur Ezechiele, ex Hebræorum idiomate; ac si dicat, *ecce ego non sum pollutus.*

Et non est ingressa in os meum omnis caro immunda.] id est, *nulla caro.* Apud Hebræos namque, secus atque Logici statuunt, *non omnis*, vniuersaliter negat. *Omnis caro immunda.* id, puto, valet hoc loco, quod quolibet modo immundum existimatur, siue id à lege, siue à consuetudine, aut à C natura immundum esse contigerit; quale hoc est, ad quod tantopere nauseat Propheta. 57.

Vers. 15. *Ecce tibi dedi fimum boum.*] Significat Deus in humano fimo statum miserrimum obsessorum; sed quia durum videbatur eò Prophetam sanctum adigere in Solymitani infortunij exprimenda vmbra, quo sceleratos ciues adegit in obsidione fames; ideo humanum stercus cum bouino commutari permisit; in quo minus est, quod stomachus, & natura horreat: neque tamen ideo de ciuium extrema fame, & misera conditione remisit, imò grauiora in illis obsidionis angustiis contigere, quàm Propheta vinctus, D & elinguis, pastúsque durè, ac parcè portendebat. Est enim longè grauius, atque horribilius, filios suos laceratos, & coctos à famelicis matribus in sua rursus viscera fuisse reuocatos. quod Thren. cap. 1. v. 11. & cap. 4. v. 10. lamentatur Ieremias. 58.

At dices nimis videri delicatum, & lautum Ezechielem, qui sumere recuset, quod in deliciis habuerunt contribules eius; neque enim horrerent obsessi tectos sub humano stercore, ex materia insipida subactos panes; qui neque à secundinis abstinent puerperij; neque, vt est verisimile, ab asini capite, aut columbino stercore, ex quibus Samaritani obsessi cibos sibi pararunt. 4. Reg. c. 6. Respondeo, necessitate id fieri non toE lerabile solùm, sed etiam dulce, quod priùs mortis instar, imò & morte grauius censebatur, vt ostendit hoc Samaritanorum exemplar, & videtur idem de se testatus Iob; aut eo dicendi genere prouerbiali suam calamitatem expressisse. c. 6. v. 7. *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.* Cùm liber esset Ezechiel, possétque de cibo sibi commodiùs prouidere, nil mirum, si panem fastidiat illum immundum, qui non tam erat ad voluptatem quàm ad nauseam, quem sanè nullo modo sumerent in statu meliori Solymitani ciues, sed multo respuerent vehementiùs, quia & molliùs educati, & minùs erant diuinis mandatis obsequentes. At illi iidem qui fortunati cùm essent, hæc auersabantur; 59. *Necessitas dulcia reddit quæ amara sunt.*

tur; vrgente fame, & ab hoste conclusi, hæc ipsa, atque alia magis immunda, non in cibis solùm, sed etiam in deliciis numerabant.

60. Vers. 16. *Et dixit, &c. Ecce ego conteram baculum panis in Ierusalem.*] Quidam baculum panis, vim esse putant, quæ pani ad sustentandum, & roborandum insit; quasi panis futurus sit euanidus, ita vt à sua naturali virtute destitutus, neque famem depellat, neque vires reficiat. Sed, credo, tam hîc, quàm aliis in locis non rarò, *baculum*, seu, quod idem est, *firmamentum*, & *virgam*, epitheton esse panis, quasi dicat Deus, defuturum esse panem, qui nutriat, sustentet, atque confirmet: neque lassam, deficientémque naturam aliter sustentat, ac reparat panis, quàm infirma, atque senilia membra, & ad terram incurua sustinet baculus. Quare dum audio *firmamentum panis*, vt Psal. 104. panem confirmantem intelligo. dum *robur panis*, Isai. c. 3. panem roborantem. dum *virgam panis*, Ezechiel. 14. panem sustentantem. dum *baculum panis*, vt tam hoc loco Ezechielis cap. 5. panem sustinentem, & ruentem naturam ab interitu vendicantem. Quod planè docet locus Leuit. cap. 26. vbi in panis baculo non infirmitas,

Panis robur, baculus, seu virga quid.

A sed defectus panis ostenditur. *Postquam confregero baculum panis vestri*, &c. & statim additur, *Ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus.* Vbi nemo non videt agi hîc, non de euanido, sed de deficiente pane. Et hoc loco minùs est dubitandum; neque enim cibus datus Prophetæ in angusta mensura, infirmitatem indicat, sed indigentiam panis; quare sensus est: Ego efficiam, vt in Ierusalem non sit panis, qui sustentet obsessos. Nomen Ierusalem satis probat sermonem esse de Iudæis, quo tempore vrgebat illos Chaldæorum obsidio.

B Vers. 17. *Vt deficientibus pane, & aqua, corruat vnusquisque ad fratrem suum.*] Vide quomodo hîc non tam sit de panis infirmitate, seu futilitate sermo, quàm de illius defectu. Cùm ciues fame pereant, confugient ad fratres, quibus suspicabuntur panis adesse copiam; cùm autem illi, non minùs angustè laborent, alter in alterius conspectu fame deficiet, corruétque: ita vt alter alteri subsidio esse non possit. Contabescent denique, aut enecti fame, aut fœda lue soluti, quia sic exigit illorum obstinata perfidia.

IN CAPVT QVINTVM.

ARGVMENTVM.

MVLTIPLICES ciuium euentus vario capillorum discrimine portendit: ait enim quosdam fame, ac peste in ciuitate, alios extrà hostili ferro perituros; nonnullos verò superstites futuros à cæde, & in omnem ventum dissipandos: neque tamen futuros esse liberos ab iis incommodis, quæ sibi declinasse videbantur. Minatur deinde supplicium tale, quale Gentes neque subiere priùs, neque imposterum vnquam subituræ sunt: futurúmque affirmat, vt populi qui vndecumque circumstant, Iudæorum fortunæ procaciter insultent.

CAPVT V.

1. *ET tu fili hominis sume tibi gladium acutum, radentem pilos: & assumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam: & assumes tibi stateram ponderis, & diuides eos.*

2. *Tertiam partem igni combures in medio ciuitatis, iuxta completionem dierum obsidionis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius; tertiam verò aliam disperges in ventum, & gladium nudabo post eos.*

3. Et

PARAPHRASIS.

C 1. SIcut vinctus, & mutus, & tenui, ac sordido cibatus pane inopiam, & famem tuæ ciuitatis portendisti, ô Ezechiel; sic nunc eiusdem in teipso ignominiæ, ac luctus signum exhibebis. Sume igitur cultrum tonsorium, & ex barba, & capite pilos rade, & vbi in statera exactè ponderaueris, variè disperges.

2. Quia tertia Iudæorum pars intra vrbem fame, ac peste peribit, ideo tu in medio ciuitatis in latere descriptæ partem capillorum tertiam igne combures, non quidem simul, sed carptim, & per
D partes, ita vt tota pars illa tertia expletis diebus obsidionis combusta sit: quia etiam pars Iudæorum tertia non simul, sed toto obsidionis temporis fame, pestéque contabuit. Quia verò tertia pars ciuium hostili ferro extra ciuitatem cadet, ideo tu tertiam capillorum partem extra ciuitatem gladio concides. Et quia tertia alia pars, quæ reliqua erit à fame, peste, & ferro in varia loca procul à patria dilabe

A dilabetur; ideo tu tertiam capillorum partem in ventum dissipabis; quam tamen deinde sequetur, & assequetur gladius.

3. Et sumes inde paruum numerum: & ligabis eos in summitate pallij tui.

3. Quia verò ex his, qui gladium, & pestem effugient, pauci reuertentur in patriam; ideo ex tertia parte, quam dissabit ventus, pauculos assumes capillos, quos in extrema laciniæ parte ligatos asseruabis.

4. Et ex eis rursum tolles, & proiicies eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel.

4. Cùm illos, qui patriam postliminio reuisent, eadem propè calamitas maneat,
B ideo partem capillorum, quos in pallij extremitate ligaueris, igni trades, comburesque. Ex eo hieroglyphico igne, tanquam ex typo, & vmbra prodibit verus ignis, quem alius adumbrat, qui latè grassabitur in omnem domum Israel.

5. Hæc dicit Dominus Deus: Ista est Ierusalem, in medio Gentium posui eam, & in circuitu eius terras.

5. Hæc dicit Dominus: Hæc omnia spectant Hierosolymam, quàm ego in alienarum Gentium medio collocaui, quæ quoquò versus populos circumspectat Gentilicos.

6. Et contempsit iudicia mea, vt plus esset impia quàm Gentes, & præcepta mea vltrà quàm terræ, quæ in circuitu eius sunt. iudicia enim mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt.

C 6. Cùm populus tot à me beneficiis cumulatus, alienas Gentes ad mei nominis gloriam adducere debuisset; fecit tamen longè secus. Nam & legem meam omnino contempsit; & Gentiles ipsos scelerum magnitudine superauit. Præcepta quippe mea nullo habuit in numero; neque iuxta illa instituere voluit viuendi modum.

7. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Quia superastis Gentes, quæ in circuitu vestro sunt, & in præceptis meis non ambulastis, & iudicia mea non fecistis, & iuxta iudicia Gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati;

7. Idcirco hæc dicit Dominus: Quia Gentiles populos, quos in circuitu habetis, scelerum grauitate, ac numero vicistis; neque quid lex à me quondam lata
D præscriberet curastis; neque ad illius formam vestræ vitæ modum instituistis; neque imitati estis Gentium in retinenda religione constantiam. Illæ namque patriæ religionis tenaces sunt; vos autem nouas quotidie religiones assumitis.

8. Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ipse: ego faciam in medio tui iudicia in oculis Gentium.

8. Ideo sic dicit Dominus: Ecce iam, ô Hierosolyma, mihi tecum futura res est! Iudicabo te eo iudicio, quod tuorum scelerum grauitas exposcit, eo ipso in loco vbi stabile tibi domicilium locasti, spectanti-
E bus Gentibus, quæ Hierosolymam mediam vndique circumstant.

9. Et faciam in te quod non feci, & quibus similia vltrà non faciam propter omnes abominationes tuas.

9. Cùm ergo Gentes minus peccarint grauiter, quàm tu, minus quàm tu seuerè aut punitæ antea, aut puniendæ sunt postea. Illud ergo tuis sceleribus supplicium imponam, quale neque antea imposui, neque imponam vltra Gentilium peccatis.

10. Ideo patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos, & faciam in te iudicia, & ventilabo vniuersas reliquias tuas in omnem ventum.

10. Propterea eò fames adiget obsessos, vt neque parentes à filiorum, neque filij à parentum carnibus abstineant; & te aliis adhuc incommodis vrgebo. Nam eos,

11. Id

A eos, quibus fames hæc; & violentia pepercit, in omnes terræ plagas dissipabo.

11. *Idcirco viuo ego, dicit Dominus Deus: nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis: ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor.*

11. Quocirca dicit Dominus: Nisi confregero te, propterea quòd inductis idolis religionem meam, ac templum violasti: & si tui ita misertus fuero, vt vindices manus à vulnere contineam, ne sim Deus viuens; sed tanquam ligneum habear, & mortuum simulacrum.

12. *Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui: & tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam, & gladium euaginabo post eos.*

12. Tertia capillorum pars, quæ in medio tui, ô Hierosolyma combusta est, tertiam illam ciuium partem portendit, quam intra mœnia fames, ac pestis confecerunt. Tertiam item partem in ipso ciuitatis ambitu gladius extinguet; tertiam aliam partem à cæde reliquam in varias mundi plagas dispergam; neque tamen ibi pacatam agent, aut vacuam à periculo vitam. Gladius quippe meus, quem ego in illorum viscera distringam, perpetuò illos, vbicumque terrarum fuerit, insectabitur.

13. *Et complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor: & scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cùm impleuero indignationem meam in eis.*

13. Tunc autem meo mihi furori satisfaciam, qui vindictam expetit, & sanguinem sitit; cui hactenus habenas non omnino laxaui; & animus, quem furoris æstus rapere, aut exagitare videtur, requiescet, vbi vindictam sumpserit ab hostibus, & eo se leuamento consolabitur. Discet verò tunc insanus ille populus verba mea non esse meras minas; sed potiùs fulmina, quæ vibrat offensus animus, & à zelotypo sponso incitatus furor. Ego etenim, qui loquor, Deus sum, cui neque fides, neque facultas abest, vt præstet quod minatur.

14. *Et dabo te in desertum & in opprobrium Gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis.*

14. Redigam igitur te in solitudinem, erísque Gentibus, quæ te vndecumque circumfundunt, opprobrio: & illis omnibus quos illac præterire contigerit, cum sibilo, & plausu illudent tibi, & tuis, & libera ac petulanti voce tuis ruinis insultabunt.

15. *Et eris opprobrium, & blasphemia, exemplum, & stupor in Gentibus quæ in circuitu tuo sunt, cùm fecero in te iudicia in furore, & in indignatione, & in increpationibus iræ.*

15. Eris, inquam, opprobrium, ac ludibrium; admiratio, & stupor, maledictum, & extremæ calamitatis exemplar populis, qui tuos fines vndecumque contingunt. Cùm iudicium in te furoris, atque acerbitatis plenum intorsero; neque meis verbis pondus aberit: ego enim, qui loquor, Dominus sum.

16. *Ego Dominus locutus sum: Quando misero sagittas famis pessimas in eos: quæ erunt mortiferæ, & quas mittam vt disperdam vos: & famem congregabo super vos, & conteram in vobis baculum panis.*

16. Hæc porrò tunc experieris, cùm famem immisero, à qua morbi macies, ac pestis orientur, quæ famis sunt veluti sagittæ, quæ humana corpora conficiunt, & perdunt. Mittam igitur famem in te, ô Ierusalem, & panem auferam, quo roboratur, & sustentatur vita.

17. *Et immittam in vos famem, & bestias pessi-*

17. Immittam itaque famem, & hostes,

pessimas vsque ad internecionem: & pestilentia, & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te. ego Dominus locutus sum.

A stes, qui ferarum instar, vos omnino sternant; grassabitur in te pestis, & gladius, quo latè omnia sanguine redundabunt. Hæc dicit Dominus; cui facilè est, quæ minatur, cumulatè præstare.

Vers. 1. *Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum radentem pilos.*]

1. LIAM nunc allegoriam adducit, aliud portentum, quo duram ciuitatis stragem, & ciuium dispersionem, dissimilémque fortunam ostendit. Iubet namque Deus Prophetæ vt cultros assumat tonsorios, seu nouaculam, id enim significat gladius acutus, qui pilos radit, & magis explicat Hebraica vox, quæ valet, & sonat gladium tonsorum. Explicatio detonsi capitis, & erasæ barbæ adducetur postea. Nunc tantùm dico in raso capite, ac barba, non solùm deformitatem, & luctum, sed etiam ignominiam notari. Quare Gentes hoc habitu suorum prosequebantur funera, quas Hebræi imitati sunt, quorum nunc ærumnosam, ac sordidam conditionem exprimit Propheta. De Babyloniis docet Baruch cap. 6. v. 30. *In domibus eorum Sacerdotes sedent habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam, quorum capita nuda sunt; rugiunt autem clamantes*, &c. De Palæstinis Ierem. cap. 45. v. 5. *Venit caluitium super Gazam.* De Moabitis, idē c. 48. v. 37. *Omne enim caput caluitium, & omnis barba rasa.* De Hebræis res est nota. Probant enim satis octuaginta illi viri, qui squallentes, & rasa barba veniebant ad Ierusalem iam euersam, vt eius excidium, & stragem lugerent, qui in medio cursu ab Ismaele interfecti sunt. Ierem. c. 41. & clariùs Leuit. cap. 21. vbi iubentur Sacerdotes, ne in suorum funere aliorum morem imitentur, *Nec radent*, inquit, *caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras.*

In capite, & barba rasis luctus, & ignominia significatur.

2. Quòd verò ignominiosum esset barbam, aut caput radi, docet illud ignominiæ genus, quod Rex Ammonitarum Dauidis legatis irrogauit, 2. Reg. cap. 10. quibus iussit Dauid, vt ad Ierichuntem subsisterent, donec barba cresceret; quod si turpe non esset, spoliari barba, & in dimidiata barba illud esset ludibrium, facilè tota rasi barba, in aliorum conspectum honestè, ac sine rubore venire potuissent. Caput verò nudari probro esse ingenuis, quod idem de barba videtur dici posse, ostendit illud Deut. 32. *De cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis.* Vnde verisimile fit ab hoste victore in seruitutis signum, victos solitos esse capillorum, ac barbæ ornamento nudari. Est enim ignominiosum, & turpe virum his ornamentis spoliari, quibus illos instruxit, & ornauit natura. Quare Esdras his, qui contra legem externis se Gentibus connubio miscuerant, caput abrasit, deformique caluitio, violatæ legis testimonium præferre voluit 2. lib. c. 13. v. 25. Quare acutè, & verè cecinit Sulmonensis poëta,

Magnū ornamentum cæsaries.

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Eadem penè Ambrosius lib. 6. Hexaëmer. *Cæsaries*, inquit, *reuerenda est in senibus, veneranda in Sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adolescentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris. Tolle arboris comam, tota arbor ingrata est; humani corporis capillos, tota pulchritudo flaccescit.* Multis itaque modis Pro-

B pheta exprimit miserum suæ gentis statum, elinguis, & vinctus: cibo pastus pertenui, atque immundo; & ad extremum raso capite, ac barba, quæ furiosi, atque amentis species est.

Et duces per caput tuum, & per barbam tuam.] Non ipse per caput, & barbam duxit tonsorium gladium, sed fecit, vt tonsor duceret. Ita Lyra; & Hugo. Neque loquendi modus contrà stat; id etenim facere dicimur, quod vt fiat, autores sumus, quia nimirum aut imperamus, aut monemus. Quomodo Dauid, & Achab occidisse dicūtur alter Vriam, alter Naboth; & Salomon ædificasse domum, quia hi omnes ad præstandum, quod mente conceperunt, aliorum manibus vsi sunt. Quid tonsorius ille culter adumbret, incertum est. Alij Dei indignationem existimant: alij C Chaldæorum Regem Nabuchodonosor. Ego vtrumque esse puto, quia non aliter Deus offensus, & iratus pilos abrasit, combussit, ac dissipauit, quàm vsus Chaldæis ad curam illam administris, & quasi nouacula: nam, vt dixit Deus ipse Isaiæ cap. 10. *in manu eius virga erat, & diuini furoris indignatio*, quæ hîc figuratè nouaculæ vocabulo significantur. Et clariùs Isaias idem c. 7. v. 10. *In die illa radet Dominus in nouacula conducta, in his qui trans flumen sunt, in Rege Assyriorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam.* Qui verò intelliguntur in pilis, non obscurum est, & ipse Deus satis perspicuè docet statim; est enim populus D ipse Iudaicus, quem Deus Chaldæorum nouaculæ subiecit. Caput verò ex quo detonsi sunt capilli, & abrasa barba, ciuitas est Ierusalem, & regio tota, quæ illius paret imperio. Sed non 4. omittam, quia id plurimum facit ad moralem sensum, quod hîc tradit Hieronymus, qui illorum pilorum, Deum caput, & sedem esse dicit; vnde pullularunt fortunati quondam crines, & à quo postea detonsi, despecti sunt, & viles, & tāquam in sterquilinium proiecti, Hieronymum audi. *Quomodo autem in cæsarie, & barba pulcritudinis, ac virilitatis indicium est, quæ si radantur, fœda nuditas apparet, & vniuersi corporis pars extrema, atque, vt ita dicā, emortua in capillis, & pilis est: ita Ierusalem, & populus eius emortuus, & à viuo Dei corpore separatus fami, ac pestilentiæ, & cædi, & gladio, ac dispersioni, & captiuitati traditur.* Ex quo Hieronymi sensu discet E lector pius, quantum intersit adhærere Deo, non minùs atque capillos regio hærere capiti: vt enim capilli, licet extremum aliquid, atque emortuum sit, in regio tamen capite, ac barba in honore sunt, neque illos quisquam impunè tangeret; sic qui Deo adhærent, à nobilissimo illo capite honorem habent; quos tanti facit Deus, vt numeratos habeat, imò vt de palmite Christus, docuit, dum in vite manet, & succum ab illa trahit, fructum fert, stirpi illi consentaneum. At si à vite reuellas, arescit statim, & ignem pascit, & ab illo consumitur. Sic planè, qui dum fuere iusti, & eundem cum Christo spiritum habuerunt, pulchritudinem habuerunt, & honorem eximium; iidem à Deo separati vilissimi sunt, & tanquam

3. REGVLA. Id fecisse dicimur, quod vt alij faciant causa sumus.

Homo à Deo separatus vilissimus.

quam pili à regia barba diſſecti, ſterquilinio cenſentur digni, & illuc tandem proiecti, cum ignominia conculcantur; & cum dedecore putreſcunt.

5. *Et aſſumes tibi ſtateram ponderis, & diuides eos.*] Non temerè fiunt, aut ſine conſilio graui, quæcumque de re Iudaica aut portendit Propheta, aut complet Chaldæus, qui in hac tonſione, ac diſperſione gladius fuit, aut nouacula. Id totum indicat ſtatera, ac trutina, quæ id præſtat in rebus humanis, ne quid aut excedat iuſtum, aut à iuſto pondere deficiat. Vt enim in conſtruendis rebus, Deus pondus adhibuit & menſuram, appendit enim fundamenta terræ, & librauit fontes aquarum. Eſdræ lib. 4. c. 4. v. 36. *In ſtatera ponderauit ſæculum; & menſura menſurauit tempora, & numero numerauit tempora, & non commouit;* ſic in diſſoluendis nihil voluit citra pondus, atque menſura eſſe. Prouerb. 16. *Pondus; & ſtatera iudicia Domini ſunt.* Exemplum habes in Ægyptiis plagis, quibus penè diſſoluta eſt, atque demerſa Ægyptiorum potentia, de quibus Sap. c. 11. v. 21. Cùm enim Deus creator omnium, momento temporis, & vno ſpiritu diſſlare omnia, ac diſſipare potuiſſet, quia tamen nihil extra trutinam, ac menſuram eſſe voluit, illum adhibuit modum in plectendis Ægyptiis, quem in Exodo legis. *Sine his vno ſpiritu poterant occidi perſecutionem paſſi ab ipſis factis ſuis, & diſperſi per ſpiritum virtutis ſuæ; ſed omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.* Neque priùs Baltaſſarem Regno, vitáque ſpoliauit, quàm illum in ſtatera poſuiſſet, inueniſſétque minus habentem, Daniel. cap. 5. Illud enim eſt *Manen, Thecel, Phares,* quod de numero, menſura & pondere expoſuit Prophe-

Dei iudicia iuſta, & conſiderata.

6. ta. Sic videmus, ad euertendam Hieroſolymam, de cuius excidio ſunt iſta Ezechielis portenta, Deum admouiſſe funiculum, tectonicam nempe, menſuram, quæ quid diſturbandum, quid relinquendum eſſet è tota mole proderet. Thren. cap. 2. *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum ſuum.* Idem de Idumæis Iſaias c. 34. *Extendetur,* inquit, *ſuper eam menſura, & redigetur ad nihilum, & perpendiculum ad deſolationem.* Et accommodatè ad hunc locum, illud 2. Reg. c. 8. de Moab. vbi oſtenditur in menſura, & pondere ſeruari quoſdam, & alios extingui. *Menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendum; & vnum ad viuificandum.* Sic ergo nunc in capillis tam accuratè ponderandis, oſtenditur quàm Deus attentè definierit, quis occidendus ferro, quis fame, aut peſte, quínam diſpergendi, & qui tandem in patriam ab exilio reuocandi, de quibus ſtatim.

7. Verſ. 2. *Tertiam partem igne combures in medio ciuitatis iuxta completionem dierum obſidionis.*] In tertia capillorum parte, pars Iudæorum tertia ſignificatur, quæ fame, & peſte, aut morbo ex ipſa rerum difficultate contracto, in vrbe periere; quæ omnia ſatis idoneè exprimuntur in igne, qui ſua vi corripit, & conſumit, non alieno impulſu ſternit obuiam, & paratam materiam. Eſt autem veriſimile combuſſiſſe Prophetam tertiam capillorum partem in medio ciuitatis, quam apud ſe habebat in latere deſcriptam, vt ex Hebræis putat Rab. Dauid, & ex noſtris Hugo, Dionyſius, Vatablus, & Lyra. In medio ergo ciuitatis comburuntur capil-

Iudæorum multi peſte conſumpti ſunt, & fame obſidionis tempore.

li, quia vt foris gladius, & ſagitta, ſic intus peſtis graſſabatur, & fames; quæ tacitè non leuiorem attulit cladem, antequam intra muros hoſtis irrumperet, quam vrbe capta, ferrum hoſtile. Illud *iuxta completionem dierum obſidionis,* quidam ſic exponunt, vt completo obſidionis tempore, poſt diem nempe trecenteſimum nonageſimum; capillorum tertia pars tota crematetur. Ita Rab. Dauid, Rab. Salomon, Chaldæus, Pradus, & Maldonatus. Mihi longè videtur veriſimilius, quod putat Vatablus, neque improbat Hugo, quemadmodum non vno die pars ciuium tertia conſumpta eſt fame, peſte, ac morbo, ſed diebus ſingulis, quibus durauit Chaldæorum obſidio; ſic etiam neque vno die combuſtos eſſe crines, ſed quotidie aliquot, donec conſumpto obſidionis ſpatio, pars quoque tertia carptim fame, peſtéque tabeſceret: aliter enim non ſatis Propheta obſidionis incommoda deſcriberet.

Et aſſumes tertiam partem, & conſumes gladio in 8.
circuitu eius.] Vt peſtis, ac fames tertiam partem confecit intra mœnia; atque ideo in ciuitatis medio tertia pars capillorum incendio data fuit; ſic quia hoſtile ferrum, quo Iudæorum plurimi extincti ſunt, in ciuitatis circuitu graſſabatur. Idcirco in ciuitatis circuitu, vbi ſuprà cap. 4. Chaldæorum caſtra diſpoſuerat; tertiam aliam partem capillorum Propheta gladio diſſecuit. Porrò occidiſſe plurimos extra mœnia Chaldæorum ferro, non eſt difficile creditu. Multos enim fames extra mœnia afferebat, alij impendentem mortis neceſſitatem matura fuga euadere tentabant, qui tamen aut in caſtra vndique ab hoſtibus expoſita, aut in obtentas, & occultas inſidias incurrebant. Quòd occiſi fuerant extra ciuitatem, dum vrgente fame mœnia relinquunt, indicat Ieremias Thren. cap. 5. *In animabus noſtris afferebamus panem noſtrum à facie gladij in deſerto.* Hoc mihi valde veriſimile eſt ex cap. 7. v. 15. vbi graſſata fames, & peſtis dicitur intra mœnia; gladius in agro, & extra ciuitatem. *Gladius foris; peſtis, & fames intrinſecus: qui in agro eſt, gladio morietur; & qui in ciuitate, peſtilentia, & fame.* Alij de ciuitatibus aliis, quæ in tractu erant Solymitano, hæc accipiunt; quæ ſubiugatæ ſunt à Chaldæis, quæ cùm diu obſeſſæ non fuerint, non tam fame, quàm ferro domitæ in hoſtium venere poteſtatem. Neque hoc mihi diſplicet, quia Deus idipſum videtur indicare verſ. 5. vbi in circuitu Ieruſalem terras eſſe dicit, ſed magis mihi probatur explicatio prior.

Iudæorum multi ferro extra ciuitatem occiſi.

Tertiam verò aliam diſperges in ventum; & gla- 9.
dium nudabo poſt eos.] Hæc eſt pars illa tertia, cui obſidionis tempore fames, & gladius pepercerunt; quæ aut fuga in alia, atque alia loca dilapſa eſt; aut ab hoſte iam rerum potito, in exilium abducta. Quæ ideo, credo, dicitur in ventum diſperſa, quia, qui ad tertiam illam partem pertinebant, nunquam in vnum corpus, aut in vnam Rempublicam coaluere; ſicut illa, quæ à vento diſſipantur, in ordinatam aliquam molem coire non ſolent, ſeu certè, quod magis reor, quia illos proinde aſſequetur gladius, atque eos qui in obſidione, aut expugnatione Hieroſolymæ perierunt. Quæ enim ventus diſpergit, & diſſlat, illa periiſſe exiſtimantur, aut certè fruſtrà fuiſſe ſuſcepta. Vnde Sap. cap. 5. dicitur, *Spes impij*

Ventus pro re perdita prouerbialiter.

tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tanquam fumus, qui à vento diffusus est. Et *in ventum loqui*, dicuntur illi, quorum irritus est sermo. Iob 6. v.26. & cap. 13. v.5. Ieremias 5. v. 13. Quod loquendi genus familiare est, & prouerbialis locutio. Virgilius lib.10. Æneid. inane gaudium sic explicat:

——— *nec ferre videt sua gaudia ventos.*

Et lib.9. de mandatis Ascanij, quæ non erant ad parentis aures peruentura,

Multa patris portanda dabat mandata, sed auræ
Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.

Iudæi, qui euaserunt ex vrbe, malè postea mulctati.

10. Cur verò illorum irrita futura sit fuga, quos non extinxit necessitas, aut vis, ea redditur ratio, quia illos nihilominus insequetur gladius à Domino districtus. Nam qui ad Ægyptios confugere, illi à Chaldæis iterum oppressi, aut occisi sunt ferro, aut in exilium acti. Vide Ieremiam cap.44. v.27. *Consumentur omnes viri Iuda, qui sunt in terra Ægypti gladio, & fame, donec penitus consumantur.* idem cap.42. v.16. Neque pauci fuerunt, quos ante Ægyptiam fugam extinxit Ismaël, ex eorum numero, qui in finitima se loca receperant, vt habes Ieremiæ cap.41. Neque tantùm qui Ægyptiorum se tutelæ permiserunt, experti sunt ibi Chaldæorum, seu potiùs Dei seuerum, ac vindicem gladium; sed etiam qui ad Moabitas, Ammonitas, & Idumæos confugerunt. Cùm enim quinto ab excissis Hierosolymis anno, Chaldæi regiones illas subegissent, vt docet Iosephus lib.10. Antiq.cap.11. satis est verisimile, & ex hoc Ezechielis loco mihi certum, eadem fuisse passos Iudæos, quæ nationes illæ subiugatæ, & malè concisæ. Adde quòd nationes illæ suis quoque profugis, propter antiquum odium fuerunt infensæ. Contra quas Abdias v.14. *Neque stabis in exitibus, vt interficias eos, qui fugerint.* Cæterùm in illo, *& gladium nudabo*, & causalis est, sicut aliis in locis frequenter: redditur enim causa cur in ventos dispergendi sint, id est, perituri, sicut à vento dissipati capilli periisse censentur.

Moabitæ, Idumæi, & Ammonitæ à Chaldæis euersi.

11. Vers.3. *Et sumes inde paruum numerum, & ligabis eos in summitate pallij tui.*] Ex illis qui dispersi sunt, siue ad Babylonios captiui, siue ad finitimas alias Gentes dilapsi, perquam pauci domum, vnde abducti fuerant, remigrarunt: quod creditu difficile non est, cùm vexatio dura, & longa annorum septuaginta captiuitas maximam illorum multitudinem extinxerit, quos vehemens illa procella dispersit; rediisse tamen aliquos, quorum numerum exiguum fuisse necesse est, docet Esdras lib.1.c.3. v.12. *Plurimi*, inquit, *de Sacerdotibus, & Leuitis, & Principes Patrum, & Seniores, qui viderant templum prius, cùm fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna.* Hoc credo, designari in paruo illo pilorum numero, quem in extremo pallio ligauit Propheta, cúmque his etiam eos, qui ingenti numero, ex Iudæorum stirpe propagati, sub initium regni Cyri, excusso Babylonico iugo, reuocati sunt. Quamuis enim illi dispersi non fuerint à vento, ab eis tamen quos ventus dissipauit, prognati sunt. Alij aliter explicant; quorum sententias, ne longus sim, prudens omitto; quia & ipsæ non satis expeditæ, neque eiusmodi sunt; vt attentis animis omninò satisfaciant.

Pauci ex his qui abducti sunt, in patriam remigrarunt.

12. Porrò quæ ligantur in pallio, aut in lacinia portantur, in pretio sunt, & ab aliis selecta, sumpta, credo, metaphora ab olitore, qui putrida, atque immatura reiicit; quæ verò esui videntur non inepta, aut grata palato, in lacinia seruat, quam hîc pallij summitatem appellamus. Quomodo aliquis ficus malas, & valde malas abiiceret, quas in calatho vidit Ieremias cap. 24. bonas autem, & bonas valde seruaret. Ex hoc Ieremiæ loco coniectat Rab. Dauid cui ex nostris subscribunt Vatablus, Isidorus, Maldonatus, exiguum illum numerum in lacinia, seu in pallij summitate seruatum esse ex iis, qui cum Iechonia, vndecimo priusquam ciuitas caperetur anno transmigrarunt. De quibus dicit ibi Dominus: *Sicut ficus hæ bonæ, sic cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum in bonum: & ponam oculos meos super eos ad placandum, & reducam eos ad terram hanc.* Sed quominus hæc probem facit, quòd hîc loquitur Deus de his, qui post hæc Ezechielis portenta dispergendi sunt, vt constat: ast tunc tam Iechonias, & plures alij cum ipso transmigrarant, quorum è numero fuit Ezechiel. Item quia hæc sententia statuit illorum neminem, qui sub Sedecia capti sunt, aut dispersi in patrios fines fore reuocandos, at hoc apertè negat Ieremias cap. 44. v.28. qui aliquos licèt exiguo numero, ex vltima captiuitate sub Sedecia, restitutum iri affirmat. Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci. Magis mihi videbatur verisimile, si pauci, qui ligari iubentur in pallio, sint hi pauci, de quibus hoc loco Ieremias.

Prouerbiū, seruari in lacinia.

Ex his qui capti cum Sedecia nõnulli reuersi.

13. Vers.4. *Et ex eis rursum tolles, & proiicies eos in medio ignis, & combures eos igne.*] Ex capillis in pallij summitate seruatis, id est, ex Iudæis, qui in patriam postliminio redierunt, quidam tale postea incendium passi sunt, quale priùs obsessi à Chaldæorum exercitu pertulerant. Qui verò sint illi, obscurum est. Rab. Dauid, Rab. Salomon, & Lyra senes illos esse putant, de quibus Ieremias cap.29. Sedeciam, nempe, & Achab, quos Rex Babylonis frixit in igne. Theodoretus illos esse censet, qui liberi fuerunt ab vrbis incendio, & extrema clade, & crediti Godoliæ fidei, de quibus Ieremias cap. 40. Vtraque tamen sententia eo laborat incommodo, quòd hîc sermo est de illis, qui restituti sunt patriæ. At duo senes in Babylone frixi esse traduntur; ex his verò quibus præfectus fuit Godolias, aut nullus, aut certè admodum pauci in patriam redierunt. Quare, cùm hæc accipienda sint de illis, qui in pallio seruati, & patriæ restituti sunt, exploremus oportet, in quos incendium hoc, quodcumque illud sit, conuenire possit.

14. Mihi valde placet, quod cum Hieronymo sentiunt Apollinaris, Hugo, Dionysius, & Pradus, hæc esse referenda ad Machabæorum tempora, in quibus hi, qui ab exilio reuersi patriam incoluerant, auxerántque vehementer; ita tamen sunt afflicti, primùm ab Antiocho, deinde ab aliis Iudaici nominis inimicis, vt in eadem viderentur defluxisse tempora, quibus ipsorum parentes fuerunt iam antè perfuncti. Vide lib.1. Machab. cap.1. & lib.2. c.2. & 6. inuenies eam multitudinem occisam, aut captiuam, & venditam, & illud incendium esse grassatum, vt speciem videre te putes Babylonici temporis. Hoc igitur iubetur Propheta, vt ex capillis in lacinia seruatis, partem aliquam flammis absumat, quia ex eo genere cecidere non pauci.

15. *Ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel.*] Si illud *ex eo*, populum referat Iudaicum, vt Hieronymus putat, ex quo ignis egressus est, qui populum vel absumpsit, vel deformauit, quærendi nobis sunt, qui magni illius incendij censeri potuerunt prima fax. Hi verò cùm multi fuerint, qui magno rei Iudaicæ fuerunt incommodo, præcipuè tamen illi de quibus 2. Machab. cap.4. & 5. Simon nempe, Iason, & Menelaus, qui dum principes videri student in populo, & priuatas persequi inimicitias, vendidere patriam hostibus, & Gentilicas sordes, & nefanda flagitia non in vrbem solùm, sed etiam in templum induxere. Sed forsan illud *ex eo*, refert hieroglyphicum illum ignem, in quo capilli combusti sunt; qui cædem illam, aut incendium referebat, quibus sub Antiochi tempora vix dum restituta, atque corroborata ciuitas deflagrauit: Ex eo, inquit, igne tanquam ex vmbra, ac typo egredietur ignis verus, qui latè populetur domum Israël (id est, quotquot ex decem tribubus in patriam redierunt: nam ex omnibus tribubus rediisse aliquot, suprà ostendimus cap.4. n.39. ad illud *pones iniquitatem domus Israël.*) Quòd autem, figurata res, & adumbrata cum reipsa completur, egredi dicatur ex typo, aut vmbra, diximus ad illud Zachar. c.6. *Subter eum orietur.* v.12. Hoc posterius videtur non improbabile; quia *populus*, aut aliquid simile, non antecesserat, ad quod, illud *ex eo* referri possit, nisi fortè ad vocem מעט *mugat*, quæ substantiua est, & reddi potest, iuxta textum Hebraicum, *Sumes inde paruum in numero.* ex eo igitur *paruo* egredietur ignis, id est, ex paruo illo numero, qui ex tanta multitudine redibit in patriam. Et hoc mihi videtur minus impeditum.

Ex his qui capti cum Sedecia sunt, nullis reuersi.

16. Vers.5. *Hæc dicit Dominus: Ista est Ierusalem, in medio Gentium posui eam: & in circuitu eius terras.*] Maldonatus *Ierusalem in medio Gentium positam*, inter Gentes dispersam interpretatur. quod paulo antè in capillis à vento dissipatis expresserat. Sed quæ adduntur statim, facilè aliud suadent. Alij communiter amplificari existimant beneficia, quæ in populum illum collata sunt à Deo, quo magis appareat populi stupor, atque perfidia, qui Deo pro beneficiis multiplicem reddidit iniuriam. Primum beneficium est, quòd in medio terræ collocauit ciuitatem illam, de qua tam grauis est querela; & cui supplicium hoc seuerum indictum. Quo sensu in medio Gentium, aut terræ dicatur Ierusalem; non est admodum exploratum. Quod antequam expedio,

17. obseruo, *in medio*, iuxta Hebræorum idioma, idē esse quod *in*, aut *inter*. quare siue de terra promissionis loquare, siue de toto orbe, non est necesse, vt Ierusalem in eo spacio statuas, quod propriè, & quasi Mathematicè medium appellatur, id est, à quo distant æqualiter extrema. Exemplis abundamus; vide quæ diximus 1.cap. ad illud, *In medio captiuorum.* Neque sanè aliter intelligitur illud Genes. 18. v.25. *Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis*, id est, in ciuitate. Et Prouerb. 30. v.19. *Viam maris in medio mari.* Neque aliud vult Dauid, cùm Psal.100. dicit, *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Quare cùm Ierusalem dicitur esse *in medio Gentium*, nihil aliud est, vt opinor, quàm esse inter Gentes, quia videlicet illam finitimæ Gentium nationes circumfundunt. Sicut etiam illud Psal.73.v.14. *Deus autem, Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* Scio alios ali-

In medio idem, quod in.

A ter sentire, rationésque reddere, cur Deus in medio, id est, in vmbelico terræ, nempe Ierusalem, salutem nostram operatus sit. Sed cùm reuera Ierusalem in terræ medio, siue centro non sit, siue latitudinem, siue longitudinem spectes; non videtur sensus ille verborum, ad rei ipsius veritatem accommodari posse. Quid autem sibi voluerit Ezechiel, cùm cap.38. Ierusalem, seu terram promissionis vocauit *vmbelicum terræ*, suo loco dicemus. Quod verò statim additur, *& in circuitu eius terras*, explicatio est prioris hemistichij. Vt enim *Gentes, regna*, & *populi* in numero multitudinis, eos significant, qui à religione vera alieni sunt; sic etiam *terræ* in eodem numero

B populos sonant barbaros, & veræ religionis expertes. Sic *Regna terrarum*, regna sunt Gentilica. 2.Paralip.cap.17.v.10. Isai.cap.37.v.18. cùm sermo esset de Gentilium prouinciis, dicitur, *Verè enim Domine desertas fecerunt Reges Assyriorum terras, & regiones earum, & dederunt deos earum igni.* Et idem clariùs ex Ezechiele cap.6. v. 18. *Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in Gentibus, & dispersero eos in terris.* & cap. 20. v. 23. *Vt dispergerem eos in nationibus, & ventilarem in terras.* Polychronius, & Scholiastes putat his verbis dignitatem amplificari Ierusalem, quæ tanquam Regina sedet in medio, cui circumiecti populi, tamquam famuli, atque stipatores

Terræ, populos significant gentilicos.

C seruiunt.

Vers.6. *Et contempsit iudicia mea, vt plus esset impia, quàm Gentes.*] Deberet populus ille, tot à Deo cumulatus beneficiis, non solùm se Dei præceptis obsequentem præbere, eóque studio eius nominis colendi, atque amplificandi inflámari; vt ad diuinum obsequium Gentilicos traheret populos, vt dicit Theodoretus; sed accidit longè secus: nam & legem Dei nullo habuit in numero; sed omninò perdidit, & Gentiles ipsos scelerum magnitudine superauit; Moabitas puta, Ammonitas, Idumæos, & Palæstinos, qui populi in circuitu erant Ierusalem, vtpote qui terræ promissionis fines attingebant. 18.

D Vers.7. *Quia superastis Gentes.*] Heb. est המן, quod multiplicare significat. Quasi dicat Deus, multiplicatos esse Iudæos, & numero, & opibus supra Gentes; quæ res, cùm illos memores, & gratos reddere debuisset; occasionem tamen attulit, vt lasciuirent, & à diuina lege impudentiùs atque faciliùs excederent. iuxta illud Deuter.32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum:* Septuaginta vertunt, *quia occasio ex Gentibus.* Symmachus, *quia multitudo ex Gentibus.* quod idem est, ac si diceret: Quasi orti essetis ex Gentibus, & non ex Abrahamo: quod Ezechiel expressisse videtur cap.16. cùm dixit, *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan.* id est, de Gentibus, quas habes in circuitu. Sed plerique cum Hieronymo, putant coargui populum, quòd Gentes omnes Ierusalem scelerum magnitudine superarit, quod ego magis probo. 19.

E

Iuxta iudicia Gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati.] Gentilium exemplo coarguit sceleris Deus populum suum, quia neque id seruarunt, quod natura ipsa hominum animis inseuit; quod seruant Gentes, quæ magis se à quibusdam temperant peccatis, quàm gens alia sanctioribus disciplinis exculta; ita cum Hieronymo Theodoretus, & Lyra. Sed est fortasse verius, quod cum Vatablo, & Dionysio putat Maldonatus, exprobrari hîc inconstantiam populi 20.

Iudaici, qui Deo vero relicto, nouas quotidie religiones assumit, quod Gentes non faciunt, quæ magis patriæ religionis tenaces sunt. De quibus Ieremias cap.2. *Transite ad insulas Cethim, & videte; & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte si factum est huiusmodi; si mutauit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dij: populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum.*

21. * Vers.8. *Et ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis Gentium.*] *Iudicium* vox est æquiuoca: significat enim legem, aut præceptum, quæ populus contempsisse dicitur; significat etiã supplicium, quod à iudice, re legitimo iudicio examinata, damnatis imponitur. In hac ambiguitate vocabuli lusisse videtur Propheta, dũ iudicio in priori significatione, iudicium in altera ex aduerso componit. id est, iudiciis violatis, iudicia, quæ à transgressoribus supplicium exigant. Id verò in Gentium oculis fieri necesse est, quia cùm Gentes, vt vidimus, Hierosolymam mediam vndique circũstent, non potest tam graue, paténsque supplicium illarum Gentium oculos latere. Illud *in medio tui*, vt nuper diximus, idem est, quod *in te.*

22. *Et faciam in te quod non feci.*] Quidã illud *quod non feci*, eò spectare existimant, vt dicat Deus facturum se, quod nunquam antè fecerit, facturúsve sit, nempè vt per seipsum populum illum hostiliter vexet, & non per alios. Nam, vt ipse non semel docuit, Chaldæorum castris ducem se, & auspicem præbuit; imò diuina virga, & Dei indignatione inflammati rem totam peragerent Chaldæi; sicut de Assur dicit Isaias cap.10. *Assur virga furoris mei, in manu eorum indignatio mea.* Nam Nabuchodonosorem euocauit è Babylone, illũ deduxit, & per illum tanquam sui furoris administrum vires confregit Iudæorum. Ierem.c.25. v.9. *Ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor Regẽ Babylonis seruum meum: & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, &c. & interficiam eos.* Quod aut probat, aut indicat quod proximè antecessit, *& ipse ego faciam.* qui dicendi modus à Domino, vt ita loquar, immediatè aliquid factũ esse docet. Ita putant, certè non improbant Hugo Dionysius, Vatablus, & Pradus. Sed quo minùs hæc sententia placeat, facit quod eodẽ modo expugnauit Deus per Assyrios Israëlem, & afflixit vehementer Iudam, quos non aliter ad negotium illud sanguinarium adhibuit, quàm postea Nabuchodonosorem: deinde, quia neque postea tale aliquid facturum se affirmat. Sed videmus Cyrum contra Babylonios eodem modo aut incitatum, aut adductum à Deo, quo sub hoc Ezechielis tempus Nabuchodonosorem. Isai. cap.45. *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius Gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, &c.*

Alienos Deus ad suorum punitionem ministros assumit.

23. Quare dicendum est hîc sermonem esse de supplicij magnitudine, quale neque visum fuit antea, neque vnquam postea futurum est. Sed est adhuc obscurum, an hîc comparatio fiat cum suppliciis sumptis antea, aut sumendis postea de Iudæis, an de aliis Gentibus. Auctores iidem, qui suprà, de Iudæis accipiunt, qui duriùs aliquando accepti & hostilem in modum vexati sunt; qui dicuntur iactandi multo grauiùs quàm vnquam iactati, aut aliquando vexandi sunt. Sed hæc sententia illud patitur incommodum, quod nó leuiùs, imò grauiùs multò vexati sunt Iudæi

Iudæi durius à Romanis quã à Chaldæis vexati.

A à Romanis propter Christi mortem, qui adhuc etiam ideo vexantur. Est autem hoc commune apud omnes nunquã grauiora pertulisse Iudæos, quàm cùm vexati, aut subiugati à Vespasiano pœnas dederunt effusi Christi sanguinis.

Placet magis quod cum Hieronymo tenet 24.
Maldonatus, & quidam ex his, qui ad alias sentẽtias minùs sunt difficiles, qui supplicium, quod hoc loco Dominus minatur Iudæis, conferri cẽsent cum eo, quod aliquando subiere Gentiles. Neq; ratio deest, quia nationes aliæ minùs peccauere grauiter; atque ideo mitius quàm Iudæi punitę sunt. Vt autẽ in peccatorum grauitate facta fuerat proximè Iudæorum, atque Gentilium
B cóparatio; sic etiã fieri debuit in acerbitate supplicij. Sed diceret aliquis grauiora tulisse Sodomæos, qui ab igne cœlesti consumpti sunt; aut Ægyptios, quos post longam, & multiplicẽ plagã, marini fluctus absorbuerunt. Cui obiectioni satis videtur fecisse Ieremias Thren. cap.4. qui supplicium Sodomæ leuius fuisse clamat; quia neque diuturnus antecessit pauor, neque graues ab hostibus iniuriæ, neque assidua moriendi necessitas, seu formido, quæ interdum nihilo morte leuior; neque à fame quicquam sustinuerunt incommodi, cùm abundãtia magis, quàm rerum inopia laborarent. *Maior, inquit, effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa*
C *est in momento, & non ceperunt in ea manus. Iniquitas* autem, & *peccatum*, peccati, atque iniquitatis supplicium significant. Et paulo pòst: *Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame: quoniam isti extabuerunt, &c.* Hoc idem dicendum de Ægyptiis; atque etiam de communi totius orbis inundatione: quia hæc aut subitò, aut certè non adeò longo tempore peracta sunt.

Iudæi seuerius à Deo quàm gẽtiles multati.

Vers.9. *Et quibus similia vltrà non faciam.*] Ex 25.
hac sententia, quam amplexi sumus, multa cessare videntur incommoda, quæ non satis, qui aliter sentiunt, aut soluunt, aut effugiunt. Primum quia, quæ contigere sub Vespasiano, illa non ad Gentes spectant: secundum, quia id, quod Christus dixit Matth. cap.24. v.21.
D *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet.* aut intelligendum est de Romanorum obsidione, quare expositioni nostræ nihil incõmodat; aut si ad tempora referatur Antichristi, non Gentilium hæc erit solùm, sed Iudæorum, Christianorúmque vexatio: Deus verò cum Gentilium suppliciis Iudæorum comparat vexationem.

Vers.10. *Ideo patres comedent filios in medio tui:* 26.
& filij comedent patres suos.] Hæc sunt illa iudicia, quibus in Gentibus nulla contigere similia: eò enim adiget fames obsessos à Chaldæis, vt neque parentes à filiorum, neque filij à
E parentum carnibus abstineant. Quod contigisse dubitandum non est, etiamsi sacra tacuerit historia, & Ieremias in Threnis id famelicis matribus tantùm adscribat, cap.2. *Ergóne comedent mulieres fructum suum.* & cap.4. v.10. Item Baruch cap.2. v.3. vbi nihil vnquam tale contigisse affirmat. *Vt adduceret Dominus super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cœlo, &c. vt manducaret homo carnes filij sui, & carnes filiæ suæ.* Vbi vides quemadmodum non solùm matres, sed etiam patres filiorum, filiarúmque carnibus pasti sint.

Filij parentum & parentes filiorum carnibus pasti.

Sed obstrepet aliquis, dicétque hoc etiã olim 27.
contigisse aliis à Iudæorum familia, atque ideo non esse grauius illud infortunium, quòd impẽ-

dere

A dere dicitur Iudæis à Babylonijs. Nam, vt habes 4.Reg. cap.6. in obsidione Samariæ mater quædam traditur coxisse, ac comedisse filium. At Samaritani, & aliæ decem tribus, quæ ab vrbe, téplóque diuulsæ, ad aureos vitulos diffluxerunt, à Iudæis in Gentilium numero censebantur. Sed quicquid illud sit de eodem, siue alieno genere, neque enim ego Samaritas, eo tempore quo ista contigisse narrantur; adeò alienos esse puto, vt videantur dici posse Gentiles; tamen res fuit longè dissimilis, & calamitas leuior. Nam Chaldæorum obsidio, diuturna fuit fames acerbior; neque vna tantùm mater filium comedit, sed patres, ac matres filios, & filias, & filij parentes.

B Adde quòd exitus fuit longè diuersus: nam Samaritæ fugatis hostibus, & obsidione soluta, aucti sunt opibus, & soluti metu: at Iudæi multi priùs incómodis iactati, vt ait hoc in loco Propheta, in omnem ventum dissipati sunt.

28. Vers.11. *Viuo ego, dicit Dominus Deus, nisi pro eo, quod sanctum meum violasti, &c. ego quoque confringam.*] Iurisiurandi forma, quam in Scriptura sæpius vsurpat Deus, cui plerũque subijcitur particula *nisi*, aut *si*, cui est annexa execrationis species. Quare sensus est: Nisi confregero te propter abominationes tuas, & si tui ita misertus fuero, vt parcat tibi oculus meus, ne sim Deus viuens, sed sicut ligneum simulacrum, cui neque sensus inest, neque vita, aut aliquid simile.

Quæ iuramenti forma, qua Deus vtitur.

C Nunc pauca nobis explicanda. Primum, quid valeat illud diuinum iusiurandum, *viuo ego*, de quo egimus in nostris commentarijs super Isaiam ad illud cap.62. *Iurauit Dominus in dextra sua, & in brachio fortitudinis suæ.* Alterum est illud, *& non parcet oculus meus*, quod idem est atque, *non parcam ego*. Ad quod obseruandum, quod alibi non semel ostendimus, actionem aliquam, aut opus ascribi illi, qui opus, aut factum ostendit, aut futurum prænunciat; quomodo reuersus Sol decem lineas adiecisse dicitur vitam Ezechiæ, Eccli.48. v.16. qui signum fuit vitæ longioris. *In diebus ipsius retro rediit sol, & addidit Regi vitã.*

Oculus parcit, quid?

REGVLA. *Signo tribuitur actio, aut res, cuius est signum.*

D Quia ergo oculi animorum sunt indices, dum produnt quid in animo lateat, sibi etiam vendicant id, quod animorum proprium est, nempe misereri, parcere, dolere. Quare sicut oculi dicuntur *dolentes, hilares*, quia animorum dolorem, & lætitiam indicãt, sic etiam dicuntur misereri, ac parcere, quia miseratione commotum, & pronum ad veniã animum ostendunt. Hoc ipso dicendi genere vsus est Ezechiel iterum cap.7. v.4. & cap.16. v.5. Deuter.7. v.16. & iterum cap.13. v.8. 1.Reg.24. v.11. sic Dauid ad Saul, *Cogitaui, vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus.*

29. Vers.12. *Tertia pars tui peste morietur, & fame cõsumetur in medio tui.*] Explicat quæ in capitis initio significauerat obscuriùs: & docet quid capilli combusti, aut gladio concisi sibi velint.

E In igne pestis indicatur, & fames, quæ tertiam populi partem in media ciuitate conficient. Quod sanè ita accidisse, ex multis alijs constat Prophetarũ locis. Et licèt de peste nihil, quod ego viderim, habeamus a sacra historia, satis tamen est ex illa didicisse, grauem inualuisse famem, quã plerumque, & quasi necessariò consequitur pestis. Sed grassatam quoque fuisse pestem, dubitare nefas; cùm tam aperte tam ab hoc, quàm ab alijs Prophetis habeamus. Apertissime verò igne, pestis designatur, & fames, quia eadem pene efficiunt in homine, quod ignis. De fame docet loquendi modus in Scriptura non infrequens, qui id attri-

Ignis pestis symbolum & famis.

A buit fami, quod est ab incendio. Isaiæ cap.13. *Facies combusta vultus eorum.* Ioel cap.2. *Omnes vultus redigentur in ollam.* quæ omnia à fame contigisse verisimile est. De fame certè dixit Ieremi. Thren.5. *Pellis nostra sicut clibanus exusta est à facie tempestatum famis.* Quod etiam censent scriptores externi, qui fami eadem, atque igni attribuunt, ardorem nempe, atque atrorem. Ouid. lib.8. Metamorph. de Erisichthone,

——— furit ardor edendi,
Pérque auidas fauces, immensaque viscera regnat.

Tam famem, quàm pestem similes esse dixit igni Silius Italicus,

——— sedet acta medullis
B *Iam dudum, atque inopes penitus coquit intima pestis.*
Est furtim lento miseris durantia tabo
Viscera, & exuris siccatas sanguine venas
Per longum celata fames.

De peste plura sunt apud externos. Et quidem Homerus statim in principio à sagittis Apollinis, id est, Solis radijs occisos esse dicit eos, quos in Græcorũ castris pestis. Lucanus lib.3. Pharsal.

Iam riget atra cutis, distentaque lumina rumpit,
Igneaque in vultus, & sacro feruida morbo
Pestis abit.

Optimè igitur in igne significantur duo illa incommoda, & quasi domesticæ pestes, quibus intra mœnia tertia pars ciuium miserè contabuit.

C *Tertia pars tui in gladio cadet in circuitu.*] Hæc à nobis suprà explicata sunt ad versum 2. & similiter quæ proximè sequuntur.

Vers.13. *Et complebo furorem meum: & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor.*] 30.
Hæc tria eandem continent sententiam, sed cum epitasi. Complere nãque furorem nihil est aliud, quàm furori satisfacere, qui vindictam expetit, & inimicorum sanguinem sitit, sicut algentem aquam, qui siti vritur vehementi. Aliter posset locus iste, neque meo iudicio ineptè explicari. Hactenus Deus sæuire cœperat in Iudæorum gentem, molli tamen, atque paterna manu, dum Ægyptiorũ manibus perimit Iosiam, qui patriæ

Diuinæ iræ vehemens æstus.

D videbatur columen, & pater: dum exilio damnat Ioachaz depulsum è Regno, dum per Nabuchodonosor sub Ioacim, rem atterit Iudaicã, & iterum sub Iechonia conturbat, & attenuat; nõdum tamen compleuerat furorem; quia plura statuerat, eáque longè grauiora in stolidum illum, & ingratum populum, quæ tandem compleuit sub Sedecia excisa vrbe, exusto templo, & ciuibus vel extinctis ferro, fame, & peste, vel in omnem ventum ignominiosè, ac miserè dispersis. Id verò nunc minari videtur Dominus, dum complendum dicit esse furorem iam diu conceptum; id est, cùm venenum illud acerbitatis euomuerit, quod in diuino pectore thesaurizauit populus

E ingratus, & indocilis. Vtraque expositio facilis est, neque mihi promptum vtri magis applicer; in priorem magis inclinat animus.

Et requiescere faciam indignationem meam in eis.] 31.
Vt verbum *requiescere* plures habet significationes, sic etiam locus hic in plures sensus patet. Requiescere primùm dicitur, quod diu hæsit, & quasi in propria sede dudum inueterauit. Quomodo peregrinus qui vagus errat, & sedes alias, atque alias quotidie vertit, tunc dicitur requiescere, cùm stabile sibi domicilium inuenit. Explicuit hoc satis accommodatè Isaias cap.30. v.32. *Erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Deus super eum.* Agit autem de supplicio Assur, quod dicit futurum esse perpetuum;

Requiescit Deus, & lenatur, dum peccatorem punit.

id verò per illa duo satis aptè significat, *fundatum*, & *requiescere*. Quare non malè explicare videor hunc locum, si dicam Dei furorem in populum priùs obsessum, deinde peregrinum, & exulem diu grassaturum, quod ante non fecerat: nam cùm ad Deum se referebat populus, statim placatus Deus furoris sui vim acrem temperabat.

32. *Requiescere* item valet sedari perturbatum animum, & molestiam illam deponere, qua iactabatur, & æstuabat priùs. Loquitur autem Deus hîc humano more; sicut alibi sæpè: homines enim dum æstuant ira, torquentur, neque consistunt, donec illam in aduersarios euomant, quia vindicta acceptę cótumeliæ leuamentum est; nó aliter atque ab humore noxio, siue ab hausto veneno alleuari stomachus vomitione solet. Sed est alia ratio, cur furor à vindicta depositus animum sedet, & quasi à tempestate tranquillet: furor etenim quasi turbo quidam est, qui fluctus excitat, & mare conturbat. Vt verò compressis ventis, mare requiescit: sic furore, vtcunque pacato, siue per vindictam, siue per patientiam requiescit, & tranquillatur animus. Quòd ira animus agitetur variè, nó aliter atque procella mare, variis modis explicant tam sacri, quàm profani scriptores. Chrysostomus homil. 5. in Ioanné, *Cum circa pracordia efferbuit ira, ignem emittit, tota inflatur facies, incompositæ manus mouentur, prosiliunt pedes*, &c. Seneca lib. 1. de ira, cùm de irascentibus ageret, ait, *Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, æstuante ab imis præcordiis sanguine: labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus, ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitúsque: complosæ sæpius manus, & pulsa humus pedibus, & totum concitum corpus*. Vide quot in homine iracúdo motus, quàm crebræ, ac vehemétes agitationes, quámque aptè requiescere dicatur, qui furoris æstum in præcordiis sedat. Hinc apud profanos passim audimus, irarum æstus, ac fluctus. Sic Ouidius de iracundo,

Magnóque irarum fluctuat æstu.

Sic Maro,

Irarum tantos voluis sub pectore fluctus.

Et alibi,

——*& mens exæstuat ira.*

& similia passim. Hæc posterior explicatio mihi probatur magis; neque displicet prior.

Ira varij motus.

33. *Et consolabor.*] Loquitur hoc loco Deus, sicut alibi millies, accommodatè ad hominum sensus, qui dum doloré aut deponunt, aut leniunt, consolationem accipiunt; quod etiam faciunt, dum suo sibi indulgent furori, & æstuantem animum vindicta leuant. In iracundia enim esse dolorem communis est sensus, imò Aristoteles in iracundiæ definitionem doloré inclusit 2. Rhetor. c. 2. *Ira est appetitus vltionis cum dolore*. & lib. 4. Ethic. cap. 5. tunc imponi dicit iræ finem, cùm aduenerit vltio; quod perinde est, ac si diceret, tunc animum aut leuari, aut consolari, cùm furorem expleuerit. Neque puto aliud, hoc loco, à Propheta significari, quàm quod dicit hîc Aristoteles, & ille alius, qui in eandem sententiam cecinit, *minuit vindicta dolorem*. Imò & quidam alius nihil esse iucundius arbitrabatur vindicta; nec vitam quidem ipsam. Hoc loquendi genere vsus est idé Dominus apud Isaiam cap. 1. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.*

Iracundia quid?

34. *Et sciét, quia ego Dominus locutus sum in Zelo meo.*] Pro *zelo*, Heb. est קנאה *kinah*, quæ vox aut vehementem amorem, atque studium significat; aut

A indignationem, & dolorem grauë ex amore, aut fide violata conceptum. Cùm autem dolor, quo sponsus afficitur in spósam, quæ thalamum prodidit legitimum, & datam fidem impudenter, atque obstinatò violauit, grauissimus sit, neq; minus odium, quod ex ea consortis intemperie natum, implacabile est, fit vt zelus interdum pro odio sumatur vehementi. Hoc sensu sumitur Prouerb. 6. v. 34. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ*. & Psal. 78. v. 5. *Vsquequo Domine irasceris in finem? aut accendetur velut ignis zelus tuus?* Isai. cap. 59. v. 17. *Indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio zeli*. Neque rarò apud nostrum Prophetam zelus, pro odio sumitur hostili. c. 23.

Zelus mult. ta significat.

Zelus, pro odio.

B v. 25. *Ponam Zelum meum in te, quem exercēt tecum in furore: nasum tuum, & aures tuas præcident, & quæ remanserint gladio concident, ipsi filios tuos, & filias tuas accipient*. & capite 38. v. 19. *Ascendet indignatio mea in furore meo, & in zelo meo, in igne iræ meæ locutus sum*. In hanc ergo significationem modò zelum accipio, & hanc ex his sententiam informo. Experientia ipsa discet, cùm indignationé meam in eis compleuero insipiens, atque rebellis populus, verba mea non esse meras minas, quæ magis interdum terrent, quàm pungunt, & sauciát, sed esse potiùs fulmina, quæ vibrat offensus animus, & à zelotypo sponso ardens, atque incitatus furor; quæ verba non sunt ab eo, qui fallere

C soleat, aut præstare nequeat, quæ minatur; sed à Deo: *quia ego*, inquit, *Dominus locutus sum*.

Vers. 14. *Et dabo te in desertum, & in opprobrium,* 35.
&c. *in conspectu omnis prætereuntis*.] Hæc ita accidisse lamétatur Ieremias Thren. cap. 2. à versu 4. Desertam esse dicit Ierusalem. & vers. 15. & 16. irrisam esse dicit, & exsibilatam à transeuntibus. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt*, &c.

Vers. 16. *Quando misero sagittas famis pessimas in* 36.
eos, quæ erunt mortiferæ.] Sagittas famis vocat Rab. Dauid, & cum eo Vatablus, Maldonatus, & Pradus, locustam, bruchum, vredinem, & quicquid segetem, seu in herba, seu in arista populantur,

D & perdunt. Quæ non durè appellantur sagittæ, quia quod in hominum corporibus efficiút spicula, id in frugibus faciunt illæ bestiolæ; aut quę à cœlo proueniunt incommoda; qualia sunt nebulæ, grando, ventus vrens, vehemens, & intempestiuus imber; & quidem fulgura, & fulmina, & tela, seu sagittæ dicuntur Dei. Habac. c. 3. *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ*. & Sap. cap. 5. *Ibunt directæ emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur*. Non improbo explicationem istam; quia quicquid emimus torquetur, id translatione cómoda, spicula vocari possunt: qualia videntur ventus, & grando, & bestiolæ, quæ aliunde vidé-

Sagitta metaphora.

E tur in fruges inuolasse. Verùm quia de obsidionis tempore sermo est; in quo non tam obsessis, quàm obsidentibus noxiæ futuræ erant aut illæ bestiolæ, aut intempestiuæ pluuiæ, grandines, &c. ideo longè videtur probabiliùs sagittas famis illa appellari incómoda, quæ humanis corporibus fames affert, maciem puta, morbum, aut pestem; illa denique omnia quæ à fame exorta hominem attenuát, atque conficiunt. Quæ verè appellari plagæ possunt, quádo id præstant, quod sagittarum vulnera, quod putant Hugo, Dionysius, & Lyra. Neque nouum est, vt quæ à Deo videntur infortunia, illa à Dei sagittis inflicta esse dicantur. sic Iob c. 6. *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum; & ter-*

rores

rores Domini militant contra me. Psal.37. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.*

Et conteram in vobis baculum panis.] Hæc explicuimus cap.4. vbi verba sunt eadem.

37. Vers.17. *Et bestias pessimas.*] Fortasse bestiarum nomine illi intelliguntur, qui ferarum instar in Iudæorum populum sæuierunt. Notum est Chaldæos appellari feras, quas, vt capite primo obseruauimus, vidisse se dicebat Propheta, A leonem, aquilam, taurum. Quomodo verò hæ feræ mores expresserint Babylonicos, docuimus eo capite, num.94. illud tu vide.

Ego Dominus locutus sum.] Fidem conciliat vaticinio, qualem accipere solet Scriptura ab auctoris manu; quæ pro auctore ipso in promissis, pactisque supponitur. Quare cùm Deus suum subscribit nomen, suum sibi fatetur oraculum, non suppositum aliorum figmentum. 38.

IN CAPVT SEXTVM.

ARGVMENTVM.

PERGIT Propheta minaci vaticinio insectari genus Iudæorum. Et primùm grauia quædam minatur locis syluestribus, & densis, montium fastigiis, saxorum latebris, vbi excitatæ sunt aræ in Deorum cultum, & impia sacrificia peracta. Quibus dicit inducendam esse vastitatem, & eodem in loco sternendos illos, qui à Deorum potentia aliquid sibi subsidij promittebant. Ex quo dicit intellecturos tandem alios, longè ab Idolis abesse diuinum aliquid; & se vnum verum esse Deum, à quo sperari possit salus, & libertas; & exitium timeri. Deinde ex his, quos neque gladius perimet, neque pestis absumet; quique ad Gentilium regna variè diffugient, quosdam dicit consecuturos esse salutem, qui aliorum infortuniis edocti, & superiorem vitam detestati mores suos melius, quàm antè conformabunt. Ad extremum iubetur Propheta manuum, pedúmque collisione impendentem suæ Genti ruinam deplorare.

CAPVT VI.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:* B

2. *Fili hominis pone faciem tuam ad montes Israel, & prophetabis ad eos, & dices:*

3. *Montes Israel audite verbum Domini Dei. Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, & rupibus, & vallibus: Ecce ego inducam super vos gladium, & disperdam excelsa vestra,*

4. *& demoliar aras vestras, & confringentur simulachra vestra: & deiiciam interfectos vestros ante idola vestra.* C

5. *Et dabo cadauera filiorum Israel ante faciem simulachrorum vestrorum: & dispergam ossa vestra circum aras vestras,*

PARAPHRASIS.

1. AVdiui iterum diuinam vocem, quæ hunc in modum mecum loquebatur:

2. Fili hominis faciem tuam, quam tibi instar adamantis duram, atque constantem dedi, obuerte ad montes Israel, & contra illos sic vaticinare:

3. Montes Israel, audite quæ vobis à Domino mandata perfero. Sic Dominus ad montes, colles, rupes, & valles, in quibus nefaria idolorum sacra Iudæis obita.

4. Ecce ego in vos etiam armabo, atque inueham hostilem aciem; & id quod in vobis excelsum erat, & impiis aris contaminatum, cum aris ipsis omnino demoliar; confringentur, & perdentur simulacra, quæ Iudæorum conflauit impietas; & ante aras ipsas, & mortuos Deos, id est, vbi sibi crediderant futurum esse perfugium, hostili ferro durè, atque ignominiosè cadent.

5. Sternentur itaque filiorum Israel vilia cadauera ante lignea, aut saxea simulacra, quæ quasi vitam haberent, & sensum, suísque adoratoribus possent esse subsidio, pro Deo coluerunt: & in locis omnibus, vbi vobis habitare contigerit, ossa vestra arida, ac putria ignominiosè dispersa excitatas à vobis aras circũfundent,

6. In omnibus habitationibus vestris. Vrbes desertæ erunt, & excelsa demolientur, & dissipabuntur: & interibunt aræ vestræ, & confringentur: & cessabunt idola vestra, & conterentur delubra vestra, & delebuntur opera vestra.

A 6. Ex habitationibus vestris copiosis, & lautis nihil erit reliquum præter ruinas, & quædam quasi busta ciuitatum: excelsa loca, quæ impiè Idolorum religioni consecrastis, subuertentur; quæque ibi excitata sunt altaria disiecta interibunt; cessabit omninò vanus Idolorum cultus, neque vlla supererunt simulacrorum, fanorúmque vestigia. Denique quæ in impiam illam curam, & superstitionem extruxistis, omnia ab hostili manu labefacta soluentur.

7. Et cadet interfectus in medio vestri: & scietis quia ego sum Dominus.

B 7. Deniquè inter vos, atque in oculis vestris interfecti cadent, qui hæc ædificarunt nefaria sacra, aut illis diuinum cultum exhibendum esse censuerunt: tunc verò cognoscetis Deum esse me.

8. Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in Gentibus, cùm dispersero vos in terris.

8. Ex hac verò multitudine, quæ gladium effugiet, cùm vos ad Gentium regna variè dispersero, exiguum mihi numerum reseruabo.

9. Et recordabuntur mei liberati vestri in Gentibus, ad quas captiui ducti sunt; quia contriui cor eorum fornicans, & recedens à me; & oculos eorum fornicantes post idola sua: & displicebunt sibimet super malis quæ fecerunt in vniuersis abominationibus suis.

9. Illorum verò, qui ad Gentes dilapsi à seruitute, & cæde liberati fuerint, conteram cor, & in meliorem cogitationem C mutabo, quod priùs à me recesserat, & mutis adhæserat simulacris, & confundam, atque sanabo oculos illius intemperantiæ pronubos, & qui turpi fornicationis genere inanimata ligna venerabundi conspexerant: tunc enim cùm alios extinctos videant, neque à Diis aliquid habuisse præsidij, recordabuntur mei, cognoscéntque vanissimam esse religionẽ, quam diuinæ prætulerant; & sibiipsis propterea displicentes, superiora consilia stolida planè, atque abominanda condemnabunt. D

10. Et scient, quia ego Dominus non frustra locutus sum, vt facerem eis malum hoc.

10. Tunc sibi omnino persuadebunt, neque temerè me, neque frustrà fuisse locutum, cùm has illis antè minas intendissem.

11. Hæc dicit Dominus Deus: Percute manum tuam, & allide pedem tuum, & dic: Heu, ad omnes abominationes malorũ domus Israel: quia gladio, fame, & peste ruituri sunt.

11. Addidit insuper hæc Dominus: Manuum percussione, ô Ezechiel, & pedum collisione signum ede mœrentis, atque stupentis animi, & cum eiulatu, ac fletu denuntia illis, qui ex domo Israel abominanda patrauere flagitia, gladio, fame, & peste fore pereundum. E

12. Qui longè est, peste morietur: qui autem propè, gladio corruet, & qui relictus fuerit, & obsessus, fame morietur: & complebo indignationem meam in eis.

12. Nullus erit locus, in quo Iudæos habitare, aut latere contigerit, quò non perueniat calamitas, & mors. Nam qui longiùs à ciuitate secesserit, peste morietur; qui propè gladio cadet: illum verò, cui gladius in obsidione pepercerit, pestis absumet. Denique in hoc hominum genere mulctando meo mihi furori satisfaciam.

13. Et scietis quia ego Dominus, cùm fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni colle

13. Tunc manifestè cognoscetis Deum esse me, cùm inter Idola circum impias aras, in omni colle sublimi, & montium fasti

le excelso, & in cunctis summitatibus montium, & subtus omne lignum nemorosum, & subtus vniuersam quercum frondosam, locum vbi accenderunt thura redolentia vniuersis idolis suis.

14. Et extendam manum meam super eos: & faciam terram desolatam & destitutam à deserto Reblatha, in omnibus habitationibus eorum: & scient quia ego Dominus.

A fastigiis, & sub omni ligno vmbroso, ac denso, sub quercu frondosa; in omni denique loco, vbi Idolis omnibus fragrantia adoleuerunt aromata, vestrorum ciuium cadauera iacuerint.

14. Ego quippe vltricem manum in illos extendam; & terræ vniuersæ, vbi ipsi domicilium sibi statuerunt, vastitatem inducam, à deserto vsque Reblatha: & qui nunc verba mea tanquam vana, & ludicra cum sibilis excipiunt, edocti magno suo malo me Deum esse cognoscant.

Vers. 2. *Pone faciem tuam ad montes Israel.*]

1. DEDERAT Prophetæ Dominus, vt cap. 3. v. 8. vidimus, frontem adamantinam, quam nulla deterreret asperitas, nulla pudefacerent hominum conuitia. Hanc iubet Deus, vt offirmet Propheta ad montes Israel, quibus aduersa multa, atque indecora denunciet. Israel hoc loco non sunt decem tribus; quia iam illæ dudum abductæ fuerant ab Assyriis, neque ad eas vllo modo spectare poterat vaticinium. Neque verò rarò apud Ezechielem, Israel pro duabus tantùm tribubus vsurpatur. In affectu vehementi, & tragico vsitatum est Prophetis, ad res inanimatas sermonem conuertere; aut quia homines non existimantur audituri, aut quia ex eo dicendi genere, maius accedit orationi pondus. Sic Moyses Deuter. 32. *Audite cœli quæ loquor: audiat terra.* Sic Ieremias c. 2. *obstupescite cœli.* Sic Isaias cap. 1. *Audite cœli, & auribus percipe terra.* Vide quæ nos in hunc Isaiæ locum adduximus.

In affectu graui res inanimatæ inuocantur.

2. Vers. 3. *Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, rupibus, & vallibus.*] Ideo Propheta contra hæc offirmat, & intendit toruum vultum, & oculos minaces; quia ibi impiæ spectabantur aræ, & sacra nefaria; de quibus sæpe historia sacra, & Prophetarum voces. Vbi noster *rupes*, Heb. est אפיקים *aphikim*, quod aliis in locis vulgatus *riuos*, aut *torrentes* conuertit. Vt Cant. 5. *super riuulos aquarum.* Iob 6. *Sicut torrens, qui raptim transit in conuallibus.* Solere autem ad fontes, & torrentes altaria construi, & nefaria obiri sacrificia, non profani modò, sed sacri etiam scriptores tradunt. Isaias cap. 57. v. 5. *Immolantes paruulos in torrentibus, subter eminente petras.* Quomodo stagna, fontes, ac flumina sacra essent Gentibus, & pro sacrificiis opportuna iudicata; idémque de montibus, ac collibus diximus ad illud Isaiæ cap. 42. *Desertos faciam montes.*

In mõtibus, rupibus, & vallibus, idolorum Aræ.

3. *Ecce ego inducam super vos gladium; & disperdam excelsa vestra.*] Gladius hîc hostilem aciem sonat; quæ ad ipsos etiam montes & colles penetrabit. Excelsa dicuntur nefariis victimis, & impiæ religioni consecrata loca; quorum nomen in Scriptura sacra, in ea significatione sæpius auditur. Cùm de Regibus piis dicitur, quòd excelsa sustulerint; de impiis verò, quòd illa demoliti non sint. Excelsa verò per metonymiam pro aris, atque delubris adhibentur, quia in excelsis collibus, ac rupibus delubra, atque aræ in sordidum Deorum cultum excitabantur.

B Vers. 4. *Deiiciam interfectos vestros ante idola vestra.*] Illi dicuntur interfecti montium, qui in montibus ad impias aras procumbebant; quasi dicas montanos istos, aut syluestres homines, qui in syluis, atque inter feras Deos suos quærunt, & inuenisse se putant. Aut qui cùm ab vrbe excederent, quia in illa non sperarent effugere se posse Chaldæorum gladium, ad montes confugerunt, ad illa nempe diuerticula, vbi Gentium idolis aliquando supplicarant. Hi ergo omnes ante simulacra muta obtruncati cadent, non secus ac victimæ, quas ipsi priùs ad impias aras immolauerant; & discent magno suo malo quemadmodum spes in Deorum patrocinio locata fuerit, *tanquam lanugo, quæ à vento tollitur; &* C *tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur; & tanquam fumus, qui à vento diffusus est*, Sap. 5. De hac spe futili, déque illorum stupore, qui in ligneis simulacris aliquid putant esse diuinum, multa dicunt Prophetæ, quæ occurrent tibi non quæsita. Quando ante deorum aras proiecti fuerint idolorum cultores, non est coniectare difficile; aut enim id accidit quo tempore in speluncas, & latebras se abdidere Iudæi, in quibus à Chaldæis inuenti, atque obtruncati sunt. Vt enim ex Isaia liquet cap. 2. in speluncas præsidij gratia confugerunt. *Et introibunt*, inquit, *in speluncas petrarum.* Inde extractos, atque occisos Iudæos in- D dicat illud Ieremiæ 12. *Super omnes vias deserti venerunt vastatores.* Vide quæ nos in eum locum adduximus. At in speluncis, & cauernis fuisse deorum non tam delubra, quàm sordidissima prostibula, diximus ad illud Isaiæ 45. *Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso.* Illo igitur in loco occisi videntur esse Iudæi, vbi Gentilium vanitate delusi illorum deos antè coluerunt. 4.

Iudæi ante simulacra quæ coluerant, occisi.

Hæc mihi magis videntur ad textum; tu vide, an huc spectet illud Ieremiæ cap. 8. vbi dicuntur effodienda de tumulis illorum ossa, qui vanam Gentilium religionem coluerunt, quæ spargenda traduntur à Chaldæis coram illis, quos ipsi pro Numine venerati sunt. *In illo tempore, ait* E *Dominus, eiicient ossa Regum Iuda, & ossa Principum eius, & ossa Sacerdotum, & ossa Prophetarum, & ossa eorum, qui habitauerunt in Ierusalem, de sepulcris suis. Et expandent ea ad Solem, & lunam, & omnem militiam cœli, quæ dilexerunt, & quibus seruierunt, & post quæ ambulauerunt, & quæ quæsierunt, & adorauerunt.* Sanè si hæc in montibus, ad quos nunc faciem obfirmat Propheta, contigissent, & ante simulacra alia, & non coram cœli militia, forent ossa dispersa, 5.

Ossa de sepulcris extracta.

dispersa, hæc mihi magis probarentur; sed quia prope tumulos, vnde effossa fuerant, videntur esse disseminata, superiora magis probo.

Vers.5. *Et dabo cadauera.*] Hæc aperta sunt ad versum vsque octauum, neque vlla egent interpretis luce.

6. Vers.8. *Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium, in Gentibus.*] Stragem descripserat ingentem; nunc ex tanta multitudine aliquos dicit à Chaldæorum gladio fore superstites: eos nempe, quos in capillis alligatis in lacinia nuper expresserat, qui ad reliquam turbam comparati, qui vario euentu è Iudæorum gente ceciderunt; fuerunt non admodum multi. Porrò hæc non dicuntur ad montes, sed ad Iudæos: neque enim de montibus dici potest, quod proximè sequitur, *Cùm dispersero vos in terris.*

Ex Iudæis nonnulli superstites.

7. Vers.9. *Et recordabuntur mei liberati vestri in Gentibus, ad quas captiui ducti sunt.*] Cùm hi, quibus aut gladius, aut mortifera vis alia pepercit, viderint extinctos alios, qui impensos diis alienis honores exhibuerant, neque in illis aliquid habuisse perfugij; cognoscent tandem vanissimam esse religionem, quam diuinæ prætulerant. Tunc ergo ad meliorem reuocati mentem, illius recordabuntur religionis, quam væsano consilio prodiderunt, redibúntque supplices ad eum, à quo malesani recesserant.

8. *Quia contriui cor eorum fornicans, & recedens à me.*] *Contero* vim importat grauem, quæ quod durum est, ac solidum comminuit, & attenuat; & in aliam quasi speciem transformat; quomodo si malleus comminuat petram, aut ferrea virga figulinum vas. Hinc metaphora valde accommodata, contritio cordis appellatur, quæ cor grauiter pulsat, atque comminuit: neque in illo relinquit statu, ac modo, quem priùs habuerat; quod Deus sæpè vexatione facit, qua homines ad pœnitentiam aduocat. Vt hoc tempore fecisse se dicit, dum doloribus dolores continenter adiungit; & fornicarium animum oppositis spinis, ab amatorum suorum consuetudine reuocat. Hoc planè est creari in homine cor mundum, & in visceribus spiritum rectum innouari, quod Psal.50. sibi à Domino concedi precabatur Dauid. Cùm ergo illorum cor, quos a communi clade liberauit Dominus, fornicarium esset, quia relicto cœlestis sponsi thalamo, idolorum nuptias, & amplexum ambierat; (illud enim est *fornicans, & recedens à me*) contriuit Dominus, & mutauit cor, fecitque vt ab Idolorum sinu, fornicarióque complexu, ad sponsum rediret, à quo se antea prodita coniugali fide, distraxerat.

Contritio quid.

9. *Et oculos eorum fornicantes post idola sua.*] Fornicantes dicuntur oculi, qui lasciuientes, & vagi vagas nuptias, & quotidie nouos amores aut suadent, aut conciliant, qui lenæ sunt, pruriréque faciunt languentes animos; & frigidos ad Venerem. Est autem tum in aliis, tum maximè in Hebræorum idiomate vsitatum, vt aliquid id facere existimentur, & dicantur, quod ab aliis factum significant; aut vt alij faciant autores, aut occasio sint. Vtroque modo vocari possunt oculi fornicantes, quia cùm ipsi animorum sint indices, &, si qui alij, fideles testes, lasciuos sensus, & prurientes animos lasciui ipsi, atque prurientes ostendunt, mobilitate, coniectu, & aliis eiusmodi signis, quæ libidinis æstus in oculis nimium obsequentibus imprimit. Quare Augustinus tom.1. in Regulis ad clericos, regula 2.ait: *Non dicatis vos habere animos pudicos; si oculos habeatis*

Oculi libidinis conciliatores, & testes.

Veneris lenocinia.

A *impudicos.* vide reliqua.

Vocari item fornicantes possunt, quia ipsi plerunque fax prima sunt, quæ in pacatis, & frigentibus animis incendium excitat Babylonicum. Quare Iob cap.31. ne virginis species animum informaret, & in eo venereæ flammæ scintillam relinqueret, pepigit fœdus cum oculis suis, ne videlicet virginem aspiceret; ne postea subiret cogitatio, & ex cogitatione ruina. Grauia sunt, quæ tam à Patribus, quàm à profanis dicuntur de oculorum temerario, ac libero coniectu. Clemens Alexandrinus lib.6. Strom. cap.1. visum esse affirmat amoris principium. Quod etiam cecinit quidam ex profanis, 10.

B *Si nescis oculi sunt in amore duces.*

Dixit hoc idem Clemens libr.3. Pædagogi. cap.11. ad medium. *Lasciuus autem aspectus, & versatilibus ac tanquam conniuentibus oculis intueri nihil est aliud quàm oculis mœchari, cum per eos cupiditas ineat prima pugnæ præludia.* Et statim docet fœminarum oculos illarum esse lenas, id est, Veneris conciliatrices. Concludit denique his verbis: *Fornicatio autem mulieris in eleuatione oculorum.* Et Petrus epi.2. cap.2. v.14. oculos intemperantes & vagos plenos vocat adulterij. Basilius de vera virgin. libidinis pronubos, & quasi lenas vocat oculos. Idem Cyprianus lib. de zelo, & inuidia. *Offert, inquit, dæmon oculis formas illices, & faciles voluptatis, vt visu destruat castitatem.* Profani hac de re non pauca. Optimè ergo oculi fornicantes dicuntur, quia libidinis duces, & administri sunt. Hos ergo conterit Deus, aut cùm lacrymari facit, & attenuari plorando voluptatem præteritam: sicut de se fatetur Dauid Psal.37. v.11. *Et gemitus meus à te non est absconditus, &c. & lumen oculorum meorum, & ipsum nō est mecum.* Aut certè cùm hircinos eruit, id est, libidinosos; & columbinos inserit oculos, id est, castos, & puros. Hoc planè est oculos scadalizantes, id est, libidinis pronubos eruere, & longè proiicere. Hæc in spirituali fornicatione, nempe in idololatria, tunc præstat Dominus, quando eam speciem sanis iam oculis offert Idolorum, vt illa contemnant, & horreant, & inde dolorem hauriant, & pudorem, vnde voluptatem antè capiebant. Illud nempe est alios habere oculos, quia priores eruti videri, atque contriti possunt.

C

D

11. *Et displicebunt sibimet.*] Hoc verè est contritum esse cor fornicans, & fornicantes oculos: nempe vtraque sic esse mutata, vt quæ probabant, improbent; quæ amabant, oderint: sibíque ipsis in superiori vita omnino displiceant. Hæc faciunt illi, quos verè peccati pœnitet, qui abiiciunt blandimenta libidinis; & quæ priùs decora, atque ornamenta arbitrabantur, & quærebant impensè, eadem non solùm vt stercus, & detrimenta respuunt, sed etiam vt pestilens aliquid, ac mortiferum horrent. Sic Magdalena capillos, & E vnguenta, in quibus sibiipsi vehementer placebat; sic Matthæus telonium, sic Zachæus publicani munus, opésque eo exercendo munere quæsitas abiecit; quia hæ graues erant ad peccandum illecebræ. Sic modò idola, quæ sibi conflauerant, coluerántque, execrantur seruati Iudæi, damnántque in seipsis tam væsanum, stolidúmque consilium.

Contritionis & pænitentiæ signum, mala facta dissoluere.

12. Vers.11. *Percute manum tuam, & allide pedem tuum.*] Non satis habet Dominus si Propheta futuram populo calamitatem voce denunciet; nisi etiam signis id efficiet externis; quo res magis infigatur animo, & grauiùs pungat, atque excitet

Manuum pedumque collisio, quid designent.

A citet soporatos. Esse actiones aliquas, aut motus externos, quæ affectus internos prodant animorum, res est satis nota: & ne longiùs abeamus in *manibus*, ac *pedibus*, in quorum significatione, atque vsu nunc versamur, exempla nobis varia ministrabunt, quæ vt membra sunt multarum actionum administra, sic multarum nobis affectionum indicia sunt. Et vt priùs de manibus agamus, non omnes eodem modo locum istum interpretantur, aut legunt. Septuaginta, ac Theodotio Hebraicam particulam אח *ach* conuertunt *euge*. Ex quo planè constat in percussione manuum, & pedum allisione gratulationem significari, aut motum aliquem exultantis animi, quod putat Theodoretus. Quod etiam indicat

B Propheta ipse, qui cap.25.v.6.ait, *Pro eo quòd plausisti manu, & percussisti pede, & gauisus es ex toto affectu super terram Israel.* & quidem sæpe manuum complosio irridentis, aut insultantis animi signum est, potius quàm dolentis.

13. *Regvla. Idem signû diuersa & interdum contraria significat.*

Vt nodus hic soluatur, qui multorum locorum sententiam implicuit, obseruo priùs varios esse motus, & actiones in manibus; quæ cùm variarum rerum artifices sint, varios quoque produnt animi sensus. Cùm autem illa motuum varietas vno interdum explicetur vocabulo (neque enim tot voces sunt, quot apparent in manuum moderatione discrimina) fit vt vna voce varij

In manibus, varia significatio.

C exprimantur, imò & contrarij affectus. Manus extentæ iram significant, & intentatam plagam; item beneuolentiam, & liberalitatis officium; extenditur quippe manus vt feriat, extenditur etiam vt largiatur. leuatur manus in oratione, leuatur item in iureiurando concipiendo; quare leuare manus orantis est, at iurantis signum. Dare manus, Thren.5. fœdus inire est. *Ægypto dedimus manus, & Assyriis.* Est etiam se victori dedere: vt Ierem.cap.50.v.15.de Babylone, *Vbique dedit manum suam.* Complodimus in dolore manus; item in gaudio, atque insultatione. Hinc fit vt manuum complosio, seu, quod idem est, percussio manuum dolorem interdum, interdum gau-

D dium, & irrisionem significat. Gaudium quidem Gentibus indicitur Psal.46. *Omnes Gentes plaudite manibus; iubilate Deo.* Irrisio significatur, & sanna Thren.2. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam.* Hoc loco, vt vulgati translatio perspicuè suadet, tam percussio manuum, quàm allisio pedum dolorem indicat, & commiserationem: vocem enim אח, quam LXX. reddiderunt *euge*, ipse conuertit *heu*. Et cùm variæ sint manuum siue percussiones, siue complosiones, haud dubiè quin, hîc illa significetur manuum percussio, quæ motum indicat mœrentis, atque lugentis animi. Hinc constat quomodo apud Ezechielem cap.25. aliud significet manibus plau-

E dere, & pede percutere; aliud hoc loco: quod ex eo sibi quisque persuadebit magis, quia in Hebraico textu alia sunt hîc, alia cap.25. verba, quæ diuersam omnino indicant complosionis, seu percussionis formam.

14. Heb. est בכפך *becapecha*. id est, in manibus, seu palmis, vbi illud *in*, ex Hebraico idiomate instrumentum designat, quasi dicens, *percute manibus*, nempe aliquid aliud. Iuxtaque quod quidam arbi-

Femoris percussio quid?

trati sunt, subaudire, hoc loco, femur; quod in dolore, atque in stupore fieri non rarò solet. Dixit hoc idem Ezechiel cap.21.v.12. *Clama, & vlula fili hominis, &c. plaude super femur.* & Ierem.c.31. v.19. *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* Quæ dicendi forma etiam profanis vsitata. Homerus sæpe πεπλήγετο μηρώ, id est, percussit femur. Plautus in Truculento, *traxit ex imo suspiria, icit femur.* Et Tullius 3.lib.Tuscul. *Ex hac opinione sunt illa varia, ac detestabilia genera lugendi, pedores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis percussiones.* Propter hæc non mihi videtur improbabilis posterior hæc sententia, quam cum Rab. Dauid sequitur Vatablus; sed placet magis prior.

Allide pedem tuum.] Varijs modis alliduntur pedes, aut, quod idem est, pedibus terra percutitur, atque percussio varios significat affectus. Interdum gaudium, & geniales delicias; quod fit, cùm numeroso terra saltu calcatur. De quo Horatius lib.1.oda 4. de Gratiis, 15. *In pedibus varia signa.*

Alterno terram quatiunt pede.

quo fortasse motu, aut alio non dissimili significabat animi lætitiam ille, de quo Ezechiel cap. 25. *Plausisti manu, & percussisti pede, & gauisus es.* Alius est pedum motus, qui leuitatem animi, & mobilitatem ostendit, qualis videtur ille esse, qui in viro Apostata reprehenditur. Prouerb.6. *Annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* Sed esse motum alium, qui dolori, aut indignationi seruiat, docet vsus ipse, qui vt est à natura, sic etiam omnibus Gentibus communis est. In dolore quidem minùs sæpè; in indignatione verò frequentissimè. Quòd si hoc loco *pedem* pro *femore* sumi putes, quod meo iudicio improbabile non est; cùm pedis nomine significentur illa, quæ à cingulo sunt ad imos, vsque pedes; vt pluribus ostendimus ad illud Isai.cap.6. *duabus velabant pedes eius*, & suprà cap.1. ad illud, *& duæ tegebant corpora eorum.* Sententia difficilis non est; imò multo quàm superior expedita. nempe percute manu, & illide, manu videlicet pedem, id est, femur. Sed quia verba Hebraica, non facile se ad hanc explicationem attemperant, cùm non minùs præpositio *in*, quæ Hebræis instrumenti est nota, cum *pede*, quàm cum *manu* coniungatur, ideo expositionem, plausibilem alioqui, non probo.

Vers.12. *Qui longè est, peste morietur: qui autem propè, gladio corruet.*] De Hierosolyma, atque his qui ad Hierosolymā aliquo modo spectant, vaticinium est. Sperabāt, vt apparet, hi, qui longè aberant à Chaldæorum acie, liberos se futuros à communi clade, quia ad se peruenturum hostile ferrum non putabant: his tamen Dominus, si ferrum absit, absuturam tamen negat pestem, quæ plurimos obsidionis tempore, intra mœnia ciuitatis absumpsit. Non constat ex alio loco extabuisse peste, qui profugium sibi in aliis regionibus pararent; constat tamen à peste confectos eorum aliquos, qui excisa Hierosolyma, habitare voluerunt in Ægypto. De quibus Ierem. c.44. v.13. *Visitabo habitatores terræ Ægypti, sicut visitaui super Ierusalem in gladio, & fame, & peste.* Idem credo contigisse aliis, qui ad regiones alias dilapsi sunt, seu qui in desertis, syluestribusque locis latuerunt, de quibus, quod ego viderim, non egerūt Prophetæ alij, quia narrationis illius occasio non videtur oblata; sed videtur ex hoc Ezechielis loco manifestum, qui non obscurè docet procul etiam ab vrbe, vbicunque essent Iudæorum diuerticula, pestem esse grassatam. 16.

Iudæi qui procul aberant ab vrbe peste sublati.

Vers.13. *Cùm fuerint interfecti vestri.*] Heb. חלליהם *challehem*, id est, interfecti eorum: & est migratio à secunda persona ad tertiam. Porrò hic cadauera eorum intelliguntur, quibus peste, aut gladio pereundum dicitur. Iacebunt autem in his locis, quæ ipsa religionis gratia sæpius obierunt: 17.

obierunt:in ipso idolorum conspectu, à quibus in eo rerum articulo, nihil præsidij consecuti sunt. In locis videlicet syluestribus, & densis; in montium fastigiis, in saxorum latebris; ad fontium scatebras; in omnibus denique regionibus, vbi odores nefarij ad impias aras accendebantur.

18. Vers.14. *A deserto Deblatha.*] Hæc communiter illa putatur regio, quæ Ieremiæ cap.39. & 4. A Reg.cap.25. vocatur Reblatha. facilis autem mutatio fuit propter duarum literarum similitudinem; ר, enim à ד, exiguo admodum discrimine secernitur. Est autem Reblatha in extrema Iudæa, ab ea parte, quæ Babyloniam propiùs spectat; vbi consedit Nabuchodonosor, dum ipsius castra Solymitanam vrgebant obsidionem; vbi cum Sedeciæ filiis Principes alij interfecti sunt, & Regi ipsi oculi crudeliter effossi.

IN CAPVT SEPTIMVM.

ARGVMENTVM.

DVRVM Iudæorum populo Deus, idque iam proximum minatur exitium, quod iterat sæpius, & miris amplificat modis. Quo tempore sic ait frangendos esse spiritus, ac dissoluendas manus, vt nemo proposito vitæ periculo, atque clangente tuba, audeat tamen præparare se ad bellum, & armatum pectus hostibus opponere. Quo tempore vsque adeò angusta futura prædicitur fames, vt pro quærendo cibo aurum tradatur futurum esse vilissimum: cúmque alij ferro extrà, alij peste, ac fame intra mœnia dicantur perituri, aliquibus tamen vita promittitur, ac libertas, quam tamen non habebant à metu, atque periculo vacuam.

CAPVT VII.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:* B

2. *Et tu fili hominis, hæc dicit Dominus Deus terræ Israel: Finis venit, venit finis super quattuor plagas terræ.*

3. *Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te: & iudicabo te iuxta vias tuas: & ponam contra te omnes abominationes tuas.* C

4. *Et non parcet oculus meus super te, & non miserebor: sed vias tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & scietis quia ego Dominus.*

5. *Hæc dicit Dominus Deus: Afflictio vna, afflictio ecce venit.*

6. *Finis venit, venit finis, euigilauit aduersùm te: ecce venit.*

PARAPHRASIS.

1. LOcutus est deinde Dominus ad me in hæc verba:

2. Ad te, ô fili hominis, hæc dicit Dominus Israel. Extrema iam impendet calamitas Hierosolymæ, & omnibus plagis, quæ à quatuor ventis ciuitatem circumstant. Neque enim pars erit vlla, quæ ad Hierosolymam vndecunque spectat, quæ futura sit immunis à plaga.

3. Iam tibi summus instat dies; neque iam amplius vindicem iram à supplicio suspendam; ferro deinde atque igne agendum est, quandoquidem abuteris, ô Hierosolyma, patientia mea. Iudicabo igitur te, vt tua postulat viuendi ratio, seuerè, ac durè, efficiámque vt ex supplicij magnitudine scelerum tuorum grauitatem agnoscas, quæ ego contra te in aciem producam, à quibus non minus, quàm ab hoste vehementer oppugnabere.

4. Neque afferam ad te mites, atque placatos oculos, neque miserebor ampliùs, sed tuis te sceleribus oppugnabo: quæ tecum erunt, vrgebúntque assiduè D tanquam mei mihi furoris administra: tunc autem diuinam in me cognosces fidem, ac pondus.

5. Hæc iterum Dominus: Iam vna, eaque horribilis superest plaga, quæ iam iam impendet; quæ excindet vrbem, statúmque Iudaicum omninò conuellet.

6. Adest iam finis, & extrema clades; finis, inquam, adest, cúmque hactenus videretur obdormiisse, iam tamen excitatus est,

A est, & vigilat, vt quamprimum adueniat, & opprimat te.

Venit contritio super te, qui habitas in terra: venit tempus, propè est dies occisionis, & non gloriæ montium.

7. Adest afflictio, & mœror, quæ irruent in te, ô habitator terræ, adest, inquam, nubilum, & hostile tempus, in quo ferrum; & pestis liberè, ac latè grassabuntur. Neque iam ampliùs erit exultatio, ac canticum lætum, quo personabant montes, vbi impia peragebantur sacra, quibus succedent vlulatus, & cædes.

8. *Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te: & iudicabo te iuxta vias tuas, & imponam tibi omnia scelera mea.*

8. Videbar hactenus pugnasse de longinquo, & terrere te stridore arcus ma-
B luisse, quàm configere iaculis. Nunc tandem de propinquo pugnabo, effundámque acerbitatis virus ante conceptum, & meo mihi furori satisfaciam. Iudicabo te, vt tuæ vitæ ratio postulat, iudicio duro; & graue tuorum pondus imponam.

9. *Et non parcet oculus meus, nec miserebor, sed vias tuas imponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & scietis quia ego sum Dominus percutiens.*

9. Neque afflicti populi acerba, & miserabilis species oculos meos ad misericordiam inflectet, quo minus tibi peccatorum tuorum pondus imponam; neque supplicia, quæ à tuis sceleribus exigam,
C vsquam aberunt. Tunc autem ex supplicij acerbitate disces, non ab alia, quàm à mea, id est, diuina manu illud prouenire potuisse.

10. *Ecce dies, ecce venit: egressa est contritio, floruit virga, germinauit superbia.*

10. Ecce instat, ecce instat supplicij tempus: iamiam ex suis finibus cum Chaldæorum castris egressa est contritio, & vastitas. Germinauit iam, & floruit illa virga, quam Ieremias ante vigilantem viderat. Superbia tua, quam hactenus patienter pertuli, iam tandem tibi natiuum fructum, confusionem nimirum, & cæ-
D dem germinauit.

11. *Iniquitas surrexit in virga impietatis; non ex eis, & non ex populo, neque ex sonitu eorum: & non erit requies in eis.*

11. Ex illa virga, quæ quasi radix peccatorum fuit, supplicium pullulauit, & mors: neque erit vllus ex eis, qui virgam illam plantauerunt; non vllus ex reliquo populo, nullus ex tanto strepitu, ac multitudine, quem non maneat exitus ille durus: nullus, qui licèt gladium, & pestem effugerit, requiem tamen vllam habiturus sit.

12. *Venit tempus, appropinquauit dies: qui emit, non lætetur: & qui vendit, non lugeat: quia ira super omnem populum eius.*

12. Exitiale iam imminet tempus, &
E dies appropinquat extremus, aut moriendum est, aut excedendum ex vrbe. Quare non est cur, qui vendit, lugeat quasi à se aliò hæreditas abierit; neque qui emit, gaudeat, quasi bonis aliquã sit bonorum accessio; illa enim calamitas efficiet, vt æqua sit vtrisque conditio, in omnem namque populum diuini pectoris indignatio grassabitur.

13. *Quia qui vendit, ad id quod vendidit, non reuertetur, & adhuc in viuentibus vita eorum. visio enim ad omnem multitudinem eius non regredietur: & vir in ini-*

13. Qui vendiderit desperet se rursus, quod licebat antea, in possessionem esse venturum, quod à se venditione distraxerat, quamuis illum in viuis esse con-

quitate vitæ suæ non confortabitur.

14. Canite tuba, præparentur omnes; & non est qui vadat ad prælium: ira enim mea super vniuersum populum eius.

15. Gladius foris, & pestis & fames intrinsecus: qui in agro est, gladio morietur: & qui in ciuitate, pestilentia, & fame deuorabuntur.

16. Et saluabuntur qui fugerint ex eis: & erunt in montibus quasi columbæ conuallium omnes trepidi, vnusquisque in iniquitate sua.

17. Omnes manus dissoluentur, & omnia genua fluent aquis.

18. Et accingent se ciliciis, & operiet eos formido, & in omni facie confusio, & in vniuersis capitibus eorum caluitium.

19. Argentum eorum foras proiicietur, & aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur: quia scandalum iniquitatis eorum factum est.

20. Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum & simulachrorum fecerunt ex eo: & propter hoc dedi eis illud in immunditiã:

21. Et dabo illud in manus alienorum ad diripien-

A tingat Iubilæi tempore. His namque, quæ visa sunt, & ad omnem multitudinem edicta, neque pondus aberit, neque fides; neque vllus erit è scelerato populo quantumcumque munitus, & audax, qui vindici ferro, & maiori potentiæ non succumbat.

14. Quamuis ciuium spiritus clangente lituo ad arma voces, & accendas, præparaiéque iubeas, animos, & bellicum apparatum; nullus tamen erit, qui sese accingat ad prælium; quia furor me-
B us in totum populum grauis incumbet, qui franget spiritus, & neruos incidet.

15. Gladius foris; intus verò grassabitur pestis, & fames; illos, qui in agro fuerint, ferrum; qui verò in ciuitate, fames ac pestilentia conficient.

16. Ex illis autem qui ex illo populo communem illam cladem effugerint, salutem consequentur admodum pauci. Qui tamen in montibus vitam agent sollicitam, & pauidam sicut columbæ, quas aut tempestas agitat, aut rapaces inse-
C ctantur volucres; quòd si vis vlla potentior absit, ipsa tamen iniquitas, & scelerum conscientia terrore concutiet.

17. Quos buccina arma vocaueris, ideo non se ad præliandum accingent; quia laxatis neruis torpescent, & dissoluentur manus, & genua instar aquæ liquescent, ac fluent.

18. Tunc verò quia animo languente, ac fracto tractare arma, neque audebunt, neque poterunt, lugentes, ac pauidi saccis operientur cilicinis, illorum fa-
D ciem notabit ex confusione rubor, & caput nudabit, deformabítque inductum à mœrore caluitium.

19. Ea erit rerum necessitas, adeò fames angusta, vt præ pane spernatur, & proiiciatur argentum, & eo numero habeatur aurum, quo sterquilinium; cùm vrgente, & conficiente fame, multóque venum alimento proposito, omnis pecunia subsidio esse nequeat morituris. Non enim satiare poterunt esurientem animam, aut famescenti stomacho satisface-
E re; neque enim erit in ea necessitate subsidium, cùm olim fuerit ad omne vitiorum genus irritamentum.

20. Neque temere dico aurum illis antea vitiorum fuisse allectamentum graue; soluerunt quippe ornamenta aurea insolentes spiritus, & vanissimos fastus, materiámque præbuerunt vnde impuræ Deorum conflarentur imagines. Atque ideo feci, vt tanquã sordes immundæ impurum illud aurũ sterquilinio mãdaretur.

21. Dabo igitur illud in Chaldæorum ... prædam;

diripiendum, & impiis terræ in prædam, & contaminabunt illud.

A prædam; & si quod aliud fuerit sacrum ad sacras templi functiones destinatum, à piis vsibus ad communes, impiósque translatum alienorum manibus polluetur, non aliter atque profanis antè ministeriis seruiisset.

22. *Et auertam faciem meam ab eis, & violabunt arcanum meum, & introibunt in illud emissarij, & contaminabunt illud.*

22. Neque tamen ideo contaminati auri, aut violati templi pœnas dabunt. Auertam quippe faciem meam ab eis, atque ita me geram, atque si nihil contra templi sanctitatem fieri viderem. Cùm tamen ad arcanum vsque locum, B quò præter Pontificem maximum nemini penetrare fas est, irruperint, tanquam prædatores, & emissarij, illúmque profano vestigio, & cruentis manibus violauerint.

23. *Fac conclusionem: quoniam terra plena est iudicio sanguinum, & ciuitas plena iniquitate.*

23. Hæc denique summa sit seueri huius vaticinij complexio, quia ciuitas plena peccati est, quam iudicabit Dominus, castigabitque tanquam stillantem sanguine; erit etiam plena suppliciis, quæ tot sceleribus iustus imponet.

24. *Et adducam pessimos de Gentibus, & possidebunt domos eorum: & quiescere faciam superbiam potentium, & possidebunt sanctuaria eorum.*

C 24. Adducam enim contra Ierusalem crudelissimos homines, quorum animos, neque exsatures sanguine; neque muneribus, aut lacrymis ad misericordiam inflectas; qui in alienas irrumpant domos, & quicquid ibi pretiosum inuenerint, auferent secum; illos denique sternent, & oppriment, quibus opes, & tituli animos immoderatiùs inflabant, qui neque à templi sanctitate violentas, atque rapaces manus continebunt.

25. *Angustia superueniente, requirent pacem, & non erit.*

D 25. Cùm venerit extremum illud tempus, & afflictio maxima, pacem quærent, quam sibi à pseudoprophetarum fallaci blandimento promiserant; neque tamen illam ab hoste in prædam, atque in cædem intento consequentur.

26. *Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum: & quærent visionem de propheta, & lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus.*

26. Aduenient populo alia, atque alia, sibíque perpetuò cohærentia mala. Conturbationi enim succedet conturbatio, & dolori dolor, vbi aliquid auditum fuerit aduersum, & triste, nuncius adueniet nouus, qui aliud detrimentum aut acceptum esse, aut proximè E impendere significet. In eo autem rerum articulo, ac perturbationis æstu, quærent à Prophetis quodnam à Domino acceperint oraculum; sed nihil audient (modò veri sint) nisi minax, & durum. Neque in sacerdotibus erit vlla legis sana, veraque cognitio; neque in senioribus consilium vllum opportunum.

27. *Rex lugebit, & princeps induetur mœrore, & manus populi terræ conturbabuntur.*

27. Lugebit Rex, & sordidum accipiet, ac lugubre vestimentum; ac multi-

Secundùm viam eorum faciam eis, & secundùm iudicia eorum iudicabo eos: & scient quia ego Dominus.

A tudinis reliquæ ad bellicum opus torpescent, ac dissoluētur manus. Quorum ego peccata & iudicabo seuerè, & debito supplicio compensabo: tunc verò suis edocti malis me Deum esse cognoscent, quem antè negauerant.

Vers. 2. *Et tu fili hominis, hæc dicit Dominus.*]



1. HEBRAISMVS hîc est, in quo nominatiuus in principio absolutè ponitur, quod est in Scriptura sacra non infrequens, vt docuimus Zachariæ 7. ad illud, *Nūquid ieiunastis mihi.* & iterū ad illud Isaiæ cap. 11. *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorū, ipsum Gentes deprecabuntur.* Ab exemplis abstineo, quia in vtrumque locum produxi non pauca. Vnum, aut alterum accipe. Psal. 10. *Dominus in cælo sedes eius.* Psal. 41. vbi vulgatus, *Me autem propter innocentiam suscepisti.* Heb. est, *Et ego propter innocentiam suscepisti me.* Genes. 24. vbi vulgatus, *Recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei.* Heb. *Ego in viam deduxit me.* Sic illud *tu*, absolutè ponitur, quia vnde regi possit, non habet. non tamen otiosè, quia licèt ad grammaticalem sensum nihil addat; addit tamen non parum ad affectum; quia hic loquendi modus non caret epitasi.

REGVLA. *Nominatiuus absolutè positus.*

2. *Finis venit, venit finis.*] Per multos versus crebræ fiunt repetitiones, quæ sanè magnam habēt epitasim; ostendunt enim impendentis mali grauitatem, pondus, & certitudinem. Cùm enim aliquid iteramus sæpius, præ nobis apertè ferimus non mutasse, sed confirmasse dictum. Sunt autem quæ dicuntur, tum sententiarum pondere, tum verborum forma planè grauissima, quæ nos seorsum singula expendemus.

3. *Super quatuor plagas.*] Quatuor plagæ regiones omnes significāt, quæ vndecumque circumfundunt, spectántque Hierosolymā. Sicut enim in quatuor terræ lateribus, seu plagis totus explicatur, & definitur orbis, Ortu, Occasu, Aquilone, & Austro; sic in quatuor plagis, seu ventis, quos spectat Hierosolyma, omnes Solymitani tractus intelligūtur. Nihil ergo eorum, quæ ad Hierosolymam spectant, immune dicitur futurum à clade.

4. Vers. 3. *Nunc finis super te: & immittam furorem meum in te.*] Finem hoc loco, summā diem intelligo, &, vt dixit ille, ineluctabile tēpus. Sed fortasse *finis* diuinam patientiā sonat, vt ita loquar, iā exhaustam; seu, quod idem est, vindicem iram non iā ampliùs à supplicio suspensam. Pertulerat iam Deus grauia populi flagitia, clamātia in cœlum, & diuinum furorē acuentia; sibi tamen tēperarat Dominus, multísque modis obstinatos animos ad pœnitentiam inuitarat, vbi tamen festinando nil promouet, quod clementes etiam medici faciūt, ferro rē peragit, & igne. Hoc fortasse est venisse finem super Ierusalem; finē, inquā, patiētiæ, & laxatas esse furoris habenas, quas diuina priùs lenitas adduxerat. Et ideo statim subditur, *& mittam furorem*, ad illud nempe tempus antè compressum. Vt voles, accipe, in re nihil discriminis esse video; sed tantum in vocis accommodatione.

Dei patientia peccator abutitur.

5. *Iudicabo te iuxta vias tuas.*] id est, iuxta vitæ rationem, quam complexa es, ô Ierusalem. Est enim *via* institutum, ratióque viuendi, quæ cùm in illo populo esset omninò profligata, ac perdita; non poterat iudicium non esse seuerum, & graue, quod ad eius se meritum attemperauit. Id verò significat hic Deus, pensandaq; nimirum esse populi merita, illísque pro mensura reddendam esse mercedem.

Et ponam contra te omnes abominationes tuas.] Vt *peccatum, iniquitas*, & similia iniquitatis, ac peccati supplicium sonant; sic etiā sæpe *abominatio*, abominationis supplicium est; qualis est Chaldæorū acies, ciuitatis obsidio, & quæ deinde consecuta sunt ciuitatis, ac ciuium infortunia. Stabunt igitur abominationes contra Hierosolymā, à Chaldæis, neque minùs oppugnabunt acriter, quàm hostiles copiæ, quia secum pestem, & exitium in- 6.

C uohunt, quæ à peccatorū obstinatione abesse nō solent. Vide an hæc quoque possit esse sentētia: Iudicabo te, efficiámque vt & supplicij magnitudine scelerum tuorum grauitatem agnoscas. stultis enim intellectū affert aliquando vexatio.

Peccata acrius, quàm hostes oppugnant.

Et non parcet oculus meus super te, & nō miserebor.] Hæc à nobis suprà cap. 5. v. 11. explicata sunt.

Afflictio vna, afflictio ecce venit.] Afflixerat Deus 7.
Iudæorum gentē afflictionibus multis, quia terrere volebat, & admonere magis, quàm opprimere; atque ideo semper aliquid vlteriori plagæ relinquebat. Nunc dicit vnam superesse plagam, quæ excindet vrbem adhuc superstitē, extinguet ciues, aut captiuos aget; statum denique Iudaicū omnino conuellet. Qui loquēdi modus visitatus

D est, vt cùm aliquid extremum minamur, aut patimur, id dicamus aut semel, aut vno pulsu, aut ictu esse peragendum. Sic Hispanus, *Acabemos ya de vna vez.* id est, rem funditus deleamus. Profani cùm aliquid tandem, aut omnino faciendum est, ita vt nihil supersit operis, mali, aut medicinæ, hac vtuntur voce: quare apud illos frequens, *vt semel dicam: vt semel complectar omnia*, id est, ne sit opus aliquid addere deinceps. Sic Virgilius lib. 11. Æneid.

Semel, & similia idem quod omnino, aut funditus.

—qui ne quid tale timeres
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.

Et Ouidius Epist. 5.

—nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

E id est, omnino, prorsus. Similes occurrunt locutiones in Scriptura. Sic Abisai 1. Reg. cap. 26. *Perfodiā eum lancea in terra semel, & secundo opus nō erit.* Et Nahum 1. *Consummationē ipse faciet, non cōsurget duplex tribulatio.* id est, vna tantùm tribulatione consumet. Chaldæus legit hîc, *Malum post malum ecce venit.* Videtur autem, vt notauit Rabbi Dauid, habuisse codices, vbi pro אחת, i. vnum, erat אחר, id est, post. Quod si ita legas, sensus non erit alienus, qualem sæpe audis apud Prophetas, qui contexta inter se, ac sibi perpetuò succedentia mala denunciant. Quod Græci sic explicant, πόνος ἐπίπονος. quod alia metaphora explicuit

explicuit Ioel cap.1. *Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Sed quia aliter vulgatus habet, neque abnuit textus Hebraicus; Chaldaica translatio non admittenda est.

8. *Euigilauit aduersum te.*] Allusum, credo, ad illud Ierem.c.1. *Virgam vigilantem ego video.* in quo impendere significatur supplicium a Chaldæis. Credo autem illam prouerbialem esse figuram; quia modus ipse dicendi prouerbiale aliquid olet, & qui à tanto Propheta primùm vsurpatus, vsurpari quoque ab aliis familiariter potuit. Finis autem, id est, extrema populi calamitas dormiisse videbatur, quia cum tot obstreperent, clamarentque peccata; non tamen excitabatur, vt illa debito mulctaret supplicio: iam tamen vigilare dicit finem, & quasi intentum ad plagam primum quodque tempus expectare. Eadem dicendi figurâ vsus est Petrus Epist. 2. c.2. *Quibus iudicium iam olim non cessat: & perditio eorum non dormitat.* nisi quòd pro *fine*, *perditionem* adhibuit; sed reuera *finis* nihil est aliud quam *perditio*.

9. *Prope est dies occisionis & non gloriæ montiũ.*] Gloriabantur olim in montibus Iudæi, cùm obirent idolorum aras, & impiis vacarent sacrificiis, ex quibus omnia sibi secunda promittebant. Hæc appellari potuit gloria montium, quia vt idolis occurrerent non ingrati, ornamenta illa sacrificaturi induebant, à quibus gloriosos, id est, pulchros, seu speciosos se fore arbitrabantur. Gloriam verò pro pulchritudine, seu specie sumi, satis est notum. Accedebant musici numeri, & festiua symphonia: quæ exhilarabant montes illos, & aliqua ratione illos gloriosos reddebant. Huc facit, quia vbi noster *gloria*, Heb. est הד *hed*. quam aliis locis noster κέλευσμα conuertit, & Pagninus hoc loco, *Echo* reddit. Nunc autem in montibus pro gloria Iudæorum, strages futura dicitur: ita vt ibi ignominiosè, ac fœdè sternantur, ac putrescant, vbi speciosi, atque hilares nefariis sacris operati fuerant. Quod paulo antè significarat idem Propheta cap.6. v.13. cùm dixit, *Cùm fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in circuitu ararũ vestrarũ, in omni colle excelso.*

10. *Nunc de propinquo effundam iram meam super te.*] Iterari credo sententiam sæpius repetitam, quæ docet impendere iam exitium populi ab irato Deo. Sed vide an potiùs dicendum sit, ad hunc vsque tẽporis articulum eminus, & quasi ludibundũ dimicasse Deum; & terrere stridore arcus, & fulminum inani sonitu, potius quàm spiculis configere, aut fulmine percutere voluisse. Nunc verò ait sibi cum Gente Iudæa cominus esse cõgrediẽdum, & quod simulatoriè, &, vt aiunt, rudibus inchoarat, id iã seriò, & decretoriis armis esse transigendum. Quod reuera præstitit: nã extrema hac plaga sic est confecta res Iudaica, vt de illa actum iam esse videri potuerit. Cætera ad vers.10. nuper a nobis explicata sunt.

Supplicium Dei grauius post clementem admonitionem.

11. *Egressa est contritio; floruit virga; germinauit superbia.*] Trium horum membrorum eadem est sententia; nempe instare iam ciuitatis interitum. Vbi vulgatus *contritio*, Heb. est צפירה, quam quidam vertunt *coronam*; alij *manè*, seu *matutinum*, aut *maturitas*. Quæ omnia satis indicant allusum hic esse ad virgam vigilantem, seu amygdalinam, quam vidit Ieremias cap.1. In matutino enim, seu maturitate optimè explicatur virgæ vigilantis festinatus aduentus, cùm autem vigilans illa virga contritionem secum, & exitium afferret; optimè noster interpres *contritionem* reddidit, effectu nimirum pro causa supposito.

12. *Floruit virga.*] Diu in arbore cõpressa videtur, & abscondita vis illa genitalis, quæ parturit, & germinat flores, & deinde fundit, atque maturat fructus. Cùm tamen mortua aliquãdiu apparuit planta; pòst tamen suo, id est, vernali tẽpore, aduenit tempestiua maturitas; & tunc quicumque iudicat non sublatam, sed occultatam esse vitam in stirpe, aut stipite deformi. Sic ad hunc vsque rerum articulum in obliuione videbantur esse aut peccata populi, dum impunita manerant; aut vindex ira Dei emortua, dum in patienti pectore, quasi gladius in vagina reconditus; iam tamen vt arbor, exigente id verna temperie, floret: sic Dei furor, dum feruet peccatorum æstus, accenditur, æstuat, & vindictam festinatã anhelat.

Diuina vindicta vigilat.

13. *Germinauit superbia.*] Siue hic superbiã esse dicas Iudæorum, à quibus & contemptus Deus, & Prophetæ superbe, atque ignominiosè tractati sunt; siue Nabuchodonosoris, qui superbè vibrauit, quam Deus ipsi tradiderat virgam, germinasse tamen dicitur, ac produxisse fructum, qui virgæ superbæ proprius est. Nã & superbiæ fructus contritio est, atque confusio; qualem pepèrat Iudæorum arrogãtia: & quia superbiæ plerúque adiuncta est crudelitas, superbi nẽpe Nabuchodonosoris; grauis est & superba percussio.

Superbiæ fructus, confusio, & mors.

14. Nũc superest exploremus, cuius sit illa virga, quæ floruit, aut illa, quæ germinauit, superbia; Iudæorúmne, an Nabuchodonosoris? nam vtrisque accommodari posse videtur non ineptè. De Sedecia, populóque Iudaico accipiunt Theodoretus, Hugo, Lyra, & Pradus; & quidem metaphora non renitente. Nam si, vt principio diximus, in arbore gens intelligitur Iudaica, cuius aut occulta, aut obliuioni tradita videbatur impietas; vt germinante arbore, fœcunditas se prodit, & natura plantæ; sic suo etiam tempore, quæ latebat priùs erupit improbitas, quæ falcem exigit, & securim; & quidem germinantis virgæ fructus est confusio, excisio, ignis, & interitus, quæ sibi pepererunt Iudæi.

15. Mihi non videtur difficile, virgam esse Nabuchodonosor, qui fuit quasi virga, atque flagellũ Dei ad punienda Iudæorum peccata, vt de seipso longè post hæc tempora prædicabat Hunnorum Rex Attila. quod putant cum Hieronymo Polychronius, Dionysius, Vatablus, Maldonatus, & quidã Hebræorum magistri. Et probat locus ille Ieremiæ cap.1. de virga vigilante; ad quẽ videtur spectasse Propheta noster; sed eo loco virga vigilans, aut amygdalina, (quæ absque dubio florens apparuit, quia alióquin nunquam Propheta cognouisset amygdalinam esse) Nabuchodonosoris vindicem virgam iam festinantem portendebat. Item quia virga illa, dum non vibraretur ab armata manu, arida videri potuit, aut mortua; cùm autem gemmis apparet, & floribus vestita, vitam se habere ostendit, & vltricem vim; quam experietur in suo capite populus virgæ, atque excidio deuotus. Superbia verò dicitur germinasse, quia Rex ille superbus in fœdifragũ populum crudeliter sæuiit, adeò vt Regẽ Sedeciam orbarit oculis, regiósque pueros, spectante patre, cum aliis Regni principibus occiderit. Et sanè Chaldæorum Regem superbum appellat Ieremias cap.50. v.31. *Ecce ego ad te superbe.* Placet tamen magis explicatio prior.

16. *Iniquitas surrexit in virga impietatis.*] Hic locus non parum fauet superiori sententiæ, quæ florentem virgam Iudaicæ gentis esse putat. In

quo *iniquitas* supplicium valet, quod pullulauit, & creuit in virga impietatis, id est, in radice, seu stirpe peccatorum. Vbi pro re morali vehementer notandum, peccatum radicem esse pestilentem, à qua mors pullulat, & radicem amaritudinis, à qua nihil decerpas, nisi amarum, ac triste. *Quem fructum*, inquit Apostolus Rom. c. 6. *habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis; nam finis illorum mors est.* id est, nihil omninò præter pudorem, & mortem collegistis ex impietatis virga, quam infelici, atque inauspicato satu plantastis.

Peccatum radix amaritudinis, & mortis.

17. Sed locus iste etiamsi virga flagellum sit in Regis Chaldæorum manu, commodam habet explicationem. Nam si quam habuit virgam, illam accepit ex Iudæorum infelici plantario, quã nimirum plantauit, aluítque peccatum, quod Iudæis fuit id, quod vestimento tinea, quæ id corrodit, & perdit, à quo vitam habet, & corrodendi vim, sanè peccator sibiipsi malum creat, vt de illo verè dicas, quod de turdo canit familiare prouerbium, quòd nempe sibi malum parit: nam ex turdi stercore viscum sibi conficiunt aucupes, quo turdum capiunt. Sic ergo Iudæi, dum peccatis indulgent, plantauerunt virgam impietatis, dum in peccatis obstinatò hærent aluerunt, adduxerúntque ad illud robur, atque duritiem, vt non alia virga ad cõtundendum Iudæorum statum indiguerit Nabuchodonosor. Quare virga illa iniquitatẽ, id est, suppliciũ germinauit, quod postea Nabuchodonosor Iudæis inflixit.

Peccator sibi malum creat.

18. *Non ex eis & non ex populo, neque ex sonitu eorum, & non erit requies in eis.*] Referri hæc possunt, vel ad Iudæos, vel ad Chaldæorum Regem ingentibus instructum copiis; neque promptum est definire in quam præcipuè partem spectent. Pradus Græcos ait in ea fuisse sententia, vt putent hæc in Chaldæos potius, quàm in Iudæos conuenire, Polychronium citat, & Scholiastem, quibus, vt nos proximè dicebamus, Iudæi ipsi virgam tradiderunt, quam ipsorum capitibus illiderent. tunc verò sensus erit: Concidentur quidem Iudæi, ita vt nemo Chaldæorum gladium, aut obsidionis incommoda, pestem videlicet, & famem, aut denique longum, & ærumnosum exilium effugiat. Non tamen è Chaldæis orietur pestis illa, quæ populum illum numerosum absumet, non ex tanto populo in Iudæorum exitium coniurato, non ex illo castrorum sonitu, aut ingenti armorum apparatu, non ab eo studio, quo sic inflammabuntur in stragem vrbis, & ciuium interitum, vt nunquam quiescant, sed orietur ex Iudæorum peccatis, ex virga nẽpe, ex qua floruit illa calamitas, & immane suppliciũ.

Non tam ab hoste quàm à peccato metuendum.

19. Sed alij omnes hæc de Iudæis interpretantur, ex quorum numero quantumcumque magno, nemo Chaldæorum gladium, aut aliud infortunium mortis instar euadet. Loquendi modus paulo obscurior, in quo aliquid aut supplẽdum, aut iterandum est. Ego hîc supplendum esse puto verbum substantiuum, aut certè sumendum ex vltima parte clausulæ, *& non erit requies.* quod per figuram zeugma sæpè fit, in hũc modum: *Nõ erit ex eis, & non erit ex populo, &c.* Addo præterea *non esse*, aut *non ipse*, idem valere apud Hebræos, quod *perire*, aut *occidi*. Sic Psal. 56. *Transiui, & ecce non erat.* i. perierat. Ierem. cap. 31. *noluit consolari, quia non sunt.* Daniel. cap. 9. *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est.* i. peribit eius populus. Ex his hanc ego sententiam informo. Non ex illis, qui præcipuè virgam illam plantarunt, qui fue-

Non esse, *idem quod perire.*

A runt Principes, Sacerdotes, & pseudoprophetæ, quisquam erit, cui non sit cum patria simul occumbendum. Nullus erit ex reliquo populo; nullus ex tanto strepitu ac multitudine, quem non maneat idem exitus; nemo, qui licèt gladium, aut pestem effugiat, requiem tamen vllam habiturus sit, vbicumque gentium commorari contingat.

Hæc mihi difficilia non sunt; aliquid tamen 20.
obseruandum. vbi vulgatus *ex eis*, Heb. est מהמהם *mehemhem.* quam quidam ex Hebræis, vocem esse putant geminatam, atque ita scribendum esse הם הם מ. quasi dicas, ex illis, illis. Tunc verò sensus esse potest emphaticus, qualem habet plerumque geminatio, nempe *ex illis, ex illis*, inquam, *nemo supererit.* Aut quod Chaldæus vult quem ex recentioribus aliqui sequuntur. Neque ex illis, neque ex illorum posteris aliquis remanebit; hoc posterius probarem, nisi viderem non satis cum rerum euentu conuenire. Nam vt illi perierint, ad quorum aures hæc Ezechielis verba perlabi potuerunt; at ex eorum filiis non pauci seruati sunt, & in patriam gloriosè restituti.

Vbi vulgatus, *& non requies eis*, LXX. *& non* 21.
species eis. habuerunt sine dubio codices, vbi erat נוה *nauah.* Alij נה *noh.* quod fletum sonat, & lamentationem; vt habent omnes penè recentiores; tunc verò sensus est, eam futuram stragem, illum moriẽtium numerum, vt nemo cum legitimo, ac patrio fletu sepeliendus sit; quod clamarunt sæpe Prophetæ. Ierem. c. 16. *Non plangentur, & non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt.* Sed noster interpres legit נוח *noach*, quæ vox quietem sonat, & accommodatè transtulit ad Iudæorum tempora, post excisam vrbem; tunc enim illi errarunt vagi, neque tutum, aut liberum, vbi consisterent, locum habuerunt.

Qui emit, non lætetur, & qui vendit, non lugeat.] 22.
Luget plerumque, aut mœret qui vendit, præsertim cùm id non ex instituto, sed ex necessitate fieri contingit; quia ægrè fert possessionem, præcipuè si illam hæreditario iure consecutus est, ad alienos abire: gaudet verò qui emit, quia rebus suis aliquam cernit accessionem fieri. At eo tempore, quod impẽdere Hierosolymæ prædicere iubetur Propheta, æqua erit pauperis, ac diuitis, æqua vendentis, atque ementis conditio; tam enim deest quod habet, quàm quod non habet, & tam huic potestas esse existimatur, & ius in id quod vendidit, quàm in illud, cuius apud se mancipium reseruat. Hic dicendi modus aliquid olet prouerbiale, quo significamus exiguum fore, ac momentaneum vsum rei alicuius. Tunc enim tam egenus est rei, quæ citò marcescet, & peribit, qui possidet, quam qui illam à se distraxit, aut possedit nunquam. Eo argumento vsus est Paulus, vt hîc notat Hieronymus, 1. Cor. 7. *Tempus breue est: reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Hieronymus hæc paucis est cõplexus. *Naturale est*, inquit, *in possessionũ emptione lætari, in venditione lugere. Cùm autem instet seruitus, atque captiuitas gaudium, & tristitia in vtroque sunt vana.*

Prouerbiũ. Qui emit nõ lætetur.

Quia ira super omnem populum eius.] Mœror de- 23.
nunciatur, ac luctus toti populo, tam eis qui fortunati censentur, & opulenti, quàm illis quibus tenuis est, & attrita fortuna; tam his qui vẽdunt

propria,

propria, quàm illis, qui pretio sibi aliena vendicant: vtrisque enim aut dolendi proponitur, aut exultandi negatur, & præciditur causa: vt statim explicat.

Iubilæi tempore hæreditas ad priorem dominum redire solita.

24. *Quia qui vendit, ad ea, quæ vendidit, non reuertetur.*] Cautum erat diuina lege Leuit.25. vt Iubilæi tempore possessiones ad antiquum dominum redirent; eo se nomine, ac iure solabantur, quos rerum angustiæ paternum fundum, ac possessionem abalienarant; quia futurum sperabant, vt ad se postliminio Iubilæi tempore redirent. Ab hac spe deiiciuntur, qui vendunt: nam ante optatum illud Iubilæi tempus, excindetur ciuitas, & eripietur hæreditas ab eo, qui ex lege, & pacto restituere debuit. Erit enim vterque aut ferro subiatus, aut à patria procul in exilium abductus.

25. *Et adhuc in viuentibus vita eorum.*] Et, non semper coniungit extrema, sed interdum distrahit. Hic puto idem esse quod *quanuis.* in hanc sententiam: etiamsi contingat illos in viuis esse, qui possessiones vendiderunt, Iubilæi tempore; non tamen ad illos redibit alienata possessio; quia exules erunt apud Babylonios; vbi neque alij tradere, neque ipsi recipere poterunt, quod lex iubet. Occurrit autem cogitationi tacitæ illorum, qui cùm superstites esse possent euersa patria, restitutum iri existimare possent ablatam possessionem: quibus Deus spem illam præcidit, quia sibi frustrà præsumpserant; cùm neque viui patriam essent vnquam reuisuri, non secus, ac si excessissent è viuis. Exules namque eodem habentur numero, quo mortui. Illi præcipuè, quos manebat septuaginta annorum lõgum exilium. Redierunt quidem aliquando exules in patriam, paternásque possessiones rursus adierunt, vt dictum est Ierem. cap.32. quando sub hoc tempus iussus est à patruele agrum emere; sic enim Dominus ad Ieremiam, *Adhuc possidebuntur domus, & agri, & vineæ in terra ista.* Verùm redierre illorum perquam pauci, quibus hæc ab Ezechiele proposita sunt; neque constat, an eos recuperarint agros, à quibus parentes priùs exciderunt, vel potiùs desertos agros, tanquam in caducam possessionem noua distributione partiti sint.

REGVLA. *Reuertor, redeo & similia, inanẽ conatum important.*

26. *Visio enim ad omnem multitudinem eius non regredietur.*] Communis est, &, vt credo, vera interpretum sententia, quæ putat his verbis significari non vanas, aut inanes futuras esse minas, quæ denunciari iubentur à Propheta. Ex vsu quippe Scripturæ, id *reuerti, regredi,* aut *redire* dicitur, quod successu caruit; neque id aliquis consecutus est, quod designauit animo, aut studio quæsiuit. Sic Isaias c.55. *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui,* 2. Reg.1. Sic Dauid de Saul, *Gladius Saul non est reuersus inanis.* Et iterum ibidem de Ionatha, *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum.* Sic Deus his verbis indicat non defuturum esse pondus his, quæ ad omnem Iudæorum multitudinem locutus est, quæ visionis nomine explicantur; quia horum plurima in visione oblata sunt Prophetæ.

27. *Et vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur.*] Implebit Dominus promissa, euocauit etenim Chaldæos, qui gladio perimant, eóque adducant obsidione angusta, vt famem etiam, & pestem in ciuitatem inducant. Contra quos populus antè pugnax, & robustus stare non poterit, aut quicquam vtile moliri; quia iniquitas illis robur adimet vt possit, & animum, vt audeat hostibus occurrere. & ideo ad hæc consentaneè dicitur:

28. *Canite tuba, præparentur omnes, & non est, qui vadat ad prælium.*] Ironicè hæc Deus, nisi hîc subaudias particulam *quamuis.* hoc sensu: licèt ciuium spiritus clangente lituo ad arma voces; præparaéque iubeas ad præliandum animos, & arma, nihil tamen efficies: vsqueadeo namque languentes erunt, & pauidi militum animi; vt nemo clypeum arripere, nemo tractare arma, aut hostibus occurrere audeat.

29. *Ira enim mea super vniuersum populum eius.*] Vide quid diuinus faciat furor, vt nihil reliquerit, quo se peccator ab hoste tueatur. Isaiæ cap.3. cùm de hoc ipso tempore loqueretur Propheta, non solùm dicit defuturum obsessis alimentum, sapientibus consilium, architectis industriam, sed etiam fortibus animum, & robur; ita vt ex bellicis præsidiis, nihil sit reliquum, quod hostibus securè pugnantibus possit opponi. A Deo itaque offenso, atque irato insitus est audacibus quondam animis pauor, ereptum consilium, aperta denique ciuitas hosti Chaldæo.

Gladius foris, & pestis, & fames intrinsecus.] De his vide quid diximus capite 5.v.2.

30. *Et saluabuntur, qui fugerint ex eis.*] Hi fuerant admodum pauci; fuerunt tamen aliqui, vt docuimus Zachariæ cap.7.n.7. vbi probabile dicebamus eos Principes, à quibus legati Hierosolymam missi sunt, esse ex eo Iudæorum genere, qui in tractu remanserunt palæstino: quod etiam Ieremias docuit cap.44. vbi tradit ex profugorum numero aliquos esse seruandos à communi plaga. Idem docuerat antè Isaias cap.7. dum ait relinquendos aliquos in Iudæa, ita tamen paucos, vt vna vacca, aut oues duæ vnam possint sustentare familiam. & confirmatur ex Daniele cap. vltimo, vbi Habacuc agros habuisse traditur, & messores habuisse, quibus panes intriuerat in alueolo.

Aliqui Iudæorũ, à cæde atque exilio liberi, non tamen sine metu.

31. *Et erunt in montibus quasi columbæ conuallium omnes trepidi.*] Quibus ex communi clade liberari contigerit; non sic viuent à metu, ac perturbatione soluti, vt vitam agant omnino vitalem: habebunt namque non tam quietam, & stabilem ad habitandum domum, quàm vagam & quasi continentem fugam, quam trepidationem, & instabilem vitam optima similitudine declarat. Columbæ timidæ sunt, tunc verò maxime pauent, & horrent dum vis instat grauior; siue à tempestate, siue ab aucupio; seu à rapaci volucri, quæ infirmiori volucrum generi insidiatur: tunc enim ad tuta sese recipiunt; imò quia nihil esse tutum existimant, nullo in loco securæ consistunt. Ex hac columbarum natura similitudinem desumunt Poëtæ ad explicandam infirmioris sexus, aut ætatis trepidationem, & fugam. Sic Maro 2. Æneid.

Columba timida.

Hic Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum,
Præcipites atra ceu tempestate columbæ,
Condensæ, & diuûm amplexæ simulacra tenebant.

Quàm verò columba, vbi periculi, quod semel effugit, species occurrit, paueat; quantumcumque illa aut longè sit, aut obscura, explicuit alius, Ouidius credo, de tristibus,

Terretur minimo pennæ stridore columba,
Vnguibus, accipiter, saucia facta tuis.

Sic arbitror, cùm Iudæi, qui à cæde, atque exilio liberi, in patriæ finibus vtcumque consederant, malè iactati fuissent, tum à Chaldæis, tum à finitimis populis, qui cum Chaldæis in Iudæorum

nomen conspirarunt; vbi motus aut audiretur, aut audiri putaretur hostilis, timebant, ne illa iterum inciderent incommoda, quæ declinasse videbantur, atque ideo illorum vita columbarum vitæ similis erat, quæ in conuallibus viuunt. Dicuntur autem columbæ conuallium, non quia in conuallibus magis sint timidæ, quàm cùm in montibus errant, aut volant in aëre: sed quia in petrarum foraminibus nidificant, quæ in vallium lateribus occurrunt potius, quàm in locis planis, atque campestribus. Quomodo volucres cœli, & pisces maris, & pecora campi dicuntur, quia hæc animalia in his plerùmque locis, aut agunt, aut apparent. Notat hîc Hieronymus pro *columbis conuallium*, vertisse Theodotionem, *columbæ meditantes, mussitantes omnes.* Sicut etiam facit antiquissima translatio Hispanica, quæ reddit, *Como palomas arruyando*, nos modò diceremus *arrullando.* Quæ verba satis indicant ærumnosam sortem, & ægram vitam illorum, quibuscum minus actum est durè, quibus cùm gemendi causa nunquam defutura sit, nunquam gemitus deerit, aut singultus; & idcirco vitam agent columbarum instar, quibus pro cantu gemitus est, & inamœnum murmur. Idcirco vnusquisque patietur propter iniquitatem suam; id enim valet, *in iniquitate sua.*

REGVLA. *Locus interdum rebus nomen imponit.*

32. Quòd si nullus esset ab hoste sonitus, iniquitas quæ interdum est peccatorum vltrix, metum incuteret; neque animo sineret esse pacato, Sap. 17. *Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis. Semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.* Quod experientia ipsa monuerunt Gentiles; qui in Furiis, à quibus impios exagitari fabulati sunt, peccatorum naturam expresserunt, quibus vexatur animus culpæ conscius, neque quicquam putat à metu liberum. Sic Cicero: *Furiæ agitant, & insectantur impios, non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ.* His, credo, furiis agitabantur, his æstuabant facibus illi, quibus vita futura dicitur columbæ trepidanti similis.

Scelerum conscientia quietum animum esse non sinit.

33. *Omnes manus dissoluentur, & omnia genua fluent aquis.*] Hæc non tam ad illos referenda, qui liberi futuri dicuntur ab exilio, & cæde, quàm ad omnes, qui sic erunt animo languenti, ac pauido, vt euocati à buccina, neque induent arma, neque vadent ad prælium. Cuius nunc à Deo ostenditur ratio, quia laxatis neruis torpescent, & dissoluentur manus, ita vt neque tractare possint arma, neque ad progressum bellicum aliquid vtile moliri. Illud difficiliùs de genibus humore fluentibus. Quidam non de sudore, aut humore alio, de quo statim, sed de spermate accipiunt, quo polluuntur partes illi subiectæ, genua videlicet, vt Vulgatus, seu femora, vt conuertêre Septuaginta. Tunc verò sensus esse videtur, Iudæos dissolutas, atque torpentes habuisse manus ad bene operandum, & in re venerea nimium diffluxisse; & accommodatè ad hæc addi putant, quod statim sequitur, *Accingent se ciliciis.* id est, agendam esse pœnitentiam. In hanc sententiam videtur conniuere Hieronymus, aut potiùs illius primus est auctor; neque puto apud alium, quàm apud Hieronymum reperiri, quam ipse sic proponit, vt non improbet; illi in morali sensu subscribit Hugo. Et quidem Aristoteles sectione 5. Problem. 8. tradit moribundis ac timidis semen effluere; à quo statu non procul absunt hi, de quibus hic sermo.

34. Alij in *aquis* sudorem intelligunt, in quibus est A Vatablus. Sed quia in pauore non stillat sudor, maximè in genibus, (licet, Aristotele teste, Problem. q. 26. sect. 2. ex timore sudare soleant pedes potius quàm facies) ideo ab aliis hæc sententia respuitur. Solet quidem in angore prouenire sudor, qui ab Hispanis vocatur *trasudor*; sed ille toto fluit corpore, neque genua tantummodo respergit.

Alij cum Hieronymo frequentes vrinam intelligunt; quæ, vt docet Aristoteles lib. 4. de partibus, cap. 6. in metu ab inuitis sponte defluit, sicut & ventris onus. Audi Hieronymum, & cum eo complures alios, qui verba eius vsurpant, aut sententiam probant. *Pauoris magnitudine vrina polluet* B *genua: nec valebit profluentes aquas vasica prohibere.* Adde quòd sicut aqua pedum vocatur vrina, sic etiam multo magis aqua genuum. Eodem loquendi genere in causa non dissimili vsus est idem Propheta cap. 21. v. 7. *Dissoluentur vniuersæ manus, & infirmabitur omnis spiritus, & per cuncta genua fluent aquæ.* 35.

Aquæ varia significatio.

Ego hæc ita probo, vt tamen abeam in aliam cogitationem multo libentiùs, quia & ipsa plus decoris habet, neque minùs ad exprimendam populi conditionem significationis, & ponderis. Puto ergo quod Chaldæo Paraphrastæ visum est in loco simili Ezechielis, cap. 21. de quo suprà, & Rab. Dauid, quod etiam probatur Maldo- C nato, hîc intelligendam similitudinis notam; quod in Hebraico idiomate frequentissimum est. In hanc sententiam dissoluentur, atque tabescent manus, & genua, sicut aqua, liquescent, ac fluent. Hoc verò orationis genere significatur neque Iudæis ad dimicandum futuras esse manus, aut lacertos, quos dissoluet metus; neque ad fugiendum pedes, aut genua, quæ debilitabit, ac subneruabit pauor. Adde quòd hæc duo ad peragendum opus præcipua, ac penè sola instrumenta sunt. manus administrant omnia, genua sustentant corporis molem; si vtrumlibet desit, aut efficies nihil, aut non nisi spissè, ægrè, ac perturbatè. Quare cùm Deus ad strenuum aliquod opus homines hortatur, confortari iu- D bet dissolutas manus, & genua debilia roborari. Isai. cap. 35. v. 3. & Paulus ad Heb. c. 12. *Remissas manus, & soluta genua erigite.* Quibus tamen locis non est ille pauor, qui vasicam soluat, & impuro illo fluxu genua commaculet. 36.

At illud obstrepit huic cogitationi, quod eadem omnino verba sunt apud hunc Prophetam cap. 21. v. 7. quare hauddubiè idem est sensus. At ille locus non facilè admittit similitudinis notam. Non enim ibi dicitur *genua fluent aquis*; sed *per cuncta genua fluent aquæ.* Respondeo eandem esse in vtroque loco sententiam, neque magis huic quàm illi adhiberi posse similitudinis formam. Hebraicus textus sic habet, תלכנה מים *telaknah maiim.* id est, *ibunt aquis*, nempe similia; aut quia E dissoluentur, & liquefient, sicut aquæ; aut quia sic agitabuntur, & trement, sicut à ventis mouentur, & feruent marini fluctus. Idem est sensus, cùm legis, *per cuncta genua fluent aquæ.* quia si genua instar aquæ liquescunt; necesse est vt instar aquæ continentes guttæ per genua decurrant. 37.

Et accingent se ciliciis, & operiet eos formido.] Speciem proponit lugentis populi, ac sordidati, & extrema omnia metuentis. Quomodo in pauore, & luctu cilicium sibi applicent Iudæi; & detonso capite, ac barba priuatam, aut publicam calamitatem deplorent, docent sæpè Prophetæ; vide 38.

Operio cum epitasi.

vide Ieremiam cap.48.v.37.& Amos cap.8.v.10. Illud, *operiet eos formido*, paulo est obscurius. Ego in verbo *operio* epitasim esse arbitror; significat enim aliquem abundare maximè, aut si rerum natura patiatur, opprimi ab eo, quo operiri dicitur. Quare qui vehementer erubescit, opertus dicitur confusione. Psal.108. *Operiantur sicut diploide confusione sua.* Et iterum Psal.68 *Operuit confusio faciem meam.* Isaiæ cap.60. operta dicitur terra camelorum inundatione. sic etiam operiendi nunc formidine dicuntur Iudæi; quia ingruente bello, vehementer pauebunt.

39. *Argentum eorum foris proiicietur, & aurum eorum in sterquilinium erit.*] Magnam oportet esse calamitatem, in qua vile est, aut contemnitur, & proiicitur aurum; quod tanto hominum studio conquiritur, qualis tempestas, quæ sic nauigantes angustè premit, vt quo exoneretur nauis, leuiúsque ferat marinos æstus, & ventorum minas, aurum proiiciant, & pretiosam gazam. Sic Hieronymus putat, in eo articulo, de quo nobis sermo, eò adducendam gentem Israelitidem, vt aurum, cuius ipsa priùs auidissima, ac tenacissima fuerat, non grauatè proiiciat, & in eo habeat numero, ac loco, quo sterquilinium, vt vitam seruet, quam aliter expositam videt esse periculo. Græci, in quibus sunt Theodoretus, & Polychronius, de fame hîc capiunt, quæ sic inualuit obsidionis tempore, vt vile pro pane putaretur aurum: quod cecinit Ieremias Thren.c.1. *Dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam.* In sterquilinium verò fuisse dicitur aurum; aut quia in ea rerum angustia, nihilo magis pretiosum est, quàm sterquilinium, & hoc potiùs; vel quia large pro rebus illis à famelicis impenditur, quæ magis conuenire sterquilinio, quàm stomacho, & mensæ videbantur, quales erant cibi aut viles, aut putres, qui delicatis palatis nauseam mouent; & magis sunt porcis, quàm hominibus apti. In sterquilinium sanè conferebant aurum, qui in statu non ita angusto, & duro caput emebant asini, & columbarum stercus. 4. Reg.cap.6. v.25. *Factaque est fames magna in Samaria, & tamdiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis.*

Aurum famis tempore, vile.

40. Mihi non videtur abs re, si in argento, ac auro intelligantur Idola, quæ ex illa materia Iudæi sibi conflauerant; in quam ego cogitationem adducebar, quia de Idolis statim multus sermo, quæ sanè à Iudæis abiecta sût, & quasi in sterquilinium data; quia in illis nihil habuerunt præsidij, imò ex illis ignominiam, & stragem prouenisse cognouerunt. Quæ multo antè Isaias prædixerat cap.1. v.18. *& idola penitus conterentur.* & clariùs statim v.20. *In die illa proiiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi vt adoraret talpas, & vespertiliones.*

41. *Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini.*] Proprium sensum, & verum esse puto non fore Iudæos à morte liberandos, quam fames induceret. Cùm enim vænales non sint cibi, quos sibi in extrema fame parare possint, quantumcunque pecuniarum congesserint, nullum ex illis vsum habebunt. Nihilominus explicationes aliæ non omnino displicent, illa præsertim, quæ postremo ponitur loco. Si in auro, atque argento sculptile aliquid esse statuas, sensus est non difficilis; significat enim Deus fallacem esse fidem, & potentiam infirmam illorum deorum, quos ex argento, atque

A auro sibi conflauerant Iudæi. & hanc fuisse causam, cur illa proiecerint, neque pluris quàm ster-
quilinium habenda iudicauerint. Sed accommo- 42.
datè ad aliorum sententias dici etiam potest cum futurum esse furorem in Chaldæorum animum, & cruoris Iudaici tam ardentem sitim, quos diuinus furor ad sumendam de Iudæorum væsania vindictam agit, vt aurum contemnat & argentum, quo Iudæi destinatam ferro vitam redimere voluerint. Illud enim est *argentum eorum*, &c. (nempe oblatum hosti intento iam ad plagam) *non valebit liberare.* Hoc idem dixerat ante hoc tempus Sophonias cap.1. v.18. & puto hoc dicendi modo, qui aliquid olet prouerbiale, odium B exprimi vehemens illius, qui ad alicuius sanguinem sitienter anhelat. Sic Isaias cap.13. v.12. de Persarum odio aduersùs Babylonios, *Pretiosior erit vir auro, & homo auro obrizo.* quia non tam amabit hostis aurum, quàm hominis cædem. & statim v.17. *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis paruulos interficiant*, &c. Quo dicendi genere offensionem, & odium explicant profani; neque id rarò. Vnum accipe exemplum Virgil. lib.10. Æneid. Sic de Mago iam morituro ad Æneam,

Odium ingens, & studium vindictæ.

Et genua amplectens effatur talia supplex.
Te precor hanc animam serues natósque patrique.
C *Est domus alta iacent penitus defossa talenta*
Calati argenti: sunt auri pondera facti
Infectique mihi, &c.

Ad quem Æneas inflatus odio, & sanguinis sitiens,

Argenti, atque auri memoras quæ multa talenta
Gnatis parce tuis, &c.

Animam suam non saturabunt.] Ostendit hîc 43.
Dominus quemadmodum argentum, & aurum, quodcumque illud sit, siue signatum ad pecuniam, & pretium, siue ad Deorum honorem, & religionem in sculptilia conflatum, nullos sit vsus habiturum. Non enim, si expendatur pro pane, famem depellet, aut, quod idem est, saturabit D animam, id est, edendi satisfaciet appetitui; quia aut panis non erit, aut ita tenuis, vt excitet magis, quàm sedet esuriem; neque oblatum hosti, illius mutabit animum, aut temperabit iram. multo verò minùs, si ex illo excussum sit, aut conflatum idolum, à quo sperari nihil præter ignominiam queat.

Quia scandalum iniquitatis eorum factum est.] 44.
Nunc proprius ostenditur, & verus vsus argenti, atque auri, quod rapina, ac fraude congregarunt Iudæi, aut in fingendis impiis simulacris consumpserunt, nempe iniquitatis scandalum. quia illis occasio fuit peccandi; cùm diuitiæ voluptates alant, & libidini seruiant; aut certè efferant E diuitum animos insolenter: à quo vitio pleraque alia vitia abesse non solent. Aut si *iniquitas* pro peccatorum supplicio ponitur, quod potius reor, scandalum iniquitatis aurum fuit; quia calamitatis illius causa fuit, & incendij tanti prima fax. Neque enim tam inclementer pauperes, ac pupillos opprimerent, aut leges conculcarent impunè; nisi pecunia sperarent redimi posse supplicium; aut nisi crederent omnia in corrupta republica fore vænalia. Hunc ergo fructum ceperunt ex argento: quare non mirum si illud apertè contemnant, & in sterquilinium proiiciendum putent.

Diuitiæ quantum afferant mali.

Et ornamentum monilium suorum in superbiam po- 45.
suerunt, & imagines abominationum suarum.] Hæc iam

iam magis explicant nostram cogitationem, ostendúntque aurum non tam ornasse, atque iuuisse, quam perdidisse omnino possessores suos. Neque enim illis tam vsui fuit ad domesticos sumptus, declinandúmque periculum; quam ad fastus vanissimos, & impiæ religionis nefaria fomenta. Hic porrò duas allusiones agnosco; alteram ad sponsæ nomen, quam Dominus, vt dicit infrà cap. 16. Propheta, ornauit monilibus, mundóque muliebri frequenti, ac lauto. Cum ideo sponso grata esse deberet, eius liberalitate, nuptialibúsque donis ad ambitionem potius abusa est, & ad impium cultum. Hæc obiicit Deus iterum eidem populo sub nuptiarum metaphora cap. 16. v. 17. *Tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi; & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis.* Et Oseæ cap. 2. v. 8. *Argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Altera allusio est ad impietatem non dissimilem, cùm Exod. cap. 32. populus idem quidquid ornamentorum habuit, non grauatè contulit ad aureos vitulos conflandos. Sic modò sub hæc tempora parentum suorum væsaniam secuta ingrata posteritas monilia, & quicquid aureorum habuit ornamentorum, in abominationum suarum imagines conuertit.

46. *Propter hoc dedi eis istud in immunditiam.*] Dixerat paulo antea argentum, & aurum in sterquilinium fore proiicienda, id est, eo habenda loco, quo stercus, & sordes: nunc eius rationem reddit; quia inde ad superbiam, & sacrilegum cultum materiam sumpsere, quomodo nuper explicuimus. Cæterùm *in sterquilinium proiici*, & *in immunditiam dari*, idem omnino est.

47. *Et dabo illud in manus alienorum.*] Hæc aperta sunt; tantùm enim ostendit Dominus, ornamenta hæc omnia in Chaldæorum manus esse ventura. Et si quòd aliud aurum fuerit ad sacras templi functiones, ad vsus nempe pios, futurum illud impiis in prædam, vt à piis vsibus ad impios translatum, maiorem excitet dolendi causam. Huc etiam spectat quod ab impiis contaminandum dicitur, id est, tanquam impurum & profanum habendum. Quod accidit quando sublatum fuit è templo pollutis, ac cruentis Chaldæorum manibus; & postea ad temulenta ebriosorum, & luxuriantium conuiuia impudenter adhibitum, vt habes Dan. c. 5. v. 3. & tandem ad simulacrorum aras, nefariáque sacrificia translatum. nam posita fuisse sacra vasa in templo idolorum, constat ex Daniel. cap. 1. v. 2.

48. *Et auertam faciem meam ab eis.*] Illud *ab eis*, referri potest ad Chaldæos, de quibus proximè, & ad Iudæos. Si ad illos referas, sensus est, etiamsi sacra diripiant, atque contemnant, quod nemo vnquam fecit impunè, non tamen violatæ religionis, & profanati templi pœnas dabunt; auertã quippe faciem meam ab eis, atque ita me geram, ac si nihil contra templi sanctitatem fieri viderem. Neque hæc mihi sententia displicet; quia proximè antecessere prædatores Chaldæi; solent autem conuenire magis relatiua cum his, quæ proximè, quam cum illis, qui longiùs præcessere. Ad Iudæos spectare censet Maldonatus, quod mihi etiam non est difficile; & tunc sententia est non obscura; nempe cùm instent hostes, & priuata, ac publica; profana etiam, & sacra populentur, Deum illis non esse futurum auxilio; sed permissurum vt perdant omnia, suóque arbitratu liberè grassentur. Id enim valet *auertere ab aliquo faciem.* quod nihil est aliud quàm non

A curare quid alij patiantur aduersi: placet tamen magis explicatio prior, cum qua quæ sequuntur bellè consentiunt.

Violabunt arcanum meum.] Arcanum, idem est quod adyta, ad quæ nemini, nisi Sacerdoti accedere licebat, quæ Sancta Sanctorum, id est, maximè sancta dicebantur. Hæc tamen violabunt Chaldæi, & quia Gentiles, & quia cruentis manibus illa contrectabunt; qui eò irrumpent non religionis, sed prædæ, atque ignominiæ gratia. Hispanica translatio vertit *Cyllero*; quasi locus sit vbi thesauri, & ad domesticos vsus necessaria seruantur. 49.

B *Et introibunt in illud emissarij, & contaminabunt illud.*] Pro *emissariis* Heb. est פריץ *paris.* quæ vox latronem, seu prædatorem valet, seu illum, qui vi in alienas domus, seu possessiones irrumpit. Vox præterea Latina *emissarius* illum significat, qui explorat, scrutatúrque aliquid, viámque aliis aut ostendit, aut munit, vt aliquid tutò, & cum aliquo emolumento suscipiant. Hispanica translatio optimè, vt arbitror, & valdè significanter reddit, *desportelladores.* Hi verò sunt, qui claustra reuellunt, aut murum, seu maceriam diruunt, vt alij commodè ingrediantur. Hi ergo introibunt priùs in arcanum illum locum, ostendéntque aliis ex illo loco prædas posse capi opimas, & in eo adeundo nihil esse periculi. Qui contamina-
C bunt locum, quia sic in illo versabuntur audactèr, & pro sua libidine impudenter, ac temerè; vt nullo modo discernant à profano; neque auaras manus à rapina; neque crudeles, & impias à facibus, atque incendio cohibeant. 50.

Fac conclusionem.] Heb. pro *conclusione* est הרתיק, quod Hebræi *catenam* vertunt, & Hispanica translatio: Septuaginta φυρμὸν, quod Hieronymus *perturbationem* reddit, alij, *iniquitatem.* Theodotio, & Symmachus καθήλωσιν, quod confixionem valet. Aquila, quem secutus est Hieronymus, *conclusionem.* quam vocem sic interpretatur Hieronymus ipse, vt breui quadam verborum conclusione, seu complexione summam quandam compre-
D hendat eorum, quæ à diuino furore impendent infortunia. Neque fortasse aliud significat *catena*, quæ conclusio etiam vocari potest non incongruè; quia catena multa secum conuoluit, & continet; & eos, qui laxi sunt, & vagi, concludit, & astringit: quæ verò sit illa siue conclusio, seu catena, statim declarat. 51.

Quoniam terra plena est iudicio sanguinum: & ciuitas plena iniquitate.] Sanguis in Scriptura ea significat, quæ a sanguine, & carne delicta nascuntur; sed præcipuè quæ iram, & crudelitatem sonant, & illam intemperantiam, quæ est a libidine. Quare in sanguinibus idem significari censeo, quod statim in *iniquitate.* Idem ego antè docue-
E ram ad illud Isaiæ 1. *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Ita Gregorius lib. 13. Mor. cap. 10. vnde fit, vt peccator vir sanguinum appelletur, Psal. 5. & eodem sensu Psal. 50. dicitur, *libera me de sanguinibus.* & in hunc sensum accipit Hieronymus, & Gregorius suprà, & homil. 11. in Ezechielem. cum Chaldæo illud Oseæ c. 4. *Sanguis sanguinem tetigit.* Neque aliud fortasse voluit Zacharias cap. 9. cùm dixit, *Auferam sanguinem eius de ore eius: & abominationem eius de medio dentium eius.* Quando ergo constat in sanguinibus significari peccata, planè optima conclusio, seu complexio est eorum, quæ patietur infelix ille populus. Si dicas in illa futurum sanguinum iudicium, id est, iudicanda tandem esse, & punienda peccata. 52.

Sanguis pro peccato.

Quod

Quòd si *iniquitas*, quod fit non rarò, pro supplicio sumatur, sensus est perquam aptus, quique breui malorum omnium summam ostendit. Quia nempe ciuitas plena peccatis est, quæ iudicabit, & castigabit Deus; erit etiam plena iniquitate, seu supplicio, quod tot sceleribus iustus imponet Deus.

53. *Et adducam pessimos de Gentibus, & possidebunt domos eorum.*] Explicatio est indicati, condemnatique sanguinis, & supplicij de Gente peccatrice sumpti. Adducet quippe Deus omnium gentium pessimos, crudelissimos nempe, & barbaros, quos neque exsatures sanguine, neque muneribus, ac lacrymis ad misericordiam inflectas. Hi verò in alienas prorumpent domos, quas occupabunt, & quicquid in ipsis fuerit ornamentorum, auferent, efficient tandem, vt deprimantur, atque sternantur illi, quibus opes, & tituli animos insolenter inflabant; qui neque à templo manus continebunt, quod in suam sibi redigent potestatem. Vocat autem Sanctuaria in numero multitudinis, cùm vnum sit templum; quia in eo pro variis vsibus, ac Gentibus, variæ sunt partes, quarum quælibet aut templum, aut Sanctuarium vocari potuit. Certè vocari partes illas *Sancta*, ex eo quilibet facile intelliget; quia pars maximè arcana, *Sancta Sanctorum* dicitur; quia sanctorum omnium sanctissimum est.

54. Hic obseruandum quod suprà diximus cap. 3. ad illud, *Ad filios populi tui*, quæ Deus iam abiecit, etiamsi ab ipso ante dilecta, & in amore habita, non appellare *sua*, sed aliorum. quomodo peccatorem & rebellem populum non dicit suum, vt loco modò citato ex Ezechiele. vbi *filios populi tui* dicit, non filios populi mei. Sic solennitates, & neomenias, & sabbata non vocat mea, sed *vestra*, Isai. c. 1. Sic modò non vocat sanctuaria mea, sed sanctuaria *eorum*.

REGVLA. *Quæ Deus abiicit, non solet appellare sua.*

55. *Angustia superueniente, quærent pacem.*] Cùm adsit illa afflictio, quæ tempus afferet extremum vrbi; sæpe prædictum à veris Prophetis, sæpe negatum à falsis; qui pro bello, ac clade pacem promittebant, & otium; pacem quærent, quam à fallaci pseudoprophetarum ore sæpius audierant; neque illam aspicient. optabunt eam, impensóque pretio comparare volent, neque tamen ab hoste ad cædem anhelante consequentur. Aut certè quærent, id est, abesse videbunt pacem illam, quam delusi fallacibus promissis, adesse cogitabant, neque vnquam stante Salomonis templo defuturam. Hæc propè eadem Ieremias cap. 14. v. 19. *Expectauimus pacem, & non est bonum: & tempus curationis, & ecce turbatio.*

56. *Conturbatio super conturbationem veniet; & auditus super auditum.*] Hoc dicendi modo grauia, eaque sibi cohærentia mala significantur; qui etiam externis familiaris est, qui sæpe queruntur hac verborum figura nullum esse tempus à labore vacuum. Sic Homerus Iliad. ϖ. κακὸν κακῷ ἐπέρχεται. & Seneca in Hercule furente,

Mala sibi cohærentia.

Nulla lux vnquam mihi
Secura fulsit: finis alterius mali
Gradus est futuri.

Conturbatio conturbationi aduentura dicitur, vel quia aliud ex alio malo gignitur; aut quia nouæ succrescunt dolendi causæ, quales sunt aut fames, & pestis, quæ rarò abesse solent ab obsidione, & bello, aut peccata noua, quæ sæpius diuinam acuunt iracundiam. In *auditu*, qui super auditum futurus dicitur, aut prophetia noua est, quæ noua quotidie infortunia denunciat: nam hæc auditio, seu auditus vocatur; aut nuncius nouus, qui aliud, atque aliud detrimentum accepisse rem Iudaicam, aut illi proximè impendere significat. Ex instituto namque Iudæorum in summis montium fastigiis speculatores statuebantur, qui si quid aduersum imminere vrbibus, aut voce si id commodè possent, aut aliqua significatione declararent. Eodem pene orationis genere Chaldæorum conturbationem, & stragem expressit Ieremias cap. 50. *Veniet in anno auditio, & post hunc annum auditio.* Vbi noster *conturbatio super conturbationem*, Septuaginta reddunt eodem sensu, *væ super væ*.

Et quærent visionem de Propheta, & lex peribit à Sacerdote, & consilium à senioribus.] In grauibus malis aliquod solatij genus est, habere à quo consilium petas, & quid in rerum statu reipublicæ turbulento facto opus sit. At nihil horum aderit, cùm illa Hierosolymæ tempestas ingruerit. Quærent tunc visionem à Prophetis, sed nihil audient ab illis (si modò veri sint) nisi horribile; neque in senioribus vllum erit consilium opportunum, neque in Sacerdotibus vlla legis sana, veraque cognitio. Quare in tenebris agent, quo tempore, rectore, ac luce opus erat maximè. Idem antè docuerat Isaias cap. 3. *Ecce dominator Dominus auferet à Ierusalem, & à Iuda iudicem, & Prophetam, & ariolum, & senem.* Et cap. 28. *Sacerdos, & Propheta nescierunt.* Quid sit legem, & consilium perire ab illo, explicuimus Ierem. cap. 18. quod nihil est aliud, quàm non inuenire consilium, aut legis intelligentiam; quomodo etiam dicitur Psalmo 141. *periit fuga à me.* id est, non est effugiendi spes, aut facultas. Hæc omnia sibi non defutura prædicabat populus, dicebatque apud Ieremiam cap. 18. *Non peribit lex à sacerdote, neque consilium à sapiente, nec sermo à Propheta.* 57.

Rex lugebit, &c. & manus populi terræ conturbabuntur.] Hoc rerum fert natura, vt commoto capite, atque conturbato, cætera etiam concutiantur membra. Mœrente itaque Rege, atque exanimato, consequens est, vt conturbetur populus, & langueat, & ad omne bellicum opus torpescant, & dissoluantur manus. Sic Matthæi c. 2. turbato Herode, tota quoque cum eo Hierosolyma turbata est: & non multo antè commoto Achaz, totus etiam populus turbabatur. Isai. c. 7. *Populus terræ*, pro multitudine sumitur ignobili, & vulgo promiscuo, & ideo post Reges, & Principes, aut eos, qui sublimi in loco, aut nomine sunt, populus terræ frequenter ponitur, quo significatur neminem esse, qui à communi aliquo euentu, aut sorte excipiatur. Aggæi cap. 2. *Confortare Zorobabel, dicit Dominus, & confortare Iesu fili Iosedech, Sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ.* Ierem. cap. 44. *Reges vestri, & Principes vestri, & populus terræ.* Hæc de capite septimo. 58.

Populus terræ pro multitudine.

IN

IN CAPVT OCTAVVM.

ARGVMENTVM.

OFFERT se iterum Prophetæ species illa diuinæ gloriæ, quam antea viderat. Et ex electrina specie extensa manus illum à cincinno capitis apprehensum, sublimémque in spiritu deduxit Hierosolymam, vbi in templo horribilia vidit patrari scelera, ab his, quorum vita quàm longissimè abesse debuit à crimine. Quæ pluribus explicat, & per quosdam quasi gradus attollit Propheta. Ad extremum docet non iam ampliùs in vesanum illud, atque inuerecundum hominum genus, agendum esse mitiùs.

CAPVT VIII.

1. ET factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis; ego sedebam in domo mea, & senes Iuda sedebant coram me, & cecidit ibi super me manus Domini Dei.

2. Et vidi, & ecce similitudo quasi aspectus ignis: ab aspectu lumborum eius, & deorsum, ignis: & à lumbis eius, & sursum, quasi aspectus splendoris, vt visio electri.

3. Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: & eleuauit me spiritus inter terram & cælum: & adduxit me in Ierusalem in visione Dei, iuxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem, vbi erat statutum idolum zeli ad prouocandam æmulationem.

4. Et ecce ibi gloria Dei Israel, secundùm visionem quam videram in campo.

5. Et dixit ad me: Fili hominis, leua oculos tuos ad viam Aquilonis. Et leuaui oculos meos ad viam Aquilonis: & ecce ab Aquilone porta altaris idolum zeli in ipso introitu.

6. Et dixit ad me: Fili hominis, putásne, vides tu quid isti faciunt, abominationes magnas, quas domus Israel facit hîc, vt procul recedam à sanctuario meo; & adhuc conuersus videbis abominationes maiores.

7. Et introduxit me ad ostium atrij: & vidi, & ecce foramen vnum in pariete.

PARAPHRASIS.

A 1. ANno sexto à transmigratione Ioachim, mense sexto, die quinta, vno anno, & duobus mensibus post visionem primam; cùm domi meæ sederem, & ibi mecum senes, qui præcipuo erant loco in illo captiuorum cœtu, irruit in me Spiritus Domini.

2. Et ecce oblata mihi fuit species, quasi ignis, cuius pars illa, quæ à lumbis ad pedes vsque porrigitur, ignis tantùm referebat imaginem: ex parte autem illa, quæ à lumbis attollebatur ad verticem, splendor emicabat tanquam ex electro.

B 3. Ex ea autem electrina similitudine extenta est ad me quædam quasi manus, quæ me ex cincinno capitis apprehensum, & à spiritu sublimem per aërem eleuatum deduxit Hierosolymam; vt ibi spectarem species, quæ mihi obiicerentur à Domino. Deduxit autem ad ostium interioris atrij, quod ad Aquilonarem plagam pertinebat vbi constitutum erat zeli simulacrum, quod zelum prouocabat, & inflammabat iram.

C 4. Tunc autem apparuit mihi species quædam gloriæ Dei Israel, qualis mihi oblata fuerat priùs in campo.

5. Et dixit ad me: Fili hominis, in Aquilonarem viam intuere; cuius ego voci statim obsecutus ad regionem illam oculos conuerti; & statim in ipso portæ Aquilonaris ingressu altare sese oculis obiecit, in quo zeli visebatur idolum.

D 6. Rursus ad me Dominus: Vidésne, ô fili hominis, quàm nefariis hi sese contaminent flagitiis (aderant tunc quidem sacrificantes Idolo) qui dum his vacant impurissimis sacris, id efficiunt, vt templum amittant, à quo Gentilium manibus excludentur. Magna quidem hæc, & planè nefaria; sed rursus videbis longè maiora.

7. Inde ad ostium interius, quod in suum atrium Sacerdotes admittit, dedu-

8. Et ctus

8. Et dixit ad me: Fili hominis fode parietem. Et cùm fodissem parietem, apparuit ostium vnum.

9. Et dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.

10. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium & animalium, abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete in circuitu per totum.

11. Et septuaginta viri de senioribus domus Israël, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum, stantium ante picturas: & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua: & vapor nebulæ de thure consurgebat.

12. Et dixit ad me: Certè vides fili hominis quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubiculi sui: dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.

13. Et dixit ad me: Adhuc conuersus videbis abominationes maiores, quas isti faciunt.

14. Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.

15. Et dixit ad me: Certè vidisti fili hominis: adhuc conuersus videbis abominationes maiores his.

16. Et introduxit me in atrium domus Domini interius: & ecce in ostio tẽpli Domini inter vestibulum & altare, quasi vigintiquinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem: & adorabant ad ortum Solis.

17. Et dixit ad me: Certè vidisti fili hominis; numquid leue est hoc domui Iuda, vt facerent abominationes istas, quas fecerunt hic: quia replentes terram iniquitate conuersi sunt ad irritandum me? & ecce applicant ramum ad nares suas.

A ctus sum; & ibi primùm occurrit perforatus paries.

8. Dixit autem ad me Dominus, vt perfoderem parietem, & latam in eo fenestram aperirem: perfosso autem pariete, ostium mihi vnum statim apparuit.

9. Et iterum ad me: Ingredere, ac vide, quia hi execrandis studiis operam impendunt.

10. Cúmque in latebras illas essem ingressus, apparuerunt in toto parietis ambitu depictæ reptilium, & aliorum animalium execrabiles formæ: vniuersa deni- B que idola, quæ coluit domus Israël.

11. Et ibi septuaginta viri, ex his qui primo erant, & magis venerabili loco; ex senioribus, videlicet Israël, qui supplices stabant ante illa monstrosa signa, cum thuribulis, ex quibus in nebulæ similitudinem, densus erumpebat fumus. In quorum medio, tanquam antistes erat Iezonias filius Saphan.

12. Tunc rursus ad me Deus: Vidisti ô fili hominis, quæ isti in secessu, ac tene- C bris operantur mala; ex his conie̡cta quæ domi in latebris occultè moliuntur; cùm eò sese proiecerunt væsaniæ, vt sibi persuaserint abscessisse Dominum de loco illo, & quæ ipsi parietibus texissent, & tenebris, diuinis oculis aspectabilia non esse.

13. Adiecit autem Deus: Maiora adhuc supersunt peccata; aliquid videndum superest magis abominabile.

14. Sub hæc introduxit me per ostium Aquilonare domus Domini; & ecce mu- D lieres lugubri habitu, & ferali planctu parentabant Adonidi.

15. Et dixit ad me rursus: Vidisti, ô fili hominis, quò sese proiecerit inuerecunda impietas; sed est adhuc grandius, ac magis execrabile flagitium.

16. Tunc verò introduxit me ad interiorem partem atrij domus Domini; & ecce in penitioris domus ingressu inter vestibulum, & altare, in quo cremari odoramenta solent, erant quasi vigintiquinque viri, qui conuersis ad orientem solem E oculis, dorsum ad oraculum obuertebant, quasi nihili facerent Deum, cuius eo in loco sedes, & maiestas.

17. Et dixit iterum ad me: Vidisti, fili hominis, horum hominum opus, & studium. Numquid leue putas domui Iuda, quod abominãda isthæc flagitia patrauerit; & cùm terram vniuersam scelerum suorum turpitudine compleuerit; ad extremum eò eruperit morum impudentia, vt hac me impietate ad iracundiam prouocet? Ecce quomodo ramos, qui nefaria

A faria sacra, aut impura simulacra contigerunt, ad nares referunt, vt ex illis aliquid, quod ex illo abominabili contactu contraxerunt, odorentur.

18. *Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miserebor: & cùm clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.*

18. Animaduertam igitur in illos, irrogatæ huius iniuriæ vltor, & vindex: neque oculos intendam in illos placatos, & mites; neque vlla me vnquam miseratio tanget; neque illorum clamorem quantumcumque contentum, & acutum ad animum admittam, imò neque ad aures.

Vers. 1. *In anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis.*]

1. ANNVS hic, vt principio diximus, sumitur à transmigratione Iechoniæ, sicut etiam annorum numerus, qui aliis locis, apud hunc Prophetam sæpius occurrit. Intercessit autem à prima visione, quæ fuit ad fluuium Chobar, ad eam, in quam nostra nunc incumbit commentatio, annus vnus, & duo menses, nisi fortè contigerit annum illum intercalarem esse, id est, habere terdecim menses, quod fiebat sæpè apud Hebræos necessariò. erunt dies à prima visione ad hanc, dies 412. vel si annus sit intercalaris, 431. plus minùs. Mitto rationes aliorum in computandis diebus magis subtiles, quia parum ad nostrum institutum necessarias puto. Illud magis ad rem, an quo tempore hæc species oblata fuit Prophetæ, in latus dextrum, an sinistrum incubuerit; vel illo iam incubitu absoluto, ex quo etiam dependet, an reuera in capitis cincinno translatus Propheta fuerit in Ierusalem; an verò transitus illius species tantùm fuerit oblata.

2. Si constaret quo anno, ac mense decumbere Propheta iussus est, non esset nobis in hac quæstione diu laborandum; facile enim constare potuisset quando 430. dies hieroglyphici somnii complerentur; sed nihil habemus certum. Mihi verisimilius est, decubuisse Prophetam non paucis pòst diebus, quàm à Domino illustratus, & quasi initiatus est prophetica visione. Nam quæ dicta sunt ad hunc vsque locum, quæ sanè pauca non sunt; longè post visionem primam videntur oblata. Hoc verò iudicare videntur senes Iuda, id est, qui ex captiuorum numero præcipuo erant in loco, neque enim illi ad hominis tenuis, atque humilis domicilium venissent, si domo possent abducere, & in suum accersere conuentum. Cùm autem illum viderent tamdiu in alterum latus incumbentem, cum latere, aut tabula in qua descriptus erat Iudæorum status; agentemque vitam austeram, & sordidam; quod non temerè, aut casu fieri sibi persuaserant; ad Prophetam accedunt, illique assident, rogaturi nempe, quid rerum inusitatus ille victus, atque somnus portendat.

3. *Et cecidit ibi super me manus Domini.*] Manum sumi pro spiritu prophetico, neque nouum, neque obscurum est. & satis explicant illa omnia, quæ succedunt, in quibus insignis quædam apparet illustratio eorum, quæ humana, non posset assequi cognitio. Aptè verò species hæc obiicitur Prophetæ, quo tempore senes, in quibus plus inerat consilij, & qui totius populi

B hortatu fortasse venerant, vt sciscitarentur, cur tam graue populi reliquiis impenderet exitium, de quo proximè. Ostenditur enim peccatorum multitudo, & grauitas, & animus electæ quondam Gentis in omnem inuerecundiam, & væsaniam proiectus. Quare mirandum videbatur potiùs, cur tamdiu expectati, quàm, quòd tam fuerint mulctati seuerè.

Et ecce similitudo quasi aspectus ignis: & ab aspectu lumborum, & deorsum ignis.] Hæc à nobis satis, vt opinor, explicata sunt cap. 1. quare non est cur hîc eadem iteratò replicentur. Vt enim diximus eo loco, quæ ibi à nobis fusiùs exposita, aliorum locorum explicationi seruient. 4.

C *Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno.*] Quia res agebatur obscurè, résque tota in ignea illa spectabatur specie, non poterat secernere Propheta, distinctéque cognoscere veras rerum imagines, atque ideo capite primo, vbi de his rerum spectris locutus est, semper addit *quasi, tanquam*, & similia; quasi de vera forma dubitaret. Sic ergo, quia eadem nunc occurrit species, obscura nimirum, & non adeò expressa, non dicit emissam esse manum ab homine electrino, sed manus similitudinem; vel quia quicquid illud erat, humanæ manus referebat formam; vel quia manus habebat familiarem D vsum, nempe apprehendere, tenere, suspendere. Quomodo manus appellatur ferrea, quæ à nauiculariis in aliam iniicitur nauim, vt illam apprehendat, & teneat; & in vitibus, & elephantibus manus dicitur id, quod arripit, ac tenet quod habet obitium. 5.

Manus varia significatio.

In cincinno capitis.] Simile aliquid legis Daniel. cap. 14. vbi Habacuc in capillo capitis idem spacium confecisse traditur, è Iudæa videlicet in Babylonem. Hic multi de traductionis modo multa; ego primùm ingenuæ, ac veræ obedientiæ typum intueor, cùm video in capitis cincinno, re nimirum tenuissima versari hominem, ac trahi ad alterius siue arbitrium, siue nutum. E Sanè id Seneca laudat in equo, cuius ingenuam commendat naturam quòd non illum, qui eo vehitur, virga solum tenui, sed etiam virgæ vmbra moderatur. Sic Propheta qui durum Dei imperium subierat, pastus cibo planè sordido, & insipido, & tot dies in alterum incubuerat latus; nunc eadé facilitate per longa terrarum spatia in capitis cincinno traducitur. Rob. Dauid quod nó improbat Maldonatus, in Ezechiele tractoper capillos adúbrari putat captiuorú statú, & vile ministeriú, de quo sæpè, ac lógè noster Propheta. Solét náque captiui, in sexu præsertim fœ- ... [illegible] ... nco, 6.

Obedienti facilis & docilis.

A capillis trahi miseri solent.

mineo, ab insolenti victore trahi à crinibus, & eò agi, quocumque suadeat, aut ferat libido. Ex Scriptura nullum in præsentia occurrit exemplum: ex profanis occurrunt multa, tu pauca hæc accipe. Virgilius 2. Æneid.

Ecce trahebatur passis Priameia virgo
Crinibus.

Ex Euripide duo habes exempla, alterum Andromaches captiuæ, quæ ita de se loquitur,

Ipsa verò serua in naues Græcorum conscendi
Per crines tracta.

Alterum Helenes, de qua sic Menelaus,

Exportate illam impurissimam
Comâ trahentes.

7. Quæ explicatio neque mihi displicet: placeret multo magis, si hoc non esset potius spectrum vni propositum Ezechieli, quam vera traductio; aut si speciem illam senes, qui ante decumbentem Prophetam consederant, etiam aspexissent. Actio enim illa hieroglyphica, satis ostendebat & diuinum furorem, & extremam populi fortunam. Quare potiùs existimo hæc intelligenda, aut de Prophetæ obedientia, cui satis fuit leuissima voluntatis diuinæ significatio: aut de diuina potentia, cui ad ardua rerum molimina, neque magnus necessarius est conatus, neque rebus administrandis accommodatum instrumentum. Neque difficiliori negotio postea populum aut è Hierosolyma captiuum abegit in Babylonem; aut iterum definito tempore, è Babylone libertati, patriæque restituit.

8. *Et eleuauit me spiritus inter terram, & cœlum.*] His verbis motus indicatur, qualis in pennatis animalibus esse solet; quæ tranant aëra, & volucri volatu immensa conficiunt spatia. non minori velocitate ferri se putabat Propheta à spiritu, & à manu illa, quam vir ille electrinus tetendit.

9. *Adduxit me in Ierusalem in visione Dei.*] Non dubium quin hæc in imaginaria quadam visione contigerint. quia & ipse Propheta non obscurè dicit, absoluta iam narratione cap. 11. in fine. vbi cùm dixisset reductum se fuisse à spiritu in Babylonem in visione, addidit, *Et sublata est à me visio, quam videram*; quod nihil videtur esse aliud, quàm disparuisse visionem, aut euanuisse. Item quia non videntur talia fuisse in templo, eorum saltem aliquo, qualia hîc narrantur à Propheta, nisi figuratè, quo sensu explicabuntur postea, vt est illud quòd Propheta perfoderit parietem, quòd Tau nonnullorum frontibus inscriptum, quòd denique viderit rursus animalia, & rotas tam in templo, quàm extra. Quæ omnia speciem indicant, & rerum imaginem, non rem ipsam; & rerum euentus, & illarum causas in apta quadam similitudine proponi.

10. *In visione Dei.*] Visio vocatur Dei, vel quia oblata fuit à Deo; de quo non dubitabat Propheta; vel quia magna, atque arcana consilia repræsentabat. quæ enim eiusmodi sunt, Dei esse dicuntur, vt *montes Dei, cedri Dei.* Vbi noster *in visione*, Heb. est במראות *be marhoth*, in numero plurali. Et ita alij fermè omnes transferunt *in visionibus*, quomodo etiam vulgatus transtulit cap. 40. v. 2. cùm iterum in spiritu traductus est in Ierusalem. Ex qua lectione non videbatur ab historia, aut à re Grammatica alienum, si quis diceret traductum esse Prophetam in spiritu Hierosolymam vt ibi visiones Dei videret; oblatas videlicet à Domino; quia reuera visiones ibi oblatæ multiplices fuerunt, quas ad caput vsque duodecimum persequitur, neque præpositio *in*, pro qua Heb. ב, huic explicationi quicquam incommodat. nam, vt Hebraici sermonis periti non ignorant, ב, non minus habitudinem quandam ad motũ, quàm ad quietem importat. Duo accipe exempla, tu plura inuenies. Leuit. cap. 16. *Mittet hircum in desertum.* Heb. במדבר *bamidbar.* Gen. 26. *Manus eius contra omnes.* Heb. בכול *bacol. & manus omnium contra eum.* Heb. בו *bo.* Hæc mihi satis videbantur in textum, & historiam quadrare, sed à vulgati lectione, & sententia communi non recedo.

Iuxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem.] Varia erant in templo atria, quæ Sacerdotes à reliqua multitudine secernerent; in quibus 11.
necesse erat intercederent muri, qui pro diuersis statibus diuersas etiam stationes definirent; in his verò portas esse, quæ ad suam quemque sedem admitterent, ratio ipsa sacræ, communísque domus exigere videtur. Non hîc disputo, neque admodum laboro de templi fabrica, aliisque rebus minutioribus, quas artis tectonicæ magistri accuratiùs explorant: quia neque id assequar, vt maximè studeam, sicut alij fortasse consecuti non sunt; neque in re video magnum operæpretium: dicam tamen plura suo loco, id est, à capite 40. vbi de Templi fabrica pluribus Propheta. In his ergo muris, quibus alij discluduntur ab aliis, ostia erant, quorum illa pars, quæ ad atrium sæculare, aut plebeiam multitudinem pertineret, dicebatur exterior; illa verò, quæ atria spectarent sacratiora, vbi Sacerdotes sacra solebant obire ministeria, interior vocabatur. Deductus ergo fuit Propheta in spiritu ad interiorem partem ostij, quod respiciebat ad Aquilonem; ad illum nempe locum, quem sibi Israëlitæ vendicarent, qui medius erat inter Sacerdotum, atque Gentilium atrium; vnde spectari posset sacratior, & magis arcana religio. Non sum nescius ostia posse alia ratione dici interiora, cùm enim ad Aquilonem tria spectarent ostia, sicut ad regiones alias, vnum vocari poterat exterius, quod nempe Gentes ad suum atrium admittebat; alia quæ admittebant Israëlitas, & Sacerdotes ad suum quosque atrium, interiora; de quibus non abs re fortasse explicari poterat hic locus. sed multa nobis persuadent, vt priorem explicationem amplectamur, putemúsque de interiori parte claustri Israëlitici esse sermonem.

Vbi erat statutum idolum Zeli ad prouocandam æmulationem.] Eò deductus est Propheta vbi locatum fuerat idolum zeli, ad partem nempe interiorem ostij sacerdotalis atrij. An locatum idolum fuerit in columna, aut basi aliqua, an in altari, non constat; in altari credo, quia statim v. 5. ostium, quod hîc appellatur interius, dicitur ostium, seu porta altaris zeli. An verò zelus sit idoli alicuius nomen, seu ab effectu sic appellatus fuerit, quia Deum prouocauit ad æmulationem; sicut adulter violato toro maritum zelotypum instimulat, & vrit, incertum est. Hoc posterius mihi magis apparet verisimile; quia nullum apud Gentiles Deum esse video, qui vocetur zelus, aut qui zelo, quocumque accipias modo, respondeat. Sed omnes idola zeli vocari possunt, quia zelotypi sponsi excruciant animum, dum nuptialem torum alienis conculcant pedibus, & à legitimo complexu sponsam abducunt. 12.

Zeli idolum quid.

Nihilominus puto idolum istud fuisse Baal, 13.
quod cum Hieronymo alij quoque plurimi sen-

tiunt interpretes: neque deest aliqua coniectura, quia pro eo, quod vulgatus reddidit, ad prouocandum æmulationem, Heb. est מקנה *mikneh*, quod, vt verterunt Septuaginta, *possidentem* valet. Cùm autem *possidens*, & *dominus* idem sint; & בעל *baal, dominum* significat, planè fit verisimile idolum zeli fuisse Baal. Sed obstrepet nonnemo, dicétque non constare in templo locatam esse imaginem Baal: nam vt locata fuerit tempore Manasse, at illa si qua fuit, & aliæ idolorum imagines, illæ omnes sublatæ sunt de templo, & ignominiose contritæ ab ipsius nepote Iosia; quare de his non possunt intelligi, quæ hoc loco, in visione oblata dicuntur esse Prophetæ.

Baal, idem quod Dominus.

14. Sed est quid huic obiectioni respondeam. Primùm certum est Manassem aras excitasse tum aliorum Deorum, tum etiam Baal, in excelsis, & montibus, vt constat ex libro 4. Reg. c.21. v.3. *Conuersúsque est* (Manasses) *& ædificauit excelsa, quæ dissipauerat Ezechias pater eius, & erexit aras Baal, & fecit lucos, sicut fecerat Achab Rex Israel, & adorauit omnem militiam cœli, & coluit eam; extruxitque aras in domo Domini, &c. & extruxit altaria vniuersæ militiæ cœli in duobus atriis templi Domini.* Ex quibus verbis infertur non difficilè, easdem aras excitatas in templo; quæ expresse dicuntur in excelsis erectæ; in quibus, vt vides, idolum fuit Baal. Et facit huc quod 4. lib. Reg. c.23. v.14. præceptum esse dicitur à Iosia, vt de téplo Domini exportarentur vasa, quæ facta fuerant Baal, quæ sanè non essent in téplo, nisi in templo quoque foret ara, atque simulacrum Baal, ad cuius cultú illa vasa comparata fuerant. Adde deinde fecisse Iosiæ posteros longè à paterna sanctitate degeneres, idem omnino, quod fecit Manasses: nam vt hic, quæ confregerat, dissiparátque, pater Ezechias in eadem loca, atque in eadem sacraria restituit; sic quæ ex templo postea, lucísque sustulerat Iosias, excitarunt omnia scelerati filij. Illa verò fuerunt quæ nos suprà instaurata diximus à Manasse. De Ioacim habes 4. Reg. c.23. v.37. *Fecit malum coram Domino iuxta omnia, quæ fecerant patres eius.* De Iechonia ibid. c.24. v.9. *Fecit malum coram Domino iuxta ea, quæ fecerat pater eius.* De Sedecia ibid. v.19. *Fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ioacim.* ex quibus colligere mihi videor idolum Baal positum esse in templo, in atrio nimirum secundo, quod dicitur filiorum Israël, ad ostium interius.

Baal, ara in templo.

15. Sed facit contra hanc explicationem, quod vulgatus, neque meminit Baal, & illud, *possidentis*, quod nos in illam cogitationem induxerat, aliter conuertit, nempe *ad æmulationem prouocantis*. Respondeo ideo nobis id tantùm indicatum esse probabile; neque leuem sumi coniecturam ab Hebraica voce מקנה, maximè vbi multorum in eam sententiam accedit auctoritas. Nunc videamus quomodo in voce illa Hebraica aliquid inuenerit noster interpres, quod zelum sonet, aut æmulationem; cùm verbum קנה *kanah*, magis possessionem significat, quàm id, quod ad æmulationem, & zelum vllo modo pertineat. Maxima vicinitas est inter קנה, quod possidere, & קנא, quod zelare, aut æmulari valet. quare facile vnius tantùm literæ mutatione, vox vna potuit adhiberi pro altera. Neque est improbabile alios codices correctos vtique magis habuisse vulgatum, quàm illi, qui aliter vocem illam Hebraicam conuerterunt. Sed etiamsi eosdem habuisse dicamus codices vulgatum interpretem, quos nunc habemus in Hebraico textu; ideo male vertisse existimandus est. Nam, vt satis norunt, qui Hebraicæ linguæ sunt non omnino rudes, duæ istæ literæ א, & ה, sunt vicissim permutabiles; & facilè vna alterius loco ponitur. Vide Pagninum lib.1. Instit. cap.26. Quæ translatio maximè accommodata est ad vsitatam Scripturæ sacræ allegoriam, quæ sponsum appellat Deum, cúmque zelotem, seu zelotypum vocat. Quare fert grauissimè ab infideli sponsa proditam esse fidem coniugalem, & legitimum thalamum prostitutum adultero. Cùm auté idololatria spiritualis fornicatio, seu adulterium sit, dum in sponsi thalamo, id est, in templo locatum esse dicitur idolum, prouocatus quoque dicitur Deus ad æmulationem, quod perinde est, ac si dicas instimulatum esse zelum. Eodem ferme dicendi genere vsus fuit Dominus Deuter.32. *Ipsi me prouocauerunt* (nempe ad zelum) *in eo, qui non erat Deus.* nempe, dum spreto me deos asciscunt alienos, illisque fidem quasi coniugalem astringunt.

Et ecce ibi gloria Dei Israel.] In atrio nempe secundo, quod dicitur atrium Israël. Ibi iterum aspexit visionem, quam in principio viderat ad fluuium Chobar; de qua nihil hìc nobis dicendum est, quia de illa satis multa cap.1. 16.

Leua oculos tuos ad viam Aquilonis.] Hinc constat iam ad interius atrium ingressum esse Prophetam; id est, ad interiorem ostij partem, quando conuerti iubetur ab Aquilonem, vt idolum, quod erat in atrio secundo, iuxta portam inspiceret; quod necessarium non esset, si in exteriore portæ parte constitisset. Ad viam igitur Aquilonis vnde veniat conuertitur: & statim videt in ipso introitu idolum zeli, id est, iuxta illa, quæ proximè diximus, idolum Baal. 17.

Ab Aquilone porta altaris idolum, &c.] Dicebatur iam, vt credo, Aquilonaris illa porta atrij secundi, *porta altaris*, quia ibi altare excitatum fuerat zelo à Manasse priùs, deinde à filiis Iosiæ instauratum. Colebatur autem, vt est verisimile, maiori studio idolum zeli. i. Baal, quia idolum illud Chaldæis in magna erat veneratione, quorum tunc imperio suberant Iudæi. Neque enim video, cur ab antiqua religione, & descriptione templi porta illa vocari potuerit altaris, cùm nullum ibi à lege, seu consuetudine excitatum fuerit altare. 18.

Putásne, vides tu quid isti faciunt abominationes magnas?] Aderant opinor Israëlitarum aliqui, qui stati ante aram illam execrabilem idolo zeli supplicabant; quod religionis impiæ nefarium genus, abominationes magnas appellat. Porrò illud, *putas ne vides?* Hebraismus est, neque aliud tibi vult, quàm *vidésne?* quomodo dixit Ieremias cap.23. *Putásne Deus è vicino ego.* id est, egóne Deus è vicino? & cap.37. *Putásne est sermo a Domino?* id est, sermóne est à Domino? Actor.8. *Putásne intelligis, quæ legis?* id est, intelligísne? Ion.4. *putásne bene irasceris tu?* id est, an bene tu irasceris, & similia passim. 19.

Vt procul recedam à sanctuario meo.] Illud *vt*, sicut aliis in locis sæpissimè, non habitudinem importat finalis causæ, sed consecutionem; non enim id agebant Iudæi, vt è templo Dominum expellerent, id tamen efficiunt, dum templum Gentilicis sordibus impleuere. 20.

Et adhuc conuersus videbis abominationes maiores.] Obstupuisse videtur Propheta, dum in Domini templo diuinos honores impendi videt 21.

impuro

impuro simulacro; cui Dominus iubet mirari vt desinat, cùm longè maiora videat in sacratiori loco flagitia patrari: fieri etenim solet, vt grauiorum aspectus, aut experientia, leuiorum sensum, & admirationem aut tollant, aut minuant, qualia sunt, quæ statim obiiciuntur à Deo. Illud *conuersus* per aduerbium *iterum*, aut *rursus* explicandum est, in hunc modum, *iterum videbis*, quod aliis huius loci, & in quibusdam verbis, de quibus in Commentariis Isaiæ cap.6. n. 45. qualia sunt *addo, adiicio, reuerto, conuerto. non adiiciet vt ignoscat*. id est, non agnoscet iterum. Iob 10. v.16. *Reuersus mirabiliter me crucias*, id est, iterum. Psal.70. v.21. *Conuersus consolatus est me*, id est, *iterum*, aut *rursus*. Psal.77. v.41. *Et conuersi sunt, & tentauerunt Deum.*

REGVLA. *Quædā verba per aduerbia explicanda*

22. *Et introduxit me ad ostium atrij, & vidi; & ecce foramen vnum in pariete.*] Ad interiorem partem, vt diximus, atrij secundi constiterat Propheta, ibique imaginem viderat zeli; iam verò ad atrium tertium progreditur, quod ad Sacerdotum vsum, ac ministeria pertinebat. Et primùm sistitur in ipso adhuc atrio Israël, ad exteriorem partem ostij, per quod in vlteriorem atrij partem, id est, in ipsum atrium sacerdotale aditus aperitur. Et ibi primùm occurrit perforatus paries, per quem spectari poterat quid clanculum in tenebris, locisque latentibus fieret. Equidem in atriis maximè sacerdotalibus exhedræ, gazophylacia, seu pastophoria erant, vbi conuenirent Sacerdotes, qualia fuerunt illa in quibus viri principes de Ieremiæ causa disceptarunt. Ierem.cap.36. quæ eius fuerunt magnitudinis, vt copiosum caperent hominum numerum. In aliquo horum fieri videbantur illa, de quibus nunc Propheta; quæ prius, quàm explicare aggredior, explorabo, an reuera hæc ita contigerint; vel hoc quasi hieroglyphico signo, aliquid turpe a prophano, sacroque ordine fieri significetur.

23. Communis est interpretum sensus cum Hieronymo, ac Theodoreto oblata fuisse Prophetæ quæ in templo partim apertè, partim etiam occultè fierent; vt inde cognosceret quid quisque domi, atque in secessu faceret. Nam si in templo à viris, & dignitate, & ministerio eximiis illa edebantur nefariæ religionis, & profligati omninò pudoris documenta, quid tentari, ac peragi credendum est ab alia ignobili, atque imperita multitudine, non in conuentu publico, sed in occulto, ac domestico secessu? Et fauet huic sententiæ, quia reuera sub hæc tempora fœda multorum idolorum proluuies in templo visebatur, vt sæpe audis tum in hoc Propheta, tum in Ierem.cap.32.v.34.

24. Mihi facilior visa est sententia Maldonati, qui hæc à templo remouet, & tantùm ea specie significari putat Iudæos externam captare religionis imaginem, de interna, ac vera religione non laborare. Id verò optimè significant illa occulta Gentilicæ religionis siue sacrificia, siue obsequia, quæ tegebant oppositi parietes, aut atriorum occlusa diuerticula. quod non obscurè indicat Deus ipse infrà vers.12. *Certè vidisti fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubilis sui; dicunt enim, non videt Dominus.* quasi dicat, talia domi faciunt secretò, qualia tu hîc spectas. Et ad hoc nonnulla coniectura sumitur, quia non videtur quomodo in tam lato pariete foramen esse, aut quem in vsum ab aliquo impunè paries ille sacer perforari potuerit. Deinde quia neque Prophetæ facile fuit parietem perfodere; ac sibi a Deo latum aperire aditum, vt per illum in conuentum illorum hominum se daret, vt coràm, quæ facerent, omnia propiùs aspiceret. Quod si symbola hæc esse dicamus eorum, quibus Iudæorum populus diuinum in se furorem prouocabat, expedita sunt omnia, & allegorica significatio non obscura. Significari etenim videtur externa sanctitatis species, cum interna improbitate, atque perfidia. Coràm etenim Iudæi, spectantibus aliis, ea edebant pietatis documenta, quæ nemo improbaret; at si introrsùs aspicias, scruterisque simulatam illam religionem, nihil deprehendes nisi meras nugas, & obductum fucum. Sed nil adeò obstruitur callidè, adeò artificiosè celatur, vt attentis, atque 25.
curiosis oculis non perspiciatur aliquando. Nam quemadmodum vbi latet ignis, fumus fit oportet, aut ex re combusta odor aliquis, qui prodat incendium; sic animus qui vultu, & opera, quæ inclusa parietibus teguntur, diu premi, aut dissimulari non possunt. neque absunt indicia, quæ nobis licet obscurè, per nebulam, vt aiunt, & caliginem, illa vocent e tenebris, & in hominum oculos producant. Hoc credo explicari à Propheta in parietis foramine: per parietem namque perforatum videre possumus, aut audire aliquid eorum, quæ interiùs dicuntur, aut fiunt: illud tamen pertenue est, atque exile; quod ad aures, seu ad oculos venit, quod tandem planè, atque perfectè cognoscitur: cùm non iam per foramen, aut rimas rem intuemur, sed rebus ipsis gerendis intersumus. Neque hic dicendi modus alienus est à Latinis, qui, cùm aliquid confusè, atque difficulter auditur, cognoscitúrve; illud per parietem audire dicunt specie prouerbiali. Apparebant ergo populi peccata, ita tamen vt illorum pars magna, magísque abominabilis celaretur. Hanc Deus ostendit Prophetæ perforato pariete, & in occultos illos impiorum hominum conuentus admisso, vt ipse referret aliis, quid rerum in vrbe, ac templo fieret, propter quod tam vrbs, quàm templum, ac ciues destinati iam essent, illa incendio, ac stragi; hi gladio, peste, atque exilio.

Quæ occultè fiunt foras erumpunt.

*Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, 26.
& animaliū abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete.*] Vetarat Dominus ne vlla essent inter Israëlitas simulacra, illi verò non in priuatis tantùm, sed etiam in publicis, atque sacratis locis illa defixerant, vt sæpius audiuimus. Illa ergo idola, quotquot à Gentibus accepere, depicta erant in abditis templi secessibus. Fuerunt autem plurima, quorum nomina occurrunt tum in libris Regum, tum in Prophetis multo frequentiùs. Baal, Moloch, Melchon, Chamos, Beelphegor, & alia plura, quorum in sacris libris mentio non infrequens. Sed neque abstinuerunt à sordidis etiam, & impuris animalibus, quæ nemo sine nausea videat, aut sine horrore tractet; qualia sunt reptilia, & animalia quæ respuebat, execrabatúrque Iudæorum religio: de quibus Isaias cap.2. *vt adorarent talpas, & vespertiliones.* Hæc verò sumpserunt ab Ægyptiis, apud quos nihil erat non diuinum: nam, vt acutè irridet Iuuenalis Satyra 15. dum de Ægyptiorum stulta superstitione loquitur,

Ægyptiorū Dy.

——— Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pauet saturam serpentibus ibim.

Effigies facri nitet aurea Cercopitheci.

Colit etiam felem, vt auctor est Strabo lib. 17. Plin. lib. 6. c. 29. Item illud scarabæorum genus, quod stercoratias pilas voluit, & fingit, vt idem tradit Plinius lib. 30. c. 11. Hæc ergo monstra sordida, atque inuisa in suis etiam sacris numerabat væsanus Iudæorum animus: quibus cum thure & victimis supplicare non erubuit.

28. *Et septuaginta viri de senioribus domus Israel, &c. & vnusquisque habebat thuribulum.*] Steterat adhuc Propheta in atrio secundo, per aditum tamen, quem sibi in pariete perfosso aperuerat, ingressus iam erat in exedram quandam, vbi descripta erant monstrosa illa simulacra, de quibus nuper. Hæc verò in atrio tertio erant, nempe sacerdotali, ad quod aditus ille perforatus fuerat. Id verò probant thuribula in seniorum manibus, quę non benè in alios, quàm in Sacerdotes conueniunt. Progreditur autem Propheta, & quo in magis arcana penetralia deducitur, eo maiora spectat abominationum monstra. Ad ostiu atrij secundo, quod in eo erat pariete, qui atriū Israelis ab atrio Gentilium diuidit, quique vtrique atrio communis est, idolum erat zeli; quod plebs promiscua, & rudis religiosè colebat. graue sanè peccatum, & execrandum; sed in alio pariete, qui ad eandem plagam Aquilonarem spectat, quique atrium Israelis, ab atrio sacerdotali secernit, aliquid apparet grauius: nam sacerdotes, quibus sui nominis glóriam commendarat Dominus, in atrio, quod proximè domum attingebat Domini, id est, partem illam templi, quæ vocatur *Sancta*, reptilibus illum impendebant honorem; quem vni Deo exhibere debuerunt. An verò ibi plenus fuerit septuaginta virorum numerus, dicemus infrà numero 40.

Grauiora peccata, quæ à persona sacra, aut in loco sacro fiunt.

29. *Certè vidisti fili hominis, quæ seniores Israel faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubiculi sui.*] Ex his ego suprà colligebam, hæc non tam in templo fieri, quàm in templo repræsentari Prophetæ speciem quandam illorum, quæ in domesticis latebris molirentur seniores Israël. neque enim hîc videre potuit quid quisque faceret in cubili suo; cùm vniuscuiusque cubilia longè abessent à templo. Nisi fortè cubilia esse putes, quæ erant in templo, in quibus diuersarentur Sacerdotes, dum templo seruirent, quæ aliter Gazophilacia dicuntur, vel pastophoria. Et quidem posterior hæc vox non malè exprimit vocem *cubilis*, significat enim thalamum, quod nomen ideo videtur habuisse locus ille, quia præcipuus illius cubiculi vsus ad thalamum, id est, ad quietem, atque ad somnum fuit. Tunc verò sensus esse posset, quòd in cubili, seu pastophorio fieri vides in occulto, & tenebris, idem Sacerdotes alij, dum suas obeunt vices, faciunt in suis quique cubilibus. Sed prior explicatio minus est impedita.

30. *Dicunt enim, non videt nos, dereliquit Dominus terram.*] Auget sceleris grauitatem ratio, qua sibi impunitum fore peccatum illud existimabant væsani illi impiæ religionis sacrificuli; quia opus sacrilegum illud, atque nefarium opus parietibus obstructum, & tenebris latere arbitrabantur diuinos oculos: idque eo sibi faciliùs persuaserant, quia deseruisse iam antiquam, & quasi stabilem sedem, & aliò inde longè commigrasse arbitrabantur. Quare neque timendam putabant illius offensionem, quia cùm abesset procul, vlcisci suas iniurias non valeret, & quia

A quid rerum in tenebris fieret, ignoraret, de puniendo scelere nō curaret. Hæc ratio quàm plurimos egit in stulta consilia; & in profundum peccatorum barathrum; dum caliginem cæcam diuinis oculis offundi putant. Vox hæc est impiorum. Eccli. 23. *Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, &c. delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* & Psal. 72. *Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso.* Iob 22. *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat: & circa cardines cœli perambulat.* Longè aliter pij, quique in omnibus Deum præsentem intuentur, vbique illum vident, vbique colunt, vbique metuunt, dicúntque illud Dauidicum Psal. 138. *Tenebræ nō*

B *obscurabuntur a te: & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* De hac re iterum Propheta cap. 9. v. 9. vide quæ diximus in nostris commentariis ad illud Isaiæ cap. 19. *& dicunt, quis videt nos?*

Peccator sua peccata diuinos oculos late reputat.

Deo nihil occultum.

31. *Introduxit me per ostium portæ domus Domini.*] Domus Domini dicebatur pars illa, quæ propriè dicebatur templum, quæ duabus partibus præcipuè constabat; ea nimirum quam *Sancta*, & illa quam *Sancta Sanctorum* nominabant; quæ prope atrium erat sacerdotale. Cùm ergo iam Propheta deorum illam obscœnam multitudinem vidisset, & collectam ex odorato fumo nebulam, ex ostio atrij ad ostium domus Domini progressus est; & ingressus partem illam, quæ

C *sancta* dicitur, quæ solis erat Sacerdotibus peruia, vbi aureum erat altare thymiamatis, spectauit ibi turpe, atque execrabile facinus.

32. *Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.*] Hoc grauissimum censebatur facinus, tum quia locus ille sacer non erat peruius, nisi Sacerdotibus; tunc verò fœminis apertus erat, & non minus quàm Sacerdotibus familiaris. Accedit, quòd, vt de illo, quòd Adonidi præstabant obsequio, coniectare licet, non erant admodum pudicæ; cùm in honorem Veneris illa essent à Gentibus instituta sacra. De Adonide quid fabulati Poëti fuerint, vide quid de Ado-

D niis, id est, de festis pro Adonidis immatura morte institutis, tradat Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 21. Lilius Giraldus, & quotquot de re mythologica disputarunt. In summa docent illum amasium fuisse Veneris, & occisum ab apro, à Venere fuisse instituta festa, in quibus in Veneris gratia venereæ, vt verisimile est, fœminæ Adonidi parentabant, lugebántque non secus, atque ipso mortis tempore fecisset Venus. Sanè id fuisse solenne in regionibus Palæstinæ proximis, tradit Macrobius suprà. vbi docet in libano monte effigiem esse Veneris plorantis Adonidem. De annuo festo, anniuersarióque fœminarum planctu sic Ouidius libro 11. Meta-

E morph. sub Veneris persona,

Adonis, quis.

Adonidi, instituta sacra.

——*Luctus monimenta manebunt*
Semper Adoni mei: repetitaque mortis imago
Annua plangoris peraget simulamina nostri.

33. Vbi noster *Adonidem*, Hebr. est תמוז *tamuz*, quod nomen tam Septuaginta, quàm Chaldæus intactum reliquerunt. quod nomen etiam est mensis quarti, qui apud nos est Iunius. Fortasse dictus est *Tamuz*, quia in eo Adonia, id est, Adonidis parentalia celebrari solita. sicut menses alij, à quibusdam sacris, siue festis nomen acceperunt: sicut Februarius apud Latinos à sacrificiis quibusdam lustralibus nominatus est, quæ Februa dicūtur, de quibus Ouidius, cùm de notatione huius mensis ageret, lib. 2. Fast.

Tamuz, Adonidem significat, item mensem Iunium.

Februa

A

Februa Romani dixere piamina Patres,
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.
Pontifices à Rege petunt, & Flamine lanas,
Queis veterum lingua Februa nomen erat.

34. *Menses à sacrificijs, & festis nominari soliti.* Sic apud Athenienses, qui nobis Iunius est, Hecatombæon appellatur, à quodam sacrificij genere; quod Græci vocant Hecatomben. Sic Metagetnion à quibusdam sacrificiis in Apollinis honorem exhibitis; sic mensis alius à Bœotiis Alalcomenius dicitur, vt ait Plutarchus in Aristide, ab vlulatu, & planctu, quo eo mense Platæenses parentare solent Græcis, qui contra Persas pugnando occubuere. Sic puto Tamuz Adonidem vocari, item mensem quartum; hic tamen ab Adonide, seu Tamuz compellationem habet, quia eo tempore Adonia, id est, Adonidis sacra peraguntur. De simulacro Tamuz multa Rabbini fabulosa; vide Burgensem in hunc locum, & Pagninum in voce תמוז, quæ referre piget, & onerare lectorem anilibus nugis.

35. *Et introduxit me in atrio domus Domini interius.*] Plangentes fœminæ, siue Adonizantes erant, vt vidimus in ipso ingressu domus Domini, id est, prope ostium, per quod ingressus patet ad illam templi partem, quæ vocatur *Sancta*; inde progressus est Propheta ad atrium domus Domini, id est, ad interiorem partem, quæ sanctior erat, & Sanctis Sanctorum propior.

36. *Et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini.*] Templum Domini vocatur hoc loco Sancta Sanctorum; quæ licèt pars esset templi, aut domus Domini, per antonomasiam tamen dicebatur templum, aut domus Domini, quia ibi erat arca, & in ea Cherubini, in quorum medio, quasi in solio suo Dominus sedebat. Porrò inter Sancta, & Sancta sanctorum ostium erat, per quod ad oraculum, seu ad Sancta Sanctorum summus ingrediebatur Pontifex, vt videtur posse colligi ex 3. Reg. 6. v. 21. & Ezechiel. cap. 41. v. 23. & ante hoc ostium erat velum illud, quod moriente Domino scissum est. Hoc loco erat vestibulum, locus nempe proximus oraculo, & non procul à vestibulo altare thymiamatis; illud verò spatium obiri credo à Sacerdotibus frequenter, cùm orare vellent pro causa publica, ad depellendum, quod timeretur, infortunium. Sic Ioel cap. 2. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini.* In eo loco videtur occisus Zacharias, de quo Matth. cap. 23. *Quem occidistis inter templum & altare.*

37. *Templo reuerentia debita.* His breuiter expositis, apparet quanta insit turpitudo illi flagitio, quod tanquam aliquid maius postremo connumeratur loco. Nam vbi Sacerdotes stare olim supplices conuersa ad oraculum facie consueuere, ibi iam alij, & in his fortasse quidam non Sacerdotes, conuersis ad orientem solem oculis, obuertunt ad oraculum dorsa, quasi nihili faciant Deum, cuius eo in loco sedes, & maiestas. *Peccata in templis grauia.* Quid sit dorsa conuertere, diximus ad illud Ieremiæ cap. 18. num. 27. *Dorsum, & non faciem ostendam eis.*

38. Illud non omittendum, non certò dixisse Prophetam *vigintiquinque viros*, sed *quasi viginti*. neque enim particula *quasi, ferme*, & similia adhiberi solent, nisi quando numerus magnus est, aut qui sequitur numerus perfectus est; qualis qui decadas complet, hecatontadas, chiliadas, myriades, &c. Quare non infrequenter dicimus *quasi viginti, quasi centum, quasi mille*; non tamen *quasi vigintiquinque, quasi centum quatuor*; quia posterior ille numerus imperfectus est. Respondeo id aliquando fieri in Scriptura, maximè in numerandis iis, quæ partes habent, & variè diuiduntur, quale tempus est, aut locus: vt cùm dicitur Actor. 19. v. 34. *Vox facta vna est omnium, quasi per duas horas.* & capite 5. v. 7. *quasi horarum trium.* Et Christus esse dicitur, *quasi annorum duodecim*, & alio loco, *quasi annorum triginta*, sic etiam quasi duorum stadiorum, & similia. REGVLA. *Quasi, circiter, & similia adhiberi solent etiam cum numerus est certus modestiæ gratia.* Sed in his aliqua est mensura nota, à qua, si aliquid aliquo modo recedit, additur *quasi*, aut *ferè*. Sed id aliquando in indiuisibilium multitudine contingit, qualis hominum est numerus; vt Actor. 19. v. 7. *Erant autem omnes viri ferè duodecim.* & hoc loco, *quasi vigintiquinque viri.*

B

39. Si quando huiusmodi aliquid occurrerit, peculiaris aliqua ratio nobis quærenda est, quæ sanè non deerit. Illam satis idoneam esse putant Historia scholastica, & Dionysius, quòd Spiritus sanctus, qui modestè loquitur, illud *quasi* addidit, ad hominum similitudinem, qui dum modesti videri volunt, in numerando adhibere solent particulas illas temperantes *circiter, ferme, quasi*, &c. quod etiam ferre consuetudinem numerantium, docet Glossa interlinearis ad illud Actor. 1. *Erat autem turba hominum simul ferè centum viginti.* & sanè Hispani hoc fere modo numerandi vtuntur, *numero como ciento, estubo como ochodias*, etiam cùm de re loquuntur certa, & nota. *Duodenarius numerus quare perfectus.* Sed sunt peculiares aliæ rationes in vtroque exemplo; in priori quidem, quia eo tempore, post electionem duodecim Apostolorum, perfectus habebatur, & sacratus duodenarius numerus. sicut nobis perfectus existimatur, qui non tam per decadas, quàm per dodecadas numerosinimus. Hispanè *por docenas.* vnde frequens, *a y tres o quatro docenas. vale à real la docena*, & similia. Ad exemplum hoc nostrum non est difficilis solutio: non enim hæc ita perspicuè ostensa sunt Prophetæ, vt singula manifestè notauerit: apparebant enim inter ignem, motúmque citatissimum, strepitúmque rotarum. Quare in singulis penè rebus, quas vidisse se aiebat c. 1. addebat *quasi.* vt *quasi manum, quasi speciem electri, quasi aspectum æris.* quam etiam particulam addidit in principio huius capitis. Sic etiam verisimile est, non distinctè notare potuisse illorum numerum, qui ad solem Domini terga conuerterant; atque ideo id ostendisse, quod magis arbitrabatur verisimile.

C

D

40. Sed dices paulo antè notasse definitè numerum illorum, qui thus adolebant Idolorum, reptilium imaginibus, quæ in pariete descriptæ visebantur, viderísque ideo rem Prophetæ oblatam esse non obscurè, atque confusè. *Seniorum Concilio septuaginta intererant.* Respondeo Prophetam facile potuisse cognoscere genus illud hominum esse ex illorum cœtu, qui publicis causis definiendis præerant, quod Concilium dicebatur seniorum. Hi verò septuaginta erant, vt constat ex Num. cap. 11. quare Concilium dicebatur septuaginta virorum. Vt ergo in Concilia, quæ certo personarum numero constant, licèt non omnes interesse contingat, numerus tamen ille conuenisse dicitur. quomodo Romani dicerent consedisse decemuiros, centumuiros, triumuiros: sic etiam licèt non omnes septuaginta viri in illo impio cœtu seniorum fuissent; fuisse tamen ibi dicuntur LXX. quia tot viris Concilium illud seniorum constabat.

E

41. *Sol pro Deo à Gentibus habitus.* *Et adorabant ad ortum Solis.*] Solem tanquam Deum intuebantur seniores illi septuaginta, reiecto post tergum Deo; quasi ab hoc nihil accepissent,

pissent, spectarentve, ab illo quicquid est in natura boni cumulatè hausissent. Quod vsitatum esse inter Gentes non profani modò, sed etiam sacri Scriptores prodiderunt. De profanis non pauca nobis exempla produxit Brissonius lib. 1. formularum, vbi docet Gentes ad orientem solem conuerso vultu adorare consueuisse. Ouid. lib. 4. Fastor.

Hæc dea placanda est, hæc tu conuersus ad ortum
Dic quater.

Virgilius lib. 8. Æneid.

Surgit, & ætherei spectans orientia Solis
Lumina, rite cauis vndam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effundit ad æthera voces.

Idem lib. duodecimo,

Illi ad surgentem conuersi lumina solem
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, pateriisque altaria libant.

42. Vbi Seruius notat a Gentibus fundi preces versùs illam partem, quæ primùm excipit orientem solem. *Non vtique, inquit, solem surgentem dixit: iam enim dudum dies erat, sed disciplinam cæremoniarum secutus est: vt orientem solem spectare diceret eum, qui esset precaturus.* Et accommodatè ad hunc Gentilium morem Vitruuius docet vt in æde sacra construenda, id obseruetur maximè, vt ædis signum, id est, Dei cui locus ille sacer est, solem spectet vespertinum, seu occidentem; vt qui conuersi ad signum, contrario videlicet aspectu, adoraturi sunt, regionem spectent orientalem.

In gentium more signum ad occidentem versum.

43. Ex nostris docent Tertullianus in Apologet. aduersùs Gentes. *Sed & plerique vestrûm (ait ad Gentiles) in affectione aliquando vt cœlestia adorare, di ad Solis ortum labia vibratis.* Idem Clemens Alexandrinus lib. 7. strom. Et ea existimatur esse ratio, cur Dei solium, id est, oraculum in occidentali templi regione locaretur, vt in eam adoratores intenti non orientalem, sicut Gentes, sed occidentalem regionem aspicerent, quod spectasse Dominus videri potuit, dum Deuter. c. 4. v. 19. dixit, *Ne fortè eleuatis oculis ad cœlum videas Solem, & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea.*

44. Christiani ab Ecclesiæ primis incunabulis ad Orientem conuersi suas fundebant preces, vt autor est Tertullianus suprà, qui ab ea Gentium calumnia Christianos defendit. Item Origenes homil. 5. in Numeros. Athanasius q. 14. ad Antiochum. Epiphanius hæres. 19. quæ est Essenorum. Basilius libro de Spiritu sancto, c. 27. Augustin. lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 9. Damascenus lib. 4. de fide, cap. 13. & plures alij, qui docent templa ad Orientem spectare, vt qui orant, ad Orientem quoque conuertantur. Quam esse traditionem Apostolicam docent Origenes, Iustinus, & Basilius suprà. Huius rei causæ variæ producuntur. Vide Baronium tom. 1. Annal. anno 58. & Bellarminum tom. 1. de cultu Sanctorum, lib. 3. cap. 3. Ex illis duas tantùm producam. Altera est, quam adducit Damascenus inter alias

Christiani cur orent ad Orientem conuersi.

45. plures, quas ab eo sumpserunt Bellarminus, & Baronius, lib. 4. de fide, cap. 13. in quo tantùm agit de adoratione Christianorum ad Orientem, quia Christus ad Occasum spectans, mortuus est; & ideo Christiani ad Christum conuersi, necesse etiam est vt ad orientalem plagam conuertantur. Sicut nuper de Gentilium templis docuerat Vitruuius, qui iubet, vt ædis signum sit ad Occasum, vt adoraturi signum vertantur ad Ortum. Altera est, quam ex Cœlio

Christiani orant conuersi ad locum, vbi Christus passus.

46. Rhodig. citat Pamelius in locum Tertulliani,

quem nos suprà produximus; apud quem tamen non inuenio; quia cùm Iudæi ad occidentem solem orare iubeantur, conuersi nimirum ad religiosissimam Sanctuarij partem, Christiani ad Orientem conuertuntur, ne cum illis in externa illa cæremonia consentire videantur, sicut etiam faciunt in celebrando Paschate.

Orant ad Orientem ne videatur cum Iudæis consentire.

47. *Ecce applicant ramum ad nares suas.*] Pro ramo, Heb. est זמורה *zemorah*, quæ ramum significat & canticum; &, vt quidam Hebræorum existimant, & cum his Pagninus, etiam fœtorem. Iuxta postremam hanc acceptionem hanc ego magis explicationem probarem; quòd hi stulti idolorum adoratores delectentur obscœnis, & tetrum aliquid exhalante cœno: qualia sunt idolorum impura sacra, & grauiter olentes victimæ. Vt autem porci in cœnum se, non sine magna voluptate, demergunt, in eóque iucundè, ac diu volutantur; quia quæ aliis intolerabilem fœtorem inhalant, illis pro rosa sunt, & aromate fragrante; sic isti à patria religione, imò iam ab humano sensu, atque natura degeneres fœtentes ramos, impio victimarum sanguine, aut scelerato aliquo libamento respersos ad nares applicant, illisque se oblectant; cùm tamen & fœdè puteant, & fœteant intoleranter. Doctores quidam Hebræorum, in quibus est Rab. Dauid, putant olim non scriptum esse אל אפם, *el apam*. id est, ad nares suas; sed אל אפי. id est, ad nares meas; ne quid tum de Deo diceretur, aut coram Deo aliquid fieret indecorè. Pro אפי, antiqui אפם reposuerunt: quod in aliis duodeuiginti locis eodem fecere consilio. Vide Galatinum lib. 1. cap. 8. & lib. 8. cap. 19. Sed quid ipsi fœtidum à diuinis naribus remouere voluerint, ipsi dixerint; neque enim volo id à me audiat verecundus lector; planè hic, si vspiam alibi, apparet Rabbinici ingenij indecens stupor.

Ramos cur gentes naribus admoueant.

Rabbinorum stupor.

48. Symmachus sonum, aut canticum inconditum tantùm, & absonum, imò absurdum, & fœdum videtur intellexisse; qualis est rhonchus, & sanna; quibus irrisores, & momi alios sibi esse vilissimos significare solent. ita Hieronymus, quem omnino vide. Sic autem Symmachus, καὶ ὡς ἀφιέντες εἰσὶν ἦχον ὡς ᾆσμα διὰ τῶν μυκτήρων. id est, *sunt quasi emittentes sonitum, velut canticum per nares.* Septuaginta, vt habent correcti à Sixto codices, ὡς μυκτηρίζοντες. id est, *quasi subsannantes.* Est autem sonus ille per nares emissus, aut halitus, seu spiritus ad nares tractus, seu applicatus, quem Græci ῥόγχον vocant; qui plerumque efflari solet adunco, siue suspenso naso. Quemadmodum זמר cantare significat, diximus ad illud Cant. 2. *Tempus putationis aduenit.* à quo verbo ducitur vox Punica *Zambra*, quæ chorum significat psallentium.

49. Vulgatus *ramum* exposuit, sicut etiam Theodotio, cuius sententiam eam Hieronymus esse putat idololatras attulisse ramos ad idolorum simulacra, eósque, postquam contigissent idola, ad nares retulisse, quasi suaue existimarent, & odoratum, quod ex eo contactu contraxissent, quod beneuolentiæ, atque obseruantiæ documentum erat. Aliquid simile factum fuisse à Gentibus coniectare licet ex illo Iob cap. 31. *Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, &c. & osculatus sum manum meam ore meo.* Nam sicut ramum, quem priùs admouerant simulacro, referebant ad nares, vt halitu id, atque odoratu haurirent, quod à simulacro libauisset; sic manus, quas ad splendentem solem extendissent; à quibusque

Quod sacra aliquid tangebat, sacrum habebatur.

quibúsque tangi solem simulabant, osculabantur; vt venerari, ac amare viderentur, id quod illis adhærere videretur à Sole.

50. Ego hæc ita probo, vt tamen non improbem quod visum est Prado ramos illos, quos ad nares religionis gratia referebant, esse ex his, quibus aut ornabantur aræ, aut coronabantur simulacra, victimæ, aut ipsi etiam adoratores, quod Gentibus esse vsitatum, & legitimum, docent tam sacræ, quàm profanæ literæ. Vide Gyraldum de Diis Gentium, lib. 16. Sanè Arcades in sacris Herculis frondibus coronantur populeis. Virgil. lib. 8. Æneid.

Cultores cùm sacris operarentur coronari soliti.

Herculea bicolor cùm populus vmbra
Velauitque comas, foliísque innexa pependit.

Et idem de Ænea sacrificante lib. 5. Æneid.

Ipse caput tonsæ foliis euinctus oliuæ
Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Et lib. 6. de Numa, qui Sacrorum apud Romanos auctor fuit, & antistes,

Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens?

A Hoc idem Gentilico ritu facere cogebantur Iudæi 2. Machab. cap. 6. vbi sic de Iudæis, *Cùm Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire.* Quòd supplices ramos ferrent in manu, satis est notum, quod etiam apud Hebræos in vsu fuisse suadet illud Philonis de legatione ad Caium; vbi pro verbenis, quas manu gestabant supplices, literas se commendatitias attulisse dixit. *Hæ*, inquit, *literæ meliùs preces meas indicabunt, quas supplex pro verbenis offero.* 51.

Supplices ramos manu gestabant.

Quòd templa in lætitia, præcipuáque solemnitate ornari ramis, & frondibus solita apud Gentes, obscurum non est. de Gentibus innumera tibi occurrent exempla. Virgilius lib. 2. Æneid.

Templa in lætitia coronari solita.

B

Nos delubra deûm miseri, quibus vltimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per vrbem.

Adde quòd Deorum etiam simulacra coronabantur, vt tradit Arnobius lib. 7. *Etiam dij festis coronis afficiuntur, & floribus.* Quare adoratores illi nefarij habuerunt, quandoquidem Gentilicos ritus imitabantur, vnde ramos acciperent consecratos idolis; quos ab aris deportarent domum, eósque sæpè religionis gratia ad nares applicarēt. 52.

Item simulacra.

IN CAPVT NONVM.

ARGVMENTVM.

GRAVEM populo stragem, neque tamen illam temerè, atque inconsideratè futuram portento quodam edocetur Propheta, cui obiciuntur viri sex militarem in modum armati ferro, quibus imperat Deus, vt interficiant omnes quorum frontibus à viro linteato inscriptum non fuerit salutare signum. Neque illorum studium sanguinarium retardet templi religio, quo minùs illud & sanguine imbuant, & stratis cadaueribus compleant. Immò à templo iubet vindictam illam, & cædem inchoari. Cùm autem stragem tantam tam in templo, quàm in vrbe fieri cerneret Propheta, ideoque contribulium suorum interitum doleret; respondet Dominus commeruisse populum, dum alieno pascitur sanguine, & idolorum insaniam amplectitur, vt talia patiatur.

CAPVT IX.

1. *ET clamauit in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquauerunt visitationes vrbis, & vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua.*

2. *Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & vniuscuiusque vas interitus in manu eius: vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius: & ingressi sunt, & steterunt iuxta altare æreum:*

3. *Et gloria Domini Israel assumpta est de cherub, quæ erat super eum ad limen domus: & vocauit virum, qui indutus erat lineis, & atramenta*

PARAPHRASIS.

C 1. TVnc Deus ex tot populi peccatis furore concepto, & ad plagam, & supplicium intentus minaci, atque contenta voce clamauit in hunc modum: Aduenere iam qui ciuitatem visitent, pœnásque ab illis sceleribus exigant non indebitas. Quorum quilibet instrumentum gestat in manu, quo conficiat, & perdat peccatores.

2. Veniebant autem à superiori porta, quæ Aquilonem respicit, viri sex, in quorum manibus tela spectabantur mor-D tifera. Inter quos vir erat linteatus, è cuius zona scriptorium pendebat atramentarium, qui omnes ad altare vsque æreum, vbi cremabantur victimæ, progressi sunt.

3. Tunc verò Deus gloriosus qui mihi antea in electrina specie visebatur, occultauit se à Cherubinis, supra quos in sublimi

mentarium scriptoris habebat in lumbis suis.

A sublimi solio consederat; & ad limen vsque domus processit. Vocauit deinde linteatum virum, cuius è zona scriptorium pendebat atramentarium.

4. Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem: & signa thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.

4. Ad quem sic Deus: Transi per mediam ciuitatem, per mediam, inquam, Ierusalem, neque enim aliam modò designo ciuitatem; & Tau illorum inscribe frontibus, qui execranda populi flagitia lamentantur, & dolent, quòd illos à gladio securos præstet, quo latè grassante multi conficientur è populo.

5. Et illis dixit, audiente me: Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini.

B 5. Deinde conuersus ad sex alios viros, quorum manus ferro, mortiferísque telis armauerat, edixit audiente me, & obseruante singula. Iisdem vestigiis linteatum virum antecedentem sequimini, & in illos tantùm manus extendite, quos ille cædi destinauerit: neque oculis illos mitibus aspicite; neque vos illorum vllo modo misereat.

6. Senem, adolescentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite vsque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis, & à sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo à viris senioribus, qui erant ante faciem domus.

6. In omnes vobis vno ordine sæuiendum est; neque armata manus à senibus,
C adolescentulis, virginibus, paruulis, mulieribus cohibenda; nulli sexui, atque ætati parcendum. Ab illis tantùm vindices, atque cruentas manus abstinete, in quorum frontibus signum videritis inscriptum à viro linteato. Cædem autem ab iis, qui in sanctuario seruiunt, inchoate. Cuius illi mandata complexi, à Senioribus, qui ante faciem constiterant domus Dei, vindictam aggrediuntur, & cædem.

7. Et dixit ad eos: Contaminate domum, & implete atria interfectis: egredimini. Et egressi sunt, & percutiebant eos qui erant in ciuitate.

7. Tunc iterum ad eos: Ne vos à cæde, & sanguine templi sanctitas, ac religio
D moretur. Contaminate domum meam effuso sanguine, & stratis vbique cadaueribus. deinde in ciuitatem egressi in alios omnes, qui salutari signo notati non sunt, eandem cladem exercete. Quod ipsi fecerunt è vestigio, percusserúntque in ciuitate illos, quos suo ferro videbant esse deuotos.

8. Et cæde completa, remansi ego: ruique super faciem meam, & clamans aio: Heu, heu, heu Domine Deus: ergóne disperdes omnes reliquias Israel, effundens furorem tuum super Ierusalem?

8. Cùm autem res iam esset ferro peracta, extinctis aliis tam qui in templo, quàm qui in vrbe fuerant; solus ego remansi, & in terram prona facie procum-
E bens, & clamans aio: Eheu Domine, sic iactabis graui, atque hostili manu genus Israeliticum, vt nullas ex eo velis esse reliquias: vsque adeóne conceptum iam diu furorem euomes in Ierusalem?

9. Et dixit ad me: Iniquitas domus Israel, & Iuda, magna est nimis valde, & repleta est terra sanguinibus, & ciuitas repleta est auersione: dixerunt enim: Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.

9. Ad hæc mihi Deus: Magno hæc suo merito patitur populus tuus. Eò enim progressus est impietatis, vt nulla fieri posse videatur accessio. Ingens planè est populi malitia; exundat enim terra his sordibus, quæ à furore, & à corrupto sanguine proueniunt; plena sunt omnia his monumentis, quæ auersus à religione

10. Igitur

populus

A populus excitauit. Sic enim apud ſe væſanus ille populus cogitabat, abeſſe me à terra; neque oculis meis patere, quid ipſi impiè, atque inuerecundè molirentur.

10. *Igitur & meus non parcet oculus, neque miſerebor: viam eorum ſuper caput eorum reddam.*

10. Ergo non eſt, cur mites à me requirat oculos, aut placatum animum; neque enim illius miſerebor, quicquid ab illo peccatum eſt, in eius caput conuertam; & talia referet me vltore, ac vindice, qualia ipſe patrauit.

11. *Et ecce vir, qui erat indutus lineis, qui habebat atramentarium in dorſo ſuo, reſpondit verbum, dicens: Feci ſicut præcepiſti mihi.*

11. Ecce autem qui candido veſtitus erat linteo, in cuius zona atramentarium eſſe diximus, cùm lugentium omnium frontes litera conſignaſſet ſalutari, re iam peracta reuerſus eſt; & dixit ſe iam omninò quod in mandatis acceperat expleſſe.

Verſ. 1. *Et clamauit in auribus meis voce magna.*]

1. TACITE hactenus videbatur Dominus locutus cum Ezechiele; donec execranda populi flagitia tandem oſtendit. Ad illud namque tempus ſiluiſſe videbatur, & quaſi ſuſpendiſſe vindicem dextram. Iam verò cùm noſſet Propheta, quid in ſuum caput commeritus eſſet populus in eam impietatem tam profundè proiectus; clamat, non vt antea tacitè, ſed voce ſublata, quaſi ferre non poſſet tam apertam iniuriam; neque vim doloris tanti ſuſtinere. Quod antea per Iſaiam cap. 42. ſignificarat. *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui: quaſi parturiens loquar.* fuit ſanè vox iſta magna, ſeu rugitus, qualem laborans in puerperio mulier ſolet emittere.

2. *Appropinquauerunt viſitationes vrbis.*] Viſitatio vox eſt dubiæ ſignificationis, quæ modò aliquid C à beneuolentia, modò aliquid ab offenſione profectum ſonat. Hîc ſupplicium indicatur, & clades ab irato Deo. Cæterùm abſtracta nonnunquam adhiberi pro concretis nó eſt infrequens; quomodo *congregatio*, pro congregatis, *circumciſio*, pro circumciſis, *iudicium* pro iudicibus, *poteſtas* pro iis, qui cum poteſtate ſunt. Sic etiam nunc *viſitationes*, pro viſitatoribus, id eſt, pro vltoribus, atque vindicibus vſurpantur, quod ex ſequentibus apertè liquet.

REGVLA. *Abſtractum pro concreto.*

3. *Vnuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua.*] Illud *vnuſquiſque* non tam refert *viſitationes*, quam concretum illud, quod in abſtracto illo nomine continetur. quaſi dicas, vnuſquiſque viſitatorum, quomodo dicimus, D *vbi eſt ille ſcelus, qui me perdidit*, id eſt, ſceleratus ille. *Vas* nomen eſt maximè commune, quódque vſus habet in Scriptura plurimos, tot ferè, quot ſunt nomina, quibus adiungitur, *Vaſa mortis, vaſa Pſalmi, vaſa miniſterij.* Valet denique idem propè quod *inſtrumentum*.

Vas multa ſignificat.

4. Verſ. 2. *Sex viri veniebant de via portæ ſuperioris, quæ reſpicit ad Aquilonem.*] Hi ſex viri quicumque illi ſint, viſitatores illi ſunt, quibus id negotij datum eſt, vt à ſcelerato populo pœnas exigerent, vt ſatis conſtat è toto capite. Erant quidem illi Angeli, ſicut & animalia, de quibus cap. 1. & ſtatim iterum cap. 10. quæ Chaldæorum acies, & vires exprimebant. Ita cum Hieronymo, & Theodoreto putant plerique alij. Hi verò An-

B geli perſonas referebant illorum, qui in Chaldæorum exercitu principes fuerunt, rémque bellicam in Iudæorum cæde, vrbíſque direptione moderati ſunt. Fuerunt autem inter alios præcipuè illi, quos Ieremias cap. 39. ingreſſos eſſe tradit Hieroſolymam, & in media ciuitatis porta conſediſſe. Hos verò deſignari hoc ſpectro hieroglyphico putant Vatablus, Maldonatus, & Pradus: neque ego improbarem ſi numerus principum illorum conueniret. Sed, vt vides, ſex hîc virorum ſpecies oblata eſt; illic autem ſeptem numerantur duces. 5. Quare mihi videtur non improbabile per ſex hoſce viros totidem deſignari regna, quæ cum Chaldæo ad euertendum Iudæorum imperium conſpirarunt: nam fuiſſe non pauca, neque fortaſſe plura quàm ſex, ex ſacris literis non obſcurè colligitur. Pugnaſſe namque cum Chaldæo Perſas, ſeu Ælamitas, habes ex Iſaia cap. 22. v. 6. *Et Ælam ſumpſit pharetram.* De Idumæis docet Dauid Pſal. 136. & Ierem. Thren. cap. 4. De Ammonitis fit veriſimile ex libro Iudith, vbi Achior dux Ammonitarum ſtetiſſe dicitur pro Nabuchodonoſor contra Iudæos: quod idem de Moabitis, atque Palæſtinis, ac Madianitis, affirmari etiam poteſt non ſine fundamento. Sanè ſub hæc tempora aliquas nationes bellaſſe contra Ieruſalem, habes lib. 4. Reg. c. 24. v. 2. quibus ſi Ælamitas, & Idumæos adiicias, ſex numerantur nationes. Niſi mauis de aliis hæc nationibus accipi Babylonio fœderatis, aut ſubditis; quæ cum illo vires, & ſpiritus coniunxere; de quibus nihil afferre poſſum præter coniecturam.

Chaldæi nationes aliæ ſubſidio fuerunt.

6. Hieronymus cap. 10. ad illud, *Cherubim autem ſtabant à dextris.* Sex hos viros Angelos putat eſſe malos. *Cherubim*, inquit, *ſtabant à dextris domus, vt ſanctæ, ſupernaque virtutes dexteram domus Dei partem tenere viderentur; & illa, quæ mittuntur ad ſupplicia, de quibus ſcriptum eſt, miſſiones per Angelos malos, ſiniſtras partes poſſidere credantur.* Quod ſi ita eſt, non leuis hinc ſe prodit ſigni crucis laus, & contra malignos ſpiritus vis admirabilis, quando Deus, ſigno crucis frontibus impreſſo, horrorem incutit dæmoni, & illius gladium à ſignatorum, & cruciferorum iugulis auertit.

Crucis vis magna contra dæmones.

7. Latus ſeſe hîc nobis aperiebat campus, vt quantum

quantum cruci virtutis inesset contra vim dæmonum,& graues, ac subitos rerum motus, qui hominum commodis exitium minatur, & vastitatem,aliquid diceremus. Cui iam pridem ante Christi mortem concessum videtur, (vt ex hoc loco iuxta Hieronymi sententiam non obscurè constat)vt dæmones arceat,tutósque reddat eos, qui illo se signo consignarunt, à diabolica fraude,vel insidiis. Addo etiam à fulgurante,seu fulminante nube, quæ sic interdum horret potentissimæ crucis illustre signum, vt sese ab eo loco vexando, atque sternendo contineat, vi vt apparet à crucis oppositu vehementer illata; non secus atque si apertè sentiret diuinam quandam vim, quam obseruaret, & horreret. Qua de re multa, & grauiter Patres, quæ quia nota sunt his,qui mediocrem nacti sunt eruditionem, lubens omitto. Vide Iacobum Gretserum, & Petrum Tiræum, & Martinum de el Rio, in libro Disquisitionum Magicarum, omnes ex nostra Societate,qui hac de re eruditè multa, & grauiter.Ex quibus disces,quàm se Christianus homo salutari hoc signo frequenter, ac piè munire debeat, quámque hoc Christiani pectoris monimentum horribile dæmoni sit,& ipsis etiam inanimatis rebus; à quibus aliquid solet pernicio-

Crucis vis contra tempestates, & incendia.

8. sum ingruere,formidabile. Mitto rarum illud, & admirabile prodigium, quod quotidie in Carthaginensi tractu experitur Carauacense oppidum,quod familiare est, ac penè remedium vnicum, contra tempestates, & fulmina, quæ toto illo tractu excitari solent, & vibrari vehementer. Hæc mitto, quia non Hispanis solùm, sed aliis etiam nationibus notissima sunt; vnum dicam, quod quia non ita dudum contigit; nostris etiam Hispanis, his maximè qui longiùs recessere, nondum est exploratum. Quod eo facio libentiùs;quia dum hæc scribo proximè locum illum intueor,vbi recens hoc, & admirabile prodigium visitur,quod ego & vidi non semel,osculatus,& veneratus sum,contrectaui manibus, & per otium, quod habui à populi benignitate quantum volui, notaui singula,& obseruaui diligenter: ac tandem quo se modo res habuisset tota, acceptis publicis à populo literis cognoui. Quare debere me putaui & populi humanitati, & pio lectori, ad cuius aures nihil ea de re certum peruenisset;& cruci ipsi, in cuius ego admirabili inuentione diuinam prouidentiam,& crucis ipsius dignitatem agnoui;vt quemadmodum post longum tempus demersa in tenebris crux illa sancta in hominum oculos emersit; sic ego illam ex ignoratione, & quasi ex tenebris in publicam velut lucem, id est, in hominum cognitionem producerem.

Carauacensis crucis vis potentissima,

9. *Albalate* oppidum est in extremis prope finibus Caracinorum, & extremum in ea parte Toletanæ diœceseos, quæ ad solem orientem spectat; ex eo duo adolescentes agri colendi gratia, ad Tagi vsque ripas, qui fines alluit Albalatenses,progressi sunt; &, vt mos est illis,qui regiones aut habitant,aut obeunt syluestres, & venationibus opportunas,canem secum adduxere venaticum. Agebatur tunc annus millesimus quingentesimus decimus quartus, dies verò Septembris vigesimus septimus. Cúmque noctem illam in agro ad Tagi ripam ponere statuissent, canem apud se,de more, retinent, qui sub mediæ noctis silentium, exoluit se, erupitque ad eam partem quam alluit proximè fluuius. Et quasi odoratus ibi aliquid, fodit terram vnguibus, latratúque

Albalate, crucis mirabilis inuentio.

A significat latere ibi pretiosam aliquam,& opportunam prædam. Accurrunt adolescentes, cúmque se deceptos esse putassent, reducunt canem, illúmque multo quàm antea accuratiùs astringunt. Erumpit tamen rursus,ac eodem se, vnde abductus fuerat, quàm ocyssimè refert, latratúque iterum excitat, aduocátque dormientes;qui rursus, vt sibi videbantur delusi; cùm nihil deprehendissent eorum, quorum causa accersiri se crediderant, fustibus canem malè acceptum ad sua sibi cubilia reducunt, alligántque multo quàm antea diligentiùs. Sed omnino frustrà, rupit etenim iterum vincula sub lucem; & latratu iterum acuto magis, atque frequenti domi-

B nos ad prædam aduocat, ac instigat. Accurrunt illi,& indefesso loco crucem inueniunt, donum planè cœleste, quo nulla aut gratior, aut magis optata venatio posset accidere. Nihil à longo illo situ,nihil è loco humenti, vtpote littorali,rubiginis, nihil sordium contraxerat, recens diceres opus, & tunc primùm conflatum ab artifice; ex aurichalco, vt apparet inaurato, quod quatuor prægrandes gemmæ ornabant è Crystallo, totidem ex eadem materia à quibusdam catenulis ab vtroque brachio dependentibus. Quarum vnam Imperator Carolus V. cùm illac transiret, & sacrum illud, atque cœleste donum religionis ergò supplex inuiseret, secum abstulit;

Caroli Quinti pietas.

C quæ adhuc in sacrario regio inter sacras gazas religiosè seruatur. Ex eo tempore dies ille, quo inuenta crux est, quotannis singulari celebritate colitur; in quam omnes eo studio, auiditatéque conspirant, vt nihil faciant reliqui aut operæ, aut sumptus. Et vt eò se referat commentatio, vnde longiùs abiisse videbatur; nempe ad ostendendam singularem virtutem, atque potentiam crucis;referunt oppidani, cœpisse aliquando vicinam oppido syluam conflagrare; & increbrescente vento, qui flammam oppidum versùs inuehebat,eas vires incendium assumpsisse,vt non syluæ tantùm, sed sibi etiam, ac domibus oppidani timuerint, quos iam ab incendio calor, &

Crux liberat ab incendio.

D fumus afflabat. Consurgunt ergo ad illud perfugium, quod in eo rerum articulo putabatur extremum: opponunt flammæ salutare signum, quod è suo sacrario religiosè produxerant; cuius virtutem ignis statim, ac ventus agnouere; repentè enim repressus est ignis, & ventus, qui ab aduersa regione vehementer spirabat, subitò consedit. In hac ego historia commemoranda longior fui,quàm mea consuetudo, & interpretis ratio requirebat, ignoscet tamen benignus, ac religiosus lector: eo etenim consilio prouectus sum, vt & rem ignotam plurimis euulgarem; & vt oppido optimè de me aliquando merito,quódque ego plurimum amo,gratum hoc,&

E beneuolum officium rependerem.

Sed quando de crucis signo in frontibus inscripto sermo est, lubet attexere quod de Turcis hoc salutari signo in fronte signatis tradit Nizephorus Calistias lib. 18.cap.20. Miserat Cosroes Persarum Rex Constantinopolim Turcas ad Mauritium Imperatorem, quos Imperatoris ipsius auxilio bello subiugarat. *quos stigmatico liquato atramento cruces in frontibus impressas videns, interrogauit quánam gratia, quæ non colerent, circumferrent signa. Illi grauem ante plures annos in Perside: & patria sua pestem coortam esse dixerunt, à qua cùm multi mortales infecti interirent, Christianos quosdam, qui ibi fuere, hominibus, si hoc fecissent saluti sua consulturos esse, regionémque eam à lue tali intactam, liberámque fore* 10.

Crucis signum à peste liberat.

fore persuasisse. Idq; ita esse ab eis factũ. Hæc Niceph.

11 Hi porrò viri, vt ad commentationem redeã, venire videbantur ex Aquilonari plaga, à qua omne malum in vrbem, & templum ingruebat, portam verò illam superiorem, per quam sunt ingressi, non puto fuisse templi, sed murorum, per quam, vbi primùm in vrbem irruperunt, ad templum vsque postea progressi sunt. Quod eo mihi persuadeo, quia non apparet, quæ in templo Aquilonaris porta vocari potuerit superior; per quam admissi sex illi viri ad æneum altare, id est, ad altare holocausti, quod erat in atrio secundo, progrederentur, de quo statim. At cùm in muris portæ essent plurimæ, quæ ad omnes cœli plagas spectarent; nemo, credo, dubitabit ad Aquilonem pertinere non paucas, & in his, cùm in arduo solo, & nequaquã plano esset ędificata ciuitas; facile posse intelligi, quomodo superiores, atque inferiores portæ vocari potuerint.

12. *Vir quoque vnus in medio eorum, vestitus erat lineis.*] Cum his, in quorum manibus erat vltrix indignatio Dei, aderat vir alius non armatus ferro, gestánsque vasa interitus, sed vas attamentarium, seu scriptorium instrumentum, quo notaret aliquo pigmenti genere, quos Dominus exemptos esse vellet à communi clade; non vt suo commacularet sanguine cædi destinatos; quod sex aliorum virorum negotium erat, atque ideo non erat armatus lorica, ac galea; vt de sex viris non est incredibile; quia non erat ad aliorũ exitium intentus, sed linteatus, ita vt præ se nihil ferret truculentum, & minax. Ex quo discet homo, quàm non temerè, ac sine consilio Dominus hominum errata castigat, quàm non permittat hostes, etiã quos ipse euocat, inuehitque suo in alios arbitratu grassari. Quando iubet vt vir antecedat, qui lineę vestis lenitate, ac candore pacẽ ostentet; neque sinat furentes alios, & cædẽ anhelantes ferrũ distringere in eos, quos Deus immunes esse vellet à cæde. Quis fuerit vir ille cãdidatus, linteatúsq;, qui custodem agit, & aliorũ retardat impetũ, non est difficile coniectare: vestis enim illa linea sacerdotalis erat; vt enim ex Exodi cap. 28. v. 4. & ex Leuit. c. 6. v. 10. constat, lineum erat sacerdotale vestimentum; quod ibi בד *bad* appellatur, sicut hìc apud Ezechielẽ. Accedit quod Septuaginta *poderem* conuertunt, Sacerdotum insigne. & cap. 10. v. 7. vbi vulgatus, *qui indutus erat lineis*, Septuaginta legunt, *qui indutus erat stola sancta.* Ita cum Hieronymo, ac Theodoreto sentiunt complures alij.

A Deo supplicia considerata.

13. In hoc autem Sacerdote adumbrari seruatorẽ Christũ, Hieronymo teste, existimarunt nonnulli: nam & ille Sacerdos est, & magni consilij Angelus; cuius munus & nomẽ Angelus ille, atque Sacerdos referebat. Neque color ille candidus nunc primùm in Angelis apparuit; hic enim illis, si quispiam alius, quasi naturalis est color. Sic Daniel cap. 10. v. 5. & iterum cap. 12. v. 6. Angelos videt lineis indutos. sic Matth. c. 28. v. 3. Angelus apparuit Magdalenæ, cuius vestimentum erat sicut nix. & Actor. 1. v. 10. ascendente Domino discipulis apparuerunt Angeli in vestimentis albis. Hoc tamen vestimenti genus tunc assumũt Angeli, cùm læta nunciant, aut pacis obeunt, aut salutis officia. Secus est cùm terrent, cædunt, aut dura, & horribilia minantur: quales fuerunt species, quas cap. 1. sumpserunt Cherubini, quæ nihil faustum portendebant Iudæis, & quæ sex viros in hoc capite diuinæ iniuriæ vindices exprimebant. Quos lineum, & candidum amictum, non habuisse, docet habitus, atque spiritus militaris; & quod septimi viri candidum notatur indumentum, quasi diuersum ab aliorum vestibus.

Christus seruator.

Angelorum candor propria nota.

Attramentariũ scriptoris ad renes eius.] Locus hic, vt variè redditur, sic etiã variè ab interpretibus exponitur. 14.
Heb. est, קסת הספר *keseth hasopher.* Septuaginta cõuertere, *Zona sapphiri super lumbos eius.* Symmachus πινακίδιον, i. vt exponit Hieronymus, tabulas scriptoris, quasi dicas pugillares. Idẽ Origenes, Rabbi Dauid, & Chaldæus; quod si esset, videbatur vir ille linteatus in tabellis exarasse, qui destinati essent ferro; & qui immunes essent ab illo, vt ex eis sex alij cognoscerent quibus ignoscẽdum, quibúsque securis impingenda foret. Sed planè aliter esse conuertendum suadet, quod signum postea inscribẽdum esse dicitur illorum frontibus, quos non afficiet, neque tanget proxima calamitas. Quod officiũ omnino a pugillari tabula præstari non potuit. Theodotio, & in prima trãslatione Aquila, reddidere κάσυ γραμματέως; sed quid sit illud κάσυ, reliquerunt obscurum. Hieronymus autem ait ab Hebræo quodã se accepisse vocem illam significare calamariũ, & ita vertit in secunda editione Aquila, μελανοδοχεῖον, quod ferè idem est, nisi quòd calamariũ thecam sonat, vbi conduntur calami, μελανοδοχεῖον vasculum, vbi seruatur atramentum, vulgo Hispanorum *escribanias* appellantur.

Et ingressi sunt & steterunt iuxta altare æneũ.] Hinc perspicuum est Aquilonarem portam, de qua supra, non esse templi, sed murorum ciuitatis; quãdo nunc, qui visi fuerant priùs venire de porta Aquilonari, ingressi dicuntur, (in templum videlicet) & ad æneum vsque altare progressi. Neque enim porta atrij laicorum ex Israël, aut atrij Gẽtium, cum porta oraculi, seu Sacerdotum atrij cõparata, superior vocari potuit, cùm illæ duæ portæ lõgè essent inferiores, vel dignitate, vt cõstat, vel etiam situ, cùm ex aliis atriis, ad sacerdotale atrium per quosdã gradus est ascensus, vt cõstat ex Ezechiele cap. 40. de quo suo loco postea. Altare illud æreum vocatur, vt distinguatur ab altare thymiamatis, quod aureum erat, & intra sãcta, ante ostium oraculi visebatur. Erat autẽ altare illud, quod altare dicitur holocausti, in atrio sacerdotali; cur autem eo loco constiterint, dicemus statim. 15.

Vers. 5. *Et gloria Domini Israël assumpta est de cherub, quæ erat super eum ad limen domus.*] Gloriã Domini Israël, nil aliud esse puto, quàm Dominum gloriosum, & splendentẽ; qualis esse dicitur cùm sedet in propitiatorio inter alas Cherubim. aut quomodo nunc apparuit Ezechieli; quæ cap. 2. v. 1. dicitur *Visio similitudinis gloriæ Dei.* Quæ verò fuerit illa Domini gloria, quæ assumpta est de Cherub, non admodũ faciles habet explicatus. Quidã egressam esse putant Domini gloriã, quæ iã dudum antea in propitiatorio inter Cherubinos, quasi in suo sibi solio consederat a tempore Moysis, & ad limen vsque templi recessisse, quasi iam desereret antiquã domum, illámque externis diripiendã, atque vastandã traderet. Ita Chaldæus, Hugo, Maldonatus, & Pradus. Alij cum Hieronymo gloriã Dei esse putant electrinam illam speciẽ, quæ oblata fuerat Ezechieli, & à qua fuerat in tẽplũ inductus, vbi illa tot spectauit, quæ à capite 8. ad cap. vsque nonũ cõmemorãtur. neque hoc displicet Maldonato. Et meo iudicio huius cogitationis argumentũ infirmũ nõ est. Nã cũ ab illa gloriosa Dei imagine quãplurima alia didicisset Propheta, abominationes videlicet horribiles in sacro loco, quib⁹ nulla crux, aut incẽdiũ, nulla dolorũ acerbitas satis poterat afferre sup- 16.

plicij, consentaneum erat, vt ab eadem etiam imagine cognosceret, quónam esset populus ille supplicio mulctandus. Et sanè ita docet continens orationis filum; quæ de electrina specie hucusque locuta est. Neque hactenus vllus sermo de Cherubinis, & arca vbi à tempore Moysis stabile Domini solium visebatur. quare de illa potius, quàm de hac Domini gloria locus hic videtur accipiendus. Et docet apertè caput 10. in quo inchoata pertexitur narratio, vbi sine dubio gloria Domini illa est, quam vidit Propheta ad fluuium Chobar: de qua in tota prophetia multus sermo.

17. *Assumpta est de Cherub.*] Obscurum hîc est, an Deus à Cherubinis recesserit, solúsque constiterit ad limen domus, vel certè cum illis simul varias templi partes obierit. Quidam hoc posterius affirmãt, in quibus est Pradus secutus Chaldæum; quia cap. 10. vbi adhuc perstat imago eadem oblata Prophetæ. Species electrina, quã Dei gloriam appellari diximus, supra Cherubinos adhuc apparet. Neque dicendi modus admodum premit cogitationem hanc; sic enim videtur exponi posse non incommodè, *Gloria Domini, quam habebat à Cherub, super quem sedebat, translata est, cum ipso simul Cherub, ad limen domus.*

18. Verùm alia sententia, quæ negat Dominum cum Cherubinis recessisse, magis est communis, quam cum Hieronymo sequuntur alij nõ pauci, & reuera in hãc magis pronus videtur esse textus, & quæ sequuntur minus habent offensionis. Et fit verisimile, quia cap. 10. v. 18. postquam dictum fuisset Deum eleuatum è Cherubim abiisse ad limen domus, rursus dicitur regressum à limine rediisse eò, vbi relicti fuerant Cherubini. *Et egressa est gloria Domini à limine templi, & stetit super Cherubin.* Mihi magis apparet verisimile assumptam gloriam de Cherubim nihil esse aliud, quàm fuisse occultatam, vt dicemus pluribus in principio capitis 10. vbi dicitur Dei gloria apparuisse super Cherubim, cùm priùs obducta nube, aut aliqua alia ratione à Propheticis se
19. subduxisset oculis. Cùm verò tunc Cherubinos & gloriam, quæ erat à Cherubinorum stipatu, Dominus deseruisse, aut occultasse videatur, ea videtur esse ratio, quam hoc ipso in loco Theodoretus adducit in casu non dissimili.

Templum misericordiæ locus.

Docet enim ideo Deum ad templi limen abscessisse, quia cùm esset in ciuitatẽ durum illud edictum prolaturus, de quo postea, non existimabat in illo loco proferri oportere, qui magis erat ad liberalitatem, & pacẽ destinatus. Sic igitur cùm Deus qui magis ad miserandum, quàm ad puniendum pronus est, aliquid in populum edicturus esset horribile, deposuit tantisper maiestatem; & quod in articulo non dissimili nonnulli principes, ac iudices faciunt; quasi habitum mœsti atque lugentis assumpsit.

Deus puniturus homines habitũ quasi mœrentis assumit.

Quare Cherubinos reliquit, & speciem illam gloriæ, quam ex regio, atque triũphali solio habere videbatur. Seu potiùs, quia, vt ex capite 10. v. 5. liquet, quo tempore iudiciũ illud capitale Deus tulit, nubes suscepit Dominum: *eleuata est gloria Domini desuper Cherub & repleta est domus nube.*

Nubes Dei thronus, atque vehiculum.

Nubes verò thronus, & quasi vehiculum existimatur esse Dei: & quoddam quasi diuinitatis argumentum. Sic Christũ eleuatum à terra in Ascensione suscepit nubes Act. c. 1. vbi Chrysost. homil. 2. in Acta, nubem cœli symbolum vocat, & diuinæ potentiæ signum: & ad Christum missum esse quoddam regium vehiculũ è cœlo, vt ostenderetur Rex esse cœlorũ.

A Et in transfiguratione vox Dei audita dicitur de nube, & Christus venturus in nubibus cœli. Denique Psal. 103. de Deo audis, *ponis nubem ascensum tuum.* Quare hoc loco, vt suo quasi legitimo signo se Deum esse testaretur, reliquit Deus Cherubinos, & nubem assumpsit.

Ad limen domus.] Quódnam sit limen illud 20.
(nam in toto templi ambitu esse multa limina nemo dubitat) explorandum est. Theodoretus ad extimum templi limen, id est, extra templum excessisse Dominum arbitratur, ne, vt dixi, in loco misericordiæ destinato iudicium ferret capitale. Septuaginta vertunt εἰς τὸ αἴθριον. i. sub dio; quomodo etiam vertisse Theodotionem auctor
B est Hieronymus. Qui dicendi modus aliquid significat extra templum; locum videlicet apertum, & expositum cœlo. Verumtamen existimo stetisse Dominum intra templum, & ibi præscripsisse tam linteato viro, quàm sex aliis iudicij vindicis administris, quæ deinde sequuntur. Limen tamen puto vestibulum sacrarij, seu eius loci, qui dicitur *sancta*; (nam ingressum esse Dominum sancta, & ad vestibulum arcanæ illius ædis, quæ *Sancta sanctorum* dicebatur, accessisse; vbi vigintiquinque viri faciem ad orientem solem, & ad oraculum, Deíque solium dorsa conuerterant; capite præcedenti docuimus.) prodiit ergo Dominus è *sanctis* ad limen, ad atrium nempe
C Sacerdotum, in quorum medio altare visebatur æneum; ad quod accessisse dicuntur sex viri, qui quasi lictores summi iudicis essent futuri. Ibi mandata dat, vt neci dedant impurum illum, & rebellem populum, & statim incipiant à Sacerdotibus, in quorum erant atrio; ab illis nempe, quorum erant ad oraculum conuersa dorsa; & ab eis, quos cum thuribulo diximus sacrificare Gentium idolis, atque reptilibus, quæ in parietibus obstructi cubiculi circumcirca depicta spectabantur. Hæc satis dici videntur consequẽter, quod in re coniecturali non leue debet argumentum censeri. Assumpta verò dicitur diuina 21.
gloria à Cherubinis; neque tamen ideo Cheru-
D binĩ recesserunt à templo; sed ad idem constitere limen, à latere tamen, ita vt Deus se supra Cherubinos eleuaret, ita tamen vt illos infra se ad latus dextrum reliquerit. Id verò ideo mihi persuadeo, quia cap. 10. in quo eadem proculdubio perseuera visio, v. 3. Cherubim esse dicuntur à dextris domus, eius, inquam, domus, quæ in Scriptura sæpe domus vocatur Dei. Quod autẽ Cherubini non exierint è templo; neque Dei gloria etiã, cùm assumpta dicitur de Cherubim, hinc meo iudicio non obscurè constat, quia cap. 10. v. 5. cùm eleuata dicitur gloria Domini de Cherubim ad limen domus, domus ipsa repleta dicitur nube, quæ thronus esse solet, atque vehi-
E culum Dei, vt paulo antè diximus, *& atrium repletum est splendore gloriæ Domini. Et sonitus alarum Cherubim audiebatur, vsque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis.* Cùm auditus dicitur sonitus ex concussis Cherubinorum alis; & à voce loquentis Dei vsque ad atrium exterius, planè efficitur tam sonitum illum, quàm vocem emissam esse in atrio interiori; nempe sacerdotali, aut alio magis interno, ex quo ad exteriorem templi partem sonitus ille personuit.

Et vocauit virum, qui indutus erat lineis.] Steterat linteatus ille vir cum sex aliis, in quorum manibus vasa erant interitus, ad altare holocausti. Deus verò ad sacrarij vestibulum, quod ab altari aliquantulo interuallo distabat. 22.

Quare

Quare illum aduocat ad limen, seu vestibulum, edicítque quid facto opus sit.

23. Vers. 4. *Transi per mediam ciuitatem, in medio Ierusalem.*] Heb. eadem est præpositio ב, priori loco, vbi noster *per mediam*, & posteriori, vbi *in medio*. quare ad verbum sic reddo, *transi per mediam ciuitatem; per mediam Ierusalem.* Qui loquendi modus sine epitasi non est. Cùm enim aliquid maximè commendatum alicui volumus, id iterum, & sæpius inculcamus; & in epexegesi, quæ in Hebraico idiomate frequens est, posterius hemistichium prioris sententiam continet, & explicat. quasi dicat, *Transi per mediam ciuitatem, per mediam, inquam, Ierusalem, neque enim aliam modò ciuitatem designo.*

24. *Et signa Tau super frontes virorum gementium.*] Tau commune nomen est, quod *signum* indefinitè significat: & literæ, quæ Hebræorum claudit Alphabetum, & valet nostrum T. Est autem dubium, an hîc nullum definiatur signum, sed tantùm iubeantur gementium frontes quocumque signo, seu charactere notari: vel potiùs certa aliqua præscribatur nota, quæ inscripta frontibus gementes homines vendicet à cæde. Priorem partem sequuntur omnes penè Hebræorum magistri, vt auctor est Rab. Dauid; quorum sententiæ adstipulari videntur antiqui interpretes, nempe Septuaginta, Aquila, & Symmachus; qui non Tau, sed generali compellatione *signum* posuerunt.

Tau, signum valet.

25. Communiter alij cum Hieronymo, qui secutus est antiquum Scripturæ interpretem Theodotionem, literam extremam Tau inscribi iussam arbitrantur: ea verò putatur esse ratio, cur Tau à multis vna frontibus imprimatur eorum, quibus vindicis iræ gladius ignoscet; quia nimirum illa imago crucis est, quæ salutem attulit mundo; in quam nihil sibi iuris habet, quod libertatem eripit, & salutem oppugnat. Sed est quod hic Iudæus, aut Christianæ religionis inimicus opponat, quia neque nostro sæculo, imò neque omnium sæculorum memoria litera Tau crucis videtur habuisse similitudinem. De nostro tempore, nemo credo dubitat, qui Hebraicis dedit quantamcunque curiosam, ac diligentem operam. De prioribus sæculis argumento est, quòd neque in saxis, aut metallis, siue nummis, qui doctorum hominum teruntur manibus, quorum ego vidi non paucos, non apparet in Tau vel obscura aliqua crucis similitudo. Huic obiectioni satisfacere studiosæ, atque etiam maleuolæ curiositatis posset Hieronymus,

Tau, cuius rei signum.

26. qui in Prologo librorum Reg. & in principio Prologi Galeati, cui Iudæorum nemo contradicit, alias esse dicit in captiuitate, alias post captiuitatem literarum formas. *Certum est*, inquit, *Esdram scribam, legísque doctorem, post captam Hierosolymam, & instaurationem templi sub Zorobabel alias literas reperisse, quibus nunc vtimur: cùm ad illud vsque tempus ijdem Samaritanorum, & Hebræorum characteres essent.* Et hoc loco Samaritanos Tau crucis similitudinem habuisse dicit. *Vt ad nostra*, inquit, *veniamus, antiquis Hebræorum literis, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Tau litera crucis habet similitudinem.* Loquitur autem Hieronymus de re sibi nota. nam de Samaritanis loquitur, apud quos ipse aliquandiu fuit, & de suo tempore: quare ille neque errare potuit, neque si vellet, auderet, cùm tot habiturus esset mendacij, siue erroris testes, quot eo tempore secum in Palæstina vitam agerent. Eo autem tempore, quo Tau inscriptum esse dicitur lugentium frontibus, nondum inuenti fuerant noui characteres ad Esdra, cùm nondum esset soluta captiuitas. Sed docent hoc idem graues alij testes vel coæui Hieronymo, vel etiam antiquiores, quorum fides eo videtur esse maior, quo propiùs abest ab antiquo sæculo. Sic Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, cap. 22. & lib. aduersùs Iudæos c. 11. Cyprianus ad Demetrium. Origenes hom. 8. in diuersos Euangelij locos.

Alia ante captiuitatem, alia postea literarum forma.

Hinc constare posset quomodo infirmum sit illud argumentum, quod è saxis, ac numis sumebatur. Numi namque qui ad nostra sæcula per tot hominum manus perlati sunt, non agnouerunt tempus illud, quod captiuitatem antecessit, & quidem non constat, quod ego sciam, antiquissimis illis sæculis apud Hebræos percussos esse numos, aut notatos literis; sed illorum pretium non tam nota cognosci, quàm explorari pondere: quod si esset, nullum nobis exhiberet negotium opposita ratio. Verùm in antiquis Hebræorum numis Tau inuenio in crucis similitudinem efformatum, hoc modo ✕. 27.

Hebræorum nummi olim nullo notati charactere.

Adde quod licèt typographicæ formæ nullam in Tau exhibeant crucis imaginem, at quæ celeri pinguntur calamo, quæque vulgò literæ vocantur currentes; aliquid formant cruci non dissimile, dum ת, vsitatum Typographis rudiori forma, & properante manu sic efformant ⊤. Sed vir ille linteatus festinatò, datum sibi negotium peragebat; quare de exactè litera pingenda non videbatur laboraturus. Eodem credo signo notabantur Apocal. cap. 7. quos Deus voluit à cæde liberos. *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Hîc verò maximè obseruandum, quod notauit hoc loco Maldonatus in temporaria Iudæorum libertate, ac salute libertatem adumbrari maiorem, quam attulit Christus. Sic sanguis agni, qui Iudæorum inspersus foribus percutientem Angelum amouebat; sanguinem significabat Christi, qui æternam à nobis mortem remouit. Sic funiculus coccineus illigatur fenestræ domus Raab, symbolum erat Christi sanguinis, quia familiam rubricatam exemit à gladio. Sic nunc Tau inscriptum frontibus, quem à Christi cruce fructum essemus habituri, portendebat. 28.

Tau olim simile cruci.

Libertas per Christum figurata in tau.

Super frontes virorum gementium, & dolentium super ciuitatis abominationibus.] Hoc perinde est, atque super frontes iustorum, neque enim fieri potest, vt iusti, Deique amantes, non gemant, tabescántque dolore, cùm Deum, quem amant super omnia, à peccatore despici, ac conculcari vident; qui effectus Deo gratissimus est. Sic Sodomæorum peccatis olim cruciabatur Loth, eorúmque lugebat corruptissimam vitam. De quo Petrus epist. 2. c. 2. *Habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Dauid Psal. 118. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* & Psal. eod. *Vidi præuaricantes, & tabescebam.* & Paulus 2. Cor. c. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* 29.

Iustus grauiter fert offensum esse Deum.

Vers. 5. *Et illis dixit audiente me: Transite per ciuitatem sequentes eum; ac percutite.*] Hæc verba ad illos spectant; in quorum manibus erant vasa mortis, quósque Deus vindices esse voluit, & quasi lictores, qui in deuota cædi capita sæuirent. Præcepit autem ne quid auderent temere, aut suo arbitratu quicquam molirentur; sed 30.

sequerentur præeuntem linteatum hominem,& quid facto opus esset ab illo discerent; & in illos tantùm manus extenderent, quos linteatus homo ipsorum ferro destinasset.

31. *Nō parcat oculus vester,neque misereamini.*] Quid sit *oculum parcere*, diximus in commentariis in Isaiam cap.13.num.23.& est omnino idem,quod *neque misereamini*. Repetitur quippe eadem sententia, quo magis res videatur commēdata vindicibus. Neque deest ratio cur hæc sententia iterari debuerit. Nam cùm manus illa hostilis, & dura cohibenda non sit,à senibus,virginibus, & pueris,qui vel ætate,vel sexu lenire solent furentes animos: necessarium videbatur, vt iterato sæpius mandato in genus illud hominum hostiles imbiberent spiritus.

32. Vers.6. *Senē,adolescentulū,& virginem,paruulos.*] Hîc nonnemo æquitatem in iudice desideraret æquissimo,qui eidem supplicio cum ætate grandibus, paruulos quoque, atque innocentes alligat. Cui cogitationi occurrit Polychronius, dum ait,ex vsu Scripturæ illa dici præcipi, quæ euentura nunciantur, sed hæc solutio non omnino satisfacit curioso lectori; nam illos Deus vindici gladio subiici voluit, in quorum frontibus nō appareret signum. Cùm ergo signum in paruulorum frontibus non esset inscriptum, sanè vidẽntur paruuli communi cladi fuisse deuoti. Scholiastes verò Græcus aliter occurrit, dum illos etiam paruulos à culpa non liberat. *Quoniam omnis*, inquit, *ætas ad maiora incumbebat, propterea & contra omnem punitio, ne videatur iniuria etiam contra paruulos ferri sententiam. Paruulos enim non omnino infantes:sed pueros dicit,nimirum de quibus ad Ieremiam dicit Deus: An non vides, quid isti agant? filij eorum colligunt ligna*, Ierem. cap.7. Sed neque hæc omnino videtur expedita solutio, tum quia in Solymitana clade, de qua hic sermo,infantes quoque dicuntur periisse,vel fame,vel ferro, vt in Threnis non semel lamentatur Ieremias: & infantibus, non secus atque ætate iam adulta viris interitum minatus est Deus neque semel, neque verbis vtcunque minacibus. Sanè Iere-

Infantes cū viris interfecti.

33. miæ cap.16. edici iubet Deus, ne obsidionis tempore; aut eo, quod non longè ab obsidione ab erat,vxorē ducat Ieremias; vbi alij etiā ciues intelliguntur. *Quia hæc*, inquit, *dicit Dominus, super filios,& filias, qui generantur in loco isto,&c. mortibus ægrotationum morientur, non plangentur, & non sepelientur,&c.* Adde quòd Tau inscribendum dicitur illorum frontibus, qui gemunt, & dolent abominationes scelerati populi; at infantes, quibus neque scelerum erat vlla cognitio, neque cur dolendum esset intelligebant; signum illud salutis non acceperunt. Ad extremum sæpe cum viris, ac iuuenibus infantes quoque iubentur occidi. Num.c.30. v.17. *Cunctos interficite quicquid est generis masculini, etiam in paruulis.* Io-

34. sue cap.6. Capta Iericho ex Domini præcepto; vna excepta domo Raab, omnes ab infante vsque ad senem interfecti sunt. Quare placet magis illa ratio, quam eodem loco idem adiecit Scholiastes. Cùm enim infantes illi, seu paruuli,adhuc consilij, atque rationis expertes, vt erat parentum disciplina dissoluta, ac perdita; ad idolorum cultum lapsuri viderentur, clementer cum ipsis actum est à Domino, dum corporali morte animæ interitum maturè præcidit. Quomodo cum peccatoribus innocentes quoque occidi non iniustè possint, disputant Scholastici. vide.

Bene actum interdum cum infantibus,qui in ætate prima moriuntur.

A Sanctuario meo incipite.] Huc allusit Petrus epist.1.c.4. *Tempus est*,inquit,*vt incipiat iudicium à domo Dei.* Iubet ergo Deus, vt statim se diuinæ seueritatis administri ad opus sibi datum accingant. Et quia in Sanctuario non deerant, in quos sęuire posset vindex ille mucro,à Sanctuario cædem illam aggrederentur, illúdque fœdarent sanguine,& cadaueribus sternerent. 35.

Cœperunt ergo à viris senioribus, qui erant ante faciem domus.] Ante faciem domus Domini,in foribus nempe sacerdotalis atrij,quæ domum spectabant Domini,erant, vt vidimus,seniores illi, qui cum thuribulo Deorum imaginibus descriptis in pariete diuinos impendebant honores: erant item vigintiquinque viri intra *sancta*, ad vestibulum interioris ædis, quæ *Sancta sanctorum* nominatur; dorsis ad oraculum inuerecundè conuersis. Hos ego seniores esse arbitror; imò in seniorum concilio viri principes. Ab his ergo primùm incipit cædes,quia proximi aderant, neque digni erant, quorum frontibus imprimeretur salutare signum. Vnde Deus aliis maturè præscribit, quemadmodum suo sibi capiti cauere debeant: cùm domui suæ non existimauerit esse parcendum. Quod planè Petrus iudicauit epist. 1. cap. 4. qui cùm hunc Ezechielis locum adduxisset, aut certè ad illum esset allusum; addidit: *Si autem primum à nobis* (incipit iudicium) *quis finis eorum, qui non credunt Euangelio.* 36.

Qui præsūt aliis primùm, & grauissimè puniuntur.

Contaminate domum, & implete atria interfectis.] Licèt seniorum peccata armatas vindicum manus accerserent, irritaréntque,sicut etiam prius diuinum furorem inflammauerant; tamen antiqua templi religio, quæ non videbatur occisorum sanguine polluenda, retardabat à cæde manus: quare cunctabundi,ac lenti vindices illi videbantur iniunctum sibi negotium aggressuri. Hos igitur hortatur Deus, ne timide obeant datum sibi negotium; neque de templi religione curent, quod iam non deputat suum, quódque sordes longè turpiores iam antea fœdauerant. Cùm enim iam diu,& impiæ religioni,& publicæ luxuriæ patuerit; imbui posse videtur humano sanguine, & stratis vbique cadaueribus pollui. 37.

Vers.7. *Egredimini,& egressi sunt.*] Peracta cædes est, spectante Domino; & occisi in templo quotquot ibi ducente Deo, viderat Propheta. Quia verò res festinatò agebatur, iubet iterum Deus, vt egressi de templo, neque quicquam cunctati ciuitatem lustrent, eodémque feruore, atque impetu in alios omnes, qui salutari signo notati non essent, grassarentur; quod à sex viris è vestigio tentatum, & dicto citius completum est. 38.

Vers.8. *Et cæde completa,remansi ego.*] Quasi dicat,extinctis aliis tam in templo, quàm in vrbe, solus ego remansi. Laborant hoc loco interpretes, quomodo verè affirmare potuerit Ezechiel solum se ex illa strage fuisse superstitem. Cùm illi etiam interitum effugerint, quotquot antè fuerant in fronte signati. Eam ob causam existimat Hieronymus, illud *remansi ego*, à Septuaginta fuisse sublatū: ne aliquid in Scriptura contrarium appareret. quod ita fortasse factū est: sed quia hæc verba apud Theodoretū reperiuntur, nonnulla coniectura est, hæc à Septuaginta omissa non fuisse. Hieronymus ideo putat Ezechielē videri sibi ex omnibus vnum esse reliquū,quia alios,qui in fronte consignati fuerāt, nondum 39.

Quomodo Ezechiel solus è cæde superstes.

nondum aspexerat, sicut 3.Reg.c.19. Elias solum se ex omnibus, qui Deum colerent, relictum clamabat, quia septem alia virorum millia, qui eiusdem religionis erant, non videbat. Quæ sanè solutio in eo laborat, quod non ignorabat Propheta signandos esse aliquos in fronte; quos neque gladius, neque vis alia mortifera contingeret: quare non diceret eo sensu solum se esse relictum.

40. Quare placet magis si dicamus non absolutè dixisse Prophetam, se ex omnibus reliquum, sed ex his, qui in templo fuerāt, in quod à Deo fuerat inductus: quia reuera nemo ibi signatus est Tau: nemo intra templum non occisus. Et si de aliis etiam sermo sit, non puto quicquam contra veritatem, aut vsum loquendi communem dixisse Prophetam. Nam cùm neminem in templo à viro linteato signari cerneret, existimare poterat aut neminem, aut paucos in ciuitate fore signandos: cùm autem ex vsu Scripturæ nullus superesse dicatur, cùm ex magno numero pauci relinquuntur, sanè non præter morem se solum superesse affirmare potuit. Quomodo post hæc alij quoque occisi fuerint in templo, dicemus cap.11.

41. *Ergóne disperdes omnes reliquias Israël.*] Quia redundare sanguine ciuitatem viderat, aut putabat Propheta, vt coniectare poterat, ex ea strage, quam sex illi viri in ipsis templi penetralibus ediderant, clamat ad Deum ciuium patriæque misertus, & quia, vt arbitratur hic Scholiastes, è ciuium moribus nihil habebat, quod ad leniendum iudicis animum opponeret, ab ipsa Dei natura ad lenitatem, & misericordiam propensa argumentum sumit: & quasi admirabundus ait: Eheu Domine, sic genus nostrum iactabis hostiliter, vt nullas ex eo velis esse reliquias? Egisti populum in exilium, magna ciuium parte vrbē exhausisti: satis videbantur haustum esse pœnarum; nunc, vt video, durus esse pergis in populum tuum, vsquequo tandē furor iste desæuiet?

42. Vers.9. *Iniquitas domus Iuda magna est nimis valde.*] Auxesis Hebræis familiaris, quæ rei magnitudinem vocis geminatione siue eiusdem, siue coniugatæ, aut idem significantis amplificat. Sic Mat.2. *Gauisi sunt gaudio magno valde.* Heb. est במאד מאד *bimod meod.* id est, in valdè valdè. quasi dicat, eò progressā est, vt nulla fieri posse videatur accessio. Appellat autem domum Israël, quia è decem tribus multi, etiam viuo Ieroboam ad duas alias tribus aggregati sunt.

Repleta est terra sanguinibus.] Sanguines plerūque pro cæde sumuntur, ac violentia, sed interdum pro quolibet peccatorum genere: quia hæc à carnis, & sanguinis ardore, atque intemperantia proueniunt. Cùm autem omnis terra sanguinibus repleta sit, quid mirum si ciuium exūdet sanguine, & cadaueribus latè consternatur. Auersio licèt peccatum omne sit; quia per illud se homo ad commutabile conuertit bonum, & auertit à Deo, tamen hìc pro idololatria sumitur, qua homo à vera religione, ad vana, atque stulta sacra prolabitur. 43.

Dixerunt enim: Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.] Hunc locum cap. 8. ad versum 12. exposuimus, vbi hæc eadem propè verba occurrunt.

Vers.10. *Non parcet oculus, neque miserebor.*] Hæc etiam nuper explicuimus, vers.5.

Vers.11. *Feci sicut præcepisti mihi.*] Interim dum oraret Ezechiel, & à populo suo deprecaretur cladem, vir linteatus signabat lugentium frontes; & alij viri sex, quos sine illo salutari signo deprehendebant, gladio mactabant. Cur verò linteatus tam citò redierit, ostenderitque quod accepisset à Domino negotium fuisse perfectū, non autem sex alij, in quorum manibus erant vasa mortis, cùm non minus citò, ac fideliter datas sibi partes expleuissent, ea videtur esse ratio, quia Dei clementissimus animus, magis videri poterat sollicitus de salute iustorum, quorum frontes consignari voluit: quàm de peccatorum interitu, quos gladio permisit deuoranti, vt placet Polychronio, & vt eo nuncio solaretur mœrentem Ezechielis animum, qui iam actum esse putabat de gente sua. 44.

Dei clementia.

IN CAPVT DECIMVM.

ARGVMENTVM.

VIDET iterum Propheta quadrigam, quam latiùs in principio descripserat; ostenditque quemadmodum is, qui in solio supra currum insederat, linteato viro præceperit, vt acceptas prunas ex loco, qui medius erat inter Cherubinos, & rotas, in ciuitatem iniiceret. Deinde describit currum, & animalia, quæ ad quatuor angulos illius constiterant, quæ tunc primùm, quod ignorabat antea, Cherubinos esse cognouit.

CAPVT X.

1. *ET vidi, & ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubim, quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solij, apparuit super ea.*

2. *Et dixit ad virum qui indutus erat lineis, & ait: Ingredere in medio rotarum, quæ sunt*

PARAPHRASIS.

1. ALia rursus species primæ quàm simillima mihi obiecta est: in nube etenim expansâ, quæ Cherubinorum imminebat capiti, oblatus est quasi sapphirinus lapis in solij cuiusdam similitudinem efformatus.

2. Qui verò in illo sedebat throno linteatum virum, qui mandata sibi iniuncta comple

sunt subtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatem. Ingressúsque est in conspectu meo.

A compleuerat, in hunc modum alloquitur: Ingredere inter rotas, supra quas extant Cherubinorum capita, & ex igne, qui in illorum medio intrinsecus ardet, prunas sume, quàm maximè potest manus capere, quas ad vastandam incendio ciuitatem effundes. E vestigio autem ille spectante me in medium illum locum ingressus est.

3. Cherubim autem stabant à dextris domus cùm ingrederetur vir, & nubes impleuit atrium interius.

3. Cherubini, cùm vir ille candidatus ingrederetur, ad dexteram partem tabernaculi secesserant: tunc verò iam in
B atrium interius densa sese nubes offuderat, quæ mihi insidentem solio Domini maiestatem eripuit.

4. Et eleuata est gloria Domini desuper Cherub ad limen domus: & repleta est domus nube, & atrium repletum est splendore gloriæ Domini.

4. Tunc verò Dei gloria, quæ priùs inter Cherubinos emicabat, inde sese ad limen vsque domus abduxit, & nubes quædam expansa domum totam obsedit, & interius atrium à Domini gloria ingenti quodam fulgore resplenduit.

5. Et sonitus alarum Cherubim audiebatur vsque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis.

5. Et strepitus, qui concussis Cherubinorum alis edebatur, ad atrium vsque
C exterius personabat, non aliter atque tonitruũ esset, quod vox existimatur esse Dei.

6. Cúmque præcepisset viro, qui indutus erat lineis, dicens: Sume ignem de medio rotarum, quæ sunt inter Cherubim: ingressus ille stetit iuxta rotam.

6. Vir porrò linteatus, cùm à Domino mandatum habuisset, vt de medio rotarum, quæ inter Cherubinos visebantur, ignem acciperet; ingressus est statim, séq; quadrigæ rotis quamprimum applicuit.

7. Et extendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem, qui erat inter Cherubim: & sumpsit, & dedit in manus eius, qui indutus erat lineis: qui accipiens egressus est.

7. Ex illo Cherubinorum ordine vnus extensam manum admouit ad ignem, qui inter ipsos ardebat, prunásque sumptas è rotarum medio linteato tradidit, quas vbi primùm accepit, egressus est.

8. Et apparuit in Cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum.

8. Sub Cherubinorum autem alis sese
D quædam similitudo manus offerebat.

9. Et vidi, & ecce quatuor rotæ iuxta Cherubim: rota vna iuxta Cherub vnum, & rota alia iuxta Cherub vnum: species autem rotarum erat quasi visio lapidis crysolithi.

9. Aderant quatuor rotæ iuxta totidem Cherubinos, singulæ singulis adiunctæ, quarum species crysolithi referebat aspectum.

10. Et aspectus earum similitudo vna quattuor: quasi sit rota in medio rotæ.

10. Illarum porrò ea erat similitudo, tam in omnibus forma consentiens, vt qui vnam videret, videre simul omnes existimare posset, perinde atque si rotæ rotis forent inclusæ.

11. Cúmque ambularent, in quattuor partes gradiebantur: & non reuertebantur ambulantes, sed ad locum, ad quem ire declinabat quæ prima erat, sequebantur & ceteræ, nec conuertebantur.

11. In ipso currus incessu, vt in quatuor angulis erant rotæ, sic etiam in qua-
E tuor partibus mouebantur, neque ad alterum declinabant latus, aut vllos faciebant in ambulando flexus; sed quò prima ferebatur rota, iisdem etiam vestigiis sequebantur reliquæ: neque in alterutram partem declinabant.

12. Et omne corpus earum, & colla, & manus, & pennæ, & circuli, plena erant oculis, in circuitu quattuor rotarum.

12. Tota rotarum moles multis erat notata, & quasi stellata oculis, tum modioli, qui quasi colla sunt, vnde radij, qui instar obtinent manuum erumpunt, & pullulant; tum lignei circuli, quibus radiorum inseruntur capita, & nominari pennæ

13. Et

A næ possunt; circuli item ferrei, qui totam illam molem circumdant, & muniunt.

13. Et rotas istas vocauit volubiles, audiente me.

13. Tunc verò primùm planè cognoui rotas illas esse curules, atque volubiles; sic enim illas appellauit Deus, cùm linteato homini, vt de medio rotarum assumeret prunas, imperauit, cuius ego vocem propiùs audiui.

14. Quattuor autem facies habebat vnum: facies vna, facies cherub: & facies secunda, facies hominis: & in tertio facies leonis: & in quarto facies aquilæ.

14. Quilibet autem Cherubinorum quatuor habebat facies, quarum vna erat vituli, qui non abs re nominatur Cherub, secunda hominis, leonis tertia, aquilæ quarta.

15. Et eleuata sunt cherubim: ipsum est animal, quod videram iuxta fluuium Chobar.

15. Eleuati verò sunt Cherubini, qui
B stare videbantur, & gradum moliri; quos
esse cognoui animalia illa, quæ principio
videram ad fluuium Chobar.

16. Cùmque ambularent cherubim, ibant pariter & rotæ iuxta ea: & cùm eleuarent cherubim alas suas vt exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed & ipsæ iuxtà erant.

16. Sic quatuor illæ rotæ ad animalium incessum attemperabant suum, vt ambulantibus illis, aut quiescentibus, ipsæ quoque aut mouerentur simul, aut quiescerent: & si quando illa eleuarentur à terra, ipsæ quoque cum illis, & iuxta illas sursum raperentur.

17. Stantibus illis, stabant: & cum eleuatis eleuabantur, spiritus enim vitæ erat in eis.

17. Rotarum verò atque animalium
siue in incessu, ac motu, siue in quiete,
C ex eo oriebatur tanta consensio, quia vno,
atque eodem agebantur spiritu; perinde
enim mouebantur rotæ, ac si illis spiritus
inesset vitalis.

18. Et egressa est gloria Domini à limine templi: & stetit super cherubim.

18. A limine templi excedere mihi visa est diuina maiestas, & super Cherubinos, vt antea consedisse.

19. Et eleuantia cherubim alas suas, exaltata sunt à terra coram me: & illis egredientibus, rotæ quoque subsecutæ sunt: & stetit in introitu portæ domus Domini orientalis: & gloria Dei Israel erat super ea.

19. Excussis Cherubini pennis, à terra se sursum eleuarunt; cúmque sese foras extulissent, iisdem illos vestigiis sequebantur rotæ. Steterunt autem in ipso portæ orientalis ingressu, quibus diuinæ gloriæ splendor insidebat.

20. Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israel iuxta fluuium Chobar: & intellexi quia cherubim essent.

20. Hæc sunt animalia illa, quæ obie-
D cta sunt mihi ad ripas Euphratis, super
quæ Deus gloriosus, in solio visebatur.
Tunc verò, quod antè non potueram,
Cherubinos esse manifestè cognoui.

21. Quatuor vultus vni, & quattuor alæ vni: & similitudo manus hominis sub alis eorum.

21. Eorum singulis quaterni erant vultus, & totidem alæ; ex quibus sese humanæ manus efferebat species.

22. Et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos videram iuxta fluuium Chobar, & intuitus eorum, & impetus singulorum ante faciem suam ingredi.

22. Vultus illorum his erant vultibus quàm simillimi, quos antè videram ad fluuium Chobar, qui in anteriorem partem intentis oculis, rectos antrorsus gradus moliebantur.

---

1. *Visio eadem, quæ in principio.*



ADEM in hoc capite species describitur, quæ oblata fuerat in principio ad fluuium Chobar, quæ sæpius occurrit Prophetæ, quia valde accommodata materiæ, de qua sæpius occurrit vaticinium; de excidio nempe ciuitatis, & tem-
E pli, quod duce, & auspice Deo, per Chaldæorum aciem comparatum est. Neque mihi dubium est hanc Cherubinorum, & rotarum speciem in templo fuisse à principio, imò cùm à cincinno capitis adductus Hierosolymam Propheta dicitur. Quod hac mihi ratione persuadeo; quia sta-

tim in principio firmamentum fuisse dicitur super caput Cherubim, quod sanè non erat sine solio, vt capite primo demonstratum est. Sanè fuisse hominis imaginem, quasi ex electro, à quo ductus est Propheta, & a quo plures sermones audiuit, eodem descriptam modo, quo primo capite, cap. 8. ad vers. 2. obseruauimus; quæ species in throno sedebat super firmamentum, quare neque hic solium defuisse existimandum est. De Cherubinis nemo dubitabit, cùm eorum mentio cap. 9. v. 3. facta sit, *Gloria Domini Israel assumpta est de Cherub.* Vbi omnes singularem numerum adhibitum esse dicunt pro plurali. De rotis non videtur esse dubitandum, quando modus ipse dicendi iam antea ibidem fuisse rotas, non tunc denuo apparuisse docet. *Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, & ait: Ingredere in medio rotarum.* Adde quòd cap. 43. v. 2. quando iterum Deus in templum intrare visus est, imaginem vidit Isaias, qualem hoc ipso articulo, quod videtur significatum à Propheta, cùm dicit, *Et vidi visionem secundùm speciem, quam videram, quando veni disperdere ciuitatem.* Venit autem hoc ipso tempore, vt apparet. At hæc visio similis dicitur fuisse priori, quæ ad fluuium Chobar oblata primum est. *Et species secundùm aspectum, quem videram iuxta fluuium Chobar.* Sed, vt dixi suprà in cap. 1. illa etiam prima visio exitium spectabat Hierosolymæ.

2. Vers. 1. *Ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubim, quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solij, apparuit super eam.*] Videbatur quidem super Cherubim ad limen domus Domini firmamentum, quod instar erat nubis expansæ; vbi solium erat, & ibi gloria Dei, sed inde ad hoc vsque tempus assumpta fuerat, seu eleuata, quia non apparebat. Quod enim videri desiit, quacunque id ratione contingat, ex vsu Scripturæ sublatum esse, aut non esse dicitur: quemadmodum contrà tunc esse, cùm cognosco, aut videri contigerit. Vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Isaiam, cap. 49. n. 47. Quomodo sine patre, ac matre, ac sine genealogia dicitur Melchisedech ad Heb. cap. 7. quia illius ignorabatur genus. Et Mat. cap. 11. à diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim dicitur pati, cùm tamen semper vim fuerit passum, quia tunc homines illud ex Ioannis prædicatione cognouerunt. Quod tritum est etiam Latinorum vsu, qui sine patre, ac genere illos appellat; quorum pater, ac genus occulta sunt. Sic ergo abiisse dicitur a Cherubinis Dei gloria; quia obducta nube non apparebat, cùm tamen ab eo loco non recessisset. Quare commodè additur, *quasi species similitudinis solij apparuit:* quia occultarat se, *species autem similitudinis solij.* Dei gloriæ apta descriptio.

REGVLA. Tunc aliquid esse negatur, cum non apparet aut cognoscitur.

3. Vers. 2. *Et dixit ad virum qui indutus erat lineis.*] Hæc mihi non leuem mouent coniecturam, vt credam eandem esse hanc visionem, quæ à principio capitis 8. neque enim vir ille linteatus recesserat; qui tamen pars erat quædam visionis octaui capitis; in qua Deus lustrauit templum, & quæ in ipso admittebantur flagitia Prophetæ monstrauit. Ex eodem itaque loco, vnde mandatum dedit, vt Tau inscriberet lugentium frontibus; mandatum hoc secundum dedit, vt ipse se quoque sex aliis viris socium adiungeret, ad inflammandam, & perdendam vrbem. Cur verò qui priùs impresso signo multos à cæde vindicaret, modò operam aliquam nauaturus sit perdendæ ciuitati, ea ratio est; quia è ciuibus nonnulli euaturi erant communem cladem, quia non omnes intemperantes, & flagitiosi; atque ideo oportuit illos esse notatos. Sed quia è ciuitatis ingenti mole nihil futurum fuit a strage, siue incendio liberum; huic quoque cum aliis sex, vt opinor, datum est negotium, vt ciuitati toti flammas inferret.

Ingredere in medio rotarum.] Quemadmodum in curru, atque inter Cherubim fuerit ignis, c. 1. diximus.

4. Vers. 3. *Cherubim autem stabant à dextris domus, cùm ingrederetur vir.*] Si verum est quod putabat Hieronymus, recessisse Dominum à Cherubim, sensus est non obscurus: ascendit enim Dominus ad limen domus, ad sublimem nempe locum, & ad mediam liminis partem; Cherubim autem ad liminis dextram partem substitere. Sed non cogit nos hic locus, vt recessisse Dominum dicamus à Cherubim, aut à solio gloriæ; cùm enim Cherubim, vt primo capite diximus, non essent alligati currui, supra quem firmamentum erat, & in eo solium, quia spiritus vitæ erat in rotis, à quo, non Cherubinorum impulsu, mouebantur, facile, stante subtus è directo curru, Cherubini tantillum ad dexteram liminis, siue Domini partem secedere potuerunt; id verò non est desertos esse Cherubinos, quando eo etiam modo præsentes aderant. Sed credo hoc loco à Propheta designari partem illam, per quam ingressus est linteatus vir. Cùm enim ad quatuor currus angulos starent Cherubini, per illam partem intrauit, vt caperet prunas; quæ dextera erat tam currus, quàm Cherubinorum, qui ad dextrum currus latus astabant. Hieronymus putat sex illos spiritus esse cacodæmones; & ideo tenuisse partem sinistram Domini; & Cherubinos, sanctos videlicet spiritus à dextris constitisse; in ea videlicet parte, quæ iustis debetur; & quæ magis aberat ab ea parte, quam Angeli occupauerant mali. Quod ex eo videri potest verisimile, quòd non dicuntur postea rediisse ad Dominum; sicut rediit, expletis à Domino mandatis, vir linteatus.

Sex viri mali existimantur spiritus.

5. *Et nubes impleuit atrium interius.*] Atrium interius est sacerdotale atrium vbi altare erat æneum, de quo suprà; in quo adhuc erat currus, & Dei gloria iuxta limen domus. Tunc autem expansa nubes est, quæ Dei maiestatem insidentem solio propheticis oculis eripuit: id enim est, vt suprà dicebamus, assumi, seu eleuari Dei gloriam de medio Cherubim. Quare commodè statim adiungitur, *Et eleuata est gloria Domini desuper Cherubim.* Quasi dicat: Gloria Domini, quæ erat super Cherubim, offusa nube videri tunc desiit. Quæ nubes non solùm Dei obtexit solium, sed etiam latè domum totam impleuit.

6. Hîc nonnemo dubitabit, fueritne hæc vera nubes; aut certè splendor quidam emicans è conspectu Domini; diuinique solij maiestate, ac lumine. Hîc puto, Caietanus splendorem esse diceret, cùm Actor. cap. 1. ad illud, *& nubes suscepit eum ab oculis eorum*, negauerit ibi veram fuisse nubem, sed potiùs splendorem. Sed longè hîc dici poterat verisimilius, cùm statim dicatur atriũ repletum splendore gloriæ, & hoc probat Pradus rationibus non infirmis, dicitque *fumo, caligine, tenebris, nube*, in quibus Deus in Scriptura sæpius habitare dicitur, significari Dei gloriam. vt Isai. cap. 6. *Domus repleta est fumo.* 3. Reg. 8. *Repleuerat gloria Domini domum, neque poterant ministrare*

Fumus, caligo, nubes Dei gloriam significant.

ministrare Sacerdotes propter nebulam. Et iterum 2. Paralip.5. v.14. *Impleuerat domus Dei nube,ne possent Sacerdotes stare,& ministrare propter caliginem.* huiusmodi occurrunt exempla non pauca. Cur autem splendor ille fumus dicatur,nubes aut caligo, ea ratio est;quia sicut nubes,aut caligo aciem nobis oculorum obscurant, efficiúntque ne rem, obiectam licèt, & præsentem intueamur; sic etiam multo magis splendor, si nimius est, qualis esse oportet à Domini gloria,præstringit oculos, redditque ad rem, tunc maximè expectabilem, infirmos.Quare splendor ille non immeritò nubes appellatur, quia offusus oculis prospectum eripit,non secus quàm opposita nubes.

7. Satis hæc videntur dici probabiliter; neque loquendi modus, aut nomen nubis admodum premunt hanc explicationem. Verumtamen puto nubem esse illam, quæ diuinam celauit faciem, & domum impleuit totam, & atrium deinde, exterius opinor, illuminauit. ita Hieronymus. *Statim* (inquit gloria Domini) *nube,tenebris, & caligine atrium impleuit.* Cuius sententiæ subscripserunt plerique alij, & quidem, vt capite præcedenti diximus ad vers.3. nubes thronus esse dicitur,ac vehiculum Dei. At dices, qui fieri potest, vt nubes, quæ natura sua splendida non est, atrium splendore compleuerit, cùm potiùs rebus alioqui clarissimis tenebras offundat. Est sanè nubes plerunque obscura, aptaque magis contrahendis animis,& obscurandis terris,quam exhilarandis, aut illustrandis; sed nubes clarissimi luminis opposita; vt in Oriente sæpè,in Occidente sæpissimè obseruamus; sic illuminantur concepto proximè à sole incumbente, & quasi intus inhabitante lumine, vt in natura rerum nihil videamus gratius, & illustrius. Sanè cùm splendorem armorum ingentem exprimere vellet Maro, nihil inuenire potuit illustrius quam nubem,quæ Solis intra se lumen concepisset.Sic autem lib.8.Æneid.

Nubes maxima splendet à Sole.

——— ——— *qualis cum cærula nubes*
Solis inardescit radiis,longéque refulget.

Quanto magis à conspectu Domini nubes splendesceret,& fulgore latè circumfuso templum illuminaret. Vidit Ioannes Apoc. cap.14.v.14.sedentem in nube Dominum, quam nubem candidam esse tradit.*Et vidi & ecce nubem candidam,& super nubem sedentem similem filio hominis.* Matth. cap.15.v.5.à conspectu transfigurati Christi nubes lucida discipulos obumbrauit. Sic puto nubem, quæ templum impleuit, fuisse à conspectu Dei insidentis in ea splendidissimam, ab eaque templum eximio fulgore circumfusum.

8. Vers.5. *Et sonitus alarum Cherubim audiebatur vsque ad atrium exterius.*] De alarum sonitu actum est suprà cap.1. Cur verò eo temporis articulo concrepuerunt Cherubinorum alæ, nihil habeo nisi diuinando coniectare. Capite primo diximus in curru, quo vehi videbatur Deus, ad cuius angulos astabant Cherubini, significari Chaldæorum exercitum; quia currus non tam triumphantis erat,quàm dimicantis Dei. Ad hoc vsque tempus cohibuisse pugnaces spiritus, quibus seruiebant perstrepentes alæ, videbantur Cherubini,& in ipsis Chaldæi, quorum illi personas referebant. Cùm tamen Solymitani excidij maturitas aduenit, & linteato viro, quasi fæciali antistiti,datus est ignis,quem in vrbem iniiceret, & quasi initium faceret pugnandi; ardent & ipsi ad pugnam,& studium suum sonoro pennarum strepitu significant; quasi socij esse vel-

A lent linteati,& ardentes eiaculando faces impuram illam ciuitatem incendio tradere. Nisi forte velis, quod ego potius reor,illo strepitu ex alarum concussu probari, atque laudari e Cherubinis iudicium illud capitale, quod decretum est à summo iudice contra Ierusalem tot prostitutam modis, tot inquinatam sceleribus. Quomodo Apocal.c.19. cùm simile iudicium latum est in Babylonem, à cœlesti choro non minori clamore, ac applausu approbatum est. *Post hæc,* inquit, *audiui quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium Alleluia,laus, & gloria, & virtus Deo nostro est,quia vera, & iusta iudicia sunt eius,qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione*
B *sua: & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius.* Quod etiam clamat Dauid Psal.118. v.137. dum ait, *Iustus es Domine,& rectum iudicium tuum.*Porrò strepitus ille ex alarum collisione sic erat sonorus, vt ad atrium etiam exterius personaret,id est,ad atrium Gentium, quod simpliciter nominari potuit exterius.

Quasi vox Dei omnipotentis loquentis.] Nihil hîc opinor,significari aliud, quam vocem illam fuisse vehementer sonoram: nam quæ magna sunt, illa dicuntur esse Dei;vt *montes Dei, cedri Dei.* nisi mauis in voce Dei tonitruum intelligere; quod tum alibi, tum clariùs Psal.28. vox appellatur Dei,& in hoc posterius inclinant Maldonatus,& 9.

Tonitruum vox Dei.

C Pradus.Hic porrò strepitus cap.1.v.24.fuisse traditur, *quasi sonus aquarum multarum, & quasi sonus sublimis Dei.*

Vers.7. *Et extendit Cherub manum de medio Cherubim.*] Arcere possent candidatum hominem à curru,ex quo sumere iubebatur prunas, quas in vrbem spargeret,tum rotarum horribilis forma, tum ingens ex alarum concussu Cherubinorum strepitus:sed occurrit vnus ex illo ordine,ignémque sumptum è rotarum medio linteato tradidit. Porrò hîc obseruandum antecedens, quod alibi sæpe fit,pro relatiuo sumi. Dicendum enim esset,si ad Latinorum normam loqui velis, extendit Cherub manum de medio sui cœtus, seu 10.
D suorum. De hoc loquendi genere vide Salmeronem Prolego.14. formula 13. interim accipe duo exempla. Genes.cap.5. *Creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.* pro *ad similitudinem suam.* & Marci 1. *Vidit Simonem, & Andream fratrem Simonis.*id est,*fratrem illius.*

Vers.8. *Et apparuit in Cherubim similitudo manus hominis.*] Quæ ex hoc loco ad finem vsque capitis producuntur, iam antea dicta fuerant à Propheta cap.1. & à nobis quàm potuimus diligenter explicata sunt.Cur verò rursus sigillatim, atque minutim explicentur,causa est, & meo iudicio non leuis: quia, vt promptum est cuilibet videre cap.1. locutus est Propheta tum obscu- 11.
E rius, tum etiam quasi dubitando, cùm visionem illam variam, atque multiplicem non potuerit aut spectare commodè,aut explorare,atque examinare perspicuè. Quare addebat singulis fermè rebus illud familiare, & propè legitimum, *quasi, tanquam,* & similia. Nunc verò cùm visionem eandem spectaret propiùs, & per otium posset contemplari faciliùs,quod ibi dubitanter, ac timidè affirmare visus est, id iam clariùs proponit,& affirmat audaciùs. Atque illud *quasi,* quod antea sæpe, vix in hac narratione semel, & iterum auditur. Et ipse interdum aliquid nunc cognouisse se dicit, quod antea sibi nondum fuisse compertum ostendere videtur, de quo statim. Quocirca ab eo,quod reliquum est capitis,abstinendum

nendum

nendum est, nisi vbi aliquid præterea videbitur A interpretis lucem desiderare.

12. Vers. 11. *Ad locum, ad quem ire declinabat, quæ prima erat, sequebantur & cætera.*] Hæc videtur esse descriptio rotarum, quæ currum trahunt, cui adiunctæ sunt; quæ quatuor mouentur locis; quia quatuor sunt, si modò quadrigis alligantur. Sequuntur autem primam necessariò, id est, illam, quæ iugo propior est; quæ licèt simul cum aliis moueatur, prima tamen dicitur moueri; quia propiùs ab equis accipit impulsum, & reuera prima est, quia in conficiendo curriculo reliquas antecedit.

13. Vers. 12. *Et omne corpus earum, & colla, & manus, & pennæ, & circuli plena erant oculis in circuitu* B *rotarum.*] Non facile distingues referri ne hæc debeant ad Cherubinos, seu ad rotas; cùm pronomen *earum*, apud Hebræos masculinum sit, & tam Cherubinis, quàm rotis conuenire possit. Sunt qui hæc ad Cherubinos referunt, in quibus est Theodoretus, quorum ea præcipua, ac penè sola est ratio; quia non videtur quomodo voces istę metaphoricæ *manus, colla, pennæ*, in rotarum naturam formámque conueniant. Sed communiter alij cum Hieronymo rotis hæc accômodant, & quidem qui textum accuratè consuluerit, nullo modo hæc à rotis separare poterit: egerat enim proximè de rotis; & post hæc ad rotas continuò reuertitur, filo omnino, ac tractu con- C tinenti: qui ergo media incidamus, & aliquid à rotis separare putemus? Hæc mihi ratio in re coniecturali grauissima est. Neque verò dura translatio est, quæ hæc humana ad inanimatam rotarum naturam accommodat. *Corpus* enim, seu *caro* totam molem significat, *colla* modiolos; vnde radij tanquam capita pullulant. *manus* radij sunt, *pennæ* circuli lignei, quibus radiorum inseruntur capita. *circuli* verò ferrei canthi, qui summam rotarum partem cohibent, & firmant. Adde quod in circuitu dicuntur esse oculi, & circulis; at quem circuitum, aut quos circulos in Cherubinis oculatos esse dices? maximè cùm cap. 1. oculatæ dicuntur esse rotæ. De Cherubi- D norum oculis nullum verbum, quod non videtur celatum esse Prophetæ, cùm in volubilibus rotis illos agnouerit; neque videtur fuisse prætereundum. Ille verò tot oculorum numeros alacrem indicat, & attentum animum, qui nutus obseruat omnes, & diuinæ voluntatis quodlibet signum, quod veri obedientis symbolum est.

14. Vers. 13. *Et rotas istas vocauit volubiles audiēte me.*] *Obedientiæ symbolum.* Obscurius antea Propheta locutus fuerat de rotis, quia fortasse nō illas planè rotas esse cognouerat, atque ideo prius appellauit אופנים *ophanim*, quæ vox aliquid sonat magis commune, ac etiam in eo genere magis incertum. Tunc verò vocatæ sunt *volubiles*, Heb. גלגל *galguel.* quam vo- E cem reliquere Septuaginta, quæ non obscurè, sed apertè *rotæ* dicuntur, à volubilitate: quod nomen ante Propheta non audierat, neque omnino rotas esse cognouerat. Quia viderat, vt apparet verisimile, rotarum aliquid, aut earum speciem, non tamen illarum aut integram formam, aut expressam. Quis autem clamauerit, vocauerítque גלגל, id est, volubilis rota, incertum est, & hic omnino diuinandum. Quidam vocem esse putant Cherubinorum; eius præcipuè à quo vir, qui erat in stola candida, prunas accepit. Sed hi diuinant, quàm verò rectè, non disputo; meliùs credo coniectaret, qui diceret nomen illud auditum esse à diuina voce, à qua iussus est vir linteatus, vt de medio rotarum ignem acciperet; tunc verisimile est à Deo, qui pluribus fortasse verbis linteato viro de igne sumendo præceptum dedit, nominatum esse גלגל, & tunc plenè Prophetam rotarum formam, & nomen agnouisse.

Facies vna facies Cherub.] Hic locus mirè torsit doctorum ingenia, qui in Cherub faciem agnoscunt bouis; idque meo iudicio necessariò. Cùm deinde tres aliæ subiiciantur facies, hominis, leonis, & aquilæ. Quidam faciem bouis, faciem ideo vocatam esse putant Cherub; quia Cherubini facie depingebantur bouina, quod sanè si verum esset, exoluisset facilè impeditum hunc nodum. Sed qui hæc dicunt, neque probant cogitationem suam, neque vnde probare possint, quicquam habent solidi. Alij eo situ, atque aspectu occurrisse putant Cherubinos propheticis oculis, vt primùm appareret vitulina facies, cúmque iam Cherubinos esse cognosceret, quod ignorarat priùs, faciem illam vituli appellauit Cherub, quia reuera ille idem, qui vitulinam obiiciebat faciem, Cherubinus erat: deinde addidit facies alias, quas etiam facies appellaret Cherub, nisi iam illud priùs in facie bouis apparuisset. 15.

Alij putant faciem appellari Cherub, quia ex ea cum respectu ad tres alias, quas deinde commemorat, cognouit aliquid ibi esse non humanum, sed supra naturæ vires, atque ordinem, & ita coniectasse esse aliquid cœleste, & humano maius. Tunc verò hic erit sensus, vidi primam faciem, & ex ea cognoui esse Cherub; quia illi tres alias additas esse vidi. Sed reuera modus ipse loquendi cogitationem istam, cuiuscumque illa sit, facilè confutat. 16.

Pradus aliam excogitauit satis quidem acutè, quæ rem expedit implexam, & obscuram; neque meo iudicio distortè, si tamen priùs obseruemus, apud Hebræos, sicut etiam apud Græcos familiarem esse figuram quandam, quæ in eadem dictione literas permutat, quam metathesim appellant Grammatici. De Græcis res est nota, apud quos sæpe legis ἔδρακον, ἔπραθεν, pro ἔδαρκον, ἔπαρθον. & κραδία, & κρατερὸς, pro καρδία, & καρτερός. Quod etiam apud Latinos aliquando fit, licèt non adeò frequenter; sic *Alexander, Euander, Tymber*, inuenies aliquando in vocandi casu, *ô Alexandre, ô Euandre, ô Tymbre.* quod obseruauit Seruius ad illum versum lib. 10. Æneid. 17. *REGULA. Literæ in eadem dictione transmittantur.*

Nam tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis.

De Hebræis res est magis vsitata, ac nota, qui leuissimis de causis sæpe literarum ordinem inuertunt, vt accidit in coniugatione Hithpael, in qua, si verba incipiunt à literis dentium, permutantur literæ, & seruilis ת *tau*, locum occupat radicalis, vt à verbo שמר *samar* השתמר dicitur, non התשמר. & in aliis coniugationibus contingit etiam non infrequenter. Vide Pagninum lib. 4. Instit. Regula 12. Duo accipe in nominibus exempla, quæ ad nostrum institutum valde sunt accommodata. Qui כבש *kebes* dicitur, id est, agnus, etiam per metathesim dicitur כשב *keseb.* & שלמה *salmah*, vestimentum, interdum etiam scribitur שמלה *simlah.* Ad hunc ergo modum qui רכוב *rachub* dici potuit, quasi alligatus currui, aut trahens currum, appellatus est כרוב *cherub*, cum eleganti allusione, ad naturam cherubicam, quam illa vitulina facies referebat. Quasi dicat, qui visus est mihi tanquam rachub, id est, currum trahens, quæ vituli descriptio est, ille reuera 18. *Cherub, quid significet.*

reuera erat Cherub. Cherub igitur vitulum significat, quasi iugo curuli suppositus. Neque nouum est vt à iugo quod subeunt animalia equus, bos, asinus, nomen assumant. Sic enim Græcè dicuntur ὑποζύγια; & Latinè *subiugalia*. Quæ nomina audis Matth. cap. 21. v. 5. *Sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* Et quidem si in vlla alia, maximè in subiecta materia valet hæc ratio: nam etiam Cherubim videntur aut sustentare Domini solium, & esse quasi Domini vehiculum, vt vides in arca fœderis. Vnde Deus sedere dicitur super Cherubim; aut trahere currum, in quo Deus inequitat, aut triumphat. Id aut docet, aut indicat Dauid Psal. 17. v. 13. *Ascendit*, inquit, *super Cherubim, & volauit.* vbi pro *ascendit* est רכב, quod equitare significat, aut curru vehi. Et hinc fortasse vocati sunt Cherubim; quia hoc illorum munus in Scriptura sacra præsertim agnoscitur: vt in Ezechiele sæpe, vbi videntur diuinas agere quadrigas, aut illis adsistere, & ex hoc Psalmo, quem modò produximus, cum quo mirè colludit Ezechiel.

19. Vers. 18. *Et egressa est gloria Domini à limine templi, & stetit super Cherubim.*] Eleuata fuerat, vel assumpta gloria Domini de Cherubim, quo sensu diximus suprà: aut quia reuera à Cherubinis recesserat, & supra illos altiùs seipsum extulerat; aut quia, quod probabilius censebamus, circumfusus nube propheticis se oculis subduxerat. Nunc autem cùm exitum à templi limine moliretur, suam sibi quadrigam conscendit, & esse incipit, aut videri super Cherubim, vt se Deum profiteretur, consueto sibi, & quasi legitimo vehiculo. Sed quia ducem hic agit, & vastatorem, aptam stragi, vastationique speciem conseruat Cherubinis; quas principio dederat, cùm primùm horribilem formam obiecit Prophetæ.

20. Vers. 19. *Et stetit in introitu portæ domus Domini orientalis.*] Hæc orientalis porta non erat domus Domini, quia hæc vnam tantùm habebat portam, quæ orientalem regionem spectabat; dicitur tamen esse domus Domini; quia per illam Sacerdotes ad atrium intrabant, vbi domus erat Domini; quod plures habebat portas, vt ex cap. 41. non obscurè constat.

21. Vers. 20. *Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israel iuxta fluuium Chobar; & intellexi quia Cherubim essent.*] Cùm aliquid procul spectamus, neque proprium illius opus intuemur, aliquid concipimus obscurum, & vt Philosophus docuit lib. 1. Physic. cap. 1. magis vniuersale; quare priùs *corpus* agnoscimus, quàm *animal*, & hoc priùs quàm *hominem*. Donec tandem aliquid apparet, quod proprium est animalis, aut hominis: ex quo naturam antè obscuram, & incertam definitè cognoscimus. Spectarat Propheta prius, procul tamen; quia spectarat in cœlo, quod ipsius oculis apertum fuit, quadrigam Domini, cui astabant Cherubim, quos tamen Cherubinos ignorabat, quia opus aliquod illorum proprium, in illo mystico progressu non viderat: quare appellauit animalia. Nunc autem quia propiùs aspicit, eorùmque munus, & studium agnoscit, non iam amplius animalia nominat, sed Cherubinos. Atque ideo cùm dixisset, *ipsum est animal, quod vidi*, subdit, *& intellexi, quia Cherubim essent*; quasi dicat, quos appellaui priùs animalia, hos iam, quia clarior accessit rerum cognitio, Cherubinos appello.


Vers. 21. *Quatuor vultus vni*, &c.] Confirmat 22. Propheta, quod antè de quadriformibus animalibus dixerat; quod quaternos haberet vultus, quaternas alas, & sub iis manuum similitudinem; sed addit, quod tunc ignorabat, illos nimirum esse Cherubinos: quasi dicat de forma, quam tunc adduxi, nihil muto, tantùm addo, quid sub illa specie quadriformi latuerat; naturam videlicet esse cherubicam.

Hic finitur caput 10. Sed priusquam ex illo emergo, libet explorare, vndénam Propheta didicerit Cherubinos esse illos, quos animalium antea nominibus affecerat. Lyra putat formam vituli mutatam esse in formam Cherub, vt constare videtur, aut indicari suprà vers. 14. Sed quænam erat facies ista Cherub? aut vnde norat Propheta certam aliquam esse Cherubinorum formam? Multo certè magis coniectaret ex facie leonis, & facie hominis: nam has duas habuisse dicitur Cherub, in templo, quod sæpe viderat Ezechiel, quia Sacerdos erat, & se vidisse ait postea cap. 41. v. 19. *Duásque facies habebat Cherub, faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte expressam per omnem domum in circuitu.* Quod si facies hominis Prophetæ suaderet esse Chirubinos, iam pridem in illa quadriformi specie hominis imaginem agnouerat. Quare si ex facie vituli coniectare potuit, coniectaret credo ex eo multo faciliùs, quòd cùm tardus esset bos, atque ita tardus, vt locum fecerit prouerbio; esset tamen vsque adeò velox, vt aquilinam æquaret celeritatem. Sed credo, vt priùs ostendi, aliquod opus ibi agnouisse Prophetam, quod naturam proderet cherubicam; quòd nempe super illos equitauerit Deus, quod nunc se vidisse ait, dum dicit v. 19. *Gloria Dei Israel erat super eos.* Et ipse locus, vbi steterant, quæ priùs dicebantur animalia; domus nempe Domini, satis indicabat aliquid esse animali natura superius, neque animal agente Domino illuc esset ingressum. Locus autem ille notus erat Cherubinis, quorum imagines in locis templi maximè arcanis visebantur. Hæc magis videntur expedita, &, vt opinor, vera; sed credo ex diuino consortio plus accessisse lucis propheticis oculis, vt quæ viderat priùs, multo quàm antea, manifestiùs agnosceret.

Cherubini quæ forma.

IN CAPVT VNDECIMVM.

ARGVMENTVM.


ALIA rursus species obiicitur Prophetæ, quæ & peccata detegit populi, & debitis peccatis pondus designat. Ostendit enim principes quosdam viros, qui contra ciuitatem consilia agitabant iniqua, quasi vana forent Ieremiæ, &

aliorum

aliorum Prophetarum oracula: quid autem sibi consilij esset, aut maximè in votis habeant, lebetis & carnium similitudine declarant. Quorum verba longè aliter, quam ipsi vellent, interpretatur Dominus, & illis extra ciuitatem hostili ferro pereundum prædicit. Interim verò cum propheticis oculis species isthæc esset oblata, exanimis repentè cecidit Pheltias, qui in illo concilio scelerato, ac stolido videbatur esse Princeps. Cùm ideo Propheta vehementer doleret, & actum iam putaret de re Iudaica, solatur illum Dominus, melioraque promittit his, qui paulo antea Ieremiæ monitis obsecuti, sub Iechonia commigrarant: minatur autem multo grauiora his, qui reliqui essent in vrbe; eóque nomine, quòd ex illa non essent egressi, sibi valde placebant. Cùm verò ad extremum euanuisset visio, quod in ea futurum aspexisset, ad contribules suos retulit, & exilij socios.

CAPVT XI.

1. ET eleuauit me spiritus, & introduxit me ad portam domus Domini orientalem, quæ respicit ad Solis ortum: & ecce in introitu portæ vigintiquinque viri: & vidi in medio eorum Iezoniam filium Azur, & Pheltiam filium Banaiæ, principes populi.

2. Dixítque ad me: Fili hominis, hi sunt viri, qui cogitant iniquitatem, & tractant consilium pessimum in vrbe ista,

3. Dicentes: Nónne dudum ædificatæ sunt domus? hæc est lebes, nos autem carnes.

4. Idcirco vaticinare de eis, vaticinare fili hominis.

5. Et irruit in me spiritus Domini, & dixit ad me: Loquere. Hæc dicit Dominus: Sic locuti estis domus Israel, & cogitationes cordis vestri ego noui.

6. Plurimos occidistis in vrbe hac, & implestis vias eius interfectis.

7. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Interfecti vestri, quos posuistis in medio eius, hi sunt carnes, & hæc est lebes: & educam vos de medio eius.

PARAPHRASI.

A 1. ASsumpsit me spiritus, & ad illam domus portam induxit, quæ ad orientalem portam spectat, & ideo vocatur Orientalis. Ad ipsum autem portæ limen offendi vigintiquinque viros; & in his erat Iezonias filius Azur, & Pheltias filius Banaiæ, qui principem in ciuitate locum obtinebant.

2. Tunc sic ad me spiritus: Fili hominis, hi sunt viri, quorum cogitationes, & aliquid iniquè, & sceleratè designant; & illorum consilia pessima vastitatem, & pe-
B stem ciuitati moliuntur.

3. Sic verò secum deputant: En iam dudum domus istæ constructæ, neque ab vllo hoste dirutæ sunt. Quid ergo sumus de illarum vastitate solliciti? Ignem nobis minatus est Ieremias in olla succensa: sit ita sanè, sed malumus in illa, quàm extrà perire. En ciuitas lebes est, aut olla, nos carnes sumus; in hoc igitur lebete torreamur.

4. Quocirca contra viros hosce vaticinare, vaticinare, inquam, fili hominis,
C contrà hosce viros.

5. Confestim autem irruit in me spiritus Domini, edixítque vt hæc ipsius nomine denunciarem. Talia loquuti estis audacter, & temerè qualia de vobis nuper: quid præterea taciti vobiscum meditemini, mihi obscurum non est.

6. Plurimis in hac ciuitate armatas, atque cruentas manus intulistis; viásque ciuitatis, & compita stratis cadaueribus implestis.

7. Propterea, hæc dicit Dominus: Dixistis lebetem esse ciuitatem; vos verò
D futuros esse carnes, quæ in illo coquantur. Quod de lebete dixistis non abnuo; de carnibus autem aliter statuo. Sunt etenim carnes interfecti illi, quos vos aut ferro, aut iniquo iudicio sustulistis. Vos autẽ de ciuitate hac extraham, vt ab illa procul extorrem, & ærumnosam vitam transigatis.

8. Gla — 8. Dixi

8. *Gladium metuistis, & gladium inducam super vos, ait Dominus Deus.*

A 8. Dixistis malle vos igne in media ciuitate cremari, quàm hostili ferro foris extingui; subibitis tamen, dicit Dominus, ferrum, quod vobis dicebatis magis esse formidini.

9. *Et eiiciam vos de medio eius, dabóque vos in manu hostium, & faciam in vobis iudicia.*

9. Extraham namque vos de ciuitate hac, & hostili potestati permittam, & pro meritorum mensura de vestro capite iudicabo.

10. *Gladio cadetis: in finibus Israël iudicabo vos, & scietis quia ego Dominus.*

10. Gladio vobis, non igne pereundum est; non in ciuitate, quam vobis dicebatis fore lebetē; sed in extremis finibus Israël.
B Ibi iudicio vobiscum agam, & tunc me verum esse Deum cognoscetis.

11. *Hæc non erit vobis in lebetem, & vos non eritis in medio eius in carnes: in finibus Israël iudicabo vos.*

11. Non erit vestra vobis ciuitas instar lebetis, neque vos tanquam carnes in ea coquemini: in Reblatha, id est, in extremis finibus Israël capitale vobis iudicium subeundum est.

12. *Et scietis quia ego Dominus: quia in præceptis meis non ambulastis, & iudicia mea non fecistis, sed iuxta iudicia Gentium, quæ in circuitu vestro sunt, estis operati.*

12. Tunc autem cognoscetis Deum esse me, iustum videlicet, & cuius intelligentiam nihil lateat, cùm videatis iustum peccatis vestris supplicium rependi. Neque enim ad legem meam vestros finxistis, aut informastis mores; neque tam in
C viuendi modo præceptis meis, atque iudiciis obsecuti estis, quàm illarum Gentium, quæ fines vestros quoquo versùs attingūt.

13. *Et factum est, cùm prophetarem, Pheltias filius Banaiæ mortuus est: & cecidi in faciem meam clamans voce magna, & dixi: Heu, heu, heu Domine Deus: consummationem tu facis reliquiarum Israël?*

13. Interim verò cùm hæc ego spiritu loquerer prophetico, Pheltias Banaiæ filius exanimis occubuit. Tunc ego procumbens in faciem, sic clamans aio: Eheu Domine Deus sic videris de re constituisse Iudaica, vt nullum ex tanto numero velis esse superstitem.

14. *Et factum est verbum Domini ad me, dicens:*

D 14. Tunc ad me Dominus locutus est in hunc modum:

15. *Fili hominis, fratres tui, fratres tui, viri propinqui tui, & omnis domus Israël, vniuersi, quibus dixerunt habitatores Ierusalem: Longè recedite à Domino, nobis data est terra in possessionem.*

15. Fili hominis, fratres tui, qui tecum in exilio viuunt, qui verè tui propinqui, ac fratres vocari possunt, quia tecum simul cum Iechonia transmigrarunt, súntque modò eiusdem fortunæ, atque exilij consortes, salutem obtinebunt, de qua mox, & omnes alij, quibus antea insultabant ciues, qui aliis à patria longè summotis, ipsi in vrbe vt sibi videbantur incolumes, insultabant, & subsannando dice-
E bant: Recedite vos, & quouis Gentium procul abite, & regiam hanc vrbem, & terram antea promissam, & iam pridem à nostro genere possessam habitandam relinquite.

16. *Propterea hæc dicit Dominus Deus, quia longè feci eos in Gentibus, & quia dispersi eos in terris: ero eis in sanctificationem modicam in terris, ad quas venerunt.*

16. Propterea hæc dicit Dominus, quia ipsi meo imperio, & Ieremiæ monitis obsecuti, à patriis finibus procul ad alias Gētes, dissitásque prouincias abiere; efficiam vt labor ille apud externos toleratus expiatorius illis, ac purgatorius sit. Erit autē purgatio illa, ac sanctificatio non longa; quia tandem post aliquod tempus, pa-

A triæ suæ restituentur, ac templo.

17. Propterea loquere: Hæc dicit Dominus Deus: Congregabo vos de populis, & adunabo de terris, in quibus dispersi estis, dabóque vobis humum Israël.

17. Ideo hæc à me illis annunciato: Ego vos, quos antè disperseram è variis regionibus in vnum congregabo; colligam, inquam, vos de terris, ad quas extorres estis delapsi, & Chanaanitidem terram, à cuius possessione nuper excidistis, postliminio restituam.

18. Et ingredientur illuc, & auferent omnes offensiones, cunctásque abominationes eius de illa.

18. Redibunt igitur in patriam, & possessionem antiquam; tunc autem meliora meditati consilia, execranda abominabuntur sacra, & quæ ipsis offensioni fuerunt,
B méque ad iracundiam prouocarunt, procul abiicient.

19. Et dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum:

19. Tunc verò efficiam, vt cor, quod priùs studiis, ac religionibus variis dissectum fuerat, vnum fiat, neque in multa, vt olim, diuersum abeat. Spiritum præterea nouum illorum visceribus inseram, reiecto veteri: & cor obstinatum, & durum, quod effictum videbatur è silice, sic emolliam, vt carnis mollitudinem habeat, non saxi duritiem.

20. Vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciántque ea: & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum.

20. Sic denique fiet, vt præceptis meis
C mores suos informandos subiiciant, vt leges meas custodiant, & seruent, vt ego Gentem illam meum mihi velim esse populum, & illa vicissim me sibi ex omnibus Deum esse velit.

21. Quorum cor post offendicula & abominationes suas ambulat, horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus.

21. At illi, qui in eo sibi placent, quod ex vrbe Solymitana non excesserunt, quíque execrandæ religioni, & Gentilicis abominationibus adhæsere, dabunt impietatis suæ, atque perfidiæ pœnas. Illorum quippe capiti, dicit Dominus, quod studia sua, & cogitationes sceleratè meruerunt,
D imponam.

22. Et eleuauerunt Cherubim alas suas, & rota cum eis: & gloria Dei Israël erat super ea.

22. Post hæc autem excussis alis, inde se Cherubini foras extulerunt, quos eisdē vestigiis rotæ sequebantur, super quæ diuina ferebatur maiestas, & gloria.

23. Et ascendit gloria Domini de medio ciuitatis, stetítque super montem, qui est ad Orientem vrbis.

23. Cùm exiisset igitur ex vrbe quadrigæ insidens diuina gloria, stetit super montem oliuarum, qui ab orientali plaga ciuitatem spectat. Vnde ipse quoque Dominus spectare videbatur ciuitatem iamiam propediem ab hoste vastandam.

24. Et spiritus leuauit me: adduxítque in Chaldæam ad transmigrationem, in visione, in spiritu Dei: & sublata est à me visio, quam videram.

E 24. Vt spiritus me, cùm in Chaldæa essem corpore, eleuauit meum spiritum, vt adesse mihi viderer Hierosolymæ: sic etiā spiritus idem meum iterum spiritum leuauit, atque reduxit in Chaldæam, à qua in visione Dei mihi videbar abscessisse. Cúmque ad transmigrationis socios rediisse viderer, statim species illa ab oculis euanuit.

25. Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini, quæ ostenderat mihi.

25. Illa porrò verba ad exules, qui mecum sub Iechonia in Babylonem commigrarant, ad vnum retuli; quia illorum causa præcipuè oblata mihi noueram.

Vers. 1.

Verſ.1. *Introduxit me ad portam domus Domini orientalem.*

1. ADHVC eſt ſpecies eadem in templo, non tamen in eadem templi parte,ſed,vt cap.10. v.19. vides, ad portam orientalem progreſſa. Hãc ego portam fuiſſe puto in atrio omnium intimo, quæ ideo porta dicitur domus Domini,quia per illam ad *ſancta*, quæ in atrij illius medio viſebantur,aditus patebat. Ad quam non eſt introductus Prophetá, quaſi extitiſſet priùs extra templum; ſed inductus, aut in vno loco traductus in alium, à limine videlicet domus Domini ad orientale veſtibulum.

2. *Et ecce in introitu porta vigintiquinque viri.*] Hi, meo iudicio,diuerſi ſunt ab illis,qui capite octauo dicuntur conuerſis ad ſacrum dorſis, orientē ſolē ſpectare ſupplices;tum quia illi iam viſi fuerant à Propheta;neque apparet cur iterū ſpectari debuerint; tum quia diuerſa illorū atque horum proponuntur ſtudia.Illi ſolem adorãt, Deique religionem,ac maieſtatē contemnunt; hi de re communi væſana conſultatione deliberant: illi inter veſtibulum & altare; hi in orientalis portæ veſtibulo cernuntur.Adde quòd illi dubitanter quaſi viginti viri fuiſſe dicuntur, hi verò ſine vlla particula dubitante, definitè dicuntur vigintiquinque viri.

3. Sed quæret hîc nõnemo,quomodo ſi omnes, quotquot erant in templo, occiſi ſunt, vt cap.9. diximus,verſ.8. *Ergóne diſperdes omnes reliquias Iſraël?* nunc apparent in templo tot viri ab illa cõmuni clade ſuperſtites. Si verum eſſet quod Vatablus putat,hæc,quæ c.11.narrantur ante hunc rerum articulum contigiſſe, omnis prorſus vanuiſſet dubitãdi ratio. Putat enim Vatablus hæc oblata fuiſſe propheticis oculis, ante illa, quæ c.9.& 10. commemorata ſunt. Sic enim ille caput hoc aggreditur. *Iam verò ſuſtulerat me ſpiritus, & adduxerat*,&c. Sed ne mihi probetur hæc ſententia,facit,quia ordo hic oſtenditur, & modus, quo Deus præcipuas templi partes obiuit. in eo verò progreſſu,planè hic vltimò luſtratus eſt locus: nam in limine templi,vbi Dominus conſtitiſſe viſus eſt,& mandata ſex viris, quaſi lictoribus ſuis, & viro linteato tradidiſſe; ſublatus eſt ad orientalem portã, & inde è templo ad lõgum vſque tempus egreſſus. Aliter ergo expediendus eſt hic locus. Primùm puto exiſtimaſſe Prophetam omnes occiſos eſſe,quotquot eſſent in templo.& ideo dixiſſe: *Ergóne diſperdes omnes reliquias Iſraël?* quia omnes quos in tēplo viderat, extinctos videbat. Non autem quicquã norat de his vigintiquinque viris, quos nunc primùm Dominus oſtendit,quia nihil ſpectarat niſi in Aquilonari porta, atque in veſtibulo, ſeu limine domus Dei: at hi ad orientalem portam de rebus deliberaturi publicis conſederant. Quare non temerè cogitabat Propheta,periiſſe omnes, quia ex illis, quos antea viderat, neminem cernebat eſſe ſuperſtitem.

4. At dices ex ea Prophetæ cogitatione nõ probari occubuiſſe cunctos,qui erant in tēplo:at ex eo poſſe idoneè colligi quia ſuppliciū ſumendū eſſe primum dicitur à domo Dei cap.9.v.6. *A ſãctuario*, inquit, *meo incipite.* Sed neque deeſt quid huic etiã obiectioni reſpondeã.Ex cõmuni enim omnium penè Gētium ſermone,domus appellatur per metonymiã, omnes qui in domo plerũque,& quaſi legitimè habitant. Sic Iſaiæ cap.7. qui Regi aderant,ſiue à conſiliis,ſiue ab aliis au-

licis miniſteriis,domus appellatur Dauid. *Audite ergò domus Dauid*;& qui de familia alicuius ſunt, vel familiaribus miniſteriis addicti,non ſolùm è *familia*, ſed etiam *familia* dicuntur,v.g. Regis, an Pontificis. Quare ſi quis dixerit,pereat domus, aut familia hæc;ille ſignificaret pereundum illis, qui ex illa familia ſunt,aut familiæ inſeruiũt.Sic ergo dũ ſex viris à Domino præcipitur, vt à Sãctuario incipiant, illud proculdubio præcipitur, vt à Sacerdotibus incipiant, qui Sanctuario ſeruiunt,& in Sanctuario cõmorantur;& ideo Sanctuarium μελωνυμικῶς appellari poſſunt.Quod nõ ignorarunt ſex illi viri,de quibus ſtatim dicitur, *Cœperunt ergo à viris ſenioribus, qui erant ante faciem domus.* Hi autem erant,qui variis idolorum imaginibus adolebant thura, quos fuiſſe Sacerdotes,& de ſacrario,ipſum ſacrificandi munus planè docet. Neque fruſtrà additum eſt illud, *cœperunt ergo.* quaſi ad imperata conſequenter, à Sacerdotibus cœperint pœnas exigere.

REGVLA. *Domus, aut familia dicuntur, qui de domo, ſiue familia ſunt.*

Et vidi in medio eorum Iezoniam, &c.] Cæteros videtur Propheta non agnouiſſe;neque id mirũ, cùm iam pridem exceſſiſſet ab vrbe. *In medio autem illorum*,nihil eſt aliud quàm *inter eos*; hos autē præcipuè nominauit, aut quia ſolos agnouerat, aut quia, cùm magnam præ ſe ferrent ſpeciem ſanctitatis; mores tamen, atque conſilia longè aberant ab illa ſpecie. 5.

Verſ.2. *Hi ſunt viri qui cogitant iniquitatē,& tractant conſilium peſſimū.*] Solebant principes etiam, ſi ex ordine non eſſent Leuitico,de rebus cõmunibus in tēplo deliberare;in atrio videlicet Iſraël ſeu laicorũ, vt docet Ieremiæ cauſa in templo à Principibus diſceptata.Ierem.26.v.10. *Et audierũt Principes Iuda verba hæc,& aſcenderunt de domo Regis in domum Domini, & ſederunt in introitu porta domus Domini noua, & locuti ſunt Sacerdotes ad Principes,& ad omnē populum.Iudicium mortis eſt viro huic.* Huiuſmodi credo conſilium agitabant hi vigintiquinque viri,vel contra Ieremiam,qui ſub hæc tempora dura populo denunciabat oracula, aut contra patriam, pſeudoprophetarum vaticinatione deluſi. Quænam verò ſint illa conſilia peſſima,ſtatim oſtendit. 6.

Verſ.3. *Nónne dudũ ædificata ſũt domus?*] Heb.ad verbum, *Non in propinquo ædificare domus.* Quorũ hanc eſſe putant ſentētiam quidam ex Hebræis, in quibus ſunt Rab.Dauid,& Rab.Salomõ.Quæ minatus eſt vrbi Ieremias,nempe vaſtandã eſſe à Chaldæis,moram patiuntur,imò & æuum,quare ædificate domos,quaſi diu in illis habitaturi: nã fortaſſe propheticis minis deterriti Iudæi,neque nouas audebant ædificare domos, neque inſtaurare veteres. Quomodo Ieremias eodē vſus argumento cap.29.v.5.ſic ad captiuos loquitur,tãquã ibi diu habitaturos, *Ædificate domos,& habitate,& plãtate hortos,& comedite fructus eorũ.*hãc ſententiã amplectitur Vatabl.⁹,nec improbat Maldon. 7.

Septuaginta longè aliter, *Nónne nouiter ædificatæ ſunt domus?* Ex quibus verbis hanc ſententiam Theodoretus informat.Nónne nuper ædificatæ, atque recõcinnatæ ſunt domus, quas Nabuchodonoſor afflixit, aut euertit, ipſo cõniuente Rege Babylonio? quin igitur,licet clamante, atque obganniente Ieremia,eodē Rege non repugnante nouas domos non excitamus? In quam ſententiam inclinãt Hieronymus,& Maldonatus. Hæc ſententia minus diſplicet quàm ſuperior; neque tamen omninò probatur, quia nõ aptè cum vul- 8.

gata translatione conuenit,vt vides. Illud namque *dudum*, tempus indicat,non quod nuper,sed quod iam antea diu transactum est. Quare aliter ego locum istum accipio, & talem credo stolidi populi fuisse cogitationem. En iam dudum domus istæ constructæ,neque ab vllo hoste dirutæ sunt,ac conquassatæ, quid ergo de illarum excidio soliciti sumus? quasi breui hoc tẽpore quod vrbis stragi Ieremias præfinit, euenturum sit, quod multis abhinc sæculis experta non est. Ita fermè Lyra,Dionysius,& Hugo. Quo argumentorum genere stulti homines aut vitam lõgam, aut longam libertatẽ sibi promittunt.Quasi non videamus quotidie quæ diu perstiterunt,mõmẽ-
9. to temporis corruisse. Hîc obiter notandum,licèt non appareat dixisse Ieremiam, ne quis ædificaret, quia propè iam impendebat hostilis aduentus,& vrbis ruina,esse tamẽ verisimile,ab eo id fuisse ciuibus edictum.Cùm enim diuturnum captiuis minaretur exilium,hortatus est,vt vxores ducerent,cõstruerent domos,& domesticum apparatum in longum sibi tempus instruerent;

Iudæi instãte Chaldæo prohibiti sunt domos ædificare.

cap.29. *Ædificate domos,accipite vxores,&c.*Sic etiam quia non diu futuri erant in ciuitate,prohibendi videbantur, ne vxores ducerent, ac filios susciperent,nõ tam ad vitalem vsuram,quàm ad gladium,& famem. Sanè hoc præcepit Deus Ieremiæ cap.16.*Non accipies vxorem,& non erunt tibi filij.* quod mandatum non vni Ieremiæ datũ existimo, sed omnibus, quibus eadem impendebat calamitas,iuxta modum Scripturę familiarẽ;qui dicit ab aliquo id esse faciendum, quod aliis faciendum esse iubet,aut denunciat. Quemadmodum Ieremiæ id datum est negotij,vt ædificet,& plantet; euellat,& destruat. id est,vt iubeat ædificare,& plãtare,quod fecit cap.29.& iubeat destruendum,aut quod non longè hinc abest, non ædificandum;vt cap.16.edixit ne vxores ducerẽt Solymitani ciues. Sic etiam edictũ ab illo puto, ne domos ædificarent, quia hæc duo coniunxit cap. 29. contrario tamen sensu, cùm longam dicit futuram esse moram apud Babylonios.

Prouerbiũ, hic lebes,nos carnes.

10. *Hæc est lebes,nos autem carnes.*] Varij sunt interpretum sensus,quos enumerare longum esset opus. Cõmuniter omnes existimant in lebete designari Ierusalem; quasi in illa coquendi sint, id est, cruciandi ciues, quemadmodum in olla coquuntur carnes. Sed non eodem omnes modo explicant metaphoram. Theodoretus, & Græci alij interpretes,quorum sententiæ,quidã ex Hebræis,imò ex nostris nonnulli subscribunt, putant allusum esse ad verba Ieremiæ c. 1. vbi ollã succensam videt; in qua, vt ipse statim explicat, exitium portenditur à Chaldæis illatum. Sic ergo accipiebant Iudæi Ieremiæ verba,vt Ierusalẽ quasi olla, seu lebes ferreus esset futura, intra quam non aliter,quàm in lebete carnes, ipsi coquendi essent. Ita tamen rem accipiebant,vt diu crederent sustinere se posse obsidionem;cùm lebes esset ferreus, id est,muri,quorum imaginem lebes referebat, sic essent firmi, vt disturbari, ac labefactari nullo modo possẽt.His se rationibus solebantur Iudæi cõtra durum illud vaticinium: quasi suo tempore non esset euentura Hierosolymæ clades. Huc videtur spectare Iudæorũ responsio,quam sic explicant Rab.Salomon,Lyra, & Maldonatus.*Scimus quidem ciuitatem hanc esse lebetem,& nos esse carnes; verumtamen sicut è lebete carnes non extrahuntur, nisi cocta ; sic etiam nos, nisi senectus ipsa coxerit,atque confecerit prius, non extrahemur.* Quam explicationem, aut probat, aut indicat

A quod cap.12.v.22. idem Iudæi in eandem sentẽtiam dicunt, *In longum differentur dies : & peribit omnis visio.* Neque longè hinc abit Hieronymus, qui sic interpretatur Iudæorum verba:vt illis in vrbe moriendum nõ sit,vt ipsis frequens erat in ore,sed extra in exilio,malè ab hoste mulctatis.

Hæc ergo non improbo, sed quia & ipsa non 11.
aliena sunt à textu, & magnis propterea auctoribus placent,libenter amplector. Verumtamen locum etiam esse puto alij explicationi,quam iã produco. In qua aliquid esse opinor Ironicum, cum allusione ad Ieremiæ verba, quibus minatus est ignem, ferrúmque ciuitati. qualia sunt, quæ cap.38. dixit ad Sedeciam; & quæ portendi
B antea significarat in olla succensa. Quasi dicant Iudæi,gladium nobis minatur Ieremias,& ignẽ; sit ita sanè,sed malumus in vrbe incendio,quàm extra illam interire ferro. Et quando idem Ieremias ollam vidit succensam, in ea olla torreri, atque cremari malumus,sicut carnes solent. En ciuitas lebes est, aut olla, nos carnes sumus : in hac igitur olla pereamus;hîc moriamur,non extrà. Ita Pradus,quia ea ratione optimè putat necti posse vaticinij filum : cùm postea dicantur non futuri cremandi, quod ipsi videbantur eligere,sed gladium,& hostilem manum,quod ipsi nolebant,subituri.Hæc mihi solutio acuta videtur, & quæ optimè expedit, quæ in textu vide-
C bantur implexa: & mihi vehementer placet.

Vers.4. *Idcirco vaticinare de his.*] Graue aliquid 12.
denunciandum videbatur viris; quorum cogitationes plenas iniquitatis ostẽderat, & quia illud audacis est animi;maioríque robore,atque spiritu egebat,quàm humano,ideo statim subditur,

Vers.5.*Irruit in me spiritus Domini,& dixit.*]Mo- 13.
dus hic loquendi vim quandam indicat quasi illatam Prophetæ; ita vt illi repugnare difficile posset. Sed reuera non tam impetus est,qui quasi trahat ignarum,& inuitum, quàm ardẽs quædam illustratio, quæ mentem illuminet Prophetæ,& spiritus addat strenuos, & audaces. Quomodo sæpe spiritus irruisse dicitur in Samson,&
D in alios duces,aut principes Israël,*quibus* hoc dicendi modo iniecta mens indicatur, vt talia velint, ac cogitent, & vt cogitata audeant, atque perficiant vires,& audacia.

Sic locuti estis.] His verbis tacitè continentur 14.
illa,quæ audacter, & impiè tam hîc,quàm antea vigintiquinque viri loquebantur; illud præsertim,de quo modò, *Hac est lebes, nos carnes*, quia accommodatè ad ista sunt vaticinij verba.

Vers.6. *Plurimos occidistis in vrbe hac,& implestis* 15.
vias eius interfectis.] Ex his nonnulla coniectura sumitur vigintiquinque hos viros,non esse è sacerdotali genere, quando ab his plurimi tam in vrbe,quàm extrà occisi dicuntur,auctoritate vi-
E delicet,aut consilio. Et quidem è Iudæorum genere,aut impio iudicio, aut vi etiam armata occisos esse plurimos,quorũ Dominus vindex sanguinem requiret, audimus è Prophetis sæpe, & ab hoc nostro non semel,cap.7.v.23. *Terra plena est iudicio sanguinum, & ciuitas plena iniquitate.* Et cap.9.v.9. *Repleta est terra sanguinibus.*

Vers.7. *Interfecti vestri,quos posuistis in medio eius,* 16.
hi sunt carnes,& hæc est lebes.] Vera docet Dominus esse Iudæorum verba; lebetem nẽpe esse ciuitatem, & ciuium cadaueribus esse complendam; alio tamen sensu : neque enim illi, qui sibi in ciuitate oppetendam esse mortem putabant, quam attulisset non vis aliqua hostilis, sed ætas matura, & senectus grandior : sui futuri erant compotes

compotes voti; cùm illos maneret ærumnosum exilium, aut mors acerba in alieno solo. At in ciuitate strata sunt cadauera aliorum, quos aut impia iudicia, aut vis iniqua peremerint; horum autem respectu appellari potuit lebes Hierosolyma, in qua cocta sunt, idest, extabuerunt occisorum cadauera.

17. Vers.8. *Gladium metuistis, & gladium inducam super vos.*] Significarant suprà Iudæi malle se intra ciuitatem igne, quàm extra gladio inimicorum occumbere; id enim est in lebete coqui tanquam carnes. Id ergo nunc minatur Dominus; quod ipsi horrebant maximè; nempe mortem extra patriam, de qua statim pluribus.

18. Vers.9. *Dabóque vos in manum hostium, & faciam in vobis iudicia.*] Hi vigintiquinque viri rem administrabant Iudaicam, vt ante putabamus, quorum cōsiliis Rex impius, atque infortunatus Sedecias se totum, rémque publicam administrandam tradiderat; est enim verisimile illos esse, qui Ieremiam expetiuerunt ad mortem; quia cedendum esse dicebat Chaldæorum Regi, & ciuitatē illi maturè tradendam. Ierem.c.38. *Dixerunt principes Regi: Rogamus vt occidatur homo iste, &c. Et dixit Rex Sedecias: Ecce ipse in manibus vestris est; neque enim fas est Regi vobis quicquam negare.* Sed hi iidem Principes extra ciuitatem in finibus Israël occisi sunt, aut quo tēpore captus est Sedecias, aut certè cùm rediit iterum Nabuchodonosor, & interfecit plurimos ex his, qui se, excisa iam vrbe, ad Ægyptios præsidij gratia receperunt. De tempore Sedeciæ habes Ieremiæ cap. 52. v. 10. *Et iugulauit Rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis eius; sed & omnes Principes Iuda occidit in Reblatha.* In his autem qui profecti sunt in Ægyptum, fuisse aliquos Principes, liquet ex Ierem.cap.43.

19. Vers.10. *In finibus Israël iudicabo vos.*] *Iudicare,* verbum est ambiguum, quod tam valet absoluere, quàm condemnare in iudicio. Hic ex meritis non est difficile coniectare, quo sensu sumēdum sit. Damnati igitur sunt, & quasi legitimo iudicio destinati, affectíque supplicio viri isti principes in finibus Israël, quia in ipsa fuga deprehēsi cum Sedecia, in Reblatha capitale subiere iudicium. Et facit ad hunc loquendi modum, quod eodem tempore Nabuchodonosor locutus fuisse dicitur iudicia cum Sedecia, credo item cum principibus, quorum iudiciis non ignorabat rē esse administratam Iudaicam, Ierem. c. 39. v. 5. Erat autem Reblatha in finibus Israël, vbi peragendum esse dicitur hoc iudicium.

Principes occisi in Reblatha.

20. Vers.11. *Hæc non erit vobis in lebetem.*] Satis hæc a nobis explicata sunt, dum ostendimus non esse his Principibus in ciuitate moriēdum. Porrò tam *lebetem,* quàm *ollam* pro cruciatibus adhiberi vehementibus, diximus ad illud Ieremiæ cap.1. *Ollam succensam ego video.* Sicut etiam ignis supplicia significat alia, quæ ab igne non sunt. Vide infrà cap.24.v.3. & Michæam cap.3.v.3.

21. Vers.13. *Cum prophetarem, Pheltias filius Banaia mortuus est.*] Hæc omnia, vt constat, oblata sunt Prophetæ, cùm esset in Chaldæa, sed ita oblata, quasi hæc omnia peracta forent in Ierusalem. Ex his quædam occurrunt difficilia; primum, quomodo prophetasse dicatur Propheta, ad viros nempe qui tunc erant Hierosolymis (nam ad illos omnino spectat hoc vaticinium) cùm vox eò nullo modo peruenire potuerit. Respondet Pradus, non quidē tunc Ezechielem verba protulisse prophetica, sed cùm raptus esset, & quādam a seipso extasim passus, vt esse se putabat Hierosolymis, sic etiam ibidem prophetare sibi videbatur; quo tempore, in ipso conatu, actúque prophetandi cecidit repentè Pheltias. Quare hanc huius loci putat esse sententiam. *Cum per visum mihi Deum loquentem audirem, eiúsque verba Principibus Iuda repetere mihi viderer, vnum ex iis mortuum esse videre mihi visus sum.*

Pheltias repentè mortuus.

22. Hæc acutè à Prado, & fortasse verè. Mihi tamē magis videtur verisimile ab Ezechiele reuera prophetante recitata fuisse verba, quæ Dominus inspirando præierat: quæ licèt ad absentes, non tamen otiosè, ac sine fructu referebantur. Sicut multa tā ab hoc Propheta, quàm à plerisque aliis de Tyro, Babylone, Idumæa, Ægypto, cùm tamen abessent quàm lōgissimè, prophetico spiritu, tāquam si coràm adessent, prædicta sunt. Nam qui tunc aderant ex transmigratione prophetanti Ezechieli, referre hæc poterant Solymitanis; sicut quæ Ieremias eisdem per literas edixit cap. 29. eadem per nuncios ad Solymitanos captiuorum opera trāsmissa sunt. Quod sanè facile fuit, cùm ex Ieremiæ capite citato vers.3. sub illud tempus frequentes à Sedecia Babylonem nuncij mitterentur. Adde quòd plurimum intererat hæc in Chaldæa audire captiuos à Propheta, vt minus ægrè ferrent captiuitatis incommoda; neque tamen aut Ieremiam admonentē, aut seipsos, quòd nimium essent creduli, erroris, aut mendacij damnarent. Eo verò consilio, vt statim videbimus, multa dicta sunt, ad confirmandos captiuorum animos. Accedit, quòd vbi nullum apparet incōmodum, voces non figuratè, sed propriè explicari debēt: quare in hāc ego sententiā magis inclino.

Prophetia sæpè ad absentes.

23. Alterum dubium est, an reuera ceciderit repentè Pheltias, vel tantùm in specie visus fuerit occumbere Prophetæ. Quidam imaginarium esse putant, non verum interitū, in his sunt Hugo, & Pradus. Alij tamen plerique verè putant extinctum. Ita cum Hebræis Lyra, Dionysius, Maldonatus; & hoc mihi vehementiùs placet. Tum quia id litera præcipuè sonat, tum quia id plurimi intererat ad vaticinij fidem, quod eò spectabat, vt captiui meliori essent animo, cùm intelligerent, quinam maneret casus illos, qui reliqui forent Hierosolymæ, quósque ipsi prudentes, ac fortunatos prædicabant. Nam cùm grauia in illos denunciasset Propheta, illa pondus habitura videbantur ad fidem, si præsenti aliquo confirmarentur euentu; quem nossent illi, qui reliqua ab eodem prophetante simul audierant. Audierant multa de ciuium, qui Hierosolymæ remanserant, infortuniis, & in his etiā de subito Pheltiæ casu; qui sanè, si verè contigit, reliquis omnibus fidem conciliabat. At quî dices captiui, cùm tam abessent longè, nosse poterant eo rerum articulo principis illius subitum casum? Sanè perquam facile, cùm eo tempore hinc inde nuncij frequentes cōmearent, à quibus & Pheltiæ mortem, & horam ipsam nosse potuerunt, quā verisimile est ab illis propter rei ipsius magnitudinem fuisse notatam. Certè, vt cōstat ex hoc ipso Propheta cap.33.v.21. nuncius venit è Hierosolymis Babylonem, qui Ezechieli dixit vastatam esse ciuitatem; quod sub hoc tempus fieri potuit multo commodiùs, cùm nondum esset obsessa ciuitas, neque hostilibus armis, aut armorum metu interclusæ viæ.

Multi Hierosolymis Babylonem, & hinc eòdem commeantes.

24. Tertiò dubitari quis posset, quomodo hi vigintiquinque viri, cùm illorum frontibus inscriptum non esset salutare signum, interfecti non fuerint ab illis sex vindicibus, & quasi lictoribus,

bus, de quibus suprà, sed ex illorũ numero vnus tantùm Pheltias, quasi ipse solus non esset à linteato viro in fronte signatus. Sed est solutio prompta: nam vaticinium hoc non tam quod in præsenti fit, quasi historicè narrat, quàm futurũ aliquando prædicit. Neque enim qui signum Tau non acceperunt in fronte, qui sanè in ciuitate fuere longè plures, tunc perierunt, cùm signati non sunt, sed cùm capta ciuitas est, aut in ipsa obsidione gladio, aut fame aliquot post annos, vt cõstat. Pheltias verò tunc occubuit, cùm hæc oblata sunt ab Ezechiele. Quare cùm aliorum mortem denunciabat Ezechiel, Prophetam agebat; cùm verò subitam Pheltiæ mortem, historicum potiùs, aut certè quasi historicum videbatur agere; cùm rem non prædiceret futuram, sed referret præsentem. Ex quo magis perspicuè constat; quod modò dicebamus, extinctum verè fuisse Pheltiam.

Qui tau nõ accepere, non statim occisi.

25. *Consummationem tu facis reliquiarum Israël.*] Hic nonnemo prudentiã in Propheta requiret, cùm ex vnius morte, quem tamen ex Domini verbis impium esse cognouerat, cõiectauerit actum esse funditus de reliquiis Israël: cùm etiam ex signo salutari Tau antè didicisset, multos ex ea clade futuros esse superstites. Polychronius ex multo in suos affectu vocem hanc dolenté erupisse existimat. Et quidem ipsa docet amoris natura, vt si quid accidat rei amatæ contrarium, licèt illud quàm leuissimum sit, clamemus tamen cum perturbatione, ac gemitu, dicamúsque actũ iam esse de nobis, atque illis, de quorum incommodo leuissimo dolemus. Qui loquendi modus apud profanos frequens, qui dum eximium aliquid in amore significare volunt, vulnus acu punctum in amato lethale, ac gladiatorium vulnus esse clamat.

Amans in amato nullam plagam leuem esse putat.

26. Alij iuxta hominum vsum locutum esse putãt Prophetam; qui cadente Principe, cadere simul aut putant, aut dicant totam ciuitatem. Sic Ieremias de Iosia Thren. cap. 4. v. 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris*; ac si diceret, illo mortuo nos quoque mortui censeri possumus. Ille enim præstabat nobis id, quod animali spiritus, aut halitus, quo viuit. Apud prophanos obuia sunt exempla, vnum accipe ex Seneca de Hectore in Troade,

Principe cadente omnes existimãtur cecidisse.

Tu murus eras (Troiæ) *humerisque tuis*
Stetit illa decem fulta per annos.
Tecum cecidit, summusque dies
Hectoris idem, Patriaque fuit.

Ita Rab. Dauid, & cum eo ex nostris non pauci, sed cùm Pheltias iste neque tam esset reipublicę necessarius; neque qui summæ rei præcessit, aut illam sustentaret; vt hæc de se præconia audire potuerit libentiùs, in priorẽ cogitationẽ inclino.

27. Vers. 15. *Fratres tui, fratres tui, viri propinqui tui.*] Cõsolatur Dominus Prophetam, & in eo quotquot in Babyloniam cum Iechonia Rege transmigrarunt, qui fratres dicuntur, & propinqui Ezechielis; quia cum illo eodẽ in loco, atque eodem instituto viuebant. quasi iam ab illis, qui in patria remanserant, in aliud quasi genus diuulsi. Hæc autem geminatio magnam habet epitasim; quòd indicat, quod statim promissurus est, & magnum esse, & omnino præstandum. Hæc porrò oratio suspensa est, vt vides; neque enim verbum est vllum, in quo tot nominatiui suspensi cõquiescant. Quare aliquid suppleas oportet, aut *obtinebunt salutem illam, de qua postea*, aut aliquid simile. Seu certè nominatiuus absolutè ponitur; quod esse Hebreis familiare, docuimus in nostris Commentariis in Isaiam, ad illud cap. 40. *In die illa radix Iesse.*

Et vniuersi, quibus dixerunt habitatores Ierusalem, longè recedite à Domino; nobis data est terra in possessionem.] Ostendit Deus quid à contribulibus passi fuerint, qui cum Iechonia traducti sunt Babylonem. Insultabant enim illis, vt ex his verbis fit plusquam verisimile, dicebántque procaciter irridẽdo, vt à domo Dei, & ab ipso Deo, quẽ apud se, aut solùm, aut præcipuè habitare putabãt, quã longissimè abirent, sibique regiam vrbẽ, & terrã à Domino promissam habitandam relinquerent. Quibus verbis illos & stulti consilij, & animi plus satis timidi notabant. Sed reuera in eo maximè visi sunt prudentes; in quo maximè iudicabantur stulti, & ab aliis antea, & postea à seipsis, dum essent in exilio; vbi & datum à Ieremia, & susceptum à se consilium condemnabant. 28.

Vers. 16. *Quia longè feci eis in Gentibus, & quia dispersi eos in terris, ero eis in sanctificationem modicã.*] Docet quid populo quondã obsequenti, & nunc apud Babylonios exulanti præstiturus sit; quo & exules meliori sint animo, & Ezechielẽ, qui actũ esse suspicabatur de Iudæorum genere, solaretur. Quia ergo illi iubente Domino, dedere se Regi Babylonio, & procul à patria recesserunt, sanctificationem illis modicam promittit. Quæ verò sit illa sanctificatio modica, admodum obscurũ. Heb. est מקדש *micdas.* quæ vox tẽplum valet, seu sanctuariũ; item sanctificationẽ, seu munditiem. Pro munditie, seu sanctificatione sumit cũ Hieronymo, Dionysius. quam modicã appellat Hieronymus, quia non erant multi, qui cũ Iechonia translati sunt, licèt eorum plerique ad imitationẽ Prophetarũ, qui tunc agebant in Babylonia, idololatriæ collum non summiserint. Sumitur etiã sanctificatio pro templo: vt suprà cap. 9. v. 6. *Et à Sanctuario meo incipite.* & cap. 28. v. 18. *Polluisti sanctificationem tuã.* Thren. 1. v. 10. *Vidit Gentes ingressas sanctuariũ.* Heb. est מקדש, & ita cum Chaldæo accipiunt Vatablus, Maldonatus, & Pradus. Tũc verò sensus esse potest duplex. Alter, quòd Dominus tẽpli loco futurus esset his, qui tunc agebant Babylone; quibus non minus futurus esset præsens, atque propitius, quàm olim in tẽplo. Et hic aptè subiicitur verbis illis irrisoriis, quibus insultarunt alij, qui in vrbe remanserant; dicebãt enim, *longè recedite à Domino*, id est, à domo Domini; seu ab auxilio, quod in tẽplo Deus videbatur habere paratum. Quibus respondet Deus futurũ esse longè aliter, nam ipse tẽplum deseret, vt proximè significarat, dum Domini gloria de templo dicitur excessisse; & captiuis aderit, non aliter atque olim in templo: erit tamen illa sanctificatio modica, quia minor tunc erit multitudo, quæ ad Deum ex eo numero in exilio concurrat, quàm quæ olim, cùm extaret incontaminatum, & sanctum templum Salomonis. Aut certè templum dicitur modicum, quia ille protectionis modus tandiu durabit, quãdiu durabit exiliũ, nã post illud aliud instaurabitur tẽplum ad Salomonij formã, ad quod maiores fient Iudæorum cõuentus. 29.

Deus adest afflictis.

Alter sensus est, Iudæis qui in ciuitate remanserant, eripiendum esse templum, cuius possessionẽ fore sibi existimabãt æternã, & iis, qui cũ Iechonia ex vrbe ad Babylonios excesserant, futurã sanctificationẽ, i. templum aliud fundatum à Iechoniæ nepote Zorobabel; quod quidem, si ad Salomonium referas, exiguũ est. & ita fatebãtur exules ipsi restituti patriæ, Esdræ lib. 1. c. 3. qui & 30.

Salomonis templum antè viderant, & quod recens a Zorobabele excitabatur, aspiciebant.

31. Hæc quidem probabilia, sed est mihi magis verisimile sanctificationem hîc sumi pro purificatione, atque mundititia. Sanctificari enim idem est interdum quod mundari, Num. 31. v. 23. *Aqua expiationis sanctificabitur.* Et 2. Reg. 11. v. 4. *Sanctificata est ab immunditia sua.* Tunc verò sensus est expeditus, & facilis; laborem nempe illum, quem exules tunc in Babylonia tolerabant, futurum illis pro purgatorio igne, aut lustrali sacrificio, quo purgantur peccata, aut expiantur sordes. Quæ quidem expiatio modica erit; quia post annos septuaginta cessabit, postea verò restituentur tam patriæ, quàm templo, accipiéntque illa omnia cumulatè, de quibus postea. Hæc autem explicatio nihil, vt vides, habet distorti; & quæ sequuntur omnia, reddit expedita. Quam sententiam ipse quoque Hieronymus probat, & amplectitur. *Hæc*, inquit, *dicit Dominus, licèt eos parumper a mea Ecclesia separauerim, & inter Gentes dispersérim, tamen ero etiam in sanctificationem modicam, dum meminerint peccatorum suorum, vt qui propter vitia recesserunt de loco suo, propter pœnitentiam ad sedes pristinas redire festinent.* Hæc Hieronymus, cui subscribit Hugo, qui optimè explicat, quomodo dici Dominus possit Sanctificatio modica; quia illis eam mentem iniicit, vt peccata recognoscant antiqua; & illa per pœnitentiam, atque patientiam deleant, quare ex vsu Scripturæ dici illorum sanctificatio potuit, quia vt à peccato mundarentur, & sanctificarentur effecit.

Labor in hac vita purgatio est modica.

32. Vers. 17. *Congregabo vos de populis, & adunabo de terris, in quibus dispersi estis; daboque vobis humum Israel.*] Hæc verba benignitatis plena sunt, & planè consolatoria; quæ regionem promittunt illis, qui ab illa prorsus excidisse videbantur; quámque sibi alij futuram dicebant esse perpetuam. Sed cùm hæc ita sint promissa captiuis, vt aliis qui in patria manserant, interdicta videantur, dubium exoritur satis obscurum, & implexum; an qui cum Iechonia subierunt exilium, soli fuerint in patriam remigraturi; neque aliis, qui excisa vrbe cum Sedecia capti sunt, futura sit remigrandi potestas.

33. Hieronymus, ex aliorúmne sententia, an ex sua, incertum; dicit tamen hoc loco neminem ex his, qui cum Sedecia capti sunt, in patriam remigrasse. Idem putat Hugo, cui plurimum fauet locus iste, neque minùs alius apud Ieremiam cap. 29. vbi sub hieroglyphico duorum Calathorum dissimillima ostenditur fortuna illorum, qui secum Iechonia Chaldæorum Regi tradiderunt, & eorum, qui cum Sedecia capti, & in exilium ablegati sunt. Nihilominus dicendum est, ex his, qui excisa vrbe, extorres acti sunt, redisse nonnullos: quod docet apertè Ezechiel cap. 9. vbi non pauci signantur in fronte, quibus non esset communis illa fortuna subeunda. Et priùs cap. 5. ex tertia parte illorum, qui in omnem ventum erant dispergendi, nonnulli dicuntur colligendi, & in diuino fouendos sinu, & quod hoc loco, de reditu post annos septuaginta promittit his, qui comitati sunt Iechoniam exulem; promittitur item nonnullis ex his; qui Sedecia capto, fugerunt in Ægyptum, Ierem. cap. 44. v. 28. Neque in Cyri decreto, quo laxata est Iudæorum captiuitas, vllus exemptus ex illa multitudine. Cur autem futura fuerit illorum conditio melior, qui prius cum Iechonia, quàm

Non solum illi, qui cum Iechonia, sed etiam qui cum Sedecia abducti fuerant, in patriam redierunt.

A qui deinde cum Sedecia capti sunt, & qua in loco vtrique apud Babylonios fuerint, diximus in nostris commentariis super Ieremiam, cùm Hieroglyphicum de duobus Calathis explicaremus. Cur verò hoc loco à reditu in patrias sedes videantur excludi, qui in vrbe cum Sedecia relicti sunt; ea videtur esse ratio, quia pro tanta multitudine non nisi admodum pauci remearunt. Sanè de his, qui post excisam vrbem, ad Ægyptios, præsidij gratia, confugerunt, remigrasse paucissimos, habes Ierem. cap. 44. v. 28. *Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci.* hanc sententiam amplectitur Pradus.

Ex his, qui cum Sedecia fuerant, rediere pauci.

B Vers. 18. *Et auferent omnes offensiones, cunctásque abominationes eius ex illa.*] *Offensiones, offendicula, & abominationes*, idola sunt, habes eadem verba c. 5. v. 11. hæc eadem vocantur offendicula Ierem. cap. 4. v. 1. & cap. 7. v. 30. Quod sanè fecerunt Iudæi, vbi excocta igni tribulationis scoria vitiorum, minus quam antea impuri remigrarunt. Tunc verò abiecerunt Idola, vnúmque Deum, cuius beneficio libertatem referebant acceptam, venerati sunt. Hæc sæpe à Prophetis repetita sunt. Isaias cap. 1. v. 25. *Excoquam ad purum scoriam tuam: & auferam omne stannum tuum*, &c. *Post hæc vocaberis ciuitas iusta, vrbs fidelis.* Zacharias c. 8. de Hierosolyma restituta ait, *Vocabitur Ierusalem*
C *ciuitas veritatis.* & Ezechiel. cap. 48. in vltimis suæ prophetiæ verbis, *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Sed hic maximè notandum quod in præfatione ad cap. 40. Isaiæ multis probauimus, in Hierosolyma restituta, multo nobiliorem Ecclesiæ statum adumbrari, eóque ferri sæpè Prophetarum animum; & quasi ex vmbra ad corpus, atque ad lucem attolli. Quare si quid occurrit in instaurata Hierosolyma eximium, & illustre, in eo spectandum est aliquid augustius, & magis eximium in Ecclesia, quale est, quod ex hoc loco ad finem vsque huius vaticinij producitur. 34.

Iudæi post exilium idola abiecerunt.

Vers. 19. *Et dabo cor vnum, & spiritum nouum tri-* 35.
D *buam in visceribus eorum.*] Duplex, aut diuisum dicitur esse cor, cùm in diuersa distrahitur; cùm diuersa amat, aut colit, cùm vires illius aliò, atque aliò diffluunt, & ipsum quodammodo dissolutum labescit. Sanè Paulus 1. Cor. 7. diuisum dicit, & quasi duplex cor illius, qui vxorem sibi matrimonio iunxit. *Qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Diuisum autem, aut duplex erat cor illorum, qui Deum colebant, & Baal, ad quos Elias 3. Reg. 18. v. 21. *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Et Oseæ cap. 10. v. 2. cùm de variis idolis, quæ ille colebat populus, sermo esset, subditur,
E *diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Alij in corde vno animorum conspirationem intelligunt, qua & priùs restituti Iudæi ad instaurationem vrbis, & templi consenserunt. De quibus accipi non incommodè potest illud Sophoniæ cap. 3. v. 9. *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.* Sed postea multo magis in ipsis incunabulis nascentis Ecclesiæ præstiterunt primi fideles, de quibus Actor. 4. scribitur, *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.*

Cor diuisum, aut duplex.

Septuaginta alios videntur habuisse codices, & pro אחד *achad*, quod *vnum*, legisse אחר *achar*, quod est *alterum*. Neque translationem hanc improbat Hieronymus, qui sic in commentariis lo- 36.

 quitur,

quitur, *Auferetis cuncta idola, propter quæ offenderatis Deum, & dabo vobis cor vnum vnaris, & seruitutis Dei (vt nequaquam diuersis idolis seruiatis) sine alterum quàm prius habuistis.* Neque parum ad hanc translationem facit, quòd in eodem argumento, & ab eodem Propheta non semel ista coniunguntur cap.18.v.31. *Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* & clariùs cap.36.v.26. vbi tota hæc ad verbum iteratur clausula, *Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum*, &c. *& auferam cor lapideum*, &c.

37. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.*] Hæc verba explicant, quòd non sit cor illud nouum, & spiritus nouus, de quo proximè. Illud nempe, quod antiquas abiicit cogitationes, & meditatur nouas: cui fastidio iam sunt, quæ priùs voluptati fuerant, quod tandem à seipso vsqueadeo deseritur, vt extabuisse videatur, & alterum creatum ex altero. Quale sibi à Deo precabatur Dauid Psal.50.cùm dicebat, *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in*

Prouerbiũ, cor lapideũ.

38. *visceribus meis.* Sed in corde lapideo aliquid præcipuum indicatur, quod è lapide sumitur, nempe indocile aliquid, & obstinata durities. Vt enim silices in alienam aliquam speciem informari non possunt; quia & crepitus in artificis oculos dissultant, & ipsi magistram manum, & scalpri ictus non admittunt: sic antiquæ illæ mentes verè saxeæ neque flectebantur ab eo, quod semel arripuerunt, & ad formas alias, seu disciplinas, se præbebant indociles. Modus hic dicendi omnino prouerbialis est, & apud profanos vsitatus; qui dum aliquem immitem, & inexorabilem esse significant, his ferè verbis explicant, *Cor habes saxeum*, aut *è saxo natus es.* Virgil. lib.4. Æneid.

Cor lapideũ quid.

——*genuit te cautibus horrens*
Caucasus.

Seneca in Hercule Oeteo,

Quæ cautes Scythiæ? quis genuit lapis?

Ouidius 9.Metamorphos.

Nec rapidos silices, solidúmve in pectore ferrum,
Aut adamanta geris.

Tibullus lib.1. Eleg.2.

Flebis, non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in duro stat tibi corde silex.

39. Hoc de corde lapideo. De corde carneo illud obseruandum; in carne significari duo, aliquid nempe deterius, quod spiritum oppugnat, & cum eo implacabiles gerit inimicitias, quo sensu frequenter accipitur in Testamento nouo: aliquid item tenerum, & molle, quia in carne nihil est durum, & intractabile, quæ facilè flectitur, neque ferientem, aut informantem referire solet, quod faciunt ossa, & quæ duram, atque indocilem naturam habent. In hoc sensu caro sumitur hoc loco, non quatenus in ea est infirmitas quædam, & ad luxum, & alia naturæ blandimenta fluxa mollities; sed quatenus mollitudo quædam est, quæ neque diu, neque pertinaciter alteri resistit. Quibus verbis ostenditur homines abiecisse propriam, & alienam assumpsisse naturam, saxeam videlicet, aut feram, in qua aut stupor quidam insit, aut durities quædam intractabilis. Quomodo Niobe cùm propter ingentem dolorem ex subito filiarum interitu conceptum obstupuit, obriguisse dicitur in saxum. Et eiusmodi aliæ referuntur in fabulis metamorphoses, quæ mutatam esse naturam ostendunt. Ad hunc locum respexisse videtur Paulus 2. Cor.3. vbi dixit scriptam esse epistolam *non in*

Cor carneũ.

Cor obstinatum.

A *tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* naturam indicans cordis Iudæorum, & quæ hic ab Ezechiele dicuntur, innuens in Ecclesia potiùs fuisse completa.

Vers.20. *Vt in præceptis meis ambulent.*] Hic apparet mollitudo cordis, atque docilitas, quæ regi se ab alio sinit; formarique ex aliorum potiùs disciplina obsequendo, quam ex suo arbitratu renitendo pertinaciter. Est enim mollis, & obsequentis animi ex aliorum præscripto viuere, & voluntatem propriam alienæ summittere. 40.

Cor molle.

Vers.21. *Quorum cor post offendicula, & abominationes ambulat.*] Hæc verba ad illos spectant, qui manserant in Ierusalem, vt ex fortunæ dissimi- 41.
B litudine aliquid capiant leuamenti, qui tunc erant Babylone captiui. Quid sint abominationes, & offendicula, seu offensiones, diximus nuper ad v.18. *Ambulare cor post offendicula*, aut *in offendiculis*, phrasis est Hebraica; quem etiam imitatus est Hispanus, cui familiare est, *anda occupado, Anda en negocios, anda en malos tratos, anda trasfus appetitos, y antoios*, &c.

Horum viam in capite suo ponam.] Id est, pro eo ac ipsi merentur, punientur. Et quæ in me commiserunt audacter, in ipsorum caput ego deuoluam. Hebraismus hic est, aliis sæpe, & nostro etiam Prophetæ familiaris. cap.9. v.10. *viam eorum super caput eorum reddam.* & cap.16. v.43. 42.
C cap.22.v.31.

Vers.22. *Et eleuauerunt Cherubim alas suas, & rota cum eis.*] Cùm iam accepisset Propheta, quæ ad captiuos, & extorres, & quæ ad Solymitanos ciues pertinebant; neque præterea superesset amplius, mouerunt se ex orientali porta Cherubim, quæ erat in postrema templi parte, & secessit Domini gloria de ciuitate, vbi se Propheticis oculis obiecerat. Discessus autem ille significabat deserendam vrbem à Deo, iam hostili ferro, ac prædationi deuotam. Quomodo cùm iterum templum traditum est Romanis, auditæ dicuntur esse voces, quæ significabant augustum illum locum iam a singulari Domini patrocinio fuisse desertum. Sic enim de illo rerum articulo
D Iosephus lib.7. de bello, cap.12. vbi dicit auditas esse voces in templo, quæ dicebant, *Migremus hinc.* 43.

Ciuitatem deserit Deus ab hoste vastandam.

Vers.23. *Stetitque super montem, qui est ad Orientem vrbis.*] Hic mons est Oliuarum, vnde spectare videbatur Dominus ciuitatem iamiam propediem ab hostibus vastandam, sicut aliquot pòst sæculis Christus in eodem monte consedit, dixitque sic esse ciuitatem euertendam, vt nec lapis quidem maneret super lapidem, Mat.c.24. v.2.& Luc.19.v.41.ex eodem propè loco, & fleuit, & quanta ciuitati clades immineret, prædixit. 44.

Vers.24. *Et spiritus leuauit me, adduxitque me in Chaldæam.*] Sicut immotus corpore, spiritu de- 45.
E ductus in Ierusalem, ibique à Deo futuros rerum euentus edoctus; sic etiam nunc immotus corpore spiritu, quo à Chaldæa peregrinatus fuerat, eodem restitutus est. Quare præsens semper fuit Senioribus illis, in quorum conspectu ecstasim passus est, & illas habuit illustrationes, quas latè per tot explicuit capita. Vt ergo Propheta visus est sibi profectus in Ierusalem è Chaldæa, sic etiam modò visus est in Chaldæam è Hierosolyma remigrasse. Hæc enim omnia tantum in visione contigisse, satis suadet quod statim subiicitur, *Et sublata est à me visio, quam videram.*

Vers.25.

46. Verſ.15. *Et locutus ſum ad transmigrationem omnia verba.*] id eſt, ad Iudæos, qui cum Iechonia in Babyloniam tranſmigrarant; quorum cauſa, vt diximus, hic rerum euentus videbatur oblatus; ne alienæ inuiderent fortunæ, aut A ſua conſilia dementiæ, aut Ieremiæ exhortationem vanitatis, aut perfidiæ damnarent, cùm longè ipſorum melior eſſet futura conditio, quàm illorum, qui in patriæ, ac templi poſſeſſione ſibi blandiebantur.

IN CAPVT DVODECIMVM.

ARGVMENTVM.

QVIA captiui Babylonij, & ſeipſos ſtuporis, quod Ieremiæ credidiſſent, & Ieremiam vanitatis arguebant, cùm viderent contribules ſuos Hieroſolymæ adhuc agere ſuperſtites; quod fore non putarant; ideo varijs modis, atque portentis illorum animos ſedare ſtudet Dominus per Prophetam. Primùm vt oſtendat alios quoque ciues mutaturos eſſe ſolum, iubet vt cum viatorijs vaſis, tanquam aliò commigrans ciuitatem obeat. Et vt Regis, aliorúmque Principum fugam ignobilem, & comprehenſionem in ſeipſo ſignificet, iubet vt parietem perforet, & noctu egreſſus aliorum portetur humeris, obuelata facie; quæ actio planè tragica tragicos Sedeciæ exitus adumbrat. Quia verò obſidionis tempore grauis erit animorum æſtus, & ingens trepidatio; iubet Dominus, vt id quoque portendat dum panem comedit feſtinanter, & pauidè, & aquam mœſtus, ac ſollicitus bibit. Ad extremum ait breui complendas eſſe propheticas minas, quas ipſi in poſteriora ſecula productum iri prædicabant.

CAPVT XII.

1. *ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens:*

2. *Fili hominis in medio domus exaſperantis tu habitas: qui oculos habent ad videndum, & non vident: & aures ad audiendum, & non audiunt: quia domus exaſperans eſt.*

3. *Tu ergo fili hominis, fac tibi vaſa tranſmigrationis, & tranſmigrabis per diem coram eis: tranſmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conſpectu eorum, ſi fortè aſpiciant: quia domus exaſperans eſt.*

4. *Et efferes foras vaſa tua quaſi vaſa tráſmigrantis per diem in conſpectu eorum: tu autem egredieris veſpere coram eis, ſicut egreditur*

PARAPHRASIS.

A 1. LOcutus eſt iterum Dominus ad me in hæc verba:

2. Fili hominis, inter homines habitas ceruicis duræ, atque exaſperantis animi, quibus cùm dati ſint ad videndum oculi, & aures ad audiendum; ipſi tamen perinde atque ſi lignea forent ſimulacra, cùm multa videant, audiántque, quæ ſua maximè noſſe intererat; eo tamen ſunt animo, quaſi vnquam viderint, aut audierint nihil; quibus nempe animales ſunt
B ſenſus, non rationales, & obſequentes: quare animum meum exaſperant, & prouocant.

3. Tu ergo imaginem quamdam exhibe viuam in teipſo, quæ ciuium, qui remanſerunt in vrbe, captiuorum oculis fortunam planè miſerabilem obiiciat. Aſſumes igitur peregrinantis inſignia, & habitum eius, qui ſolum vertit, & in alienas ſedes ab hoſte potentiore traducitur. Hæc porrò aliquot dies ante captiuorum ocu-
C los circumferto. Mutabis autem alias, atque alias ſedes; eſt etenim tranſmigrantis proprium varia ſubinde ſubire diuerſoria, ſi fortè hac ſpecie excitata exaſperatrix hæc natio oculos tandem aperire incipiat.

4. Vaſa verò, quibus vectari ſolent peregrinantium ſarcinulæ, in aliorum oculos produces; &, quaſi occultam fugam medite

tur migrans.

A meditere, egredieris occumbente iam nocte, sicut faciet postea cum Principibus ciuitatis Sedecias Rex.

5. *Ante oculos eorum perfode tibi parietem: & egredieris per eum.*

5. Quia per interrupta, ac perfossa mœnia nocturnam fugam tentabit Sedecias, ideo tu, spectante populo, parietem perfora domus tuæ; & per foramen illud, aut intercisum parietem egredere.

6. *In conspectu eorum in humeris portaberis, in caligine effereris: faciem tuam velabis, & non videbis terram: quia portentum dedi te domui Israel.*

6. In conspectu aliorum, postquam te foras per parietem perforatum extuleris, alij te comprehensum, & captum suis impositum humeris portabunt, efferéntque B in ipsa noctis caligine; velabis autem oculos ne terram videas, per quam alienis traduceris humeris, vt ea specie infortunatum Regem repræsentes, qui captus est noctu, & orbatus oculis: hoc enim habitu quid euenturum sit domui Israel, accommodatè portendes.

7. *Feci ergo sicut præceperat mihi Dominus: vasa mea protuli quasi vasa transmigrantis per diem: & vespere perfodi mihi parietem manu: & in caligine egressus sum, in humeris portatus in conspectu eorum.*

7. Et ego statim me ad id, quod mihi Dominus præceperat, accinxi: vasa protuli viatoria, qualia à transmigrantibus assumi solent, per aliquot dies; & aduesperascente iam die mea mihi manu perforaui C parietem, & cùm iam grauiores incubuissent tenebræ, foras exilij; & spectantibus aliis, alienis humeris portatus sum.

8. *Et factus est sermo Domini manè ad me, dicens:*

8. Post nocturnam illam scenam, illucente iam die, sic rursus ad me Dominus:

9. *Fili hominis, numquid non dixerunt ad te domus Israel, domus exasperans: Quid tu facis?*

9. Fili hominis hauddubiè, cùm hæc abs te fieri inusitata, & tragica viderit exasperatrix, & peruicax domus Israel, dicet: Sat scio, quò spectet, ô Ezechiel, noua hæc D species: tunc sic illorum interrogationi respondebis:

10. *Dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Super ducem onus istud, qui est in Ierusalem, & super omnem domum Israel, quæ est in medio eorum.*

10. Hæc non tam sunt desipientis commenta, quàm Dei per me loquentis oracula. Sic per me dicit Dominus: Hoc durum est onus, & vaticinium graue contra Sedeciam Regem Ierusalem, & reliquam familiam Israel, quæ cum eo est. Hæc est enim vmbra quædam, & typus eorum, quæ Sedeciæ, illiúsque populo iamiam impendent mala.

11. *Dic: Ego portentum vestrum: quomodo feci, sic fiet illis: in transmigrationem, & in captiuitatem ibunt.*

11. Ego portentum sum, & hæc est E imago vobis in me à Domino proposita. Talia illis contingent infortunia, qualia status hic meus, & habitus adumbrat. Abducentur etenim captiui, & in aliena regna transmigrabunt.

12. *Et dux, qui est in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur: parietem perfodient vt educant eum: facies eius operietur vt non videat oculo terram.*

12. Videte quàm aptè vmbra, veritásque consentiant, vt nihil in me sit typicè, cui non in Rege aliquid ex aduerso respondeat. Portabitur etenim Rex captiuus in humeris, captabit tenebras, in quas suam sibi fugam coniiciat: perfodietur paries, per quem nocturnum effugium intendat: obuelatam habebit faciem,

13. Et

ciem, quòd reorum, ac miserorum est; neque liberos habebit oculos, vt terram aspiciat.

13. Et extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea: & adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum: & ipsam non videbit, ibíque morietur.

13. Effundam in illum Chaldæorum exercitum, qui illum non aliter comprehendet, quàm piscatorium rete, aut sagena pisciculos. Deducam deinde in Babylonem, quæ in Chaldæa est, & illius prouinciæ prima sedes, neque tamen illam vnquam videbit; vbi demum aget extremum vitæ diem.

14. Et omnes qui circa eum sunt, præsidium eius, & agmina eius dispergam in omnem ventum: & gladium euaginabo post eos.

14. Omnes porrò, qui regium tegebant latus, quíque illi erant præsidio; & agmina, quæ ciuitatem antè ab hoste defenderant, in omnes terræ plagas longè, latéque dispergam: neque illos multiplex fuga vindicabit à ferro; in quamcumque etenim se partem dederint, dirus illos insectabitur gladius.

15. Et scient quia ego Dominus, quando dispersero illos in Gentibus, & disseminauero eos in terris.

15. Quando autem illos inter Gentes dispersero, & in varias terras latè dissipauero, tũc suis infortuniis edocti me Deum esse manifestè cognoscent.

16. Et relinquam ex eis viros paucos, à gladio, & fame, & pestilentia: vt enarrent omnia scelera eorum in Gentibus, ad quas ingredientur: & scient, quia ego Dominus.

16. Ex illis, quos gladius, fames, & pestilentia tentabunt, eo consilio aliquos eximam ab inundante cæde, vt suorum scelerum magnitudinem aut vltrò ipsa vrgente conscientia, aut ærumnoso vitæ genere inuiti fateantur: vt alieni populi, apud quos ipsi viuent, sibi persuadeant non mihi defuisse potentiam, qua illos defenderem; sed in illis fuisse flagitiorum abundè, quæ dura illa vexatione plecterem. Tunc verò alienæ illæ Gentes me Deum esse verum intelligent.

17. Et factus est sermo Domini ad me, dicens.

17. Post hoc Domini portentum, & verba, aliud rursus portentum, & alia mihi verba Dominus indixit.

18. Fili hominis, panem tuum in conturbatione comede: sed & aquam tuam in festinatione & mærore bibe.

18. Fili, inquit, hominis, sic panem comede, non vt quieto, atque sedato animo esse videaris; sed sollicito, ac pauido, & magnæ cuiusdam pleno perturbationis. Aquam similiter festinanter bibe cum mœrore, ac metu.

19. Et dices ad populum terræ: Hæc dicit Dominus Deus ad eos, qui habitant in Ierusalem in terra Israel: Panem suum in solicitudine comedent, & aquam suam in desolatione bibent: vt desoletur terra à multitudine sua, propter iniquitatem omnium, qui habitant in ea.

19. Et dices ad populum Babylone captiuum, de his qui remanserunt, & adhuc habitant Hierosolymæ, & in finibus Israel: Aderit tempus, cùm panem comedant festinanter, ac pauidè: bibent aquam cum stupore, ac parcè, veluti in ciuitate desolata, vbi pro hominum cibo, ac potu nihil est reliquum. Quia reuera ciuitas desolabitur, & ab ea frequentia deseretur, quam habuit antè maximam.

20. Et ciuitates, quæ nunc habitantur, desolatæ erunt, terráque deserta: & scietis quia ego Dominus.

20. Ciuitates item, quas nunc frequens habitat hominum multitudo, ab hoste vastatæ, à suis deserentur ciuibus: & cùm hæc contigerint, ô Babylonij exules, cognoscetis Deum esse me.

21. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens:*

22. *Fili hominis, quod est prouerbium istud vobis in terra Israel? dicentium: In longum differentur dies, & peribit omnis visio.*

23. *Ideo dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Quiescere faciam prouerbium istud, neque vulgò dicetur vltrà in Israel: & loquere ad eos quòd appropinquauerint dies, & sermo omnis visionis.*

24. *Non enim erit vltrà omnis visio cassa, neque diuinatio ambigua in medio filiorum Israel.*

25. *Quia ego Dominus loquar, & quodcumque locutus fuero verbum, fiet, & non prolongabitur ampliùs: sed in diebus vestris domus exasperans loquar verbum, & faciam illud, dicit Dominus Deus.*

26. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens:*

27. *Fili hominis, ecce domus Israel dicentium: Visio, quam hic videt, in dies multos: & in tempora longa iste prophetat.*

28. *Propterea dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Non prolongabitur vltrà omnis sermo meus: verbum, quòd locutus fuero, complebitur, dicit Dominus Deus.*

A 21. Deinde in hunc modum iterum locutus est ad me Dominus.

22. Fili hominis, quid est, quod prouerbialem in modum, familiari, atque frequenti sermone inter Israelitas vsurpari audio. Aut minæ istæ nugæ sunt, quibus nihil inest ponderis, atque ideo irritæ erunt, & cassæ; aut aliud tempus spectant, nempe illorum, qui nobis longa post tempora succedent.

23. Idcirco hæc de illis loqueris ad exules, qui tecum in Chaldæa sunt. Hæc
B dicit Dominus: Efficiam, ne vltrà prouerbiale hoc verbum audiatur in Israel. Dic ergo de illis imminere iam tempus, quod vera esse ostendet quæ dicta sunt à Prophetis; quæ ipsi procaciter derident, ipsóque rerum euentu probabit propheticis verbis non defuisse pondus, & fidem.

24. Nulla erit à me visio, cuius veritatem, & fidem exitus ipse non probet; neque erit diuinatio vlla, seu vaticinium in Israel obscurum, & lubricum, quæ in
C alias, atque alias explicationes detorqueri possint; qualia plerumque sunt idolorum, & falsorum Prophetarum oracula.

25. Ideo propheticis verbis non aberit fides; quia per Prophetas, meas ego cogitationes aperiam. Quæcumque verò locutus fuero, successu non carebunt. Neque is protrahetur longiùs, sed diebus hisce vestris, ô domus rebellis, & incredula, & loquar, & quod locutus fuero re ipsa præstabo.

D 26. Pòst verò Deus hunc in modum locutus est ad me:

27. Fili hominis hoc verbum frequens est, & penè familiare in ore filiorum Israel. Visiones istæ, atque portenta, quæ nobis hic occinit, longiora designant tempora; multi voluentur dies, antequam successus habeant, & opere ipso compleantur.

28. Idcirco de illis sic vaticinare: Hæc dicit Dominus: Non diu differetur, sicut olim verbum meum, quod terrores vobis, & exitium denuntiat: com-
E plebitur sine dubio, dicit Dominus Deus.

Vers. 2.

Vers. 2. *Fili hominis, in medio domus exasperantis tu habitas.*]

1. DOMVS exasperans dicitur, quæ rebellis est, ceruicémque habet peruicacem, & ferream; aut quæ Dominum ad amaritudiné prouocat; id enim valet verbum Heb. מרה *marah.* Hic verò occurrit primùm explorandum ad quósnam hæc Ezechielis, aut potiùs Domini verba pertineant; ad Hierosolymitanósne, contra quos hoc loco multa iactantur, an contra eos, qui cum Iechonia Babyloniam adierant. Sunt qui putant hæc ad Solymitanos esse referenda; & cum illis hoc tempore agere Prophetam, quasi cum illis habitaret; quos optime vocari posse exasperantes, constat ex his, quæ ex capitibus præcedentibus adduximus. Verumtamen communis est sententia, hæc esse dicta in Chaldæa, non in Ierusalem; neque enim Propheta, ex quo cum Iechonia Babylonem migrauit, Hierosolymam vidit, nisi in spiritu, imò neque in spiritu nunc erat Hierosolymæ, quia etiam in extremo capite vndecimo remigrasse traditur in Chaldæam. Neque minùs captiui Babylonij exasperantes erant, aut rebelles, quàm qui tunc Hierosolymæ degebant, quorum mores profligatos, & perditos nuper spectauimus. Pœnitebat enim exules suscepti consilij, séque stuporis, & Ieremiam migrationis illius suasorem vanitatis damnabant. Quæ res exacerbabat diuinum animum, & furorem vehementer acuebat. Vt ergo soletur captiuos, aut irritantes, atque exasperantes animos tranquillet, & sedet, grauia quædam Solymitanis aut denunciat verbis, aut signis, actionibúsque hieroglyphicis portendit: vt cognoscat populus ille captiuus præclarè secum actum fuisse, qui quod instabat Hierosolymæ malum, declinasset, & leuioribus incommodis longè maiora mala maturè redemisset.

Hæc verba ad captiuos habita.

2. *Qui oculos habent ad videndum, & non vident, & aures ad audiendum, & non audiunt.*] *Audire*, & *videre* voces sunt ambiguæ, quæ tam externis, quàm internis sensibus accommodantur. Imò ad actiones etiam, & externum opus significandum extenduntur. Ita vt auditio, & visio practicæ sint, valeántque audita reipsa complere, & quæ visa sunt, & cognita imitatione exprimere. Ex his non difficile est quid locus iste sibi velit, qui captiuo, atque exasperanti populo oculos tribuit & aures, visum tamen adimit, & auditum. Vident quidem multa, ex quibus cognoscere potuerunt, mitiùs secum agi in Babylone, quàm ferebat barbarum Chaldæorum ingenium, & misera captiuorum conditio. Videbant quid contra eos, qui forent in ciuitate reliqui, molirentur Chaldæi, ex quibus si saperent, coniectare possent, quid illis calamitatis impenderet. Ac sic erant cæci, quasi oculis forent orbati; cùm non intelligerent, quid sibi contigisset boni, quídve alios expectaret mali. Audierunt à Prophetis iam antè, & nunc proximè ab Ezechiele multa, de futuro tam suo, quàm aliorum euentu; sed neque credebant, quæ dicebantur, neque inde ad mores, aliquid hauriebant disciplinæ. Quod omnino perinde est, atque si nihil audiissent, cùm nihilo fierét, quàm antè meliores. Habuerunt itaque animales oculos, & sensus, rationales tamen, aut practicos nó habuerunt. His similia dicuntur de hoc ipso populo Isaiæ cap. 6. v. 9. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat.* Quæ verba adhibuit quoque Christus Matth. c. 13. v. 14. qua de re nos pluribus ad citatum Isaiæ locum.

Cæci & surdi qui.

3. *Quia domus exasperans est.*] Indicium est exasperantis animi aut audire nolle, aut audita contemnere; & ad ea, quæ obiiciuntur, animales afferre, non rationales, & obsequentes oculos. Hæc verò exprobratio in illorum mores maximè conuenit; quibus cum Deus agit familiariùs, quos instituit sæpiùs, & frequentiùs admonet; quósque suos præcipuo quodam titulo, ac ratione vocat. Quales sunt Sacerdotes, Religiosi, quique instituto alicui sacro mores suos formandos alligarunt. Qui si minus, aut quæ occursant frequenter oculis Sanctorum exempla non sequuntur, aut iis, quę quotidie audiunt salutaria monita, non parent, exasperant Deum, ac molestiam afferunt; cùm oculos habeant, & aures, neque tamen intelligant, quæ facto opus sit, aut præstare nolint.

Quis sit exasperans.

4. Vers. 3. *Fac tibi vasa transmigrationis: & transmigrabis per diem coram eis.*] Audierant hactenus multa captiui tam ab hoc, quàm ab aliis Prophetis, quæ tamen non intelligebant. Viderant item aliqua portenta, in quibus tanquam in vmbra spectare licuit & horribilem ciuitatis ruinam, & ærumnosam ciuium conditionem; cùm viderunt Ezechielem illigatum catenis, tádiu mutum, incumbentémque modò in dextrum, modò in sinistrum latus; cùm tamen interea tenuis esset victus, & insulsus; neque tamen visa cognouerát, sicut cognita fuisse oportuit. Iam speciem aliam obiicit, & imaginem excisæ, atque captiuæ Hierosolymæ, & obsidionis longæ, in qua extremæ fortunæ angustias experta est. Iubet enim Propheta, vt habitú assumat eius, qui solum vertit; & in alienas sedes ab hoste potentiore traducitur. Vasa verò transmigrationis illa sunt, quæ homines exportare solent, cùm aliò domicilia transferunt, qualia sunt, quæ longi itineris molestiam leuant, aut quæ, vbicúque consederint loci, domesticis vsibus necessaria sunt. Quas Latini *sarcinulas* appellant: quas qui secum exportant, siue ad viam expromunt conuasare dicuntur. Hispanus diceret *enfardelar.* Hæc ego vasa interpretor transmigrationis; alij baculum accipiunt, penulam, & cucurbitam pro poculo, quæ sunt familiaria peregrinantium, aut transmigrantium insignia. Sed sanè sic res agebatur festinatò, sic inclementer captiui tractabantur à Barbaris, vt non permitterentur hæc secum auferre itineris subsidia, quæ existimari tunc poterant captiuæ, ac miseræ, sed mollioris, atque lautioris fortunæ blandiméta. Sanè transmigrantes illi graue suis humeris impositú pondus querebantur; & adolescentes sub ligno corruisse dicuntur Thren. c. 5. quæ in ipsa profectione aliqui contigisse credunt. Hæc autem vasa, quæcumque illa sint, interdum sumi iubentur, & ante captiuorum oculos circumferri; vt ea occasione quærant quid illa noua rerum species designet, & de aliorum, quos fortunatos prædicabant, fortuna doceantur. Heb. pro *per diem,* est

Vasa transmigrationis quæ.

est יומם *iomam*. ex quo quidam ex Hebræis sonicctant per plures dies cum sarcinulis, ac vasis viatoriis captiuorum obiisse domus, & futurum exilium contribulium suorum portendisse. neque id displicet.

5. *Transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum.*] Pro *transmigrabis*, Septuaginta vertunt, *& captiuaberis*. Sed est omnino idem, nam captiuari eo loco, idem est, quod captiui exhibere specimen. Illa verò transmigratio de loco non est ad oppidum, seu ad regionem aliam, sed ad varias domus, seu vicos ciuitatis eiusdem; quod satis erat ad scenicam illam repræsentationem; sicut in scenis solent angusto loco maxima rerum spatia significari. Illud autem proprium est transmigrantis alias, atque alias mutare sedes: & interim dum ad stabile peruenitur domicilium, varia subinde subire diuersoria.

6. *Si fortè aspiciant, quia domus exasperans est.*] Illud *fortè*, dubitationis aliquid importat de voluntate, sine facultate alterius. Viderant portenta alia, & signa muta captiui Iudæi, neque tamen, quo sensu nuper explicuimus, aspexerant; vel quia non intellexerunt, vel quia non ideo de cogitatione, ac querimonia antiqua quicquam mutarunt. Addit nunc alia non obscura signa, eaque crebrò iubet ante omnium oculos circumferri, vt cum cogitatione antiqua mentem quoque mutent. Sed quia domus exasperans est, id est, quæ Domini mandata non curat, neque quicquam habet pensi, quid dicant faciántve Prophetæ; addubitare videtur, atque ideo addit, *si fortè aspiciant*. quemadmodum illud *fortè* arbitrij libertatem indicet, alibi à nobis dictum est.

7. Vers.4. *Tu autem egredieris vespere coram eis, sicut egreditur migrans.*] Non satis apparet, cur migrans dicatur exire vespere, neque enim omnes qui solum mutant, aut quoquo modo, siue vltrò, siue coacti aliò commigrant, noctu egrediuntur, aut inclinato die. Hieronymus referri hîc putat ab Ezechiele Ieremiæ personam, & in figura fieri, quod in veritate fecit Sedecias. Neque ego aliquid aliud hîc verisimile aspicio. Est autem tunc ex vrbe Sedecias egressus, cùm imminente nocte suam fugam occultari sperabat. De quo 4. Reg. c. 25. v. 4. *Et interrupta est ciuitas, & omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum Regis. Fugit itaque Sedecias*, &c. & clariùs Ieremiæ cap.39. v.4. Illud autem *migrans*, vt opinor, idem est, quod Sedecias, cuius, vt dixi, & nunc, & in hoc capite non semel personam sustinet Propheta; & exitum exprimit planè tragicum.

Sedecias nocte fugit.

8. Vers.5. *Perfode tibi parietem, & egredieris per eum.*] Quia per interrupta, aut perforata mœnia fugit Sedecias, ideo iubetur Propheta, vt domus suæ parietem perfodiat, aut perforet, & per foramen illud, aut partem parietis collapsam egrediatur, idque spectante populo. Ex quo colligo quàm sit illud Rabbinicum figmentum vanum, ac futile, qui subterraneos meatus esse fingunt, per quos nocturnam Rex molitus est fugam: quem tamen ceruа prodidit, quæ venatores Chaldæos ad alterum illius cuniculi foramen deduxit. Quorum mendacium apertè coarguit Scriptura sacra, quæ à Chaldæorum exercitu comprehensum dicit esse Regem, neque subiisse subterraneas latebras; sed per interrupta mœnia sub noctem erupisse.

Rabinorum fabula de Sedeciæ fuga.

Sedeciæ capti Hieroglyphicum.

A Vers.6. *In humeris portaberis, in caligine efferris.*] Vbi noster *portaberis*, Heb. est תשא *tisa*. 9.
quod in voce actiua transtulere è recentioribus multi, cum Chaldæo, neque abnuit Hieronymus, qui se *portabis* transtulisse indicat in Commentariis, dum ait, *Quòd autem dicit in humeris portabis, subanditur sarcinas suas.* Sed *portaberis* habet vulgata, & ita legerunt Septuaginta, & habent omnes correcti codices; neque verba Hieronymi admodum contrà pugnant; nam sæpe, quod hîc notauit Pradus, aliter est in vulgata, aliter dicit se vertisse Hieronymus. Neque enim omnia, quæ in vulgata translatione legimus, Hieronymi sunt, qua de re vide B Bellarminum lib. 2. de verbo Dei. cap. 9. vbi multa adducit de versione Hieronymi varia, quæ ipse interdum corrigit in Commentariis.

In vulgata aliqua leguntur aliter quàm Hieronymus vertit, aut in commentariis corrigit.

Neque sanè videtur regiam personam decere, vt onustus egrederetur ex vrbe, quod perfossus paries, & nocturnus exitus exprimebat: sed neque postea cùm captiuus abduceretur Babylonem potuit cùm cæcus esset, & ab aliis potius videretur asportandus. In humeris igitur portabatur Rex, qui statim atque per interrupta mœnia, seu per parietem perfossum excessit ex vrbe, comprehensus fuit, & ad Regem Chaldæorum alienis delatus humeris, sicut qui capti sunt, inuiti ac renitentes solent. C Quod planè conuincit versus duodecimus, vbi portatus dicitur Rex; neque tunc Hieronymus contrà putat. 10.

In caligine efferreris.] Sub noctem egressus est Sedecias, & cùm non procul ab vrbe, (id est, in campestribus Iericho, quæ, vt auctor est Iosephus lib. 5. de bello. cap. 4. centum ac quinquaginta stadiis distat ab Hierosolyma) comprehensus fuerit, non potuit non esse captus nocturna fuga, quo tempore alienis humeris, aut lacertis constrictus; aut comportatus est; ne quid ad libertatem, aut fugam vtile tentaret. 11

D *Faciem tuam velabis, & non videbis terram.*] Duo in Sedecia considero, quæ velata Ezechielis facie significari possunt. Alterum, quod ex more, quibus aliquid imminet infortunij, facies operitur, vt diximus pluribus ad illud Ieremiæ cap.14. v.3. *Operuerunt capita sua.* & pluribus ad illud Thren. 3. v.43. *Operuisti in furore.* Sic ob sterilitatem mœrentes agricolæ caput operuerunt Ierem. 14. Sic Aman Esther cap. 7. mœrens antequam damnaretur, *festinauit ire in domum suam lugens, & operto capite.* Eam ob causam operire potuit caput suum mœrens Sedecias; quòd depulsus è Regno in hostium potestatem venisset. Velabatur quoque caput his, E qui damnati essent ad mortem, &, vt ego arbitror, si graue aliquod, & horribile forent subituri supplicium, quale est orbari oculis; quod non longè abest à capitali mulcta. De capitali pœna docet Aman, cui simul atque addictus est patibulo, à regiis satellitibus opertum est caput. Hunc igitur Sedeciæ habitum referebat Propheta velata facie; quia non est incredibile Regem siue dolentem, siue damnatum velatam habuisse faciem. 12.

Facies quibus velari solita.

Nihilominus mihi verisimilius est, ideo faciem operuisse Prophetam, quia referre voluit Regem orbatum oculis, qualis ex Reblatha Babylonem vsque profectus est. Neque enim alio modo atque habitu exprimere commodiùs 13.

modiùs potuit cæci Regis infelix simulacrum: non etenim illi exsculpendi fuerunt oculi, vt cæcum cæcus omnino repræsentaret: neque ante illum statum velatos habuit oculos infortunatus ille Rex, quos seruatos, & apertos esse voluit Nabuchodonosor, vt spectata filiorum morte, quos coram ipso obtruncari iussit, regius animus maiorem caperet dolorem.

Portentum quid sit.

14. *Quia portentum dedi te domui Israël.*] Portentum non tam oraculum est, aut vaticinium, quod profertur ore, quàm signum, in quo futurus rerum euentus designatur. Quomodo tam Isaias, quàm duo ipsius filij *Seariasub*, & *festina prædari*, suis nominibus portentum fuisse dicuntur Israël. Isaias cap. 8. *Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Dominus, in signum, & in portentum Israël.* Et iterum Isaias nudus, & discalceatus portentum fuit Ægypto, atque Æthiopiæ seruitutis, & exilij, cap. 20. *Seruus meus Isaias nudus, & discalceatus trium annorum signum, & portentum erit super Ægyptum.* Quia ergo Ezechiel cum vasis transmigrationis, & velata facie statum Hierosolymæ, & Sedeciæ Regis adumbrabat, ideo in portentum dicitur datus à Deo.

15. Vers. 7. *Et in humeris portatus à conspectu eorum.*] Signum hoc est aut eius, qui non sua ducitur voluntate, sed aliena; cùm non tam suis, quàm alienis gradiatur, seu vehatur pedibus; aut illius, qui saucius, aut exanguis est; quem vires nimirum, aut animus deserunt. Quasi ergo captiuus esset, aut exanimatus Propheta trahitur aliorum humeris, non credo molliter, & placidè, sicut infantes à nutricibus solent, sed violenter, & durè, quomodo inimici victi, aut fures deprehensi, non tam gestantur, quàm trahuntur, aut raptantur vi.

16. Vers. 8. *Et factum est sermo Domini manè ad me.*] Superiora noctu peracta sunt; quæ sua nouitate grauiter, vt par est, captiuorum animos perculerunt. Vnde videntur ad familiares, longósque sermones satis vberem habuisse materiam. Cùm ergo post scenam illam planè tragicam iam illuxisset iterum, Prophetam allocutus est Deus.

17. Vers. 10. *Super ducem onus istud, qui est in Ierusalem, & super omnem domum Israël.*] Cùm admirabundi captiui, quis actionis illius hieroglyphicæ sensus esset, exquirerent; respondere iubetur Propheta, vmbram esse ac typum eorum, quæ tam Sedeciæ Regi, quàm toti populo propediem imminebant. Onusti quippe sarcinulis transmigrabunt exules à patria, & Rex ipse cæcus, tanquam velata facie ignominiosè, ac durè traducetur. Quæ omnia eò spectant, vt intelligant captiui Babylonici, non tam fore ciues fortunatos, quàm ipsi & reputabant secum, & non obscurè prædicabant.

18. Vers. 12. *Et dux, qui est in medio eorum in humeris portabitur, &c. facies eius operietur, vt non videat oculo terram.*] Portabitur dux Sedecias humeris, aut hominum, aut iumentorum, qui cæcus erat, aliter fortassè iter illud longum suis confecisset pedibus. Sed, vt nuper dixi, opinor illud opus non tam à benignitate, atque humanitate profectum, quàm ab hostili animo, & grauibus offensionibus irritato. Cui rei aliquid facit coniecturæ, quod priùs portatus dicitur humeris, quàm orbatus oculis; tempus autem illud, quod inter captum, exoculatúmque Regem intercessit, plenum erat indignationis, & furoris, atque ideo non tam gestatum benignè, quàm violenter abductum verisimile est. Hinc etiam liquet, vt suprà putabamus, in velata Prophetæ facie exoculatum Regem significari.

Sedecias captus.

Sunt qui putent Sedeciam cùm ex vrbe fugeret, seruorum suorum humeris esse portatum, vt laboris illius aliqua ex parte molestiam declinaret, quod regiæ videbatur esse personæ, & illius maximè, cuius vires, & animos luxus, & mollior aliqua intemperantia fregisset. Sed grauis illa necessitas, & angustus rerum articulus neque regiæ dignitatis nomen curaret, & omnem abiiceret corporis, animique mollitiem. 19.

Vers. 13. *Et extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea.*] Metaphora vtitur à piscatore sumpta, quæ satis bellè conuenit cum Babyloniorum instituto, atque arte. Qui cùm fluuium habeant magnum, atque piscosum, qui mediam ciuitatem interfluit; artem illam piscatoriam familiarem habent, & quæstuosam. Exercitum igitur Chaldæorum, qui Regem cepit, & quicquid erat in ciuitate pretij, prædatus est; rete Dominus appellat suum, siue sagenam. Ex quo quantumuis explicare se contendat Rex ille infortunatus, non tamen effugiet iactum illum retis, qui non tam est à Chaldæis, quàm à Domino. Quidam illud *rete* non tam piscatorium esse putant, quàm venatorium, ad quod allusisse videbatur Ieremias Thren. cap. 1. v. 23. *Expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorsum.* quod ego quoque probarem, nisi ab ea me cogitatione sagenæ nomen deduxisset, quod planè piscatorium est. 20.

Exercitus vocatur rete.

Adducam eum in Babylonem, in terram Chaldæorum, & ipsam non videbit, ibique morietur.] Traductus est Sedecias è regia vrbe in alienum solum, ad tractum nimirum Babylonicum, vrbémque ipsam magni caput imperij, neque tamen illam vidit, cùm ad mortem vsque ex illa emerserit, quia videlicet ad illam oculos non attulit, quos in Reblatha, in ipso propè Babyloniæ regionis ingressu, Rex ipse Babylonius effodit. Ex his Ezechielis verbis, vt auctor est Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 10. suspicabatur Sedecias tam quæ Ezechiel Babylone, quàm quæ Hierosolymæ vaticinabatur Ieremias esse vanissima, cùm alter diceret ipsum profecturum esse Babylonem, alter Babylonem ab illo visum iri negaret. Quæ duo cùm nullo posset modo componere, vtrumque Prophetam fatuæ cuiusdam vanitatis damnabat. Sed postea experientia comperit vera fuisse magis, quàm ipse vellet tantorum virorum vaticinia. Quod verò mortis genus obierit Sedecias apud Babylonios, diximus in nostris commentariis super Ieremiam ad finem cap. 52. 21.

Sedecias quomodo Babylonem non viderit.

Vers. 14. *Et omnes, qui circa eum sunt præsidium eius, & agmina eius dispergam in omnem ventum; & gladium euaginabo post eos.*] Egressi sunt non pauci cum Sedecia, cùm per interrupta mœnia ad agros vsque Ierichuntinos progressus est, 4. Reg. 25. v. 4. & Ierem. cap. 52. *Interrupta est ciuitas, & omnes viri bellatores nocte fugerunt, &c.* de his hæc videntur explicari posse, quia & ipsi fuerunt non pauci; & iidem capto a Babyloniis Rege in omnem ventum, id est, in omnes, aut in varias partes dicuntur diffugisse, 4. Reg. 25. v. 5. *Persecutus est exercitus Chaldæorum Regem, comprehenditque eum in planitie Iericho, & omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt,* 22.

& reliquerunt eum. Et ita putat Hieronymus hîc, Sed credo sermonem hic esse de illis etiam qui Sedecia elapso, in vrbe remanserunt, aut obsidionis tempore, aut vrbe capta variis rerum euentibus elapsi sunt. Fuisse autem illos plurimos, ex eo fit verisimile, quia multi ad Godoliam ex variis locis, ad quæ præsidij causa diffugerant, se receperunt, Ierem. cap. 40. v. 7. *Cùmque audiussent omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant per regiones, &c. venerunt ad Godoliam.* & vers. 11. *Sed & omnes Iudæi, qui erant in Moab, & in filiis Ammon, & in Idumæa, & in vniuersis regionibus, &c. Reuersi sunt*, inquam, *omnes Iudæi de vniuersis locis, ad quæ profugerant.* Alij verò plures fugerunt ad Ægyptios extincto Godolia, qui tamen non fuerunt ex eorum numero, qui comitati sunt fugientem Sedeciam, vt constat ex Iere. cap. 43. v. 5. Adde quòd modus ipse loquendi non exiguum numerum, sed multitudinem magnam illorum fore significat, in quos Dominus suum euaginabit gladium. *Omnes*, inquit, *qui circa eum sunt, præsidium eius, & agmina eius dispergam.* Post hos igitur Dominus euaginauit gladium eumdem, quem in alios omnes antè distrinxerat, vt ex hoc Propheta satis est perspicuum. Qui contra populos omnes, ad quos præsidij gratia fugitiui confugerant, grauia intorquet vaticinia; quos inuasit, subiugauitque Chaldæus anno postquam euertisset Hierosolymam quinto, vt

Multi Iudæorum ex clade ciuitatis euaserunt.

24\. autor est Iosephus lib. 10. Antiq. c. 11. *Quinto*, inquit, *anno post excidium Hierosolymitanum, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosor vigesimustertius, cum magnis copiis inuasit Cœlesyriam, qua subacta, bellum gessit contra Ammonitas, & Moabitas; & his quoque perdomitis, Ægyptum quoque hostiliter est ingressus, occisóque, qui tunc regnabat, & alio Rege constituto, repertos ibi Iudæos rursus captiuos Babylonem abduxit.*

Quo tempore à Chaldæis subiugatæ regiones Hierosolymæ viciniæ.

25\. Vers. 15. *Et scient, quia ego Dominus, quando dispersero, &c.*] Non putabant Solymitani ciues, illi præsertim, qui Sedeciæ aderant a consiliis, à Domino fuisse vaticinia, quæ a Ieremia, aliisque Prophetis Hierosolymæ audierant; aut quæ ab Ezechiele prædicta Babylone ad regias aures perferebátur. Atque ideo illa cum sibilo excipiebant, & sanna: sed quia stultorum oculi in pedibus sunt, túncque periculum primum intelligunt, cùm in illud tandem inciderunt; hi Solymitani ciues non prius cognouerunt vera esse oracula, & non vana delirantium somnia, quæ audiebant à Prophetis; cùm exusta patria in alias, atque alias, easque non admodum amicas prouincias disseminati sunt, atque ibidem experti, quàm verissima, quæ vana fuisse vaticinia crediderant.

26\. Vers. 16. *Et relinquam ex eis viros paucos à gladio, & fame, & pestilentia, vt enarrent omnia scelera eorum in Gentibus.*] Multi ex Gentibus, qui norant Gentem Israëlitidem populum esse Dei; cùm subactam vidissent à Chaldæo, & spoliatam bonis, seruilem trahere, atque ærumnosam vitam, suspicari possent, aut in Deo non esse fidelitatem, cùm populum, quem in suam fidem, atque tutelam recepisset, prodidisse videretur; aut deesse potentiam, qua illum à Chaldæorum viribus eximeret. Quocirca Deus ex communi clade quosdam eximi voluit; qui in alienos populos latè dispersi, suorúmque iam scelerum conscij, vel vltrò peccata sua faterentur vrgente conscientia, vel certè ærumnoso vitæ genere, in quod essent compacti, quas essent

Iudæi, vagi, & despecti Dei vel potentiam prædicant.

promeriti pœnas inuiti prædicarent. Facile enim sibi persuadere possent externi, quibus exploratum non erat solere interdum iustos acerbe iactari: sceleratos illos esse, quos tam grauia, atque diuturna vexarent infortunia. Quêadmodum amici Iob ex bonorum iactura, corporísque fœda, atque acerba vexatione, in eo aliquid honesti, ac iusti requirebant.

Illud hîc obseruandum, solere stultos, non aliter quàm asinorum, aut boum tardum, atque stolidum genus stimulis doceri, quibus beneficiorum largitas neque suadet aliquid esse boni in altero; neque capit animos quantumuis officiis continenter ornatos. Hi quidem non alia docentur quàm brutorum disciplina, de quibus est illud Isaiæ c. 26. *In tribulatione murmuris doctrina eius.* Ac si dicat, illa solùm doctrina vtilis est eis, quæ gemere, aut murmurare facit homines stimulis in altum adactis. Huc etiam facit illud eiusdem Prophetæ cap. 28. *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* Sic compuncti stimulis, & ipsi aut putabant, aut timebant in seruitutem dati filij Iacob, sua cognouerunt peccata, dignósque se existimarent, vt talia paterentur, qualia sibi imminere arbitrabantur. Gen. 42. *Meritò*, aiunt, *hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ eius, & non audiuimus, idcirco venit super nos ista tribulatio.* Et ibidem Ruben, *Numquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audistis me, en sanguis eius exquiritur.* En quomodo vexatio fecit vt peccatum agnoscerent; illúdque & admissum dolerent, & licèt ignorantes, euulgarent tamen. 27.

Vexatio dat intellectum.

Propria insipientium doctrina.

Faciunt etiam hoc tempore post multa sæcula Iudæi, qui errantes, ac vagi, & omnibus omnino Gentibus odiosi, inuisique parentum suorum scelera fatentur: in quorum caput incubuit sanguis, quem effuderunt impij maiores, quémque in sua, suorúmque filiorum capita precati sunt. Hi ergo dum adeò trahunt miseram, atque fœtentem animam, vt nemo illorum congressum non auersetur; nemo contuictum, aut societatem non horreat, planè fatentur, & innoxium fuisse Christi sanguinem, quem effuderunt, & graui se scelere fuisse constrictos. Qui ideo videntur non fuisse à Romanis priùs, deinde à nationibus aliis, quibus erant odiosi, prorsus extincti, vt perpetuum maneret & Christi innocentiæ, & paterni peccati monumentum: vt quocumque pergerent, non obscurè docerent non esse scelus illud vulgare, propter quod tamdiu, támque seuerè mulcati sunt. Dixit hoc optimè Augustinus in illud Psal. 58. v. 12. *Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei; disperge eos in virtute tua.* 28.

Iudæi inuiti suis in Christum peccatum profitentur.

Obseruandum item maximam esse Deo curam de suo nomine, & eam ob causam fecisse plurima, quæ longè aberant ab hominum meritis, & omisisse interdum aliqua, quæ intemperantes hominum mores exigebant. Peccauerat idem Iudæorum populus ab vtero, de quo Isaias cap. 48. *Scio enim, quia præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ab vtero vocaui te*; & tamen in illum se Deus benignum, ac munificum præbuit; spectabat enim non populi merita, quæ potiùs diuinum instimulabant furorem, quam misericordiam aduocabant, sed nomen suum, cuius gloriæ consulendum volebat. Ideo addidit, *Propter nomen meum longè faciam furorem meum.* Ne si præuaricator ille populus

Deus de suo nomine, atque honore sollicitus.

pulus ab alienæ religionis hominibus impunè vexaretur, cogitaret aliquis Gentium deos potentiores esse Deo Israël. Et ideo paulo inferiùs adiecit, *Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer.* Vt ergo Deus diuini sui nominis gloriæ consuleret, dispersit inter Gentes Iudæorum reliquias, vt non sine graui causa excisam esse vrbem, & Gentem exilio, ac seruituti addictam constaret; & Iudæis ipsis peccatorum numerum, & vim non obscurè clamantibus, cognoscerent alieni quoque populi, neque iniustum, aut infidelem esse Deum, qui populum vsque adeo rebellem, & impurum impunè ab aliis vexari permiserit; neque innocentem esse, cùm illum ab hoste liberare noluerit, quem iustè ferro, ac seruituti destinarat.

30. Vers. 18. *Panem tuum in conturbatione comede, sed & aquam tuam in festinatione, ac mœrore bibe.*] Hæc ad obsidionis tempora spectant, in quibus illæ erunt rerum angustiæ, is animorum angor, vt exiguum illud, quod habebunt alimenti obsessi, cum fletu, ac perturbatione comedant. Cùm paratos cibos, & famem inhiantem conturbet, ac sollicitet metus ex hostium aduentu; aut certè dolor ipse, quem adducet quotidie ciuium, & domesticorũ noua clades; nihil suauitatis percipi sinet ex cibo, quantum ille cumque suauis esset, & ex arte conditus. Sanè ex regio cibo, ac potu nihil capiebat suauitatis Dauid, cùm dicebat Psal. 101. *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.*

31. Sed quærat hîc aliquis, quo signo exprimere Propheta possit comedere se cum perturbatione panem, & aquam dolenter, ac festinanter bibere. Notum est sicut apud nationes alias, Iudæos non tam assidere solitos mensis, quam accumbere; quod à tempore vsque Moysis vsitatum esse ex eo fit verisimile, quia Iudæi comedere iubentur agnum, & azymos cum perturbatione, ac festinanter, Exod. 12. v. 11. quid verò illud sit, explicatur statim, dum illis edicitur, vt accingant renes, & calceamenta habeant in pedibus suis; quia nimirum antea discincti, & cubantes, & sine calceamentis comedebant. Quòd enim soleas accubituri deponerent, docent tam sacri, quàm profani scriptores. Sed quicquid sit de hoc antiquissimo Iudæorum sæculo, certè sub hæc tempora accumbentes epulabantur Iudæi, vt ostendit lecti, atque discubitus, siue accubitus nomen. Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu*

Iudæi nõ assidebant mẽsa, sed accũbebant.

Comedere festinanter quid.

32. *suo.* Accubitus Heb. מסב *masab*, non tam est cubicularis, quàm triclinaris, seu discubitorius lectus. Amos cap. 6. cum lectis mensæ quoque, & cibi componuntur. Et Tobias de lectulo tricliniari surrexit, cùm de mensa surrexisse traditur, Tob. cap. 2. *Statim exiliens de accubitu suo relinquens prandium peruenit ad corpus.* Et clariùs Ezechiel infrà cap. 23. v. 41. *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te, thymiama meum, & vnguentum meum posuisti super eam.* Vt ergo filij Israël egressuri de Ægypto festinanter, id est, cum trepidatione (vt legunt quidam cum Aquila *ἐν θάμβῳ*, quod trepidationem sonat) sic modò Propheta iubetur, vt panem cum perturbatione, ac trepidatione comedat, stans videlicet, & intentus ad fugam, non otioso, atque securo animo, aut stratus in lecto, sicut plerumque faciunt, qui nihil ab hoste patiuntur, aut metuunt. Addo præterea aliquid aliud Prophetæ videri à Domino præscribi, vt sic festinanter, ac trepidè cibum capiat, vt aliquid aliud videatur agere

Lectus triclinaris.

Pauoris signa.

A magis quod vrgeat vehementiùs, vt videlicet, dum vacat epulis, huc, illúcque prospectet, interrumpat esum, in alias se, atque alias partes verset, quod qui in metu sunt, plerumque faciunt. atque ita cibum manu capiat, vt ab altera manu gladium non deponat. Quod faciebant iidem Iudæi in vrbem restituti, quibus cum vndecunque ab hoste vicino se metus ostentaret, altera manu murorum fabricam moliebantur, altera armata ferro imminentem hostem summouebant. Esdræ lib. 2. c. 4. v. 17. *Vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium. Ædificantium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes.* Hæc planè species erat hominum ædificantium in perturbatione, ac trepidatione. Sed de

Cibus non otiosè sumendus.

B comedentibus cum perturbatione fortasse est illud Isaiæ cap. 21. v. 7. *Pone mensam, contemplare in specula, comedentes, & bibentes surgite principes, arripite clypeum.*

Sed & aquam tuam in festinatione, ac mœrore bibes.] Cum festinatione bibenda est aqua; quia neque metus imminentis hostis; & clangore tubarum, aut armorum strepitu perturbatus animus, neque tantillum temporis, quantum exigit exiguus ille haustus, habebit à metu, atque mœrore vacuum. Aut certè quia ea erit fames, ac sitis, vt famelici homines; & æstuantes siti, cibum semesum ex comedentium faucibus extor- 33.

C queant, quod ne paterentur infelices, quicquid erat esculentum, aut potulentum festinatò vorabant. Neque est incredibile idem accidisse Hierosolymæ, cùm obsideretur à Chaldæis, quod accidit multo postea; cùm eadem premeretur à Romanis, de quibus Iosephus lib. 7. de bello. c. 7. *Per singulas domos, sicubi aliqua vestigia cibi apparuissent, bellum illico gerebatur, & amicissimi inter se ad manus veniebant miseris eripientes animis viaticum.* ne igitur quis cibum ex faucibus eriperet, aut hostis etiam domesticus bellum moueret intestinum, cum perturbatione comedebant panem, & aquam festinatò bibebant. Bi-

Cum trepidatione sumẽdum alimentum.

D bentis festinanter, & pauidè accommodatum symbolum est. Canis è Nilo bibens, qui ne à crocodilis, qui ex insidiis incautos aggrediuntur, capiantur, currentes bibunt, & lambitant magis, quàm lambunt aquas. Hoc credo significarat antea idẽ Propheta suprà cap. 4. v. 16. cùm dixit, *Comedent panem in pondere, & sollicitudine: & aquam in mensura, & in angustia bibent.*

Et dices ad populum terræ.] Quid sit terræ populus, diximus suprà cap. 7. numero vltimo. est enim multitudo promiscua, quæ à principibus, ac magistratibus populi distinguitur.

Hæc dicit Dominus Deus ad eos, qui habitant in Ierusalem.] Hæc verba non dicuntur ad Hierosolymitas, sed ad terræ populum, qui tunc agebat 34.

E Babylone de Hierosolymitis, vnde hæc eadem postea ad illos transmissa sunt. Vt enim docuimus super Isaiam cap. 32. num. 16. *Ad*, & *in* interdum in Scriptura sacra adhibentur pro *de*. Ad Heb. 1. *& ad Angelos quidem dicit.* id est *de Angelis*. & cap. 4. *Ad quem nobis sermo*, id est, *de quo.* Plura tibi occurrent exempla.

REGVLA. *Ad*, & *in pro de.*

Aquam suam in desolatione bibent, vt desoletur terra à multitudine sua.] שמם *samam*, desolari, seu vastari significat, item obstupescere; in qua significatione aliquis esse potest non inelegans lusus. Ita vt priori loco desolatio stuporem valeat; in posteriori, *vt desoletur*, vastitatem, & omnimodam stragem, in hunc sensum: In stupore bibent aquam, quia terra funditùs euertetur.

Sed est sensus magis expeditus, si eadem sit in vtroque loco significatio. In hunc sensum, bibent aquam parcè, veluti in ciuitate desolata; vbi pro hominum cibo, ac potu nihil reliquum est, quia reuera ciuitas desolabitur, & ab ea frequentia deseretur, quam habuit maximam. Vbi vulgatus, *vt desoletur*, Heb. est למען *lemaan*; quod *propter* valet. cuius videtur sententia non incómoda, *propterea quòd desolabitur terra.* vel certe vt eo pertenuî, & quasi desolato cibo ostendat, terræ extremam impendere vastitatem.

36. Vers. 22. *Quod est prouerbium istud*, &c. *In longum differentur dies, & peribit omnis visio.*] Prouerbium dicitur, quod frequenti hominum, ac familiari sermone conteritur, quod plerumque verum est, quia plerumque etiam sumitur ex eo, quod frequens rerum euentus inducit, & confirmat. Sed erant in hoc populo prouerbia quædam, seu parœmiales sententiæ, quas Dominus sæpe reprehendit, & ex errore, aut animo deprauato nata significat, quale est apud hunc Prophetam illud, *patres comederunt vuam acerbam.* & hoc, de quo nobis commentatio. Solebant Iudæi, qui ad vaticinia dura neque faciles, neque dociles aures adhibebant, hac se cogitatione decipere; aut quòd minæ ad aliud tempus pertinerent, ad posteros nempe, qui longa post sæcula succedent; aut certe quòd meræ essent nugæ, quibus inesset nihil aut ponderis, aut fidei. Qua meditatione delusi, neque mutato viuendi genere diuinæ occurrebant indignationi, neque suis rationibus sana aliqua deliberatione consulebant. Quod heu nimium sæpe in nostris etiam hominibus experimur; qui sic apud se cogitant, & omnem de iteratis subinde minis metum abiiciunt. Terrere nos vult Deus, non conficere: clementior est quàm vt intentas minas in nostrum conferat caput; aut certè satis nobis spatij misericors dabit, vel saltem non negabit pœnitentiæ locum. Hinc quia aut impune putant abitura peccata, aut longiùs credunt protrahendum esse supplicium, obstinatò hærent in peccatorum cœno, neque minùs, quàm de fruge meliore laborant. De quibus est illud Eccli. cap. 6. v. 11. *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Sic impiis nihil affert terroris extremi iudicij dies; vel quia differtur, vel quia futurus non existimatur. In hunc enim modum argutantur 2. Petri cap. 3. *Vbi est promissio, aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.* Porrò in longum differendos dies esse dicunt, quia eo nomine sæpius vtebantur Prophetæ. Amos cap. 4. *Ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis.* Abdias v. 15. *Iuxta est dies Domini.* Sophonias cap. 1. *Iuxta est dies Domini, iuxta est, & velox nimis*, &c. *dies iræ dies illa, dies tribulationis, & angustiæ.*

Prouerbium quid.

Dei misericordia abutuntur peccatores.

Pœnæ dilatio alit in peccatore audaciam.

37. Vers. 23. *Loquere ad eos, quòd appropinquauerint dies, & sermo omnis visionis.*] Deiicit Deus ab ea cogitatione, seu confidentia, incredulos illos, vt audaces spiritus, dum ait aduenisse iam dies illos obscuros, & amaros, quos illi in longum producendos arbitrabantur; & impletum esse sermonem, quem ipsi credebant esse figmẽtum, neque quicquam habiturum esse fidei. Dicuntur autem appropinquasse dies, vel quia proximè iam erant vt adessent, vel quia iuxta communem vsum loquendi, id iam adesse existimatur, quod non abest longè.

A Vers. 24. *Non enim erit vltrà omnis visio cassa.*] Illud *vltrà*, difficile nobis reddit huius loci sententiã. Cùm enim constet sermonẽ hic esse de vera prophetia, seu visione, videtur sanè durum admittere illam aliquo tempore fuisse cassam, id est, euanidam, quæ nullum est affectum sortita; id enim secum importat particula *non vltrà*, quæ ita negat aliquid futurum, vt concedat aliquando contigisse. Cùm enim Deus dicit, *non vltrà percutiam vos*, planè indicat aliquando se percussisse. Diceret aliquis cassam hîc appellari visionem, non quidem omnem, sed illam, quæ comminatoria est, secúmque particulam quandam conditionalem inuoluit: hæc enim vocari posB set cassa, quia cùm sublatum esset id, quod diuinam instimulabat indignationem; diuinæ quoque minæ, & quod illis suberat supplicium, consedere. Sed hoc non probabit is, qui post hæc tempora cognouerit, eiusmodi prophetias comminatorias, & quasi temperatas conditionibus, huic eidem populo fuisse propositas. Quare aliter hic locus nobis expediendus est. 38.

Prophetia comminatoria.

Obseruauimus in nostris commentariis in Isaiam, ad illud cap. 60. *Nõ audietur vltrà iniquitas in terra tua. Non vltrà, non ampliùs*, & similia, licèt plerumque significent futurum aliquid cum respectu ad id, quod antecessit, sæpe tamen non connotare aliquid, quod ante præteriit, sed simC pliciter poni pro futuro. vt probat vsitatus dicendi modus, quem Hebræus adhibet per particulam עוד *bhod*, quam habemus hoc loco Ionæ cap. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Genes. 40. *Adhuc tres dies.* Sed sunt exempla magis ad institutum nostrum, vbi nullus omnino est respectus ad præteritum. Tobiæ c. 3. ad Saram, quæ virgo erat, vt liquet cap. 3. v. 52. dixit ancilla, *Ampliùs ex te non videamus filium.* Ierem. cap. 22. *Non reuertatur huc ampliùs.* Et tamen neque Sara prius filium habuerat, vtpote virgo; neque filius Iosiæ priùs captiuus ductus fuerat. & Actor. 13. de Christo, *Suscitauit eum à mortuis ampliùs iam non reuersurum in corruptionem.* At priùs D corruptionem non subierat. Sic ergo nunc, cùm dicitur nulla vltra visio futura cassa; nil significatur aliud, quàm omnem visionem certissimam habituram esse fidem. 39.

Non vltrà, nõ ampliùs, & similia aliquid interdum negant sine vllo respectu ad præteritum.

Neque diuinatio ambigua in medio Israel.] Quidam hæc de pseudoprophetis accipiunt, qui ambigua loquuntur, & obscura, quæque ad varios sensus detorqueri possunt. quod indicant Septuaginta, qui vertunt *ad gratiam*, & alij ferme omnes *blanda*, seu *assentatoria*. Diuinationes autem quæ ad gratiam sunt, quæque molliter blandiuntur auribus, non sunt ab his, qui diuino afflantur spiritu, sed qui gratiam ab hominibus captant, & ex ea aliquid plerumque comE pendij. Alij de veris hæc accipiunt Prophetis; quod mihi probatur magis; & ab ipso videor Domino doceri, qui statim addit, *Quia ego Dominus loquar, & quodcumque locutus fuero verbum, fiet, & non prolongabitur.* Diuinatio verò Dei, id est, prophetia inspirata à Domino non erit ambigua, seu (vt Hieronymus docet sensisse alios) lubrica, quæ facile in alias, atque alias explicationes, cásque interdum inter se contrarias inflectitur, qualia fuere fallacia idolorum oracula; sed plana, quæque non diu differentur; sed illimet compleri videbunt, quibus ab ore prophetico prædicta fuerint. Quæ supersunt ad finem vsque capitis obscura non sunt. 40.

Prophetia, quæ à Deo est non est ambigua, aut lubrica.

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM.

ARGVMENTVM.

HOC caput maiori ex parte spectat ad impostores quosdam, qui sibi Prophetarum nomen, & munus assumebant; cùm suo, seu diabolico potiùs agerentur spiritu, quàm diuino, qui vulpino, ac veteratorio ingenio inter Babylonios exules suæ potiùs cupiditati, quàm rei communi, ac publicæ consulebant; & quo hæc assequerentur meliùs, suis non tam oraculis, quàm figmentis, ac somniis diuini nominis maiestatem prætendebant. His Dominus grauia minatur infortunia; quia fallaci pacis promissione quieto iubent esse animo, quibus certum paratum est exitium. Quàm verò leue sit illud firmamentum, quo spem addunt, & animos desperanti populo, similitudine quadam explicat ruinosi parietis, cui contra inundationes, & turbinem lutum inducitur absque palearum temperamento. Quod idem faciebant fœminæ quædam prophetides, quarum insidiosum, & callidum ingenium puluillorum, ac ceruicalium similitudine declarat. Denique totum caput familiari hac sententia, & sæpius in capite repetita concludit: tunc illis verum Deum esse cognoscendum, cùm exitus ipse rerum vaticinij fidem confirmauerit.

CAPVT XIII.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:* A

2. *Fili hominis, vaticinare ad Prophetas Israel, qui prophetant: & dices prophetantibus de corde suo: Audite verbum Domini.*

3. *Hæc dicit Dominus Deus: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.*

4. *Quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui Israel erant.* B

5. *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini.*

C

6. *Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes: Ait Dominus; cùm Dominus non miserit eos: & perseuerauerunt confirmare sermonem.*

PARAPHRASIS.

1. FActum est iterum ad me verbum Domini in hanc sententiam:

2. Vaticinare, ô fili hominis, ad eos qui inter filios Israel, qui Babyloniæ agunt, prophetale sibi nomen, & officium assumunt; qui cum suo se spiritu regant, non diuino, sua tamen commenta, & somnia pro diuinis venditant oraculis.

3. Sic Dominus de Prophetis hisce falsis: Væ Prophetis planè stultis, & cæcis, qui humano, ac suo traducuntur spiritu; & cùm visionem se habere profiteantur, cæci planè sunt, & nihil vident.

4. Hi viri, ô Israel, qui se tibi diuinitus afflatos venditant, & quasi cœli nuncios, versipelles sunt, & fraudulenti, quos verè vulpes appelles, quæ in montibus habitant, locísque desertis.

5. O veteratores, & non Prophetæ! siquidem quod prophetale munus non solùm iubet, sed etiam cogit, non præstitistis. Cùm enim Deus tanquam hostis vim populo minaretur, & cædem propter peccata, quæ diuinum inflammabant furorem, & manus armabant ad vindictam, non tamen stetistis in prælio, & laterum vestrorum oppositu, tanquam obiecto muro vindicem iram auertistis.

6. Hi qui veros se clamant sermones accepisse, vanos tantùm producunt, & fallaces: & cùm à Domino missi non fuerint; à Domino tamen dicunt habere se mandata. Quæ non satis habent proposuisse semel; sed iterum, atque iterum repetentes

A petentes eadem ſtudent aliorum mentibus infigere.

7. Numquid non viſionem caſſam vidiſtis, & diuinatione mendacem locuti eſtis? & dicitis: Ait Dominus; cùm ego non ſim locutus.

7. Numquid quæ vos oracula vocatis non illa ſunt vana, & ludicra figmenta? & cùm à me ſermonem acceperitis nullum; meum tamen nomen, ac fidem mendacibus veſtris vaticiniis obtenditis?

8. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti eſtis vana, & vidiſtis mendacium: ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus:

8. Idcirco dicit Dominus: Quia viſiones vanas pro veris venditaſtis ad populum, & mendacibus verbis illum ſeduxiſtis, ecce vobiſcum dicit Dominus, futura mihi res eſt; ego deluſæ gentis vltor, &
B vindex ero.

9. Et erit manus mea ſuper Prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacium: in conſilio populi mei non erunt, & in ſcriptura domus Iſrael non ſcribentur, nec in terram Iſrael ingredientur: & ſcietis quia ego Dominus Deus.

9. Quare ſeuerè in illos animaduertam, qui Prophetæ ſibi nomen aſſumunt, & vano figmento populum, & fallaci vaticinio ludificant: efficiámque ne iam amplius in hominum cœtu, atque concilio loquantur; immo neque referantur in ciuium catalogum, aut aſcribantur numero viuentium; neque in terram Iſrael, à qua depulſi ſunt, aliquando redibunt.

10. Eo quòd deceperint populum meum, dicentes: Pax, & non eſt pax: & ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis.

10. Quod magno ſuo merito patientur, cùm populum, qui cum ipſis in exilio
C eſt, fallaci blandimento deceperint, perſuaſerintque omnia illis fore pacifica, & qualia ipſis eſſe poſſint ex voto: cùm tamen neque à pace, neque ex voto quicquam illis futurum ſit optabile. Cúmque populus aliqua cogitaret, moliretúrque quæ exitio potius, quàm ſaluti fore videbantur; veteratores tamen illi adeò ab illo conſilio non deducebant, vt in illo potiùs confirmarent perinde ac ſi quis ruinoſi parietis hiantes rimas luto ſine pa-
D learum qualicumque firmitate, aut facili tectorio celet, & obſtruat; qui eo artificio non tam prohibet, quàm celat ruinam.

11. Dic ad eos, qui liniunt abſque temperatura, quòd caſurus ſit: erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem.

11. Dices igitur ad illos, qui rimoſo parieti lutum inducunt, nulla palearum admixtione temperatum, ac vinctum, ruiturum eſſe breui parietem illum, cuius hiantes rimas luteæ cruſtæ celabant. Effundam enim inundantes imbres, qui tectorium illud futile diluant; & prægrandes è cœlo lapides, qui verberatione diſcutiant; & à turbine procellam vehemen-
E tem, quæ molem illam iam pronam ad ruinam conuellat, ac rotet.

12. Siquidem ecce cecidit paries: numquid non dicetur vobis: Vbi eſt litura, quam liniſtis?

12. Cùm autem paries ille repentè ceciderit, cuius rimas fallaci incruſtatione celaſtis; nunquid non audietis ab exprobrante, ac ſibilante turba: ecquid de fuco, quem obduxiſtis? ecquid de luto ſine paleis, quod hianti parieti oppoſuiſtis? vbi firmitas, vbi ſecuritas toties à vobis decantata?

13. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erumpere faciam ſpiritum tempeſtatum in indigna

13. Propterea hæc Dominus iterum ad vos: Immittam ab indignatione mea procello

dignatione mea, & imber inundans in furore meo erit: & lapides grandes in ira in consumptionem.

14. *Et destruam parietem, quem linistis absque temperamento: & adaequabo eum terrae, & reuelabitur fundamentum eius: & cadet, & consumetur in medio eius: & scietis quia ego sum Dominus.*

15. *Et complebo indignationem meam in pariete, & in his qui liniunt eum absque temperamento, dicámque vobis. Non est paries, & non sunt qui liniunt eum.*

16. *Prophetae Israel, qui prophetant ad Ierusalem, & vident ei visionem pacis: & non est pax, ait Dominus Deus.*

17. *Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quae prophetant de corde suo: & vaticinare super eas,*

18. *Et dic: Haec dicit Dominus Deus: Vae quae consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersae aetatis ad capiendas animas: & cùm caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum.*

19. *Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quae non moriuntur, & viuificarent animas, quae non viuunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.*

20. Pro

A procellosos spiritus, & à furore meo torrentes, & inundantes imbres; & ab irata, atque infensa manu lapides ingentes, qui futilem illam fabricam dissoluant, & perdant.

14. Et quem vos luto sine palearum temperamento incrustastis, parietem ita demoliar, vt complanetur, & adaequetur terrae: immo efficiam vt neque ipsa parietis fundamenta supersint. Cadet igitur paries ille, in quo gens illa veteratorum verbis nimium credula, habitabat; & tunc
B verus esse Deus ego cognoscar.

15. Complebo igitur id, quod tam in parietem infirmum, quàm in illos, qui fucatam illi firmitatem allinebant, in indignatione mea constitueram; dicámque vobis, qui à Prophetarum verbis nil non secundum, & ex voto expectabatis, procumbente pariete, vbi paries? vbi qui rimas, & hiatus insidiosè celabant? Sanè tam hi, quàm illi perierunt.

16. Hi verò impostores, & incrustatores qui simul cum pariete procumbent,
C Prophetae sunt, ait Dominus, qui sua sibi somnia narrant Hierosolymis, quae pacem sonant, cùm tamen pax non sit; sed bellum, & clades.

17. Adhuc, ô fili hominis, supersunt, in quos prophetici spiritus aculeos expromas. Contra foeminas igitur prophetides, quae sicut viri impostores, ipsae quoque sua mendacia, atque commenta producunt, faciem tuam, atque vaticinia conuerte.

18. Ad quas sic aies: Vae vobis, ô quie-
D tis falsae, & otij, atque torporis insidiosae conciliatrices, quae id agitis vt qui animo sunt perturbato, atque anxio ab angore, & metu liberetis. Quemadmodum si quispiam illi, qui in duro solo cum molestia cubat; aut spinarum compungitur aculeis, puluillos substernit, aut ceruicalia consuit, vt sine molestia, atque perturbatione dormiat, quo artificio insidioso, & callido in exitium trahebant. Cúmque illis verum comparent exitium: vitam tamen promittebant, & pacem, & eos qui iam prope se
E gerebant pro mortuis, spe vitae libertatisque proposita, quasi ad vitam, de qua excidisse videbantur, reuocabant.

19. Grauem mihi irrogabant iniuriam, cùm voci suae nominis mei fidem, ac maiestatem praetenderent; voci inquam suae, quam venalem habuerunt, & vilissimo alligatam quaestui, quale est hordeum iumentorum pabulum & frustum panis. Ac illis moriendum esse dicebant, qui aut indigni erant morte, aut quibus nullum ab hoste mortis impendebat periculum: illis autem vitam promittebant, & pacem, quibus

A bus erat omnino pereundum. Quare mendaci vaticinio populum nimium credulum variè afficiebant.

20. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad puluillos vestros, quibus vos capitis animas volantes: & dirumpam eos de brachiis vestris: & dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum.

20. Propter hoc hæc dicit Dominus: Ecce ego ad puluillos, qui varia securitate deceperunt homines, ceperúntque blandimento molli, non aliter atque ab aucupe laqueo capiuntur volucres volantes. Disrumpam igitur puluillos, quibus non aliter atque aues aucupatorio reti in brachiis vestris capti tenentur homines, vestris illecti blandimentis: & faciam vt exoluti vinculis, aut egressi è cauea libero
B iam volatu vagentur, vt volent.

21. Et dirumpam ceruicalia vestra, & liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt vltrà in manibus vestris ad prædandum: & scietis quia ego Dominus.

21. Disrumpam item ceruicalia vestra, quibus incautos, & credulos quasi quibusdam vinculis constrinxistis; & populum meum, quem blandis irretiistis illecebris, & fallacibus promissis ex manibus vestris liberos expediam; neque ampliùs vobis erunt venationi, ac prædæ. Tunc autem cognoscetis me Deum esse, cuius nomen, & maiestatem vilem habuistis.

22. Pro eo quòd mœrere fecistis cor iusti mendaciter, quem ego non contristaui: & confortastis manus impij, vt non reuerteretur à via sua mala, & viueret:

22. Pro eo quod mendaci vaticinio dolore illorum animos affecistis, quibus
C ego omnem dolendi causam ademeram; & fallaci promisso impiorum aluistis audaciam, & manus confirmastis, ne quem instituissent viuendi modum reuocarent, quo melius suæ vitæ consulerent.

23. Propterea vana non videbitis, & diuinationes non diuinabitis ampliùs, & eruam populum meum de manu vestra: & scietis quia ego Dominus.

23. Ideo sic vos iamiam imminente supplicio ita mulctabo, vt neque stulta somnia deinceps, neque diuinationes deliras, & vanas populo venditare liceat, & de manu vestra delusum, aut ex vinculis vestris irretitum populum exoluam. Et tunc esse me Deum intelligetis.

Vers. 2. *Et dices prophetantibus de corde suo.*]

1. *Prophetæ falsi apud Babylonios captiuos.*

PLVRIMI erant inter Babylonios D exules Prophetæ, qui seducebant populum, futurúmque vaticinabantur, vt quamprimum in patriam remigrarent captiui; & meras esse nugas illorum, qui vastandam esse dicebant Hierosolymam. Quod item prædicabant alij non pauci Hierosolymæ; eodem tempore, eóque nomine inuisos populo reddebant Prophetas. De his Ierem. cap. 23. vbi eadem penè adducit à versu 16. de pseudoprophetis, qui erant Hierosolymæ, quod Ezechiel de illis, qui non minus loquebantur audacter Babylone. De Babyloniis loquitur idem Propheta cap 29, v. 8. *Non vos seducant Prophetæ vestri, qui sunt in medio vestri, & diuini vestri, &c. quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo, & non misi eos, dicit Dominus.* Hæc Ieremias per literas ad captiuos. Hi loqui dicuntur, aut prophetare de corde suo; quia quæ ipsi otiosi secum confingunt, aut quæ stertentes somniant, ea se accepisse prædicant à Deo, & pro veris venditant oraculis. De corde suo prophetare, aut quod idem est, visionem afferre cordis sui, nihil est aliud, quàm meris populo illudere figmentis, & se afflatos à diuino spiritu profiteri; cùm à suo ducantur, aut certè instimulentur à diabolico. Quomodo olim 2.
vanissimi, atque leuissimi poëtæ vatum sibi, ac Prophetarum nomen arrogabant, cùm furore potiùs agerentur lymphatico, quando se magis credebant afflatos esse diuinitus. Quibus Tullius in oratione pro Archia diuini quasi spiritus afflatum attribuit. Et illorum quidam arroganter, & stultè de seipso, *Poëtæ afflati diuinitus olim crediti.*

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet:
Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli,
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Neque minus furebant hi pseudoprophetæ, cùm dicebant à diuino spiritu habere se, quæ fundebant oracula. Cùm tamen suo se spiritu deuios, ac præcipites agerent.

Quasi vulpes in desertis.] Vulpinos mores af- 3.
fingit, versipelles nimirum, & fraudulentos fallacibus Prophetis; qui cùm aliud simulant, aliud

molium

moliuntur. Sed vnde sumatur similitudo, obscurum est. Vbi noster, *in desertis*, Heb. est חרבות. cum vulgato consentiunt Septuaginta, & Aquila, & Pagninus. Symmachus, & Theodotio, *in parietinis, & ruinosis*, exponunt. Rab. Dauid, & cum eo è recentioribus nonnulli sepes intelligunt vinearum, disruptas tamen, ac dissipatas. Iuxta hæc expositiones variæ. Hieronymus, & cum eo Hugo, ac Lyra hinc putant trahi similitudinem: nam quemadmodum vulpes in locis latent ruinosis, vt captata temporis opportunitate, ex insidiis adoriantur cicures, ac domesticas aues; sic pseudo isti prophetæ latent in insidiis, vt nimium credulos ciues in Chaldæorum laqueos, & potestatem pertrahant; ex quo illis aliquid accedit emolumenti.

Vulpini mores.

4. Qui verò in חרבות vinearum sepimenta considerant, in eo pseudoprophetas vulpibus assimilant, quia non aliter ipsi versipelli, callidóque consilio populum malè credulum prodiderunt, euerterúntque, quàm vulpes vineas solent, quarum frugibus, ex dissipata maceria insidiantur. Notum est autem vulpes infensas esse vitibus, ex illo Cant. c. 2. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Item, domum Israel, seu populum Israeliticum vocari vineam; sub quo nomine auditur millies. Vide cap. 5. Isaiæ. Non longè ab his abeunt, qui quæstus gratia falsa vendunt oracula, eo vsi artificio, quo compendia captant veteratores quidam, qui futurorum se tenere cognitionem clamant; & dum ea diuinant, quæ magis ex hominum voto sunt, non leue ab illis emolumentum auferunt. Quod hominum genus planè odiosum, & noxium suo etiam tempore fuisse queritur Iuuenalis Satyr. 6. vbi cùm illorum meminisset, qui quæstus gratia artem profitentur diuinatricem, & prognosticam, quales sunt Ægyptij Sacerdotes, & Phrygij, qui Isidis, & Ideæ matris sacra curant Aruspices, Chaldæos; Iudæos etiam adhibuit, qui hunc ipsum instituebant quæstum, & quo illis ars esset quæstuosior, læta plerumque, & quæ magis essent ad voluptatem nugabantur. Audi Iuuenalem, vbi videbis imaginem illorum, qui Sangari dicuntur ab Italis, apud Hispanos appellantur Ægyptij, ea fortasse de causa, quia nebulones isti artem instituunt, quam Isidis, quondam impuri Sacerdotes.

Præstigiatores olim Iudai, & fumi venditores.

5.

Veteratores quidam cur ab Hispanis Ægypty vocati?

Cùm dedit ille locum cophino, fœnóque relicto
Arcanam Iudæa tremens mendicat in aurem
Interpres legum Solymarum, & magna Sacerdos
Arboris, ac summi fida internuncia cœli.
Implet & illa manum, sed parciùs ære minuto.
Qualiacumque voles Iudæi somnia vendunt.

Id de pseudoprophetis querebatur Michæas cap. 3. v. 9. *Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, ac prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium.* Quod etiam docuit clariùs v. 11. *Propheta eius in pecunia diuinabant, & super Dominum requiescebant, dicentes: Nunquid non Dominus in medio nostrûm? non venient super nos mala.*

6. Hæc mihi satis sunt probabilia, & pseudoprophetarum moribus valde consentanea; sed fortasse magis accommodatè ad vulpinum ingenium, orationísque filum, si dicas in pseudoprophetis calliditatem esse, atque vafritiem, vt decipiant alios, ex illorúmque fraude aliquid sibi compendij parent; sed nihil esse in illis audaciæ, atque animi, vt aliquid aggrediantur stre-

A nuè; aut si quid immineat aduersi, constanter depellant. Quod in vulpibus passim obseruamus, quæ vt callidæ sunt ad intendendas fraudes, sic ad vim aut inferendam, aut propulsandam imbelli sunt, ac pauida natura. Hanc verò explicationem suadet, quod statim adiungitur, *Et non ascendistis ex aduerso.* quasi dicat illis defuisse constantiam, vt se aduersariorum viribus opponerent. Ita putat Maldonatus. Illud *in deserto*, fortasse nihil peculiare significat; sed tantùm est quoddam quasi Epitheton vulpini generis, quod in desertis semper habitat, neque vnquam cicuratur ab homine. Quomodo dicuntur feræ syluarum, pecora campi, volucres cœli, pisces

Vulpinum ingenium.

B maris.

Vers. 5. *Non ascêdistis ex aduerso.*] בפרצות *bapera soth.* quæ vox id sonat, quod diuisum, aut interruptum est, vnde maius imminet ab hoste periculum. Si sermo esset de ciuitatis ducibus qui rem administrant bellicam, vt cum Hebræis putant aliqui ex nostris, non esset explicatio difficilis; quia ducum id est proprium, vt eo se loco hostibus opponant, vnde maior se ostentat calamitas, aut grauius incumbit belli pondus. Sed quia de pseudoprophetis sermo est, aliter hunc locum interpretemur. Bellum hoc metaphoricum est; & quæ ad illud pertinent, sunt etiam metaphoricè interpretanda. Hostis Deus est, qui hostiles 7.

Propheta Dei iram auertunt.

C acies in vrbem inuexit; ciuitas, populus ipse, quem offensus Deus durè vexauit, pars murorum ruinosa, atque aperta, peccata illa, propter quæ Deus populum iactari, & ciuitatem ipsam excindi voluit. De quibus singillatim Prophetæ, tam hic noster, quàm alij frequenter: hîc agere excubias Prophetæ, huc incumbere maximè debuere, ne illac in vrbem pestis irrumperet. Quod tamen neglexerunt omninò, dum peccata fouent; & peccatoribus, quos pungere, atque exulcerare duriùs oportuit, fallaci blandimento conniuent. Hoc planè est, aut ex aduerso non ascendere, aut apertas murorum scissuras suorum corporum oppositu non implere. Sanè id fecit olim 8.

Quomodo standum cōtra Deum pro peccatore.

D magnus populi dux, & Propheta Moyses, qui in parte muri perfracta, & interrupta constitit, & ardentem inde vltricem Dei manum auertit, de quo Psal. 105. v. 24. *Et dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione.* id est, vt est communis interpretum sententia; in muro patenti, ac rupto, per quem à diuina manu pestis ingruebat. Non longè ab hac metaphora est illud Ezechiel. cap. 22. v. 30. *Et quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni.* Interponere sepem, idem est, quod implere murum intercisum; aut, quod idem est, in ea stare muri parte, quæ patet hostibus. Porrò quàm Deus cupiat, vt aliquis seipsius opponat furori, diximus ad illud Isaiæ c. 64. *Non est qui inuocet nomen tuum, qui con-*

Deus opponi sibi impedimentum ad vindictam optat.

E *surgat, & teneat te.* Et ad illud Ieremiæ 7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc.*

Neque opposuistis murum pro domo Israel.] Hic 9.
locus plurimum facit ad nostram explicationem. Est autem idem murum, ac sepem interponere, nisi quòd hîc à vinea sumitur metaphora, illic à ciuitate: vtraque verò prædæ patet; nisi sepes, murúsque communiant.

Hæc Gregorius in eos pastores quadrare putat, qui non tam gregum, quàm suis ipsorum commoditatibus consulunt. De quibus luculenter, & grauiter homil. 14. in Euangel. & 2. p. Pastoral. c. 4. *Ex aduerso*, inquit, *ascendere est quibusli-*

Prælati murus sunt innocentibus.

bet

bet potestatibus prauè agentibus rationis libera voce
contraire ; & in die Domini pro domo Israel in prælio
stamus , ac murum opponimus , si fideles innocentes con-
tra peruersorum iniustitiam ex iustitia auctoritate vin-
dicamus. Vide tu reliqua, quæ tanto Doctore non
indigna sunt.
10. Vers.6. *Et perseuerauerunt confirmare sermonem.*]
Heb. *& fecerunt sperare ad confirmandum verbum.* Cu-
ius hæc videtur esse sententia, vt fallaces illi Pro-
phetæ exitu dicerēt confirmatū iri, quæ ipsi verā
prædicabant oracula. Quare tantisper sperare iu-
bebant insipientem populum, donec certa ver-
borum appareret fides. Sed si ad vulgati transla-
tionem spectes, quemadmodum fieri profectò
B debet, alius est sensus, qui maximè indicat obsti-
natum in eo diuinandi, seu potiùs fallendi gene-
re consilium. Nam quod semel affirmarunt, licèt
millies à Prophetis veris reprehensi, adeò non
mutauere, vt etiam iterauerint sæpe, & sicut icti-
bus altiùs adigitur clauus, sic ingeminato sermo-
ne cogitationes suas, & mera figmenta homi-
num mentibus infigere studuerint.
11. Vers.7. *Et dicitis ait Dominus, cùm ego nō sim locu-*
tus.] Hoc graue peccatum est, propter quod Deus
fallacibus hisce diuinatoribus certa minatur, &
acerba supplicia, quòd Dei nomē, & fidem stul-
tis, & nugacibus vaticiniis prætendant; & quod
ipsi audacter, atque impudenter mentiuntur,
verbum clament esse diuinum; mendaciique sui
C non solùm testem, sed etiam auctorem dicant es-
se Deum. Cui sceleri affine est, quod nonnulli &
olim sæpe, & nostro etiam tempore nonnun-
quam faciunt audaces quidam, ne dicam im-
pios, qui aut ipsi fingunt diuina quædam testi-
monia ex Scriptura sacra: quo suam tueantur
sententiam, aut illa peruertunt, detractis, aut ad-
ditis verbis; aut inalienos sensus perfidiosè de-
torquent, vt aut veram nobis eripiant fidem, aut
falsam obtrudant.

Scripturam fingere, aut aliquid affingere Scripturæ graue peccatum.

12. Vers.8. *Ecce ego ad vos.*] Modus hic dicēdi em-
phaticus est, & magnæ cuiusdam indignationis
pondus habet. Quo Deus in Scriptura sacra fre-
quenter vtitur, cùm grauia minatur. Suprà cap.5.
D v.9. *Ecce ego ad te.* & idem cap.21.v.3. & cap.26.
v.3. *Ecce ego super te Tyre.*
13. Vers.9. *In consilio populi mei non erunt*] Vbi vul-
gatus *in cōsilio*, Septuaginta reddiderūt, ἐν παιδείᾳ,
quę vox, meo iudicio, optimè explicat, quid *consi-*
liū hoc loco significet. Est enim παιδεία institu-
tio, seu doctrina; qua priuādi dicūtur hi Prophe-
tæ, quia non ampliùs à Deo pro concione loqui,
seu in cōcilio docere permittētur. Sic exponunt
Græci, Theodoretus, *ego populum meum erudiam.*
Polychronius, & Scholiastes, *ego libertatē eorum in*
loquendo coercebo, neque patiar, vt cum populo loquan-
tur ampliùs. Hunc eundem sensum esse puto in
E translatione vulgata: ex vsu quippe frequenti
tam apud sacros, quàm apud profanos scripto-
res *consilium*, seu *concilium*, pro eo loco vsurpatur,
in quo homines aut consultationis, aut doctri-
næ gratia considere solent. Cùm ergo in conci-
lio, vt Hieronymus in commentariis legit, &
exponit, seu in consilio, vt habent codices à Six-
to correcti, sedere homines, aut adesse soleant;
vt de rebus deliberent publicis, aut quid facto
opus sit, doceant, & suadeant, dum consilium il-
lis interdicitur, planè prohibentur non docere;
quod omnino vult vox Græca παιδεία, quam
reddidere Septuaginta, & quam Latinus inter-
pres reddidit, *in disciplina.* quod explicatè magis
docuit Symmachus, dum vertit ἐν ὁμιλίᾳ, id est,

A in concione, aut locutione. quasi dicat, non
tam ampliùs in hominum cœtu, atque conuentu
loquentur.
Et in scriptura domus Israel non scribentur.] Six- 14.
tus Senensis 2.tom.Biblioth.verb. *Domus Israel*,
Scripturam Catalogum canonicorum libro-
rum esse putat, & censet negari falsorum Pro-
phetarum vaticinia in librorum sacrorum, ac
canonicorum ordinem esse referenda. Alij in
Scriptura librum intelligunt vitæ; de quo Ioan-
nes Apocal.3. *Non delebo nomen eius de libro vitæ.*
In quibus est Hieronymus, Origenes homil. 12.
in Ezechielem, & cum Chaldæo Rab. Dauid, &
Vatablus. Ita vt his verbis dicantur nugatores
isti nunquam futuri in Iustorum censu, ac bea-
torum numero. Sed longè videtur verisimilius,
nullum hîc esse sermonem de libro, in quem
Sanctorum referuntur nomina, sed de alio, in
quo viuentium nomina notantur; aut eorum,
qui se alicuius loci ciues profitentur. Egimus
hac de re pluribus ad illud Isaiæ cap.4.v.3. *San-*
ctus vocabitur omnis, qui scriptus est in vita in Ierusa-
lem: vbi docuimus ciues omnes in catalogum,
& censum esse relatos: & tunc de libro, seu ca-
talogo deleri, cùm excessissent è viuis; aut illa
commisissent, propter quæ digni censerentur,
qui & ciuium nomen, & ius antiquum ciuitatis
amitterent. Quare dum in Scriptura domus
Israel scribendi negantur, id planè edicitur futu-
rum, vt neque in viuis diu futuri sint, aut exilio,
in quod propediem abducentur, in ciuitatem
redituri. Cùm autem exules pro mortuis ha- 15.
beantur, quia auulsi sunt à patria non aliter at-
que eradicatæ arbores à terra, aut à trunco rami,
vnde abscissi sunt (vide Ezechiel. cap.37. exules
dicuntur mortui, & exilij locus appellatur se-
pulcrum; & qui apud Romanos damnabantur
exilio, capite vocabantur damnati) hi quoque à
libro viuentium dicuntur alieni. De mortuis sa-
nè docet Sixtus Senensis lib.2.Biblioth.c.2.verb.
Tau. id apud Gentiles fuisse seruatum, vt qui in
acie cecidissent in militum catalogo, præfixo
θῆτα notarentur, quæ quia prima est in nomine
θάνατος, mortuos esse significabat. Illud verò per-
inde est atque aut scriptos non esse, aut post-
quam scripti essent, fuisse deletos.

Viui in censum relati.

Exules, & mortui de viuentium, aut ciuium catalogo deleti.

Exules pro mortuis habiti.

Ex his constat quid sibi voluerit Moyses quā- 16.
do sollicitus, ac dolens de populi strage, quam
minabatur Deus, dixit Exod.32. *Dele me de libro*
tuo, id est, me quoque cum aliis interfice, vt ex-
ponit Augustinus quæst. in Exod. & Gregor. lib.
10. Mor. cap.7. & eò inclinat modus loquendi
aliquorum Patrum. Nec enim homo Dei amans,
gnarúsque quanta esset æternæ mortis acerbi-
tas, petebat æternæ vitæ, sed potiùs temporariæ
dispendium, quod luiturus videbatur infidelis
populus. Scio aliter alios existimare, & putare
sermonem hunc esse hyperbolicum; sed sanè vt-
cunque accipias, atque interpretere, mihi credi-
bile non est vel simulatè, vel præ dolore nimio
hyperbolicè, maximè ad Deum dicturum fuisse
Moysem, vt de libro Dei, id est, de prædestinato-
rum numero deleretur. Cùm autem plurimi, vt
verisimile est, Iudæi facerent scriptos se esse in
censu ciuium Ierusalem, quæ ciuitas erat regia,
& sancta; & Ierusalem terrena typus esset cœle-
stis, existimo ad huius vrbis, librique similitudi-
nem, in quo descripta essent ciuium nomina, vo-
catum esse librum vitæ, in quo prædestinato-
rum nomina scripta esse dicuntur, qui verè vi-
tam ducunt vitalem. De quo Apocal. cap.3.
cap.13.

cap.13.& 17.& ibi Ribera, & Pereira, & reliqui interpretes. Vide S.Thom. 1.p. q. 24. Ad hanc autem Solymitanæ ciuitatis prærogatiuam, & gloriam, quæ typus est altioris gloriæ, quæ est in superna Ierusalem, allusum videtur à Paulo ad Ephes.c.2. *Iam non estis hospites, & aduenæ: sed estis ciues sanctorum.* Græcè συμπολῖται, id est, *conciues sanctorum.* Nam qui hospites sunt, & aduenæ, alienam spectant potius, quàm suam habitant ciuitatem. Ciues verò, aut conciues Sanctorum dicuntur, qui in eundem censum cum sanctis, id est, in eiusdem ciuitatis habitationem conscripti sunt, nempe in veram Ierusalem, siue hæc pro Ecclesia mysticè, siue pro cœlesti beatitudine sumatur.

17. Ergo vt ad propositum redeamus, qui ab exilio reuersi sunt dicuntur scripti in vita in Ierusalem, id est, inter viuos, aut in libro viuentium, qui erant in Ierusalem; quia non alij scribebantur, nisi qui viui præsentes essent in Ierusalem. Quod autem omnes superstites censerentur, liquet ex Num.cap.2. & 3.& Esdræ cap.8. & Nehemiæ cap. 7. vbi accuratè Hebræorum census factus est. Vide plura in hanc sententiam apud Pradum in cap.13.Ezechielis, in illa verba, *Et in scriptura domus Israël.* & nos nonnihil diximus in cap.3.Actor. num.32.

18. *Nec in terram Israël ingredientur.*] Hæc verba præcipuè spectant ad Prophetas illos, qui tunc agebant Babylone, quique fallacibus promissis captiuum populum stultè lactabant, cùm dicebant propediem illos in vrbem reuersuros, vnde Ieremiæ consiliis abducti fuerant. quibus edicit Dominus nusquam futurum vt ab exilio redeant; & in censum illorum referantur, quibus tanquam excitatis è tumulo, patria data est, non aliter atque si vita cum patria foret restituta. Hi verò, vt diximus ex Esdra lib.1. cap.2. in publicas tabulas relati sunt, & iterum vocati ciues.

Pax omne bonum significat.

19. *Pax, & non est pax.*] In *pace*, non solùm tranquillitas significatur à bello, & à quacumque alia perturbatione, & motu; sed etiam fortuna melior, aut quicquid in voto potest esse mortalibus. Quare dum Hebræi sibi salutem impertiunt, aut aliis prospera precantur omnia, pacem dicunt se illis optare. Erat itaque illis impostoribus pacis nomen multum in ore; quæ libertatem sonabat, & auspicatum reditum, & omnibus bonis cumulatam vitam. Sed nihil longiùs aberat ab exulum fortuna, quàm quod pacis nomine significari solet.

Prouerbium linire lecto parietem.

20. *Et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant luto absque paleis.*] Ædificabat populus parietem ruinosum, atque ita futilem, vt leuissimo quoque motu solueretur, & hisceret: qualis est ille, quem homo peccator excitat dum vanitati studet, aut ab humano studio, & Principum gratia firmitatem quærit. Maximè si id fiat, Deo non probante, imò & prohibente; qualia fuerunt pleraque, quæ stultus ille populus non tam ad salutem suam, quàm ad certum exitium moliebatur. Hæc, si veri essent Prophetæ, & non potiùs veteratores, & publicæ salutis inimici, sternere debuerunt, ne quid esset, quod spem falsam aleret, & in summam traheret desperationem. At consilio planè pessimo probabant stultos illos conatus, & si quid apparebat in eis vitiosum, aut parum ex vsu, id occultabant, perinde ac si quis externo fuco natiuam deformitatem celare studeat; aut procumbentis parietis hiantes ruinas luto, aut facili tectorio obstruat; vt faciliùs obruat habitatorem incautum.

Adulator noxius.

Prouerbium lutũ absque paleis.

Liniebant luto absque paleis.] Parum affert firmitatis fatiscenti muro tectorium ex luto; quod potiùs tegit, quàm aperit insidias; neque enim tam prohibet, quàm celat ruinam; quòd si paleas detrahas, quæ lutum cohibent, atque constringunt; multo leuior est atque facilior illa non tam constructio, quàm incrustatio. Porrò vt ipsa præ se ferunt verba, prouerbialis est hæc dicendi forma, quæ aut facile opus, aut leue, atque ementitum præsidium sonant. Adhiberi solere paleas, cùm aliquid ex luto fingitur, quod deinde siccat Sol; non excoquit, indurat ignis, probat illa cura filiorum Israël in cõgerendis paleis; cùm fingendis ex luto laterculis seruilẽ operã nauabant. 21.

Firmamentum fallax, ac futile.

Lutum aceratum.

Metaphora sumpta est a structura, quæ ex luto fit, cui ex disciplina tectonica, seu potiùs figulari admiscentur paleæ, quod lutum aceratum appellat Festus, id est, vt ipse statim explicat, cum paleis mixtum, Columella verò lib.12. cap. 21. lutum appellat paleatum. Cúmque hoc lutum etiam paleis commixtum futile sit, multo tamen erit futilius, si paleas detrahas. Tale sanè est illud firmamentum, quod parieti rimoso, & ad ruinam prono adhibent structores isti mendaces, qui præter externam crustam, quæ & ipsa ad speciẽ deformis est, nihil addunt operi ad firmitatem. Hæc aut litura, siue tectorium, quo ruentis muri scissuras obstruebant illi dolorũ architecti, fuerunt dolosa vaticinia, vt explicat Propheta ipse cap.22.v.28. *Prophetæ autem eius liniebant eos absque temperamento* (id est, absque paleis) *videntes vana, & diuinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus, cùm Dominus non sit locutus.* 22.

Qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit.] Quod priùs palearum, id nunc temperaturæ, & infrà vers.15.& cap.22. v.28. temperamenti nomine significat. In his autem locis Heb. est תפל *taphel*; quod infirmum sonat, facilèque casurum; quod friabile est, solutum, & quod nulla admixtione vinctum, ac solidatum est. Cùm autem lutum paleis constringi soleat, quæ sunt quoddam ipsius temperamentum; optimè noster interpres reddidit modò *absque palleis*, modò *absque temperamento*, seu *temperatura*. Est autem hîc elegans agnominatio in nomine תפל, quod infirmum, ruinosúmque sonat, & in verbo נפל, quod statim adiicitur, dum dicitur opus illud breui ruiturum. 23.

In aquis significantur exercitus.

Vers.11. *Erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem.*] Vix magnæ moles è firmo lapide, cóque ex arte ad firmitatem compacto, sustinere possunt inundantes aquas, & saxorum, vndecumque illa ingruant, verberationes, aut impetum vehementis procellæ, quæ est à turbine: quę interdũ ingentia saxa è suis natiuis sedibus conuellit, rotátque lõgissimè. Quanto minùs luteus, & absque vllo temperamento paries, qui vbi externa vis, aut impetus abfuerit, suo se tamen nutu soluit, ac sternit. Contra hunc igitur infirmum, & luteum parietem minatur Dominus, se immissurum illa, quæ magnas etiam concutiunt, & euertunt moles: aquarum nempe inundantium alluuiones, quibus crudum illud lutum soluitur, & liquescit in cœnum; lapides, qui discutiunt; ventos, qui impellunt suo iã nutu procumbẽtem molem. His vocibus exprimitur externa vis inimicorum, in quibus aliqui sunt, qui cum lapidibus; alij qui cum torrẽtibus aquis, 24.

aquis, aut cum vento, ac turbine comparari possint. Sanè Chaldæorum exercitus cum flumine exundante confertur Ierem. cap.47. *Ecce aquæ ascendunt ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans, & operient terram, & plenitudinem eius, vrbem, & habitatores eius.* De vento, qui parietem sternit, est illud Isai.cap.25.v.4. *Spiritus robustorum, quasi turbo impellens parietem.* vbi eadem videtur allegoria. Hæc omnia tam ad Prophetas pertinent, qui Hierosolymæ, quàm qui Babylone captiui morabantur. Nam vtrique muros liniebant ruinosos luto absque paleis, id est, probabant, laudabántque illorum consilia, spémque fouebant planè luteam, & futilem, dum ad futurum auxilium vaticinabantur ab Ægyptiis, quo vires frãgerentur Babylonicæ, quo & Solymitanis metũ eximerent, & captiuis spem afferrent libertatis.

25. Gregorius lib.18.Moral.cap.3. optimè, vt solet, ad mores hunc locum exponit, vbi parietem ædificatum, ruinosum, & incumbentẽ ad lapsum vitam esse dicit profligatam, & perditam, cui assentatores magis ad ruinã impellunt, dum blandiuntur, & quæ seuerè reprehendere debuerunt, illa laudant & fouent. Sic autem Gregorius; *Hinc rursum scriptum est, ipse ædificabat parietẽ* (nempe peccator) *illi autem liniebant eum. Parietis quippe nomine peccati duritia designatur. Ædificare ergo parietem est contra se quempiam obstacula peccati construere, sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur: vt quod illi peruersè agentes ædificant, ipsi adulantes quasi nitidum reddant.*

Assentatio perniciosa.

26. Vers.14. *Et reuelabitur fundamentum eius.*] Fundamentum parietis lutei, (id est, præsidij, quo se Iudæi tutos arbitrabantur, aut facilem sibi reditum promittebant, quale erat auxilium ab Ægyptiorum potentia sæpius oblatum) reuelandum dicitur; id est, sic esse subuertendum à fundo, vt ex eo nonnihil omnino maneat, neque ipsi quidem lapides, qui vulgò fundamentales appellantur. Quod Christus aliis verbis expressit, dum dixit Matth. cap.24.v.2. *Non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui non destruatur.* Hæc verò intelligenda sunt aut de veris ciuitatis mœnibus, quæ sic fuerunt à fundamentis excisa, vt neque ibi lapis super lapidem reliquus fuerit; quod de alio ciuitatis excidio dixit postea Christus. seu potiùs quia, qui futuri putabantur ciuitati pro mœnibus, ipsi quoque omnino deleti sunt: nempe Ægyptij, de quibus Ieremiæ c.43. Vbi valde obseruandum iubente Domino, abscondisse Ieremiam lapides magnos, qui futuri erant fundamentum throni, quem in Ægypto iam subacta excitaturus erat Nabuchodonosor. Tunc autem reuelandi dicuntur lapides, qui fuerant absconditi, quando Rex Chaldæorum Ægyptium regnum suo sibi adiunxerit imperio. Quare eòdem videntur spectasse Ieremias eo loco, & Ezechiel hîc. Audi Ieremiam vers.8. *Et factus est sermo Domini ad Ieremiam in Taphnis, dicens: Sume lapides grandes in manu tua, & abscondes eos in crypta, quæ est sub muro lateritio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Iudæis. Et dices ad eos, hæc dicit Dominus Deus Israel, ecce ego mittam, & assumam Nabuchodonosor Regem Babylonis seruum meum, & ponam thronum meum super lapides istos, quos abscondi, & statuet solium suum super eos.* Hæc mihi potiora sunt, neque locus hic parum faciet posteriori cogitationi. Quòd si magis tibi probetur prior, obserua in Scriptura sacra non esse in-
27. frequentem hyperbolen, & in his maximè locutionibus, quæ ingentem significant stragem ci-

Ægyptij à Chaldæis euersi.

REGVLA. *Hyperbole in scriptura frequens.*

A uitatum; qualis est illa, de qua nuper Matth. cap.24. *Non relinquetur lapis super lapidem.* & Isaiæ cap.14. de Babylone, *Scopabo eam in scopa terens.* & Ezechiel infrà de Tyro cap.26. *Et dissipabunt muros Tyri, & destruent turres eius, & radent puluerem eius de ea, & dabo eam in limpidissimam petram.* & 3. Reg.c.14. *Mundabo reliquias domus Ieroboam, sicut mundari solet fimus vsque ad purum.* Vt ergo aliquid pulueris relictum in expugnata Tyro, & Babylone, & lapides supra lapides relicti cùm à Romanis euersa fuit Ierusalem, licèt aliud sonet illa hyperbolica locutio; sic etiam non omnino reuelandi sunt lapides, qui in imo fundamento B subsident, licèt id sonent verba, quæ modò versamus; quia modus dicendi prouerbialis est, qui tantùm significat magnam futuram Hierosolymæ stragem.

Vers.15. *Et complebo indignationem meam in pa-* 28.
riete, & in his, qui liniunt eum.] Paries hic videtur esse Ægyptius, qui auxilium suum Iudæis venditabat; in quo nihil erat solidi, nihil certi, neque quicquam aliud præter inanes sonitus, & cymbalata verba; & ideo Isaias cap.18. alarum cymbalum appellauit. Falsi tamen prophetæ inanitatem illam constipabant; aut incrustabant mero tantùm luto sine palearum temperamento, dum aliquid esse magnum prædicabant, & fauente Ægyptio, nihil esse à Chaldæorum armis C metuendum. Tam ergo Deus parieti ruinam miserabilem, quàm his qui liniunt interitum minatur, qualia à plena ipsius indignatione timeri fas est.

Vers.17. *Pone faciem contra filios populi tui.*] Po- 29.
nere faciem contra aliquẽ, nihil est aliud, quàm ad illum conuerti; sicut qui cum aliquo sermonem est habiturus, ad illum ex more faciem aduertit; aut qui cõgressurus est cum altero, aduersam illi faciem opponit; vnde aduersarius dicitur. Et hoc posterius magis probo, quia hæc verba non minus grauia sunt, & infensa, quàm quæ vibrantur ab inimico tela.

Cur genere vtatur fœmineo, vocentúrque nõ 30.
D tam filij, quàm filiæ populi, varij varia dicunt. Sunt qui putant non tam ad fœminas prophetides spectare, quàm ad eos, qui cùm viri sint, infirmum tamen habent, & muliebre pectus, in quibus neque prudentia est, quia quid futurum sit ex vsu non vident; neque constantia, vt illa quæ dicta esse oportuit, amara licèt, & aduersa oggerere audeant. Et quidem Deus Prophetas suos sic muniuit contra illa, quæ oriri solent ab inimicis incommoda; vt faciem dederit adamãtinam, quia illis cum saxeis frontibus concurrendum est. Sic ad Ieremiam cap.1.v.18. *Dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram Regibus Iu-* E *da,* &c. Et ad Ezechielem cap.3.v.8. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Hic est animus Prophetarum, alius qui facilè frangitur, & aliorum studiis, & auribus seruit, non Prophetarum, sed pro-
phetidum est. Neque est nouum tam apud sa- 31
cros, quàm apud profanos scriptores, vt qui molli sunt animo, & parum ad ardua suscipienda constanti, mulieres vocantur. Sic Ennius apud Tullium,

Vos etenim iuuenes animos geritis muliebres.

Et Numanus apud Virgilium lib. 9. Æneid. vt Troia nos mollitiei, atque timiditatis argueret, nomen illis accommodat muliebre,

O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.

&

Qui infirmo sunt animo mulieres vocantur.

Prophetæ magno animo sint oportet.

& statim,

—*finite arma viris, & cedite ferro.*

Quod sumpsit ex Homero, qui lib.2. & iterum lib.7. Iliados, illos qui timidi essent, & ignaui in Græcorum exercitu, ἀχαΐδας vocat, οὐκ ἔτι ἀχαιοί. id est, Achiuas, non Achiuos. De sacris accipe duo exempla. Isai.3. v.12. *Mulieres dominatæ sunt eis.* & cap. 19. v. 16. de Ægyptiis, *Erit Ægyptus quasi mulieres.* & eadem Ieremias cap.50.v.37. de Babyloniis. Nahum cap.3.v.13. *Ecce populus tuus mulieres in medio tui.*

32. Hæc mihi improbabilia non sunt; magis tamen probo, quod alij cum Hieronymo, ac Theodoreto sentiunt; verè hîc, & propriè appellari *filias*, quia non tam agitur hoc loco contra viros Prophetas, quàm contra fœminas prophetides. Vt enim veri fuerunt Prophetæ, quorum speciē, & nomen illo assumpserunt falsi; sic etiam veræ fuerunt in illo populo prophetides, vt Debora Iudic. c.4. & Olda 4.Reg. cap.12. & filiæ Philippi Actor.c.21. quarum spiritum ementiri ambitiosæ quædam fœminæ studebant: vel vt sub eo nomine artem exercerent quæstoriã; vel apud stolidam plebem sanctitatis, & altioris cuiusdã ordinis opinionem captarent. Hebræi, vt tradit hîc Hieronymus, putant fœminas hasce instinctas à dæmone per magicas artes, & spiritum pythonicum, qualis erat illa, quæ 1.Reg.c.28. excitasse traditur Samuelem: quod ipse Hieronymus nõ probat. Neque fortasse grauius fuit vulnus, quod à Prophetis falsis, quàm quod à falsis prophetissis populus accepit; cùm enim blandius sit muliebre genus, séque in aliorum animos faciliùs insinuat, pestem etiam afflat multo faciliùs, & quicquid collibuerit potentiùs persuadet. Sanè Hieronymus per mulieres, in quibus esset aliqua sanctitatis species, aut opinio, disseminatas esse tradit plurimas hæreses, quæ fortasse aliter in hominum animos nullum vnquam receptum habuissent. quarum texit catalogum tom.1.epist. ad Ctesiphontem ante medium. *Simon*, inquit, *Magus hæresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit fœminarum. Marcion Romam premisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philomenem comitem suarum habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator multas Ecclesias per Priscam, & Maximillam nobiles, & opulentas fœminas primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit. Arius vt orbem deciperet, sororem principis prius decepit. Donatus per Africam, vt infelices quosque fœtentibus pollueret aquis, Lucilla opibus adductus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam, successorémque sui Priscillianum habuit, cui coniuncta Galla alterius, & vicinæ hæreseos reliquit hæredem.* Hæc Hieronymus. Eodem artificio sunt vsi Iudæi Actor.13. vbi concitasse dicuntur fœminas, in quibus species esset sanctitatis, & religionis, per quas in Paulum, & Barnabam seditionem commouerunt.

Fœminæ olim prophetides tã veræ, quàm falsæ.

Fœminarũ fucata sanctitas valde perniciosa.

33. Hîc obserua quod suprà docuimus, cùm quidpiam indignum obiicitur populo, nõ addi à Deo pronomen *meum*, sed *tuum*, quasi auersetur Deus, & indignum iudicet benigna illa compellatione populum, à quo tam longè abest sanctitas, & religio. Sic ad Moysem Exod. c.32. post vitulum adoratũ ait, *Vade, & descende, peccauit populus tuus.*

REGVLA. *Cùm quicquam Dominus indignum obiicit populo, non addit, meum, sed aliquid, quod alienum esse ostendit.*

Vers.18. *Væ, quæ consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia.*] Attemperatè hæc dicuntur ad mulierum artem, & ingenium. Vt

34. enim virorum est extruere, atque incrustare parietes; atque ideo hæc nuper Prophetis attribuit: sic fœminarum est, ea quæ ad delicias pertinent, comparare. Qualia sunt vnguenta, quæque opere fiunt dulciario, aut quæ molliter ornant, & fouent corpus; qualia sunt, quæ in præsentia numerat Propheta. Consuere nempe puluillos, quibus sine molestia incumbant cubiti, & aptare, mollíque tomento, ac pluma implere, ceruicalia, quæ capiti substrata, illud decorè, ac placidè sustentant. Sed quid sit puluillos, seu ceruicalia consuere, valde obscurum est; quidam quia prophetides hasce sagas esse putant, quæ magicis artibus captant, & ludificant homines, in puluillis, ac ceruicalibus, magica quædam instrumenta videre se putant; velamina videlicet aliqua, aut alia, quæ dicuntur ἀκάμματα, quibus induti, aut tecti, qui de rebus dubiis sagas illas consulebant, fiebant apti, vt diuina acciperent, atque intelligerent oracula. Sed ne hîc commemorandis, confutandísque aliorum sententiis diutius hæream, dicam paucis quod mihi cum plerisque aliis maximè probatur. Quemadmodum qui in duro, ac nudo solo cubat; aut inter spinas dormit, necesse est vt somnus intercidatur sæpe, qui etiam breuis erit, & nullo modo quietus, & placidus; at qui sibi puluillos, & ceruicalia substernit, ille longos ducit, atque quietos somnos; quia & soli nudi duritiem euitat, & spinarum aculeos. Sic etiam qui in metu est, quémque assiduæ, ac tristes cogitationes exagitant, perturbato est animo, & angoris pleno; qui verò curas illas, & angores exemerit, ille tranquillitatem adducet, & securum otium. Erit igitur sensus non difficilis, si hîc notam similitudini adhibeas in hunc modum. Quemadmodum si quispiam illi, qui in duro solo cum molestia cubat, aut spinarum compungitur stimulis, puluillos substernat, aut ceruicalia, efficiet vt sine molestia, ac sine vlla perturbatione dormiat: sic qui anxium, atque sollicitum animum à metu liberat, omniáque promittit futura pro votis, efficiet, vt quieto sit alter animo, & in aurẽ, vt aiunt, vtramque dormiat. Id verò faciebant fallaces hæ prophetides; quæ spinas adimunt, aut certè blandimento fallaci id agunt, ne illarum sentiatur dolor.

Fœminarũ quod propriũ opus?

35.

Securitas falsa pseudo prophetarũ, & falsi concionatoris opus.

Est autem sententia eadem in pariete incrustato, & puluillo, ac ceruicali molli: nam sicut inducto luto quamuis sine paleis, eximitur metus, quem rimosus paries, & iamiam proximè lapsurus incutiebat; sic subiecto puluillo, illa tollitur, aut lenitur asperitas, quam nuda humus, aut spinarum afferebant aculei. Quare vtraque similitudo securitatem promittit, & suadet animo priùs æstuanti, ac timido. 36.

Securitas falsa.

Hæc Gregorius lib.18.Moral. cap.3. in assentatores confert, qui audaciam hominibus alunt in peccando. *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui dum mala facta hominum laudibus efferunt, augent, quæ reprehendere debuerunt. Hinc enim per Prophetam dicitur: Væ quæ cõsuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Ad hoc quippe puluillus ponitur, vt molliùs quiescatur.* Plerique alij hæc magistris, concionatoribúsque ascribunt, qui prurientibus blandiuntur auribus, & attemperato ad voluptatem sermone, permulcent potiùs, quàm pungunt animos; & quos ab æterno carcere, propositis cœlestibus minis, vitiorúmque deformitate deterrere deberent, eosdem fallaci assentatione delusos in tartara protrudunt.

Assentatorũ perniciosum genus.

Et cùm caperent animas populi mei, viuificabant 37.

animas eorum.] *Viuificare*, idem est interdum, quod seruare, aut etiam alteri vitam non eripere; quomodo de latrone dixit Cicero, illis vitam dedisse existimari, quibus non ademerit. quod in Scriptura multo frequẽtius. 1. Reg. c. 27. v. 11. *Virum, & mulierem non viuificabat Dauid.* i. omnes occidebat. Actor. 7. v. 19. *Vt exponerent infantes suos, ne viuificarentur.* In altera significatione sumunt plerique, ita vt genus illud falsò prophetantium dicat, seruari à se illos, qui suis mẽdaciis, quæ pro oraculis venditant, obsequi voluerint. Verùm alia mihi explicatio videtur & capitis filo, & horum veteratorum ingenio accommodata.

Viuifico, *idem quod seruo.*

38. Notum est Hebræorum idiomate attribui alicui tanquam auctori, quod factum esse ostendit, aut pronunciat. quomodo Leuit. cap. 13. sæpe dicitur leprosus contaminandus à Sacerdote: quia Sacerdos illum leprosum, & contaminatum declarat. Et Christus Isaiæ cap. 50. de seipso ait, *Iuxtà est, qui iustificat me.* id est, iustum ostendit. Sic de Iudicibus Isaiæ cap. 5. *qui iustificatis impium pro muneribus.* i. iustum esse dicitis, atque innocentem, cùm reuera nocentissimus. Sic ergo cùm Iudæi sollicito essent animo, cùm iam antea Chaldæorum vires essent experti; & de nouo rursus bello comparando noui quotidie rumores spargerentur. In metu erant tam qui Hierosolymæ manserant, ne reliquiæ Israëlitidis Gentis extinguerentur: & qui captiui agebant Babylone, ne præcideretur omnino remigrandi facultas. Hos ergo veteratorium hoc prophetidum, Prophetarúmque genus viuificant, id est, suadent, promittúntque Solymitanis ciuibus nihil esse ab hoste periculi, neque ipsorum vitam in discrimen vocari; captiuis verò proximam esse libertatem, quæ ingenuis instar vitæ est; sicut exilium mors existimatur, & sepulchrum. Quare hi quoque viuificantur; quia vita illis promittitur verè vitalis. Hoc idem dixit antè Isaias cap. 3. *Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Hieronymus subobscurè, & ad aliud, vt opinor, intentus, sic videtur locum istum accipere, vt falsi hi vates *Sanctos quosque decipiant, & ad mortem trahant; & peccatores vanis promissionibus viuificare contendant*; sed hæc expositio durè admodum trahitur ad translationem vulgatam.

REGVLA. *Id aliquis facere dicitur, quod factum, aut prædicit, aut docet.*

39. Antequam hinc abeo obseruo, hæc postrema non tam de Prophetis falsis, quàm de prophetissis videri intelligenda, quæ puluillis, ceruicalibúsque somnos captabant, & quietem perturbatis animis: nam in Hebraico textu illud *caperent*, ac *viuificarẽt*, in genere est fœmineo תצודדנה, & תחיינה. & datiuus qui est in eodem textu, in eodem item genere est לכנה, *vobis.*

40. Textus Hebraicus paulo aliter habet, neque vno modo a recentioribus explicatur. Pagninus, *Numquid animas venabimini populi mei, & animas, quæ sunt vobis, viuificabitis?* Tigurina, *Num capietis animas populi mei, & animas, quæ ad vos veniunt, viuificabitis?* Maldonatus. *An animas capient populi mei, & animas suas viuificabunt?* Chaldæus, *Nunquid animas populi mei vos potestis perdere, aut viuificare? Numquid animas vestras vos potestis viuificare?* Septuaginta, *Animas populi mei peruertebant. & animas seruabant.* Iuxta hæc variæ à variis adducuntur explicationes, quas ego nunc omitto, quia neque longus, neque molestus esse volo.

41. Vers. 19. *Et violabunt me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis.*] Violabant Prophetæ Dominum, dum aliquid producebant ad populum, quod minus esset ex eius maiestate, quod multis modis spectari potuit in illo prophetidum, ac Prophetarũ veteratorio genere. Primùm, quia grauis diuino nomini fit iniuria, cùm diuino se spiritu afflatos esse prædicant, quibus impura est vita, & vox prophetica vænalis; qualis erat horum, qui hordeacei panis, aut verius hordei iumentorum pabuli turpi, ac vili mercedi quæstuariam linguam alligarant. Deinde quia diuini verbi pondus, & fidem suis ostendebant mendaciis, quasi diuino agerentur, & loquerentur spiritu; cùm potiùs diabolico abducerentur, ac suo. Quod Dominus suprà reprehenderat v. 6. *Diuinant mendacia, dicentes: Ait Dominus, cùm Dominus non miserit eos.* Et hoc modo accipiunt Maldonatus, & Pradus. Ac certe nomen tunc violabatur diuinum, cum à Deo illis pax, & libertas promitti dicitur, quorum vita turpis est, & digna quæ omnium suppliciorum acerbitatem subeat. Et contrà seruitus, exitium, & cædes proponitur iis, quorum est vita pura, ac muneratione digna. Et hoc probat Hieronymus, & Pradus. Quæ sententia eo mihi probatur magis, quo magis cum sequentibus cohæret.

Venalis lingua vilitas, & iniquitas.

Illud *propter pugillum hordei, & fragmẽ panis*, prouerbialem videtur habere speciem, qua explicatur exiguum, & vile studij, atque operæpretium. 42.
Hordeũ enim aliquid est natura sua vile, & quia asinorum commune pabulum, aliquid etiam sonat ignobile, ac turpe. Quare cùm alicui asinorũ stuporem exprobramus; sicut aures affingimus longas, sic etiã hordeum porrigimus, aut fœnũ. Fragmen panis idẽ esse puto, quod buccella, quæ minimũ est, quod in pane diuiso, aut notari, aut impertiri solet. Vt enim in cap. 2. Actor. pluribus ostendimus ad illud, *Frangentes circa domos panem.* in pane, quem Hebrææ olim fingebant panificæ, profundæ imprimebantur lineæ, quibus aliæ deinde transuersæ obducebantur, ita vt complures quadrarentur quasi areolæ, quas buccellas vocabant, quarum nomen in Scriptura sacra sæpius audimus, cùm aliquid exiguum significamus & tenue.

Prouerbium pugillũ hordei.

Buccella quid.

43. Hic obiter nota ideo frangi dici in Scriptura panem; quia cùm lineæ essent altiùs impressæ, sine ferro panis per designatas lineas rectà diuidi poterat, si leuis tantùm à manu flexus accederet. vide Baroniũ 1. tom. Annal. anno 38. Porrò buccellam panis, aut quid simile significare exiguam mercedem prouerbiali figura, notum est; imò & linguã vendere, & iudicia peruertere pro buccella, aut maza, quod nũc significat Propheta. Prouerb. 28. v. 21. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit: iste & pro buccella panis deserit veritatem.* Sic Nazianz. orat. in S. Athanas. hominem quendam vocat μάζης ὤνιον. i. maza venalẽ, quique vẽtris gratia doctus est, & assuetus quiduis facere, ac dicere. Quod idem dixit apud Gellium Cato de quodam alio, frusto panis conduci posse, vt taceat, vel loquatur.

Panis cur dicatur frãgi.

Prouerbium pane venalis.

44. *Vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt.*] Locus hic difficilis non est, si duo statuamus, quæ sunt omnino certa; alterum, *viuificare* idẽ omnino valere hoc loco, quod ostendere, ac persuadere vitam alicui non esse eripiendam, aut certè vitam alicui fore vitalem, vt nuper probauimus versu præcedenti. & *interficere* idem esse, quod prædicere alicui esse moriendum.

Viuifico idẽ quod vitam promitto.

45. Alterum est, actum, vt Logici dicunt, secundum sumi pro primo: seu, quod idem est, tunc aliquid dici fieri, quod aptum est, seu dignum vt fiat.

REGVLA. *Aliquid fieri dicitur, quod aptum est, aut dignum, vt fiat.*

fiat; quomodo Malachiæ cap. 1. dicitur, *patrem honorat filius*, quia honorare debet. & B. Virgo Lucæ cap. 2. respondet Angelo; *quia virum non cognosco*: i. non possum cognoscere, quia voti religione impedior. Sic nos sæpe, *non doceo, non iudico*. id est, neque mihi facultas est, neque auctoritas ad docendum. Cœlum non corrumpitur, id est, incorruptibile est; *in quacumque die comederis, morte morieris*. id est, eris mortalis.

46. Ex his sententia difficilis non est, eaque grauis contra futilem hunc, & fraudulentum impostorum ordinem, qui illis vitam promittebant, quos Deus exilij, & metus horrore concusserat; iis contrà mortis incutiebant ac seruitutis metum, quos Deus ab omni mortis periculo liberabat; nempe qui maturè se Regi summitterent Chaldæorum. Erit ergo sensus, dicitis illis esse moriendum, qui indigni sunt morte; aut quibus ab hoste non impendet mors: illis verò, vitam, prosperitatémque promittitis, qui neque felices erunt, neque viuent, aut vita digni sunt; illis nempe qui excussere Babylonicum iugum, & illud rursus subire detrectant. In hunc sensum accipiunt Hieronymus, & alij cum ipso plures: alij de morte æterna accipiunt, & de vita similiter æterna; vtrumque verum, illud historicè, hoc mysticè. Animam verò pro homine, id est, partem pro toto composito per Synecdochen vsurpari, satis est notum.

47. Vers. 20. *Ecce ego ad puluillos vestros, quibus vos capitis animas volantes.*] Sicut nuper Deus parieté luteo inductum tectorio subuersurum se dicit, quem sine paleis incrustarant prophetæ falsi; sic nunc puluillis, & ceruicalibus, quæ consuebát falsæ prophetides, aliquid minatur nō dissimile. Capi dicitur aliquis propriè aut manu, aut laqueo, ita vt irretitus, aut comprehensus quasi in aliena potestate sit; hinc variæ translationes ad alia: vt capi promissis, muneribus, bláditiis, dolo, & similibus. Quare capi dicuntur illi puluillis, id est, promissionibus, quia ea spe, seu cogitatione delusi, omnia sibi extra fortunam, & aleam esse arbitrabantur. Sed additur id, vnde sumpta videri poterat metaphora; & similitudo proponitur, sine vlla tamen similitudinis nota, quam sic explico: Quemadmodum volucres laqueo capiuntur ab aucupe, sic homines capiuntur puluillis à pseudoprophetissis: neque enim deuia, ac noxia sequerentur consilia, nisi proposita spe melioris fortunæ, liberarentur à metu impendentis belli. Illud *animas volantes*, sic accipio, *animas quasi volucres*.

48. Alij illud *volantes* sic accipiunt, vt suis fraudibus prophetides illæ veteratrices auolare fecerint animas è patria sua ad exilium, nempe Babylonicum, aut in dispersionem Gentium. Quod in sua translatione indicant Septuaginta, dum paulo pòst addunt, *vt volent in dispersionem*. Sed de hac explicatione paulo inferiùs.

49. *Et dirumpam eos de brachiis vestris, & dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum.*] Puluilli non tam erant in prophetidū brachiis, quàm in illorum, quorum capiti illæ ceruicalia, & brachiis, seu cubitis substernebát puluillos. Nam proximè vers. 18. dicitur, *Væ qui cōsuunt puluillos sub omni cubito manus.* Quare nonnemo hìc dubitare posset, an verba hæc referenda sint ad fœminas, quæ consuunt, an ad eos qui cubitis puluillos subiiciunt. Sed hauddubiè hæc ad fœminas spectant, sicut quæ antecesserunt proximè, à quibus hæc non videntur posse diuelli.

A Tunc autem dupliciter potest institui sententia. Nam aut consideramus prophetides illas consuentes puluillos; aut puluillis quasi aucupatoriis retibus captum tenentes populum. Si priori modo consideres, disrumpet Dominus de illarū brachiis puluillos, quia non patietur illos consui deinceps; dum consuuntur autem in lacertis, manibúsque tenentur, atque ideo non abs re dicuntur de illarum brachiis esse disrumpendos. Si verò puluillos aucupatorios esse laqueos statuas, quibus in prophetidum quasi potestate capti tenentur delusi homines; sensus erit, disrumpenda esse illa vincula; & qui in illis tanquam captæ volucres, pedes constrinxerant, abituros 50.
B esse liberos, neque aliter inde euolaturos, quàm solutæ volucres è laqueo, aut egressæ è cauea; quæ libero iam vagantur aëre, & aperto fruuntur cœlo. Hæc posterior explicatio magis est ad textus continens filum. qui enim animas dimittit vt volent, ille planè significat vinctas esse, neque ad volandum vllam habuisse facultaté. Quare in brachiis prophetidum laqueos inuenio, & in illis comprehensas animas; quæ Dei manu, atque studio, verbis nimirum Prophetarum; & portentis aliis, qualia multa Ezechieli sunt oblata; ex illis exolutæ euolarunt, id est, cognouerunt illa esse vanissima, ac planè nugatoria, quæ pro veris vendebantur oracula.

C Vers. 22. *Pro eo quod mœrere fecistis cor iusti mendaciter, quem ego non contristaui; & confortastis manus impij, vt non reuerteretur à via sua mala.*] Erant in tanta Iudæorum multitudine non pauci, qui parendum cēsebant sanctorum Prophetarum oraculis; de quorum fide, ipsa edocti rerum experiētia, non dubitabant. Hi verò cùm ex vsu fore sibi existimarent, statuerant seipsos, auctore Ieremia, dedere Chaldæis. Cùm verò contrà starent falsorum Prophetarum figmenta; quæ securo, ac bono iuberent esse animo eos, qui in vrbe remansissent, mœrebant illi, cùm in quam partem consilia sua conuerterent, ignorarent. Quorum tamen rebus sic consulebat Dominus, vt nil paterentur eiusmodi, vt eorum contraheretur animus; certè contristare noluit. Nisi fortè in *iusto*, Ieremiam intelligamus, quem grauia fuisse passum falsorum prophetarum hortatu, atque opera, habes Ierem. cap. 28. & cap. 29. & hoc mihi videtur similius vero. Illud quod statim sequitur minus est obscurum. Nam cùm minarum intentu, & supplicij metu homines deterreantur à peccando; qui vanas esse prædicat minas, aut metum, & sollicitudinem remouet, ille sanè facit, vt alius obstinatè magis in peccato perstet; neque si sanam priùs cogitationem imbibisset, illi ad exitum vsque constanter inhæreat. Hoc planè est impias confortare manus, & ad frugem meliorem aditus occludere. Iisdem verbis vsus est Ieremias contra eosdem Prophetas cap. 23. *Et confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerterentur vnusquisque à malitia sua.*

51. (marginal, at Vers. 22)

D (marginal)

52. (marginal, at "videtur similius vero")

E (marginal)

Vers. 23. *Propterea vana non videbitis.*] *Videre* hoc loco nihil est aliud, quàm dicere se vidisse; aut sibi à Deo aliquid inspiratum esse. Dicuntur autem illi siue Prophetæ, siue prophetides, non ampliùs visuri vana, vel quia peribunt breui, neque illis dabitur nugandi tēpus; vel quia, quàm illorum vaticinia vana fuerint, rerum ipsarum exitus ostendent. Ex quo fiet vt iā non ampliùs audeant populo minus quàm antea credulo sua somnia, siue cōmenta vendere. Vana verò dicuntur vidisse nugatores illi, quia illis nihil inerat 53.

ponderis, ac fidei; aut quia se vidisse fingebant, quod nunquam illis esset oblatum; nisi fortè illa putent somnia oraculorū habere fidem, quæ infestant vana, & malè sana capita dormientium, qualia sunt illa turbida, & æstuantia spectra, quę obiiciuntur temulento cerebro, aut quæ videre se putant, qui phrenesi efferuescente delirant; de quibus Horatius de arte poëtica,

——velut ægri somnia vana,
Fingentur species.

Quæ somnia vana, & fallacia.

54. Hæc verò somnia interdum à malo, atque incubante spiritu dormientibus immittuntur, his maximè qui se illorum potestati aut alligarunt vltrò, aut ita viuunt vt in illos grauis sit diaboli potestas. Quemadmodum Gentes, quarum Iudæi mores imitabantur, captarant à diabolo so- A mnia, probabant lectisternia in fano. Serapidis, Æsculapij, Podalirij, & aliorum, quibus incubantes viri nimium futurorum cognoscendorum auidi somnia captabant ab illusore spiritu.

Gentiles quo modo somnia captent.

Eruam populum meum de manu vestra.] Aut quia vltrà in illorum caput, qui meus possunt appellari populus, nihil moliemini mentiendo; aut quia ab his eximam incommodis, quæ vos è malè sano cerebro, quasi essent à diuini Spiritus afflatu, producitis. Tunc verò cùm grauibus fuerint vexati malis, quos vos fortunatos fore prædicitis; & illi cladem, me fauente, effugerint, qui vestro iudicio longè existimantur miserrimi, cognoscetis me verum esse Deum, qui neque falli possum, & cuius imperio, rerum omnium, ac temporum momenta subduntur. 55.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM.

ARGVMENTVM.



VENERVNT ad Ezechielem, cùm domi teneretur, è captiuorum numero viri ætate, atque auctoritate principes, vt cum illo de re communi, ac publica deliberarent; aut certè obtinerent à Propheta, vt consuleret Deum, ab eóque disceret, quid facto opus esset. Illorum animum, atque studia aperit Prophetæ Dominus, docétque quàm vilem habeant auitam religionem, amplexique fuerint peregrinum, & barbarum cultum, illiúsque secum non obscura monumenta gestent. Quare indignos esse, vt oraculum à Domino per Prophetas accipiant: accepturos autem à Deo ipso, quale ipsorum peccata merentur responsum, non quidem verbis, sed flagellis, ac stimulis, quæ rationiš expertium animalium disciplina est. Nihilominus responsum reddit acerbum, & durum longè aliud, quàm illi aut petebant, aut optabant. Loco verò grauissimi supplicij numerat Doctorem, aut Prophetam, qui in rebus dubiis consulendus sit, esse deceptum. Ad extremum docet grassaturum in peccatricem illam gentem gladium, famem, pestem, & immites belluas, à quibus liberabitur nemo, etsi intercedat illorum virorum oratio, quorum graues sunt ad exorandum preces; nempe Noë, Daniel, & Job. Si qui tamen fuerint è cæde reliqui, illi captiuis aliis qui cum Jechonia commigrarant antea, facilè, & in conuictu ostensuri dicuntur corruptissimos mores, & quàm non immeritò vastata fuerit Hierosolyma docturi.

CAPVT XIV.

1. *ET venerunt ad me viri seniorum Israël, & sederunt coram me.*

2. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens:*

3. *Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, & scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam: nunquid interrogatus respondebo eis?*

PARAPHRASIS.

B 1. CVm domi me continerem, venerunt ad me viri de captiuorum numero consilio, atque auctoritate graues, vt mecum de re communi deliberarent non festinato, ac perturbato, sed lento, atque sedato consessu.

2. Cùm primùm illi ad me conuenerunt, hunc ego à Domino sermonem accepi:

3. Fili hominis viri isti, qui ad te consilij causa conuenerunt, vsqueadeo sunt impuræ simulacrorum religioni dediti, vt illam altè suis infixerint præcordiis, & aliquod illius phylacterium ante oculos habeant, quod ad eius obseruantiam, ac studium memoriam euocent, & animos accendant. Cùm hæc ita se habeant, dignos existi

4. Propter hoc loquere eis, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Homo homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & venerit ad Prophetam interrogans per eum me: ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum:

5. Vt capiatur domus Israel in corde suo, quo recesserunt à me in cunctis idolis suis.

6. Propterea dic ad domum Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Conuertimini, & recedite ab idolis vestris, & ab vniuersis contaminationibus vestris auertite facies vestras.

7. Quia homo homo de domo Israel, & de proselytis quicumque aduena fuerit in Israel, si alienatus fuerit à me, & posuerit idola sua in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & venerit ad Prophetam vt interroget per eum me: ego Dominus respondebo ei per me.

8. Et ponam faciem meam super hominem illum, & faciam eum in exemplum, & in prouerbium, & disperdam eum de medio populi mei: & scietis quia ego Dominus.

9. Et Propheta cùm errauerit, & locutus fuerit verbum: ego Dominus decepi Prophetam illum: & extendam manum meam super illum, & delebo eum de medio populi mei Israel.

A existimabo, quorum consultationi, atque interrogationi respondeam? Hicine, vt à me placidè, & cum bona gratia dimittantur?

4. Propter hæc sic ad illos meo nomine respondebis: Quicumque homo de genere Israelitico, cuius animo immunditiæ simulacrorum insederint, vt eo loco illorum siue effigies, siue monumenta posuerit, vt crebrò, ac familiariter ipsius oculis occursent; & tamen me per Prophetas consultum esse velit, tale à me responsum
B referet, quale ipsius immunditiæ, ac scelera merentur.

5. Hoc autem à me responsum accipient, nempe futurum, vt populus ille ingratus, atque impudens capiatur ab hostibus; aut tanquam fera comprehendatur laqueo, quia apud se statuit in corde suo à Domino recedere, & ad omnia Gentium idola diffluere.

6. Idcirco sic ad domum Israel loquèris ex me: Ab eo, quem instituistis vitæ
C modum, recedite: idola vestra quàm procul abiicite, & sordida idolorum vestrorum monumenta, quæ vobis ad familiarem aspectum adhibuistis, ab oculis summouete.

7. Quicumque enim de domo Israel, siue qui ex illius semine prognatus, siue qui ex externis ad illius familiam, & religionem ascitus est; si acceptam priùs religionem abiurauerit, & in corde statuerit Gentium idola, eaque ad familiarem, perpetuámque memoriam ante oculos spe-
D ctanda proposuerit: deinde verò per Prophetam à me sciscitatus fuerit oracula, ego illi per me, non verò per Prophetas respondebo. Respondebo, inquam, ego non verbis, aut oraculis: sed stimulis, & flagellis, quæ belluarum disciplina est.

8. Obuertam enim infensos oculos contra hominem illum religionis desertæ reum; efficiámque vt alij in ipsius capite discant, quàm sit impium auitam religionem prodidisse; sic enim vexabitur acerbè, vt ipsius calamitas prouerbialis formæ
E pondus assumat. Delebo etenim illum non solùm de ciuium, sed etiam de viuentium numero. Tunc verò duro illo doctrinæ genere cognoscetis Deum esse me.

9. Si quando verò Propheta in alienam cogitationem, & sensum abductus fuerit, ex eáque cogitatione vaticinium exprompserit, quo alios etiam in errorem trahat, non me ignorante, aut non vidente sermonem illum fraudulentum, & falsum locutus est, ego illum decepi, & in errorem eiusmodi labi permisi. Sed ille ma-

A num meam contra se grauem experietur, & vltricem, quæ faciet, ne ampliùs inter Israelitas numeretur.

10. *Et portabunt iniquitatem suam: iuxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas Prophetæ erit:*

10. Neque solùm ille punietur, qui consultus alium in errorem, atque in exitium pertrahit; sed ille etiam qui deceptum, ac deceptorem consulit Prophetam, vterque iuxta peccati rationem, atque mensuram. Qui interrogat & prurientibus auribus gratum captat responsum, id feret supplicij, vt à nugatore Propheta, quæ desiderat audiat, & falsa spe B delusus in illa labatur incommoda, quæ declinare studet. Qui verò respondet, ac decipit, supplicium sustinebit pro illius supplicij, seu peccati momentis, quem decepit.

11. *Vt non erret vltrà domus Israel à me, neque polluatur in vniuersis præuaricationibus suis: sed sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum.*

11. Quod supplicij genus tam de nugatore Propheta, quàm de homine illum consulente capiam, eo consilio ne quis deinceps aut à lege, quam seruare, aut à me ipso, quem colere, ac obseruare debuit, ad alienum cultum aberrare audeat; sed vt deinceps ille mihi populus, & illi Deus C sim, ait Dominus bellator, & potens:

12. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens:*

12. Post hæc iterum Deus in hunc modum allocutus est me:

13. *Fili hominis, terra cùm peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans, extendam manum meam super eam, & conteram virgam panis eius: & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & iumentum.*

13. Fili hominis, cùm terra, quam colit iam pridem, meo beneficio gens Iudæorum, ab eo quod præstare religiosè debuit, pertinaci consilio præuaricata fuerit, seueram manum meam super illam extendam. Auferam namque ex illa corroborantem panem, qui vitam, & vires alat, atque sustentet: inducam famem, quæ D non homines solùm, sed etiam iumenta conficiat.

14. *Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noë, Daniel, & Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.*

14. Quòd si in terra illa præuaricatrici, atque infideli tres viri forent, quorum apud me preces plurimum haberent momenti, nempe Noë, Daniel, & Iob, ipsi quidem suis à me precibus exorarent, vt ipsorum vitam à communi clade vendicarent; dicit Dominus, nihil tamen ad aliorum salutem, ac libertatem obtinerent.

15. *Quòd si & bestias pessimas induxero super terram vt vastem eam; & fuerit inuia, eo quòd non sit pertransiens propter bestias:*

15. Idem erit iudicium, si bestias im-E misero, feras, & immites, quæ sic laceratione, ac cædibus terram vastent, vt inuia sit, & ab omni tam habitatore, quàm viatore vacua.

16. *Tres viri isti si fuerint in ea, viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt: sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur.*

16. Etenim si inter belluarum illarum lacerationes, ac fremitus tres hi viri fuerint, per memetipsum iuro, dicit Dominus, tantum illorum precibus esse concedendum, ne ipsi à belluis lacerati intereant; non verò ne desoletur terra, aut sui etiam filij, ac filiæ liberentur à cæde.

17. *Vel si gladium induxero super terram illam, & dixero gladio: Transi per terram: & interfice*

17. Si gladium in regionem illam distrinxero, permiseróque in ea liberè, longè

terfecero de ea hominem, & iumentum;

18. *Et tres viri isti fuerint in medio eius: viuo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios, neque filias: sed ipsi soli liberabuntur.*

19. *Si autem & pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationem meam super eam in sanguine, vt auferam ex ea hominem, & iumentum.*

20. *Et Noë, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius: viuo ego, dicit Dominus Deus, quia filium & filiam non liberabunt: sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.*

21. *Quoniam hæc dicit Dominus Deus: Quòd & si quatuor iudicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam immisero in Ierusalem, vt interficiam de ea hominem, & pecus:*

22. *Tamen relinquetur in ea saluatio educentium filios, & filias: ecce ipsi ingredientur ad vos, & videbitis viam eorum, & adinuentiones eorum, & consolabimini super malo, quod induxi in Ierusalem, in omnibus quæ importaui super eam.*

23. *Et consolabuntur vos, cùm videritis viam eorum, & adinuentiones eorum: & cognoscetis quòd non frustrà fecerim omnia, quæ feci in ea, ait Dominus Deus.*

A gè, latéque grassari, neque hominibus, qui in illa sunt, iumentísque pepercero.

18. Si tres illi viri, de quibus nuper, ibi fuerint, séque intercessores, & precatores opponant, per memetipsum iuro, illis tantùm vsuram vitæ fore concedendam; non tamen filiis, filiabúsque, pro quorum ipsi libertate, ac vita laborauerint.

19. Si pestem inuexero in regionem illam, atque in furore meo sanguine, cædibúsque fœdauero; nihílque ibi tam hominum, quàm B iumentorum reliquum fecero.

20. Ibíque fuerint Noë, Daniel, & Iob, per vitam meam iuro, illis tantùm, quia iusti sunt, seruandam esse vitam, filiis tamen, ac filiabus esse pereundum.

21. Hæc tamen dicit Dominus, licèt quatuor illa seueri instrumenta iudicij immittam contra Ierusalem, de quibus proximè, gladium, famem, belluas, & pestem; vt extinguam in ea quicquid est humani, ac pecorini seminis.

22. Ex illa tamen communi strage aliqui superent qui filios deinde, ac filias C suscipiant. Hi verò captiui deducentur ad vos, vbi spectare coràm licebit, quid illi cogitarint, ac fecerint, & quas scelerum suorum pœnas exoluant. Quorum vsque adeò ærumnosum erit vitæ genus, vt vestram calamitatem consoletur; viderique possit status vester cum illorum fortuna comparatus fortunatus, ac lætus.

23. Cùm autem ex illorum conuictu, qui tandem apud vos in exilio viuent, illorum cognoueritis mores, & ingenium, D illorúmque vitæ attemperatum videritis esse supplicium; consolabitur illorum fortuna grauior exilium vestrum, quod longè videbitur leuius, & intelligetis, quàm non immeritò subeat Hierosolyma illa tot infortunia; quæ mea in illam seueritas decreuit.

Vers.1. *Et venerunt ad me viri seniorum Israel: & sederunt coram me.*]

1. QVo animo venerint seniores isti ad consulendum, seu tentandum Prophetam, non constat ex hoc capite; venisse autem animo versipelli, & vafro, vt illum in suam pertraherent sententiam; aut ab ea, quam priùs comprehendisset animo, deducerent, satis est verisimile ex ea responsione, quam non tam à Prophetæ, quàm ab ipsius Domini ore receperunt. Porrò seniores non ideo vocantur, quia grandes sint natu, sed quia in eo sunt magistratu, atque ordine, quem qui obire debent, necesse est sint ætate, atque consilio graues. Quomodo in Ecclesiæ œconomia Presbyteri, id est, senes, dicuntur, qui Sacerdotes, aut

Seniores, qui apud Hebræos.

E etiam Episcopi sunt, vt diximus ad illud Actor. cap. 14. *Cùm constituisset illis per singulas Ecclesias Presbyteros*; & tamen interdum ætate sunt non admodum grandi. Sedere coram illo, idem esse puto, quod simul cum illo velle de re communi deliberare, id est, non festinato, ac perturbato, sed lento, atque sedato consessu.

Vers.3. *Viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis; & scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam.*] Quid sibi velint hæc verba, 2. nemo credo dubitat; significat enim Dominus seniores istos impensè fuisse deditos impuræ simulacrorum religioni, cùm illa altè ipsorum insederit præcordiis, & aliquid ante oculos per-

perpetuò

petuò habeant, quod ad impiam illam obseruantiam memoriam euocet, & animos accendat. Ego hic aliquid video magis arcanum, quod priusquam exponere instituo, obseruo sicut Gentes alias deorum suorum imagines, monumenta, aut aliqua denique phylacteria gestabant; sic etiam Iudæos ad Gentilium ritum, cùm à vera religione recessérunt, idolorum secum gestasse monumenta, quæ occursarent oculis, & animos ea ratione memores in assidua illorum obseruantia retinerent. Egimus ea de re pluribus ad illud Isaiæ cap.44. *Et hic scribet manu sua Domino.* Gestabant autem illa deorum siue monumenta, siue effigies in cordibus; id est, in laminis, quæ ex collo ad pectus vsque pédebant; quibus commune nomen est cum eo, quod propriè dicitur *cor.* Quod quia rarius est, oportet, vt id pluribus explicemus. & sanè apud profanos bulla, quæ pectoris ornamentum est, cor appellatur. Martialis lib.14. apophor.219. cuius titulus est *Corculum*, seu potiùs *Cor bubulum*, id est, bulla scortea.

Gentiles deorũ suorũ phylacteria, seu monumenta gestare soliti.

Cor ornamentũ, quod est ad pectus.

Pauper causidicus nullos referentia nummos
Carmina cùm scribas, accipe cor, quod habes.

3. Sed hoc dicendi genus occurrit in Scriptura sacra multo frequentiùs. Ierem. cap.17. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.* Vbi peccatum pro idolo sumitur ex vsu Scripturæ, & facit ad hæc valde, quod in fine præcedentis capitis dictum fuerat, *Nunquid faciet sibi homo Deos?* Deinde accommodatè ad hæc ab his, qui infrà homines videntur esse, expressa dicuntur idola *in vngue adamantino*, id est, in gemma, quæ inclusa est in annuli sinu, & *in latitudine cordis*, id est, in lamina lata, seu laminæ latitudine, quæ cor appellatur. Quòd verò idolum peccatum per antonomasiam vocetur, probat illud Amos cap.3. vbi aureus vitulus delictum appellatur Samariæ. Eodem modo puto cùm Prouerb.3. misericordia, & veritas liganda dicuntur *in tabula cordis*, & Prouerb.7. Dei præcepta liganda item *in tabula cordis*, laminam eo dicendi modo designari. Quod eo mihi faciliùs persuadeo, quòd etiam dicuntur esse liganda in gutture, & in digitis, quod nihil aliud significare videtur, quàm in torquibus, seu annulis, siue armillis. Quòd verò *cor*, idem sit, quod cordis latitudo, seu tabula, illud argumento est, quod Prouerbior.6. vbi eadem proponitur sententia, Dei præcepta in corde dicuntur esse liganda. Sed facit valde ad hoc institutum illud Oseæ cap.2. Vbi cùm Deus ageret cum Iuda adultera, id est, idolorum cultrice (nam sub ea metaphora de idololatria loquebatur) dixit, *Auferat adulteria sua de medio vberum suorum.* id est, idola, quæ inter vbera gestat, laminæ videlicet insculpta.

Idolum dicitur peccatum.

4. Quòd verò in manibus quoque idolorum phylacteria gestarent qui ex Iudæis impij erant, sicut præcepta, aut aliquod auitæ religionis monumentum; qui inter ipsos pietatis erant amatores, probant exempla, quæ nuper adduximus, & alia plura, quæ super Isaiam loco suprà citato, videre promptum est.

Idolorum imagines in manibus gestata.

Ex his ego sententiam hanc, meo iudiciò, non alienam informo, viri isti eò progressi sunt non impietatis solùm, sed impudentiæ, vt cor, id est, laminas, seu bullas, quæ pectori ornamento sunt, idolorum imagine consignent; & scandalum iniquitatis, id est, idola, quæ sæpe in Scriptura offensiones; siue offendicula vocantur, in manibus gestent, in annulis videlicet, vt nunquam oculis non occursent: id enim esse puto contra faciem statuere. Porrò idola vocari immunditias, sordes, & abominationes, satis est notum.

5. *Nunquid interrogatus respondebo eis?*] Impudens planè est, qui amicum se alterius profitetur, cùm signa interea præseferat hostilis animi, & ab eo consilium, siue auxilium petat, a quo non animo solùm occultè, sed externis etiam signis apertè dissideat. Gestabant seniores isti, qui cum Ezechiele de re communi deliberaturi consederant, in corde palàm, atque in annulis idolorum effigies; & quasi à vera religione non recessissent, per Ezechielem, quem Deo familiarem esse coniectabant, Dominum consulere studebant. Horum igitur impudentiæ subindignatus Deus, subamara quadam interrogatione, aut dubitatione dicit, *Nunquid interrogatus respondebo eis?* Ac si dicat, hicine vt a me responsum ferant? hoscine vt ego placidè, & cum bona dimittam gratia?

6. Vers.4. *Homo, homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo.*] Geminatio ex idiomate Hebraico nomina aliquando distribuit: vt Genes. cap.7. *Ex omnibus animantibus mundis tollens septem, & septem*, id est, septena, Psal.121. *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini*, id est, singulæ tribus, & Psal.71. vbi Vulgatus, tota die benedicent tibi, Heb. est, *dies dies*, id est, singulis diebus. Sic ergo hoc loco, *homo, homo*, distributionem notat, aut certè aliquid vniuersale. Quasi dicas, quicumque homo, aut omnis homo; qui immunditias, id est, idola, seu quod aliquid olet gentilicum, & immundum, in corde posuerit, id est, amauerit, coluerítque; aut in lamina, annulóve gestauerit, respondebo, &c.

REGVLA. Geminata nomina pro distributione.

7. *Ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum.*] In textu Hebraico post *respondebo ei*, בה *bah* inseritur, quod neque Hieronymus, neque Septuaginta videntur agnouisse. Et accommodatè ad particulam illam legit Chaldæus, *Respondebo ei, quamuis veniat plenus idololatria.* Hebræi putant scribi quidem בה, legendum tamen esse בא, id est, venit, & in hanc sententiam locum interpretantur: *Ego illi respondebo, longè tamen secùs ac ipse putat, & vult, quia venit ad consulendum me in multitudine iniquitatum suarum.* Ita Rab. Dauid. Sed si illam inseras particulam, multo feceris aptiùs, vt docet Pradus, si participium esse statuas, & cum pronomine *ei* hoc modo coniungas: Respondebo ei venienti ad consulendum me pro eo, ac ipsius immunditiæ, ac scelera merentur. Qualis verò futura sit illa responsio, pro consulentium meritis, nunc explorandum. Interdum silentium loco responsionis est, quo prudenter homines coniectant se eo loco haberi vt indigni censeantur, quibus reddatur responsio; aut sic alterius animum abalienatum, atque offensum esse, vt nihil velit cum ipsis esse commercij. Sic Elisæus ad Ioram Regem Israel, qui de bellorum euentu doceri voluit 4.Reg.c.3. *Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quòd si non vultum Iosaphat Regis Iuda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Quo loco Ioram ex Prophetæ silentio, auersóque vultu cognoscere potuisset quo esset in ipsum Elisæus animo. Ex hac silentij natura grauem offensionem Didonis expressit Maro lib.6. Æneid.

Silentium interdum pro comitio est.

Illa solo fixos oculos auersa tenebat,
Nec magis incepto vultum sermone mouetur,
Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Tantum

Tantum proripuit sese, ac inimica refugit.
& hoc responsionis genus indicant, quæ nuper præcesserunt verba, *Numquid interrogatus respondebo eis?*

Deus interdum vexatione, atque stimulis docet.

8. Alius respondendi modus est per vexationem, & molestiam, qua quis afficit illum, in quem grauiter animatus est, quam Isaias cap. 26. significasse videtur, dum ait, *In tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Docet enim Deus interdum stimulis; quomodo tardi docentur, & agitantur boues. Illa verò doctrina murmuris vocatur, quia facit vt compunctus homo aculeis ingemiscat, & murmuret; eo modo Deus se responsurum dicit infrà v. 7. *Ego Dominus respondebo ei per me, &c. & disperdam eum.*

Deus propter peccata peccatorem ab aliis decipi permittit.

9. Alius modus est, si populum impurum, & idololatrā errare permittat, dum Prophetas sinit fallacibus ludere, seu ludificare vaticiniis; quibus delusus populus labatur miserè, præcepsque non in dedecus solùm, rerúmque maximarum iacturam, sed etiam in exitium feratur. ita videtur explicare Deus ipse vers. 9. *Et Propheta cum errauerit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Neque hoc displicet Hieronymo, qui in eam sententiam adducit illud 3. Reg. cap. 22. de seducto Achab per prophetam falsum, de quo infrà suo loco.

Ego eò magis inclino, vt credam responsurum esse Deum vel adactis stimulis, sicut bobus rustici de more respondent; vexatione nempe dura, obsidione longa, ærumnoso exilio; neque alia responsione videntur digni, qui idolorum se fidei crediderunt. Aut certè vaticiniis duris, à quibus nihil audiant, nisi horribile, ac minax. Qualia sunt quæ apud Prophetas sæpe dicuntur *onus*. & hæc mihi ideo probantur magis; quia video post hæc Deum non prorsus tacuisse: sæpe enim grauia Iudæis supplicia denunciat; sæpe dura, atque hostili insectatur manu, donec tandem, excisa patria, & spoliati bonis, miseram subiere fortunam.

REGVLA. In proportionem significat, & idem valet, quod iuxta.

10. Porrò *in* proportionem quandam aliquando significat, valétque idem quod *iuxta*. 2. Cor. 9. v. 13. *glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ*, id est, iuxta obedientiam. Psal. 5. v. 8. *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.* Psal. 110. v. 2. *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius.* Et in hoc Ezechielis loco exemplum est omnino verum.

11. Vers. 5. *Vt capiatur domus Israel in corde suo, quo recesserunt à me in cunctis idolis suis.*] Si *cor* in sua significatione propriè sumatur, quod communiter auctores putant, & vt ego quoque cum illis sentio verè; non est difficilis sententia. Nempe tale futurum esse responsum, vt populus ille durus, & ingratus capiatur ab hoste Chaldæo, aut tanquam fera comprehendatur laqueo; quia apud se statuit in corde suo à Domino recedere, & ad omnia Gentium idola diffluere. Et hæc sententia mihi valde probatur. Si tamen quod suprà censebamus non improbabile, *cor* laminam significet, quæ ad pectus demittitur, & illud veluti consignat; alia sententia est, neque vt reor, aliena. Videri volebat domus Israel: cuius sustinebant personam, & nomen seniores illi, religiosa, & quæ parentum suorum sacra coleret, & fidem retineret, quando cum Dei amico, ciúsque Propheta Ezechiele, de rerum Iudaicarum summa deliberat. Sed quod latebat in eo, quod propriè dicitur *cor*, id manifestè deprehenditur in lamina, quæ figurata locutione *cor* appellatur. Ibi

A namque insculpta erant monumenta, seu phylacteria quædam idolorum, quæ ipsi gentilico affectu, ac ritu venerabantur. Id videtur sibi velle illud, *vt capiatur domus Israel in corde suo.* quasi dicat, vt illi maximè celant nocturnas victimas, & clandestina sacra, quæ idolis impendunt, capiuntur tamen, & deprehenduntur idololatræ, quia bullas, seu laminas idolorum imagine consignant. Simile aliquid accidit Saul 1. Reg. c. 15. v. 14. Cùm enim Saul dixisset præceptum Domini à se fuisse completum; subiecit Samuel: *Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus.* Vt tunc ergo gregum balatus Saulem arguebat violati præcepti, sic modò lamina, quam idolorum imprimebat effigies, domum notabat Israel, & planè desertæ religionis arguebat.

Interna peccata foras se produnt externis signis.

B

12. Vers. 7. *Homo, homo de domo Israel, & de proselytis, quicumque aduena fuerit in Israel, si alienatus fuerit à me, & posuerit idola sua in corde suo, &c.*] Hæc à nobis maxima ex parte explicata sunt paulo antè. Tantùm hîc obseruo maximè hinc videri probabilem cogitationem nostram, de laminis, annulisque notatis Gentium idolis; & illud maximè expendo, *& scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam.* neque enim contra faciem suam statueret scandalum, siue idolum, si illud tantùm intus lateret, & quasi premeretur in corde. Proselytus ille dicitur, qui ex Gentibus ad

Proselytus quis.

C Iudæorum sacra, & religionem accessit, qualis esset Naaman, si mundatus à lepra verè Iudæorum sacra complexus est, 4. Reg. 5. & Achior lib. Iudith cap. 14. v. 6. *qui relicto Gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputij sui, & appositus est ad populum Israel* Horum autem proselytorum numerum fuisse non exiguum, colligitur ex lib. Actor. c. 2. vbi ex pluribus nationibus proselytæ ad diem Pentecostes conuenisse narrantur. Neque id mirum, cùm templi religio, & eximia ad miraculum vsque moles è longissimis etiam regionibus Gentiles aduocauerit admiratione sui. Adde quod Iudæis is erat, sub vltimum saltem reipublicæ tempus, suæ religionis amor, atque

Iudæorū ingens studiū adiungendi externos suæ religioni.

D studium; vt maximopere cuperent, eóque incumberent vehementer, vt plurimos è Gentibus ad patria sacra, & Iudæorum nomen aggregarent. De quibus Christus Mat. c. 23. *Circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum.* Quorum in eam curam sollicitudo iam penè abierat in prouerbium apud Gentes, de quibus Horatius lib. 1. Satyr. 4.

——— ——— ac veluti te
Iudæi cogemus in hanc concedere turbam.

13. *Et venerit ad Prophetam, vt interroget per eum me, ego Dominus respondebo ei per me.*] Vt magnæ beneuolentiæ signum est, si quis pro se quenquam alloquatur, non per internuncios; & sua ad illum

Deus per se loquitur, nō per alios, aut cùm nimis beneuolus, aut cùm nimis offensus.

E scribat, non aliena manu: sic offensi animi interdum argumentum est, non aliena oratione, sed sua animi sui sensum, ac dolorem expromere, quia hoc nihil est aliud quàm venenum conceptum animo in alterum euomere, aut suo, non alieno ferro inimicum conficere. Loquebatur quidem Dominus olim per se Moysi, quod magni in Moysem amoris argumentum fuit. Num. cap. 12. v. 8. sic Deus ad Moysem, *In omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquor ei.* Ad populum verò suum per Moysem loquebatur. Sic Deus offensus per se loquitur cum his, quos maximè vult aut metu concuti, aut plagis vulnerari. Huc spectant locutiones illæ frequentes, quibus Deus per seipsum aliquid minatur. vt proximo

ximo capite 13.v.8. *Ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus.* & v.40. *Ecce ego ad puluillos vestros.* Sed quomodo locutus sit, videndum est.

Deceptus doctor peccatorum supplicium.

14. Et primum non admodum curo, quid quidam ex Hebræorum magistris dicant, ex quibus Rab. Dauid sic exponit: Respondebo ei propter me, id est, propter gloriam meam, vt cognita idolorum futilitate, me Deum esse verum intelligat; cuius sententiæ subscribit Vatablus. Theodoretus hanc esse putat huius loci sententiam. Ego, inquit, Deus, respondebo illi, qui per Prophetam oraculum quæsierit, iuxta interrogantis cogitationem, ac meritum, decipiam enim Prophetas, quos de rerum euentu consuluerit, vt ab ipsis rursus ipsi quoque decepti in illa prolabantur incommoda, quæ declinare student. In cuius explicationem propendet Maldonatus, & Hugo, ad quam non leuiter facit quod proximè sequitur v.9. *Et Propheta cum errauerit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.*

Flagellum peccatorũ doctrina.

15. Sed illa videtur communior, & magis ad textum accommodata sententia, quam v.3. nuper explicuimus; quod videlicet respondebit ad interrogata Dominus, non quidem verbis, sed flagellis, vt stimulis erudiantur, excitentúrque homines illi; sicut boues, aut muli, qui aliter neque condocefiunt ad laborem, neque assuescant iugo: ita cum Hugone, Dionysio, ac Lyra existimat Pradus. Neque aliud indicant ac suadent, quæ sequuntur, quæ dura minantur supplicia; & infensos Domini oculos in hominum illorum exitium conuersos. Vsque adeò, vt eorum misera, ac ærumnosa conditio, in earum rerum comparationem prouerbiali specie assumenda sit, quibus grauia aut inflicta sunt, aut imminere timentur infortunia. Hæc verò quæ prouerbiali sermoni materiam præbuere, in suo quæque genere maximè excellunt: quales sunt *Herculei labores*; *malorum ilias*, & similia. Id verò Dominus minatur, cùm dicit, *Faciam eum in exemplum, & in prouerbium.*

16. Vers.9. *Et Propheta cùm errauerit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi.*] Erant hoc tempore tum Babylone apud captiuos, tum Hierosolymæ apud Iudæorum reliquias Prophetæ fallaces; qui omnia tanquam ex Dei ore vtrisque promittebant; illis celerem reditum in patriam, his aut victoriam contra Chaldæos, qui propediem venturi timebantur; aut certè ab illis nihil impendere periculi. Ne verò quisquam illorum delusus blandimento fallaci, incipiat de sua fortuna sperare melius, aut cœlestes has minas futuras esse sine pondere, edicit Deus hos omnes Prophetas esse deceptos, & spiritu instinctos alio, quàm diuino: quare illis fidem habendam non esse.

REGVLA. Deus facere dicitur, quod fieri permittit.

17. Quomodo in Scriptura sæpe aliqui decepti dicantur à Domino, disputant Theologi, statuúntque neminem à Deo propriè, id est, positiuè fuisse deceptum, sed tantùm permissiuè; quia illum ab errore non liberat, in quem pronum, aut etiam iamiam collabi conspicit. Hic verò loquendi modus natus est ex vulgi consuetudine, quod fieri interpretatur à viro potente, & principe, quod ille aut permisit fieri, aut cùm pro sua potentia posset, non prohibuit. Vide Damascenum lib.4. de fide, cap.20. Hinc locutiones multæ de Deo in Scriptura sacra, quæ sunt ab illius natura longè alienæ: vt quod obdurarit cor Pharaonis, aggrauarit aures, excæcarit oculos. & de hoc ipso verbo est exemplum a-

A pertum 3.Reg.cap.22. vbi Deus spiritui, qui dixerat futurum se spiritum mendacem in ore Prophetarum, dicit, *Egredere, & fac ita.* & addidit Michæas, *Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum suorum*, &c. quod exemplum adducit hoc loco Hieronymus. Vide Augustinum lib.83. quæst.q.53. vbi hac de re latè.

Quomodo homo deceptus dicitur à Deo.

Et extendam manum meam super illum.] Non solùm Deus illis minatur exitium, qui à falsis prophetis seducti sunt, sed etiam Prophetis ipsis, qui errare permissi, in fraudem alios, & laqueos induxerunt. Quos de populo dicit esse dolendos, quia in viuentium catalogo non ampliùs B censebuntur (quia, vt diximus suprà cap.13.n.14. vbi primùm quis è viuis excederet, è ciuium expungebatur censu) vel quia alio quouis modo inter ciues numerari desinent, quia videlicet in exilium discedent, qui status morientium potius, quàm viuentium existimatur. Vnde infià cap.33. exilium appellatur sepulcrum; vel quia ignominia notati, tanquam ciuium compellatione indigni ciuitate excident, & honesto ciuium nomine priuabuntur. Egimus hac de re suprà cap.13. ad illud, *In scriptura domus Israel non scribentur.* 18.

Vers.10. *Et portabunt iniquitatem suam: iuxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit.*] 19.
C Iniquitas hîc pro pœna ponitur iniquitatis, vt alibi sæpe; quare vtrique tam consulenti populari, quam Prophetæ consulto supplicium indicitur, pro suis cuilibet meritis accommodatum. Peccat quidem qui falsum interrogat prophetam, à quo benignum expectat responsum, & prurientibus auribus non ingratum; huic sua respondet iniquitas, id est, supplicium, quod stupori tanto, atque perfidiæ debebatur: nempe vt à nugatore Propheta, quæ desiderat, audiat, & falsa spe delusus in illa labatur incommoda, quæ detestatur, & horret; decipi namque pars est supplicij, eaque non leuis. Quia verò falsus ille propheta iniquitatis illius, id est, supplicij aliqua D causa fuit, ipse quoque iniquitatem, id est, supplicium sustinebit pro illius supplicij, aut peccati momentis, quem decepit. Non quidem, vt ego arbitror, vt æqua sit consulentis, atque consulti pœna; quia fortasse huius, quàm illius non æqua culpa fuit; sed proportione quadam, quia grauius erit Prophetæ supplicium, quo grauiùs fuit alter ab ipso deceptus. Quidam æque puniendum vtrumque volunt, quia non minor videtur esse culpa illius, qui aliquid contra legem, ac pietatem admisit; quàm eius, qui consilio, aut ope illum ad peccandum induxit. Quod mihi videtur non improbabile. Quod tenent Lyra, Hugo, Maldonatus, & Pradus.

Supplicij pars est ab alio decipi. 20.

Qui decipit pro damni, quod intulit, mensura, punietur.

E Vers.11. *Vt non erret vltrà domus Israel à me.*] 21.
Nimia Iudæorum aut credulitas, aut animi leuitas qua in aliam, atque aliam religionem gressu abducebantur instabili, & pseudoprophetarum audax, & ambitiosa calliditas efficiebat, vt à Deo vero, & ab eo tradita religione deficeret, & ad nouos, recentésque deos quotidie deflueret, *quos non coluerunt patres eorum*, Deut.32.v.17. Id verò efficiet supplicium illud, quod tam propheta fallax, quàm populus inconstans, ac credulus sustinebit; vt non vltrà domus Israel ab ea lege, quam seruare, & à Deo, quem colere omnino debuit, decrret. Neque enim quisquam, si sapiat, nomen sibi, aut munus arrogabit propheticum; qui prophetas falsos non ab honore solùm,

lum, quem captabant, sed è vita malè excessisse A conspicient; neque alij tutum existimabunt auitam religionem deserere, cùm eius desertores violatæ religionis pœnas dedisse quàm grauissimas videant.

22. Vers. 13. *Terra cùm peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans, extendam manum meam.*] Doctrinã murmuris minatur Dominus ingrato, atque insipienti populo; quando neque mouetur donis, neque benignitate, ac clementia ad officium adducitur. *Terra*, hîc pro Iudæa sumitur, iuxta Hieronymi regulam ad illud Isaiæ cap. 13. *vt disperdam omnem terram.* quæ docet *omnem terram*, & multo magis *terram* pro ea prouincia sumi, de qua sermo est: hîc verò sermo erat de Iudæa. B Illud *præuaricans præuaricetur*, studium vehemens, & in peccato pertinaciam indicat: id enim valet eiusmodi geminatio. Quare meo iudicio nõ cuicumque peccato supplicium intentat, de quo mox, sed illi, cui adiuncta pertinacia est, & obstinata perfidia. Extendere manum, magnum aliquid indicat in vtramque partem, siue ad bene alicui, siue ad malè faciendum. Hîc ex adiunctis non obscurè colligitur in extenta manu durum significari supplicium, sicut proximè versu 9.

23. *Et conteram virgam panis eius, & mittam in eam famem.*] Explicat qualis futura sit illa manus extensio, de qua proximè, extendetur quippe manus ad famem, gladium, & pestem, quorum aliis C in locis sæpe meminit, & infrà vers. 21. vbi ad hæc tria malas etiam belluas adiungit. Hæc porrò dicta puto antequam fames illa contingeret, de qua Ierem. cap. 14. vbi periisse quoque dicuntur præ fame belluæ. Et facit quòd sicut hîc magnorum virorum preces dicuntur non exoraturæ veniam peccanti populo, sic etiam apud Ieremiam, postquam habitus est de fame sermo, alij quoque commemorantur viri, quorum preces nihilo magis valituræ dicuntur ad impetrandam veniam, cap. 15. v. 1. *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

24. Cur virga panis dicatur conterenda, res est dubia. Quidam putant non defuturum panem, D in quo esculenta intelliguntur alia, fore tamen panem euanidum, & sine vlla nutriendi, aut corroborandi virtute; ita vt neque famem expleat, neque robur addat languenti, ac deficienti corpori. Id enim videtur significare *virga panis*, quæ aliter vocari solet baculus, seu firmamentum panis, id est, panis, qui confirmet, & alat, in quem sensum explicant multi illud Isai. 3. v. 1. *Dominus exercituum auferet à Ierusalem omne robur panis, & omne robur aquæ.* ita vt neque panis, quia euanidus est, famem expleat; neque aqua, vtpote à naturali virtute destituta, sitim extinguat. Egimus de hoc loquendi modo in nostris commentariis super Isaiam ad locum citatum; & suprà cap. 4. E vbi diximus virgam, baculum, seu firmamentum panis, esse panis epitheton, nihilque eo dicendi modo significari aliud, quàm panem confirmantem, seu sustentantem, quod probant exempla nõ obscurè, quæ locis proximè citatis adduximus.

Virga, baculus & firmamentum panis.

25. Vers. 14. *Et si fuerint tres viri isti in medio eius Noë, Daniel, & Iob.*] Explicuimus hunc locum in nostris commentariis in Ieremiam c. 15. ad verba quædam his quàm simillima. Quare hîc tantùm nobis obseruandum est, cur horum trium maximè Propheta meminerit: qua de re video varias esse sententias; quarum eas hoc loco tantùm referam, quæ aut magnos habent patronos; aut magis sunt ad mores accommodatæ.

Chrysostomus homil. 43. in Genes. ideo putat tres hosce viros in exemplum adduci, quia suis temporibus, aliis in angusto rerum discrimine saluti fuerunt. Noë quidem quia vxorem & filios, cùm mundum totum vniuersalis alluuies oppleuisset, liberauit à morte. Iob aliis salutem attulisse dicit, neque tamen nominat. Daniel damnatos iam morte Chaldæos, & magos Regis barbari furori subtraxit, cùm iam ad supplicium traherentur, quòd diuinare non possent, quæ rerum species oblata fuisset dormienti. 26.

Noë, Daniel & Iob, cur apud Deum in orando potentes.

Augustinus lib. 2. quæst. euangelicarum, c. 44. & in Psal. 132. horum trium exemplum ideo cẽset à Deo fuisse propositum, vt tres status significarentur qui in Ecclesia sunt. Noë illorum est accommodatum symbolum, qui Ecclesiam, seu Christianam rempublicam moderantur; quia ipse arcam per medios moderabatur fluctus; quæ, vt indicat Petrus epist. 1. c. 4. Ecclesiam exprimebat. Daniel qui vitam egit cœlibem, illorum hominum statum adumbrabat, qui resecatis sæcularibus curis, quæ mentem distrahunt, ac demergunt, vni vacant Deo. Iob qui vxorem duxit, filios suscepit, & facultatibus abundauit ingentibus, illius ordinis exemplum est, qui vitam agit communem, & magis rationibus secularibus impeditam. Ex quo Augustini distributione illam nos sententiam informare possemus; in nullo hominum ordine quenquam futurum, qui suis à Deo precibus obtineat, vt obstinatæ perfidiæ Iudæorum ignoscat. 27.

Hieronymus, & Theodoretus, & cùm illis cõplures alij, ideo censent horũ maximè trium fieri mentionem, quia hi cùm iusti essent, non tamen orando à Gente sua, seu à sæculo suo, diuinam offensionem lenire, aut vibratum fulmen auertere potuerunt. Obrutus quippe mundus fuit à diluuio; oppressi ruina filij Iob, & Danielis ætate euersa respublica Israëlitica, & tantum non extinctum Iudæorum nomen. Cùm verò hi tanti viri auertere non potuerint graue illud incommodum, quod sui contribules, aut domestici, siue etiam coæui passi sunt, quid sperent alij placare se posse precando, indignatum Deum, qui tam absunt longè ab illorum virorum sanctitate! 28.

Plures aliæ sunt sententiæ, quas hîc commemorare tædet, ex omnibus postrema hæc magis mihi videtur habere momenti. Sed mihi nõ displicet quod in simili difficultate probaui ad illud Ieremiæ cap. 15. *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* vbi dixi propterea duos hosce Israëliticæ Gentis principes in exemplum adduci, quia hi constantissimi fuerunt in orando, & ad obtinendum oratu potentissimi. Sic credo tres alij in suo quique sæculo principes à Deo nominari, quia & ipsi in orando ardentes, & assidui, & in exorando efficaces extitere. De Noë scribitur Eccli. 44. vers. 17. *Noë inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. ideo dimissum est reliquum terræ, cùm factum est diluuium.* De Iob id quoque certum est, nam non solùm pro filiis orabat, sed assiduis quoque vacabat sacrificiis, & quidem pro se orasse ardenter, ac diu, ipsius liber non obscurè docet; impetrasse verò quod orabat, exitus ipse tam longi, ac duri certaminis manifestat, cùm neque confectus fuerit multorum annorum atra lue, & multo magis opibus fuerit, ac liberis auctus, quàm annis superioribus fuerat, cùm lauabat pedes suos butyro, 29.

Noe, Danielis, & Iob oratio efficax.

tyro, & lucerna splendebat super caput. Hæc orabat Iob cap.29. *Quis mihi tribuet, vt sim iuxta menses pristinos, secundùm dies, quibus Deus custodiebat me.* Lege reliqua quæ hîc Iob exorata vult à Deo, & vide quàm illa omnia Deus illustria magis, atque cumulata reddiderit cap. 42. vers. 12. *Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis, quàm principio eius.* De Danielis orationibus tam ardentibus, quàm assiduis, habes in eius prophetia documenta non pauca. Qui vsque adeò orationis studio capiebatur; vt proposito capitis periculo deterreri non potuerit, quo minùs tribus temporibus in die genua flecteret conuersus ad Ierusalem. Quod vsque adeò frequens erat ac notum Babyloniis, vt ea ratione existimarent posse in Regis offensionem trahi; & non solùm de Principum, sed etiam de vitæ medio tolli. Quòd orando consecutus fuerit ne in lacu à leonibus vndique circumfusus discerperetur, semel cap.6. iterum cap.14. mihi dubium non est. quas à Domino illustrationes habuerit, & illam de venturo Christo post septuaginta duas hebdomadas, nemo nescit. Quare hi tres perquam commodè in exemplum magnorum oratorum allati sunt.

Cur Noe, Daniel, & Iob in exemplum adducti.

30. Sed dices alios quoque adduci potuisse, qui neque minùs precati sunt ardenter, neque minora obtinuerunt à Domino; sit ita sanè, verùm peculiarem hic rationem video, cur tres isti præcipuè nominari debuerint. Vt enim Christus Matthæi 23. cùm alios Prophetas adducere potuisset, qui à Iudæorum parentibus interfecti sunt; Abel tamē, & Zachariæ meminit; quia ille priùs omnium fuit, qui non tam verbis, quàm signis, id est, profuso sanguine à fraterna inuidia, prophetauit; hic verò postremus, quem Prophetam cognoscebant Iudæi, & occisum esse nouerant: sic modò Deus illorum hîc proponit exēplum, qui omnium primi, atque postremi orasse simul, atque impetrasse existimantur. Nemo quòd ego sciam ante Noë orauit, & à Deo quod orarat, obtinuit; nemo vir magni apud captiuos Babylonicos nominis orasse cognitus est Daniele posterior; quem omnes, vt reor, orasse nouerant sæpius in die; & quidem postea orationis causa in lacum leonum demissus fuit. Ille verò in viuis erat, cùm hæc à Deo audiebat Ezechiel: quare exemplum nullum poterat afferri recentius. Ex quo patet, quanta fuerit Danielis sanctitas, cùm viuens adhuc sine inuidia, quæ rarò abesse solet à viuis, cum antiquissimis, iisdémque sanctissimis viris numeraretur.

Danielis magna laus.

31. At dices Iob ad nullum duorum temporum pertinere; cùm inter duos alios ita sit interiectus, vt ab vtroque illorum longè recesserit, quo fuit antiquior Abrahamus, & penè coæui alij, qui apud Deum plurimū orando valuerunt. Respondeo aliâ ob causam videri nominatum esse Iob; quia eo in statu vixit, à quo oratio sic erumpere solet vehementer, vt diuinum expugnet pectus, & quod obtinere nititur, tandem exoret. Scimus quam grauibus Iob affectus sit incommodis; vt ea fuerit specie, quæ vel ferinos animos capiat, & ad misericordiam inflectat. Quàm verò afflicti, atque dolentis animi potens sit oratio, non

Afflicti oratio potens.

32. vno in loco Scriptura clamat. Psal. 49. *Ad Dominum, cùm tribularer, clamaui, & exaudiuit me.* Eccli. 21. *Deprecatio pauperis ex ore vsque ad aures eius perueniet, & iudicium festinatè adueniet illi.* Hæc afflictæ, ac miseræ fortunæ conditio sic diuinum animum afficit, &, vt ita dicam, compungit, ac

A fodit, vt eos etiam qui magis erant odio, atque supplicio, quàm clementia digni, & alloquatur humaniùs, & ad illorum votum exaudiat. Sic Ionas exauditus est, & liberatus, quem inobediētis animi peruicacia in marinæ belluæ ventrem incluserat. *Clamaui, inquit, in tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me,* Ionas cap.2. Manasses cùm vinctus esset, coangustatúsque, exauditus est à Deo, 2.Paralip.c.33. cùm tamen priùs multa infandæ religionis, & ferinæ crudelitatis edidisset exempla. Illud admirabilius, quódque maiorem in modum ostendit afflicti animi eximiā ad impetrandum potentiam. Nam cùm Achab regiam maiestatē ad cilicium, & saccum abiecisset; tan-

B tum externa illa pœnitentis specie apud Dominum potuit, vt à diebus suis, quod iamiam impendebat supplicium auerterit, 3.Reg.21. v.29. Quanto ergo ad impetrandum afflicti corporis, atque animi potentior est oratio: tanto magis diuini pectoris declaratur offensio, cùm afflicto animo, & vexato corpori repulsa denunciatur. Quàm grauia passus fuerit Iob siue valetudinis, siue fortunæ detrimenta, nemo nescit; quàm illius oratio futura fuerit ad exorādum efficax, & viri sanctitas, & dura illa, atque diuturna vexatio satis ostendit. Dum ergo Dominus affirmat nihil apud se illius preces ponderis habituras, docet quàm sit grauiter in Iudæorum populum

C offensus.

Quomodo Sanctorū preces, etsi apud Deum potentissimæ sint, parum tamen efficiant, cùm illi, pro quorum commoditate funduntur, de meliori fruge non laborant, docuimus in Ieremiæ cap.15. v.6. quod optimè, ac latè Chrysostomus docet homil.1. in epist. ad Thessalon. vbi hunc Ezechielis locum elegāter tractat. vbi etiam docuimus quàm ineptè hæretici ex hoc loco sibi persuadeant, beatos in cœlo non iam ampliùs orare, atque ideo frustrà à nobis illorum exilium implorari; cùm potius ex hoc loco contrarium efficere debuissent. Cùm illorum precibus, quorum tantum est pondus, negat se concessurum 33.

Quando nobis non prosunt Sanctorum preces.

Stultè hæretici contendunt Sanctos non orare pro nobis.

D supplicij remissionem; quibus antea in causa minùs obstinata, ac perdita solitus esset plurima largiri. Quomodo si quisquam neget se parentis, aut amicorum intercessione, aut etiam lacrymis adductum iri, vt cuipiam ignoscat; ille non negat graues esse apud se parentis aut amicorum preces; sed affirmat tantam esse animi offensionem in alterum, vt nulla ratione illius erratis ignoscendum putet.

Vers.15. *Quòd si & bestias pessimas induxero super terram, vt vastem eam.*] Multis modis Dominus euertere solet ciuitates; quorum nonnullos hoc loco commemorat. Solet enim bestias mittere aut obscœnas, & immundas, quæ tantùm 34.

E fastidio, atque squallore suo molestæ sunt; aut sæuas, & valentes, quæ discerpant, & perimant. Quare ciuitates multas, & insulas per hasce bestiolas euertit, vt nullus in illis habitator sit reliquus. Audi Plinium lib.8. cap.29. qui multa in hanc sententiam exempla producit. *Marcus Varro,* inquit, *auctor est à cuniculis suffossum in Hispania oppidum; à talpis in Thessalia; à ranis ciuitatem in Gallia pulsam; a locustis in Africa, ex Gyaro Cycladum insula incolas à muribus fugatos: in Italia Amiclas à serpentibus deletos; citra Cynamolgos Æthiopas latè deserta regio est à scorpionibus, & solpugis gente sublata: & à Scolopēdris abactos Turienses, auctor est Theophrastus.* Hæc Plinius. Hæc eadē fecisse Deum docuit Iosue c.vltimo, versu 12. vbi à crabronibus expulsos

Ciuitates, & regiones à belluis etiam minimis vastata.

pulsos esse dicit Amorrhæos è patriis sedibus, vt Israelitæ in eorum opes, & regna succederent. *Misi ante vos crabrones, & eieci eos de locis suis, duos Reges Amorrhæorum, non in gladio, neque in arcu.* De eisdem etiam Sap. cap. 12. v. 8. *Misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent.* Et, vt ex lib. Reg. 4. c. 17. constat, leones Deus in Assyrios inuexit, quorum fuerant in Samariam deductæ coloniæ. Ait igitur Deus, si statuerim aut immissis belluis, aut pestilentia, & ferro ciuitatem vastare, nihil efficient triumuirorum; aliqui potentissimæ preces; vt aliis ignoscam. Quòd de illo vastationis genere sermo sit, quod nuper explicuimus, verba, quæ proximè succedunt, persuadent. *Et fuerit inuia, eo quòd non sit pertransiens propter bestias.*

35. Vers. 18. *Nec filios, nec filias liberabunt.*] Pars quædam parentum tam in sacra, quàm in profana literatura vocantur filij, quibus sæpe damus viscerum nomen. nõ tamen in causa vsqueadeo perdita viri tanti, támque Deo familiares filios suos, id est, sua viscera vendicabunt à ferro, aut belluarum morsu. Porrò sicut *si*, conditionalis particula sæpe superiùs ponitur, *Si fuerint tres viri*; &, *si bestias pessimas induxero.* Sic etiam eadem particula supplenda est ad illud, *Nec filios, nec filias liberabunt.* quasi dicat, *& si filios habuerint, non liberabunt.* Neque enim Daniel filios vnquam habuit, imò perpetuam virginitatem seruauit, & coluit, vt communis est Patrum sententia. Ita putat Hieronymus, Epiphanius, Damascenus, Dorotheus. Quòd verò *si*, multis in locis supplendum sit, docuimus in nostris Commentariis in Isaiam cap. 64. num. 10. vbi exemplorum satis. Reliqua ad vers. 12. non obscura sunt.

REGVLA. *Si conditionalis aliquando suppletur.*

Daniel virgo.

36. Vers. 19. *Et effudero indignationem meam super eam in sanguine.*] Iudicabit hîc fortasse nonnemo non bene sanguinem cum pestilentia coniungi; quia pestis non tam effundit, quàm tabefacit sanguinem; aut alio modo perimit, quàm sanguine profuso. Licèt plerumque sanguis cædem significet, quam inducit ferrum, sæpe tamen mortem significat quocumque illa modo contingat. Genes. 44. de Iosepho, quem non ferro sustulerant, sed seruituti addixerant, aut in moriendi necessitatem adegerant, dixerunt fratres, *En sanguis eius exquiritur!* & Ionæ cap. 1. cùm nautæ proiecturi essent in mare Prophetam, dixerunt ad Deum, *ne des super nos sanguinem innocentem.* Plurima apud hunc Prophetam exempla reperies, vt cùm dixit cap. 3. v. 18. *Sanguinem eius de manu tua requiram*, & similia. Quare hîc in sanguine mors indicatur; licèt ab ea ferrum, & sanguis absit.

Sanguis pro morte.

37. Vers. 21. *Si quatuor iudicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam immisero in Ierusalem*] Summa est eorum, quibus pœnas exiget Deus à Ierusalem, quæ Ieremias cap. 15. his verbis explicuit, *Visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus, gladium ad occisionem, canes ad lacerandum*, &c. quæ erant quasi administri, atque lictores diuini iudicij. Hæc verò iudicia vocantur pessima, quia dura; iudicia verò ab effectu, & signo, quia quid Deus de hominum meritis, & vita iudicet, ostendunt: quomodo supplicia iudicia vocantur Exod. cap. 6. v. 6. *Redimam in brachio excelso, & iudiciis magnis:* nempe grandine, ranis, gladio, &c. & Ezechiel. suprà cap. 5. v. 8. *Ecce ego faciam in medio tui iudicia.* ad Galat. 5. v. 10. *qui conturbat vos, portabit iudicium.*

Iudiciũ pro supplicio.

38. Vers. 22. *Tamen relinquetur in ea saluatio.*] Ex

A quatuor illis iudiciis, de quibus nuper, nulli videbantur futuri superstites: at Dominus ait, non omnes esse gladio, peste, ac fame perituros; sed ex cõmuni strage aliquas futuras esse reliquias. quibus tamen ea erit postea fortunæ conditio, vt mitiùs videretur agendum fuisse cum illis, si semel ferro, aut peste perijssent, quamdiu non tam vitam producerent, quam mortem traherét ærumnosam, & ægram. Quod explicat Propheta ad finem vsque capitis, dum ait illud impendere Iudæis, qui tunc fortunati censebantur, vt vitæ genus, vt aliorum, qui tunc à patria aberant, status iudicari possit fortunatus, ac lætus. Vt enim vita supra modum profligata, ac perdita iustificare B dicitur eos, qui non vsqueadeo pudoris sunt, ac pietatis immemores; quia hic cum illorum improbitate compositi censeri iusti possent: sic fortuna supra modum aduersa sortem minùs abiectam, reddit optabilem. Quomodo Ezechiel. cap. 16. v. 51. Iuda iustificare dicitur Samariam, & Sodomam, quæ non vsque adeò videbantur in omnem turpitudinem proiectæ. *Vicisti, inquit, eas sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.* & dum maiora patitur, de seipso fatetur Iob cap. 6. v. 7. superioris vitæ incommoda haberi pro deliciis. *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* *Saluatio* hoc loco, pro saluatis sumitur C familiari Hebræorum idiomate, qui abstractum, pro concreto frequenter adhibent, vt *congregatio, circumcisio, plantatio*, pro congregatis, circumcisis, plantatis.

REGVLA. *Quæ grauiora sunt quocumque in genere faciunt, vt leniora nihil esse videantur.*

Et videbitis viam eorum.] Quidam in via vi- 39.
uendi genus intelligunt, quem Hierosolymis habuerunt, qui nunc dicuntur futuri superstites; vt hinc intelligant, qui tunc Hierosolymis aberant, quàm non sit alienum ab illorum meritis tam immane supplicium. In his est Hieronymus, & Theodoretus, quos ex recentioribus non pauci sequuntur. Cognoscerent autem ex eo viuendi modo, quem captiui instituent Babylone, quam D impuros habuerint, & corruptos mores cùm agerent Hierosolymæ. Neque enim quis, etiam si fornacẽ subeat expiatorium, qualis esse solet dura vexatio, dediscit mores, aut excoquit rubiginem, quæ iampridem malè institutis animis inoleuit. Hæc omnino placent, quia hoc non obscurè suadet continens filum. Sed non credo erraret valde, qui hoc loco, in *via*, diceret significari vitam illam ærumnosam, & ægram, quam ducent, qui tunc censebantur fortunati; cùm primùm fuerint è patriis sedibus extorres: qui sui doloris acerbitate, & ignominiosæ seruitutis incommodis solabuntur quodammodo; certè leuissimum ostendent, quod graue putabant, qui tunc erant exules, Babylonicum pondus, & huc E spectasse etiam videtur, quod reliquum est capitis.

Vers. 23. *Et consolabuntur vos cùm videritis viam* 40.
illorum, & adinuentiones.] Videbantur exules de Dei prouidentia, ac fide dubitare; eóque nomine mœrere, quòd ciuitatem suam spoliandam, & euertendum tẽplum Chaldæorum potestati tradidissent; vbi autem ex ciuium coniectu, quos in vrbe reliquerant, illorum vitam coopertam vndique flagitiis agnouerint, intelligent, quàm neque Deo fides, aut prouidentia defuerit, cùm multo magis laudanda sit in eo supplicio lenitas, & clementia, quàm reprehendenda seueritas. Tunc verò illam animorum ægritudinem deponent, quam ex tristi illa, atque impia cogitatione

tatione conceperant. Quòd si sententiam illam probes, quam posteriori loco putabamus non alienam, sensus erit, illis duram aliorum fortunam fore solatio; qui alios multo grauiora pati conspiciunt. Fert etenim hoc rerum natura, vt malorum communitas mala nostra eleuet; & in bonis numerentur illa incommoda, quæ aliorum grauitatem non æquant. Notum est illud Græcū prouerbiū, κοινὸν πανάγιον τοῖς πᾶσι παραμύθιον. & quod (à quo auctore incertum) iactari vulgo solet, solatium esse miseris socios habere in afflicta fortuna.

Huc credo spectabat, vt optimè hîc coniectat Pradus, seniorum consultatio; qui deliberandi

A gratia cum Ezechiele consederant. Cùm enim ab Ezechiele ipsi coràm audiissent, & hoc ipsum Hierosolymis à Ieremia tum verbis, tum portentis, & signis publicè denunciatum nossent, euertendam ciuitatem, & templum; & in illam suspicionem, aut cogitationem venissent, de diuina prouidentia, ac fide, de hac ipsa re videntur cum Propheta locuti; & interim de Ieremia conquesti, quòd tanto studio fuerit Iechoniam hortatus, vt sese Babylonio in regiam fidem, ac potestatem traderet; cùm tamen ciues alij ita in patria manserint, vt quietè viuant, & nihil ab hostili potestate metuant. Ad quorum singula Propheta, vt vides, in hoc capite accuratè respōdet.

IN CAPVT DECIMVMQVINTVM.

ARGVMENTVM.

SVMPTA ex agresti vite similitudine, ostendit quis maneat exitus Hierosolymam, & eos, qui Hierosolymam inhabitant. Vt enim ex vitis materia formari nihil potest ad rusticos, seu domesticos vsus; sicut ex aliis syluestribus lignis, necesse est vt vitis quantacumque est, igni tradatur, & in fauillas abeat. Sic etiam Hierosolyma, quæ nihilo melior est, quàm labrusca, siue vitis agrestis, incendio debetur, & flammæ, cuius vim sic experietur assiduam, vt ex vna flamma in aliam continenter incurrat.

CAPVT XV.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:*

2. *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna siluarum?*

3. *Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcumque vas?*

4. *Ecce igni datum est in escam: vtramque partem eius consumpsit ignis, & medietas eius redacta est in fauillam: numquid vtile erit ad opus?*

5. *Etiam cùm esset integrum, non erat aptum ad opus: quanto magis cùm illud ignis deuorauerit, & combusserit, nihil ex eo fiet operis?*

6. Pro

PARAPHRASIS.

B 1. ITerum Dominus ad me in hūc modum locutus est:

2. Fili hominis cùm plantarum aliarum materies ad hominum vsus plures habeant opportunitates; & quem vsum habere putas inter arbores, quæ nascuntur in nemore, syluestrem vitem? aut quidnam de illa futurum arbitraris?

3. Numquid de syluestri, atque infructuosa vite abscindetur lignum ad humanos vsus opportunum, vt ex illo domesticum aliquod, aut rusticum instrumentum fiat, quod fabrile aliquod opus excudat, aut formet? aut saltem ex illo sumetur paxillus, qui adactus in parietem vas aliquod ex domestica supellectili suspen-
C dat?

4. Syluestres aliæ plantæ, etiamsi aliquid habeant, quod vni tantùm foco seruire potest, quales sunt aut summi rami, aut imæ radices; aut mediam illarum partem, id est, truncum, grandioresque ramos ad vsus non ignobiles plerumque conuertimus: non sic autem in vite, cùm enim ex ea nihil fingi possit opportunum, non infimum, non medium, non summum à flamma vindicamus, quantacumque est, tota in fauillam redigitur.

5. Cùm integra esset vitis, neque dum ab igne violata nullam domesticis vsibus commoditatem afferebat; multo igitur minus

6. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quomodo lignum vitis inter ligna siluarum, quod dedi igni ad deuorandum, sic tradam habitatores Ierusalem.

7. Et ponam faciem meam in eos: de igne egredientur, & ignis consumet eos: & scietis quia ego Dominus, cùm posuero faciem meam in eos.

8. Et dedero terram inuiam, & desolatam: eo quòd præuaricatores extiterint, dicit Dominus Deus.

A minus erit ad opus aliquod opportuna, cùm illā cōsumpserit, ac perdiderit flāma.

6. Idcirco hæc dicit Dominus: Quia Ierusalem instar labruscę, aut syluestris vitis mihi fuit; sic ego illam cum habitatoribus suis incendio tradam, quomodo flāmis vitis aboleri solet.

7. In illos ego infensos oculos conuertam, qui perpetuis afficientur incommodis, si ab vno liberentur incendio, in aliud incurrent, à quo consumentur omnino: & tunc scietis Deum esse me.

8. Cùm faciem illis inimicam ostendero, & eorum regionem ita vastauero, vt nemo illam inhabitet, per illam transeat nemo, quia spiritu planè gentilico, à mea lege, ac religione defecerunt, dicit Dominus.

Vers. 2. *Quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemoris.*]



1. POPVLVS Israëliticus in vtroque Testamento sæpe cum vite comparatur, quæ strenuam, & penè quotidianam vinitoris operam desiderat. quæ quidem fructu indefessum cultoris studium cumulatè compensat. At si inutilis, ac degener sit, aut certè si abscissa sit, & arida, nihil illa prorsus inutilius, cùm ex eius siue palmitibus, siue trunco fieri nihil possit humanis vsibus opportunum; non baculus, non hastile, non denique paxillus, ex quo vas aliquod quodcumque dependeat. Quare si quem habet vsum, ille vnus est, vt instruat nempe focum, & in cineres abeat. Probat autem Deus iustè ad ea populum perferenda trahi, quæ in capite præcedenti dixerat, vbi etiam docuerat magno suo merito illa sustinuisse, in quibus tunc versabatur incommodis. Quod vno verbo perquam optimè, ducta ab arenti vite similitudine, complexus est. Nam si lignum vitis igni tantùm debetur, cùm ex illo nihil ad dignitatem, & speciem formari possit; quid sibi præter incendium speret, qui exaruit totus, tanquam abscissa vitis, aut à qua propter degenerem, aut vilem naturam nullus aut carpitur, aut speratur fructus.

Vitis nisi fructum ferat prorsus inutilis.

2. Porrò *lignum vitis*, idem est quod *vitis*, quomodo arbor fici Matth. cap. 24. v. 32. pro ficu, & arbor oliuæ, Exod. 27. v. 20. & lignum oliuæ, Isaiæ 41. v. 19. pro oliua ponuntur. Quare hîc *lignum vitis* sarmentum esse non arbitror. Neque vox Heb. עץ *ez*, tam sarmentum, aut ramum arboris sonat, quàm totam arborem. vnde frequens, *lignum plantatum, lignum pomiferum, lignum vitæ*. Agit ergo, vt opinor, Deus de vite infructuosa, quales labruscæ sunt; atque ideo cum lignis comparat, id est, syluestribus plantis, quæ nullos germinant fructus, atque ideo cæduntur, comportantúrque ab hominibus, vt aut domos construant, aut grauia sustentent onera, aut ex illis vas aliquod, aut instrumentum fiat humanis vsibus opportunū. Pro *nemorum* Hebraicum est זמורה *zemorah*, quæ securim connotat, & succisionem sonat; id est, arbores cæduas, quæ syluestres sunt; neque aliū habent vsum, quàm vt cædantur, vel vt instruant focum, vel vt opus aliquod compingant, nauem

Signum vitis, oliuæ, &c. pro vite, oliua.

Arborum syluestrium quis vsus.

B puta, mensam, aut plaustrum, & quia arbores hæ infrugiferæ, ac steriles non tam hominum feruntur manibus, quàm vltrò ipsæ nascuntur in syluis; ideo vulgatus ligna appellauit nemorum. Confert igitur hîc Deus syluestrem vitem cum syluestribus plantis, eámque longè inferiorem esse docet: nam primùm vtraque nullos fructus pariunt, quòd si cædantur, illa prorsus inutilis est, neque ad aliud vtilis quàm ad focum; hæ verò alios habent opportunos, & multiplices vsus. Hîc porrò obseruandum illud *ex omnibus lignis*, 3.
vim habere comparationis, Heb. מן *min*. quod noster interpres *ex*, reddidit, cum comparatione *tamen*, vt Psalm. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex*
C *me*. quem vsum habet etiam aliquando *à*, vt Luc. c. 18. *Descendit hic iustificatus ab illo*, i. magis quàm ille. Reddidisset interpres clariùs, si dixisset, *præ omnibus lignis nemorum, quæ sunt in syluis*: id est, præter omnem materiam nemorosam, & cæduam.

REGVLA. Ex comparationem aliquando significat.

Vers. 3. *Fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcumque vas.*] Paxillus lignum est infixum parieti, ex quo vasa domestica dependent; quæ homines ad familiares vsus parata habere volunt, & prompta, vulgo Hispanorum *estaca* nominatur, Heb. יתר *iather*, quod interdum vulgatus *clauum*, reddit, Iud. 4. Est ergo יתר clauus siue ligneus, siue ferreus parieti infixus. Vide quæ de paxillo diximus ad illud Isaiæ cap. 22. *Et*
D *figam illum paxillum in loco fideli*. 4.

Vers. 4. *Vtramque partem eius consumpsit ignis, & medietas redacta est in fauillam.*] His verbis sibi quidam persuadent, neque sanè abs re, hic non de vitis trunco, sed de sarmentis, ramis videlicet infirmis, atque tenuibus esse sermonem, quæ momento temporis ab igne ita consumuntur, vt nulla pars illius libera maneat ab incendio; quod in aliis plantis longè secus accidit. vbi enim pars fuerit in fauillas redacta: pars intacta manet, ex eáque fieri scabellum potest; aut quoduis aliud domesticum, siue rusticum instrumentum. Ita plerumque alij; dicam ego cogitationem meam, quam aliorum sententiæ præferri nolo; sed aliorum iudicio expendendam trado. 5.

Et primùm non muto quod principio dixeram inter syluestrem & inutilem vitem, & inter 6.

In aliarum plantarum materia, excepta vite, aliquid est utile.

arbores, quæ in nemore sua sponte nascuntur, comparationem fieri. Neque credo huic cogitationi locus, quem in præsentia versamus, plurimum incommodat. Quod duæ mihi rationes penè persuadent. In aliis plantis quæ cæduntur è sylua, aliquid est, quod quia nullum habet alium vsum, ignem fouet plerumque, & focum instruit; radices puta, corticem, & exiles ramos, & si quid est à carie corrosum, aut à vetustate putre. At sunt alia, eaque præcipua, ex quibus instrumenta non leuia, ad speciem luculentæ domus, & ad lautiorum delicias dolari solent. Quare si infima, id est, radices; & summa, id est, præaltos ramos, & exiles incendio perdimus; media tamen, id est, truncum ad vsus non ignobiles plerumque conuertimus. Non sic autem in ligno vitis, id est, in tota vite, cùm enim ex ea nihil effingi possit opportunum, non infimum, non summum, non medium à flamma vendicamus; tota omnino vitis ab incendio consumitur.

7. *REGVLA. Actus primus pro secundo.* Alterum est, actum secundum, vt Logici loquuntur, adhiberi pro primo, vt pluribus ostendimus ad illud Isaiæ 38. *Corripies me, & viuificabis me.* Quomodo dicimus, *ille docet.* id est, facultatem habet, aut consuetudinem docendi. *Hic cibus comeditur.* i. esculentus est. *Thus ad aram comburitur.* id est, comburi solet. Sic modò cùm dicitur tota vitis comburi; nihil videtur significari commodius, quàm esse combustibilem, aut illam totam incendio deberi. In hac ergo expositione nihil violentum inuenio, atque distortum; expositiones aliæ nescio quomodo minùs aut implent textum, & attento lectori satisfaciunt.

8. *Etiam cùm esset integrum, non erat aptum ad opus, quantò magis cùm illud ignis deuorauerit.*] Quo tempore hæc ab Ezechiele dicebantur, magna ex parte Iudæorum vires erant attritæ. Occiso priùs Ioacim, & capto Iechonia, & magna ciuium parte in exilium abducta. Quare vitis illa quondam florens, & à vinitore Deo non studiosè solùm, sed etiam indulgenter exculta iam penè videbatur absumpta flammis, & in cineres versa. Vt ergo quæ propriè dicitur vitis, etiam cùm integra est, neque dum ab igne violata, nullam domesticis vsibus commoditatem affert: sic etiam metaphorica vitis, id est, Iudæorum populus, antequam à Deo per Chaldæorum vindicem virgam afflictus est, nullum rebus ostentabat opportunum vsum; multo igitur minùs cùm vexari cœpit hostili manu, & attritus accipere noluit disciplinam; quod perinde est, atque si combusta esset vitis, aut certè vstulata, aut semiusta. Porrò in igne significari tribulationem omnem, & designatè famem, & pestem, docuimus suprà cap. 5. ad illud, *Tertiam partem igne combures.*

9. Vers. 6. *Quomodo lignum vitis inter ligna syluarum, quod dedi igni ad deuorandum, sic tradam habitatores Ierusalem.*] Sicut lignum vitis eam habet naturam ab auctore Deo, vt nullum ad vsum, præterquam ad incendium idonea sit, atque ideo tandem, vt diu multùmque repugnet ab incendio consumitur; sic Israëliticus populus, quamuis in honore quondam habitus, magno suo merito, quia in sylvestris vitis, seu labruscæ vilitatem degenerauit, destinatus est flammæ; quia in eo nihil apparebat frugi, non prima, non media, non infima, cùm omnes aut tabes infecerit, aut sterilis cunctis inoleuerit natura. *Omne*, inquit Isaias cap. 1. *caput languidum, omne cor mærens. A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas.*

Vers. 7. *De igne egredientur, & ignis consumet eos.*] 10.
Hoc credo dicendi modo illorum explicatur fortuna, qui malis perpetuò grauibus conflictantur, quibúsque semper grauiora succedunt, & quasi insidiantur incommoda; quod Latini hoc ferè modo explicare solent, *Incidit in Scyllam: De fumo ad ignem: Laborum catena, seu catenati labores.* Græci πόνος ἐπὶ πόνῳ, labor labori additus. Minatur ergo Deus inutili viti, & destinatæ foco incendium, & fauillam; quod si ex vno igne emergere contingat, casuram in alium, à quo consumetur. Et quidem ita accidit: nam qui obsidionis tempore gladio, & fame confecti nō sunt, atque ideo egressi videntur ab incendio, postea tamen inciderunt in ignem, quo lentior videbatur, atque diuturnior, eo molestior putabatur, & durior. egerunt namque ægram, & miseram vitam in exilio, quam ingenui mortis instar deputant, in quo, præter admodum paucos, omnes consumpti sunt. In hunc ferme modum Theodoretus. cætera aperta sunt.

Caput hoc in illorum mores bellè quadrat, 11.
Si quis deficit, eo peior, quo in altiorem gradum vocatus est.
quos Deus in sublimem locum, & ordinem vocauit; ipsi verò & Dei benignitatis, quam toties experti sunt promptam, & effusam, immemores, & quid munus, & nomen illud exigat, nihil habentes pensi, vitam agunt prorsus degenerem, & abiectam, & tantum in ambitiosam foliorum luxuriem euanescunt; sicut sylvestris illa vitis, à qua hoc loco similitudo ducitur. Hi enim longè peiores sunt, quàm sæculares alij, qui sylvestres vocari possunt plantæ; quas non ita largè colit, aut rigat diuina manus. Illæ namque arbores varios præbent vsus, quibus indiget res communis, & publica; vt enim multa habeant, quæ non nisi ad ignem, & cineres idonea sint; at materiam suppeditant cæduam, ex qua homines ad domesticas, rusticásque functiones instrumenta parant, ad columnas nempe, quæ sustinent domos, ad aratra, & plaustra, quę aut ferunt fruges, aut demessas comportant. Sic etiam viri sæculares dum artem exercent militarem, & rusticā; dum iuri vacant, aut medicinæ, sustentant rempublicam; neque vulgarem afferunt vsum ad cōmoda, siue ornamenta pacis. At clerico, seu reli- 12.
Clericus, seu religiosus maximè inutilis.
gioso, cui nihil adest religiosum, & sanctum pręter nomen; aut deforme, & vacuum religiosi viri simulacrum, nihil inest quod probes, nihil quod non respuas, nihil quod non iudices incendio dignum, cùm illud non præstent, quod ipsorum ordinem, & institutum decet; neque obire sine rubore queant, quæ vtiliter præstant sæculares. qua de re optimè Bernardus Declamatione in illud, *Ecce nos reliquimus omnia*, vbi explicans illud Psalmi 72. *In labore hominum non sunt.* eleganter, & grauiter de clericis, aut potiùs inani clericorum vmbra loquitur, ex quibus nos hæc carptim accepimus. *Cùm cuncti status hominum aliquid habeant laboris, & aliquid voluptatis, clerici inter hæc nouo quodam artificio discernentes totum quod delectat in quolibet elegerunt: & totum quod molestat respuerunt. A militibus acceperunt superbiæ fastum, amplam familiam, equorum phaleras, & nobiles apparatus: à mulieribus dependentes collo pelles rubricatas, vinum, mollitiem, balneum, & gloriam: à rusticis fructus agrorum horrea plena. Sed bene cauent militaris loricæ pondus, muliebrem declinant verecundiam. Omnes rustici, & agricolæ victum sibi labore acquirunt: si deliciis affluunt, & tamen adueniente fructuum tempore*

tempore promptuaria eorum plena tritico, & vinum bibunt vua meracissimum, & inde incrassantur, impinguantur, dilatantur. Cùm ergo resurgere cœperint homines, quilibet in suo ordine, isti cum quibus resurgent? si diuertere voluerint ad milites, ipsos exsufflabunt, sicuti homines à suis finibus arcebunt: & isti qui nullo fue- A *runt ordine, vbi putas collocabuntur? Restat ergo vt illum locum sortiantur, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: & sint in laboribus dæmonum, qui in laboribus hominum non fuerunt.* hoc est, vt sylueſtrem, & infrugiferam vitem ad ignem damnari.

IN CAPVT DECIMVMSEXTVM.

ARGVMENTVM.

CAPVT hoc vt longum est verbis, sic etiam affectibus varium, & genere ipso dicendi sic incitatum, vehemens, & ornatum, vt in tota Ezechielis prophetia nihil sit aut magis illustre, aut magis ad affectus, & mores. Cùm enim miserrimum Hierosolymæ statum ita descripsisset luculenter, vt nihil videri posset ærumnosius; ac deinde ornata nuptialibus donis ad regium vsque nomen esset euecta; ita tamen fuit ad beneficia ingrata; ad libidinem pruriens; ad quidlibet audendum proiecta, vt deserto sponso, cui acceptum referre debuit, quòd viueret, & quòd genialibus deliciis esset exculta; alienos secuta sit adulteros, & meretricium in modum prostibulum erexerit, neque tantum expectarit, sed etiam vltrò scortatores quæsierit, & meretriciis lenociniis allexerit. Qua metaphora significat Deus relicto vero, ac patrio cultu ad Gentium idola vndecumque aduocata non minus audacter, quàm inuerecundè defluxerit. Neque Samariæ, & Sodomæ, quarum mores expresserat, exemplo didicit, quæ similem ob causam perierunt; quódnam sibi ab offenso, atque indignato sponso supplicium impenderet. Deinde grauia minatur infortunia, quæ miris modis amplificat, quibus aliquid interdum iucundum admiscet, libertatem nempe post exilium, & statum meliorem. Qua Dei clementia singulari sic afficietur, vt Deum verum, atque fidelem esse cognoscat, & sui ipsam peccati maximè pudeat.

CAPVT XVI.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:*

2. *Fili hominis, notas fac Ierusalem abominationes suas:*

3. *Et dices: Hæc dicit Dominus Deus Ierusalem: Radix tua, & generatio tua de Terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.*

4. *Et quando nata es, in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis.*

5. *Non pepercit super te oculus vt faceret tibi vnum de his, misertus tui: sed proiecta es super faciem terræ in abiectione animæ tuæ, in die qua nata es.*

6. Tran

PARAPHRASIS.

B 1. ITerum Dominum ad me in hunc modum loquentem audiui:

2. Fili hominis, fac vt Ierusalem ex te cognoscat quid fœdè, ac sceleratè commiserit.

3. Hoc verò modo primùm ad illam improperium institues: Talis mihi visa es, ô Ierusalem, ac si nata esses non ex Abrahami præclaro semine; sed ex alieno, atque impio, ex genere nimirum Chanaanæo, ex Amorrhæo videlicet parente, & Cethæa matre.

4. Et quo die nata es, nihil tibi à parentibus adhibitum est eorum, quæ recèns natæ proli adhibere solet materna
C sedulitas; neque fuit, qui tibi vmbilicum abscinderet; qui aqua salutari, quos ex materna vulua sordes contraxisti detergeret, aut sale siccaret, roboraretque infantile corpusculum; aut denique pannis, fasciísque nudam ligaret, & obuolueret.

5. Cúmque illuuie fœda in materni sanguinis volutabro iaceres, si non mortua, at certè iamiam morituræ proxima: nemo tamen fuit, qui mites ad te, atque miseri

A misericordes oculos conuerteret,& aliquo beneficio ætatulam illam prosequeretur eorum,quibus foueri solent, & curari, qui in eodem sunt temporis, ac necessitatis articulo.

6. Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo: & dixi tibi cùm esses in sanguine tuo: Viue.dixi, inquam, tibi: In sanguine tuo viue.

6. Cùm ergo illac transirem, contemplatus sum te in materni sanguinis proluuio volutari, & cum obscœno illo in sanguine tete moribunda versares, dixi, fecíque vt viueres, viuere, inquam, te iussi, cùm in sanguine illo ita iaceres, vt iam censeri potueris pro mortua.

7. Multiplicatam quasi germen agri dedi te: & multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es, & peruenisti ad mundum muliebrem: vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit: & eras nuda, & confusione plena.

B 7. Postquam mea clementia vitæ, à qua excidisse videbare, restituta fuisti, cùm priùs nuda esses, atque deserta, sic rerum omnium abundantia ornata es, vt speciem quamdam præ te ferres vernantis agri. Ad illam deinde ætatem prouexi, in qua puellæ iam maturæ nuptiis mundo muliebri, id est, nuptiali instructu donari, atque ornari assolent; ætatem autem adultam, & nubilem satis præ se ferebat vberum naturalis tumor; & pilus à pubertate germinans.

8. Et transiui per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantium: & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam. Et iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum (ait Dominus Deus) & facta es mihi.

C 8. Respexi iterum te, & ecce tantum iam accesserat ætati, vt connubiali iure tuus ab aliis thalamus ambiri potuerit: tunc ego te ad coniugalem torum mihi consortem adhibui; & ad vmbram maritalis amictus sociam applicui, vendicauíque ab illa ignominia, quam steriles subeunt, & innuptæ. Nam inito, firmatóque iureiurando, pacto te mihi sponsam associaui.

9. Et laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te: & vnxi te oleo.

9. Vide ex quo te statu, ad quam munditiem, dignitatémque promouerim. Illota fueras antè, & obscœno puerperij sanguine respersa: ego laui te, & impurum illum sanguinem extersi; fomentum denique addidi, ac mollitudinem olei. D

10. Et vestiui te discoloribus, & calceaui te ianthino: & cinxi te bysso, & indui te subtilibus.

10. Dedi tibi polymitam, & phrygio opere variatam chlamidem. Ex hiacynthinis pellibus calceamenta præbui; ex candenti byssino, tenuíque, atque pellucido textu vestimenta contexui.

11. Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum.

11. Præter hæc autem corporis tegumenta, alia etiam ornamenta varia, & oculorum oblectamenta largitus sum; armillas videlicet ad manus, & torquem ad collum: E

12. Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.

12. Et gemmam, quæ in os ex fronte dependet, & imminet naso, & aureos circulos pro auricularum ornamento: deinde speciosum, & regium pro illustrando capite diadema.

13. Et ornata es auro, & argento, & vestita es bysso, & polymito: & multicoloribus: similam, & mel, & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis: & profecisti in regnum.

13. Excolui denique te argento, atque auro; indui byssinis variis, & versicoloribus tegumentis; cibos à mea liberali manu verè geniales, & regios accepisti, quales sunt, qui ex simila, melle, atque oleo

14. Et

14. Et egressum est nomen tuum in Gentes propter speciem tuam. quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus Deus.

A olio fiunt. Atque eo à me modo accepta es, vt ad miraculum vsque speciem habueris elegantem, & regiam: & ad regium tandem nomen, & ordinem ascenderis.

14. Vsque adeò verò ornata es à me, & locupletata nuptialibus donis, vt nomen tuum externos etiam populos sui admiratione, & maiestatis opinione compleuerit; mea tibi liberalitas speciem tibi conciliauit, & nomen, dicit Dominus.

15. Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo: & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, vt eius fieres.

B 15. Et elata vana, atque insolente fiducia, quasi speciem illam, & decorem abs te ipsa haberes, aut ab alio, quàm à me; abiecisti nomen, quod à me, tanquam à viro tuo sumpseras; illud resumpsisti, quod antè deposueras; & quasi mea non esses, cum aliis libero, ac vago concubitu fornicata es: omnibus enim prætereuntibus, quasi coniuges essent, & non adulteri, pudorem tuum, & corpus prostituisti.

16. Et sumens de vestimentis tuis, fecisti tibi excelsa hinc inde consuta: & fornicata es super eis, sicut non est factum, neque futurum est.

16. Vestimenta illa pretiosa, atque polymita, quæ à me acceperas, discissa priùs C à nobiliori forma ad idolorum, quæ tibi ad nefarium cultum efformaras, turpem imaginem aliter consuta contulisti: quibus illum cultum exhibuisti, vt cum illis adulterata videaris, quod nunquam tibi licuit, neque licebit vnquam.

17. Et tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi: & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis.

17. Neque solùm vestimenta variè consuta ad inanium deorum ornamenta traduxisti; sed etiam argentum, atque aurum meum, ex quibus ad speciem, & splendorem varias tibi effigies, & vasa D conflaueras, masculinas tibi deorum imagines formasti, cum quibus tuam tibi libidinem expleres.

18. Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illas: & oleum meum, & thymiama meum posuisti coram eis.

18. Has porrò imagines illis operuisti, atque ornasti vestimentis, quibus à me priùs donata fueras, quæ versicoloribus erant intexta filis, & opere phrygio variè distincta: & odoramenta, quæ ad nuptiales delicias afferri solent, siue stillatitia, & liquida ad irrorandum; siue concreta, & crassa ad odoriferos fumos ad impias aras, quasi ad genialem torum attulisti.

19. Et panem meum, quem dedi tibi, similam, & oleum, & mel, quibus enutriui te, posuisti in conspectu eorum in odorem suauitatis, & factum est, ait Dominus Deus.

E 19. Et quasi sacra cum illis inires connubialia, geniales epulas ad nuptiale conuiuium præparasti; panem videlicet meum, quem tibi porrexeram, similam, mel, & oleum; quibus à me nutrita fueras delicatè, ac molliter; ex quibus suauis spiratur odor. Hæc quidem cogitasti priùs, & statuisti; & quod mirandum, & execrandum magis, reipsa complesti, dicit Dominus.

20. Et tulisti filios tuos, & filias tuas, quas generasti mihi: & immolasti eis ad deuorandum. Numquid parua est fornicatio tua?

20. Filios tuos, ac filias, quos mihi (sponso videlicet tuo) generare debuisti vt mihi seruirent, illos diis alienis conse-

21. Immo crasti

A crasti in Topheth non vt eos acciperent amanter, & molliter, sed vt belluinum in modum deuorarent. Ecqua potest esse aut libido turpior, aut fornicatio maior?

21. Immolasti filios meos, & dedisti illos consecrans eis.

21. Immolasti, inquam, filios meos, & deorum immanium voluntati consecrasti.

22. Et post omnes abominationes tuas, & fornicationes, non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda, & confusione plena, conculcata in sanguine tuo.

22. Post hæc verò adulteria, & execrandas filiorum victimas, non subiit mentem illius temporis memoria, quando à me primùm inuenta es nuda, ignominiosè iacens, & in materni sanguinis volu-
B tabro demersa.

23. Et accidit post omnem malitiam tuam (væ, væ tibi, ait Dominus Deus)

23. Neque satis habuisti adulteriis coniugalem temerasse thalamum; sed proh dolor, ac dedecus, dicit Dominus, meretricium insuper instituisti quæstum.

24. Et ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis.

24. Quare, vt amatores turpes certum haberent, & cognitum locum, ad quem libidinis explendæ gratia diuerterent, publicum tibi lupanar excitasti; non in latebris, & lustris, sicut aliæ faciunt me-
C retrices, sed in omnium oculis, in plateis videlicet, & locis maximè frequentibus.

25. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ: & abominabilem fecisti decorem tuum: & diuisisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti fornicationes tuas.

25. Iis præterea locis, vbi viarum capita, siue diuortia sunt, signum sustulisti, quo incautos allicceres viatores; ostenderésque ibi aliquod corpus esse venale. Quo decorem quondam eximium, & gratas antè delicias, dum vita genus erat honestius, sic inquinasti, vt magis ad nauseam, atque fastidium, quàm ad voluptatem, & honorem idonea reddideris. Ne-
D que enim quemquam è transeuntibus, quantumcumque ille sordidus esset, & impurus, à nefario concubitu repulisti. Quare fornicationes tuæ multiplicatæ sunt, & ego ad iracundiam irritatus vehementer.

26. Et fornicata es cum filiis Aegypti vicinis tuis magnarum carnium: & multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me.

26. Exercuit libido, ac fornicatio tua vehementer; ex quo Ægyptiorum intemperantiam admisisti, qui in illo fornicationis genere effusissimi sunt; cùm nullum sit tam fœdum, atque horribile monstrum, cum quo nouis quotidie modis non
E libidinentur.

27. Ecce ego extendam manum meam super te, & auferam iustificationem tuam: & dabo te in animas odientium te filiarum Palæstinarum, quæ erubescunt in via tua scelerata.

27. Ecce ego contra te hostilem manum, & vindicem extendam, auferámque illa siue ornamenta, siue insignia, quibus te sanctam, ac religiosam simulabas; eóque redigam calamitatis, vt Palæstinarum fœminarum, quæ te animo persequuntur hostili, odio, atque inuidiæ satisfacias; quas tamen puderet, si talia vnquam admisisse contingeret, qualia tibi placuisse cernunt.

28. Et fornicata es in filiis Assyriorum, eo quòd necdum fueris expleta: & postquam fornicata

28. Satis videbaris habenas laxasse libidinis; cùm Ægyptiis scortatoribus familiariùs

nicata es, nec sic es satiata.

A hariùs te quàm fas erat, implicuisti: sed cùm adhuc pruritus ille turpis aliquid intemperantiùs appeteret, cum Assyriis quoque meretricata es: neque tamen ideo ardentissimam sedasti libidinandi sitim, quare amatores alios ex aliis, atque aliis regionibus aduocasti.

29. Et multiplicasti fornicationem tuam in Terra Chanaan cum Chaldæis, & nec sic satiata es.

29. Et cùm nemo suaderet, nemo cogeret, cùm adhuc esset integra res Iudaica, neque ab aliis oppressa; in regione tamen tua, in terra nimirum Chanaanitide,
B Chaldæorum succubuisti libidini; neque tam effusè meretricando immodicum illum pruritum sedauisti.

30. In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus; cùm facias omnia hæc opera mulieris meretricis, & procacis?

30. Quo igitur modo, quo expiatorio lauacro mundabo cor tuum, quod tot modis, ac locis tamdiu, támque frequenter, ac turpiter inquinasti? cùm non solùm fornicarios expectes, sed tanquam quæstuaria meretrix, & procax vltrò alios ad nefarium illud opus quæras, & allicias.

31. Quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, & excelsum tuum fecisti in omni platea: nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium,

31. In biuiis etenim meretricium diuerticulum excitasti; & in omni platea, lo-
C cóque frequenti, ac publico altaria ad nefarium idolorum cultum statuisti, vsque adeò libidine pruriens, vt neque meretricando defessa, quod aliæ faciunt meretrices; aut opibus, & auctoritate superbiens maiori pretio subactum, ac fractum corpus amatoribus loces.

32. Sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos.

32. Sic autem vitam illam instituisti meretriciam, vt non tam lucrum ex ea, quàm voluptatem captares; quasi mulier adultera fastidiosa, & locuples, quæ in opulenti viri thalamum induxit alienos.

33. Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis, vt intrarent ad te vndique ad fornicandum tecum.

33. Accipiunt prostituti corporis mer-
D cedem ab amatoribus quæstuaria scorta, à te verò contrà, pro subacto corpore mercedem amatores accipiunt; quos oblatis muneribus vndecumque ad nefarium congressum inuitabas.

34. Factúmque est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, & post te non erit fornicatio: in eo enim quòd dedisti mercedes, & mercedes non accepisti, factum est in te contrarium.

34. Quare multo aliter te in fornicando gessisti, quàm mulieres aliæ, quæ institutum amplexæ sunt meretricium, Fornicatio verò tua eiusmodi est, vt quæcumque alia, si cum tua compares, fornicatio iudicari non debeat. Quòd verò, vt nuper dixeram, non tam tu ab amatoribus, quàm abs te amatores mercedem ac-
E ceperunt, planè tibi non conuenit cum meretricibus aliis.

35. Propterea meretrix audi verbum Domini:

35. Propterea, ô meretrix, audi quid Deus per me tibi nuntiatum esse vult.

36. Hæc dicit Dominus Deus: Quia effusum est æs tuum, & reuelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos, & super idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis:

36. Hæc dicit Dominus, quia pecuniam tuam tam largè in scortatores tuos effudisti, quibus ad opus illud meretricium id, quod maximè celatum oportuit, reuelasti: de idolis hæc intellige, in quibus conflandis, quicquid à me ornamentorum acceperas, contulisti; quibúsque filiorum

37. Ecce

37. *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es; & omnes quos dilexisti, cum vniuersis quos oderas: & congregabo eos super te vndique, & nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam.*

38. *Et iudicabo te iudiciis adulterarum, & effundentium sanguinem: & dabo te in sanguinem furoris & zeli.*

39. *Et dabo te in manus eorum, & destruet lupanar tuum: & demolientur prostibulum tuum: & denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui: & derelinquent te nudam, plenámque ignominia:*

40. *Et adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladiis suis.*

41. *Et comburent domos tuas igni, & facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum: & desines fornicari, & mercedes vltrà non dabis.*

42. *Et requiescet indignatio mea in te: & auferetur zelus meus à te, & quiescam: nec irascar ampliùs.*

43. *Eo quòd non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, & prouocasti me in omnibus his: quapropter & ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, & non feci iuxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis.*

44. Ecce

A liorum tuorum immolasti sanguinem:

37. Ecce congregabo, & inueham contra te Ægyptios, quos amâras, & quorum vires tuis adiungere studebas; item Chaldæos, quos vehementer oderas; efficiámque vt nuditatem coram illis ad ignominiam prodas, quam olim idolorum metaphoricæ libidini reuelasti: tam verò his, quàm illis turpis, & abiecta videberis.

38. Et quia adultera fuisti, & filiorum homicida supplicium subibis homicidæ,
B atque adulteræ, vtpote adulterij, atque homicidij rea. Sanguinis igitur abs te supplicium sumam, quale à sanguinaria adultera sumere solet sponsi zelotypi inflammatus furor.

39. Illorum te potestati, atque immanitati permittam, qui suo de te arbitratu statuent: demolientur namque lupanar tuum, & notum scortationum tuarum diuerticulum; detrahent indumenta, & ornamenta alia, quæ tibi gloriam conciliabant, & speciem; relinqueris denique
C spoliata, & nuda; quamque turpitudinis, atque ignominiæ maximæ iure optimo pudere debeat.

40. Qui sument de te supplicium, quod lex adulteris irrogari iubet: subibis enim lapidationem, & gladium à multitudine, quam contra te congregabo, quæ te & lapidibus obruet, & trucidabit gladio.

41. Domos tuas incendio perdent; & quod accidet ignominiosum, & durum in conspectu mulierum plurimarum sub-
D ibis illud de tua intemperantia iudicium. Ac tandem attrita malis, & omnibus spoliata ornamentis desines aliquando familiares exercere libidines, & amatores tuos onerare muneribus.

42. Tunc autem zelus meus, atque indignatio cessabit; quia te deinceps, tanquam alienam aspiciam, de qua neque paterna cura, neque sponsi studium ampliùs laborat. Abstinebo igitur deinceps à flagello; neque vlteriùs in te zelotypiæ dolor, sicut antea, neque instimulata indignatio
E bacchabitur.

43. Quod sanè à me magno tuo merito patieris; quia oblita illius temporis, quando te in ætate prima sustuli, enutriuíque, nullam pro eo beneficio gratiam retulisti: immò his omnibus peccatis, quæ proximè commemoraui, furorem meum ad vindictam acuisti. Quapropter illud tibi supplicium infligam, quod illa via, seu vitæ ratio exigit, quam amplexa es. Neque tamen tecum summo iure agam; aut pro scelerum ratione æquales sumã pœnas.

44. Qui

A *44. Ecce omnis, qui dicit vulgò prouerbium, in te assumet illud, dicens: Sicut mater, ita & filia eius.*

44. Qui probè te nouerit, iactabit in te tritum illud, & vulgare prouerbium: *Exprimunt filij parentum mores*; atque ideò qualis mater fuerit, talem fas erit filiam iudicare.

45. Filia matris tuæ es tu, quæ proiecit virum suum, & filios suos: & soror sororum tuarum es tu, quæ proiecerunt viros suos, & filios suos mater vestra Cethæa, & pater vester Amorrhæus.

45. Verè tu maternum redoles ingenium, verè in te materni viuunt spiritus: vt enim mater relicto viro nouis quotidie nuptiis delectatur, & filios proiicit, ac morituros relinquit, sic tu coniugali prodito, ac legitimo toro in alienam te fidem, & complexum dedisti; susceptos filios
B tanquam alienos abiecisti, quod item fecerunt sorores, quibus nihilo fuisti melior. Fuit autem mater tua Cethæa, & pater Amorrhæus, quorum tu gentilicos, & barbaros mores imitata es.

46. Et soror tua maior, Samaria, ipsa & filiæ eius, quæ habitant ad sinistram tuam: soror autem tua minor te, quæ habitat à dextris tuis, Sodoma, & filiæ eius.

46. Sorores autem tuæ duæ sunt, altera maior, Samaria, & vicina, atque subiecta oppida, quæ illi sunt pro filiabus, quæ te à sinistra parte respicit; altera minor, nempe Sodoma, quam habes ad dexteram, & quæ illius imperio subsunt ciuitates.

C *47. Sed nec in viis earum ambulasti, neque secundùm scelera earum fecisti pauxillum minus: penè sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis.*

47. Ingressa es Samariæ, ac Sodomæ institutum, & viam; in quibus adeò te sceleratè, atque impudenter gessisti, vt neque paulo quidem inferior fueris in peccando, immò aliquid videaris tentasse, atque fecisse scelestius.

48. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ eius, sicut fecisti tu, & filiæ tuæ.

48. Hoc ex me, ô Ierosolyma, iurato accipe: neque sororem tuam Sodomam, neque eius filias eò fuisse olim in peccando progressas, vt scelerum tuorum mensuram æquauerint.

D *49. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius: & manum egeno & pauperi non porrigebant.*

49. Hæc fuit Sodomæ sororis tuæ impietas, & funesti casus certa materies; superbus spiritus, & inflatus animus, splendida, ac cibis onerata mensa; saturitas & abundantia, & tam ipsius, quàm filiarum eius otium, & quies. Adde his animum inclementem, & durum; cùm enim rebus omnibus ad satietatem affluerent, nihil tamen ex ea bonorum abundantia indigenti, ac pauperi porrigebant.

50. Et eleuatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me: & abstulisti eas sicut vidisti.

E 50. Assumpserunt insolentes spiritus, & grauibus se abominationibus inquinarunt: atque ideo, vt tute satis nosti, illas aut omnino sustuli, aut procul è suis sedibus relegaui.

51. Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit: sed vicisti eas sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.

51. Et quidem Samaria, decem nempe tribus ab antiqua religione transfugæ, dimidio minus quàm tu peccatorum non admisit: vtramque autem sororem tuam longè superasti. Sic enim te in omne vitiorum genus proiecisti, vt nationes aliæ, quantumcumque delibutæ flagitiis, si tecum conferantur, innocentes videantur, & puræ.

52. Ergo & tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens ab eis: iustificatæ sunt enim à te: ergo & tu confundere, & porta ignominiam tuam, quæ iustificasti sorores tuas.

A 52. Si sorores tuæ, quarum secuta es exemplum, immò quarum instituta, & mores profligatos peccando superasti, tam sunt grauiter, & ignominiosè mulctatæ; non est cur tu eosdem exitus, & ignominiam recuses, cùm illarum impietas, si cum tua comparetur, appellari iustitia possit. Portabis igitur supplicium, quod tua sibi poscit impietas, cùm illæ tam sint affectæ durè, quæ præ te iustæ, atque innocentes censeri debeant.

53. Et conuertam restituens eas conuersione Sodomorum cum filiabus suis, & conuersione Samariæ, & filiarum eius: & conuertam reuersionem tuam in medio earum,

B 53. Conuertam proculdubio, restituámque Sodomam, & regiones illi antè subiectas. Conuertam item cum filiabus suis Samariam, quam à suis sedibus expuleram, & cum illis in tuos te fines aliquando restituam.

54. Vt portes ignominiam tuam, & confundaris in omnibus, quæ fecisti consolatus eos.

54. Ita tamen interea te suscipiam durè, vt ignominiam subeas, quam tua tibi flagitia pepererunt; & sorores tuas, quæ nunc grauibus efficiuntur incommodis malorum communione consoleris.

55. Et soror tua Sodoma, & filiæ eius reuertentur ad iniquitatem suam: & Samaria, & filiæ eius reuertentur ad iniquitatem suam: & tu, & filiæ tuæ reuertemini ad iniquitatem vestram.

C 55. Nihilominus soror tua Sodoma cum filiabus; item cum filiabus suis Samaria ad antiquos fines reuertentur. Quibuscum tu quoque cum filiabus, id est, subiectis tibi populis ad patrium solum remigrabis.

56. Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo, in die superbiæ tuæ.

56. Adeò fuisti, ô Ierusalem, insipiens, ac stolida dum superbè de te cogitas; vt ante hoc tempus cognatæ, atque vicinæ Gentis casum non perhorrueris, neque illarum vnquam meminisse videaris, quarum imitabaris exemplum.

57. Antequam reuelaretur malitia tua: sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, & cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum, quæ ambiunt te per gyrum.

D 57. Tunc verò sororis tuæ nomen, & casum vsurpare cœpisti, cùm reuelatis exitu non dissimili peccatis tuis, vexatio dedit intellectum; & in sorore tua calamitatis tuæ viuam quandam effigiem obseruasti. Neque id mirum, cùm apud vicinas Gentes, quæ te latè circumstant, tuam ignominiam prodideris, quibus iam ludibrio, atque opprobrio esse cœpisti, Syrias dico, atque Palæstinas, quæque illarum subiiciuntur imperio.

58. Scelus tuum, & ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus Deus.

58. Obdura aliquandiu, ô Ierusalem, & perfer ignominiam, dicit Dominus, & spe futuræ conuersionis mœrentem animum consolare.

59. Quia hæc dicit Dominus Deus: Et faciam tibi, sicut despexisti iuramentum, vt irritum faceres pactum:

E 59. Maximè cùm hæc, quæ putantur infortunia, neque immeritò, neque ante tempus patiare; cùm iuramentum antiquum tam manifestè contempseris, & connubiale fœdus tam inuerecundè prodideris.

60. Et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ: & suscitabo tibi pactum sempiternum.

60. Obdura, inquam, & perfer, neque enim ego illius obliuiscar fœderis, quod tecum quondam inij, quando primùm te mihi in populum elegi, in diebus nempe adolescentiæ tuæ. Quod ego

A pactum antiquissimum obsolescere, atque perire non sinam.

61. *Et recordaberis viarum tuarum, & confunderis: cùm receperis sorores tuas te maiores cum minoribus tuis: & dabo eas tibi in filias, sed non ex pacto tuo.*

61. Tu autem ingentibus à me onerata beneficiis & meam benignitatem, & tuorum scelerum magnitudinem agnosces, atque te superioris vitæ pudebit vehementer, cùm meo beneficio non solùm tu hæreditatem recuperes antiquam, sed etiam sorores, quæ à tua se priùs societate distraxere, quas ita tibi postea subiiciam, vt non tam sorores, quàm filiæ dici possint. Quod sanè tibi ex pacto non debeo; quia illud sæpè, atque inuerecundè violasti.

62. *Et suscitabo ego pactum meum tecum: & scies quia ego Dominus,*

B 62. Ego excitabo pactum, quod tecum olim percussi, quod iampridem extinctum, atque sublatum videri potuit, & tunc cognosces me Deum esse verum, & fidelem.

63. *Vt recorderis, & confundaris, & non sit tibi vltrà aperire os præ confusione tua, cùm placatus tibi fuero in omnibus quæ fecisti, ait Dominus Deus.*

63. Tua verò peccata cum dolore memorando repetes, tunc sic te peccasse grauiter pudebit; vt compuncta stimulis, præ confusione hiscere non audeas, cùm ita me benignum, & misericordem agnoscas; quando tot modis & peccatis offensus tam me tibi placatum, & propitium ostendo, dicit Dominus.

---

1. APVT hoc, si quidpiam aliud grauc est, plenúmque subamari conuitij, quo Deus exagitat Ierusalem tanquam multorum beneficiorum immemorem; & quo plus habeat acerbitatis oratio, antiquas sordes commemorat, quas è Chananæo genere contraxit. quas ita describit eleganter, & grauiter, vt nihil videatur significari posse luculentiùs. Allegoria hæc à re sumitur nuptiali, vt pluribus ostendimus ad illud Canticorum 8. *Sub arbore malo excitaui te*, Erat autem hoc solenne, ac penè legitimum, vt in nuptiali fœdere præcepta quædam à sponso traderentur connubialia, quorum hoc erat vnum, vt sponsa apertè profiteretur, & ingenuè quòd in honore esset, & quòd viueret, vni se debere sponso suo, à quo, cùm iaceret in puerperij sanguine à parentibus derelicta in abiectionem animæ, eleuata est, & suscepta molliter, ac denique ad Regnum, id est, spósæ nomen vsque prouecta. Ob eam igitur rem iubebatur sponsa parentum obliuisci, à quibus esset prodita, & in agro relicta quàm primùm moritura; & amorem totum in sponsum conferre, à quo salutem esset consequuta, & quem in misero illo rerum articulo habuisset pro pa-

Sponsa parentum suorum immemor totum amorem in virum confert.

2. tre. Quare eo nomine appellare iubetur sponsum, quæ ipsius futura dicitur coniux. Ierem. cap.3.v.3. *Amodo voca me pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Vide quæ in illum Ieremiæ locum diximus in nostris commentariis. Hinc nata solennis illa cæremonia, quæ sponsam iubet patriæ, atque parentum abiicere memoriam, & in vnum sponsum intueri, Psal.44. *Obliuiscère populum tuum, & domum patris tui; & concupiscet Rex* (id est, sponsus) *speciem tuam.* & sponsus id sibi deberi edicit sponsæ, quam suscitauit cùm iace-

Sponsus vocatur parēs.

C ret sub arbore, vbi illam genitrix enixa fuerat. Cant.8. *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me vt signaculum super cor tuum, & signaculum super brachiū tuum.* Hæc omnia hîc latè, atque dilucidè à sacro describuntur vate, quæ locis à nobis nuper commemoratis, vt lucis afferunt plurimum, sic etiam ab illis vicissim non parum mutuantur lucis.

Vers.2. *Notas fac Ierusalem abominationes suas.*] 3.
Iam Deus quibus se modis Hierosolyma polluisset, significarat his, quæ proximè antecessere, capitibus; sed explicarat tantùm Ezechieli, Nunc iubet vt eadem, explicata tamen, & amplificata magis referat ad Ierusalem, vt hinc tandem incipiat erubescere, & in suiipsius cogni-
D tionem descendere. Quare arguit illam, statuitque contra faciem suam, vt vel inuita cognoscat, quid fuerit olim, quid à Deo benefi- 3
ciorum acceperit, quid denique pro tam amanti, ac liberali animo fuerit remensa. ex his enim ingrati animi apparet maximè, & ingrauescit iniuria.

Vers.3. *Radix tua, & generatio tua de terra Cha-* 4.
naan. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.]
Hîc vt alibi millies, nota subauditur similitudinis. Quare perinde sonat hic locus, ac si dixisset: Talis mihi visa es, ô Ierusalem, ac si nata esses non ex Abrahami præclaro semine, sed ex
E alieno, & barbaro, ex genere nimirum Chananæo, ex Amorrhæo videlicet satu, & Cethæo cōceptu. Chanaan cómune aliquid sonat nationes videlicet illas, quas Chanaā aperuerunt; atque habitarūt posteri. Hi autē fuerunt qui Chanaanitidem terrā, id est, terrā promissionis incóluerūt, quósque è suis finibus exegit Deus, vt eorum loco succederent Israëlitæ, Gen.10.v.15. *Chanaan autem genuit Sidonē primogenitū suum Hethæum,*

Chanaan quis.

& Iebusæum, Amorrhæum, & Gergesæum, & Heuæum, &c. Chananæam ergo appellat Hierosolymam, quia ex populis Chananæo nomini subiectis orta dicitur, ex Amorrhæo nempe patre, & matre Cethæa; quemadmodum si quis appellaret Hispanum, quia ex Toletano ortus est patre, & matre Hispalensi.

Regula. Eius aliquis dicitur filius, cuius exprimit mores, & ingenium.

5. Est autem tam in sacra, quàm profana literatura frequens, vt ille eius dicatur esse filius, cuius exprimit mores & ingenium. Quare qui ingenio sunt tardo, atque ad ingenuam disciplinam indocili, nati dicuntur ex robore, aut ilice. Virgilius 8. Æneid.

Gensque virum truncis & duro robore nata,
Queis neque mos, neque cultus erat.

Qui inhumano, & barbaro, ex leone nati, & tigride, & ex saxo, aut silice dicuntur. Ouidius lib. 9. Metam.

———neque enim de tigride natus,
Nec rapidos silices, solidúmve in pectore ferrum
Aut adamanta gerit: nec lac bibit ille leænæ.

Sic Seneca in Hercule Oetæo,

Quæ cautes Scythiæ, qui genuit lapis?
Num Titana ferum? te Rhodope tulit,
Te præruptus Athos, te fera Caspia.

& omnium optimè Virgilius lib. 4. Æneid.

———Duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaque admorunt vbera tigres.

6. Qui loquendi modus etiam in sacris literis non infrequens. Qui mores alunt viperinos, progenies dicuntur, aut genimina viperarum, primùm à Ioanne Baptista Matth. 3. v. 7. deinde à Christo Matth. 23. v. 33. & hîc iidem Iudæi, aut qui in eorum cœtu ingenium habebant Chananæum, semen appellantur Chanaan. Daniel. cap. 13. v. 56. *Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te.*

7. Sed roget hic aliquis, cur Ierusalem orta dicatur ex Chananæo, atque Cethæo semine. Sanè propter vitæ genus turpe, abiectum, & fœtidum, à vera religione alienum, atque ideo nefariis sacris, ac Religionibus addictum. Vt enim sæpe inclamant Prophetæ, & hic noster non rarò, vicinarum Gentium superstitionibus sese implicuit Iudæorum non stabilis & constans, sed vagus, atque versatilis animus. Sed ego hic aliquid video, quod propiùs facit ad id, quod in hoc capite proximè consequitur. vbi Ierusalem Chananæorum, & Cethæorum more in agro dicitur derelicta, vbi nata recens, & in obscœno materni puerperij sanguine volutata, vtique exposita feris, aut alioqui breui peritura.

Gentilibus vsitatum filios perituros abiicere.

8. Quam ad rem obseruo, vsitatum esse Gentibus, vt filios, aut quos alere non possent, aut quorum forma, ac species minùs placerent, in agris exponerent, aut alio quouis modo statim opprimerent, maximè si è sexu essent fœmineo, qui molestus potiùs in posterum, quàm vtilis fore videbatur. Quare pro his, quos patres seruatos esse vellent, deam constituerunt, quæ à leuandis infantibus, vbi primùm à materna prodiissent vulua, Leuanam appellarunt. De qua vide August. de ciuitate, lib. 4. cap. 11. vnde ortum apud Gentiles familiare illud *natos tollere*, seu *leuare*. quod idem valet, atque eleuare è terra; & in sinum excipere, quos aut dignos putarent esse vita, aut incolumes vellent. Terentius in Andria Act. 1. scen. 4. *Quicquid peperisset, decreuerunt tollere.* & in Heaut. Act. 1. scen. 1. *Si filiam pareres nolle tolli.* quod ita apud nonnullas nationes vsitatum fuit, vt legitimum penè fuerit filios recens natos, si illorum species nihil bonum pro-

Leuana dea pro leuandis è terra infantibus.

Tollere natos quid.

mitteret, statim extinguere. Quod ita fuit olim 9.
Gentibus in vsu, vt Thebani seuerissimè cauerint, auctore Æliano de var. histor. lib. 11. ne cui Thebano impunita foret infantium cædes, aut in syluis, & in agris expositio. *Lex hæc*, inquit, *Thebanorum rectissimè, atque humanissimè posita est, ne cui Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudine abiicere capitis supplicio deuincta. Verùm si in extrema mendicitate pater sit constitutus, si mas sit, siue fœmina infans, cogitur eum statim à materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis afferre, qui acceptum alicui tradit leui pretio, cum quo pactum, & conditiones intercedunt, vt per suam fidem infantem alat, & adultum serui, vel seruæ loco habeat; sic vt alimentum, & educatio seruitute compensetur.* Sanè Plutarchus in Lycurgo refert, ex ipsius instituto Lycurgi nutriendi liberos facultatem penes parentem non esse. Iubebat enim vt pater simul atque nati forent liberi, ad locum deportarent, qui Lesche dicebatur, vbi qui natu essent maximi de forma, atque habitu quasi arbitri iudicaturi consederant. Si quis esset pulcher, aliquídque imposterum promitteret boni, alebatur à patribus; qui ignauus apparebat, & inutilis patriæ, aut ignominiosus futurus, præceps mittebatur è prærupto loco. Quod nostra etiam ætate apud Gentiles vsitatum: Iaponiis enim, vt ex nostrorum literis accepimus, si minus habent ad alendos liberos facultatis, vsitatum est fœtus elidere, maximè si fœmineos esse cernerent. At apud Iudæos sic erat inusitatum, vt in perdita etiam, ac profligata disciplina, nullo vnquam tempore contigerit. Quod docet Clemens Romanus lib. 9. Recognit. non longè à fine. *Nunquam*, inquit, *apud eos* (Iudæos) *infans natus exponitur.* Quod item tanquam aliquid inusitatum, & nouum de Iudæis prædicat Cornelius Tacitus lib. 2. Iuxta hæc sensus erit. Fuisti ô Ierusalem relicta in materno sanguine, quasi non esses ex Israëlitico, sed è Chananæo genere.

Thebanorũ lex de non occidendis infantibus.

Barbara lex apud Lacedæmonios occidendi infantes.

Iudæorum in alendis infantibus studium.

Secundò videndum cur cùm in Chananæo 10.
genere varij sint populi, cum Amorrhæis potiùs comparat, ac Cethæis, quàm cum Pherezæis, ac Iebusæis. Rationes alias afferunt interpretes, satis ad quæstionem accommodatas: quia Amorrhæi Chananæorum fuere potentissimi; quíque maximi Hebræis terrori fuerunt, cùm ad terram promissionis aspirabant. Quare in illis nationes aliæ septem, quæ in regione Chanaanitide consederant, intelliguntur. Vnde frequens est Amorrhæorum nomen, cùm de nationibus etiam aliis sermo sit. Amos cap. 2. *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum; cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus.* Genes. 15. *Nondum enim impleta sunt iniquitates Amorrhæorum.* Hæc ratio mihi valde probatur; alia tamen excogitari posset non inepta; quæque magis mihi probaretur, si auctorum patrocinio non esset orbata.

Amorrhæi inter Chananæos fortissimi.

Et primùm, licèt strenui essent, ac fortes A- 11.
morrhæi, & gigantheo corpore, vt modò vidimus apud Amos; fuere tamen nationes etiam aliæ fortes, ac strenuæ, & Genti Israëlitidi formidabiles. De omnibus enim dictum videtur illud exploratorum Num. c. 13. v. 33. *Terra quam lustrauimus, deuorat habitatores suos: populus quem aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Atque ideo non putabam eam ob causam nationibus aliis datum Amorrhæi nomen. Sed ex omniũ Gentium cõsue-

tudine

tudine, propterea quòd Gens illa ingressuris terram promissionis Israëlitis primùm, aut inter primos occurrisset, vt constat Num. 21. Est autem vsitatum vt primus locus, qui cognitus, ac subiugatus est, exploratæ primum alicui regioni nomen imponat. Sic quia pars illa orientalis, quam Indus perluit, & ideo India vocatur, ab antiquis explorata, & imperio veteri adiuncta est, fit vt omnis orientalis regio nominetur India; imò & quæcumque prouincia nuper inuenta, quantumuis spatij, imò quantuis totum cœlū intercedat. Agnouere primùm Hispani ex his, qui Mahometanam insaniam secuti sunt, eos qui illam Africæ oram insederunt, quæ Mauritania dicitur, cuius habitatores appellantur Mauri; vnde factum est, vt Mahometanos omnes, vbicumque terrarum agant, Mauros appellent. Idem de Sinarum, aliarúmque trás Oceanum regionibus audio, quibus quæ primùm occurrit nauigantibus ciuitas, aut ora nomen dedit. Sic ego putabam Amorrhæos vocari, quicumque sedes illas occuparant Chanaanitidas, quia ex eis primùm occurrit Amorrhæus, aut quia illius, vtpote propioris, frequentius nomen audiebatur.

REGVLA. Primus locus, qui in aliqua regione cognitus est, toti regioni nomē aliquādo tribuit. India, cur vocetur omnis regio nuper inuenta.

Mahometani cur dicti Mauri.

12. Sed quid de matre Cethæa? De hac sanè longè alia est ratio, & longè obscurior coniectura. Heb. pro Cethæa est חתית chitih. & ita conuertunt alij ferme omnes à vulgato Chetæa, seu Chetæa. Cur verò Cethææ Gentis mentionem præcipuè fecit? Quia Gens illa magis videtur in Venerem, & in omnem intemperantiam procliuis, ex quo in filiam aliquid deriuatur ignominiæ; etiam ipsa ex materno ingenio traxisse videtur nó absimile in Venerem studium. Quod ex eo videtur posse colligi, quia infrà vers. 49. Cethæa fœmina, cuius filia dicitur Ierusalem, deseruisse traditur virum suum; & alienum torum iniisse. *Filia matris tuæ es tu, quæ proiecit virum suum.* & quidem aliquid odorobatur impurum, ac fœtidum Rebecca in Cethæa fœmina, cùm dicebat Genes. 27. de sua filia Chet, quæ eadem est cum Chetæa, seu Cethæa. *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth; si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.*

Cethæa fœmina libidinosa.

13. Hic verò omittendum non est, quod putat Hieronymus, & cum eo alij non pauci, in terra Chanaan Ægyptum significari, vnde populus ille excitatus, & eductus est, cui hæc tam grauia intorquentur opprobria: quia Cham pater Chanaan, pater etiam illorum fuit, qui Ægyptum condiderunt, habitarúntque. Genes. 10. v. 6. *Filij autem Cham, Chus, & Mesraim.* Mesraim verò Ægyptum condidit, & suo inscripsit, ac notauit nomine. Ex quo fit vt terra Cham appelletur Ægyptus. Psal. 77. *Percussit omne primogenitum in terra Ægypti. primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.* Et Psalm. 104. *Posuit in eis verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham.* Sed multa sunt, quæ hanc Hieronymi sententiam infirmant. Primùm quia is, qui Ægypto nomen dedit, nó fuit Chanaan filius Cham: Chanaan autem eam regionem incoluit, quam postea possiderunt Israëlitæ, & quæ ab ipso postea appellata est terra Chanaan, quam habitarunt Sidonij, Hethæi, Amorrhæi, &c. qui filij dicuntur esse Chanaan Gen. 10. v. 25. Deinde quia terra Chanaan promissa Abrahæ, Psal. 104. *Tibi dabo terram Chanaan funiculum hæreditatis vestræ.* At Ægyptus promissa non est, neque vnquam ab Israële, tanquam a domino possessa.

Cham idem quod Ægyptus.

Chanaan non pertinet ad Ægyptū.

14. Quam speciem habuerit Hierosolyma, in eo

A statu, qui modò à Propheta describitur, nempe cùm primum ex materna vulua decidit in terram; quam horridam, ignobilem, immundam, explicuit Plutarchus; cuius hic verba lubet adscribere, ex libro de amore prolis. *Nihil, inquit, est ita imperfectum, nudum, inops, informe, spurcum, vt homo à partu statim conspectus. Cui soli ferè ne exitum quidem in lucem mundum natura concessit, sed sanguine inquinatus, tabóque oppletus, & occiso magis, quam nato similis. A nemine tolli, tangi, suauiari, & complexu foueri potest, nisi natura in insitum gerente amorem.*

Infans statim à partu turpis, & immundus.

Vers. 4. *Non est præcisus vmbelicus tuus.*] Hæc, 15.
quæ minutim hoc loco de filia Amorrhæi parentis explicátur, aptissimè in eius fœminæ sortem, conditionémque conueniunt; de qua excitanda, atque nutrienda parentes cogitationem omnem abiecissent. Quem enim vsum præcisus vmbelicus afferret, aut vnctio ex oleo, aut duratio è sale illi, quæ è vestigio statim esset peritura. Hæc tria solere ab Hebræis infantibus præstari, docet satis hic locus; quorum aliqua in vsu etiam nunc sunt apud nationes alias. Præciditur autem in infantibus canalis ille siue fistula, quæ infantem ab vmbelico cum genitricis vtero coniungit, per quam à matre alimentum exugit, sicut per radices, & fibras arbor succum trahit è terra. Cùm autem iam aliter cibum capiat, atque traiiciat infans; & meatus ille ab vmbilico

Vmbilici quis vsus.

C prominens molestiæ potiùs sit, & impedimento, quam vsui; statim, aut non longè pòst à matre, seu obstetrice demetitur. Species planè miserabilis spectare vmbelicatum infantem; sed à maternis visceribus auulsum; in eo statu, vt nihil deriuari possit à matre; neque aliunde trahere aliquid alimenti. Talis mihi apparet omnino peccatrix anima, quæ a Dei visceribus diuulsa est sicut palmes à vite; à quibus vitale nihil sugit, & trahit, neque aliunde haurire potest salutare aliquid, & opportunum. Sed est etiam omnino miserabile spectare Ierusalem ciuitatem sanctam, in qua templum Dei est, & iuge sacrificium; cui nondum vmbilicus excisus est, per
D quem è Chananæo sanguine trahebat alimentum. In quo ego religiosi viri speciem intueor; qui vitam colere se putat ab omni terrena concretione alienam, & tam publica voce, quàm externo habitu profiteatur abiecisse se ambitiosos fastus, sæculares curas, & mundi delicias; & tamen retinet adhuc vmbilicum, per quem olim è Chananæo sanguine alimentum hauriebat, quia vt res abiecerit sæculares, quas neque tuto, neque saluo pudore retinere poterat, studiū tamen illarum, & desiderium non abiecit. Adhuc sitit, adhuc animo deuorat, quod perinde omnino est; atque si adhuc in Chananæa vulua, tanquam fœtus nondum in lucem editus lateret.

16.

Symbolum animæ peccatricis.

Abnegatio.

E Illud præterea facit ad mores, quod fœminis, 17.
vt docet Gregorius lib. 32. Moral. c. 11. luxuries in vmbilico maximè prurit; quare dum vmbilicata dicitur Hierosolyma, libidinis profūdæ notatur. Et quidem sub hac metaphora talia audit à Propheta conuitia, qualia fortasse nullus de se vnquam audiuit.

Libidinosa fœmina.

Septuaginta aliter videntur legisse, pro שר sar, 18.
quod vmbilicum significat, שד sad, quod idem est, quod vbera. quos in eam cogitationem, atque sententiam adducere potuit duarum literarum similitudo maxima ר res, & ד daleth. Sic igitur illi, *In die, qua nata es, non alligauerunt mamillas tuas.* siue, vt alij legunt, *non allegasti.* Hieronymus dum hanc Septuaginta translatio-

nem in commentariis versat, ait, *Mater diligens statim atque nata fuerit infantula, ligat mamillas eius, vt à tenero tumore desistant, & pulchritudinem custodiant virginalem. Cum autem ad ætatem venerit pubertatis, dicetur de ea: Numquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ.* Quod si ita est, sanè infeliciter actum est cum illa infantula, cuius compressis mammis mater honestati non studet; neque rationem habet honestatis pudicæ, & virginei pudoris.

Mamilla recens natis puella alligantur.

19. *Et aqua non es lota in salutem, neque sale salita.*] Aqua dicitur salutis, vel quia cui puerperij sordes lotione eluuntur, digna censetur vita: & cuius salutis diligens habeatur ratio: aut quia certum aquæ genus est recens natis infantibus salutare, quo obdurantur membra; & sese ab eo tempore ad firmitatem comparant. Quale audio nunc apud Germanos, & eos, qui sub Aquilonari cœlo viuunt, infantibus adhiberi solitum. Qua de re consulendi Medici, quorum hoc est proprium. Hebræorum magistri variè ea de re loquuntur. Rab. Dauid ad salutem lauari ideo putat, quia illud adhibetur aquæ genus, quod carnem lenit, redditque tractabilem, & mollem. Neque longè hinc abeunt Rab. Manaham, & Rab. Salomon qui sentit aqua, de qua hic sermo, lauari membra, quò molliora fiant, meliúsque ab obstetricibus tangi, & si quid est distortum, atque deforme, conformari possit.

Aqua salubris quæ.

20. Communiter alij cum Hieronymo censent, ideo apud Hebræos infantes lauari, vt ab illis mundentur sordibus, quas ex vtero contraxere materno. Quod ita quoque mihi visum est; existimo tamen eo modo esse conditam, aut ita à naturali frigore temperatam, ne quid infantili corpusculo afferre posset incommodi. Quare de quibusdam nationibus nimium in filiorum educatione seueris produnt historiæ consueuisse prolem, cùm primùm lucem aspexit, lauare frigida, aut statim ad proxima flumina deferre. Sic de Lacedæmonibus Plutarchus in Lycurgo, & de Italis, dura olim, atque in omne rerum pondus assueta Gente, in suo Numano docet Virgilius lib. 9. Æneid.

Infantes recès nati cur lauentur.

Durum à stirpe genus, natos ad flumina primùm
Deferimus, sæuoque gelu duramus, & æstu.

Quod tamen Galenus de regimine sanitatis lib. 1. inhumanum vocat, & planè Scythicum. Modus tamen hic barbarus, molliorem aliquem esse docet; qualem sine dubio Hebrææ obstetrices recens natam prolem prosequebantur. Ab hoc igitur salutari officio, maximéque ætati tum sordidæ, tum teneræ, atque infirmæ debito reiecta est, quæ è Chananæo, i. barbaro genere nata videri potuit. De hoc primo infantilis corpusculi lauacro vide Rhodiginum lib. 6. cap. 2.

21. *Neque sale salita.*] Quo adhibeatur modo hoc salis beneficium, obscurum est: neque quid in vsu fuerit apud Hebræos, satis exploratum. Hieronymus quo excipi modo infantes soleant, cùm primùm sic excipiuntur in lucem, sic exponit: *Naturale est, (vbi tamen parentum non deest diligentia) ortis infantibus primum præcidi vmbilicum: deinde ad eluendum sanguinem lauari eos aqua; tertiò humorem corporum paruulorum salis adiectione siccari: quarto vt tenera infantium corpora pannis inuoluantur duplicem ob causam; vt & sale siccetur corpus, quod pannus ne defluat seruatur, & stringitur; & membra tenerrima ne facile deprauentur.* Quo dicendi genere significat Hieronymus solere arido sale respergi infantile corpusculum, quando ideo dicit obuoluendum corpus, ne decidat sal. quod etiam a Galeno præceptum docet Rhodiginus lib. 6. c. 2. licèt viri non indocti de Galeni sententia dubitent. Auicenna perluenda dicit tenera infantium corpora aqua, in qua colliquatus sit sal, vt occallescat vmbilicus, & obdurescat cutis. Quid corpori in eo primo statu commodius, viderint Medici, vtrúque fortasse adhiberi solitum; neque respuunt Ezechielis in hoc loco verba: nam quod aqua salsa perfusum est, id dici etiam potest sale respersum. Sed quia salem purum, & aridum magis sonat textus, & viris etiam magnis non improbatur, hoc etiam nos cum ipsis teneamus.

Sale cur infantes saliti.

22. Vers. 5. *Non pepercit super te oculus, vt faceret tibi vnum de his.*] Quid sit oculum parcere, diximus suprà ad illud cap. 5. v. 11. *& non parcet oculus meus.* qui loquendi modus familiaris est nostro Prophetæ, cuius vim verba, quæ succedũt proximè, declarant; *misertus tui.* Quod sanè miserrimæ fortunæ argumentum est, ita quenquam esse miserum, vt tamen alteri miserabilis non sit. Quod postremo loco posuit, & meo iudicio non abs re, qui sic inimico suo precatus est,

Extrema calamitas miserum esse quenquam, & non miserabilem.

Sísque miser semper, nec sis miserabilis vlli.

Viderunt plurimi, vt modus iste loquendi significat abiectam metaphoricam hanc infantulam, illuuie fœdam, & grauiter olentem, in materni sanguinis impuro volutabro, nudam, ac denique si non mortuam, morituræ proximam. Neque tamen vllus aut lauit, aut inuoluit infantilibus pannis, aut denique excitauit ex puerperij sanguine, vsque adeò omnibus vilis visa est, atque indigna, quæ vitalem diu traheret spiritum.

23. *Sed proiecta est super faciem terræ, in abiectione animæ tuæ.*] *Facies*, vt sæpe diximus, ex Hebræorum idiomate nihil addit ad significationem, quare *super faciem terræ*, nihil est aliud, quàm *super terram.* sicut Genes. 1. *Super faciem abyssi.* & statim vbi vulgatus, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Heb. est *super faciem aquarum.* *Anima tua*, idem est quod *tu*, ex idiomate etiam Hebraici sermonis; vnde *qui odit animam suam*, idem valet, quod *qui odit se.* Quare *in abiectione animæ tuæ*, nihil est aliud, quàm abiectam esse, atque despectam Ierusalem; & ideo fuisse morti propositam. Aut, quod idem ferme est, & fortasse verius, relicta fuisse dicitur in sordibus suis; quas scilicet secum extraxit ex materna vulua, secundinas puta, aut olidum, & obscœnum sanguinem. Nam quod vulgatus reddidit *in abiectione*, Heb. est בגעל *begoal.* quæ vox immunditiam significat, maximè illam, quæ à partu est. *In abiectione itaque animæ tuæ*, idem est, quod in sordibus tuis, aut in impuro puerperij proluuio.

Facies pro eo, cuius est facies.

Anima pro eius, cuius est anima.

24. *In die qua nata es.*] Amplificatio est conditionis miserrimæ, quam habuit Ierusalem, quæ nullum videtur hausisse spiritum non odiosum: cùm vix dum nata, deuota iam esset instanti morti. Sunt quidem infelices, qui aliquandiu post ortum occiduntur, quia hi post breuem vsuram vitæ sublati, vix vllum habuere fructum eorum, propter quæ in lucem videntur homines suscepti. Quod Indi, ac Brachmanes, autore Strabone lib. 15. faciunt, apud quos statuti Iudices, qui de pueri recèns nati forma, atque habitu cõiectura capta, si minùs reipublicę videtur futurus, ex vsu extingui iubent; quod tamẽ faciunt, post duos ab ortu menses. At qui nati videntur non tam

Infantes ubi cum primum nati extinguuntur. tã ad vitã, quàm ad sepulcrum; vtpote ex vtero ad tumulum translati, hi magis videntur infelices, quales, vt suprà dicebamus, ex Lycurgi legibus fuere Spartani, & vt tradit Halicarnassæus lib. 2. ex institutis Romuli, passi sunt Romani, apud quos eodem mactabantur die, aut etiam hora, qui ex forma censebantur magis futuri reipublicæ impedimento, seu offensioni, quàm vsui, seu subsidio. Talis dicitur fuisse Hierosolyma, quæ eadem qua in lucem prodiit die, proiecta est in abiectione animæ. Ideo non sine epitasi dicitur, *In die qua nata est.*

25. Vers. 6. *Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo.*] Cùm in Deo nihil casu fiat, sed summo consilio, tamen hîc Deus humano loquitur modo, vt sæpe alibi solitus; vt magis extremum declaret Hierosolymæ statum. Non enim omnino infelix censeri debet is, cuius dolor alienum tangit animum, qui de illius fortuna releuanda sollicitus est. At ille, qui sic iacet abiectus, vt de illius salute laboret nemo, neque liberari à quoquam speret; nisi casu eò appellere contingat, vbi ipse extrema omnia timet; ille, inquam, verè miserrimus est. Id significare videtur hic loquendi modus, *Transiens autem per te.* quasi Deus, dum aliquid aliud ageret negotij, in infantulam illam, eo modo iacentem incurreret, ab omni prorsus auxilio destitutam. Cùm ergo Deus quasi aliud ageret, spectaret puellam illam vixdum natam in materno sanguine volutari, misertus illius, cùm antea nemo eius vicem, & statum doluisset, illa præstitit molli, ac liberali animo, quæ postea graui narratione commemorat.

26. Hæc mihi magis videntur, tum ad textum, tum ad miseram Hierosolymæ sortem; sed verbum עבר *abar*, licèt transire plerumque significet, indicétque aliquid, potius fortuitò, quàm consultò, ac deliberatè susceptum; tamen aliquando his etiam accommodatur rebus, in quas consilia nostra destinamus. Genes. 18. v. 5. *Ponam buccellam panis, & conforiate cor vestrum: idcirco enim declinastis.* Heb. *transinistis*, id est, venistis ad seruum vestrum. Thren 4. v. 21. *Adeò quoque pernemet calix.* Heb. *transibit.* Heb. non est participium *transiens*, sed futurum cum *vau* conuersiuo, quod præteritum valet. Et tunc etiam aliquid apparet à singulari beneuolentia profectum. Venit enim Deus, vt spectaculum illud longè miserabile videret, infantulam desertam ab aliis, conculcatam in sanguine, quæque sibi propter imbecillam ætatulam cauere non poterat. Cùm verò mitissimum illud pectus tanta misellæ calamitas altè confoderet; subueniendum illi quamprimum statuit, dixitque *viue.*

27. *Dixi tibi, cum esses in sanguine tuo, viue.*] Beneficium amplificat ex loco, & tempore; cùm enim in eo esset temporis articulo, vt nihil haberet ad mortem vel modicè differendam virium, & in agro deserta à nemine sperare posset auxilium; dixit illi *viue*, quod perinde est, atque si iam fore mortua, & ad vitam, quam iam videbatur

REGVLA. *Id ab aliis fieri dicimus quod alij in ipsis faciũt.* amisisse, rursus excitaretur. Hoc porrò dicendi genus, quod aliis id tanquam auctoribus videtur ascribere, quod ab aliis ortum, & communicatum est, vsitatum est maximè cum de Deo sermo, qui quod iubet fieri iubendo facit. Sic Deuter. 32. dixit Moysi Dominus, *morere in monte*, quod perinde est, ac si diceret, faciam vt in monte moriaris; sic modò dixi tibi *viue*, id est, feci vt viueres.

28. *Dixi, inquam, in sanguine tuo viue.*] Iterat eandem sententiam non sine epitasi; quasi magni beneficij pondus habeat audisse fœminam vix dum natam, & proximè morituram vocem illam magni testem amoris *viue.* quasi nolit Deus tantæ humanitatis in hominum animis memoriam senescere. Sed aliud hîc etiam significari credo beneficium eximium. Est sanè magnum, hominem iamiam lacerandum à fera, aut occidendum à latrone, aut periturum suspendio abscisso laqueo à morte liberare; at qui hoc præstat beneficium, nihil sibi præterea oneris assumit. Sed qui de vita dignitatéque laborat fœminæ, quæ ex materna vulua magis ad tumulum, *Dei beneficia non imperfecta, aut manca.* quàm ad vitam edita videbatur; ita vt necesse sit sordes abluere, vmbilicum præcidere; & donec aliquid firmitatis, ac roboris accesserit ætatulæ, perferre longum, & quasi naturale fastidium, id verò magnum est singularis beneuolentiæ documentum. Quod planè fecit Deus cùm populum suscepit Israëliticum, quem non modò tanquam nutrix in vlnis, sed etiam tanquam mater in vtero portauit. De quo sic Deus apud Isaiam cap. 46. v. 3. *Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo vtero. qui gestamini à mea vulua.* Et de Ephraim Oseas c. 11. v. 3. *Ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis.*

Hic ego duo obseruanda censeo, antequam hinc emergam. Alterum est, existimare plurimos 29.
hæc esse referenda ad tempus illud, quo gens Israëlitica in sua quasi infantia iacebat, quasi in suo sanguine moritura, cœnosa nimirum, & immunda, vtpote duris, ac sordidis addictam ministeriis, fingendis nempe laterculis è luto; & eò adducta miseriæ, vt masculam prolem elidere tyrannico præcepto cogeretur. Ex eo tamen loco, ac rerum angustiis excitata est à Deo, & ad Regni vsque dignitatem euecta. Quam ego sententiam non improbo, imò potiùs ex vtroque Israeliticæ Gentis statu, atque fortuna, ortos existumo nuptiales ritus, vt docuimus super Cantica Proleg. 3. num. 19. Ex quo statu excitauit Deus: at quia exules pro mortuis censentur; maximè vbi in exilio quotidie occursat moriendi necessitas, & votum, dixisse videri potuit Dominus illud iteratum sæpius in hoc capite verbum, *viue.*

Alterum est, vt docet hoc loco Hieronymus, 30.
in hoc infantis morituræ symbolo vim exprimi, *Baptismi figura, & vis.* naturámque Baptismi. Nascitur homo sordidus ex Cethæa matre, in eo statu, vt audire meritò possit à viuificante virtute, *viue*; à sordibus abluitur, & quia vetus homo moritur, vt in renato Christus viuat (vnde neophytus renuntiare iubetur Satanæ, & pompis eius) ideo statim vmbilicus præciditur, per quem ex antiqua matre lugebat alimentum. Sale aspergitur, & vestimentum accipit candidum animæ iam viuentis insigne; quod item, vt statim audies, datur excitatæ iam ad vitam infantulæ. Et ne quid desit ad perfecti symboli veram imaginem: sicut hic sponsa, vt habes v. 9. postquam à materni sanguinis sordibus purgata est vngitur oleo: sic infans in piacularis lauacri sacro Baptismate oleo perungitur.

Addo ad extremum respexisse ad hunc locum, imò & expressisse illud, atque explicuisse 31.
Paulum ad Ephes. cap. 5. v. 15. vbi cùm ageret de Ecclesia, cui talia dicitur Deus præstitisse, quasi nunc ab eo munera accepit abiecta hæc sordida puella.

puella, omnia propè dinumerat verba, quæ olim ab Ezechiele proposita. *Viri, inquit, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ,* (id est, dicens sicut in hoc capite, viue) *vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam,* &c. mirè hæc faciunt ad eorum, quæ consequuntur, explicationem.

32. Vers. 7. *Multiplicatam quasi germen agri dedi te.*] Vsitata est apud Hebræos hyperbole, quæ sumitur ab agrorum vbertate, cùm magna significatur rerum abundantia, aut quodcumque in alio genere quouis incrementum. Quia reuera innumeris ager vestitur herbis, & multiplici gramine luxuriat. Videtur autem allusum ad illud Exodi 1. v. 7. vbi populus Hebræus de quo nunc est sermo, sic dicitur excreuisse vehementer, vt agro germinanti videretur simillimus. *Filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati sunt nimis, & impleuerunt terram.* Sed puto hîc de specie illa, atque ornatu agere Prophetam, quam habuit Hierosolyma a liberali manu, postquam à puluere fuit, & sordibus excitata. Tunc enim sic est instructu exornata nuptiali, vt speciem aliquam vernantis horti, aut campi germinantis habuerit; vt indicat Septuaginta translatio, qui ita vertunt, *Sicut hortus agri dedi te.* Qua similitudine non semel sponsæ commendatur pulchritudo, capite præsertim quarto Cant. vbi hortus appellatur sponsa, in quo gratissimarum plantarum aspicitur mira varietas. *Hortus conclusus soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus; emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cynamomum, cum vniuersis lignis libani, myrrha, & aloe, cum omnibus primis vnguentis.* Hoc verò loco *multiplicata* opponitur *nudæ, desertæ;* & quæ non in campo exultaret splendenti ac vario, sed in terra informi, atque arida in obscœno volutaretur, atque fœtenti sanguine.

Ab agris sumitur metaphora ad explicãdam abundantiã, & speciem.

33. *Et grandis effecta es, & ingressa es, & peruenisti ad mundum muliebrem.*] Non satis habuit Deus à puluere, & sanguine excitasse expositam infantulam, sed etiam ad eam aluit & prouexit ætatem, in qua puellæ iam grandiores, & nubiles ornari solent instructu nuptiali, quem optimè nomine mundi muliebris explicant Latini. Est autem mundus muliebris, quo munda fit, & lauta mulier, in quo continentur ornamenta omnia, quæ aspectabilem reddunt, & decoram fœminam, qualia pro nuptiis præstare sponsus solet. Qualia Isaias cap. 3. latè persecutus est, & quæ in sponsa puellæ psaltriæ spectant & laudant, Cant. c. 7. Hæc Theodotio, teste Hieronymo, ornamentum vocat ornamentorum, quia hæc maxima sunt, & in his omnia continentur. *In illo ingressa es, & peruenisti*, nil aliud esse puto, quàm eandem iterari sententiam. Ac si dicat, adoleuisti in ætatem iam maturam coniugio, & venisti, venisti inquam eò, vt iam ad cultum, atque elegantiam mundum habueris muliebrem; vel quo fœminæ amare incipiunt, curaréque vehementer puellares delicias, quæ pulchritudinis aliquid addunt ad formam, quæque alliciunt, & capiunt amatorum oculos. Hæc fortasse vera, quia statim de naturali pulchritudine potius agit, quàm de illa, quam ars conciliat, & cura extrinsecus accersit. Verumtamen magis mihi probatur, si iam hîc quoque statuamus adultam iam puellam mundum accepisse muliebrem; neque à Deo solùm accepisse vitam, & incrementum ætatis, sed etiam externa, atque pretiosa corporis ornamenta. Neque quod proximè sequitur quicquam incommodat; imò meo iudicio plurimum ad cogitationem illam confert, vt mox dicemus.

Mundus muliebris quid.

Si textum consideres Hebraicum, dicendum esset sicut Theodotio, & cum illo plures alij transtulere, *ad ornamenta ornamentorum*. est enim Heb. עדי עדים *ade adim.* sed vulgatus non tam ad verba, quàm ad sententiam intentus reddidit *mundum muliebrem,* quia in eo ornamentorum ornamenta, id est, ornamentorum maxima, ac varia continentur. Septuaginta paulo aliter legunt, *Ciuitates ciuitatum,* videntur autem in suo textu habuisse ערי ערים *are arim.* quod fieri facile potuit propter maximam duarum literarum similitudinem, ד *daleth,* ר *res.* tunc verò non solùm nitor, & cultus ad elegantiam datus existimatur, sed etiam dominatus, & regium nomen, atque maiestas, de quo statim. 34.

Vbera tua intumuerunt.] A signis explicat id, quod proximè dixerat, puellam illam iam esse grandem, id est, iuxta communem loquendi consuetudinem, maturam ad nuptias, & ad prolem concipiendam idoneam. Maturitatem ad nuptialia sacra, rémque vxoriam, inquit Hieronymus, prodit vberum tumor: nam ad illud vsque tempus aliùs vberum est modus, & forma. Septuaginta reddidere, *vbera tua erecta sunt,* quæ translatio ostendit, quæ forma sit in virgine iam nubili mamillarum. In aliis enim vbera fracta sunt, & laxa, & hæc aliis ostendunt facile violatum esse fœmineum pudorem. De quo paulo pòst aliquid audiemus à Propheta; at in virgineo pectore vbera sunt non mollia, non subacta, sed erecta, & dura, quæ ita intumuerunt; vt tamen sua duritie ostendant strenuam in pudore conseruando constantiam. Quæ duo significauit sponsa Cant. 8. vbi dixit sibi esse ad sacrum nuptiale idoneam ætatem; quod negarant adolescentulæ, cùm dixerunt, *Soror nostra paruula, & vbera non habet.* (nempe tumentia); & sibi ad arcendos adulteros satis esse animi, de quo adolescentulæ dubitabant, cùm dicebant, *Quid faciemus sorori nostræ, quando alloquenda est,* id est, quando ipsius pudori insidiabitur, aut insultabit adulterorum petulantia. Quibus ipsa respondit, inesse sibi vbera, quæ ætatis iam maturæ signa sunt, neque illa subacta, ac flaccida, sed sicut turres, fortia videlicet & dura. *Ego,* inquit, *murus & vbera mea sicut turres.* Heb. vbi noster *intumuerunt,* est נכונו *naconu.* quod formare, aut firmari, seu præparare valet. Quæ tamen optimè assecutus est noster interpres, dum reddidit *intumuerunt.* Dum enim formantur vbera, quæ priùs informia videbantur, & præparantur ad nuptias, & prolis alimentum, intumescunt magis, & prominent à pectore, alia prorsus figura, quam habuerunt antea. 35.

Vbera qualia in virginibus, & corruptis.

Et pilus tuus germinauit.] Hoc etiam signum est ætatis iam maturæ coniugio, quod fœminis duodecimo, viris autem quatuordecimo ætatis anno contingit.

Et eras nuda, & confusione plena.] Hic locus quibusdam persuasit, illud de quo nuper, *& peruenisti ad mundum muliebrem*, non significare ornamentum habuisse nuptiale, puellam illam antè proiectam; sed ad eam ætatem peruenisse, in qua fœminæ mundum appetunt, & accipiunt muliebrem; hæc verò ætas idonea est ad genialem 36.

lem thalamum. Mihi visum est secus. Cùm enim ad illam ætatem peruenit gens Israelitis, nuda non erat, aut confusione plena; iam ex Ægypto emerserat, iam Deo ducente triumphantis in modum per desertum incedebat, iam præparata ad nuptias, quas quinquagesimo ab egressionis die cum Domino iniit: quare inornatam esse eo temporis articulo, non videtur esse posse non ignominiosum tam ingenuo, ac liberali sponso. Neque præterea decebat, vt qui alienam filiam ex Amorrhæo, ac Chananæo genere, aluisset pro sua, ad illam vsque ætatem, in qua turgebant iam plena, & matura nuptiis vbera, nuda relinqueretur, & despicabilis. Et quidem iuuentus populi Israelitici, quæ hîc in turgentibus mammis significatur, tunc accidit, quando primùm egressus est è seruitute Ægyptia: Oseæ cap. 2. *Et canet tibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.* vbi illud *&*, expositiua particula est, quasi dicat, *id est, iuxta dies ascensionis.* & Ieremias cap. 2. *Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto.*

Adolescẽtia populi Hebræi, quæ.

37 Quare existimo hanc adolescentulam admoneri hîc, quando ornata dicitur geniali, atque splendenti cultu, vt memoria repetat pristinos dies, quando tam aberat longè ab his deliciis, vt nuda potiùs esset, & ad summam commiserationem, & dedecus materno conspurcata sanguine. Quasi dicat, cùm videris intumuisse vbera in ætate florenti, & ornamentum te iam habere nuptiale, memento illius temporis cùm nuda fuisti, & illuuie fœda; & iamiam proximè moritura.

38 In hanc me cogitationem omnino cogunt duo alia loca huic quàm simillima, in hoc ipso capite; quæ nisi in hanc sententiam exponas, non apparet quomodo in aliam assumi, aut etiam detorqueri possint. Alter locus est versu octauo, & 9. *Ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi*, (nempe sponsa) *& laui te aqua, & mundaui sanguinem tuum ex te.* Certum est tunc puellam illam non fuisse mundatam à sanguine, atque aliis puerperij sordibus, in iuuentute, de qua tunc erat sermo; sed in die qua nata est; vt principio vidimus. Quasi dicat, vt cognoscas, quantum mihi debeas, quòd te mihi ad genialis thalami consortem asciuerim, recordare, quemadmodum te purgarim à sanguine; cumprimum te barbara mater enixa est. Alter locus est v. 23. *Non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda, & confusione plena, conculcata in sanguine tuo.* Quis credat, si modò principium capitis legerit, in adolescentia fuisse nudam, & in sanguine suo conculcatam Ierusalem? nisi in adolescentia aliquid intelligas aliud, de quo suo loco postea.

39. Vers. 8. *Et transiui per te, & vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium.*] Eduxit Dominus Gentem Israelitidem ex seruitute Ægyptia, vbi non aliter erat abiecta, quàm puella, de qua nuper, in materni sanguinis volutabro. Tunc tempore in Chananæo sanguine, aut Ægyptiis sordibus infecta, minùs erat apta connubio; sed diuino beneficio eò progressa est, vt expeti iam posset ad nuptias. Ait ergo Deus venisse se ad illam, quo tempore iam esset habilis hymenæo, ac thalamo, quòd hîc tempus appellat amantium; quia tunc amatores, aut proci ambire solent, & ad vincula accersere iugalia tales adolescentulas.

40. Pro *amantium*, Heb. est דודים, quod varij va-

A riè vertunt. Symmachus *tempus dilectionis* conuertit, Theodotio, & Aquila, *tempus vberum*, Septuaginta *tempus diuertentium*, id est, procorum, qui virginis domum sæpius frequentant, ibique sunt assidui, quo illius aucupentur nuptias. Aquila in secunda editione, tempus συναλλαγῆς, id est, commercij, commutationis, quia nimirum coniuges mutuo se emunt, & libertatem libertate commutant. Sed est, vt apparet, sensus idem, licèt loquendi modus, atque metaphora diuersa.

Et expandi amictum meum super te.] Hæc erant apud Hebræos olim, & nostro etiam tempore nuptiarum solennes, ac legitimi ritus, de quibus 41.

B nos pluribus ad illud Cant. 2. *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi.* Vbi diximus in vmbra significari posse vmbellam, seu pallium quatuor suspensum virgis, sub quo nuptiali more, coniuges fœdus ineunt connubiale, vnde ortum videtur obumbrationis nomen. Vide Eliam in Tisbi, & Dauidem de Pomis, vtrunque in voce חפה *chupbah.* qui dicunt hoc, & vsitatum fuisse olim, & nunc etiam Hebræis esse legitimum.

Obumbrarè quid in re nuptiali.

Sed credo *amictum* hoc loco non tam significare vmbellam illam, quam Hispani *cœlum* vocant, aut *pallium*; alij *Baldachinum*, quam pallij partem extremam, quam pinnam vocant; seu alam, & id potiùs significat Hebraica vox כנף 42.

C *keneph*, quæ non tam vmbellam, quàm pallij sinus defluentes exprimit. Id sanè constat ex Ruth cap. 3. vbi expanso supra se pallio Ruth coniugium expetiuit: *Expande*, inquit Ruth ad Booz, *pallium tuum super famulam tuam: quia propinquus mihi es.* id est, me vxorem accipe. Ita putat Lyra in hunc locum Ruth, & Hieronymus Prologo in Oseam. Neque id Hebræis proprium est, sed cum aliis etiam Gentibus commune. Refert enim Euripides apud Stobæum, verba parentis, qui filiam nupturientem sic alloquitur, *Cùm sub egregij viri pallium veneris, reliqua studia viro finito.* Et quidem hæc cæremonia satis exprimit matrimonij naturam, quod vnitatem

Sponsi palliũ supra caput sponsæ.

D amat; & communia facit omnia; genúsque fœminarum imbecillum virorum protectioni commendat. quæ omnia idoneè repræsentat fœmina sub viri pallio, quod iam vtrique commune fit, & auxilium aliquod, quod est ab amore, & vmbram familiarem, & assiduam importat.

Et operui ignominiam tuam.] Hîc aliqui expanso amictu aliquid putant esse opertum, quod turpe foret non esse velatum, maximè in virgine; quod licèt cum Hieronymo sentiant neque pauci, neque ignobiles, mihi tamen nunquam persuadere potui, in eo statu fuisse Hierosolymæ adolescentiam, vt eam ignominiam subierit; quam sustinere non possunt illæ etiam, quibus pudicitia quæstuaria est. Sentio ergo ignominiam hoc loco esse opprobrium illud, quod 43.

Sterilitas Iudæis ignominiosa.

E sustinent innuptæ, atque infœcundæ fœminæ, cùm ætate sunt iam matura thalamo. Erat Iudæorum fœminis probro, si infœcundæ essent, Deut. cap. 7. *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus*; aut etiam si vitam agerent expertam nuptialis tori. Quare filia Iephthe solenni forma, ac publica virginitatem suam deplorauit; quòd ipsi interceptus esset ad thalamum, & ad prolem aditus. Sanè opprobrium à se repellere studebant septem illæ mulieres, de quibus Isaias cap. 4. quæ septem numero vnius viri expetiere coniugium, dicentes, *Aufer opprobrium nostrum.* Quod etiam in hoc eodem rerum vestigio optabat sponsa,

sponsa, cùm venire ad sponsi complexus, nuptialiaque sacra cupiebat, ne cuipiam deinceps esset despicabilis, Cant.8. *vt deosculer te* (id est, sim tibi vxor, cui honestum osculum à viro libatum) *& iam me nemo despiciat.* Neque tantùm puellis dedecori erat, & pudori, si iam adulta, & nubilis non esset viro copulata, sed eorum etiam parentibus: si rem vsqueadeo naturæ necessariam in longum distulissent. Id ex Paulo colligo, 1.Cor. 7. *Si quis*, inquit, *turpem se videri existimat, super virgine sua, quod sit superadulta*, &c. Dicitur autem *superadulta*, quæ iam ætatem illam excessit, quæ nubiles facit esse virgines. Ita Baronius in apparatu, qua ratione probat B. Virginem annos natam quatuordecim nupsisse Iosepho, vt est communis in Ecclesia sensus; quia ea ætate virgo incipit esse matura connubio: & indicat Theophylactus, & Syrus. Hinc credo non difficile constat, quid sit ignominiam virginis cooperire, nempe connubiali fœdere illud auferre dedecus, quod maturæ virgines, neque tamen vinculis, astrictæ coniugalibus subeunt, non solùm ab ignobili, atque imperito vulgo, sed ab iis etiam, quibus aliquid existimatur esse prudentiæ.

Parentibus ignominiosum si grandem filiam innuptam habeant.

44. *Et iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum.*] In pacto plerumque, in eo præsertim, in quo maxima intercedunt rerum momenta, interponi solet iurisiurandi religiosa fides: quam non defuisse in hoc connubiali fœdere docet Dominus, vbi suam humanitatem ostendit, cùm sponsus magis videri velit, qui aliquid sonat amatorium, & æquale, quàm Dominus, in quo seuerum est aliquid, & obseruandum magis. Hoc verò pactum siue sit, quod iniit cum populo, cùm adhuc esset in Ægypto; siue ad montem Sina, cùm data fuit lex, in qua præcepta continentur connubialia, quæ ab sponso audire, atque admittere solet noua nupta; & vbi dotem accepit ab sponso de more (vineam videlicet vberem, & latam, qualem datam sibi prædicat sponsa Cant.8. terram videlicet promissionis lacte, & melle manantem) iuramentum à Domino firmatum est. Quale verò iusiurandum fuerit, non omnino certum; interuenisse autem nefas est dubitare; cùm id nunc apertè dicat Dominus, & repetat sæpius, cùm dicat iuramento regionem illam, id est, dotalem hæreditatem se populo, quem sibi nuptiali fœdere copulauerat, tradidisse. De dote verò fuisse illud iuramentum, docet

45. hic Hieronymus. Sed credo in illo verbo, *Ego Dominus*, vim contineri iurisiurandi, quia Deus suam interponit fidem, quæ cùm diuina sit, vim obtinet, ac pondus iuramenti. Quod mihi ideo persuadeo, quia Deus iuramento promisisse se dicit Abrahamo terram promissionis; Exod.6. v.6. & Exod.32. v.13. Sed nullum apparet in promissione iuramentum aliud, nisi *ego Dominus*. Genes.15. v.7. *Ego Dominus qui eduxi te de Hur Chaldæorum, vt darem tibi terram istam.* Hoc verò verbum interposuit, cùm adhuc esset populus in Ægypto, per Moysem, quem ad connubium illud mysticum habere voluit tanquam pronubum. Sic ergo ad illum Exod.6. v.6. *Dic filiis Israel: Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute, ac redimam de brachio excelso, ac iudiciis magnis. Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus.* (hoc planè est coniugale pactum). Interposuisse item videri potuit Exod. 19. v.4. ad montem Sina, vbi data lex est, & populus connubialibus præceptis, ad seruandam sponso coniugalem fidem eruditus. Nam cùm verba pacti posuisset, admisissétque populus nuptiali more; vbi ratum videtur fœdus, & pars vtraque legitimè ligata; & legem tradere aggressus esset cap.20. quæ fœdus illud esset conseruatura, sæpe repetit, *ego Dominus.* De hoc tempore videtur loqui Deus hoc loco; quia clariùs videtur oblatum pactum, & acceptum populo. Cùm enim dixisset ibi Dominus, *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & Gens sancta.* Statim subditur, *Respondítque omnis populus simul, cuncta quæ locutus est Dominus faciemus.* Hoc rursus pactum instauratum est Exod.24. v.7. Sanè licèt supradictis locis, vbi pactum videtur initum coniugale, iusiurandum expressum non apparet, tamen intercessisse persuadet, quòd dotalis hæreditas alibi sæpe cum iuramento promissa est. Exod.6. *Induxerim vos in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam.* & cap.32. v.13. *Recordare Abraham Isaac, & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro.*

Deus quando desponsauit sibi populum.

46. Ex hoc pacto nempe connubiali, & nuptiali iure, multi oriuntur in Scriptura dicendi modi, qui nuptialem fidem, aut apertè produnt, aut obscurè indicant. Quoties enim à Dei veri cultu populus ille recedebat ad vana simulacra, adulterari dicitur, quæ vox violatum fuisse torum legitimum ostendit. Et idola tum alibi, tum in hoc loco non rarò, amatores dicuntur, & adulteri. Et quæ de sponsa dicuntur, cùm adhuc fidelis est, illa de hoc populo sæpius audiuntur, Deuter.7. v.7. *Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos; sed quia dilexit vos, & custodiuit iuramentum, quod iurauit patribus vestris.* Deuter.10. v.14. *Patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amauit eos.* Alia frequenter occurrunt his affinia.

Idololatria, quare dicitur adulterium.

47. *Et facta es mihi.*] Modus hic dicendi, vt docet hic Hieronymus, & multis confirmat Pradus (quod nos etiam probauimus ad illud Isaiæ 46. *Facta sunt simulacra eorum bestiis*) coniunctionem significat nuptialem. Ruth cap.4. vbi vulgatus habet, *Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem.* Heb. est, *accepit Ruth, & facta est ei.* Oseæ, cap.3. *Non fornicaberis, & non eris viro.* & paulo pòst v.15. *Exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, vt eius fieres.*

REGVLA. Esse alicui, auctem, vox coniugalis.

Hinc disces Dei benignissimum ingenium; satis videretur humanus, & clemens, si quam morti iam proximam excitarat è sanguine, & ad ætatem illam nubilem prouexerat, habuisset ancillam, eximio illo beneficio, & multorum annorum nutricatione coëmptam. Minus certè laboris, & studii ponebant Thebani in alendis infantibus alienis, quos alioqui parentes erant occisuri, & tamen lex infantes illos addicebant seruituti, qua mortem sibi impendentem redimebant. At Deus non seruos esse vult ignobilis, ac duræ conditionis, sed consortes thalami, & ideo appellat sponsas, quæ vox societatem sonat, & æqualitatem. Vnde Regis sponsa Regina dicitur; idque quod ad se attinet, futurum esse perpetuum, iuramento confirmat. Et adde cum iuramento adesse quoque ritum illum, qui iuxta Hebræorum consuetudinem, firmitatem maximam fœderi conciliat, vbi cum iuramento,

Dei eximia benignitas.

Peccatoris spei firmamentum.

cum

cum solenni, atque sanguinaria cæremonia reperitur etiam execratio. Quasi malè suo capiti precetur ille, qui violati fœderis arguatur reus. Vide Leuit. cap.24. vbi sacrificij, imò sanciendi fœderis forma describitur, occisis victimis, & tam altari, quod Deum repræsentabat, quam nonnullis è populo sanguine respersis.

49. Vers.9. *Et laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te.*] Hæc, vt dixi num.38. referenda sunt ad tempus illud primum cùm excitata fuit è puluere, & à sanguine mundata Hierosolyma, vt è duorum temporum comparatione splendescat magis Dei misericordia singularis, quæ iacẽtem in obscœno puerperij sanguine, ad splendoris regij maiestatem traduxit. Quasi dicat sponsus, facta es mihi sponsa; quam tamen ego priùs mundaui è cœno, & sanguine; & ab eo excitaui rerum articulo, quo nihil videbatur cogitari posse miserius.

50. *Et vnxi te oleo.*] Hæc etiam ad tempus primum refero, quo Hierosolyma proiecta fuerat in abiectione animæ suæ; vbi post præcisum vmbilicum, post lotionem aquæ, & acrioris medicamenta salsuræ ad leniendam cutem, quam asperarat, durarátque salsugo; adhibita sunt ex oleo magis lenia, atque benigna fomenta. De oleo nihil audiuimus in principio, sed non est verisimile illud omissum esse beneficium, quod infantili ætatulæ fore videbatur non importunum. Sciò oleum, id est, vnguentum stillatitium, & odoratum ad geniales, & nuptiales epulas adhiberi solitum, eámque non esse leuiorem partem ad thalamum, seu mensam, vbi cubant, siue accumbunt noui coniuges; sed si de illo nuptiarum tempore sermo foret, aliarum etiam deliciarum meminisset Deus; quæ pro tanti sponsi dignitate, atque opibus, non poterant esse non eximiæ. Sicut statim v.18. inter nuptialia dona, quæ ibi connumerat, olei quoque, & thymiamatis meminit.

Olei fomenta infantibus adhibita.

51. Vers.10. *Et vestiui te discoloribus.*] Complexio est, atque explicatio mundi muliebris; id est, eorum ornamentorum, quæ amant, curántque lautæ, atque elegantes puellæ, de quibus Isaiæ c.3. & in toto libro Canticorum Salomonis. Biscolor, seu polymita, ac deaurata vestis illa est, vt opinor, à qua sponsa dicitur *circundata varietate.* Psal.44. de quo nos pluribus Cant.4. num.4. quæ intexta est liliis, aliisque floribus, opere phrygio, atque plumario, quæ à Græcis χαρακτῆς appellatur. Hæc verò vestis extima est, & reliquis ornamentis iniicitur. Vbi vulgatus *discoloribus*, Heb. est רקמה *rikma*, quod Hispani ab Hebraica origine *recamados* appellant. Hieronymus eandem vocem modò reddit *versicolores*, modò *multicolores*, interdum *polymita*, nonnunquam *scutulata*, aut *plumaria*, cúmque variis modis picturata esse possit, ac varia vestis illa multicolor, siue sutilis, siue textilis, hanc tamen varietatem in quocumque genere optimè explicat רקמה, quæ varietatem sonat, modum, aut artem non definit.

Vestis varia, ac discolor in nuptiis.

52. *Calceaui te ianthino.*] De calceamentorum elegantia, quámque in illis sibi placent fœminæ, ostendimus ad illud Cant.7. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis.* & in cap.3. Isaiæ ad illud, *ornamentum calceamentorum.* vbi hac de re non pauca. Hìc tantùm de calceamentorum colore Propheta loquitur. Sed quia color ille nobilis est, & ad geniales delicias, existimo hìc quoque non defuisse ornamenta alia, quæ in elegantium fœminarum calceis commendantur; quales sunt splendentes laminæ, à quibus calcei squammati dicuntur, aut aliquod aliud crotalorum genus, à quo fœminæ in incedendo plaudere dicuntur, Isaiæ cap.3. Porrò vbi vulgatus *ianthino*, Heb. est תחש *tachas*; quod taxum esse putant Hebræi; taxum inquam animal, cuius pellis putatur esse pulchra, quæ fortasse ianthini coloris est, aut cum colorem frequenter, atque speciosè bibit. Translatio Hispanica pro ianthino, habet *tabas*, quod animal est, quod ab Hispanis voce ab Hebraica modicè deflexa dicitur *tesson.* Confert hìc ianthinos calceos cum pedibus nudis, quos gestare solent ancillæ; & quæ ærumnosam subeunt conditionem, & hinc disce quid sperari possit à Deo, qui quod vilissimum est in homine tam luculenter exornat.

Calceorum elegantia in nuptiis.

53. *Et cinxi te bysso.*] Sponsa tunicam gestat candidam; cui inducitur vestis illa polymita, & varia, quam proximè appellari diximus discolorem: de qua nos in Cant. ad illud cap.1. *Collum tuum sicut monilia.* Probat illud Apocal.19. v.7. *Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se. Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido.* Et si qua fides habenda est non tam Philoni, quàm Pseudophiloni de Antiquitatibus Biblicis (in quo ego meras nugas, & ex Rabbinorum cerebro commenta reperio) sponsæ pro nuptiis tunica dabatur candida. Sic enim ille de filia Iephthe, cùm suam defleret virginitatem, quia graue existimabat ad nuptiarum dignitatem aditum sibi morte præcludi. *O mater,* inquit, *in vano peperisti vnigenitam tuam: quoniam factus est infernus thalamus meus: confectio omnis olei, quod præparasti mihi, effundetur: & alba, quam neuit mater mea, tinea comedet eam.*

Philonis, seu Pseudo Philonis in antiquitatibus Biblicis nulla fides.

54. Hoc mihi certum, illud dubium, quid propriè byssus sit: nam ea de re variæ sunt auctorum, atque interpretum sententiæ. Mihi maximè videtur probabile byssum speciem quandam esse lini nobilissimi, & ex eo quodcumque aliud lini genus byssum appellari. Nam hoc nomen datum esse filis, aut telis natura diuersis, satis constat ex his, quæ mox dicemus. Quidam existimant byssum herbam esse, cuius succo linum inficitur, quod byssum, aut byssinum vocamus, quia sæpe byssus cum purpura coniunctus inuenitur. Prouerb. vltimo, *Byssus, & purpura indumentum eius.* & Lucæ cap.16. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & bysso.* Sanè Theocritus in Pharmaceutria byssinum colorem esse dicit; & ita censet Suidas, & Hesichius, vterque in voce βύσσος, vbi dicunt byssinum esse vestimentum. Alij byssum non putant esse candidum, neque lini speciem, sed filamenta quædam, quæ è pinnarum conchis (genus illud est piscium) extrahuntur, ita putat Rondeletius lib.1. de Testaceis, cap.48. Pausanias non putat bysso inesse candorem, sed subflauum aliquid, aut rubrum: dicit enim in Elide nasci byssum ea tenuitate, vt ne Iudaicæ quidem bysso cedat, nisi quòd minus rufer quàm Iudaica; quod etiam vult Hispanica translatio, quæ pro bysso purpuram reddidit.

Byssus quid.

Byssus candida est, non rubra.

55. Hoc de rubeo, aut flauo byssi colore; minus mihi probatur, quia in Scriptura sacra, aut expressè illius significatur candor, aut indicatur vehementer. Apocal. c.19. v.7. *Datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido.* Vbi in *candido*, album intelligi (nam aliquid aliud interdum significat) docet vox Græca λευκόν, quæ nihil sonat aliud præter album. Neque loca, quæ proximè produximus ex Prouerbiis, & Luca, hnic

huic cogitationi quicquam incommodant: non A
etenim ita de bysso sermo est, quasi idem esset omnino cum purpura. Sed cùm in hominum vita delicata, ac molli duo reperiantur, quæ ad speciem pertinent, & magnificum cultum; & quæ ad carnis blandimenta spectant: in purpura splendidus, ac regius cultus, in bysso quæ tenuissima est, & tactu mollis, luxus blandior exprimitur, & delicata mollities. Quid Theocritus, quid Suidas, Pausanias, & Hesichius velint, non laboro, quia de alio fortasse lini genere locuti sunt, quod byssus dicitur, non tam propriè, quàm figuratè; quia nobilitate, atque vsu non longè recessit ab eo, quod propriè, & verè byssus appellatur. B

56. *Et indui te subtilibus.*] Heb. משי *mesi*, quod variè reddunt interpretes, Theodotio vocem ipsam Hebraicam reliquit: Aquila *floridum*, siue *palpabile*, Symmachus *indumentum*. Septuaginta τρίχαπτος, quam vocem ipsi excogitarunt; neque enim apud vllum ex scriptoribus antiquis reperitur, quod fecerunt alibi non infrequenter; quia vox non occurrebat Græca, quæ Hebraicæ vocis vim totam exprimeret. Sed quid valeat vox illa tunc primùm inuenta, non omnes conueniunt; Suidas pannum putat esse bombycinum. Theodoretus rete consertum è capillis, quod fœminarum ambit, & exornat caput: Scholiastes Græcus amictum esse putat ex auro textili, C
Origenes subtilem amictum exponit, & in capillorum similitudinem attenuatum, & hic nominis rationem, & etymologiam expressit; id enim propriè significat τρίχαπτος.

57. Rabbi Dauid cum aliis è Recentioribus Heb. משי *mesi*, sericum reddunt, cui etiam subscribit antiquissima translatio Hispanica, quæ habet *sirgo*. Quicquid illud sit, omnes tamen eò conspirant, vt dicant aliquid esse subtile, ac tenue; quale est quod ex tenuissimo filo, quod capillorum instar est, contexitur; Laconica puta pellucida, aut illud tegumenti genus, quod dicitur *Coum*, aut aliquid aliud simile. Hieronymus optimè conuertit *subtilia*, quod tamen sit ornamen- D
tum illud, quod tenui contextum est filo, dubitant interpretes, alij peplum esse putant, aut chlamydem, quæ reliquis induta vestibus totum operit corpus. Qua in re quid certum putent, nihil affirmare habeo, suspicor tamen esse theristrum, pallium nempe muliebre, non tamen ad talos vsque demissum, quale peplum est, sed breuius quod tantùm humeros tegat; quod Heb. רדידה *redidah*, dicitur, Græcè θέριστρον, ἀπὸ τῦ θέρυς, id est, ab æstate; quo vtuntur fœminæ, non quidem, vt cùm ad solem æstiuum prodeunt, faciem suam à calore, atque à fuscore liberent; sed quia subtilissimum, atque leuissimum est; quod neque villis calefacit delicatas fœminas, neque grauat E
pondere; sicut nunc contra æstatis incommoda bombycino vtuntur leui.

Telæ subtilis ad cultũ fœminarũ.

58. Vers. 11. *Et ornaui te ornamento.*] Ornamenta propriè illa dicuntur, non quæ tegunt, aut muniunt corpus, ad commoditatem, & vsum, sed quæ ad venustatem tantùm, & elegantiam adhibentur. Qualia sunt armillæ, torques, lunulæ, periscelides, &c. Hactenus de lauto corporis tegumento dictum est, de bysso, de ianthinis calceis, de theristro, ac pallio: nunc de his, quæ non tam gestanti conferunt, quàm spectantium capiunt, & oblectant oculos, sermo est, quæ pòst explicatiùs enumerat.

59. *Dedi armillas in manibus tuis: & torquem circa collum tuum.*] Enumerat illa, quæ in mundo muliebri magis nota sunt, ac familiaria fœminis Hebræis. Neque credendum est à tam liberali sponso illa fuisse prætermissa, quæ in deliciis numerant, & maximè expetunt, atque exigunt puellæ. Qualia sunt, quæ in cap. 3. numerat Isaias, & quibus in Canticis nitere dicitur Sulamitis. Armilla ornamentum est, quod illam partem cingit, & decorat, quæ brachium cum manu coniungit, quæ, vt Græcè dicitur καρπὸς, sic etiam illius ornamentum περικάρπιον vocatur. Torquis colli præcipuum, & penè solum ornamentum est, quod baccatum, aut guttatum esse in lautiori fortuna solet, de quo nos plura in cap. 3. Isaiæ.

Armilla quid.

Vers. 12. *Et dedi inaurem super os tuum.*] Non 60.
habet Latinus vocem illam, quæ nasi ornamentum significet, de quo in præsentia loquitur Propheta, quare καταχρηστικῶς inaurem appellat; quæ vt aurem instruit, sic etiam ab illa nomen accepit; non tamen longè abest situ, ac forma ab ornamento nasi; atque ideo illi nomen è vicino commodauit. Heb. est נזם *nezem*, quod ornamentum non est proprium aurium, sed commune cum naso, totáque facie, Genes. 24. vbi noster, *suspendit inaures ad ornandam faciem eius*. Heb. *& posuit inaures super nasum eius*. Isaiæ 3. vbi noster, *gemmas in fronte pendentes*, Heb. est נזמי האף *nizme haaph*, id est, inaures, siue ornamenta nasi. Sic etiam nunc vbi vulgatus legit, *super os tuum*, Heb. est *super nasum tuum*, & ita etiam legunt Septuaginta; à quibus non longè abit Theodotio, qui, Hieronymo teste, transtulit ἐπίῤῥινον, id est, ornamentum impositum naso, aut positum super nasum. Sed quódnam sit ornamentum illud, mihi incompertum est. Theodoretus circulum pu- 61.
tat infixum fœminarum naribus, qualis bubalis, aut iuuencis inseritur, quibus non aliter, quàm equi frænis gubernantur, & qualem habiturus dicitur Senacherib Isai. cap 37. v. 29. *Ponam ego circulum in naribus tuis.* Scio in quibusdam regionibus nuper ab Hispanis vltra Oceanum apertis, lautum, atque elegans existimari, si ex narium media cartilagine gemmeum aliquid ad os vsque dependeat, & labiis, ac dentibus alludat; sed nunquam eò adduci potui, vt crederem hunc cultum planè barbarum vsitatum esse Hebræorum Genti neque barbaræ, neque inelegantí. Illud minus videtur alienum ab vrbano cultu, quod audio nunc apud Africanos, atque Asianas puellas ex Hebræorum genere esse familiare; quæ semicirculos aureos, aut lunulas in ea parte nasi, & eo modo insertas, ferunt, quo gestari ocularia conspicilla solent. Placet quod 62.
Hieronymus hîc magis probat: nempe ornamentum hoc esse gemmam, circulum, aut inaurem, quæ à capite & fronte ad nasum vsque demittitur, quod suo etiam tempore in vsu fuisse testatur. *Vsque hodie*, inquit, *inter cætera ornamenta mulierum, solent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* Et in eandem sententiam Polychronius. *Aliud*, inquit, *ornamentum, quod circa caput ponitur, pretiosum quidem, sed habens margaritam ad nasum vsque pendentem.* De qua gemma fortasse intelligitur illud Cant. 7. *Nasus tuus sicut turris libani.* vbi *nasus*, pro nasi ornamento videtur posse sumi.

Inauris quid.

Circulus in fœminarum naribus.

Nasi ornamenta.

Et coronam decoris in capite tuo.] Quomodo ad 63.
nuptias coronentur sponsæ, diximus pluribus in nostris commentariis super Cantica. Hîc verò coronam decoris appello, non quæ ex floribus texitur,

texitur, sed quæ splendorem seruant diuturnum; nempe auream, qualis regium decet nomen, & à qua sponsa salutatur Regina. Sanè sponsa redimitum habebat caput c.4. Cantic. floribus, & frondibus, quando illud simile habuisse dicitur capris, quæ ascenderunt de monte Galaad: quia videlicet non aliter apparebant capillorum cirri inter ramos, ac frondes, ex quibus corona texebatur, quàm capræ Galaaditides inter frutices, & arbusta Galaad; & tamen eodem capite vocatur, vt coronam accipiat, auream nempe; & quæ hic corona dicitur decoris. *Veni*, inquit sponsus, *de Libano, veni, coronaberis.* Et facit huc, quod spōsa in Regnum profecisse traditur, id est, ad regiam dignitatem venisse, atque ideo coronam accepisse regiam oportuit. Et addo apud Gentes quasdam, auctore Festo, in nuptiis sponsam sua sibi manu flores legere, ex eis sibi serta componere, quod fortasse apud Amorrhæos, atque Cethæos in vsu quoque fuit, quorum è genere nata fuisse dicitur Hierosolyma: at accepisse dicitur Hierosolyma coronam à Deo, non vtique è floribus, nam ex his iam ipsa sibi antè parauerat.

Corona spōsæ aurea.

64. Vers. 13. *Et ornata es auro, & argento, & vestita ex bysso, & polymito, & multis coloribus.*] Complexio hæc est, & summa breuis eorum, quæ ad mundum muliebrem, instructúmque nuptialem collata diximus: quæ non ad amictum solum, sed etiam ad elegantiam pertinent. Porrò hîc vulgatus *polymitum* reddidit vocem משי *mesi*, quam Septuaginta τρίχαπτα, & ipse priùs *subtilia* conuerterat; vbi noster, *multis coloribus.* Heb. est רקמה, quod vulgatus antè reddiderat *discoloribus.*

65. *Similam, & mel & oleum comedisti.*] Hæc quoque ad geniales pertinent delicias. Est enim satis notum nuptiale conuiuium esse splendidum, & his præcipuè rebus instructum, quas hîc Propheta sponsam comedisse ait, quas nos Cantic. 2. contineri diximus in voce אשישה *asisah.* quæque deinde magis explicantur cap. 5. dum dicitur, *Comedi fauum cum melle meo.* In mensa ergo illa geniali præcipuum, aut ex præcipuis, legitimisque ferculis esse puto, similam conspersam oleo, & melle; id est, placentam ex purissima farina, & melle, atque oleo subactam; quod explicuere Septuaginta, cùm eo loco, vbi vulgatus, *comedi fauum cum melle*, ipsi transtulere, *manducaui panem meum cum melle meo.* Neque huic explicationi plurimum incommodat vulgata translatio: fauus enim cum melle optima descriptio est, aut symbolum mellitæ placentæ, in qua non secus videtur mel esse contentum, quàm in fauorum cellulis. Sed si ex nuptiali metaphora ista remoueas, quod non arbitror, comedisse existimari potest Ierusalem similam, mel, & oleum, quia in eam regionem inducta est, vbi non iam cepe vesceretur, & porro, sicut in Ægypto priùs; sed delicatis maximè cibis, & ingenuo palato non indignis. Quomodo autem terra Canaan Israëli promissa frumenti ferax sit, & olei, millies audis in Scriptura: quàm verò abundet melle, modus ille loquendi significat, quo terra promissionis manare dicitur lacte, & melle.

Cibi quales in nuptiali mensa.

Et decora facta es vehementer nimis.] Magna est in duobus aduerbiis epitasis, quibus ille significatur cultus, illa venustas, vt nulla videatur accessio fieri potuisse: quod explicat magis id, quod proximè adiungitur.

A *Et profecisti in Regnum.*] Duo hic mihi sensus occurrunt, vterque ad orationis filum accommodatus, & cum nuptiali metaphora conueniens. Alter ornatum spectat, atque munditiem fœminæ quondam sordidissimæ, quæ eò venustatis, ac gloriæ progressa est, vt qui illam intueretur, aut Reginam crederet, aut regio nomine non indignam. Sic enim vulgo homines loquuntur, cùm aliquem vident honesta, ac liberali forma, aut regio splendentem luxu, *Hæc facies, aut hic habitus dignus est imperio; aut optimè in hanc speciem regia conuenit dignitas.* In regnum itaque profecisse dicitur, quia regno videbatur non indigna, aut digna quam princeps ad thalami societatem expeteret. 66.

B Sed alius sensus magis mihi probatur, quo verè Ierusalem sub hac nuptiali metaphora ad regnum peruenisse dicitur. Quam ad rem obseruo in nuptialibus deliciis, atque amatoriis blandimentis regium nomen de more nouis coniugibus attribui. Quare sponsus sæpe Rex, sæpe item sponsa Regina nominatur. Exempla suppeditant non pauca Salomonis Cantica, vbi sponsus Rex dicitur, & sponsa (quæ tamen rustica fuisse fingitur, & vinearum custos cap.7.) filia vocatur principis. Idem & habes Psal.44. qui epithalamium quoddam est, vt docet ipse titulus, in quo liliorum audis, & dilecti nomen. C Plura hac de re habes in nostris Commentariis in Cantica Prolegomeno 3. Ex his mihi penè certum est Regni nomine, ad quod Hierosolyma profecisse traditur, connubium intelligi: nam quæ ad statum illum esset progressa, Hebræorum more princeps salutabatur, & Regina. Et quia magni Regis erat sponsa, in magnum aliquid profecit, & latè gentibus dominata est. & ideo additur, 67.

Rex, & Regina vocantur noui cōiuges.

Vers. 14. *Et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam.*] Ornauit Deus Ierusalem, in qua populus intelligitur Hebræus, vsque adeò cumulatè, & largè; vt non solùm populis aliis admirationi, sed etiam venerationi fuerit; D ex eo præsertim tempore, quo Salomonium templum conditum est: cœperat tamen illius nomen longè, latéque diffundi; ex quo ad nobile connubium ornari, ac præparari orsa est. Quando nimirum excitata fuit ex Ægyptio luto, vbi fingendis laterculis operam nauabat ignobilem; & aperto mari ex Ægyptiorum viribus erepta, & non solùm è terra, sed etiam è cœlo illustribus honestata, atque commendata prodigiis. Hæc autem omnino ad speciem illam pertinebant, propter quam illius gentis nomen latè propagatum est. 68.

Vers. 15. *Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo.*] Fiducia hoc loco E superbiam significat, seu audaciam: in priori significatione sumpsit Hieronymus; qui dicit elatam insolenter Hierosolymam, quasi propria foret, atque perpetua illa pulchritudo, quam inesse sibi gloriabatur, in omnem intemperantiam fuisse profusam. Audi Hieronymum, & ab illo disce quantum insit periculi his, qui magnis à Deo ornati sunt beneficiis; si benigni largitoris immemores, alienam clementiam suas sibi dotes esse putent. *Grande*, inquit, *discrimen non in Dei clementia, sed in suo decore confidere. quantóque quis sublimior fuerit, debet timere ne corruat, & fornicetur in nomine suo. Aduersariæ siquidem potestates solitos contemnunt cibos, & peregrina alimenta desiderãt. Vnde de diabolo dicitur, esca eius electa. Nō vult* 69.

In maiori periculo est, qui pluribus à Deo beneficiis, tanquā suis gloriatur.

quemlibet decipere. Saul Regem, qui electus à Domino est, & Iudam Apostolum supplantare festinat. Non ergo confidamus in propria pulchritudine, nec Dei liberalitatem nostram putemus esse virtutem, sed potiùs audiamus: Ne glorieris in crastinum; nescis enim quid ventura pariat dies.

Animum ignobilem, & sordidū inflant opes, & auertunt à Deo.

70. Alij in *fiducia*, audaciam intelligunt, quam in animo illiberali, & sordido alunt opes, & illa quæ vulgo hominum existimantur bona. Et quidem experientia compertum est, his rebus quæ homines, aut ornant, aut commendant, excitari ignobiles spiritus, ad quiduis audendum; & pro rerum, facultatúmque modulo alia, atque alia excitare altaria, in quibus peregrinis diis quotidie libant, & contempto sponso, à quo illis cumulati sunt opibus, complexibus se fornicariis immiscent. Sanè de hoc eodem populo dictum est Oseæ cap. 10, *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei: secundùm multitudinem fructus sui multiplicauit altaria: iuxta vbertatem terræ exuberauit simulachris.*

71. *Fornicata es in nomine tuo.*] Variè hic locus à variis exponitur. Hieronymus nimis obscurè loquitur, *Quanto, inquit, quis sublimior fuerit, debet timere ne corruat, & fornicetur in nomine suo.* Videtur autem monere, ne sic afficiatur in opes, aut pulchritudinem, vt illa suspiciat, ac veneretur pro diis, & cum illis fornicetur. Quemadmodum enim auaritia ab Apostolo idolorum seruitus appellatur, quæ iuxta Scripturæ sacræ morem fornicatio dicitur: sic etiam ambitio, quæ totum ad se abripit animum, quámque homo sic obseruat studiosè, vt præ Deo, imò & pro Deo colat, genus quoddam est idololatriç, aut si maius idolomaniæ. Quare in nomine suo, i. in sui nominis disseminata gloria, ille fornicatur, qui sibiipsi in eo nomine valde placet; & eius conseruandi, atque amplificandi gratia nihil non audet. Hæc quidem obscurè Hieronymus. Aliquanto magis explicatè Gregorius lib. 7. Registri, cap. 126. qui postquam adduxisset hæc Ezechielis verba, subiicit: *Fiduciariam animam in pulchritudine sua habere, est, in semetipsa de iniusta actione præsumere. Quæ in suo nomine fornicatur, quando in hoc quod rectè agit, non conditoris laudem dilatari appetit, sed suæ opinionis gloriam requirit.* De eodem argumento optimè, & latè Gregor. 4. p. Pastor. c. 1.

Ambitiosus, & auarus quasi idololatra.

72. Alij in nomine suo ideo putant fornicatam esse Hierosolymam, quia nominis ipsius celebrata gloria externos populos, ad illius amicitiam, & societatem perpulit, qui cùm familiariter cum ipsa agerent, & commercij gratia hinc inde plurimi quotidie commearent, vt inuectæ sunt nouæ mercimoniæ, sic etiam & noui mores, & noua ad extremum religio introducta est. Sic cum Theodoreto sentiunt Maldonatus, & Hugo. Pro qua sententia obseruo præpositionē *in*, interdum idem esse quod *propter*. vnde frequēs apud Paulum, *ego vinctus in Domino*. id est, *propter Dominum*. Quare *fornicari in nomine*, idem etiam valere potest, quod *propter nomen*. erit ergo sensus: Propter nominis tui celeritatem, fornicata es; neque enim aliter commercia tecum, & fœdus iniissent populi, qui in vrbem antè fidelem, & piam, impium idolorum cultum inuexerunt.

Potētia idololatriæ occasio.
REGVLA. *In idē quod* propter.

73. Aliter hunc locum accipit Pradus, neque meo iudicio malè, qui in *nomine* putat libertatem significari, qua quis suo arbitratu viuit, & quasi sui omnino iuris sit, quid alius aut velit, aut iubeat, nihil habet pensi. In *nomine* significari potestatem nemo nescit; qui alterius nomine aliquid se dicit curare, planè indicat non tam sua, quàm alterius auctoritate, ac potestate illud administrari. Qui suo contrà nomine facit, ille in eo saltem munere fungendo, nullius auctoritati subesse se ostendit. Ierusalem igitur in suo nomine fornicata est; quia abiecto sponso, cuius subesse debuit potestati, sui iuris esse voluit; & illud admittere flagitium, quod nunquam per sponsum tentare licuisset.

Hæc mihi grauia sunt, sed addam, quod magis mihi consentaneum videtur illi metaphoræ, quā in toto hoc capite Propheta persequitur. Fert multarum Gentium consuetudo, vt quemadmodum vxor à viro recipit ius, & familiam, sic etiā ab eodem nomen accipiat. Sic quæ Caio nupsit, relicto gētilitio nomine, Caia vocatur, & vt auctor est Valerius lib. 10. seu potiùs Caius Titus Probus, cuius librum ipse in epitomen redegisse traditur, idē fecere Lucia, Publia, Numeria, à Lucio, Publio, Numerio, in quorū thalamum, & familiā venerunt. Id verò maximè apud Hebræos frequēs, & quasi legitimum, apud quos in vxore coniugis nomē audiebatur. Atque ideo Isai. c. 4. septē illæ mulieres, quę vnius viri nuptias expetunt, desiderium suum hoc dicēdi modo significant, *Inuocetur nomen tuū super nos.* quasi dicant, fac vt vxores tibi associes, & tuo nos nomine cōsignes. Neque vt reor, ea ratione solùm apud Hebræos vxores virorum notabantur nomine, quo ab ipsis explicari, ac fingi solent patronymica. Nempe *vxor Lamec, vxor Vriæ*; aut, *quæ fuit Vriæ, vxor Ieroboam*, sed simplici nomine à virorum nominibus deducto, quomodo à Caio, & Publio, vxor apud Romanos Caia dicebatur, & Publia. Sic quæ Salomoni nupsit, Sulamith, id est, Salomonia vocatur: & quæ Pacifico, Pacifica. Quod ipsa declarauit sponsa Cant. 8. quæ cùm priùs spōsum appellasset pacificum, se quoque circuitione quadam pacificam vocauit. *Ex quo facta sū coram eo quasi pacem reperiens.* Vide quæ in hunc locum adduximus in nostris Commentariis super Cant. 74.

Vxor à viro nomen accipit.

Neque mihi dubium est fœminam, vbi iure, dato repudij libello, seu iniuria, à viro recessisset, qualis hoc loco fingitur Hierosolyma, nomen abiecere viri, cuius prodidit thalamum, cùm sui iuris esse voluit; aut cùm ab illo est repudiata legitimè: nam antiquum illud nomen viri iam relicti, fœdam vxori inureret infamiam. Sic ergo Ierusalem relicto sponsi nomine, quem deseruit, vt nefariis se idolorum implicaret amplexibus, in suo nomine fornicata est, quia cùm sui iuris esse vellet, & vagæ se immiscere libidini, alieni nominis inuocatione nolebat alieno se subesse nomini profiteri. Hæc mihi expositio facilis, neque video quid in ea possit inueniri distorti. Imò ab ipso Propheta statim significari arbitror, dū subdit, *vt eius fieres.* quod iā supplico. 75.

Vxor cum à viro recedit nomen viri deponit.

Exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, vt eius fieres.] Postquam à vero, & legitimo sponso defecit fornicaria Ierusalem, vagæ se tradidit, & promiscuæ libidini, neque vllum repulit à nefario congressu, quantumcumque esset sordidus, & impurus. Instituit enim non tam quæstum, quàm vitæ genus meretricium, quod ipse dicendi modus planè significat. Meretrices enim lupanar sibi constituunt in viis, vbi maior est hominum hinc inde commeantium frequentia: quorum pudori, ac famæ non aliter insidiantur, quàm leo in sylua. Id constat ex historia Thamar Genes. cap. 38. quæ sedens in biuio scortum 76.

se

se esse simulauit. Sed dicit hoc apertè Ezechiel statim vers. 25. Dum ergo expositam esse dicit fornicationem omni transeunti, prostibulum dicit excitatum in via. neque enim alij transeuntes dicuntur, nisi viatores.

77. *Vt eius fieres.*] Suprà vers. 8. ad illud, *& facta es mihi*, diximus hoc loquendi modo significari nuptias à fœmina contractas; quæ tunc viri sui esse dicitur, id est, illius subesse potestati. Qui loquendi modus tam est Latinis, quàm Hebræis vsitatus; sic Virgilius 4. Æneid. *Hectoris Andromache*, id est, vxor. sic Bersabee Mat. c. 1. dicitur esse Vriæ. Sic apud Hispanos vxor Petri, dicitur *la de Pedro.* Sic ergo esse alicuius, idem est, atque alicui nupsisse; quare, vt proximè diximus, in vxore plerumque viri nomen auditur. Significat ergo Deus fornicariam hanc fœminam sponsi sui abiecisse nomen, & in suo nomine; quasi iam esset à priori soluta coniugio; pudorem suum omni viatori prostituisse, vt nouis quotidie nuptiis, nouis etiam nominibus vocaretur, eorum nempe, quorum se implicuisset amplexibus. Vt quomodo dicitur vxor Lamec; sic ipsa modò huius, modò illius diceretur vxor, & toties mutaret nomen, quoties aliorum succubuisset petulantiæ. Misera planè conditio; quæ priùs vni domino, eique honesto, ac liberali suberat; eo habitu, ac specie vt Regina diceretur; illa iam multis seruit tyrannis, à quibus nihil sperare potest propter sordes, ignominiam, & dedecus.

Vxor viro subdita.

Misera peccatoris conditio.

78. Vers. 16. *Et sumens de vestimentis tuis fecisti tibi excelsa, hinc inde consuta.*] Res hoc loco continens, pro ea, quæ continetur, vsurpatur; quod in omni idiomate passim occurrit. Quia in excelsis excitabantur aræ, & ibi locabantur simulacra, fit vt excelsorum nomine, deorum simulacra significentur. Significat hoc loco Deus quòd fornicaria hæc fœmina à sponso recepisset siue ad tegumenta, ex bysso, discoloribus, & τριχάπτοις; siue ad ornamenta, atque delicias, vt argentum, aurum, &c. id totum ad excelsa, id est, ad deorum simulacra tegenda, siue exornanda contulisse. Nunc primùm de vestimentis agit, ex quibus variè discissis, & hinc inde, vt exigebat idolorum species, artificiosè consutis, imagines efformauit, infertas puto aliquo tomenti genere, quales apud barbaros, & transmarinos populos multæ visuntur, quarum ego nonnullas vidi; & nostro etiam tempore plurimæ fiunt, quæ tamen indecoræ non sunt.

Idola vestibus ornata.

79. Quia verò in excelsis etiam altaria sunt, quidam existimant ad altarium ornamenta vestimenta illa varia, atque pretiosa fuisse collata. Alij vestimenta illa in eam formam fuisse discissa, ac postmodum consuta, vt ornarent, & tegerent idola; quod à Iudæis fieri solitum docet Isaias cap. 30. v. 22. *Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui.* Et clariùs Ezechiel infrà vers. 18. *Sumpsisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illa.* Hæc quæ de idolis, siue compositis, siue indutis ex variis, atque pretiosis sponsæ tegumentis dicta sunt, mihi magis probantur, neque sua omnino probabilitate carent, quæ putant alij, in consutis vestimentis significari stragula, quibus meretricius sternebatur lectus, quia super illa fornicata dicitur Ierusalem: quod non aptè cadit in fœminas, qualis gens illa fornicaria fingitur, quæ non tam iuxta sexus sui naturam incumbere, quàm succumbere solitæ. At idola in eo metaphorico

A congressu non tam fœminarum, quàm virorum partes agunt. Sed sanè sunt alia, quæ non admodum aptè in hanc postremam cogitationem conueniunt; & illud *super*, vt statim videbimus, aliquid etiam aliud significat.

Et fornicata est super eis.] Fornicari iuxta institutam metaphoram, nihil est aliud, quàm idola colere. Illud *super*, Heb. על *al*, idem valet quod *cum.* Exemplorum plus satis habes apud Pagninum lib. 4. Institut. c. 1. Duo accipe; alterum in hoc ipso capite vers. 37. primùm vbi vulgatus, *quibus commixta est*, Heb. עליהם, *super ipsis*, aut *cum ipsis.* & iterum cum vniuersis, Heb. עלכל. & Exod. 35. v. 22. *Viri cum mulieribus præbuerunt.* Heb.
B על הנשים *al hanasim.* Quare cùm Ierusalem fornicata dicitur *super eis*, nihil est aliud, quàm cum idolis metaphorico concubitu fuisse congressam. 80.

REGVLA. *Super idem valet aliquãdo quod* cum.

Sicut non est factum, neque futurum est.] Hîc dubitant, neque sanè sine causa nonnulli, quomodo verè hoc à Domino dici potuerit, cùm ante hoc tempus Ierusalem cum idolis, quæ sibi ipsa conflauerat, hoc metaphorico congressu meretricata fuerit, vt millies exprobrant Prophetæ; & post hoc etiam tempus, non vno tantùm loco, aut tempore contigerit. Vt enim docet Ieremias c. 44. in Ægypto post deletam vrbem idola coluerunt; & qui Babylonem sunt abducti, ibi
C quoque post hæc tempora fornicati sunt, Ierem. cap. 16. Varij ad hæc variè respondent. Septuaginta translatio minus habet negotij; qui sic vertunt, *Non ingredieris, neque fiet.* cuius sensum hunc esse putat Scholiastes: Tuis commentis, ac studiis non frueris, neque assequeris, vt Deus esse possit, quem tuis tibi manibus fabricasti. Hieronymus aliter: *Cùm tibi idola feceris, &c. templum Dei intrare non poteris, & simulacra tua substantiam non habebunt; neque erunt in perpetuum, dicente Apostolo: Scimus, quia nihil est idolum in mundo.* Rab. Dauid sic exponit: Non erunt similia idola vnquam, nec erit populus qui talia faciat, nempe vt ornatum sibi à sponso traditum, ad illustran-
D da idolorum monstra conuerterat. Non longè ab his abit Hieronymus; & sequitur omnino Pradus, qui tamen non putat Ierusalem cum Gente Israëlitide comparari; sed cum nationibus aliis, ex quibus nulla fuit, quæ in idolorum honorem simile vnquam contulerit obsequium. 81.

Ego aliter hunc locum aggrediar; & nodum, 82.
si qua id ratione consequi potero, expedire tentabo. Quod credo difficile non erit, si priùs statuamus verba in quacùmque temporum differentia significare interdum non tam actum, quàm facultatem, habitum, seu consuetudinem, & honestatem agendi; vt docui pluribus ad illud Isaiæ cap. 57. num. 55. *Quia spiritus à facie mea*
E *egredietur: & flatus ego faciam.* Quia verò hæc alicui minus videbuntur expedita, exemplis id confirmare nonnullum esse operæpretium. De præsenti est illud Mariæ ad Angelum, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, Lucæ cap. 1. id est, quia virum mihi cognoscere non licet. Sic Malach. 1. *filius honorat patrem*, i. honorare debet. De tempore præterito eadem est ratio. De futuro res est obscurior. Sed neque exempla desunt, & primum illud est optimum, quod nuper ex Isaia produximus. Plura inuenies apud Riberam ad illud Malachiæ cap. 1. *filius honorat patrem*, vbi hanc tradit regulam, *Futura apud Hebræos sæpe debitum, aut decorum indicant.* Genes. 20. vbi vulgatus, *quæ non debuisti facere, fecisti nobis.*

REGVLA. *Actus primus pro secundo.*

REGVLA. *Tempus futurum debitum, aut decorum significat.*

A liorum tuorum immolasti sanguinem:

37. Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es; & omnes quos dilexisti, cum vniuersis quos oderas: & congregabo eos super te vndique, & nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam.

37. Ecce congregabo, & inuecham contra te Ægyptios, quos amaras, & quorum vires tuis adiungere studebas; item Chaldæos, quos vehementer oderas; efficiámque vt nuditatem coram illis ad ignominiam prodas, quam olim idolorum metaphoricæ libidini reuelasti: tam verò his, quàm illis turpis, & abiecta videberis.

38. Et iudicabo te iudiciis adulterarum, & effundentium sanguinem: & dabo te in sanguinem furoris & zeli.

38. Et quia adultera fuisti, & filiorum homicida supplicium subibis homicidæ,
B atque adulteræ, vtpote adulterij, atque homicidij rea. Sanguinis igitur abs te supplicium sumam, quale à sanguinaria adultera sumere solet sponsi zelotypi inflammatus furor.

39. Et dabo te in manus eorum, & destruet lupanar tuum: & demolientur prostibulum tuum: & denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui: & derelinquent te nudam, plenámque ignominia.

39. Illorum te potestati, atque immanitati permittam, qui suo de te arbitratu statuent: demolientur namque lupanar tuum, & notum scortationum tuarum diuerticulum; detrahent indumenta, & ornamenta alia, quæ tibi gloriam conciliabant, & speciem; relinqueris denique
C spoliata, & nuda; quamque turpitudinis, atque ignominiæ maximæ iure optimo pudere debeat.

40. Et adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladiis suis.

40. Qui sument de te supplicium, quod lex adulteris irrogari iubet: subibis enim lapidationem, & gladium à multitudine, quam contra te congregabo, quæ te & lapidibus obruet, & trucidabit gladio.

41. Et comburent domos tuas igni, & facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum: & desines fornicari, & mercedes vltrà non dabis.

41. Domos tuas incendio perdent; & quod accidet ignominiosum, & durum in conspectu mulierum plurimarum sub-
D ibis illud de tua intemperantia iudicium. Ac tandem attrita malis, & omnibus spoliata ornamentis desines aliquando familiares exercere libidines, & amatores tuos onerare muneribus.

42. Et requiescet indignatio mea in te: & auferetur zelus meus à te, & quiescam: nec irascar ampliùs.

42. Tunc autem zelus meus, atque indignatio cessabit; quia te deinceps, tanquam alienam aspiciam, de qua neque paterna cura, neque sponsi studium ampliùs laborat. Abstinebo igitur deinceps à flagello; neque vlteriùs in te zelotypiæ dolor, sicut antea, neque instimulata indignatio
E bacchabitur.

43. Eo quòd non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, & prouocasti me in omnibus his: quapropter & ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, & non feci iuxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis.

43. Quod sanè à me magno tuo merito patieris; quia oblita illius temporis, quando te in ætate prima sustuli, enutriuíque, nullam pro eo beneficio gratiam retulisti: immò his omnibus peccatis, quæ proximè commemoraui, furorem meum ad vindictam acuisti. Quapropter illud tibi supplicium infligam, quod illa via, seu vitæ ratio exigit, quam amplexa es. Neque tamen tecum summo iure agam; aut pro scelerum ratione æquales sumã pœnas.

44. Ecce 44. Qui

A

44. Ecce omnis, qui dicit vulgò prouerbium, in te assumet illud, dicens: Sicut mater, ita & filia eius.

45. Filia matris tuæ es tu, quæ proiecit virum suum, & filios suos: & soror sororum tuarum es tu, quæ proiecerunt viros suos, & filios suos mater vestra Cethæa, & pater vester Amorrhæus.

46. Et soror tua maior, Samaria, ipsa & filiæ eius, quæ habitant ad sinistram tuam: soror autem tua minor te, quæ habitat à dextris tuis, Sodoma, & filiæ eius.

47. Sed nec in viis earum ambulasti, neque secundùm scelera earum fecisti pauxillum minus: penè sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis.

48. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ eius, sicut fecisti tu, & filiæ tuæ.

49. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius: & manum egeno & pauperi non porrigebant.

50. Et eleuatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me: & abstulisti eas sicut vidisti.

51. Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit: sed vicisti eas sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.

44. Qui probè te nouerit, iactabit in te tritum illud, & vulgare prouerbium: *Exprimunt filij parentum mores*; atque ideò qualis mater fuerit, talem fas erit filiam iudicare.

45. Verè tu maternum redoles ingenium, verè in te materni viuunt spiritus: vt enim mater relicto viro nouis quotidie nuptiis delectatur, & filios proiicit, ac morituros relinquit, sic tu coniugali prodito, ac legitimo toro in alienam te fidem, & complexum dedisti; susceptos filios
B
tanquam alienos abiecisti, quod item fecerunt sorores, quibus nihilo fuisti melior. Fuit autem mater tua Cethæa, & pater Amorrhæus, quorum tu gentilicos, & barbaros mores imitata es.

46. Sorores autem tuæ duæ sunt, altera maior, Samaria, & vicina, atque subiecta oppida, quæ illi sunt pro filiabus, quæ te à sinistra parte respicit; altera minor, nempe Sodoma, quam habes ad dexteram, & quæ illius imperio subsunt ciuitates.

C
47. Ingressa es Samariæ, ac Sodomæ institutum, & viam; in quibus adeò te scelerate, atque impudenter gessisti, vt neque paulo quidem inferior fueris in peccando, immò aliquid videaris tentasse, atque fecisse scelestius.

48. Hoc ex me, ô Ierosolyma, iurato accipe: neque sororem tuam Sodomam, neque eius filias eò fuisse olim in peccando progressas, vt scelerum tuorum mensuram æquauerint.

D
49. Hæc fuit Sodomæ sororis tuæ impietas, & funesti casus certa materies; superbus spiritus, & inflatus animus, splendida, ac cibis onerata mensa; saturitas & abundantia, & tam ipsius, quàm filiarum eius otium, & quies. Adde his animum inclementem, & durum; cùm enim rebus omnibus ad satietatem affluerent, nihil tamen ex ea bonorum abundantia indigenti, ac pauperi porrigebant.

50. Assumpserunt insolentes spiritus,
E
& grauibus se abominationibus inquinarunt: atque ideo, vt tute satis nosti, illas aut omnino sustuli, aut procul è suis sedibus relegaui.

51. Et quidem Samaria, decem nempe tribus ab antiqua religione transfugæ, dimidio minus quàm tu peccatorum non admisit: vtramque autem sororem tuam longè superasti. Sic enim te in omne vitiorum genus proiecisti, vt nationes aliæ, quantumcumque delibutæ flagitiis, si tecum conferantur, innocentes videantur, & puræ.

52. Ergo & tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratiùs agens ab eis: iustificatæ sunt enim à te: ergo & tu confundere, & porta ignominiam tuam, quæ iustificasti sorores tuas.

A 52. Si sorores tuæ, quarum secuta es exemplum, immò quarum instituta, & mores profligatos peccando superasti, tam sunt grauiter, & ignominiosè mulctatæ; non est cur tu eosdem exitus, & ignominiam recuses, cùm illarum impietas, si cum tua comparetur, appellari iustitia possit. Portabis igitur supplicium, quod tua sibi poscit impietas, cùm illæ tam sint affectæ durè, quæ præ te iustæ, atque innocentes censeri debeant.

53. Et conuertam restituens eas conuersione Sodomorum cum filiabus suis, & conuersione Samariæ, & filiarum eius: & conuertam reuersionem tuam in medio earum,

53. Conuertam proculdubio, restituámque Sodomam, & regiones illi antè B subiectas. Conuertam item cum filiabus suis Samariam, quam à suis sedibus expuleram, & cum illis in tuos te fines aliquando restituam.

54. Vt portes ignominiam tuam, & confundaris in omnibus, quæ fecisti consolatus eos.

54. Ita tamen interea te suscipiam durè, vt ignominiam subeas, quam tua tibi flagitia pepererunt; & sorores tuas, quæ nunc grauibus efficiuntur incommodis malorum communione consoleris.

55. Et soror tua Sodoma, & filiæ eius reuertentur ad iniquitatem suam: & Samaria, & filiæ eius reuertentur ad iniquitatem suam: & tu, & filiæ tuæ reuertemini ad iniquitatem vestram.

55. Nihilominus soror tua Sodoma cum filiabus; item cum filiabus suis Sa- C maria ad antiquos fines reuertentur. Quibuscum tu quoque cum filiabus, id est, subiectis tibi populis ad patrium solum remigrabis.

56. Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo, in die superbiæ tuæ.

56. Adeò fuisti, ô Ierusalem, insipiens, ac stolida dum superbè de te cogitas; vt ante hoc tempus cognatæ, atque vicinæ Gentis casum non perhorrueris, neque illarum vnquam meminisse videaris, quarum imitabaris exemplum.

57. Antequam reuelaretur malitia tua: sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, & cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum, quæ ambiunt te per gyrum.

57. Tunc verò sororis tuæ nomen, & casum vsurpare cœpisti, cùm reuelatis D exitu non dissimili peccatis tuis, vexatio dedit intellectum; & in sorore tua calamitatis tuæ viuam quandam effigiem obseruasti. Neque id mirum, cùm apud vicinas Gentes, quæ te latè circumstant, tuam ignominiam prodideris, quibus iam ludibrio, atque opprobrio esse cœpisti, Syrias dico, atque Palæstinas, quæque illarum subiiciuntur imperio.

58. Scelus tuum, & ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus Deus.

58. Obdura aliquandiu, ô Ierusalem, & perfer ignominiam, dicit Dominus, & spe futuræ conuersionis mœrentem animum consolare. E

59. Quia hæc dicit Dominus Deus: Et faciam tibi, sicut despexisti iuramentum, vt irritum faceres pactum:

59. Maximè cùm hæc, quæ putantur infortunia, neque immeritò, neque ante tempus patiare; cùm iuramentum antiquum tam manifestè contempseris, & connubiale fœdus tam inuerecundè prodideris.

60. Et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ: & suscitabo tibi pactum sempiternum.

60. Obdura, inquam, & perfer, neque enim ego illius obliuiscar fœderis, quod tecum quondam inij, quando primùm te mihi in populum elegi, in diebus nempe adolescentiæ tuæ. Quod ego

61. Et pactum

pactum antiquissimum obsolescere, atque perire non sinam.

61. *Et recordaberis viarum tuarum, & confunderis: cùm receperis sorores tuas te maiores cum minoribus tuis: & dabo eas tibi in filias, sed non ex pacto tuo.*

61. Tu autem ingentibus à me onerata beneficiis & meam benignitatem, & tuorum scelerum magnitudinem agnosces, atque te superioris vitæ pudebit vehementer, cùm meo beneficio non solùm tu hæreditatem recuperes antiquam, sed etiam sorores, quæ à tua se priùs societate distraxere, quas ita tibi postea subiiciam, vt non tam sorores, quàm filiæ dici possint. Quod sanè tibi ex pacto non debeo; quia illud sæpè, atque inuerecundè violasti.

62. *Et suscitabo ego pactum meum tecum: & scies quia ego Dominus,*

62. Ego excitabo pactum, quod tecum olim percussi, quod iampridem extinctum, atque sublatum videri potuit, & tunc cognosces me Deum esse verum, & fidelem.

63. *Vt recorderis, & confundaris, & non sit tibi vltrà aperire os præ confusione tua, cùm placatus tibi fuero in omnibus quæ fecisti, ait Dominus Deus.*

63. Tua verò peccata cum dolore memorando repetes, tunc sic te peccasse grauiter pudebit; vt compuncta stimulis, præ confusione hiscere non audeas, cùm ita me benignum, & misericordem agnoscas; quando tot modis & peccatis offensus tam me tibi placatum, & propitium ostendo, dicit Dominus.

---

1. APVT hoc, si quidpiam aliud
graue est, plenúmque subamari
conuitij, quo Deus exagitat Ie-
rusalem tanquam multorum be-
neficiorum immemorem; & quo
plus habeat acerbitatis oratio, antiquas sordes
commemorat, quas è Chananæo genere contra-
xit. quas ita describit eleganter, & grauiter, vt
nihil videatur significari posse luculentiùs. Al-
legoria hæc à re sumitur nuptiali, vt pluribus
ostendimus ad illud Canticorum 8. *Sub arbore
malo excitaui te*. Erat autem hoc solenne, ac pe-
nè legitimum, vt in nuptiali fœdere præcepta
quædam à sponso traderentur connubialia, quo-
rum hoc erat vnum, vt sponsa apertè profitere-
tur, & ingenuè quòd in honore esset, & quòd
viueret, vni se debere sponso suo, à quo, cùm ia-
ceret in puerperij sanguine à parentibus dereli-
cta in abiectionem animæ, eleuata est, & susce-
pta molliter, ac denique ad Regnum, id est, spõ-
sæ nomen vsque prouecta. Ob eam igitur rem
iubebatur sponsa parentum obliuisci, à quibus
esset prodita, & in agro relicta quàm primùm
moritura; & amorem totum in sponsum con-
ferre, à quo salutem esset consequuta, & quem
in misero illo rerum articulo habuisset pro pa-
2. tre. Quare eo nomine appellare iubetur spon-
sum, quæ ipsius futura dicitur coniux. Ierem.
cap.3.v.3. *Amodo voca me pater meus, dux virgini-
tatis meæ tu es.* Vide quæ in illum Ieremiæ lo-
cum diximus in nostris commentariis. Hinc na-
ta solennis illa cæremonia, quæ sponsam iubet
patriæ, atque parentum abiicere memoriam, &
in vnum sponsum intueri, Psal.44. *Obliuiscere po-
pulum tuum, & domum patris tui; & concupiscet Rex*
(id est, sponsus) *speciem tuam.* & sponsus id sibi
deberi edicit sponsæ, quam suscitauit cùm iace-

Sponsa parentum suorum immemor totum amorem in virum confert.

Sponsus vocatur pater.

ret sub arbore, vbi illam genitrix enixa fuerat.
Cant.8. *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est
mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me vt si-
gnaculum super cor tuum, & signaculum super brachiũ
tuum.* Hæc omnia hîc latè, atque dilucidè à sacro
describuntur vate; quæ locis à nobis nuper con-
memoratis, vt lucis afferunt plurimum, sic etiam
ab illis vicissim non parum mutuantur lucis.
Vers.2. *Notas fac Ierusalem abominationes suas.*] 5.
Iam Deus quibus se modis Hierosolyma pol-
luisset, significarat his, quæ proximè antecesse-
re, capitibus; sed explicarat tantùm Ezechieli,
Nunc iubet vt eadem, explicata tamen, & am-
plificata magis referat ad Ierusalem, vt hinc tan-
dem incipiat erubescere, & in suiipsius cogni-
tionem descendere. Quare arguit illam, sta-
tuitque contra faciem suam, vt vel inuita co-
gnoscat, quid fuerit olim, quid à Deo benefi- 3
ciorum acceperit, quid denique pro tam aman-
ti, ac liberali animo fuerit remensa. ex his enim
ingrati animi apparet maximè, & ingrauescit
iniuria.
Vers.3. *Radix tua, & generatio tua de terra Cha- 4.
naan. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.*]
Hîc vt alibi millies, nota subauditur similitudi-
nis. Quare perinde sonat hic locus, ac si dixis-
set: Talis mihi visa es, ô Ierusalem, ac si nata
esses non ex Abrahami præclaro semine, sed ex
alieno, & barbaro, ex genere nimirum Chana-
næo, ex Amorrhæo videlicet satu, & Cethæo
cõceptu. Chanaan cõmune aliquid sonat natio-
nes videlicet illas, quas Chanaã aperuerunt; at-
que habitarũt posteri. Hi autẽ fuerunt qui Cha-
naanitidem terrã, id est, terrã promissionis incõ-
luerũt, quósque è suis finibus exegit Deus, vt eo-
rum loco succederent Israëlitæ, Gen.10.v.15. *Cha-
naan autem genuit Sidonẽ primogenitũ suum Hethæum,*

Chanaan quis.

& Iebusæum, Amorrhæum, & Gergesæum, & Heuæum,&c. Chananæam ergo appellat Hierosolymam, quia ex populis Chananæo nomini subiectis orta dicitur, ex Amorrhæo nempe patre, & matre Cethæa; quemadmodum si quis appellaret Hispanum, quia ex Toletano ortus est patre,& matre Hispalensi.

5. REGVLA. *Tunc aliquis dicitur filius, cuius exprimit mores, & ingenium.*

Est autem tam in sacra, quàm profana literatura frequens, vt ille eius dicatur esse filius, cuius exprimit mores & ingenium. Quare qui ingenio sunt tardo, atque ad ingenuam disciplinam indocili, nati dicuntur ex robore, aut ilice. Virgilius 8.Æneid.

Gensque virum truncis, & duro robore nata,
Queis neque mos, neque cultus erat.

Qui inhumano, & barbaro, ex leone nati, & tigride, & ex saxo, aut silice dicuntur. Ouidius lib.9.Metam.

——neque enim de tigride natus,
Nec rapidas silices, solidumve in pectore ferrum
Aut adamanta gerit: nec lac bibit ille leana.

Sic Seneca in Hercule Oetæo,

Quæ cautes Scythiæ, qui genuit lapis?
Num Titana ferunt? te Rhodope tulit,
Te præruptus Athos, te fera Caspia.

& omnium optimè Virgilius lib.4.Æneid.

——Duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaque admorunt vbera tigres.

6. Qui loquendi modus etiam in sacris literis non infrequens. Qui mores alunt viperinos, progenies dicuntur, aut genimina viperarum, primùm à Ioanne Baptista Matth.3.v.7. deinde à Christo Matth. 23. v. 33. & hîc iidem Iudæi, aut qui in eorum cœtu ingenium habebant Chananæum, semen appellantur Chanaan. Daniel. cap.13. v. 56. *Semen Chanaan, & non Iudæ, species decepit te.*

7. Sed roget hic aliquis, cur Ierusalem orta dicatur ex Chananæo, atque Cethæo semine. Sanè propter vitæ genus turpe, abiectum, & fœtidum, à vera religione alienum, atque ideo nefariis sacris, ac Religionibus addictum. Vt enim sæpe inclamant Prophetæ, & hic noster non raro, vicinarum Gentium superstitionibus sese implicuit Iudæorum non stabilis & constans, sed vagus, atque versatilis animus. Sed ego hîc aliquid video, quod propiùs facit ad id, quod in hoc capite proximè consequitur. vbi Ierusalem Chananæorum,& Cethæorum more in agro dicitur derelicta, vbi nata recens, & in obscœno materni puerperij sanguine volutata, vtique exposita feris, aut alioqui breui peritura.

8. *Gentilibus vsitatum filios perituros abiicere.*

Quam ad rem obseruo, vsitatum esse Gentibus, vt filios, aut quos alere non possent, aut quorum forma, ac species minùs placerent, in agris exponerent, aut alio quouis modo statim opprimerent, maximè si è sexu essent fœmineo, qui molestus potiùs in posterum, quàm vtilis fore videbatur. Quare pro his, quos patres seruatos esse vellent, deam constituerunt, quæ à leuandis infantibus, vbi primùm à materna prodiissent vulua, Leuanam appellarunt. De qua vide August. de ciuitate, lib.4. cap.11. vnde ortum apud Gentiles familiare illud *natos tollere*, seu *leuare*. quod idem valet, atque eleuare è terra; & in sinum excipere, quos aut dignos putarent esse vita, aut incolumes vellent. Terentius in Andria Act.1. scen.4. *Quicquid peperisset, decreuerunt tollere*: & in Heaut. Act.1. scen.1. *Si filiam pareres nolle tolli.* quod ita apud nonnullas nationes vsitatum fuit, vt legitimum penè fuerit filios recens natos, si illorum species nihil bonum pro-

Leuana dea pro leuandis è terra infantibus.

Tollere natos quid.

A mitteret, statim extinguere. Quod ita fuit olim Gentibus in vsu, vt Thebani seuerissimè cauerint, auctore Æliano de var.histor. lib.11. ne cui Thebano impunita foret infantium cædes, aut in syluis, & in agris expositio. *Lex hæc*, inquit, *Thebanorum rectissimè, atque humanissimè posita est, ne ciui Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudine abiicere capitis supplicio deuincta. Verùm si in extrema mendicitate pater sit constitutus, si mas sit, siue fœmina infans, cogitur eum statim à materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis afferre, qui acceptum alicui tradit leui pretio, cum quo pactum, & conditiones intercedunt, vt per suam fidem infantem alat, & adultum serui, vel seruæ loco habeat; sic vt alimentum, &* B *educatio seruitute compensetur.* Sanè Plutarchus in Lycurgo refert, ex ipsius instituto Lycurgi nutriendi liberos facultatem penes parentem non esse. Iubebat enim vt pater simul atque nati forent liberi, ad locum deportarent, qui Lesche dicebatur, vbi qui natu essent maximi de forma, atque habitu quasi arbitri iudicaturi consederant. Si quis esset pulcher, aliquidque imposterum promitteret boni, alebatur à patribus; qui ignauus apparebat, & inutilis patriæ, aut ignominiosus futurus, præceps mittebatur è prærupto loco. Quod nostra etiam ætate apud Gentiles vsitatum: Iaponiis enim, vt ex nostrorum literis accepimus, si minus habent ad alendos C liberos facultatis, vsitatum est fœtus elidere, maximè si fœmineos esse cernerent. At apud Iudæos sic erat inusitatum, vt in perdita etiam, ac profligata disciplina, nullo vnquam tempore contigerit. Quod docet Clemens Romanus lib.9. Recognit.non longè à fine. *Nunquam*, inquit, *apud eos* (Iudæos) *infans natus exponitur.* Quod item tanquam aliquid inusitatum, & nouum de Iudæis prædicat Cornelius Tacitus lib. 2. Iuxta hæc sensus erit. Fuisti ô Ierusalem relicta in materno sanguine, quasi non esses ex Israëlitico, sed e Chananæo genere.

9. *Thebanorum lex de non occidendis infantibus.*

Barbara lex apud Lacedæmonios occidendi infantes.

Iudæorum in alendis infantibus studium.

Secundò videndum cur cùm in Chananæo 10.
genere varij sint populi, cum Amorrhæis potiùs D comparat, ac Cethæis, quàm cum Pherezæis, ac Iebusæis. Rationes alias afferunt interpretes, satis ad quæstionem accommodatas: quia Amorrhæi Chananæorum fuere potentissimi; quique maximi Hebræis terrori fuerunt, cùm ad terram promissionis aspirabant. Quare in illis nationes aliæ septem, quæ in regione Chananitide consederant, intelliguntur. Vnde frequens est Amorrhæorum nomen, cùm de nationibus etiam aliis sermo fit. Amos cap. 2. *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum; cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus.* Genes. 15. *Nondum enim impleta sunt iniquitates Amorrhæorum.* Hæc ratio mihi valde pro-E batur; alia tamen excogitari posset non inepta; quæque magis mihi probaretur, si auctorum patrocinio non esset orbata.

Amorrhæi inter Chananæos fortissimi.

Et primùm, licèt strenui essent, ac fortes A- 11.
morrhæi, & gigantheo corpore, vt modò vidimus apud Amos; fuere tamen nationes etiam aliæ fortes, ac strenuæ, & Genti Israëlitidi formidabiles. De omnibus enim dictum videtur illud exploratorum Num. c.13.v.33. *Terra quam lustrauimus, deuorat habitatores suos: populus quem aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac, de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Atque ideo non putabã eam ob causam nationibus aliis datum Amorrhæi nomen. Sed ex omniũ Gentium cõsue-

tudine

tudine, propterea quòd Gens illa ingressuris terram promissionis Israëlitis primùm, aut inter primos occurrisset, vt constat Num. 21. Est autem visitatum vt primus locus, qui cognitus, ac subiugatus est; exploratæ primum alicui regioni nomen imponat. Sic quia pars illa orientalis, quam Indus perluit, & ideo India vocatur, ab antiquis explorata, & imperio veteri adiuncta est, fit vt omnis orientalis regio nominetur India; imò & quæcumque prouincia nuper inuenta, quantumuis spatij, imò quamuis totum cœlũ intercedat. Agnouere primùm Hispani ex his, qui Mahometanam insaniam secuti sunt, eos qui illam Africæ oram insederunt, quæ Mauritania dicitur, cuius habitatores appellantur Mauri; vnde factum est, vt Mahometanos omnes, vbicumque terrarum agant, Mauros appellent. Idem de Sinarum, aliarúmque trás Oceanum regionibus audio, quibus quæ primùm occurrit nauigantibus ciuitas, aut ora nomen dedit. Sic ego putabam Amorrhæos vocari, quicumque sedes illas occuparant Chanaanitidas, quia ex eis primùm occurrit Amorrhæus; aut quia illius, vtpote propioris, frequentius nomen audiebatur.

Regvla. Primus locus, qui in aliqua regione cognitus est, toti regioni nomen aliquãdo tribuit. India, cur vocetur omnis regio nuper inuenta.

Mahometani cur dicti Mauri.

12\. Sed quid de matre Cethæa? De hac sanè longè alia est ratio, & longè obscurior coniectura. Heb. pro Cethæa est חתית chitith. & ita conuertunt alij ferme omnes à vulgato Chetæa, seu Chetæa. Cur verò Cethææ Gentis mentionem præcipuè fecit? Quia Gens illa magis videtur in Venerem, & in omnem intemperantiam procliuis, ex quo in filiam aliquid deriuatur ignominiæ; etiam ipsa ex materno ingenio traxisse videtur nó absimile in Venerem studium. Quod ex eo videtur posse colligi, quia infrà vers. 49. Cethæa fœmina, cuius filia dicitur Ierusalem, deseruisse traditur virum suum; & alienum totum iniisse. *Filia matris tuæ es tu, quæ proiecit virum suum.* & quidem aliquid odorobatur impurum, ac fœtidum Rebecca in Cethæa fœmina, cùm dicebat Genes. 27. de sua filia Chet, quæ eadem est cum Chetæa, seu Cethæa. *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth; si acceperis Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.*

Cethæa fœmina libidinosa.

13\. Hic verò omittendum non est, quod putat Hieronymus, & cum eo alij non pauci, in terra Chanaan Ægyptum significari, vnde populus ille excitatus, & eductus est, cui hæc tam grauia intorquentur opprobria: quia Cham pater Chanaan, pater etiam illorum fuit, qui Ægyptum condiderunt, habitarúntque. Genes. 10. v. 6. *Filij autem Cham, Chus, & Mesraim.* Mesraim verò Ægyptum condidit, & suo inscripsit, ac notauit nomine. Ex quo fit vt terra Cham appelletur Ægyptus. Psal. 77. *Percussit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.* Et Psalm. 104. *Posuit in eis verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham.* Sed multa sunt, quæ hanc Hieronymi sententiam infirmant. Primùm quia is, qui Ægypto nomen dedit, nó fuit Chanaan filius Cham: Chanaan autem eam regionem incoluit, quam postea possiderunt Israëlitæ, & quæ ab ipso postea appellata est terra Chanaan, quam habitarunt Sidonij, Hethæi, Amorrhæi, &c. qui filij dicuntur esse Chanaan Gen. 10. v. 15. Deinde quia terra Chanaan promissa Abrahæ, Psal. 104. *Tibi dabo terram Chanaan funiculum hereditatis vestræ.* At Ægyptus promissa non est, neque vnquam ab Israële, tanquam a domino possessa.

Cham idem quod Ægyptus.

Chanaan non pertinet ad Ægyptũ.

14\. Quam speciem habuerit Hierosolyma, in eo

A statu, qui modò a Propheta describitur, nempe cùm primùm ex materna vulua decidit in terram; quam horridam, ignobilem, immundam, explicuit Plutarchus; cuius hic verba lubet ascribere, ex libro de amore prolis. *Nihil, inquit, est ita imperfectum, nudum, inops, informe, spurcum, vt homo a partu statim conspectus. Cui soli ferè ne exitum quidem in lucem mundum natura concessit, sed sanguine inquinatus, tabóque oppletus, & occiso magis, quàm nato similis. A nemine tolli, tangi, suauiari, & amplexu foueri potest, nisi natura in insitum gerente amorem.*

Infans statim à partu turpis, & immundus.

Vers. 4. *Non est præcisus vmbelicus tuus.*] Hæc, 15.
quæ minutim hoc loco de filia Amorrhæi parentis explicátur, aptissimè in eius fœminæ sortem, conditionémque conueniunt; de qua excitanda, atque nutrienda parentes cogitationem omnem abiecissent. Quem enim vsum præcisus vmbelicus afferret, aut vnctio ex oleo, aut duratio è sale illi, quæ è vestigio statim esset peritura. Hæc tria solere ab Hebræis infantibus præstari, docet satis hic locus; quorum aliqua in vsu etiam nunc sunt apud nationes alias. Præciditur autem in infantibus canalis ille siue fistula, quæ infantem ab vmbelico cum genitricis vtero coniungit, per quam à matre alimentum exugit, sicut per radices, & fibras arbor succum trahit è terra. Cùm autem iam aliter cibum capiat, atque traiiciat infans; & meatus ille ab vmbilico prominens molestiæ potiùs sit, & impedimento, quam vsui; statim, aut non longè pòst à matre, seu obstetrice demetitur. Species planè miserabilis spectare vmbelicatum infantem; sed à maternis visceribus auulsum; in eo statu, vt nihil deriuari possit à matre; neque aliunde trahere aliquid alimenti. Talis mihi apparet omni- 16.
no peccatrix anima, quæ à Dei visceribus diuulsa est sicut palmes à vite; à quibus vitale nihil sugit, & trahit, neque aliunde haurire potest salutare aliquid, & opportunum. Sed est etiam omnino miserabile spectare Ierusalem ciuitatem sanctam, in qua templum Dei est, & iuge sacrificium; cui nondum vmbilicus excisus est, per quem è Chananæo sanguine trahebat alimentum. In quo ego religiosi viri speciem intueor; qui vitam colere se putat ab omni terrena concretione alienam, & tam publica voce, quàm externo habitu profiteatur abiecisse se ambitiosos fastus, sæculares curas, & mundi delicias; & tamen retinet adhuc vmbilicum, per quem olim è Chananæo sanguine alimentum hauriebat, quia vt res abiecerit sæculares, quas neque tuto, neque saluo pudore retinere poterat, studiũ tamen illarum, & desiderium non abiecit. Adhuc sitit, adhuc animo deuorat, quod perinde omnino est; atque si adhuc in Chananæa vulua, tanquam fœtus nondum in lucem editus lateret.

Vmbilici quis vsus.

Symbolum animæ peccatricis.

Abnegatio.

E Illud præterea facit ad mores, quod fœminis, 17.
vt docet Gregorius lib. 32. Moral. c. 11. luxuries in vmbilico maximè prurit; quare dum vmbilicata dicitur Hierosolyma, libidinis profũdæ notatur. Et quidem sub hac metaphora talia audit à Propheta conuitia, qualia fortasse nullus de se vnquam audiuit.

Libidinosa fœmina.

Septuaginta aliter videntur legisse, pro שר sar, 18.
quod vmbilicum significat, שד sad, quod idem est, quod vbera. quos in eam cogitationem, atque sententiam adducere potuit duarum literarum similitudo maxima ר res, & ד daleth. Sic igitur illi, *In die, qua nata es, non alligauerunt mamillas tuas.* siue, vt alij legunt, *non allegasti.* Hieronymus dum hanc Septuaginta translatio-

nem in commentariis versat, ait, *Mater diligens statim atque nata fuerit infantula, ligat mamillas eius, vt à tenero tumore desistant, & pulchritudinem custodiant virginalem. Cum autem ad ætatem venerit pubertatis, dicetur de ea: Numquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ.* Quod si ita est, sanè infeliciter actum est cum illa infantula, cuius compressis mammis mater honestati non studet; neque rationem habet honestatis pudicæ, & virginei pudoris.

Mamillæ recèns natis puellis alligantur.

19. *Et aqua non es lota in salutem, neque sale salita.*] Aqua dicitur salutis, vel quia cui puerperij sordes lotione eluuntur, digna censetur vita: & cuius salutis diligens habeatur ratio: aut quia certum aquæ genus est recens natis infantibus salutare, quo obdurantur membra; & sese ab eo tempore ad firmitatem comparant. Quale audio nunc apud Germanos, & eos, qui sub Aquilonari cœlo viuunt, infantibus adhiberi solitum. Qua de re consulendi Medici, quorum hoc est proprium. Hebræorum magistri variè ea de re loquuntur. Rab. Dauid ad salutem lauari ideo putat, quia illud adhibetur aquæ genus, quod carnem lenit, redditque tractabilem, & mollem. Neque longè hinc abeunt Rab. Manaham, & Rab. Salomon qui sentit aqua, de qua hic sermo, lauari membra, quò molliora fiant, meliúsque ab obstetricibus tangi, & si quid est distortum, atque deforme, conformari possit.

Aqua salubris quæ.

20. Communiter alij cum Hieronymo censent, ideo apud Hebræos infantes lauari, vt ab illis mundentur sordibus, quas ex vtero contraxere materno. Quod ita quoque mihi visum est; existimo tamen eo modo esse conditam, aut ita à naturali frigore temperatam, ne quid infantili corpusculo afferre posset incommodi. Quare de quibusdam nationibus nimium in filiorum educatione seueris produnt historiæ consueuisse prolem, cùm primùm lucem aspexit, lauare frigida, aut statim ad proxima flumina deferre. Sic de Lacedæmonibus Plutarchus in Lycurgo, & de Italis, dura olim, atque in omne rerum pondus assueta Gente, in suo Numano docet Virgilius lib. 9. Æneid.

Infantes recèns nati cur lauentur.

Durum à stirpe genus, natos ad flumina primùm
Deferimus, sæuoque gelu duramus, & æstu.

Quod tamen Galenus de regimine sanitatis lib. 1. inhumanum vocat, & planè Scythicum. Modus tamen hic barbarus, molliorem aliquem esse docet; qualem sine dubio Hebrææ obstetrices recèns natam prolem prosequebantur. Ab hoc igitur salutari officio, maximéque ætati tum sordidæ, tum teneræ, atque infirmæ debito reiecta est, quæ è Chananæo, i. barbaro genere nata videri potuit. De hoc primo infantilis corpusculi lauacro vide Rhodiginum lib. 6. cap. 2.

21. *Neque sale salita.*] Quo adhibeatur modo hoc salis beneficium, obscurum est: neque quid in vsu fuerit apud Hebræos, satis exploratum. Hieronymus quo excipi modo infantes soleant, cùm primùm sic excipiuntur in lucem, sic exponit: *Naturale est, (vbi tamen parentum non deest diligentia) ortis infantibus primùm præcidi vmbilicum: deinde ad eluendum sanguinem lauari eos aqua; tertiò humorem corporum paruulorum salis adiectione siccari: quartò vt tenera infantium corpora pannis inuoluantur duplicem ob causam; vt & sale siccetur corpus, quod pannis ne defluat seruatur, & stringitur; & membra tenerrima ne facilè deprauentur.* Quo dicendi

Sale cur infantes saliti.

genere significat Hieronymus solere arido sale respergi infantile corpusculum, quando ideo dicit obuoluendum corpus, ne decidat sal. quod etiam à Galeno præceptum docet Rhodiginus lib. 6. c. 2. licèt viri non indocti de Galeni sententia dubitent. Auicenna perluenda dicit tenera infantium corpora aqua, in qua colliquatus sit sal, vt occallescat vmbilicus, & obdurescat cutis. Quid corpori in eo primo statu commodius, viderint Medici, vtrúque fortasse adhiberi solitum; neque respuunt Ezechielis in hoc loco verba: nam quod aqua salsa perfusum est, id dici etiam potest sale respersum. Sed quia salem purum, & aridum magis sonat textus, & viris etiam magnis non improbatur, hoc etiam nos cum ipsis teneamus.

Vers. 5. *Non pepercit super te oculus, vt faceret tibi vnum de his.*] Quid sit oculum parcere, diximus suprà ad illud cap. 5. v. 11. *& non parcet oculus meus.* qui loquendi modus familiaris est nostro Prophetæ, cuius vim verba, quæ succedũt proximè, declarant; *misertus tui.* Quod sanè miserrimæ fortunæ argumentum est, ita quenquam esse miserum, vt tamen alteri miserabilis non sit. Quod postremo loco posuit, & meo iudicio non abs re, qui sic inimico suo precatus est, 22.

Extrema calamitas miserum esse quenquam, & non miserabilem.

Sisque miser semper, nec sis miserabilis vlli.

Viderunt plurimi, vt modus iste loquendi significat abiectam metaphoricam hanc infantulam, illuuie fœdam, & grauiter olentem, in materni sanguinis impuro volutabro, nudam, ac denique si non mortuam, morituræ proximam. Neque tamen vllus aut lauit, aut inuoluit infantilibus pannis, aut denique excitauit ex puerperij sanguine, vsque adeò omnibus vilis visa est, atque indigna, quæ vitalem diu traheret spiritum.

Sed proiecta est super faciem terræ, in abiectione animæ tuæ.] *Facies*, vt sæpe diximus, ex Hebræorum idiomate nihil addit ad significationem, quare *super faciem terræ*, nihil est aliud, quàm *super terram.* sicut Genes. 1. *Super faciem abyssi.* & statim vbi vulgatus, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Heb. est *super faciem aquarum. Anima tua*, idem est quod *tu*, ex idiomate etiam Hebraici sermonis; vnde *qui odit animam suam*, idem valet, quod *qui odit se.* Quare *in abiectione animæ tuæ*, nihil est aliud, quàm abiectam esse, atque despectam Ierusalem; & ideo fuisse morti propositam. Aut, quod idem ferme est, & fortasse verius, relicta fuisse dicitur in sordibus suis; quas scilicet secum extraxit ex materna vulua, secundinas puta, aut olidum, & obscœnum sanguinem. Nam quod vulgatus reddidit *in abiectione*, Heb. est בגעל *begoal.* quæ vox immunditiam significat, maximè illam, quæ à partu est. *In abiectione itaque animæ tuæ*, idem est, quod in sordibus tuis, aut in impuro puerperij proluuio. 23.

Facies pro eo, cuius est facies.

Anima pro eius, cuius est anima.

In die qua nata es.] Amplificatio est conditionis miserrimæ, quam habuit Ierusalem, quæ nullum videtur hausisse spiritum non odiosum: cùm vix dum nata, deuota iam esset instanti morti. Sunt quidem infelices, qui aliquandiu post ortum occiduntur, quia hi post breuem vitam vitæ sublati, vix vllum habuere fructum eorum, propter quæ in lucem videntur homines suscepti. Quod Indi, ac Brachmanes, autore Strabone lib. 15. faciunt, apud quos statuti Iudices, qui de pueri recèns nati forma, atque habitu cõiectura capta, si minùs reipublicę videtur futurus, ex vsu extingui iubent; quod tamẽ faciunt, post duos ab ortu menses. At qui nati videntur non tam 24.

Infantes vbi cu primum nati extinguuntur. tã ad vitã, quàm ad sepulcrum; vtpote ex vtero A ad tumulum translati, hi magis videntur infelices, quales, vt suprà dicebamus, ex Lycurgi legibus fuere Spartani, & vt tradit Halicarnassæus lib.2. ex institutis Romuli, passi sunt Romani, apud quos eodem mactabantur die, aut etiam hora, qui ex forma censebantur magis futuri reipublicæ impedimento, seu offensioni, quam vsui, seu subsidio. Talis dicitur fuisse Hierosolyma, quæ eadem qua in lucem prodiit die, proiecta est in abiectione animæ. Ideo non sine epitasi dicitur, *In die qua nata est.*

25. Vers.6. *Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo.*] Cùm in Deo nihil casu fiat, sed summo consilio, tamen hîc Deus humano loquitur modo, vt sæpe alibi solitus; vt magis extremum declaret Hierosolymæ statum. Non enim omnino infelix censeri debet is, cuius dolor alienum tangit animum, qui de illius fortuna releuanda sollicitus est. At ille, qui sic iacet abiectus, vt de illius salute laboret nemo, neque liberari à quoquam speret; nisi casu eò appellere contingat, vbi ipse extrema omnia timet; ille, inquam, verè misertimus est. Id significare videtur hic loquendi modus, *Transiens autem per te.* quasi Deus, dum aliquid aliud ageret negotij, in infantulam illam, eo modo iacentem incurreret, ab omni prorsus auxilio destitutam. Cùm ergo Deus quasi aliud ageret, spectaret puellam illam vixdum natam in materno sanguine volutari, misertus illius, cùm antea nemo eius vicem, & statum doluisset, illa præstitit molli, ac liberali animo, quæ postea graui narratione commemorat.

26. Hæc mihi magis videntur, tum ad textum, tum ad miseram Hierosolymæ sortem; sed verbum עבר *abar*, licet transire plerumque significet, indicétque aliquid, potius fortuitò, quàm consultò, ac deliberatè susceptum; tamen aliquando his etiam accommodatur rebus, in quas consilia nostra destinamus. Genes.18.v.5. *Ponam bucellam panis, & confortate cor vestrum: idcirco enim declinastis.* Heb. *transiuistis*, id est, venistis ad seruum vestrum. Thren 4.v.21. *Adeò quoque perueniet calix.* Heb. *transibit.* Heb. non est participium *transiens*, sed futurum cum *vau* conuersiuo, quod præteritum valet. Et tunc etiam aliquid apparet à singulari beneuolentia profectum. Venit enim Deus, vt spectaculum illud longè miserabile videret, infantulam desertam ab aliis, conculcatam in sanguine, quæque sibi propter imbecillam ætatulam cauere non poterat. Cùm verò mitissimum illud pectus tanta misellæ calamitas altè confoderet; subueniendum illi quamprimum statuit, dixitque *viue.*

27. *Dixi tibi, cum esses in sanguine tuo, viue.*] Beneficium amplificat ex loco, & tempore; cùm enim in eo esset temporis articulo, vt nihil haberet ad mortem vel modicè differendam virium, & in agro deserta à nemine sperare posset auxilium; dixit illi *viue*, quod perinde est, atque si iam foret mortua, & ad vitam, quam iam videbatur amisisse, rursus excitaretur. Hoc porrò dicendi genus, quod aliis id tanquam auctoribus videtur ascribere, quod ab aliis ortum, & communicatum est, vsitatum est maximè cum de Deo sermo, qui quod iubet fieri iubendo facit. Sic Deuter.32. dixit Moysi Dominus, *morere in monte*, quod perinde est, ac si diceret, faciam vt in monte moriaris; sic modò dixi tibi *viue*, id est, feci vt viueres.

REGVLA. *Id ab aliis fieri dicimus quod alij in ipsis faciãt.*

Dixi, inquam, in sanguine tuo viue.] Iterat eandem sententiam non sine epitasi; quasi magni beneficij pondus habeat audiisse fœminam vix dum natam, & proximè morituram vocem illam magni testem amoris *viue.* quasi nolit Deus tantæ humanitatis in hominum animis memoriam senescere. Sed aliud hîc etiam significari credo beneficium eximium. Est sanè magnum, hominem iamiam lacerandum à fera, aut occidendum à latrone, aut periturum suspendio abscisso laqueo à morte liberare; at qui hoc præstat beneficium, nihil sibi præterea oneris assumit. Sed qui de vita dignitatéque laborat fœminæ, quæ ex materna vulua magis ad tumulum, B quàm ad vitam edita videbatur; ita vt necesse sit sordes abluere, vmbilicum præcidere; & donec aliquid firmitatis, ac roboris accesserit ætatulæ, perferre longum, & quasi naturale fastidium, id verò magnum est singularis beneuolentiæ documentum. Quod planè fecit Deus cùm populum suscepit Israëliticum, quem non modò tanquam nutrix in vlnis, sed etiam tanquam mater in vtero portauit. De quo sic Deus apud Isaiam cap.46.v.3. *Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua.* Et de Ephraim Oseas c.11. v.3. *Ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* 28.

Dei beneficia non imperfecta, aut manca.

C Hic ego duo obseruanda censeo, antequam hinc emergam. Alterum est, existimare plurimos hæc esse referenda ad tempus illud, quo gens Israëlitica in sua quasi infantia iacebat, quasi in suo sanguine moritura, cœnosa nimirum, & immunda, vtpote duris, ac sordidis addictam ministeriis, fingendis nempe laterculis è luto; & eò adducta miseriæ, vt masculam prolem elidere tyrannico præcepto cogeretur. Ex eo tamen loco, ac rerum angustiis excitata est à Deo, & ad Regni vsque dignitatem euecta. Quam ego sententiam non improbo, imò potiùs ex vtroque Israeliticæ Gentis statu, atque fortuna, ortos existimo nuptiales ritus, vt docuimus super Cantica Proleg.3.num.19. Ex quo statu excitauit D Deus: at quia exules pro mortuis censentur, maximè vbi in exilio quotidie occursat moriendi necessitas, & votum, dixisse videri potuit Dominus illud iteratum sæpius in hoc capite verbum, *viue.* 29.

Alterum est, vt docet hoc loco Hieronymus, in hoc infantis moriture symbolo vim exprimi, naturámque Baptismi. Nascitur homo sordidus ex Cethæa matre, in eo statu, vt audire meritò possit à viuificante virtute, *viue*; à sordibus abluitur, & quia vetus homo moritur, vt in renato Christus viuat (vnde neophytus renuntiare iubetur Satanæ, & pompis eius) ideo statim vmbilicus præciditur, per quem ex antiqua matre E lugebat alimentum. Sale aspergitur, & vestimentum accipit candidum animæ iam viuentis insigne; quod item, vt statim audies, datur excitatæ iam ad vitam infantulæ. Et ne quid desit ad perfecti symboli veram imaginem: sicut hic sponsa, vt habes v.9. postquam à materni sanguinis sordibus purgata est vngitur oleo: sic infans in piacularis lauacri sacro Baptismate oleo perungitur. 30.

Baptismi figura, & vis.

Addo ad extremum respexisse ad hunc locum, imò & expressisse illud, atque explicuisse Paulum ad Ephes. cap.5.v.15. vbi cùm ageret de Ecclesia, cui talia dicitur Deus præstitisse, qualia nunc ab eo munera accepit abiecta hæc sordida 31.

lem thalamum. Mihi visum est secus. Cùm enim ad illam ætatem peruenit gens Israelitis, nuda non erat, aut confusione plena; iam ex Ægypto emerserat, iam Deo ducente triumphantis in modum per desertum incedebat, iam præparata ad nuptias, quas quinquagesimo ab egressionis die cum Domino iniit: quare inornatam esse eo temporis articulo, non videtur esse posse non ignominiosum tam ingenuo, ac liberali sponso. Neque præterea decebat, vt qui alienam filiam ex Amorrhæo, ac Chananæo genere, aluisset pro sua, ad illam vsque ætatem, in qua turgebant iam plena, & matura nuptiis vbera, nuda relinqueretur, & despicabilis. Et quidem iuuentus populi Israelitici, quæ hîc in turgentibus mammis significatur, tunc accidit, quando primùm egressus est è seruitute Ægyptia: Oseæ cap. 2. *Et canet tibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.* vbi illud &, expositiua particula est, quasi dicat, *id est, iuxta dies ascensionis.* & Ieremias cap. 2. *Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ; quando secuta es me in deserto.*

Adolescẽtia populi Hebrai quæ.

37 Quare existimo hanc adolescentulam admoneri hîc, quando ornata dicitur geniali, atque splendenti cultu, vt memoria repetat pristinos dies, quando tam aberat longè ab his deliciis, vt nuda potiùs esset, & ad summam commiserationem, & dedecus materno conspurcata sanguine. Quasi dicat, cùm videris intumuisse vbera in ætate florenti, & ornamentum te iam habere nuptiale, memento illius temporis cùm nuda fuisti, & illuuie fœda; & iamiam proximè moritura.

38 In hanc me cogitationem omnino cogunt duo alia loca huic quàm simillima, in hoc ipso capite; quæ nisi in hanc sententiam exponas, non apparet quomodo in aliam assumi, aut etiam detorqueri possint. Alter locus est versu octauo, & 9. *Ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi*, (nempe sponsa) *& laui te aqua, & mundaui sanguinem tuum ex te.* Certum est tunc puellam illam non fuisse mundatam à sanguine, atque aliis puerperij sordibus, in iuuentute, de qua tunc erat sermo; sed in die qua nata est; vt principio vidimus. Quasi dicat, vt cognoscas, quantum mihi debeas, quòd te mihi ad genialis thalami consortem asciuerim, recordare, quemadmodum te purgarim à sanguine; cumprimùm te barbara mater enixa est. Alter locus est v. 23. *Non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda, & confusione plena, conculcata in sanguine tuo.* Quis credat, si modò principium capitis legerit, in adolescentia fuisse nudam, & in sanguine suo conculcatam Ierusalem? nisi in adolescentia aliquid intelligas aliud, de quo suo loco postea.

39. Vers. 8. *Et transiui per te, & vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium.*] Eduxit Dominus Gentem Israelitidem ex seruitute Ægyptia, vbi non aliter erat abiecta, quàm puella, de qua nuper, in materni sanguinis volutabro. Tunc vtpote in Chananæo sanguine, aut Ægyptiis sordibus infecta, minùs erat apta connubio; sed diuino beneficio eò progressa est, vt expeti iam posset ad nuptias. Ait ergo Deus venisse se ad illam, quo tempore iam esset habilis hymenæo, ac thalamo, quod hîc tempus appellat amantium; quia tunc amatores, aut proci ambire solent, & ad vincula accersere iugalia tales adolescentulas.

40. Pro *amantium*, Heb. est דודים, quod varij variè vertunt. Symmachus *tempus dilectionis* conuertit, Theodotio, & Aquila, *tempus vberum*, Septuaginta *tempus diuertentium*, id est, procorum, qui virginis domum sæpius frequentant, ibíque sunt assidui, quo illius aucupentur nuptias. Aquila in secunda editione, tempus συναλλαγῆς, id est, commercij, commutationis, quia nimirum coniuges mutuo se emunt, & libertatem libertate commutant. Sed est, vt apparet, sensus idem, licèt loquendi modus, atque metaphora diuersa.

Et expandi amictum meum super te.] Hæc erant apud Hebræos olim, & nostro etiam tempore nuptiarum solennes, ac legitimi ritus, de quibus nos pluribus ad illud Cant. 2. *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi.* Vbi diximus in vmbra significari posse vmbellam, seu pallium quatuor suspensum virgis, sub quo nuptiali more, coniuges fœdus ineunt connubiale, vnde ortum videtur obumbrationis nomen. Vide Eliam in Tisbi, & Dauidem de Pomis, vtrunque in voce חפה chuphah. qui dicunt hoc, & vsitatum fuisse olim, & nunc etiam Hebræis esse legitimum. 41.

Obumbrari quid in re nuptiali.

Sed credo *amictum* hoc loco non tam significare vmbellam illam, quam Hispani *cœlum* vocant, aut *pallium*; alij *Baldachinum*, quam pallij partem extremam, quam pinnam vocant; seu alam, & id potiùs significat Hebraica vox כנף keneph, quæ non tam vmbellam, quàm pallij sinus defluentes exprimit. Id sanè constat ex Ruth cap. 3. vbi expanso supra se pallio Ruth coniugium expetiuit: *Expande*, inquit Ruth ad Booz, *pallium tuum super famulam tuam: quia propinquus mihi es.* id est, me vxorem accipe. Ita putat Lyra in hunc locum Ruth, & Hieronymus Prologo in Oseam. Neque id Hebræis proprium est, sed cum aliis etiam Gentibus commune. Refert enim Euripides apud Stobæum, verba parentis, qui filiam nupturientem sic alloquitur, *Cùm sub egregij viri pallium veneris, reliqua studia viro finito.* Et quidem hæc cæremonia satis exprimit matrimonij naturam, quod vnitatem amat; & communia facit omnia; genúsque fœminarum imbecillum virorum protectioni commendat. quæ omnia idoneè repræsentat fœmina sub viri pallio, quod iam vtrique commune fit, & auxilium aliquod, quod est ab amore, & vmbram familiarem, & assiduam importat. 42.

Sponsi palliũ supra caput sponsæ.

Et operui ignominiam tuam.] Hîc aliqui expanso amictu aliquid putant esse opertum, quod turpe foret non esse velatum, maximè in virgine; quod licèt cum Hieronymo sentiant neque pauci, neque ignobiles, mihi tamen nunquam persuadere potui, in eo statu fuisse Hierosolymæ adolescentiam, vt eam ignominiam subierit; quam sustinere non possunt illæ etiam, quibus pudicitia quæstuaria est. Sentio ergo ignominiam hoc loco esse opprobrium illud, quod sustinent innuptæ, atque infœcundæ fœminæ, cùm ætate sunt iam matura thalamo. Erat Iudæorum fœminis probro, si infœcundæ essent, Deut. cap. 7. *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus;* aut etiam si vitam agerent expertam nuptialis tori. Quare filia Iephthe solenni forma, ac publica virginitatem suam deplorauit; quòd ipsi interceptus esset ad thalamum, & ad prolem aditus. Sanè opprobrium à se repellere studebant septem illæ mulieres, de quibus Isaias cap. 4. quæ septem numero vnius viri expetiere coniugium, dicentes; *Aufer opprobrium nostrum.* Quod etiam in hoc eodem rerum vestigio optabat sponsa, 43.

Sterilitas Iudæis ignominiosa.

sponsa, cùm venire ad sponsi complexus, nuptialiaque sacra cupiebat, ne cuipiam deinceps esset despicabilis, Cant. 8. *vt deosculer te* (id est, sim tibi vxor, cui honestum osculum à viro libatum) *& iam me nemo despiciat.* Neque tantùm puellis dedecori erat, & pudori, si iam adulta, & nubilis non esset viro copulata, sed eorum etiam parentibus: si rem vsqueadeo naturæ necessariam in longum distulissent. Id ex Paulo colligo, 1. Cor. 7. *Si quis*, inquit, *turpem se videri existimat, super virgine sua, quòd sit superadulta*, &c. Dicitur autem *superadulta*, quæ iam ætatem illam excessit, quæ nubiles facit esse virgines. Ita Baronius in apparatu, qua ratione probat B. Virginem annos natam quatuordecim nupsisse Iosepho, vt est communis in Ecclesia sensus; quia ea ætate virgo incipit esse matura connubio: & indicat Theophylactus, & Syrus. Hinc credo non difficile constat, quid sit ignominiam virginis cooperire, nempe connubiali fœdere illud auferre dedecus, quod maturæ virgines, neque tamen vinculis, astrictæ coniugalibus subeunt, non solùm ab ignobili, atque imperito vulgo, sed ab iis etiam, quibus aliquid existimatur esse prudentiæ.

Parentibus ignominiosum si grandem filiam innuptam habeant.

44. *Et iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum.*] In pacto plerumque, in eo præsertim, in quo maxima intercedunt rerum momenta, interponi solet iurisiurandi religiosa fides: quam non defuisse in hoc connubiali fœdere docet Dominus, vbi suam humanitatem ostendit, cùm sponsus magis videri velit, qui aliquid sonat amatorium, & æquale, quàm Dominus, in quo seuerum est aliquid, & obseruandum magis. Hoc verò pactum siue sit, quod iniit cum populo, cùm adhuc esset in Ægypto; siue, ad montem Sina, cùm data fuit lex, in qua præcepta continentur connubialia, quæ ab sponso audire, atque admittere solet noua nupta; & vbi dotem accepit ab sponso de more (vineam videlicet vberem, & latam, qualem datam sibi prædicat sponsa Cant. 8. terram videlicet promissionis lacte, & melle manantem) iuramentum à Domino firmatum est. Quale verò iusiurandum fuerit, non omnino certum; interuenisse autem nefas est dubitare; cùm id nunc apertè dicat Dominus, & repetat sæpius, cùm dicat iuramento regionem illam, id est, dotalem hæreditatem se populo, quem sibi nuptiali fœdere copulauerat, tradidisse. De dote verò fuisse illud iuramentum, docet
45. hìc Hieronymus. Sed credo in illo verbo, *Ego Dominus*, vim contineri iurisiurandi, quia Deus suam interponit fidem, quæ cùm diuina sit, vim obtinet, ac pondus iuramenti. Quod mihi ideo persuadeo, quia Deus iuramento promisisse se dicit Abrahamo terram promissionis; Exod. 6. v. 6. & Exod. 32. v. 13. Sed nullum apparet in promissione iuramentum aliud, nisi *ego Dominus*. Genes. 15. v. 7. *Ego Dominus qui eduxi te de Hur Chaldæorum, vt darem tibi terram istam*. Hoc verò verbum interposuit, cùm adhuc esset populus in Ægypto, per Moysem, quem ad connubium illud mysticum habere voluit tanquam pronubum. Sic ergo ad illum Exod. 6. v. 6. *Dic filiis Israel: Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute, ac redimam de brachio excelso, ac iudiciis magnis. Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus.* (hoc planè est coniugale pactum). Interposuisse item videri potuit Exod. 19. v. 4. ad montem Sina, vbi data lex est, & populus connubialibus præceptis, ad seruandam

Ego dominus, Dei iuramentum.

A sponso coniugalem fidem eruditus. Nam cùm verba pacti posuisset, admisisétque populus nuptiali more; vbi ratum videtur fœdus, & pars vtraque legitimè ligata; & legem tradere aggressus esset cap. 20. quæ fœdus illud esset conseruatura, sæpe repetit, *ego Dominus*. De hoc tempore videtur loqui Deus hoc loco; quia clariùs videtur oblatum pactum, & acceptum populo. Cùm enim dixisset ibi Dominus, *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & Gens sancta.* Statim subditur, *Respónditque omnis populus simul, cuncta quæ locutus est Dominus faciemus.* Hoc
B rursus pactum instauratum est Exod. 24. v. 7. Sanè licet supradictis locis, vbi pactum videtur initum coniugale, iusiurandum expressum non apparet, tamen intercessisse persuadet, quòd dotalis hæreditas alibi sæpe cum iuramento promissa est. Exod. 6. *Induxerim vos in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam.* & cap. 32. v. 13. *Recordare Abraham Isaac, & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro.*

Deus quando dispensauit sibi populum.

Ex hoc pacto nempe connubiali, & nuptiali iure, multi oriuntur in Scriptura dicendi modi, qui nuptialem fidem, aut apertè produnt, aut
C obscurè indicant. Quoties enim à Dei veri cultu populus ille recedebat ad vana simulacra, adulterari dicitur, quæ vox violatum fuisse torum legitimum ostendit. Et idola tum alibi, tum in hoc loco non rarò, amatores dicuntur, & adulteri. Et quæ de sponsa dicuntur, cùm adhuc fidelis est, illa de hoc populo sæpius audiuntur, Deuter. 7. v. 7. *Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, sed quia dilexit vos, & custodiuit iuramentum, quod iurauit patribus vestris.* Deuter. 10. v. 14. *Patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amauit eos.* Alia frequenter occurrunt his affinia.

46. *Idololatria, quare dicitur adulterium.*

D *Et facta es mihi.*] Modus hic dicendi, vt docet hìc Hieronymus, & multis confirmat Pradus (quod nos etiam probauimus ad illud Isaiæ 46. *Facta sunt simulacra eorum bestiis*) coniunctionem significat nuptialem. Ruth cap. 4. vbi vulgatus habet, *Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem.* Heb. est, *accepit Ruth, & facta est ei.* Oseæ cap. 3. *Non fornicaberis, & non eris viro.* & paulo pòst v. 15. *Exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, vt eius fieres.*

47. Regvla. *Esse alicui, aut fieri, vox coniugalis.*

Hinc disces Dei benignissimum ingenium; satis videretur humanus, & clemens, si quam morti iam proximam excitarat è sanguine, & ad ætatem illam nubilem prouexerat, habuisset an-
E cillam, eximio illo beneficio, & multorum annorum nutricatione coëmptam. Minus certè laboris, & studij ponebant Thebani in alendis infantibus alienis, quos alioqui parentes erant occisuri, & tamen lex infantes illos addicebant seruituti, qua mortem sibi impendentem redimebant. At Deus non seruos esse vult ignobilis, ac duræ conditionis, sed consortes thalami; & ideo appellat sponsas, quæ vox societatem sonat, & æqualitatem. Vnde Regis sponsa Regina dicitur; idque quod ad se attinet, futurum esse perpetuum, iuramento confirmat. Et adde cum iuramento adesse quoque ritum illum, qui iuxta Hebræorum consuetudinem, firmitatem maximam fœderi conciliat; vbi cum iuramento, cum

Dei eximia benignitas.

Peccatoris spei firmamentum.

cum solenni, atque sanguinaria cæremonia reperitur etiam exsecratio. Quasi malè suo capiti precetur ille, qui violati fœderis arguatur reus. Vide Leuit. cap. 24. vbi sacrificij, imò sanciendi fœderis forma describitur, occisis victimis, & tam altari, quod Deum repræsentabat, quam nonnullis è populo sanguine respersis.

49. Vers. 9. *Et laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te.*] Hæc, vt dixi num. 38. referenda sunt ad tempus illud primum cùm excitata fuit è puluere, & à sanguine mundata Hierosolyma, vt è duorum temporum comparatione splendescat magis Dei misericordia singularis, quæ iacētem in obscœno puerperij sanguine, ad splendoris regij maiestatem traduxit. Quasi dicat sponsus, facta es mihi sponsa; quam tamen ego priùs mundaui è cœno, & sanguine; & ab eo excitaui rerum articulo, quo nihil videbatur cogitari posse miserius.

50. *Et vnxi te oleo.*] Hæc etiam ad tempus primum refero, quo Hierosolyma proiecta fuerat in abiectione animæ suæ; vbi post præcisum vmbilicum, post lotionem aquæ, & acrioris medicamenta salsuræ ad leniendam cutem, quam asperarat, durarátque salsugo; adhibita sunt ex oleo magis lenia, atque benigna fomenta. De oleo nihil audiuimus in principio, sed non est verisimile illud omissum esse beneficium, quod infantili ætatulæ fore videbatur non importunum. Scio oleum, id est, vnguentum stillatitium, & odoratum ad geniales, & nuptiales epulas adhiberi solitum, eámque non esse leuiorem partem ad thalamum, seu mensam, vbi cubant, siue accumbunt noui coniuges; sed si de illo nuptiarum tempore sermo foret, aliarum etiam deliciarum meminisset Deus; quæ pro tanti sponsi dignitate, atque opibus, non poterant esse non eximiæ. Sicut statim v. 18. inter nuptialia dona, quæ ibi connumerat, olei quoque, & thymiamatis meminit.

Olei fomenta infantibus adhibita.

51. Vers. 10. *Et vestiui te discoloribus.*] Complexio est, atque explicatio mundi muliebris; id est, eorum ornamentorum, quæ amant, curántque lautæ, atque elegantes puellæ, de quibus Isaiæ c. 3. & in toto libro Canticorum Salomonis. Biscolor, seu polymita, ac deaurata vestis illa est, vt opinor, à qua sponsa dicitur *circundata varietate*, Psal. 44. de quo nos pluribus Cant. 4. num. 4. quæ intexta est liliis, aliísque floribus, opere phrygio, atque plumario, quæ à Græcis κυρτωδὴς appellatur. Hæc verò vestis extima est, & reliquis ornamentis inijcitur. Vbi vulgatus *discoloribus*, Heb. est רקמה *rikma*, quod Hispani ab Hebraica origine *recamados* appellant. Hieronymus eandem vocem modò reddit *versicolores*, modò *multicolores*, interdum *polymita*, nonnunquam *scutulata*, aut *plumaria*, cúmque variis modis picturata esse possit, ac varia vestis illa multicolor, siue sutilis, siue textilis, hanc tamen varietatem in quocumque genere optimè explicat רקמה, quæ varietatem sonat, modum, aut artem non definit.

Vestis varia, ac discolor in nuptiis.

52. *Calceaui te ianthino.*] De calceamentorum elegantia, quámque in illis sibi placent fœminæ, ostendimus ad illud Cant. 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis.* & in cap. 3. Isaiæ ad illud, *ornamentum calceamentorum.* vbi hac de re non pauca. Hìc tantùm de calceamentorum colore Propheta loquitur. Sed quia color ille nobilis est, & ad geniales delicias, existimo hic quoque non defuisse ornamenta alia, quæ in elegantium fœminarum calceis commendantur; quales sunt splendentes laminæ, à quibus calcei squammati dicuntur, aut aliquod aliud crotalorum genus, à quo fœminæ in incedendo plaudere dicuntur, Isaiæ cap. 3. Porrò vbi vulgatus *ianthino*, Heb. est תחש *tachas*; quod taxum esse putant Hebræi; taxum inquam animal, cuius pellis putatur esse pulchra, quæ fortasse ianthini coloris est, aut eum colorem frequenter, atque speciosè bibit. Translatio Hispanica pro ianthino, habet *tabas*, quod animal est, quod ab Hispanis voce ab Hebraica modicè deflexa dicitur *tesson*. Confert hìc ianthinos calceos cum pedibus nudis, quos gestare solent ancillæ; & quæ ærumnosam subeunt conditionem, & hinc disce quid sperari possit à Deo, qui quod vilissimum est in homine tam luculenter exornat.

Calceorum elegantia in nuptiis.

Et cinxi te bysso.] Sponsa tunicam gestat candidam; cui inducitur vestis illa polymita, & varia, quam proximè appellari diximus discolorem: de qua nos in Cant. ad illud cap. 1. *Collum tuum sicut monilia.* Probat illud Apocal. 19. v. 7. *Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se. Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido.* Et si qua fides habenda est non tam Philoni, quàm Pseudophiloni de Antiquitatibus Biblicis (in quo ego meras nugas, & ex Rabbinorum cerebro commenta reperio) sponsæ pro nuptiis tunica dabatur candida. Sic enim ille de filia Iephthe, cùm suam defleret virginitatem, quia graue existimabat ad nuptiarum dignitatem aditum sibi morte præcludi. *O mater, inquit, in vano peperisti vnigenitam tuam: quoniam factus est infernus thalamus meus: confectio omnis olei, quod præparasti mihi, effundetur: & alba, quam neuit mater mea, tinea comedet eam.* 53.

Philonis, seu Pseudo Philonis in antiquitatibus Biblicis nulla fides.

Hoc mihi certum, illud dubium, quid propriè byssus sit: nam ea de re variæ sunt auctorum, atque interpretum sententiæ. Mihi maximè videtur probabile byssum speciem quandam esse lini nobilissimi, & ex eo quodcumque aliud lini genus byssum appellari. Nam hoc nomen datum esse filis, aut telis natura diuersis, satis constat ex his, quæ mox dicemus. Quidam existimant byssum herbam esse, cuius succo linum inficitur, quod byssum, aut byssinum vocamus, quia sæpe byssus cum purpura coniunctus inuenitur. Prouerb. vltimo, *Byssus, & purpura indumentum eius.* & Lucæ cap. 16. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & bysso.* Sanè Theocritus in Pharmaceutria byssinum colorem esse dicit; & ita censet Suidas, & Hesichius, vterque in voce βύσσος, vbi dicunt byssinum esse vestimentum. Alij byssum non putant esse candidum, neque lini speciem, sed filamenta quædam, quæ è pinnarum conchis (genus illud est piscium) extrahuntur, ita putat Rondeletius lib. 1. de Testaceis, cap. 48. Pausanias non putat bysso inesse candorem, sed subflauum aliquid, aut rubrum: dicit enim in Elide nasci byssum ea tenuitate, vt ne Iudaicæ quidem bysso cedat, nisi quòd minus rufer quàm Iudaica; quod etiam vult Hispanica translatio, quæ pro bysso purpuram reddidit. 54.

Byssus quid.

Byssus candida est, non rubra.

Hoc de rubeo, aut flauo byssi colore; minus mihi probatur, quia in Scriptura sacra, aut expressè illius significatur candor, aut indicatur vehementer. Apocal. c. 19. v. 7. *Datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido.* Vbi in *candido*, album intelligi (nam aliquid aliud interdum significat) docet vox Græca λευκὸν, quæ nihil sonat aliud præter album. Neque loca, quæ proximè produximus ex Prouerbiis, & Luca, huic 55.

huic cogitationi quicquam incommodant: non etenim ita de bysso sermo est, quasi idem esset omnino cum purpura. Sed cùm in hominum vita delicata, ac molli duo reperiantur, quæ ad speciem pertinent, & magnificum cultum; & quæ ad carnis blandimenta spectant: in purpura splendidus, ac regius cultus, in bysso quæ tenuissima est, & tactu mollis, luxus blandior exprimitur, & delicata mollities. Quid Theocritus, quid Suidas, Pausanias, & Hesichius velint, non laboro, quia de alio fortasse lini genere locuti sunt, quod byssus dicitur, non tam propriè, quàm figuratè; quia nobilitate, atque vsu non longè recessit ab eo, quod propriè, & verè byssus appellatur.

56. *Et indui te subtilibus.*] Heb. משי *mesi*, quod variè reddunt interpretes, Theodotio vocem ipsam Hebraicam reliquit: Aquila *floridum*, siue *palpabile*, Symmachus *indumentum*. Septuaginta τρίχαπτον, quam vocem ipsi excogitarunt; neque enim apud vllum ex scriptoribus antiquis reperitur, quod fecerunt alibi non infrequenter; quia vox non occurrebat Græca, quæ Hebraicæ vocis vim totam exprimeret. Sed quid valeat vox illa tunc primùm inuenta, non omnes conueniunt; Suidas pannum putat esse bombycinum. Theodoretus rete consertum è capillis, quod fœminarum ambit, & exornat caput: Scholiastes Græcus amictum esse putat ex auro textili, Origenes subtilem amictum exponit, & in capillorum similitudinem attenuatum, & hic nominis rationem, & etymologiam expressit; id enim propriè significat τρίχαπτον.

57. *Tela subtilis ad cultũ fœminarũ.* Rabbi Dauid cum aliis è Recentioribus Heb. משי *mesi*, sericum reddunt, cui etiam subscribit antiquissima translatio Hispanica, quæ habet *sirgo*. Quicquid illud sit, omnes tamen eò conspirant, vt dicant aliquid esse subtile, ac tenue; quale est quod ex tenuissimo filo, quod capillorum instar est, contexitur; Laconica puta pellucida, aut illud tegumenti genus, quod dicitur *Coum*, aut aliquid aliud simile. Hieronymus optimè conuertit *subtilia*, quod tamen sit ornamentum illud, quod tenui contextum est filo, dubitant interpretes, alij peplum esse putant, aut chlamydem, quæ reliquis induta vestibus totum operit corpus. Qua in re quid certum putent, nihil affirmare habeo, suspicor tamen esse theristrum, pallium nempe muliebre, non tamen ad talos vsque demissum, quale peplum est, sed breuius quod tantùm humeros tegat; quod Heb. רדיד *redidah*, dicitur, Græcè θέριστρον, ἀπὸ τοῦ θέρους, id est, ab æstate; quo vtuntur fœminæ, non quidem, vt cùm ad solem æstiuum prodeunt, faciem suam à calore, atque à fuscore liberent; sed quia subtilissimum, atque leuissimum est; quod neque villis calefacit delicatas fœminas, neque grauat pondere; sicut nunc contra æstatis incommoda bombycino vtuntur leui.

58. Vers. 11. *Et ornaui te ornamento.*] Ornamenta propriè illa dicuntur, non quæ tegunt, aut muniunt corpus, ad commoditatem, & vsum, sed quæ ad venustatem tantùm, & elegantiam adhibentur. Qualia sunt armillæ, torques, lunulæ, periscelides, &c. Hactenus de lauto corporis tegumento dictum est, de bysso, de ianthinis calceis, de theristro, ac pallio: nunc de his, quæ non tam gestanti conferunt, quàm spectantium capiunt, & oblectant oculos, sermo est, quæ pòst explicatiùs enumerat.

59. *Dedi armillas in manibus tuis: & torquem circa collum tuum.*] Enumerat illa, quæ in mundo muliebri magis nota sunt, ac familiaria fœminis Hebræis. Neque credendum est à tam liberali sponso illa fuisse prætermissa, quæ in deliciis numerant, & maximè expetunt, atque exigunt puellæ. Qualia sunt, quæ in cap. 3. numerat Isaias, & quibus in Canticis ornare dicitur Sulamitis. Armilla ornamentum est, quod illam partem cingit, & decorat, quæ brachium cum manu coniungit, quæ, vt Græcè dicitur καρπὸς, sic etiam illius ornamentum περικάρπιον vocatur. Torquis colli præcipuum, & penè solum ornamentum est, quod baccatum, aut guttatum esse in lautiori fortuna solet, de quo nos plura in cap. 3. Isaiæ. *Armilla quid.*

Vers. 12. *Et dedi inaurem super os tuum.*] Non habet Latinus vocem illam, quæ nasi ornamentum significet, de quo in præsentia loquitur Propheta, quare καταχρηστικῶς inaurem appellat; quæ vt aurem instruit, sic etiam ab illa nomen accepit; non tamen longè abest situ, ac forma ab ornamento nasi; atque ideo illi nomen è vicino commodauit. Heb. est נזם *nezem*, quod ornamentum non est proprium aurium, sed commune cum naso, totáque facie, Genes. 24. vbi noster, *suspendit inaures ad ornandam faciem eius*. Heb. *& posuit inaures super nasum eius*. Isaiæ 3. vbi noster, *gemmas in fronte pendentes*, Heb. est נזמי האף *nizme haaph*, id est, inaures, siue ornamenta nasi. Sic etiam nunc vbi vulgatus legit, *super os tuum*, Heb. est *super nasum tuum*, & ita etiam legunt Septuaginta; à quibus non longè abit Theodotio, qui, Hieronymo teste, transtulit ἐπιῤῥίνιον, id est, ornamentum impositum naso, aut positum super nasum. Sed quódnam sit ornamentum illud, mihi incompertum est. Theodoretus circulum putat infixum fœminarum naribus, qualis bubalis, aut iuuencis inseritur, quibus non aliter, quàm equi frænis gubernantur, & qualem habiturus dicitur Senacherib Isai. cap. 37. v. 29. *Ponam ego circulum in naribus tuis*. Scio in quibusdam regionibus nuper ab Hispanis vltra Oceanum apertis, lautum, atque elegans existimari, si ex narium media cartilagine gemmeum aliquid ad os vsque dependeat, & labiis, ac dentibus alludat; sed nunquam eò adduci potui, vt crederem hunc cultum planè barbarum vsitatum esse Hebræorum Genti neque barbaræ, neque ineleganti. Illud minus videtur alienum ab vrbano cultu, quod audio nunc apud Africanos, atque Asianas puellas ex Hebræorum genere esse familiare; quæ semicirculos aureos, aut lunulas in ea parte nasi, & eo modo insertas, ferunt, quo gestari ocularia conspicilla solent. Placet quod Hieronymus hîc magis probat: nempe ornamentum hoc esse gemmam, circulum, aut inaurem, quæ à capite & fronte ad nasum vsque demittitur, quod suo etiam tempore in vsu fuisse testatur. *Vsque hodie*, inquit, *inter cætera ornamenta mulierum, solent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus*. Et in eandem sententiam Polychronius. *Aliud*, inquit, *ornamentum, quod circa caput ponitur, pretiosum quidem, sed habens margaritam ad nasum vsque pendentem*. De qua gemma fortasse intelligitur illud Cant. 7. *Nasus tuus sicut turris libani*. vbi *nasus*, pro nasi ornamento videtur posse sumi. 60. *Inauris quid.* 61. *Circulus in fœminarum naribus.* 62. *Nasi ornamenta.*

Et coronam decoris in capite tuo.] Quomodo ad nuptias coronentur sponsæ, diximus pluribus in nostris commentariis super Cantica. Hîc verò coronam decoris appello, non quæ ex floribus texitur, 63.

texitur, sed quæ splendorem seruant diuturnum; nempe auream, qualis regium decet nomen, & à qua sponsa salutatur Regina. Sanè sponsa redimitum habebat caput c.4. Cantic. floribus, & frondibus, quando illud simile habuisse dicitur capris, quæ ascenderunt de monte Galaad: quia videlicet non aliter apparebant capillorum cirri inter ramos, ac frondes, ex quibus corona texebatur, quàm capræ Galaaditides inter frutices, & arbusta Galaad; & tamen eodem capite vocatur, vt coronam accipiat, auream nempe; & quæ hîc corona dicitur decoris. *Veni*, inquit sponsus, *de Libano, veni, coronaberis.* Et facit huc, quod spōsa in Regnum profecisse traditur, id est, ad regiam dignitatem venisse, atque ideo coronam accepisse regiam oportuit. Et addo apud Gentes quasdam, auctore Festo, in nuptiis sponsam sua sibi manu flores legere, ex eis sibi serta componere, quod fortasse apud Amorrhæos, atque Cethæos in vsu quoque fuit, quorum è genere nata fuisse dicitur Hierosolyma: at accepisse dicitur Hierosolyma coronam à Deo, non vtique è floribus, nam ex his iam ipsa sibi antè parauerat.

Corona sponsæ aurea.

64. Vers. 13. *Et ornata es auro, & argento, & vestita ex bysso, & polymito, & multis coloribus.*] Complexio hæc est, & summa breuis eorum, quæ ad mundum muliebrem, instructúmque nuptialem collata diximus: quæ non ad amictum solum, sed etiam ad elegantiam pertinent. Porrò hîc vulgatus *polymitum* reddidit vocem מֶשִׁי *mesi*, quam Septuaginta τρίχαπτα, & ipse priùs *subtilia* conuerterat; vbi noster, *multis coloribus*. Heb. est רִקְמָה, quod vulgatus antè reddiderat *discoloribus*.

65. *Similam, & mel & oleum comedisti.*] Hæc quoque ad geniales pertinent delicias. Est enim satis notum nuptiale conuiuium esse splendidum, & his præcipuè rebus instructum, quas hîc Propheta sponsam comedisse ait, quas nos Cantic. 2. contineri diximus in voce אֲשִׁישָׁה *asisah*. quæque deinde magis explicantur cap. 5. dum dicitur, *Comedi fauum cum melle meo.* In mensa ergo illa geniali præcipuum, aut ex præcipuis, legitimisque ferculis esse puto, similam conspersam oleo, & melle; id est, placentam ex purissima farina, & melle, atque oleo subactam; quod explicuere Septuaginta, cùm eo loco, vbi vulgatus, *comedi fauum cum melle*, ipsi transtulere, *manducaui panem meum cum melle meo.* Neque huic explicationi plurimum incommodat vulgata translatio: fauus enim cum melle optima descriptio est, aut symbolum mellitæ placentæ, in qua non secus videtur mel esse contentum, quàm in fauorum cellulis. Sed si ex nuptiali metaphora ista remoueas, quod non arbitror, comedisse existimari potest Ierusalem similam, mel, & oleum, quia in eam regionem inducta est, vbi non iam cepe vesceretur, & porro, sicut in Ægypto priùs; sed delicatis maximè cibis, & ingenuo palato non indignis. Quomodo autem terra Canaan Israëli promissa frumenti ferax sit, & olei, millies audis in Scriptura: quàm verò abundet melle, modus ille loquendi significat, quo terra promissionis manare dicitur lacte, & melle.

Cibi quales in nuptiali mensa.

Et decora facta es vehementer nimis.] Magna est in duobus aduerbiis epitasis, quibus ille significatur cultus, illa venustas, vt nulla videatur accessio fieri potuisse: quod explicat magis id, quod proximè adiungitur.

A *Et profecisti in Regnum.*] Duo hîc mihi sensus 66.
occurrunt, vterque ad orationis filum accommodatus, & cum nuptiali metaphora conueniens. Alter ornatum spectat, atque munditiem fœminæ quondam sordidissimæ, quæ eò venustatis, ac gloriæ progressa est, vt qui illam intueretur, aut Reginam crederet, aut regio nomine non indignam. Sic enim vulgo homines loquuntur, cùm aliquem vident honesta, ac liberali forma, aut regio splendentem luxu, *Hæc facies, aut hic habitus dignus est imperio; aut optimè in hanc speciem regia conuenit dignitas.* In regnum itaque profecisse dicitur, quia regno videbatur non indigna, aut digna quam princeps ad thalami societatem expeteret.

B Sed alius sensus magis mihi probatur, quo 67.
verè Ierusalem sub hac nuptiali metaphora ad regnum peruenisse dicitur. Quam ad rem obseruo in nuptialibus deliciis, atque amatoriis blandimentis regium nomen de more nouis coniugibus attribui. Quare sponsus sæpe Rex, sæpe item sponsa Regina nominatur. Exempla suppeditant non pauca Salomonis Cantica, vbi sponsus Rex dicitur, & sponsa (quæ tamen rustica fuisse fingitur, & vinearum custos cap.7.) filia vocatur principis. Idem & habes Psal.44. qui epithalamium quoddam est, vt docet ipse titulus, in quo liliorum audis, & dilecti nomen. Plura hac de re habes in nostris Commentariis in Cantica Prolegomeno 3. Ex his mihi penè certum est Regni nomine, ad quod Hierosolyma profecisse traditur, connubium intelligi: nam quæ ad statum illum esset progressa, Hebræorum more princeps salutabatur, & Regina. Et quia magni Regis erat sponsa, in magnum aliquid profecit, & latè gentibus dominata est. & ideo additur,

Rex, & Regina vocantur noui coniuges.

C

Vers. 14. *Et egressum est nomen tuum in gentes* 68.
propter speciem tuam.] Ornauit Deus Ierusalem, in qua populus intelligitur Hebræus, vsque adeò cumulatè, & largè; vt non solùm populis aliis admirationi, sed etiam venerationi fuerit;
D ex eo præsertim tempore, quo Salomonium templum conditum est: cœperat tamen illius nomen longè, latéque diffundi; ex quo ad nobile connubium ornari, ac præparari orsa est. Quando nimirum excitata fuit ex Ægyptio luto, vbi fingendis laterculis operam nauabat ignobilem; & aperto mari ex Ægyptiorum viribus erepta, & non solùm è terra, sed etiam è cœlo illustribus honestata, atque commendata prodigiis. Hæc autem omnino ad speciem illam pertinebant, propter quam illius gentis nomen latè propagatum est.

Vers. 15. *Et habens fiduciam in pulchritudine* 69.
tua, fornicata es in nomine tuo.] Fiducia hoc loco
E superbiam significat, seu audaciam: in priori significatione sumpsit Hieronymus; qui dicit elatam insolenter Hierosolymam, quasi propria foret, atque perpetua illa pulchritudo, quam inesse sibi gloriabatur, in omnem intemperantiam fuisse profusam. Audi Hieronymum, & ab illo disce quantum insit periculi his, qui magnis à Deo ornati sunt beneficiis; si benigni largitoris immemores, alienam clementiam suas sibi dotes esse putent. *Grande*, inquit, *discrimen non in Dei clementia, sed in suo decore confidere. quantóque quis sublimior fuerit, debet timere ne corruat, & fornicetur in nomine suo. Aduersariæ siquidem potestates solitos contemnunt cibos, & peregrina alimenta desiderãt. Vnde de diabolo dicitur, esca eius electa. Nō vult*

In maiori periculo est, qui pluribus à Deo beneficiis, tanquā suis gloriatur.

quemlibet decipere. Saul Regem, qui electus à Domino est, & Iudam Apostolum supplantare festinat. Non ergo confidamus in propria pulchritudine, nec Dei liberalitatem nostram putemus esse virtutem, sed potius audiamus: Ne glorieris in crastinum; nescis enim quid ventura pariat dies.

70. Alij in *fiducia*, audaciam intelligunt, quam in animo illiberali, & sordido alunt opes, & illa quæ vulgo hominum existimantur bona. Et quidem experientia compertum est, his rebus quæ homines, aut ornant, aut commendant, excitari ignobiles spiritus, ad quiduis audendum; & pro rerum, facultatúmque modulo alia, atque alia excitare altaria, in quibus peregrinis diis quotidie libant, & contempto sponso, à quo illis cumulati sunt opibus, complexibus se fornicariis immiscent. Sanè de hoc eodem populo dictum est Oseæ cap. 10. *Vitis frondosa Israel, fructus adaquatus est ei: secundùm multitudinem fructus sui multiplicauit altaria: iuxta vbertatem terræ exuberauit simulachris.*

Animum ignobilem, & sordidū in[?]ant opes, & auertunt à Deo.

71. *Fornicata es in nomine tuo.*] Variè hic locus à variis exponitur. Hieronymus nimis obscurè loquitur, *Quanto*, inquit, *quis sublimior fuerit, debet timere ne corruat, & fornicetur in nomine suo.* Videtur autem monere, ne sic afficiatur in opes, aut pulchritudinem, vt illa suspiciat, ac veneretur pro diis, & cum illis fornicetur. Quemadmodum enim auaritia ab Apostolo idolorum seruitus appellatur, quæ iuxta Scripturæ sacræ morem fornicatio dicitur: sic etiam ambitio, quæ totum ad se abripit animum, quámque homo sic obseruat studiosè, vt præ Deo, imò & pro Deo colat, genus quoddam est idololatriç, aut si mauis idolomaniæ. Quare in nomine suo, i. in sui nominis disseminata gloria, ille fornicatur, qui sibiipsi in eo nomine valde placet; & eius conseruandi, atque amplificandi gratia nihil non audet. Hæc quidem obscurè Hieronymus. Aliquanto magis explicatè Gregorius lib. 7. Registri. cap. 126. qui postquam adduxisset hæc Ezechielis verba, subiicit: *Fiduciariam animam in pulchritudine sua habere, est, in semetipsa de iniusta actione præsumere. Quæ in suo nomine fornicatur, quando in hoc quod rectè agit, non conditoris laudem dilatari appetit, sed suæ opinionis gloriam requirit.* De eodem argumento optimè, & latè Gregor. 4. p. Pastor. c. 1.

Ambitiosus, & auarus quasi idololatra.

72. Alij in nomine suo ideo putant fornicatam esse Hierosolymam, quia nominis ipsius celebrata gloria externos populos, ad illius amicitiam, & societatem perpulit, qui cùm familiariter cum ipsa agerent, & commercij gratia hinc inde plurimi quotidie commearent, vt inuectæ sunt nouæ mercimoniæ, sic etiam & noui mores, & noua ad extremum religio introducta est. Sic cum Theodoreto sentiunt Maldonatus, & Hugo. Pro qua sententia obseruo præpositionē *in*, interdum idem esse quod *propter*. vnde frequēs apud Paulum, *ego vinctus in Domino.* id est, *propter Dominum.* Quare *fornicari in nomine*, idem etiam valere potest, quod *propter nomen.* erit ergo sensus: Propter nominis tui celeritatem, fornicata es; neque enim aliter commercia tecum, & fœdus iniissent populi, qui in vrbem antè fidelem, & piam, impium idolorum cultum inuexerunt.

Potētia idololatriæ occasio.

REGVLA. In *idē quod* propter.

73. Aliter hunc locum accipit Pradus, neque meo iudicio malè, qui in *nomine* putat libertatem significari, qua, quis suo arbitratu viuit, & quasi sui omnino iuris sit, quid alius aut velit, aut iubeat, nihil habet pensi. In *nomine* significari potestatem nemo nescit; qui alterius nomine aliquid se dicit curare, planè indicat non tam sua, quàm alterius auctoritate, ac potestate illud administrari. Qui suo contrà nomine facit, ille in eo saltem munere fungendo, nullius auctoritati subesse se ostendit. Ierusalem igitur in suo nomine fornicata est; quia abiecto sponso, cuius subesse debuit potestati, sui iuris esse voluit; & illud admittere flagitium, quod nunquam per sponsum tentare licuisset.

Hæc mihi grauia sunt, sed addam, quod magis mihi consentaneum videtur illi metaphoræ, quā in toto hoc capite Propheta persequitur. Fert multarum Gentium consuetudo, vt quemadmodum vxor à viro recipit ius, & familiam, sic etiā ab eodem nomen accipiat. Sic quæ Caio nupsit, relicto gētilitio nomine, Caia vocatur, & vt auctor est Valerius lib. 10. seu potiùs Caius Titus Probus, cuius librum ipse in epitomen redegisse traditur, idē fecere Lucia, Publia, Numeria, à Lucio, Publio, Numerio, in quorū thalamum, & familiā venerunt. Id verò maximè apud Hebræos frequēs, & quasi legitimum, apud quos in vxore coniugis nomē audiebatur. Atque ideo Isai. c. 4. septē illæ mulieres, quę vnius viri nuptias expetunt, desiderium suum hoc dicēdi modo significant, *Inuocetur nomen tuū super nos.* quasi dicant, fac vt vxores tibi associes, & tuo nos nomine cōsignes. Neque vt reor, ea ratione solùm apud Hebræos vxores virorum notabantur nomine, quo ab ipsis explicari, ac fingi solent patronymica. Nempe *vxor Lamec, vxor Vriæ*; aut, *quæ fuit Vriæ, vxor Ieroboam*, sed simplici nomine à virorum nominibus deducto, quomodo à Caio, & Publio, vxor apud Romanos Caia dicebatur, & Publia. Sic quæ Salomoni nupsit, Sulamith, id est, Salomonia vocatur: & quæ Pacifico, Pacifica. Quod ipsa declarauit sponsa Cant. 8. quæ cùm priùs spōsum appellasset pacificum, se quoque circuitione quadam pacificam vocauit. *Ex quo facta sū coram eo quasi pacem reperiens.* Vide quæ in hunc locum adduximus in nostris Commentariis super Cant. 74.

Vxor à viro nomen accipit.

Neque mihi dubium est fœminam, vbi iure, dato repudij libello, seu iniuria, à viro recessisset, qualis hoc loco fingitur Hierosolyma, nomen abiecere viri, cuius prodidit thalamum, cùm sui iuris esse voluit; aut cùm ab illo est repudiata legitimè: nam antiquum illud nomen viri iam relicti, fœdam vxori inureret infamiam. Sic ergo Ierusalem relicto sponsi nomine, quem deseruit, vt nefariis se idolorum implicaret amplexibus, in suo nomine fornicata est, quia cùm sui iuris esse vellet, & vagæ se immisceret libidini, alieni nominis inuocatione nolebat alieno se subesse nomini profiteri. Hæc mihi expositio facilis, neque video quid in ea possit inueniri distorti, Imò ab ipso Propheta statim significari arbitror, dū subdit, *vt eius fieres.* quod iā supplico. 75.

Vxor cum à viro recedit nomen viri deponit.

Exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, vt eius fieres.] Postquam à vero, & legitimo sponso defecit fornicaria Ierusalem, vagæ se tradidit, & promiscuæ libidini, neque vllum repulit à nefario congressu, quantumcunque esset sordidus, & impurus. Instituit enim non tam quæstum, quàm vitæ genus meretricium, quod ipse dicendi modus planè significat. Meretrices enim lupanar sibi constituunt in viis, vbi maior est hominum hinc inde commeantium frequentia: quorum pudori, ac famæ non aliter insidiantur, quàm leo in sylua. Id constat ex historia Thamar Genes. cap. 38. quæ sedens in biuio scortum 76.

se

se esse simulauit. Sed dicit hoc apertè Ezechiel statim vers. 25. Dum ergo expositam esse dicit fornicationem omni transeunti, prostibulum dicit excitatum in via. neque enim alij transeuntes dicuntur, nisi viatores.

77. *Vt eius fieres.*] Suprà vers. 8. ad illud, *& facta es mihi*, diximus hoc loquendi modo significari nuptias à fœmina contractas; quæ tunc viri sui esse dicitur, id est, illius subesse potestati. Qui loquendi modus tam est Latinis, quàm Hebræis vsitatus; sic Virgilius 4. Æneid. *Hectoris Andromache*, id est, vxor. sic Bersabee Mat. c. 1. dicitur esse Vriæ. Sic apud Hispanos vxor Petri, dicitur *la de Pedro*. Sic ergo esse alicuius, idem est, atque alicui nupsisse; quare, vt proximè diximus, in vxore plerumque viri nomen auditur. Significat ergo Deus fornicariam hanc fœminam sponsi sui abiecisse nomen, & in suo nomine; quasi iam esset à priori soluta coniugio; pudorem suum omni viatori prostituisse, vt nouis quotidie nuptiis, nouis etiam nominibus vocaretur, eorum nempe, quorum se implicuisset amplexibus. Vt quomodo dicitur vxor Lamec; sic ipsa modò huius, modò illius diceretur vxor, & toties mutaret nomen, quoties aliorum succubuisset petulantiæ. Misera planè conditio, quæ priùs vni domino, eique honesto, ac liberali suberat; eo habitu, ac specie vt Regina diceretur; illa iam multis seruit tyrannis, à quibus nihil sperare potest propter sordes, ignominiam, & dedecus.

Vxor viro subdita.

Misera peccatoris conditio.

78. Vers. 16. *Et sumens de vestimentis tuis fecisti tibi excelsa, hinc inde consuta.*] Res hoc loco continens, pro ea, quæ continetur, vsurpatur; quod in omni idiomate passim occurrit. Quia in excelsis excitabantur aræ, & ibi locabantur simulacra, fit vt excelsorum nomine, deorum simulacra significentur. Significat hoc loco Deus quòd fornicaria hæc fœmina à sponso recepisset siue ad tegumenta, ex bysso, discoloribus, & τριχάπτοις, siue ad ornamenta, atque delicias, vt argentum, aurum, &c. id totum ad excelsa, id est, ad deorum simulacra tegenda, siue exornanda contulisse. Nunc primùm de vestimentis agit, ex quibus variè discissis, & hinc inde, vt exigebat idolorum species, artificiosè consutis, imagines efformauit, infertas puto aliquo tomenti genere, quales apud barbaros, & transmarinos populos multæ visuntur, quarum ego nonnullas vidi; & nostro etiam tempore plurimæ fiunt, quæ tamen indecoræ non sunt.

Idola vestibus ornata.

79. Quia verò in excelsis etiam altaria sunt, quidam existimant ad altarium ornamenta vestimenta illa varia, atque pretiosa fuisse collata. Alij vestimenta illa in eam formam fuisse discissa, ac postmodum consuta, vt ornarent, & tegerent idola; quod à Iudæis fieri solitum docet Isaias cap. 30. v. 22. *Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui.* Et clariùs Ezechiel infrà vers. 18. *Sumpsisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illa.* Hæc quæ de idolis, siue compositis, siue indutis ex variis, atque pretiosis sponsæ tegumentis dicta sunt, mihi magis probantur, neque sua omnino probabilitate carent, quæ putant alij, in consutis vestimentis significari stragula, quibus meretricius sternebatur lectus, quia super illa fornicata dicitur Ierusalem: quod non aptè cadit in fœminas, qualis gens illa fornicaria fingitur, quæ non tam iuxta sexus sui naturam incumbere, quàm succumbere solitæ. At idola in eo metaphorico congressu non tam fœminarum, quàm virorum partes agunt. Sed sanè sunt alia, quæ non admodum aptè in hanc postremam cogitationem conueniunt; & illud *super*, vt statim videbimus, aliquid etiam aliud significat.

80. *Et fornicata est super eis.*] Fornicari iuxta institutam metaphoram, nihil est aliud, quàm idola colere. Illud *super*, Heb. עַל *al*, idem valet quod *cum*. Exemplorum plus satis habes apud Pagninum lib. 4. Institut. c. 1. Duo accipe, alterum in hoc ipso capite vers. 37. primùm vbi vulgatus, *quibus commixta est*, Heb. עליהם, *super ipsis*, aut *cum ipsis*. & iterum cum vniuersis, Heb. עליכל. & Exod. 35. v. 22. *Viri cum mulieribus præbuerunt.* Heb. על הנשים *al hanasim*. Quare cùm Ierusalem fornicata dicitur *super eis*, nihil est aliud, quàm cum idolis metaphorico concubitu fuisse congressam.

REGVLA. Super idem valet aliquãdo quod cum.

81. *Sicut non est factum, neque futurum est.*] Hic dubitant, neque sanè sine causa nonnulli, quomodo verè hoc à Domino dici potuerit, cùm ante hoc tempus Ierusalem cum idolis, quæ sibi ipsa conflauerat, hoc metaphorico congressu meretricata fuerit, vt millies exprobrant Prophetæ; & post hoc etiam tempus, non vno tantùm loco, aut tempore contigerit. Vt enim docet Ieremias c. 44. in Ægypto post deletam vrbem idola coluerunt; & qui Babylonem sunt abducti, ibi quoque post hæc tempora fornicati sunt, Ierem. cap. 16. Varij ad hæc variè respondent. Septuaginta translatio minus habet negotij; qui sic vertunt, *Non ingredieris, neque fiet.* cuius sensum hunc esse putat Scholiastes: Tuis commentis, ac studiis non frueris, neque assequeris, vt Deus esse possit, quem tuis tibi manibus fabricasti. Hieronymus aliter: *Cum tibi idola feceris, &c. templum Dei intrare non poteris, & simulacra tua substantiam non habebunt; neque erunt in perpetuum, dicente Apostolo: Scimus, quia nihil est idolum in mundo.* Rab. Dauid sic exponit: Non erunt similia idola vnquam, nec erit populus qui talia faciat, nempe vt ornatum sibi à sponso traditum, ad illustranda idolorum monstra conuerrat. Non longè ab his abit Hieronymus; & sequitur omnino Pradus, qui tamen non putat Ierusalem cum Gente Israëlitide comparari; sed cum nationibus aliis, ex quibus nulla fuit, quæ in idolorum honorem simile vnquam contulerit obsequium.

82. Ego aliter hunc locum aggrediar; & nodum si qua id ratione consequi potero, expedirè tentabo. Quod credo difficile non erit, si priùs statuamus verba in quacumque temporum differentia significare interdum non tam actum, quàm facultatem, habitum, seu consuetudinem, & honestatem agendi; vt docui pluribus ad illud Isaiæ cap. 57. num. 55. *Quia spiritus à facie mea egredietur: & flatus ego faciam.* Quia verò hæc alicui minus videbuntur expedita, exemplis id confirmare nonnullum erit operæpretium. De præsenti est illud Mariæ ad Angelum, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, Luc. cap. 1. id est, quia virum mihi cognoscere non licet. Sic Malach. 1. *filius honorat patrem* .i. honorare debet. De tempore præterito eadem est ratio. De futuro res est obscurior. Sed neque exempla desunt, & primum illud est optimum, quod nuper ex Isaia produximus. Plura inuenies apud Riberam ad illud Malachiæ cap. 1. *filius honorat patrem*, vbi hanc tradit regulam, *Futura apud Hebræos sæpe debitum, aut decorum indicant.* Genes. 20. vbi vulgatus, *quæ non debuisti facere, fecisti nobis.*

REGVLA. Actus primus pro secundo.

REGVLA. Tempus futurum debitum, aut decorum significat.

nobis. Heb. *Opera, quæ non fient, fecisti nobis*, id est, opera, quæ non erant digna fieri, vt legit Chaldæus. Genes. 34. vbi vulgatus, *& violata filia Iacob rem illicitam perpetrasset.* Heb. est, *vt dormiret cum filia Iacob: & sic non fiet*, i. fieri non debuit; aut illicitum factu fuit. Et Mat. cap. 16. *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, id est, non æquum est vt hæc patiaris.

83. Ex his ego & locum expono, & nodum expedio. Dum colis, inquit Dominus, deorum simulacra ornamentis, quæ ad tuum tibi cultum tradita sunt, & cum illis nefario concubitu fornicaris; fecisti quod nullo vnquam tempore tibi licuit, cùm à me statim à principio delecti populi seuerè foret cautum, ne quis simile aliquid admittere tentaret; neque licebit vnquam, tibi præsertim, quam ego nuptialem in modum, tot modis complexus, tot beneficiis prosecutus sum. Nam quòd aliæ nationes, aut hæc eadem Gens antea, delicias suas, atque ornamenta in suorum deorum splendorem contulerint, mihi dubium non est. De Gentibus probant templa varia ad miraculum vsque decorata donariis, quod ostendit Arnobius lib. 7. dum conflata dicit idola, siue ornata ex donariis, siue ornamentis meretricum. *Simulacra, inquit, ista, quæ vos terrent, quæque templis in omnibus prostrati, atque humiles adoratis, ossa, lapides, æra sunt, argentum, aurum, &c. ex ornatibus fortasse meretriciis, aut ex muliebri mundo.* De Hebræis magis est certum, qui vt deos sibi tutelares, ac viæ duces ex auro conflarent, libenti, ac liberali manu, quicquid ornamentorum ab Ægyptiis abstulerant, contulerunt. Exod. c. 32. *Dixitque ad eos Aaron, tollite inaures aureas de vxorum, filiorúmque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron.* Et longè pòst centum ferme annis ante hoc Ezechielis sæculum, de hoc ipso populo dixit Oseas cap. 2. *Et argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* & Micheæ cap. 1. *Omnia idola eius ponam in perditionem; quia de mercedibus meretricis congregata sunt.*

Idola tam à Gentibus, tū ab Hebræis variè ornata.

84. Vers. 17. *Et tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque argento meo.*] Priùs de vestimentis egerat, ex quibus hinc inde consutis aut idola concinnarat, aut ab aliis efformata vestierat. Nunc de ornamentis agit, quæ accepta ab sponso ad idolorum ornamenta traduxit, de auro videlicet, atque argento, ex quibus deorum, quos à vicinis Gentibus acceperat, simulacra conflauit, de quibus statim.

85. *Et fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis.*] Vsitatum est in omni ferme natione, vt eorum, quos in amore, aut veneratione habemus, nobiscum circumferamus, in armillis, aut annulis monumenta, effigies puta, aut phylacteria. Quod cùm alij sæpe faciant; faciunt tamen honestiùs, & penè legitimè sponsæ, quarum amor castus est, & in quo nihil appareat, quod curiosus oculus reprehendat. Egimus pluribus hac de re super Cantica Prolegom. & super Isai. cap. 44. num. 18. vbi ostendimus eam religiosè à piis, quàm ab impiis, atque infidelibus sceleratè imagines illorum circumferri, quos amarent; aut colerent. Sed de sponsi imagine docet, opinor, non obscurè sponsus ipse Deus, qui Cant. 8. edicit sponsæ, vt supra cor, id est, supra laminam, quæ cor appellatur, quia cordi imminet, effigiem gestet sui in ea siue cælatam, siue incisam; aut aliquod certè sui monumentum, quod oculis identidem occurset. *Pone me*, inquit, *signaculum super cor tuum.* & idem opinor sponsa fatetur; quæ imaginem sponsi, quam gestabat inter vbera, in dependente lamina, futuram sibi esse dicit pro myrrhæ fasciculo, qui omnem tollit ægritudinem ab animo. Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* Sed de Ierusalem adultera, quæ etiam idolorum imagines, aut aliquod eorum monumentum ad vbera gestabat, dicit Dominus Oseæ c. 2. *Auferat adulteria sua de medio vberum suorum.* Adulteria autem vocantur idola, aut idolorum monumenta, quia hæc metaphoricæ fornicationis monumenta sunt.

Sponsa coniugis effigiē secum gestat.

86. Cur verò cùm Ierusalem non tantùm Gentium deos, sed etiam deas coluerit, vt est verisimile; quia etiam vicini populi dearum se religionibus addixerant, qualis erat Astarthe dea Sydoniorum; & Ægyptiorum Isis, & Palæstinarum Derceto. ea ratio est, quia Ierusalem tanquam fœmina fingitur profusæ libidinis, fœmina verò ad virorum complexus aspirat, cùm illis se vehementiùs oblectat, & in eos multo libentiùs intuetur. Hæc mihi verisimilia sunt, 87.
& ab sponsarum consuetudine non aliena, verùm quia hæc vestita dicuntur versicoloribus ornamentis, quæ minùs cadent in effigies illas in laminis, seu annulis cælatas, est etiam non improbabile de aliis imaginibus esse sermonem, quæ vt ipsæ seorsum stant, sic etiam statuæ nominantur. Nisi dicas, quod mihi non improbatur, &, hoc loco non coniungere, sed potiùs separare, ac discludere extrema, & idem omnino valere quod *vel*, quod in Scriptura sacra frequens esse, diximus suprà. Ita vt hic sit sensus. Ex argento meo fecisti imagines quæ gestares tecum quasi insigne, & monumentum amoris; vel imagines alias pretiosis, atque versicoloribus ornamentis induisti: ita vt omnia sponsi munera in idolis conflandis, ornandisque consumpserit.

Hæc credo magis ad veritatem, ac mentem 88.
Prophetæ. Sed vide an etiam hic dicendi modus ad explicandam petulantis fœminæ inexplebilem libidinem faciat. Quod duobus modis contingere, atque explicari potest. Constat ex Historiis eousque nonnullos exarsisse libidine, vt illam in saxeas, aliásque inanimatas imagines effundere voluerint. Quod etiam fecisse constat leuiculas, atque libidinosas fœminas, quibus cùm seuera parentum custodia alia non permittat, imagines fingunt masculinas, quibus sese domi, atque in secessu impudenter oblectant, quæ puppæ dicuntur, aut puppi; ab exemplis abstineo, satis hæc leuiter attigisse contentus. In hanc sententiam inclinat Maldonatus. Sic ergo hæc fornicaria fœmina non tantùm eos, qui sese offerrent, excipiebat adulteros; sed suis ipsa manibus simulacra fingebat è saxo, atque ære; quibus ad metaphoricas libidines vterentur.

Quorumdā libido in res inanimatas.

Alius modus, ab his, qui libidine immode- 89.
ratè pruriunt, inuentus est imaginis formandæ, quo rabidum Veneris appetitum exsaturent, fingunt namque è cera plerumque ex alia nonnunquam materia imagines eorum, quos ad sui amorem pellicere student; quibus aliquid inest magicum, eóque consilio scelerato planè, atque diabolico voti sui interdum compotes fiunt. De his imaginibus multa Martinus del Rio in sua Magia. Hinc est illud Maronis in Pharmaceutria;

Effigies è cera amoris philtrum.

Terna

Terna tibi hæc primùm triplici diuersa colore
Licia circundo: térque hæc altaria circum
Effigiem duco.

Et statim de eadem imagine,

Limus vt hic durescit,& hæc vt cera liquescit,
Vno eodémque igni,sic nostro Daphnis amore.

Et de Medea venefica Ouid.

Deuouet absentes,simulacráque cerea fingit.

90. Hæc verò fuisse in vsu vicinis Gentibus,ex quibus cum idololatria, Ethnicos, atque maleficos ritus acceperunt Hebræi,constat ex Nahum cap. 3. v.4. qui sic ad Niniuem,quæ eodem,quo Hierosolyma,morbo laborabat. *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia.* Sanè sub hæc tempora maleficiis vsos esse Iudæos, & deorum imagines non in annulis solùm, & laminis, sed etiam in corporibus candenti ferro inustas gestasse,docet Ioacim Iosiæ filius, qui deorum, quos coluit, in carne sua gestabat effigies, vt docet Historia Scholastica in lib. 4.Reg. c.39. & Abul. in lib.4.Reg. c.25.q. 39. quod colligi putat ex lib. 2. Paralip. cap. 36. v.8. Reliqua autem verborum Ioacim, & abominationum eius, & quæ inuenta sunt in eo, continentur in libro Regum Iuda. Hic autem Rex, & vt credibile est, ad eius exemplum alij non pauci, illo impio charactere compuncti, non solùm abiuratæ religionis testimonium,sed etiam magicum aliquod veneficium portabant. Postrema hæc ita probo,vt in priora multo magis propendeam.

Iudæi ad maleficia imaginibus vsi.

Ioacim inustas habuit corpori idolorum imagines.

91. Vers.18. *Et sumpsisti vestimenta, vestimenta tua multicoloria,& operuisti illas.*] Hic locus proximè à nobis explicatus; si statuas, aut signa esse putes simulacra, optimè ornari, atque indui pretiosis potuerunt amiculis; sin verò imagines in annulis, armillísve cælatas esse dicas,illud &, disiunctiuè explicandum est,sicut alibi sæpe.

92. *Oleum meum, & thymiama meum posuisti coram eis.*] Sicut sponsus de mundo muliebri sponsæ cumulatæ prouidit; sic etiam de rebus quæ aut nuptiale tempus, aut coniugalem statum ornant, & exhilarant, qualia sunt coronæ, odores varij, alij stillatitij, atque fluentes, quæ plerumque nominantur vnguenta; alij concreti, & crassi, qui prunis iniecti in vapores abeunt, & fragrantes fumos, quæ thymiamata dicuntur. Vtrumque ingrata, atque infidelis sponsa ad stultum idolorum obsequium traduxit: & quod beneficij eximij loco colere debuerat, id in largitoris offensionem, & iniuriam conuertit. Quasi enim ab idolis habuisset tot illa dona, ad illorum aras gratificata reposuit. Fortasse hic sermo tantùm de illo thymiamate, atque vnguento, quæ sibi soli Deus cremari voluit,aut libari, quæ ideo sua Deus appellat,quia illa ita sibi vendicauit, vt nolit cum aliis habere communia. de quibus Exod. cap. 30. de oleo quidem vers. 23. de thymiamate verò vers. 34. Quòd si quis oleum illud, siue thymiama eo modo concinnata, qui in eo capite describitur, ad alios vsus,quàm ad sacros, & designata templi ministeria conuerteret; eo plectebatur supplicio, quo nullum in Scriptura denuntiatur grauius. De oleo quidem vers. 33. *Homo quicumque tale composuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo.* De thymiamate verò v. 38. *Homo quicumque fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* Ita Pradus cum Hugone, Lyra, atque Dionysio. Sed prior explicatio magis mihi videtur ad textum filúm-

A que sermonis. Agit enim Deus, vt apparet de beneficiis populo collatis ad eius vsum, atque delicias, quæ tamen omnia idolis tanquam sponso,cui placere vellet, largiter indulsit; tam quæ ad delicias splendorémque genialem, ad quæ pertinent, vnguenta nempe odorata, quibus stillat caput, & irrorantur vestes, & thymiamata; quibus genialis, & conuiualis euaporatur domus; quæque ad epulas spectant, & regia fercula,de quibus mox. & ita planè putat Hieronymus, qui cùm ad hunc locum de oleo peruenisset, ait, *oleum de quo suprà diximus.* Dixerat autem de oleo, quo cibi condiuntur, ad illud vers.13. *Similam, & mel, & oleum comedisti.* B Ita certè putat Theodoretus, & cum vtroque Maldonatus,licèt in aliam quoque explicationem propendeat.

Vers.19. *Et panem meum, quem dedi,similam, & oleum, & mel,quibus enutriui te.*] Delicatis hisce, ac nuptialibus escis aluerat Dominus ingratam illam, non tam sponsam, quàm fornicariam, & adulteram, vt vidimus suprà v.13. Quo ciborum genere illam suam sibi sponsam significarat, eodem etiam studio, atque animo inuerecunda adultera,vt sponsum suum, idolum nempe nuptialibus etiam prosequeretur deliciis, se illius sponsam, & amantem professa, talia præstat, qualia ipsa ab sponso olim amoris lenocinia C susceperat. Similam videlicet,mel,& oleum; qui cibi,vt alibi docuimus, nuptiale conuiuium instruunt,& oblectant. 93.

In odorem suauitatis.] Heb. *in odorem quietis.* quomodo etiam Genes. 8. vbi Dominus dicitur odoratus odorem suauitatis, Heb. est *odorem quietis.* sed est sensus idem. nam si odor suauis est, gratúsque accedit ad odorandi sensum,consequens est, vt in eo Dominus acquiescat, tamquam in re, ex qua mirificam capit voluptatem. Offerebat itaque adultera sponsa similam, & mel, vnguenta, & suffimenta, de quibus nuper, vt gratum aliquod officium præstaret diis, quorum amabat, & expetebat nefarios amplexus, D vt odor ille suauissimus caperet idolorum sensus, vt bene de se meritam amarent; & ibidem quiesceret animus, tanquam in re grata vehementer, à qua abduci difficile potest, aut etiam si offensus esset, & indignatus à furore, studióque vindictæ quiesceret. Deos autem Gentilium victimarum nidoribus oblectari, aut fumo, quem aræ ex oblatis odoribus exhibent, testis est Plato in Alcibiade,vbi in eam rem Homericos recitat versus, in quibus ait ex Troianorum suauem in cœlum odorem ascendisse. 94.

Vers.20. *Et tulisti filios tuos, & filias tuas, quas generasti mihi,& immolasti eis ad deuorandum.*] Diximus suprà ad illud, v. 16. E *Sicut non est factum, neque futurum est.* verba interdum non tam actionem significare, quàm decorum & debitum. Iuxta regulam illam hunc locum sic accipio. Filios tuos, quos mihi,sponso videlicet tuo, gignere debuisti, vt mihi seruirent, illos diis alienis, ad quorum thalamum aspirabas, consecrasti; vt illos non acciperent, atque amplecterentur amanter, ac molliter, sed vt deuorarent, & belluinum in modum excruciatos tandem conficerent. Quod planè fecerunt, & multis antè sæculis, & eo fine dubio sæculo, in quo hæc ab Ezechiele dicebantur. Psal.105. v.37. *Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis.* Et statim, *Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filio-* 95.

Regvla. Actus secundus pro primo.

Iudæi filios dæmoni consecrarunt.

rum suorum, & filiarum suarum, quos sacrificauerunt sculptilibus Chanaan. Hæc eadem facta sub hoc tẽpus indicat Ieremias cap.7. v. 31. *Ædificauerunt excelsa Topheth, & incenderunt filios suos, & filias suas igni.* Sane Iosias 4.Reg.cap.23.vetuit ne quis per ignem filios suos consecraret Moloch. *Contaminauit quoque Topheth, quod est in valle filij Hemon, vt nemo consecraret filium suum, aut filiam suam per ignem Moloch.* Quod etiam fecisse videntur, qui eodem tempore regnarunt Ioacim, Iechonias, & Sedecias: nam hi parentum suorum adhæsisse peccatis perhibentur 4. lib.Reg. cap.25. At parentes filios traduxerant per ignem, vt scribitur de Manasse lib. 4. Regum cap.21. cuius et iam vestigiam secutus est Amon eodem capite v.20.

96. *Numquid parua est fornicatio tua?*] Metaphorica fornicatio illa est, qua quis se idolorum cultui, atque obsequio tradit; & illa maior, qua se quisque magis illi, atque liberaliùs impendit, magna quidem fornicatio est, quæ suos liberos in amasiorum voluptatem, illámque væsanam, & barbaram impendit, cùm filiis parentibus nihil soleat esse suauius. At hoc fecit Ierusalem, vbi ab adulteris gratiam inire, & cum illis fœdus contrahere connubiale voluit. Magnum est filios à nobili parente susceptos, & regio prognatos sanguine, ad opus omnino vile, ad miseram conditionem, & ad horribile mortis genus proiicere; & hoc fecit hæc adultera, ad fœdissima fornicationum proluuiem abiecta. Ad quem sic Deus, *Immolasti filios meos, & dedisti illos, consecrãs eis.* Hic tu considera peccatoris statum, & intolerabilem impudentiam; qui quæ à Deo suscepit dona, cogitationum sanctatum præclara semina, quæ filij vocari possunt Domini, vtpote ab illo concepta, & ad partus maturitatem adducta; ad idolorum tamen aras mactantur, & pereunt; neque enim vitalem accipiunt lucem, à maligno spiritu suffocata, aut vbi vitalem auram haurire cœperunt, in ipso statim limine eliduntur.

Filios consecrare dæmoni facinus horribile.

97. Vers.22. *Non es recordata dierum adolescentiæ tuæ.*] Augetur adulteræ sponsæ stupor, & improbitas, quòd cùm non opes solùm & speciem, sed vitam etiam, & spiritum accepisset à spóso, quæque hæc, si quid inesset pudoris, & mentis, eidẽ à quo habebat, rependere debuisset; illa tamen omnia contulit in idolorum honorem. Dicitur autem non recordata temporis illius, in quo in materni sanguinis cœno illi moriẽdum fuit, vnde ad eximiam illam amplitudinẽ ascendit; quia non fecit id, quod illius temporis recordatio nõ admonebat solùm, sed etiam cogebat: nempe vt opes, & vitam, sedémque totam, & omnino largitori suo consecraret. Porrò recordari is dicitur, qui rebus, & officiis, docet sibi non excidisse memoriam. Quomodo Deus tunc recordari dicitur miserorum, cùm illorum leuat indigentiam; & recordari peccatorum, cùm illis debitum supplicium infligit. Adolescentia hîc pro infantia ponitur, vt Hieronymus putat, neque cuiquam dubium esse potest, cùm eo tempore nuda fuerit, & conculcata in sanguine.

Recordari is dicitur, qui opere se memorem esse testatur.

98. Vers.23. *Et accidit post omnem malitiã tuam (væ, væ tibi, ait Dominus Deus) & ædificasti tibi lupanar.*] Primùm sponsa illa infidelis, adultera potiùs videri poterat, quàm prostituta, & meretrix; quia vni tantùm, aut alteri tanquam amasio adhæserat idolo. Pòst sic exarsit illa metaphorica libidine, eò denique impudẽtiæ proiecta, vt nullum non admiserit amatorem, imò & publicum ex- A citarit lupanar, & ex vænali corpore meretriciũ instituerit quæstum. Neque enim vllum fuit externatum Gentium idolum, siue tam truculentũ, & sanguinarium, siue tam fœdum & ignobile, cui non supplex acciderit, quod extructis aris, & immolatis victimis non honestarit, coluerítque. Itaque cum fide, quam integram seruare, pudorem quoque profligauit, cum non iam in latebris, ac lustris, quod etiá faciunt meretrices aliæ; sed in omnium oculis prostibula defixerit. Cùm eò peruentum est, iterat spósus horrificum illud *væ*, magni testem doloris: quo significat, actum iam de illius anima videri, quæ cum ornamentis aliis virtutis, & honestatis ipsum quoque pudo- B rem profligauit. Illud est enim quod legis Prouerb.18.v.3. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* nimirum quid immineat periculi, quid de sua intemperantia homines aut sentiant, aut loquantur.

Status extremus eius, qui pudorẽ, & animam prodidit.

99. Vers.25. *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ.*] Sicut pro viatorum necessariis vsibus excitari solẽt iuxta vias opportunis in locis diuersoria; sic etiam iisdem in locis, quasi in insidiis prostitui solent vagæ, ac publicæ irritamẽta libidinis, publica videlicet diuerticula, & in his sicut vænale vinum euulgat hedera; sic aliud erigitur signum, quod incautos forsan viatores admoneat vænalem ibi prostare pudicitiam. Ca- C put viæ biuium esse suspicor, vbi sunt eiusdem viæ in diuersa loca quædam quasi diuortia; ac perinde duarum viarum prima capita. Sanè Thamar Gen.cap.38. cùm habitum sumpsit meretricium, vt socerum deciperet, in biuio sedit, v.14. illum autem locum deligi à meretricibus solere, quia in illud è diuersis locis concurrere solent maiori frequentia viatores, constat ex eodem capite vers. 21. nam seruus Odolamites cùm de fœmina quæreret, quæ sedisset in biuio, responderunt alij, *Non fuit in loco isto meretrix.* quasi duarum viarum capita quæstui essent dicata, aut opportuna meretricio.

In biuiis meretricum prostibula.

100. *Signum prostitutionis* esse existimatur vile illud D gurgustium, vbi vænalis prostat fœminarũ pudor; quod lustrum, lupanar, aut etiam prostibulum, & fornix appellatur. Nemo enim illud in biuio cerneret, qui non eo signo cognosceret, quænam ibi merces vænum essent expositæ. Sed erant præterea in lenoniis, siue meretriciis domibus signa quædam, quæ turpem illum quæstũ euulgabant, de quibus apud profanos multa. Primum in fronte, atque aditu meretricij lustri nomen proponebatur prostituti scorti. Iuuenalis de Messalina in lupanar ingressa,

——— tum nuda papillis
Constitit auratis titulum mentita Lycisca.

& Martialis lib.Epigram.

E *Intrasti quoties inscripta limina cellæ,*
Seu puer arrisit, siue puella tibi.

In meretricis domibus signa proposita.

Nomen meretricis in lupanaris aditu scriptum.

Eodem modo Seneca Controu.1. *Meretrix vocata es: in communi loco stetisti: superpositus est cellæ tuæ titulus.* & postea ibidem, *Educata es in lupanar, accepisti locum, pretium constitutum est: titulus inscriptus est.* Tertullianus de pudicitia; *Sub ipsis libidinum ianuis: sub ipsis libidinum titulis.* Aliud signum videtur etiam in illo turpitudinis emporio fuisse præfixum, laurus videlicet, pro hedera, quæ vinũ euulgat, & lucerna, quæ cæcos homines ad illud immane barathrum trahit, & præcipitat. Sic Tertullianus lib.2. ad vxorem cap.6. *Procedet de ianua laureata, vt de nouo consistorio libidinum publicarum.* Et iterum in Apologetico ad Gentes,

Cur

Cur die læto non laureis postes adumbramus, nec lucernis diem infringimus? honesta res est solemnitate publica exigente inducere domui tua noui alicuius lupanaris habitum.

101. Ad hanc credo consuetudinem respiciebat Propheta, cùm dixit, *signum prostitutionis.* Signa autem sine dubio fuerunt altaria nefariæ idolorum superstitioni constructæ, quæ metaphoricæ libidinis, & meretricij operis diuerticulum ostendebant; ibi enim cremabantur aromata, cædebantur victimæ, & ex vnguentis optimis libationes assiduæ fundebantur; quæ iuxta institutam allegoriam fornicationes sunt. Addo præterea aliud fortasse signum esse lubentis animi, & impuræ superstitioni deuoti monumentum: nam qui olim inter Gentes religionis ergò excitabant altaria, iidem, ne auctoris memoria tempore labente senesceret, ac periret, suum sibi nomen marmori incidebant, aut æri; vt etiam nunc saxa è ruderibus effossa testantur, in quibus & Dei illius, cui consecrata est, & illius, qui dedicauit, nomina leguntur. Sic fortasse in aris, v.g. Melchon, aut Beelphegor legebat peregrinus, & hospes, *Ara Melchon a Hierosolyma dicata*; aut quid simile.

102. *Abominabilem fecisti decorem tuum.*] Id abominamur, & horremus quod aliquo nomine odiosum nobis est, etiamsi in eo nulla appareat physica mutatio. Quomodo quæ paulo antè placebat amici vox, aut imago, illa eadem, si inimicus esse incipiat, odibilis est. Color in Scythale (serpentis genus est) & mira in toto corpore varietas, auctore Solino cap.30. eiusmodi est, vt capiat spectantium oculos, & stuporem quendam animis inducat. Speciem quidem illam in auicula innoxia, aut in herba, aut lapide vehementer amares; at in Scythale, quia in ea vim quandam nocentissimam consideras, & ad nocendum appetitum vehementem, auersaris, & horres. Sane in fœmina quantumcumque pulchra, ac nobili, pulchritudinem, & nobilitatem contemnis, si accedat insania, aut vitæ turpitudo; cùm tamen interea neque in forma, neque in genere vllam subierit mutationem, quia vitæ, morumque deformitas speciem priorem facit abominabilem. Sic ergo sponsa illa, quæ dum castum, & purum seruauit sponsæ nomen, & genialem torum, amabiles habuit, & gratas geniales delicias; postquam pudorem abiecit, & placere maluit adulteris, quàm sponso, abominabilem fecit decorem suum.

Turpitudo cætera ornamenta ingenij, ac corporis reddit execranda.

Scythalis pulcritudo.

103. *Diuisisti pedes tuos omni transeunti.*] Honesto vocabulo rem obnubit obscœnam. Significat enim sponsam, seu potiùs ex sponsa meretricem neminem ab impuro concubitu repellere. Portò pedum nomine illud obscœnum exprimi, quod non solùm nudari, sed nominari turpe est, docuimus ad illud Isai.6. *Et duabus velabant pedes eius.* Opponitur autem hæc fœmina infidelis & libidinosa sponsæ illi pudicæ, & castæ, quæ ne id vnquàm contingere liceat, fœmora* sibi aureis constrinxit fibulis. Id enim adumbrat illud Cant. 7. *Iunctura fœmorum tuorum monilia.* vt nos eo loco pluribus.

Pes aliquid interdum obscœnum sonat.

104. Vers.26. *Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium.*] Seruat allegoriam adulterorum, ac fornicariæ; & hoc dicendi modo, quo explicatur, nunquam satiata fœminæ libido, ostendit quàm se Ierusalem in omnem intemperantiam, id est, in omnem idololatriam effuderit. Quid magnæ Ægyptiorum carnes si-

A gnificent, neque est coniectu difficile, neque explicatu facile viro modesto. Eo tamen modo significatur nationem illam sic esse idololatriæ deditam; vt nihil sit adeò sordidum, & ignobile, in quo non putauerit aliquid esse diuinum. Nam vt satyricè illudit Iuuenalis, cùm de Ægypti luxuriante religione loqueretur,

Ægyptiorũ Dy turpes, & multiplices.

——— *Crocodilon adorat*
Pars hæc, illa pauet saturam serpentibus Ibim,
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci.

Ægyptiis animalia, & plantæ pro Dijs.

Colit item felem, vt auctor est Strabo lib.7. Diodorus Siculus lib.2.cap.4. Plinius lib.6.c.29. Item scarabæum illum, qui stercorarias pilulas
B retrogradus fingit, ac versat, vt tradit Plinius lib. 30.cap.11. Et, quod mirere magis, cepas etiam, & porros adorant, & per illa religiosè iuramenta concipiunt, ex eodem Plinio lib.19.cap.6. de quibus Iuuenalis satyra 15.

Porrum, & cepe nefas violare, & frangere morsu,
O sancta Gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

En quomodo magnarum carnium vocentur Ægyptij, quia in illo fornicationis genere effusissimi sunt, cùm nullum sit tam fœdum, tam sordidum, tam horribile monstrum, à quo metaphoricam illam libidinem temperent, & nouis quotidie modis libidinentur, id est, deos in singulos dies nouos aut inueniant, aut fingant; nouis se
C quotidie religionibus implicent. Cum his igitur Gentibus meretricata est Hierosolyma; quia non nisi infinitis propè amatoribus, idolis nempe, in quæ vel inuita passim incurreret, metaphoricum illum sedaret pruritum, & profundam illam libidinem expleret. Quod autem hæc Ægyptiorum monstra coluerint Iudæi, dixit Ezechiel suprà cap.8. vbi in templo fuisse dicitur *omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersum idolum domus Israel, depicta in pariete.* Argumento est, quòd vitulos adorarunt aureos, quos esse in honore apud Ægyptios norant; &, vt docet Isaias cap.2. talpis, ac vespertilionibus diuinos honores habuerunt. *In die illa* (inquit do
D hoc ipso tempore) *proiiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, vt adoraret talpas, & vespertiliones.* vide quantum sit ad nouas religiones studium, quantus pruritus.

105.

Ægyptiorũ Deos coluerunt Iudæi.

Hinc alius locus similis est cap.23.v.20. quem hic etiam, licèt ante tempus, attexam; ne iterum cogar hæc reuersare, quod sanè sine molestia non possem: quæ eiusmodi sunt, vt nequeant tractata quantumcunque, vt aiunt, suspensa manu, aliquid odoris iniucundi, ac tetri non inhalare, quæ licèt castè à Propheta proposita fuerint, & Genti illi in illud libidinandi genus supra modum proiectæ, cõsentanea; tamen illa mouere, & quod interpretis munus exigit, accuratiùs euoluere, non potest non esse molestum. Sic ergo ibi de eadem Ægyptiorum intemperantia: *Et in-*
E *sanivit libidine super concubitum eorum*, (Ægyptiorum) *quorum carnes sunt vt carnes asinorum: & sicut fluxus equorum, fluxus eorum.* Hic locus ad superiorem addit seminis abundantiam, quam cum equino fluxu ideo componit, quia in equino spermate maior est quantitas, & vis fortasse ad generandum acrior. Sed ego hîc aliquid inuenio ad explicandam Hierosolymæ stoliditatem, & animum semper ad deteriora procliuem, accommodatum. In Ægyptiis diis carnes esse dicuntur asinorum, & equorum fluxus, nempe spermaticus, quia sponsa, quæ in casto, legitimóque thalamo, à Deo neque sanctas concepit cogitationes; ne-

106.

Equus libidinosus.

Cogitationes à quo concipienda. que fœtus aluit à cœlesti satu cœlo dignos; quasi diuinus ille sponsus omnino foret infœcundus; illa eadem ab equo, & asino, quorum fluxus est spurcus, & maximus, sobolem concepit stolidá, & spurcam, asino denique genitore dignam. Qualem describunt sæpe Prophetæ, dum Iudæorum libidinem, auaritiam, & crudelitatem insectantur, quæ planè soboles est ab illorum impuro, ac diabolico semine, quorum sese implicuere sacris, atque connubiis.

107. REGVLA. *Res significata pro signo.* Vers. 27. *Ecce ego extendam manum meam super te, & auferam iustificationem tuam.*] *Extendere manum* cùm multa significet, hîc animum indicat hostilem, & ad plagam inferendam intentum. Iustificatio hîc, vt reor, externum aliquid indicat, quod tamen internæ sanctitatis, atque munditiæ signum est. Quomodo religiosus cultus religiosi animi testis est, & militare auctoramentum, qualis est crux, quæ in militaribus ordinibus equitum consignat pectora, quæ signum fortitudinis est, ac bellicæ virtutis, & saccus cilicinus prophetale signum, & indumentum: siquis aut religiosum auferat habitum, aut crucem e pectore, aut cingulum à milite, aut saccum a Propheta, abstulisse dicitur religionem à religioso, aut a milite fortitudinem, & militarem gloriam, & spiritum propheticum à Propheta, quia sublatis illorum ordinum insignibus, *Lætitia, fortitudo, iustificatio pro earum insignibus* quasi sublata videtur res significata. Neque nouum est, vt res significata adhibeatur pro signo, vt lætitia pro corona, quæ lætitiæ, ac gloriæ signum est, Isai. cap. 35. v. 19. *Lætitia sempiterna super capita eorum.* & *fortitudo* pro armis, quæ fortium insignia, & munimenta sunt, Isai. c. 52. v. 1. *induere fortitudinem.* & Psal. 92. *Indutus est Dominus fortitudine, & præcinxit se.* Vnde qui diceret, auferam a te fortitudinem, aut gloriam, diceret sanè auferendam coronam, aut arma detrahenda.

108. Habebat sponsa illa fugitiua, & adultera signa aliqua, quibus hominum oculis, qui inter nos ignorant animi sensus, probare posset se iustam esse; neque à se vnquam coniugalem fidem esse violatam, quia adhuc retinebat illa dona, quibus olim a sponso fuisset ornata, quæ non videbatur sponsus relicturus, si in *A Iudæis ablata sanctitatis insignia.* sponsa fidem, aut pudorem requireret. Erat præterea externus aliquis cultus, qui indicabat aliquid in eo populo esse religiosum: hæc verò iustificatio dici poterant; quia aut simulabant iustitiam, aut iniustitiam dissimulabant. Hæc autem omnia sustulit Deus, vt appareret aut nullam esse, aut certè tantùm fucatam religionem. Sustulit enim nuptiales delicias, & vestimenta byssina, ac varia, ac tandem reliquit pudefactam, & nudam, & omnium irrisioni propositam. Templum euertit, disiecit altaria, ne superesset inanis illa religionis vmbra: atque ideo qualiscunque fuerat illa iustificatio, sublata fuit. In hanc sententiam inclinat Maldonatus. Ad hanc postremam explicationem facit, quod pro *iustificatione*, Heb. est חק *chukech*, quod præceptum, seu institutum significat. quasi dicat: Auferam legitimorum obseruantiam, sublato templo, & eò terrarum ablegabo, vbi legitimos ritus, & statas cæremonias obire non possis; neque assumere vllam simulatæ sanctitatis effigiem.

109. Idem Deus sese minatur esse facturum eidem sponsæ, quæ post amatores suos impudenter abierat. Oseæ cap. 2. *Idcirco conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo; & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum,* &c. Et hoc idem fecit cum eodem populo Deus, postquam inito coniugali fœdere, fidem primùm prodidit conflato ad montem Sinai aureo vitulo, quem adorauit; & iuxta allegoriam vsitatam, cum eo fornicatus est, Exod. 33. v. 5. Ad quem sic Deus, *Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quod faciam tibi; deposuerunt ergo filij Israel ornatum suum de monte Oreb.*

Variæ à variis afferuntur huius loci explicationes, à quibus ego commemorandis abstineo; 110.
illa minùs displicet, qui in *iustificatione*, Heb. קרו, id est, pacto, fœdus agnoscunt coniugale; quasi Deus dicat, non iam ampliùs apud se populum illum eo esse futurum loco, quem sponsa habet apud sponsum, quemque priùs habuerat, anteaquam eò se libidinis abiecisset. Sed expositio prior magis est, tum ad capitis filum, tum ad Dei ingenium, qui non tam pactum illud dissoluit, quàm ab altero violatum queritur, & punit. Maximè quia spoliationem illam ornamentorum aliis etiam in locis minatus est, cùm hoc fornicationis genus incusat. Oseæ cap. 2. *Auferat fornicationes suas a facie sua, & adulteria sua, de medio vberum suorum* (id est, idolorum effigies, quas gestabat in armillis, & annulis, vt illa intueretur assiduè, & in lamina, quæ ad pectus demittebatur è collo) *ne fortè expoliem eam nudam, & statuam eam secundùm diem natiuitatis suæ.* quando videlicet inuenta est in abiectione animæ suæ, & in suo sanguine conculcata, vt principio huius capitis vidimus.

Et dabo te in animas odientium te filiarum palæstinarum, quæ erubescunt in via tua scelerata.] Antiquum 111.
erat, & familiare dissidium inter Palæstinos, & Hebræos: quare si quid his accideret aduersum, non poterat non esse ad illorum vota. Dicit ergo tradendam esse sponsam filiarum Philistim; animabus, quia illarum votis, & desiderio satisfaciet, quæ nihil optant magis, quàm Hebræorum obscurari gloriam, aut potentiam infringi. Vt autem Palæstinæ genti gratum est Hebræorum exitium, quos odio prosequitur pene naturali; sic etiam maxima pars doloris est Israelitidi genti, Palæstinos ex suo casu voluptatem accipere. *Ex hostium gaudio magna fit doloris accessio.* Vnde 2. Reg. c. 2. optabat Dauid ne rumor de Saulis, ac Ionathæ morte ad illius gentis aures perueniret. *Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Ascalonis: ne fortè lætentur filiæ Philistim, ne exultent filiæ circumcisorum.* Cur verò filiarum potiùs meminerit, quàm filiorum Philistim, causa est, eaque duplex. Primùm, quia de Ierusalem egerat, quasi de fœmina: atque ideo cum fœminis comparat Palæstinis. Fœminas autem à fœminis contemni, aut illarum inuidiæ, atque odio satisfacere, instar mortis est. Deinde quia fœminæ, si quod communibus votis, aut vsibus opportunum accidit, cantu celebrant, & quasi legitima symphonia; quare Dauid supra stragem Israelis, & regiam cædem occultari cupit filiabus Philistim, ne publico concentu aliorum 112.
lacrymis insultent. Porrò *animam*, cum alia significet, aliquando idem valere quod appetitum, *Anima pro appetitu, aut voto.* aut desiderium, multa probant. Psal. 26. v. 12. *Ne tradideris me in animas tribulantium me.* & Psal. 40. v. 3. *& non tradas eum in animam inimicorum eius.* Exodi cap. 15. v. 9. *Diuidam spolia, implebitur anima mea.*

Quæ erubescunt in via tua scelerata.] Illam fuisse 113.
se dicit Hierosolymæ libidinem, vt Gentes etiam inimicæ aut erubescant, aut etiam erubuisse videri possint. Quid valeat illud *erubescunt*, obscurum.

rum. Ego tres video subesse posse sententias: primam vt Palæstinis fœminis pudori sit Hebræarum intemperantia, quæ dolebunt in suo sexu vsqueadeo pudorem profligari potuisse, vt talia audiat, qualia cernit in te, atque admiratur flagitia. Quod enim ab vna fœmina indecorum admittitur, id ad vniuersum fœminarum genus pertinere putant. dolor autem cùm ingens est, ipsos etiam hostes afficit dolore, certè eo dicendi modo magnum esse dolorem, aut infortunium significamus; sicut de Troianorum casu Virgilius cecinit,

——— quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Vlyssi
Temperet à lacrymis?

Et de graui Græcorum casu idem lib. 11.

——— infanda per orbem
Supplicia, & scelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus.

Vt ergo infortunium graue, inimicos afficit dolore; sic etiam grauis impudentiā inimicorum offendit animos, & vultus pudefacit. Ita Rab. Dauid, Dionysius, & indicat Tigurina translatio.

114. Secunda expositio est. Talia admisisti ô Ierusalem, qualia Palæstinarum fœminarum procacitas, ac petulantia non auderet. Licèt enim deos illos colant, qui disciplinam probant, & commendant, quæ longè abest ab honestate, atque candore vitæ; puderet tamen illas, si talia peccarent, qualia te flagitia admisisse vident. Nimirum in illis aliquid est ingenui pudoris; tu verò frontem omnino perfricuisti, vt quàm verissimè de te dictum antè fuerit Ierem. cap. 3. v. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi: noluisti erubescere.*

115. Tertia expositio est, quam Hieronymus indicat, subobscurè tamen, & Maldonatus; dum aiunt Palæstinas fœminas, ab Hebræis in nefaria illa, ac metaphorica libidine superari: quorum ego sententiam sic explico. Vsque adeò ô Ierusalem dú te in omnem libidinem totam effundis frontem, & pudorem perfricuisti, vt tui comparatione Palæstina, quæ tamen ipsa idolorum se superstitionibus tradidit, & eo libidinandi genere diffluxisse existimatur, casta videri possit, & pudica. Quemadmodum sæpe eadem Ierusalem iustificasse dicitur Samariam, & Sodomam; dum illa committit, propter quæ Gentes illæ, alioqui omnium scelerum turpitudine inquinatissimæ, iustæ existimari possent. Infrà vers. 51. *Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.* Et statim, *Vicisti sorores tuas peccatis tuis sceleratiùs agens ab eis*; (id est, præ eis) *iustificatæ sunt enim à te.* Porrò illud *erubescunt*, idem est, atque pudicæ, seu pudoratæ sunt, rubor enim pudoris, atque modestiæ signum est. Actionem autem pro habitu sumi, nimis est frequens, quomodo dicimus de eo, quem helluonem, ebrium, & aleatorem significare volumus, comedit, ludit, potat. Sic etiam alicuius verecundiam, & pudorem ostendimus, hoc ferè modo, *erubescit*, aut *pudefit*. Illa tamen explicatio, quam secuti sumus in Paraphrasi, magis videtur expedita.

REGVLA. *Actus secūdus pro primo.*

116. Vers. 28. *Et fornicata es in filiis Assyriorum, eo quòd necdum fueris expleta.*] Expleri potuit satis cumulatè illa metaphorica libido, tot idolorum monstris, quot sumpsit ab Ægyptiis; vbi, proh pudor! bobus, canibus, cercopithecis, felibus, vespertilionibus, talpis, & scarabæis succubuit: sed [illegible] ad illam fœdam intemperantiam, vt etiam Assyriorum complecteretur sacra, & barbaris diis nobilem quondā pudorem prostitueret. Neque tamē sitim illam ardentissima sedauit; sed adhuc amatores alios, ex aliis, atque aliis regionibus asciuit. Sane Prouerb. cap. 30. v. 5. insaturabilis dicitur fœminæ libido. *Tria sunt insaturabilia, & quartum nunquam dicit, sufficit; infernus, & os vuluæ.* Israelis verò ardens intemperantia optimè à Ieremia describitur cap. 2. v. 24. *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui: nullus auertet eam.*

Libido insaturabilis.

117. Sed roget hîc aliquis quo tempore Assyriorum deos Israëlitæ coluerint? Si de decem tribubus, quæ sub hæc tempora apud Assyrios exulabant, sermo esset, res non esset dubia. Vt enim duæ aliæ Babyloniæ captiuæ deos coluerunt Babylonios; vt diximus sæpe, dicemúsque deinceps necessariò. Sic etiam captiui apud Assyrios, Assyriorum sacra complexi sunt; quod indicat Tobias cap. 1. v. 12. *Cum omnes,* inquit, *ederant ex cibis Gentilium, iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus in escis eorum.* Sed duas tribus, ad quas sermo iste exprobratorius spectat, Assyriorum quoque sacris adhæsisse non dubium est; cùm ita docuerit hoc loco Propheta; neque leuis est coniectura, quæ ex cap. 8. sumitur, vbi vers. 16. seniores quidam dicuntur vertisse dorsum ad tabernaculum, vt Orientem solem adorarent. At Assyriis solem esse Deum, illúmque præcipuum, satis est verisimile, cùm id Persis, regionibúsque aliis vicinis maximum esse Numen tradant Historici. *In filiis Assyriorum*, idem valet quod, *cum filiis Assyriorum.* Pro in, Heb. אֶל el, quam vers. 26. vulgatus reddidit *cum.* *Fornicata es cum filiis Ægypti.* hîc verò *in.* Sed hæc præpositio non semel ponitur pro *cum*, Genes. 32. vers. 10. *In baculo meo transiui Iordanem.* & apud hunc Prophetam non rarò, cap. 33. vers. 25. *In sanguine comeditis.* & statim pòst, *Stetistis in gladiis.*

Iudæi Assyriorum deos coluerunt.

REGVLA. *In sumitur pro cum.*

Vers. 29. *Et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldæis.*] In Chaldæa Iudæos externam religionem fuisse complexos, constat ex Ieremiæ cap. 16. v. 13. Neque hoc in populo ingenio mobili, ac timido, quo tempore seruilem agebat, & ærumnosam vitam, mirandum est; cùm metus, & inopia multa hominibus etiam ingenuis indecora suadeat. At illud planè mirandum, & execrandum maximè, quòd in terra Chanaan, hæreditate nempe propria, fortuna Iudæorum integra, cùm nemo suaderet, nemo cogeret: tamen Chaldæorum diis, excitarit aras, libarit sanguinem, sacrarit victimas, omnia denique obierit religiosi cultus ministeria. Neque tam variè, tam sæpè, tam impudenter fornicata sedauit titillantem pruritum, aut exsaturauit libidinem immensam. 118.

Vers. 30. *In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus.*] Quemadmodum cùm medicus sauciatum hominem videt multis locis laceró, ac perforato corpore; aut lethali morbo sic affecto, vt omnem aut artem, & industriam, aut medicinam putet inferiorem, desperata sanitate ingemiscens ait: Ecqua tibi ars in hoc rerum articulo subsidio esse poterit? ecqua tibi medicina salutem afferat quomodo corporis tam durè vexati, & iamiam pestilenti tabe soluti curationem aggrediar? Sic Deus cùm videat quò sese Hierosolyma impudentiæ proiecerit; vt omnia aut prodiderit, aut contempserit. plagæ iamiam mortiferæ medicamenta, quasi nihil habeat, quod deficienti corpori opportunum adhibeat, iuxta hominum morem, cui se Deus in Scriptura frequenter accommo 119.

Difficile curatur, qui pudorem abiecit.

commodat, clamat, *In quo mundabo cor tuum?* quod tot modis, & locis, tamdiu, támque frequenter, & turpiter inquinasti? Dixit hoc idem Isaiæ c. 1. quasi iam de populi plaga atque duritia desperatione concepta, vt putat in eum locum Basilius, *Super quo percutiam vos vltrà! Hæc vox,* inquit Basilius, *animi est, non habentis in promptu quid statuat, & desperantis correctionem.* Qualis verò sit illa fœda proluuies, à qua Hierosolyma mundari posse desperat, statim declarat.

120. *Cùm facias hæc opera mulieris meretricis, & procacis.*] Fœminarum pleræque cum maximè libidine pruriunt, tamen verecundia, quæ frænum quoddam libidinis est, retardantur, quo minùs suam aliis prodant, & euulgent intemperantiam. Si tamen aliquando pudoris sibi velum detrahunt, aut frænum abiiciunt, faciunt procorum sollicitatæ muneribus, & rarò nisi rogatæ aliorum libidini succumbunt. Sed amatores ambire, & illorum expetere, aut etiam inuitare, imò & extorquere congressum, non nisi meretricis est, atque eius, quæ ex vænali pudore quæstum instituit. Cùm autem eò peruentum est, vt non solùm quis aliorum petulantiæ seruiat, sed etiam vltrò alios ad nefarium illud opus inuitet, planè tunc desperandum est; in quem statum optimè cadit vox illa diuina, *In quo mundabo cor tuum?*

121. *Procax quid sit.* Quid sit *procax*, facile coniectare est, si *proci* proprium vsum, atque significationem consideres. Est enim procus, qui alicuius ambit nuptias, aut quod proprium est nuptiarum opus; dicitur autem procus à procando, id est, petendo, vt dicit Cicero. Vnde procax idem erit, quod petax. Expressit optimè *procacis* naturam Columela in ariete, de re rust. lib. 7. c. 3. *Fit in fœminas quoque procacior, nam riualem (quamuis solus admissura non sufficiat) violentissimè persequitur, neque alio tempestiuum patitur inire gregem, nisi cùm est fatigatus libidine.* Est igitur procax fœmina, quæ non solùm expectat amatores, eorúmque petulantiæ paratum habet, & vænale corpus, quod meretricis proprium est; sed quæ lacessit alios, inuitat, & cogit, quæ non tam rogatur ab aliis, quàm alios ipsa rogat, & instimulat. Quod valde ad hunc locum accommodatè dixit Tullius de Clodia in oratione pro Cœlio, vbi cùm vagam descripsisset fœminam, quæ conuiuia obit, & publica balnea, & quæ segnem aliorum libidinem sollicat, sic dicit, eadem penè, quæ hoc loco Ezechiel. *Vt non solùm meretrix, sed etiam procax, videatur.* Ac si dicat, non modò parata est, vt excipiat aduentores ad impuras merces, sed etiam emptores quærit, & ad emendum instigat. Inter *meretricem* itaque & *procacem*, id apparet esse discriminis, quòd inter mercatorem, qui domi sedet, & emptores expectat, & circitorem, qui ciuitatem lustrat, & euulgandis mercibus obuios quosque ad emendum sollicitat. Quare procax aliquid vilius, ac turpius addit operi meretricio. illud verò quid sit, statim attexit, satis ad nostram explicationem consentaneè.

Vers. 31. *Quia fabricasti lupanar, &c.*] Hæc nobis suprà explicata sunt ad versum 24.

122. *Nec facta est quasi meretrix fastidio augens pretium.*] Meretrix in sua meritoria palæstra non tam spectat voluptatem è Venere, quàm compendium aliquod, & lucrum. Quare molestiæ plurimum, atque fastidij aliquando capit, ex illa impura negotiatione, & quo plus inde sustinet molestiæ, plus etiam ab amatore postulat pretij. At quæ non habet artem illam quæstuariam, sed, vt ita loquar, voluptuariam, quales sunt adulteræ, & magnorum maximè virorum vxores, quibus nihil ad vsum atque delicias deest, illæ neque fatigantur libidinando, neque pretium exigunt, sed oblato potiùs pretio amatores ambiunt, & procaci, atque petulante voce sollicitant. Exemplo esse posset Claudij Imperatoris vxor Messalina, quæ habitum mentita meretricium publica noctu ingrediebatur lustra, vt multorum consuetudine suæ sibi libidini satisfaceret. Talis omnino fuit Ierusalem clarissimi sponsi, ac locupletissimi nobilitata connubio; quæ cùm non egeret ad victum, cultúmque regium necessariis, ipsa potius largiebatur, quàm ab amasiis expetebat munera.

Hæc explicatio mihi visa est non aliena ab instituto: sed quia fastidium superbiam significat, & ex superbia contemptum; qua aliorum dicta, factaque respuimus, aut vilia putamus; & voces Hebraicæ id sibi volunt maximè, in aliam potiùs explicationem abeamus. Insolens meretrix, déque sua sibi forma vehementer placens, exiguum prostituti corporis pretium oblatum ab amatore contemnit, idque cum fastidio, id est, cum fastu, quo à se amatorem, & vilem ab eo mercedem oblatam repellit, vt de Laide Corinthia refert ex Phocione Gellius lib. 4. cap. 8. *Lais,* inquit; *Corinthia ob elegantiam, venustatémque formæ grandem pecuniam demerebat, conuentúsque ad eam ditiorum hominum ex omni Græcia celebres erant, neque admittebatur, nisi qui dabat, quod popoścerat; poscebat autem illa nimiam quantitatem. Hinc aiunt natum esse illud frequens apud Græcos adagium: Non cuiuis datum adire Corinthum.* Cùm hæc à Demosthene pro illo nefario corporis vsu decem drachmarum millia posceret, respondisse traditur Demosthenes, *Ego tanti pœnitentiam non emo.* Non sic Ierusalem, quæ cùm propter venustatem, ac datas ab sponso liberali delicias, superbire potuisset, datásque ab amatoribus fastidire mercedes, & augere pretium; tam longè fuit, vt cari venderet corpus, quod habebat vænale, vt pretio ipsa potiùs amatores accerseret. Vide quàm Dei dona habuerit vilia, infidelis hæc sponsa; & hinc tu quoque disce, cùm captas sæculi voluptates, & sentientis animi motibus succumbis, quàm parui facis ornamenta animi; quæ ad spirituales nuptias largita est diuina manus, vt conculces Christi sanguinem, quo te emit cœlestis sponsus, & ornauit, Actor. 20. *Quam acquisiuit sanguine suo.* vt contemnas sponsalia munera, quibus te Dominus ad mysticum coniugium exornauit. Oseæ cap. 2. *Desponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in miserationibus.* Reliqua ad versum vsque 36. obscura non sunt. 123. *Meretrix superba.* *Dei dona à peccatore contempta.*

Vers. 34. *Et post te non erit fornicatio.*] Eo sensu videntur hæc esse dicta, quo illa superiora vers. 16. *Fornicata es super eis, sicut non est factum, neque futurum est.* vide quæ eo loco diximus. Talis autem fuit, támque inusitata hæc Hierosolymæ intemperantia; vt quæ præcessit iam olim, & quæ deinde futura est, si, cum tua componatur, iudicari fornicatio non debeat. 124.

Vers. 36. *Quia effusum est æs tuum.*] Hîc Hebræi nescio quid odorantur obscœnius, & miror quibusdam è nostris illorum probare potuisse sententiam. Quorum ego neque proponere, neque infirmare cogitationes velim; quia pudet illa vel ad refellendum assumere, quæ pudicæ aures non libenter accipiunt. Hæc ergo refero ad munera, quibus illa prodigiosa meretrix externos sibi concubitus emebat; quæ tam fuit in largien- 125.

largiendo profusa, vt luculentas opes, quæ aliis etiam Gentibus admirationi fuerant, prorsus exhauserit. Hæ verò opes optimè æris significantur vocabulo: nam licèt ex argento, & auro plerumque pecunia conflata sit; vnde à materia aurum vocatur, & argentum; tamen non rarò percutitur, aut conflatur ex ære. Vnde tam apud sacros, quàm apud profanos æris nomen pro pecunia è quocumque metallo fuerit, vsurpatur. Sic *æs alienum* pro debito. Sic Christus Ioannis 2. *nummulariorum effudit æs.* Et licèt æs vilius plerumque metallum significet, aliquando tamen per synecdochen materiam omnem valet, ex qua aut finguntur signa, aut conflatur moneta. In hanc sententiam accipit Hieronymus, cui ego sic adhæreo, vt alias neque probem, neque audiendas putem.

126. Quomodo verò ad prouocandos, seu quærendos adulteros effusum fuerit æs, multis locis Deus ipse monstrauit. Quia nimirum ex argento suo conflauit populus ille simulacra, quæ sæpe in allegoria proposita amatores sunt, & adulteri; cum quibus tunc est fornicatus, quando illa pro Deo coluit, & illis se venerabundum prostituit. Sic proximè versu 17. *De auro meo, atque argento meo fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis.* Isai. cap. 46. v. 6. *Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis, conducentes aurificem, vt faciant Deum, & procidunt, & adorant.* Idem Oseæ c. 2. v. 8. Idem omnino hoc loco Ezechiel, cùm dicit effusum æs, & coram amatoribus ignominiam esse reuelatam; quod nihil est aliud, quàm supplicem stetisse coram idolis à se formatis, & metaphoricam illam fornicationem exercuisse.

127. *Reuelata est ignominia tua.*] Quid sit ignominiam reuelari, proximè explicuimus. Porrò hic dicendi modus in Scriptura sacra frequentissimus est, qui res natura sua obscœnas, & turpes, modis explicare solet non obscœnis; hoc millies audis Leuit. cap. 18. & cap. 20. Sumitur autem pro fornicatione id, quod fornicationis opus antecessit, quod fieri ab his, qui castis morigerantur auribus, frequenter solet.

128. *Et super idolis abominationum tuarum in sanguine filiorum.*] Illud *&*, expositiua particula est. neque enim in instituta metaphora, amatores, de quibus proximè, diuersi sunt ab idolis. Dicuntur autem abominationum idola; quia in illorum cultu res planè fiunt abominabiles, quas ipsa horret natura, & qui non omnino desipiunt, execrantur. Quale est, quod statim additur, *In sanguine filiorum.* Quo enim suam in deos beneuolentiam, & studium magis explicarent; non solùm effundebant æs, id est, opes, & ornamenta, sed sua etiam viscera; traducebant quippe filios per ignem, & illorum sanguine impias imbuebant Idolorum aras. Vide quid de Topheth, & Moloch diximus ad illud v. 20. *& tulisti filios tuos.*

Filij idolis immolati.

Amoris magni significatio.

129. Vers. 37. *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commixta es, &c. cum vniuersis, quos oderas, &c. & nudabo ignominiam tuam coram eis.*] Hinc iam nonnihil recedit ab instituta metaphora: & ostendit quod maneat supplicium metaphoricam illam, prodigiosámque libidinem. Commiscuerat se Hierosolyma cum Ægyptiis, quorum amplexa fuerat religionem, qui eo tempore Iudæorum commodis studebant: & cum Assyriis, quorum deos cum illis voluit habere communes; & cum Chaldæis, quos in terra Chanaan eiusdem habuit religionis socios, ex his quosdam ode-

A rat, Assyrios videlicet, & Chaldæos; & alios etiam populos, qui cum Chaldæis in Iudæorum nomen coniurarunt; alios amabat; quos sua causa laborare nouerat. Ait igitur Deus passuram esse Hierosolymam propriè, spectantibus tam qui illam amauerant, quàm qui oderant, ignominiam; quam illa priùs metaphoricè ab idolis subacta, sustinuerat. Cadet enim ab eo statu, qui ipsius animam insolenter inflabat, & in seruilem conditionem abiecta, eò redigetur ignominiæ, vt non solùm barbarorum dominorum im-
perio, sed etiam libidini parere cogatur. Quod 130.
contumeliæ genus proprium esse ancillaris fortunæ millies audis in Scriptura sacra; vel quia ancillaris vestis breuior erat, quàm honestas deceret; vel quia domini nimirum voluptuarij in ancillarum corpus quiduis sibi licere existimabant. Hanc ignominiam minatur Isaias Babyloni captiuæ cap. 47. *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, reuela crura.* Et Ægypto, atque Æthiopiæ cap. 20. *Sic minabit Rex Assyriorum captiuitatem, & transmigrationem Æthiopiæ iuuenem, & senem; nudum, & discalceatum discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.* Et Nahum cap. 3. de Niniue, *Reuelabo pudenda tua in facie tua: & ostendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Id verò passam fuisse Ierusalem cùm in illud incidit tempus, de quo hoc loco Propheta, lamen-
C tatur Ieremias Thren. cap. 5. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. Adolescentibus impudicè abusi sunt.*

Ancillarum grauis ignominia ab aliorum intemperantia.

Vers. 38. *Iudicabo te iudiciis adulterarum, & ef-* 131.
fundentium sanguinem.] Duo admisit scelera Ieru-
salem, eaque grauissima, quibus certa sunt à le-
ge designata supplicia. Adulterium; quia se ido-
lis nefariis complexibus immiscuit, & homici-
dium; quia eisdem filiorum sanguine litare vo-
luit. Adulterium lapidatione punitur, Deut. c. 22.
Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam
aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea, educes vtrum-
que ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruetur.
Quod etiam ex lege citarunt Scribæ Ioann. 8.
D contra mulierem in adulterio deprehensam.
Magister, inquiunt, *hæc mulier modo deprehensa est in*
adulterio; in lege autem Moyses mandauit nobis huius-
modi lapidare. Quæ sit homicidæ, aut effundenti
sanguinem à lege certa constituta pœna, non in-
uenio; illud solùm video Exod. cap. 21. illud sup- 132.
plicij genus violentis indici, quo ipsi in alios
bacchati sunt, & talia ipsis esse subeunda, qua-
lia proximis intulere damna. *Sin autem mors eius*
fuerit subsequuta, reddet animam pro anima, oculum pro
oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro
pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, li-
uorem pro liuore. Ex quibus videtur posse colligi,
illum cædendum esse gladio, qui gladium in al-
terum distrinxerit; periturum suspendio, qui ad
suspendium alterum adegerit; eo denique mor-
E tis genere puniendum, quod inflixit alteri. Quod
Christus ipse explicuisse videtur, siue ex lege, si-
ue ex vulgari sermone, qui Matth. c. 26. v. 52. di-
xit ad Petrum, *Conuerte gladium tuum in locum*
suum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peri-
bunt. Apoc. 13. v. 10. *Qui in captiuitatem duxerit, in*
captiuitatem vadet: qui in gladio occidit, oportet eum
gladio occidi. Quæ lex à diluuij tempore indicta
videtur esse mundo: sic enim Dominus ad Noë
Genes. cap. 9. v. 6. *Quicumque effuderit humanum*
sanguinem, fundetur sanguis illius. Hoc ergo suppli-
cium passa est Ierusalem, & quod adulteris, &
quod homicidis à lege decernitur. Sic enim sta-
tim

Adulterij pœna.

Talionis pœna.

133. *Adultera combuſta.* tim verſ.40. *Et adducent ſuper te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladiis ſuis.* Huc etiam ſpectat, quod ſtatim adiicitur, *& comburent te,* quia veriſimile eſt adulteras olim ſolitas eſſe comburi. Sanè ita fieri iuſſit Iudas aduersùs Thamar, quam adulteram eſſe ſuſpicabatur, Geneſ.cap.38.v.24. *Producite,* inquit, *illam, vt comburatur.* Et Leuit cap.21. Sacerdotis filia, quæ illius ſceleris conuicta fuerit, comburi iubetur. Similem locum habes infrà cap.23. verſ.45. vide quæ nos ibi.

134. *Zelotypia dolor.* *Dabo te in ſanguinem furoris, & zeli.*] Grauis ſtimulus eſt à zelotypia, qui ita viri animum compungit, propter iniuriam violati tori, vt nullo modo ſedari, nullo modo placari poſſit adulteræ. Quare furor zelotypi grauis, qui non ſedatur, aut expletur niſi vxoris ſanguine, quem vehementer ſitit. de quo eſt illud Prouerb.6.v.34. *Zelus, & furor viri non parcit in die vindictæ: neque acquieſcet cuiuſquam precibus: nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.*

135. Verſ.41. *Et facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum.*] Quia de Ieruſalem tanquam de fœmina ſermo inducitur propheticus, ideo aliæ etiam nationes fœmineo etiam genere notantur. Eſt autem in fœminis indecorum, & graue turpes videri, & indecorum aliquid admiſiſſe; at longè grauius eſt, ſi teſtes habeant ignominiæ ſuæ fœminas alias. Eſt enim inuidum, & vindictæ appetens fœmineus ſexus: quare vehementer gaudet, cùm videt illas è ſuo gradu cecidiſſe, quibuſcum habuit de forma, aut de honeſtate certamen.

136. Verſ.42. *Et requieſcet indignatio mea in te: & auferetur Zelus meus à te.*] Quidam, teſte Hieronymo, hæc in mitiorem explicationem arripiunt; qui, vt puto, ex Hebræorũ Gente ſunt, qui grauiter ferunt genus ſuum à Domino dici deſerendum eſſe. Sanè eius ſententiæ fuit Rab. Dauid, qui ideo putat quieturam eſſe diuinam indignationem, & ab illo populo zelum auferendum; quia ſic populus ille vexatione compunctus, & eruditus mutabit mores, neque quicquam erit poſtea, quod Dominus indignatione ſua dignum inueniat; neque erit in quod zelotypi ſpiritus furor inflammetur. Sed ſanè ſenſus hic nimis eſt violentus: nam iam adultera lapidibus obruta, iam gladio trucidata, iam combuſta flammis inducitur: quare ab illa ſperari non poterat vitæ mutatio, neque ſponſi mollior indulgentia.

137. Eſt ergo dicendum cum Theodoreto, Hieronymo, & è recentioribus aliis, qui hæc verba ab indignato Domino cenſent eſſe profecta. Aut quia ita ſemel populum illum percutiet, vt neceſſe non ſit vulnus iterare, quomodo dixit Nahum cap.1.v.9. *Conſummationem ipſe faciet: non conſurget duplex tribulatio.* quia videlicet vna proſternet omnia. Aut quia ſic populum illum impoſterum accipiet, vt de illius fortuna, quæcumque illa fuerit, non admodum laboret; id eſt, populum tanquam alienum intueatur, ſinatque vt ſuo ſe arbitratu regat, & in exitium ruat voluntarium. *Supplicium graue eſt & irati animi ſignum abſi nerua flagello.* Sanè pater nihil impunitum abire ſinit, quod filius ſcelerate deſignauit; tunc enim tanta efferueſcit indignatio, quantus amor eſt filij, & ſtudium ſalutis; quòd ſi in peccatis filij indignatio quieſcat, aut zelus auferatur, aut frigeat, tunc planè conſtat aut filium tractari tanquam alienum, aut certè de amore plurimum eſſe remiſſum. Id ergo nunc videtur minatus eſſe Dominus populo; quia requieſcet indignatio poſtea,

A vel quia ſic afficietur durè, vt de illo actum eſſe videatur; vel quia alienum arbitrabitur, neque quid patiatur aduerſi quicquam curabit. Quemadmodum vir dato repudij libello, ſolutus eſt ab ea cura, quam habebat antea cuſtodiendæ, atque ornandæ coniugis, quam vagari, ſuæque libidini ſeruire permittit; quia nihil ad ſe de vxore pertinere putat. & id credo magis hunc locum ſibi velle.

Verſ.43. *Vias tuas in capite tuo dedi.*] *Vias* pro viuendi inſtituto ſumi ſatis eſt vſitatum, & notum, item *caput alicuius*, pro illo, cuius eſt caput, vt pluribus oſtendimus ad illud Iſai.cap.35. *Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum.* Illud verò *dedi,* 138. *Caput pro eius cuius eſt caput.*
B pro futuro ponitur, quod apud Prophetas valde frequens, maximè cum id quod futurum eſt, proximum eſt vt fiat, vt alibi a nobis probatum eſt. Et quidem ſic Iudæorum populo prope calamitas imminebat, vt aduenisſe iam exiſtimari potuerit. Eſt igitur ſenſus: Supplicium tibi impoſui, quod tua exigebat perdita viuendi forma, & illa via, quæ ad ærumnoſum ſtatum, & morti quàm ſimillimum deducebat.

Et non feci iuxta ſcelera tua.] Aliqua hîc ſupplent, alia mutant Hebræi, vt leuius, credo, peccatum eſſe doceant Gentis ſuæ, quàm Hebraici textus vis, & ratio ſignificant; mitto illorum ſiue argutias, ſiue figmenta, ne cum illis nugari, ac 139. *Deus mitius punit quàm merentur peccata.*
C delirare videar. Et veram, atque communem ſententiam adducam, quam obuiam textus ipſe non inuitus offert. Dixerat Dominus peccata ſe populi in illius caput conuertiſſe, graue nimirum ſupplicium, quod profligata vita, & omnibus flagitiis inquinata poſcebat. Qui dicendi modus parem ſignificabat peccato pœnam; & nihil de ſupplicij debita grauitate remiſſum. Nunc verò Deus ne ſibi populus minus peccaſſe videretur, ex ſupplicij modo, qui non apparebat adeò grauis, addit non pro ſcelerum modo æquales ſubiiſſe pœnas, neque cum illo ſummo iure fuiſſe actum; ſubiiſſet enim multo grauiora, ſi ad pondus, & lancem eſſet futura compen-
D ſatio.

Verſ.44. *Sicut mater, ita & filia eius.*] Prouerbium hoc eſſe dicitur, neque illius eſt obſcura ſententia, omnibus penè linguis familiaris; quæ in filiis maternum ingenium emicare dicunt. Eccli.11.v.30. *In filiis ſuis cognoſcitur vir.* Qua de re multa, & grauiter Patres, Ambroſius lib.3.de virgin. *Quid potuit filia de adultera matre diſcere niſi damnum pudoris.* & Chryſoſt.homil.10.ad Coloſſ. *Solent plerumque filiolæ ad rationem educationis componi, & mores imitari maternos. Eſto filiola tua caſtitatis, & modeſtiæ exemplar.* Audi ex profanis Iuuenalem Satyr. 140. *Filij parentum mores exprimunt.*

Scilicet expectas, vt tradat mater honeſtos,
Atque alios mores, quàm quos habet?

E Neque hoc doctrina ſolùm, ſed etiam natura facit; a qua filij parentum plerumque exprimunt ingenium, de quibus eſt illud Horatij lib.4. ode 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Hîc nobis explorandum quæ ſit iſta mater, cuius exprimit mores inuerecunda filia. Hanc ego credo eſſe illam, de qua in principio capitis: vbi Ieruſalem originem traxiſſe dicitur ab Amorrhæo patre, & matre Cethæa; qui cùm Gentiles eſſent, toto in idola muta, & peregrinos 141. *Ieruſalem cur ex Cethæo & Amorrhæo genere dicatur nata.*
deos

deos studio ferebantur, Dei veri, quem nondum agnouerant, prorsus immemores. A quibus illa didicerant, hisque se assuefecerant vitiis; quæ impuris deis magis erant in votis. Qualis ergo fuit Cethæa mater, ex qua Ierusalem nata dicitur, quia ab ea Cethæos hausit mores, talis etiā fuit Ierusalem, ita vt in ea nihil spectes, nisi gentilicum. Et quemadmodum Amorrhæi, atque Cethæi sic fuerunt suis expulsi sedibus, atque ita deleti, vt vix quicquam præter inane nomen reliquum fiet: sic etiam propter commune vitæ genus accidet Ierusalem. Expellentur enim bellorum reliquiæ, quæ non erunt admodum magnæ; è Iudæo tractu, & barbaro aliorum imperio subiacebunt, sic exhaustæ, ac sordidæ, vt præter nomen, eo rerum vestigio odiosum, & ignobile; nihil ferme ex tanto populo reliqui fuisse videatur. Hanc sententiam aliqua ex parte confirmat illud Leuit. cap. 18. v. 27. vbi vitia narrantur illarum Gentium, quarum Ierusalem mores imitatur; & earum supplicium exponitur; & nisi ab illorum se turpitudine contineat, simile denuntiatur exitium. Cùm enim talia processissent flagitia, qualia nunc arguitur fecisse Ierusalem, statim adiicitur, *Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam: cauete ergo, ne & vos similiter euomat, cum paria feceritis, sicut euomuit Gentem, quæ fuit ante vos.*

142. Vers. 45. *Filia matris tuæ es tu, quæ proiecit virum suum, & filios suos.*] Ostendit veram esse illam vsurpatam vulgi sermone parœmiam, de qua proximè. Nam verè Ierusalem Cethææ matris mores expressit, adeò vt in illa spirantem ipsius effigiem spectare te putes. Sicut autem ille, qui paternis insistit vestigiis, patrissare dicitur, sic etiam illa, quæ maternum sapit ingenium, & totam se ad illius mores attemperat, matrissare, eadem loquendi forma dici potest. Mater Cethæa reliquit virum, fortasse id inter Cethæos vsitatum, vt mulier neque in fide, neque in connubio solita esset seruare constantiam, sed alias quotidie, atque alias iniret nuptias; cuius rei gratia dixisse videtur Rebecca Gen. 27. v. 46. *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth* (id est, propter Cethæas fœminas) *si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.* Sane reliquit Deum, quem vnum tanquam sponsum, amare, atque obseruare debuit. Hanc imitata est Ierusalem; quæ prodito coniugali thalamo, in aliorum se fidem, & complexum dedit. Proiecit Cethæa mater filios suos, aut quia id in Cethæa cognatione non infrequens; vt recens natos morituros desereret, expositos feris, & duræ tēporis inclementiæ, vt vidimus in principio capitis; vbi illa, quam enixa traditur Cethæa mater, abiecta describitur, & in ipso puerperij sanguine conculcata. Seu quia filios suos ad impias idolorum aras immolabat; quod hoc capite, & alibi non semel ad ethnicæ gentis dirum exemplum fecisse traditur Ierusalem.

Cethæa fœmina mores & ingeniū.

143. *Soror sororum tuarum es tu, quæ proiecerunt viros suos.*] Non vnam habuit filiam Cethæa mater, quia multas habuit, quibus & naturam ingeneraret suam, & mores imprimeret. Est enim ad hunc allegoricum partum, impiorum vterus vehementer fœcundus: plures enim generat, ac format malorum, quàm bonorum exemplum. Natura quippe ad malum prona, vt facile se malis artibus fingendum præbet, sic se ad virtutem, & ingenuos mores præbet indocilem. Habuit ergo Cethæa illa, & barbara genitrix duas alias filias, Samariam, & Sodomam, quæ libidinis fuerant profusissimæ, & vagis se connubijs oblectabant; neque magis aut morum studebant honori, aut filiorum saluti, quàm Cethæa mater. His fuit quàm simillima Ierusalem; vt quæ in eodem vtero formata, eosdem quoque hausisset spiritus, & ingenium. Porrò sicut priùs filia dicitur matris, quia parentis exprimebat mores, matrissabatque; sic modò soror dicitur sororum, quia sororissat, id est, eodem cum sororibus ingenio, atque animo conspirat.

Samaria, & Sodoma sorores.

Mater vestra Cethæa.] Explicat, quæ modò significarat obscuriùs, docetque quænam sit illa mater, cuius in se referebat effigiem, & quæ sorores, quæ eisdem educatæ vberibus, eisdem disciplinis institutæ sunt.

Vers. 46. *Soror tua maior Samaria, ipsa, & filiæ eius, quæ habitant ad sinistram tuā.*] In Samaria decē aliæ intelliguntur tribus, quæ tunc tēporis apud Assyrios exulabant; quia in Samaria caput erat, & sedes earum familiarum, quæ se à cognato sibi populo distraxerant. Dicitur autem soror, aut quia ab eodem prognata sanguine, à stirpe videlicet Israëlitica; aut potiùs, quia eosdem habuit cum illa mores, & idem ingenium, vtpote à Cethæo genere procreata. Dicitur verò soror maior, aut quia maior erat populi pars, cui Samaria præerat: nam decem tribus è duarum se societate diuiserant; vel quia ibi maiores erant fratres, id est, natu, aut dignitate priores. Natu quippe maior fuit Ruben, qui cùm à primogeniti loco, propter iniuriam violati paterni thalami, excidisset, eius loco, primogeniti dignitatem, & nomen Iosephus obtinuit, 1. Paralip. cap. 5. *Filij quoque Ruben primogeniti Israël. ipse quippe fuit primogenitus eius; sed cùm violasset torum patris sui, data sunt primogenita eius filiis Ioseph.* Hæc verò ad sinistram est Ierusalem, vt ex topographia liquet. 144.

Samaria cur, soror maior Hierosolymæ.

Rubē à primogenitura excidit.

Soror autem tua minor, quæ habitat à dextris tuis, Sodoma.] Altera soror est Sodoma, de cuius vitæ inhospitali, atque impura habes Genes. cap. 19. Hæc verò à dextris est Hierosolymæ. Dicitur autem soror, quo sensu Cethæa dicitur Hierosolymæ mater, morum videlicet imitatione, quia sic vixit, vt Cethæum videretur hausisse spiritum. Sic Sodomæ etiam appellatur soror, quia non magis sorores vultu similes, quàm duo illi populi morum, ac studiorum communitate. Sunt qui in Sodoma non intelligunt Pentapolim, ciuitates nempe illas, quæ cœlesti conflagrarunt incendio; sed tribum Ruben, & Gad, & dimidiā tribum Manasse, quæ vltra Iordanem prope mare mortuum, vbi quondam sita fuerat Sodoma, consederunt. Quæ propter vicinitatem regionis illius iam desertæ nomen sibi vendicarunt; & hinc sibi sententiam illam persuadent, quia nullo modo Sodoma soror vocari poterat Ierusalem; quia priùs de cœlo tacta, ac consumpta, quàm Israëlitica progenies euasisset in populum. Quam ego sententiam postea ad num. 165. magis probo; vbi rationes aut soluuntur, aut infirmantur, quæ minus huic cogitationi fauent. Illæ verò sunt, quia non erat cur de his familiis seorsum ageretur, cùm iam de illis actū esset perspicuè, dum cum Samaria ipsius filiæ coniunguntur. Filiæ verò sunt Samariæ, prouinciæ omnes, quæ Israëlis sceptro subiiciuntur, cuius Samaria est caput, atque metropolis. Neque incōmodat, quòd habitari nunc dicatur Sodoma; cuius iam dudum situm lacus Asphaltites 145.

Sodoma, cur soror Hierosolymæ.

Sodoma pro tribubus, quæ consistere vltra Iordanem.

oppleuit; quia habitatio nihil aliud hic, quàm situm significat, vbi olim fuerat ædificata Pentapolis. Aut etiam habitari tunc dicitur locus ille damnatus è cœlo, quia illic adhuc visebantur illarum ruinæ ciuitatum, & incendij cœlestis non obscura vestigia.

147. Neque valde videbatur alienum si in Sodoma Gentilium populos intelligas, qui toti inanium deorum religioni erant addicti, quorũ sic Iudæis sacris adhæserant, vt patriæ pietatis, & instituti viderentur immemores. Sumitur autẽ hîc per synedochen species pro genere, Sodomæi videlicet, qui nullam a Deo legem præter naturalem acceperant, pro omnibus, quos Dei nulla peculiaris disciplina instituerat. Quod ideo videtur posse probari, quia infra versu 53. vbi iterum hæ eædem prouinciæ coniunguntur; Sodoma nisi de gentilicis populis accipi nõ potest. Sed quid magis videatur verisimile, eo loco dicemus: neque hæc sententia nobis est admittẽda.

148. Vers. 47. *Sed nec in viis earum ambulasti: neque secundùm scelera earum fecisti pauxillulum minus, penè sceleratiora fecisti illis.*] Obscurus est hic locus, neque vno modo ab aliis explicatus, & redditus. Pagninus, *Et non in viis earum ambulasti, nec secundùm abominationes earum fecisti, velut paululum, pauxillùmque foret, sed corrupta es præ illis in omnibus viis tuis.* Tigurina, *Et quidem in viis eorum non ambulasti, nec secundùm abominationes earum fecisti, sed per pusillum in omnibus viis tuis, quàm illæ sceleratiùs fecisti.* Heb. *Sicut parum, parum, & corrupisti præ illis omnes vias tuas.* Quidam illud, *pauxillum minus penè* cum præcedentibus, alij cum consequentibus ligant. Cum præcedentibus quidem Hugo, Lyra, Dionysius, Chaldæus, Rab. Salomon. At Septuaginta, iuxta codices à Sixto correctos, cum consequentibus iungunt. *Sed ne sic quidem in viis earum ambulasti, neque secundùm iniquitates illarum egisti: paulominus & supergressa es eas.* quibus accedunt ex Hebræis nonnulli. Quod ad sententiam attinet, siue hoc, siue illo modo conuertas, aut nihil est, aut non nisi parum discriminis. Significatur enim Ierusalem adhæsisse Sodomæis, siue gentilicis moribus, & Samariæ peruersissimis viis, imò in auiis illis, vagisque vestigiis magis errasse; dicendi tamen figura diuersa est. Sequar tamen distinctionem, quam Latini codices magis correcti seruant, qui dum *pauxillum minus* à consequentibus semipuncto dispungunt, planè docent illa ad præcedentia magis, quàm ad consequentia pertinere.

Sodoma pro Gentilium populis.

149. Rab. Dauid paulo aliter vertit, & exponit hunc locum, cui è Recentioribus aliqui subscribunt. *Secundùm paruulum, paruulum tempus: & fecisti peiora iis in omnibus viis tuis.* Quasi Ierusalem, quæ prioribus antè sæculis, nempe sub Achaz idola coluerit, & gentilica sacra in templum inuexerit, mulctata Samaria, & in exilium abducta, paululum resipuerit sub Ezechia; quo mortuo, quasi regressus esset ille idololatricus impetus, sic erupit, atque exarsit vehementer, vt Samariæ scelus, & Sodomæ, id est, gentilitatis studium in colendis idolis longè superauerit. Cum Rab. Dauid sentit quoque Vatablus.

150. Sed iam textum vulgati, & eius distinctionẽ exploremus. Illud *pauxillum minus*, præcedentibus associo: & illud, *sed nec*, quod est in principio, cum illo coniungo, in hanc sententiam. *Sed neque pauxillum minus in viis earum ambulasti, neque secundùm scelera earum fecisti.* Quasi dicat, neque peccasti leuiter, illarum Gentium ingressa vestigiis. Adhibet autem hic quoddam gradationis genus; primùm peccasse dicit, cum Samaria, populisque gentilibus, atque ita peccasse, vt in peccando, neque paululo quidem foret inferior. Deinde paulo altiùs progreditur, & aliquid adiicit incrementi, dum ait ita peccasse, vt illarum Gentium æquauerit insaniam, imò & visa fuerit aliquid suscepisse sceleltius. Tandem docet versu 51. longè fuisse Hierosolymæ, quàm aliarum prouinciarum maiora flagitia. Qui gradationis modus aut explicat magis Hierosolymæ impietatem, & scelus dum à sceleratis ad scelerata fit gradus, & sceleris amplificatur magnitudo, quale est illud Tullianum, *Facinus est vinciri ciuem, scelus verberari, prope parricidium necari, quid dicam in crucem tolli!* Aut certè modus ostenditur, quo ad tantam illam impietatem progressa est. Nam primùm sic est imitata gentilicos mores, vt parum infra Gentium impietatem constiterit; deinde vt illis in eo peccandi genere nihilo esset inferior; tandem vt illas longo antecesserit interuallo. Sic puto locus expeditus est, & quæ deinde sequuntur sine offensione currunt.

Vers. 48. *Viuo ego dicit Dominus, quia nõ fecit Sodoma, &c.*] Hæc satis ex superioribus lucis accipiũt.

Vers. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium.*] In Sodoma, vt dixi, populi intelliguntur Gentiles, illi præsertim, qui Iudæorum fines propiùs attingebant, Amorrhæi, Cethæi, Idumæi, quique vt vacuam Israëlitis relinquerent terrã promissionis, ex suis finibus expulsi sunt, siue potiùs tribus, quæ vltra Iordanem consederunt. Nunc ostendit cur Gentes illæ, quarum exitus similes populo iam imminebant Iudaico, grauia illa infortunia pertulerint; vt ex illis discat, quàm non immeritò similes casus subire debeat, cùm eadem habeat fomenta, blandimentaque libidinis; & eandem tanti incendij materiam. 151.

Prima illius incendij fax fuit superbia, quæ iram Dei inflammat contra se, & pestem inuehit ciuitatibus, quæ diu stare nullo modo possunt, quia Deum habent in suum exitium armatum, & intentum. Prouerb. cap. 16. *Contritionem præcedit superbia; & ante ruinam exaltatur spiritus.* & cap. 15. *Domum superborum demolietur Dominus.* De Moab Ieremias cap. 49. *Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui, qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collium, cùm exaltaueris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, ait Dominus.* In hanc sententiam occurrunt infinita propè loca tum in Scriptura, tum apud Patres, plura videbis apud hunc Prophetam c. 28. & cap. 31. contra Tyrum, ibi nos ea de re plura necessariò. Quàm verò superbi fuerint populi, quos è suis sedibus expulit Deus, ex illorum inhumanitate existimari potest, quia filios Israël prohibuerunt, non hospitio solùm, sed etiam aqua, & transitu: inhumanitas autem hæc plerumque ex superbia nascitur, licèt ex aliis etiam vitiis oriri contingat; tum etiã ex rerum abundãtia, quam suis cultoribus regionis illius vbertas afferebat, de qua exploratores multa Num. cap. 13. Diuitiarum autem morbum esse superbiam, docuit Augustinus. Cuius hæc est sæpius iterata sententia: *Morbus diuitiarum est superbia: nam grandis animus est, qui inter diuitias illo morbo nõ laborat.* Et iterum sæpius, *Nihil est quod sic generẽt diuitiæ quomodo superbiam. Omne pomum, omne granũ, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum; est* 152.

Superbia damna.

Superbia ex opibus, atque potentia nascitur.

est aliis vermis mali, aliis pyri, aliis fabæ, aliis tritici. vermis diuitiarum superbia.

153. *Saturitas & abundantia a Dei obliuionem inducit.* *Saturitas panis.*] Nemo nescit in *pane* quicquid esculentum est, significari. Id mali affert hominibus saturitas, & abundantia rerum, vt Dei obliuiscantur, quasi à seipsis ad perferenda temporum, & ætatis incommoda satis habeant præsidij. Ex quo etiam fit, vt ad Gentium deos, à quibus vitiis omnibus intemperantiùs indulgere permittitur, deflectant, illo contempto, qui mores instituit, neque patitur in rationali natura inferiores sensus dominari. Sic Deut. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit; incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum.*

Saturitas libidinem inflammat. Hæc porrò saturitas sicut vires addit lasciuienti corpori, sic etiam & pruritus excitat, & ad omnẽ intemperantiam inflammat. Multa ea de re Patres, vnum, aut alterum testimonium cape. Ambros. tom. 3. serm. 37. *Fames amica virginitati est, inimica lasciuiæ; saturitas verò castitatem prodigit, nutrit illecebram.* Hieronym. *Semper saturitati iuncta est lascinia: vicina sunt igitur venter, & genitalia, pro membrorum ordine, ordo vitiorum.* Vide Hieronymũ tom. 2. contra Iouin. lib. 2. & tom. 9. in Regula monachor. tit. De abstinentia. vbi hac de re latè. vide item Aug. tom. 9. de conflictu vitior. & virt. cap. 20. Docuit hoc satis Sodoma, cuius nomen hîc sæpius auditur, quæ cùm omnibus rebus abundaret, vtpote in illa habitans regione, quæ esset instar paradisi Dei, in omnia se turpitudinis genera laxauit.

154. *Otium quid mali pariat.* *Otium ipsius.*] Vbi otium est, illud necesse est multa quoque comitentur vitia. Eccli. 25. *Multam malitiam docuit otiositas.* de qua multa, & grauiter viri spirituales. Bernardus lib. 2. de consider. ad finem. *Otiositas mater est nugarum, & nouerca virtutum omnium. Ipsa enim est, quæ virum fortem fortissimè præcipitat in reatum, facit ei suffocare virtutem, & viam construere ad gehennam.* Qua de re optimè Chrysostomus tomo 3. hom. 35. in cap. 5. Ioan. vbi rationem tradit cur Deus homines vitæ addixerit laboriosæ. Quæ verba quia luculenta sunt, & ad hoc institutum opportuna valdè, libuit hîc adscribere. *Dederat nobis à principio Deus liberam omni cura, & laboribus vitam, eo turpiter munere abusi sumus, & inertia dediti paradisum amisimus; idcirco laboriosam nobis vitam instituit, quasi se humano generi excusans diceret: Dedi vobis à principio delicias. facti estis indulgentia deteriores, ideo eas vobis laboribus commutaui. Qui cùm neque vos continerent lex, & præcepta successere tanquam repagula & franũ equo indomito, quibus eius aduersùs rationem insultus compescerentur, ita equorum domitores assolent. Vita igitur laboriosa instituta est, quoniam quies, & otium vitam, & mores corrumpere consueuit; natura enim humana desidiam non patitur, sed ab ea facillimè ad malitiam declinat.* De Moabitis, qui prope mare mortuum habitabant Sodomæis vicini, dixit Ieremias cap. 48. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requieuit in fæcibus suis, nec transfusus est de vase in vas, idcirco permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus.* Qua allegoria significat Propheta, quid otium, & inertia in Moabitarum animis alueri; nempe quod fæcem olet, & aliquid à situ turbidum, & putre. Vt autem Moab vt gustum illum grauem, & austerum deponeret, in transmigrationem abiit; sic vt Iudæorum populus otiosus iam & segnis propter abundantiam, grauem peccatorum halitum cum fæcibus deponeret, iactandus est variè, & tandem in exilium, tanquam in lagenam aliam transfundendus.

A *Et manum egeno, & pauperi non porrigebant.*] Qui suis sibi deliciis, ac voluptatibus vacat; illa dum omnia sibi necessaria putat (neque enim ingluuies, aut alia mollior intemperantia vnquam dicit sufficit) non facile manum liberalem porrigit ad egenum. Sic credo illos, qui fœcundos colebant agros, & glebam vberem; quo maior erat segetum, plantarúmque prouentus; eo putabant gulæ, atque voluptati plura esse necessaria: quare alios, cùm ipsi rebus omnibus affluerent, perire fame patiebantur. Quando Sodoma crudelis fuerit, & inhospitalis, non constat, quod ego viderim, nisi dicas tunc habuisse animos inclementes, & efferos, cùm hospites ad se pertrahere studebant è domo Loth, vt cum illorum ignominia nefariam suam libidinem explerent; vt autem vi perficerent, quod priùs precibus obtinere non potuerant, in Loth inuehebantur, *vimque faciebant vehementissimè, iamque propè erant, vt effringerent fores.* Sed si de omnibus aliis populis statuas, quos Deus summouit, vt in eorum sedes Israëlitas induceret, minus res erit obscura; constat enim sic in peregrinum populum obduruisse, vt neque aquam porrigerent oblata pecunia; neque in regionibus suis vestigia ponere permiserint. De Idumæis constat Num. cap. 20. & de Amorrhæis cap. 21. Idem quoque fecisse tribus trans-Iordanas, de quibus præcipuè locus hic explicandus, mihi dubium non est, cùm id sæpe Prophetę toti genere Israëlitico exprobrẽt. 155. *Quo quis ditior, eo minus misericors.*

B

C

Vers. 50. *Et eleuatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me, & abstuli eas sicut vidisti.*] Hinc mihi fit magis verisimile, quod principio dicebam, in Sodoma tribus illas intelligi, quæ vltra Iordanem non procul à Sodomæ finibus consederunt. Illæ enim sublatæ sunt, vt reipsa experti fuerunt Israëlitæ; quod de Sodoma durè admodum intelligas, cùm antè deleta fuerit, quàm Israëlis populus aut euocatus, aut constitutus. Vnde cæteræ fluxerint abominationes, priora verba declarant; quia videlicet *eleuatæ sunt.* ex superbia videlicet, quæ vt est vitiorum omniũ altrix, & Regina, sic etiam vitiis aliis quasi satellitibus, atque asseclis stipari solet: de qua sic Greg. lib. 31. Moral. c. 31. *Ipsa namque vitiorum Regina superbia, cùm deuinctum planè cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit. Quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex eis proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. Radix quippe cuncti mali superbia est, de qua Scriptura attestante, dicitur: Initium omnis peccati est superbia,* Eccli. 10. 156. *Superbia aliorum vitiorum mater, & Regina.*

D

Vers. 51. *Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit. Sed vicisti eam sceleribus tuis.*] Cõtulerat adhuc populum Iudaicum cum Sodoma, id est, vt diximus, cũ populo Gentilico; nunc cũ Samaria comparat, id est, cum decem aliis tribubus, quarum erat caput Samaria, quæ cùm à Deo legem accepissent, & illam transgressæ, sacra coluissent Gentilica, grauiùs in Deũ peccasse videbantur. Ait ergo nõ solùm Sodomæos, id est, Gẽtiles, sed etiã Samaritas, id est, Israëlitas aliosà vera religione trãsfugas, scelerũ turpitudine fuisse superatos, imò & iustificatos; sic enim te in omne vitiorum genus proiecisti, vt nationes aliæ, quãtumcũque delibutæ flagitiis, si tecum conferantur, innocentes videantur, & puræ. illud enim est iustificare: quo dicendi genere aliquid supra modum eximium, & prodigiosum explicare solemus. Vt si quempiam ab eruditione cõmendes, in eius conspectu Platonem, & Aristotelẽ rudes, 157.

E

Iustificare dicitur alios qui illos longè peccando superat.

& ineruditos esse dicis: si ab eloquentia, rusticum ipsius comparatione, atque infantem Demosthenem appellas: si vocalem, & musicum, lusciniam dicis esse mutã. Sic modò, quia Deus omni scelere inquinatissimam esse dicit Hierosolymam, in eius conspectu affirmat Sodomam, & Samariam innocentes videri. Porrò *iustificare*, idem est hoc loco, quod iustum ostendere, quomodo Isaiæ cap. 5. contra Iudices iniquos dicitur, *Iustificatis impios pro muneribus*, id est, iustos esse corrupto iudicio declaratis.

158. Vers. 52. *Ergo & tu porta confusionem tuam.*] Conclusio est inductæ similitudinis; si nationes illæ, quarum Hierosolyma secuta est exemplum, tam sunt grauiter, atque ignominiosè mulctatæ; non est cur tu eosdem exitus, atque eandem ignominiam recuses. Quid hoc loco propriè confusio sit, facile iudicatu est, nempe clades, exilium, ignominia, & quidquid seruilis conditio subire solet sub barbaro dominatu. Pro moribus tamen, vt putat hîc Origenes, post opera confusione digna succedere debet tanquam illorum medicina confusio, quæ oculos deiicit, neque procacem vllibi vultum ostentat; & ipso incessu, atque habitu, & peccati reum, & obnoxium pœnæ aliquem traducit. Quare Ierem. cap. 3. de illa actum esse existimatur, quæ cum bona conscientia pudorem quoque, & confusionem abiecit. *Frons*, inquit, *meretricis facta est tibi; noluisti erubescere.* Hanc Origenes, & ex eo Hieronymus secundam appellat nauem, quã etiam post naufragium tabulam licèt appelles; si vera confusio est, à qua non solet abesse pœnitentia: quare illi, quod pœnitentiæ sæpe promissum est, amissa restituuntur, & quæ sublata, siue concussa fuerant, instaurantur.

Peccati aliqua medicina confusio.

Status miser illorum, quos peccati non pudet.

159. Vers. 53. *Et conuertam restituens eam conuersione Sodomorum cum filiabus suis, & conuersione Samariæ, & filiarum eius, & conuertã reuersionem tuam in medio earum.*] Heb. *Conuertam conuersionem earum, conuersionem, inquam, Sodoma, & filiarum eius: & conuersionem Samariæ, & filiarum eius, & conuersionem tuam, qua captiua es in medio earum.* Et in hanc translationem omnes aliæ penè conueniunt. neque est incredibile, vt in hunc locum Pradus existimat, eodem etiam modo vertisse Hieronymum, & pro *conuersione*, in quarto casu posuisse *conuersionem*, sicut in eodem casu *reuersionem* tertio loco traduxit. Sed quocumque modo capias, eadem est sententia, neque explicatio difficilis, si quod alibi sæpe, hîc ablatiuum pro gerundio positum esse statuas, in hanc sententiam. *Conuertam conuertendo Sodomam, & conuertendo Samariam.* Nunc nobis de vero enucleando sensu laborandum.

160. Et primùm explorandum est, de qua populorum conuersione hîc Propheta loquatur: nam vt variæ hic conuersiones, sic etiam possunt explicationes esse variæ. Et quidem populi illi Gentilici, quos Sodomæ nomine explicari diximus, tribus modis possunt videri conuersi: ad regiones videlicet illas, vnde exclusi fuerunt superioribus antè sæculis, vt Israëlitis vacuam hæreditatem relinquerent. de qua hîc sine dubio sermo non est; quia nationes illæ septem, nunquam leguntur in regiones illas, tanquam in veterem possessionem postliminio reuersæ, à qua semel excesserant.

161. Deinde alij populi Gentilici, nempe Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi, eodem fermè tempore subiugati sunt à Nabuchodonosor, & extorres à

A patria in alienum solum ablegati, vt constat ex Ierem. cap. 25. qui tamen omnes in sedes suas remigrarunt eodem penè tempore, quo laxata est à Cyro Iudæorum captiuitas; vt eo loco docet Ieremias, & nos ibi pluribus ostendimus. Quia ergo hi expulsi sunt, & restituti populi, dubitari posset, non abs re, an de hac secunda conuersione sermo sit, quæ cum Samariæ, id est, decem tribuum conuersione communis est; quia illæ etiam abductæ; & aliqua saltem ex parte restitutæ sunt, vt diximus ad illud Ieremiæ cap. 3. *In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Israel, & venient simul de terra Aquilonis.* & dicemus infrà cap. 37. v. 16. vbi sub duorum lignorum metaphora, quæ in vnum coaluere, venturi dicuntur, & in vnum coituri duo populi priùs sub Ieroboami tempora distracti.

B

Variè hîc laborant, & dissident interpretes, 162.
quorum antequam cogitationes explicare aggredior, obseruo vsitatum esse Prophetis, vt si qua incurrat Euangelici temporis vmbra, ad Euangelium, aut Euangelij fructus quamprimum assurgant. Cùm verò Euangelium iuxta sui nominis notationem, aliquid significet prosperum, & lætum, fit quoque vt tristibus sæpe læta coniungat. Sic Isai. c. 1. cùm grauia esset comminatus Iudæorum populo, tandem subiecit, *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, &c. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Et cap. 16. cùm grauia de Moabitarũ strage prædixisset, ad tempus Euangelicum, & Gentium illarum libertatem assurgit. *Emitte*, inquit, *agnum dominatorem terræ.* Idem cap. 19. postquam grauem commemorauit Ægypti plagam, aliquid attexuit lætum de ipsius ad Euangelicam lucem conuersione, *Et erit terra Iuda Ægypto in pauorem, &c.*

Scriptura tristibus læta subiungit.

C

Hinc iam accedo ad id, quod principio quærebamus. Et primùm arbitror sermonem hîc 163.
non esse de libertate, ac reditu Sodomæ, in possessionem antiquam. Primùm, quia si de Sodoma propriè sermo est, restitui illa nullo modo potuit, quia funditus interiit. Neque enim vnus ex ea multitudine euasisse traditur incendium cœleste, præter illos qui fuere de familia Loth. neque præterea locus fuit, in quem aliquando reuerterentur; cùm antiquas sedes oppleuisset mare, & si qua essent antiquæ molis relicta vestigia, illa essent aut in aquis demersa, aut sic hostiliter de cœlo tacta, vt graui anhelitu procul à se abigant accedentes. Adde quòd quæ dicuntur in æternum non fore restauranda, illa cum Sodoma comparantur. Vnde satis nobis argumenti est, æternam fore ruinam illam Ierem. capit. 49. v. 19. *Sicut subuersa est Sodoma, & Gomorrha, & vicinæ eius, ait Dominus, non habitabit ibi vir.* Et Isai. cap. 13. v. 19. de Babylone, *Sicut subuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham, non habitabitur vsque in finem; & non fundabitur vsque ad generationem, & generationem.* Quod idem dicendum esse puto de figurata Sodoma, id est, de populis Gentilicis, quos è suis sedibus expulit Deus siue sint nationes septem, quarum sedes occupauerunt Hebræi; siue Moabitæ, & Ammonitæ, qui Sodomæi aliqua ratione dici possunt, quia ipsi regionem tenuerunt Sodomæ vicinam; & quia Sodomam ipsam aliquando habitasse dici possunt; quia ab illis orti, qui aliquando in Sodomis habitarunt. Habuerunt etenim parentem Loth, ex incestu filiarum concubitu. Quòd de his sermo esse 164.
non possit, hinc mihi persuadere posse videor,

D

Prouerbium Sodomæ subuersio.

E

quia

quia quo tempore hæc à Propheta dicebantur, iam nationes illæ, de quibus sermo, eam subierant cladem, à qua modò restitutio promittitur. Sic enim habes suprà vers. 50. *Et eleuatæ sunt,* (nempe Sodoma, atque Samaria) *& fecerunt abominationes coram me, & abstuli eas, sicut vidisti.* At cladem hanc longè post hæc tempora accepere nationes illæ, quas hoc loco Sodoma designat: quinto nempe anno, postquam euersa fuit Ierusalem, & populi reliquiæ aut abductæ Babylonem, aut in alia, atque alia regna disseminatæ. Quod indicant non obscurè Prophetæ dum hisce populis, post vrbem excisam, talia minantur, qualia Hierosolyma infortunia sustinuit, de quibus Iosephus lib. 10. cap. 11. *Quinto*, inquit, *post excidium Hierosolymitanum anno, qui fuit Regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimus tertius, cum magnis copiis inuasit Calem Syriam, qua subacta bellum gessit contra Ammonitas, & Moabitas, & his quoque perdomitis, Ægyptum hostiliter est ingressus.* Porrò in Sodoma Moabitas, & Ammonitas intelligi, quia mari mortuo vicini sunt, sentiunt Lyra, & Vatablus.

Ammonitæ, Moabitæ, & alij vicini populi à Nabuchodonosor quando subacti.

165. Si in Sodoma tribus illas accipias, quæ citra Iordanem consedere in monte Galaad; nihil officeret proposita ratio: nam ante hoc tempus iam è suis finibus hæ tribus excesserant, ad Assyrios translatæ, idque duabus aliis, quibuscum nunc agit Propheta, non erat ignotum. Sed pugnat alia non minùs firma: quæ tribus hasce Galaaditides non obscurè à Sodoma disiungit, vers. 46. *Et soror tua maior Samaria ipsa, & filiæ eius, quæ habitant ad sinistram tuam; soror autem tua minor te, quæ habitat à dextris tuis Sodoma, & filiæ eius.* Non est dubium in filiabus Samariæ, contineri quoque tribum Gad, & Ruben, & dimidiam tribum Manassé; quia hæ quoque Samariæ suberant imperio; neque vllo modo parebant Sodomæ, aut his, qui Sodomæi vocari poterant; Moabitis scilicet, & Ammonitis, quorum parentes aliquandiu Sodomæ vixerunt: at quæ alicui subsunt ciuitati, ex Scripturæ sacræ idiomate, illius appellantur filiæ; quia illarum metropolis, id est, mater est. Huius sententiæ sunt Græcus Scholiastes, Polychronius, & cum Hugone Pradus. Et sanè si hæc ita statuamus, minùs, quæ reliqua sunt ad finem vsque capitis, videntur implexa. Neque ego ab hac cogitatione longè sum: Et quia hæc explicatio si non omnino probanda, at certè improbanda non est; dissoluam rationes, quæ contra illam aliquid videbantur habere momenti.

In Sodoma tribus intelliguntur, quæ erant trans Iordanem.

166. Altera est, quia in Samaria & filiabus eius, illæ quoque tribus Galaaditides continebantur, quæ Samariæ Israëlis metropoleos imperio parebant. Hæc, inquam, ratio, hinc satis videtur infirmari posse: neque enim Propheta dicit *filias Samariæ, sed quæ habitant ad sinistram tuam.* Quare duæ constituuntur Samariæ filiæ, quædam ad sinistram sunt, & hæ sunt illæ, quæ in terra promissionis sunt; quæ Cisjordanæ vocari possunt: aliæ, quæ in monte Galaad non procul à Sodoma consiterunt, & hæ à dextris habitare tradútur, quas appellare licet Transjordanas. Cum vtrisque confertur Ierusalem, & ab illa scelerum grauitate superatæ dicuntur. Cur autem Sodomæ vocentur filiæ, neque vna ratio est, neque leuis. Filiæ quippe dicuntur, quia in tractu illo sitæ; ad quem sese olim porrexerat Sodomæorum ditio. Neque enim longè abest Galaad ab Ammonitis, qui Sodomæos agros occupasse existimantur; neque enim aliter videntur filij Loth, Moab, & Ammon ad regium nomen venire potuisse, nisi agros inuenissent à possessore vacuos eorum, quos cœleste consumpsisset incendium. Deinde quia non longè aberant à Sodomæis morum similitudine. cùm enim regionem habitarent pinguissimam, vt multis ex locis Scripturæ liquet; vbi Basan, & Galaad cum bonitatis, at vbertatis laude nominantur; verisimile est his se dedisse vitiis, quæ otium, atque saturitas parit; qualia fuerunt illa, quæ cœlestes flammas e cœlis aduocarunt, id quod dixit apertè nuper Propheta vers. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, & saturitas panis, & abundantia, & otium.*

167. Neque nouum est in Scriptura, idque, vt reor, prouerbiale, vt qui non leuiter, & in tenebris, sed palàm, & immoderatè peccant, dicantur Sodomæi, aut Sodomæis non dissimiles. Quod nomen de se audierunt non semel Israëlitæ omnes; & deinde dissecto Israëlitarum imperio Iudæi. De omnibus Moyses Deut. 32. v. 32. *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ.* De Iudæorum populo Isai. cap. 1. v. 10. *Principes Sodomorum, & populus Gomorrhæ.* De quibus iterum cap. 3. v. 9. *Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.* Ierem. cap. 23. v. 14. *Facti sunt mihi omnes vt Sodoma, & habitatores eius quasi Gomorrha.* Et longo pòst tempore, vt apparet ex Apoc. cap. 11. v. 8. apud vulgus Ierusalem Sodomæ sibi nomen vendicarat. *Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma.* Quare non mirum est, si duæ tribus Gad, & Ruben, & dimidia tribus Manassé, quæ vt regionem occuparunt Sodomæ vicinam, & felici solo non valde inferiorem; sic etiam Sodomæorum expresserint mores, atque ideo Sodoma, aut Sodomæ filiæ nominatæ sint. Et quidem hæc mihi sententia præter cæteras probatur, ad quam, quod reliquum est capitis, attemperabo. Nihilominus aliam etiam expositionem adiiciam, quia magnos habet patronos, neque ad illam difficilis est textus.

Sodomitæ, dicuntur, qui liberè, atque impudenter peccant.

168. Est igitur extrema, eaque magis à plerisque probata scientia, quæ in hac seu conuersione, seu restitutione nihil humanum, nihil temporarium agnoscit; sed totum beneficium, quod populis hisce à Propheta promittitur, spirituale est; & ad Euangelij sæculum spectat. Rationes illæ sunt, quas paulo antè produximus, quia Sodoma, aut hi, qui in Sodoma intelligi posse videbantur, nihil acceperunt temperarium eiusmodi, quale hîc promittitur, vt ad suas aliquando reuertantur sedes. neque præterea, ea est rerum, temporúmque conditio, vt quis illud sperare in perpetuum possit. In Sodoma autem, & eius filiabus Gentilici intelliguntur populi, quibus non minus, quàm Iudæis libertas promittitur, & lux ab Euangelio. Ita Hieronymus, Origenes homil. 10. Lyra, Burgensis, Dionysius, Vatablus, Maldonatus. Cur autem de spirituali harum Gentium salute hîc inductum fuerit vaticinium, ea non incommoda videtur ratio, quã nuper adduximus num. 162. quia calamitas priùs dura denunciata fuerat, cui ex Scripturæ cõsuetudine subiungi solet aliquid secundum, & lætum. Hanc ego piam, magísque cómunem explicationem ita probo, vt tamen historicè cõuenire putem in tẽporariam restitutionem tam Iudæorum, postquam vario successu ex patriis sedibus extorres abierũt, quàm Samariæ, id est, illarũ tribuum, quæ sunt ad sinistram Ierusalem; & aliarũ quæ filiæ vocantur Sodomæ, & Hierosolymam, à dex

Ecclesia à Deo magna promissa.

Restituta Ierusalem typus Ecclesiæ.

à dextra respiciunt. Instaurata quippe Ierusalem, & post exilij sordes, ad splendorem antiquum reuocata, vt pluribus in procemio quodam ad cap. 40. Isaiæ probauimus, vmbra quædam fuit Ecclesiæ postea constitutæ; ad quam, vt ibi docuimus, crebræ sunt apud Prophetas allusiones,& transitus. Dico ergo historicè hæc esse intelligenda de decem tribubus,tam de his, quæ citra, quàm de illis, quæ trans Iordanem consederunt: mysticè verò de Ecclesia, quæ Gentes illas nunc abiectas, & miseras, in suum sibi sinum aliquando recipiet.

169. *Et conuertam reuersionem tuam in medio earum.*] Multo ante hæc tempora translatæ fuerant decem tribus ad Assyrios; non tamen priùs in patriam remigrarunt, quàm aliæ duæ laxata à Cyro captiuitate, permissæ sunt in suas sibi possessiones reuerti. Quomodo verò decem tribus, quæ interdum rediture negantur, ad suas iterum sedes, & libertatem redierunt, diximus suprà ad num. 159. *In medio earum*, nihil opinor aliud significare, quàm *cum illis.* quia reuera ex decem tribubus plurimi duabus aliis permixti reuersi sunt.

170. Vers.54. *Vt portes ignominiam tuam, & confundaris in omnibus, quæ fecisti, consolans eas.*] Si de spirituali salute superiora capias, non multum habet difficultatis hic locus: nam cùm in hac siue salute, siue gloria postremo loco numeretur Ierusalem; quia Euangelicam doctrinam auidiùs, atque abundantiùs amplexæ sunt Gentes; verecundari,atque confundi Hierosolyma debuit,id est, Iudæorum populus, cùm in extremum locum videtur fuisse reiectus. Quæ ratio gentilicos populos consolari potuit, cùm viderent priori se loco à Deo,certè non in posteriori numerari: neque apud Deum acceptionem esse personarum; neque Iudæi, & Græci, circumcisionis,& præputij vllum esse discrimen.

171. Sed quia historicè hæc de decem tribubus intelligenda putabamus, ad hanc etiam historiam expositionem accommodemus necesse est. Hæc verba licet dura videantur,& comminatoria, re tamen vera beneuoli animi non leuia documenta sunt. Ostendit enim Dominus non ita populum illum fuisse reiectum, vt non aliquando esset ad pristinam fortunam,& nomen reuersurus. Sed vexationem illam esse à paterna manu, quæ ita pulsat, vt soporatum excitet; ita ferit,vt vulneratum sanet. Expediebat maximè vt superbus ille populus, & propter externæ sanctitatis fucatam speciem insolenter inflatus, ab illo gradu, quem propter sua merita tenere se putabat,ignominiosè depulsus,minus de se magnificè sentiret. Atque ideo in illam conditionem abierit, in qua, si antiquos retineret spiritus, & non prorsus superiorum memor erubesceret, cum dignitate mentem quoque abiecisse videri potuerit. Hoc planè vulnus amantis est, & de ægroti valetudine solliciti; qui non tam alterius vexare vult,aut luxare corpus, quàm illud ad opus arduum, atque gloriosum aptè disponere. Id verbis significauit Ieremias magis apertis cap. 30. v. 11. *Faciam consummationem in cunctis Gentibus, in quibus dispersi te; te autem non faciam in consummationem* (id est,quod hoc loco dicit Ezechiel,restituam te) *sed castigabo te in iudicio, ne videaris tibi innoxius.* eadem propè repetit c.46.

Vexatio humilitas.

172. Ex hoc etiam sequetur, vt filiæ Samariæ, & quæ modò filiæ vocabantur Sodomæ, vt ex Iudæorum incommodis aliquid solatij,ac leuamenti capiant; tribus etenim illæ tametsi cognatæ, ex quo vicissim distractæ sunt, non minus animis,& studiis, quàm locorum spaciis dissidebát. Quare & bella gerebant inter se, & de aliarum incommodis vicissim lætabantur. Cùm ergo captiuæ decem tribus, alias adhuc viderent nó incolumes modò,sed etiam florentes;vtpote in illas iniquiùs animatæ; inuidebant illius libertatem, & patriam, & quòd dissimili fruerentur fortuna, carpebantur. Cùm tamen in eandem fortunam compactæ sunt; leuiùs tulerunt,communicata fortuna, & patriæ desiderium, & seruitutis incommoda.

Vers.55. *Et soror tua Sodoma, & filia eius reuertentur ad antiquitatem suam,& Samaria.*] Hæc non video quomodo,neque distortè quidem accommodari possint ad Euangelij sæculum;cùm ante hoc tempus Sodoma, aut Samaria quocumque accipias sensu, ad antiquitatem suam remigrari non possint. Reuertitur enim aliquis ad antiquitatem suam, id est,ad antiquum locum vnde deiectus est; at quî ad Euangelium, siue Ecclesiam reuersus dici potest qui Euangelij lucem, aut Ecclesiæ gremium nunquam antè viderat. Sunt igitur reuersæ tribus Israël ab exilio tam Babylonio,quàm Assyrio, eo modo, quem superiùs adduximus, in possessiones antiquas; vbi instaurata est antiqua Hebræorum Respublica, & Ecclesiæ, siue nascentis primùm, siue confirmatæ,& adultæ,cùm priùs infensis tyrannorum odiis iactaretur,vmbra proposita. 173.

Vers.56. *Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo, in die superbiæ tuæ, antequam reuelaretur malitia tua.*]Reprehenditur sæpe Iuda,quòd exemplo Samariæ suo sibi capiti non cauerit; & talia sibi metuat, qualia propter idem vitæ genus sorori suæ contigisse videt. Vide infrà cap.23. Ait ergo Deus vsqueadeo obstupuisse Iudam, dum superbè de se cogitat,ac sperat; vt cognatæ, atque vicinæ Gentis casus non perhorresceret, quarum sequebatur exemplum. Dies superbiæ illæ sunt, in quibus aut integra videbatur, aut non ita iactata grauiter res Iudaica. Eo tempore vsqueadeo Iuda non est commota sororis exemplo, vt neque illius nomen in publicis, priuatisque sermonibus auditum sit,vbi aut aliquid est hyperbolicum, aut certè illa calamitatis auditio aliquid sonat practicum. Id enim audiisse dicimur,quod nobis,vt aliquid in moribus corrigamus,documento est.Tunc verò vsurpare sæpius cœpit Iuda Samariæ casum, cùm vexatio dedit intellectum; & in sorore calamitatis suæ vitam quandam imaginem aspexit. Id enim est malitiam reuelari, cum vastitate inducta ciuitati; & ciuibus aut extinctis miserè, aut ignominiosè traductis,omnes intelligere potuerunt offensum esse Deum populo suo; neque defuisse peccata, illaque non leuia, quæ Deus tam graui calamitate mulctaret. 174.

Hæc mihi probabilia, neque displicet, quod putat Pradus, ideo in diebus superbiæ auditum non esse nomen Samariæ, aut Sodomæ in ore Ierusalem; quia sic erant arrogantes illius spiritus; vt præ nimio fastu, vtramque contemneret, indignúmque suo splendore iudicaret illius in ore nomen assumere, quam nullo præ se duceret loco, aut certè vilissimo. Est autem in omni ferme natione vsitatum,& frequens, vt eorum, quos odiosos habemus, aut viles, neque audire nomen, & multo minùs neque vsurpare velimus. Sic Dauid Psal.15. vers.4. de inimicis, quos 175.

Inimici nomen vsurpari non solitum.

quos oderat, aut de simulacris, quæ contemnebat, ait, *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Sic Saul barbaro, atque hostili fastu Dauid non suo, sed magis communi, & propè alieno nomine vocabat *filium Isai.* Apud profanos exempla sunt non pauca illorum, qui hostes suos alieno, aut communi appellauere vocabulo. Inde sunt Aristarchi, Zoïli, Ibis, Vulpes, Nebrides; & apud Poëtas alia sexcenta.

176. Sed dubitabis cur Hierosolyma, cùm non ab illis tribubus solùm, quæ erant trans Iordanem à dextris; sed ab aliis etiam, quæ filiæ dicuntur Samariæ, & à sinistris sunt, ediscere potuerit, quid suo immineret capiti ab offenso Deo, Sodomæ dicatur non meminisse, aut, quod idem est, illius nomen non vsurpasse. Huius ego quæstionis duas solutiones esse video. Altera est, quia, vt ex lib. 1. Paralip. cap. 5. liquet, & 4. Reg. cap. 15. captæ priùs sunt tribus hæ trans-Iordanæ à Rege Assyriorum Thelgath Phalassar tempore Azariæ, siue Oziæ Regis Iuda, & quasdam alias tribus cepit Salmanassar tempore Ezechiæ, qui Oziæ pronepos fuit; longè nimirum post aliarum tribuum cladem, & exilium 4. Reg. cap. 18. Quare grauis apparet ratio cur magis illarum tribuum, quæ filiæ dicuntur Sodomæ, subire debuerit recordatio, quàm aliarum, cùm illarum fuerit magis dura, atque diuturna calamitas. Deinde quia tribus illæ trans-Iordanæ in deliciis vixerant, & rerum affluentia: quare his se voluptatibus tradebant, quas alit, & fouet satuitas, & otium, & si qua sunt alia carnis blandimenta. Qua in re Ierusalem, cui nihil deerat ad voluptatem, & luxum; vt similis erat in captandis deliciis, sic etiam in vitiis non erat absimilis. Cum his igitur magis, quàm cum aliis conferenda videbatur, & eius memoria frequentiùs occursare. Et ea fortasse de causa exprobrat Propheta, quòd Sodomæ nomen in Hierosolymæ ore auditum non fuerit; non verò earum tribuum, quæ ad Galilæam pertinebant, cùm eodem Assyriorum appulsu captæ fuerint, vt liquet 4. Reg. c. 15. quia illæ Galaaditides tribus, magis erant in deliciis, atque flagitiis similes Hierosolymæ, quàm aliæ Galilææ.

177. Vers. 57. *Sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, & cunctarum in circuitu filiarum Palæstinarum, quæ ambiunt te per gyrum.*] Eo tempore, quo reuelata malitia Ierusalem, aut quo plenius, quam antè reuelari cœpit, Chaldæorum appulsu, cœpit etiam vilis esse nationibus aliis, & opprobrio haberi: quia neque tam videbatur esse fortis, quàm ipsa de se publicè iactabat; neque esse eo apud Deum loco, quàm ipsa sibi fallaci blandimento fingebat. Filiæ Syriæ, & Palæstinæ, ciuitates sunt Palæstinæ, ac Syriæ ditioni subiectæ, quæ Iudæorum fines à suis quæque partibus attingunt; quibus cum Solymitanis fuit antiquum, & penè familiare dissidium. Quomodo verò finitimi populi, insultarint Hierosolymæ ruinis, atque in eius lacrymis læti triumphauerint, docet in suis Threnis non semel Ieremias; & eisdem ferme verbis explicuit Dauid Psal. 78. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, & subsannatio his, qui in circuitu nostro sunt.*

178. Pro *ambiunt te*, quidam *contemnunt* transferunt; alij *abominantur*, aut *oderunt*; alij *deprædantur.* Sed sensus non est admodum diuersus; nam Gentes illæ, quæ fines habuere cum Iudæorum finibus communes, infensæ fuerunt Iudæorum nomini; & illud, quoties opportuna apparebat occasio,

A sæpe bello tentarunt. Neque procul ab hac significatione, vel vsu, est verbum *ambio*, quod hostilibus etiam assultibus accommodari potest. Ambire etenim hostes ciuitatem solent, & capto circuitu illas adoriri.

Vers. 58. *Scelus tuum, & ignominiam tuam tu por-* 179.
tasti, ait Dominus Deus.] Vbi vulgatus *portasti*, Heb. est נשאתים *nesathim*, quod alij variè reddunt. Symmachus, & Chaldæus *portabis*, Septuaginta apud Theodoretum, & Hieronymum *porta.* Idem sensus est in translatione vulgati, etiam super præteritum, vt res grammatica postulat, expresserit. Est enim familiare Prophetis, vt temporis præteriti terminatione res explicent futuras;
B monet itaque Deus Ierusalem, vt scelus suum, id est, sceleris pœnam aliquandiu sustineat, & spe futuræ libertatis mœrorem, atque infortunium consoletur, maximè cùm neque indebita, neque ante tempus patiatur. Cùm iuramentum antiquum, quo se sub Domini potestate, ac nutu futuram professa est, tam manifestè, atque impudenter violarit; & connubiale fœdus, legitimúmque torum prodere neque dubitarit, neque verecundata sit. Id enim valet, quod mox subiicitur, *Faciam tibi, sicut despexisti iuramentum, vt irritum faceres pactum.* id est, illam tibi plagam inflixi, quam despecta iuramenti religio, & irrita pacti fides exigebat.

C Vers. 60. *Et recordabor ego pacti mei tecum, in die-* 180.
bus adolescentiæ tuæ.] Sicut promiserat nuper restitutionem ab exilio, & nouam Iudaicæ fortunæ formam veteri quàm simillimam, postquam horribilis Hierosolymæ clades antecesserat; sic etiam nunc cùm despecti iurisiurandi meminit, ac violati fœderis, spem proponit fortunæ melioris; & ita se intentum significat ad plagam, vt tamen antiqui fœderis, quod cum populo illo adhuc adolescente, & maturo nuptiis, multo antea contraxerat, memoriam non abiecerit. Pactum verò fuit, vt putat Theodoretus, & cum eo Græcus Scholiastes, initum olim cum Abrahamo, de Christo, ex eius aliquando stirpe na-

Fœdus Domini cum populo Israelitico.

D scituro, de quo Paulus ad Galatas cap. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit in seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo.* Aut, vt censet Hieronymus, & cum eo è Latinis alij, pactum hoc Euangelij est, in quo à Deo ingentia dona promittuntur. Neque ego dubito ad hoc pactum respexisse Prophetam, imò & præcipuè, sed puto ad eum respexisse tanquam ad corpus ex vmbra; & tanquam ad solidum, & plenũ, ex egeno & vacuo; id est, ad mysterium ex historia, quæ aliquid primò respicit temporarium; in quo tamen æternorum aliqua adumbratur effigies. Illud verò continetur Exod.
E cap. 6. v. 7. *Assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus. Et scietis quòd ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim vos in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abrahamo.* Leuauit autem manum, id est, iuramento firmauit Abrahamo promissa. Gen. cap. 23. v. 14. *Leua oculos tuos in directum, & vide à loco in quo nunc es ad Aquilonem, & Meridiem, ad Orientem, & Occidentem. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum.* Hoc Dominus pactum, quod extinctum videri poterat, Israelitis ex promissa sibi regione depulsis, suscitauit, cum laxata captiuitate per Cyrum, ad suam postliminio possessionem reduxit. Et hoc credo historicè à Propheta prædicitur,

citur, quod idem est, ac Deum non prorsus abiecisse populum, sed erudiisse stimulis, vt dignus fieret; minus certè indignus quàm antea, cui Deus pactum illud antiquum suscitaret. De mysterio, quod sub hoc cortice latere diximus, id est, de Iudæis non abiectis omnino, sed ad Ecclesiam aggregatis, dixit Paulus ad Rom. cap. 11. v. 1. *Nunquid Deus repulit populum suum? absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* Porrò pactum illud sempiternum vocatur, vel quia iam dudum cum Abraham Gen. cap. 13. aut aliquandiu pòst cum populo in sua adolescentia percussum est. Exod. cap. 6. Aut certè, quia longo deinde tempore, promissæ terræ futura erat rata possessio. Quod autem diuturnum est, ex Scripturæ consuetudine æternum, aut sempiternum appellatur.

181. *Nobile vindictæ genus beneficium post iniuriã.* Vers. 61. *Et recordaberis viarum tuarum, & confunderis cùm receperis sorores tuas te maiores, cum minoribus tuis.*] Nihil est, quod ingenuos animos magis capiat, ac magis etiam afferat ruboris, quàm beneficium post obliuionem; & multo etiam magis post iniuriam. Quare qui pudefacere quempiam vellet, atque confundere; id non tam assequetur obiectis hostiliter opprobriis, quàm oblatis largo, atque officioso animo beneficiis. In hunc sensum accipiunt aliqui, neque fortasse tam abs re, quàm nonnulli putant, illud Pauli ad Rom cap. 12. v. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Si vis vt hostis sic verecundetur, vt perinde inardescat vultus, atque si carbones super caput essent congesti, aut focus in capite luculenter instructus, id tunc assequeris, cùm hominem de te ingratè, aut etiam contumeliosè meritum beneficiis ornaueris. Tunc enim magis apparet & peccati grauitas, cum alterius munificentia comparata, & illius bonitas, quæ tam offensa inuerecundè, & grauiter; non tamen cessat, ac languet in bene merendo. Vide quæ in hanc sententiam diximus in nostris commentariis super Isaiam cap. 13. numero 15. vbi illud Pauli testimonium explicuimus.

182. Hoc meo iudicio significat Propheta, cum oblato beneficio, de quo impræsentia, cùm videlicet in patrios fines redibit Ierusalem extorris priùs, & captiua; sibíque sorores alias, Samariam, & Sodomam, aut associatas, aut subditas habebit. Recipiet autem sorores suas, decem nempe tribus, quas Samariæ, ac Sodomæ vocabulis exprimi, dicebamus; quia illas secum ab exilio reducet: eo sensu, quem pluribus ostendimus cap. 37. v. 16. & Ieremiæ cap. 3. n. 43. Soror maior dicebatur Samaria, quia illa octo secum familias cis Iordanem habuerat. Minor verò Sodoma, quia duæ tantùm tribus, & dimidia in regione trans-Iordana consederant. Erat autem, opinor, minor non quidem quàm Iuda, quia illa respublica ex duabus constabat tribubus; sed quàm Samaria. Cùm autem duas illas haberet sorores Ierusalem, maiorem ex illis Samariam; minorem autem Sodomam appellat.

183. *Aliæ tribus post reditum Iudæ subiectæ.* *Dabo eas tibi in filias.*] Ita decem tribus, quæ translatæ priùs fuerant ad Assyrios, Cyri regis edicto, cum duabus aliis remigrarunt; vt tamen neque honorem retinuerint, imò neque nomen antiquum: quare Iudæi ex eo tempore, neque Rubenitæ dicebantur, neque Ephraimitæ, sed vno omnes vocabulo dicebantur Iudæi: neque sub aliis ducibus redierunt, nisi sub Zorobabel, qui fuit ex tribu Iuda, atque ex regia stirpe. Quare Samaria, & Sodoma, non iam vocabuntur sorores, quod nomen æqualitatis rationem, & pondus importat, sed filiæ, quæ aliquid indicant subiectum, & inferius.

Hæc qui ad Ecclesiam referunt, quod ego valde probo, quia in hac vmbra aliquid maius, ac diuinius intueor; sententiam habent præclaram, & illustrem. Agnoscunt enim Ecclesiam in Ierusalem, in aliis verò familiis Gentes, ex variis vndecunque finibus congregatas, quas suo Ecclesia complexa est in gremio, & quasi filias propriis lactauit vberibus. De quibus mysticè Patres illud Isai. 60. *Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Et cap. 49. *Afferent filios tuos in vlnis: & filias tuas super humeros portabunt.* 184. *Gentes Ecclesiæ aggregata.*

Sed non ex pacto tuo.] Qui hæc mysticè de Ecclesia, Euangelicóque sæculo capiunt, aptè dicunt, & bellè, non ex pacto olim cum Moyse percusso prouenire, sed ex alio quodam cum Christo; quale videri potuit illud Psalmi 2. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Sed placet magis, quod cum Hieronymo putant alij, non id datum esse meritis Hierosolymæ, aut pacti obseruantiæ, quod religiosè coluerit: nam reuera illud sæpe prodiderat; sed Dei liberalitati, qui vt nobis benefaciat nõ semper exspectat nostra merita. Quorum si ratio esset habenda, iam pridem actum esset de Iudæorum populo; quod vidit, cecinitque Ieremias Thren. cap. 3. *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.* 185.

Vers. 63. *Et non sit tibi vltrà aperire os præ confusione tua, cùm placatus tibi fuero in omnibus, quæ fecisti.*] Idem est sensus, qui proximè à nobis adductus, nempe beneficiis vltro ei maximè oblatis, qui indignus est, & qui potiùs furorem acuerat, quàm misericordiam inflexerat, debere hominem vehementer pudore suffundi: suaque peccata & nosse meliùs, & detestari grauiùs. Idem nunc explicat graui magis, magísque significanti dicendi modo; dum os dicit esse obstruendum illis, qui pro infortunio, ac plaga beneficium aliquod acceperunt. Hi enim suorum scelerum turpitudinem magis agnoscunt; atque ideo quicquid accidat postea ignominiosum, & aduersum, os suum aperire non audent, *Quia omnis iniquitas oppilabit os suum*, Psal. 106. Quòd si silentium seruitutis duræ argumentum est: quos enim immane premit, ac barbarum dominorum imperium; neque hiscere audent, aut os aperire, quicquid domini aut imponant oneris, aut oggerant conuitij; quia serui sunt, & eo nomine grauiora etiam subire potuissent. At dona, præsertim si hæc malè de te merentibus largiare, libertatem eripiunt, faciúntque ne quid aut sit, aut videatur graue iis, qui onerari se vident multo grauiore beneficiorum pondere. Hinc discat, cui Dominus post acceptas peccatorum iniurias, placatus est, quíque cum capite mulctari debuisset, adhuc spirat, & viuit, quo animo esse debeat in largitorem, conseruatorémque salutis suæ, quàm graue sustineat beneficiorum pondus, dum peccatorum suorum veniam assequitur, quod non minus premit gratos animos: & attentè quid beneficiorum natura postulet expendentes, quàm ipsum, propè dixerim, peccati pondus. Audi Bernardum serm. 15. in Psalmum, Qui habitat. *Oneriferum, inquit, animal est homo tempore suæ mortalitatis, si adhuc portat peccata sua, onus est graue: sed si sanum sapiat, non minùs grande onus inueniet hanc ipsam* 186. *Beneficiorũ vis maxima.* 187. *Beneficia libertatem eripiunt maximè post iniuriam.* 188. *Graue pondus est beneficiũ acceptũ.*

ipsam, quam diximus exonerationem. Onerat nos, cùm exonerat Deus: onerat beneficio, cùm exonerat peccato. Vox onerati, quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Vox onerati, exi à me, quia homo A *peccator sum, Domine. Vox onerati, semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum. semper, inquit. timui: sicut ante, sic post acceptam veniam peccatorum.* Hæc Bernardus, & hic sit finis cap. 16.

IN CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

ARGVMENTVM.

OBSCVRO quodam ænigmate declarat Propheta quid inter Iechoniam, qui tunc captiuus agebat Babylone, & Sedeciam, qui Hierosolymis cum splendore regio florere videbatur, esset discriminis. Describit enim in duabus aquilis duo imperia, alterum Ægyptium, alterum Babylonicum. In duabus autem plantis duo regna, aut vnius potiùs imperij Reges duos. Alter fuit Iechonias, quem Nabuchodonosor è regia depulsum sede captiuum abduxit Babylonem: alter Sedecias, quem Rex idem Babylonius alterius loco regno præfecit Solymitano, qui quidem quamdiu in fide mansit, & fœdere, quod cum Babylonio percusserat, felix habuit, & pacatum imperium; cùm verò periurus, & perfidus Ægyptias aduocauit copias, quibus confirmatus Babylonicum excuteret iugum, res illi ceciderunt aduersæ. Cui Deus propter periurij, ac violatæ fidei immane scelus grauia minatur; ac docet nulli subsidio futuras contra vim hostilem auxiliares copias mercede conductas, aut etiam vltrò oblatas ab Ægyptio: sed ipsum miserè periturum, eóque habendum loco, quo arbor eradicata, ac sterilis. Contrà verò Iechoniæ filios eò cum gloria reuersuros, vnde parentes olim fuerant ignominiosè depulsi.

CAPVT XVII.

1. *ET factum est verbum Domini ad me, dicens:* B

PARAPHRASIS.

1. POst hæc iterum ad me locutus est Dominus, in hunc modum:

2. *Fili hominis propone ænigma, & narra parabolam ad domum Israel,*

2. Fili hominis obscurum hoc symbolum, & ænigma, cui comparatio quædam inest, & similitudo, Israelitico populo propone.

3. *Et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.*

3. Aquila iam adulta, & grandis, alis instructa longis, quæ oblonga ostentat, & explicat membra; quæ plumis vestitur, quibus etiam ad volatum, varietatem, &
C speciem magnus est vsus; venit ad Libanum montem sublimem, & amœnitatis eximiæ, ex eóque sumpsit quod in illo magis videbatur ad aspectum præclarum, medullam videlicet cedri; id nimirum quod est in cedro magis odoratum, & nobile.

4. *Summitatem frondium eius auulsit: & transportauit eam in Terram Chanaan, in vrbe negotiatorum posuit illam.*

4. Quod erat in cedro sublime magis deiecit, & abstulit, summas videlicet frondes, & magis proceros ramos; & quasi mercatorium instituisset quæstum, ad
D negotiationum emporium transtulit, ad terram nimirum Chaldæorum, in qua non minore erunt in pretio, quàm in Chanaanitide regione, vnde translati sunt.

5. *Et tulit de semine terræ, & posuit illud in terra pro semine, vt firmaret radicem super aquas multas: in superficie posuit illud.*

5. Loco autem arboris euulsæ, supposuit aliam ex eodem semine, & eodem plantauit in loco, vnde aliam exciderat: atque ita plantauit, vt adolescere posset,

A & videretur fore diuturna, nempe in vbere solo, & maximè irriguo; neque tamen magis robusta fuit, aut firma, quàm si in ipsa aridi soli superficie tenuissimis foret fibris innixa.

6. Cúmque germinasset, creuit in vineam latiorem humili statura, respicientibus ramis eius ad eam: & radices eius sub illa erant. facta est ergo vinea, & fructificauit in palmites, & emisit propagines.

6. Cúmque humilis esset priùs, & parum sese eleuaret à terra, germinauit tamen vitis illa, & latè se in vineæ speciem, & amplitudinem diffudit. Dum rami conuersi essent ad aquilam, à qua vitis plantata fuerat, & ad eius vmbram adolescerent, & radix sub ea demitteretur altiùs, &
B fieret robustior, euasit tandem germen illud in vineam, & ambitiosos ex se palmites explicuit, latéque propagauit.

7. Et facta est aquila altera grandis magnis alis, multísque plumis: & ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam, vt irrigaret eam de areolis germinis sui.

7. Fuit autem altera aquila priori contraria, alis item instructa magnis, & plumarum varietate, ac multitudine nobilis, ad quam vinea hæc, alterius à qua plantata fuerat, immemor palmites suos, & radices conuertit, quasi ab illa acceptura esset, non solùm incrementum, sed etiam alimentum, & vitam; vt aliquid humoris ab ipsa traheret ex riuis, quos ad irrigan-
C da areolarum suarum germina deriuabat.

8. In terra bona super aquas multas plantata est: vt faciat frondes, & portet fructum, vt sit in vineam grandem.

8. Habebat quidem vitis illa à priori aquila, à qua plantata fuit, quo posset in vineæ grandis vbertatem, & amplitudinem excrescere; cùm sata esset in regione pingui, ac feraci solo, eóque irriguo: quare robusto consurgeret trunco, pubesceret frondibus, & fructibus oneraretur ingentibus.

9. Dic: Hæc dicit Dominus Deus: Ergóne prosperabitur? nónne radices eius euellet, & fructus eius distringet, & siccabit omnes palmites germinis eius, & arescet: & non in brachio grandi, neque in populo multo, vt euelleret eam radicitus?

9. Tu ergo, fili hominis, sic loquere ad ingratam, & stolidam vitem ex me. Hæccine vitis digna est, quæ prosperetur, &
D crescat? cui parcat securis? Nónne superior illa aquila, cui acceptum referre debuit quòd sata fuerit, quòd adulta, quòd onerata fructibus, radicitus euellet: fructibus spoliabit; ramos aut arefaciet, aut abscindet. Nónne vt illam stirpitus euellat, brachium extendet grande, & exercitum coget numerosum?

10. Ecce plantata est: ergóne prosperabitur? nónne cùm tetigerit eam ventus vrens, siccabitur, & in areis germinis sui arescet?

10. Hæc vitis eo modo plantata, censeri debet digna, quæ prosperos sibi successus sperare debeat? Nónne cùm illam
E ventus orientalis æstuosus afflauerit, exuret, spémque omnem adimet futuri prouentus? Nónne in areis humentibus, & in ipsa aquarum abundantia siccabitur?

11. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

11. Iterum ad me Dominus hunc in modum locutus est:

12. Dic ad domum exasperantem: Nescitis quid ista significent? Dic: Ecce venit rex Babylonis in Ierusalem: & assumet regem, & principes eius, & adducet eos ad semetipsum in Babylonem.

12. Dic, ô fili hominis, ad domum hanc rebellem, & incredulam: An nostis quid symbolicus hic dicendi modus portendat? Explica igitur illis ænigma istud, & dic: Veniet aliquando Rex Babylonis, quem aquila prior obscuriùs adumbrat, in Ierusalem, & assumet Sedeciam, medul-

A lam nempe cedri, & principes alios ciuitatis cum illo, quorum erant symbolum sublimes rami, & frondes summæ; & omnes secum captiuos aget Babylonem.

13. Et tollet de semine regni, feriétque cum eo fœdus: & ab eo accipiet iusiurandum; sed & fortes terræ tollet.

13. Cùm autem Regem, Iechoniam nempe, secum abduxerit, de semine regio Sedeciam assumet, quem ipsius loco regno præficiet, quo cum fœdus percutiet, illúdque iurisiurandi sacramento firmabit. Et ne contra datam fidem quicquam moliatur, regni neruos incidet, & viros B fortes, reíque bellicæ gnaros ab illius præsidio summouebit.

14. Vt sit regnum humile, & non eleuetur, sed custodiat pactum eius, & seruet illud.

14. Illud nimirum spectabit, vt regnum illud ad statum eiusmodi redigatur, ne se ab humili conditione attollat, & spiritus assumat insolentes, sed suis viribus omninò diffidens, pactum seruet, & fidem.

15. Qui recedens ab eo misit nuncios ad Aegyptum, vt daret sibi equos, & populum multum. Numquid prosperabitur, vel consequetur salutem qui fecit hæc? & qui dissoluit pactum, numquid effugiet?

15. Recessit tamen à fide, quam Babylonio dederat, egítque per legatos cum Ægyptio, vt equos sibi subsidio mitteret, & auxiliares copias. Nunquid qui contra C iusiurandum, & fidem ista tentauit, prosperos sibi promittet exitus, aut salutem? & qui pactum prodidit, impendentem sibi calamitatem effugiet?

16. Viuo ego, dicit Dominus Deus: quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cuius fecit irritum iuramentum, & soluit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.

16. Per memetipsum iuro, dicit Dominus Deus, quoniam Rex iste violatæ fidei, ac iuramenti reus procul à patria apud Babylonios morietur, in regno videlicet illius, à quo ipse priùs regnum obtinuit; & cui fidem fregit, quam obligarat antea, seruaréque debuerat sanctam, ac integram.

17. Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium; in iactu aggeris, & in extructione vallorum, vt interficiat animas multas.

D 17. Quantumcumque Pharao, cuius Rex ille fœdifragus copias aduocarat cum grandi exercitu, & populo numeroso veniat, non tamen cum Babylonio tale prælium inibit, vt futurum sit obsessæ Hierosolymæ subsidio. Comportabit quidem materiam, vt ex Chaldæorum castris aut fuget, aut extinguat plurimos; non tamen eò perueniet, vt aggeres excitet, aut vallos; neque vllum erit tantæ molitionis, atque operæ pretium

18. Spreuerat enim iuramentum vt solueret fœdus, & ecce dedit manum suam: & cùm omnia hæc fecerit, non effugiet.

E 18. Nullum ex Ægyptiis copiis emolumentum capiet Rex periurus, & contemptor fœderis religiosè percussi; quia neque iuramentum seruauit, neque fidem, & quod sine regni, regiíque nominis dispendio faceret, societatem iniit cum Pharaone. Quare licèt his omnibus se copiis communierit, non efficiet vt impendentem à Chaldæo cladem effugiat.

19. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Viuo ego, quoniam iuramentum quod spreuit, & fœdus

19. Propterea hæc Deus, interposito iuramento de populo periuro confirmat. Dabit

fœdus, quod præuaricatus est, ponam in caput eius.

20. Et expandam super eum rete meum, & comprehendetur in sagena mea: & adducam eum in Babylonem, & iudicabo eum ibi in præuaricatione, qua despexit me.

21. Et omnes profugi eius cum vniuerso agmine suo, gladio cadent: residui autem in omnem ventum dispergentur: & scietis, quia ego Dominus locutus sum.

22. Hæc dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis, & ponam: de vertice ramorum eius teneram distringam, & plantabo super montem excelsum & eminentem.

23. In monte sublimi Israel plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam: & habitabunt sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile sub vmbra frondium eius nidificabit.

24. Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile: & siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, & feci.

A Dabit, inquit, mihi violati fœderis, & periurij pœnas, quas ex illius capite seuerus vindex reperam.

20. Concludam populum illum rebellem, & infidum non aliter atque inter piscinas, & vinaria pisces, supra quos piscatorium expandam rete, & in sagenas, & vasa piscatoria concludam, & captum agam in Babylonem, & tale ibi, me iudice, supplicium subibit, quale meretur præuaricatio impudens, qua me in pangendo fœdere, & con-
B cipiendo iureiurando testem contempsit.

21. Illi verò, quos ex illo Babylonico reti, atque sagena enatare contigerit, ex obsessa nimirum ciuitate, quod fecere non pauci, quo tempore Sedecias fuga se à reliquis subduxit, cum ipso Rege comprehensi gladio cadent: qui ex illo agmine reliqui fuerint à cæde in omnem plagam latè dispergentur. Tunc autem cognoscetis locutum esse me, & verbis meis diuinum esse pondus.

C 22. De Iechonia, qui infelix putabatur, quique paulo antè cum cedri medulla comparatus est, sic loquitur Dominus: De cedro illa sublimi non emedullata, neque sterili surculum assumam tenerum, de summis ramis, & eius loco statuam, vt in excelso, atque eminente colle succrescat.

23. Plantabo namque ex medullata cedro diffractum germen in monte Israel maximè sublimi, ibi germina producet,
D & fructus, ac tandem in proceram arborem adolescet, quæ sic patulos explicabit ramos, vt in illa cœli volucres stationem habeant opacam, & commodam, & nidos sibi construant.

24. Omnes autem arbores, id est, principes regionum aliarum, apertè cognoscent arborem abiectam, & humilem exaltatam, & proceram, & patulam esse depressam; & viride lignum in loco plantatum irriguo, prorsus arefactum; & quod sterile videbatur, & aridum germinasse frondes, & deposita hyemali
E specie vernalem viriditatem assumpsisse. Quæ mutatio vsqueadeo illustris erit, atque conspicua, vt omnes intelligant à nemine alio, nisi à Deo mutationem illam tantam fieri potuisse.

Verſ.2. *Fili hominis propone ænigma, & narra parabolam.*]

Symbolum ad docendum vtilia.

1. D habent commodi obſcuræ ſententiæ, vt attentionem excitent, & ſtudium acuant explorandæ veritatis, quæ dum maiori enucleantur labore, eo etiam firmiùs infiguntur memoriæ; & neſcio quid altius ſpectare nos iubent. Sic Pythagoræ ſymbola, id eſt, obſcuræ ſententiæ rerum implexis tegumentis clauſæ, magis ſunt nota, magis in ore; quia plus in illis enodandis poſitum eſt operæ. Sic prouerbia quædam, quæ aliquid in ſe claudunt eruditionis arcanæ, & pluris fiunt, & ſæpius vulgari ſermone conteruntur. Eiuſmodi ſunt quæ vocantur ænigmata, ſeu parabolæ, quarum in Scriptura frequens eſt, & penè familiaris vſus; quas ſæpe Chriſtus cùm loqueretur ad populum adhibebat, qui eo dicendi ſtylo magis oblectabatur, adducebatúrque ſenſim, vt crederet veritati eo artificio, ac genere ſermonis inſinuatæ.

Ænigma quid.

2. Eſt autem *Ænigma* obſcura quædam allegoria, id eſt, ſententia alienis verbis, iiſque non obuiis, aut expeditis incluſa, quæ etiam interdum appellatur parabola, non tamen eandem aut ſimilem ob cauſam. Eſt enim *Ænigma* ab obſcuritate; quia *αἰνίττω* obſcurè, atque perplexè loqui ſignificat; *parabola* verò à comparatione, ſeu ſimilitudine, quæ reperitur ſemper in parabola.

Quid parabola.

Quia verò in eo, quod Deus iubet à Propheta proponi, obſcura quædam comparatio eſt, fit vt modò ænigma, modò parabola dicatur. Pro eo, quod vulgatus habet *propone ænigma, & narra parabolam,* Heb. eſt חוד חידה *chud chidah,* משל משל *vmſal maſſel.* id eſt, ænigmatiza ænigma, & paraboliza parabolam. Qui loquendi modus apud Hebræos familiaris eſt, qui verbo accuſatiuum nominis cognati frequenter adiungunt. quod apud Latinos, Græcóſque non infrequens. Apud quos ſæpe occurrit, *ſeruio ſeruitutem, pecco peccatum, mortem morior,* & ſimilia.

3. Verſ.3. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum.*] Obſcuritas nomen probat ænigmatis, vt vides: ſimilitudo facile docet eſſe parabolam. Hic magnum aliquid proponitur, ſiue magnitudinem, & robur; ſiue ſpeciem, & ornamentum ſpectes. Magnitudinem præfert aquilæ nomen; quia hæc fortis eſt, & volucrum Regina; tum etiam, quia magnum habere dicitur membrorum ductum. i. oblonga, & explicata membra. Neque hæc nuda eſt, quæque aut lacerationi pateat, aut iniuriæ; ſed plumis vndique veſtitur ad integumentum, & volatum; in quibus eſt & eximius vſus ad celeritatem, & prædam; & ad pulchritudinem, & faſtum mira varietas.

4. Quid præ ſeſe ferat prodigioſæ huius aquilæ oblata ſpecies, aut inducta parabola, non facilè quiuis coniectaret; niſi idem, qui induxit, ipſe quoque nudaret, & euolueret. Id verò prius explicatum oportuit, quàm ad alia, quæ denique ſuccedent, incumbat commentatio. Aquila hæc eſt Nabuchodonoſor, vt ipſe auctor ænigmatis explicuit infrà verſ. 12. Dicitur autem aquila, non quia hæc bellicum eſſet inſigne Babyloniis, vt nonnulli putant; ſed quia perniciosiſſimi volatus eſt, & rapto viuit. Quare cùm has aquilæ proprietates Rex iſte Babylonicus expreſ-

Aquila cur Nabuchodonoſoris ſymbolum.

A ſerit, aliis etiam locis aquilæ dicitur eſſe ſimilis. Ieremæ cap.48. v.40. & cap.49. verſ. 22. in ductu membrorum longo, alarúmque tum varietate, tum magnitudine, varia illius, & multiplex explicatur potentia ex multis collecta nationibus, quas ſuo ſibi ſubiugarat imperio, quas coëgit, effudítque in Iudææ fines. In alis verò acies intelligi militares ipſa vocis communitas oſtendit. Nam frequenti Latinorum vſu alæ dicuntur partes illæ, quæ in acie extremæ ſunt, quæque propter eandem ſimilitudinem cornua nominantur.

B Agit autem hîc Propheta de ſecundo Nabuchodonoſoris appulſu, cùm ſecum abſtulit Iechoniam, & alios Regni proceres Babyloniam, inter quos ipſe quoque abductus eſt Ezechiel. Quare primò hoc loco non tam futuram rem narrat, quàm præteritam; atque ideo non tam Prophetam videtur agere, quàm hiſtoricum.

Venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.] Accommodatè ad aquilæ naturam, quæ montiuaga eſt, & in arduis nidificat rupibus, vnde errantem in ſyluis prædam ſpeculatur; Ieruſalem appellat Libanum: vbi prædam proſpexerat opimam, ad eámque præcipiti volatu ferebatur. 5.

Ieruſalem cur Libanus dicta.

Dicitur autem Ieruſalem Libanus, vel propter eximiam ſpeciem; nam vt Libanus adeò ſpecioſus eſt, vt in Scriptura prouerbiali ſpecie, in rerum pulcherrimarum comparationem adducatur; ſic Ieruſalem ea erat ſpecies, vt à Ieremia vocaretur Thren. cap.2. *Vrbs perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ.* vel quia id, quod erat in Libano præcipuum, comportabatur in Ieruſalem, conferebatúrque tam in ciuium, quàm in templi quotidianos vſus; illuc materia conuehebatur cedrina ad templi Regiæque baſilicæ ſubſtructiones; illinc aromata, quæ quotidie cremarentur in altari thymiamatis, ex quo factum eſt, vt putant cum Hieronymo alij, vt Libanus ſumeretur pro templo. Sanè Ieruſalem Libani nomine explicari multa ſuadent; quæ in aliam ſententiam trahi non poſſunt, Ierem. cap. 22. *Hæc dicit Dominus ſuper domum Regis Iuda, Galaad tu mihi caput Libani* (domus Regis vocatur Galaad, quia ſicut in Libano ea præcipua pars, ſic regia domus in Ieruſalem) *ſi non poſuero te ſolitudinem.* Et infrà, *Aſcende Libanum, & clama; & in Baſſan da vocem tuam.* & Zacharias cap. 11. *Aperi Libane portas tuas.*

Domus regia cur dicatur Galaad.

Venit itaque in Libanum, id eſt, in Ieruſalem grandis aquila, & quicquid in ea pulchrum, ſecum abſtulit. In Libano verò Cedri ſunt pulcherrimæ, & propter proceram, odorámque materiam, & propter ramorum, frondiúmque viriditatem ſpecioſè, atque perpetuò vernantem, ſed in cedro nihil eſſe videtur medulla pretioſius, quia in ea pinguius aliquid eſt, quod ad ſuffimenti delicias adhibetur. Aut certè, quia quod in aliqua re exiſtimatur ſummum, id eius appellatur medulla: quomodo ab Ennio, teſte Tullio, Cethegus Suadæ, id eſt, eloquentię medulla, id eſt, princeps appellatus eſt. Vt autem Rex cor dicitur populi; ſic in allegoria propoſita medulla dicitur cedri. Hic verò fuit Ioachim, qui & Iechonias, qui ſe vltro Babylonio tradidit obſecutus Ieremiæ conſilio. 6.

Medulla vſus varius.

Verſ. 4. *Summitatem frondium eius auulſit.*]. 7.

R Frondes

Frondes summæ principes sunt, qui excelsum occupant locum; qui sic à Rege sustinentur, vt Regem comitentur, atque ornent; imò & Regi pro corona sint: quemadmodum frondes, quas fundit, & sustentat arbor, arborem ipsam conuestiunt, & coronant. De hoc principum exilio, & traductione habes lib.4.Reg.cap.24.v.15. *Transtulit* (Nabuchodonosor) *Ioachim in Babylonem, & matrem Regis, & vxores Regis, & Eunuchos eius: & Iudices terræ duxit in captiuitatem de Ierusalem in Babylonem.* Hos omnes credo summarum frondium significari vocabulo.

8. *Et transportauit eam in terram Chanaan: in vrbe negotiatorum posuit illam.*] Terra Chanaan non illa tantùm nominatur, quam habitarunt Israëlitæ; sed etiam Libanus, & ciuitates, quæ inde ad mare vsque Mediterraneum pertinent; nempe Tyrus, & Sidon, quæ cùm datæ essent filiis Israël in possessionem; quia tamen indigenas exturbare non potuerunt, ideo illarum dominati non sunt. Dicuntur tamen Regiones illæ Chanaanitides Iosue cap. 13. & cap. 19. quia in Israëlitarum sortem contributæ sunt; quæ tamen Chananæos fines non egrediebantur. Et quidem quæ Matth.cap.15.v.22. Chananæa vocatur, illa statim dicitur de finibus egressa Tyri, & Sidonis; & Marci 7. v.25. Syrophœnissa nominatur. Quare si institutam prosequaris allegoriam Libani, cedrorúmque, quorum medullam, & ramos summos secum abduxit Nabuchodonosor, Libanus reuera fuit in terra Chanaan; & qui in Libani cedris significantur, inde fuerunt Babylonem translati.

Tyrus, & Sidon ad Chananæos pertinent.

9. *In vrbe negotiatorum posuit illam.*] Chanaan iuxta sui nominis notationem negotiatorem significat, aut institorem. Ad quam significationem crebræ sunt allusiones in Scriptura. Oseæ cap. 12. *Chanaan in manu eius statera dolosa.* & Prouerb.31. *Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.* Aliquid sanè hîc commune est terræ Chanaan, & terræ negotiatorum, ad quam translatio facta fuisse traditur. Sed quid illud sit videamus.

Chananæus idem, quod negotiator.

10. Omnes terram negotiatorum Babylonem esse putant, & quidem rectè; in causa variant: alij ideo, quia Babylonij mercaturam exercebant, vt ex Hebræis docent Rab.Dauid, & Rab.Salomon, & indicat illud Apocal.18. v.10. *Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon, &c. Negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam; quoniam merces eorum nemo emet amplius, merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, &c.* Solet autem contingere, vt aliqui ab ea arte nomen sumant, quæ in eorum regione celebratur maximè; quomodo Phœnices, aut Rhodij appellantur nautæ; Tibaritæ piscatores; & nostro sæculo Genuenses, ac Florentini mercatores; & ne hinc longiùs abeamus, Chaldæi, seu Babylonij, de quibus hîc sermo, Astrologi dicuntur, aut coniectores: quia ars illa magno erat in pretio in ea regione.

REGVLA. *Prouincia nomen aliquando sumunt ab arte, quæ ibi maximè exercetur.*

11. Alij, quia Chananæi malè audiunt in Scriptura, Chananæos, & quod idem valet, negotiatores vocari putant Babylonios, quasi fraudulenta Gens sit; vímque adhibeat, & astum, ad conuehendas vndecumque pecunias. Et quidem Chananæorum nomen odiosum esse, atque ignobile, &, vt reor prouerbiali figura, multa docent. Sic de Iudæis sceleratis, & improbis Sophonias cap.1. *Conticuit omnis populus Chanaan.* Dan.cap.13. *Semen Chanaan, & non Iuda.* & capite præcedenti in principio, *Radix tua, & generatio*

Chananæorum vile, & odiosum nomen.

A *tua de terra Chanaan.* Sunt qui dicant reuera Babyloniam regionem esse Chanaanitidem, & ad Chananæos fines pertinere, quod non negat hîc Hieronymus. Verumtamen id durum est, neque quo id firmari modo possit, apparet.

Ego paucis hîc expediam, quod mihi videtur minus esse difficile. Et primùm arbitror idem hîc ab Ezechiele argumentum tractari, quod à Ieremia non multo antè cap. 24. in alio etiam ænigmate de duobus calathis, in quibus ficus bonæ, & bonæ valde; & ficus malæ, valde, inquam, malæ visebantur. Vbi discrimen statuebatur eorum, qui cum Iechonia priùs, & eorum, qui cum Sedecia postea Babylonē translati sunt. 12.
B Quod sanè discrimen maximum fuit, vt eo loco diximus: multo enim aliter tractati sunt à Babyloniis priores, quàm posteriores; illi humaniter, etsi non omnino honestè, atque splendidè, minùs tamen angustè, atque indecorè, quàm isti. Id verò eo consilio factum ab Ezechiele arbitror, vt captiuorum solaretur animos; qui deceptos se putabant à Ieremia, cùm viderent pacatè, atque abundanter agere Hierosolymæ illos, qui in patriis sedibus remansissent. Nam cùm longè melior appareat fortuna eorum, qui nunc extorres miserè, quàm qui domi suæ feliciter viuunt; neque secum putabunt actum esse perfidiosè, ac durè; neque de certa diuini oraculi
C fide dubitabunt.

Discrimen inter Iechoniam, & Sedeciam.

In priori itaque parte capitis, quasi in priori calatho, vbi ficus erant valde bonæ, ostenditur exilium leuius, & fortuna mitior eorum, qui cum Iechonia ad Babylonios transmigrarunt. Est autem in priore siue ænigmate, siue parabola nihil durum, nihil quod non possit animum aut dolentem lenire, aut confirmare languentem, siue Babylonios esse dicas id, quod propriè sonat *negotiator*, siue id, de quo nos postea. Si negotiatores voces Babylonios; metaphora satis cum instituta parabola consentit. Egerat enim de Ierusalem, quasi de Libano, vnde in omnes partes variæ distrahebantur merces: quia
D ibi aromatum multiplex, & magna vis, quæ impenso sibi pretio finitimæ regiones comparabant. Ipsa præterea cedrus, cuius medulla Iechonias vocatur, magnum mercatoribus quæstum affert: nam & illius oleum à carie vindicat, & libris immortalitatem conciliat. materia odorata est, quam ad delicias accendunt molles, ac lauti. Sic Cicero lib.Tuscul.3.de quodam delicato, ac molli, inter alia fœminei animi blandimenta dicit, *Collocemus in culcitra plumea, psaltriam aduocemus, cedrum incendamus.* Vt ergo merces ex eo loco translatæ, vnde natæ sunt, non minoris æstimantur, aut tractantur negligentiùs: sic qui suprà dicuntur, aut cedri medulla,
E aut rami è cedri cacumine decisi, eodem erunt apud Babylonios mercatores in pretio, quo in suo Libano, id est, domestico solo priùs habebantur. Erunt itaque non quasi vituli, ac cerui, qui ex Libano educuntur, vt in macello iugulentur; sed vt merces, quas ad suas sibi delicias lauti homines, & luculenti conquirunt. 13.

Iechonias cū suis mitiùs à Chaldæis tractati, quàm qui cum Sedecia capti.

Cedri proprietates.

Ego hîc *negotiatores* explicationem esse puto vocis *Chanaan*, quæ proximè antecesserat; quod fieri solet cum epitasi, quando sententia grauis est, aut illam volumus infixam esse memoriæ. Neque infrequens est, vt nominis significatio, pro nomine ipso proprio adhibeatur, & in figura simili habes Psal.75.v.3. *Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* vbi pax pro Hierosolyma 14.

Nominis significatio pro nomine.

lyma ponitur. Erit igitur sensus. Transferetur cedrus de Libano, id est, de Chananæo, ac naturali solo, ita tamen indulgenter, & molliter, vt in transplantatione nihil passa videatur aduersi; quasi adhuc hæreret in terra Chanaan. neque enim minus erit benignus alienus, quàm fuisset antè proprius, ac genitiuus ager.

15. Vers.5. *Et tulit de semine terræ, & posuit illud in terra pro semine.*] Hucusque de Iechonia nõ tam prophetice, quàm historicè: nunc iam de Sedecia, quem Nabuchodonosor in locum sufficit Iechoniæ summoti, cuius regni principium progressúmque significat allegoria non admodum difficili de planta, quæ eo in loco depacta est, vnde alia non multo antea fuerat euulsa. Tulit autem de terræ semine germen, aut surculum, id est, de Iudæorum Gente, quæ regionem illam occupauerat, & in eadem hæreditate plantauit; nempe Iosiæ filium Mathaniam, quem ipse Sedeciam, mutato priori nomine, appellari iussit.

Sedecia regnum firmũ esse voluit Nabuchodonosor.

16. *Vt firmaret radices super aquas multas.*] Ita Nabuchodonosor Iechoniam pro patre ad regium nomen, & ordinem prouexit; vt tertio pòst mẽse, cùm nihil in se commeruisset, aut res tentasset nouas contra fidem datam, è regno depulerit: quare non videbatur plantam illam firmasse super aquas, vt radices ageret altas, & diuturnior esset; sed in loco infelici, atque arido, vt vix dum nata confestim interiret. Ait autem Iosephus lib.10. Antiq. cap.9. timore potiùs adductum Regem Babylonis, ne quid, vt paternam vlcisceretur iniuriam, nouum moliretur Iechonias, statuisse illum quamprimum è regno deturbare. Longè aliter fuit cum Sedecia, quem plantam voluit esse diuturnam; atque ideo id in ea plantanda accuratè seruauit, quod agricola in arborum satu, quas firmas esse cupit, atque proceras, & ad complura sæcula produci. Altè namque defodit; locum quærit irriguum, soli bonitatem, & naturæ benignitatem expendit. Sic Nabuchodonosor Regem constituit Sedeciam; suúmque illi auxilium promisit, modò illi fidem seruaret iuramento firmatam; neque ab aquis Babylonicis, iuxta quas in nouas vires quotidie adolesceret, ad Pharaonis fluenta confugeret. Hoc sanè firmum aliquid sonat, ac diuturnum.

17. *In superficie posuit illud.*] Heb. *pro superficie*, צף צפה *saph saphah*. quæ vt variè redditur, sic etiam multipliciter exponitur. Hebræi, quos è recentioribus non pauci sequuntur, salicem exponunt; quæ plerumque iuxta littora nascitur, & decurrentes aquas, qui ita locum exponunt. Plantauit surculum ex electo semine instar salicis prope fluenta. Septuaginta videntur nomen illud à צפה deduxisse, quod *intueri* valet. dum ita transferunt, *vt respiceretur*: &, vt credo, vulgatus; quia in opacis solidísque corporibus tantùm superficiem intuemur. Si priori modo capias, benignũ aliquid meditatus videtur Rex Babylonius, quia felici ligno, quódque adolescere cupimus, locum deligimus secus aquarũ riuulos. Hęc verò verba explicatio quędam sunt priorum, quasi dicat, *Vt firmaret radicem super aquas multas: super aquas, inquam, multas posuit illud.* Sed vulgati translatio multo significantior est; quæ momentaneum futurum esse docet Sedeciæ regnum, idque maximè accommodato dicendi modo. Voluerat quidem Nabuchodonosor plantam illam è regio semine esse diuturnam, quia vt res erat constituta Iudaica, sua valde interérat, diu re-

A gnare Sedeciam. Atque ideo dicitur, *vt firmaret radicem.* Sed reuera planta illa non fuit altè defossa, vt firmis niteretur radicibus, & in truncos firmos adolesceret; sed tãtùm in ipsa terrę superficie relicta, quam vix tenuissimis amplecteretur fibris, atque ideo facile conuulsa fuit. Aut certè in superficie plantata est, siue, vt transtulere Septuaginta, *vt respiceretur*, quia illud speciETenus vocari potuit Sedeciæ regnum: quia potiùs Nabuchodonosor Hierosolymæ regnabat; ex cuius præscripto, magna ex parte res administrabatur Iudaica. Illud porrò *in superficie plantare*, aliquid olet prouerbiale.

Prouerbium plantare in superficie.

Vers.6. *Cúmque germinasset, creuit in viã latiorẽ.*] 18.
B Pro *vinea*, Heb. est גפן *ghephen*, quod non tam vineam, quàm vitem significat, & ita vertunt alij ferme omnes. Germinauit autem vitis illa, & vestita est magna frondium, palmitúmque luxurie, quandiu, non tam ex suo, quàm ex Nabuchodonosoris arbitrio rem moderabatur publicam, & ideo humili statura fuisse dicitur, subiecta videlicet arbori proceræ, & firmæ, cuius amplexa ramos se sursum attolleret, ni tamen ab illa recedere voluisset.

Respicientibus ramis eius ad eam: & radices eius 19.
sub illa erant.] Illud *ad eam*, aut spectat vitem, seu vineam; aut certè aquilam, in qua Nabuchodonosoris natura, ac potestas exprimitur. Si ad vi-
C tem referas, quod volunt Hugo, Vatablus, Maldonatus, neque Prado displicet, & indicat Septuaginta translatio, sensus erit, non latè vitem illam explicuisse ramos suos; sed circa truncum conuoluisse, seu conglomerasse illos, vt faciunt plantæ natura sua vberes, quæ, si aliquid aduersum obiicias, ne ramorum explicare possint ambitiosam luxuriem, ad sese trahunt, & incuruant, neque plus rami occupant spatij, quàm stirps, seu radix, quæ totum illud ornamentum, & luxum fundit, atque sustentat. Et ideo fortasse subditur, *& radices eius sub illa erant.* Ita Maldonatus. Seu certè, quod magis reor, hæc descriptio est arboris, quæ radices egit, & patulos dif-
D fundit ramos; quæ denique viuit, virétque. Qualiter videtur ab Isaia describi cap.37. *Et mittet quod reliquum est, radicem deorsum; & faciet fructum sursum.*

Sed magis puto verisimile quod cum Hiero- 20.
nymo sentiunt plures alij, & in his illi etiam, quos in sententiam aliam nuper adduximus. quod item opinantur Hebræi. Hi enim illud *ad eam*, ad Aquilam referunt Babylonicam, à qua extracta dicitur cedri medulla; & de vernaculo, ac naturali terræ semine arbor plantata. Tunc verò sensus est expeditus, ac facilis. Germinasse tunc, & adoleuisse plantam satam à Babylonio, quandiu illi subesse voluit, & eius benignitati
E acceptum referre regnum, quod tunc administrabat. Illud enim est radicem esse sub aquila; id est, deberi Chaldæorum Regi imperij fundamentum Iudaici: & ramos ad illam respicere, id est, illa, quæ ex regno nascuntur ornamenta, & commoda. neque enim rami aliorsum ferri, ac explicari debent, quàm ad eum, à quo plantata est, & excolitur arbor, iuxta illud Pauli 1.Corinth.9.v.7. *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?*

Sedecias fœlix quandiu non rebellauit.

Vers.7. *Et facta est aquila altera grandis, magnis* 21.
alis, multísque plumis: & ecce vinea ista, quasi mittens radices suas ad eam.] Secunda hæc aquila Regem portendit Ægyptium, qui aquila pro-

pter illas causas appellatur, propter quas suprà diximus, nomen illud in Chaldæorum Regem conuenire. Hic cùm alibi sæpe Iudæis suum aut obtulisset, aut venditasset auxilium, ab eo ita se confirmatum iri credebat Sedecias, vt occurrere posset Babylonio, & à liberis antea ceruicibus iugum excutere, quod Iudæorum populus proximè acceperat à Chaldæis. Accommodat autem se hoc loco Propheta plantarum naturæ, quæ ramos, ad illam præsertim explicant partem, vnde benignior illis, & quasi vitalis aduenit influxus: quare sicubi contigit, vt in opacis, & vmbrosis locis planta nascatur, in altum solet vehementer attolli; vt solem aspiciat, & ab eo calorem accipiat, & quasi genitalem vim. Radicem præterea in eam porrigit partem, vnde humorem haurire, & per fibras possit succos attrahere, quibus adolescat, & vigeat.

Planta eò feruntur vnde vitam hauriunt.

22. Putabat Sedecias paratum sibi auxilium ab Ægyptio, & ad illum toto inhiabat animo: quare eò expandebat ramos, id est, mittebat legatos, vt habes statim v. 15. Aut certè supplices tendebat manus, quæ quasi quidam rami sunt humani corporis, quæque expandi solent, cùm auxilium imploratur, aut venia. Et in eam partē radices mittebat, deserto Babylonio, vt viresad se traheret Ægyptias. Quæ cōparatio, aut allegoria belli conuenit cum Ægypti natura, quæ à Nilo rigatur, & ab eo recipit ad vsum & victum vtilissimarum rerum maximos prouentus, quasi velit illa metaphorica vitis humorem ad se de Ægyptio flumine traiicere, quod metaphora non admodum diuersa significauit Ieremias, cap. 2. cùm de optato, atque conducto Ægyptiorum auxilio loqueretur, *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?*

Spes in Ægyptiis perdidit Iudæos.

23. *Vt irrigaret eam de areolis germinis sui.*] Septuaginta paulo aliter, *vt irrigaret eam, cum gleba plantationis suæ.* Sententia obscura non est, quæ continet studium, atque conatum Regis, qui id agebat legatis, atque muneribus, vt sibi tutelares Pharaonis copias adiungeret; & quemadmodum regionem suam à finitimis hostibus tuebatur, sic etiam fœderatum sibi Iudæorum populum defenderet ab hoste Chaldæo, & iisdem aquis alienam irrigaret aureolam, seu glebam, vt verterunt Septuaginta; quibus suam etiam regionem fœcundam reddiderat. Porrò hîc areola, pro aqua sumitur, quæ aut in areolis est, aut ad areolas rigandas è Nilo deriuatur. Quomodo poculum pro liquore sumitur, quem è poculo hauris: aut certè de areolis irriganda dicitur Solymitana planta, quia ex aquis, quibus areolæ rigabantur Ægyptiæ, aliquid deducendum erat ad Hierosolymitani germinis areolam.

24. Vers. 8. *In terra bona super aquas multas plantata est, vt faciat frondes, & portet fructum, vt sit in vineam grandem.*] Errorem hoc loco demonstrat, imò stuporem Sedeciæ; qui si saperet, non solùm conseruare, sed etiam augere posset regnum sibi à Rege Chaldæorum oblatum. Id verò sub eadem arboris metaphora declarat. Vt enim arbor, vt firmo, & grandi consurgat trunco, pubescat frondibus, oneretur fructibus, nihil aliud desiderat, quàm terram bonam, & aquam ingem: sic Rex ille bonam habuit, atque fœcundam glebam; terram videlicet promissionis, à qua in alienam depulsus non est. Aquarum item abundantia, auxilium nempe Regis Babylonij, quem si, seruata fide, pacatum sibi, ac fœderatum habuisset; nihil erat, quod sibi ab hoste, siue longinquo, siue finitimo metueret. Tunc verò, quæ primo illo regni sui exordio vitis censebatur exigua, augesceret quotidie magis, & tandem in vineam euaderet vberem, & grādem.

Vers. 9. *Dic hæc, dicit Dominus Deus.*] Hucusque propositum est duarum aquilarum, & totidem plantarum ænigma. Nunc regij stuporis, & væsani consilij futurus exitus ostenditur, in quo modus ipse dicendi abruptus, & inexpectatus, aliquid indicat inexpectatum & horribile. Dicit enim Propheta interrogando, *Ergóne prosperabitur?* In Hebraico textu non est, *Ergóne.* Sed tantùm *prosperabitur?* Addidit tamen noster interpres explicationis gratia, quasi dicat: Hæccine vitis digna est, quæ prosperos successus habeat? cui parcat securis? 25.

Nónne radices eius euellet? & fructus eius distringet, & siccabit omnes palmites germinis eius?] Docet quid magno suo merito arbor illa metaphorica passura sit ab eo, cuius manu plantata, cuius beneficio ad tantam amplitudinem, & robur excreuerat. In planta verò illa eradicata, spoliata fructibus, nudata ramis, ciuitatis exprimitur ingens, atque multiplex strages. Ab imis namque fundamentis euertetur ciuitas, & templum; Rex eius excidet à solio Regni, & quasi lignum inutile perdetur; proles ipsius mascula, ante suum tempus immaturam oppetet mortem, qui nobilis fructus infelicis plantæ; omnes denique palmites, id est, qui regium stipabant latus, sternentur inimica securi: sic denique relinquetur ciuitas illa populosa, & lauta, vt nihil ex ea sit reliquum præter ciuitatis fœdum, & immane bustum. Quod facile constat ex lib. 4. Reg. c. 25. & ex Ierem. cap. 39. & cap. 52. Explicuit hoc idem metaphora non dissimili Isaias cap. 1. *Cùm fueritis*, inquit, *velut quercus defluentibus foliis.* Quàm id instè passus fuerit Sedecias, id est, immemor illa, atque ingrata vitis, audiuit in ipso stragis articulo à Nabuchodonosor suarum iniuriarum vindice, Ierem. cap. 52. v. 9. *Adduxerunt eum* (Sedeciam) *ad Regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath; & locutus est ad eum iudicia.* Id est, disceptauit legitimo foro, obiecítque quid Sedecias accepisset, qualia rependere debuerit, qualia reddiderit; quo denique supplicio mulctandus est. 26.

Et non in brachio grandi, neque in populo multo.] Hæc quidam ad Pharaonem referunt, quasi cum exiguo exercitu subsidio venerit Iudæis, quo tempore premebantur à Chaldæis; quasi inutile foret illud auxilium, quod tanto studio fuerat à Sedecia imploratum. Ita Theodoretus, & Rab. Salomon. Sed sanè cùm proximè actum esset de Rege Babylonio, non videbatur, interposito Pharaone, interrumpendum hyperbato orationis filum. Neque exiguæ fuerunt Pharaonis copiæ, quas subsidio misit obsessæ ciuitati: quandoquidem ideo conatus est Babylonius obsidionem soluere, & totum belli pondus ad Ægyptios conuertere, Ierem. cap. 37. Est ergo exercitus iste Regis Babylonis, qui non exiguum populum, sed copiosum in Iudæorum exitium conscripsit: & brachium extendit non languidum, & debile; sed robustum, & acre. Et cùm hæc interrogatione sint acuenda, sententia difficilis non est. Nónne radices euellet? fructus distringet? siccabit palmites? nónne, vt illam radicitus euellat, brachium extendet grande, & exercitum coget numerosum? 27.

Vers. 10.

28. Verſ. 10. *Nónne cùm tetigerit eam ventus vrens, ſiccabitur.*] In vento vrente exprimere ſolent Hebræi tempeſtatem ſubitam, & grauem calamitatem, quæ citò circumagit, & ſternit quicquid habet obuium, quámque vis nulla frangere, ac retardare poteſt. Heb. eſt רוח הקדים *ruach ha kadim.* quod vulgatus interdum *æſtum* reddit. Oſeæ cap. 12. *Ephraim paſcu ventum, & ſequitur æſtum.* & ſæpius, vt hoc in loco, *ventum vrentem:* quod ſanè prouerbiale aliquid olet. quod ſi ita eſt, vt profectò eſt, non laboro, quo modo Babylon dici orientalis poſſit, cum Hieroſolyma comparata. Satis mihi eſt in vrente vento vim eſſe prouerbialem; qualitatem nempe vehementer noxiam, quæ fruges exurit, ſpémque omnem adimit futuri prouentus. Adducit autem metaphoram hanc accommodatè ad plantam, in qua Sedeciam Regem, & Solymitanum genus notabamus. Vt enim ventus vrens torrere ſolet, ac perdere, quod eſt in arbore ad cibum vtile, & ad ſpeciem pulchrum: ſic Chaldæorum exercitus inſtar vrentis venti noxius, ac præceps quicquid Solymitanis pulchrum eſt, atque vtile proſternet. Vide quid de vrente vento diximus ſuper Ieremiam cap. 4. num. 22. In areis germinis ſui areſcet illa planta; quia in Iudæa, eo nimirum loco, vbi creuerat, in agro Ierichuntino periit cum ramis, & fructu; id eſt, cum filiis, atque principibus.

Prouerb. ventus vrens.

Sedecia caſus.

29. Verſ. 12. *Dic ad domum exaſperantem, neſcitis quid iſta ſignificent.*] Explicatio ænigmatis proponitur, & implexi nodi non obſcura ſolutio. de qua nihil ferme eſt, quod vlteriùs addamus, ſatis enim à nobis hæc expoſita ſunt in principio capitis. Exaſperans vocatur ille populus millies, quia rebellis fuit, & eo vitæ genere, quod inſtituit, non tam inflectebat Dei benignitatẽ, quàm inſtimulabat furorem.

Aſſumet Regem, & principes eius.] Nempe Iechoniam, quem antè cedri medullam appellarat, & illos, quos adumbrabant in arboris faſtigio ſummæ frondes.

30. Verſ. 13. *Et tollet de ſemine Regni.*] Hic eſt Sedecias Iechoniæ patruus, quem ſummoti Iechoniæ loco regno præpoſuit. Cui vt regnum relinqueret minus quàm antea firmum, ne quid contra iuſiurandum, & fidem datam moliretur, regni neruos incidit; & viros fortes, reique bellicæ gnaros Babylonem abduxit. Reliqua ad verſum 17. aperta ſunt.

31. Verſ. 17. *Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium.*] Dixerat proximè ſociale fœdus à Sedeciā, cum Pharaone percuſſum, contra Regem Babylonium, cui vrbem, populúmque Iudaicum fecerat vectigales. Nunc docet nulli Iudæis vſui futuras eſſe Pharaonis copias, quantumcumque magnas; omnique bellico apparatu abundanter inſtructas. Illud *non*, quod in principio ponitur cum verbo *faciet*, quod paulo remotius eſt, coniungo. In hanc ſententiam. Quantumcumque ille in grandi exercitu, aut cum grandi exercitu, & populo numeroſo veniat; non tamen cum Babylonio prælium inibit; vtiliter nempe, ita vt futurũ ſit obſeſſæ Hieroſolymæ ſubſidio. Hæc mihi magis placet explicatio: nã quod quidã Pharaonis vires extenuant, quaſi auxiliares illæ copiæ neque ex forti, neque ex multo milite conflatæ ſint; non ſatis videtur bellè cum eo congruere, quod ad rumorem apparatus illius, & ſubſidij bellici obſidionem ſoluit Babylonius, Ierem. cap. 37. quod certè non faceret, ſi ſperaret poſſe ſe & vrgere obſidionem, & Ægyptiorum viribus occurrere. Certè Ioſephus lib. 10. Antiq. cap. 10. validum eſſe tradit Pharaonis exercitum. *Ægyptius, inquit, audito in quibus anguſtiis eſſet Sedecias ſocius, aſſumpto valido exercitu Iudæam petiit volens obſidionem ſoluere.*

Pharaonis auxilium quale cõtra Babylonios.

32. *In iactu aggeris, & in extructione vallorum, vt interficiat animas multas.*] Hæc aliqui ad Babylonium referunt, in hunc ſenſum. Etiamſi copioſas inuehat acies Pharao, vt obſeſſo Sedeciæ ſubſidio ſit, quo tempore aggere, vallóque ciuitatem Chaldæus anguſtè premet, omnéſque militares machinas inſtruat, admoueátque, vt Iudæorum plurimos interimat: nihil tamen promouebit Ægyptius. Ita putat Lyra & Maldonatus. Veruntamen magis mihi illorum probatur explicatio, qui hæc Pharaoni tribuunt, negántque opportunum fore, aut vtile ſubſidium, quod pro Iudæis contra Babylonium adornaret Ægyptius. Quamuis enim magnos habuiſſet delectus, & bonam Ægypti partem in Sedeciæ patrocinium armaſſet; & in aggeres, ac vallos multam comportaſſet materiam, vt ex Chaldæorum caſtris aut fugaret, aut extingueret plurimos: neque tamen aggeres excitabit, aut vallos; aut Babylonios franget ſpiritus, ac vires; neque vllum erit tantæ molitionis, tantorum ſumptuum, ac tantæ operæ pretium. Tam longè enim fuit, vt ſuam rem promouerit, aut alienæ ſubuenerit; vt potiùs imperij ſui magnam partem amiſerit, de quo Ioſephus proximo loco. *At Babylonius intermiſſa obſidione, obuiam illi profectus vno prælio victum tota Syria expulit.*

Verſ. 18. *Spreuerat enim iuramentum, vt ſolueret fœdus, & ecce dedit manum ſuam.*] Breuiori ſumma complectitur, quæ pluribus paulo antè explicuerat, de periurio, ac prodita fide Sedeciæ; & quemadmodum idem cum Ægyptio fruſtrà vires, ſocietatémque coniunxerit. *Dare manus* cùm alia ſignificet, hìc proculdubio valet, aut ſocietatem inire, ac fœdus, & hoc potiùs. Quia qui vires, atque animos coniungunt, id confertis manibus ſignificare ſolent; & manus viciſſim inter ſe complicatæ fidei ſunt, atque amicitiæ ſymbolum. Exempla è multis hæc pauca accipe. 1. Machab. c. 6. *Nunc itaque demus dextras hominibus iſtis, & faciamus cum illis pacem.* Et Paulus ad Galat. 2. *Dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis.* Aut quia ij, qui ab aliis beneficium aliquod acceperunt eximium, ſerui quodammodo illorum efficiuntur, quia dona catenarum inſtar manus ligant, & libertatem eripiunt; ſignificat Propheta aduocato Ægyptio, etiamſi res ſucceſſiſſet ex voto, non tamen declinanda ſeruitutis incommoda: nam ſubiugaſſet ſibi Ægyptius liberando Iudæos, quos armis antea Babylonius ſubegerat. Dare autem manus, etiam in Scriptura, ſubiectionem ſignificare, habes 1. Paral. cap. 29. *Vniuerſi Principes, & potentes, & cuncti filij Regis Dauid dederunt manum, & ſubiecti fuerunt Salomoni Regi.* & 2. Paral. cap. 30. *Nolite indurare ceruices veſtras, tradite manus veſtras; Domino ſeruite.* Eſt autem locus accommodatus Thren. 5. *Ægypto dedimus manus, & Aſſyriis, vt ſaturaremur panibus.* Sed, vt dixi, prior expoſitio magis eſt ad textum. Et probat quod ſtatim ſubiungitur, *Cùm omnia hæc fecerit, non effugiet.* id eſt, licet externum ſibi auxilium mercede conduxerit; non tamen efficiet, vt intentum ſibi malum à Chaldæo non ſubeat. 33.

Dare manus ſocietatem, & ſubiectionem valet.

34. Verſ.19. *Iuramentum, quod ſpreuit, & fœdus, quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius.*] Multa fuerunt populi peccata, propter quæ ciuitate caruit, & templo; ac tandem bellorum, ac captiuitatis incommodis exhauſtus eſt, quæ ſæpe vſurpant, & exprobrant Prophetæ. Nunc ad extremum aliud adiungit, quod ſeuerè Deus reprehendit, & punit; periurium nempe, & fidem in ſanciendo fœdere violatam, cuius vt ipſe teſtis erat in paciſcendo, ſic etiam eiuſdem perfidioſè violati vindex eſſe voluit. *Caput alicuius*, pro eo ſumi, cuius eſt caput, pluribus à nobis oſtenſum eſt ad illud Iſai. cap. 35. *lætitia ſempiterna ſuper caput eorum.* Quare nihil eſt aliud, ponam iuramentum in caput eius; quàm iuramenti violati ſupplicium in illum conuertam.

Caput pro perſona.

35. Verſ.20. *Et expandam ſuper eum rete meum: & comprehendetur in ſagena mea.*] Explicat violati fœderis, & iuramenti temerati ſupplicium, quod non tam de populi perfidia Nabuchodonoſor, quàm Dominus ipſe ſumet. Coget enim genus illud fœdifragum tanquam piſces intra piſcinas, & viuaria; ne quod habeant expeditum effugium; & rete expandet piſcatorium, quo ex aquis, id eſt, è ſuo veluti regno, morituros educet. Rete autem erit Chaldæorum exercitus, qui & piſcinam, vbi piſces illi natabant, diſſipauit, & ibidem extinxit, aut traduxit aliò. Porrò quàm eſſent piſces illi Solymitani, in ſuis concluſi viuariis, neque vt enatarent in altum, atque apertum pelagus permitterentur, habes 4. Reg. c.15. *Venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, ipſe, & omnis exercitus eius in Ieruſalem, & circundederunt eam, & extruxerunt in circuitu eius munitiones: & clauſa eſt ciuitas, atque vallata.*

36. *Et adducam eum in Babylonem, & iudicabo eum ibi in præuaricatione, qua deſpexit me.*] *Iudicare* idem eſt interdum quod punire, maximè ſi de illis ſermo fuerit, cuius vita ſceleris arguitur. In Babylone iudicatus eſt Sedecias, quia ibi ærumnoſam egit, & ignobilem vitam, priuatus regno, liberis, & oculis, & omnium conuitiis, atque ludibris expoſitus. Quod ſi verum eſt, quod ad finem capitis 52. Ieremiæ diximus ex ſententia Abul. in cap.25. lib.4. Reg.q.38. & Hiſtor. Scholaſt. in lib.4. Reg. cap.46. Sic indecorè tractatus eſt Sedecias, vt cùm ignominiam, quam in conuiuio quodam acceperat, ſuſtinere non poſſet, ex mœrore interierit. Illud hîc obſeruandum maximè, quod in iuramento violato, ſe Dominus deſpectum eſſe dicit; quia cùm in iureiurando concipiendo diuina interponatur fides, Deus quodammodo falſitatis, aut leuitatis arguitur; & fit reus, ſicut in promiſſo non præſtito fideiuſſor, aut in affirmatione falſa teſtis mendax. Sanè in eiuſmodi iuramento diuinum pollui, & contaminari nomen, Deus ipſe dicit Leuit.19. v.12. *Non periurabis in nomine meo: nec pollues nomen Dei tui.* Quod autem præpoſitio *in*, valeat interdum idem quod *propter*, res eſt nota, & probat illud Pauli toties repetitum, *ego vinctus in Domino.* quare *in præuaricatione*, nihil eſt aliud, quàm propter præuaricationem.

In periurio deſpicitur Deus.

37. Verſ.21. *Et omnes profugi eius, cum vniuerſo agmine ſuo gladio cadent: reſidui autem in omnem ventum diſpergentur.*] Ex his, qui cum Sedecia ex vrbe fugerunt, cùm interrupta eſt ciuitas, & aperti muri, 4. Reg. c. 25. quidam comprehenſi ſunt & occiſi; alij fuga in aliam, atque aliam regionem elapſi. Sed illud difficile, quî fieri poteſt, vt omnes profugi, cum vniuerſo agmine dicantur occiſi, & tamen ex illis aliqui futuri ſint reſidui, & in omnem ventum diſpergendi? Simile aliquid habes Ierem. cap.44. v.27. vbi cùm omnes dicatur morituri, ſtatim tamen verſ.28. ex eodem numero aliqui traduntur futuri reſidui. *Conſumentur omnes viri Iuda, qui ſunt in terra Ægypti, gladio, & fame, donec penitus conſumantur.* (quid magis vniuerſaliter, atque præcisè dici poterat? ſed audi quid addatur illico.) *Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci.* Vtriuſque loci eadem eſt ſolutio, ex illa regula frequenti, & certa, quæ docet vniuerſale ſignum, non ſemper vniuerſaliter ſumi; aut, quod idem eſt, *omnes* ſumi pro *multis*, *nullum* pro *paucis*: vt pluribus oſtendimus in noſtris commentariis in Ierem. cap. 9. num. 19. & 20.

REGVLA. Omnes *pro* multis, *&* nullus *pro* paucis, *interdum adhibentur.*

Verſ.22. *Et ſumam ego de medulla cedri ſublimis, & ponam; de vertice ramorum tenerum diſtringam, & plantabo ſuper montem excelſum.*] Reuertitur ad Iechoniam, à quo principio exorſus, & iam pridem interruptus ſermo, & longè aliam illius conditionem eſſe dicit, ac Sedeciæ, qui tunc à captiuis futurorum ignaris lautus cenſebatur, & felix. De medulla cedri (ſic enim vocatus eſt Iechonias verſ.3. id eſt, de cedro non ſterili emedullata, & vanida aſſumet Deus germen, & ſurculum, quem ponat eius loco, in excelſo, & eminente monte, quæ in eam proceritatem aſſurget; ſic patulos explicabit ramos, vt volucres cœli in illa, & ſtationem habeant opportunam, & nidos ſibi conſtruant. Hic erit fructus Iechoniæ, qui datus in carcerem, ex quo non niſi poſt multos annos, extincto iam Nabuchodonoſore, extractus eſt, ſterilis putabatur, & quaſi lignum aridum. Sed quiſnam ſit hic ſurculus ex cedro illa medullata diffractus, qui volucribus præbuit amplam, & ſalutarem vmbram, explorandum eſt. 38.

Iechonia finis, & ſucceſſio.

Et primùm mihi certum eſt, aliquo modo vaticinium hoc eſſe de Zorobabele, quem Salatiel Iechoniæ filius in exilio ſuſcepit, ſed tanquam de typo, qui Chriſtum nobilius ex eadem ſtirpe germen adumbraret. De Zorobabele accipiunt Hebræi: qui dux fuit populi ab exilio remigrantis; & munus illud obiit in inſtauranda vrbe, & excitando templo: quod præſtare poſſet, quicumque regium ſuſtineret nomen, & locum. Alij hæc de Chriſto ſolùm putant eſſe ſumenda. Sic ex Græcis Origenes, Polychronius, Theodoretus; ex Latinis cum Hieronymo Lyra, Dionyſius, Maldonatus. Item Chaldæus, &, vt refert Galatinus lib.3. de arcanis cap.21. etiam Rab. Salomon. 39.

Ego quod in aliis ſimilibus ſæpe feci, puto nõ omnino ab hoc vaticinio excluſum eſſe Zorobabelem; neque de Zorobabele ſolùm eſſe ſermonem, ſed de hoc tanquam de vmbra, de Chriſto tamen typicè, in quem Prophetæ ſpiritus magis erat intentus. Quod de Zorobabele hîc ſermo ſit, ſuadet quod ramus hic dicitur futurus eſſe tener, id eſt, tenuis, ac gracilis; de quo nihil videbatur ſperari poſſe ſublime. Talis autem erat Zorobabel, cuius auus, & parens captiui fuerunt Babylone, & non multo ſupra turbam aliam vulgarem, & ignobilem ſublimes. Et cùm iam poſt annum ſeptuageſimum obſoleuiſſet regium nomen, quod Iechonias auus ſuſtinuerat: tener omnino ramus, & ignobilis truncus haberi potuit Zorobabel. Adde quòd 40.

vt

Zorobabel typus Christi.

vt restituta Hierosolyma typus fuit Ecclesiæ vexatæ priùs, deinde in splendidiorem speciem adductæ; sic Zorobabel, quo duce instituta remigratio, & instaurata Hierosolyma, typus fuit Christi, qui Ecclesiæ auctor, & amplificator fuit. Cùm autem id ageret hoc loco Propheta, vt mœrentes solaretur captiuorum animos; plurimum intererat vt nossent non ex Sedecia, quem in vrbe reliquerant, sed ex Iechonia, quem secuti fuerant, nasciturum illum, per quem essent in antiquas sedes, & in paternam gloriam redituri. Ita putant Hugo, Dionysius, & Pradus.

41. Quòd verò hîc de nobilissimo Dauidicæ, id est, regiæ stirpis surculo, de Christo nempe præcipuus sermo sit, ex eo liquet, quia aliqua hîc dicuntur, quæ minimè in tempus illud, aut in Zorobabelis personam conueniunt. Neque enim Rex fuit, cuius status allegoricè statim in cedro describitur, in cuius ramis volucres nidificant, & ad eam commodùm habent diuerticulum. Quæ descriptio Regis est, aut regij status, sicut Daniel. cap. 4. in arbore procera, & grandibus diffusa ramis, Babylonicum regnum expressum est. At in Christo videmus hæc omnia luculenter expleta; cuius Regnum quàm latissimè patuit, quam mollissimè omnium gentium ordines amplectitur, & in eo volucres, quæ supra terram sese volatu sustulere veloci, ad nobilem fœturam, non solùm tutò, sed etiam commodè nidificant. Obseruauit autem hoc loco Theodoretus longè diuersam arborem, in qua Christi, ab arbore, in qua Babylonici regni natura, & Nabuchodonosoris potentia describitur. Ad arborem quippe Nabuchodonosoris confugiebant animalia, & bestiæ, quæ in terra gradiuntur; & ad eius vmbram stabulantur. In arbore tamen Christi tantùm volucres cœli morantur, & nidificant, id est, qui humana despiciunt, sublimia contemplantur, & ad cœlestis patriæ possessionem aspirant.

Aliis Christus, aliis terra Principes manũ, atque vmbram præbens.

42. Vers. 24. *Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile.*] Hæc magis pertinent ad typum, seu ad statum Hierosolymæ terrestris, cum aliquo tamen respectu ad Christum. Docet autem Propheta magnam futuram esse mutationem, tam in rebus ipsis, quàm in hominum cogitatione. Erit enim in rebus ea vicissitudo, vt qui sublimes videbantur, & fortunati, de statu cadant in miserrimam, sordidámque fortunam: qui contrà abiecti censebantur, & sordidi, eò excitabantur, vt ab omnibus fortunati existimentur, & nobiles. Quæ omnia in Iechonia tunc misero, atque exule, & in Sedecia tunc splendido, atque in sua patria regnante spectarunt Iudæi. Viderunt enim ex Iechonia germen excitatum ad gloriam, nempe suo sæculo Zerobabelẽ, qui dux fuit, & princeps Gentis suæ; & multis pòst annis in aureo

A sæculo Christum, qui ex Iechonia, per Zorobabelem genus traxit humanum, Regnúmque in domo Dauidica sempiternum habuit. At multo secus in Sedecia, qui lignum putabatur sublime, tanquam cedrus è Libano; inde tamen excisus est, decorticatus, & nudus, & vni tantùm hatus, & aut aptus incendio. Cùm autem de his Hierosolymæ Regibus sub arborum metaphora vaticinium instituerit Propheta; aptè etiam vaticinium idem sub eadem allegoria persequitur. Et alios siue Reges, siue prouincias, siue etiam eos, qui sunt è genere Israelitico, arborum nomine significat, & notat. Vsque adeò verò illu-
B strem, atque conspicuam futuram esse dicit conuersionem illam; vt omnes intelligant à nemine alio, nisi à Deo, mutationem illam tantam fieri potuisse.

Siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum.] Lignum videbatur viride Sedecias, & in solo plantatum irriguo, atque vberè; quare ex illo magna sperabatur, & ramorum fœcunditas, & fructuum abundantia. Sed Deus abscidit, atque siccauit ramos, extinctis crudeliter filiis spectante patre; & ipse eò compactus est, vt ex illo sperari posset nulla, aut non nisi furtiua posteritas. Ductus est enim cæcus in Babylonem; vbi ad mortis vsque tempus in vinculis fuit. Ita Ieremias cap. 52. v. 11. de Nabuchodonosor. *Et posuit eum (Sedeciam) in domo carceris vsque in diem*
C *mortis eius.* Hoc planè est lignum siccare viride, & omnino infœcundum & inutile reddere. 43.

Prouerb. Siccari lignum viride, & frondere siccum.

Lignum aridum prouerbiali figura pro sterili ponitur, aut pro illo, ex quo sperari nullus potest fructus; sicut neque à planta eradicata, quæque nullum habet, neque exugere potest è terra succum. Sic Eunuchus Isai. 16. se vocat lignum aridum, quia ad prolem inutilis. *Non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum.* Eccli. 6. v. 3. de superbo, *Relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Huc spectauit Christus Lucæ cap. 23. v. 13. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet.* Sic Iob extinctis filiis, & corpore in saniem iam soluto, & penè mortuo, dixit cap. 19. v. 11. *Quasi auulsæ arbori ab-*
D *stulit spem meam.* Sic Sara Gen. 11. aridum vocatur lignum, aut, quod idem est, *planta eradicata.* Nam vbi vulgatus habet, *Erat autem Sarai sterilis,* Heb. עקרה *akerah*, id est, eradicata. Talis autem videri potuit Iechonias, pauper, exul, in vinculis, & si non mortuus & aridus; aridi tamen, ac mortui viua quædam effigies; ex quo tamen nobilis germinauit, & magna posteritas. Quomodo verò Iechonias, qui nunc lignum vocatur fœcundum, & viride, apud Ieremiam cap. 22. v. 30. sterilis vocetur, explicuimus pluribus in eo Ieremiæ loco. Sic autem ibi Ieremias, *Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur: neque enim erit de semine eius vir, qui sedeat super domum Dauid.*

44. *Prouerbiũ, lignum aridum.*

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

ARGVMENTVM.



ABIERAT iam apud Babylonios exules in prouerbium, stupore se dentium parentum luere peccata, qui vuam olim acerbam comedissent. In quo iniqui iudicij diuinam iustitiam incusabant, quasi ipsi innocentes forent, & propter paternam intemperantiam grauibus afficerentur incommodis. Quibus respondet Deus,

nihil se molitum esse iniustum; eo maximè, quia in suam possessionem suo arbitratu liberè statuere poterat, nihilque habeat, quo peruerti possit suum siue in puniendo, siue in munerando iudicium. Loquitur autem hîc de corporali, ac temporaria pœna, quam ea tempestate apud Babylonios patiebantur Judæi. A qua tamen ad spiritualem, & æternam tanquam ex vmbra quadam gradus, & apta quædam comparatio fit. Dicit tamen post solutum exilium, rémque publicam Judæorum constitutam, neminem vllo modo propter aliena peccata fore plectendum, sed quemlibet pro eo, quod iniquè gessit, aut mortem, aut id, quod instar habet mortis, esse subiturum. Justo deinde vitam, iniusto verò mortem proponit, declarátque in quo maxima iustitia, quæ à morte liberat, seruari debeat. Ad extremum affirmat nullum etiamsi diu iustè vixerit; si tamen deinde rectè factis peccatum adiunxerit euitaturum mortem; neque illum, qui peccatis se contaminauit quantumcumque grauibus, si modò illa pœnitentia deleuerit, fore moriturum; hortatúrque vt impendentem mortem pœnitentia, morúmque mutatione declinent.

CAPVT XVIII.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:*

2. *Quid est quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium istud in terra Israel, dicens: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt?*

3. *Viuo ego, dicit Dominus Deus, si erit vltrà vobis parabola hac in prouerbium in Israel.*

4. *Ecce omnes animæ, meæ sunt; vt anima patris, ita & anima filij mea est: anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.*

5. *Et vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iustitiam,*

6. *In montibus non comederit, & oculos non leuauerit ad idola domus Israel: & vxorem proximi sui non violauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit:*

7. *Et hominem non contristauerit: pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit: panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento:*

8. Ad

PARAPHRASIS.

A 1. ITerum ad me Dominus in hunc modum locutus est:

2. Ecquid causæ est, cur sententia iam olim celebrata familiari sermone, & vulgari querimonia, modò à vobis prouerbialem in modum frequenter vsurpetur; dum illud identidem repetitis, comedisse quidem parentes immaturam vuam, filios autem ab stupore dentium pro acerba vua pœnas quàm acerbissimas dependere.

3. Ne viuus ego Deus existimer, sed mortuus, qualia sunt Gentium simulacra, si vltrà hæc vobis parabola parœmialis sit.

B 4. Omnes animæ meæ sunt, tam parentum sum, quàm filiorum Dominus; non in hos magis, quàm in illos afficior; neque metus me, neque fauor, aut munera in iudicando peruertent: quare nullus punietur pro altero; sed quisque quod malè commiserit, malè luet; cuiuscumque peccatum mors sequetur, & pœna.

5. Viuet autem, neque illum vlla consequetur pœna, qui vitam suam sic putauerit instituendam; réque ipsa ita fuerit sanctè moderatus, vt iustus sit, id est, iustitiam piè, atque iudicium colat.

C 6. Neque, quod Gentes faciunt, dum sacra peragunt nefaria, comederit in montibus, ac lucis; neque ad idola, quæ gentilico ritu coluerunt Israelitæ, oculos leuauerit venerabundos, & supplices; neque alienæ vxoris pudori illuserit; aut illius concubitum inierit, quam sanguis menstruus fœdè contaminat.

7. Si hominem non affecerit dolore, dum inclementer ab illo pignus aufert, sed illud quod est ablatum, debitori reddiderit; si nil à fratre suo violenter extorserit; si esurientis famem cibo leuauerit,

A uauerit, porrexerítque nudo carnis tegumentum.

8. Ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit: ab iniquitate auerterit manum suam, & iudicium verum fecerit inter virum & virum:

8. Si quæstum non instituerit fœnebrem, neque plus à debitore extorserit, quàm dederit mutuo; & auaram, aut violentam manum à rapina, seu cæde cohibuerit; & si qua ad illum delata controuersia fuerit, iustum se iudicem, & integrum ostenderit.

9. In præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit vt faciat veritatem: hic iustus est, vita viuet, ait Dominus Deus.

9. Exemplar, & formam vitæ suæ legem meam, atque mandata proposuerit; & ne à veritate aberret, iudicia mea exa-
B ctè seruauerit: hic iustus est, dicit Dominus, quíque vitam à capitali pœna liberam seruabit.

10. Quòd si genuerit filium latronem effundentem sanguinem, & fecerit vnum de istis:

10. Quòd si pater iustus, qualem modò descripsi, filium susceperit peccatorem; latronem puta, sicarium, quíque alieno sanguine manus imbuerit; aut qui horum aliquid facere tentauerit:

11. Et hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, & vxorem proximi sui polluentem:

11. Neque illa præstiterit, quæ à viro iusto nuper exigebantur, sed ad impias aras in montibus instruxerit mensas; & alienum torum incesto, seu scelerato concu-
C bitu violauerit:

12. Egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola leuantem oculos suos, abominationem facientem:

12 Et egeni, ac pauperis extorquendis prædis, aut non reddendo pignore mœrentem animum afflixerit; & sceleratis sacris operatus supplices oculos ad idola sustulerit.

13. Ad vsuram dantem, & amplius accipientem: numquid viuet? non viuet cùm vniuersa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis eius in ipso erit.

13. Et lucrum quæsierit ex fœnore, id est, plus acceperit pecuniæ, quàm dederat mutuo. Qui talem inierit viuendi modum, numquid vitam ducet tranquillam, & vitalem? Nequaquam ille viuet. Cùm
D hæc admiserit, quæ horrent, & execrantur boni, mortem oppetet, & sanguis, quem effundit, sui sanguinis effusione luet: in ipsius denique caput cadet quicquid in se sceleris admiserit.

14. Quòd si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis:

14. Quòd si contrà pater impius filium genuit timoratum, & pium, qui paternam improbitatem intuitus, tam longè fuit, vt illam sequeretur, vt potiùs execraretur, & horreret.

15. Super montes non comederit, & oculos suos non leuauerit ad idola domus Israel, & vxorem proximi sui non violauerit:

15. Qui neque ad impias aras sacrificale instruxerit conuiuium, neque venerabundis oculis idola suspexerit, quibus
E supplicauit Israel; neque libidini suæ nimium intemperanter obsecutus, alienæ vxoris pudorem oppresserit.

16. Et virum non contristauerit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento:

16. Neque virum afflixerit mœrore, aut spoliando bonis per dolum, aut vim; aut diu apud se retinendo pignus; & porrecto pane esurientis necessitati subuenerit; & vestimento nuda membra confouerit.

17. A pauperis iniuria auerterit manum suam, vsuram & superbundantiam non acceperit, iudicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaue

17. A paupere vel opprimendo violenter, vel spoliando callidè manus abstinuerit; neque supra id, quod alteri dedit fœnori,

bulauerit: hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita viuet.

18. *Pater eius quia calumniatus est, & vim fecit fratri, & malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua.*

19. *Et dicitis: Quare non portauit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius iudicium & iustitiam operatus est, omnia præcepta mea custodiuit, & fecit illa, viuet vita.*

20. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum.*

21. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est: & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam: vita viuet, & non morietur.*

22. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, viuet.*

23. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?*

24. *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur.*

25. Et

A fœnori, aliquid acceperit: mandatis meis sic obtemperauerit, vt legem meam suæ vitæ formam esse statuerit. Hic vitam seruabit suam, neque paternæ vitæ turpitudinem moriendo luet.

18. Non sic pater sceleratus, & impius, qui fraudulenter in alterius caput calumniam machinatus est; qui manus fratri violentas iniecit; qui in medio, atque conspectu populi sua defixit flagitia. Huic etenim propter iniquitatem suam moriendum est.

B 19. Quòd si roges cur paterni sceleris pœnas non expendet filius, in promptu ratio est; quia filius paternis vestigiis non inhæsit, sed iustè, consideratè, atque æquè consilia sua moderatus est; quia in præcepta mea, & legem intuitus, ad illorum præscriptum suos mores effinxit. Eam igitur ob causam filius bonus effugiet mortem, quam subiit sceleratus pater.

20. Quicumque peccauerit, mortis sustinebit pœnam: neque filij propter parentum, neque parentes propter filiorum
C peccata punientur; si quid iustus fecerit iustè, iustitiæ suæ præmium reportabit: si quid impius impiè tentauerit, impietatis suæ pœnas expendet.

21. Vsque adeò Deus ab innocenti filio pro parentis peccato non exiget pœnas; vt peccatori ipsi modò peccata detestatus, meliora cogitet, veniam promittat. Si peccatorem, inquit, peccati pœniteat, & meis præceptis obsecutus ad illorum se normam fingendum præbuerit;
D neque à iustitia, iudicióque seruandis quoquam declinarit, is neque vitæ dispendium, neque vllum à morte periculum subibit.

22. Omnium enim iniquitatum, quas operatus fuerat, non erit imposterum vltrix memoria, atque ideo propter illas non morietur; sed potiùs propter alia, quæ postea operatus est, iustè consequetur vitam, & mortem iamiam insidiantem effugiet.

23. Numquid eò mea me voluntas
E inclinat, & rapit, dicit Dominus, vt voto mihi sit, ac studio peccatoris interitus, & non potiùs, vt à deuio tramite conuersus vitam consequetur?

24. Quòd si quis tradens sese abominationibus, quas à viro iusto vitandas proximè monueram, à iustitia exciderit, numquid vitam conseruabit, quam priùs operibus obtinuerat iustis? Non ita sanè: bonorum etenim operum, quæ fecerat antea, peribit memoria, & quasi vita superior nihil peperisset vitale propter peccatum, quod deinde commisit; & legem meam

ab

25. Et dixistis: Non est aqua via Domini. Audite ergo domus Israel: Numquid via mea non est aqua, & non magis via vestra praua sunt?

26. Cùm enim auerterit se iustus à iustitia sua: & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia, quam operatus est, morietur.

27. Et cùm auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam: ipse animam suam viuificabit.

28. Considerans enim, & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita viuet, & non morietur.

29. Et dicunt filij Israel: Non est aqua via Domini. Numquid via mea non sunt aqua, domus Israel, & non magis via vestra praua?

30. Idcirco vnumquemque iuxta vias suas iudicabo domus Israel, ait Dominus Deus. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas.

31. Proii

A ab ipso derelictam, atque contemptam, morte damnabitur.

25. Quòd si ad hæc quisquam obstrepat, dicátque iniquum esse Deum in iudicando, & repetat parœmialem illam parabolam de stupore dentium, quem ex inmaturis parentum vuis filij contraxerunt. Huic ego respondebo æquum me esse in iudicando; neque in viis meis quicquam esse distortum; & domum potiùs Israel iniquam esse, & illius vias, atque consilia deprauata. Quare si quid in exi- B lio patitur mali, aut mali aliquid præterea timet, non illud patitur patietúrve sine magno suo merito; quia sine peccato non est, cui pœna debetur, & interitus.

26. Si verò quis obiiciat tam eos, qui in exilio nunc sunt, quàm illos quibus Hierosolymæ exitium impendet, aliquid aliquando gessisse boni, atque ideo à Domino puniri; huic ego respondeo defecisse illos à iustitia, & ad iniquitatem declinasse: quare nihil illos pati non debitum. C Nam qui iustitiam prodidit, & peccatis adhæsit, à peccatis habet, vt iustè moriatur.

27. Neque ideo crudelis existimari debeo, quòd seuerè videar peccatorem accipere, cuius antea nonnulla præcesserant merita. Nam etiamsi multa antecessissent peccata, si tamen ille resipiscat, iudicium amet, & iustitiam sequatur, obtinebit vitam, quam amisisse videbatur, & debitum sibi, atque paratum interitum effugiet. D

28. Cùm enim ille considerans quàm priùs egisset insipienter, & malè, animum, & manus à superioris vitæ sceleribus auerterit, vitam à mea lenitate consequetur, & mortem declinabit.

29. Et tamen quærunt filij Israel, dicúntque iniquum esse iudicium Domini, & viam iniustam. Iniquitatisne arguitis vias meas, ô Domus Israel: & non magis in viis vestris aliquid iniquum, & prauum deprehenditis.

E 30. Idcirco vniuscuiusque viam diligenter expendam, si peccatorem inuenero, quantumcumque antea religiosè vixerit, peccati sui pœnas expendet, & tanquam mortis reum, morti dedam: si iustum deprehendero, quantumcumque priùs effusè peccauerit, modò peccata pœnitendo deleuerit, à mortis periculo tanquam iustum eripiam: talem enim iudicabo quemlibet, qualem inuenero. Quare, ô filij Israel, facite vt à vobis pœnitentia remoueat, id, quod furor meus intuetur, & punit; & tunc illa, quæ præcessit

A cessit iniquitas, vtpote iam extincta, nullum habebit vltrà mortis aculeum.

31. *Proiicite à vobis omnes præuaricationes vestras in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum: & spiritum nouum: & quare moriemini domus Israel?*

31. Ergo, ô filij Israel, abiicite quàm procul à vobis illa, quæ vos à data olim fide, & à patria religione deduxere; veteres cogitationes deponite, cor nouum, & spiritus alios assumite, qui à terrenis carnalibúsque affectibus abducti, cœlestia meditentur, & quærant. Ecquis tantus erit stupor, tanta dementia, vt cùm vltrò vobis offeratur vitæ conditio, perire tamen eligatis, quasi magnum foret in morte compendium? cur vitam vestram vsque
B adeò despicitis, vt nolitis eam tam facili negotio redimere?

32. *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini, & viuite.*

32. Nolo ego, dicit Dominus, mortem peccatoris, neque studio mihi, & voluptati est morientem videre. Reuertimini igitur ab eo instituto, quod vos ad mortem præcipites rapit, & vitæ vestræ meliùs, & maturè consulite.

Vers. 2. *Quid est quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium istud.*]

1. VETVS erat prouerbium vulgari Israelitarum sermone contritum, peccasse quidem parentes; illorum tamen errata in suo capite luisse posteros. Vnde prouerbium emanauerit incertum est, antiquissimum credo fuisse ab ipso statim rerum exordio. Neque enim Adami progeniem primam ignorasse credendum est, quid in totum humanum genus, ex Adami peccato deriuatum fuerit pœnarum, neque protoplastus ipse pater posteris celatum esse vellet, quo in statu primùm fuisset; quomodo à serpente delusa vxor; quemadmodum ipse nimium vxorius, dum Euæ blanditiis non tam seducitur, quàm allicitur, mortem in mundum, & quæ mortis præcedunt, aut sequuntur incommoda, tot malorum auctor inuexerit. Quod cùm in seipsa quotidie experiretur malè vexata posteritas, in ipso, vt credibile est, malorum æstu familiari querimonia clamabat, *Patres comederunt*, &c.

2. Seu certè hoc præcipue tempore clamabant Iudæi, cùm res quotidie Iudaica attenuaretur, ac labasceret magis; & clamassent Prophetæ, exoluere tunc populum pœnas eorum, quæ impius antea admisisset Manasses, de quo Ieremias sub hoc idem tempus cap. 15. v. 4. *Visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus, gladium ad occisionem, canes ad lacerandum, & volatilia cœli, & bestias terræ ad deuorandum, & dissipandum: & dabo eos in feruorem vniuersis regnis terræ propter Manassem filium Ezechiæ Regis Iuda, super omnibus, quæ fecit in Ierusa-* E *lem.* Sed hoc credo tempore magis erat frequens, & familiare prouerbium, imò hoc tempore cœptum videtur esse prouerbium, cùm priùs tantùm esset sententia. Cùm enim grauia denunciaret Propheta populo Iudaico, ab hoste Babylonio, eiúsque illa produceretur ratio, quia violata erat diuina fides, quæ in iureiurando concipiendo intercesserat; & quia nulla esset habita ratio fœderis cum Nabuchodonosore contracti, quod scelus neque obscurum vulgus, ne-

Iudæorũ familiaris querimonia vnde nata.

C que ignobilis multitudo commiserat; sed Rex tantùm Sedecias, & qui illi aderant à consiliis viri pauci. Querebantur alij, neque, vt sibi videbantur, sine causa, quod Principum siue perfidiam, siue væsaniam, ipsi nullo suo merito luerent. Et quo minas à Propheta frequentiùs, atque viuaciùs audiebat, eo ipsi dolentiùs, atque amariùs iterabant, *Patres nostri comederunt*, &c.

Pro eo quod vulgatus habet, *Parabolam vertitis in prouerbium*, Heb. est modus ille dicendi, qui in principio cap. 17. parabolam parabolizatis. quæ loquendi figura iterationem sonat, & frequentiàm; ita vt quæ priùs erat parabola, id est, grauis aliqua sententia, illa iam fiat trita vulgo
D parœmia.

Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.] Quid parœmialis hæc parabola 3.
significet, obscurum nõ est, & iam à nobis nuper explicatum. Eandem adduxit Ieremias cap. 31. *In diebus illis non dicent vltrà: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Vbi nos ea de re pluribus; vnde aliquid nobis necessariò in hunc locum transcribendum est.

Prouerbiũ, Patres comederunt vuam acerbam.

Prouerbium sumptum est ex natura vuæ non- 4.
dum maturę, cuius vsqueadeo inamœnus est succus, vt non illè solùm, qui gustauerit, sed ille etiam qui gustantem aspexerit, aliquid in dentibus sentiat austerum, & graue. Ita Aristoteles sect. 7. probl. 95. Stupor autem ille, seu offensio
E dentium ab eo siue gustu, siue sympathia, ὀδονταλγία dicitur à Philosopho. Hinc ortum est prouerbium, & sanè perquam bellè, qui de immatura vua gustare voluerit, suo merito aliquid patitur iniucundum, pœnam nimirum intemperantiæ. At qui præsentes tantùm sunt, quíque adeò non amant acerbum illum succum, vt etiam vehementer horreant; iniustè videntur pati, atque ideo non iniustè queruntur, & clamant; obstupescunt dentes nostri ad alterius acceleratam ingluuiem; cùm tamen nihil ipsi peccauerint. Hæc

Immaturæ voluptas.

videtur

videtur origo prouerbij: nunc alia singulatim expendamus.

5. Pater non ille tantùm in Scriptura dicitur, à quo suscepta proles, sed illi etiam, quos parentum loco habet, & obseruat respublica. Quales sunt, qui præsunt; quibus sanum videtur inesse consilium; principes putà, seniores, Sacerdotes, Prophetæ, quibus nomen illud graue Scriptura sacra non semel attribuit. Sic Dauid 1. Reg.24. patrem appellat Saul. & Naaman à seruis 4. Reg.c. 5. pater salutatur. Iubal Gen.4. pater appellatur canentium in cithara, id est, institutor, & magister, & Iabel pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. Neque id aliis linguis inusitatum est: certè apud Romanos, qui rem moderantur publicam, Patres dicuntur. Hi ergo qui acerbos comedisse fructus arguuntur, id est, consilium iniisse immaturum adhuc, neque rebus gerendis opportunum, Principes sunt, Sacerdotes, & Prophetæ, quorum consiliis deceptus est populus, & in dentium non stuporem solùm, sed etiam stridorem abductus.

Patres, dicuntur, qui præsunt.

Patres magistri, & rerum inuentores.

6. Vers.3. *Viuo ego, dicit Dominus, si erit vltrà vobis parabola hæc in prouerbium.*] Negat Deus sententiam hanc deinceps futuram esse prouerbialem, id autem iuramento confirmat, atque ea iuramenti forma, cui admixta censetur execratio. Ac si dicat: Ne viuus ego Deus existimer, sed mortuus, qualia sunt Gentilium simulacra dolata è ligno, aut è metallo conflata, aut aliquid simile; si vltrà parabola hæc vobis parœmialis sit. Modus hic iurandi cum implicita imprecatione in sacris literis frequenter occurrit. Psal. 94. *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* & iterum Psal. 88. *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar.* Quis sit sensus iuramentorum quibus vtitur Deus, diximus in nostris Commentariis in Isaiam cap.62.n.33.

7. Vers.4. *Ecce omnes animæ meæ sunt, vt anima patris, ita & anima filij mea est: anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.*] Rationem reddit, cur ab eo, qui peccauerit, pœna sit exigenda, & non ab eo, qui nihil in se sceleris admisit. Duas ob causas solet iudex, aut princeps cohibere gladium suum à sanguine; aut quia non audet cum potentiore congredi; aut quia illum amat, à quo supplicium sumptum oportuit. Ex quo fit vt potentes nihil non audeant, quia peccatum suum impunitum fore confidunt, & filius, atque amici nihil timeant à iudice quantumuis seuero, quia amor illos ab omni supplicio vendicat. Id puto Deus hoc loco significat, nihil sibi impedimento fore, quo minùs à peccatore, quicumque ille sit, pœnas exigat. Non metus, non cognatio, aut quòd propria sit aliqua, vel aliena possessio. In aliena namque seueriùs, atque hostiliùs, in nostra mitiùs, atque clementiùs afficimur. *Omnia,* inquit Dominus, *mea sunt.* Atque ideò, si naturam spectem, non magis in hæc, quàm in illa commoueor: eò inuehor, vnde sese mihi peccatum ostentat: culpa, vbicumque sit, meum mihi furorem inflammat. Omnia mihi subiecta sunt; atque ideo nullius audaciam, atque potentiam vereor: quare quantumcumque contra diuinæ vindictæ seueritatem superborum se potentia, atque arrogantia communiat, non efficiet, vt animum frangat ad supplicium intentum; aut paratam sibi vindictam effugiat. Non ergo quod peccauit superbus, & potens, humilis exoluet, & infirmus; quod in humano iudicio infre-

Dei iudicii res nulla peruertit.

Gasp. Sanctij Com. in Ezech.

A quens non est, sed *anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.*

Hìc mihi explorandum est, quomodo huius 8.
vaticinij fides probari possit: videmus enim post hæc tempora luisse Iudæorum posteros, imò & adhuc luere parentum peccata. Nam propter immane parentum scelus, quo seruatorem Christum egerunt in crucem, vagi erant, neque vllam habent rempublicam, aut stabilem locum, in quo consistant. Vrget enim illos Christi sanguis, quem in suum, filiorúmque caput aduocarunt. Quomodo filij parentum suorum scelera luant; aut quo supplicij genere disputant Doctores Scholastici, quorum hoc est ne-
B gotium. Ego hîc pro meo instituto breuiùs agam, tantúmque dicam, quod ex hoc Ezechielis loco in illam sententiam assumi possit, qua de re egi in Commentariis super Ieremiam cap. 31. ad eadem propè verba. neque puto aliter hîc definiendam esse quæstionem, quàm ibi à nobis definita est.

Quòd corporalem pœnam pro parentum 9.
peccatis subire possint innocentes filij, res est certa; & docet filius Dauid ex adulterio susceptus, cuius mors pœna quædam fuit paternæ intemperantiæ; & infantes, quos in Pentapoli magno in numero cœleste consumpsit incendium. Quod Deus ipse verbis docuit manife-
C stis. Exod.20. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, & zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Cuius rei ea communiter adducitur ratio, quia ad quartam vsque generationem, eo sæculo parentum producebatur vita; ad quos ex filiorum, ac posterorum morte, seu alio quouis infortunio non leuis pars siue doloris, siue incommodi pertinebat. Cùm filij ad quartam vsque generationem, quædam pars sint, siue hæreditas maiorum suorum; illis sanè mulctari, siue in illis puniri parentes possunt, non secus, atque si manu truncarentur, aut auribus; aut agro, & vinea; aut aliquo priuarentur ex his,
D quæ numerantur in bonis.

Filij pro parentum peccatis pœnam interdum corporalem subeunt.

Parētes cur ad quartam generationē puniantur.

Hìc, sicut apud Ieremiam diximus, existimo 10.
negare Deum pœnam temporalem sumendam esse de posteris, vt in illis parentum suorum flagitia plectantur. Neque sermonem esse de omni populo, aut etiam de omni tempore; sed de Iudæis tantùm, ac de exilij tempore; aut de eo, in quo variè vexata fuit Iudæorum fortuna, quod sentit Theodoretus hîc, dum dicit: *Cùm reges illi, qui tunc regnabant, iniqui fuerint, semen ex ipsis orbis terrarum potietur imperio: non enim sustinebo eorum, quæ parentes deliquerint, à filiis pœnas repetere, cùm & horum, & illorum sim Dominus.* Idem multo clariùs Maldonatus.

Pœnam temporalem de Iudæorum posteris quomodo negetur esse sumendam, & quando.

E Hæc verò ex eo videntur suaderi posse, quia 11.
Gentes aliæ post hæc Domini verba; ita propter sua peccata corruerunt, vt in eandem secum ruinam infantium genus innocens traxerint; vt de Tyris constat, & Ægyptiis, aliis denique nationibus Iudææ finitimis, quas Rex Chaldæorum quinto, postquam Hierosolymam euertit, anno, aut deleuit, aut captiuos abduxit: in quibus infantium innocentiæ parcitum non est. Et hoc in Babylonis excidio magis expressum est, vbi de infantium cæde specialis sermo. Psal.136. *Filia Babylonis misera, &c. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Isai. cap. 13. cùm ageret de Persis in Babylonicam vrbem irruentibus, ait, *Omnis qui inuentus fuerit, occidetur.*

Tam Gentilium, quàm Iudæorum infātes propter parentum peccata extincti.

S Infan

Infantes eorum allidentur in oculis eorum. Neque præterea aliis temporibus, à parentum incommodis immunes fuerunt Iudæorum filij. Nam ante captiuitatem solutam, de qua hæc est intelligenda promissio, innocentes filij in obsidione Solymitana perierunt morte planè horribili, qualem afferre solet tabes, & inedia, quod in Threnis non semel plangit Ieremias. Et in ea obsidione iusti simul cum impiis morituri dicuntur infrà cap. 21. v. 3. & 4. *Ecce ego ad te, & eiiciam gladium meum de vagina sua, & occidam in te iustum, & impium.* Quid autem Iudæorum infantes, cùm iterum obsessa est ciuitas à Romanis, pertulerint, docet Iosephus, qui eodem modo dicit in Romanorum obsidione occisos à matribus filios, & in cibum conditos; quod sub hæc tempora, obsidente Chaldæo, fecere Solymitanæ matres.

Post exiliū Babylonicū dicuntur filij non luituri parentum peccata.

12. Deinde Iudæi, dum sententiam illam, de qua suprà, vertebant in prouerbium, id est, frequentem habebant in ore, nempe, *Patres comederunt vuam acerbam.* id omnino significabant, vt non obscurè tam ex hoc loco, quàm ex Ierem. cap. 31. colligitur; luere se in exilio Babylonico (vbi hæc ab Ezechiele tunc etiam exule dicebantur) parentum peccata; quorum Deus, vt querelis occurreret, ait venturum esse tempus, idque non multo pòst, cùm huic prouerbio locus futurus non sit; redibant enim in patriam, neque ibi, quid alij peccauerint, dependent, sed quid ab ipsis peccatum sit. Habes hoc ex Ieremia suprà; qui cùm hæc Ezechielis verba proposuit, proximè dixerat, *Sicut vigilaui super eos, vt euellerem, & demolirer, & dissiparem, & disperderem, & affligerem; sic visitabo super eos, vt ædificem, & plantem, ait Dominus. In diebus illis non dicent vltrà, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt; sed vnusquisque in iniquitate sua morietur.* Cùm ergo sæpe prouerbialis illa querimonia vsurparetur ab exulibus, dum graui premerentur Chaldæorum iugo, promittit Deus non iam ampliùs repetendum esse, in exilio nempe Babylonico, illud iam captiuorum vulgo familiare prouerbium; quia in patriam aliquando reuersi, & fortunæ superioris immemores, è parentum peccatis nihil ad se pertinere conspicient; neque stupor erit vllus ex vuis immaturis, & acidis, quas cum tanto suo, filiorúmque damno comederunt parentes.

13. Multa ex hoc loco sumunt Scholastici Doctores, & Patres, illúmque variè exponunt, & versant. A quibus nos in præsentia abstinemus, quia illorum multa, non admodum cum nostra explicatione conueniunt. Quomodo verò filij parentum peccata iustè luant, diximus in nostris commentariis in cap. 15. Ierem. n. 17.

Deus de rebus statuere suo arbitratu potest.

14. *Ecce omnes animæ meæ sunt, vt anima patris, ita & anima filij.*] Non iniquè agit Dominus, & iustus rei possessor; si bonis ipsi omnino, & ad quem vellet vsum plenè subiectis, suo vteretur arbitratu; si hortum nempe suum euellat, aut plantet; riget, & colat; aut neglectum sinat syluarum in modum efferari: quodcumque horum agere instituat, nihil sanè molitur iniustè. Sic nemo queri de Deo iustè poterit, si de rebus à se creatis, quarum in omnem vsum Dominus est, quocumque ipsi modo collibuerit, statuat: si parentum peccata in filiorum capite, aut filiorum scelera in capite parentum punire velit; quia tam parentum, quàm filiorum animæ ipsius sunt. Porrò *animam alicuius* sumi pro eo, cuius A est anima, nimis est Scripturæ sacræ familiare. Hinc illud, *qui odit animam suam.* i. qui odit se. *Odiuit anima mea.* id est, *odiui ego.* Quare *anima patris*, patrem, & *anima filij*, filium significat.

15. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*] Sicut modò animam patris, pro patre; & animam filij, pro filio adhiberi diximus; sic modò hîc animam pro toto homine vsurpari existimamus. Ait ergo Dominus illum moriturum, aut subiturum ea, quæ pro morte deputat hominum vulgus, nempe exilij, aut seruitutis incommoda, quicumque peccauerit; non verò illum, qui nihil mortis metaphoricæ, aut propriæ dignum admiserit; cùm tamen Deus pro summa potestate, B cùm mortis, ac vitæ Dominus sit; suo arbitratu possit liberè, ac iustè de harum rerum administratione discernere. Nihilominus illud affirmat seruaturum se in hominum scelere plectendo iudicium, vt qui peccauerit, ille dependat sui peccati pœnas; vel morte, vel eo, quod mortis instar obtineat.

16. Hæc multi de morte spirituali accipiunt, quod ideo minùs mihi probatur, quia Deus hîc aliquid facturum se negat, quod fecisset antea, nempe quòd propter peccata Manassæ, expulsos posteros è patria, commodísque domesticis orbatos, seruituti addixerit, id est, morte damnarit metaphorica. At nunquam aliquis propter C alienam culpam (nihil hîc dico de originali labe) mortem incurrit spiritualem, peccatum scilicet, aut gehennam. Neque Deus aptè respondisse videretur Hebræorum prouerbio, de dentibus, quibus ab intempestiua patrum edacitate stupor aduenit; cùm ipsi de spirituali stupore, ac morte non cogitarent; sed de fame, exilio, ac cæde, quæ sibi propter Manassæ, aut parentum peccata contigisse, aut impendere querebantur.

Filij Iudæorum propter sua etiam scelera puniti.

17. Quamuis autem magnum habuerit pondus Manassæ in viros sanctos inaudita crudelitas, & idolorum insanus, atque profusus cultus, vt res malè consideretur Iudaica, & nuda relin- D queretur à ciuibus frequens antea, ac numerosa ciuitas, vt habes Ierem. cap. 15. v. 4. & lib. 4. Reg. c. 21. v. 12. tamen ipsi quoque, qui grauibus affecti sunt incommodis, aliquid admiserant, quod cæde, fame, exilio foret expiandum, quod Deus ipse dixit lib. 4. Reg. de quo proximè. *Quia fecit Manasses Rex Iuda abominationes istas pessimas, super omnia, quæ fecerunt Amorrhæi ante eum: & peccare fecit etiam Iudam in immunditiis suis, propterea hæc dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego inducam mala super Ierusalem, & Iuda: vt quicumque audierit tinniant ambæ aures eius.* Et statim, *Dimittam verò reliquias hæreditatis meæ* (hæ sunt, quæ postea ductæ sunt in exilium, & quæ E dicebant luere se parentum errata) *& tradam eas in manus inimicorum eius, eruntque in vastitatem, & in rapinam cunctis aduersariis suis: eo quòd fecerint malum coram me, & perseuerauerint irritantes me, &c.* Hæ igitur suorum etiam scelerum pœnas dabant; & quia ipsi quoque peccauerant, mortem quoque obibant metaphoricam.

18. Addo præterea, quod non parum faciet ad ea, quæ paulo pòst in hoc eodem capite succedent: eos ab exilio post annum septuagesimum emersisse, quorum vita melior, & ab his saltem peccatis expedita, quorum præcipuè caussa mortem illam metaphoricam incurrerant. Illos autem neque patriam vidisse, neque solum vertisse Babylonicum, qui in peccatis, quorum

quorum supplicium morte illa dependerat, hærere maluerunt. Quod omnino perinde est, ac si quæ peccauerunt animæ moriantur, id est, in exilio maneant, quia adhuc habent, quid illo mortis genere expiare possent. Hæc nos verisimilia putabamus ad illud Isai. cap. 1. *Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia.* Vbi non temere, ac sine delectu captiui dicuntur restituti, sed in iustitia, id est, vt quisque meritus esset. Neque puto sine causa traditum ab Esdra lib. 1. c. 1. post Cyri edictum egressos illos esse, quorum Dominus tetigisset animos, & suscitauisset spiritus. Quia cùm magis essent à peccato alieni, non erat, cur mortem subirent peccati pœnam. Sed dixit hoc Tobias iamiam moriturus cap. vlt. *Domus Dei, quæ incensa est, iterum reædificabitur; ibique reuertentur omnes timentes Deum.*

Ab exilio non omnes reuersi, sed timentes Deum.

19. Vers. 5. *Et vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium, & iustitiam.*] Dixerat suprà morituram illam animam, id est, illum hominem, qui peccaret; nunc autem id explicatiùs ostendit, enumerátque illa, quibus maximè debetur mors illa metaphorica, de qua proximè. Credo autem, cùm alia peccata tunc in vrbe, atque etiam inter captiuos Babylone viguerunt; abundasse tamen illa maximè, quæ nunc à Propheta commemorantur; quibúsque præcipuè supplicium indicitur capitale. Ita planè à Ieremia cap. 5. & 6. vbi hæc ferè populi peccata numerat, illísque supplicium denunciat non dissimile. Primo autem loco Principum, ac Iudicum scelera proponit, qui neque iustitiam in iudicando, aut iura intuebantur; sed animo ad auaritiam intento, aut aliis rationibus abducto, iudicia peruertebant, neque quid ratio, aut religio posceret, curabant. Id ergo nunc ab eo primum exigit, qui iustus esse, & mortis pœnam declinare voluerit.

20. Vers. 6. *In montibus non comederit.*] In montibus, & lucis, & sub omni arbore frondosa aræ pro idolorum cultu excitabantur à Gentilibus, quorum superstitionem imitati Iudæi, sacros putabant esse montes, & in illis ad impias aras nefaria instituebant sacrificia, vt sæpe clamant, & exprobrant Prophetæ. Quòd autem ibi quoque comederint, quæ idolis essent antè dicata, multa sunt in Scriptura, quæ aut probant, aut indicant. De antiquissimo illius populi sæculo, id est, de primis incunabulis est illud Moysis Deuter. 32. vers. 37. *Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? de quorum victimis comedebant adipes: & libabant vinum libaminum.* quam impiam consuetudinem ad tempus vsque Pauli fuisse productam, ipse docet Paulus 1. Corinth. 8. vbi ab idolothytis, id est, ab immolatis idolis deterret, quæ in locis idolis consecratis manducari dicit. *Si enim*, inquit, *quis viderit eum, qui habet scientiam in idolio* (id est, in loco idolorum religioni sacro) *recumbentem, nónne conscientia eius, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?* Porrò vsitatum esse inter Gentes, vt in templis, locísque sacris conuiuia celebrarent, ipsi docent auctores profani. Virgilius lib. 8. Æneid. Euandrum inducit epulo sacra peragentem Herculis, in quo Sacerdos ea, quæ oblata fuerant, ministrabat.

In idolorum templis comedebant Gentiles.

In templis à Gentilibus conuiuia celebrata.

Tunc lecti iuuenes certatim, araque Sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum.

Et clariùs lib. 7.

——— *Hoc illis curia templum,*
Hæ sacris sedes epulis: hîc ariete cæso

A *Perpetuis soliti sacris considere mensis.*

Et Iudic. cap. 9. v. 27. Sichimitæ in fano dei Berith inter epulas, & pocula maledixisse dicuntur Abimelech. & Iudic. cap. 16. Principes Philistinorum in templo Dagon instituisse dicuntur sacrificia, atque ibi epulari. *Principes Philisthinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent hostias magnificas Dagon deo suo, & epularentur, dicentes, Tradidit Deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras.* Cur verò conuiuiis illis sacris templa apud Gentes essent destinata, docuit Philo in libro de plantatione Noë. Neque hoc omnino 21.
alienum est à Iudæorum sacris, Deut. cap. 16. v. 11. *Epulaberis coram Domino Deo tuo tu, & filius tuus, & filia tua, & seruus tuus, & ancilla tua, & Leuites qui est intra portas tuas: & aduena, & pupillus, & vidua, qui morantur vobiscum in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.* & de quadam victima, Leuit. 6. v. 26. *Sacerdos qui offert comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi.* Dum ergo prohibentur Iudæi in montibus comedere, iubentur ne idolis sacrificent, quod opus impiæ in montibus epulæ sequebantur.

Iudæis quando in templo comedere concessum.

22. *Oculos suos non leuauerit ad idola domus Israël.*] Quia ij, quos veneramur, & colimus, in sublimiori loco sunt, aut finguntur, ideo Latinum verbum *suspicio*, quod oculos sursum attollere significat, venerationem, ac obseruationem importat. Ex quo etiam fit, vt leuare oculos, idem sit omnino quod adorare, aut aliquid agnoscere sublimius. Quod tunc præcipuè faciunt homines, cùm ab altiore aliqua, aut diuina potentia auxilium implorant. Sic Dauid Psal. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* & Psal. 122. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.* Seu certè qui non audebant publicè obire montes, & lucos; vbi excitata fuerant idolorum altaria; illi, quod saluo poterant pudore facere, leuabant oculos, conuertebántque ad montes, vt vel eo saltem modo, quem possent honorem Gentilium simulacris impenderent. Sicut Daniel, qui cùm non posset patrium templum, ac religionem obire, vtpote captiuus apud idololatras; leuabat oculos ad illam partem, quæ templum spectabat Solymitanum, & eo saltē modo colebat Deum, suámque solitudinem pia cogitatione solabatur, Dan. cap. 6.

23. *Ad mulierem menstruatam non accesserit.*] Cætera, quæ hîc commendat Deus viro iusto, quem à capitali supplicio vendicat, obscura non sunt. De menstruatæ fœminæ, aut cum menstruata fœmina concubitu, non ita notum. Accessum ad mulierem menstruo sanguine fœdatam prohibet seuera lege Deus. Leuit. c. 20. v. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.* Cur verò tam seuerè prohibitus fuerit iste cum menstruata fœmina congressus, rationem reddit hîc Hieronymus, & communiter interpretes tam in Ezechielem, quàm in citatum Leuitici testimonium. Aiunt enim singulis mensibus grauia atque torpentia fœminarum corpora obscœna sanguinis eluuione purgari, qui ideo menstruus appellatur. Tunc verò conceptus creditur esse informis, languidus, leprosus, aut alio quouis naturæ vitio fœdus, & inutilis. Eam ob rem seuera indicitur pœna tam viro, si in eo statu ad fœminam accesserit,

Ad menstruatā cur Deus accessū prohibet.

quàm fœminæ, si cum tanto prolis incommodo, A
& naturæ communis iniuria cognosci se sinat. De menstruatæ odio, abominatione, & nausea diximus ad illud Isaiæ cap. 64. *quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ vestræ.*

24. Vers. 8. *Ad vsuram non commodauerit, & ampliùs non acceperit.*] Quid sit vsura, & in ea quæ ratio, aut causa peccati, disputant Scholastici; ac ideo ego quæstionem hanc illis tanquam à meo instituto alienam relinquo. Illud dico ipsius natura optimè translatis nominibus tam à Græcis, quàm ab Hebræis explicari. Græci τόκον appellant, id est, partum, qua voce significant aliquid lucri parere pecuniam datam alteri mutuo; cùm tamen illa infœcunda sit ad partum, B
quod non videtur esse æquitati, aut rerum naturæ consentaneum, vt ex re infrugifera quispiam fructum speret, & capiat. Heb. vsura dicitur נשך *nesech*, quæ vox morsum valet; quia pecunia, quæ alteri ad quæstum datur fœnebrem, ex alterius bonis aliquid iniquo morsu detrahit, & alienas lacerat facultates. Est enim pecunia illa tanquam coluber, aut lupus, qui eo ingrediuntur animo alienas domos, vt morsu lacerent, sanguinem exsugant; & nihil ibi relinquant, præter venenum, & famem.

Vsura quid sit.

25. *Et amplius non acceperit.*] Hæc est vsurarij quæstus apta descriptio: spectat enim fœnerator aliquid amplius quàm mutuo dedit. Illud C
verò *&.* non est coniunctiua particula, cùm nihil sit aliud vsura, quam eo studio aliquid commodare, vt aliquid accipiat amplius; lucrum nempe illud, de quo cum altero transactum est: quare nihil ad superiora coniungit. Exponit potiùs id, quod in priori versu videbatur obscurius. Ac si dicat, ad vsuram non commodauerit, id est, amplius non acceperit. Quod verò *&.* particula sit expositiua, sæpius à nobis dictum est, & in Scriptura obuium.

26. Vers. 9. *Hic iustus est, vita viuet.*] Explicatio est illius propositionis, *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* eo videlicet mortis genere, de quo suprà, aut proprio, aut figurato. In qua D
propositione est etiam, vt apparet, inclusa contraria: nempe, *Anima, quæ non peccauerit, non morietur.* Et hanc secundam partem proximè explicauit, dum ostendit quis à capitali supplicio sit immunis, id est, quis sit iustus; quem per quorundam scelerum negationem descripsit.

27. Vers. 10. *Quòd si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem.*] Exemplo probat quod superiùs prædixerat, non esse filium patris, neque contrà patrem filij sui peccata luiturum. Vt autem suprà virum iustum descripsit, à quo mortis, quo sensu diximus, supplicium remouit: sic nunc filium describit peccatorem; cuius causa nihil dicit passurum esse parentem. E
Porrò descriptio obscura non est, tantum enim adhibet peccatori filio, quod à parente iusto proximè summouerat.

28. Vers. 13. *Sanguis eius in ipso erit.*] Sanguis, vt diximus ad illud Isai. cap. 1. *Manus vestræ sanguine plenæ sunt,* peccata significat, quæcumque illa sint: id enim *sanguis* sonat, quod a natura vitiosa nascitur; explicatúrque plerumque carnis, & sanguinis appellatione. Ita Gregorius lib. 13. Moral. cap. 10. quare peccator Psal. 5. vir sanguinum vocatur. Eodem sensu dicitur Psal. 50. *Libera me de sanguinibus.* In quam sententiam Gregorius homil. 11. in Ezechielem, & Hieronymus explicant illud Oseæ c. 4. *Sanguis sanguinem tetigit.* & facit huc, quod hîc Heb. non est in singulari *sanguis*, sed in numero multitudinis *sanguines*. Significat itaque sanguis non tantum crudelitatem, licèt id sæpiùs, sed etiam rapinam, libidinem, illa denique vitia, quæ a molliori nascuntur intemperantia, & quæ ab Ezechiele sæpius in hoc capite repetuntur. His itaque positis duplex occurrit huius loci sententia: altera est, in illo futurum esse sanguinem, id est, peccatum, seu peccati pœnam, qui peccauerit. (notum est autem peccatum persæpè sumi pro peccati pœna;) sicut Chaldæus, *reatus mortis eius in ipso erit:* id est, reus erit sanguinis, & mortis suæ. Altera est, si illud *in ipso*, per accusatiuum exponas; & *in ipsum* legas, hoc sensu sanguis in ipsum, aut super ipsum veniet, ipse luet quicquid in se sceleris admiserit. Quomodo statim v. 20. dicitur, *Iustitia iusti super ipsum erit: & impietas impij erit super eum.* & hæc est explicatio communior. neque obstat præpositio Hebraica ב, cui respondet latinè *in.* nam sicut hæc accusatiuum amat, & interdum significat *contra*, sic etiam illa. Vnum accipe exemplum Gen. 16. vbi sic Angelus de Ismaël, *Manus eius contra omnes.* Heb. ידו בכל *bacol.* *Et manus omnium contra eum.* Heb. 12.

Sanguis pro quocumque peccato.

Regvla. Hebra. ב & latinum in interdum significat contra.

Vers. 14. *Quòd si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eius.*] Sicut pater iustus, impij filij peccata non soluet, sic etiam nunc ostendit filium iustum propter impij parentis scelera non esse puniendum. Cætera ad versum 19. aperta sunt. Illud hîc obseruandum vers. 17. optimè explicari & fœnoris naturam, & quod suprà v. 8. dixerat de eodem vitio. Quod enim ibi his verbis expressit, *Ad vsuram non commodauerit, & ampliùs non acceperit:* vbi *&.* particulam esse diximus expositiuam, idem sic exponit, *Vsuram, & superabundantiam non acceperit.* vbi etiam *&*, non tam coniungit, quàm exponit, quid sit vsura; illud videlicet, quod mutuum excedit, quod alteri dedisti. Quasi dicas, *Vsuram, id est, superabundantiam non acceperit.* 29.

Vsura quid.

Vers. 19. *Et dicitis, quare non portabit filius iniquitatem patris.*] Vox conditionalis *si*, vt alibi à nobis obseruatum est, suppleri solet, neque id rarò, ex Hebraici sermonis proprietate; vt notauimus ad illud Psal. 67. *Infirmata est, tu verò perfecisti eam.* id est, si infirmata fuerit. Eodem modo explicui illud Isai. 64. *Descendisti, & à facie tua montes defluxerunt.* id est, si descenderes, a facie tua montes defluerent. Eodem modo exponendum statim v. 14. *Et dixistis,* id est, si dixeritis. 30.

Regvla. Si conditionalis aliquando supplenda.

Cùm suo tempore viderent Iudæi parentum peccata in suum caput esse contorta, idque cum Deo, vt ex hoc capite liquet, expostulassent: questus certè erat Ieremias Thren. 5. cùm dicebat, *Patres nostri peccauerunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portauimus.* pòst verò viderent nihil ad filios de parentum erratis deriuari supplicij, mirari non immeritò poterant, & rogare, cur filiis à paterna culpa nulla pœna contigerit. quorum Deus aut rogatis respondet, aut cogitationibus occurrit, dicitque ideo filium à morte, aut ab eo, quod instar obtinet mortis, immunem esse, quia cur illud pateretur incommodum, nihil admisit. vnde statim regulam tradit, quæ totius capitis summa complexio est. 31.

Vers. 20. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur, &c.*] 32.
Hæc sententia suprà a nobis explicata est, v. 4. vbi diximus animum vsurpari pro homine; & quid

quid mortis nomine intelligendum sit. quod pluribus aliis modis explicat in eadem clausula. Idem enim valent, quæ sequuntur, *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: institia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum.* Vbi obseruandum, sicut *iniquitas*, aut *impietas*, pœnam significat iniquitati debitam; sic etiam iustitiam significare præmium, quod pro rectè factis, iustus assequitur. Isaias cap. 48. *Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris.* & Iacob Gen. cap. 30. *Quodcumque furuum, & maculosum, variúmque fuerit tam in ouibus, quam in capris, erit merces mea: respondebítque mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus aduenerit.* id est, merces iustitiæ, seu laboris mei.

33. Hæc est igitur summa grauissimæ huius responsionis ad Iudæorum querimoniam, neque filios propter parentum, neque contrà parentes propter filiorum siue peccata, siue promerita, afficiendos esse pœna, vel præmio cumulandos. Quisque enim siue peccat, siue iustè agit, sibi aut viuit, aut moritur, neque alienis cumulatur meritis, neque peccatis oneratur.

34. *Peccatori pœnitenti Deus vitã, & veniam promittit.* Vers. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, &c. vita viuet, & non morietur.*] Ostendit Deus quàm longè sit, vt iustum pro alienis peccatis punire velit; cùm neque impium ipsum, qui multis se peccatis dignum ostenderat, quem omni suppliciorum acerbitate conficeret diuina seueritas, vexare sit animus; modò superioris vitæ errata detestatus, meliorem instituat viuendi formam. Ita cum Hieronymo plures alij, cuius hîc libet commentationem adscribere. *Intantum*, ait, *peccata patrum ad filios non redundant, neque iustum filium sceleratus pragrauat pater, neque alij pro aliorum sceleribus puniuntur, vt ipse vnus, atque idem, qui prius impius fuit, atque peccator, si postea egerit pœnitentiam, & ad meliora conuersus, pristina peccata deleuerit, non iudicetur vetustate peccati, sed in meum suscipiatur gregem innouatione virtutis.* Illud *vita viuet, & non*

35. *morietur*, epitasim habet. Significat enim & in promisso firmitatem, & in promittente studium, & voluptatem in largiendo. Ex quo excitari maximè peccatoris animus ad pœnitendum debet, quandoquidem tam paratam habet, atque hilarem Dei benignitatem ad ignoscendum. Est autem illud à me sæpius obseruatum, auxesim tunc esse, & illam non vulgarem, cùm affirmatur aliquid, & contrarij ipsius adiungitur negatio, vt est illud de Ioanne Baptista, *confessus est, & non negauit.* & de Ezechia Isaias cap. 38. *Morieris tu, & non viues*: sic modò de peccatore, quem errasse pœnitet, dicitur, *vita viuet, & non morietur.* vbi in illo *vita viuet*, alia occurrit epitasis propter repetitionem coniugati.

Epitasis est in affirmatione cum negatione contrarij.

36. Vers. 22. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.*] Recordari in omni lingua, & omnium maximè in Hebraica, opus sonat externum, ortum non ab otiosa, atque inerti, sed à viuida, practicáque memoria. vnde quispiam recordari dicitur pauperis, cùm illius subleuat inopiam; & meritorum alicuius, cùm illa debita mercede compensat: & scelerum, aut iniuriarum, cùm illas vlciscitur, aut paternarum virtutum, quando filius ad illarum exemplar, paternos in se mores informat. Contrà verò, licèt aliquis à se siue meritorum, siue iniuriarum memoriam non deponat, oblitus tamen dicitur, cùm nullum extat memoriæ illius monumen-

Recordor, & obliuiscor sæpè externum aliquid corpus significant.

A tum, aut argumentum externum, quia quæ iners est, & otiosa, non existimatur esse memoria. Hinc Sancti sæpe aut orant Deum, vt sui recordetur, id est, vt faueat, & quod oblitus sit, & immemor, expostulant. Hinc orant, vt memor sit inimicorum, id est, vt illos puniat. quomodo Dauid Psal. 136. *Memor esto filiorum Edom in die Ierusalem.* Iuxta hanc Scripturæ sacræ consuetudinem, dicit Dominus non futurum se memorem iniquitatum, quas homo pœnitens operatus est, ea videlicet memoria, qua quis iniuriarum recordari solet, vltrice nempe iniuriarum, aut peccatorum vindice. Neque enim peccata apud Dominum in æternum viuent, quæ semel vera

B pœnitentia deleuit.

Hîc obserua admirabilem pœnitentiæ vim, quæ id aufert ex diuinis oculis, quod illis nunquam non occursabat; & ad vindictam quotidie diuinum furorem acuebat. Habebat Deus hominum peccata illigata digitis, quasi μνημόσυνα, quod homines aliquando faciunt, ne vnquam aliquid ex memoria cadat. Thren. 1. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum, in manibus eius conuolutæ sunt.* Seruabat illa Deus, & quasi consignarat in thesauris suis; ne qua in illa quisquam aliquid potestatis haberet: Deut. 32. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis.* & in suos retulerat commentarios, quod homines faciunt, C ne rerum gestarum memoria consenescat, vt probat Assueri, sub hoc ferme tempus exemplum, qui & Mardochæi meritum in Regem, & aliorum in regium caput paratas insidias, in Persarum Annales referri iussit. Esther cap. 2. 1. Reg. c. 15. ait Dominus, *Recensui* (quasi commentarios euolueret, in quibus hominum peccata descripserat) *quæcumque fecit Amalech Israëli; quomodo restitit ei in via, cùm ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalec*, &c. Hos ergo peccator commentarios delet, hæc reuellit signa, hæc aufert μνημόσυνα, cùm de peccato dolet; & verè, ac seriò superiorem detestatus nouam vitam instituit. 37.

Pœnitentia memoriam delet peccatorum.

Peccata diuturne stris oculis præsentia.

D *In iustitia sua, quam operatus est, viuet.*] Operatus antè fuerat homo peccator iniustitiam; propter quam nisi resipisceret, illi moriendum fuit; illum tamen pœnitentia liberauit à morte, fecítque ne vitæ superioris iniquitas Deum imposterum haberet infensum. Sed postea iustitiam operatus est, quæ sic, quod à culpa prouenerat, extinxit; vt opera alia nunquam extitisse, & hæc ex omnibus sola superesse videatur. Quare propter hæc viuet homo antè peccator, & propter illa nunquam morietur, quia iam est iustus. 38.

Vers. 23. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?*] A sua natura probat Deus, innocentes à se non fore damnandos: cùm pronus E sit ad miserendum; ad puniendum verò, quasi trahitur inuitus; neque minus cùm flagellat, doleat, quàm qui vindice flagello conciditur. Hinc Isai. cap. 1. cùm intentum habet brachium ad plagam, mœrorem indicat, & ægritudinem animi. *Heu consolabor super hostibus meis!* Et Genes. 6. tangi se dicebat dolore cordis intrinseco, cùm de inducendo diluuio, humanóque genere delendo cogitabat. Qui tam dolet, dum in sceleratos, & hostes animaduertit, longè est vt amicorum, atque insontium incommodis exultet. Si mortem impij Dominus vellet, & quod viri potentes, qui tyrannicum exercent imperium, maximè student, hostili cupe- 39.

Deus ad veniam pronus, ad vindictam difficilis.

ret sanguine furorem explere; nunquam toties peccatorem hominem admoneret impendentis ruinæ, nunquam tot clamoribus excitaret à somno, neque illum tanquam rude lignum, & non nisi flammis idoneum, ad speciem, & dignitatem minacibus Prophetarum oraculis dolasset: planè hæc amantis, & miserentis, non trucis, & hostilis animi documenta sunt.

40. Porrò voluntatis suæ esse negat Dominus morti tradere peccatorem, & tamen morti tradit, & capitali, imò gehennali supplicio condemnat. Ideo suprà dicebam Deum quasi inuitum & renitente natura ad hominum quantumuis sceleratorum supplicium pertrahi; cui proprium est misereri semper, & parcere; quò ea fertur pronitate, atque impetu, quo per decliuem alueum flumina decurrunt. Duas hîc Theologi in Deo voluntates agnoscunt; alteram antecedentem vocant, quæ maximè indicat diuinæ naturæ bonitatem; quæ vult omnes homines saluos fieri; neque de malo cuiusquam cogitat: nisi aliquid accidat ab homine, quòd seueram aliam voluntatem aduocet, ac sollicitet, quæ voluntas vocatur consequens; quæ videlicet non tam orta à Deo est secundùm naturæ suæ benignitatem, quàm ab hominum peccato instimulata, quod sanare vult licèt seueriori medicina, aut punire vindice flagello. Antecedens itaque voluntas ex Dei misericordia nascitur, & bonitate; consequens quodammodo ex hominum vitio. Hoc facile inductis intelligetur exemplis. Non vult antecedente voluntate mercator proiicere merces, quas amat valde, & maximo labore quæsiuit; neque iudex in crucem agere illum quem supplicio destinat capitali; aut medicus vrere, & secare quem amat fratrem: voluntate tamen consequente iactat mercator tempestate cogente merces in mare; quia aliter omnino percundum esset, quas tamen si posset, saluas esse vellet: & iudex quia id exigit & publica ratio, & damnati merita; illum supplicio destinat, à quo tamen mallet, si hæc absint, & vltricem virgam, & publicam potestatem cohibere. Neque medicus priore voluntate secaret, aut vreret ægrotum, nisi id exigeret à sequente voluntate aut medicinæ ratio, aut ægroti necessitas. Sic ergo, non est voluntatis Dei, nêpe antecedentis, mors impij, quia *non lætatur in perditione viuorum*, Sap. cap. 1. punit tamen, & damnat consequenti voluntate, quia id exigit recta, atque publica ratio ne peccata maneant impunita.

Duæ in Deo voluntates antecedens, & consequens.

41. Vers. 24. *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua: & fecerit iniquitatem, &c. numquid viuet?*] Satis ostendit Deus, contrà quàm Iudæorum vulgus querebatur, gladij, ac mortis, diuinique furoris scopum esse peccatum, quo sublato, nihil esse timendum homini pœnitenti, proximè dixerat. Vt autem peccatorem ad pœnitentiam excitaret, proposita scelerum indulgentia; quorum se memorem futurum esse negat: sic modò iustum à peccando deterret, dum ait, opera quæ antecessere iustitiæ, nihil ad salutem habitura momenti, si peccatum accedat, quod vitam ad illum vsque articulum inculpatam contaminet, quod à Theologis peccatum appellatur finale. An verò si quis post merita illa, quæ superueniens mortificauerit culpa, à peccato resurgat, merita illa reuiuiscant ad præmium, disputant pluribus Scholastici, & frequentes affirmant; à qua ego disputatione, vtpote aliena, meo mihi iure abstinere posse video.

Opus bonum adueniente peccato quomodo non sit ad vitam.

In præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur.] Morietur quidem hîc homo quondam iustus, & bene antefactis cumulatus; non quidem propter merita, neque enim, vt nuper vidimus, moritur, quæ non peccauit anima, *sed in præuaricatione, & peccato suo.* id est, propter præuaricationem, & peccatum; quia se iam auertit à iustitia, & peccator est, atque adeò in se cur damnetur, & moriatur, causam habet. Propter peccatum igitur morietur, non quidem alienum, sed suum; ne quid habeat curiosus, & nimis audax, ac temerarius animus quod in æquitate diuina reprehendat, & damnet. 42.

REGVLA. In, id est quod propter.

Vers. 25. *Et dixistis, non est æqua via Domini.*] Hîc subauditur, vt suprà ostendimus ad vers. 19. conditionalis particula *si*, ac si dicat, si dixeritis æquam non esse viam Domini. Hic verò explorandum quare dixerint, dicturíve fuerint Iudæi iniquam esse viam Domini, & quid in ea videri possit speciem habere iniquitatis. Burgensis in additionibus Rabbinorum quorundam sententiam adducit, quam ipse respuit, qui querelam hanc, ex quodam Iudæorum errore natam existimant. Putabant enim Iudæi illum esse iustum, qui plura religiosè, & sanctè, quam sceleratè, & impiè foret operatus: & contrà illum iniustum, qui in rebus agendis, & in toto vitæ cursu sæpius offendisse peccando, quàm à Deo beneuolentiam, & gratiam iniisset agendo benè. Quare cùm plura sibi merita, quàm peccata inesse arbitrarentur, iustos se faciebant; atque ideo Deum iniustitiæ damnabant, qui iustos homines, quasi iniusti forent, mulctasset seuerè, & mulctaturum se & antea sæpe, & nunc proximè per Ieremiam, & Ezechielem minaretur. Hæc ferè Burgensis. 43.

Hieronymus, & cum eo è recentioribus aliqui, respondere putat Dominum antiquæ queremoniæ de stupore dentium in filiis ex vua adhuc immatura, quam comederunt parentes. Neque id mihi displicet: nam licèt sæpe huic quæstioni in hoc capite responsum sit à Domino, tamen vt hoc etiam caput nobis argumento est; cùm res grauior apparet, dignáque vt in hominum infigatur animis, iterari etiam, atque etiam solet: quod hîc à Deo factum videri potest, qui exurere vult ex hominum sensibus parabolam illam paroemialé, quæ ab innocentibus dicit exigi pœnas pro parentum erratis. Quam ego sententiam magis probo, quia non alia redditur ratio huius ad hanc siue querimoniam, siue obiectionem, quàm quæ priùs priori parabolæ reddita fuerat. 44.

Alij ideo iniquam esse censent viam Domini, & ideo illam iniustitiæ incusant, quòd moriturum dixerit iustum, si post multa merita ad extremum à iustitia defecerit: illum autem victurum, qui postquam plurimis se contaminasset sceleribus, ad extremum tamen honesto aliquo, ac religioso facto superiores obtriuisset iniquitates; quasi illorum benefacta non munerata, & horum peccata impunita relinqueret. Ita Theodoretus, Pradus, Lyra, Burgensis. Quorum ea videtur præcipua ratio, quia verisimile est Deum occurrere voluisse illorum cogitationi, qui in postrema responsione aliquid obseruarant, quod minus videbatur cum æquitate consentire. Sed iam suprà diximus solutionem eandem eidem quæstioni sæpius reddi solere, maximè cùm res est eiusmodi, vt 45.

vt omnibus exploratam esse oporteat. Adde A
quòd ratio, quam hoc loco Dominus reddit, non apte cum ea quæstione consentit, quæ secundo loco a Iudæis existimatur aut esse proposita, aut fuisse proponenda: nisi dicamus rem ipsam, de qua ratio quæritur, reddi pro ratione, quod sanè Logicorum regula non admittit, qui hunc respondendi modum petitionem dicunt esse principij. Nihil enim aliud respondet Deus, quàm iustum, si se à iustitia auerterit, moriturum; & impium, si ad iustitiam redierit, fore saluandum: cuius rationem exigebant Iudæi.

46. *Numquid via mea non sunt æqua, domus Israel, & non magis viæ vestræ prauæ?*] Hæc mihi valde faciunt probabile, quod suprà magis putabamus B esse ad huius capitis institutum: quòd nempe hic de temporali pœna sermo est, neque de omni temporali pœna, sed de illa, quæ eo tempore aut vexabat captiuos, qui erant apud Babylonios; aut his, qui Hierosolymæ restiterant, imminebat. Querebantur, vt apparet, Iudæi, quod ipsi parentum peccata innocentes luerent; & ideo iniquam vocabant Domini viam, id est, iniustum in iudicando, atque puniendo modum; quibus Dominus ostenderat, eos tantùm esse puniendos, in quibus inueniretur iniquitas, quo sensu nuper explicuimus. Cùm verò tam in his, qui capti fuerant; quàm in illis, quos idem proximè manebat exitus, culpa hæreat, quæ diui- C nam inflammabat, & magno suo merito aduocabat iram (mitto paucos, Prophetas nempe aliquos, quos à pœna liberos pietas reddebat: nam pauci in magno numero, perinde habentur, atque si non essent) rectam dicit esse viam suam, quia nocentes punit; quod æquitas præscribit: illorum verò viam iniquam esse affirmat, atque ideo iure illos & exilio mulctari in præsentia, & aliquid imposterum expectare grauius.

Iustè Iudæi à Domino puniti.

47. Vers. 30. *Idcirco vnumquemque iuxta vias suas iudicabo.*] Quia hæc mihi instituta est iudicandi ratio, vt qualem quemque inuenero, tale de illo iudicium feram. Idcirco cuiusque viam dili- D genter expendam. Si peccatorem inuenero, quantumcumque aliquis antea religiosè vixerit, peccati pœnas dabit, & tanquam mortis reum morti dedam: si iustum deprehendero, quantumcunque priùs effusè peccauerit, modò peccata pœnitendo deleuerit; vt iustum amplectar, & à mortis periculo tutum præstabo.

Talem Deus iudicat, qualem inuenerit.

48. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam.*] Vide quàm diuinus animus inuitus rapiatur ad pœnam, quando ipse vltrò ad pacem inuitat, & veniam. Hortatur ergo, vt quod in homine spectat, & punit diuinus furor, ne quid à Domino diutius patiantur, quamprimum à se pœ- E nitendo remoueant. Ex quo id assequentur, vt quæ sibi impendere à Prophetis audierant, quorum causa vsurpabatur sæpe parœmialis illa querimonia, declinent; neque iniquitas in ruinam sit, quam vnam in suppliciis Dominus intuetur.

49. Vers. 31. *Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.*] Cor nouum, aut nouus spiritus ille est, qui non humanis seruit affectibus, neque respicit quod sensus exigit animalis; qui à peccato refugit, neque quicquam putat cum carnis intemperantia sibi futurum esse commercij: qui rationes potiùs considerat diuinas, hisque motus omnes, ac sensus moderatur; quàm humanas, quæ animos abiiciunt, reddúntque terrenos, & belluarum aut feritati, aut stupori persimiles. Spiritus nouus, ait Origenes, ille est, *qui exuit veterem hominem cum actibus suis, & induit nouum, qui secundùm Deum creatus est in iustitia. Cor nouum*, inquit Hieronymus, *Israelis est credere in eum, quem antea negauerat: cor nouum in Gentibus est idola derelinquere, & mortuorum cultura contempta credere in eum, qui est Deus viuentium.* Hoc loco nihil aliud dici puto, aut commendari Iudæis à Domino, quàm vt à peccatis animos auertant, quæ verè renouatio est, aut viuificatio animæ mortuæ. Vt enim si quis eo in loco, vt domus antea constructa fuerat, quæ vetustate corruit, è rediuiua materia domum excitet, domum dicitur ædificasse nouam, & qui spiritus aluit à paterna nobilitate degeneres, si illos fastidiat, ac deponat, & ad maiorum suorum exemplar aspiret, nouos dicitur assumsisse spiritus: sic qui ad animum suum, quem peccatum strauit, atque subuertit, virtutem, & sanctitatem reuocare studeat; ille verè cor sibi nouum, & nouos spiritus assumit. Dicitur autem homo cor sibi nouum facere, cùm tamen id opus sit diuinæ gratiæ; tum vt ostendatur arbitrij libertas; tum quia ibi aliquis est ab homine conatus, ratione cuius id dicitur facere, quod præcipuè diuinæ gratiæ virtus operatur.

Quid cor nouum, seu nouus spiritus.

50\.

Nouum dicitur interdum, quod renouatum est.

Et quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem, &c.] Verba sunt hæc dolentis animi, & de aliorum salute, ac libertate solliciti, quíque ægrè afficitur, cùm alios videt ad interitum ruere voluntarium. Mors imminebat Iudæorum populo, tum temporalis ab hoste iamiam in Iudæorum fines irrumpente; tum spiritualis, & æterna, quam inuehit lethale peccatum: ab vtraque Deus solutionem promittit, modò superioris vitæ detestati viam, de puriori viuendi ratione seriò meditentur. Et puto hîc de corporali morte loqui præcipuè, hanc enim Iudæi, quorum tunc animus gentilicis abducebatur erroribus, magis horrebant; & de hac in principio capitis intenta erat siue accusatio, siue querela, quòd ipsi luerent exilio, ac ferro parentum suorum intemperantiam: cui Deus toto fermè capite satisfacit; dum exilij, ac mortis causam dicit fuisse peccatum, & vbiubi fuerit, ibi futuram esse mortem. Huc igitur intentus ait: Cùm tam facilè à vobis declinari possit mors, quam adeò vehementer horretis; cúmque ego mortem vestram nolim, aut illorum, quibus propter peccata parata mors est: quare vltro vobis mortem accersitis? cur vitam vestram vsqueadeo despicitis, vt nolitis eam, tam facili negotio redimere? In illo verò *domus Israel* aliquod est ad impellendos animos non leue momentum. Inuoluit enim nomen illud obscurè, quo Deus in Israelis domum beneficia contulerit; quemadmodum sæpius à morte seruauerit; vt strauerit ingenti clade peccatores; & receperit in suum sinum, & gratiam pœnitentes, vt flentibus ignouerit, districtúmque ferrum vaginæ reddiderit; denique vt nullum fuerit illius populi sæculum, in quo non extet mulctati peccatoris, aut reuocati pœnitentis ad gratiam illustre documentum. 51.

Peccator stultus, qui cum facilè possit, non vult ad vitã reuocari.

IN CAPVT DECIMVMNONVM.

ARGVMENTVM.

CAPVT hoc nihil aliud continet, quàm lugubre canticum, & quasi funebre de casu, atque interitu Ierusalem, quod explicat similitudine duplici: altera è leæna felici quondam, regio, ac leonino fœtu; pòst verò infœcunda, ac debili leunculis ab infenso venatore sublatis. Agit autem præcipuè de duobus Iosiæ posteris; altero filio, nempe Ioachaz, qui & Sellum, quem vinctum apud se Rex Ægyptius retinuit; altero nepote Iechonia, qui captus est à Chaldæis, & in Babylonem abductus. Altera similitudo sumitur à vinea, quæ in vbere solo, atque irriguo plantata in ramos adoleuit vsqueadeo proceros, ac robustos, vt inter frondes extarent, & arbusta alia, & adeò crassos, vt ex illis fingi sceptra possent. Hæc postea sic euelletur, marcescétque in regionem sterilem, ac siticulosam translata, vt palmites fundat vsqueadeo graciles, vt ex illis vltrà sceptrum formari nequeat.

CAPVT XIX.

1. *ET tu assume planctum super principes Israel,*

2. *Et dices: Quare mater tua leæna inter leones cubauit, in medio leunculorum enutriuit catulos suos?*

3. *Et eduxit vnum de leunculis suis, & leo factus est: & didicit capere prædam, hominémque comedere.*

4. *Et audierunt de eo Gentes, & non absque vulneribus suis ceperunt eum, & adduxerunt eum in catenis in Terram Aegypti.*

5. *Quæ cùm vidisset quoniam infirmata est, & periit expectatio eius: tulit vnum de leunculis suis, leonem constituit eum.*

6. *Qui incedebat inter leones, & factus est leo: & didicit prædam capere, & homines deuorare:*

PARAPHRASIS.

A 1. FIlli hominis lamentationem institue, & lugubre canticum assume super filios Iosiæ, qui rerum Iudaicarum potiti sunt.

2. Ierusalem mater tua, ô Iosiæ Regis tam nobilis, quàm infausta progenies, cum leonibus olim quasi leæna vixit; cum his certè qui leoninos, & regios aluerunt spiritus, ex quibus concepit, educauítque catulos, quos ad patrium nomen, & ordinem eueheret.

3. Nouissimè verò à Iosia Rege leone

B fortissimo leunculos concepit, & aluit, è quorum numero lactauit vnum, educauitque donec ad maturam, & robustam ætatem euasit, qui leoninum in modum, & prædas egit, & trucidauit homines, hiantíque rictu deuorauit. Is fuit Ioachaz, qui & Sellum, qui non auarè solùm, sed etiam crudeliter cum potestate fuit.

4. Cùm Gentes, nempe Ægyptiæ audiissent iam catulum illum factum esse leonem, & obtinuisse regnum, sicut ad capiendum leonem venatores; sic se ad Regem comprehendédum accingunt, quem

C vinctum catenis egerunt in Ægyptum. Neque tamen illis incruenta fuit præda; in eo namque conatu vulnerati sunt plurimi.

5. Cùm autem leæna mater, sublato leone se videret infirmam, & à spe, quam de illo antè conceperat, cecidisset, ex aliis, qui reliqui fuerant, leunculum sumpsit, nempe Iechoniam, enutriuítque donec tandem in leonis nomen, & robur euasit.

6. Qui audaciam offendit leoninam, & feram, sicut leones alij, à quibus didicit

uorare:

A cit, & prædas agere, & laceratos homines deuorare.

7. Didicit viduas facere, & ciuitates eorum in desertum adducere: & desolata est terra, & plenitudo eius à voce rugitus illius.

7. In eam feritatem exarsit, vt extinctis viris viduas reliquerit vxores, & sublatis, aut spoliatis habitatoribus vastas reliquerit, aut vacuas ciuitates: immò & tota terra, & quæ in illa erant, illius conterrita fremitu desolata fuerint.

8. Et conuenerunt aduersus eum Gentes vndique de prouinciis, & expanderunt super eum rete suum, in vulneribus earum captus est.

8. Contra leonem ergo illum prædatorem, & cruentum, tanquam venatores variè, è variis prouinciis Gentes conuenerunt, & obtendentes venatorium rete tandem

B constrinxere; neque tamen stetit illa sine cæde victoria.

9. Et miserunt eum in caueam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis: miserúntque eum in carcerem, ne audiretur vox eius vltrà super montes Israel.

9. Populi autem illi cruentam illam, & præferocem belluam in caueam incluserunt, constrictámque ferro ad Babylonium Regem abduxerunt; atque ita carceri, & vinculis addixerunt, vt nunquam deinceps illius rugitus in montibus Israel, vbi antè sæuierat, auditus sit.

10. Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus eius, & frondes eius creuerunt ex aquis multis.

10. In leonina sobole, ô Gens Israelitica, mores tuos, & exitus agnouisti; nunc

C iam eadem in vineæ similitudine cognosce. Mater tua ex tuo sanguine, ex genere videlicet, aut germine Israelitico sumpta est, nobili videlicet, & antiquo in loco irriguo, ac pingui, quæ ex vbere gleba, & aquarum affluentia, & frondium vestita est ambitiosa luxurie, & fructus ex se produxit vberrimos.

11. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, & exaltata est statura eius inter frondes: & vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum.

11. Cùm autem illius vineæ rami exiles essent priùs, neque apti, vt ex illis formari possent dominantium sceptra; in illam tamen magnitudinem adoleuerunt,

D & robur, vt regium ex illis sceptrum dolaretur: neque tantùm crassos adoleuit in truncos; sed etiam in eam proceritatem excreuit, vt inter frondes eminuerit, minoráque virgulta sibíque vehementer in palmitum multitudine, & latè serpente propagine placuerit.

12. Et euulsa est in ira, in terrámque proiecta, & ventus vrens siccauit fructum eius: marcuerunt, & arefactæ sunt virgæ roboris eius: ignis comedit eam.

12. Illa tamen vinea cum tanta frondium, ramorúmque luxurie, hostili furore ab imis euulsa radicibus, & in terram deiecta est. Accessit prætereà ventus vrens, & fructus arefactos excussit, à quo etiá rami, qui speciem illi, & firmitatem dabant,

E arefacti sunt. Ad extremum quicquid erat ex ea vbertate, atque amœnitate reliquum, ignis de cœlo lapsus absumpsit.

13. Et nunc transplantata est in desertum, in terra inuia & sitienti.

13. Nunc autem è suis euulsa sedibus, vbi ad miraculum adoleuerat, in terram transplantata est siticulosam, & arentem, & ideo desertam, neque viatorum vestigio calcatam.

14. Et egressus est ignis de virga ramorum eius, qui fructum eius comedit: & non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium. Planctus est, & erit in planctum.

14. Ipsa sibi vinea propter immoderatam abundantiam, atque luxuriam exitio fuit: de ramis enim eius excussus est ignis, qui fructum omnem exussit, & perdidit.

A didit. Post hæc verò sic erunt rami exiles, & graciles, vt ex illis sceptrum formari nequeat. Hoc verò lugubre canticum, quod tibi, ô Ezechiel, nunc in populi tui inferiis cantandum edico, à posteris deinde iterum, ac sæpius cantabitur.

Verſ.1. *Et tu aſſume planctum ſuper Principes Iſrael.*]

1. LAMENTATIO hæc, quam de Iudæorum futura clade, & principum maximè casu miserabili instituit Propheta, non longè differt ab illis, quas de eodem argumento, post acceptam cladem Ieremias cecinit. Vtrisque autem commune nomen est קינה *kinah*, Principes autem Israel filij sunt Iosiæ, qui variis successibus, atque temporibus in Israel, id est, in Iuda, quæ Israelis nomine significatur, regnauerunt. Quorum historiam allegorica, eaque sub obscura narratione complectitur.

2. Verſ.2. *Quare mater tua leæna inter leones cubauit, in medio leunculorum enutriuit catulos suos.*] Eodem quo Ieremias sensu, atque artificio dignitatem priùs proponit, & amplificat regiæ ciuitatis, & si quæpiam alia, quondam felicissimæ; vt grauior appareat, magísque miserabilis ruina. Sic Ieremias in ipso Threnorum exordio, frequentem ciuibus, & prouinciarum principem appellauit Ierusalem, antequam vastam nominaret, & solam, & alienis Gentibus vectigalem. Quo ex illa rerum tanta, támque insperata vicissitudine maior excitaretur animorum motus. Neque incipiendi modus diuersus, vt enim ibi dicta est Lamentatio à voce Heb. איכה *echah*, *quomodo sedet*; sic etiam nunc à voce מה *mah*, quæ, teste Rab. Dauid, eodem modo aut rogat, aut dolet: *quare mater tua* aut *quomodo mater tua*.

Ierusalem cur vocetur leæna.

3. Leænam apellat Ierusalem, quia strenua olim erat, & fortis, alíisque nationibus formidabilis, quæque ad aliorum non pauebat occursum, vt de leone dicitur. Est autem hic allusio ad benedictionem Iudæ, in qua illi leonis nomen imponitur, aut certè leoni dicitur esse similis Genes. 49. *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo; & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Sanè tam hoc erat huic tribui familiare, ac proprium, vt in vexillo gentilicium stemma circumferrent Iudæi: & Salomon ad hoc paternæ nobilitatis insigne respexisse videtur, cùm in ædificiis, locísque præcipuis, vbi regia splendebat maiestas, insculpi fecit leones, quibus se ex regia prognatum stirpe profitebatur. Sicut in omni ferme natione viri nobiles gentilicia symbola in locis maximè illustribus conspicua proponunt. vt 3. Reg. cap.7. v.29. & iterum v.36. Et 2. Paralip. cap.9. in eburneo solio sculpsisse traditur *duos leones stantes iuxta brachiola, sed & alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex vtraque parte.*

Leo insigne tribus Iuda.

Salomon cur alicubi leones exsculpserit.

4. Hæc itaque mater inter leones cubauit, quia Reges habuit ex Dauidico semine nobiles, qui non finitimi solùm, sed etiam longinquis nationibus terrori, atque admirationi fuerunt. Ex quorum satu, cùm nobilem & strenuam prolem, leoninóque nomine non indignam suscepisset, ad extremum à Iosia, tanquam à leone catulos concepit, enutriuitque donec ad maturam, atque robustam leonum ætatem euaserunt. Quid verò his catulis postquam spiritus assumpsere regios, & regium nomen, & locum consecuti sunt, acciderit, statim explicat, eo penè ordine, ac modo, quo Ieremias capite 22. de Iosiæ filiis, qui post patrem regnauerunt, sigillatim agit.

5. Verſ.3. *Et eduxit vnum de leunculis suis, leo factus est; & didicit capere prædam, hominémque comedere.*] Hic est Ioachaz, qui etiam vocatus est Sellum, quem populus pro Iosia à Pharaone occiso, regno præposuit; quod sanè diuturnum non fuit: nam tertio, postquam Regnum inierat, mense, ab eodem Pharaone regno pulsus, & captiuus in Ægyptum abductus est, vbi vitam egit tristem, & ignobilem. Eo tamen tempore, in quo cum regia potestate fuit, non auarè solùm, sed etiam crudeliter, & impiè vixit, vt habes lib. 4. Reg. cap. 23. *Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerunt patres eius* Hi verò, quorum mores imitatus fuisse dicitur, sanguinarij fuerunt, auari, & nefariis idolorum sacris impensè dediti. Attribuit autem studio, atque potentiæ Ioachaz id, quod præstat leoni regius spiritus, & sitiens sanguinis furor, fertur enim in prædam, eámque vt vestiget, & capiat agros omnes, ac syluas aspectu suo, fremitúque conturbat; atque in eam vbi primùm inciderit, concerpit, & vorat. Hæc omnia fecisse traditur Ioachaz, qui vt auaritiam expleret suam aliorum opibus; sicut leo vrentem rabiem alieno sanguine, prædas egit, aliorúmque fortunas ad regios fastus, atque vsus conuertit.

Ioachaz breue regnum, & misera conditio.

Ioachaz cum leoni comparatur.

6. Hoc autem est homines deuorare, non tantùm ex sacrorum, sed etiam ex profanorum vsu; qui hoc dicendi modo spoliatum hominem, & suis exhaustum commodis, ac viribus significant. Ex profanis satis sit vnus Terentius in Eunucho, *Hunc tibi hominem comedendum, & irridendum propino.* Ex sacris est illud Habacuc 3. *Qui deuorat pauperem in abscondito.* Quod fecisse Ioachaz, licet ex nullo alio constet loco, hóc tamen Ezechielis testimonium confirmat. Neque abest aliqua, atque non leuis coniectura; quia cùm à populo terræ, id est, à multitudine, tumultuario fortasse Rex esset appellatus, timere potuit, ne quid Pharao victoria insolens in Iudæos moliretur, quorum proximè Regem interfecerat, & militarem potentiam ingenti clade contriuerat. Deinde quia contra ius, aut consuetudinem regni, præpositus fuerat fratribus ætate maioribus, atque ideo non immeritò vereretur, ne iniuriarum agerent omissi fratres, rémque publicam, dum suis student rationibus, intestinis bellis, ac seditionibus turbarent. Quare vt regnum suum contra Pharaonis, ac fratrum paratam vim armis, atque potentia communiret, vndecumque parandas sibi diuitias existimauit, quæ belli nerui, & pacis ornamenta sunt. Atque ideo prædas egit

Deuorare homines quid.

ex

ex suis, hominésque, eos maximè qui repugnare non auderent, deuorauit, & exuxit sanguinem. Quo nomine vocantur diuitiæ; quia his non aliter, atque illo humana vita sustentatur. A

7. Porrò fratres alios ætate maiores esse quàm Ioachaz, constat ex lib. 2. Paralip. c. 3. v. 15. *Filij autem Iosiæ fuerunt, primogenitus Iohanan, secundus Ioacim, tertius Sedecias, quartus Sellum.* Hic verò Sellum, idem est, qui Ioachaz, vt pluribus ostendimus in cap. 1. Ieremiæ n. 7. vbi ostendimus minorem esse natu Ioacimo; maiorem verò Sedecia.

Ioachaz non ætate maior.

8. Vers. 4. *Et audierunt de eo Gentes, & non absque vulneribus suis ceperunt eum.*] Hîc sine dubio de Ægyptiis est sermo, qui cùm magna rem Iudaicam affecissent plaga; dominos se illius prouinciæ arbitrabantur. Hi verò ægrè tulerunt, se inconsultis, atque insciis, à matre leæna, id est, à republica leunculum illum leonem esse factum, id est, regium obtinuisse locum, & nomen. Atque ideo sicut ad leonis prædam sese venatores accingunt, sic contra nouum Regem Achaz arma quasi venatoria compararunt Ægyptij. Quia verò ille spiritus regios, id est, leoninos imbiberat; & deuoratis hominibus, quo sensu nuper explicuimus, diuitias vndecumque conuexerat, quibus non domesticum solum, sed etiam externum militem conduceret; strenuum se præstitit contra vim Ægyptiam; neque prius est captus, quàm venatorum, id est, Ægyptiorum plurimi vulnerati sunt. Hæc non ex alio loco, quàm ex hoc Ezechielis accidisse constat. Sanè lib. 3. Reg. c. 23. hoc solum habemus, vinctum fuisse à Pharaone Ioachaz, & in Ægyptum fuisse translatum; vbi exul egit, & vinctus ad finem vsque vitæ, vt habes ex Ieremia cap. 22. Sed est verisimile armatum occurrisse Ioachaz; quia ipse audax erat, & strenuus; neque enim aliter à republica, seu populo terræ, spretis aliis, quibus ætate, ac iure videbatur inferior, renunciatus esset Rex, eo maximè tempore, quo infensum se Iudæo nomini ostentabat Ægyptius. Deinde quia non est verisimile, ita fuisse Pharaonem acturum in Ioachaz, vt captiuum apud se retineret, eóque tractare modo, vt Ieremias cap. 22. scripserit, *Plangite eum, qui egreditur, quia non reuertetur vltrà, nec videbit terram natiuitatis suæ, sed in loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur.* nisi ille contra Ægyptiorum conatus, armatas Iudæorum acies obiecisset. B C D

Ioachaz ab Ægyptiis quomodo captus.

9. Illud *absque vulneribus*, alij exponunt *in corruptione*. quasi dicat, captum quidem fuisse leonem illum, non tamen sine magna venatorum cæde. Heb. est שחת *sachath*, pro quo Pagninus *rete*, alij *foueam*, quod non improbat Hieronymus. Seruatur autem metaphora venationis; leones etenim, & feræ artificio quodam, aut inducuntur in retia, aut impelluntur in foueas: quarum tamen venatio non solet semper incruenta esse venatori. Si verum esset quod Iosephus lib. 10. cap. 6. putat nullum intercessisse bellum inter Pharaonem, & Ioachaz, sed hunc accersitum esse ab illo callidè, vt modus ipse dicendi indicat, & ibi vinctum, & abductum in Ægyptum, planè esset retis, ac foueæ optima translatio. Qui enim aut inducuntur in laqueos, aut trahuntur in foueas, astu magis rem agunt, quàm armis, & lacertis; quomodo ex sententia Iosephi videtur se gessisse Pharao. Sed sanè, vt omnes ferme censent interpretes, & hic locus non obscurè docet, & alius similis statim v. 8. bellum commissum est inter Ioachaz, & Pharaonem; vbi licèt superior in pugna extiterit Ægyptius; magnâ tamen illi constitit victoria. E

Quæ cùm vidisset, quoniam infirmata est, & periit expectatio eius, tulit vnum de leunculis suis, leonem constituit.] Hinc ego multa video vehementer implexa. Neque enim assequor, in quem vnum conueniant omnia, quæ statim succedunt. Non quidem in Ioacim, quia licèt hîc in Babylonem abductus à Chaldæorum Rege, vt habes 2. Paralip. c. 36. v. 6. tamen ibi mortuus non est; imò neque diu Babylone vixit, sed restitutus est patriæ, vbi iterum victus, & instar asini inhumatus extabuit. Sed neque in eius filium Ioachim, seu Iechoniam, quia licèt hic didicerit in imperio trimestri prædas capere, & leonis in morem homines deuorare, quo sensu nuper de Ioachaz explicuimus; neque postquam semel Israeliticos deseruit fines, ad illos vnquam remigrauit, tamen non video, quomodo in ætate adhuc tenera (octo enim annorum fuisse traditur, cùm regnare cœpisset, vt habes 2. Paral. c. 26.) potuerit illa non solùm audere, sed neque cogitare, quæ hic à leunculo leone iam facto suscepta scribuntur, qualia sunt deuorare homines, ciuitates euertere, viduas facere. Adde quòd hunc, quicumque est, non sine magna plaga ceperunt Babylonij; sed Ioachim vltro se tradidit Chaldæis, neque in illo comprehendendo, quisquam illorum vulneratus est. 10.

Quare huius nodi solutionem non facile Doctores expediunt. Theodoretus, Pradus, Dionysius, Lyra, Maldonatus leonem hunc Ioacimum esse putant: Hieronymus, & cum illo Dionysius, & Hugo, Sedeciam. Alij hæc de Ioacim, Iechonia, & Sedecia simul accipiunt. Mihi maximè placet, quod etiam Theodoreto visum est, hîc de Iechonia tantùm agi, cuius sicut & Ioachaz trimestre fuit imperium. Quod ideo mihi persuadeo, quia, vt non obscurè constat è litera; hîc de duobus tantùm sermo est, quorum alter in Ægyptum, alter in Chaldæam relegatus est, neque ad plures, vt maximè textum contorqueas, accommodari potest ista leunculorum allegoria. Quòd si ad Iechoniæ mores, & tempora hæc accommodemus, nihil credo supererit negotij, quod à nobis curiosus lector requirat. Quod credo assequemur non difficile, modò de Iechoniæ regno, & moribus constet. 11.

Et primùm videndum quamdiu regnauerit Iechonias, & quale fuerit regnum illius. Et primùm obseruo, sicut nostro, & antiquis etiam sæculis Reges, & Imperatores socios sibi ad regiam administrationem filios suos, aut etiam alienos adhibebant, qui Reges etiam dicebantur; sic apud Hebræos viuentibus adhuc parentibus filij ad regium nomen, & titulum vocabantur, vnctione, ritúque legitimo, vt docuit Dauid 3. Reg. c. 1. qui vngi iussit, salutaríque Regem filium Salomonem. Hoc idem post Dauidica tempora contigisse in Israelitica republica, multa docent. Neque enim aliter conciliari possunt multa, quæ sibi in Scriptura sacra videntur aduersari; aut certè non satis conuenire. Vnum exemplum accipe pro multis. Ozias lib. 4. Reg. c. 8. iniisse regnum dicitur, cùm esset annorum 32. & octo annos regnasse in Ierusalem, & idem lib. 2. Paralip. c. 22. cœpisse regnare traditur annos natus 42. & vnum tantùm annum regnasse. Vtrumque autem verum est; cœpit namque regnare simul cum patre anno ætatis suæ trigesimo secundo, & ab eo tempore ad mortem vsque 12.

Quamdiu Iechonias regnauit, & qualiter.

Filij cum parentibus simul sæpe regnarunt.

REGVLA. *Anni parentum cum filiorũ annis sæpè confusi.*

Ozias cur alibi regnasse dicatur annis octo, alibi, anno vno.

que, octo exacti sunt anni, sed quia sub patris erat potestate; neque tam ipse regebat, quàm à parente regebatur, septem priores anni in illius regnum 2. Paralip. contributi non sunt; atque ideo regnum iniisse traditur anno 42. & vnum tantùm annum regnasse. Hæc communis solutio est, ex qua tamen aliqua sunt non parum impedita, quæ expedire, alterius loci, atque negotij est. Simili difficultati occurrit Abul. in 4. Reg. c. 8. q. 28. vbi docet Ioram simul cum patre Iosaphath nouem annos regnasse.

Ioachim cur vno loco dicatur regnare cœpisse octauo ætatis anno, alio decimooctauo.

13. Ex his iam occurrit quid de Iechoniæ regno dicendum sit, de quo lib. 4. Reg. cap. 24. *Decem & octo annorum erat Ioachim cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus regnauit in Ierusalem.* Hæc verò quæ valde inter se dissidere videntur, sic communiter componunt interpretes. Dicunt enim cùm Ioacim vno regnasset anno, adiunxisse sibi regni socium Ioachin, seu Iechoniam filium, cùm adhuc esset annorum octo, & cum illo simul obtinuisset regnum decem annis, ad mortem videlicet, quæ accidit, ab inito regno, anno vndecimo. Cùm autem ad illud vsque tempus, licèt vnctus iam, & salutatus esset Rex, sub patris adhuc esset imperio, regnasse potiùs dicitur tres menses, patre iam mortuo, quàm decem annos. Quo verò tempore regium munus obire potuit, octodecimum iam agebat annum; atque adeò præstare trimestri regno, quæ eodem spatio præstitit patruus Ioachaz: agere nempe prædas, deuorare homines, & occisis maritis, eorum vxores viduas relinquere, neque enim tunc octo tantùm erat annorum, vt putabant, qui contrà sentire videbantur. Neque patre simul exhibuit negotij Babyloniis, cùm ab illis captus fuit pater Ioacim, & ignominiosè proiectus extra vrbem, vbi non aliam, quàm asini sepulturam nactus est. Tum verò captus quoque fuit Ioachin non sine magno Chaldæorum incommodo, relictus tamen cum regia potestate; quam cùm trimestrem habuisset, abductus est in Babylonem, & talia passus, qualia hîc Propheta commemorat.

14. Hæc mihi valdè videntur verisimilia. Quòd si roges, cur hæc de Ioachaz potiùs, & de Iechonia capiamus, quàm de Ioacim, & Sedecia, cùm horum imperium longius multo fuerit, atque crudelius. Respondeo, quia multa hîc à Propheta narrantur, quæ in posteriores hosce Reges nullo modo quadrant: non in Ioacim, quia hic postquam abactus est in Babyloniam, rursus patriam vidit, & in ea dudum dominatus tandem occubuit: neque in Sedeciam, quoniam hîc illa commemorantur, quæ iam præterierunt: at quæ hîc in Sedeciæ vitam, atque exitium accommodari poterant, nondum pertulerat Sedecias; quia adhuc regnabat, neque spem abiecerat conseruandi regni. De aliis verò duobus hæc non abs re videntur inducta: quia similes omnino fuerunt, tum quia vix dum è leunculis excesserant, & in robur leoninum adulti, cùm illorum vires, atque potentia fracta sunt; tum etiam quia vtriusque regnum trimestri spatio definitum est. Nunc exploremus singula.

Filij parentum robur, & baculus.

15. Vers. 5. *Quoniam infirmata est.*] Infirmata dicitur, quæ filiis orbatur. Sic de illa, quæ cùm numerosam haberet filiorum turbam, ab illis est nudata, dicitur 1. Reg. 2. *Quoniam sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est.* & Ieremiæ cap. 15. v. 9. *Infirmata est quæ peperit septem.* Cur verò quæ orbata est filiis, infirmata vocetur, ea ratio est, quia filius robur dicitur esse parentis, iuxta illud Gen. 49. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea.* Scio huius loci alias esse explicationes, & magis fortasse ad textum, verùm hæc contemnenda non est. Ex quo fit, vt filij baculus dicantur, & firmamentum parentum. Hoc fortasse ex eo, quod erat parentibus in ore frequens, dixit apud Virgilium mater quædam ad filium,

Gnate mea vires, mea magna potentia solus.

16. Hæc itaque mater, cùm periisse videret expectationem, quam in Rege collocauerat, à Pharaone sublato, ex leunculis vnum accepit, nempe Iechoniam, quem simul cum parente regnare voluit: nam toto ferme tẽpore, vt diximus, Iechonias cum parente regium nomen obtinuit, &, vt est verisimile, regios mores, & spiritus. Nam & secutus dicitur paternos mores, & fecisse mala iuxta omnia; quæ pater fecerat lib. 4. Reg. cap. 24. Quod non solùm intelligendum est de trimestri regno, sed etiam de decem annis, quos sub patre magistro cum ipso regnauit.

17. Vers. 7. *Didicit viduas facere, & ciuitates eorum in desertum adducere.*] Idem ferme de Ioachaz in suo imperio trimestri, qui etiam didicisse dicitur prædam capere. Sed hæc multo magis de Iechonia dici possunt, qui magistrum habuit, à quo talia discere potuerit; qualia fecisse traditur longo decem annorum spatio, à cuius latere nunquam discessit. Porrò *viduas facere*, in Scriptura virorum cædem significat, ex qua sequitur, vt vxores viduæ sint, & filij orphani. Psal. 108. *Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.* Ieremiæ cap. 15. *Multiplicatæ sunt mihi viduæ eius super arenam maris.* Ezechiel. infrà cap. 22. *Viduas eius multiplicauerunt in medio illius.*

18. *Et ciuitates eorum in desertum adducere.*] Eorum nempe hominum, quos deuorarat simul cum patre; aut etiam pòst assuetus iam prædæ, dum relictum à patre regnum suscepit. Quàm verò pater Ioacim vt regiam amplificaret domum, tyrannum se magis, & hostem, quàm Regem, & parentem præbuerit, ostendit Ieremias cap. 22. *Væ,* (inquit de Ioacim) *qui ædificas domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio, amicum suum opprimet frustrà, & mercedem eius non reddet ei.* Et infrà v. 17. *Tui verò oculi, & cor ad auaritiam, & ad sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis.*

19. Vers. 8. *Et conuenerunt aduersùs eum Gentes vndique de prouinciis, & expanderunt super eum rete suum.*] Multæ nationes, ac Gentes conuenisse dicuntur contra Ioacim, & consequenter etiam contra Iechoniam, quem sibi ad regni curam, & pondus pater socium adiunxerat. Nam cùm Ioacim, fracta regia fide, quam antè dederat, contra Chaldæorum Regem rebellasset, vndecimo regni sui anno, quo tempore decimumoctauum annum agebat Iechonias, variæ Gentes vndique Iudæorum fines inuaserunt. lib. 4. Reg. c. 24. *Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon, & immisit eos in Iudam, vt disperderent eum.*

20. *Et expanderunt in eum rete suum.*] Quia de Ioacim, siue de Iechonia, tanquam de leone locutus fuerat; in eadem perseuerans metaphora, rete super eum esse dicit expansum; quia eo sæpe modo leones, & syluestres capiuntur feræ.

21. *In vulneribus eorum captus est.*] Non habuerunt illi tot populi venationem illam incruentam:

tam: restiterunt enim aliquandiu duo illi leones, neque stetit illa sine cæde victoria. Hæc verò non magis ad Ioacim; quanquam penes illum summa tunc esset res tam bellica, quàm publica; quàm ad Iechoniã, de quo postea, referenda sunt.

22. Vers. 9. *Et miserunt eum in caueam, in catenis adduxerunt eum ad Regem Babylonis.*] Captus fuit ante hoc tempus Ioacim, & in Babylonem abductus, vt constat 2. lib. Paral. c. 36. *Contra hunc* (Ioacim) *ascendit Nabuchodonosor Rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem.* Non tamen diu in Babylone fuit: nam postea patriæ, Regnóque restitutus est, ea tamẽ lege, vt certa quædam tributa quottannis pensitaret. Hoc accidit in principio Regni Nabuchodonosoris, & quarto anno inchoato Ioacim, vt constat ex cap. 1. Danielis, & ex Ierem. cap. 25. sed constat lib. 4. Reg. cap. 24. & lib. 2. Paral. cap. 36. regnasse Ioacim annos vndecim. Vnde planè constat post exilium illud Babylonicum rediisse Ierusalem, & ibidem aliquandiu regnasse. Adde quòd Ieremiæ cap. 22. proiectus, & putrefactus dicitur extra portam Ierusalem, ex quo omnes ferme interpretes coniectant in Ierusalem fuisse occisum, & ibidem asinorum instar extabuisse. Excipe Hieronymũ, qui Babylone mortuum opinatur in cap. 22. Ieremiæ, qui tamen capite 25. statim in principio cum aliis sentit; & Pradum, qui in Babylone putat obiisse Ioacim; & Hebræorum Chronologiam, quæ dicitur Seder Olam: sed planè errant, maximè cùm dicunt quarto anno fuisse astrictũ vinculis, & in illis obiisse, vt expresse dicit chronologia Hebræorum breuior. Quomodo enim verum esse potest, quod Scriptura sæpe clamat vndecim annos regnasse Ioacim?

Iechonias incarceratus.

23. *Miseruntque eum in carcerem, ne audiretur vox eius vltrà super montes Israël.*] Metaphoram persequitur. Vt enim proximè in caueam, inclusum leonem esse dixerat; sic modò illi præclusum esse aditum affirmat, ne in montes redeat Israël, id est, in syluas, vbi sua sibi cubilia leones habent: ne iterum audiatur eius rugitus, quo latè Solymitanæ syluæ contremuerant. Hic mihi locus persuasit, de Iechonia tantùm agere Prophetam; quia pater illius Ioacim in montes rediit Israël, neque minus, quàm antea in montibus irrugiit; quia nihilo benignior fuit cùm emersit è vinculis, quàm in regni principiis, cùm nullam acceperat plagam ab hoste Chaldæo. Sanè vt ex toto capite 22. Ieremiæ fit probabile, quæ ibi obiiciuntur a Ieremia Ioacim, postquam è Babylonia rediit, contigerunt; quæ tamen à Leonino fremitu aliena non sunt. *Tui*, inquit, *oculi, & cor ad auaritiam, & ad sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis.*

24. Vers. 10. *Mater tua quasi vinea, in sanguine tuo super aquam plantata est.*] Aliam iam inducit allegoriam: quæ idem omnino, quod superior, importat. Nempe excreuisse Rempublicam illam, & regio nobilitatam sanguine, atque imperio, tandem corruisse. Id verò significat metaphora, quæ iam antea sæpè, & mores expresserat Israëliticos, & assiduam Domini in illum populum indulgentiam & curam. Non semel appellatur vinea domus Israël: Deut. 32. *De vinea Sodomorum, vinea eorum*, &c. Psal. 79. *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti Gentes, & plantasti eam.* Isaiæ cap. 5. *Vinea fuit dilecto.* & statim, *Vinea enim Domini exercituum domus Israël est.* Iere. cap. 2. *Ego te plantaui vineam electam.* Nunc locum vberem, & irriguum ostendit, in quo fuit olim electæ illius vi-

Israëliticus populus, sæpè vocatus vinea.

neæ facta plantatio, super aquas videlicet, id est, iuxta aquas, vt probat Hebræorum familiaris vsus, qui *super*, crebrò adhibet, pro *iuxta*. vt Psal. 136. *Super flumina Babylonis; ibi sedimus.* Aqua verò sunt assidua, & pene continentia beneficia, quibus Deus populum illum complexus est, & quasi vineam electam diligenter excoluit. Repete populi stationem & cursum, siue cùm adhuc erraret in deserto, siue cum Hierosolymis statuit stabile, ac proprium domicilium, nullũ reperies tempus, quod non fuerit aliquo cœlesti beneficio notatum. Hoc autem est vineam super aquã fuisse plantatam. Illud obscurius, *quasi vinea in sanguine tuo.* Multa in omni lingua sanguis significat; à quo variæ fiunt ad alia, neque indecoræ translationes. Sumitur in primis pro vino, vt Deut. 32. *Et sanguinem vuæ biberet meracissimum.* 25.
Et Gen. 49. de Iuda, *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* & iuxta hanc acceptionem plantata dicitur hæc metaphorica vitis iuxta aquas in sanguine suo, id est, ad sanguinem (id enim interdum valet præpositio ב, pro qua Latinus reddidit *in*;) ad copiosum nempe vini prouentum.

Sanguis pro vino.

Significat præterea *sanguis* robur, virorem, 26.
pulchritudinem, & speciem, quia à sanguine per totum corpus moderatè diffuso, existit in homine hilaris, atque renidens color; vnde qui lurido sunt, ac tristi vultu, exangues appellantur, id est, sine sanguine. Sanè Cicero hac metaphora significauit speciem, & robur amisisse rempublicam, vbi sanguinẽ idem esse putat, quod succus. *Amisimus*, inquit, *mi Pomponi omnem non modo succum, & sanguinem, sed etiam colorem, & speciem pristinam ciuitatis.* iuxta quam sanguinis translationẽ significatur vinea illa, in irriguo solo, fuisse speciosa, & pinguis, qualis postea describitur. Quod sensisse videntur Septuaginta, qui ita locum hũc transtulerunt, ὡς ἄνθος ῥοᾶς, i. quasi citrinus, seu flos mali granati: quasi ita decorè rubeat, sicut mali granati purpureus flos. & ita censent iuxta hanc Septuaginta conuersionem, Hieronymus, & cum eo Dionysius, & Hugo: neque improbat Theodoretus, & placet ex iunioribus Maldonato.

Sanguis pro succo, & robore.

Sumitur etiam *sanguis* pro genere, & cogna- 27.
tione, & hoc frequẽtissimè, neque id necesse est exemplis confirmemus. Tunc verè sanguis genus indicat regium. quasi Propheta Iudæorum Genti, seu Synagogæ dicat, abundasse regia prole: illique per multa sæcula administrandam rẽ publicam tradidisse; cui ad illud vsque tempus nunquam præfuit alienus, aut qui ex Dauidico genere prognatus non sit. Ego potiùs existimarem illud, *in sanguine tuo*, referre genus Iudaicum, ex quo florens illa, atque diffusa vinea sata, atque composita est. Si enim Isai. cap. 5. vinea illa, quæ describitur ibi, domus Israël est, cur negemus vineam hanc, cui eadem propè minatur Deus, è sanguine Israëlitico tam regio, quàm ignobili fuisse plantatam? Et hæc mihi ex omnibus sententia maximè probatur; quia magis video cum aliis locis consentire, in quibus de Israelitica vinea sermo est, vbi vinea dicitur electa, aut ex Ægypto translata; quod idẽ omnino, atque fuisse de sanguine, aut semine Israëlitico.

Sanguis pro genere.

Sunt qui putent sanguinem hic in propria si- 28.
gnificatione esse sumendum, qui dicunt vineam illam rigatam esse sanguine illorum, quos Regum tam qui præterierunt, quàm qui tunc clauum tenebant Regni Iudaici, crudelitas extinxit. Sanè ciuitatem illam regiam sub Manasse

Ierusalem plena sanguinis.

piorum sanguine redundasse, legimus lib. 4. Reg. cap. 21. *Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Ierusalem vsque ad os.* Cuius exemplum secuti videntur, qui sublato Iosia, imperium tenuere Iudaicum, vsque ad Sedeciam, qui rerum potiebatur, quo tempore hæc ab Ezechiele dicebantur, de quibus vniuersè scribitur, *Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerant patres eius.* Tunc verò sensus esse potest, aut euellendam esse vineam propter illam Regum barbaram tyrannidem; aut certè adoleuisse plurimum, quia non minus erat rigata sanguine, quàm si esset secus aquarum decursum. Tunc autem sic videbatur exponi posse non incommodè locus iste. Mater tua sic est plantata in terra madente, atque affluente sanguine; quemadmodum si solum haberet irriguum ab aqua iugi. Quam dicendi figuram, vt apparet, hyperbolicam, adhibent nonnunquam externi, ex quibus vnus ait,

Iam seges est, vbi Troia fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Verùm hæc explicatio minus est ad textum; & miror cuiquam placere potuisse, cùm apertè cõstet de vineæ fertilitate agi in principio, ad quã nihil omnino facit Israëlitici sanguinis effusio, deinde de illius strage, & in alienam, eámque incommodam regionem translatione. Quare illa magis probatur expositio, quæ in *sanguine* vigorem agnoscit, succum, & venustatem; aut quæ ex semine Israëlitico, id est, electo palmite plantatam dicit esse vineam, & hoc potiùs.

29. *Fructus eius, & frondes eius creuerunt ex aquis multis.*] Quia humor vineæ olim plantatæ nunquam defuit, fructus edidit aquarum abundantiæ consentaneos; neque minùs frondes habuit speciosas, & latas, quibus vestita pulchra aliis videretur, & pinguis.

30. Vers. 11. *Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium.*] Quo tempore vinea ex Ægypto translata est, infirma fuit, quia in regione peregrinabatur aliena; non morabatur, aut agebat in sua: quare neque vires habebat vllas, neque regionem, vbi regium munus exerceret; illud verò est vineæ ramos, aut virgas exiles esse, neque satis adultas, vt ex illis dolari posset, aut efformari sceptrum dominantium. Pòst verò plãtata vinea est in proprio, stabili, atque irriguo solo, atque in illud robur, & amplitudinem progressa, vt ex ea fieri possent sceptra; id est, assumi Reges, aut Iudices, qui rem administrarent Israëliticam. Id verò tunc primùm accidit, cùm depulso ex suis finibus Chananæo, peregrinus esse desiit, & vagus Israël.

31. In sceptro autem ex vitium ramo, aut palmite dolato, allusum est ad antiquam consuetudinem, quæ apud nationes externas quondam viguit, quibus pro sceptro hasta erat, aut baculus; id enim valet Græca vox σκῆπτρον. Et antiqui illius sæculi consuetudinem Virgilius expressit; dum Latinum Regem sic de suo sceptro loquentem inducit lib. 12. Æneid.

Pro sceptro olim hasta; aut baculus.

Vt sceptrum hoc (dextra sceptrum nam fortè gerebat)
Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras;
Cùm semel in syluis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuítque comas, & brachia ferro,
Olim arbos.

Quod sumpsit ex Homero lib. 1. Iliados.

32. Neque parum facit ad hanc cogitationem, quòd sceptrum in Scriptura sacra virga dicitur, qualem tunc habuit Assuerus, cùm illa extensa tranquillo animo esse iussit Esther. & Ioseph quando ad patrem iam morti proximum accessit, Genes. 47. de quo Paulus ad Heb. 11. *Adorauit fastigium virgæ eius.* Sed hoc puto magis fuisse apud Hebræos in vsu propter Moysem, quem ducem habuerunt, & principem; quo tempore à seruitute liberi, ad possessionem propriam, & ad regium nomen aspirabant. Moyses enim pro insigni dati sibi muneris virgam gestabat; quam tunc apud Madianitas habuerat, cùm soceri gregibus ad mõtem Sinai pastoritiã operã nauauit.

Vnde apud Hebræos virga pro sceptro.

Et exaltata est statura eius inter frondes; & vidit altitudinem suam.] Non solùm rami ita crassi fuerunt, & grandes, vt apti fuerint regiis efformandis sceptris; sed etiam alti, ita vt supra vites alias peregrinas cacumen extulerint. Hoc verò dicit aut propter rempublicam, quæ latè ac diu dominata est; aut propter Reges, quorum inter frondes, minoraque virgulta, maiestas eminuit. Vidisse dicitur Ierusalem altitudinem suam, in qua sibi vehementer placuit, & cum ægrè ferret proceritatem illam conspicuam, & illustrem, alterius potestati subesse (quod accidit sub Ioacim, & Sedecia) excutere iugum studuit, quod imposuerat Babylonius, vnde ruinam subiit, de qua mox. 33.

Vers. 12. *Et euulsa est in ira, in terrámque proiecta.*] Hactenus videtur hæc non tam prophetia quàm historia, quia de rebus præteritis sermo est: iam verò vastitas prædicitur ciuitatis, quæ nondum aduenerat, saltem extrema, quæ tunc accidit, quando Sedecias annum in Regno vndecimum impleuit. Illa verò nomina, quæ vineæ vastitatem significant, plantæ accommodata sunt, quam impetus aliquis violentior prosternit, & euellit, aut ventus vrit, & arefacto vigore, ac succo reddit emarcidam. De vento vrente diximus suprà cap. 17. v. 10. 34.

Ignis comedit eam.] Ipsa docet experientia, neque causa deest physica, illa de cœlo tangi, quæ altiora sunt; qualia sunt excelsi montes, præaltæ turres, & arbores proceræ, & in his apparent frequentiùs fulminum vestigia. De quibus est illud Horatij lib. 2. ode 10. 35.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres; feriúntque summos
Fulmina montes.

Ierusalem non tam à Chaldæis, quàm à Deo subuersa.

Ab hoc cœlesti igne factam puto, consumptámque vineam, quã modò diximus in sua sibi proceritate placuisse. est enim ad rei naturam allusio non inelegans. Neque enim euertere potuissent Babyloniæ vires molem illam non minus ab arte, quàm à natura munitam, nisi cum Babyloniis Deus contra Solymitanos stetisset in acie, & è cœlo flammas esset eiaculatus. De quibus Ieremias Thren. 1. v. 13. *De excelso misit ignem in ossibus meis.* Hoc igne potiùs consumpta est ciuitas, & tẽplum exustum, quàm facibus illis, quas ad vrbis incendium iniecere Chaldæi. Porrò quę hoc loco per Ezechielem minatur Dominus, illa eadem sæpe minatus antè fuerat oratione nõ dissimili, vt habent omnes ferme Prophetæ, qui contra decem tribus antea, pòst verò contra duas prophetarunt.

Vers. 13. *Et nunc transplantata est in desertum, in terra inuia, & sitienti.*] Qui priùs vineæ vocabulo significati sunt, quíque se in specie, atque amplitudine sua plurimum amabant, partim arefacti, quia abscissi gladio, aut aliis bellorum incommodis emarcidi, partim in alias regiones abducti 36.

abducti, ibique transplantati, quia variè dispersi sunt, alij vltrò elapsi fuga regiones elegere, alij vi in alias à potentiore, atque victore hoste coacti sunt. Hæ tamen omnes sitientes appellantur, desertæ, & inuiæ, vel quia illarum nonnullæ re vera desertæ erant, parúmque hominum vestigiis notatæ; aliæ licet irriguæ, atque vberes, quia tamen Israëlitarum vsibus parum opportuna videbatur illa fœcunditas, perinde erant exulibus, atque si steriles forent, & arentes. Subauditur autem hîc Hebræorum more similitudinis nota: quasi dicas, euulsa est, & transplantata vinea, quæ sic emarcuit, postquam natale solum dereliquit, atque si depacta esset sterili, atque sitienti terræ.

Multa sibi ipsis exitio sunt.

37. Vers.14. *Egressus est ignis de virga ramorum eius, qui fructum eius comedit.*] Multa sunt, quæ sibi à seipsis malum, aut pariunt, aut accersunt: quæ apud varias nationes alio, atque alio modo locū fecere prouerbiis: vt aquila, quæ plumas sagittæ dedit, à qua confixa est: arbor hastile securi, quæ ipsam succidit; & turdus visco materiam, à quo comprehenditur, & huius generis sexcenta alia. Inter hæc prouerbia est illud Hispanorum huic loco satis accommodatum, quo significatur syluam contra seipsam excitare, atque alere inimicum incendium, quia abscissi inde rami totam comburunt syluam. Sic autem Hispani, *de el monte sale quien al monte quema.* Ex vinea igitur ignis exiliit, qui vineam combussit. Quia in ea peccata fuerunt, à quibus non minus ciuitas, quàm ab incendio, aut ab hoste vastatur, quomodo de hoc ipso tempore dixit Isaias cap. 64. *Allisisti nos in manu iniquitatis nostræ*; id est, per iniquitates nostras. Et idem dixit cap.1. peccatum esse instar ignis, qui omnia comburit, & perdit; & omnia quantumcumque munita videantur, ac fortia, instar obtinere aridæ stipulæ, aut stupæ, cuius contra ignem nulla vis est. *Et erit*, inquit, *fortitudo vestra, & fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla.*

Peccator in seipso habet exitij causam.

38. Aut certè de vinea egressus est ignis, qui vineam comedit, quia inde prodierunt viri peruersi, Reges nimirum, qui à Iosia ad Sedeciā vsque rem administrauere Iudaicam; neque inusitatum est, vt qui ciuitati, aut familiæ vastitatem inuexit, ille dicatur illius incendij fax. Sic Paris incendij Troiani fax appellatur, quia ipse primā, cámque grauissimam decēnalis belli causam dedit. Atque ideo non sine causa fabulati sunt poetæ grauidam matrem in somnis, vidisse gestare se in vtero ardentem facem, quod coniectorum iudicio portendebat illum, cuius tunc genitrix pondus in vtero portabat, futurum esse ciuitatis incendium. Exemplum habemus in Scriptura sacra non dissimile. Num. cap.21. vbi qui causa fuit alicuius exitij, ignis nominatur. *Ignis egressus est de Hessebon, & flamma de oppido Sehon, & deuorauit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon.*

39. Hæc mihi magis videntur ad veritatem, libet tamen aliam expositionem attexere; quæ neque ipsa aliena est ab historia, neque à plantarū proprietate, maximè vineaū abhorret. Docet enim experiētia ex duorum lignorum siue collisione, siue attritu ignem excudi, ad quam experiētiam allusum videtur à Propheta, dum ex virga ramorum ignem dicit egressum. Hoc verò quod de duorum lignorum affrictu, aut collisione diximus præter rusticorum quotidianum experimentum, docent qui de natura scripsere commentarios, quorum testimonia proferre nonnullum erit operæpretium. Plin.lib.16.cap.40. *Exploratorum hoc vsus in castris, pastorúmque repertus, quoniam ad excudendum ignem non semper lapidis occasio est; teritur ergo lignum ligno, ignem concipit attritu excipiente materia aridi fomitis, fungi, vel foliorum facillime conceptum; sed nihil hedera præstantius, quæ teratur lauro, quæ terat.* Sic syluestrium arborum ramis vi ventorum inter se collisis ignis excuditur. Lucretius lib.5.

Ignis, ex duorum lignorum collisione excussus.

Exprimitur validis extritus viribus ignis,
Et micat interdum flammai feruidus ardor,
Mutua dum inter se rami, stirpésque teruntur.

Sic etiam Virgilius, aut quicumque opus de Ætna conscripsit:

Ardentésque simul flammas, ac fulmina rumpunt.
Haud aliter, quàm cùm prono iacuere sub Austro,
Aut Aquilone fremunt syluæ: dant brachia nodo
Implicita, & serpunt iunctis incendia ramis.

Hîc ego duo speciatim obseruo, alterum est ex 40.
ramorum collisione, si vis sit ventorum acrior, excitari flammas, vt experientia edocti duo de re naturali Scriptores nobiles tradiderunt. Alterum est, ad excudendum ignem, vitium palmites idoneos esse maximè. Sic enim Plinius suprà. *Probatur*, inquit, *& vitis syluestris, alia quàm labrusca, & ipsa hedera modo arborem scandens.* Quare non videtur valde aliena explicatio illa, quæ ignem dicit excussum ex vitis ramis, qui quicquid erat fructus in vite totum exussit. Nam hîc de Ierusalem tanquam de vite vaticinium instituit Ezechiel. Neque venti defuere multiplices, & acres, qui sic concussere ramos metaphoricæ vitis vehementer, vt ignem expresserint; hi verò sunt libido, cupiditas, ambitio, quarum immoderatus flatus agitauit vineam, & ex illa vastum excitauit incendium.

Et non fuit mea virga fortis, sceptrum dominātium.] 41.
Ex illa vinea pullularunt palmites, & facti sunt, vti diximus, vsque adeò proceri, ac crassi, vt ex illis regium sceptrum per multa sæcula dolari potuerit: id est, vt ex eo genere Hierosolyma Reges habuerit eiusdem stirpis, atque sanguinis socios. Post hæc verò, sic erunt exiles, atque breues rami in sordida, atque afflicta Iudæorū fortuna, vt ex illis sceptrum formari non possit, neque vllus ad regium nomen, & titulum assumi, & ita planè contigit. Nam licèt vinea illa non tam eradicata, quàm transplantata fuerit, neque regiæ stirpi germina defuerint (genuit enim Iechonias in transmigratione Salatielem; & hic Zorobabelem, neque horum posteris ad Christum vsque defecerit continens successio) tamen exiles fuerunt palmites illi in arido, atque infelici solo; neque ad regium nomen vsquam ascēderunt. Quare quod attinet ad regium nomen, & sceptrum, quod ex vinea illa desumi, atque fingi debuit; perinde iudicari potuit vitis illa, ex qua regia soboles propagata est, ac si omnino sterilis esset, & mortua. De quā Ieremias c. 22. vers.30. *Scribe virum istum* (Iechoniam) *sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur. Neque enim erit de semine eius vir qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltrà in Iuda.*

Planctus est; & erit in planctum.] Totum hoc 42.
caput næniam continet lugubrem, vt in principio vidimus, vbi Deus Ezechieli præcepit, vt planctum assumeret super Principes Israël. Húc verò planctum, vt opinor, non assumet solus Ezechiel, aut hoc solùm tempore; sed repetent aliis etiam temporibus alij, post euersam vrbem, &

& transplantatam vineam vberem priùs, atque speciosam. Id enim omnino videtur importare hic dicendi modus, *Planctus est, & erit in planctum*, id est, quòd me iubente, ó Ezechiel, in præsentia plangis, idem postea verborum tuorum memor iterabit posteritas; vbi verbis tuis pondus inesse, ipso rerum euentu edocta cognouerit. Sicut carmen illud funebre, quod in Iosiæ exequiis planxit Ieremias 2. Paralip. 35. v. 25. quod postea singulis annis legitimo ritu replicauit Israël. Hunc ego sensum facilem, & expeditum inuenio; sed neque displicet, quod alij putant, in quibus sunt Maldonatus, & Pradus, & Hebræorum nonnulli, qui ita accipiunt.

A Dignam quidem prophetiam, quæ cum planctu excipiatur & lacrymis; tunc verò grauiorem fore lugendi causam, cùm exitum habuerit, & verùm successum minarum istud oraculum. Ea quippe erit reipublicæ forma, ea felicis antea populi tanta conuersio, vt planctum etiam ab infenso pectore, & ab inuidis oculis lacrymas extorqueat. Aut, quod Hieronymus putat, & cum eo Lyra, Dionysius, & Hugo, materiam huius lamentationis esse Iosiæ filios, quos durè simul, atque ignominiosè iactauit hostis victor, & insolens: & quemadmodum à planctu caput istud incepit, sic etiam in planctu esse finiendum.

IN CAPVT VIGESIMVM.

ARGVMENTVM.



MAGNA pars capitis in exprobrandis Iudæorum sceleribus consumitur, tam qui olim egressi sunt ex Ægypto, quàm qui illorum postea vestigiis inhæsere. Cùm enim seniores è captiuo populo ad Ezechielem conuenissent, vt de communi re futuróque successu Dominum consuleret: Deus illos à spe responsi, quod ipsis futurum esset ex voto, repellit; quia neque parentes olim, neque ipsi modò digni sunt, quibus Deus ad optata, siue interrogata respondeat. Quod vt probet docet multis, quàm ipse clemens, quàm munificus in peruicacem illum populum fuerit; vel cùm captiuus ageret in Ægypto; vel toto illo tempore, quod in solitudine posuit: quámque ille contrà fuerit rebellis, & ingratus non in transmissione solùm per desertum; sed etiam cùm promissam à Deo prouinciam obtineret. Cùm verò filij parentum suorum mores expresserunt, neque magis diuinam in se clementiam inclinarunt, non esse cur meliora sibi sperent à Domino, cuius supplicium non effugient, etiamsi tutelares sibi Deos asciscant; & cum Gentilibus eadem legum, sacrorúmque communione consentiant. Futurum tandem, vt ex Iudæorum numero nonnulli sint, qui cùm in vrbem redierint, & ex Dei clementia suorum scelerum grauitatem agnouerint, illum deinceps seriò, atque ex animo venerentur, & colant. Ad extremum Prophetæ iubet, vt à Babylonis captiuis ad Hierosolymam vaticinium traducat, edicátque nihil ex toto Iudæorum tractu futurum esse liberum ab eo incendio, cuius fax non tam erit à Chaldæa potentia, quàm à diuina manu.

CAPVT XX.

1. *ET factum est in anno septimo, in quinto, in decima mensis: venerunt viri de senioribus Israël, vt interrogarent Dominum, & sederunt coram me.*

2. *Et factum est sermo Domini ad me, dicens:*

3. *Fili hominis loquere senioribus Israël, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Numquid ad interrogandum me vos venistis? viuo ego quia non respondebo vobis, ait Dominus Deus.*

PARAPHRASIS.

B 1. ANno septimo à transmigratione Iechoniæ, mense quinto, qui Iulius est, & illius die decima, venerant ad me quidam de his, qui inter captiuos seniores erant, & principes, vt mecum de publica re, futuróque Iudæorũ statu Dominum consulerent.

2. Tunc verò Deus in hunc me modum allocutus est:

3. Fili hominis, hæc meo nomine ad hos seniores è tuo populo refer: Egóne vobis, ô viri infideles, & transfugæ, interrogatus respondebo, quem toties abiecistis? Vbi frons, vbi pudor? Quid à me consilium in dubiis, in aduersis auxilium postulatis? per memetipsum iuro nullum à me vobis reddendum esse responsum.

4. Si iudicas eos, si iudicas fili hominis, abominationes patrum eorum ostende eis.

A 4. Fili hominis, quin tu potiùs obiicis illis peccata, quàm patronum agis? Accusa ergo illos, & fac vt memoriam subeant illa scelera, quæ superioribus sæculis illorum maiores admiserunt.

5. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: In die, qua elegi Israël, & leuaui manum meam pro stirpe domus Iacob, & apparui eis in Terra Aegypti, & leuaui manum meam pro eis, dicens: Ego Dominus Deus vester.

5. Hæc igitur ex me hisce senioribus annunciabis; non quæ ipsi volunt; sed quod illos maximè decet audire, vt discant, quàm in illos ego munificus fuerim; & quàm illi malè tot beneficiis onerati responderint. Ab illo vsque tempore, nempe Abrahami, quo primum Israëliti-
B cum populum elegi, leuata in cœlum manu (quæ forma iuramenti est) illius me rationem habiturum promisi: & cùm terram Ægypti iam essent ingressurus, hoc ipsum iterum iuramento firmaui, dixíque me illorum esse Deum.

6. In die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de Terra Aegypti, in Terram, quam prouideram eis, fluentem lacte, & melle: quæ est egregia inter omnes terras.

6. Sub illud tempus Abrahami interposito etiam iurisiurandi sacramento libertatem ab Ægyptia seruitute promisi, habitationémque, ac possessionem terræ, quam populo quondam meo antè destinaram, quæ lacte abũdabat, & melle, quæ-
C que regionibus aliis, longè bonitate, atque vbertate præstabat.

7. Et dixi ad eos: Vnusquisque offensiones oculorum suorum abiiciat, & in idolis Aegypti nolite pollui: ego Dominus Deus vester.

7. Quibus etiam præcepi, vt Gentium siue idola, siue illorum phylacteria proiicerent, quæ ita gestabant secum familiaria, vt eorum oculis sæpius occurrerent; neque se Ægyptiorum idolorum sordibus inquinarent; quod sub familiari hac forma contestatus sum: *Ego Dominus Deus vester.*

8. Et irritauerunt me, noluerúntque me audire: vnusquisque abominationes oculorum suorum non proiecit: nec idola Aegypti reliquerunt: & dixi vt effunderem indignationem meam super eos, & implerem iram meam in eis, in medio Terræ Aegypti.

8. Illi tamen grauiter in se indignationem meam instimularunt, dum meis
D verbis non obsequuntur, neque idola proiiciunt, & illorum ab oculis execranda monumenta non summouent. Quare in illos, in eodem loco, vbi se nefariis idolorum sacris contaminarant, sic animaduertendum meditabar, vt totum in eorum supplicium animi furorem effunderem, & omnino delerem.

9. Et feci propter nomen meum, vt non violaretur coram Gentibus, in quarum medio erant, & inter quas apparui eis vt educerem eos de Terra Aegypti.

9. Quo minus autem in medio Ægypti populum, à quo tunc meus prouocabatur furor, extinguerem fecit nominis
E mei studium, & amor quod inter Gentes violari nolui, quibus cum eo tempore morabatur: & vbi illis apparueram, promiserámque ex Ægyptia illa seruitute libertatem. Quòd si Gentes aliter contigisse cognoscerent, aut potentiam in me desiderarent, aut perfidiam arguerent.

10. Eieci ergo eos de Terra Aegypti, & eduxi eos in desertum.

10. Et ideo omninò libentem populum ex Ægyptia seruitute deduxi in vastam deserti solitudinem.

11. Et dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis, quæ faciens homo viuet in eis.

11. Ne verò populus ab alieno dominatu solutus suo se arbitratu regeret, le-

A ges illi impoſui, & certa iudicia, in quibus illorum vitam contineri, ac conſeruari volui.

12. *Inſuper & ſabbata mea dedi eis, vt eſſent ſignum inter me & eos: & ſcirent quia ego Dominus ſanctificans eos.*

12. Impoſui inſuper illi ſabbati cuſtodiam, cuius religione ſecerni illum volui à reliqua Gentium turba, & meo etiam nomini conſecratum videri; vt ſanctificato ſabbato, ipſum quoque ſanctificarem.

13. *Et irritauerunt me domus Iſraël in deſerto, in præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea proiecerunt, quæ faciens homo viuet in eis: & ſabbata mea violauerunt vehementer: dixi ergo vt effunderem furorem meum ſuper eos in deſerto, & conſumerem eos.*

13. Poſtquam verò ex Ægypto in deſertum euaſit, cùm pro nihilo leges meas, atque iudicia duxiſſent filij Iſraël; in cuius B obſeruatione libertatem illis, vitámque promiſeram; & ſabbatum perinde accepiſſent, atque ſi profanum foret, illorum ſceleribus irritatus cogitabam vt furorem conceptum animo in ipſos effunderem, & omnino conficerem in deſerto.

14. *Et feci propter nomen meum, ne violaretur coram Gentibus, de quibus eieci eos in conſpectu earum.*

14. Continui tamen vltricem, atque ſeueram manum, ne nomen meum in perfidiæ ſuſpicionem veniret apud illas Gentes, quæ populum à me è ſuis ſedibus eductum eſſe conſpexerant.

15. *Ego igitur leuaui manum meam ſuper eos in deſerto, ne inducerem eos in Terram, quam dedi eis, fluentem lacte, & melle, præcipuam terrarum omnium:*

C 15. In deſerto rurſus leuata in cœlum manu infenſus iuraui non ingreſſuros eos in illam terram, quam ipſis interpoſito iureiurando promiſeram; terram omnium optimam, & lactis, mellíſque prouentu affluentiſſimam.

16. *Quia iudicia mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt, & ſabbata mea violauerunt: poſt idola enim cor eorum gradiebatur.*

16. Quia iudicia illis vilia fuerunt; neque ſuam vitam ad mearum legum formam attemperarunt; neque quicquam habuerunt penſi, quod ſibi ſabbati religio poſceret; ſe denique totos ad vanum idolorum cultum effuderunt.

17. *Et pepercit oculus meus ſuper eos vt non interficerem eos: nec conſumpſi eos in deſerto.*

D 17. Cùm tamen vſque adeò furorem in ſe meum inflammarent; peperci tamen illis, pacatóſque oſtendi, atque benignos oculos; & cum illis ſpem veniæ, & mitioris animi ſignificationem; nec tunc illos in deſerto conſumpſi.

18. *Dixi autem ad filios eorum in ſolitudine: In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis, nec in idolis eorum polluamini.*

18. Pòſt verò cùm adhuc populus eſſet in ſolitudine, hæc eadem, quæ parentibus antea, illorum filiis commendaui, edixíque ne parentum ſuorum veſtigiis ingreſſi, illorum obſequerentur mandatis E atque iudiciis, neque idolorum ſe vana ſuperſtitione pollueren.

19. *Ego Dominus Deus veſter: in præceptis meis ambulate, iudicia mea cuſtodite, & facite ea.*

19. Et propoſita mei nominis maieſtate, à qua vox illa naſcebatur, iuſſi vt ad meorum præceptorum normam vitam informarent, & meis adhærerent iudiciis, illáque diligenti obſeruatione complerent.

20. *Et ſabbata mea ſanctificate, vt ſint ſignum inter me & vos, & ſciatis quia ego ſum Dominus Deus veſter.*

20. Item vt ſabbati religionem ſanctam haberent, & caſtè ſeruarent, vt eo ſe ſigno maximè proderent, oſtenderéntque Gentibus meæ voluntati, ac nomini ſe eſſe dicatos; & me eo ſigno cognoſce-

21. Et   rent

21. Et exacerbauerunt me filij: in præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea non custodierunt vt facerent ea: quæ cùm fecerit homo, viuet in eis: & sabbata mea violauerunt: & comminatus sum vt effunderem furorem meum super eos, & implerem iram meam in eis in deserto.

22. Auerti autem manum meam, & feci propter nomen meum, vt non violaretur coram Gentibus, de quibus ieci eos in oculis earum.

23. Iterum leuaui manum meam in eos in solitudine, vt dispergerem illos in nationes, & ventilarem in terras:

24. Eo quòd iudicia mea non fecissent, & præcepta mea reprobassent, & sabbata mea violassent, & post idola patrum suorum fuissent oculi eorum.

25. Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent.

26. Et pollui eos in muneribus suis, cùm offerrent omne quod aperit vuluam, propter delicta sua: & scient quia ego Dominus.

27. Quamobrem loquere ad domũ Israel, fili hominis: & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc & in hoc blasphemauerunt me patres vestri, cùm spreuissent me contemnentes:

28. Et induxissem eos in Terram, super quam leuaui manum meam vt darem eis: viderunt

A rent sibi esse Deum; idémque externa illa professione Gentibus testatum relinquerent.

21. Et filij nihilo parentibus meliores, me rursus sicut parentes olim ad iracundiam excitarunt. Neque enim iuxta datas sibi leges viuendi modum amplexi sunt; neque iudicia mea custodierunt, impleuerúntque, ex quorum obseruatione illorum salus, ac vita pendebat: neque de sabbato custodiendo magis curarunt, quasi vulgaris esset, atque profanus dies.
B Tunc verò comminatus sum extremam plagam; & quòd effuso contra illos indignationis impetu furori meo in ea solitudine planè satisfacerem.

22. Cohibuit tamen vindicem manum nominis mei amor, & studium, ne illud vile putaretur à Gentibus; accusaretúrque violatæ fidei, quam populo interposito iureiurando obligaram, cùm à me eductum è suis finibus præsentes ipsæ viderant.

C 23. Iterum eodem interposito iuramento minatus sum illis in deserto fugam, & exilium in varias terras, in quas non aliter essent dispergendi, quàm à turbine ventilantur paleæ.

24. Propterea quòd iuxta datas à me leges, & iudicia non vixissent, immò quòd mea reprobassent præcepta, sabbatique custodiam, & ad idola, quæ væsano parentes studio coluerunt, oculos intendissent, & animos.

25. Dederam ego præcepta iucunda,
D & leue iugum, quæ, si subire vellent, vitam agerent eiusmodi, vt vocari posset vitalis; sed quia præcepta mea bona, & lenia contempserunt, feci vt alia subirent præcepta non bona, aspera videlicet, & dura à tyrannis imposita; aut à me in illorum caput decreta, qualia sunt gladius, fames, &c.

26. Quare ego propter assidua hæc, atque immania scelera, polluta esse, mihique ingrata sacrificia, & munera declarabo, quæ ipsis maximè in pretio, atque in
E amore; quales sunt primogeniti, qui primùm materni vteri claustra aperiunt, & laxant. Tunc verò me verum esse Deum intelligetis.

27. Quare, ô fili hominis, loquere ad filios Israel, & hæc ad illos meis verbis effare. Non satis habuerunt patres vestri contempsisse me sæpius in deserto; sed illud idem facere in terra promissionis: me etenim aut blasphemarunt ipsi, aut certè fecerunt vt blasphemaret ab aliis.

28. Cùm parentes vestros in illam terram induxissem, quam illis antea interposito

derunt omnem collem excelsum, & omne lignum nemorosum, & immolauerunt ibi victimas suas: & dederunt ibi irritationem oblationis suæ, & posuerunt ibi odorem suauitatis suæ, & libauerunt libationes suas.

A sito iureiurando promiseram; cùm viderent aut sublimem collem, aut lignum ramis, frondibúsque conspicuum, eô statim væsano consilio ferebantur, vt immolarent victimas, & insanas atque irritas oblationes, quæ furorem meum exacuerent, vbi grati odoris suffimenta cremarunt, & libationes ex odoratis succis obtulerunt.

29. *Et dixi ad eos: Quid est excelsum, ad quod vos ingredimini? & vocatum est nomen eius Excelsum vsque ad hanc diem.*

29. Tunc ego subamarè illis eam nefariam sacrorum formam exprobrans, nouaque vocabula à Gentilium sacris, in
B Hebræorum religionem inducta reprehendens dixi: Quódnam est *excelsum*, seu *lucus*, quòd vos ad sacrificandum ascenditis? vndénam hoc gentilicum nomen ad hunc vsque diem in Hebræorum sacris inueterauit?

30. *Propterea dic ad domum Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Certè in via patrum vestrorum vos polluimini, & post offendicula eorum vos fornicamini:*

30. Propterea hæc dices meo nomine domui Israel, quæ nunc tecum est, & tecum id agit, vt me de futuro rerum successu consulas: Adhæsistis paternis moribus, atque consiliis, & eisdem, quibus ipsi peccatis vos implicuistis; vsque adeo
C in omnem impietatem perfricta fronte, vt etiam ad idolorum nefarium cultum declinetis.

31. *Et in oblatione donorum vestrorum, cùm traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris vsque hodie: & ego respondebo vobis domus Israel? Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis.*

31. Immundi estis, ac vehementer polluti cùm sacris operamini nefariis, & impuris; & munera ferino planè animo ad aras execrandas adducitis. Traductos namque per ignem liberos vestros idolis immolatos, & ad hoc vsque tempus ab idolorum sacrificiis, & aris infanda quædam inquinamenta contrahitis; & hoc vitæ genus tam impudenter amplexi, re-
D sponsum tamen à me, & oraculum poscitis! Ecquis pudor! Viuo ego, dicit Dominus, quia nullum à me responsum, quale desideratis, habebitis.

32. *Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium: Erimus sicut Gentes, & sicut cognationes terræ, vt colamus ligna & lapides.*

32. Ea vos in aduersa fortuna cogitatio consolatur, quòd apud Gentes gentilica sacra complexi, & gentilicos Deos venerati, ad Gentilium genus quodammodo transcripti pacatè cum Gentibus agetis, cùm eadem vtrosque coniungat, & societ religionis, sacrorúmque communio.

33. *Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos.*

E 33. Sed longè aliter vobis eueniet, vbicumque terrarum agere contingat, quod ego vobis iuratus affirmo. Neque enim vllibi meum imperium effugietis; neque efficietis vt vestra vobis scelera impunita maneant: insequar vos quocumque in loco vltrici dextera, & brachio semper ad plagam intento. Durum denique super vos imperium, & plenum indignationis exercebo.

34. *Et educam vos de populis: & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, in manu valida; & in brachio extento, & in furore effuso.*

34. Extraham vos de populis, atque regionibus, in quas aut abducti, aut dilapsi fuistis; neque minus extentum brachium, aut

so regnabo super vos.

A aut ardentem, atque effusum ardorem experiemini, quàm cum extra Gentium, populorúmque conuictum in terra promissionis ageretis.

35. *Et adducam vos in desertum populorum, & iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem.*

35. Deducam vos, quando iudicandi tempus aduenerit, eò vbi auxiliari nemo vobis possit, perinde atque si in deserto loco sitis, vbi nullus sit populus, immò nemo mortalium. Tunc autem iudicabo te, méque tibi inuicem iudicandum præbebo; præsens nempe præsentem, & solum, B vbi nullus tibi patronus possit esse subsidio.

36. *Sicut iudicio contendi aduersum patres vestros in deserto Terra Aegypti, sic iudicabo vos, dicit Dominus Deus.*

36. Non magis vobis erunt auxilio Babylonij, aut Dij, quos vobis tutelares fore putabatis, quàm parentibus vestris fuerunt in deserto Ægyptij, aut Dij, quos tam in Ægypto priùs, & pòst in solitudine coluerunt. Quare idem vos manet, qui parentes exitus, & iudicium.

37. *Et subiiciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis.*

37. Quantumcumque vos à meo iugo solutos arbitremini; non tamen obtinebitis, quominus imperio meo subiecti C non sitis: adducam ad fœderis iuga, quæ violastis, & iuxta illa legitimo iudicio à vobis vitæ, factorúmque ratio exigenda est.

38. *Et eligam de vobis transgressores, & impios, & de terra incolatus eorum educam eos, & in terram Israel non ingredientur: & scietis quia ego Dominus.*

38. Sicut ex his, qui magno numero ex Ægyptia seruitute in solitudinem euaserunt, pauci in terram promissionis ingressi sunt: sic etiam ex his qui agunt apud Babylonios captiui, pauci paternos fines postliminio redibunt: neque alij quàm pij. Eximam enim à reliqua turba transgressores, & impios, quos ab alieno solo non reducam, dicit Dominus.

39. *Et vos domus Israel, Hæc dicit Dominus Deus: Singuli post idola vestra ambulate, & seruite eis. Quòd si & in hoc non audieritis me, & nomen meum sanctum pollueritis vltrà in muneribus vestris, & in idolis vestris:*

D 39. Et vos, ô genus Israeliticum (sic enim cum illis ironica permissione loquitur Deus) idola quærite; ad illorum instituta mores vestros, & vitam instituite; illis denique studiosè seruite. Quòd si verbis meis obsequi nolueritis (iam seriò loquitur, non ironicè) quæ vos ab impuris idolorum sacrificiis abducunt; & nomen quasi vile aliquid esset, & profanum despicere, atque contaminare volueritis, dum munera affertis polluta, & diuinos idolis honores exhibetis; seueras à vobis exigam pœnas.

40. *In monte sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi seruiet mihi omnis domus Israel; omnes, inquam, in terra, in qua placebunt mihi, & ibi quæram primitias vestras, & initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris.*

E 40. Iam verò sermonem traduco ad illos, qui piè viuent in exilio, & quos deinde reducam in terram Israel. Hi ergo vbi in montem sanctum meum, in montem, inquam, excelsum, & caput Israel postliminio redierint, fidele mihi religioso animo præstabunt obsequium, & eo in loco tam ipsi, quàm quæ ibi munera detulerint, mihi placebunt. Admittam enim, & exigam illorum primitias, & quæ prima sunt in omnibus sacrificiis lubens accipiam.

41. In

41. Cùm

41. In odorem suauitatis suscipiam vos, cùm eduxero vos de populis, & congregauero vos de terris, in quas dispersi estis, & sanctificabor in vobis in oculis nationum.

A 41. Cùm vos, ô qui fideles esse volueritis, ab exilio reduxero, non aliter accipiam; neque me in vestris muneribus oblectabo, quàm qui se in aromate suauiter fragrante oblectare solet. Tunc verò multo secùs, quàm hactenus victimis puris, atque legitimis nomen meum sanctum ostendetis, & venerabile apud nationes alias, quod antea vitiosis victimis, & impuris manibus despicere, atque contaminare censebamini.

42. Et scietis quia ego Dominus, cùm induxero vos ad terram Israel, in Terram, pro qua leuaui manum meam, vt darem eam patribus vestris.

B 42. Tum autem cùm in patriam reuocati fueritis, ad illam, inquam, patriam, quam patribus vestris olim cum iuramento promisi, & ad priorem fortunam restituti verè me Deum esse cognoscetis, cognitione videlicet practica, quæ non otiosa est, aut ab operibus vacua; quæ efficiet, vt me obseruetis, & colatis diligenter.

43. Et recordabimini ibi viarum vestrarum, & omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis: & displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitiis vestris, quas fecistis.

43. Perficiet verò eo tempore grata illorum beneficiorum recordatio, vt grauior sit scelerum memoria, quibus nomen meum polluistis; quæ vos tanto exe- C crabimini magis, quanto maiorem in me humanitatem, & pronum ad indulgendum animum cognoscetis, & vestra vobis consilia, & cogitata displicebunt; immò propter illa vos ipsi vobis fastidio eritis, & molestiæ.

44. Et scietis quia ego Dominus, cùm benefecero vobis propter nomen meum, & non secundùm vias vestras malas, neque secundùm scelera vestra pessima domus Israel, ait Dominus Deus.

44. Ex illa tanta humanitate in vos, qui vestris meritis diuinum furorem in vestrum accenderatis exitium; cognoscetis Deum esse me, à quo vno oriri potuit tanta clementia; cùm tantopere in vos be- D neficus fuerim, non quia id viæ à vobis institutæ requirerent; sed ne nomen meum aliqua apud Gentes notaret ignominia.

45. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

45. Post hæc iterum locutus est Dominus ad me in hunc modum:

46. Fili hominis, pone faciem tuam contra viam Austri, & stilla ad Aphricum, & propheta ad saltum agri meridiani.

46. Fili hominis, nunc à Babyloniis captiuis vaticinium transfer ad Ierusalem, quæ Babyloni comparata australis est; & durum vaticinium intorque contra regionem, quæ ad Aphricum, seu meridionalem plagam spectat; cuius argumentum E erit strages, & pestis, quæ in ciuitatem illam stillabit aliquando diuinus furor.

47. Et dices saltui meridiano: Audi verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego succendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum: non extinguetur flamma succeßionis: & comburetur in ea omnis facies ab Austro vsque ad Aquilonem.

47. Et dices saltui meridiano, vt hunc à me sermonem accipiant. Ecce ego, ô Ierusalem, immittam in te flammas, quibus ita vastaberis, vt nihil in te futurum sit reliquum ab incendio: non lignum aridum, quod facile ab igne consumitur; non viride, quod plus habet ad resistendum virium: & flamma flammæ perpetuò succedet, quæ facies omnium sic comburet, vt carbonibus quàm simillimæ videantur. Neque vlla pars erit Iudaici tractus ab A-

48. Et quilo

A quilone ad Austrum, quam non affle, aut potiùs quam non consumet, & perdat hoc incendium.

48. *Et videbit vniuersa caro, quia ego Dominus succendi eam, nec extinguetur.*

48. Neque erit vllus è Iudæorum gente, quantumcumque ingenio hebeti, ac stolido, qui cum ea strage videat tantum imperium conflagrasse, non intelligat illius incendij facem à mea potius manu, quàm à Chaldæorum exercitu fuisse coniectam; neque sic erit defunctum, perstabunt namque adhuc accensæ faces.

49. *Et dixi: A a a, Domine Deus: ipsi dicunt de me: Numquid non per parabolas loquitur iste?*

49. Ad hæc, inquit Propheta, aio: Ah, ah Domine quid me iubes ambiguum inducere obscurum, & implexum genus orationis? Quid superest nisi vt delirus habear, & insanus? Iam enim isti mihi dudum obloquuntur, & clamant nihil à me dici, quod non sit parabolicum, & quàm simillimum ænigmati.

Vers.1. *Et factum est in anno septimo in quinto, in decima mensis.*]

1 VMERVS hic annorum, vt in exordio prophetiæ diximus, à transmigratione sumitur Iechoniæ, seu, quod idem propè est, ab ineunte Sedeciæ regno. Quare tunc gesta sunt, cùm tres tantùm anni cum dimidio supererant, ad euersionem vrbis, populique Iudaici extremum, atque vniuersum exitium. Quintus verò mensis est, quem tunc Iudæi apud Babylonios extorres, iuxta Chaldæorum ordinem, & linguam appellabant Ab, qui nobis est Iulius.

2. *Venerunt viri de senioribus Israel, vt interrogarent Dominum; & sederunt coram me.*] Quid voluerint hi seniores sciscitari per Prophetam à Domino, incompertum est, aliquid opinor de libertate populi, qui tunc Babylonico suberat imperio; qui pseudoprophetarum tam illorum, qui apud ipsos erant, quàm eorum, qui Hierosolymæ remanserant, à quibus frequenter perferebantur literæ, fallaci promissione seductus, breuem putabat futurum, atque expeditum reditum in patriam. Fuerunt autem Seniores hi non è Hierosolyma profecti, vt suspicatur Hugo, sed è captiuorum numero, inter quos sua quoque fuit qualiscunque respublica, vt ex Daniele liquet c. 13. vbi senes dicuntur constituti iudices, qui de aliorum controuersiis statuerant; quod singulis annis fieri solitum ipse dicendi modus ostendit, *Et constituti sunt duo senes indices in illo anno, &c. Et veniebant ad eos omnes, qui habebant iudicia.* Ex hoc fortasse iudicum ordine, aut ex his, qui senatum illum pauperem, & sordidum obibant, erant seniores, qui publico fortassis nomine ad Prophetam venerunt, vt de publica re, déque futuro captiuorum statu Dominum consuleret.

Inter captiuos, quadam forma Reipublica.

3. Vers.3. *Nunquid ad interrogandum me vos venistis. Viuo ego, quia non respondebo vobis.*] Nihil puto significarant seniores illi de populi mandatis, & iam reuelante Domino, Propheta didicerat, & quid ipsi vellent, & quid illorum siue rogatis, siue consultis respondendum esset. In illo autem, *Ad interrogandum me vos venistis*, emphaticum aliquid est, vt vidit Maldonatus, tam in voce *me*, B quàm in *vos*. Est enim, vt inquit Hieronymus, impudens postulatio in tempore angustiæ ab eo quærere misericordiam, quem in prosperitate contempseris. Iudæi plurima in Deum admiserant, illius onerati beneficiis, ex quo ab Ægyptio iugo non libertatem modò, sed amplissimam etiam possessionem consecuti sunt. A quo tamen defecerunt persæpe, & reuocati millies, millies ad idem cœnum, & insaniam reuoluti sunt. Vos, inquit, toties infideles, & transfugæ, à me, quem tam estis iam dudum liberalem experti, quémque toties in prosperitate contempsistis, prodidistis, abiecistis, consilium in dubiis, auxilium in aduersis postulatis? vbi frons? vbi pudor?

Impudentis est ab illo auxilium quærere, quē ante deseueru.

Cur seniores isti ad Ezechielem hoc tempore 4.
C conuenerint, eam rationem tradit Græcus Scholiastes, quia eo tempore Sedecias fœdus cum Babyloniis initum violauerat; quod cùm illorum Regem non lateret, bellum contra Iudæos aut moliebatur, aut animum præseferebat vehementer offensum. Vnde cùm id essent subodorati captiui, non Iudæis tantùm Solymitanis, sed suo etiam capiti, propter commune genus, & nomen non sine causa metuebant. Quare ea de re secum ipsi priùs deliberarant; pòst verò ad Prophetam conueniunt, vt de rerum euentu diuinum consulat oraculum.

Hæc sententia non probatur omnibus, quia 5.
quo tempore seniores isti, cum publicis mandatis ad Prophetam venerunt, nondum Sedecias à data Babyloniis fide, & à societate defecerat.
D Defecit namque, vt auctor est Iosephus lib. 10. de Antiq. c. 10. anno octauo regni sui; & seniores vénisse dicuntur cum his mandatis, anno septimo, mense quinto transmigrationis; quotus annus tunc agebatur regni Sedeciæ. Sed hæc obiectio contra Scholiastæ cogitationem planè infirma est, tum quia (qualiscumque sit auctoritas Iosephi) iuxta Scripturæ sacræ morem annus inchoatus interdum omittitur, interdum pro integro numeratur. Quare cùm post annum septimum, addantur menses quinque, & dies decem, qui ad octauum pertinent, optimè anno octauo

REGVLA. Annus inchoatus interdū omittitur, interdum numeratur pro integro.

octauo violasse fœdus dici potuit Sedecias tunc, cùm mandatum hoc seniores illi ad Ezechielem detulerunt. Et quidem Hebræi in Seder Olam cap.26. hoc eodem tempore, mense videlicet quinto anni octaui rebellasse tradunt Se-
6. deciam. Imò multo ante hoc tempus existimo proditam à Sedecia datam Babylonio fidem. Constat enim Nabuchodonosorem obsedisse Hierosolymam Ierem.37.& deinde recessisse, vt bellum inferret Ægyptiis; quibus debellatis, vbi plurimum temporis positum fuisse oportuit, Hierosolymam iterum obsedit: hoc verò postremum contigit anno Sedeciæ nono, vt habes Ierem. cap.39. duobus nempe annis post hoc tempus, in quo à senioribus Propheta consulitur. At quis non videt tantum bellum à Chaldæis tam breui spatio comparari, inferri, & tot locis, támque dissitis, tam variè non nisi admodum ægrè confici potuisse. Adde quòd antequam apertè iam, & inuerecundè deficeret Sedecias; iam multo antè nocturnis, tacitísque conuenti-bus agitabantur consilia: quæ non ita tractabantur occultè, vt attentos, atque sagaces Chaldæorum oculos effugerent, aut illorum, qui à Chaldæis studerent gratiam inire. Atque ideo, antequam in apertum erumperet perfidia, id est, ante octauum annum Sedeciæ, aut adornabatur bellum Babylone contra Iudæos, aut multus erat inter Babylonios de bello rumor. Quæ res adducere potuit exules Iudæos, vt de suo statu Prophetam, aut de futuro bellorum exitu consulerent. Quare non est, cur tantopere Græci Scholiastæ sententia displiceat.

7. *Viuo ego quia non respondebo vobis.*] Eodem ferme modo respondebat senioribus aliis, qui c.14. eo consilio venerant ad Prophetam, vt consulerent illum, aut cum illo de summa rerum deliberarent. Cur verò legatos hosce tam seuerè, ac durè Dominus accipiat, causam reddit toto hoc capite; quia dum in sua perfidia, atque væsania perseuerant, digni planè sunt, quos Dominus sua humanitate repellat. Aut certè, quia curiosas afferunt aures, magis quàm dociles, & obsequentes animos ad Prophetæ monita, quod cum Prophetis fecere sæpe tam ipsi, quàm eorum parentes. Sic Apollinaris: *Cùm vitam in sceleribus traducerent, neque pœnitentiæ medicina curari vellent, Dominum interrogare ausi sunt, non vt omnino, quæ iuberentur agerent; sed vt discerent an diuina oracula cum suis cogitationibus conuenirent.* Theodoretus post eadem penè verba addit: *Hoc item Sedecias sæpius fecit, adacto iureiurando Ieremia, vt quæ Deo visa essent apertè pronunciaret, cùm didicisset, quæ iussa fuerant, his contraria patrauit. Et qui in Ægyptum post captiuitatem peruenere, hoc idem ausi sunt. Quare auctor omnium rerum Deus non vult his respondere.* Hinc discat, qui diu orat à Deo sibi lucem præferri ad aliquod opus, ideo longas preces irritas, & inanes abire; quia non tam quid Deo placeat, quàm quod sibi fuerit in votis facere parati sunt, eóque studium omne præsertim incumbit.

Cur oratio sæpè nihil impetret.

8. Vers.4. *Si iudicas eos, si iudicas fili hominis? abominationes patrum eorum ostende eis.*] Locus hic in varios patet sensus, quorum habet patronos neque paucos, neque ignobiles. *Iudico* interdum defensionis, interdum damnationis, aut reprehensionis negotium importat. Hieronymus cum Dionysio, ac Hugone in magis vsitata significatione accipiunt, edicíque putant Ezechieli, vt iudicis potiùs partes agat, quàm patroni, in hunc sensum. Quin iudicas illos fili hominis? quo-

A modo Lucæ cap.22. dicitur, *Si percutimus in gladio?* quod idem est, atque: Quidni percutiamus? cur non percutimus? & ideo statim commodè subiicitur, *Abominationes patrum ostende eis.* quod iudicis officium est, qui æquum de reo iudicium ferri probare vult.

Iudico interdum patrocinium sonat; quomo- 9.
do Deus dicitur iudicare causam pauperis; & iudicare pupillum. In hac significatione videtur sumpsisse Theodoretus, qui prohiberi dicit Prophetam, ne preces pro populo supplex interponat, aut causam illius patronus agat; sed potiùs illis tam suas, quàm parentum suorum abominationes obiiciat. eodem pene modo Chaldæus,
B Lyra, Maldonatus, & Pradus. Quomodo cap.22. v.2. dicit, *Nónne iudicas, nónne iudicas ciuitatem sanguinum.* Omnes istæ explicationes aptæ sunt; neque valde dissident inter se.

Iudico verbum ambiguum.

Vers.5. *In die, qua elegi Israel.*] Enumerare aggreditur beneficia, quibus populum ingratum, 10.
& immemorem prosecutus est Deus, cui stuporem exprobrat, & perfidiam, quo iustè se ab ira peccatorum vindice mulctari cognoscat. Et incepit ab eo tempore, in quo populus ille natus videri potuit, aut certè infantilem ætatem egisse, quando videlicet in Ægyptum descendit monente, atque fauente Domino, qui Israeli in ipso ad Ægyptiorum regionem progressu occurrit;
C omniaque secura, ac prospera pollicitus est. Gen. 46.v.3. *Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere. Descende in Ægyptum, quia in Gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc; & ego inde adducam te reuertentem.* His verbis contineri videntur beneficia alia, quæ deinde magis explicatè connumerantur, quibus Deus populum in vtraque fortuna complexus est, cùm esset in Ægypto. In illo verò, *qua elegi Israel*, non solùm tem- 11.
pus illud, de quo proximè, sed etiam totum illud designari arbitror, in quo eligi cœpit, & certo aliquo stigmate consignari. Neque enim leuia fuerunt, aut pauca beneficia, quæ accepit Abraham in longa, multiplicíque peregrinatione;
D & Israel, qui nomen dedit populo, tam in Mesopotamia, quàm postea inter Chananæos, & Ægyptios. Illa verò quæ statim adiunguntur, ad tempus Ægyptium pertinent, progressúmque, & ingressum terræ promissionis.

Israel magnis à Deo beneficiis cumulatus.

Et leuaui manum meam pro stirpe domus Iacob.] 12.
Stirps non solùm radicem sonat, vnde trunci, ramíque funduntur, licèt hoc præcipuè; sed etiam germina, ramos, totámque propaginem; neque id in plantis solùm, sed etiam in familiis, ad quas à plantis vsitata translatio. Egimus hac de re pluribus in nostris commentariis ad illud Isaiæ cap.11. *In illa die radix Iesse.* vbi ostendimus radices, & stirpem non solùm actiuè sumi, pro eo,
E quod fundit, & germinat ramos; sed etiam pro ramis, quæ è radice, aut stirpe funduntur, & pullulant. Isai, cap.48.v.19. *Fuisset quasi arena semen tuum, & stirps vteri tui, vt lapilli eius.* Num.13.v.29. stirpem *Enac vidimus ibi.* id est, filios Enac. Paral. lib.2.cap.22. *Surrexit,* (Athalia) *& interfecit omnem stirpem regiam domus Ioram.* Sic ergo nunc stirps domus Iacob est illa familia, quæ ex semine Iacob prognata est.

Stirps, & radix pro generatione, & posteris.

Leuare manum multa significat, vel auxilium 13.
orando poscere, vt Psal.62. *In nomine tuo leuabo manus meas,* vel auxilium præstare. Psal.9. *Exaltetur manus tua, ne obliuiscaris pauperum.* Seu iurare. Gen.14. *Leuo manum meam ad Dominum.* Item percutere. Psal.105. *Et leuauit manus suas super eos,* vt

Leuare manum quid.

vt prosterneret eos in deserto. In qua harum significationum sumenda sit manuum eleuatio, videndum est. Hieronymus, & cum eo Lyra, Dionysius, & Hugo eleuationem hanc esse dicunt ab hostili manu, qua Deus pro Hebræorum libertate percussit Ægyptios, quod satis est probabile, nec textus ad eam sententiam se difficilem
14. præbet.

Promissiones Dei iuramento firmata.

Sed videtur capitis filum duci melius, si hic pactum iureiurando firmatum intelligamus, vt Chaldæus putat, & Vatablus, & probant Maldonatus, & Pradus. Cùm enim Deus elegit Israël pactum iniit cum illo, quoque maior appareret promissi firmitas, iuramenti fidem, & diuini nominis maiestatem interposuit. Promisit multa Deus, vt constat, à cap. 13. Gen. per plura capita; in quibus filiorum ipsius libertatem promisit, post longum Ægyptiorum dominatum. At horum pleraque iuramento Dominus confirmauit. Gen. 22. *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, ac multiplicabo semen tuum,* &c. Hoc verò iuramentum, & alia plura, quibus Deus promissis firmitatem dedit, per manus eleuationem exprimuntur Exod. cap. 6. v. 7. *Scietis quod ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim vos in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam vobis.* De his videtur esse iuramentum hoc, seu manuum eleuatio, qua & terræ possessionem, & ab Ægypto libertatem promisit; neque leuis esse debet coniectura, quòd hæc cum electione populi coniuncta reperiuntur; quæ facta est sub Abraham, Genes. 22. vbi diuini intercessit iuramenti fides, vt nuper vidimus. Hoc verò beneficium maximum fuit, quod non videtur in aliis
15. silere debuisse.

Apparere, faciem ostendere, & similia fauorem ostendunt.

Et apparui eis in terra Ægypti.] Apparere hìc fauorem significat, aut faustum aliquid, & lætũ, quale afferre solet post noctis tenebras sol matutinus; aut post hyemis asperitatem, verna tẽperies; aut quando magis increbrescit tẽpestas, nec spes videtur esse vitæ; cùm Castor sese ostẽtat, & Pollux, duo sydera cognita, & implorata nautis. Sic res Iudaica in vltimo Ægyptiæ seruitutis articulo, sic erat angusta, vt nihil audiret afflictus ille populus, præter opprobria, & minas, nihil tractaret nisi lutum; nihil expectaret à dominatu barbaro, præter fustes, & plagas. Apparuit tamen faustum illud sydus, quod discussit tenebras; & cõpositis fluctibus tranquillum induxit. Est autem in Scriptura frequens, vt Dei conspectus, atque præsentia fauorem indicent, aut exilium. Quæ significari solent per verbum manifestare se, seu apparere, ostendere faciẽ, seu illuminare super aliquem. Psal. 79. vers. 3. *Manifestare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse.* Alij legunt, apparere coram Ephraim, Augustinus, & Cassiodorus; Gregor. homil. 34. in Euang. Quid autem hac dicendi forma velit, explicat statim. *Excita potentiam tuam, & veni; vt saluos facias nos.* & statim eodem sensu, *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Mille his similia occurrent exempla.

Abscondere se, aut faciẽ auertere indignantis est.

Contra verò abscondere se ab aliquo, aut faciẽ auertere, animum indicant offensum, magisque ad plagam, quàm ad humanitatem, & auxilium intentum. Isai. c. 54. v. 8. *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te.* Iob cap. 13. v. 24. *Cur faciem tuam abscondis?* Isai. cap. 59. v. 2. *Peccata vestra absconderunt faciem eius* (Dei) *à vobis.*

16. *Et leuaui manum meam pro eis, dicens: Ego Dominus Deus vester.*] Obscurum est ad quodnam tẽpus hæc sint referenda; & an *leuare manum* hoc loco iurantis sit, sicut proximè de simili loquendi forma censebamus; aut certè minantis plagã, aut vulnus inferentis. Veri videtur simile, quòd nonnulli putant, quibus non parum fauet translatio Septuaginta, qui ita vertunt: *Apprehendi manum ipsorum*, spectari hìc tempus Ægyptium; quando Deus inhumanum illud Regnum variis affecit plagis; vt captiuo populo aditum ad libertatem aperiret. Vbi dixisse videtur Moysi, quem toto negotio ducem, & vindicem præposuit: *Ego Dominus Deus vester*, cùm illi nomen aperuit ineffabile Exod. cap. 3. Sed placet quod visum est Maldonato, sermonẽ hìc esse de priori, id est, de Abrahamico sæculo cui Deus cum iuramento, id est, eleuata manu promisit admirabile generis incrementum, terram promissionis, de qua statim, & sui generis libertatẽ, quod apud Ægyptios diu seruiturum erat. Genes. 15. Præcesserat autem, *Ego Dominus*, quod diuini iuramenti forma est. Quòd leuare manum iuramenti forma sit, aut signum, suadet, quod hoc eodem capite vers. 15. & vers. 27. vbi sine dubio de iuramento sermo est, eadem adhibetur verborum forma. Tunc verò sensus est. *Liberaui stirpem domus Israël de Ægyptio dominatu, sicut antè promisi leuando manum meam.* id est, iurando sub hac forma, *Ego Dominus Deus vester.*

Ego Dominus iurisiurandi forma.

*Hic vero duo obseruo. Primum, &, particulam esse rationalem, vt persæpe alibi. Deinde 17.
præteritum perfectum pro plusquamperfecto videri positum; quod sæpe fit, cùm Hebræorum lingua tempore careat plusquamperfecto. Ex multis pauca hæc accipe, Gen. 2. *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu.* i. produxerat. Et Gen. 21. *Visitauit autem Dominus Saram.* pro *visitauerat.* Matth. cap. 28. *Et ecce terræ motus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedens reuoluit lapidem.* pro *factus fuerat, descenderat, reuoluerat.* Ad hunc ergo modũ, si illud *leuaui*, per plusquamperfectum interpretere, efficies sensum expeditum, & facilem. *Apparui eis in terra Ægypti; quia manum leuaueram, dicens: Ego Dominus.* neque alius erit sensus licèt minus apertus, si in præterito legas.

REGVLA. Præteritum perfectũ pro plusquam perfecto.

Vers. 6. *In die illa leuaui manum meam pro eis, 18.
vt educerẽ eos de terra Ægypti in terram,* &c.] Consentaneè ad superiora hæc etiã refero ad Abrahami sæculum, vt putat Maldonatus. in hunc sensum: In illa die, quando elegi Israël, iuraui liberaturum me gentem illam de terra Ægypti; inducturúmque in terram promissionis. neque enim apparet quid commodè referre posset *dies illa.* nisi eam diem, quæ paulo ante præcesserat, in qua electus est Israël, & consignatus in populum. Hæc autem continentur, vt dixi, cap. 15. *Scito* (inquit Deus ad Abraham) *prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo,* &c. *Generatione autem quarta reuertentur huc.* nempe in terram promissionis.

*In terram, quam prouideram eis, fluentem lacte, & 19.
melle, quæ est egregia inter omnes terras.*] Ex omnibus populo suo selegit Dominus terram Chanaan, quam sæpe, variisque nominibus commendat. Quàm Deus attente, ac prouidè regionem Chananitidem Israëliticæ Genti destinarit, indicat illud Deuter. 32. v. 8. *Quando diuidebat Altissimus Gentes, quando separabat filios Adam: constituit terminos*

Terra promissionis bonitas, & fœcunditas.

minos populorum iuxta numerum filiorum Israël. Et paulo pòst: *Constituit eum super excelsam terram.* Vbi etiam terræ fœcunditas,& natura ita describitur,vt nihil videatur ad speciem pulchrius, ad vsum opportunius. Quæ descriptio huius loci, vt opinor,optima explicatio est, *vt comederet,* inquit, *fructus agrorum, & sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum,& arietum filiorum Bassan: & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberent meracissimum.* Nil puto significari aliud hoc loco, cùm terra egregia inter omnes, & fluere dicitur lacte,& melle.

20. Sæpe terra promissionis dicitur lacte,& melle manare; quod magni beneficij loco ponitur. Quid tamen hac dicendi forma significetur, variè à variis exponitur. Non dubium quin ea regio lacte abundet, & melle: de lacte satis nobis argumenti est, quòd ibi Patriarchæ magnos aluerunt ouium, atque armentorum greges; rei autem pecuariæ studium, & cura satis indicat regionem aptam esse pecori pascendo. De melle, quòd sine vllo hominum artificio curetur, sed vltrà afferat apum assiduus labor, persuadet Ionathas, qui 1.Reg. cap.14. v.27. *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis.* Erat autem fauus aut in saxorum rimis, aut in arborum excauato trunco. Persuadet item multo magis Ioannes, qui in deserto locustis, & syluestri melle pascebatur. Quod fuisse obuium verisimile est, & omnibus commune: neque enim Ioannes, quod proprium esset alterius,in suum sibi cibum adhibuisset. Hoc in primis certum. Manare autem lacte, & melle ex vsu tam Hebræorum,quàm aliorum abundantiam significat,de qua mox.

Terra promissionis abundàs melle,& lacte.

21. Verumtamen non tam puto propriè hîc sermonem esse de lactis, ac mellis, quàm de rerum omnium, quæ ad hominum vsum, & delicias pertinent, abundantia; idque prouerbiali specie, vt optimè Pradus censet,& probat. Quòd verò apud Hebræos forma hæc prouerbialis sit, multa probant,vbi mellis,& lactis nomina audimus; quæ de melle, & lacte, non nisi figuratè sumi possunt. Sanè Num.cap.13.v.28. lactis, & mellis nomine aliarum rerum vbertatem significare perspicuè docet. Cùm enim exploratores ex terra promissa neque mel attulissent, neque lac, aut quod ex lacte coagulatur, & premitur; sed botrum cum palmite, malogranata, & ficus; dixerunt tamen, *Venimus in terram, ad quam misisti nos,quæ reuera fluit lacte, & melle, vt ex his fructibus cognosci potest:* fructus itaque illi mel dicebantur, & lac. Iob cap.20. v.17. de illo, qui nihil suaue, ac lætum dicit esse futurum, ait, *Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri.* Ioel cap. 3. felicitatem aut Euangelici temporis, aut beatorum in patria, aut etiam Hierosolymæ restitutæ eadem etiam figura declarat. *Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.* Quid porrò sit id, quo regio illa Chanaanitis abundat, quódque exprimit lactis, mellísque suauitas, habes Deuter. cap.32. v.13. & cap.7.v.8. vbi pluribus explicantur deliciæ, quas regio illa Chanaanitis ad satietatem parturit. Sumuntur autem perquam aptè lac, & mel pro deliciis, quia ex melle, ac lacte, operè dulciario, atque pistorio, bellaria fiunt, aliaque & irritamenta gulæ,& palati blandimenta. Quare in lautorum mensis,maximè in genialibus,sæpè mellis, & lactis audiantur vocabula.

Prouerbium Lacte,& melle manare.

Neque minus apud externos, quàm apud sacros Scriptores vulgare prouerbium. Sanè Nazianzenus epist. ad Cardianum, commune hoc dicit poëtarum figmentum, cùm fœcunditatem regionis, & amœnitatem commendare volunt. *Rupes*, inquit, *etiam lac fundant, & fontes mel: ac planta omnis tam culta, quàm agrestis mitibus fructibus redundet,cuiusmodi scilicet poëtarum figmenta sunt, cùm terram benignitate aliqua vtentem inducunt.* De Græcis pauca; de Latinis plura producam exempla. Euripides in Bacchis, 22.

Ὅσαισδὲ λευκῆ πώματος πόθος παρῆν
Ἄκροισι δακτύλοισι διαμῶσαι χθόνα
Γάλακτος ἑσμοὺς εἶχον. ἐκδὲ κισσινῶν
Θύρσων γλυκεῖαι μέλιτος ἔσταζον ῥοαί.

Quæ sic Latinè reddo,

Si cui in votis niuei Carchesia lactis,
Is summis terram digitis scalpebat,& vltrò
Mollia lactifluis canebant gramina riuis
Lenti hederæ flauo stillabant nectare rami.

Et iterum breuius,

ῥεῖδε γάλακτι πέδον
ῥεῖδε οἴνω, ῥεῖδε μελισσᾶν
νέκταρι.

Quod ego sic latinè,

Vino exundat ager; campum rigat vndique riuus
Lacteus; & nectar, quod vaga fingit apis.

Latinis magis familiare prouerbium est. Virgilius Eclog.4.

Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Ouidius lib.1.Metamorphoseωn,

Flumina iam lactis,iam flumina nectaris ibant:
Flauaque de viridi stillabant ilice mella.

Tibullus lib.1.

Ipsæ mella dabant quercus,vltróque ferebant
Obuia securis vbera lactis oues.

Horatius in Epod.ode 16.

Mella caua manant ex ilice, montibus altis
Leuis crepante lympha desilit pede.
Illic iniussæ veniunt ad mulctra capellæ,
Refértque tenta grex amicus vbera.

Multo plura possent testimonia produci, quibus hanc esse prouerbialem hyperbolem sibi facile quiuis persuaderet. Sed hæc credo ingenio non minus peruicaci sufficient. Illud ad extremū obseruo,verba *mano,fluo,affluo,scateo,nato,exundo,*& similia,quæ aliquid significant à fonte,seu à flumine translatum, indicare magnam, & quasi iugem rerum abundantiam; vt satis indicant horum verborum multiplices vsus. Vt enim fons semper suppeditat,quod abundè haurias;sic ager v.g.fertilis semper abundat his, quæ quotidiana exigit mortalium necessitas. 23.

Mano,& similia abundantiam significant.

Quæ est egregia inter omnes.] Elegit Dominus ad populi Israëlitici non solùm vsus, sed etiam delitias regionem omnium vberrimam, cuius naturam,& fœcunditatem exposuit,vt nuper vidimus Deut. cap.32.v.13.& cap.7.v.8. de qua non solùm Iosephus,& Hegesippus, sed etiam externi scriptores,quorum minus suspecta fides, magnificè loquuntur. De hac Psal. 105. v. 24. *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Licèt autem in illo *terram fluentem lacte, & melle*, hyperbolica sit allegoria, vt notauit Hieronymus, at in eo, quod statim attexuit,dum illam regionibus aliis anteposuit,nihil allegoricè dicit,nihil hyperbolicè. Re etenim vera, terra illa erat desiderabilis,& inter omnes egregia. Vide quid hoc loco de terræ bonitate Hieronymus. 24.

Terra promissionis omnium optima.

Vers.7. *Et dixi ad eos,vnusquisque offensiones oculorum suorum abiiciat; & in idolis Ægypti nolite pollui.*] 25.

lui.] Hæc mihi persuadent vera esse illa, quæ paulo antè dicebamus, in manuum nempe eleuatione non significare plagam inflictam Ægyptiis; sed iuramentum de Ægyptia libertate, & de promissæ terræ possessione. Quæ enim hoc loco dicuntur, tunc contigerunt, vt textus ipse docet, cùm populus adhuc erat in Ægypto. Quando verò Deus captiuum populum admonuerit, ex sacra historia non constat; neque id mirum, cùm tantùm in fine Genesis, & in principio Exodi longæ illius, siue commorationis, siue exilij, tantùm à Scriptore sacro ponantur extrema, nempe ingressus filiorum Israel; & tēpus illud vltimum, in quo vexari cœperunt ab Ægyptiis. Media verò intercisa sunt, in quibus hæc contingere potuerunt, quæ in præsentia commemorat Propheta. Neque id nouum est in Scriptura sacra; quæ multa omittit, quo tempore ab historico narrarentur profano; quæ sanè ignoraremus omnino nisi aliis temporibus, ab aliis, qui historicum non agebant, forent narrata. Quàm multa dixerit Christus, quæ ab Euangelistis omissa sunt, & à Paulo narrata, docuimus in nostris commentariis super Acta cap. 1.n.15. Ignoraremus immissis à Deo crabronibus Chananæos è patriis finibus fuisse depulsos, nisi id Iosue iamiam moriturus factum meminisset. Iosue cap.vltimo v.12. aut nisi id aliquādo fore prædictum esset Deut.cap.7.v.20. Quis nosset sub Ozia graui motu terram esse concussam, nisi id docuissent Prophetæ, Amos cap. 1. & Zacharias cap. 14. Sic hoc loco de Hebræis, quo tempore erant apud Ægyptios aliquid audimus à Propheta, quod ab historico Moyse prætermissum est. Quid illud sit, iam nobis inquirendum est.

REGVLA. *Multa suis locis omissa in Scriptura, quæ ex aliis Scripturæ locis colliguntur.*

26. Quemadmodum Iudæi dum apud Babylonios extorres agerent, variis se idolorum superstitionibus polluerunt; quos per Prophetas Dominus & amicè admonuit, & seuerè deterruit. Sic etiā cùm in Ægypto viuerent, non dubium, quin Ægyptiorū idola Ægyptio more coluerint. Quod docet hîc non obscurè Propheta verbis sequentibus proximè, & Iosue cap.vltimo v.14. *Auferte deos quibus seruierunt Patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto.* neque coniectura leuis est. Nam si post tot prodigia, qualia ante egressum proximè spectarunt; post tot beneficia, qualia nunquam vllum humanum genus accepisset, Ægyptia tamen conflarunt idola, vitulum nimirum aureū, & illis venerabundi supplicarunt; quid fecisse existimandum est, quo tēpore propitios habuerunt Ægyptios; neque dum diuinam in se beneuolentiam, atque largitatem tam illustrem agnouerant?

Iudæi apud Ægyptios idola coluerunt.

27. Eo ergo tempore, quo patriæ religionis immemores, impiæ se religioni implicuerunt Hebræi, admonebat Deus, quónam modo incertū, per Ioseph fortasse, quandiu vixit, aut per Prophetas; tametsi an eo tēpore Prophetæ fuerint, ignoremus. Aut certè per Angelum, aut inspirationem; quomodo Moyses didicit natum se ad populi captiui libertatē, vt indicat illud Actor. cap.7. de Moyse, *Existimabat autē intelligere fratres, quoniam Deus per manus ipsius daret salutem illis.* siue vt hoc ipsum pater eius Amram à Domino cognouerat; vt putat Iosephus lib.2. Antiq.c.5. Quocumque tamen modo fuerit, nam de modo non constat, certum est ex hoc loco, admonitos esse Israëlitas, ne gentilicis se sordibus pollueren̄t.

28. *Offensiones oculorum.*] Heb. שקוצים *sicusim.* quā A vocem, Hieronymo teste, varij variè reddunt. Symmachus *nauseas*, Aquilæ secunda editio *abscissiones*: vt significarent abiiciendas ab oculis lippitudines, & quasi nauseas, quæ non solùm aspectum impediunt, sed & contrà cernentibus vomitum creant. Rab. Dauid ideo putat offensiones oculorum appellari idola, quia oculi sunt animi nuncij, qui externarum rerum species ad animum transmittunt; atque adeò peccatorum participes, iuxta illud Num.15.v.39. *Ne sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes.* Accommodatè ad hæc suprà cap.6.v.9. *Oculos eorum fornicantes post idola sua.* & cap.18. multis locis per oculorum eleuationem ad idola, idolo- B rum significatur cultus. Quam explicationem non improbant Maldonatus, & Pradus. Neque displicet mihi. Sed addam cogitationem aliam quam lector expendat.

Certum est Gentiles secum gestare solitos deorum suorum imagines, quæ sæpius occursarent oculis; aut certè religionis suæ aliqua phylacteria; vt docent serui, quos Iacob secum adduxit ex Mesopotamia; qui cùm iuberētur idola proferre, & patrios deos, annulos dederunt, & inaures. Sic enim Gen.35. *Dederunt ergò ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Ostendit verò translatio Septuaginta, & Chaldaica paraphrasis in manibus quoque C habuisse deos, sicut in auribus, id est, in annulis, seu armillis. Sic enim Septuaginta, *Dederunt Iacob deos alienos, qui erant in manibus eorum, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Putant autem Augustinus, & Chrysostomus in his fuisse idolorū siue phylacteria, siue effigies, ille q. 112. super Genesim; hic homil.35.in Genes. Nec solùm in armillis, & annulis Gentes, & ad illarum imitationem Iudæi, aliquod insculpserant deorum monumentum, sed etiam in lamina, quæ ex collo, ad pectus demittebatur. Quomodo Iere. 17. *peccatum Iuda* scriptum esse dicitur *super latitudinem cordis*, id est, super laminam, quæ, quia cordi imminet, cor appellatur. & Oseæ cap.2. iubetur D Ierusalem, vt *auferat adulteria sua de medio vberum suorum.* id est, idola. Plura de his habes in commentariis nostris super Cantica, Prolegom.10. Ex his ego istam huius loci sententiam informabam, vt Deus dicatur admonuisse populum ad externam religionem inflexum, vt tollat à se illa siue signa, siue phylacteria, quæ ob oculos gestat, in quæ sæpe incurrunt, aut offendunt oculi, quod omnino dixerat eidem populo Osea cap. 2. de quo nuper. Dicuntur autem idola offensiones oculorum, quia oculis frequenter occursant; neque sui memoriam perire sinunt. 29.

Gentes deorum suorum secum portabant imagines.

Et in idolis Ægypti nolite pollui. Ego Dominus Deus vester. Et irritauerunt me, noluerúntque me au- 30.
E *dire.*] Hinc perspicuè efficitur Hebræos, quo tempore vixerunt apud Ægyptios, illorum amplexos esse religionem. quando hîc dicuntur nō audiisse, illa nempe, quæ Deus toties commendarat, puta ne Ægyptiis supplicarent, aut sacrificarent idolis. Vbi vulgatus *idolis*, Heb. est גלולים *guelulim.* quod Septuaginta verterunt *adinuentiones.* Aquila, teste Hieronymo, *inquinamenta.* Symmachus, & Theodotio *idola*, quos secutus est vulgatus. Vbi valdè obseruandum Ægyptiorum idola suprà à Symmacho appellari *nauseas*, & nūc ab Aquila *inquinamenta*, quæ licèt in omnia Gentiū idola nō ineptè quadrent, quia sordida sunt, & his, qui ingenuo sunt stomacho, nauseam moueant, tamē multò magis in Ægyptiorum deorū sordes,

Ægyptiorū idola cur vocentur nauseæ.

fordes,& portenta conueniunt, quibus nihil penè est non diuinum, nihil in quo cœleste nomē non agnoſcant. Adorant namque talpam, veſpertilionem, felem, ſcarabæum, qui ſtercorarias pilas voluit, & fingit; quæ ſpectare vllus nequeat ſine faſtidio, ac nauſea. De his eſt illud Iuuenalis Satyra 15. vbi acutè ſtultam Ægyptiorum religionem exagitat,& ridet.

——————Crocodilon adorat
Pars hæc,illa pauet ſaturam ſerpentibus ibim,
Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci.

Et eò tandem progreſſi ſunt inſaniæ vt allia, & cepe,& porros adorent,& per illa iurent,vt tradit Plin. lib. 19. c. 6. de quibus eodem loco Iuuenalis,

Porrum,& cepe nefas violare,& frangere morſu.
O ſanctas animas,quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina!

31. Ex quo,cuiuis facile eſt intelligere,quantus fuerit populi illius ſtupor, quanta væſania; cùm diuinis verbis ſæpius admonitus ſpurcam illā religionem abiicere noluerit, imò Deum verum, & vniuerſi conditorem cum ſcarabæo,& talpa,imò cum allio, & porro permutauerit. His, inquit hîc Hieronymus, abſimiles non ſunt, qui deos ſibi quotidie nouos,& recentes fingunt, & adorant,in quibus maius aliquid expectant, aut ſomniant, quàm in cœli, ac terræ architecto ſummo. Vide hîc Hieronymum,qui tamen hæc cōtigiſſe putat, poſtquam ex Ægypto egreſſi ſunt Hebræi; cōtrà quàm nos hoc loco exiſtimamus.

Peccatorū ſtupor, & inſania.

32. Verſ.8. *Et dixi vt effunderem indignationem meā ſuper eos, & implerem iram meam in eis in medio terræ Ægypti.*] Hæc mihi omnino perſuadent, dum eſſent in Ægypto illa contigiſſe omnia Iſraëlitis, de quibus hactenus; neque enim ſine cauſa additur, *in medio terræ Ægypti:* neque hæc verba commodiorem aliam explicationem admittunt. Eo itaque tempore, cùm nauſeam, & vomitum, & Ægyptia inquinamenta colerent Hebræi; neque tamen diuinis hortationibus illa faſtidirent, & abiicerent; conceperat Deus indignationem, meditabatúrque quomodo furorem in Hebræos illos ſtolidos euomeret, quem in diuino pectore peruicaci obſtinatione conflauerant;ac tandē illis in impio illo idolorū ſacrario ad vnum extinctis, ſuo ſibi furori ſatisfaceret. Eodem modo aduersùs eundem populum cogitabat, cùm dixit Pſal. 105. v. 25. *dixit vt diſperderet eos.*

Iudæi in Ægypto idololatræ.

33. Verſ.9. *Et feci propter nomen meum, vt non violaretur coram Gentibus in quarum medio erant; & inter quas apparui eis.*] Cùm aſſidua populi peccata, & peruicax ingenium diuinum acuerent furorem, eóque adigerent, vt iam de illo funditus delendo cogitaret; tamen ne quid diuinum nomen, aut gloria pateretur coram Ægyptiis,in quorum regione morabantur Hebræi; quaſi infidelis eſſet Deus,cùm non præſtaret, quod antè Abrahæ Gen. 15. promiſerat, aſſerturum ſe nempe in libertatem populum poſt diuturnæ ſeruitutis moleſtias; malè mulctatis iis,à quibus duro premebantur imperio: & quod Iacob in ipſo penè ingreſſu pollicitus fuerat Gen. cap. 46. *Noli,* inquit, *timere, deſcende in Ægyptum, quia in Gentem magnam faciam te ibi: ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem.* Illud *te*, vt plerique opinantur interpretum, poſteritatem indicat Iacob. neque enim in regionem illam reuocatus eſt Iacob,aſt in illam poſteri redierunt. Ne ergo Deus immemor videretur promiſſi, eóque nomine accuſaretur à Gentibus,noluit, licèt ve-

Magni Deus facit nomen & honorem ſuum.

A hementer ab Hebræorum intemperie laceſſitus, illos inter Ægyptios opprimere.

34. Adde quòd non in perfidiæ ſolùm, ſed etiam in impotentiæ ſuſpicionem veniret apud Gentes Dominus, ſi in alieno ſolo, ad quod, Deo ipſo iubente,eſſent ingreſſi, periiſſent. Exiſtimarent namque aut Ægyptij,aut qui Ægyptiis eſſent finitimi populi, non occiſos Hebræos à Domino peccatorum vindice,ſed ab Ægyptiis, vel ab Ægyptiorum diis, quorum Hebræorum multi vanam putabant eſſe religionem. Ex quo illud etiā ſequebatur, vt verum Deum infirmū eſſe crederent, qui ſuæ religionis ſtudioſos ab aliorū deorum potentia, vel iniuria nequierit, aut iniuſtū, B quod cùm poſſet, non tamen defendere voluerit. Hoc idem Moyſes obtendit Deo,cùm in deſerto eundē populum extinguere pararet, Exod. cap. 32. v. 11. *Cur Domine,*inquit, *iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robuſta? Ne quæſo dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus,& deleret è terra. Quieſcat ira tua,& eſto placabilis ſuper nequitiam populi tui. Recordare Abrahā, Iſaac, & Iſraël ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum,dicens: Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cœli: & vniuerſam terram hanc,de qua locutus ſum, dabo ſemini veſtro: & poſſidebitis eam ſemper.* Hæ, credo,rationes adduxerunt Dominum, vt in Æ- C gypto parceret populo; propter quas in deſerto poſtea peccanti pepercit. Quàm verò Dominus nominis ſui gloriam amet, quámque multa eade cauſa fecerit,dixit Iſaias cap. 52. v. 6. *Iugiter tota die nomen meum blaſphematur. Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illo, quia ecce ego ipſe, qui loquebar,ecce adſum.* Et cap. 48. v. 6. *Propter nomen meum longè faciam furorem meum.* Ac ſi dicat, dignus quidem eras,ô popule,quem in æternum abiicerem; ſed propter nomen meum, quòd à Gentibus accuſari, aut in perfidiæ ſuſpicionem venire nolo,furorem meum à vindicta cohibeo. Vide quæ nos in vtrumque locum diximus.

Cur Deus populo grauia peccanti tam ſæpe pepercerit.

Inter quas apparui eis, vt educerem eos de terra 35.
D *Ægypto.*] Ne Gentes in ſuis ſibi deis placerent, qui Iſraëliticum genus Ægyptiorum imperio ſubieciſſe putabantur; apparuit illis Dominus, & antea ſæpe cohortatus, vt oculorum ſuorum offendicula tollerent; & extremo captiuitatis tempore, cùm Moyſem eò, cum imperio miſit, & virga; & illi ſocium addidit Aaron: eo conſilio,vt captiuum populum ex Ægyptio carcere in libertatem, & terram promiſſionis educeret; quó Gentes experimento cognoſcerent, nullam eſſe potentiam, quæ diuinis conſiliis, aut viribus obſiſteret.

In Ægypto Deus captiuo populo ſæpe videtur apparuiſſe.

Verſ.10. *Eieci ergo eos de Terra Ægypti.*] Verbum *eiecto*,illatam vim indicat his, qui eiecti eſſe 36.
E dicuntur; neque ſine cauſa verbum hoc ab interprete pro Hebraico ſuppoſitum. Ferebat etenim ægrè populus è regione illa vbere ac pingui in deſertum abire: quare exire pigritabat ex Ægypto, quam iam omnino natale ſibi ſolum eſſe cenſebat; & maximè cùm propter libertatem, & exitum à Moyſe tentata vrgere ſe magis viderent ab Ægyptiis. Quare ſæpe cum Aarone, & Moyſe expoſtulabant, quòd eorum cauſa & odioſi magis forent Ægyptiis, & nouo quotidie pondere grauarentur. Exod.5. v. 21. *Videat,* inquiunt, *Dominus, & iudicet; quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone,& ſeruis eius: & præbuiſtis ei gladium,vt occideret nos.* & cap. 6. v. 9. cùm Domini mandata Moyſes ad populum deferret,

Hebræi non omnino libenter egreſſi ex Ægypto.

neque

neque acquieuerunt illi, neque audierunt. Quare eiecti a Domino potius, quàm educti dici possunt. Sicut Gen. 19. Loth, cùm ægrè ferret, vt est verisimile, domum relinquere, & quæ apud Sodomæos bona condiderat, *cogebant illum Angeli dicentes, surge,&c. Dissimulante illo apprehenderunt manum eius,&c.*

Inter iudicia & præcepta quid discriminis.

37. Vers.11. *Et dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis.*] Non longè ab egressu ex Ægyptio dominatu, ne liber populus ab alieno iugo suo se arbitratu regeret, & duriorem seruitutem à sua libidine subiret, quam à tergo reliquerat, leges illi imposuit, & iudicia, in quibus illorum vitam contineri voluit. Id verò fuit quinquagesimo die ab Ægypto relicta ad montem Sinai, vt habes Exod.cap.19. licèt aliqua quoque præcepta dederit cùm adhuc populus esset in Ægypto, cùm magis ira Dei vltrix in Ægyptiorum caput æstuaret, vt constat Exod.cap.15. Quidam inter præcepta, atque iudicia id putant esse discriminis, quòd præcepta ad Decalogum, iudicia verò ad Dei cultum, sacrificia, ac legitimos ritus pertinerent. Ita Polychronius, & Græcus Scholiastes, sed aliter frequentes alij, qui idem esse putant præcepta, atque iudicia, quod mihi vehementer placet. Neque puto Psal. 118. vbi millies audis *præcepta, iudicia,* & *iustificationes*; aliud in præceptis, aliud in iudiciis intelligi. vtrumque tamen fecit Deus in deserto: tradidit enim Decalogi præcepta lapideis insculpta tabulis; & quæ ad sacra, ac cæremonias pertinent legitimi cultus.

38. *Quæ faciens homo viuet in eis.*] Hæc verba, aut his similia multis Scripturæ sacræ locis vsurpātur. Leuit.18.v.5. *Custodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis.* Quæ verba retulit Paulus ad Roman.cap.10.v.5. *Moyses scripsit, quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea.* Est autem hìc inter auctores non leue dissidium; de spirituali ne morte, an de corporali hæc sint intelligenda. Quidam de spirituali putant, in quibus sunt Theodoretus, Hugo, Isidorus, Clarius, atque Dionysius, & omnium acerrimè P. Gabriel Vasquez. 1.2. d. 189. cap.4. sed frequentes alij de corporali morte capiunt tam hìc, quàm in citatum locum Pauli ad Romanos, & in cap.3. epist. ad Galatas ad eadem propè verba. Quid antiqua lex ad spiritualem vitam conferat, aut quomodo dici possit afferre iustitiam, disputant Scholastici, à quo tanquam ab alieno negotio calamum contineo. Tantùm dicam cur in illorum sententiam magis inclinet animus, qui de corporali potiùs putant, quàm
39. de spirituali vita sermonem esse. Primùm quia omnia testimonia, ad quæ spectare potuit hic Ezechielis locus, de re tantùm videntur loqui temporali, quam Deus his, qui legem seruauerint, promisit. Deut.30.v.19. *Testes, inquit, inuoco hodie cœlum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem; benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum, & diligas Dominum Deū tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas (ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum) vt habites in terra, pro qua iurauit Dominus patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob, vt daret eam illis.* Dixerat autem populo superiùs vers.16. *vt viuas, atque multiplices te: benedicatque tibi in terra, ad quam ingrederis possidendam.* Et quòd mortem minetur temporalem, manifestè docent quæ sequuntur. *Si autem auersum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraueris deos alienos, & seruieris eis, prædico tibi hodie quòd pereas, & paruo tempore moreris in terra, ad quam Iordane transmisso, ingredieris possidendam.* Et Leuit. cap.18. v.24. & cap.20. v.22. eadem proponitur pœna illi, qui aliquod admiserit scelus multorum, quæ ibi commemorantur. *Custodite leges meas, atque iudicia, & facite ea: ne & vos euomat terra, quam intraturi estis.* Vt cap.21. multis sceleribus, quæ ibidem referuntur, supplicium indicitur capitale.

Deus populo suo sæpe mortem minatur corporis.

Quod verò corporale sit, atque aspectabile 40.
supplicium, de quo in hoc capite loquitur Deus, illud non difficile conuincit, quòd propter nomen suum, ne videlicet in suspicionem apud Gentes veniat impotentiæ, vel perfidiæ, noluerit in genus illud hominum furorem effundere, vers.9. v.14. v.22. At si tantùm esset spiritualis mors, non esset timenda à Gentibus blasphemia, aut diuini nominis accusatio, cùm spiritualis mors nullo modo foret explorata sensibus. Sanè cùm Moyses orauit Deū, vt populo ignosceret, quem propter peccata delere voluit, de morte loquebatur corporea: alioquin non obiiceret libera in Deum Ægyptiorum conuitia. Exod.32.v.12. *Ne quæso dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra. Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitiā populi tui.*

Adde ad extremum mihi videri non impro- 41.
babile, quod putat Pradus in illo, *viuet in eis*, nō solùm vitam siue spiritualem, vt nonnulli volunt: aut corporalem, quod magis putamus verisimile, intelligi id, quod vulgus hominum vitam appellat; delicias nempe, & eorum, quæ ad hominum vsus spectant, affluentiam. Quod indicare videtur Deus, cùm legis studiosis terram promittit lacte, & melle fluentem, in qua nihil desit ad humanos vsus opportunum. Quale est latè nationibus aliis dominari, esse suprà, & non subter; & quod Psal.80. vers.14. *Si populus meus audiisset me, Israël si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes misissem manum meam. Cibauit eos ex adipe frumenti* (id est, cibaret) *& de petra melle saturauit eos.* (id est, saturaret.) Et Isai. cap.66. v.12. *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium.* Sanè apud ex-
ternos parœmialis erat species, illum mori potius, quàm viuere, cui ad vitam necessaria defuissent commoda, aut cui vita contigisset tristis, & ignobilis. Vnde apud illos frequens *mori*, pro *mœrere*, ac vexari durè; & contrà *viuere*, pro esse in deliciis, & vitam agere iucundam, & verè vitalem. Sic Seneca, 42.

Viuere dicuntur qui bonis abundant, mori qui malis.

———*Mortis habet vices,*
Lentis cùm trahitur vita gemitibus.

& Sophocles in Antigone,

Nam nulla, cui mentem voluptas recreat,
Non viuere Hercle existimo, sed mortuum
Viuentis illum ferre præ se imaginem.

Idem Martialis lib.6.epig.69.

Et quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor grauis, aut mali dolores,
A vita meliore separentur,
Non est viuere, sed valere vita.

Quo dicendi genere vsus est Dauid Psal. 37. *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper; inimici autem mei viuunt.* id est, læti sunt, & ab omni metu vacui.

Insuper & sabbata mea dedi eis, vt esset signum inter me, & eos.] Sabbati diem religiosum esse voluit Deus, eiusque custodiam ita commendauit seuerè; vt eius violationem capitalem esse iusse- 43.

Sabbati quanta Religio.

rit.

rit. Hæc autem sumpta sunt ex Exod. cap. 31. v.13. *Videte, vt sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me, & vos in generationibus vestris, vt sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos. Custodite sabbatum meum, sanctum est enim vobis: qui pollucrit illud, morte morietur. qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui.* Sabbati autem tanta apud Hebræos religio fuit, vt prouerbiali specie pro graui aliquo præcepto adhiberi sit solitum. Sanè Ieremiæ cap. 17. v. 21. dum legum commendatur custodia, sabbati tantùm auditur nomen. *Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die sabbati.* Lege reliqua. & Isai. cap.56. v.4. *Qui custodierit sabbata mea, & elegerit, quæ ego volui,*&c.

44. Hic nobis obseruanda nonnulla, primùm cur hic sabbata in numero ponantur plurali. Hebræi in *sabbatis* omnem ordinem, & genus sabbatorum comprehendi putant, quorum accurata commendatur custodia. Est enim sabbatum dierum, i. septimus quisque dies, à quo omne seruile opus excluditur. est etiam annorum, septimus nempe quisque annus, qui annus dicitur remissionis;& quinquagesimus, qui annus erat Iubilęi. Maldonatus sabbata ideo vocari putat, quia dies sabbati, nempe septimus hebdomadæ sæpe in anno, imò in mense quolibet recurrit: quare optimè plurali numero designari potuit. Ego aliam rationem adduxi in commentariis super Acta, quam etiam nunc magis, & omnino probo, ad illud cap. 13. *Ingressi Synagogam die sabbatorum sederunt.* Cùm quilibet hebdomadis dies sabbatum vocetur, existimo tamen diem sabbatorum in numero multitudinis vocari extremum totius hebdomadæ, vtpote omnium celeberrimum (id enim aliquando præstat numerus multitudinis.) Et quidem non erat, cur Lucas adderet *diem sabbatorum*, nisi certum aliquem diem indicare voluisset. Cùm enim dies omnis sabbatum appelletur, nisi notam aliquam addidisset certam, non magis de hoc, quàm de illo die locutus videretur. De hoc autem sine dubio sermo est 1.Machab.2. *Et constituerunt aduersus eum prælium in die sabbatorum: & dixerunt, non exibimus, neque faciemus verbum Regis, vt polluamus diem sabbatorum.* Et statim, *& intulerunt illis bellum sabbatis.* Hæc verò contigisse die solenni sabbati, id est, septimo die hebdomadis, tradit Iosephus lib. 12.Antiq.c.8. Nicephor.lib.1. hist. c.39. Euthym.cap. 68.in Matth.

Sabbata in plurali numero dies septimo.

45. Vers.10. *Vt esset signum inter me,& eos.*] Placet præter alia Theodoreti sententia,qui ideo putat sabbatum esse signum inter Deum,populúmque Israëliticum, quia hoc maximè, atque clarissimè genus hoc hominum à nationibus aliis distinguebat. Erant quidem alia signa, quæ Israëliticum populum secernebant ab aliis, vt cibus, sacra, circumcisio. Sed hæc aut cum quibusdam Gentibus habuere communia; aut certe eius erant generis, vt occultari possent, neque cognosci sine magno studio, ac nimis assiduo, ac familiari vsu. Sanè circumcisionem, vt notauit hic Theodoretus, Idumæi, Ægyptij, Moabitæ, atque Ammonitæ receperunt, vt indicat Ieremias cap. 9. vt cum Hieronymo sentiunt plures alij. *Visitabo*, inquit, *super omnem, qui circumcisum habet præputium; super Ægyptum, & super Iudam, & super Edom, & super filios Ammon, & super Moab.* Præter Iudæos alias etiam nationes circumcisi solitas, tradunt scriptores externi. De Ægyptiis Herodotus in Clio, Strabo lib. 17. De Æthiopibus

Circumcisionem nationes aliæ præter Iudæos acceperunt.

A Herodotus suprà. Vbi etiam de Syris, qui ad Palęstinam pertinent. Philo quoque Iudæus libello de circumcisione alias quoque nationes cum Ægyptiis circumcidi tradit. Sed etsi hoc signum Hebræorum esset proprium; tamen non 46.
erat ita manifestum, vt nisi alia essent magis externa signa, ab aliis internosci potuerint; quare licèt recutiti cùm inter Gentes agerent, dissimulato genere, Gentiles esse censebantur, ab eóque liberabantur tributo, quo Gentium domini Iudæorum capita grauabant. Audi quid Suetonius oculatus testis, de quodam Iudæo genus occultare cupienti prodiderit in Domitiano c.12.*Præter cæteros Iudaicus fiscus acerbissimè actus est, ad quem*

Circumcisione interdum occultabant Iudæi.

B *deferebantur, qui velut professi, Iudaicam intra vrbem viuerent vitam, vbi dissimulata origine imposita Genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, cùm à procuratore, frequentissimóque concilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumcisus esset.* 47.
Aliud autem signum de sabbati obseruatione magis erat apertum; quod neminem mediocriter attentum latere poterat. Sic enim sabbati religionem amplectebantur apertè, vt diebus sabbati lampadas ad fenestras accenderent, etiam vbi nullam haberent rempublicam; imò nullam libertatem, quæ vere posset appellari libertas. Quod videtur suaderi posse ex epist. 96.

Sabbati obseruatio manifestissimũ Iudæorum signum.

C Seneca; vbi sermo sine dubio de Iudæis, *Accendere aliquem lucernas sabbatis prohibeamus; quoniam nec lumine dij egent: & ne homines delectantur fuligine.* Quod ita notum erat Gentibus, vt auctore Iosepho lib.16. Antiq. cap.10. Augustus edixerit, ne Iudæi ad præstanda vadimonia sabbatis, aut pridie sabbatorum ad horam nonam Parasceues, cogerentur. Ex quo fiebat vt ab illius diei obseruatione Iudæi appellarentur Sabbatarij.

In sabbatis à Iudæis lãpades accensæ.

Et scirent quia ego Dominus sanctificans eos.] Se- 48.
ptimum diem sanctificauit Dominus Genes. 2. *Benedixit diei septimo,& sanctificauit illum*, quia sanctum illum diem esse voluit, & præcipua quadã religione venerabilem. In quo etiam voluit sanctificari homines, id est, curare ea, quæ ad pieta-

Quæ Sabbati sanctificatio.

D tem pertinent,& religionem; atque ideo voluit opus quodcumque aliud intermittere; ne quid sibi alienæ curæ à pietatis studio detraherent. Hæc verò sabbati destinatio, cùm alia haberet, eaque non vulgaria ad pietatem emolumenta, hoc etiam habet non exiguum, quòd designato religioni, ac pietati tempore, cognoscunt homines quàm Deus vehementer cupiat illos esse sanctos. Porrò illud *sanctificans*, nihil puto significare aliud, quàm à Domino tempus hominibus, & rationem ostendi, quo sancti esse pòssint: eò etenim spectat & otium à seruili negotio; & eorum, quæ à diuina largitate profecta sunt, assidua meditatio. Sicut in ipsis Eccle- 49.

E siæ primordiis sancti vocabantur, qui fidem amplecterentur Euangelicam, quia illud vitæ genus profitebantur, quod ad sanctitatem animos idoneè formabat; licèt illi procul abessent ab ea sanctitate, à qua eximium illud nomen acceperant. Sicut etiam qui magistratum ambiebant, vt docet Seneca lib. 1. epist. 3. *boni* dicebantur, quia munus illud non nisi à bonis administrari, aut ambiri fas erat. Et qui publica curabant *optimates*; quia non nisi optimis committi debebant publica negotia. Sic etiam sanctificari à Domino Iudæi dicebantur in sabbatis, quia eo consilio decreta fuit a Domino Sabbati religio, vt in die sanctificato, ipsi quoque sanctitati studerent.

Christiani cur in Ecclesiæ principio vocati sancti.

Boni dicebantur qui Magistratũ ambiebant.

Vers.13. *Et irritauerunt me domus Israel in deserto.*] 50.

serto.] Hactenus egerat de his, quæ populus cùm adhuc esset in Ægypto, operatus est. Nunc de aliis, quæ non minus impiè fecit in deserto liber iam ab Ægyptio dominatu, querimoniam orditur. Et omnino docet, quæ præceperat omnia, tam leges quàm iudicia; & quæ nuper de sabbati religione diximus, fuisse proiecta. Cúmque furorem ideo conceptum in populum illum pervicacem, & impium vellet euomere, continuit tamen se ad Moysis preces, Exod.32. v.14. ne Gentes, ex quibus non antea multo illum eduxerat, aut aliæ, ad quas illius stragis fama perueniret, de Dei bonitate, ac fide malè aut loqueretur, aut sentiret.

51. Vers.15. *Leuaui manum meam super eos in deserto, ne inducerem eos in terram.*] Hæc contigerunt, postquam exploratores lustrata tota regione Chanaanitide, reliquum populum turbarunt, & eius studium sic fregerunt, vt spem abiecerint possidendi terram, ad quam iam inde ab Abrahami sæculo vocabantur. Tunc autem leuauit Dominus manum suam, iurauítque fore, vt illorum nemo præter duos Iosue, & Caleb regione illa, quam longa peregrinatione quæsierant, frueretur. Num.14.v.27. *Viuo ego, ait Dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra. Omnes, qui numerati estis, à viginti annis, & suprà, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam.* Et Psalmo 94. *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in regionem meam.*

52. Vers.17. *Et pepercit oculus meus super eos.*] Hebraismus est, quo significatur animi commiserantis affectus, de quo plura cap.5. ad illud, *& non parcet oculus meus.* Qui dicendi modus valde est huic Prophetæ familiaris.

53. Vers.18. *Dixi autem ad filios eorum in solitudine, in præceptis patrum vestrorum nolite incedere.*] Hæc, de quibus nuper, ab illis admissa sunt, qui ætate iam adulta in Ægypto fuerant, ab illis, inquam, qui vigesimum sub hoc tempus annum inierant; quibus Num.c.14.v.27. ingressus in terram promissionis interdictus est. Nunc verò de illorum posteris loquitur, qui neque eo tempore cum parentibus peccarunt, neque fortasse in Ægypto, nisi ætate puerili commorati sunt. Quàm verò sæpe hoc idem Deus Hebræorum filiis commendarit in solitudine, cuilibet promptum est videre; totum Deuteronomium ad Hebræorum posteros pertinuit; cuius verba sunt à Moyse in ipso propè ingressu terræ promissionis; anno quadragesimo postquam ab Ægyptia seruitute populus emersit. Nihilo tamē filij meliores fuere parentibus suis, neque in paterno capite didicere, quàm illis futurum fuisset ex vsu, si diuinis præceptis potiùs, quàm aut suæ libidini, aut parentum monitis essent obsecuti. Quàm Deus sæpe ingratam illam posteritatem admonuerit, seueréque mulctauerit, constat ex tota Hebræorum peregrinatione, maximè ex libro Numerorum, & Deuteronomij, vbi sæpe præcepta audis, & sæpe propter illorum violationem irrogata supplicia.

54. Vers.23. *Iterum leuaui manum meam in eos in solitudine, vt dispergerem eos.*] Hoc quoque *leuare manum*, sicut aliis locis, iurare est. Minatus est autem Deus iureiurando interposito exilium, siue fugam à promissa terra propter violata præcepta. Quomodo id acciderit ex historia non constat, nisi dicamus minas has contineri in Cantico Moysis Deuteronom.32. vbi minæ sunt hisce

A non dissimiles; aut Deut.30. v.17. vbi non diuturna dicitur futura possessio terræ promissionis; si tradita à Deo mandata contemnat. *Si autem, inquit, auersum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraueris deos alienos, & seruieris eis; prædico tibi hodie quod pereas, & paruo tempore moreris in terra, ad quam, Iordane transmisso, ingredieris possidendam.* Siue autem hoc loco exilium Dominus minetur, siue alio, qui tamen modò non succurrit, certum tamen est, cùm adhuc populus esset in deserto, diuinas hasce intentas esse minas, tum ex hoc capite, tum ex Psal.105.v.27. *Et eleuauit manum suam super eos, vt prosterneret eos in deserto; & vt deiiceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in regionibus.* Neque infrequens est, vt

B aliqua omittantur iis locis, vbi commodiùs tractari posse videbantur; quæ tamen ignoraremus, nisi postea ab aliis essent allegata. vt paulo antè exemplis confirmauimus, num.25.

Vers.25. *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent.*] Hunc locum variè versant, & tractant non interpretes solùm Ezechielis, sed doctores etiam Scholastici; in quo nos, quia locus est illustris, paululum immorabimur, & quid alij sentiant, pro nostro more breuiter explicabimus. Quidam de præceptis intelligunt cæremonialibus antiquæ legis, quæ ideo dicuntur non bona; quia non præstant id, quod 55.

C simpliciter dicitur bonum, nempe iustitiam. Ita S.Thomas 12.q.98.art.1.ad 1. Chrysostomus homil.17. in Acta. & homil.7. in priorem ad Corrinth. Iustinus dialogo cum Triphone. Augustinus epist.9. ad Hieronymum, Theodoretus hîc, & plures alij. Quæ tamen sententia ideo minùs probatur aliis; quia de his præceptis hîc est sermo, in quibus homo non viuet; at paulo antè de præceptis etiam cæremonialibus dixerat vers.10. *quæ faciens homo, viuet in eis.* in quibus numeratur sabbati religio. Item quia ideo dicuntur tradita præcepta non bona; quia alia præcepta, atque iudicia bona violata sunt; & in illis etiam continebantur cæremonialia.

D Alij præcepta antiqua ideo censent appellari non bona; non quidem absolutè, sed comparatione cum optimis, cum his videlicet, quæ tempore Euangelij data sunt Ecclesiæ. Est autem vsitatum in Scriptura, vt negetur aliquid inesse alicui, quod alterius comparatione existimatur exiguum. Quomodo Samaria, & Sodoma, licèt peccatorum contaminatæ sordibus, iustæ tamen dicuntur comparatione Iudææ. de qua Ezechiel cap.16. *Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis.* & Gen. c.25.v.28. Isaac dicitur amasse Esau; Rebecca verò Iacob, non quòd ille non sit à Rebecca dilectus, aut hic ab Isaac; sed quia alter altero respectiuè magis amabatur. Et ideo fortasse Lucæ c.14.v.26. dicitur, *Siquis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem*, &c. 56.

REGVLA. *Aliquid negatur inesse alicui quod alterius cōparatione existimatur exiguum.*

E quia tantus debet esse erga Deum amor, vt eius comparatione, quicumque alius amor odium vocari possit. Quod explicuit Matthæus cap.10. v.37. qui eandem Christi sententiam verbis propriis, & non figuratis expressit. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Sic licèt præcepta illa cæremonialia bona fuerint, videri tamen possunt non bona, si cum præceptis Euangelicis conferantur. Ita Ambrosius serm.16. in Psal.118 Gregorius lib.28. Moral. cap.17. Cassianus collat.23.cap.4.

Sunt qui præcepta illa ideo putant fuisse non bona Iudæis, quia durioris illis supplicij mate- 57.

 riam

Durius puniuntur, qui legibus tenentur, quã qui sunt à legibus soluti.

riam præbuerunt: neque enim tam grauiter peccassent, támque graui supplicio forent obnoxij, nisi legem habuissent, cuius violatio grauiùs incusaret illos, quàm qui ab illa lege non tenerentur. Ita Clemens Romanus lib. 6. constitut. Apost. cap. 25 1. Augustinus in quæstion. ex veteri Testamento q. 44. Rab. Salomon apud Lyram, quorum sententia quibusdam è recentioribus non improbatur.

58. Mihi illorum magis probatur opinio, qui in præceptis non bonis, peccata illa significari putant, in quæ populus proteruus, & ingratus à vindice Domino desertus, permissus est labi. Ita Hieronymus, *Dedi eis præcepta non bona, id est, dimisi eos cogitationibus, & desideriis suis, vt facerent, quæ non conueniunt. Et pollui eos*, &c. *vt postquam deserti fuerint à Domino, & idolorum cultui traditi, tunc intelligant, quòd ipse sit Dominus*, &c. Idem putat Maldonatus, & Pradus, & Gabriel Vazquez sup. 1.2. S. Thom. q. 98. art. 1. ad 1. hæc autem quæ præcepta vocantur, non tam sunt à Domini præcipientis imperio, quàm à non impedientis permissione. Quæ tamen permissio, cùm aliquid sonet negatiuum, positiua tamen actione explicari solet. Quemadmodum Deus indurare dicitur cor Pharaonis, & seruorum eius; & Prophetas decipere, excæcare oculos, aggrauare aures, & tradere homines in reprobum sensum. Dedit itaque Deus præcepta non bona, quia in nefaria sacra, & impiam idolorum religionem, quæ suas habet cæremonias, & leges, diffluere permisit. Quod postea v. 39. ironica quadam permissione significauit ipse Deus. *Et vos domus Israel, hæc dicit Dominus Deus: Singuli post idola vestra ambulate, & seruite eis.*

Bonum idem quod gratũ.

59. Hæc mihi sententia maximè omnium videtur probabilis, & cui à textu obiici nihil potest, quod valde incommodet. Sed nescio quomodo, frigere videtur aliquantulum; neque omnino cum superioribus consentire. Quare addam ego explicationem aliam, quam lector expendet, déque illa suo arbitratu, vt volet, statuet, quam priusquam propono, obseruo, *bonum* in Scriptura sacra idem interdum esse, quod gratum, & iucundum, quódque alicui futurum existimatur ex vsu. Sic Ezechias dixit apud Isaiam cap. 38. *Bonum verbum Domini*, id est, placet mihi, seu gratum est mihi. Esther c. 8. vbi vulgatus, *si placeo Regi*, Heb. *si bona ego*. & Gen. 19. *Si bonum est in oculis vestris*, id est, si vobis placet. Secundò obseruo, sicut *præcipio*, & *mando* verba sunt militaria; sic etiam *præceptum*, aut *mandatum* vocem esse militarem, de *præcipio*, & *mando* est illud Amos cap. 9. *Mandabo gladio, & occidet eos*. & iterum ibidem, *Mandabo serpenti, & mordebit eos*, & Psal. 67. *Manda Deus virtuti tuæ*. Isai. cap. 10. v. 6. de Assur, *Contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem.* Isai. cap. 23. v. 11. *Dominus mandauit aduersus Chanaam, vt contereret fortes eius.* Quare incommoda omnia, atque infortunia, quibus rebellem illum populum Dominus afflixit, vocari possunt Domini præcepta, atque iudicia. Sanè Ezechielis cap. 14. v. 21. Iudicia Domini vocantur non bona, illa, quibus peccatricem illam Gentem malè mulctauit. *Si quatuor iudicia mea pessima gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam misero in Ierusalem, vt interficiam de ea hominem, & pecus.*

Facit huc quod flagella, & aliæ siue vexationes, siue incommoda *doctrina* vocantur in Scriptura, maximè quando illis infligitur pœna, qui stolido sunt animo, & motibus aguntur animalibus, & rationis expertibus, de quibus Isaias cap. 26. v. 17. *in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Est autem *doctrina* aut idem, aut propè idem, quod præceptum. Sanè doctrina boum, aut bubolorum stimulus est, & stimulus Hebr. est מלמד *malmad*. quæ vox stimulum significat, & doctrinam. Hanc igitur siue doctrinam, siue præcepta traditurum se Dominus dicit stultis Iudæis: quia non alio modo erudiendi sunt, quàm boues, aut muli, quibus non est intellectus, fame, videlicet, flagello; & dura sub barbaro domino seruitute.

Iuxta hæc ego sic puto locum istum explicari 60.
posse, non de impio idolorum cultu, in quem labi permittat Deus Iudæos in omnem superstitionem pronos; sed de supplicio, quod in illorum capita multiplex immittet. Quando videlicet homines super capita imponet, id est, tyrannico barbarorum principum imperio subiiciet: quando denique illa perferet infortunia, vel quæ prædixerunt antè Prophetæ; vel quæ tam ipsi, quàm historici sacri contigisse tradunt. De quibus Dauid in Psalmis sæpe. Psal. 78. *Venerunt Gentes in hæreditatem tuam; posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam, posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cœli.* Hæc Dei mandata dici possunt; quia militibus suis Deus mandat, vt de peccatoribus pœnas exigant, tanquam iustitiæ vindicis administri. Isai. cap. 47. v. 6. de hoc mandato Deus ad Babyloniam. *Dedi eos* (Iudæos) *in manu tua, non posuisti eis misericordias, super senem aggrauasti iugum tuum valde.* quod iugum alibi ferreum vocat, Ierem. cap. 28. Qualia fuerint illa mandata non bona, id est, grauia, docet Ieremias Thren. c. 5. vbi plurima ærumnosi illius populi, eaque grauissima infortunia commemorat. Hæc satis faciunt nostram cogitationem verisimilem. Sed probat meo iudicio non leuiter, quod suprà ex communi interpretum sententia, vno, aut altero excepto, dicebamus. Illud v. 11. *quæ faciens homo, viuet in eis.* de corporali vita, vitæque subsidiis esse intelligendum. Cui cùm opponatur, vt constat, hoc loco, *in quibus non viuet*, necessariò, vt ibi de humana vita, illiúsque commodis agebatur; sic hoc loco de humana, aut corporali morte, aut de eo, quod instar obtinet mortis, sermonem esse dicendum est.

Qui iugum Dei detrectant durius aliud subeunt.

Quare in summa hanc arbitror esse senten- 61.
tiam. Dedi eis præcepta bona, & iugum leue; quibus si parere vellent, vitam agerent iucundam, & rebus omnibus affluentem; in terra, quæ lacte manabat, & melle: sed quia præcepta mea bona contempserunt, feci vt alia subirent præcepta non bona, aspera videlicet, & dura; à tyrannis imposita, aut à me in illorum capita decreta; qualia sunt gladius, fames, pestis, & iugum verè ferreum, quo ceruix frangatur indomita, & spiritus ambitiosi, & vani deprimatur. Porrò sic- 62.
ut infelix, & ærumnosa vita mors appellatur, vt suprà diximus ad illud v. 11. *viuet in eis*; sic viuere in seruili fortuna, ita vt liberè mutire, atque respirare non liceat, mori quoddam est. Quare non viuent ij, quibus mandata illa non bona imposita fuerant, quia aut morientur gladio, fame, peste, aut quia vitam agent eiusmodi, vt cum morte meritò commutari possit. In hanc sententiam inclinant Hebræorum doctores Rab. Salomon, & Rab. Dauid, quorum sententia non displicet Maldonato, & Prado.

Sors misera mors dicitur, fortuna fœlix, vita.

Emmanuel Sà aliam adducit explicationem, 63.
acutam quidem, si tamen implexos quosdam

nexus,

nexus, qui deinde sequuntur, extricaret. Hæc etenim cum interrogatione putat esse legenda hoc modo : *Itáne erant præcepta non bona, quæ ego tradidi, vt contemnenda viderentur? itáne munera, quæ offerri iussi, polluta erant, vt mihi offerri non debuerint, sed idolis?* Sed, vt dixi, explicatio hæc multa relinquit impedita.

64. Verſ.26. *Et pollui eos cum muneribus suis.*] Vsitatum est in sacris literis, vt aliquis id fecisse dicatur, quod factum esse demonstrat. Quomodo Ieremiæ præcepit Deus cap.1. vt *euellas, & destruas, disperdas, & dissipes, ædifices, & plantes.* id est, vt denunciet, alia euellenda, ac dissipanda, alia plantanda esse, ac destruenda. Eodem modo Isai. c.6. *Exceca cor populi huius, & aures eius aggraua.* id est, prædic cæcos futuros esse oculos, & graues aures. Propius ad hoc institutum est illud Leuit.13. cùm de iudicio lepræ sermo est, dicitur: *Contaminabit eum* (nempe leprosum) *sacerdos*, id est, contaminatum esse declarabit. & Isai.cap.45. *Contaminaui Principes.* id est, contaminatos ostendi. Iob cap.9. *Abominabuntur me vestimenta mea*, id est, ostendent me esse abominabilem. Ex his satis apparet, quid sit quemquam à Domino pollui; non quidem quòd spirituales sordes Deus hominibus allinat, id enim à diuina natura quàm longissimè abest; sed quòd aut imposito supplicio, aut aliquo alio modo pollutos esse declaret.

Regula. Aliquis id fecisse dicitur, quod factum esse demonstrat.

65. *In muneribus.*] Obscurum est, quænam sint ista munera, aut cui oblata, in quibus Iudæi à Domino dicuntur, aut declarantur esse polluti. De muneribus minus est obscurum, statim enim ostenditur illa esse munera, quæ magis homines amant; & quæ offerri sibi postulet Deus: primogenita videlicet, quæ iam diu propter primogenitos Ægyptiorum occisos sibi speciali iure vendicarat. *Pollui*, inquit, *in muneribus suis, cùm offerrent omne, quod aperiret vuluam.* Sed cui sint oblati isti primogeniti, non ita exploratum. Communis est omnium ferme interpretum sententia; in quibus sunt Hieronymus, & Theodoretus, quos ex antiquis alij, & ex recentioribus sequuntur Maldonatus, & Pradus, qui ideo putant à Domino pollutos esse Iudæos, quia filios suos traduxere per ignem, & immanibus idolorum monstris immolarunt. De quibus est illud Psal.105.v.35. *Commixti sunt inter Gentes, &c. Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum sculptilibus Chanaan.* Sic Achaz lib.4. Reg.cap. 21.v.6. *Consecrauit filium suum transferens eum per*
66. *ignem, secundùm idola Gentium.* Hæc mihi propter tot virorum auctoritatem non possunt non probari, verùm dum rem totam accuratiùs intueor, non tantùm in ea sententia mihi satisfacio; vt non in aliam magis inclinet animus; quæ munera hæc intelligit non tam idolis, quàm Deo ipsi vero consecrata. Id quod mihi ita persuadeo, quia de primogenitis hîc sermo est, vt patet, quia de illis oblatio fuisse dicitur, qui vuluam aperiunt; ast hi primogeniti sunt, vt omnes fatentur, & apertè Deus ipse docet Exod.cap.13. *Sanctifica*, inquit, *mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Israel, tam de hominibus, quàm de iumentis.* Dicitur autem primogenitus vuluam aperire, quia reliquis fratribus postea nascituris claustra laxauit, vt & ipsi minori cum periculo ex materni vteri angustiis exirent; & genitrix minus in ipso puerperio laboraret. Ad hunc lo-
67. quendi modum respexit obstetrix Gen.38. quæ

A cùm eodem nixu duos filios edidisset Thamar, de primogenito dixit: *Quare diuisa est propter te maceria. Et ob hanc causam vocauit nomen eius Phares*, quod diuisionem valet. De primogenitis itaque sermo est, quos sibi Deus præcipuo quodam iure vendicat, & quos Iudæi, qui sanctitatem colebant externam, (neque enim fucatam religionis speciem prorsus abiecerant) offerebant in templo. At idolis aut non offerebantur primogeniti, aut certè simul cum ipsis immolabantur alij, de quibus Exod. cap.13. nullus sermo. Nam, vt ex Psal.105. notabamus nuper, filios suos, & filias consecrabant dæmoniis. & Leuit.18.v.21. vbi id prohibetur, quod à Gentibus fieri solitum erat;
B nihil de primogenitis dicitur, sed absolutè de filiis. *De semine tuo non dabis, vt consecretur idolo Moloch.*

Ex his ego hanc cogitationem informo. Quia 68.
præcepta mea non custodiistis, etiam dum illa mihi offertis, quæ magis vobis in pretio, atque in amore sunt, ego vos pollui, id est, aut pollutos esse demonstro, aut tanquam pollutos auersor, & horreo; adeò vestra mihi sacrificia non placent. Dixit idem Isai.cap.1. *Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui, &c. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Quam sententiam, quæ proximè succedunt, non obscurè suadent.

C *Propter delicta sua.*] Ideo hæc primogenitorum oblatio, licèt à Deo commendata, non placet; quia illorum manibus exhibita, quas multa contaminarunt peccata, de quibus in hoc capite non semel.

Et scient quia ego Dominus.] Dij Gentium cùm 69.
ipsi sordidi sint, & impuri, impuris etiam, & sordidis sacrificiis oblectantur; quare non abominantur, & respuunt sacrilegas, & pollutas manus; siue stillantes innocenti sanguine; siue nocturna, atque furtiua Venere fœdatas. Deus autem verus, cui casta placent, & pura, ad illa nauseat, illa fastidit, & execratur quæ sceleratus animus, & manus incestæ libant; in quibus tamen
D Dæmones cum Iubilo, & plausu, tanquam in cœno porci volutantur. Ex hoc munerum contemptu, si saperent Iudæi, coniectarent, planéque cognoscerent illum esse Deum, qui mentes introspicit, cognoscitque quid quisque animo moliatur, aut velit: quique ea sacrificia non admittit, quia munditiem amat, & sanctitatem internam; quibus ab impuris aliquid inoleuit tetrum, & impurum; cùm contrà falsi, atque spurci dij obscœno se sanguine, & sacris graue aliquid, & tetrum inhalantibus oblectent.

Verſ.27. *Adhuc & in hoc blasphemauerunt me* 70.
patres vestri, cùm spreuissent me contemnentes, & induxissem eos in terram.] Egit hactenus Deus de parentum peccatis, quæ in deserto, & in ipso ad ter-
E ram promissionis progressu commisere. Nunc ostendit continens illud peccandi filum, in ipsa quoque regione Chanaanitide; in quam, Domino præstante, ingressi fuerant, interruptum non esse. Nam, vt olim ad Gentium deos; vt sese dabant obuios, væsano quodam furore, ne dicam, an stupore? ferebantur, sic etiam cùm in terram promissionis ingressi sunt, vbi non ad vsum solum, sed etiam ad delicias suppetabant omnia; neque minus frequenter, neque minus crudeliter, ac sceleratè ad eadem, ac multo etiam plura simulacra defluxerunt. Illud enim valet, *Viderunt omnem collem excelsum, & omne lignum nemorosum, &c.* In his namque locis, vt sæpe dictum est, impiæ

piæ excitabantur aræ; & impuræ mactabantur A victimæ;& libationes aliæ odoriferæ,atque pretiosæ sacrabantur.

71. Vers.29. *Et dixi ad eos,quid est excelsum, ad quod vos ingredimini? & vocatum est nomen eius excelsum vsque ad hanc diem.*] Quando hæc Dominus dixerit, exprobraritve Israelitis, non constat; sed dubitare nefas, cùm hîc tam sit propositum apertè. Exprobrauit quidem sæpe Dominus violatæ religionis scelus,idolorum sordes, & proditam fidem; at vbi excelsi nomen reprehensum, quod in Hebræorum sacra ad præsens vsque tempus inoleuerit,non video.

72. Vt à Gentibus sacra quædam,& numina sumpserunt Hebræi, sic etiam sacrorum nomina fa- B miliaria Gentibus vsurparunt. Quare cùm in excelsis sua sacra frequenter obirent Gentes, excelsorum nomen in Hebræorum sacra, ac religionem introductum est. Cum offensione igitur subamara agit hîc Dominus cum Hebræis;& rogat vndénam impium nomen, quod gentilica vsurpat superstitio, in Hebræorum templo, & in sacris tamdiu inueterauit? Quis arcam cum Dagon,quis cum Deo Belial, si non eodem in loco, eodem tamen nomine coniunxit? Quemadmodum si quis hoc nostro sæculo planè infelici quereretur, quòd sæculares tituli, & ambitiosa nomina, quæ viri quondam spirituales execrabantur, in religiosorum claustra impunè, atque C impudenter irrepsissent.

Gentilium nomina Iudæorum sacris turpiter inducta.

73. Vbi vulgatus *excelsum*, Heb. est במה *bamah*, quod fortè deductum est à Græca voce *βῆμα*, quod altare etiam valet, seu suggestum, aut tribunal, quod excelsum est. Vt autem Græci *βῆμα* appellant altare; sic qui à Græcis noua sumpserunt sacra, sic etiam noua sumpserunt sacrorum nomina, & vt illi *βῆμα* vocant altare; sic etiam hi altare gentilico ritu vocauerunt במה *bamah*. Est autem *βῆμα*, vt diximus, sublimis locus. & eo fortasse consilio Deus præcepit olim, ne sublime extrueretur altare, ne quid haberet in Gentium altaribus commune. Exod.20. v.24. *Altare de terra facietis mihi.* & postea, *non ascendes* D *per gradus ad altare meum.* Quare dum *excelsi* nomen exprobrat Dominus,sine dubio scelus obiicit idololatriæ.

Excelsum quid in sacrificiis.

74. Vers.30. *Certè in via patrum vestrorum vos polluimini.*] Adhæsere posteri parentum vestigiis;& eisdem sese flagitiis implicuerunt, ita vt quod in eo impietatis genere postremum fore videbatur, filios suos per incendia traductos idolis crudelibus æquè, atque deformibus immolauerint. Eam igitur ob rem affirmat iterum Deus, quod in principio dixerat, indignos esse seniores illos responso quòd sciscitabantur à Domino, cùm tam à Domini voluntate longè recessissent;& in E idolorum nefarium cultum toti viderentur intenti.

75. Vers.32. *Neque cogitatio mentis vestræ fiet dicentium, erimus sicut Gentes.*] Ea se cogitatione in suo mœrore, atque exilio Iudæi sustentabant, quòd existimarent mitiora sibi fore omnia à benigno populo, in cuius regione captiui consederant, si illorum se religioni,& sacris adiunxissent:neque putabant alienos fore à suis commodis illorum animos, quibuscum eadem esset religionis, & studiorum communitas. Atque ideo secum ipsi aut cogitabant taciti, aut inter se liberiùs in hunc modum ratiocinabantur. Erimus sicut Gentes,quasi non ex Abrahamo, sed ex Babylonico genere prognati: colemus sicut illi simulacra ex ligno, seu marmore dolata: neque enim illos infensos habebimus, quos nobis conuictus idem, & eadem studiorum, ac vitæ ratio socios adiunget. Seu certè, quia Deum parentum nostrorum abiecimus,& ad alienos deos, tanquam ad aliena castra transfugimus, ille etiam curam abiiciet nostri, neque iam amplius, siquid contra illius mandata peccatum fuerit, in nos deseuiet. Quare neque ab hostibus nobis, neque ab offenso, atque irato Deo quicquam timendum est.

Vbique Deus insectatur impios.

Vers.33. *Viuo ego dicit Dominus Deus, quoniam* 76. *in manu forti, & brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos.*] Sic secum stultus ille populus meditabatur. At Deus iureiurando affirmat, licèt quocumque terrarum à Hierosolyma secedant, & in aliena religione, aut Gentium opibus, ac potentia perfugia locent, non tamen futurum, vt à suo se dominatu,atque potentia subducant: aut quæ deliquerint,impunita maneant. Neque enim ipse tantùm Iudæorum Deus est, neque eius potestas in vna tantùm Hierosolyma concluditur. Vt omnia creat,omnia fouet, & alit paterna cura;sic omnium peccata vniuersorum iudex,& vltor vindice castigat, atque traducit manu. Quare extrahet vos de populis, aut de populorum perfugio,in quo à diuino furore nihil putabatis esse metuendum;neque minus extentum brachium, aut minus ardentem, atque effusum furorem experiemini,quàm cùm extra Gentium, populorúmque conuictum,in promissæ terræ finibus ageretis. Id puto significare illud, *Educam* 77. *vos de populis,& congregabo vos de terris.* quasi dicat, perinde mihi eritis (ne tantum vobis in Gentium consuetudine, & ab Hierosolymæ secessu placeatis) ac si extracti essetis ab illo populorum conuictu, atque subsidio, aut rursus in eam regionem,vnde excesseratis,congregati. Hanc sententiam satis indicant, quæ proximè sequuntur verba. Aliæ sunt aliorum interpretum expositiones, quas hîc referre non libet, ne lectoris animum tanta, tamque parum sibiipsi consentiens sententiarum varietas fastidio sit. Maximè cùm illarum nulla aut pertexere possit capitis filum; aut effugere non pauca, quæ nescio quomodo difficiles implicant nexus, ex quibus non facile sese exoluet commentatio.

De quibus populis nunc agat Propheta, diffi- 78. cile explicatu est. An de Babyloniis tantùm,apud quos erat tunc Ezechiel, & seniores illi, qui à Propheta sciscitabantur oracula; vel certè de Ægyptiis,Ammonitis, Idumæis,ad quos constat Iudæos fuisse dilapsos; quo tempore vrgebatur obsidio, aut omnino ciuitas à Chaldæo subuersa. Ego quid alij sentiant prudens omitto,& breuiter affirmo, populos illos esse Babylonios, quod ideo mihi persuadeo,quia Seniores illi, qui cum Ezechiele deliberaturi consederunt, ex eorum numero erant,qui captiui apud Babylonios morabantur;qui tunc etiam captiuus erat Babylone. Illi verò sperare poterant, si se ad Chaldæorum religionem adiunxissent,eóque nomine ab illis aliquid gratiæ forent promeriti, exilium sibi fore pacatum. Quod ideo sibi persuadere 79. poterant; quia non adeò duram experiebantur seruitutem, cùm suam qualemcumque haberent rempublicam, & ex suo genere iudices haberent; & in consilio principes, qui de Iudæorum causis legitimo cognoscerent, & familiari iudicio. Vt probant duo illi senes, qui apud Danielem cap.13. iudices fuerunt à populo constituti, qui

Iudæi captiui suā apud Babylonios habuere rempublicam.

qui res captiuorum, causásque exponerent, quos in singulos annos renunciari solitos textus ipse facer ostendit. *Constituti sunt, inquit, duo senes iudices in illo anno,&c. Et veniebant ad eos omnes, qui habebant iudicia.* Ex quorum fortassè numero fuere Seniores isti, qui publicam causam sustinent, déque illa cum Ezechiele deliberant. Qui sanè de toto Iudæorum genere non laborant; quia neque ad illos spectabat publicus Iudæorum status, neque reliquorum, qui relicti fuerant Hierosolymæ, cura ad ipsos pertinebat; cùm ibi Rex esset, & principes, qui rebus communibus prouidere possent: neque deessent ibi quoque Prophetæ, quos in rebus dubiis consulere, & ab ipsorum ore, quid esset à Deo constitutum rogare, atque intelligere potuissent.

80. Vers. 35. *Et adducam vos in desertum populorum: & iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem.*] Hæc magis probant cogitationem nostram, quæ putat Gentem illam, quæ sibi ab alieno populo, seu ab aliena religione aliquid sperabat fore subsidij, futuram omnino desertam, vbi Deus cum illa disceptare, & admissa scelera discutere, atque punire voluerit. Neque enim contrà nitente Domino, aliquid esse virtutis, siue solatij potest ab humana manu, seu dæmonum potentia. Id enim valet, *adducam vos in desertum populorum*, vbi supplēda similitudinis nota in hanc sententiam. Deducam vos, vbi iudicandi tempus aduenerit, eò, vbi auxiliari vobis possit nemo, perinde atque si in deserto loco sitis, vbi nullus sit populus, imò nemo mortalium.

In Iudicio nullus erit peccatori subsidio.

81. *Iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem.*] Ea est Domini in summo etiam furoris æstu æquitas, & humanitas; vt non tantum iudicare homines, sed iudicari etiam ab hominibus velit; vt ex meritorum compositione vera magis integra fides, vera magis probata causa fuisse intelligatur. Sic Dominus] Isai. cap. 1. v. 18. *Venite, & arguite me, dicit Dominus.* Michææ cap. 7. *Popule meus, quid feci tibi: aut quid molestus fui tibi? responde mihi.* & Isaias iterum cap. 43. *Reduc me in memoriam, & iudicemur simul.* Vide quid nos in eam sententiam adduximus ad loca nunc citata in nostris commentariis in Isaiam. Iudicabit ergo Dominus populum suum, séque illi vicissim iudicandum præbebit facie ad faciem, præsens nempe præsentem, solus solum, ne quid speret à patronis, & arbitris futurum esse subsidij.

Deus ab hominibus iudicari vult.

82. Vers. 36. *Sicut iudicio contendi aduersus patres vestros in deserto terræ Ægypti.*] Non magis stipabunt vos Babylonij, in quorum nunc speratis potentia; aut dij, quos, spreto me, vobis auxiliares elegistis, quàm patres vestros Ægyptij, aut dij, quos in Ægypto priùs, deinde in ipso progressu, ad terram promissionis à vicinis populis sibi in tutelam, atque custodiam aduocarunt. Vt enim Patres vestri graue à mea iustitia iudicium, & plagam accepere; neque vllus precibus, aut aliis machinis, quibus leniri furor, & diuinum pectus expugnari solet, consecutus est, vt non illorum cadauera in deserto putrescerent. Sic etiam vos quasi in deserto sitis ab hominum auxilio remoti, idem manet, aut certè non admodum dissimilis exitus.

83. Vers. 37. *Et subiiciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis.*] Hic, ex interpretibus nonnulli Hieronymum secuti, aliquid agnoscunt ab humanitate, ac beneuolentia profectum. Quasi Deus libertatem promittat à Babylonico iugo; sicut parentibus olim ab Ægyptio, & talia polliceatur beneficia, qualia prioribus sæculis præstitit in deserto. Sed nihil hîc arbitror significari beneuolum, sed omnem ab stolido, atque obstinato populo misericordiam excludi; iuxta ea, quæ in principio capitis audiuimus, & nuper v. 31. vbi Senioribus Deus responsum negat esse reddendum, responsum, inquam, quale ipsi aut optabant, aut falsò credebant suis meritis deberi. Ait ergo Dominus quantumcumque Iudæi solutos se putent a diuino iugo, & aliis se legibus, ac vinculis teneri; tamen non posse diuino sceptro non esse subiectos; neque ita fœderis solutum iri vincula; vt non illis semper astricti maneant, & iuxta illa redditurì sint legitimo iudicio factorum, vitæque rationem. Quare frustrà obtendunt nationes alias à Solymitano cœlo dissitas, frustrà religionem aliam, cuius se studiosos aut prædicant, aut simulant, cùm iuxta legem, quam à Deo tam ipsi, quàm eorum parentes accepere, iudicandi sint; & violati fœderis pœnas daturi.

Quorum in iudicio exigenda est ratio.

Vers. 38. *Et eligam de vobis transgressores, & impios.*] Ostendit iam, qualénam futurum sit iudicium illud, quod in deserto à vindice Deo populus subibit. In ea namque multitudine fuere nonnulli iusti, ac pij, quibuscum egit Dominus mitiùs: fuere plerique transgressores, & impij, quos Deus à Patriæ reditu, & toties inclamata libertate prohibuit. Quibus accidit, quòd ipsorum parentibus, qui cùm ex Ægyptiis vinculis emersissent; omnes tamen, præter admodum paucos in ipsa solitudine vario successu perierunt, qui in terram Israel ingressi non sunt. Hoc idem Dominus prædicit, ac minatur Babylonicis captiuis, quorum admodum paucis reditum promittit, quia pauci non sunt, qui transgressores, & impij vocari possunt. De aliis, qui patriam, & libertatem aliquando reuisent, agemus statim. 84.

Illud hîc obseruandum, subaudiri hìc, vt antea, similitudinis formam: nam Babylonicos hîc; vt vides, Propheta cum Ægyptiis captiuis perpetuò componit. Ait ergo, sicut ex his, qui magno numero ex Ægyptia seruitute in solitudinem euaserunt, pauci in terram promissionis ingressi sunt; sic etiam nunc ex his, qui agunt apud Babylonios captiui, pauci in paternū solum postliminio redibunt, neque alij quàm pij. Quomodo è Babylone pauci, & illi iusti in patriam remigrarint, habemus ex aliis Scripturæ sacræ locis. Isai. cap. 1. *Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia.* quia non temerè, ac sine delectu iusti cum iniustis nullo habito meritorum penso reuertentur. Idem Tobias cap. vltimo, qui sic moriturus ad filium, *Domus Dei, quæ incensa est, iterum reædificabitur; ibique reuertentur omnes timentes Deum.* Neque opinor sine causa Esdras lib. 1. cap. 1. tradit post Cyri edictum egressos esse Sacerdotes, & principes, & omnes, quorum Dominus suscitauit spiritum. Hæc explicatio mihi difficilis non est, & satis extricat, quæ hîc impedita maximè videbantur. Nam quomodo, quæ de deserto hîc sæpius occurrunt, sine hac comparatione intelligi possint, non video. 85.

Ab exilio Babylonico non omnes reuocati sed pij.

86.

Vers. 39. *Et vos, domus Israel hæc dicit Dominus, singuli post idola vestra ambulate, & seruite eis.*] Ironica permissio, quasi dicat, si in vestro stupore atque væsania hærere pergitis, & errore plusquam lymphatico delusi, in idolorum fidem, atque tutelam vestræ vitæ custodiam adhuc etiam conicitis; experiemini, quanta inde succrescat malorum seges. Hic itaque loquendi modus magis ab idolorum 87.

REGVLA. *Ironia in Scriptura usitata.*

idolorum cultu idololatras abducit, quàm prudentes, & pios, ad idolorum impuram religionem hortatur.

88. *Quòd si & in hoc non audieritis me, & nomen meum sanctum pollueritis vltrà in muneribus vestris, & idolis vestris.*] Explicatio hæc est permissionis ironicæ, qua Deus iubet vt ab idolorum cultu refugiant Iudæi; neque vltrà impiis muneribus, pollutis manibus offerendis, nomen Dei polluant: polluunt etenim illi qui vana afferunt, & pollutas quasi nugis Deus, & pollutis oblectetur donis. Qui idola colunt, illisque incestas immolant victimas, iidem non possunt manus habere non pollutas; ex quibus id etiam trahunt oblata munera, vt polluta sint, neque tam gratum aspirent odorem, quàm moueant nauseam.

89. Hìc porrò duo obseruo: alterum est, *nomen meum* ex idiomatis Hebraici vsu, sumi pro *me*; quod est in Scriptura sacra frequentissimum. Quare idem est nomen polluere diuinum, ac Deum habere vilem, cui placere existimantur polluta dona. Alterum est, hic videri esse quandam aposiopesim, quæ aliquid reticet, idque aliorum cogitationi expendendum relinquit. Quale est illud Virgilij lib. 1. Æneid.

REGVLA. *Aposiopesis in Scriptura vsitata.*

Quos ego. Sed motos præstat componere fluctus.

Vt autem silentium hoc grandius aliquid sonat, quàm quælibet alia verba apertè prolata; quantumuis illa acerbitatis sint, atque minarum plena: sic quod hìc à Propheta supprimitur vim habet acrem, relinquitque magnum aliquid quod secum tacitè meditetur auditor. *nempe graues mihi dabitis pœnas*, aut quid simile. Cùm autem aposiopesis frequens sit in Scriptura, maximè cùm particula antecessit conditionalis, vt Psal. 84. *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* & Psal. 88. *Si Dauid mentiar.* & Psal. 89. *Si introiero in tabernaculum meum.* vbi graue aliquid hominum cogitationi meditandum supponitur. Sic cùm in hac siue querimonia, siue comminatione præcesserit *si* conditionalis; nil tentamus inauditum, aut nouum, cum per aposiopesim aliquid hic supplendum opinamur.

90. Vers. 40. *In monte sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi seruiet mihi omnis domus Israel.*] Hinc incipit noua clausula; post illam aposiopesim, in qua minæ continentur in eos, quibus vile fuerit, aut pollutum diuinum nomen. Nunc verò meliora promittit his, qui secùs de religione, & de diuino cultu cogitabunt, quibus reditum promittit in patriam, & secunda omnia, qualia melioribus reipublicæ sæculis habuerunt. Hæc mihi facilia sunt, totumque caput implent, & expediunt, reliqua quocumque verses modo, difficiles habent, atque contortos sensus.

91. Porrò hæc eadem Dominus populo eidem promiserat, quem esset reuocaturus ab exilio. Isai. cap. 1. populum, quem in eodem statu deprehenderet impurum, pollutum, & à quo nihil adducebatur in templum, quod non horreret, & respueret; alloquitur tamen Deus, & post expiatoriam fornacem apud Babylonios, gratum dicit esse futurum; quia id aget, vt tam suæ, quàm diuinæ voluntati seruiat, cùm iudices ad antiquum morem, non suo populum arbitratu, sed diuino instituto moderentur, illisque reliqui, iam à seipsis alij, faciles se, atque obsequentes præbeant. *Excoquam*, inquit, *ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum: & restituam iudices tuos, vt fuerunt prius: & consiliarios tuos sicut antiquitus. Post*

Qui ab exilio reuersi fideles Deo.

A *hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Et Zachar. c. 8. de hoc ipso tempore dicit Deus, *Reuersus sum ad Sion, & habitabo in medio Ierusalem: & vocabitur Ierusalem ciuitas veritatis, & mons Domini exercituum, mons sanctificatus.* Et hoc idem repetit Ezechiel vltimis suæ prophetiæ verbis, *Et nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibidem.*

Omnes, inquam, in terra, in qua placebunt mihi.] 92.
Hunc locum satis explicant, quæ proximè ex aliis Prophetis adduximus. Significatur autem magna animorum, religionisque conuersio, quando ciues, qui odio fuerant, atque fastidio, Deo in regia illa ciuitate, ac templo, eisdem in locis placituri dicuntur esse Domino, ita vt B iam amet, & probet, quæ auersabatur priùs, & horrebat. quæ statim explicatiùs enumerat. Hæc porrò luculento dicendi genere significarat Isaias cap. 62. *Vocaberis, voluntas mea in ea; & terra tua inhabitata: quia complacuit Domino in te.* Habes plura eodem capite in eandem sententiam.

Et ibi quæram primitias vestras.] Hæc eadem fusiùs cap. vltimo à versu 12. Pro *primitiis*, Heb. est 93.
תרומה *terumah*, quæ eleuationem sonat; vulgatus verò ideo videtur transtulisse primitias; cùm tamen Hebraica vox aliquid sonet commune magis, quia frugum primitiæ, dum offerentur in templo, leuabantur sursum: imò eleuatio illa, C vt non obscurè colligitur ex textu, oblatio dicebatur. De manipulis, qui altero Azymorum die consecrabantur, scribitur Leuit. cap. 23. *Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad Sacerdotem, qui eleuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabile sit pro vobis.* Adhibuit autem per synecdochen, genus quoddam sacrificij, seu oblationis, pro quacumque oblatione, seu sacrificio. Sicut Ierem. cap. 17. obseruatio sabbati, & Zachar. cap. 14. Tabernaculorum obseruatio, pro cuiuscumque præcepti obseruatione sumuntur.

Primitiæ quid.

D *Et initium decimarum vestrarum, in omnibus sanctificationibus vestris.*] Sicut תרומה, quamuis pro- 94.
priè eleuationem significet, pro quocumque tamen adhibetur dono: sic etiam ראשית *resith* licèt initium significet, aut primum; latiùs tamen patere arbitror, ad ea etiam omnia, quæ aut in frugibus, aut armentis prima non sunt. Quod nomen ideo aliis rebus commune videtur fuisse; quia in rebus omnibus primitiua sibi, aut primogenita vendicat Deus. De frugibus hordeaceis diximus nuper Leuit. 23. v. 10. de triticiis ibid. v. 16. De primogenitis habes Exod. 13. v. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Israel, tam de hominibus, quàm de iumentis.* Quare ראשית appellat dona, licèt prima non E sint, quia ex omnibus prima sibi Deus exhiberi iussit. Porrò *sanctificationes*, pro sacrificiis sumi, quæcumque illa sint in quibus necesse non est, vt quod offertur Deo, illud primum demessum fuerit ex agris, aut arboribus; aut certè primum natum in armentis.

Vers. 41. *In odorem suauitatis suscipiam vos, cùm* 95.
eduxero vos.] Quid sit aliquid in odorem suauitatis admittere, diximus suprà c. 16. v. 19. Promittit autem Dominus, talem futurum populum, quem tandem purgatum ab exilio conuerterit; vt in eo non aliter sibi placeat, quàm homo se aromate suauiter fragrante oblectare solet.

Et sanctificabor in vobis in oculis nationum.] Satis 96.
sacrifi

sacrificiis antea populus impurus polluebat potius, quàm sanctificabat diuinum nomen; quia victimæ ægræ, aut maculatæ minùs erant aptæ sacrificiis; hoc verò polluere est, & vile æstimare diuinum nomen; vt dixit expressè Malachias cap. 1. apud quem Dominus ad Sacerdotes, *Ad vos, ò Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dicitis, in quo polluimus te? si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nónne malum est?* Aut certè tunc pollutum, & vile diuinum nomen esse ostendebant; cùm vero Deo contempto, spectantibus, plaudentibúsque Gentilibus, impia obibant ad gentilicas aras, & nefaria sacra. At longè secus populus idem iam purgatus, & restitutus patriæ, in oculis nationum sanctificabit Dominum; atque ita sanctificabit religiosè, & purè, vt Deus sanctificari se dicat illius obsequiis.

Quæ munera polluere, & quæ sanctificare Deum dicuntur.

97. Si &, rationalis, siue causalis sit, quod mihi videtur non esse durum; sensus est elegans, & ad mores grauis. Etenim priùs, quia pollutæ erant Iudæorum manus, & externa tantùm, atque fucata religio, illorum sacrificia tetrum aliquid, & putidum halabant. Quare dicebat Dominus Isai. cap. 1. *Incensum abominatio est mihi.* id est, suffitus ex aromate pretioso, quia manus sanguine plenæ sunt, & rapinis. At nunc, quia vera est, & non fucata sanctitas, & quia verè in eo populo sanctificatur Deus, ideo ait Dominus, *In odorem suauitatis suscipiam vos, cùm eduxero vos de populis.* quasi dicat, quæ olim quasi putridum aliquid, & fœculentum auersabar, eadem iam mihi gratissimos aspirabunt anhelitus.

Fucata sanctitas quàm ingrata Deo.

98. Vers. 42. *Et scietis, quia ego Dominus, cùm eduxero vos.*] Satis sibi persuadere poterant Iudæi verum esse Deum, qui per Prophetas iam toties antea futura ciuitatis infortunia prædixerat, dicit tamen tunc cognituros esse verè Deum esse, quando sublatis repagulis, quæ nullo modo perfringi posse videbantur, patrios reuisant fines, longi desiderij, & desperatæ libertatis compotes effecti. Nisi mauis, quod mihi verisimilius est, cognitionem hanc Dei esse practicam, quæ mentem summittit Deo, & ad ipsius iugum ceruicem inflectit. hoc enim est verè nosse Deum. Sic Dauid ad Salomonem filium 1. Paralip. cap. 28. *Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui: & deserui ei corde perfecto, & animo voluntario.* Ioan. epist. 1. cap. 2. *In hoc scimus, quoniam cognoscimus Deum, si mandata eius obseruemus. Qui dicit nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* In hac significatione sumpsit Pharao Exod. cap. 5. cùm dixit, *Nescio Dominum.* id est, non curo quid Dominus dicat, neque eum timeo. Sic igitur hoc loco scient Dominum filij Israël ab exilio restituti, quia illum obseruabunt, & colent.

Is Deum cognoscit, qui illum obseruat, & colit.

99. Vers. 43. *Et recordabimini ibi viarum vestrarum, & omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis.*] Id efficere nonnunquam solet beneficium, maximè vbi indignis impenditur, vt peccatorum pondus, & turpitudinem prodat. Neque videtur fieri posse, nisi ab his, qui cum pudore mentem quoque penitus abiecerunt, vt sua ipse consilia non damnet, qui indignum aliquid admisit in eos, à quibus se ornari beneficiis videt. Sanè iustum se putabat, prædicabátque apud Isaiam cap. 38. Ezechias, cùm dicebat, *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* At longè aliter cogitabat de se, cùm sanitati redditus singulare à Deo profectum esse beneficium agnoscit. *Tu autem*, inquit, *eruisti animam meam, vt non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Vide quam aliter de se cogitet saluus Ezechias, quàm antea cogitarat ægrotus.

Beneficia faciunt vt grauior videatur iniuria in benefactorem.

Et displicebitis vobis in conspectu vestro.] Hic est effectus practicæ cognitionis, de qua nuper; quæ id facit vt in memoriam redeant vitæ superioris errata; quæ pungant animum, non demulceant, quæ damnet animus, non probet, aut amet, quod proprium munus pœnitentiæ est. Illud porrò *in conspectu vestro*, aliquid indicat, quod in compunctis animis agit pœnitentia. Facit enim vt peccati conscius tacitus ipse secum doleat, & in seipsum quodammodo sæuiat, & seipsum adeò non amet, vt sibiipsi fœteat, vehementérque displiceat. Est itaque displicere sibi in conspectu suo, in sua consideratione vilescere, de se minus quàm antea magnificè sentire; vt enim superbus in suis sibi consiliis, aut rationibus placet, sic etiam humilis, aut quem verè peccati pœnitet, in suis sibi cogitationibus displicet, & in illis tantùm inuenit, quod lugere debeat. Huc facit bellè Septuaginta translatio, qui ita vertunt, *& percutietis facies vestras.* nempe palmarum instictu. & Symmachus, *paruuli vobis videbimini.* Illud verò L X X. de percussa facie, hunc sensum admittit non difficile: sic vos vitæ præteritæ pudebit, ac si facies esset colaphis fœdata. Hæc eadem de hoc ipso populo, & de eodem rerum articulo dixerat cap. 6. v. 9. *Et displicebunt sibimet super malis, quæ fecerunt in vniuersis abominationibus suis.* 100.

Ex peccatorum cognitione pœnitentia.

Vers. 44. *Et scietis, quia ego Dominus.*] De hac scientia diximus nuper ad versum 42.

Cùm benefecero vobis propter nomen meum, & non secundùm vias vestras malas.] Sæpe in hoc capite ait Dominus habuisse se rationem nominis sui, & propter illud remissiùs sæpe egisse cum populo, qui propter morum improbitatem, & perfidæ mentis inconstantiam, hostilem in modum tractari, atque mactari debuisset. Hinc puto ortos illos animi pœnitentis aculeos, de quibus proximè; hinc sibiipsi displicere peccatorem, hinc rubore suffundi, hinc quasi colaphis notata esset facies, vitæ iam tædere, & publicæ lucis. Notum est illud ad Rom. 12. quo iubemur hosti benefacere, si volumus, vt illi peccati memoria, non pudorem solum, sed cruciatum afferat. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.* 101.

Vers. 45. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens.*] Hinc sine dubio noua inducitur prophetia, vt modus ipse loquendi docet. Quare quidam partem hanc extremam aut seorsum considerant, tanquam à capite 20. atque 21. separatam; quidam ad consequens caput pertinere censent, & illius volunt esse principium. Sanè Hieronymus hinc orditur nouum commentariorum librum. Sed siue ad hoc, siue ad illud caput referas, parum interest, dummodo constet, qua de re institutum fuerit vaticinium. 102.

Vers. 46. *Fili hominis pone faciem tuam contra viam Austri.*] Erat hoc tempore in Babylone Propheta; vbi, vt proximè vidimus, dura prædixerat senioribus, qui de summa rerum cum ipso delibe- 103.

deliberaturi consederant. Nunc ab illis transferri iubet Deus propheticas minas ad eos, qui reliqui fuerant in Ierusalem, totóque Iudaicæ regionis tractu. Edicit primùm vt faciem offirmet contra viam Austri, i. contra plagam illam, vbi sita Hierosolyma. Nam vt Babylon Aquilonaris est Hierosolymæ comparata; sic necesse est Australis dicatur Hierosolyma, si cum Babylone conferatur. Illud verò, *pone faciem tuam*, sic accipio, vt verba ipsa materialiter sonant. Nam & conuersus est Propheta ad partem illam, vbi sita Iudæa est, & cum ea, quasi præsens esset, minaciter locutus. Quod non parum habuit momenti; vt qui aderant, quò spectaret propheticum illud fulmen, & accuratiùs obseruarent, & clariùs intelligerent. Præsertim cùm nossent hieroglyphicis signis, & aspectabilibus actionibus Ezechielem futuros euentus solitum esse portendere. Adde quòd, quia tam Babyloniis exulibus, quàm Solymitanis ciuibus, dura plerumque nunciaturus esset Propheta, illi Deus faciem in silicis modum duram, atque rigentem attribuit. Iubetur ergo faciem offirmare, obduraréque contra saxeas Iudæorum frontes, neque ab illis quicquam formidare, etiamsi admoniti iniuriam sibi fieri clament, & exagitati fremant.

104. *Stilla ad Aphricum, & Propheta ad saltum agri meridiani.*] *Stillare* vox est, quæ ambiguos habet, imò & contrarios metaphoricos sensus. Vt enim pluuia quædam est sedata, & mollis, quæ terram rigat, impinguat, & oblectat; rursus alia vehemens, inimica, horribilis, quæ disturbat, dissipat, & disperdit omnia: sic sermo, cui pluuia in Scriptura dicitur esse similis, interdum est benignus, placidus, sic suauiter influens, sicut pluuia in vellus; interdum etiam asper, procellosus, & minax, qui dicitur nimbus, qualis est, qui Ægyptios agros, & pecora populatus est, de quo Exod. 5. v. 23. *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti, & grando, & ignis mixta pariter ferebantur.* Hanc nimbosam, & inimicam pluuiam descripsit optimè Latinus poeta Georg. 1.

Stillo aliquid significat benignum, & mite, aliquid interdum aduersum.

Sæpe etiam immensum cælo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther,
Et pluuia ingenti sata læta, boúmque labores
Diluit: implentur fossæ, & caua flumina crescunt
Cum sonitu, feruétque fretis spirantibus æquor.

Sic in Scriptura *stillare* interdum pluuiam aliquam sedatam, & mollem, interdum verò turbidam, & horribilem sonat. De priore est illud Moysis Deut. 32. *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum: quasi imber super herbam, quasi stilla super gramina.* & illud Amos 9. & Iocl. cap. 3. *Stillabunt montes dulcedinem.* De

105. posteriori sunt exempla plura. Dan. cap. 9. *Stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysis serui tui, quia peccauimus ei.* Amos 7. *Et non stillabis super domum idoli.* 2. Paralip. cap. 12. *Non stillabit furor meus super Ierusalem.* & ibid. c. 34. *Idcirco stillabit furor meus super locum istum, & non extinguetur.* In hanc omnino significationem sumitur hoc loco *stillo* apud Ezechielem. vel quia sermo propheticus, qui dura, atque horribilia denunciat; instar obtinet nubis obscuræ, ac densæ, quæ pro imbre sedato, ac molli grandinem iaculatur, & fulmina. neque enim

A minus terrificæ sunt propheticæ, quàm meteoræ, siue cœlestes minæ.

Quamuis autem *stillo*, ac *fluo*, & similia, in o- 106.
rationem, quæcumque illa sit, aptè conueniant, vt oratio fluere dicitur, & si parum est acrior, fulminare, ac tonare; vnde etiam Ezechielis oratio, quæ minarum est, atque horroris plena, aptissimè dici posset stillare, tonare, fulgurare; tamen alius mihi videtur commodior sensus, magísque Scripturæ sacræ vsui accommodatus. Nam ex Scripturæ vsu id ab aliquo fieri aut dicitur, aut censetur, quod ab eo faciendum declaratur, quomodo Isaias cap. 6. excæcaturus dicitur cor, aggrauaturus aures, & clausurus oculos; quia denunciabit excæcandum esse populi cor, aggrauandas aures, claudendos oculos. & Ieremias cap. 1. constitutus dicitur vt euellat, & destruat, ædificet, & plantet; quia id prophetico illius sermoni propositum est, tanquam vaticinij materia. Ad hunc ergo modum existimo edici Prophetæ, vt stillet ad Aphricum; quia illius vaticinij argumentum est strages, & dolor, quæ in regionem illam stillabit aliquando diuinus furor.

Est autem Aphricus, aut meridianus ager, 107.
idem qui Auster, de quo proximè: tot enim modis explicatur Ierusalem, & quantuscumque est Iudæorum tractus, voces verò synonymæ C epitasim habent non vulgarem; significatur enim & rerum certitudo, & grauis offensio eius, qui toties nominat regionem illam, in quam districtum habet ferrum, & furorem armatum. Quæ figura in hunc vsum frequens est apud profanos; & apud Scriptores sacros frequentissima.

Vers. 47. *Ecce ego succendam in te ignem, & com-* 108.
buram in te omne lignum viride, & omne lignum aridum, & non extinguetur.] Accommodatè ad metaphoram meridiani saltus, in quo Ierusalem intelligitur, ac tota etiam Iudæorum plaga, dicit saltum illum sic esse vastandum hostili flamma, vt nihil sit futurum reliquum ab incendio; non D lignum aridum, quod facile arripuit, atque consumit ignis, non lignum viride, quod licèt diutius cum flamma colluctetur, redigitur tandem in fauillas. Porrò in ligno arido, ac viridi, duo hominum exprimuntur genera, in quibus omnes hominum status, atque ordines comprehenduntur. nempe qui tenui sunt fortuna, & viribus infirmi, quíque in republica aut censentur inutiles, aut nullo numerantur loco; sicut in saltu lignum aridum perinde existimatur ac si non esset. Et qui potentes sunt, quibúsque nonnulla inest ad repugnandum facultas; qui hostilem morantur impetum, & victoriam retardant, hi lignum vocantur robustum, & viride, E cedri nempe, Libani, & quercus Basan. Sanè Eunuchi, quasi infirmi essent, & rebus communibus inutiles, lignum se appellant aridum apud Isaiam cap. 56. *Et non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum.* Et eodem appellantur nomine, qui abiecti dicuntur à Domino, Eccli. cap. 6. *Et relinquaris velut lignum aridum in eremo.*

Prouerb. lignum viride, & aridum.

Sed fortasse in ligno arido, & viridi, iusti in- 109.
telliguntur, & impij. Iusti enim propter virtutem, quæ succus quidam est, qui nobilem plantam sustentat, & nutrit; lignum dicuntur viride, quod non tam debetur flammis, quàm Regum deliciis. Impij verò, in quibus nullus est virtutum succus, nulla viriditas, nullus flos, cœlesti deuoti sunt incendio. Sanè Christus Lucæ cap. 23.

In ligno arido, peccatores, in viridi iusti intelliguntur.

cap.23.v.13. In ligno arido,& viridi iustum intellexit, & impium. *Si in viridi ligno hæc faciunt,in arido quid fiet?* Erit ergo sensus; omnes eo tempore,cùm durius stillauerit furor, esse perituros, neque ipsis etiam iustis esse parcendum. Quod dixit apertiùs cap.21.,v.3. *Eiiciam gladium meum de vagina sua,& occidam in te iustum,& impium*;quo tamen sensu,dicemus eo loco.

110. *Et non extinguetur flamma succensionis.*] Heb. להבת שלהבת *la hebeth salhebeth.* id est, flamma flammæ, qui dicendi modus aliquid significat continuum, sibíque vicissim perpetuò succedens, quæ non extinguetur, aut deficiet, donec tam Solymitana ciuitas, quàm Iudæa tota penitus consumantur.

111. *Et comburetur in ea omnis facies ab Austro vsque ad Aquilonem.*] Latè grassatura dicitur illa flamma, quæ Iudaicos inuadet, & populabitur fines. Sed hîc duo occurrunt nonnihil impedita, quæ expediamus oportet; alterum quid sit *faciem comburi*: alterum quid hoc loco sit, *ab Austro vsque ad Aquilonem.* Per faciem personam describi,cuius dicitur esse facies,res est nota,& exempla in Scriptura sacra nusquam non obuia. Vnde *facies gladij, venti, frigoris, tempestatis, olei*, idem omnino est quod gladius,ventus, frigus, tempestas, & oleum. Qua de re nos pluribus ad illud Isaiæ cap.27.*à facie vinculi colligati.* Iuxta hæc sensus esse posset non difficilis, omnes facies, id est, omnes animas fore comburendas, ab ea flamma, quam Dominus in saltum illum meridianum inducet.

Facies alicuius pro eo, cuius est facies.

112. Sed eó plures inclinant, vt cogitent comburendas esse facies,aut pudore,cùm insigne dedecus subeundum sit, quod ardere facit, & ignescere ingenuas facies; aut quòd futuræ sint luridæ,aridæ,atque combustæ facies præ fame,morbo, atque aliis angustæ, ac longæ obsidionis incommodis. Et hæc explicatio mihi potior; eo maximè nomine,quòd aliis etiam Prophetis hic dicendi modus ad explicandas huiusce temporis ærumnas,familiaris est; & quia hoc afflictæ, desperatæque gentis illustre signum est. Sic Isaias cap. 13. *Vnusquisque ad proximum suum stupebit,facies combustæ,facies eorum.* Nahum 2. *Facies omnium eorum vt nigredo ollæ.* Ierem. 30. *Conuersæ sunt vniuersæ facies in auruginem.* & Thren. cap. 4. *Denigrata est super carbones facies eorum.* & iterum Thren. cap. 5. *Pellis nostra sicut clibanus exusta est.* Cur verè aliquis à fame, ac peste exuri dicatur, docuimus suprà cap.5. ad illud, *tertia pars tui peste morietur.*

Facies combusta ærumnosam conditionem indicat.

113. Alterum est, quid sit,*ab Austro vsque ad Aquilonem.* Communis est interpretum sententia, hac dicendi forma comprehendi Iudæos omnes, tam qui ad Austrum sunt, id est, in Iudeæ finibus, qui sub hæc tempora securi sibi videbantur; quàm qui apud Babylonios, qui Aquilonares sunt, exules agebant. Vtrosque enim corripiet hostile illud incendium, & illorum facies fame,ac peste,seu certè graui comburet ignominia. Hæc mihi difficilia non sunt,& quia pluribus placent,non possunt mihi non placere. Verumtamen aliquid in hac sententia video, in quo minus acquiescit animus. Nam quæ hic dicuntur, ad Austrum pertinent, & meridianum saltum; id est,ad Ierusalem, tractúmque Iudæorum. Ad hæc enim stillare, seu prophetare iubetur Propheta; quia de Babylonis exulibus satis multa in eo,quod antecesserat,capitis.Quare mihi valde videtur verisimile ab Aquilone hic nihil spectari Babylonicum, sed his duobus terminis, latissima Iudaicæ regionis spacia definiri. Vt enim Aquilo, & Auster, extremi sunt terrarum anguli; sic extremi fines cuiusque regionis, ab Aquilone, & Austro describuntur. Erit igitur sensus,nullam partem Iudaicę regionis futuram esse liberam ab incendio; ab Aquilonari plaga ad Australem vsque, id est, à principio ad finem. Quæ sententia ita mihi placet, vt priorem non respuam.

Vers.48. *Et videbit vniuersa caro, quia ego Dominus succendi eam.*] Facile viri prudentes, sicut è vestigio eum, à quo impressum est, sic etiam ex effectu causam, vnde manauit, inquirunt, & inueniunt. Si præaltos montes rigatos videant, & humentes,cœlestem coniectant esse pluuiam, quia illud vident ab humana siue prouidentia, siue industria præstari non posse. Si ardere saxa, dissolui montes, & metalla colliquefieri, conflagrare subito, atque inspirato incendio ciuitates,vt de Pentapoli legis Genes. cap. 19. statim suspicaris illa tacta fuisse de cœlo, & à diuina offensione profecta. Neque id soli viri sancti,& diuinis legibus instituti, sed viri etiam externi, quibus aliquid inerat mentis, coniectabant: qui magnos motus, & subitos casus diuino tribuebant consilio, & vltrici manui. Cùm ergo Iudæi, quorum oculos aperuit longa vexatio, qui subitas strages, & rerum conuersiones à Deo factas parentum suorum memoria didicissent, viderant per suos fines sic esse grassatam Babylonicam flammam, vt nihil esset reliquum ab incendio; facile ex ea strage tam subita, & tanta cognoscere potuerunt, non tam à Babylonica, quàm à diuina manu rem esse peractam. Omnis itaque caro, Iudaica nempe, quantumcumque stolida,cognoscet tamen illius incendij facem à Domino fuisse coniectam, potius quàm à Chaldæorum exercitu. 114.

Vers.49. *Et dixi A, a, a, Domine Deus: ipsi dicunt de me,numquid per parabolas loquitur iste?*]Totus hic sermo parabolicus est, & ænigmaticus, ita enim de ciuitatis, populíque Iudaici excidio loquitur, vt nihil audiamus præter *Austrum, meridianum saltum,lignum aridum,& viride, flammam,& incendium.* Hic verò loquendi modus obscurus est: neque notus omnibus,his saltem,qui è vulgo sunt, neque eiusmodi sermonibus assueti. Quare iustè videtur Propheta queri, quòd Dominus illud præscribat obscurum orationis genus,quod quia parabolicum est, aut ignorabunt multi,aut ab aliis prophetica indignum fide existimabitur. Certè Christus cùm parabolis vteretur ad alios, cum discipulis tamen sine parabolis loquebatur, cuius ipse rationem dedit Lucæ cap.8. v.10. *Vobis,* inquit ad discipulos, *datam est nosse mysterium regni Dei; cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* 115.

Queri præterea poterat, quia cum signis hucusque prophetasset,illisque eiusmodi,vt iuxta hominum iudicia non procul abesset ab insano, eóque nomine fortasse apud alios ipsius fama laboraret, si nunc verbis vteretur alienis, & obscuris,delirus censeretur, & amens. Quod ipse videtur significasse tacitè, cùm hunc aliorum de se familiarem sermonem esse dicit.*Numquid per parabolas loquitur iste?* Ac si dicant, delirus hic est, qui nouum inducit, ambiguum, & implexum orationis genus. Ita Theodoretus, Dionysius, Lyra, & Maldonatus, & ex Hebræis Rab. 116.

Rab. Dauid. Hieronymus vocem illam excommiseratione natam esse putat; quasi oret Propheta Dominum, vt vindices flammas ab incen- A dio cohibeat, suique populi misereatur. Aut vt prouinciam illam alteri committat, neque duri illius incendij se vatem esse velit.

IN CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

ARGVMENTVM.

EGERAT præcedenti capite Propheta contra Iudæos, qui tunc exules apud Babylonios morabantur: nunc iubetur à Domino, vt faciem contra Hierosolymam obuertat, illique grauem à Chaldæis interitum denuntiet: quóque magis memoriæ, atque animo Prophetæ infigantur minæ, iubet vt id non tantùm indicet vocibus, sed etiam rebus, signisque portendat. Quare habitum assumit, & motus fœminæ, quæ cum duro, ac periculoso puerperij dolore conflictatur; percutit femur, collidit manus, quæ signa sunt mœrentis animi, & subito aliquo horrore percussi. Docet deinde quomodo in biuio Nabuchodonosor captata gentilico more diuinatione ad Hierosolymam potius, quàm ad Ammonitidem regionem arma conuerterit. Pòst Ammonitis, qui se à Babylonico ferro securos putabant, idem esse subeundum infortunium docet, quod antea Iudæis. Ad extremum Babyloniis à Persico exercitu extremam vastitatem prædicit.

CAPVT XXI.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:*

2. *Fili hominis pone faciem tuam ad Ierusalem, & stilla ad sanctuaria, & propheta contra humum Israël:*

3. *Et dices terræ Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & eiiciam gladium meum de vagina sua, & occidam in te iustum, & impium.*

4. *Pro eo autem quòd occidi in te iustum & impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro vsque ad Aquilonem:*

5. *Vt sciat omnis caro quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irreuocabilem.*

6. *Et tu fili hominis ingemisce in contritione lumborum, & in amaritudinibus ingemisce coram eis.*

7. Cúmque

PARAPHRASIS.

B 1. POst hæc locutus est ad me Dominus in hunc modum:

2. Fili hominis, audi nunc clariùs, quod tibi proximè significatum est obscuriùs: mitte tantisper contribules tuos, qui captiui agunt apud Babylonios; & faciem tuam ad illos obuerte, qui habitant in finibus Israël, & primùm vultu ad Hierosolymam offirmato vaticinare cõtra Sanctuarium, & templum, & deinde contra regionem totam Israëlitidem.

3. Et verbis meis hæc annũciabis Israëlitidi terræ. Pugnandum est tibi, ô Hiero-
C solyma, non cum Babyloniis, quorum nomen times, sed mecum. Ecce ego ad te tanquam dux adducam acies Babylonicas, & gladium meum, quem tibi sæpè minatus fueram; quémque hactenus in vagina condideram, eximam tandem, & ita grassabitur latè, vt cum impiis, pios quoque interimat.

4. Quia iam decreui, ô Ierusalem, è tuo genere parcendum esse nemini; ideo eximam ferrum, quod iam pridem hæserat in vagina, adigámque in omnem car-
D nem Israëliticam ab Austro, vsque ad Aquilonem, à principio videlicet, vsque ad fines regionis.

5. Sic ero in mulctando populo seuerus, & constans; sic gladius, quem è vagina eduxi, destinatum consequetur finem, vt omnes intelligãt vrgeri se potius à mea, id est, diuina, quàm à mortali manu.

6. Et tu, fili hominis, clamores, & eiulatus tolle ad similitudinem puerperæ, cui in difficili nixu soluuntur lumbi, & disrũ-

puntur

7. Cúmque dixerint ad te: Quare tu gemis? dices: Pro auditu, quia venit, & tabescet omne cor, & dissoluentur vniuersæ manus, & infirmabitur omnis spiritus, & per cuncta genua fluent aquæ: ecce venit, & fiet, ait Dominus Deus.

8. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

9. Fili hominis propheta, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Loquere: gladius, gladius exacutus est, & limatus.

10. Vt cædat victimas, exacutus est: vt splendeat, limatus est: qui moues sceptrum filij mei, succidisti omne lignum.

11. Et dedi eam ad leuigandum, vt teneatur manu: iste exacutus est gladius, & iste limatus est, vt sit in manu interficientis.

12. Clama, & vlula fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israël qui fugerant: gladio traditi sunt cum populo meo, idcirco plaude super femur.

13. Quia probatus est: & hoc, cùm sceptrum subuerterit, & non erit, dicit Dominus Deus.

14. Tu ergo fili hominis propheta, & percute manu ad manum, & duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum: hic est gladius

A puntur viscera; ingemisce, inquam, sicut fœmina, quæ graui laboras puerperio in conspectu contribulium tuorum.

7. Cùm autem illi te de graui illo gemitu rogauerint, causámque quæsierint illius; hanc illis rogatus rationem reddes: Quia tonantem audiui Dominum, & fulminantem metuo; neque enim diuinæ minæ erunt à successu vacuæ. Tunc verò excidet omnium animus, & consilium peribit; deficiet robur, & manus dissolutæ lãguescẽt, & spiritus qui strenui esse debuerant, B frangentur; & genua, in quibus magnum est corporis firmamentum instar aquæ liquescent, & fluent. Hoc verò tempus, dicit Dominus, iamiam impendet, in quo, quod minax hocce vaticinium prædicit, exitum habebit, & fidem.

8. Iterum hunc in modum locutus est Dominus ad me:

9. Fili hominis, propheta & dices, dices, inquam, hæc nomine meo: instare iam hostiles acies, exacutum esse, atque limatum esse gladium, & omnia ad bellicam C expeditionem esse parata.

10. Non sine causa exacutus est, atque limatus gladius; exacutus namque est vt cædat gentem Israëlitidem, tanquam victimam destinatam aræ; limatus verò vt in acie fulgeat, consternationem, & metum hostibus importet; & sceptrum Israëliticum à genere Dauidico remoueat, & ad Babylonios transferat; succidátque ligna omnia, quæ in densa, ac lata sylua in regione Chanaanitide creuerunt.

D 11. Ne verò gladius grauis sit & militis vrat, aut exulceret dexteram, quo teneri manu commodiùs possit; feci vt leuigaretur, ac poliretur capulus: quare vt ille faciliùs, vtiliúsque versetur in bellatrice dextra, exacutus, atque limatus est.

12. Gladius iste grassatus est in populum, magnámque in illum stragem edidit, atque etiam in duces, & principes Israël, qui se communem stragem euasisse credebant, qui tandem postea ferro cum alia E multitudine sublati sunt. Quare, ô Ezechiel, ad gemitus, & vlulatus externa alia adhibe doloris signa; & femur percute, quod in subito, atque acerbo casu naturale signum est.

13. Clamandum est tibi, ô Ezechiel, ait Dominus, quia gladius ille probatus est mihi, gratúsque qui ita subuertit Iudæorum regnum, vt nullæ ex eo reliquiæ supersint.

14. Tu ergo fili hominis Propheta, & ad ictum femoris, manuum quoque complosionem adiice: & gladium durum, atque

dius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit, & corde tabescere, & multiplicat ruinas.

15. *In omnibus portis eorum dedi conturbationes gladij acuti, & limati ad fulgendum, amicti ad cædem.*

16. *Exacuere, vade ad dexteram, siue ad sinistram, quocumque facies tuæ est appetitus.*

17. *Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam, ego Dominus locutus sum,*

18. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens:*

19. *Et tu fili hominis pone tibi duas vias, vt veniat gladius regis Babylonis: de terra vna egredientur ambæ: & manu capiet coniecturam, in capite viæ ciuitatis coniiciet.*

20. *Viam pones vt veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, & ad Iudam in Ierusalem munitissimam.*

21. *Stetit enim rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiscens sagittas: interrogauit idola, exta consuluit.*

22. *Ad dexteram eius facta est diuinatio super Ierusalem, vt ponat arietes, vt aperiat os in cæde, vt eleuet vocem in vlulatu, vt ponat arietes contra portas, vt comportet aggerem, vt ædificet munitiones.*

23. Ezique

A que horribilem denuncia, duplicatum scilicet, imò & triplicatum in hostili manu, qui ingentem edet stragem, qui stuporem inducet, qui spiritus franget, & consilium eripiet, quo incumbente graui ruina collabetur ciuitas, & res Iudaica miserandum in modum attereretur.

15. Nullæ erunt domus, nullæ portæ, neque priuatæ, neque publicæ, quas non conturbet, atque inuadat gladius ille acutus, & limatus, & iamiam quasi gestiens, & expeditus ad cædem.

B 16. O igitur gladie exacue te, & ad cædendum compara; & eò irrumpe siue ad dextram, siue ad sinistram, quò te magis cædis, ac sanguinis appetitus rapit.

17. Quinetiam ego tibi adero tanquam dux, & cum stratis, atque debellatis hostibus, indignationi meæ satisfecero, gaudere me, atque triumphare festiua manuum complosione significabo.

18. Et rursus locutus est ad me Dominus, dixitque:

C 19. Et tu fili hominis, statue duas vias, quæ ex eodem ortæ principio in diuersa tendant: per alteram enim illarum venturus est gladius, quem acuit, limauitque Rex Babylonius, in ipso viarum diuortio coniectando explorabit, vtram in manum sinistrámne, an dexteram, diuertendum sit; in ipso, inquam, biuio, cùm primùm egressus fuerit ex vrbe.

20. Constitues tibi ante oculos biuiũ, vbi stabis quasi diuinans, aut consulens sortes, an belli pondus in Rabbaath, quæ est in regione Ammonitide, conuerti de-
D beat vel in Ierusalem ciuitatem munitam, & Regni olim Israëlitici primum caput.

21. Id verò eo consilio facies, vt in eo reliquis ostendas quid in inferendo bello facturus sit postea Nabuchodonosor. Stabit etenim ille in biuio, & captata diuinatione, siue sagittis in id consilij ex arte coniectoria compositis, siue extispiciis, aut falsorum deorum oraculis deliberabit vtram in partem inuehat Babylonicas vires.

E 22. Exiit tamen sors, quæ iussit, vt dexteram in partem mouerentur castra, admonuitque Regem, vt omnem militarem instructum adornaret, vt admoueat arietes ad verberandos muros, & effringendas portas, aggerem comportet, & vallum, munitionésque alias ad vrgendam obsidionem; denique vt suos voce, & auctoritate imperatoria ad rem strenuè gerendam adhortetur; & bellico celeusmate ad effundendum sanguinem militum animos accendat.

23. Cùm

23. *Erítque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum, & sabbatorum otium imitans: ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum.*

A 23. Cùm hæc omnia compararet, atque instruat Babylonius, securo animo illius conatum irridebunt Iudæi, quasi futurus esset prorsus inanis; quasi frustrà consuluisset sortes, & exta; & stulta, ac vana obtenderet oracula, cùm nihilo magis esset facturus dum & ipse ardet, & reliquos inflammat, quam Iudæus in sabbato, in quo aliquid operis assumi religio vetat. Sed ipse interea Babylonius non erit otiosus, sed memor iniuriæ, ac violati fœderis omnes intendet bellicos neruos, B vt capiat, & excindat ciuitatem.

24. *Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd recordati estis iniquitatis vestræ, & reuelastis præuaricationes vestras, & apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris: pro eo, inquam, quòd recordati estis, manu capiemini.*

24. Pro eo quòd ita peccastis impudenter, & palam, vt scelera vestra in omnium oculis defixeritis; neque enim iam in secessum, & latebras peccata vestra coniecistis; sed in publicam lucem euocastis, venireque fecistis in aliorum memoriam, & quæ prius apud animos, cogitationésque vestras occultè premebatis, eadem in opus prodierunt externum: pro eo, inquam, quòd perfecistis vt alij & C præsentia cognoscerent peccata, & præteritorum recordarentur, occupabit ciuitatem hostis, & manu capiet ciues, déque illis suo statuet arbitratu.

25. *Tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita:*

25. Tibi autem, ô Sedecia Rex Israel, iamiam imminet tempus definitum à me, in quo vindex exercitus Chaldæorum de tuis sceleribus pœnas sumet: & cum oleo vnctus regio sacratus sis, quémque pulsare, ac violare nemini liceat; ita tamen tractaberis crudeliter, atque ignominiosè, ac si omnino profanus esses, & vnus è turba.

26. *Hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam: nónne hæc est, quæ humilem subleuauit, & sublimem humiliauit?*

D 26. Quare, ô Rex iam profane, depone coronam, aufer Cidarim, regia videlicet insignia; neque enim tam tibi in regio, ac sacro ordine ampliùs viuendum est. Hæc porrò corona, vt abiectos illustrat, & attollit, dum ad thronum euehit; sic eadem detracta è regio capite superbos spiritus deprimit, & eo magis abiicit, quo maiori antea in honore fuerant.

27. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam: & hoc non factum est, donec veniret cuius est iudicium, & tradam ei.*

27. Hæc tibi corona, & Cidaris, quam nunc honoris ergò gestas in capite ter maxima tibi pariet infortunia. Hoc verò neque dum perfectum est, neque comple- E bitur, donec id ego negotij Babylonio tradam, qui de tuo iudicabit capite: déque illo auferet regium insigne.

28. *Et tu fili hominis propheta, & dic: Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, & ad opprobrium eorum, & dices: Mucro, mucro, euagina te ad occidendum, lima te vt interficias, & fulgeas,*

28. Nunc autem, ô fili hominis, ad Ammonitas vaticinium conuerte, & ad conuitia, quibus alienis incommodis exultantes Iudæorum populum insectati sunt; & eundem gladium contra illos aduoca, qui contra Iudæos priùs districtus est. Cui dices meo nomine, ô mucro exime te à vagina, exacue te è lima, & terge vt occidas, & fulgeas.

29. *Cùm tibi viderentur vana, & diuinarentur mendacia: vt dareris super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita.* A

29. Vanos, ô mucro, putant Ammonitæ tibi futuros esse conatus, & futiles impetus; quia diuinationes de te, ac de sua clade vanas esse credunt: at tu, cùm tempus illorum stragi definitum aduenerit, in illorum collum, qui sibi nil tale metuebant, aduolabis.

30. *Reuertere ad vaginam tuam in loco, in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ iudicabo te, & effundam super te indignationem meam; in igne furoris mei sufflabo in te, dabóque te in manus hominum insipientium, & fabricantium interitum.*

30. Postquam Iudæos, atque Ammonitas confeceris, ô mucro Babyloniæ, in tuam rursus recondêre vaginam; neque enim est, cur in aliena, atque hostili regione quicquam timere debeas. Neque B tamen ideo te omnino à metu, atque sollicitudine libero; nam vbi externos tibi populos pugnando subegeris, pœnas tu quoque dabis in terra natiuitatis tuæ, eorum, quæ in dato tibi negotio impiè, atque crudeliter egisti. Eo in loco me infensum experieris, & vltorem, quem priùs ducem, & patronum habueras: euomam enim contra te furorem meum, quem sic excitabo, sicut flatu excitatur, & accenditur ignis. Tradam te in hominum potestatem, qui truculenti sunt, & audaces, apud quos non tam valent instituta, & leges, quàm lacerti, atque arma; neque C aliam artem didicere, nisi illam, quæ instrumenta aut cudit, aut format, quibus armantur milites, aut oppugnantur vrbes.

31. *Igni eris cibus, sanguis tuus erit in medio terræ, obliuioni traderis: quia ego Dominus locutus sum.*

31. Ignis te conficiet, ô mucro Babyloniæ, seu potiùs ô Babylon, & fines tui effuso tuorum sanguine redundabunt; eóque redigeris, vt tui apud omnes intereat memoria. Neque verbis hisce pondus aberit; quia non humana sunt, quæ aliquando fallunt; sed diuina, quæ ne fallere alios, neque falli possunt.

Vers. 2. *Fili hominis pone faciem tuam ad Ierusalem, & stilla ad Sanctuaria, & propheta contra humum Israel.*]



1. EX his colligere mihi videor propriam eorum, quæ proximè antecessere, sententiam. Dolebat Propheta quod propheria superior verbis esset impropriis, & parabolicis implexa. Cùm enim spectaret Ierusalem, Iudæorumque fines, non tamen Ierusalem, Iudaicive tractus audiebatur nomen. Iam ergo Dominus votis annuens, ac precationi Prophetæ, verbis vtitur propriis, atque simplicibus, de quibus nemo, cui res foret explorata Iudaica, dubitare posset. Neque enim iam auditur *Auster*, aut *saltus meridianus*, sed apertè *Ierusalem*, *sanctuarium*, & *humus Israel*; neque *lignum aridum*, & *viride*; sed qui his nominibus obscurè notabantur, *iustus*, & *impius*. Commemorantur autem tria, in quæ maximè sæuiit Babylonicus, seu veriùs diuinus furor, nempe Ierusalem, & templum, tota denique Israelis plaga. Vocantur autem *sanctuaria* in plurali numero, cùm tamen v- D num sit Salomonis templum, in quod vaticinium istud minax intenditur; quia templi plures erant partes, quæ nomen à sanctitate sumpserant, vt *Sanctum seculare, sancta, & Sancta sanctorum*; neque quidquam erat in tota illa templi latitudine, quod sanctum vocari non posset; vtpote diuino cultui consecratum. Quid sit stillare, proximè diximus, neque aliquid succurrit nouum quod addamus.

Vers. 3. *Ecce ego ad te: & eiiciam gladium de vagina sua.*] Verba priora grauissima sunt; & durum aliquid, atque horribile cogitare nos iubet. 2. Tu hic supple, quod prudens tibi ratio præscribit: nam aposiopesis, qua in principio vtitur Dominus, id tibi concedit. Certum est enim aliquid hic esse suppressum, atque inuolutum, quod prudens, & attentus lector cogitando exprimere potest, & euoluere. Hoc autem videtur subaudiri posse. Non tibi ô Hierosolyma futurum est certamen cum Babyloniis, quorum horres nomen, *Durum est habere Deû aduersarium.*

&

& de quorum potentia multus vbique sermo. Mecum tibi futura res est; quem multis hucusque iniuriis prouocasti: pugnandum tibi est, non cum mortali manu, quæ frangi potest, atque lassari; sed cum diuina, quæ neque debilitari pugnando potest, neque ab illa vllum iacitur irritum, aut inane telum. Ecce ego ad te tanquam dux, & auctor adducam Babylonicas acies, quas in tuam ignominiam, & exitium armaui; illis ego præero, efficiámque ne quid vtile contra illorum conatus, & mea consilia moliaris.

3. *Et eiiciam gladium meum de vagina sua.*] Continuerat diuina potentia, & paternus amor gladium scelerum vindicem in vagina; neque illum impiorum sanguine cruentarat; expectabat enim, vt suorum illi meritorum admoniti, mutarent mentem, atque ideo sæpe spiritu suo Prophetas afflauerat, miserátque quotidie; vt & vitam exprobrarent impuram, & si qua fieret instituti mutatio, paratam illis indulgentiam promitterent. Interim verò gladius, quem sæpe Dominus Iudæorum iugulis intentarat, hærebat conditus in vagina: quia Deus, qui non tam est ad vindictam præceps, quàm ad miserendum pronus; recusabat illum in Iudæorum capita destringere. Effecit tamen obstinata perfidia; vt toties lacessitus furor, & ira iam diu congregata tandem erumperet. Quare exemit Deus è vagina gladium, grassaríque iussit hostilem in modum, in Iudæorum finibus.

4. *Et occidam in te iustum, & impium.*] Quomodo cum impiis Deus iustos quoque perimat aliquando, diximus suprà cap. 18. Quomodo verò hoc etiam tempore occidendus dicatur cum improbo iustus, explorandum est. Negarat hoc olim de Deo Abraham Gen. 18. *Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiátque iustus sicut impius. Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram.* Quare Septuaginta aliter legunt. ἐξ ὀλοθρεύσω ἐν σοὶ ἄδικον, καὶ ἄνομον. id est, *delebo ex te iniustum, & iniquum.* Chaldæus, *Migrare faciam ex te iustos tuos, vt perdam peccatores.* Sed Hebraicus textus hanc interpretationem non admittit, neque, vt suprà dicebamus, & notauit Hieronymus, aliud hîc apertè significatur in *iusto*, atque *impio*, quàm paulo antè obscuriùs in *arido ligno*, ac *viridi*. De iusto itaque, & impio sermo est, sed quis sit iste iustus, adhuc explorandum.

Iusti quomodo occidendi cum impiis.

5. Salmeron Prolegom. 9. quinquag. 1. Can. 39. non simpliciter, ac verè iustum esse putat, sed tantùm hominum opinione. Quare hanc esse putat huius loci sententiam, non tantùm perituros eos, qui omnium iudicio putantur esse scelerati, & dignissimi ferro, atque igne; sed etiam qui vulgo existimantur sancti, indignique qui aliquid patiantur aduersi. Adducítque regulam sanè verissimam; & qua nobis necessariò sæpius vtendum est, quam antè Hieronymus tradiderat in cap. 14. Matthæi sub initium. Eandem repetit lib. contra Eluidium, & in cap. 28. Ieremiæ. *Multa*, inquit, *in Scripturis sanctis dicuntur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, & non quòd iuxta quod rei veritas continebat.* Sic multi dicuntur Prophetæ, cùm tamen pseudoprophetæ forent; quia astu quodam, & simulatione sanctitatis apud imperitum, & credulum vulgus Prophetarum sibi opinionem conciliarunt. Sic Mat. c. 11. Pharisæi, & Scribæ prudentes, & sapientes appellantur à Christo, cùm tamen longè ab illis abesset prudentia, atque sapientia, quia tales existimabantur ab aliis; aut quia illorum nomen, &

REGVLA. *Multa in Scriptura dicuntur iuxta opinionē hominum.*

A munus tales exigebant. Cum Salmerone sentit Pradus; neque mihi displicet.

Verumtamen placet multo magis sermonem hîc esse de illis, qui verè iusti sunt. quod cum Hieronymo censent plures alij, in quibus sunt Hugo, Lyra, Maldonatus. Et ratio est, quia id indicat modus ipse dicendi, qui ad figuratos sensus detorquendus non est; cùm grauior contrà ratio non premit; & quia reuera ita accidit. Multi enim viri sancti, aut in obsidione, aut in exilio, & fuga interfecti sunt: vt de Ieremia constat, qui lapidibus oppressus fuit in Ægypto, & Ezechiel ipse, vt in principio vidimus in Babylone. Sanè de hoc ipso tempore loquebatur Dauid Psal. 78. 6.

B cùm dicebat, *Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.*

Sed obstrepet aliquis, dicétque suprà cap. 9. viros iustos à viro linteato signatos in fronte, vt ab illis Babylonicus furor gladium cohiberet, & hostilem vim. Hi verò non videntur occubuisse, quo tempore obsessa est, atque subuersa Hierosolyma. Huic ego respondeo, non iustorum omnium frontibus impressum fuisse Tau, sed eorum, qui & populi ruinam, & abominationes, quæ in eius medio visebantur, lugerent. Præter 7.

C hos etiam credibile est alios fuisse plures, qui cùm iusti essent, non tamen aut publicam caussam, aut populi peccata lamentabantur. Adde quòd qui à patria exciderunt, mortui dicuntur, sicut etiam rami à stipite reuulsi. Vnde exules Babylonij, qui ferro in obsidione sublati non sunt, mortui vocantur, & exilium ipsum dicitur sepulchrum apud hunc ipsum Prophetam cap. 37. v. 12. *Hæc dicit Dominus Deus, ecce ego aperiam tumulos vestros, & adducam vos de sepulcris vestris populus meus, & inducam vos in terram Israel.* Hi ergo iusti, quibus hostile ferrum pepercit, occisi tamen videri possunt; quia commodis caruerunt propriis extorres à patria, & vitam egerunt ærumnosam, & tristem; quámque optabile esset

Exules pro mortuis habiti.

D commutare cum morte.

Vers. 4. *Pro eo autem quòd occidi in te iustum, & impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro ad Aquilonem.*] Antequam explicare aggredimur quis sit ille populus, in quem eximendus est de vagina diuinus gladius; obseruo illud *occidi*, positum esse pro futuro *occidam*, quod apud Prophetas familiare est, tunc maximè, cùm aliquid proximum est vt fiat. Nam tunc perinde res futura censetur, ac si iam esset facta. Quomodo de filia Archisynagogi dixit Christus Matth. cap. 9. *non est mortua puella, sed dormit*, quia à mortuis statim erat excitanda. Quia ergo iamiam imminebat Hierosolymæ excidium, & iustorum, atque impiorum interitus, 8.

REGVLA. *Quod proximum est vt fiat pro facto censetur.*

E ideo dicit Dominus iustos, atque impios à se fuisse iam interfectos. Nisi mauis quod Maldonatus putat, illud *occidi* idem esse atque *occidere decreui*, quod mihi valde placet, neque in reipsa video multum esse discriminis.

De populo, in quem diuinus distringitur gladius, tam nostri, quàm Hebræi magistri ita statuunt, vt putent esse Gentes, quæ Iudæorum attingunt fines, quæque illorum insultarunt ruinis, & ad illos perdendos, non studia solùm, & vota, sed etiam vires, & arma coniunxerunt. Quales sunt Moabitides, Ammonitides, Idumeæ; & quibus cum Israelitico populo perpetuum fuit, 9.

fuit, & quasi naturale dissidium. In has etenim Gentes idem grassatus est gladius, qui Iudæorum incidit neruos,& exitium inuexit. Nam, vt auctor est Iosephus lib.10.Antiq.cap.11. Nabuchodonosor, quo Deus ad Iudæorum stragem vsus est pro gladio, post debellatam Hierosolymam nationes illas inuasit, & cepit. *Quinto*, inquit, *post excidium Hierosolymitanum anno,qui fuit regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimus tertius, cum magnis copiis inuasit Cœlem Syriam: qua subacta bellum gessit contra Ammonitas, & Moabitas, & his quoque perdomitis, Ægyptum hostiliter est ingressus.* Quod etiam Ieremias cap.25. portenderat, dum nationibus hisce plenum diuini furoris calicem propinauit. Quo etiam loco vers.29. eandem penè rationem reddit,quam hìc obscuriùs indicat,cur in illas quoque nationes ferrum exacuat Babylonicum. *Quia ecce*, inquit,*in ciuitate,in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere, & vos quasi innocentes, & immunes eritis? non eritis immunes. Gladium enim voco super omnes habitatores terræ.*

Quando nationes Iudææ vicinæ à Chaldæis subiugatæ.

10. Hæc mihi, quia pluribus placent, displicere non possunt, verùm eò magis inclinat animus, vt credat has quoque minas Iudæis tantùm intendi: neque de finitimis Gentibus vllum esse sermonem. Nam proximè audierat Propheta,vt faciem offirmaret contra Ierusalem, & stillaret contra sanctuarium, & prophetaret contra humum Israel. Cúmque ea, quæ deinde succedunt, Hierosolymam spectent, non est verisimile continens illud filum, quod proximè duci cœperat, in ipso statim exordio fuisse intercisum. Adde quod vers.28. speciatim agitur de filiis Ammon: quod non videbatur necessarium, si de illis in præsentia induceretur vaticinium. In hanc sententiam potiùs descendit Maldonatus, neque Hugoni displicet.

11. Erit itaque sensus, quia iam decreui ô Ierusalem, nemini de tuo genere esse parcendum, neque impio,neque iusto,(quo sensu nuper explicuimus) ideo eximam ferrum,quod iam pridem hæserat in vagina, adigámque in omnem carnem,ex Israelitico nempe genere, ab Austro, vsque ad Aquilonem; id est, ab eo,quod primum est in toto Iudæorum tractu, ad fines vsque vltimos illius.

12. Vers.5. *Vt sciat omnis caro,quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irreuocabilem.*] Illud *vt sciat*, nullam dicit habitudinem finalis causæ, sed consecutionem quandam, seu explicationis eius,quòd Domini in pugnando, vlciscendóque constantiam consequetur. Ac si dicat, sic ero in diuexando populo seuerus, & constans; sic ille mulctabitur, & peribit ad vnum, vt omnes facile intelligant non vrgeri populum a mortali potentia, quæ nihil eiusmodi tam facile,ac tam feliciter confecisset,sed à diuina manu;quæ neque lassari potest assiduitate pugnandi, neque ab eo, quem concepit, impetu reuocari. Pro *irreuocabilem*,Heb. לא תשוב *lo tasub*,id est,non reuertetur. Hoc dicendi modo significatur conatus, aut impetus, qui nunquam cecidit inanis; aut petitio, quæ nunquam deerrauit ab eo, quod antè designauit. Sic 2.Reg.cap.1. *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum:& gladius Saul non est reuersus inanis.* Isai.cap.45.v.23. *Egredietur de ore meo Iustitiæ verbum, & non reuertetur.* Et iterum cap.55.v.11. *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui.* Ierem.50.v.9. *Sagitta eius quasi viri fortis interfectoris non reuertetur vacua.* Sic Deus nunc gladium

Reuertor, redeo,& similia conatum significat inanem.

A suum irreuocabilem vocat;quia id attinget, assequeturque,quò destinatus est.

Vers.6. *Ingemisce in contritione lumborum.*] Summus dolor parœmiali forma in puerperij dolore significari solet.Hìc verò similitudinis nota subauditur;quasi dicas,ingemisce, & clamores, atque eiulatus tolle, ad similitudinem puerperæ; cui in difficili nixu, & soluuntur lumbi, & disrumpuntur viscera. Quod etiam significatur in eo,quod proximè succedit, quod superioris hemistichij epexegesis est. *In amaritudinibus ingemisce.* Septuaginta, ἐν ὀδύναις, quæ vox plerumque parturientis nixum, & dolorem significat. Eiusmodi dolorem inesse sibi dicebat Isaias cap.21. B *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me,sicut angustia parturientis.* 13.

Prouerbii, contritio lumborum.

Ingemisce coram eis.] Eiulare iubetur Propheta puerperæ in modum; & illos edere gestus, & motus, quos in difficili,ac periculoso nixu edit, cui mortis iamiam occursat species, quo habitu, clamoréque portendat, qualis futura sit perturbatio,ac dolor ciuium, cùm vrgeri se videant à Babylonio, eóque adigi, vt de libertate, vitaque desperent. Sanè eo habitu descripsit Ieremias lugentes ciues in eodem temporis articulo cap.30. vers.6. *Interrogate,& videte, si generat* (id est,si parturit) *masculus.Quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum quasi parturientis? & conuersæ sunt* C *vniuersæ facies in auruginem?* 14.

Coram eis.] Hìc ego nodum inuenio, quem dissoluere promptum non est. Nam si hæc in Babylonia fiunt,neque ad exules,qui tunc in Babylonia morabantur,pertinent;sed ad eos, qui Hierosolymis erant, aut in toto Iudæorum tractu, vt in principio vidimus; quomodo *coram eis*, id est, coram Solymitanis, exhiberi possunt, quæ nunc Ezechieli præscribuntur. Qui enim,tot interiectis locorum spaciis, audire possunt Solymitani eiulantem Prophetam in parturientis modum; aut videre quemadmodum habitu corporis,& manibus ad lumbos applicatis, torqueri D videantur viscera, aut ilia disrumpi? Primùm si quispiam diceret illud *coram eis*, ad Babylonios exules pertinere,nihil, credo, diceret aut difficile, aut alienum à Prophetæ more: multa enim, cùm procul esset à Hierosolymis, contra Hierosolymitanos vaticinatus est; multa contra Tyrios,& Ægyptios,& hoc ipso capite contra Ammonitas; neque otiosa hæc erat,aut vana prædictio. Ad has quippe nationes propheticа perferebantur oracula, neque parum illæ concutiebantur propheticis minis. Cùm autem propter Iudæos,qui tunc agebant apud Babylonios, aliquid esset inter duos illos populos commercij, passímque fierent hinc inde commeatus, vt ex Ieremiæ cap.29. perspicuum est; quæ in conspe- E ctu captiuorũ facta,dictaque fuerant, à Propheta perferri facile poterant Hierosolymam, nunciarique ciuibus, quorum gratia illa fieri iubebantur. Sed fortasse illud *coram eis*, nil aliud sibi velle, quàm quod in principio indictum est Prophetæ,nempe vt faciem poneret ad Ierusalem,& Sanctuarium, & cum illis absentibus sic ageret sermone prophetico,ac si coràm essent, & audirent gemitum quasi parturientis, & speciem intuerentur eius, qui se torqueri vehementer, & disrumpi crudeliter significaret. 15.

Fortasse hoc à Domino præceptum accepit Ezechiel,quo tempore Sedecias legatos misit ad Nabuchodonosor, de quibus Ieremias cap.29. quibus Ieremias ipse literas dedit,quas ad Babylonios 16.

E Ierusalem ad Babylonios frequentes nuncij.

lonios exules perferrent. *Hæc sunt verba libri, quæ misit Ieremias Propheta de Ierusalem ad reliquias seniorum transmigrationis*, &c. *In manu Elasa filij Saphan, & Gamariæ filij Helciæ, quos misit Sedecias Rex Iuda ad Nabuchodonosor Regem Babylonis in Babylonem.* Neque incredibile est, quotannis nuncios à Sedecia in Babylonem legari, qui tributa Babylonio penderent, quæ Sedecias debebat ex pacto. Vt autem Ieremias cap.25. & cap.27. cùm multorum Regum legati Hierosolymis essent; qui totius regni & sustinebant nomen, & agebant causam, regnis ipsis, & Regibus horribilia prædixit; sic hoc loco Ezechiel cùm legati adessent à Sedecia Rege Ierusalem, Regi ipsi, Solymitanísque ciuibus dura portendit infortunia. Coram eis igitur, id est, coram Solymitanis ingemuit Propheta in contritione lumborum, quia ea edidit signa coram legatis, qui regium sustinebant nomen, & publicam causam. Et hæc mihi maximè probatur explicatio.

17. Vers.7. *Cùmque dixerint ad te, quare tu gemis?*] Grauem gemitum fuisse oportuit, & tristem eiulatum, qui exules, aut legatos adduxit, vt illius causam à Propheta quærerent. Credo hæc esse legatorum verba, quorum maximè intererat nosse, quid species illa parturientis, & vox illa eiulabunda portenderat; cùm non tam luctus ille ad Babylonios exules, quàm ad Hierosolymæ habitatores pertineret.

18. *Pro auditu, quia veniet.*] Dolendi causa grauis, quia graue Hierosolymis exitium impendet, quod audierat quidem à Domino Propheta; ignorabat tamen populus, cui malum illud propediem imminebat. Ait ergo Propheta ideo eiulare se, disrumpíque dolore, quia tonantem Deum, ac fulminantem audierat, magnum aliquid, atque horribile contra Ierusalem. Cuius tonitru inane non est, quales plerumque sunt hominum sonitus minarum pleni, atque terrorum, sed ab omni impetu, atque successu vacui; sed reuera veniet minarum pondus, vibrabítque fulmen, quod secum cohibet, fulgente, atque tonante cœlo.

19. *Tabescet omne cor.*] Cùm malum ingruerit, quod audierat à Domino Propheta; & qui nunc sibi nihil metuunt, aut meditantur aduersum, illud agnoscere, ac formidare cœperint, experientur in se, quod summum experiuntur homines in magno animorum æstu, rerúmque perturbatione. Tabescet quippe cor, dissoluentur manus, &c. Quid sit cor tabescere, obscurum est. Heb. pro *tabesco* est מס *mas*, quod generaliter significat, solui, liquefieri, perire: qua ratione rerum natura fert, vt aliquid pereat. Vt ager cùm imbre deficiente macer est, & sterilis, aut planta cùm arescit; vir fortis cùm plaga, metúque percussus despondet animum; aut quod solidum tabe, tineáque corrumpitur. Tabescere autem cor duo significat; nempe infirmum esse animum, & ita ægrum, vt nihil audeat, omnia metuat, & lacrymis se potius amarè conficiat, quàm aliquid præsenti rerum articulo opportunum meditetur, aut quærat. In hunc sensum accipio illud Iosue c.7. *pertimuitque cor populi, & ad instar aquæ liquefactum est.* & 2.Reg.cap.17. *Fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur.* Nahum 2. *Cor tabescens, & dissolutio geniculorum.* Isai.13. *Omnes manus dissol-*

Tabesco quid in Scriptura.

20. *uentur, & omne cor hominis contabescet.* Tabescere
præterea cor, aut liquefieri, idem etiam valet quod mentem excedere, perire consilium, & nihil occurrere sanum, & hominem in summa rerum perturbatione, atque æstu excordem omnino, & amentem ferri. Quo sensu, de his, qui iactantur fluctibus, neque quid sequantur consilij certum habent, dicitur Psal.106. *Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius; & omnis sapientia eorum deuorata est.* Idem etiam valet, vt opinor, illud Isai.c.19. *& cor Ægypti tabescet in medio eius.* Quemadmodum autem cor extabuisse, aut animam esse liquefactam significet excidisse alicui mentem, atque consilium, ostendimus ad illud Cant.5. *Anima mea liquefacta est:* quem locum in hanc eandem sententiam exposuimus. Quid potiùs hoc loco sibi velit cor tabescens, incertum est; ego vtrumque in hoc rerum æstu contigisse puto, & vires esse fractas, abiectúmque animum, & obsessis excidisse mentem, & omne periisse consilium.

Et dissoluentur vniuersæ manus, & infirmabitur omnis 21.
spiritus.] Cum corde tabefacto, atque ægro sæpe manus coniunguntur dissolutæ, ac languidæ, quia vbi cor languet, & spiritus infirmus est, reliqua illorum instrumenta, qui ab illis roborantur, & vigent, necessariò debilitantur, ac fatiscunt. Duo hæc coniunxit Isaias cap.13. Manus porrò dissolutæ illæ dicuntur, quæ laxatis, ac resolutis neruis gubernari non possunt; quales sunt illæ, quas paralysis laxat, atque dissoluit; quod idem de genibus, ob eandem causam dicunt tam sacri, quàm profani scriptores. Id porrò à subito quodam horrore prouenire, animóque vehementer consternato, experientia ipsa quotidie docet.

Et per cuncta genua fluent aquæ.] Eadem propè verba sunt cap.7.v.17. vbi hæc à nobis fusiùs explicata, neque nouum hîc aliquid occurrit, quod præterea dicamus.

Vers.9. *Gladius, gladius exacutus est, & limatus.*] 22.
Præparatio significatur belli, quod iam à Chaldæis imminet Hierosolymæ, & toti Iudæorum tractui. Cùm enim animis bellicus inardescit furor; eò incumbunt omnes, vt arma conflent, exacuant, & tergant, ita vt ad vim secandi fulgor quoque accedat armorum; quæ postremo loco non ponunt, qui gloriæ student militari. De exacuendo ferro res est non obscura; neque enim, si obtusum esset, quicquam magnum in acie præstaret. De limando, tergendóque ad splendorem, ornatúmque non ita compertum, certum tamen & ex ingenio illorum, qui bellicam artem profitentur. Quod genus hominum ambitiosum est, turpéque existimat, si quid in armis rubiginosum sit, si quid minùs splendens, & lautum. Neque verò duces qui paulo lautiores sunt, quenquam in acie sordidum esse sinunt, aut horridum; cùm in armis excolendis, ornandísque quicquid pretiosum est, & pulcrum positum esse voluerint. De quibus Iuuenalis Satyra 11.

In poliendis, & exornandis armis maximum olim studiũ, & sumptus.

Argenti quod erat solis fulgebat in armis.

& eadem Satyra docet quicquid erat gemmarum, aut pretiosum in poculis, ad equorum phaleras traduci.

Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus.

Qua de re nos pluribus ad illud Zachar. cap.14. *quod super frænum equi est.*

Datum esse negotium centurionibus, decurionibúsque, vt militum arma essent splendentia, & nitida, docet Vegetius lib.2.cap.14. Centurioni, ait, inuigilandum esse, *vt arma omnium detergeantur, & splendeant.* Decurioni autem, *vt cogat milites* 23.

Constituti olim qui curarent, vt arma essent splendentia, & nitida.

militer loricas, vel cataphractas, contos, & cassides frequenter tergere; plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat. Quis credat militem bellicosum, cuius dissimulatione situ, ac rubigine arma fœdantur. Docuit hoc idem ex vsu, vt apparet, illorum, qui se ad bella parant, viderique student non tantùm fortes, & audaces, sed etiam elegantes, & amantes militiæ. Virgilius lib. Æneid. 7.

Pars leues clypeos, & spicula lucida tergunt
Aruina pingui.

Hoc autem ipsum Propheta significat statim cùm addit, *vt splendeat limatus est.* & iterum vers. 28. *O mucro limate, vt interficias, & fulgeas.* Hoc itaque dicendi genere significat Deus iam ad bellum omnia esse parata, exacutos gladios, atque nitentes, ardere animos ad pugnam, & instare iam extremum ciuitatis excidium.

24. Vers. 10. *Vt cadat victimas exacutus est.*] Victima ex vsu Scripturæ pro strage magna sumitur; maximè cùm illorum, qui sternuntur, cædes grata Deo est, qualis est hæc, de qua præsens hoc vaticinium. Similem Ægyptiorum cædem, victimam appellauit Ieremias cap. 46. *Deuorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum; victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis.* Isaias cap. 34. cùm præcessissent verba non admodum diuersa ait, *Victima enim Domini de Bosra; & interfectio magna de terra Edom.* Est autem pulcra, & accommodata translatio. Vt enim ad altare conciditur deuota cultro victima; sic populus iam à Deo Chaldæorum ferro destinatus. Hac porrò metaphora vsus est iterum Propheta c. 39. v. 17. & 19.

Victima pro strage & cæde.

25. *Qui moues sceptrum filij mei, succidisti omne lignum.*] Verba hæc sunt Domini ad gladium iam exacutum, & limatum, id est, ad Chaldæorum exercitum, cui id datum est negotij, vt imperium extinguat Israeliticum; & Iudæorum debilitet vires; & quicquid apud illos ornamenti est euertat, & auferat. Quid sit *mouere sceptrum*, cuiuis est promptum intelligere; nempe regnum illud, quod à Dauidico sanguine possessum erat, ad alienos transferre, quod fecit Babylonis gladius, quem in eum finem Dominus exacuit. Quod verò attexuit, *succidisti omne lignum*, accommodatè dixit ad syluæ metaphoram, cum qua antea sæpe tam Hierosolymam, quam totam Iudæorum plagam compararat. Et nunc proximè capite præcedenti ad finem, vbi cùm regionem illam saltum agri meridiani nominasset, addidit, *Et comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum.*

26. Hæc mihi facilia sunt; tu vide an alius etiam sensus admitti possit, quem indicat Pradus; quasi argumentetur Dominus, dicátque, si à Babylonico gladio moueri potuit sceptrum Israelis, & genus illud nobile obscurari prorsus, ac propè deleri; non esse difficile reliqua regna, quibus minus inest ad repugnandum virium, ab eodem gladio posse succidi. In ligno autem sceptrum significari diximus suprà ad illud cap. 19. *Et facta sunt ei virga solida in sceptra dominantium.* Olim autem sceptrum baculus erat, aut virga, vt sonat vox ipsa Græca σκῆπτρον. Ad quam consuetudinem allusum est à Virgilio lib. 12. Æneid.

Sceptrum olim baculus, aut virga.

Vt sceptrum hoc (dextra sceptrum nam forte tenebat)
Nunquam fronde leui fundet virgulta.

Vide reliqua, quæ in caput illud 19. adduximus. Erit itaque sensus iuxta hæc: Qui mouere potuit filij mei, id est, Iudaici populi sceptrum, multo faciliùs alia succidet ligna; id est, alia mouebit sceptra. Hæc quidem probabilis expositio; placet tamen multo magis prior.

Si textum Hebraicum, quem nunc habemus, cósulas, alios exprimes sensus, quod faciunt Hebræorum magistri, & è recentioribus nonnulli, sed reuera extorti sunt, neque admodum cum capitis filo cohærentes. Quare neque in illorum sententia aut explicanda, aut confutanda laboro; neque de textu, quem nunc habemus, admodum curo; quia corruptum esse vehementer suspicor. Neque enim qui Rabbinos, aut recentiores hosce præcesserunt viri sapientissimi, Septuaginta nempe interpretes, Hieronymus, adde etiam, & Chaldæus, ita transtulissent; nisi alios haberent codices in hoc loco, quem núnc versamus, longè dissimiles. Quare, quid præ se textus ille ferat, omitto, ne in re, quæ parum mihi videtur necessaria, operam, & tempus ludam. 27.

Textus hebraicus aliquando corruptus.

Vers. 11. *Et dedi eum ad leuigandum, vt teneatur manu.*] Magnum in Deo ostenditur studium vindictæ; quando arma sic parat, ac porrigit hosti, vt versentur facile; neque grauia sint in bellatrice dextra, & suo splendore militum animos alliciant, & capiant, & de quorum vulnere sanguis sequatur. Quare non solùm illa limat, & acuit, sed etiam leuigat; quod credo ad gladij spectare capulum, qui manu prehenditur; ne si asper sit, & parum habilis, manum exulceret, aut pungat; faciátque vt miles, & gladium abiiciat, & bella detrectet. 28.

Vers. 12. *Quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel, qui fugerant.*] Clamare iterum iubetur Propheta, & vlulare. Ingemuerat priùs, quia videbat instructum esse bellum contra Ierusalem, à quo tam ciuitatem, quàm regionem totam Israelitidem vastatum iri nouerat: nunc aliquid vlteriùs videt; exacutum nempe, & leuigatum gladium in populum grassari; neque quemquam, quantumcumque longè, ac velociter fugiat, euasurum cladem ab hoste paratam. Pro *in populo meo*, Heb. est בעמי *be ami*. quod verti non incommodè posset, *in populum meum.* Præposito etenim ב *beth*, licèt sæpius ablatiuum; aliquando tamen, neque admodum raró accusatiuum admittit. Sic Genes. 16. de Ismael, *manus eius*, בכל *bacol*, id est, *contra omnes. Et manus eius contra eum*, Heb. בו *bo.* Leuit. 16. *Mittet hircum* במדבר *bamidbar*, id est, *in desertum.* Sic hoc loco, *factus est in populo meo*, idem est atque bacchatus est in populum meum. Illi verò duces, qui fugerant, quique tandem ab eo gladio comprehensi sunt, fuerunt aut Sedecias, & Principes alij, qui cùm muros viderent interruptos, ignobili se fugæ mandarunt, & in agro Ierechuntino comprehensi sunt; aut alij, qui ducibus Iohanã filio Caree, & Azaria filio Iosiæ in Ægyptum commigrarunt; quos etiam idem gladius quinto post excisam Hierosolymam anno confecit. 29.

Idcirco plaude super femur.] Similia verba habes apud Ieremiam cap. 31. v. 19. *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur.* vbi nos latiùs hunc locũ explicuimus. Est autem complosio, seu percussio femoris, doloris subiti, ac maximè quasi naturale signum. Quod etiam externorum scriptorum probat non infrequens vsus. Ex Græcis Homerus, cùm dolorem, indignationem, stuporem significare vult, familiare habet illud πεπλήγετο μηρῶ. Ex Persis Cyrus apud Xenophontem lib. 7. Cyropæd. Cùm nuncium accepisset de morte Abradatæ 30.

datæ sibi valde charissimi femur percussit. Ex Latinis habes in Truculento Plautum, *Traxit ex intimo ventre suspirium, dentibus frendit, icit femur.* Et Tullius 3. Tuscul. *Ex hac opinione sunt illa varia, & detestabilia genera lugentium. pædores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis percussiones.* Iubet ergo Deus, vt ad vlulatus, & gemitus, externa quoque signa adhibeat Propheta.

31. Vers. 13. *Quia probatus est, & hoc cum sceptrum subuerterit, & non erit.*] Locus hic propter Hebraicum textum, translationésque varias difficilis est: si verò vulgatam tantum versionem intueamur, explicatus habet non difficiles. Hieronymus, quem ferè sequuntur Lyra, Hugo, Dionysius, Maldonatus, sic exponit. Quia probatus est, & gratus mihi gladius, qui regnum Iudæorum ita subuertit, vt non sit, hæc lugendi causa, percutiendíque femur Prophetæ proponitur. Sed fortasse non erit expositio aliena, si paulo aliter accipias, ex vsu militari, & ambitiosa militum gloria, qui in rebus duris gladiorum aciem explorare solent; quam si neque inflexam, neque obtusam ex allisione retulerint; suam alij duritiem, & nobilitatem probant; & tunc hominum iudicio probati dicuntur. Durum erat Iudæorum regnum, &, vt ipsi vana assentatione sibi blandiebantur, inexpugnabile: quare gladius, qui duritiam illam comminueret, expugnarétque, regnum ab aliis sæpe frustrà tentatum, satis videbatur probatus; quique spectare posset, eo superato, nullum aliud regnum esse non superabile. Quod etiam suprà audiuimus vers. 10. *Qui mones sceptrum filij mei, succidisti omne lignum.* qui frangere potuit Iudæorum sceptrum, satis suam probauit aciem, persuasitque reliqua minori negotio superari posse. Hæc mihi explicatio visa est non inepta; placet magis prior, quia magnorum interpretum auctoritate nititur.

32. Si textum Hebraicum, quem nunc habemus, intueamur, sensus erit aliquantulum diuersus, quem sic reddunt recentiores. Pagninus, *Quia ad probationem eductus est, & quid erit, si etiam tribum non abiecerit, dicit Dominus Deus.* Tigurina, *Quoniam explorator est; & quid si virga reprobans non esset, dicit Dominus Deus.* Septuaginta, *Quia iustificatus est, & quid si etiam tribus repulsa fuerit? Non erit, dicit Dominus Deus.* Chaldæus, *Etiam tribus domus Iuda, & Beniamin migrando migrabunt, & propter opera sua mala non permanebunt, dicit Dominus Deus.* Multa iuxta harum translationum varietatem dicunt interpretes, tam nostri, quàm Hebræi, quæ si referre, aut infirmare vellem, longus essem; atque ideo libens ab illis siue commemorandis, siue refutandis abstineo.

33. Vers. 14. *Percute manu ad manum, & duplicetur gladius, & triplicetur gladius interfectorũ.*] Manuum complosio, siue percussio dolorem indicat, siue stuporem, ex graui, ac subito vulnere cóceptum. Cur verò duplicari, seu triplicari gladius iubeatur, obscurum est. Hieronymus, Theodoretus, Hugo, Dionysius, & Maldonatus, ideo triplicari gladium existimant; quia ter venit Nabuchodonosor in Ierusalem, maléque mulctauit, spoliauitque tam viris, quàm ornamentis. Primùm sub Ioacim: deinde sub Iechonia; tertiò Sedecia regnante; quo tempore extremam accepit, & mortiferam plagam res Iudaica. Sed quominus hæc mihi sententia probetur, facit, quia non tam præterita narrat, quàm futura prædicit Ezechiel. Neque enim sine causa præcessit, *Tu ergo*

A *fili hominis propheta.* Deinde, quia quater venit Nabuchodonosor contra Ierusalem; primùm cùm Ioacim sibi subiugauit, vectigaléмque reddidit; deinde cùm rebellem iterum tentauit bello, ac tandem occidit, Iechoniámque filium eius loco suffecit. Tertiò cùm non multo pòst, tribus nempe mensibus exactis, captiuum secum abegit Iechoniam. Quartò cùm Sedeciam oculis priuauit, & regno; remque Iudaicam penitus extinxit. Quare non triplicandus erat tantùm, sed quadruplicandus Babylonicus gladius.

Quare libentiùs amplector, quod Lyræ placuit, & Vatablo, vaticinium hoc esse rei futuræ, non historiam, aut gemitum de præsenti malo. 34.
B Sed adhuc quid gladij tergemina repetitio designet, incertum est. Post hoc Prophetæ vaticinium venisse cótra Iudæos tertiò Chaldæorum exercitum satis constat. Primùm regnante adhuc, atque incolumi Sedecia, quãdo disiecti sunt muri, & capta ciuitas. Deinde cùm iam captus esset oculis Sedecias post captam vrbem, *venit Nabuzardan princeps exercitus seruus Regis Babylonis in Ierusalem, & succendit domum Domini, & domum Regis, & domos Ierusalem, omnémque domum combussit igni.* Tertiò iuxta Ieremiæ prophetiam anno quinto ab excisa Hierosolyma, vt auctor est Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. rediit Nabuchodonosor, & aliis prouinciis Babylonico imC perio subiugatis, quidquid ibi reperit Iudaicæ Gentis aut deleuit, aut secum in exilium abduxit. De hoc ego triplici aduentu potiùs acciperem triplicatum gladium, quàm de iam illata populo ruina.

Nihilominus eò magis inclinat animus, vt putem tergemina illa gladij repetitione, mortiferum gladium, & ingens ab eo vulnus significari. Est enim satis notum non apud sacros solùm, sed etiã apud profanos scriptores, magnum aliquid in vtramque partem à ternario numero portendi: quare τρισμέγιστοι, *ter maximi, tricœlesti* dicuntur, qui in eo genere nobiles sunt: & quod sæpe fit, ter dicitur fieri. Horatius, 35. *Ternarius numerus cum epitasi.*
D *Ter purè lecto poterunt recreare libello.*
& Virgil. 1. Æneid.
——— *at illam ter fluctus ibidem*
Torquet agens circum.

Et quidem Plato cùm significaret aliquid abesse à vero longissimè, distare dicit tertio gradu. In sacris hoc etiam est non infrequens. Cùm enim aliquid magno conatu, ac studio fieri dicitur, aut iubetur, ter repetitur id, ad quod vrgemur, aut cuius magnitudo significatur. Apocal. cap. 8. magnum dolorem indicat *væ* ter repetitum, *væ, væ, væ, habitantibus in terra.* Et cum Zachar. cap. 2. ab exilio euocantur studio maximo exules Babylonij, ter geminatur interiectio vocantis. *O, ô fugite*
E *de terra Aquilonis, ô Sion fuge.* Et Esther cap. 8. magnus prouinciarum numerus, quibus Assuerus dominabatur, repetito ter prouinciarum nomine declaratur. Vbi enim vulgatus habet, *Centum viginti septem prouincias,* Heb. est, *prouinciam, prouinciã, prouinciam.* Idem inuenies infrà v. 27. vbi ter repetitur *iniquitas. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem põnam eam.* Idem etiam credo, in triplicato gladio, id est, sæpius ingeminato ab Ezechiele portendi; cui id à Deo videtur esse propositum, vt sæpius gladij nomen clamando repetat, quod à Babyloniis imminet Iudæorum iugulis.

Addo præterea id ipso loquendi modo magis significari, dum binario numero ternarius ad- 36.

A iungitur, *duplicetur*, inquit, *gladius, & triplicetur.* Qui dicendi modus cum epitasi tam à Latinis, quam à Græcis adhiberi solet. Apud Latinos frequens est, cùm multitudo significatur, & frequentia, *iterum, & tertio.* Apud Græcos tritum est in eundem vsum δὶς καὶ τρὶς, id est, sæpissimè, quod Platoni familiare. Vnde orta illa Græcorum parœmia, δὶς καὶ τρὶς τὸ καλὸν, bis, ac ter, quod pulchrum est, iterari potest, id est, sæpe repetitum fastidio non erit. Quod de ingeniosa poësi, & accuratè composita dixit Horatius,

——— ——— quæ si propiùs stes
Te capiet magis; ac decies repetita placebit.

B Quocumque modo accipias, edicitur Prophetæ, vt gladij Babylonici nomen Iudæorum auribus gemens obtundat; quod fecisse traditur à Iosepho lib. 7. de bel. cap. 12. Iesus quidam, qui geminato diu, noctúque væ, futuram ciuitatis cladem prædicebat.

Hic est gladius occisionis magnæ.] Explicatio est duplicati, ac triplicati gladij, id est, duri, ac sanguinarij; à quo proueniet, vt occisis, infinito propè numero ciuibus, ciuitas ipsa exundet Iudæorum sanguine.

37. Vers. 15. *In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladij acuti, & limati.*] Ostendit quàm alacriter, ac strenuè gladius ille acutus, & limatus, de quo suprà, grassaturus sit; cùm nullus sit in vrbe locus tam munitus, & fortis, cui non perturbationem, atque terrorem afferat. Notum est firmissima ciuitatum propugnacula esse in portis, quæ vbi conuelli cœperint, aut labascere, actum existimatur de ciuitate. Sed fortasse hoc loco portæ non sunt ciuitatis communes, & publicæ, sed priuatæ singularum domuum; quasi dicat Propheta nullam futuram esse domum, quam non inuadat, atque conturbet gladius ille, & domestico sanguine cruentet. Et hoc fortasse verius. Quòd Chaldæi steterint ad Hierosolymæ portas, ibíque tanquam in sua sibi possessione sedes locauerint, dixit Isaias cap. 22. v. 7. *Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, & equites ponent sedes suas in porta.*

38. *Amicti ad cædem.*] Acutum antè dixerat esse gladium, & limatum, vt cum acie ad cædendum idonea, splendoris aliquid haberet, & elegantiæ. Nunc aliquid addit, quod, quale sit, nobis explorandum est. Amictus dicitur ad cædem gladius, qui habitus non videtur satis opportunus ad plagam; nudari etenim solet à vagina, non vagina, aut aliquo alio integumento amiciri. Maldonatus ideo amictum vocari gladium existimatur, quia alligatus corrigiis è militari dependet balteo, quasi dicat, militem iam accinctum esse gladio, & nihil esse propius, quàm vt illum in Iudæorum capita distringat. Vatablus in amictu aliquod gladij ornamentum agnoscit, capulum puta; aut manus munimentum, quod Hispanus *guarnicion* appellat. Alij aliquid hic vident integumento contrarium, quasi in eo dicendi genere aliquid sit ironicum, quasi dicat, inuolutum non esse gladium, vt in tempore, in quo silent arma, sed nudatum, qualis in acie à bellatore rotari, atque versari solet. Mihi valde placet Hieronymi sententia; qui amictum ad cædem gladium, paratum vocat, & expeditum ad cædem. videtur metaphoricus hic esse sermo, à milite translatus; aut ab eo, qui vt magis sit ad datum sibi negotium expeditus, præcingit se, quo loquendi genere Scriptura abundat; præcingi autem amiciri est. Vt autem nemo, si quid inci-

Gladius amictus ad cædem, quid?

dit negotij foras prodit, nisi vestitus (nam qui aut nudus est, aut vestitus male, domi se continet, & hominum oculos subire non audet) quare si amictus est, domi se continere vix potest. Sic etiam gladius, dum amictus esse dicitur, seu præcinctus, gestire significatur, vt erumpat, datásque sibi partes quamprimum exequatur.

Vers. 16. *Exacuere, vade ad dextram, siue ad sinistram, quocumque facies tua est appetitus.*] Hic mihi locus superiorem explicationem persuadet; præcinctus erat gladius, quo sensu nuper diximus, ac diuinum imperium promptus, & expeditus expectabat, iturus vtique in quamcumque partem, in quam foret à Deo destinatus. Cui respõdet Dominus, vt exacuat, atque excitet sese; & cò proficiscatur, quò ipsi libuerit, siue ad dexteram, siue ad sinistram; quamcumque enim in partem se det, auxiliatorem habebit, & hortatorem Deum. Modus autem ille loquendi, *quocumque faciei tuæ est appetitus*, Hebraismum olet; sumitur enim *facies*, pro eo, cuius est facies; vnde *facies mea*, idem est quod ego, *deprecari alicuius faciem, aut vultum*, seu *placare*, idem est quod deprecari, seu placare aliquem. *facies venti, frigoris, gladij*, idem est quod ventus, frigus, gladius. Qua de re nos pluribus ad illud Isaiæ 25. *faciem vinculi colligati.* Est ergo, *quocumque faciei tuæ est appetitus*; idem quod, *quocumque tuus appetitus fuerit*; C aut *quocumque tibi collibuerit.* Cùm autem Deus statuisset regiones varias subiugare Chaldæorum imperio, de quibus Ieremias cap. 25. & cap. 27. optionem nunc dat, vt in quamcumque velit regionem castra moueat, neque de secundo rerum euentu dubitet. Quod ipse statim accuratè præstitit; quia egressus est, sortíque commisit expeditionem primam, & progressum ad aliarum prouinciarum oppugnationem. 39.

Facies pro eo cuius est facies.

Vers. 17. *Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam.*] In manuum complosione doloris significatio est, vt proximè vidimus, vers. 14. *Propheta, & percute manum ad manum.* Et cap. 6. v. 11. *Percute manum tuam, & allide pedem tuum.* D Sed & manus plaudere exultantis est, atque triumphantis animi, sicut infrà cap. 25. v. 6. *Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gauisa es ex toto affectu super terram Israel.* & 4. Reg. 11. v. 12. *Et plaudentes manibus, dixerunt, viuat Rex.* Psal. 46. *Omnes Gentes plaudite manibus, iubilate Deo in exultatione.* & de hostibus parta iam victoria insultantibus est illud Thren. c. 2. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam.* Sed credo diuersum esse plausum, quo lætitia, & quo dolor, aut stupor significatur. Vt enim pedum varius est motus, atque percussio, quo varij etiam affectus exprimuntur; sic etiam varia est manuum, multipléxque complosio, qua modò E stupor, & dolor; modò admiratio, atque offensio; modò iubilus, & voluptas ostenditur. Hîc sine dubio affectus ille significatur, qui in victoribus esse solet; qui exultant vehementer cum hoste vel occiso, vel ad seruitutem adducto, ad prædam inuolant securi. Ait ergo Deus sibi, vbi stratis hostibus indignationem suam expleuerit, plaudendum esse manibus, quia ipse ductor est exercitus Babylonici, cui cum alijs communis est triumphus, & commune gaudium. 40.

Manuum complosio variorum affectuum index.

Vers. 19. *Et tu fili hominis pone tibi duas vias, vt veniat gladius Babylonis, de terra vna egredientur ambæ.*] Sicut antea in laterculo iussus est Propheta Hierosolymam, eiúsque obsidionem describere; sic iubetur modò, vt Nabuchodonosoris aduentum, 41.

tû,progressúmque describat;quid cogitarit postquam exacuit, atque limauit ferrum; in quod tandem consilium abierit. Porrò duæ viæ, quæ ex vna terra, aut ex vno loco egrediuntur, descriptio est biuij, in quo stetisse dicitur Nabuchodonosor; vt auspicatò, siue sortitò illam ingrederetur viam, quæ futura esset magis ex vsu rei Babylonicæ. In aliquibus codicibus erat, *egredientur ambo*; in magis tamen correctis, & tandem in Sixtianis legitur *ambæ*. quæ lectio textum magis reddit expeditum, & facilem.

42. *Et manu capiet coniecturam.*] Quia in biuio cōiectauit, seu diuinauit Nabuchodonosor; quidā existimant diuinasse per manum, eo coniectandi genere, quod Chiromantia dicitur. Alij manu cōmiscuisse sagittas, de quibus postea, atque ideo manui adscriptam esse coniecturam. Mihi placet maximè quod putat Maldonatus, nullam hìc esse diuinationem per manum, sed per aliud cōiectandi genus exploratum esse quàm in manum conuertenda essent Chaldæorum castra. Dixerat nāque proximè Deus ad Chaldæorum gladium ad cædem iam exspromptum, *vade ad dexteram, siue ad sinistram.* nunc ille diuinatione quæsita, seu consultis sortibus, flectendúmne sit ad dexterā, siue ad sinistram, ritu, vt arbitror, Babylonico deliberat.

Nabuchodonosor sortes consulit.

43. Hic verò videre mihi videor hypallagem non infrequentem apud Hebræos, quæ voces commutat, qualis est illa, *Perflauit fistula buccas*, pro, perflarunt buccæ fistulas. & Psal. 18. *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, in tabernaculo suo posuit solem. Sic modò, cùm dicit, *& manu capiet coniecturam*; hoc permutatis terminis significare videtur, in coniectura capiendam esse manum, dexteram videlicet, vel sinistram, de qua futura erat in biuio consultatio.

REGVLA. *Hypallage Hebræis vsitata.*

44. *In capite viæ ciuitatis coniiciet.*] Hìc nobis diuinandum est, in quo viarum capite, coniectæ fuerint à Babylonio sortes, aut instituta diuinatio. Hieronymus, quem Dionysius sequitur, & Lyra, in medio cursu consultas dicit esse sortes. Cùm enim, inquit, ventum esset per desertum ad biuium terræ Arabiæ, quæ appellatur filiorū Ammon, quarum vna via, nempe dextera, ducebat ad Hierosolymam, altera ad Rablath, quæ in Ammonitide regione sita est; nescius quam se in partem daret, sortes consuluit, oracula quæsiuit, de quibus statim. Alij in ipso viarum capite, vbi primùm extra Babylonem moueri castra cœpta sunt, consulta putant exta, & patrio ritu adhibita fuisse alia, quæ ad secundos exitus Gentes putabant opportuna. Ita Maldonatus; & quidem huic sententiæ plurimum fauet, quod caput dicitur viæ ciuitatis. In re ipsa parum est momenti; in posteriorem sententiā magis inclinat animus: neque enim credibile est Regem illum neque stupidum, neque nudum ab aliorum cōsilio tantum spatij confecturum fuisse, incertum quò duceret tam splendida, atque numerosa castra.

45. Vers. 20. *Viam pones, vt veniat gladius ad Rablath.*] Statuerat, credo, Nabuchodonosor prouincias illas suo sibi imperio subiugare; quas quinto post excisam Hierosolymam anno debellauit, vt tradit Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. In eo verò progressu aut prima, aut inter primas occurrebat regio Ammonitis. quare in illam primùm oculos coniecerat, & aciem instruxerat Nabuchodonosor; ideo de Regione illa, aut de Hierosolyma sortes consulit, & sciscitatur oracula; quia si à Hierosolyma deerraret, certus erat quamprimùm in Ammonitas belli pondus

A inferre. Hæc mihi visa est coniectura non inepta: nam alioqui non video quid in Ammonitide regione præcipuum sit, vt à tanto Rege, tanque copioso apparatu bello tentari debuerit.

Vers. 21. *Stetit enim Rex Babylonis in biuio.*] Rationem reddit, cur duas vias describere debuerit, quæ ab vno capite, tanquam ab vno stipite rami in diuersa flectuntur. Quia futurum est, vt Nabuchodonosor subsistat in biuio, ibique de via, bellóque deliberet. 46.

Commiscens sagittas.] Hìc Hieronymus certam diuinandi formam adducit; ad quam locus iste videtur spectare potuisse. *Stabit*, inquit, *in ipso compito, & ritu gentis suæ oraculum consulet, vt mittat* 47.

B *sagittas suas in pharetram, & commisceat eas inscriptas, siue signatas nominibus singulorum: vt videat cuius sagitta exeat, & quam priùs ciuitatem debeat oppugnare. Hanc autem Græci βελομαντίαν, siue ῥαβδομαντίαν nominant.* Hæc Hieronymus. Sunt qui putant sagittas sursum solitas esse iactari, coniecturámque sumi ex eo loco, in quem deiectæ caderent, si ad sinistram, sinistræ esse insistendum viæ; si ad dexteram, dextrorsum esse progrediendum. Alij quia verbum קלל *kalal* leuigare significat, seu polire; aliud hic agnoscunt diuinandi genus, quale est illud, quod ex speculo sumitur, aut ex aqua pellucida, quæ imaginibus ab aqua, seu à crystallo redditis, futura re-

Diuinatio per sagittas.

C rum euenta portendunt, quæ ὑδρομαντία, κατοπτρομαντία, κρυσταλλομαντία vocantur. Sic ergo putant in sagittis politis, splendere aliquid tanquam in speculo, ex quo coniectores diuinarent, quid facto maximè opus esset.

Per Speculum.

Ego hic magis probo quod Hieronymo placet, sagittas esse coniectas, atque confusas in pharetra illarum prouinciarum nominibus notatas, quas tentare bello Babylonij decreuerant; & quarum sors prima exiit è pharetra, illā fuisse primùm bello petitam. Quia hic modus facillimus est, maximéque, vt reor, omnibus penè Gentibus vsitatus. Cur verò in pharetram tanquam in vrnam deiectæ sint sortes, & illæ sagit- 48.

D tis inscriptæ, ea videtur esse ratio; quia sortes illæ mittebantur in castris, vbi pharetræ ad manum, & sagittarum magna seges; & quia de re militari diuinatio sumebatur, militare etiam instrumentum adhiberi oportuit. Sanè apud Homerum in Iliade sortes sæpe coniiciuntur in galeam, quem imitatus est Virgilius lib. 5. Æneid. vbi hoc ipsum fecisse dicitur Æneas.

Conuenere viri, deiectámque ærea sortem
Accepit galea:

Interrogauit idola, exta consuluit.] Aliud adhibuit diuinandi genus: nam & oracula, seu responsa à patriis idolis sciscitatus est, & aruspicinam exercuit, exta consuluit, quod antiquissimum fuit 49.

Diuinatio per exta.

E ariolandi genus. Quomodo à Gentibus ex victimarum extis futuri rerum euentus explorarentur, multa dicunt externi, atque profani Scriptores, à quibus nos, tanquam ab alienis abstinebimus. Interim vide Senecam in tragœdia Oedipi, vbi quid in extispicina obseruari solet, minutim obseruat. Iuuenalis paucis huius diuinationis quid esset proprium complexus est.

Spondet amatorem tenerum, vel diuitis orbi
Testamentum ingens, calida pulmone columba
Tractato Armenius, vel Comagenus aruspex.
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum pueri.

Vers. 22. *Ad dexteram eius facta est diuinatio super Ierusalem.*] Coniecit Nabuchodonosor sagit- 50.

tas in pharetram; & licèt dum rimatur exta, & idola consulit, grauissimè peccauerit; Dominus tamē temperauit sortes, fecitque vt illa primùm exiret, quæ designabat dexteram, & Ammonitide regione ad tempus declinata, instructam aciē mittebat Hierosolymam. Iuxta illud Prouerb. 16.v.33. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Vbi sinus fortasse vas quoddam est, seu vrna, in quam de more suffragia coniiciuntur, aut sortes. Vas certè quoddam sinum appellat Maro eclog.7.

Sinum lactis, & hæc te liba Priape quotannis
Expectare sat est.

Sinus genus vasis.

De his Nabuchodonosoris sortibus, déque viæ cognoscendæ studio, accipiunt communiter interpretes, sicut etiam super hunc locum Theodoretus, illud Ierem. cap.10.v.23. *Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos.*

51. *Vt ponat arietes, vt aperiat os in cæde, vt eleuet vocem in vlulatu.*] Descriptio est hostis, qui ciuitatem obsidet, & ad ciuium cædem, & ciuitatis interitum anhelat. Is enim ardenti studio aggeres comportat, arietes admouet, & assiduo, contentóque clamore cunctantes instimulat, alacres collaudat, hortatur omnes, & primus omnium bellicum insonat celeuma.

52. Vers.23. *Eritque quasi consulens frustrà oraculum in oculis eorum, & sabbatorum otium imitans.*] Cùm maximè arderet contra Hierosolymam Nabuchodonosor, cōportaret aggerem, militarésque machinas in omnes partes, & visus admoueret; securo videbantur, & otioso animo Iudæi; quasi frustrà consuluisset sortes Babylonius, & stulta, ac vana obtenderet oracula. Quare deridebant eius consilia, qui sagittis in pharetra confusis, consultis extis, & idolorum responsis aliquid putabat inesse ponderis. Sed nesciebant miseri, sortes illas temperatas a Domino; qui illius belli dux, & auctor erat. Ita cum Hieronymo complures alij.

53. *Et sabbatorum otium imitans.*] In sabbato nihil aut laboriosum, aut seruile faciebant Iudæi: quare eo die res domestica, aut publica, quod ad externam œconomiam pertineret, nullum capiebat incrementum: vnde videtur Hebræis hanc esse familiarem, ac prouerbialem formā, vt cùm aliquem otiosum esse, aut inane aliquid moliri, in quo nullum futurum esse operæpretiū, significare vellent, illum dicerent aut esse in sabbati feriis, aut ea facere, quæ in Sabbato religio fieri permitteret. Quare cùm Iudæis Nabuchodonosor otiosam videretur, & inutilem operā sumere, dicebant illius conatibus irridentes, illum facere, dum ad bella militum animos accendit, & vrget; rebúsque vtiliter administrandis inuigilat, quod Iudæus in sabbato. In hanc sententiam cum Hieronymo plures conspirant alij.

Prouerbium sabbatorum otium.

54. Heb. שבעי שבעות *sebughe sebaghoth.* i. hebdomadizantes hebdomadas. Septuaginta *ἑβδομάζων τὰς ἑβδομάδας.* quod varij variè interpretantur. Chaldæus, & Rab. Salomon quadragies nonies coniectas esse sortes putant a Babylonio, & toties bello esse destinatam Hierosolymam. Mihi idem videtur esse sensus iuxta hanc versionem, & iuxta translationem vulgatæ. Nam cùm septimus dies hebdomadæ sabbatum sit, idē erit hebdomadizare hebdomadas, atque sabbatizare sabbatū, quod nihil est aliud, quàm a laboribus feriari. Quemadmodū in sabbato nō nisi exiguum viæ spatium conficere liceat, diximus ad illud Actor. cap.1. *Sabbati habens iter.* De sabbati religione multa occurrent in Scriptura passim.

55. *Ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum.*] Dum Iudæi Chaldæorum consilia, atque conatus derident, & ludere putant tantæ molitionis opus; ipse Chaldæorum imperator non sedebit otiosus, aut sedato animo. Sed memor iniuriæ, ac violati fœderis à Sedecia Rege, omnes intendet bellicos neruos, vt ciuitatem capiat, pœnásque sumat de fœdifrago, ac scelerato populo.

56. Vers.24. *Pro eo quod recordati estis iniquitatis vestræ, & reuelastis præuaricationes vestras.*] His verbis & quæ succedunt proximè, nullam aliam sententiam subesse puto, quàm peccasse populum dum hæc minatur Deus, impudenter, & palàm, ita vt sua scelera publicè in omnium oculis defixerit. *Recordor* namque est in coniugatione Hiphil, vbi non tam valet aliquid memoria repetere, quàm aliorum memoriæ subiicere, siue quod idē ferme est, peccata vsque adeò committere inuerecundè, ac palàm, vt omnes intelligant. Quod satis declarant, quæ sequuntur statim; *Reuelastis præuaricationes vestras, & apparuerunt peccata vestra.*

57. Vers.25. *Tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies.*] Hæc verba Sedeciam cōpungunt, qui fœdus violauit, quod iuramenti religione firmauerat, quódque sanctè cum Chaldæorum Rege seruare debuit. Appellatur autem profanus Sedecias, quia iusiurādum temerauit; quod sacrum aliquid est, à diuino nomine, quod in eo concipiendo auditur, & à diuina fide, quæ ad illius constantiam imploratur. Sed fortasse *profanus* ideo dicitur Sedecias; quia nulla illum religio, nulla sanctitas vendicat à cæde. Sacer vocatur Sacerdos, quem salua religione, pulsare nemo, ac violare potest: sacer item Rex præsertim apud Hebræos; qui quia sacro inūgebatur oleo, Christus vocabatur, id est, vnctus. Quare qui illū aliqua ratione temeraret, aut læderet; impius arguebatur, atque sacrilegus. Hinc Dauid manus sæpe abstinuit à Saul, a quo ipse tam obstinatò quærebatur ad necem. 1. Reg. 26. cùm Abisai de occidendo Saule cogitasset, prohibuit Dauid, dicens: *Ne interficias eum. Quis enim extendet manum in Christum Domini, & innocens erit?* Et cap.24. cùm regiæ chlamydis oram præcidisset, condoluit quòd in Christum Domini manum immisisset. Eodem affectu exçanduit vehementer in illum, qui semianimem Regē interfecit. 2. Reg.1. *Quare*, inquit, *non timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum Domini?* Et dum eodem capite plangeret Saulis cædem, illud in planctu putabat esse non vulgare, quòd vnctus esset oleo, & eo nomine non profanus. *Quasi non esset*, inquit, *vnctus oleo.* Vt ergo qui in sacris est, aut sacer, pulsari 58. non potest, aut temerari sæculari manu (quare à sacris ordinibus, solenni quodam ritu, deiici, seu degradari solet; vt in illum iam liceat, quod in profanum, aut sæculare corpus) sic etiam Sedecias, quasi exauthoratus, aut degradatus, quod Græci *βέβηλον* appellant; omnium non modò sibilis, atque conuitiis, sed etiam grauioribus aliis iniuriis expositus est. Captus est enim in agro Ierechuntino; effossi sunt oculi, & illa passus exul in Babylonia; quæ nos ex aliorum sententia in cap.52. Ieremiæ retulimus. Ad hunc modum sacer esse desiit Esau; quem Paulus ad Hebr. c.12. *profanum* appellat, quia sacerdos erat, vtpote primogenitus, vt docet Hieronymus in traditionibus Hebr. in Genesi, & epist.126. ad Euagrium, & vēdita primogenitura, qua quodammodo vnctus,

Reges apud Hebræos sacri.

Regium corpus violare nefas.

ctus,aut initiatus videbatur, profanus habit⁹ est. A

59. *Cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita.*] Iniquitas hoc loco, sicut millies alibi, suppliciũ valet. Ait igitur Deus aduenisse iam tempus, quod capiendo de profano Rege supplicio destinarat. Atque ideo exercitum aduocat Babylonicum,& in regium corpus, tanquam in aliquid profanum,ac vile multa permittit.

60. Vers.26. *Aufer cidarim,tolle coronam.*] Hæc meo iudicio maximè faciunt ad superiorẽ cogitationem de profano, seu, vt ita loquar, degradato Rege. Vt enim in degradatione Presbyteri, seu Episcopi detrahuntur illius Ordinis insignia, & illa in speciem eraduntur, quibus initiatus erat, & sacer; sic Deus à Rege coronã aufert, quæ illum vnctum fuisse significabat, & cidarim, quæ aut regium est diadema,& idẽ quod corona; aut si sacerdotalis est mitra, illũ quasi sacerdotẽ sacrum esse ostendebat. Tunc verò subaudienda est similitudinis nota;ac si dicas,tolle regiam coronam, quæ perinde est, atque si cidaris esset pontificia,est enim non aliter ac sacerdos, sacer, & vnctus. Sed puto cidarim idẽ esse prorsus,quod coronam,& vtrumque esse regium insigne. Certè vtrumque coniunxit Isaias cap.62. *Et eris corona gloriæ in manu Domini: & cidaris regni, in manu Dei tui*: est enim Heb. hîc צניף *saniph*, illic צנפה *senepha*, ab eadem radice,& eodem sensu.

Cidaris idẽ aliquando quod corona.

61. Cæterùm modus ille loquendi per imperatiuum, cùm rem futuram significamus, frequens est in Scriptura; maximè cùm id,quod futurum prædicitur,proximum est vt fiat. Sic Isaias c.47. de Babylone, *Tolle molam,& mole farinam: denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, reuela crura, transi flumina.* id est, aderit tempus cùm ancillarem in modum assideas molæ, & reueles ea,quæ ingenuis esse nudata, instar habet mortis. Sic nunc, *Aufer cidarim,tolle coronam*, idem est atque, adest iam tempus, quo auferetur abs te cidaris, & tolletur corona.

62. *Nónne hæc est,quæ humilem sublevauit,& sublimem humiliauit.*] Corona, seu cidaris humilem eleuat imposita capiti,eadem è capite detracta sublimẽ deprimit. Dat etenim dignitatẽ,& adimit. Tanto enim quis infelicior iudicatur, & abiectior, quanto ex altiori gradu deiectus est. Hæc meo iudicio facilis est expositio,quęque mihi probatur magis. Hieronymus in alium sensum accipit: significatque putat Sedeciam maximã in regnãdo libertatem, atque potentiam, qui pro regia potestate euehebat, quos vellet, ad honores, & ab honoribus alios suo arbitratu deiiciebat; quod regiæ potestatis esse dicitur. Reges etenim tunc se putant regnare, cùm res tam suas, quàm aliorum,pro sua libidine versant,& commutant; quódque proprium est Dei,aut extollunt homines,aut humiliant. Sanè de Deo est illud Iob cap. 12. v.18. *Balteum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum; effundit despectionem super principes, & eos,qui oppressi fuerant, releuans.* Et Eccli. cap.10. v. 17. *Sedes Regum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Huic itaque Regi eos spiritus addidit corona,& cidaris,vt idem se posse,atque idem sibi licere existimauerit. Hæc explicatio satis est ad literam; an verò ad historiam, non ausim affirmare;quia nihil habemus ex Scriptura certum, neque tempora habuit sic expedita, ac libera Sedecias, vt hæc arbitratu suo moderari,ac commutare potuerit.

Regum autoritas, & potentia.

63. Alij coronam, & cidarim ad diuersos referũt; ad Sedeciam videlicet, & Iechoniam. hic enim restituta corona ab Euilmerodac, cùm primùm imperium suscepit Babylonicum, eleuatus est, priùs humiliatus esset,& coniectus in carcerem: ille cùm floreret,regia insignitus cidari,abiectus est,& in ærumnosam vitam post alia honoris, & salutis incõmoda cõpulsus. Ita putat Rab.Dauid.

Alij in corona Regnum,in cidari sacerdotium intelligunt; quia corona regium exornat,cidaris verò sacerdotale caput. Quod mihi non displiceret, nisi cernerem vnã tantùm personam hoc loco designatam videri. Vatablus hîc in allata cidari Iosedech agnoscit, qui in exilio vixit, neque sacerdotalem honorem consecutus est. Sed est longè probabilius (si hîc de sacerdote sermo sit) hunc esse Saraiam,vt putat Chaldæus. Nam cidaris auferri non poterat, nisi ab eo,qui priùs habuisset; at Iosedech nunquã habuit, sicut eius pater Saraias. Adde quòd eodem tempore à sacerdotio excidit Saraias,quo Sedecias à Regno: tunc n. occisus fuit à Nabuchodonosor, quãdo Sedecias oculis orbatus, Iere.c.52.v.12.& 27. Ex omnibus prima mihi expositio magis probatur. 64.

B

Vers.27. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam.*] In tergemina vocis repetitione magni aliquid est, vt diximus suprà v. 14. *triplicetur gladius.* Non mihi dubium *iniquitatem* hîc,sicut proximè, pro supplicio sumi; quod ab ira vindice impositum est iniquitati. Ter autem iteratur *iniquitas*, vel quia ter maxima, id est, ingens futura est; vel quia Sedecias tribus affectus est, iísque grauissimis incõmodis. Amisit quippe Regnum, & opes; orbatus est oculis, & filiis, & vitam in exilio duxit miseram,ignobilem, & barbarorum hominum conuitiis expositam. Alij ter putant ingeminari iniquitatem, quia ter Chaldæorum exercitus inuasit Iudæorum fines. Sed, vt suprà diximus vers. 14. quater à Chaldæis tentata est, atque concisa Iudæorum regio; bis sub Ioacim, semel sub Iechonia: tandem sub Sedecia,quando actum omnino videri potuit de re Iudaica. Quare magis mihi placet expositio prior, quæ in triplicata iniquitate ingentem odoratur calamitatem. Illud *ponam eam*,nempe coronam,hanc habet sententiam;efficiam vt corona quam nunc honoris ergò gestas in capite, maxima tibi pariat infortunia. 65.

C

Ternarius numerus cũ epitasi.

D

Et hoc non factum est,donec veniret,cuius est iudiciũ, & tradam ei.] Locus hic variè torsit,atque distraxit interpretes:quidam de Nabuchodonosor intelligunt,cui Dominus id negotij videtur dedisse; vt de Sedecia iudicaret,illúmque pro meritorum mensura, legitimè puniret. Ille verò, vt ex Ieremiæ cap.39. & ex lib.4.Reg.c.25.liquet;cùm sederet tanquam iudex in Reblatha, *locutus est ad eum iudicia.* & disceptata causa, tandem comperit illum graui supplicio debere mulctari. *Et occidit Rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha in oculis eius,&c. oculos quoque Sedeciæ eruit,& vinxit eum compedibus,vt duceretur in Babylonem.* Videtur ergo significare Deus hoc, quod de Regia corona dictum est,ad hoc vsque tempus non esse completum, quia nondum maturitas eius aduenerat, id est,vt de regio capite corona caderet:& tam Regi, quàm toti populo adueniret triplicata calamitas. Quemadmodum Genes.c.15.dicitur nondum Amorrhæorum iniquitates esse completas, vt ex suis expellerentur finibus, & Abrahami posteris vacuam relinquerent possessionem. Ita penè Hugo,Dionysius,Lyra,Maldonatus. 66.

E

Quod Nabuchodonosoru de Sedecia iudicium.

Alij plures hæc ad Christum referunt, Hieronymus,Theodoretus,& cum his è recentiori- 67.

Christi regnum.

bus plerique; sed non eodem omnes modo interpretantur. Quidam significari censent ciuitatem non esse funditus exscindendã donec Christus veniat: instaurabitur nãque ciuitas à Chaldæis euersa, captiuitate soluta; & illata vastitas à Romanis sempiterna erit. Hanc explicationem Hieronymus indicat, & Theodoretus: vel non extinguetur regni, seu Regum scintilla, quãtumuis iactetur fortuna regia, donec è Dauidico sanguine Christus veniat, qui in solio Dauid sedeat, & in æternum regnet in domo Iacob. Huc inclinant Theodoretus, & Pradus.

Nullus post Sedeciam è genere Dauidico regnauit.

68\. Aut certè quod magis videtur ad textum, corona, & cidaris, quæ auferendæ dicuntur è regio Sedeciæ capite, non imponentur rursus cuiquam è Dauidico stirpe, aut Israëlitico genere, donec Christus venerit, qui Rex erit, cuique Dominus iudicium dedit. Ioan. cap. 5. v. 22. *Neque enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.* Et reuera post Sedeciam, licèt multi duces ac sacerdotes fuerint, quorum arbitratu res administrabatur Iudaica, nullus tamen ex eo genere fuit, qui regiam sibi cidarim ac coronam assumpserit. Vt enim Hieronymus, cuius hæc est sententia, in hunc locum obseruat, Hircanus Pontifex, qui regium sibi diadema imposuit, id frustrà conatus est; cùm regnum ipsi non deberetur, cùm non tam è regio, quàm è Pontificio sanguine natus esset.

69\. Posterior hæc sententia mihi probatur omnium maximè; tum quia pia est, quia de Christi sumitur corona, & regno; tum etiam quia in illam magnorum interpretum auctoritas conspirat. Nec tamen priorem improbo, quia & ipsa apta videtur ad textum; neque suum deest ab auctoritate pondus.

Sed hìc explorato opus est, an ex Sedecia, seu ex Iechonia Rex vllus fuerit ante Christum, qui depulsum à Dauidico genere sceptrum obtinuerit. Multi ita censent, qui Machabæos, qui post captiuitatem solutam rem administrauere Iudaicam, à Dauide prognatos esse putant. Quod ideo probant, quia Machab. 1. cap. 5. Machabæi dicuntur de tribu Iuda. *Et viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israël, & Gentium omnium, vbi audiebatur nomen eorum.* Secundò, quia nisi è Iuda orti essent Machabæi nunquam Aristobulus, & Hircanus, Alexander & post illos alij ex eorum genere regnum inter Iudæos obtinuissent. At illos assumpsisse sibi diadema, tradit Iosephus lib. 13. Antiq. c. 18. & cap. 21. & illos scriptores alij frequenter Reges appellant. Quod si ita est, cõstat fuisse post Sedeciam non vnum, sed multos Reges Iuda ante Christum natum.

Post captiuitatem ante Herodem nullus verò Rex inter Iudæos.

70\. Sed est omnino dicendum ante Herodem, qui sub Christi ortum regnum obtinuit Iudaicum, neminem ex tribu Iuda regnum occupasse, postquam Sedecias ab illo deiectus est. De Sedeciæ successoribus indicat Ezechiel hoc loco: neque videmus ex Iechoniæ posteris quemquam Iudæorum imperium tenuisse. Ducem quidem fuisse Zorobabelem legimus; at regium nomen habuisse non legimus. Solùm de Machabæis difficultas esse potest, qui post captiuitatem diu Iudæorum rebus præfuerunt; de quibus hìc exploranda duo: alterum, an Machabæi de tribu Iuda fuerint? alterum, an illorum aliquis verè, ac propriè possit appellari Rex?

Machabæi non duxerunt paternum genus à Iuda, sed à Leui.

71\. Multi Machabæos ex tribu Iuda ortos esse putant; idque secundùm lineam paternam, putat Genebrardus in Chronologia, ea vt arbitror

A ratione persuasus; quia maternam lineam non satis putabat, vt posteri nati dicerentur de tribu Iuda. Alij à matre putant habere, vt sint ex tribu Iuda; a patre verò ex Leuitica, & sacerdotali familia natos esse dicunt: idque satis videri, vt in Iudæ genere ad Christum vsque perseuerasse existimetur sceptrum in tribu Iuda. Quòd verò ex tribu Iuda orti Machabæi fuerint, tenent cõplures, illique non ignobiles auctores, Hieronymus in cap. 1. Sophoniæ, Epiphanius hæresi 29. Augustinus lib. 18. de ciuitate cap. 45. Galatinus lib. 4. c. 4. qui sanè intelligendi sunt secundùm maternam originem, cùm tribus sacerdotalis, ac regia, vt exempla docent non pauca, possent so-

B ciari connubiis. Quòd enim Machabæi ex Leuitica, ac sacerdotali tribu fuerint, satis ex eo constat, quòd Sacerdotes fuerunt; quod multis locis eorum tradit historia. Et quidem fuisse de familia Ioarib, habes lib. 1. c. 2. in principio. *In diebus illis surrexit Mathathias sacerdos ex filiis Ioarib,* quæ familia in ordine Sacerdotum primum obtinebat locum, 1. Paralip. cap. 24. Et ipse Mathathias cùm plurimos alios principes nominasset, nunquam tamen illis patris nomen attribuit. Vbi verò ventum est ad Phinees, qui tertius post Aaron sacerdos fuit, illum parentem suum appellat 1. Machab. 2. vers. 54. *Phinees pater noster zelando zelum Dei accepit testamentum sacerdotii æterni.*

C Cùm ergo hi maternum tantùm genus traxerint a Iuda, videndum est, an propriè dici possint ex tribu Iuda, & tanquam è regio semine prognati, Reges esse potuerint. Quod ad primum attinet, vt certum sit Machabæos ex materna origine regium traxisse genus, quod planè incertum est; tamen, ideo non puto illos tribui Iuda esse annumerandos iuxta Hebræorum consuetudinem, quibus paternum genus nomẽ dat, & familiam; non autem maternum: immò neque filij maternum genus vidẽtur habuisse, cùm nupta fœmina in viri sui nomen, atque familiã transeat. Quod non obscurè docent duo loca Leuitici, quæ filiam per matrimonium à paterna

72\.

Paternum genus nomẽ dat, & familiam, non maternum.

Fœmina vbi viro nupsit in eius familiam cooptatur.

D domo, atque familia abalienari dicunt cap. 21. Sacerdos prohibetur contaminari in mortibus ciuium suorum, nisi tantùm in consanguineis, & propinquis. Et addit, *Id est, super patrem, & matrem, & filium, & filiam, fratrem quoque, & sororem virginem, quæ non est nupta viro.* Ecce quomodo à cognatione separãtur fœminæ, quæ aliorum se implicuere coniugiis. Et cap. 22. cùm permittatur his, qui sunt è familia Sacerdotum sanctificatis vesci; non tamẽ permittitur filiæ nuptæ, nisi vidua, vel repudiata, & absque liberis redeat in domum patris. Vide Abul. in hæc loca Leuitici, Interlinearem in priori, & Lyram in posteriori testimonio. Inter Romanos, vt tradit Gellius lib.

E 18. cap. 6. materfamilias in mariti sui familiã veniebat. Hinc factum est, vt sponsi sororum se ac fratrum nomine salutent, quasi eisdẽ essent parentibus prognati, & nurus à socero vocentur filiæ; quia id exigit matrimonij ius, aut cõsuetudo. Quòd autem origo materna non denominet posteros; aut ius illi familiæ attribuat, cuius fuere matres, docet illud Pauli ad Heb. 7. vbi negat Christum fuisse sacerdotem Aaronicum, qui ortus fuit è tribu Iuda. Quòd si genus sufficeret maternum, responderet aliquis Paulo Iesum quidem matrem habuisse, quæ paternum genus traxisset à Iuda, maternum à Leui: quare Christum in eadem fuisse tribu, atque ideo sacerdotem esse potuisse secundùm ordinem Aaron.

Cõiuges cur se mutuò sorores, & fratres appellent.

Illa

73. Illa porrò ratio, quæ ideo Machabæos censebat ex tribu Iuda, quia lib. 1. Machab. cap. 5. de Machabæis, vt apparet, scribitur, *Et viri Iuda magnificati sunt.* non nimis vrget: quia *Iuda* nomen esse potest, non tribus: sed Iudæ Machabæi, cuius commilitones fortiter se gesserunt. Et quidem Græcè ita legitur, *ὁ ἀνὴρ ἰούδας, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐδοξάσθησαν.* id est, *vir Iudas, & fratres ipsius glorificati sunt.*

74. *Nemo verò Rex ex Machabæorum genere.*

Sed quicquid sit, siue Machabæi tribui ascripti fuerint Iuda, siue secus, ex illis neminem legitimè ac propriè regiam dignitatem obtinuisse arbitror. In primis, quia genus non traxerunt ab illis, qui proximè Iudæorum sceptrum tenuerunt: non à Sedecia, quia ipsius filij à Nabuchodonosore occisi dicuntur in Reblatha, Ierem. cap. 52. De filiis verò Iechoniæ extat apertum Ieremiæ vaticinium quo omnes prorsus excluduntur à Regno. Sic autem ille cap. 22. *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur: neque enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltrà in Iuda.*

75. *Machabæi non Reges, sed duces, & Principes populi.*

Quòd si Iudæorum populo præfuerunt Machabæi; non tamen Reges fuerunt, sed Duces, & Principes qui rem moderarentur bellicam, & quasi Sacerdotes maximi rem curarent, & constituerent religiosam, & sacram: neque ordinem illum summum acceperunt à populo, tanquam hæreditarium, & suum; sed pro illo tempore, quo laborabat res publica; neque carere capite poterat, cui in eo rerum discrimine pareret, donec adesset Propheta, per quem de Rege, ac duce constituendo aliquid à Deo certum acciperent. Machab. lib. 1. cap. 9. *Et congregati sunt omnes amici Iudæ, & dixerunt Ionathæ: Nunc te hodie eligimus esse nobis in Principem & Ducem ad bellandum bellum nostrum.* Et iterum cap. 14. *Iudæi, & Sacerdotes consenserunt Simonem esse Ducem suum, & summum sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis.* Quidam Prophetam illum fidelem, Christum esse dicunt, ad cuius aduentum constitui putant Simonem sacerdotem, & ducem. Ego Prophetam illum esse puto, per quem certum à Deo responsum sperabant Iudæi: quod mihi facit verisimile; quia iidem cùm deliberarent lib. 1. cap. 4. quid facerent de lapidibus altaris, qui contaminati fuerant à Gentibus, *Reposuerunt lapides in monte domus, in loco apto, quo ad vsque veniret Propheta, & responderet eis.*

76. *Dicuntur aliqui Machabæorum Reges, sed non fuerunt.*

Sed illud grauiter hanc cogitationem premit, quòd quidam è Machabæorum Gente Reges habiti, atque à multis Reges appellati sunt, nempe Aristobulus, Hircanus, Alexander, &c. ita Iosephus, & ex eo quamplurimi tam ex antiquis, quàm qui nostra etiam ætate scripserunt.

Ad hæc ego respondeo primùm Iosephum, à quo plerique alij ista didicere, non dixisse illos fuisse Reges, legitimos puta, & propriè, successione videlicet, aut legitima consensione, atque electione populi; sed sibiipsis assumpsisse diadema, quasi diceret, vi, aut astu, seu potentia vsurpasse alienum potius, quàm debitum sibi nomen, ac titulum accepisse. Sic autem Iosephus lib. 13. Antiq. cap. 19. *Defuncto Patre,* (nempe Hircano) *Aristobulus natu maximus volens principatum in Regni formam vertere, diadema sibi primus imposuit post 481. annos, & menses tres, ex quo de captiuitate Babylonica liberatus populus ad pristinas sedes postliminio reuersus est.* Quàm autem ille crudeliter, atque impie nomen illud regium vsurpauerit, docet ibidem Iosephus. *Cùmque fratrem suum secundum An-*

A *tigonum amaret, in societatem dominationis eum assumpsit, cæteros verò in vinculis habuit. Matrem verò coniecit in carcerem: atque eò crudelitatis processit, vt fame necaret in vinculis.* Post matrem verò, interfecit fratrem quoque, quem præ aliis diligere videbatur. Hæc eadem de Aristobulo Egesippus lib. 1. cap. 2.

Hoc tantùm iure, si quod est in iniuria ius, regium sibi nomen assumpsit, qui in Machabæorum genus clarissimum illum titulum inuexit. Nihilominus tam Aristobulus iste, quàm alij, qui deinde illi successerunt, Reges vocati sunt: non quidem quia Reges, sed quia vulgus hominum ita putabat; seu potiùs quia ita à potentiore gratiam inire cupiebat; aut quia si secus faceret, impunitum fore non sperabat. Huius consuetudinem alij quoque prudentes homines secuti sunt, qui in loquendò plerumque vulgi consuetudinem imitantur: cùm tamen longè aliter sentiant; immò & ipsum non rarò cum dolore faciant. Neque id nouum est vt potentes, ac Principes illud habeant à timida, atque blandiente turba nomen, quod ab illorum siue statu, atque ordine, siue à meritis abhorreat. Sic Antiochus à Samaritis vocatus est *seruator*, & *Deus*, vt tradit Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 7. & Nabuchodonosor in aurea statua *Deus* salutabatur, non à populari tantùm turba, sed etiam à Principibus, Daniel. cap. 3. Vt ergo Dij vocantur, quibus nullum inest numen, etiam in Scriptura, quæ in loquendo à vulgi consuetudine non abhorret, cùm tamen non sint Dij; & illi etiam Prophetæ dicuntur, quos nunquam spiritus afflauit diuinus, sed ipsi alienissimum sibi nomen vsurparunt: sic isti Reges vocati sunt etiam à sapientibus; cùm tamen ipsi Reges non fuerint.

77. *Curquidam Machabæorum Reges vocati.*

Multis alienum nomen datum à vulgo.

At qui hæc accuratè expendunt, in Regum numero habendos esse non putant, vnum excipe, aut alterum. Sanè cùm diuersa tempora Israeliticæ reipublicæ considerant, sic illorum digerunt administrationis formam, vt à Iosue ad Samuelem per Iudices, inde ad Sedeciam per Reges, à captiuitate verò ad tempus vsque Christi per duces, & sacerdotes administratam esse dicant rem Israeliticam, & Iudaicam. Neque tamen ignorabant quid de Aristobulo, Hircano, & aliis proditum esset à Iosepho. In his sunt Ambrosius lib. 3. in Lucam non longè à fine, Chrysostomus homil. 4. in cap. 1. Matthæi in principio, ibidem Euthymius longiùs à principio, Eusebius lib. 1. histor. cap. 6. & multi ex interpretibus Ieremiæ ad illud cap. 22. *Neque enim erit in semine eius* (nempe Iechoniæ, à quo Salatiel, & ab hoc Zorobabel) *vir qui sedeat super solium Dauid.* Eo loco qui de administratione Iudaicæ reipublicæ locuti sunt, Sacerdotum meminerunt, Principum, & ducum; non Regum, quia Reges Aristobulum, Hircanum, &c. non putabant. Hugo apertè negat post Iechoniam ad Christum vsque fuisse Reges. *Vsque ad Christum*, inquit, *fuerunt Principes, & non Reges.* Sed clariùs Hieronymus in hunc Ezechielis locum, vbi hos Reges esse negat, & causam reddit; quia ex tribu regia non fuerunt. *Hircanus*, inquit, *Pontifex diadema capiti suo imposuit, frustrà sibi & hoc, & illud voluit vendicare, cùm Regnum ei non deberetur post Sedeciam.* Ac si dicat, quia non erat è tribu regia, neque ex Dauidis stirpe. Quæ ratio etiam valet in omnes, qui Hircano successerunt. Idem ex nostris tenent Castrus in citatum Ieremiæ locum, vbi citat alios, & Ribera in c. 3. Zachariæ num. 19. 78.

Nullus Rex à captiuitate ad tempus vsque Christi.

79. Sed dicet aliquis, si Machabæos hosce Reges esse negamus, quomodo Rex vocatus est Herodes, qui ex genere Dauidico prognatus non est; & tamen Rex tam à profanis quam a sacris scriptoribus appellatur, cuius ætate Christus natus est iuxta Iacobi vaticinium, qui tunc venturum esse dixit eum, qui esset expectatio Gentium, quando sceptrum ad illum peruenisset, qui alienus esset à stirpe Iudæ. Responsio difficilis non est; quæ statuit inter Aristobulum, Hircanum, & alios, atque inter Herodem non leue discrimen. Illi etenim diademata sibi imposuerunt, neque ad regium nomen aliquid attulerunt præter vim, astum, atque potentiam; non electi ad illud nomen à populo, vt paulo antè vidimus; non iure hæreditario, cùm non essent ex regia tribu, ratione saltem originis paternæ: neque tandem ab aliquo qui ius haberet aut regij nominis tribuendi, aut Regni confirmandi, quales sunt Imperatores, & Monarchæ. At Herodes, vt tradit Iosephus lib. 14. Ant. cap. 26. & ex eo Hieronymus in cap. 9. Danielis, constitutus est Rex à Senatu Romanorum, penes quem summa, atque imperatoria potestas esse putabatur; & iterum ab Augusto iam rerum potito, vt docet idem Iosephus lib. 15. Ant. cap. 10. & Egesippus lib. 1. cap. 34. & Epiphanius hæres. 51. ad finem. Quare hic vocari iure potuit Iudæorum Rex, cùm nomen illud ab ea potestate, quæ censebatur summa, obtinuisset.

Cur Herodes Rex dici potuerit.

80. Redeo ad institutum, à quo longiùs digressus esse videor, & dico, quod etiam indicasse videtur Ezechiel suprà, nullum post Sedeciam ad Christum vsque in regio Dauidis solio consedisse; seu, quod idem est, accepisse cidarim, seu coronam. Quomodo verò intelligi debeat vaticinium illud Genes. cap. 49. *Non auferetur sceptrum Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat*, &c. non disputo modò; quia longiorem exigit disputationem, quàm vt obiter tractari debeat: neque enim ego nunc locum illum explicandum assumo; neque cum Iudæis mihi controuersus est sermo.

Illud dico, si Machabæos, qui tantùm è Iuda genus habuerunt maternum, sceptrum tenuisse fateamur, difficile est statuere quomodo negari possit, si vim expendamus vaticinij, vt communiter ab omnibus accipitur, quo tempore Machabæi regnare cœperunt, Christum esse natum. Vt enim suprà diximus maternum genus non dat alicui familiam, & tribum. Quare sceptrum iuxta Hebræorũ consuetudinem translatum dici posset ad eos, qui non essent de tribu Iuda; sicut etiam Christum natum esse probamus, quia eo tempore regnabat Herodes, qui ex ea tribu natus non erat.

At dices; si Machabæi non regnarunt; ergo longè antequam Christus nasceretur, defecit sceptrum de Iuda, contra quàm prædictum fuerat à Iacob. Respondeo defecisse quidem sceptrum, seu regem multis annis ante Christi seruatoris ortum, non tamen defecisse ducem de femore Iuda; vtrumque enim habemus à Iacob, videlicet non auferendum sceptrum de Iuda, aut ducem de illius femore, donec veniret Christus. fatemur enim duces fuisse Machabæos, non tamen Reges: illud autem &, in prophetia sumo pro *vel*. quod in Scriptura frequens est. Num 5. & non coniungit, sed disiungit extrema. versu 4. *Mulier si quippiam vouerit, & se constrinxerit iuramento*. id est, vel se constrinxerit. Idem iisdem propè verbis versu 5. 7. 11. Iob c. 31. versu 7. *Si declinauit*

REGVLA. *Et interdum disiungit.*

A *gressus meus de via, & si sequutus est oculus meus cor meum, & si in manibus meis adhæsit macula*, id est, vel si sequutus est, vel si in manibus, &c. & Ezech. cap. 18. v. 10. *Quod si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem, & fecerit vnum de istis*. id est, vel fecerit. Ad hunc modum si dicamus Machabæos maternum genus duxisse ex Iuda, idque satis putemus, vt ad illam familiam pertinere censeantur, non defecit tunc quod Iacob prædixit; quia licèt Machabæi Reges non fuerint, fuerunt tamen duces. Dixit enim Iacob, non auferendum esse sceptrum de Iuda, aut ducem de illius femore. & enim, vt alibi sæpe, in eo vaticinio disiunctiuè ponitur. Verùm quid de hoc vaticinio dicendum sit, scripserunt alij eruditè, & latè, qui
B explicationes adducunt alias, quæ regiam hanc dignitatem in Machabæis non requirunt. Vide Franciscum Suar. t. 1. in 3. p. S. Thom. & Pereira in caput 39. Genes.

Vers. 28. *Hæc dicit Dominus Deus ad filios, & ad opprobrium eorum.*] Nonum hîc orditur Propheta vaticinium in Ammonitas, contra quos Nabuchodonosor, cùm in biuio subsisteret, sortes consuluit, & oracula. Hi verò cùm nossent, neque enim ignorari poterat, de suo excidio Chaldæum deliberasse, ac tandem belli pondus contra Solymitanos conuertisse; efferebantur gaudio, sibique gratulabantur, quòd excidisse Regi cogita-
C tionem existimarent: quare ab illo aduersum sibi nihil metuebant; & quòd malè Iudæi concisi forent lætabantur. Contra hos ergo vaticinium istud breue quidem, & terroris plenum intorquet Propheta, quibus eadem propè minatur, quæ passi sunt ab eadem acie Solymitani ciues. 81.

Ammonitæ Iudæorum infortuniis exultant.

Et ad opprobrium eorum.] Opprobrium hoc loco 82.
assumi potest passiuè simul, & actiuè. Nam & subire opprobrium, & inferre videri possunt Ammonitæ: si passiuè sumas, sensus erit vaticinium hoc esse de opprobrio, quod à Chaldæis sustinuerunt Ammonitæ; tunc verò *ad*, siue cum *filiis Ammon*, siue cum *opprobrio* coniungatur, idem valet quod *de*, quod in Scriptura sacra non infre-
D quens. Qua de re pluribus egimus in illud Actor. 2. *Dauid enim dicit in eum*. id est, de eo, vbi exemplorum satis. Iob cap. 42. *Neque locuti estis ad me rectum*, id est, de me: neque enim amici Iob cum Deo loquebantur. Ad Heb. 1. *Et ad Angelos quidem dicit*, id est, de Angelis. & cap. 4. *Ad quem nobis sermo*. id est, de quo. Ad hunc ergo modum hunc locum verti, ac exponi liceret. *Hæc dicit Dominus de filiis Ammon, & de opprobrio eorum*. Et iuuat hanc cogitationem, quòd nullum verbum collatum apparet ad Ammonitas; sed de Ammonitis totus videtur esse propheticus sermo, vt postea suo loco pluribus.

REGVLA. *Ad & in pro de.*

Potest etiam opprobrium actiuè sumi, quia 83.
E nimirum insultarunt Ammonitæ Iudæorum fortunæ, exprobrarúntque vitam illo supplicio, atque exitu non indignam: quóque magis vexaretur Iudæorum status, suas cum Babylonicis vires coniunxerunt. Sic infrà Ezechiel cap. 25. v. 3. *Pro eo quod dixisti: Euge, euge super sanctuarium meum, quia pollutum est; & super terram Israel, quoniam desolata est; & super domum Iuda, quoniam ducti sunt in captiuitatem: idcirco ego tradam te filiis Orientalibus*, &c. Et Sophonias cap. 2. v. 8. *Audiui opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum. Propterea viuo ego, dicit Dominus Deus exercituum domus Israel, quia Moab vt Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha*. Tunc autem hæc erit sententia,

Ad

Ad opprobrium eorum. id est, propter opprobrium. Quid ego in hac disputatione sequar, incertus sum: vtrumque mihi videtur ad veritatem, & textum: in posteriorem hanc sententiam discedo, quia pluribus placet.

Mucro, mucro euaginate ad occidendum, limate vt interficias, & fulgeas.] Olim ita distinguebantur duæ illæ voces, vt non tam viderentur vox vna in vocatiuo participij præteriti, quàm duæ in imperatiuo, quasi mandatum accipiat ille mucro, vt se iterum euaginet, ac limet se contra filios Ammon; sed vt iam codices habent Sixtiani, & translatio Septuaginta docet, vocatiuus casus hic est, non modus imperandi. Et ita vertisse videtur Hieronymus, vt in suis ipse commentariis ostendit. Sic enim ille suam translationem exponit. *O mucro, mucro, qui paratus es ad cædem, limatus vt fulgeas.* Videtur autem tunc Deus locutus esse ad gladium, cùm ille grassaretur hostiliter in Iudæos, & illorum se sanguine cruentaret, quasi iubeat, vt tantisper post Iudæorum funera respiret, vt integer reuertatur, & recens contra Ammonitas, quos iam Dominus Chaldæorum mucroni deuouerat.

84. Vers. 29. *Cùm tibi viderentur vana, & diuinarentur mendacia, vt dateris super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies.*] Huic loco non parum obscuro lucis plurimum afferunt versus 23. & 25. vbi habes eadem, aut certè non admodum dissimilia verba. Vt enim Iudæi stulta putabant Chaldæorum consilia, & irritos conatus, cùm audiissent illos auspicia captasse, commiscuisse sagittas; quasi illi diuinandi generi nihil inesset ponderis; cùm nescirent, aut non considerarent sortes illas quantumcumque impias à Domino solere temperari: sic eadem Ammonitæ vesania Chaldæorum exta patrio more consulta, & idolorum oracula contemnebant, & ab illis putabant nihil imminere periculi. Sed venit tandem dies illorum exitio definita, & post excisam Hierosolymam, regio quoque Ammonitis subiugata est.

85. Videtur autem hæc esse sententia huius clausulæ vehementer implexæ. O mucro ad Iudæorum cædem euaginate, atque limate, quos tempore illorum cladi definito confecisti, quando Chaldæorum consiliis irridebant; quia mendacibus auspiciis delusi bellum illud tentasse putabantur, eodem quoque modo conficies Ammonitas; cùm tempus illorum stragi definitum aduenerit, qui eodem modo vanos tuos putant esse conatus: & in eorum collum, qui nihil sibi tale metuebant, inuolabis. Hæc mihi facilis videtur, neque à textu distorta sententia, quæ vt similem impietatem deprehendit in filiis Ammon, sic etiam simili supplicio damnat, quo damnandam esse dixerat Hierosolymam.

86. Vers. 30. *Reuertere ad vaginam tuam.*] Hæc, vt diximus, eo tempore dicta simulantur, quo mucro Babylonicus Iudæorum ceruicibus aut imminebat, aut insigebatur. Quare videtur illi edici, vt respiret aliquandiu à Iudæorum cæde, séque rursus comparet in Ammonitarum exitium. Et quidem ita fuit, nam quinto pòst anno, vt auctor est Iosephus lib. Ant. 10. cap. 11. regionem populatus est Ammonitidem. Hæc quidem probabilia; si verò hæc dicta fuisse statuas post debellatos Ammonitas, quod alij ferme omnes existimant (nam modus ipse docendi aliquid iam indicat esse perfectum, quando recondi iubetur gladius in vaginam) videri posset Deus liberare

A Babylonios à metu, quasi nihil passuri sint mali in his regionibus, quas populaturi aduenerant. Quare iubet, vt discincti sint, non accincti ad prælium; quasi in regione agerent sua magis quàm hostili, neque enim quicquam in alieno, seu externo solo patientur aduersi. Et ideo commodè statim additur:

In loco, in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ iudicabo te.] *Indicare* in Scriptura sacra vox est ambigua, modò enim fauorem indicat, modò vim, aut offensionem in alium; in posteriori hîc significatione sumitur. Dicit enim Deus nihil Babylonios, quos contra Iudæos, & Ammonitas ex patriis finibus euocauerat, extra domum, aut ex- 87.
B tra patrium solum esse passuros. Ne ideo accincti viderentur in alienos fines, vt quæri possent hastili gladio fuisse permissi. Quare discingant se, & gladium in vaginam recondant; quamdiu enim agent in aliena regione, omnia prorsus succedent ex votis. Neque tamen illos omnino liberat à metu: nam in terra natiuitatis suæ, vbi regionum externarum potiti fuerint; pœnas ipsi quoque dabunt eorum, quæ in dato sibi negotio impiè, atque crudeliter egerunt. Id verò neque nunc primùm, neque semel de sui imperij interitu, priuatísque incommodis audiere Babylonij. Dixerat enim multo antè Isaias cap. 14. & proximè Ieremias cap. 50. & 51. & Psal. 136.

C Vers. 31. *Effundam super te indignationem meam.*] 88.
Frequens est in Scriptura sacra mutata dicendi figura à figurato sermone ad proprium transire, quod nunc facit Propheta. Cùm enim in mucrone populus designaretur Babylonicus; omittit illa, quæ mucronis sunt propria, & de populo ipso non ampliùs allegoricè loquitur. Neque enim mucro iudicari dicitur, aut super illum indignationem effundi, dicitur tamen de populo, quem punire vult, & delere Dominus. Est autem hîc quoque translatio, sed quæ non aptè cadat in gladium ab aqua sumpta; quæ stillare solet, & effundi. Si stillet sensim, euacuatur vas, in quo continebatur priùs, & aliquid, imò & plurimum
D residere solet, quare ab stillis non admodum timendum est. Quod si effundatur, breui totum exhauritur, & cum impetu quodam. Conceperat Deus contra Babylonios, diúque compresserat furorem, quem in diuino pectore in diem vindictæ Gens illa immitis, & barbara thesaurizauerat. Illum tamen effudit, euomuítque in populum illum, eóque redegit, vt neque leue maiestatis antiquæ vestigium reliquerit. Quod statim aliis translationibus magis declarat, & amplificat. Hieronymus hîc etiam gladij translationem retineri putat, sed sanè durè admodum, tam hæc, quàm quæ statim adduntur ad gladij naturam accommodantur.

Regula. Sæpe in Scriptura mutatur metaphora.

E *In igne furoris mei sufflabo in te.*] Indignatio, ira, 89.
furor, & similia naturæ sunt igneæ, quare ardere dicimus aliquem, aut inflammari furore; imò & ira ipsa non rarò nominatur ignis, aut incendium. De sacris res est nota Deut. 32. *Ignis accensus est in furore meo.* Psal. 17. *Ignis à facie eius exarsit.* Ex profanis vnum, & alterum exemplum accipe. Virgil. lib. 2. Æneid.

Ignis pro graui furore.

Exarsere ignes animo, subit ira cadentem
Vlcisci patriam, & sceleratas sumere pœnas.

Et Seneca in Oedip.

Ardent minaces igne truculento genæ.

Sic etiam hoc loco ignis furoris dicitur. Hunc autem siue furorem, siue ignem vehementem fore dicit Dominus, quem nec extinguet vllus,

nec comprimet, donec de re Babylonica prorsus actum sit. Ideo ait accendendum esse suo flatu, à quo excitatum incendium nulla vis premet, nulla hominum sedabit industria. Dixit hoc idem Deus Isai. cap.30.v.33. cùm æternas fore dixit gehennæ flammas. *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Hæc mihi expositio difficilis non est, literam verò nonnihil impeditam sic euoluo. *Sufflabo, excitabóque contra te indignationem meam, inflammatus acri furoris incendio.* seu *indignationem eu omam in te, quam instar ignis alam atque accendam flatu meo.* Theodoretus hîc agnoscit diuinæ potentiæ quanta sit vis; cum leui, aut nullo potiùs negotio res natura maximas, quæque nullo modo videbantur posse dissolui, flatu dissipat, ac perdit. Quid autem magis aut promptum, aut facile, quàm spiritum efflare, quod sine vllo labore homines, imò necessariò faciunt. Quod hyperbolica specie dicunt prophani, qui cùm vim alicuius maximam significant, ab aliquo difflari posse aiunt instructas acies.

90. Vers.31. *Dabóque te in manum hominum insipientium, & fabricantium in interitum.*] Homines hi, qui insipientes dicuntur a Propheta, Persæ sunt, & Medi. Dicuntur autem insipientes, quia incultum erat hominum genus, bellicosum, & audax; apud quos non tam valebant instituta, & leges, quàm lacerti, atque arma, & ideo statim subiicitur, *Et fabricantium in interitum.* id est, qui eò intendunt animum, vt aliis sint exitio; neque aliam artem didicere, nisi illam; quæ instrumenta aut cudit, aut format, quibus armantur milites, aut oppugnantur vrbes. Quia verò hæc studia ferinum quiddam olent, & agreste; ideo genus hominum, qui ad cædem aspirant, & delectantur sanguine, insipiens vocatur. Pro *insipientium* Heb. est בערים *bo arim*, quod *ardentes* significat. Septuaginta *Barbaros* reddiderunt. Quàm verò Persæ crudeliter se gesserint, cùm potentiam fregere, ac subiugauere Babylonicam: explicuit Isaias cap.13.v.17. *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, neque aurum velint, sed sagittis paruulos interficient, lactentibus vteri non miserebuntur, & super filios non parcet oculus eorum.* Hoc idem dixerat antè Dauid Psal.136. de Babylone, *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* quod etiam dixerat Isaias suprà vers.16.

Persæ bellicosi, inculti, & non nisi bellicorum instrumentorum artifices.

91. Vers.32. *Igni eris cibus: sanguis tuus erit in medio terræ.*] Hac dicendi forma nil puto significari aliud, quàm fore igne, ac ferro vastandam Babyloniam. In medio verò terræ fundendus dicitur esse sanguis; quia Babylonij non in aliena regione; sed eodem, quo nati fuerant loco, capti sunt, & extincti, sicut nuper dictum est à Propheta v.3. Quomodo verò capta, atque excisa Babylon, diximus in nostris commentariis in Isaiam cap.13.n.24.

Obliuioni traderis.] De ciuitatis excidio, & quomodo eo redacta sit, vt neque vllum vestigium antiquæ gloriæ reliquum dicatur, diximus in Isaiam vbi suprà. Quid verò sit obliuioni tradi, non est coniectatu difficile. Magnam rerum mutationem, quæcumque illa sit, importat obliuionis nomen: quod figuram habet apud Hebræos prouerbialem, vt pluribus ostendimus ad illud Isaiæ cap.65. *Quia obliuioni traditæ sunt angustiæ priores.* vbi Propheta magnam prædicit rerum vbertatem, felicitatémque, quæ facit, vt omnis deleatur antiquæ calamitatis memoria. Sic Eccl. cap.11.v.29. *Malitia horæ obliuionem facit lætitiæ magnæ.* Genes. cap.41. cùm præcessissent septem anni incredibilis abundantiæ, deinde ea dicitur aduenisse sterilitas frumenti, vt obliuioni traderetur omnis retro abundantia. Sic Babylonis quondam orbis Reginæ ea erit ab exercitu Persico mutatio; vt tanti nominis memoriam obterat obliuio. Idem videtur prædixisse Isaias cap.14.v.22. *Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem.* Eodem loquendi modo vsus est Isaias cum ageret de Tyro; quæ non aliter ac Babylon subuersa est. cap.23.v.15. *In obliuione eris, ò Tyre, septuaginta annis.* 92.

Sunt qui hæc omnia à Babyloniis auocent, & referant ad filios Ammon, de quibus institutum videbatur vaticiniũ; quia nihil contra illos videtur esse dictum, & tamen in eos propheticæ intorquentur minæ. Sed si attentè expendas, satis in illos graue est hoc vaticinium; cùm talis illis exitus immineat, qualem experta est Hierosolyma, vt nos suprà explicuimus. Neque hoc leue vulnus est, neque explicatũ obscurè, quandoquidem de Solymorũ interitu multa à Propheta dicta sunt, illaque satis explicatè. Adde quòd multa inuita veniunt ad Ammonitas, eaque vehementer à textu, sermonísque figura contorta, quæ tamen vltro sese offerunt in Babylonicum exitium. vt quòd iudicandi sint in terra natiuitatis suæ suprà vers.30. Ammonitæ verò, vt ex Ieremia liquet cap.49. vers.5. & 6. captiui abducti sunt, & extra terram natiuitatis puniti. 93.

Quia ego Dominus locutus.] Non deerit fides huic oraculo, quia à summa veritate profectum est; neque pondus aberit, quia ille, qui has intentat minas, eius est virtutis, vt nemo contrà niti, si sapiat, audeat; neque si audeat, in suo conatu quicquam promoueat. Hæc est Dei quasi familiaris, & legitima subscriptio; qua verbis auctoritatem, firmitatémque conciliat. Hæc de cap.21. 94.

IN CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

PECCATA obiicit Propheta Hierosolymæ, propter quæ tam graue ab vltore Domino supplicium impendet. Ait enim ciuitatem illam non pudorem solùm, & pietatem; sed etiam humanitatem, omnem abiecisse. Principes etenim auctoritatem suam, & vires eò contulerunt, vt aliorum sanguinem effunderent, aut infirmiorum opprimerent turbam: neque parentibus reddita gratia est; ne-

que pupillis, ac viduis præstita misericordia, sed vtrisque adhibita vis, & iniuria. Corrupta muneribus iudicia, & per calumniam, & fraudem quæsita lucra. Deinde quàm sit ciuium vita profligata, & perdita, metallorum quorundam vilium similitudine declarat. Neque ab hoc numero quemquam excludit, non Prophetam, non Sacerdotem, non principem, qui omnes ad commune illud incendium faces admouerunt; illos tamen omnes in expiatoriam fornacem coniiciendos dicit, & instar argenti duro, atque seuero examine fore conflandos.

CAPVT XXII.

1. *ET factum est verbum Domini ad me, dicens:*

2. *Et tu fili hominis nónne iudicas, nónne iudicas ciuitatem sanguinum?*

3. *Et ostendes ei omnes abominationes suas, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ciuitas effundens sanguinem in medio sui, vt veniat tempus eius: & quæ fecit idola contra semetipsam, vt pollueretur.*

4. *In sanguine tuo, qui à te effusus est, deliquisti: & in idolis tuis, quæ fecisti, polluta es: & appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum, propterea dedi te opprobrium Gentibus, & irrisionem vniuersis terris.*

5. *Quæ iuxtà sunt, & quæ procul à te, triumphabunt de te: sordida, nobilis, grandis interitu.*

6. *Ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te ad effundendum sanguinem.*

7. *Patrem & matrem contumeliis affecerunt in te, aduenam calumniati sunt in medio tui, pupillum & viduam contristauerunt apud te:*

PARAPHRASIS.

A 1. LOcutus est iterum ad me Dominus in hunc modum:

2. Quin tu, fili hominis, iudicas atque arguas sanguinariam hanc ciuitatem, & multis delibutam flagitiis? cur non illi abominabiles exprobras vitæ sordes?

3. Hæc igitur verbis meis dices: Hæc ciuitas, quæ innocentum sanguine redundat, dum suo sibi furori magis indulget, tempus suo definitum excidio magis accersit. Et quæ conflauit idola non tam illi fuerunt in necessitate subsidio, quàm contra illam acuerunt gladium, & importa-
B runt exitium. Polluerunt etenim eam, fecerúntque profanam, & omnium ludibrio, atque iniuriæ propositam.

4. Dum te oblectas sanguine immoderatè profuso, & nefario polluis idolorum obsequio, id assecuta es, ô profana, ac sanguinaria ciuitas, vt non iam amplius debita tot sceleribus pœna differri debeat. Quare appropinquare fecisti exitij tempus, quod lentiori videbatur gradu moueri. Ideo Gentilium populis, & vniuersæ terræ irridendam te, & conuitiis exagitandam exposui.

C 5. Gentes enim non solùm, quæ proximè tuos fines attingunt, sed quæ longè etiam à te summotæ sunt, triumphabunt de te; vsurpabúntque amaro, liberóque conuitio, ac dicent: O sordida in præsentia, quæ quondam nobilis eras, atque gloriosa! O magis nunc interitu grandi, quàm olim regio splendore nobilitata ciuitas!

6. Neque verò id cuiquam mirum, aut contra tua merita videri debet, cùm principes tui, qui vindices legum, & ciuium custodes esse deberent, eo consilio
D brachium suum publica auctoritate armatum habuisse videantur, vt inferioris turbæ sanguinem funderent impunè.

7. Neque in alienos tantùm crudeles fuerunt ciues tui, sed etiam in cognatos, atque domesticos: in parentes enim contumeliosi fuerunt, & iniurij, aduenarum commodis per calumniam, & fraudem insidiati sunt; pupillos, ac viduas infirmum, ac

8. San

A ac derelictum genus oppresserunt, doloréque affecerunt, & damno.

8. *Sanctuaria mea spreuisti, & sabbata mea polluisti.*

8. Neque curarunt quid templi exigeret, sabbatique religio; spreuerunt namque sanctuaria, & alienis, atque seruilibus ministeriis sabbata polluerunt.

9. *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem, & super montes comederunt in te, scelus operati sunt in medio tui.*

9. Fuerunt in te criminatores, & sycophantæ, qui occulta produnt, aut etiam falsa confingunt crimina, vt publico nomine, & auctoritate quasi legitima sanguis effundatur innoxius. Fuerunt item, qui in montibus ad impias aras sceleratis accu-
B buerint mensis. Denique intra fines tuos, immo in medio tui, variis se sceleribus inquinarunt.

10. *Verecundiora patris discooperuerunt in te, immunditiam menstruatæ humiliauerunt in te:*

10. Qui vsque adeò fuere profusæ libidinis, vt neque à paterno thalamo temperarint, dum se turpi, ac incesto concubitu cum nouerca, aut patris concubina commiscent: neque obscœni sanguinis menstrua proluuies continuit prurientem ciuium tuorum, & rabidam luxuriem, quo minùs appetierint, inierintque menstruatæ
C fœminæ sordidum cubile.

11. *Et vnusquisque in vxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefariè, frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te:*

11. Tam ardens fuit omnibus in Venerem furor, tam præceps, atque impudens in omnem turpitudinem intemperantia, vt vxori se quisque proximorum immisceat; neque socer à nuru, neque à sorore frater, à sorore, inquam, quæ ab eodem est suscepta parente, motus cohibeat prurientes.

12. *Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem: vsuram & superabundantiam accepisti, & auarè proximos tuos calumniabaris: meique oblita es, ait Dominus Deus.*

12. Muneribus corrupti Iudices gladio addixerunt, aut ligno illos, quorum damnatio, vel interitus ex aliorum vsu
D fore putabatur: vsuram accepisti è fœnerata pecunia, quasi illa fœcunda foret ad fœnebrem partum. Neque quicquam erat, quod non tentares, modò ex eo spes affulgeret lucri; & vrgente auaritia omnem in proximos tuos calumniam, & fraudem instruebas: mei denique omnem curam, atque memoriam abiecisti, dicit Dominus.

13. *Ecce complosi manus meas super auaritiam tuam, quam fecisti, & super sanguinem, qui effusus est in medio tui.*

13. Exultabas tu, ô Ierusalem, atque triumphabas, cùm effunderes sanguinem, & bonis alios per fraudem, & calumniam
E spoliares; sed aderit tempus, cùm ego plaudam manibus, & triumphem de te, cùm pœnam exigam effusi sanguinis, & ablatam iniquè prædam è tuis manibus extorqueam.

14. *Numquid sustinebit cor tuum, aut præualebunt manus tuæ in diebus, quos ego faciam tibi? ego Dominus locutus sum, & faciam.*

14. Cùm tempus illud ingruat, quod ego ad vlciscendum inducam, neque satis tibi erit animi, atque consilij ad deliberandum, neque satis ad repugnandum virium.

15. *Et dispergam te in nationes, & ventilabo te in terras, & deficere faciam immunditiam tuam à te.*

15. Dissipabo te nunc inter Gentes, atque ita te ventilabo, sicut stipulas turbo. Efficiam denique vt ablatis naturæ siue blan

16. Et

A blandimentis, siue pestibus animi, libertate nempe, otio, & abundantia rerum, sordes illæ deficient, quæ ex illis plerumque contrahuntur.

16. *Et possidebo te in conspectu Gentium: & scies quia ego Dominus.*

16. Vbi autem expiatoria tribulationis fornace sordes illas excoxero, possidebo te rursus: nam priùs te quasi alienam à mea possessione repuleram. Quod etiam Gentes ipsæ cognoscent, quæ non obscuris indiciis fuisse te repudiatam antea cognouerant. Tunc verò me Dominum esse non ignorabis.

17. *Et factum est verbum Domini ad me, dicens:*

B 17. Post hæc rursus ad me Dominus locutus est:

18. *Fili hominis, versa est mihi domus Israël in scoriam: omnes isti æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: scoria argenti facti sunt.*

18. Fili hominis, domus Israël argenti priùs nobilitate, atque nitore conspicua, mutata est in vilem, atque inutilem scoriam. Si omnium vitam, & mores expendas, inuenies nihil præter sordes, & nugas. Quemadmodum si vile, ac simulatum argentum in fornacem coniicias, deprehendes stannum esse, ferrum, & plumbum, quod syncerum, & purum apparebat argentum.

19. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Ierusalem,*

C 19. Propterea hæc dicit Dominus; quia nihil in vobis purum, & syncerum iuuenio, sed tantùm sordidam argenti spumam, concludam vos tanquam in fornacem, & expiatorium ignem in Ierusalem.

20. *Congregatione argenti, & æris, & stanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis: vt succendam in ea ignem ad conflandum; sic congregabo in furore meo, & in ira meo, & requiescam: & conflabo vos.*

20. Et sicut argentarius conflator cógregat, & in fornace eliquat, & purgat argentum, æs, stannum, plumbum, & ferrum adhibito igne, quem crebrò accendit, & excitat flatu: sic ego congregabo vos, & in duro tribulationum igne liquefaciam, quo sordes excoquam, & rubiginem, quibus estis obducti; tum conflabo vos, & furor æstuantis animi requiescet.

D

21. *Et congregabo vos, & succendam vos in igne furoris mei, & conflabimini in medio eius.*

21. Concludam, inquam, vos in fornacem, in qua furoris mei accendetur ignis, & in ea conflatorio operè liquefaciam, & excoquam.

22. *Vt conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio eius: & scietis quia ego Dominus; cùm effuderim indignationē meam super vos.*

22. Sic autem vos eritis Hierosolymæ ab hoste conclusi, & durè iactati, sicut argentum, quod in fornace soluitur ab igne. Tunc verò me Deum esse cognoscetis, cùm meam contra vos indignationem exprompsero.

23. *Et factum est verbum Domini ad me, dicens:*

E 23. Locutus est rursus ad me Dominus in hæc verba:

24. *Fili hominis, dic ei: Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris.*

24. Fili hominis, dic Hierosolymæ: Similitudinem in te video, ô Hierosolymæ immundæ, atque syluestris terræ, quæ animalia occultat, alitque plurima, atque immunda; quam nullus imber rigat, quo tempore furoris mei magis feruet æstus.

25. *Coniuratio prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens, rapiénsque prædam, animas deuorauerunt, opes & pretium acceperunt, viduas*

25. Quotquot in te sunt, ô Hierosolyma, in tuam perniciem coniurasse, atque aspirasse videntur. Fallaces illi Prophetæ,

duas eius multiplicauerunt in medio illius.

A phetæ, qui se tibi pro veris venditabant, non aliter lacerarunt, ac deuorarunt te, quàm leo qui rugit, inhiat, & rapitur ad prædam, qui, quem simulabant habere se propheticum afflatum, venalem habuerunt; feceruntque fallaci blandimento, vt multæ fœminæ extinctis viris viduitatis experiantur incommoda.

26. Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam: & inter pollutum & mundum non intellexerunt: & à sabbatis meis auerterunt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum.

26. Sacerdotes, quorum fidei, ac curæ credita fuit legum, religionisque custodia, contempserunt legem, & peregrinis ritibus sacraria temetarunt; neque habue-
B runt vllum inter sacra, profanaque discrimen; neque distinxerunt à puro, synceróque pollutum; neque curarunt denique an violaretur sabbati religio, aut diuini nominis pollueretur maiestas.

27. Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auarè ad sectanda lucra.

27. Principes auarè se, atque crudeliter gesserunt: sic enim ad prædam, & sanguinem anhelarunt, sic auari fuerunt ad lucra, sic ad cædem crudeliter intenti, vt ferinum in illis aliquid videre te putes, potius quàm humanum.

28. Prophetæ autem eius liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & diuinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus, cùm Dominus non sit locutus.

28. Prophetæ verò populum fallaci
C blandimento lactabant, neque magis formabant populum iamiam inflexum, & pronum ad exitium, quàm si quis parietem rimosum, & iamiam ad ruinam incumbentem luto tantùm incrustet nulla palearum admixtione temperatum; quo tegitur magis insidiosè vitium, quàm vitatur casus. Cùm habere se dicerent à Domino responsum; & è suo cerebro potiùs vana confingerent, & perniciosa mendacia.

29. Populi terræ calumniabantur calumniam, & rapiebant violenter: egenum & pauperem affligebant; & aduenam opprimebant calumnia absque iudicio.

29. Reliqui verò ex vulgari, atque ig-
D nobili turba aut per calumniam callidè, aut per vim apertè pauperes opprimebant spoliabántque; & contra leges, & fas non expectato iudicum arbitrio in aduenarum facultates, qui maiori potentiæ obniti non poterant, inuolabant.

30. Et quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inueni.

30. Et cùm quærerem aliquem, qui tanquam murum seipsum obtenderet pro populo; & plagam, vastitatémque, quæ à furore meo impendebant, auerteret; non tamen ex omnibus vllus occurrit.

31. Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.

E 31. Quare cùm nemo aut laterum, aut orationis oppositu intentum ad plagam animum retardaret, furorem iam antè conceptum in populum effudi; quo tanquam igne latè grassante, dicit Dominus, illum consumpsi, sicut illorum scelerati mores postulabant.

Vers.2. *Nónne iudicas, nónne iudicas ciuitatem sanguinum? & ostendes eis omnes abominationes suas.*]

1. Æc eadem propè dixerat suprà c. 20. v. 4. *Si iudicas eos, si iudicas fili hominis. Abominationes Patrum eorum ostende eis.* Vide quæ nos ibi. Monet hoc loco Deus Ezechielem, vt tanquam iudex, aut actor Solymitanis exprobret abominationes, quæ ad vindictam lacessunt, & instimulant diuinã iram. Quod ipse facit, singillatímque enumerat illa populi flagitia, quæ tunc maximè in illa Iudæorum republica vigebant. Quæ & grauia sunt, & eiusmodi, vt proditam coarguant pudicitiam, & religionem, imò & omnem humanitatem. Appellatur hoc loco ciuitas sanguinum, quasi tunc sit multis delibuta flagitiis, sanguis enim non vnum, aut alterum significat scelus; sed quodcũque à carne, & sanguine oritur, aut ab eo, quæ dicitur membrorum lex. Ita Gregorius lib. 15. Moral. c. 10. In hunc sensum Hieronymus, & Gregorius homil. 11. in Ezech. item Chaldæus, accipiunt illud Oseæ 4. v. 2. *Sanguis sanguinem tetigit.* Sic credo accipi posse sanguinem hoc loco, vbi summa videtur esse proposita eorum, quæ postea dicuntur explicatiùs. Qua dicendi figura significatur à sanguinis affectu abduci potiùs populum illum, quàm diuinis regi, ac gubernari consiliis. In aliis verò locis, alia est sanguinis significatio, de qua mox.

Sanguis varia peccatorum genera significat.

2. Vers. 3. *Ciuitas effundens sanguinem in medio sui, vt veniat tempus eius.*] Hic sanguis cædem significat, qui dum effusus dicitur in medio ciuitatis, ostendit cædes impunè à ciuibus exerceri solitas. Sanguis enim in bene constituta republica assiduè clamat, & in auctorem homicidij iudicium, gladium, & publicam auctoritatem instigat. Scio *in medio* idem plerumque valere, quod *in*, sed hîc nescio quid in ea dicendi forma spectare videor, quod tyrannicè gladium, & liberè grassari significat. Hæc verò tanta, atque impunita crudelitas aduocauit durum illud, & quasi fatale tempus, quod Deus ipsius excidio destinarat. Quare ferrum, quod se in alios adegisse putabat, in sua sibi viscera distrinxit.

3. *Et quæ fecit idola contra semetipsa, vt pollueretur.*] Admisit ciuitas illa quondam sancta, diuinóque consecrata cultui, exoticas sordes, & peregrina sacra, conflauit idola, adorauitque. vnde id consecuta est, vt à sordibus illis ipsa quoque sordesceret, pollutaque censeretur, & profana. Vt enim præcedenti capite diximus, Rex sacer, & vnctus, profanus appellatur, & quasi exauctoratus, degradatúsque, quia omnium iniuriis, ac violentiæ patet, neque iam ampliùs illum ab iniuria, & cæde religio vendicat: sic etiam ciuitas illa sacra, nefariis idolorum aris, ac victimis iam polluta, vim in se omnem, & iniuriam non solùm admittit, sed etiam lacessit, & accelerat.

4. Vers. 4. *Appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum.*] Sic in omne scelus intemperanter exarsit illa iam profana, atque polluta ciuitas; vt non iam ampliùs debita tot sceleribus pœna differri debuerit. Quare dum in suis flagitiis obstinatò hæret, & veteribus noua semper accumulat, appropinquare fecit exitij tempus, & annos illos, qui lentiori gradu, ærumnosam ciuitati sortem seriùs inueherent.

Peccata mortem & supplicium accelerant.

A Libet hic addere Theodoreti verba, qui contrahi dicit à scelerum frequentia dies peccatorum supplicio definitos. *Tempus*, inquit, *certa quadam mensura præfinitum secundùm diuinam longanimitatem, iniquitas amplior effecta contrahit. quod etiam factum esse Noe tempestate videre licet. Cùm enim centum & viginti annorum tempus hominibus illis, qui tunc viuebant, ad pœnitentiam præfinisset, conspicatus illorum impietatem augescere, decretum tempus illud contraxit, & anno centesimo per diluuium supplicium illis inflixit.* Hoc planè docuit Dauid Psal. 54. cùm dixit, *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Plura in hanc sententiam diximus in nostris commentariis in Isaiam ad illud cap. 1. *populo
B graui iniquitate.* & multo fusiùs in Zachariam cap. 5. num. 23.

Propterea dedi te in opprobrium Gentibus, & irrisionem vniuersis terris.] Quæ sint hæ Gentes, terræque vniuersæ, declarat statim, dum ait, *Quæ iuxtà sunt, & quæ propè.* Sunt enim Babylonicè Gentes, quæ procul ab vrbe dissitæ sunt, & nationes aliæ non minùs infensæ Iudæo nomini Hierosolymæ vicinæ, vt Palæstinæ, Ammonitides, Moabitides, Idumææ. Hæ verò & exprobrarunt Iudæis vitam à maiorum virtute degenerem, & illorum insultarunt fortunæ. 5.

Vers. 5. *Triumphabunt de te, sordida, nobilis, grandis interitu.*] Vbi vulgatus *triumphabunt*, Heb. est 6.
C יתקלסו *iithcalesu*, quod exprobrare, seu irridere sonat, quod ab eadem radice est, à qua vox illa, pro qua noster reddidit *opprobrium*. Neque malè vulgatus *triumphabunt*, transtulit; quia qui aliis irridet, & insultat, is de illo quodammodo triumphare videtur. Neque id abest à Latinorum vsu, quibus familiare est *triumphare*, pro exultare. & qui aliorum dolore oblectatur, is in illius gemitu triumphare dicitur. Quæ sequuntur materialiter, vt Logici dicunt, accipienda sunt. Illis enim verbis vtebantur infensi illi populi, de quibus proximè, cùm euersæ iam vrbi, & squalidis ciuibus insultarent. O sordida,
D aiebant, in præsentia ciuitas, quæ quondam nobilis eras, atque gloriosa? ô magis iam interitu grandi, quàm olim ciuium multitudine, & omnium rerum splendore nobilitata ciuitas? Non dissimilia refert Ieremias Thren. cap. 2. v. 15. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt, & mouerunt caput suum super filiam Ierusalem. Haccine est vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?*

Vers. 6. *Ecce Principes Israël, singuli in brachio suo fuerunt in te ad effundendum sanguinem.*] Redit ad illa, quæ proximè attigerat, maduisse nempe Hierosolymam ciuili sanguine, id nunc ex- 7.
E plicat magis, docétque à quibus maximè orta sit illa cognati sanguinis effusio, à Principibus nempe; qui legum vindices, & ciuium custodes esse debuerant. Hi verò dicuntur in brachio suo fuisse, vel quia pro sua quisque potentia, quæ significatur in brachio, in plebem infirmam bacchatus est; quod in malè constituta republica plerumque fit, & in Solymitana vsu sæpe euenisse clamant Prophetæ; & hoc potiùs, vel quia in brachio significatur cognatio, vt c. 9. Isai. diximus num. 36. ad illud, *Vnusquisque carnem brachij sui vorabat.* Dicitur verò cognatus, aut

Brachium pro cognatione.

aut frater brachium alicuius, quia ſicut ex vno ſtipite multi ſeſe explicant rami; ſic ex vno genere, ſeu parente, plures propagantur, & funduntur filij. Vt autem rami dicuntur brachia; ſic fratres, & cognati eadem tranſlatione vocari non incommode brachia poſſunt. Sanè arborum ramos brachia vocat Virgilius lib. 12. Æneid. vbi Rex Latinus de ſuo ſceptro ab artifice dolato ex ligno,ait:

Rami arborum dicuntur brachia & manus.

> *Nunquam fronde leui fundet virgulta,nec vmbras,*
> *Cum ſemel in ſyluis imo de ſtirpe reciſum*
> *Matre caret,poſuitque comas,& brachia ferro*
> *Olim arbos.*

8. Et locus nuper ex Iſaia citatus hoc ipſum indicat, ſi modò illius loci ea ſententia eſt, vt bellum inteſtinum futurum eſſe dicatur, & domeſticum. Tunc enim carnem brachij ſui vorare idem eſt atque cognatos,& fratres mutuis inter ſe odiis diſſidere; & cædem ſibi viciſſim moliri. Huic affine eſt quòd rami arborum etiam dicũtur *manus* Iob cap. 15. v.32. cùm n. præceſſiſſet de arbore, *Ramos eis arefaciet flamma*; eandem ſtatim ſententiam repetit, dicitque, *Et manus eius areſcent.* Hac eadem ſimilitudine vſus eſt Baſilius de conſtitution. Monaſt. c.22. vbi digitos appellat ramos, & cum his fratres comparat.

9. Verſ.8. *Sanctuaria mea ſpreuiſtis,& ſabbata mea polluiſtis.*] Hæc non obſcura ſunt. Dicuntur Sanctuaria, cùm tamen vnum ſit templum, quia in illo partes variæ ſunt variis deſtinatę miniſteriis, quas quiſque pro ſuo ſtatu,atque ordine ſpernebat,ſacerdos illa, quæ dicuntur Sancta, aut Sancta ſanctorum, plebs reliqua atrium, quod pro laicorum ordine deſignatum eſt. Sabbatum pollui, ex vſu Scripturæ idem eſt, atque ea non curare, aut ſeruare negligentiùs, quæ ſabbati religio præſcribit. Ponitur autem præceptum vnũ, ſicut frequenter alibi, pro reliquis aliis per ſynedochem. Sicut etiam Ierem. cap. 27. vbi in ſabbati cuſtodia aliorum etiam præceptorum obſeruantia commendatur.

10. Verſ.9. *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum ſanguinem.*] Heb. אנשי רכיל *anſe rachil.* quam vocem variè reddunt interpretes, ſed eòdem omnes aut ſpectant,aut inclinant. Symmachus,& Theodotio *viri doloſi,* Septuaginta *latrones,* Chaldæus *criminatores,*Rab.Dauid *viri delationis.* Hi verò ſunt,qui occulta produnt crimina, aut etiam confingunt,illaque aut ad magiſtratus deferunt, quæ quaſi legitima auctoritate puniant, & publico nomine; & ita ſanguis effunditur innoxius. Vnde tam delator, quàm iudex aut compendij aliquid captant ex occiſi bonis; aut priuata perſequuntur odia: aut deferendis hinc inde criminibus ſeditionum diſpergunt ſemina, pacatiſque animis faces iniiciunt, quas ſanguis interdum ſolus reſtinguit. Delatores iſti, ac ſycophantæ, turpe hominum, atque odioſum genus, pernicioſi ſunt Reipublicæ; qui ſi non abfuerint, neque odia deerunt, neque ſeditiones, quas linguæ iſtæ fraudulentæ, ac liberæ ſuſcitant, & fouent. Prouerb. cap. 26. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis; & ſuſurrone ſublato, iurgia conquieſcent.* Quare Deus Leuit.cap.19.v.16. pernicioſum hoc vitium ab hominum conuentu arcet. *Non eris criminator,nec ſuſurro in populo.*

Criminatores & ſycophantæ turpe hominũ, & pernicioſum genus.

11. Ipſa experientia edocti profani principes ſycophanticùm, & crudele genus hoc hominum, aut punierunt ſeuerè, aut procul à ſuis ciuitatibus amandarunt. Neque enim videbant, ſi calumniis, ac delationibus locus eſſet, defuturas ſeditiones, & odia, quæ tranquillum reipublicæ ſtatum perturbarent. Titus enim, vt auctor eſt in eius vita Suetonius, in hos ſycophantas, & delatores ſeuerè animaduertit. *Inter aduerſa*, inquit, *temporum & delatores, mandatoréſque erant ex licentia veteri. Hos aſſiduè in foro flagellis, & fuſtibus cæſos, ac nouiſſimè traductos per Amphitheatri arenam, partim ſubiici in ſeruos,aut venire imperauit, partim in aſperrima inſularum auehi.* Quod idem feciſſe poſtea Traianum docet Plin.in eius Panegyrico. Hoc factum Martialis Domitiano aſcribit, adulatorie credo magis,quàm verè in Amphitheatro epig.4.

Delatores olim grauiter puniti.

> *Turba grauis paci,placidæque inimica quieti,*
> *Quæ ſemper miſeras ſollicitabat opes.*
> *Tradita Getulis,nec cepit arena nocentes,*
> *Et delator habet,quod dabat exilium.*
> *Exulat Auſonia profugus delator ab vrbe,*
> *Impenſis vitam principis annumeres.*

Super montes comederunt.] Coarguit populum idololatria. Quomodo in lucis,ac montibus excitentur aræ, & impiæ idolis immolentur victimæ, ibíque cibi ſuperſtitioſè comedantur, diximus ſuprà illud cap.18. *In montibus non comederit.* neque aliquid occurrit nouum,quod adiici poſſe videatur.

Verſ.10. *Verecundiora patris diſcooperuerunt in te.*] Duplex hîc occurrit explicatio; altera ſimplex magis,& propria, quæ de nudato, ac reuelato pudore patris hæc intelligit, quomodo Cham Noë filius fratribus ſuis parentis obſcœna reuelauit. Hoc verò quàm graue ſit, ac impium facinus, docet & Cham maledictio, & ſors inauſpicata, & quia Leuit. cap.20.v.17. frater, qui ſororis obſcœna, & ſoror, quæ fratris verecunda conſpexerit, capitali pœna plecti iubentur. *Qui acceperit ſororem ſuam, filiam patris ſui, vel filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinem eius, illáque conſpexerit fratris ſui ignominiam, nefariam rem operati ſunt. Occidentur in conſpectu populi, quòd turpitudinem ſuam mutuo reuelauerint.* Hæc quidem propriè, atque ſimpliciter ſonat litera. Verùm quia in Scriptura ſacra,quæ obſcœni aliquid olent,non propriis,quæ indecora ſunt, ſed tranſlatis vocabulis, orationéque figurata honeſtiùs explicari ſolent, ideo cum aliis pleriſque aliter locum iſtum interpretor. 12.

Inter cognatos quanta reuerentia, & pudor.

Vſitatum eſt per ſynecdochem, in omni, vt reor, idiomate, vt quæ indecora ſunt per antecedentia, ac conſequentia ſignificentur, paulo quidem obſcuriùs, verumtamen ita modeſtè, ac caſtè,vt illa aures ingenuæ,atque pudicæ non reſpuant. Sic *operire pedes*, Hebræis eſt onus ventris deponere, quia id apud honeſtos naturale illud opus præcedit. Sic aſcendere alicuius cubile, opus indicat adulteri. Ad hunc ergo modum diſcooperire, aut reuelare alicuius pudorem,ſeu turpitudinem,idem eſt,quod cum altera ad Veneris opus commiſceri. Qui dicendi modus frequens eſt Leuit.cap.18.& cap.20. Hîc igitur incuſantur Iudæi, quòd auſi fuerint cum vxore patris ſui, ſiue illa nouerca fuerit,ſiue concubina, ad nefarium illud opus congredi, ſicut fecit antea Ruben Gen. cap.35. in quem Iacob ibidem cap.39. *Aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* quod Leuit. ſuprà ſeuerè prohibetur. 13.

REGVLA. Quæ indecora ſunt per antecedentia & conſequentia honeſtè ſignificantur.

At dices illam potius eſſe nouercæ,quàm patris ignominiam, ſed hîc patris verecundiora dicun- 14.

Cur turpitudo vxoris dicitur patris turpitudo.

dicuntur esse discooperta, seu reuelata. Responsio difficilis non est: nam quia ius habet pater à coniugali pacto in vxorem, quicquid ab vxore libatur, i. à paterna possessione, id videtur fuisse detractum à parente, & quicquid reuelatur in vxore, parentis est. Seu quia coniuges vna caro fiunt, si qua iniuria, aut vis alterius infertur corpori, idem etiam alteri videtur illatum. Et ideo Leuit. cap. 18. v. 8. turpitudo nouercæ, turpitudo dicitur patris. *Turpitudinem vxoris patris tui non discooperies: turpitudo enim patris tui est.* & iterum cap. 20. v. 11. *Qui dormierit cum nouerca sua, & reuelauerit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo.* Hoc porrò vitium fuisse etiam vsitatum inter Corinthios, queritur Paulus 1. ad Cor. 5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis neque inter Gentes; ita vt vxorem patris sui habeat aliquis.*

15. *Immunditiam menstruatæ humiliauerunt in te.*] Cautum erat diuina lege ne quis ad fœminam accederet, cùm esset in menstruis. Leuit. cap. 20. v. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipsáque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo.* Idem habes Leuit. cap. 18. v. 19. Cur congressum istum impurum capitali supplicio lex ista diuina mulctauerit, nō est mei muneris explicare. Vide Abulensem in hæc loca. Tam autem erat eo tempore Iudæis ardens in Venerem furor, tam præceps, atque impudens in omnem turpitudinem intemperantia, vt non solùm reuerentia, atque honestas publica à nouerca, filia, nuru, ab omni denique cognatione temperarit, sed neque menstrui sanguinis turpis eluuio, quæ nauseam potius mouet, quàm Venerem, ab illa impura, atque spurca congressione retardauerit. Porrò *humiliare* ex idiomate Hebraico, idem est, quod vim alteri veneream inferre. Thren. cap. 5. *Mulieres in Sion humiliauerunt; & virgines in ciuitatibus Iuda.* Ponitur autem abstractum pro concreto, *immunditiam* nempe pro *immunda.* Perinde enim est ac si dicas, cum fœmina à menstruo sanguine immunda concubuerunt.

Cur prohibitus cum menstruata concubitus.

Humiliare vim turpem honestè explicat.

16. *Et vnusquisque in vxorem proximi sui.*] Enumerantur alia genera incesti concubitus; quæ prohibita sunt Leuit. cap. 18. & cap. 20. Quæ facile produnt quanta fuerit vitiorum in ea ciuitate proluuies.

17. Vers. 12. *Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem.*] Hîc ego duas explicationes inuenio infideli, atque cruentæ ciuitati accommodatas; alteram, quæ corruptis iudiciis; alteram, quæ conducto sicariorum, aut assasinorum ferro vitam infirmorum, atque innocentium exponit. Sunt qui quæstui sibi habent aliorum cædem, seu illata vulnera, quam artem vænalē habent, neque aliter locant iis, qui vlcisci suas iniurias student, quàm alij suam operam ad colendos agros, aut ad vsus alios honestos, & humanę vitæ necessarios. Hos assasinos appellant iura, nos non ineptè possumus appellare sicarios. Ex hoc numero in vrbe illa sanguinaria plurimos esse, qui audaciam, vímque gladiatoriam ad impium illud facinus prostituerent, non est improbabile. Vt enim detractores erant, de quibus nuper, delatores, & sycophantæ (quos ab Hebraica voce Hispani *malsines* vocant, מלשין enim apud illos criminator est) qui linguas suas acuebant, vibrabántque non aliter quàm sagittas, aut gladium; sic etiam verisimile est fuisse non paucos, qui se aliorum inuidiæ, aut odio administros

Vox Hispana malsin vnde.

A præberent, & locatum mercede ferrum in aliorum corpora distringerent.

Aliter accepta videri possint munera ad effundendum sanguinem, quia corrupti largitione duces gladio addicunt, aut ligno illos, quorum interitus ex aliorum vsu fore putabatur. Et hoc mihi magis est probabile, quia hoc sæpe video obiectum esse Iudæis, & falsorū testiū empta fuisse mercede testimonia: quæ verè sint corrupti iudicij instrumēta, atque arma, nō semel audimus. 18.

Vsuram, & superabundantiam accepisti.] Vsura, vt est Doctorum communis sensus, est lucrum ex mutuo, quæ à Gręcis τόκος, ab Hebræis נשך *nesech,* id est, morsus appellatur; ab illis, quia pecunia B quasi fœcunda esset, fœnus parit, id est, pecuniam nouam, perinde atque si frumentum esset terræ mandatum; aut planta terræ visceribus infossa: ab his, quia ferarum in modum aliquid mordet ex aliorum bonis. Vt enim fera morsu lacerat, aufértque aliquid de miserorum corpore; sic fœnerator morsu quodam fœnebri hominem discerpit, ac mutilat, & sanguinem exugit, id est, bona, quibus non aliter ciuilis, quàm sanguine naturalis vita sustētatur. Hęc verò optimè *superabundantia* dicitur, quia quicquid supra mutuum accipitur, incrementum est, & abundantia quædam supra iustum. Cùm verò in textu scribitur *vsuram, & superabundantiam*, illud & non est tam C copulatiua coniunctio, quàm expositiua particula. Ac si dicas, *vsuram, id est, superabudantiā accepisti.* 19.

Vsura vnde, & natura.

Auarè proximos tuos calumniabaris.] Studio rei augendæ nihil non tentabas; iniquas pactiones, fœnebres nempe, siue sicarias obibas, vt denique quoque modò aliquid tibi cōpendij pareres, iniquóque iudicio iura peruerteres, omnem fraudē, atque calumniam proximis tuis intentabas. 20.

Vers. 15. *Ecce complosi manus meas super auaritiam tuam, quam fecisti.*] Quid sit manus complodere, diximus suprà c. 21. vers. 14. & 17. Cúmque manuum complosio lætitiam significet, & dolorem, triumphantem, & abiectum, ac desperantem animum; hic tamen sine dubio exultantis, atque D triumphantis, seu etiam insultantis animi signū est. Loquitur enim Deus tanquam imperator, & dux, qui bella parat, & aciem instruit contra inimicos, quos vehementer odit; quos cùm subiecit sibi, corúmq; ceruices vestigio calcat, gratulatur sibi de victoria, neque tēperare sibi potest, quin plaudat manibus: sic Deus quia bellū indicit crudelitati, atque calumniæ, luxuriæ, atque auaritiæ; super auaritiā, & sanguinē dicitur cōplosisse manus; quia auaros strauit, ab illísque rapinas, & alienas facultates eripuit. Eodē modo dicere potuisset cōplosas esse manus super libidinē, iniustitiā, idololatriā, & alia vitia, de quibus paulo antea, sed per synecdochē, speciem vnā pro reliquis E adhibuit. Aut certè ideo dicitur Deus plausisse manibus, quia illarū plausu, vt fieri in cōmœdiis assolet, Chaldæorū audaciam, & in pugnando studium probabat; aut quia illis admouebat, & inspirabat bellicum ardorem, vt ad exitum vsque incepta perducerent. Ita Hieronymus in simili casu ad illud cap. 21. *Quin & ego plaudam manu ad manum. Ego,* inquit Hieronymus, *plaudam manu ad manum, vt seuientem te* (ô mucro) *contra aduersarios meos, quasi fautor tuus, & exhortator instigem.* 21.

Vers. 14. *Nunquid sustinebit cor tuum, aut præualebunt manus tuæ in diebus, quos ego faciam tibi.*] Ea dicitur futura rerum turbatio, is animorum æstus, cùm manuum fiet diuinarum complosio, vt neque satis sit animi, atque consilij ad delibe- 22.

sandum, neque aliquid ad repugnãdum vitium, A tabescet quippe cor, cùm dies illi infelices aduenerint, & dissolutæ manus neque arma tractare, neque aliquid vtile moliri poterunt.

23. Vers. 15. *Deficere faciam immunditiam tuam à te.*] Immunditia populi ab illis vitiis contracta fuerat, de quibus nuper, in quibus sic volutabatur impudenter, ac diu, sicut in cœno porcus. Ex quo fiebat, vt totus esset immundus, vt statim dicitur, imò & totus videretur ex multorum vitiorum colluuione concretus, fouebat hæc vitia, aut ad illa saltem inuitabat libertas, otium, saturitas panis, & alia carnis aut fomenta mollia, aut noxia blandimenta. Hæc verò Deus à populo submouit, cùm Chaldæorum illuc exercitum inuexit; qui fuit, quasi expiatrices quædam flammæ, quæ totam ex populo scoriam, aut immunditiam excoquerent. Hoc idem Deus facturum se esse dicit Isai. cap. 1. v. 25. *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum, & restituam iudices tuos*, &c. *post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis*. & iterum cap. 48. v. 10. *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum; in camino paupertatis elegi te.*

Otiet, & otium blandimenta peccati.

24. Vers. 16. *Et possidebo te in conspectu Gentium.*] Non omnes aut legunt eodem modo, aut interpretantur hunc locum. Aquila, & Theodotio, teste Hieronymo, pro *possidebo*, vertunt, *contaminabo*. quod si ita legas, illud *contaminabo* non significat, quod propriè sonat, populum videlicet sordibus inquinatum à Deo, sed exilio, vitæque genere ærumnoso, ac sordido demóstrasse illum populum contaminatum esse; alioqui durum illud supplicium non subiturum. Quomodo Isai. cap. 43. dixit idem Deus, *Contaminaui principes sanctos*. & cap. 47. *Contaminaui hæreditatem meam*. Sed optimè vulgatus & Septuaginta conuertunt, ille *possidebo*, hi κατακληρονομήσω, id est, *hæreditabo*. Quia Deus suam hæreditatem, aut possessionem non agnoscit illam, quam inficit, atque conspurcat peccatorum olida proluuies. Cùm verò ab ea se immunditia purificet, illam Dominus rursus accipit, ac colit pro sua; rursus tuetur, ac munit, cùm priùs tanquam aliquid alienum prædonum manibus pro sua libidine diripiendum permiserit. Sanè miserum est animam infectam esse peccatorum sordibus, quam si abiicit Deus, & tanquã alienam aliorum voluntati permisisse dicatur, complosisséque manus; cùm victrices inimicorum acies in eius facultates irrumpunt. Et planè desiderandum valde in expiatoriam tribulationum fornacem includi, quando aliter in Dei possessionem redire non potest, nisi ab illis expiata sordibus, quas ex immoderatæ vitæ instituto contraxit.

Deus contaminatos animos non agnoscit vt suos.

Miser status peccatricis animæ.

25. In conspectu Gentium dicitur possidendus rursus ille populus, quia Gentes apertè cognouerant repulsum priùs à Deo fuisse, cùm à Gentilium gladio concidi, fame confici, ac peste, ac denique extrema omnia perferre norunt. Pòst verò sic accipietur à Domino indulgenter, ac molliter, vt in Domini tutelam, ac fidem rediisse idem populi Gentiles intelligant.

26. Vers. 18. *Fili hominis, versa est mihi domus Israel in scoriam: omnes isti æs, & stannum*, &c.] Explicat Deus, quænam sit immunditia illa, de qua suprà; à qua purgandum dixerat populum suum. Videtur autem prouerbialis apud Hebræos species, qui in *scoria, plumbo, ferro*, aliquid impurum, ac vile significant. Ierem. c. 6. v. 28. *Omnes isti Principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs, & ferrum vniuersi corrupti sunt*. & Isai. cap. 1. v. 22. *Argentum tuum versum est in scoriam*. Et cùm aliquid mundandum esse dicitur, translatio sumitur à fornace, & igne, quibus purgatur, atque examinatur argentum. Isai. cap. 1. v. 25. *Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam*. Ierem. 5. v. 29. *Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum: frustra conflauit conflator, malitia eius non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos*. Eadem dicendi figura vtitur statim Propheta vers. 20. & 22. Porrò in hac vilium metallorum varietate, varia vitia exprimi putat Theodoretus, quæ tamen illa sint, non explicat. B Puto illa significari, de quibus suprà vers. 6. Scholiastes Græcus sic metalla animorum variis affectionibus accommodat. *Comparat*, inquit, *æri fortes, stanno simulantes pietatem, ferro potentes, plumbo graues auaritia, argento iustos*.

Prouerbial. Scoria, & stannum pro re vili.

Aquilæ prima editio, teste Hieronymo, Hebraicam vocem סיג *sig*, pro qua vulgatus *scoriam*, reddidit στέμφυλον, & γίγαρτον. quod vtrumque acinum vinaceum significat. Quæ explicatio admodum significanter ostendit vile Iudæorum ingenium, & sordidos, atque corruptos animos, dulce aliquid, & gratum apparet in racemo, qui & oculos capit, & palatum oblectat; tales sese venditabant, aut fingebant Iu- C dæi, qui suam Synagogam, & Gentem sæpius norint à Domino appellari vineam. Sed erant non tam botri, quàm acini vinacei, in quibus succus est nullus, quem exprimat hominum necessitas, sed lapidosa sunt, & arida grana, ad pecorum potius pabulum, quàm ad hominum mensam. Tales omnino sunt peccatores, qui cùm se aliquid esse sibi fallaci assentatione blandiantur, nihil ex ipsis aut alij, aut ipsi commodi decerpunt. 27.

Prouerbial. acinus vinaceus pro re vili.

In medio fornacis scoria argenti facti sunt.] Explorat fornax quod in argento, & auro syncerum est, ac nobile; & quod in eo admixtum est alieni, vilioris scilicet metalli. Hic autem populus D ab argentea patrum puritate sic degenerarat, vt non in illo argenti splendorem, & pretium, sed vilem scoriæ fuliginem, & atrocem inuenias. Subauditur autem hîc similitudinis nota in hãc sententiam: Quemadmodum si vile, aut simulatum argentum in fornacem coniicias, vilem tantùm, ac futilem scoriam inuenies; sic si istius populi vitam, & mores ad verum, & durum examen adduces, deprehendes omnia prorsus fucata; & quæ argentum videbantur syncerum, & purum, nihil habere omnino præter scoriam. 28.

Fornax tribulationis vitæ probatio.

Vers. 19. *Propterea ecce ego congregabo vos in medio Ierusalem, congregatione argenti, & æris, & stanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis.*] Fecit Domi- E nus, quod facit argentarius, dum probare vult argentum, & ab illo sordes, & si quid alieni metalli confusum est, excoquere. Atque ideo fornacem, & conflatorem, seu probatorem quæsiuit, illum in medio constituit Hierosolymæ, illum ex Babylonicis finibus accersiit. Neque defuit expiatoria, aut conflatoria vis, & apta ad illud opus instrumenta. Adhibuit quippe Dominus Babylonicum gladium, famem & pestem; & ardentes faces, quibus ad extremum quicquid erat in ciuitate pretij, consumptum est. Hîc rursus nota subauditur comparationis, in hanc sententiam. Sicut argentarius conflator congregat, & in fornace eliquat, & purgat argentum 29.

Fornax tribulationis expiat.

argentum adhibito igne, quem crebrò accendit, & excitat flatu: sic ego ad eius similitudinem congregabo vos, & in duro tribulationum camino liquefaciam, quo sordes excoquam, & rubiginem; quibus estis obducti. Reliqua ad versum vsque 24. huc spectant; neque explicatione indigent, quia eandem sententiam sæpius iterant, & amplificant.

30. Vers.20. *Et requiescam, & conflabo vos.*] Quietutum se dicit Dominus, cùm impurum illud argentum in expiatoria fornace conflauerit; quia ira grauiter excruciat æstuantem animum, vritque non secus atque fornax coquit, atque liquat argentum; tunc autem requiescit animus ardens furore, cùm vindicta sumpta, furor ille deferbescit, & considet. Quare Deus sæpe requiescere se dicit, aut leuamentum accipere, cùm dolorem suum, aut iniuriam vlciscitur, hoste mulctato. Isai.cap.1. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis!* Deuter.18. *Sicut antè lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vósque multiplicans; sic lætabitur disperdens vos, atque subuertens.* & Ezechiel suprà cap.5. *Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolationem accipiam.* In hanc sententiam exponit Hieronymus, qui paucis huius loci summam optimè complectitur. *Ita*, inquit, *congregabo vos in medio Ierusalem, & Babylonis obsidione circundabo, vt succendam in vobis ignem ad conflandum; quódque ibi facit flammarum ardor immensus, id fames, & pestilentia faciet. Et tunc requiescam, & contentus dolorem*
31. *pœnarum vestrarum vltione compescam.* Et hæc mihi sententia omnino probatur. Neque incommodat quod Thren.3.v.33.legis. Non enim *humiliauit ex corde suo* (hos nempe, de quibus hîc sermo) *& abiecit filios hominum.* Et cap.1.v.13. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Quoniam Scriptura sæpe humanos Deo sensus, & affectus, attribuit, de illo humano loquitur modò. Quare illi dubitationem dat, dolorem, & pœnitentiam, quæ à Deo quàm longissimè absunt, quia in eiusmodi rerum euentibus dubitare homines solent, dolere, atque compungi pœnitentia.

Deus interdum humanos affectus videtur assumere.

Neque tamē videtur improbabile, quod putat Maldonatus, quieturum videlicet Dominum, cùm populum illum in ea conflauerit, purgarítque fornace; id est, cessaturam esse manum à supplicio. Et reuera ita contigit: nam mitiorem se Deus in illum populum præbuit, ex quo illum de ferrea fornace Babylonis extraxit.

32. Vers.24. *Fili hominis, dic ei: Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris.*] Refert se iterum Propheta ad ostendendas sordes illas, quæ diuturna incuria Iudæorum moribus inoleuerunt, vt probet, quanto suo merito subire debeant fornacem illam, quæ non aliter liquefaciet, & soluet ab omni impuritate concretos ciues, quàm fornax adulteratum argentum, & vilium metallorum commixtione corruptum. Quid verò sibi velit illud, *& non compluta*, obscurum est, neque eodem ab omnibus explicatur modo. Pradus allusum esse putat ad locum Deut. cap.21. vbi vitula occidi iubetur in aspera, atque saxosa valle, quæ neque sementem recepit, neque ad satum vnquam arata est. Hanc verò immundam esse putat, & ideo indignam quam cœlestis irriget, atque fœcundet pluuia; sicut montibus Gelboë, vbi ceciderunt fortes Israel, sic imprecatus est Dauid, *Nec ros, nec pluuia venient super vos; neque sint agri primitiarum*, 2. Reg. cap.1.v.21. Acutè hæc Pradus, licèt accommodatio paulo durior.

Maldonatus, & Vatablus punitum esse credunt immundum illum populum, agrorum siti: 33.
quod sub hæc tempora contigisse docet Ieremias cap.3.v.3. *Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit.* & cap.14.v.4. *Propter terræ vastitatem quia non venit pluuia in terram, confusi sunt agricolæ.* Et hoc ipsum propter populi peccata etiam accidisse postquam in vrbem exules ab exilio remigrarunt, docet Zacharias cap.10. & Aggæus cap.1. Et quidem hoc supplicium minatur peccatori Deus Deut. cap.11.v.16. *Cauete ne fortè decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino, seruiatisque diis alienis, & adoretis eos, iratúsque Dominus claudat cœlum, & pluuiæ non descendant.* Et Isai. cap.5.v.6. *Et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Hæc mihi explicatio neque aliena videtur à textu, neque ab historica fide, & fauet Septuaginta translatio, qui ita vertunt, *Tu es terra non irrigata, neque pluuia facta est in te in die iræ.*

Pluuiæ defectus peccati pœna.

Theodoretus hic metaphoricam agnoscit pluuiam; oracula nempe Prophetarum, à quibus, neque irrigata, neque compluta dicitur infelix illa terra, quam hîc squalentem vocat, seu immundam. Vt enim fert tam sacræ, quàm humanæ literaturæ consuetudo, quod successum non habuit, quem optabas, factum negatur. Quomodo si cuipiam medicina nihil ad valetudinem contulit, abfuisse dicitur medicina; & si quis alterius monitis obsequutus non est, negatur datum esse consilium. Cùm ergo in homines attritæ frontis, & ferreæ ceruicis nihil perfecissent prophèticæ siue promissiones, siue minæ, quia ipsi in scelerata vita obstinato consilio perstiterunt, descendisse negantur propheticæ voces, quæ, quasi cælestis imber, in sitientes agros illabi debuere. Vt enim saxa quantumuis alluantur à flumine, aut pluuialibus operiantur aquis, non dicuntur irrigata, seu compluta; quia neque humorem bibunt, neque saxei illi sinus ad satus disponuntur: sic quia à Prophetarum oraculis nihil ad bonam frugem accepere Iudæi, iure à prophetica pluuia negantur esse compluti. 34.

REGVLA. Quod inutile est factum esse negatur.

Inspiratio quando inutilis.

Verumtamen placet multo magis, quod cum Hieronymo sentiunt complures alij, in hac allegoria de immunda terra, neque compluta significari illud idem, quod proximè in argenti scoria, in stanno, ac plumbo, quæ conflanda dicuntur in fornace. Vt enim in illo fucato argento, quod vilium metallorum plurimum admixtum habet, nihil est pretiosum, nihil syncerum, quod ad nobilem aliquem vsum adhibeas, & in eo, vt diximus, multorum vitiorum symbola notata sunt. Sic in terra immunda, quæ nullum accepit imbrem de cœlo, multorum sunt peccatorum imagines, quæ deinde singulatim Propheta commemorat. Audi Hieronymum. *Quod ibi sub persona vrbis, & fornacis expressum est, & hîc sub specie terræ, quæ non sit irrigata, neque pluuiam susceperit, prædicatur.* Et statim, *Scire cupimus, quæ sit vrbis scoria, qui terræ durissimæ, & plenæ vepríum, sentiúmque squalor. Coniuratio*, inquit, *Prophetarum in medio eius*, &c. Videmus in sylua, aut in inculta terra, nihil esse quod ames; multa, quæ fastidias, & horreas velut asperum, ac senticosum solum, ferarum lustra, vbi leones fremunt, rugiunt vrsi, vlulant nocturnæ, atque inauspicatæ volucres; squalent denique, atque efferantur omnia. Hæc multorum vitiorum symbola sunt, quæ tunc in Iudæorum republica vigebant, quæ exposita fuere nuper, 35.

& nunc iterum eadem exponentur.

A

36\. Hæc mihi posterior expositio omnium probatur maximè: sed tu vide an etiam expositioni quintæ locus esse possit. Duo pluuiarum genera esse diximus, & olim ad illud Zachariæ cap.10. *Et pluuias imbris dabit eis*. & nuper cap.20. Ezechielis, ad illud, *stilla ad Aphricum*, alterum sedatum, & mire quod fœcundat, & exhilarat terram, alterum procellosum, & horribile, quod nimbus appellatur, quódque cum fulgure descendit, & fulmine, quod obuium, quódque subuertit, & dissipat, quod sternit sata læta, boúmque labores: & ita hic imber pro quocumque sumitur infortunio; quo sensu dixit Daniel c.9. *Stillauit super nos maledictio*. 2.Paralip.cap.12. *Non stillauit furor meus super Ierusalem*. Talis fuit imber, qui postea strauit vrbem, ac perdidit; de quo Ezechiel suprà cap.13.v.11. *Erit enim imber inundans, & dabo lapides pregrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem*. Similem procellam habes apud Ieremiam cap.47.v.2. Iuxta hæc, si hoc pluuiæ genus intelligas procellosum, sensus iste videtur esse posse non alienus. Immunda est ciuitas, dignaque fulmine, quod cum imbre turbido, & procelloso vibratur, neque tamen compluta est: id est, in illam nondum stillauit diuinus furor. Quid igitur reliquum; vt iam tandem indignationis meæ stillet inimicus imber. Hanc explicationem propono potius, quàm suadeo.

Pluuiarum duo genera, alterum à beneuolo, alterum ab irato Deo.

37\. Vers.25. *Coniuratio Prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens, rapiénsque predam*.] Omnes persequitur ordines tam sacros, quàm profanos, tam summos, quàm infimos, & ab illorum nullo docet abesse culpam. Incipit primùm à pseudoprophetis, qui eò videntur omnes conspirasse, vt populum seducant, & omnino perdant. Dum enim fallaci spe quietis, & pacis blandiuntur populo, verorúmque Prophetarum oraculis reiectis, qui exilium minabantur, & cædem, nugaces suas promissiones obtrudunt, suadéntque, id effecerunt, quod leones de sylua: compleuerunt namque ciuitatem cadaueribus, ipsámque spoliandam Chaldæorum auaritiæ tradiderunt. Sacerdotes, quorum fidei, ac curæ credita fuerat legum, religionísque custodia, neque vllum habent inter profana, sacraque discrimen; neque secernunt a syncero pollutum; neque quicquam habent pensi violetúrne sabbati religio, an diuini nominis maiestas inquinetur. Principum verò ciuitatis, quorum auctoritas, atque potentia maior, eò spectabat studium, vt ex aliorum cædibus sibi pararent lucra, lupino planè ingenio, voraci nempe, & prædarum auido.

Peccata ciuium in stragem ciuitatis coniurant.

38\. Vers.28. *Prophetæ autem eius liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & diuinantes eis mendacia*.] Cùm Prophetæ veri toties occursarent Principibus, & minacibus vaticiniis illorum aures, & publici conuentus quotidie personarent;

B

non poterant illorum animi quantumcumque flagitiis assueti, non commoueri; & sæpius pulsati aliquãdo labascere. Sicut murus sæpius verberatus ab ariete cõcutitur, & à sua firmitate deficiens rimas agit, neque procul abest à ruina; sic Principum animi crebro Prophetarum pulsu fatiscebant, & in priori consilio nonnihil vacillabant. Fecerunt tamen pseudoprophetæ, quod improbi, atque fallaces architecti, qui ruinosæ domus ruinas obstruunt leui quodam tectorio; quod securum reddit habitatorem à metu, non tamen à periculo. Fallaci enim promissione confirmarunt animos in sua obstinatione vacillantes; quæ promissio id præstabat contra imminentem Chaldæorum exercitum, quod incumbenti, ac fatiscenti muro tectorium è luto sine paleis, ac temperamento hîc subaudi similitudinis formam, in hunc modum, sicut nihil præstat ruituro parieti leuis è luto incrustatio; sic neque mendax pseudoprophetarum fucus.

Falsorum prophetarũ oracula falsam securitatem inducunt.

C

Hæc quæ sequuntur ad finem vsque capitis, & hoc è luto tectorium, ac fucatum opus, tractata sunt eodem propè ordine cap.13. De luto absque temperamento à versu decimo: de eo, quod nemo fuit, qui sæpem interponeret, à versu quinto, Quid sit populus terræ, diximus suprà in fine cap.7. neque aliquid est nouum, quod addamus. Hæc de capite 22.

IN CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

ARGVMENTVM.

SVB duarum meretricum allegoria Ierusalem, & Samariæ sceleratum viuendi genus ostendit. Appellat autem Samariam, in qua decem intelliguntur tribus Oollam: Ierusalem verò, id est, duas alias tribus Oolibam. Hæ verè dicuntur Sorores, quia ex eodem genere prognatæ. Quæ fornicari cœperunt, id est, Gentilium colere simulacra ab ætate etiam puellari, quo tempore apud Ægyptios commoratæ sunt. Neque tamen postea institutum ab adolescentia viuendi genus abiecere; sed eodem furore in metaphoricam illam libidinem prurientes, non solùm Deos, quos habuere obuios in Gentilium prouinciis coluerunt; sed etiam quos nondum viderant, sed fama tantùm, aut ex pictura norant, ad prostitutum torum aduocarunt. Quia inuerecundiùs prius se gesserat Oolla, id est, decem tribus, quæ apertè à vero Deo ad Gentium idola defecerat, illam etiam priùs exilio, & seruitute mulctauerat: ex qua discere poterat Ooliba, id est, Ierusalem quid sibi metuendum esset, si iisdem vellet insistere vestigiis. Quare cùm alieno supplicio nihilo foret melior, talia illi Deus minatur à Chaldæis, qualia soror Samaria tulerat ab Assyriis. Quàm verò in metaphoricam

phoricam illam libidinem impotenter exarserit Ierusalem, multis modis amplificat, dum peregrinos deos non minori studio exceptos esse dicit, quàm ab sponsa in nuptiali luxu sponsus excipitur. Porrò caput hoc elegantissimum est, & ad rem moralem accommodatum maximè.

CAPVT XXIII.

1. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens:*

2. *Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt,*

3. *Et fornicatæ sunt in Aegypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt: ibi subacta sunt vbera earum, & fracta sunt mammæ pubertatis earum.*

4. *Nomina autem earum, Oolla maior, & Ooliba soror eius minor: & habui eas, & pepererunt filios & filias. Porrò earum nomina, Samaria Oolla, & Ierusalem Ooliba.*

5. *Fornicata est igitur super me Oolla, & insaniuit in amatores suos, in Assyrios propinquantes,*

6. *Vestitos hyacintho, principes, & magistratus, iuuenes cupidinis, vniuersos equites, ascensores equorum.*

7. *Et dedit fornicationes suas super eos electos, filios Assyriorum vniuersos: & in omnibus in quos insaniuit, in immunditiis eorum polluta est.*

8. *Insuper & fornicationes suas, quas habuerat in Aegypto, non reliquit: nam & illi dormierunt cum ea in adolescentia eius, & illi confrege*

PARAPHRASIS.

A 1. Alium rursus à Domino sermonem accepi.

2. Fili hominis, Israelitici generis progressum, & mores in hac symbolica rerum imagine cognosce. Duæ fuerunt fœminæ, quas vna, eadémque mater suscepit, & aluit.

3. Hæ verò sorores cùm inter Gentes in Ægypto morarentur, Gentilicum in morem cum idolis fornicatæ sunt; ibi vbera, quæ vbi illibatus est in virginibus pudor, dura sunt, & erecta, subacta primùm fuerunt, & languida, quod tunc plerumque solet accidere, cùm ætas est iam matu-
B ra coniugio.

4. His porrò sorores illæ nominibus vocatæ sunt: maior, in qua significatur Samaria, & in illa decem tribus, quæ secutæ sunt Ieroboam, dicebatur Oolla: iunior verò Ooliba, in qua Ierusalem exprimitur, & in ea duæ tribus, quæ generi adhæsere Dauidico; quas mihi coniugali fœdere sociaui, & mihi sobolem peperere numerosam.

5. Et Oolla quidem ita se gessit impudenter, vt cùm videri vellet me suum sibi virum agnoscere; adulteros tamen in le-
C ctum, quem mihi castum seruare debuit, aduocaret, eo amore instimulata, & ardens in suæ pudicitiæ vexatores, vt non tam illos deperire, quàm in eos insanire videretur. Sic sanè animata fuit in Assyrios, quibus cum vt fœderis fuit, sic etiam vt sacrorum societas esset, studebat.

6. Ideo verò præter cæteros amabat Assyrios, quia in illis aliqua apparebant blandimenta libidinis. Addebat namque pulchritudinis aliquid hyacinthinus color, & quæ à principe loco, & à publico magistratu, atque ordine splendet maiestas. Accedit quòd ætate erant iuuenili, &
D ad Venerem excitandam idonea; quíque equos ascendunt, & equestri delectantur studio.

7. Quare amatores Assyrios secuta est, & suam cum illis libidinem expleuit, in quorum priùs amorem exarserat; & ex eorum concubitu sordibus se peregrinis inquinauit.

8. Hos autem amatores nouos non ità quæsiuit, & admisit vt fastidiret antiquos: succubuit enim Ægyptiorum libidini, quibus

fregerunt vbera pubertatis eius, & effuderunt fornicationem suam super eam.

A bus assueuerat olim in ætate adhuc puellari, & molli; & à quorum congressu subactas retulit, & violato pudore fractas, atque languentes mammas. Hi verò rursus cum illa ad satietatum vsque libidinati sunt.

9. *Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insaniuit libidine:*

9. Idcirco illorum manibus, ac potestati constrictam tradidi, quorum ipsa priùs animos illecebris captarat, potestati, inquam, Assyriorum, in quorum ipsa amorem impotenti ferebatur libidine.

10. *Ipsi discooperuerunt ignominiam eius, filios & filias eius tulerunt, & ipsam occiderunt gladio: & factæ sunt famosæ mulieres, & iudicia perpetrauerunt in ea.*

B 10. Ipsi Oollam, quam priùs immoderata oppresserant libidine, aliis postea modis oppressere quàm plurimis: nam ipsam in turpem compegere seruitutem, vbi vitam breui, atque inhonesto habitu duram egit, & sordidam; filios eius, & filias abstulerunt secum, ac ipsa denique postea gladio sublata fuit. Duæ tandem hæ sorores sic sunt suis nobilitatæ flagitiis, ac malis, vt nomen apud alios ex scelere, atque ignominia traxerint; quia iudicium ignominiosum, & graue ad illorum puniendum scelus decretum est.

11. *Quod cùm vidisset soror eius Ooliba, plusquam illa insaniuit libidine: & fornicationem suam super fornicationem sororis suæ.*

C 11. Cur verò Ooliba quoque apud nationes alias famosa fuerit, ea ratio fuit, quia cùm in sororis suæ Oollæ capite periculum facere debuisset; maiori tamen quàm illa libidine pruriit.

12. *Ad filios Assyriorum præbuit impudenter, ducibus & magistratibus ad se venientibus indutis veste varia, equitibus qui vectabantur equis, & adolescentibus forma cunctis egregia.*

12. Se etenim magis quàm soror impudenter Assyriorũ libidini prostituit. Principibus videlicet, & his qui cum potestate publicum obibant magistratum, & quicumque cum veste pretiosa, & varia ad illam accederent, qui equis veherentur, &

D equestribus delectabantur studiis; qui denique in adolescentia formam elegantem, aut in quibus aliqua essent blandimenta libidinis.

13. *Et vidi quòd polluta esset via vna ambarum.*

13. Et vidi vtriusque vitam, & mores eodem modo fuisse polluta.

14. *Et auxit fornicationes suas: cùmque vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus,*

14. Et in eo fuit sorore intemperantior, quòd Oolla eorum consuetudinem ambiuit, quos antè nouerat; Ooliba autem cùm nomen tantùm audiisset, aut descriptas in pariete Chaldæorum vidisset imagines, in illorum statim libidinem exarsit.

E

15. *Et accinctos balteis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omniũ, similitudinem filiorum Babylonis, terræque Chaldæorum, in qua orti sunt,*

15. Tales autem erant in pariete descripti Babylonij, quales spectari solent in acie, accincti videlicet ferro è balteo dependente, cum tiaris non naturali, & proprio, sed alieno colore conspicuis, qualia esse solent in ea regione Imperatorum, ac Principum insignia.

16. *Insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum, & misit nuncios ad eos in Chaldæam.*

16. Tunc verò per oculos irrupit in animum cum Chaldæorum formis furor quidam, & rabies amatoria. Vnde ortum est, vt dimissis in Chaldæam nuntiis, illorum vsum, & consuetudinem ambierit.

17. Cùm 17. Cùm

17. Cúmque venissent ad eam filij Babylonis ad cubile mammarum, polluerunt eam stupris suis, & polluta est ab eis, & saturata est anima eius ab illis.

A 17. Cúmque amatores illi Babylonij ad eius complexum aduolassent, neque sibi ad libidinem aliquid aut clausum, aut arduum inuenissent, amatorium iniere lectum, illáque nefario, atque multiplici concubitu polluta suam tandem libidinem expleuit.

18. Denudauit quoque fornicationes suas, & discooperuit ignominiam suam: & recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea à sorore eius.

18. Neque vim vllam passa est inuita, quod honestis aliquando accidit; sed vltro ipsa pudorem, quem venalem habuit, & ignominiam nudauit Chaldæorum petulantiæ. Tunc verò cùm publicum instiB tuisset lupanar, recessi ab illa, eadem offensione ac modo, quo ab eius sorore antè recesseram.

19. Multiplicauit enim fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Aegypti.

19. Ad fornicationes illas, quas apud Ægyptios olim exercuerat, alias nunc addidit eius generis, vt in memoriam reuocaret, quas antea in ætate puellari commiserat.

20. Et insaniuit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt vt carnes asinorum: & sicut fluxus equorum, fluxus eorum.

20. Rabie etenim amatoria illorum appetebat consuetudinem, qui in omnem se libidinem effusè, atque immoderatè C profundunt, quos in eo genere in asinorum, atque equorum numero non immeritò deputes.

21. Et visitasti scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Aegypto vbera tua, & confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ.

21. Renouasti igitur, & quasi regustasti flagitia iuuenilis ætatis, Ooliba, quando primùm ignominiam tuam aliorum libidini nudasti, quando subactæ sunt, & fractæ mammæ, tempore videlicet illo, quo cum pubertate aduenit ad opus illud meretricium sua quoque maturitas.

22. Propterea Ooliba, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua: & congregabo eos aduersum te in circuitu.

22. Propterea hæc ad te, ô Ooliba, dicit Dominus: Ecce ego excitabo, atque D armabo contra te eos, quos molliùs ad tuum complexum ambiisti; & quorum congressu libidinem tuam præter omnem modum prurientem explesti, qui vndecumque locorum congregati obuallent te in circuitu, & funditus exscindant.

23. Filios Babylonis, & vniuersos Chaldæos, nobiles, tyrannósque & principes, omnes filios Assyriorum, iuuenes forma egregia, duces & magistratus vniuersos, principes principum, & nominatos ascensores equorum:

23. Excitabo, inquam, atque armabo contra te, qui Babyloniæ sunt, & in tota Chaldæa latè diffusi; quotquot in vasto Assyriorum imperio Principes sunt, nobiles, aut cum potestate: eos etiam, qui forma sunt egregia, qui publica obeunt in reE publica munera, quique pro sua auctoritate Principibus præsunt, viri fama celebres, qui ex equestri sunt ordine, & equos ascendunt.

24. Et venient super te instructi curru & rota, multitudo populorum: lorica, & clypeo, & galea armabuntur contra te vndique: & dabo coram eis iudicium, & iudicabunt te iudiciis suis.

24. Hi ergo contra te venient cum ingenti multitudine, omníque instructu militari, in curribus, quos volubiles agent rotæ, lorica, galea, clypeóque muniti; quibus liberam de te iudicandi, agendíque facultatem permittam.

25. Et ponam zelum meum in te, quem exercent tecum in furore: nasum tuum, & aures tuas præcident: & quæ remanserint, gladio concident:

25. Sumam autem de te, per illos, quos ad infidelem, & pollutum lectum aduocasti, pœnas, quas ab adultera de more sumit

cident: ipsi filios tuos, & filias tuas capient: & nouissimum tuum deuorabitur igni.

A mit zelotypus sponsus. Qui furore accensi aures tibi præcident, & nasum (Regem nimirum, Sacerdotes, & iudices;) reliquos verò gladio tollent: filios tuos, ac filias hostili capient manu, duræque alligabunt seruituti: ad extremum denique templum incendio vastabitur.

26. Et denudabunt te vestimentis tuis, & tollent vasa gloriæ tuæ.

26. Spoliabunt te vestimentis tuis, quibus ad nuptiales luxus, & geniales delicias ornabaris; gloriosamque te aliorum oculis ostentabas.

27. Et requiescere faciam scelus tuum de te, & fornicationem tuam de Terra Aegypti: nec leuabis oculos tuos ad eos, & Aegypti non recordaberis amplius.

B 27. Efficiam autem, dum te abscisso naso, atque auribus deformauero, aliaque abstulero irritamenta libidinis, ornamenta nempe, quæ in mundo continentur muliebri, vt iam tandem ab operé cesses meretricio, quod apud Ægyptios olim institueras. Neque deformatam faciem auribus mutilatam, & naso leuare iam ampliùs audebis, aut oculos lenonios subire. Quare non iterum fedibis ad illas meretricias sordes, quas in Ægypto in adolescentia non horrueras.

28. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego tradam te in manus eorum, quos odisti, in manus, de quibus satiata est anima tua.

C 28. Hæc ad te Dominus: Eô redigam te, Ooliba, vt venias in illorum potestatem, quos odio tandem graui prosecuta es; quorum consuetudine magis, quàm decebat familiari profundam animi tui libidinem satiasti.

29. Et agent tecum in odio, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudam, & ignominia plenam; & reuelabitur ignominia fornicationum tuarum, scelus tuum, & fornicationes tuæ.

29. Illi enim aut mutato animo, aut deposita larua, quæ amorem, & societatem simulabat, spiritu tecum agent hostili. Quare quicquid longo tibi labore antè quæsieras, auferent abs te, relinquéntque nudam, & ignominiæ plenam. Tunc se planè prodent fornicariæ sordes, & scelera, quæ in tenebris aliquandiu latuerant, in
D lucem iam publicam, & hominum oculos emergent.

30. Fecerunt hæc tibi, quia fornicata es post Gentes, inter quas polluta es in idolis earum.

30. Hæc verò ideo passa es; quia relicto Deo, quo cum antea nuptiale fœdus inieras, lectum, qui tibi castus, & purus seruari debuit, omnium populorum libidini exposuisti, id est, alienam religionem complexa, gentilicis te sordibus inquinasti.

31. In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem eius in manu tua.

31. Cùm autem sororis tuæ, ô Ooliba, vestigiis inhæseris, non est, cur meliùs de te aut speres aut cogites. Bibes enim de
E calice, qui propinatus est sorori tuæ, neque minus largiter, neque magis benignè.

32. Hæc dicit Dominus Deus: Calicem sororis tuæ bibes profundum & latum: eris in derisum, & in subsannationem, quæ est capacissima.

32. Hæc rursus ad te Deus: Bibes, ô Ooliba, calicem, qui tuæ olim sorori propinatus est, qui sanè profundus erit: quia in eum plurimum infundetur absynthij: erit item latus, quia in multos annos amarus ex eo potus producetur. Confusio verò, ac subsannatio multo erit profundior, & latior, quia diutius producetur, & longè

A erit grauior, quàm quodlibet aliud infortunium.

33. Ebrietate, & dolore repleberis: calice mœroris, & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ.

33. Tantum ex eo calice potabis, vt inebrieris & doleas vehementer; mœror tibi, atque tristitia in illo propinabitur: neque alius erit calix quàm ab illo, quem hausit ante te soror tua Samaria.

34. Et bibes illum, & epotabis vsque ad faces, & fragmenta eius deuorabis, & vbera tua lacerabis: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.

34. Bibes igitur è calice, atque ita bibes, vt de ipsius quoque fundo, id est, de fæcibus haurias; ita vt de propinato tibi calice nihil sit, quod non exsorbeas; atque adeò ipsa etiam fragmenta calicis de-
B uoranda sunt. Tunc verò ab ipsis vberibus, quæ amatorum manibus subacta fuerant, pœnas sumes acerbas; illa etenim lacerabis, ac deformabis vnguibus præ dolore. Neque his minis pondus aberit, quia ego Dominus locutus sum.

35. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum, & fornicationes tuas.

35. Propterea hæc dicit Dominus; quia mei memoriam, immò & meipsum post tergum abiecisti, portabis durum supplicij pondus, quod tua tibi scelera, & fornicariæ sordes imposuerant.

36. Et ait Dominus ad me, dicens: Fili hominis nunquid iudicas Oollam, & Oolibam, & annuncias eis scelera earum?

36. Post hæc iterum ad me Dominus:
C Quin tu, ô Ezechiel, iudicas Oollam, & Oolibam, & quid ab illis peccatum sit, quàm primùm exprobras?

37. Quia adulteratæ sunt, & sanguis in manibus earum, & cum idolis suis fornicatæ sunt: insuper & filios suos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad deuorandum.

37. Hæc illis obiicies, exprobrabísque; quia iteratis adulteriis, & datam sponso fidem, & torum legitimum prodiderunt; quia sanguine stillant impuræ manus; quia Gentium idolis diuinos impenderunt honores; quia filios suos, qui mei esse debuerunt, illis mactandos, ac deuorandos præbuerunt.

38. Sed & hoc fecerunt mihi: Polluerunt sanctuarium meum in die illa, & sabbata mea prophanauerunt.

38. Hæc quidam studiosè, & alacriter
D erga alienos Deos; longè tamen aliter erga me. Templum enim meum, ac domum meo sacratam nomini exoticis sordibus fœdarunt, polluerúntque: neque magis curarunt Sabbati religionem, quàm si dies esset omni ex parte profanus.

39. Cúmque immolarent filios suos idolis suis, & ingrederentur sanctuarium meum in die illa vt pollueren illud: etiam hæc fecerunt in medio domus meæ.

39. Et eo ipso tempore post sceleratas illas, & crudeles victimas inaniũ Deorum simulacris oblatas, tẽplum meum ingressæ illud polluerunt: immò in ipso etiam templo nefariis sacris operatæ sunt.

40. Miserunt ad viros venientes de longè, ad quos nuncium miserant: itaque ecce venerunt: quibus te lauisti, & circumlinisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri.

40. Neque satis habuerunt ad mere-
E tricium admisisse cubile illos, qui vltro ipsarum concubitum ambirent; sed etiam eos, qui procul aberant, dimissis hinc inde legatis ad meretricium opus asciuerunt. Neque ipsi diu traxere expectationem tuam, quorum oculos, ô Ooliba, vt specie caperes, & ad tui desiderium magis allliceres, adhibuisti tibi fucatæ medicamenta pulchritudinis. Munditiem enim tibi, atque suauitatem ex aquis odoratis conciliasti; stibio pinxisti, atque hilarasti oculos, & quotquot in mundo muliebri

A ac derelictum genus oppresserunt, doloréque affecerunt, & damno.

8. *Sanctuaria mea spreuisti, & sabbata mea polluisti.*

8. Neque curatunt quid templi exigeret, sabbatique religio; spreuerunt namque sanctuaria, & alienis, atque seruilibus ministeriis sabbata polluerunt.

9. *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem, & super montes comederunt in te, scelus operati sunt in medio tui.*

9. Fuerunt in te criminatores, & sycophantæ, qui occulta produnt, aut etiam falsa confingunt crimina, vt publico nomine, & auctoritate quasi legitima sanguis effundatur innoxius. Fuerunt item, qui in montibus ad impias aras sceleratis accu-
B buerint mensis. Denique intra fines tuos, immo in medio tui, variis se sceleribus inquinarunt.

10. *Verecundiora patris discooperuerunt in te, immunditiam menstruatæ humiliauerunt in te:*

10. Qui vsque adeò fuere profusæ libidinis, vt neque à paterno thalamo temperarint, dum se turpi, ac incesto concubitu cum nouerca, aut patris concubina commiscent: neque obscœni sanguinis menstrua proluuies continuit prurientem ciuium tuorum, & rabidam luxuriem, quo minùs appetierint, inierintque menstruatæ
C fœminæ sordidum cubile.

11. *Et vnusquisque in vxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefariè, frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te:*

11. Tam ardens fuit omnibus in Venerem furor, tam præceps, atque impudens in omnem turpitudinem intemperantia, vt vxori se quisque proximorum immisceat; neque socer à nuru, neque à sorore frater, à sorore, inquam, quæ ab eodem est suscepta parente, motus cohibeat prurientes.

12. *Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem: vsuram & superabundantiam accepisti, & auarè proximos tuos calumniabaris: meique oblita es, ait Dominus Deus.*

12. Muneribus corrupti Iudices gladio addixerunt, aut ligno illos, quorum damnatio, vel interitus ex aliorum vsu
D fore putabatur: vsuram accepisti è fœnerata pecunia, quasi illa fœcunda foret ad fœnebrem partum. Neque quicquam erat, quod non tentares, modò ex eo spes affulgeret lucri; & vrgente auaritia omnem in proximos tuos calumniam, & fraudem instruebas: mei denique omnem curam, atque memoriam abiecisti, dicit Dominus.

13. *Ecce complosi manus meas super auaritiam tuam, quam fecisti, & super sanguinem, qui effusus est in medio tui.*

13. Exultabas tu, ô Ierusalem, atque triumphabas, cùm effunderes sanguinem, & bonis alios per fraudem, & calumniam
E spoliares; sed aderit tempus, cùm ego plaudam manibus, & triumphem de te, cùm pœnam exigam effusi sanguinis, & ablatam iniquè prædam è tuis manibus extorqueam.

14. *Numquid sustinebit cor tuum, aut præualebunt manus tuæ in diebus, quos ego faciam tibi? ego Dominus locutus sum, & faciam.*

14. Cùm tempus illud ingruat, quod ego ad vlciscendum inducam, neque satis tibi erit animi, atque consilij ad deliberandum, neque satis ad repugnandum virium.

15. *Et dispergam te in nationes, & ventilabo te in terras, & deficere faciam immunditiam tuam à te.*

15. Dissipabo te nunc inter Gentes, atque ita te ventilabo, sicut stipulas turbo. Efficiam denique vt ablatis naturæ siue

 blan

A blandimentis, siue pestibus animi, libertate nempe, otio, & abundantia rerum, sordes illæ deficient, quæ ex illis plerumque contrahuntur.

16. Et possidebo te in conspectu Gentium: & scies quia ego Dominus.

16. Vbi autem expiatoria tribulationis fornace sordes illas excoxero, possidebo te rursus: nam priùs te quasi alienam à meâ possessione repuleram. Quod etiam Gentes ipsæ cognoscent, quæ non obscuris indiciis fuisse te repudiatam antea cognouerant. Tunc verò me Dominum esse non ignorabis.

17. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

B 17. Post hæc rursus ad me Dominus locutus est:

18. Fili hominis, versa est mihi domus Israël in scoriam: omnes isti æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: scoria argenti facti sunt.

18. Fili hominis, domus Israël argenti priùs nobilitate, atque nitore conspicua, mutata est in vilem, atque inutilem scoriam. Si omnium vitam, & mores expendas, inuenies nihil præter sordes, & nugas. Quemadmodum si vile, ac simulatum argentum in fornacem coniicias, deprehendes stannum esse, ferrum, & plumbum, quod synccrum, & purum apparebat argentum.

19. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Ierusalem,

C 19. Propterea hæc dicit Dominus; quia nihil in vobis purum, & synccrum inuenio, sed tantùm sordidam argenti spumam, concludam vos tanquam in fornacem, & expiatorium ignem in Ierusalem.

20. Congregatione argenti, & æris, & stanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis: vt succendam in ea ignem ad conflandum; sic congregabo in furore meo, & in ira meo, & requiescam: & conflabo vos.

20. Et sicut argentarius conflator cōgregat, & in fornace eliquat, & purgat argentum, æs, stannum, plumbum, & ferrum adhibito igne, quem crebrò accendit, & excitat flatu: sic ego congregabo vos, & in duro tribulationum igne liquefaciam, quo sordes excoquam, & rubiginem, qui-
D bus estis obducti; tum conflabo vos, & furor æstuantis animi requiescet.

21. Et congregabo vos, & succendam vos in igne furoris mei, & conflabimini in medio eius.

21. Concludam, inquam, vos in fornacem, in qua furoris mei accendetur ignis, & in ea conflatorio operè liquefaciam, & excoquam.

22. Vt conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio eius: & scietis quia ego Dominus, cùm effuderim indignationē meam super vos.

22. Sic autem vos eritis Hierosolymæ ab hoste conclusi, & durè iactati, sicut argentum, quod in fornace soluitur ab igne. Tunc verò me Deum esse cognoscetis, cùm meam contra vos indignationem exprompsero.

23. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

E 23. Locutus est rursus ad me Dominus in hæc verba:

24. Fili hominis, dic ei: Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris.

24. Fili hominis, dic Hierosolymæ: Similitudinem in te video, ô Hierosolymæ immundæ, atque sylvestris terræ, quæ animalia occultat, alitque plurima, atque immunda; quam nullus imber rigat, quo tempore furoris mei magis feruet æstus.

25. Coniuratio prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens, rapiénsque prædam, animas deuorauerunt, opes & pretium acceperunt, vi-

25. Quotquot in te sunt, ô Hierosolyma, in tuam perniciem coniurasse, atque aspirasse videntur. Fallaces illi Pro-

duas eius multiplicauerunt in medio illius.

A phetæ, qui se tibi pro veris venditabant, non aliter lacerarunt, ac deuorarunt te, quàm leo qui rugit, inhiat, & rapitur ad prædam, qui, quem simulabant habere se propheticum afflatum, venalem habuerunt; feceríntque fallaci blandimento, vt multæ fœminæ extinctis viris viduitatis experiantur incommoda.

26. Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam: & inter pollutum & mundum non intellexerunt: & à sabbatis meis auerterunt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum.

26. Sacerdotes, quorum fidei, ac curæ credita fuit legum, religionísque custodia, contempserunt legem, & peregrinis ritibus sacraria temerarunt; neque habuerunt vllum inter sacra, profanáque discrimen; neque distinxerunt à puro, synceróque pollutum; neque curarunt denique an violaretur sabbati religio, aut diuini nominis pollueretur maiestas. B

27. Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auarè ad sectanda lucra.

27. Principes auarè se, atque crudeliter gesserunt: sic enim ad prædam, & sanguinem anhelarunt, sic auari fuerunt ad lucra, sic ad cædem crudeliter intenti, vt ferinum in illis aliquid videre te putes, potius quàm humanum.

28. Prophetæ autem eius liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & diuinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus, cùm Dominus non sit locutus.

28. Prophetæ verò populum fallaci C blandimento lactabant, neque magis formabant populum iamiam inflexum, & pronum ad exitium, quàm si quis parietem rimosum, & iamiam ad ruinam incumbentem luto tantùm incrustet nulla palearum admixtione temperatum; quo tegitur magis insidiosè vitium, quàm vitatur casus. Cùm habere se dicerent à Domino responsum; & è suo cerebro potiùs vana confingerent, & perniciosa mendacia.

29. Populi terræ calumniabantur calumniam, & rapiebant violenter: egenum & pauperem affligebant; & aduenam opprimebant calumnia absque iudicio.

29. Reliqui verò ex vulgari, atque ignobili turba aut per calumniam callidè, D aut per vim apertè pauperes opprimebant spoliabántque; & contra leges, & fas non expectato iudicum arbitrio in aduenarum facultates, qui maiori potentiæ obniti non poterant, inuolabant.

30. Et quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inueni.

30. Et cùm quærerem aliquem, qui tanquam murum seipsum obtenderet pro populo; & plagam, vastitatémque, quæ à furore meo impendebant, auerteret; non tamen ex omnibus vllus occurrit.

31. Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.

E 31. Quare cùm nemo aut laterum, aut orationis opposítu intentum ad plagam animum retardaret, furorem iam antè conceptum in populum effudi; quo tanquam igne latè grassante, dicit Dominus, illum consumpsi, sicut illorum scelerati mores postulabant.

Vers. 2.

Vers. 2. *Nónne iudicas, nónne iudicas ciuitatem sanguinum? & ostendes eis omnes abominationes suas.*]

1. HÆc eadem propè dixerat suprà c. 20. v. 4. *Si iudicas eos, si iudicas fili hominis. Abominationes Patrum eorum ostende eis.* Vide quæ nos ibi. Monet hoc loco Deus Ezechielem, vt tanquam iudex, aut actor Solymitanis exprobret abominationes, quæ ad vindictam lacessunt, & instimulant diuinâ iram. Quod ipse facit, singillatimque enumerat illa populi flagitia, quæ tunc maximè in illa Iudæorum republica vigebant. Quæ & grauia sunt, & eiusmodi, vt proditam coarguant pudicitiam, & religionem, imò & omnem humanitatem. Appellatur hoc loco ciuitas sanguinum, quasi tunc sit multis delibuta flagitiis, sanguis enim non vnum, aut alterum significat scelus; sed quodcúque à carne, & sanguine oritur, aut ab eo, quæ dicitur membrorum lex. Ita Gregorius lib. 15. Moral. c. 10. In hunc sensum Hieronymus, & Gregorius homil. 11. in Ezech. item Chaldæus, accipiunt illud Oseæ 4. v. 2. *Sanguis sanguinem tetigit.* Sic credo accipi posse sanguinem hoc loco, vbi summa videtur esse proposita eorum, quæ postea dicuntur explicatiùs. Qua dicendi figura significatur à sanguinis affectu abduci potiùs populum illum, quàm diuinis regi, ac gubernari consiliis. In aliis verò locis, alia est sanguinis significatio, de qua mox.

Sanguis varia peccatorum genera significat.

2. Vers. 3. *Ciuitas effundens sanguinem in medio sui, vt veniat tempus eius.*] Hic sanguis cædem significat, qui dum effusus dicitur in medio ciuitatis, ostendit cædes impunè à ciuibus exerceri solitas. Sanguis enim in bene constituta republica assiduè clamat, & in auctorem homicidij iudicium, gladium, & publicam auctoritatem instigat. Scio *in medio* idem plerumque valere, quod *in*, sed hic nescio quid in ea dicendi forma spectare videor, quod tyrannicè gladium, & liberè grassari significat. Hæc verò tanta, atque impunita crudelitas aduocauit durum illud, & quasi fatale tempus, quod Deus ipsius excidio destinarat. Quare ferrum, quod se in alios adegisse putabat, in sua sibi viscera distrinxit.

3. *Et quæ fecit idola contra semetipsa, vt pollueretur.*] Admisit ciuitas illa quondam sancta, diuinóque consecrata cultui, exoticas sordes, & peregrina sacra, conflauit idola, adorauitque. vnde id consecuta est, vt à sordibus illis ipsa quoque sordesceret, pollutaque censeretur, & profana. Vt enim præcedenti capite diximus, Rex sacer, & vnctus, profanus appellatur, & quasi exauctoratus, degradatúsque, quia omnium iniuriis, ac violentiæ patet, neque iam ampliùs illum ab iniuria, & cæde religio vendicat: sic etiam ciuitas illa sacra, nefariis idolorum aris, ac victimis iam polluta, vim in se omnem, & iniuriam non solùm admittit, sed etiam lacessit, & accelerat.

4. Vers. 4. *Appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum.*] Sic in omne scelus intemperanter exarsit illa iam profana, atque polluta ciuitas; vt non iam ampliùs debita tot sceleribus pœna differri debuerit. Quare dum in suis flagitiis obstinatò hæret, & veteribus noua semper accumulat, appropinquare fecit exitij tempus, & annos illos, qui lentiori gradu, ærumnosam ciuitati sortem seriùs inueherent.

Peccata mortem & supplicium accelerant.

A Libet hic addere Theodoreti verba, qui contrahi dicit a scelerum frequentia dies peccatorum supplicio definitos. *Tempus,* inquit, *certa quadam mensura præfinitum secundùm diuinam longanimitatem, iniquitas amplior effecta contrahit. quod etiam factum esse Noe tempestate videre licet. Cùm enim centum & viginti annorum tempus hominibus illis, qui tunc viuebant, ad pœnitentiam præfinisset, conspicatus illorum impietatem augescere, decretum tempus illud contraxit, & anno centesimo per diluuium supplicium illis inflixit.* Hoc planè docuit Dauid Psal. 54. cùm dixit, *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Plura in hanc sententiam diximus in nostris commentariis in Isaiam ad illud cap. 1. *populo*
B *graui iniquitate.* & multo fusiùs in Zachariam cap. 5. num. 23.

Propterea dedi te in opprobrium Gentibus, & irrisionem vniuersis terris.] Quæ sint hæ Gentes, terræque vniuersæ, declarat statim, dum ait, *Quæ iuxtà sunt, & quæ propè.* Sunt enim Babylonicè Gentes, quæ procul ab vrbe dissitæ sunt, & nationes aliæ non minùs infensæ Iudæo nomini Hierosolymæ vicinæ, vt Palæstinæ, Ammonitides, Moabitides, Idumææ. Hæ verò & exprobrarunt Iudæis vitam à maiorum virtute degenerem, & illorum insultarunt fortunæ. 5.

Vers. 5. *Triumphabunt de te, sordida, nobilis, grandis interitu.*] Vbi vulgatus *triumphabunt*, Heb. est 6.
C יתקלסו *iithcalesu*, quod exprobrare, seu irridere sonat, quod ab eadem radice est, à qua vox illa, pro qua noster reddidit *opprobrium*. Neque malè vulgatus *triumphabunt*, transtulit; quia qui aliis irridet, & insultat, is de illo quodammodo triumphare videtur. Neque id abest à Latinorum vsu, quibus familiare est *triumphare*, pro exultare. & qui aliorum dolore oblectatur, is in illius gemitu triumphare dicitur. Quæ sequuntur materialiter, vt Logici dicunt, accipienda sunt. Illis enim verbis vtebantur infensi illi populi, de quibus proximè, cùm euersæ iam vrbi, & squalidis ciuibus insultarent. O sordida,
D aiebant, in præsentia ciuitas, quæ quondam nobilis eras, atque gloriosa? ô magis iam interitu grandi, quàm olim ciuium multitudine, & omnium rerum splendore nobilitata ciuitas? Non dissimilia refert Ieremias Thren. cap. 2. v. 15. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt, & mouerunt caput suum super filiam Ierusalem. Haccine est vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?*

Vers. 6. *Ecce Principes Israël, singuli in brachio suo fuerunt in te ad effundendum sanguinem.*] Redit ad illa, quæ proximè attigerat, maduisse nempe Hierosolymam ciuili sanguine; id nunc ex- 7.
E plicat magis, docétque à quibus maximè orta sit illa cognati sanguinis effusio, à Principibus nempe; qui legum vindices, & ciuium custodes esse debuerant. Hi verò dicuntur in brachio suo fuisse, vel quia pro sua quisque potentia, quæ significatur in brachio, in plebem infirmam bacchatus est; quod in malè constituta republica plerumque fit, & in Solymitana vsu sæpe euenisse clamant Prophetæ; & hoc potiùs, vel quia in brachio significatur cognatio, vt c. 9. Isai. diximus num. 36. ad illud, *Vnusquisque carnem brachij sui vorabit.* Dicitur verò cognatus, aut

Brachium pro cognatione.

aut frater brachium alicuius, quia sicut ex vno stipite multi sese explicant rami; sic ex vno genere, seu parente, plures propagantur, & funduntur filij. Vt autem rami dicuntur brachia; sic fratres, & cognati eadem translatione vocari non incommode brachia possunt. Sanè arborum ramos brachia vocat Virgilius lib. 12. Æneid. vbi Rex Latinus de suo sceptro ab artifice dolato ex ligno, ait:

Rami arborum dicuntur brachia & manus.

Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras,
Cum semel in syluis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas, & brachia ferro
Olim arbos.

8. Et locus nuper ex Isaia citatus hoc ipsum indicat, si modò illius loci ea sententia est, vt bellum intestinum futurum esse dicatur, & domesticum. Tunc enim carnem brachij sui vorare idem est atque cognatos, & fratres mutuis inter se odiis dissidere; & cædem sibi vicissim moliri. Huic affine est quòd rami arborum etiam dicũtur *manus* Iob cap. 15. v. 32. cùm n. præcessisset de arbore, *Ramos eis arefaciet flamma*; eandem statim sententiam repetit, dicitque, *Et manus eius arescent*. Hac eadem similitudine vsus est Basilius de constitution. Monast. c. 22. vbi digitos appellat ramos, & cum his fratres comparat.

9. Vers. 8. *Sanctuaria mea spreuistis, & sabbata mea polluistis.*] Hæc non obscura sunt. Dicuntur Sanctuaria, cùm tamen vnum sit templum, quia in illo partes variæ sunt variis destinatæ ministeriis, quas quisque pro suo statu, atque ordine spernebat, sacerdos illa, quæ dicuntur Sancta, aut Sancta sanctorum, plebs reliqua atrium, quod pro laicorum ordine designatum est. Sabbatum pollui, ex vsu Scripturæ idem est, atque ea non curare, aut seruare negligentiùs, quæ sabbati religio præscribit. Ponitur autem præceptum vnũ, sicut frequenter alibi, pro reliquis aliis per synedochem. Sicut etiam Ierem. cap. 27. vbi in sabbati custodia aliorum etiam præceptorum obseruantia commendatur.

10. Vers. 9. *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem.*] Heb. אנשי רכיל *anse rachil*, quam vocem variè reddunt interpretes, sed eòdem omnes aut spectant, aut inclinant. Symmachus, & Theodotio *viri dolosi*, Septuaginta *latrones*, Chaldæus *criminatores*, Rab. Dauid *viri delationis*. Hi verò sunt, qui occulta produnt crimina, aut etiam confingunt, illaque aut ad magistratus deferunt, quæ quasi legitima auctoritate puniant, & publico nomine; & ita sanguis effunditur innoxius. Vnde tam delator, quàm iudex aut compendij aliquid captant ex occisi bonis; aut priuata persequuntur odia: aut deferendis hinc inde criminibus seditionum dispergunt semina, pacatisque animis faces iniiciunt, quas sanguis interdum solus restinguit. Delatores isti, ac sycophantæ, turpe hominum, atque odiosum genus, perniciosi sunt Reipublicæ; qui si non abfuerint, neque odia deerunt, neque seditiones, quas linguæ istæ fraudulentæ, ac liberæ suscitant, & fouent. Prouerb. cap. 26. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis; & susurrone sublato, iurgia conquiescent.* Quare Deus Leuit. cap. 19. v. 16. perniciosum hoc vitium ab hominum conuentu arcet. *Non eris criminator, nec susurro in populis.*

Criminatores & sycophantæ turpe hominũ, & perniciosum genus.

11. Ipsa experientia edocti profani principes sycophanticùm, & crudele genus hoc hominum, aut punierunt seuerè, aut procul à suis ciuitatibus amandarunt. Neque enim videbant, si calumniis, ac delationibus locus esset, defuturas seditiones, & odia, quæ tranquillum reipublicæ statum perturbarent. Titus enim, vt auctor est in eius vita Suetonius, in hos sycophantas, & delatores seuerè animaduertit. *Inter aduersa*, inquit, *temporum & delatores, mandatorésque erant ex licentia veteri. Hos assiduè in foro flagellis, & fustibus cæsos, ac nouissimè traductos per Amphitheatri arenam, partim subiici in seruos, aut venire imperauit, partim in asperrima insularum auehi.* Quod idem fecisse postea Traianum docet Plin. in eius Panegyrico. Hoc factum Martialis Domitiano ascribit, adulatorie credo magis, quàm verè in Amphitheatro epig. 4.

Delatores olim grauiter puniti.

Turba grauis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes.
Tradita Getulis, nec cepit arena nocentes,
Et delator habet, quod dabat exilium.
Exulat Ausonia profugus delator ab vrbe,
Impensis vitam principis annumeres.

Super montes comederunt.] Coarguit populum idololatria. Quomodo in lucis, ac montibus excitentur aræ, & impiæ idolis immolentur victimæ, ibique cibi superstitiosè comedantur, diximus suprà illud cap. 18. *In montibus non comederit.* neque aliquid occurrit nouum, quod adiici posse videatur.

Vers. 10. *Verecundiora patris discooperuerunt in te.*] Duplex hîc occurrit explicatio; altera simplex magis, & propria, quæ de nudato, ac reuelato pudore patris hæc intelligit, quomodo Cham Noë filius fratribus suis parentis obscœna reuelauit. Hoc verò quàm graue sit, ac impium facinus, docet & Cham maledictio, & sors inauspicata, & quia Leuit. cap. 20. v. 17. frater, qui sororis obscœna, & soror, quæ fratris verecunda conspexerit, capitali pœna plecti iubentur. *Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem eius, illáque conspexerit fratris sui ignominiam, nefariam rem operati sunt. Occidentur in conspectu populi, eo quòd turpitudinem suam mutuo reuelauerint.* Hæc quidem propriè, atque simpliciter sonat litera. Verùm quia in Scriptura sacra, quæ obscœni aliquid olent, non propriis, quæ indecora sunt, sed translatis vocabulis, orationéque figurata honestiùs explicari solent, ideo cum aliis plerisque aliter locum istum interpretor. 12.

Inter cognatos quanta reuerentia, & pudor.

Vsitatum est per synecdochem, in omni, vt reor, idiomate, vt quæ indecora sunt per antecedentia, ac consequentia significentur, paulo quidem obscuriùs, verumtamen ita modestè, ac castè, vt illa aures ingenuæ, atque pudicæ non respuant. Sic *operire pedes*, Hebræis est onus ventris deponere, quia id apud honestos naturale illud opus præcedit. Sic ascendere alicuius cubile, opus indicat adulteri. Ad hunc ergo modum discooperire, aut reuelare alicuius pudorem, seu turpitudinem, idem est, quod cum altera ad Veneris opus commisceri. Qui dicendi modus frequens est Leuit. cap. 18. & cap. 20. Hîc igitur incusantur Iudæi, quòd ausi fuerint cum vxore patris sui, siue illa nouerca fuerit, siue concubina, ad nefarium illud opus congredi, sicut fecit antea Ruben Gen. cap. 35. in quem Iacob ibidem cap. 39. *Ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* quod Leuit. suprà seuerè prohibetur. 13.

REGVLA. Quæ indecora sunt per antecedentia & consequentia honestè significantur.

At dices illam potius esse nouercæ, quàm patris ignominiam, sed hîc patris verecundiora dicun- 14.

Cur turpitudo vxoris dicitur patris turpitudo.

dicuntur esse discooperta,seu reuelata. Responsio difficilis non est: nam quia ius habet pater à coniugali pacto in vxorem,quicquid ab vxore libatur, i. à paterna possessione,id videtur fuisse detractum à parente, & quicquid reuelatur in vxore,parentis est. Seu quia coniuges vna caro fiunt,si qua iniuria,aut vis alterius infertur corpori,idem etiam alteri videtur illatum. Et ideo Leuit.cap.18.v.8. turpitudo nouercæ, turpitudo dicitur patris. *Turpitudinem vxoris patris tui non discooperies: turpitudo enim patris tui est.* & iterum cap. 20. v. 11. *Qui dormierit cum nouerca sua, & reuelauerit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo.* Hoc porrò vitium fuisse etiam vsitatum inter Corinthios, queritur Paulus 1. ad Cor. 5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis neque inter Gentes; ita vt vxorem patris sui habeat aliquis.*

15. *Cur prohibitus cum menstruata concubitus.* *Immunditiam menstruatæ humiliauerunt in te.*] Cautum erat diuina lege ne quis ad fœminam accederet,cùm esset in menstruis. Leuit. cap.20. v. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipsáque aperuerit fontem sanguinis sui,interficientur ambo.* Idem habes Leuit. cap. 18. v. 19. Cur congressum istum impurum capitali supplicio lex ista diuina mulctauerit, nõ est mei muneris explicare. Vide Abulensem in hæc loca. Tam autem erat eo tempore Iudæis ardens in Venerem furor, tam præceps, atque impudens in omnem turpitudinem intemperantia,vt non solùm reuerentia, atque honestas publica à nouerca,filia,nuru, ab omni denique cognatione temperarit, sed neque menstrui sanguinis turpis eluuio, quæ nauseam potius mouet,quàm Venerem,ab illa impura,atque spurca congressione retardauerit. Porrò *humiliare* ex idiomate Hebraico, idem est, quod vim alteri veneream inferre. Thren. cap.5. *Mulieres in Sion humiliauerunt; & virgines in ciuitatibus Iuda.* Ponitur autem abstractum pro concreto, *immunditiam* nempe pro *immunda*. Perinde enim est ac si dicas, cum fœmina à menstruo sanguine immunda concubuerunt.

Humiliare rem turpem honestè explicat.

16. *Et vnusquisque in vxorem proximi sui.*] Enumerantur alia genera incesti concubitus; quæ prohibita sunt Leuit. cap.18. & cap.20. Quæ facile produnt quanta fuerit vitiorum in ea ciuitate proluuies.

17. Verf.12. *Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem.*] Hîc ego duas explicationes inuenio infideli, atque cruentæ ciuitati accommodatas; alteram, quæ curruptis iudiciis; alteram,quæ conducto sicariorum, aut assasinorum ferro vitam infirmorum,atque innocentium exponit.Sunt qui quæstui sibi habent aliorum cædem, seu illata vulnera,quam artem vænalẽ habent, neque aliter locant iis, qui vlcisci suas iniurias student,quàm alij suam operam ad colendos agros,aut ad vsus alios honestos,& humanę vitæ necessarios. Hos assasinos appellant iura, nos non ineptè possumus appellare sicarios. Ex hoc numero in vrbe illa sanguinaria plurimos esse,qui audaciam, vímque gladiatoriam ad impium illud facinus prostituerent,non est improbabile.Vt enim detractores erant,de quibus nuper,delatores,& sycophantæ (quos ab Hebraica voce Hispani *malsines* vocant, מלשין enim apud illos criminator est) qui linguas suas acuebant, vibrabántque non aliter quàm sagittas, aut gladium;sic etiam verisimile est fuisse non paucos, qui se aliorum inuidiæ, aut odio administros

Vox Hispana malsin vnde.

A præberent, & locatum mercede ferrum in aliorum corpora distringerent.

Aliter accepta videri possunt munera ad effundendum sanguinem,quia corrupti largitione duces gladio addicunt, aut ligno illos, quorum interitus ex aliorum vsu fore putabatur. Et hoc mihi magis est probabile,quia hoc sæpe video obiectum esse Iudæis,& falsorũ testiũ empta fuisse mercede testimonia: quæ verè sint corrupti iudicij instrumẽta,atque arma,nõ semel audimus. 18.

Vsuram,& superabundantiam accepisti.] Vsura,vt est Doctorum communis sensus, est lucrum ex mutuo,quæ à Gręcis τόκος,ab Hebræis נשך *nesech*, id est, morsus appellatur; ab illis, quia pecunia B quasi fœcunda esset,fœnus parit,id est,pecuniam nouam, perinde atque si frumentum esset terræ mandatum; aut planta terræ visceribus infossa: ab his, quia ferarum in modum aliquid mordet ex aliorum bonis. Vt enim fera morsu lacerat, aufértque aliquid de miserorum corpore;sic fœnerator morsu quodam fœnebri hominem discerpit, ac mutilat, & sanguinem exugit, id est, bona, quibus non aliter ciuilis, quàm sanguine naturalis vita sustẽtatur.Hęc verò optimè *superabundantia* dicitur, quia quicquid supra mutuum accipitur, incrementum est,& abundantia quædam supra iustum. Cùm verò in textu scribitur *vsuram,& superabundantiam*, illud & non est tam C copulatiua coniunctio,quàm expositiua particula.Ac si dicas, *vsuram,id est,superabudantiũ accepisti.* 19. *Vsura vis, & natura.*

Auarè proximos tuos calumniabaris.] Studio rei augendæ nihil non tentabas;iniquas pactiones, fœnebres nempe,siue sicarias obibas,vt denique quoque modò aliquid tibi cõpendij pareres,iniquóque iudicio iura peruerteres,omnem fraudẽ, atque calumniam proximis tuis intentabas. 20.

Verf.15. *Ecce complosi manus meas super auaritiam tuam,quam fecisti.*] Quid sit manus complodere,diximus suprà c.21.verf.14.& 17. Cúmque manuum complosio lætitiam significet,& dolorem,triumphantem,& abiectum,ac desperantem animum;hîc tamen sine dubio exultantis, atque D triumphantis, seu etiam insultantis animi signũ est. Loquitur enim Deus tanquam imperator,& dux, qui bella parat,& aciem instruit contra inimicos,quos vehementer odit;quos cùm subiecit sibi, corúmq; ceruices vestigio calcat,gratulatur sibi de victoria, neque tẽperare sibi potest,quin plaudat manibus:sic Deus quia bellũ indicit crudelitati,atque calumniæ,luxuriæ,atque auaritiæ; super auaritiã,& sanguinẽ dicitur cõplosisse manus;quia auaros strauit,ab illisque rapinas, & alienas facultates eripuit. Eodẽ modo dicere potuisset cõplosas esse manus super libidinẽ, iniustitiã,idololatriã,&alia vitia,de quibus paulo antea,sed per synecdochẽ,speciem vnã pro reliquis E adhibuit. Aut certè ideo dicitur Deus plausisse manibus,quia illarũ plausu,vt fieri incõœdiis assolet, Chaldæorũ audaciam,& in pugnando studium probabat; aut quia illis admouebat, & inspirabat bellicum ardorem, vt ad exitum vsque incepta perducerent. Ita Hieronymus in simili casu ad illud cap.21. *Quin & ego plaudam manu ad manum.Ego,*inquit Hieronymus,*plaudam manu ad manum,vt sæuientem te (ò mucro) contra aduersarios meos,quasi fautor tuus,& exhortator instigem.* 21.

Verf.14. *Nunquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ,in diebus,quos ego faciam tibi.*] Ea dicitur futura rerum turbatio, is animorum æstus,cùm manuum fiet diuinarum complosio, vt neque satis sit animi, atque consilij ad delibe- 22.

sandum, neque aliquid ad repugnádum virium, A tabeſcet quippe cor, cùm dies illi infelices aduenerint, & diſſolutæ manus neque arma tractare, neque aliquid vtile moliri poterunt.

23. Verſ.15. *Deficere faciam immunditiam tuam à te.*] Immunditia populi ab illis vitiis contracta fuerat, de quibus nuper, in quibus ſic volutabatur impudenter, ac diu, ſicut in cœno porcus. Ex quo fiebat, vt totus eſſet immundus, vt ſtatim dicitur, imò & totus videretur ex multorum vitiorum colluuione concretus, fouebat hæc vitia, aut ad illa ſaltem inuitabat libertas, otium, ſaturitas panis, & alia carnis aut fomenta mollia, aut noxia blandimenta. Hæc verò Deus à populo ſubmouit, cùm Chaldæorum illuc exer- B citum inuexit; qui fuit, quaſi expiatrices quædam flammæ, quæ totam ex populo ſcoriam, aut immunditiam excoquerent. Hoc idem Deus facturum ſe eſſe dicit Iſai. cap.1.v.25. *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum, & restituam iudices tuos, &c. poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.* & iterum cap. 48. v. 10. *Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum; in camino paupertatis elegi te.*

Otia, & omnium blandimenta peccati.

24. Verſ.16. *Et poſſidebo te in conſpectu Gentium.*] Non omnes aut legunt eodem modo, aut interpretantur hunc locum. Aquila, & Theodotio, teſte Hieronymo, pro *poſſidebo*, vertunt, *contami- C nabo.* quod ſi ita legas, illud *contaminabo* non ſignificat, quod propriè ſonat, populum videlicet ſordibus inquinatum à Deo, ſed exilio, vitæque genere ærumnoſo, ac ſordido demóſtraſſe illum populum contaminatum eſſe; alioqui durum illud ſupplicium non ſubiturum. Quomodo Iſai. cap.43. dixit idem Deus, *Contaminaui principes ſanctos.* & cap.47. *Contaminaui hæreditatem meam.* Sed optimè vulgatus & Septuaginta conuertunt, ille *poſſidebo*, hi κατακληρονομήσω, id eſt, *hæreditabo.* Quia De⁹ ſuam hæreditatem, aut poſſeſſionem non agnoſcit illam, quam inficit, atque conſpurcat peccatorum olida proluuies. Cùm verò ab ea ſe immunditia purificet, illam Dominus rurſus acci- D pit, ac colit pro ſua; rurſus tuetur, ac munit, cùm priùs tanquam aliquid alienum prædonum manibus pro ſua libidine diripiendum permiſerit. Sanè miſerum eſt animam infectam eſſe peccatorum ſordibus, quam ſi abiicit Deus, & tanquã alienam aliorum voluntati permiſiſſe dicatur, comploſiſſéque manus; cùm victrices inimicorum acies in eius facultates irrumpunt. Et planè deſiderandum valde in expiatoriam tribulationum fornacem includi, quando aliter in Dei poſſeſſionem redire non poteſt, niſi ab illis expiata ſordibus, quas ex immoderatæ vitæ inſtituto contraxit.

Deus contaminatos animos non agnoſcit vt ſuos.

Miſer ſtatus peccatricis animæ.

25. In conſpectu Gentium dicitur poſſidendus E rurſus ille populus, quia Gentes apertè cognouerant repulſum priùs à Deo fuiſſe, cùm à Gentilium gladio concidi, fame confici, ac peſte, ac denique extrema omnia perferre norunt. Pòſt verò ſic accipietur à Domino indulgenter, ac molliter, vt in Domini tutelam, ac fidem rediiſſe idem populi Gentiles intelligant.

26. Verſ.18. *Fili hominis, verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam: omnes iſti æs, & ſtannum,* &c.] Explicat Deus, quænam ſit immunditia illa, de qua ſuprà; à qua purgandum dixerat populum ſuum. Videtur autem prouerbialis apud Hebræos ſpecies, qui in *ſcoria, plumbo, ferro,* aliquid impurum, ac vile ſignificant. Ierem. c. 6. v. 28. *Omnes iſti*

Prouerbiũ, Scoria, & ſtannum pro re vili.

A *Principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs, & ferrum vniuerſi corrupti ſunt.* & Iſai. cap. 1. v. 22. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam.* Et cùm aliquid mundandum eſſe dicitur, tranſlatio ſumitur à fornace, & igne, quibus purgatur, atque examinatur argentum. Iſai. cap. 1. v.25. *Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam.* Ierem. 5. v. 29. *Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum: fruſtra conflauit conflator, malitiæ eius non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos.* Eadem dicendi figura vtitur ſtatim Propheta verſ.20. & 22. Porrò in hac vilium metallorum varietate, varia vitia exprimi putat Theodoretus, quæ tamen illa ſint, non ex- B plicat. Puto illa ſignificari, de quibus ſuprà verſ. 6. Scholiaſtes Græcus ſic metalla animorum variis affectionibus accommodat. *Comparat*, inquit, *æri fortes, ſtanno ſimulantes pietatem, ferro potentes, plumbo graues auaritia, argento iuſtos.*

Aquilæ prima editio, teſte Hieronymo, Hebraicam vocem סיג *ſig*, pro qua vulgatus *ſcoriam*, reddidit στέμφυλον, & γίγαρτον. quod vtrumque acinum vinaceum ſignificat. Quæ explicatio admodum ſignificanter oſtendit vile Iudæorum ingenium, & ſordidos, atque corruptos animos, dulce aliquid, & gratum apparet in racemo, qui & oculos capit, & palatum oblectat; tales ſeſe venditabant, aut fingebant Iu- C dæi, qui ſuam Synagogam, & Gentem ſæpius norint à Domino appellari vineam. Sed erant non tam botri, quàm acini vinacei, in quibus ſuccus eſt nullus, quem exprimat hominum neceſſitas, ſed lapidoſa ſunt, & arida grana, ad pecorum potius pabulum, quàm ad hominum menſam. Tales omnino ſunt peccatores, qui cùm ſe aliquid eſſe ſibi fallaci aſſentatione blandiantur, nihil ex ipſis aut alij, aut ipſi commodi decerpunt. 27.

Prouerbiũ, acinus vinaceus pro re vili.

In medio fornacis ſcoria argenti facti ſunt.] Explorat fornax quod in argento, & auro ſyncerum eſt, ac nobile; & quod in eo admixtum eſt alieni, vilioris ſcilicet metalli. Hic autem populus D ab argentea patrum puritate ſic degenerarat, vt non in illo argenti ſplendorem, & pretium, ſed vilem ſcoriæ fuliginem, & atrocem inuenias. Subauditur autem hìc ſimilitudinis nota in hãc ſententiam: Quemadmodum ſi vile, aut ſimulatum argentum in fornacem coniicias, vilem tantùm, ac futilem ſcoriam inuenies; ſic ſi iſtius populi vitam, & mores ad verum, & durum examen aduoces, deprehendes omnia prorſus fucata; & quæ argentum videbantur ſyncerum, & purum, nihil habere omnino præter ſcoriam. 28.

Fornax tribulationis vitæ probatio.

Verſ.19. *Propterea ecce ego congregabo vos in medio Ieruſalem, congregatione argenti, & æris, & ſtanni,* 29.
E *& ferri, & plumbi in medio fornacis.*] Fecit Dominus, quod facit argentarius, dum probare vult argentum, & ab illo ſordes, & ſi quid alieni metalli confuſum eſt, excoquere. Atque ideo fornacem, & conflatorem, ſeu probatorem quæſiuit, illum in medio conſtituit Hieroſolymæ, illum ex Babylonicis finibus accerſiit. Neque defuit expiatoria, aut conflatoria vis, & apta ad illud opus inſtrumenta. Adhibuit quippe Dominus Babylonicum gladium, famem & peſtem; & ardentes faces, quibus ad extremum quicquid erat in ciuitate pretij, conſumptum eſt. Hic rurſus nota ſubauditur comparationis, in hanc ſententiam. Sicut argentarius conflator congregat, & in fornace eliquat, & purgat

Fornax tribulationis expiat.

argentum adhibito igne, quem crebrò accendit, & excitat flatu: sic ego ad eius similitudinem congregabo vos, & in duro tribulationum camino liquefaciam, quo sordes excoquam, & rubiginem; quibus estis obducti. Reliqua ad versum vsque 24. huc spectant; neque explicatione indigent, quia eandem sententiam sæpius iterant, & amplificant.

30. Vers.20. *Et requiescam, & conflabo vos.*] Quieturum se dicit Dominus, cùm impurum illud argentum in expiatoria fornace conflauerit; quia ira grauiter excruciat æstuantem animum, vritque non secus atque fornax coquit, atque liquat argentum; tunc autem requiescit animus ardens furore, cùm vindicta sumpta, furor ille deferbescit, & considet. Quare Deus sæpe requiescere se dicit, aut leuamentum accipere, cùm dolorem suum, aut iniuriam vlciscitur, hoste mulctato. Isai.cap.1. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis!* Deuter.18. *Sicut antè lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vósque multiplicans; sic lætabitur disperdens vos, atque subuertens.* & Ezechiel suprà cap.5. *Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolationem accipiam.* In hanc sententiam exponit Hieronymus, qui paucis huius loci summam optimè complectitur. *Ita*, inquit, *congregabo vos in medio Ierusalem, & Babylonis obsidione circumdabo, vt succendam in vobis ignem ad conflandum; quódque ibi facit flammarum ardor immensus, id fames, & pestilentia faciet. Et tunc requiescam, & contentus dolorem*
31. *pœnarum vestrarum vltione compescam.* Et hæc mihi sententia omnino probatur. Neque incommodat quod Thren.3.v.33. legis. Non enim *humiliauit ex corde suo* (hos nempe, de quibus hîc sermo) *& abiecit filios hominum.* Et cap.1.v.13. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Quoniam Scriptura sæpe humanos Deo sensus, & affectus, attribuit, de illo humano loquitur modò. Quare illi dubitationem dat, dolorem, & pœnitentiam, quæ à Deo quàm longissimè absunt, quia in eiusmodi rerum euentibus dubitare homines solent, dolere, atque compungi pœnitentia.

Deus interdum humanos affectus videtur assumere.

Neque tamé videtur improbabile, quod putat Maldonatus, quieturum videlicet Dominum, cùm populum illum in ea conflauerit, purgarítque fornace; id est, cessaturam esse manum à supplicio. Et reuera ita contigit: nam mitiorem se Deus in illum populum præbuit, ex quo illum de ferrea fornace Babylonis extraxit.

32. Vers.24. *Fili hominis, dic ei: Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris.*] Refert se iterum Propheta ad ostendendas sordes illas, quæ diuturna incuria Iudæorum moribus inoleuerunt, vt probet, quanto suo merito subire debeant fornacem illam, quæ non aliter liquefaciet, & soluet ab omni impuritate concretos ciues, quàm fornax adulteratum argentum, & vilium metallorum commixtione corruptum. Quid verò sibi velit illud, *& non compluta*, obscurum est, neque eodem ab omnibus explicatur modo. Pradus allusum esse putat ad locum Deut. cap.21. vbi vitula occidi iubetur in aspera, atque saxosa valle, quæ neque sementem recepit, neque ad latum vnquam arata est. Hanc verò immundam esse putat, & ideo indignam quam cœlestis irriget, atque fœcundet pluuia; sicut montibus Gelboë, vbi ceciderunt fortes Israel, sic imprecatus est Dauid, *Nec ros, nec pluuia venient super vos; neque sint agri primitiarum*, 2. Reg. cap.1.v.21. Acutè hæc Pradus, licèt accommodatio paulo durior.

Maldonatus, & Vatablus punitum esse credunt immundum illum populum, agrorum siti: 33.
quod sub hæc tempora contigisse docet Ieremias cap.3.v.3. *Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit.* & cap.14.v.4. *Propter terræ vastitatem quia non venit pluuia in terram, confusi sunt agricolæ.* Et hoc ipsum propter populi peccata etiam accidisse postquam in vrbem exules ab exilio remigrarunt, docet Zacharias cap.10. & Aggæus cap.1. Et quidem hoc supplicium minatur peccatori Deus Deut. cap.11.v.16. *Cauete ne fortè decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino, seruiatísque diis alienis, & adoretis eos, iratúsque Dominus claudat cœlum, & pluuia non descendant.* Et Isai. cap.5.v.6. *Et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Hæc mihi explicatio neque aliena videtur à textu, neque ab historica fide, & fauet Septuaginta translatio, qui ita vertunt, *Tu es terra non irrigata, neque pluuia facta est in te in die iræ.*

Pluuiæ defectus peccati pœna.

Theodoretus hîc metaphoricam agnoscit pluuiam; oracula nempe Prophetarum, à quibus, neque irrigata, neque compluta dicitur infelix illa terra, quam hîc squalentem vocat, seu immundam. Vt enim fert tam sacræ, quàm humanæ literaturæ consuetudo, quod successum non habuit, quem optabas, factum negatur. Quomodo si cuipiam medicina nihil ad valetudinem contulit, abfuisse dicitur medicina; & si quis alterius monitis obsequutus non est, negatur datum esse consilium. Cùm ergo in homines attritæ frontis, & ferreæ ceruicis nihil perfecissent prophèticæ siue promissiones, siue minæ, quia ipsi in scelerata vita obstinato consilio perstiterunt, descendisse negantur propheticæ voces, quæ, quasi cælestis imber, in sitientes agros illabi debuere. Vt enim saxa quantumuis alluantur à flumine, aut pluuialibus operiantur aquis, non dicuntur rigata, seu compluta; quia neque humorem bibunt, neque saxei illi sinus ad satus disponuntur: sic quia à Prophetarum oraculis nihil ad bonam frugem accepere Iudæi, iure à prophetica pluuia negantur esse compluti. 34.

REGVLA. Quod inutile est factum esse negatur.

Inspiratio quando inutilis.

Verumtamen placet multo magis, quod cum Hieronymo sentiunt complures alij, in hac allegoria de immunda terra, neque compluta significari illud idem, quod proximè in argenti scoria, in stanno, ac plumbo, quæ conflanda dicuntur in fornace. Vt enim in illo fucato argento, quod vilium metallorum plurimum admixtum habet, nihil est pretiosum, nihil syncerum, quod ad nobilem aliquem vsum adhibeas, & in eo, vt diximus, multorum vitiorum symbola notata sunt. Sic in terra immunda, quæ nullum accepit imbrem de cœlo, multorum sunt peccatorum imagines, quæ deinde singulatim Propheta commemorat. Audi Hieronymum. *Quod ibi sub persona vrbis, & fornacis expressum est, & hic sub specie terræ, quæ non sit irrigata, neque pluuiam susceperit, prædicatur.* Et statim, *Scire cupimus, quæ sit vrbis scoria, qui terræ durissimæ, & plenæ veprium, sentiúmque squalor. Coniuratio*, inquit, *Prophetarum in medio tui*, &c. Videmus in sylua, aut in inculta terra, nihil esse quod ames; multa, quæ fastidias, & horreas velut asperum, ac senticosum solum, ferarum lustra, vbi leones fremunt, rugiunt vrsi, vlulant nocturnæ, atque inauspicatæ volucres; squalent denique, atque efferantur omnia. Hæc multorum vitiorum symbola sunt, quæ tunc in Iudæorum republica vigebant, quæ exposita fuere nuper, & 35.

& nunc iterum eadem exponentur.

56. Hæc mihi posterior expositio omnium probatur maximè; sed tu vide an etiam expositioni quintæ locus esse possit. Duo pluuiarum genera esse diximus, & olim ad illud Zachariæ cap.10. *Et pluuias imbris dabit eis.* & nuper cap.20. Ezechielis, ad illud, *stilla ad Aphricum*, alterum sedatum, & mite quod fœcundat, & exhilarat terram, alterum procellosum, & horribile, quod nimbus appellatur, quódque cum fulgure descendit, & fulmine, quod obuium, quódque subuertit, & dissipat, quod sternit sata læta, boúmque labores: & ita hic imber pro quocumque sumitur infortunio; quo sensu dixit Daniel c.9. *Stillauit super nos maledictio.* 2.Paralip.cap.12. *Non stillauit furor meus super Ierusalem.* Talis fuit imber, qui postea strauit vrbem, ac perdidit; de quo Ezechiel suprà cap.13.v.11. *Erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem.* Similem procellam habes apud Ieremiam cap.47.v.2. Iuxta hæc, si hoc pluuiæ genus intelligas procellosum, sensus iste videtur esse posse non alienus. Immunda est ciuitas, dignaque fulmine, quod cum imbre turbido, & procelloso vibratur, neque tamen compluta est: id est, in illam nondum stillauit diuinus furor. Quid igitur reliquum; vt tam tandem indignationis meæ stillet inimicus imber. Hanc explicationem propono potius, quàm suadeo.

Pluuiarum duo genera, alterum à beneuolo, alterum ab irato Deo.

57. Vers.25. *Coniuratio Prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens, rapiénsque prædam.*] Omnes persequitur ordines tam sacros, quàm profanos, tam summos, quàm infimos, & ab illorum nullo docet abesse culpam. Incipit primùm à pseudoprophetis, qui eò videntur omnes conspirasse, vt populum seducant, & omnino perdant. Dum enim fallaci spe quietis, & pacis blandiuntur populo, verorúmque Prophetarum oraculis reiectis, qui exilium minabantur, & cædem, nugaces suas promissiones obtrudunt, suadéntque, id effecerunt, quod leones de sylua: compleuerunt namque ciuitatem cadaueribus, ipsámque spoliandam Chaldæorum auaritiæ tradiderunt. Sacer-

Peccata ciuium in stragem ciuitatis coniurant.

A dotes, quorum fidei, ac curæ credita fuerat legum, religionísque custodia, neque vllum habent inter profana, sacraque discrimen; neque secernunt à syncero pollutum; neque quicquam habent pensi violetúrne sabbati religio, an diuini nominis maiestas inquinetur. Principum verò ciuitatis, quorum auctoritas, atque potentia maior, eò spectabat studium, vt ex aliorum cædibus sibi pararent lucra, lupino planè ingenio, voraci nempe, & prædarum auido.

Vers.28. *Prophetæ autem eius liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & diuinantes eis mendacia.*] Cùm Prophetæ veri toties occursarent Principibus, & minacibus vaticiniis illorum aures, & publici conuentus quotidie personarent; B non poterant illorum animi quantumcumque flagitiis assueti, non commoueri; & sæpius pulsati aliquãdo labascere. Sicut murus sæpius verberatus ab ariete cõcutitur, & à sua firmitate deficiens rimas agit, neque procul abest à ruina; sic Principum animi crebro Prophetarum pulsu fatiscebant, & in priori consilio nonnihil vacillabant. Fecerunt tamen pseudoprophetæ, quod improbi, atque fallaces architecti, qui ruinosæ domus ruinas obstruunt leui quodam tectorio; quod securum reddit habitatorem à metu, non tamen à periculo. Fallaci enim promissione confirmarunt animos in sua obstinatione vacillantes; quæ promissio id præstabat contra imminentem Chaldæorum exercitum, quod incumbenti, ac fatiscenti muro tectorium è luto sine paleis, C ac temperamento hîc subaudi similitudinis formam, in hunc modum, sicut nihil præstat ruituro parieti leuis è luto incrustatio; sic neque mendax pseudoprophetarum fucus. 38.

Falsorum prophetarũ oracula falsam securitatem inducunt.

Hæc quæ sequuntur ad finem vsque capitis, & hoc è luto tectorium, ac fucatum opus, tractata sunt eodem propè ordine cap.13. De luto absque temperamento à versu decimo: de eo, quod nemo fuit, qui sæpem interponeret, à versu quinto. Quid sit populus terræ, diximus suprà in fine cap.7. neque aliquid est nouum, quod addamus. Hæc de capite 22.

IN CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

ARGVMENTVM.

SVB duarum meretricum allegoria Ierusalem, & Samariæ sceleratum viuendi genus ostendit. Appellat autem Samariam, in qua decem intelliguntur tribus Oollam: Ierusalem verò, id est, duas alias tribus Oolibam. Hæ verè dicuntur Sorores, quia ex eodem genere prognatæ. Quæ fornicari cœperunt, id est, Gentilium colere simulacra ab ætate etiam puellari, quo tempore apud Ægyptios commoratæ sunt. Neque tamen postea institutum ab adolescentia viuendi genus abiecere; sed eodem furore in metaphoricam illam libidinem prurientes, non solùm Deos, quos habuere obuios in Gentilium prouinciis coluerunt; sed etiam quos nondum viderant, sed fama tantùm, aut ex pictura norant, ad prostitutum torum aduocarunt. Quia inuerecundiùs priùs se gesserat Oolla, id est, decem tribus, quæ apertè à vero Deo ad Gentium idola defecerat, illam etiam priùs exilio, & seruitute mulctauerat: ex qua discere poterat Ooliba, id est, Ierusalem quid sibi metuendum esset, si iisdem vellet insistere vestigiis. Quare cùm alieno supplicio nihilo foret melior, talia illi Deus minatur à Chaldæis, qualia soror Samaria tulerat ab Assyriis. Quàm verò in metaphoricam

phoricam illam libidinem impotenter exarserit Ierusalem, multis modis amplificat, dum peregrinos deos non minori studio exceptos esse dicit, quàm ab sponsa in nuptiali luxu sponsus excipitur. Porrò caput hoc elegantissimum est, & ad rem moralem accommodatum maximè.

CAPVT XXIII.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:*

2. *Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt,*

3. *Et fornicatæ sunt in Aegypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt: ibi subacta sunt vbera earum, & fracta sunt mammæ pubertatis earum.*

4. *Nomina autem earum, Oolla maior, & Ooliba soror eius minor: & habui eas, & pepererunt filios & filias. Porrò earum nomina, Samaria Oolla, & Ierusalem Ooliba.*

5. *Fornicata est igitur super me Oolla, & insaniuit in amatores suos, in Assyrios propinquantes,*

6. *Vestitos hyacintho, principes, & magistratus, iuuenes cupidinis, vniuersos equites, ascensores equorum.*

7. *Et dedit fornicationes suas super eos electos, filios Assyriorum vniuersos: & in omnibus in quos insaniuit, in immunditiis eorum polluta est.*

8. *Insuper & fornicationes suas, quas habuerat in Aegypto, non reliquit: nam & illi dormierunt cum ea in adolescentia eius, & illi confrege*

PARAPHRASIS.

A 1. ALium rursus à Domino sermonem accepi.

2. Fili hominis, Israelitici generis progressum, & mores in hac symbolica rerum imagine cognosce. Duæ fuerunt fœminæ, quas vna, eadémque mater suscepit, & aluit.

3. Hæ verò sorores cùm inter Gentes in Ægypto morarentur, Gentilicum in morem cum idolis fornicatæ sunt; ibi vbera, quæ vbi illibatus est in virginibus pudor, dura sunt, & erecta, subacta primùm fuerunt, & languida, quod tunc plerumque solet accidere, cùm ætas est iam matura coniugio. B

4. His porrò sorores illæ nominibus vocatæ sunt: maior, in qua significatur Samaria, & in illa decem tribus, quæ secutæ sunt Ieroboam, dicebatur Oolla: iunior verò Ooliba, in qua Ierusalem exprimitur, & in ea duæ tribus, quæ generi adhæsere Dauidico; quas mihi coniugali fœdere sociaui, & mihi sobolem peperere numerosam.

5. Et Oolla quidem ita se gessit impudenter, vt cùm videri vellet me suum sibi virum agnoscere; adulteros tamen in lectum, quem mihi castum seruare debuit, C aduocaret, eo amore instimulata, & ardens in suæ pudicitiæ vexatores, vt non tam illos deperire, quàm in eos insanire videretur. Sic sanè animata fuit in Assyrios, quibus cum vt fœderis fuit, sic etiam vt sacrorum societas esset, studebat.

6. Ideo verò præter cæteros amabat Assyrios, quia in illis aliqua apparebant blandimenta libidinis. Addebat namque pulchritudinis aliquid hyacinthinus color, & quæ à principe loco, & à publico magistratu, atque ordine splendet maiestas. Accedit quòd ætate erant iuuenili, & D ad Venerem excitandam idonea; quíque equos ascendunt, & equestri delectantur studio.

7. Quare amatores Assyrios secuta est, & suam cum illis libidinem expleuit, in quorum priùs amorem exarserat; & ex eorum concubitu sordibus se peregrinis inquinauit.

8. Hos autem amatores nouos non ità quæsiuit, & admisit vt fastidiret antiquos: succubuit enim Ægyptiorum libidini, quibus

fregerunt vbera pubertatis eius, & effuderunt fornicationem suam super eam.

9. Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insaniuit libidine:

10. Ipsi discooperuerunt ignominiam eius, filios & filias eius tulerunt, & ipsam occiderunt gladio: & factæ sunt famosæ mulieres, & iudicia perpetrauerunt in ea.

11. Quod cùm vidisset soror eius Ooliba, plusquam illa insaniuit libidine: & fornicationem suam super fornicationem sororis suæ.

12. Ad filios Assyriorum præbuit impudenter, ducibus & magistratibus ad se venientibus indutis veste varia, equitibus qui vectabantur equis, & adolescentibus forma cunctis egregia.

13. Et vidi quòd polluta esset via vna ambarum.

14. Et auxit fornicationes suas: cùmque vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus,

15. Et accinctos balteis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omniũ, similitudinem filiorum Babylonis, terræq; Chaldæorum, in qua orti sunt,

16. Insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum, & misit nuncios ad eos in Chaldæam.

17. Cùm

A bus assueuerat olim in ætate adhuc puellari, & molli; & à quorum congressu subactas retulit, & violato pudore fractas, atque languentes mammas. Hi verò rursus cum illa ad satietatum vsque libidinati sunt.

9. Idcirco illorum manibus, ac potestati constrictam tradidi, quorum ipsa priùs animos illecebris captarat, potestati, inquam, Assyriorum, in quorum ipsa amorem impotenti ferebatur libidine.

B 10. Ipsi Oollam, quam priùs immoderata oppresserant libidine, aliis postea modis oppressere quàm plurimis: nam ipsam in turpem compegere seruitutem, vbi vitam breui, atque inhonesto habitu duram egit, & sordidam; filios eius, & filias abstulerunt secum, ac ipsa denique postea gladio sublata fuit. Duæ tandem hæ sorores sic sunt suis nobilitatæ flagitiis, ac malis, vt nomen apud alios ex scelere, atque ignominia traxerint; quia iudicium ignominiosum, & graue ad illorum puniendum scelus decretum est.

C 11. Cur verò Ooliba quoque apud nationes alias famosa fuerit, ea ratio fuit, quia cùm in sororis suæ Oollæ capite periculum facere debuisset; maiori tamen quàm illa libidine pruriit.

12. Se etenim magis quàm soror impudenter Assyriorũ libidini prostituit. Principibus videlicet, & his qui cum potestate publicum obibant magistratum, & quicumque cum veste pretiosa, & varia ad illam accederent, qui equis veherentur, &

D equestribus delectabantur studiis; qui denique in adolescentia formam elegantem, aut in quibus aliqua essent blandimenta libidinis.

13. Et vidi vtriusque vitam, & mores eodem modo fuisse polluta.

14. Et in eo fuit sorore intemperantior, quòd Oolla eorum consuetudinem ambiuit, quos antè nouerat; Ooliba autem cùm nomen tantùm audiisset, aut descriptas in pariete Chaldæorum vidisset imagines, in illorum statim libidinem exarsit.

E 15. Tales autem erant in pariete descripti Babylonij, quales spectari solent in acie, accincti videlicet ferro è balteo dependente, cum tiaris non naturali, & proprio, sed alieno colore conspicuis, qualia esse solent in ea regione Imperatorum, ac Principum insignia.

16. Tunc verò per oculos irrupit in animum cum Chaldæorum formis furor quidam, & rabies amatoria. Vnde ortum est, vt dimissis in Chaldæam nuntiis, illorum vsum, & consuetudinem ambierit.

17. Cùm

17. Cúmque venissent ad eam filij Babylonis ad cubile mammarum, polluerunt eam stupris suis, & polluta est ab eis, & saturata est anima eius ab illis.

A 17. Cúmque amatores illi Babylonij ad eius complexum aduolassent, neque sibi ad libidinem aliquid aut clausum, aut arduum inuenissent, amatorium inire lectum, illáque nefario, atque multiplici concubitu polluta suam tandem libidinem expleuit.

18. Denudauit quoque fornicationes suas, & discooperuit ignominiam suam: & recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea à sorore eius.

18. Neque vim vllam passa est inuita, quod honestis aliquando accidit; sed vltrò ipsa pudorem, quem venalem habuit, & ignominiam nudauit Chaldæorum petulantiæ. Tunc verò cùm publicum
B instituisset lupanar, recessi ab illa, eadem offensione ac modo, quo ab eius sorore antè recesseram.

19. Multiplicauit enim fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Aegypti.

19. Ad fornicationes illas, quas apud Ægyptios olim exercuerat, alias nunc addidit eius generis, vt in memoriam reuocaret, quas antea in ætate puellari commiserat.

20. Et insaniuit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt vt carnes asinorum: & sicut fluxus equorum, fluxus eorum.

20. Rabie etenim amatoria illorum appetebat consuetudinem, qui in omnem se libidinem effusè, atque immoderatè
C profundunt, quos in eo genere in asinorum, atque equorum numero non immeritò deputes.

21. Et visitasti scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Aegypto vbera tua, & confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ.

21. Renouasti igitur, & quasi regustasti flagitia iuuenilis ætatis, Ooliba, quando primùm ignominiam tuam aliorum libidini nudasti, quando subactæ sunt, & fractæ mammæ, tempore videlicet illo, quo cum pubertate aduenit ad opus illud meretricium sua quoque maturitas.

22. Propterea Ooliba, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua: & congregabo eos aduersum te in circuitu.

22. Propterea hæc ad te, ô Ooliba, dicit Dominus: Ecce ego excitabo, atque
D armabo contra te eos, quos molliùs ad tuum complexum ambiisti; & quorum congressu libidinem tuam præter omnem modum prurientem explesti, qui vndecumque locorum congregati obuallent te in circuitu, & funditus exscindant.

23. Filios Babylonis, & vniuersos Chaldæos, nobiles, tyrannósque & principes, omnes filios Assyriorum, iuuenes forma egregia, duces & magistratus vniuersos, principes principum, & nominatos ascensores equorum:

23. Excitabo, inquam, atque armabo contra te, qui Babyloniæ sunt, & in tota Chaldæa latè diffusi; quotquot in vasto Assyriorum imperio Principes sunt, nobiles, aut cum potestate: eos etiam, qui forma sunt egregia, qui publica obeunt in re-
E publica munera, quíque pro sua auctoritate Principibus præsunt, viri fama celebres, qui ex equestri sunt ordine, & equos ascendunt.

24. Et venient super te instructi curru & rota, multitudo populorum: lorica, & clypeo, & galea armabuntur contra te vndique: & dabo coram eis iudicium, & iudicabunt te iudiciis suis.

24. Hi ergo contra te venient cum ingenti multitudine, omníque instructu militari; in curribus, quos volubiles agent rotæ, lorica, galea, clypeóque muniti; quibus liberam de te iudicandi, agendíque facultatem permittam.

25. Et ponam zelum meum in te, quem exercent tecum in furore: nasum tuum, & aures tuas præcident: & quæ remanserint, gladio concident:

25. Sumam autem de te, per illos, quos ad infidelem, & pollutum lectum aduocasti, pœnas, quas ab adultera de more sumit

cident: ipsi filios tuos, & filias tuas capient: & nouissimum tuum deuorabitur igni.

A mit zelotypus sponsus. Qui furore accensi aures tibi præcident, & nasum (Regem nimirum, Sacerdotes, & iudices;) reliquos verò gladio tollent: filios tuos, ac filias hostili capient manu, duræque alligabunt seruituti: ad extremum denique templum incendio vastabitur.

26. Et denudabunt te vestimentis tuis, & tollent vasa gloriæ tuæ.

26. Spoliabunt te vestimentis tuis, quibus ad nuptiales luxus, & geniales delicias ornabaris; gloriosamque te aliorum oculis ostentabas.

27. Et requiescere faciam scelus tuum de te, & fornicationem tuam de Terra Aegypti: nec leuabis oculos tuos ad eos, & Aegypti non recordaberis amplius.

27. Efficiam autem, dum te abscisso naso, atque auribus deformauero, aliaque abstulero irritamenta libidinis, ornamenta nempe, quæ in mundo continentur muliebri, vt iam tandem ab opere cesses meretricio, quod apud Ægyptios olim institueras. Neque deformatam faciem auribus mutilatam & naso leuare iam amplius audebis, aut oculos lenonios subire. Quare non iterum fedibis ad illas meretricias sordes, quas in Ægypto in adolescentia non horrueras.

28. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego tradam te in manus eorum, quos odisti, in manus, de quibus satiata est anima tua.

C 28. Hæc ad te Dominus: Eô redigam te, Ooliba, vt venias in illorum potestatem, quos odio tandem graui prosecuta es; quorum consuetudine magis, quàm decebat familiari profundam animi tui libidinem satiasti.

29. Et agent tecum in odio, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudam, & ignominia plenam; & reuelabitur ignominia fornicationum tuarum, scelus tuum, & fornicationes tuæ.

29. Illi enim aut mutato animo, aut deposita larua, quæ amorem, & societatem simulabat, spiritu tecum agent hostili. Quare quicquid longo tibi labore antè quæsieras, auferent abs te, relinquéntque nudam, & ignominiæ plenam. Tunc se planè prodent fornicariæ sordes, & scelera, quæ in tenebris aliquandiu latuerant, in
D lucem iam publicam, & hominum oculos emergent.

30. Fecerunt hæc tibi, quia fornicata es post Gentes, inter quas polluta es in idolis earum.

30. Hæc verò ideo passa es; quia relicto Deo, quo cum antea nuptiale fœdus inieras, lectum, qui tibi castus, & purus seruari debuit, omnium populorum libidini exposuisti, id est, alienam religionem complexa, gentilicis te sordibus inquinasti.

31. In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem eius in manu tua.

31. Cùm autem sororis tuæ, ô Ooliba, vestigiis inhæseris, non est cur meliùs de te aut speres aut cogites. Bibes enim de
E calice, qui propinatus est sorori tuæ, neque minus largiter, neque magis benignè.

32. Hæc dicit Dominus Deus: Calicem sororis tuæ bibes profundum & latum: eris in derisum, & in subsannationem, quæ est capacissima.

32. Hæc rursus ad te Deus: Bibes, ô Ooliba, calicem, qui tuæ olim sorori propinatus est, qui sanè profundus erit: quia in eum plurimum infundetur absynthij: erit item latus, quia in multos annos amarus ex eo potus producetur. Confusio verò, ac subsannatio multo erit profundior, & latior, quia diutius producetur, & longè

33. Ebria erit

A erit grauior, quàm quodlibet aliud infortunium.

33. *Ebrietate, & dolore repleberis: calice mœroris, & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ.*

33. Tantum ex eo calice potabis, vt inebrieris & doleas vehementer; mœror tibi, atque tristitia in illo propinabitur: neque alius erit calix quàm ab illo, quem hausit ante te soror tua Samaria.

34. *Et bibes illum, & epotabis vsque ad feces, & fragmenta eius deuorabis, & vbera tua lacerabis: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.*

34. Bibes igitur è calice, atque ita bibes, vt de ipsius quoque fundo, id est, de fæcibus haurias; ita vt de propinato tibi calice nihil sit, quod non exsorbeas; atque adeò ipsa etiam fragmenta calicis de-B uoranda sunt. Tunc verò ab ipsis vberibus, quæ amatorum manibus subacta fuerant, pœnas sumes acerbas; illa etenim lacerabis, ac deformabis vnguibus præ dolore. Neque his minis pondus aberit, quia ego Dominus locutus sum.

35. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum, & fornicationes tuas.*

35. Propterea hæc dicit Dominus; quia mei memoriam, immò & meipsum post tergum abiecisti, portabis durum supplicij pondus, quod tua tibi scelera, & fornicariæ sordes imposuerant.

36. *Et ait Dominus ad me, dicens: Fili hominis nunquid iudicas Oollam, & Oolibam, & annuncias eis scelera earum?*

C 36. Post hæc iterum ad me Dominus: Quin tu, ô Ezechiel, iudicas Oollam, & Oolibam, & quid ab illis peccatum sit, quàm primùm exprobras?

37. *Quia adulteratæ sunt, & sanguis in manibus earum, & cum idolis suis fornicatæ sunt: insuper & filios suos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad deuorandum.*

37. Hæc illis obiicies, exprobrabísque; quia iteratis adulteriis, & datam sponso fidem, & torum legitimum prodiderunt; quia sanguine stillant impuræ manus; quia Gentium idolis diuinos impenderunt honores; quia filios suos, qui mei esse debuerunt, illis mactandos, ac deuorandos præbuerunt.

38. *Sed & hoc fecerunt mihi: Polluerunt sanctuarium meum in die illa, & sabbata mea prophanauerunt.*

D 38. Hæc quidam studiosè, & alacriter erga alienos Deos; longè tamen aliter erga me. Templum enim meum, ac domum meo sacratam nomini exoticis sordibus fœdarunt, polluerúntque: neque magis curarunt Sabbati religionem, quàm si dies esset omni ex parte profanus.

39. *Cúmque immolarent filios suos idolis suis, & ingrederentur sanctuarium meum in die illa vt polluerent illud: etiam hæc fecerunt in medio domus meæ.*

39. Et eo ipso tempore post sceleratas illas, & crudeles victimas inaniũ Deorum simulacris oblatas, tẽplum meum ingressæ illud polluerunt: immò in ipso etiam templo nefariis sacris operatæ sunt.

40. *Miserunt ad viros venientes de longè, ad quos nuncium miserant: itaque ecce venerunt: quibus te lauisti, & circumlinisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri.*

E 40. Neque satis habuerunt ad meretricium admisisse cubile illos, qui vltro ipsarum concubitum ambirent; sed etiam eos, qui procul aberant, dimissis hinc inde legatis ad meretricium opus asciuerunt. Neque ipsi diu traxere expectationem tuam, quorum oculos, ô Ooliba, vt specie caperes, & ad tui desiderium magis alliceres, adhibuisti tibi fucatæ medicamenta pulchritudinis. Munditiem enim tibi, atque suauitatem ex aquis odoratis conciliasti; stibio pinxisti, atque hilarasti oculos, & quotquot in mundo muliebri

40. *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te: thymiama meum, & vnguentum meum posuisti super eam.*

A numerati solent deliciæ, assumpsisti.

41. Et vt liberaliter, ac lautè amatores exciperes, accubuisti in triclinari lecto, quem pulcherrimis antè tapetibus strauera s. Adhibuisti præterea mensam & ornatam mirificè, & instructam luculenter; & quod à me thymiama, & vnguentum acceperas, ad amatores tuos impudens æquè, atque ingrata contulisti.

42. *Et vox multitudinis exultantis erat in ea: & in viris, qui de multitudine hominum adducebantur, & veniebant de deserto, posuerunt armillas in manibus eorum, & coronas speciosas in capitibus eorum.*

42. Ad ornamenta mensæ, delicataque fercula ne quid in illo geniali conuiuio siue ad dignitatem, siue ad voluptatem deforet, lætam adhibuisti, multiplicémque symphoniam, ita vt aures etiam illorum permulceret, qui rustica, ac vili multitudine de deserto venerat. Neque manibus illorum defuerunt armillæ; neque capitibus coronæ ab impuris illis adulteris in illud tempus præparatæ; vsque eò progressus est profligati pudoris væsanus stupor.

43. *Et dixi ei, quæ attrita est in adulteriis: Nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc.*

43. Et dixi de ea, quæ assidua adulterorum vexatione non solùm speciem, & vires; sed etiã corpus amisisse videbatur. Hæccine vt fornicari adhuc velit? vsqueadeo attritæ frontis est, vt emortuo iã corpore, adhuc tamen in libidinem pruriat?

44. *Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem: sic ingrediebantur ad Oollam, & Oolibam, mulieres nefarias.*

44. Et sicut scortatores liberè ad meretricium lupanar ingrediuntur, vbi pudorem vident esse vænalem; sic obscœna, & ignobilis turba ad Oollam, & Oolibam nefarias sorores, tanquam ad prostitutas ingrediebatur.

45. *Viri ergo iusti sunt: hi iudicabunt eas iudicio adulterarum, & iudicio effundentium sanguinem: quia adulteræ sunt, & sanguis in manibus earum.*

45. Aderunt ergo viri, qui de harum meretricum flagitiis iustè iudicẽt, & quod decretum fuerit de illarum intemperãtia supplicium constanter exigant. Quia verò illæ non tantùm adulteriis pudicitiam, sed etiam sanguine manus polluerunt, adulterarum simul, atque homicidarum pœnam sustinebunt.

46. *Hæc enim dicit Dominus Deus: Adduc ad eas multitudinem, & trade eas in tumultum, & in rapinam:*

46. Hæc item ad me Dominus: Prædic, ô Ezechiel, adducendas esse adulteras hasce, & sanguinarias sorores ad populũ, qui in illas tumultuario impetu non aliter irruent, quàm ad rapinam, & prædam.

47. *Et lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladiis eorum: filios & filias earum interficient, & domos earum igne succendent.*

47. Duo in his sororibus deprehenduntur scelera, adulterium, & cędes: quare vt legitimo puniuntur supplicio, prædic à concitata multitudine lapidibus & gladio fore conficiendas, quæ eò vsque hostilem in modum infensa bacchabitur, vt filios etiam, & filias interficiat, & domus item diro absumat incendio.

48. *Et auferam scelus de terra, & discent omnes mulieres ne faciant secundùm scelus earum.*

48. Cùm graue scelus illud supplicio mulctauero, alia quoque auferentur scelera, quæ ex tanto illo scelere, si impunitum foret, oriri posse videbãtur. Ex earũ nãque supplicio discent mulieres alię, quã sibi nõ expediet similẽ viuendi rationẽ instituere.

49. Et

49. Tunc

49. Et dabunt scelus vestrum super vos, & peccata idolorum vestrorum portabitis: & scietis quia ego Dominus Deus.

49. Tunc autem viri illi, qui in vestra causa futuri sunt iudices, imponent vobis illud supplicij genus, & modum, quod sceleris natura poscebat; eius præsertim sceleris, quod in nefario idolorum cultu commisistis. Tunc verò cognosceris me Deum esse, quem abiecistis, cùm minarum fidem certus probet euentus.

Vers. 2. *Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt.*]

1. GENTIS Israëlitidis, quæ quondam vnus populus fuit, deinde verò in duas partes distracta est, & status varios, & varia, eaque infanda scelera commemorat. Vt autem persæpe aliis symbolis, ac hieroglyphicis vtitur Propheta, sic etiam hoc loco, vbi in duabus fœminis populos duos, ex vna ortos stirpe; pòst verò vicissim à se dissectos exprimit. Notum est vno Iacob duodecim extitisse filios, à quibus totidem ortæ sunt familiæ, siue tribus, ex quibus & nomen, & genus Israëliticum propagatum est. Hæ diu vixerunt sub vno principe, ac duce simul; studiis, atque animis consentientibus, quamdiu vixerunt in Ægypto, priùs quidem in magna apud externos gratia, & rerum omnium abundantia; pòst verò despectæ ab omnibus, & tyrannicum in modum in sordidam, ac duram seruitutem redactæ. Et deinde in longo per solitudinem progressu, ac tandem in promissa terra, donec sub Roboam dissensere priùs conformes animi, & in duos populos, ac in duas propè religiones abierunt.

Gens Israëlitica in duos quasi populos diuisa.

2. Hæc modò in duabus fœminis indicat Propheta, quæ ex eadem matre dicuntur esse natæ, id est, ex eodem fonte, seu stirpe prodierunt, ex vno videlicet patre; licèt non omnes ex eadem matre: quia ex Iacob, seu Israëlis filiis alij ex Lia, alij ex Rachel, alij ex Zelpha, ex Bala alij nati sunt. Ex eadem tamen matre dicuntur orti, quia genus quocumque consideres modo, siue actiuè se, siue passiuè habeat, mater vocatur, vnde matris nomen terræ damus; item arboribus, & plantis. Plinius lib. 12. cap. 5. Superiores eiusdem rami excelsum emicant, syluosa multitudine, vasto matris corpore. Virgil. lib. 12. Æneid. de Regis Latini sceptro ex arboris ramo dolato,

Matris nomen latè patet.

Nunquàm fronde leui fundet virgulta, nec vmbras,
Cùm semel in syluis imo de stirpe recisum
Matre caret.

vbi *matrem*, vt vides, pro stirpe posuit. Item apis mater vocatur mellis à Varrone. Et facit ad hoc, quod cùm coniugium non minus ad patrem pertineat, quàm ad matrem, à matre tamen sumpto vocabulo, matrimonium dicitur, non patrimonium. Matrimonium verò appellari potest genus, & origo familiæ; quia ex eo nascitur, propagatúrque posteritas. Quia ergo ex eadem origine natæ sunt duodecim illæ tribus, licèt non omnes ex eodem vtero; ex vna matre dicuntur prodiisse, maximè si quisquam velit vnum numero matrimonium esse in Iacob, quod cum quatuor vxoribus contraxit; sicut vna est in patre paternitas, quæ ad plures filios terminatur. Nisi mauis vnam vocare matrem Saram, aut Rebeccam; illam auiam, hanc proauiam, ex quibus ortæ sunt sorores illæ duæ; id est, duodecim tribus. Neque inusitatum est, vt maiores, quantocumque gradu à posteris distent, Patres appellentur. quomodo Iudæi passim Patriarchas patres appellant suos. Et sanè Sara Israëliticæ Gentis mater vocatur Isai. cap. 51. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Et hæc mihi explicatio magis videtur expedita, & facilis.

Duodecim tribus cur dicantur ex vna matre natæ.

3. Vers. 3. *Et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt.*] *Fornicatio* in Scriptura, & *adulterium*, animum indicant alienum a Deo, & Deo, & idolorum addictum impiæ religioni. Quare duæ istæ sorores, id est, duodecim tribus cùm fornicatæ dicuntur in Ægypto in adolescentia, absque dubio dicuntur seruitutis illius tempore, Ægyptiorum idola coluisse. quod expresse docuit Iosue cap. vltimo. v. 14. Neque dubitare licet ex hoc Ezechielis loco, qui in adolescentia, id est, in prima illius gentis ætate (quæ fuit dum vixit in Ægypto, aut cùm inde primùm emersit) docet fornicatum esse populum. Quod etiam suadet, quia cumprimum, traiecto mari, filij Israël vix ducem Moysem abiisse putarunt, sibi tanquam duces, & tutelares Ægyptiorum deos conflauerunt; aureum videlicet vitulum, i. Apim bouem, quem Ægyptiis maximè religiosum nouerant. Coluisse præterea sordida quædam monstra, quæ Ægyptij habuere pro diis, testis est Isaias cap. 2. *In illa die proiiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, vt adoraret talpas, & vespertiliones.* Hæc verò Ægyptij coluerunt pro numine, & alia etiam plura, vt diximus in nostris commentariis ad illum Isaiæ locum.

Iudæi in Ægypto coluerunt idola.

4. *Ibi subiecta sunt vbera earum, & fracta sunt mammæ pubertatis earum.*] Populus ille qui ex Abrahamo genus traxit, & Israële, in illa fornicatione metaphorica, de qua nuper, virgo fuit ante illam commorationem Ægyptiam. Neque enim adulteris antea, id est, gentilicæ superstitioni succubuit. At vbi Ægyptiis moribus imbutus est, Ægyptiam quoque religionem amplexus, illud est passus dedecus, & opprobrium, quod virgo, cuius pudicitiæ florem alterius libauit siue libido, siue iniuria. Ita in hunc locum Theodoretus. Subegit quippe, fregitque; & mollia reddidit pubertatis vbera, quæ in virginibus natura seruat erecta; & dura tanquam illibati pudoris naturale signum. Hieronymus ad illud Isaiæ cap. 66. *Lætamini cum Ierusalem; Vbera*, inquit, *corruptarum fracta sunt, laxa, atque iacentia; vbera verò virginum integra, & virginali pudore stantia.* Hoc idem constuprati pudoris signum dedit infrà vers. 8. & v. 21. Ex hac naturali vberum laxitate, atque 5.

Vbera non fracta sed dura virginitatis signum.

atque languore in fœmina cum temerato cor- A
pore ortum esse puto, vt fasciam pectoralem afferant virgines, quæ laxari non sinat, ac remitti, quas habere student duras, atque integras mammas. Quas tanti faciebant virgines Hebrææ, vt aliorum ornamentorum obliuiscerentur potius, quàm pectoralis fasciæ. Ierem. cap. 2. *Numquid obliuiscetur virgo ornamenti sui; aut sponsa fasciæ pectoralis suæ?* Neque id mirum si tantopere studeant Hebrææ virgines habere mammas à mammillari strophio in ea forma castigatas, ac pressas, cùm violato pudori propositum esset capitale supplicium. Eodem credo consilio apud Romanas virgines in vsu fuit strophium, seu fascia pectoralis, quia ea quantitate, ac forma apparere volebant vbera, qualis in virginibus apparere, & commendari solet.

Fascia pectoralis magno in pretio apud Iudæas virgines.

6. Vocantur autem pubertatis vbera; quia eo tempore quo pubertas accidit, censetur virgo iā matura viro; & tunc plerumque iniuriam illam patitur violati pudoris. Hoc signum ætatis iam maturæ coniugio, adduxit Ezechiel suprà c. 16. vers. 7. & ætatem illam vocat *tempus amantium.* Tunc autem subacta, aut fracta dicuntur vbera, quia tunc etiam impleri, atque tumere incipiunt, vt dixit ibidem Ezechiel, *vbera tua intumuerunt.*

7. Vers. 4. *Nomina autem earum Oolla maior, & Ooliba soror eius iunior.*] De his fœminis, earumque nominibus, variæ sunt sententiæ. Quidam in hac narratione allusum esse putant ad historiam; & ex ea sumptam esse similitudinem, ad exprobrandam duodecim tribuum effusam illā intemperantiam, quam toto hoc capite dolēter exagitat. Ita dicunt Scholiastes, & Polychronius sensisse quosdam, qui putant duas olim fuisse sorores in Ægypto insignes in arte, quæstúq; meretricio, quibus assimilat Propheta duos illos populos, siue familias, in quas populus quōdam vnus diuisus est. Nam vt duæ illæ sorores neminem ab vsu prostituti corporis repellebant; imò & tunc artem bene sibi cessisse arbitrabantur, cùm corporis sui copiam pluribus fecissent: sic duo illi populi, quos duas nominat sorores multarum Gentium idolis non tam corpus, quam animam vænalē exposuere; quod peccati genus
8. in Scriptura millies fornicatio dicitur. Ad quam cogitationē nonnihil, imò plurimum facit, quòd nomina hîc leguntur propria tam fœminarum, quarum traduntur vbera subacta, quàm loca, vbi turpē illum quæstum instituisse feruntur. Est autem Patrum communis sententia, si nomina sint propria siue personarum, siue locorum, historiā esse, nō parabolā: quare quod Lucas c. 16. adducit de diuite, & Lazaro, historia existimatur, quia ibi nomina audiuntur propria Lazari, & Abraham. Et quod idem scribit cap. 10. de eo, qui incidit in latrones, quia ibi nomē auditur Iericho. Sed hæc regula neque probatur ab omnibus, neque si alibi vera sit, hîc locum habere potest. tū quia duarum sororum, seu meretricum nomina Ægyptia non sunt, sed Hebraica, & earum notatio maximè est ad Samariæ, ac Iudæ proprietates accommodata. Adde quòd vt à nobis pluribus ostensum est, in nostris commentariis in Isaiam cap. 62. num. 13. sicut *nomen alicuius*, idem est, quod persona, cuius est nomen; sic *vocari*, idem est quod *esse*. Quare cùm duæ illæ sorores dicūtur nomen habuisse, seu vocatæ esse Oolla, & Ooliba, idem est, atque esse Oollam, aut Oolibam; iuxta illam nominis explicationem, quam

Regvla. Quo signo historia à parabola dignoscitur.

adducemus statim. Sicut cùm ab hoc Propheta in vltimis prophetiæ verbis dicitur de Ierusalem, *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem,* non ita accipiendum est, quasi illud sit futurum postea ciuitatis nomen, sed quia in ea deinceps diuina implebitur voluntas; seu quia in ea sibi complacebit Dominus.

Quare placet magis quod cum Hieronymo 9.
sentiunt plerique alij parabolam hanc esse, siue ænigma, qualia multa vides in hoc Propheta; in qua quid olim fecerit populus Israëliticus instabilis, & varius, & quô se turpitudinis sub hæc posteriora sæcula proiecerit, ostenditur. Sunt autem duo illa nomina maximè duarum familia- B
rum instituto, ac moribus accommodata. Samaria etenim, in qua decem illæ tribus intelliguntur, quas abduxit secum, & à duabus aliis distraxit Ieroboam, Oolla dicitur, quæ sonat *habitaculum suum,* quia illa quasi fugitiua vxor, in sua sibi domo seorsum à viro commorata est, longè à Ierusalem, in qua Dominus stabile sibi domicilium parauerat. At Ooliba, idem valet, quod *tabernaculum meum in ea.* quia Deus in Ierusalem, quæ ad tribus pertinebat Benjamin, & Iudam, templum habuit, quod suum sæpe Deus habitaculum vocat. Hoc verò posterius nomen, ideo hoc loco videtur confictum, probróque datum duabus tribubus, ad quas præcipuè pertinet gra- C
uis hæc querela, quia cùm Deum, extructo apud se templo, benignum, & familiarem habuisset, deseruit tamen illum, & prodita coniugali fide, ad nefariæ religionis impia sacra defluxit.

Oolla, & Ooliba quid significent.

Dicitur Ooliba, id est, Iuda, iunior, quia duæ tribus, quæ Dauidicum nomen amplexæ sunt, multo minorem habuerunt filiorum numerum, quàm decem aliæ, quæ ad Ieroboam fugitiuæ desciuerunt; & quia propriam habuerunt domum cum adultero, vocatæ sunt Oolla.

Et habui eas, & pepererunt filios, & filias.] *Habere* 10.
vox est coniugalis, & vxoria, quæ non solùm significat genus illud possessionis, quod ex connubiali fœdere coniuges vicissim in se habent, D
sed ipsum etiam vsum coniugij, ex quo legitimè cōcipitur. Hinc est illud Socratis apud Tullium, *Habeo non habeor à Laïde.* Porrò *in filiis, ac filiabus,* maximam significari multitudinem, docet coniunctio duorum generum masculini, & fœminei. Cùm enim vniuersitatem, aut ingentem rerum copiam significare volumus, hoc ferè modo explicamus, vt docuimus ad illud Isai. 3. *Dominus exercituum auferet à Ierusalem validum, & fortem,* seu *validum, & validam.* Et Eccli. cap. 2. *Feci mihi cantores, & cantatrices.* id est, omne musicorum genus. Significat ergo Deus, populum illum vocatum sibi ad nuptiale fœdus, ex eóque infinitam penè filiorum syluam esse susceptam.

Habeo vox coniugalis.

Regvla. In genere fœminei, & masculino vniuersitas, aut multitudo significatur.

E *Porrò earum nomina Samaria Oolla, & Ierusalem* 11.
Ooliba.] Incipit iam aperire, quod videbatur obscurum in ænigmate. In Samaria, vt diximus, decem tribus sunt, in Ierusalem duæ; illæ dicuntur אהלה *aholah,* quod sonat habitaculum suum, quia seorsum in suo domicilio vixit, quasi à spōsi thalamo, seu tabernaculo separata: illa verò אהליבה *aholibah,* quæ valet tabernaculum meum in ea.

Vers. 5. *Fornicata est igitur super me Oolla, & in-* 12.
saniuit in amatores suos, in Assyrios propinquantes.] Incipit nunc ea commemorare, quæ fecit Samaria, quæ prior coniugalem prodidit thalamum, & in alienos inuolauit amplexus. Illud *super me* variè exponitur, Heb. est תחתי *tachti,* id est, *sub me.*

&

& sanè optimè, siue vocis Hebraicam vim, & vsum expendas, siue vxoris fornicatæ metaphoram. Rab. Dauid *sub me*, idem esse putat, quod meo nomine, quasi honesto nomine obtegere voluerit adulterij culpam; sicut adultera honesta videri vult, neque à viri sui voluntate discessisse, quæque id, quod ab adultero concepit, quasi legitimum partum coniugi supponit. Et facit pro hac sententia illud Prouerb. c. 30. v. 20. de adultera. *Talis est via* (occulta nempe) *mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum, dicit, non sum operata malum.* Sequuntur quidem adulteræ alienum torum, non tamen æquali omnes impudẽtia; quædam occultè, quæ licèt à viri fide coniugali defecerint, in viri tamen societate, & potestate se esse profitentur. Quod fecisse videtur Oolla, siue Samaria, quæ cumprimum Dei thalamum, id est, templum deseruit Solymitanum, suis tamen idolis, quibus cum eo tempore fornicata est, nomen præposuit sponsi, e cuius se complexu sceleratè subduxerat. Cùm enim Ieroboam vitulos excitasset aureos, nomen illis imposuit eius, quem tunc colebant duæ reliquæ tribus; quasi mutasset non religionem, sed locum adorationis, & altaris. 3. Reg. 12. *Ecce*, inquit, *dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

Adulterarum mores, & ingeniũ.

13. Aliæ sunt, quæ magis impudenter, & liberè aliorum se amoribus implicant, quæque iam apertè sponsi nomen abiiciunt, quod in connubiali fœdere de more susceperant (vt enim in nostris commentariis in Cantica diximus, sponsæ Gentilitio deposito, sponsi sibi nomen adoptabant.) In eam se impudentiam proiecerat illa adultera, quæ suprà cap. 16. v. 15. fornicata dicitur in nomine suo, quia relicto sponsi nominẽ, quasi testaretur reliquisse se thalami fidẽ; suum nomen, quod antè deposuerat, assumpsit. *Fornicata es in nomine tuo, & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, vt eius fieres.* Vide quæ in illum Ezechielis locum adduximus.

14. Alij illud תחתי *tachti*, commutationem significare putant, ita vt idem valeat; quod *pro me*, & quidem hic est frequẽs eius præpositionis vsus, vt norunt hi, qui Hebraicè mediocriter sciunt, tunc verò sensus est grauis, & accommodatus maximè animo dolenti. Quasi dicat Deus, permutauerunt religionem aut thalamum, & pro vero Deo, aut liberali sponso, à quo omnia susceperunt ornamenta, & reliqua alia sperare cumulatè poterant, monstra quædam elegerunt, quæ deorum nominibus nõ minus impiè, quàm stolidè consignarunt. Ad quæ conuerterunt faciem, dorso ad me intolerabili impudentia conuerso. Hoc idem grauiter querebatur, & dolenter Dominus Ierem. c. 2. v. 11. *Si mutauit Gens deos suos, & certè ipsi non sunt dij: populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum. Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* In hanc sententiam inclinat Maldonatus.

15. Hieronymus accommodatè ad suam translationem, qui vertit *super me*, putat non omnino abiectum esse Dominum à Samaria, sed alios esse deos inductos; quos cum vero Deo simul venerabatur. Et quidem *super* non tam aliquid excipit & excludit, quàm addit aliquid ad priorem cumulum. Cum Hieronymo sentiunt plerique alij, Hugo, Lyra, Dionysius, & Pradus. Hoc planè est, quod idem exprobrat Dominus infi-

A deli sponsæ Isai. cap. 57. *Iuxta me discooperuisti, suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus.* Cuius loci hæc videtur esse sententia, vt in nostris commentariis in Isaiam pluribus ostendimus. Ab illo populo in eundem thalamum admissum, & Deum sponsum, & adulteros Gentilium deos; atque ita discooperuisse, id est, aperuisse lectum, reducto pallio, in quo coniugali more in geniali thalamo cooperiuntur coniuges; & sub illud recepisse in eiusdem societatem adulterum, seu riualem dæmonem. Huc etiam spectat illud Isai. 28. v. 20. *Coangustatum est enim stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest.* B Quòd autem Samaria ad veram religionem, diuinúmque cultũ, falsam quoque, & variam solita esset adiungere, probat illud Eliæ 3. Reg. cap. 18. v. 21. *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* Explicationes istæ mihi admodum placent, neque in illis video aliquid esse distortum; sed quia postremæ magis est ad vulgati versionem accommodata, in illam magis propendet animus.

Et insaniuit in amatores suos, in Assyrios propinquãtes vestitos hyacintho.] Quo tempore Samaria, id 16.
est, decem tribus, in suis sedibus floruerunt, aut etiam cùm captæ, & in seruitutem abductæ fuerunt ab Assyriis; nondum clarum erat, aut C admodum notum Chaldæorũ nomen. Atque ideo sub id tempus tribus omnes tam quæ à Dauidico genere recesserant, quam quæ illi constanter adhæsere, Assyrium timebant, aut venerabantur imperium; & Assyrios principes quocumque obsequio sibi demereri laborabát. Cùm ergo viderent illos esse potentes, & prouinciarum dominos; suspicati videntur, qui nunc Samariæ designantur nomine, magnos esse Assyriorũ deos, qui imperium illud stabilire, & tamdiu conseruare potuerunt. Tum etiam, cùm ab illis inire gratiam vellent, quasi eiusdem religionis socij, illorum deos asciuerunt, quibus simul cum vero D Deo supplicarent; eo studio, vt in illorum amorem exarsisse, & insaniisse prorsus viderentur. Dum verò Samariæ impotens in Assyrios libido proponitur, significatur, quàm auide Assyria religionem complexa sit; deos autem Assyriorum tutelares, seu potiùs offendicula Assyrios appellat; quibus eadem attribuit, quibus gaudent, & ornantur Assyrij. Seu certè amasse dicitur Assyrios, quia illa edidit, quæ censentur maxima amoris argumẽta, quale est eiusdem fidei, sacrorumque communitas. Neque enim verus existi- 17.
matur amor, aut amicitia inter illos, quorum diuersa sunt instituta, & leges, & religio non eadẽ. Quare qui societatem inire volunt, & amicitiã, illi iidem primùm de religione pacisci solent. E Sic Ruth, cùm suum in socrum Noëmi amorem ostenderet, argumento illius esse voluit communis fides, atque religio. cap. 1. *Populus*, inquit, *tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus.* Eodem consilio Sichimitæ, vt ex animo colere se Israëlis amicitiam significarent, eiusdem esse religionis voluerunt, neque recusarunt durum circumcisionis argumentum, Genes. cap. 34. Amauit igitur Assyrios Oolla, siue Samaria, quia in illorum se religionem ad furorem vsque demersit.

Religionis communitas maximè animos, & societatem coniungit.

Nunc aliqua nobis seorsum consideranda 18.
sunt. עגב *asab*, pro quo noster, *insaniuit*, impotentem, & præcipitem affectum significat, quo quis amens, & cæcus, non tam à ratione ducitur, quàm trahitur à furore; vel ab amore, qui

Amor vehemens insaniæ genus.

 insaniæ

insaniæ interdum genus quoddam est. Quale est quod de equabus tradit Virgilius lib. Georg. 3.

Scilicet ante omnes furor est insignis equarum.
Illas ducit amor trans Gargara, tránsque sonantem
Ascanium, superant montes, & flumina tranant,
Saxa per, & scopulos, & depressas conualles
Diffugiunt.

Fœminarum impotens amor furor vocatur, & rabies. Sic Philo lib. de agricultura. *Affert*, inquit, *libido insaniem incredibilem, furorem pertinacem, rabiem molestissimam.* Et lib. de Iosepho, cùm ageret de illa, quæ Iosephum deperibat, ait περὶ τὸ πάθος λυττῶσα, id est, in affectum illum rabida.

19. *Appropinquantes.*] Longè aberant Assyrij à regione Chanaanitide, id est, ab Israëlis finibus; B quare hîc de colorum propinquitate sermo non est, sed de aliqua alia figurata. Scholiastes propinquitaté in eo esse putat, qui ingenio, ac moribus erant non dissimiles, & quia quodlibet animátium genus, quod sibi habet à natura, aut ingenio simile, id maximè appetit, cum eóque iucundè ac familiariter viuit: sic quos morum similitudo cóiugauit, eosdem turpiori alia necessitudine coniunxit. Alij, vt credo, meliùs ideo propinquos, seu appropinquantes esse putant, quia quædam erat inter Samariam, & Assyrios ex pacto instituta societas. Vt enim constat ex lib. 4. Reg. c. 15. v. 19. *Veniebat Phul Rex Assyriorum in Therram: & dabat Manhem* (Rex hic erat Samariæ) *Phul mille talenta argenti, vt esset ei in auxilium, & firmaret regnum eius.* huc incumbunt interpretum plerique.

20. Vers. 6. *Vestitos hyacintho.*] Certi quidam colores nationibus olim, & nostra etiam ætate familiares fuerunt; vel vt distinguerentur ab aliis; vel quia fucus ille, quibus varie inficiebátur vestes, magis ibi frequens. Sanè in Romanorum ludis diuersæ factiones, diuerso notabátur colore, aliæ veneto, aliæ prasino, aliæ aliis. Roma fuscis vtitur vestibus, & toga candida, Gallia rufis, quibus etiam in castris milites vtuntur, de quibus Martialis in Apophoretis epig. 129.

Colores alij aliis nationibus familiares.

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis: D
Et placet hic pueris, militibúsque color.

21. Chaldæos quidé vsos fuisse puniceo colore, præsertim in acie, docet Nahum cap. 2. *Clypeus fortiū eius ignitus, viri exercitus eius in coccineis.* & Dan. c. 5. *Quicumque legerit scripturam hanc*, &c. *purpura vestietur.* eodé colore in castris item vtebantur Persæ, vt tradit Xenophon lib. 3. Cyropæd. statim in principio. *Erant milites armati omnes armis iisdem, quibus Cyrus puniceis tunicis.* Et de Persarum Regibus vniuersè tradit Strabo lib. 15. qui etiam color frequens apud Hebræos erat, maximè in deliciis. Cecinit Dauid de Saul 2. lib. Reg. cap. 1. *Flete super Saul, qui vestiebat vos coccino in delitiis.* & E Thren. 4. *Qui nutriebantur in croceis.* Vide quæ nos in illum locum. Vt ergo nationes aliis aliæ coloribus vtebantur, notabantúrque; sic hyacinthino notabantur Assyrij, illi nempè principes, de quibus suprà, in quorum amorem amés, & præceps ferebatur Samaria, id est, in eorum deos, quorum nefaria sacra, Deo vero relicto, complexa est. Neque verò mihi improbabile est, sicut hyacinthina veste induebantur Assyrij, sic etiam illorum simulacra amiculis fuisse vestita hyacinthinis; quia color hic principibus videtur esse familiaris.

Color hyacinthinus Chaldæis familiaris.

Item Persis.

22. *Principes, & magistratus, iuuenes cupidinis vniuersos.*] Fornicationem mysticam, ac metaphoricā, qualis est idololatria, cum propria, ac verā for-

A nicatione componitur. Amant plerumque libidinosi, ac meretricij animi florentem ætaté, lautos, atque elegantes homines; quorum & aspectus gratior, cultus illustrior, & maior auctoritas. Sic puto Oolla, siue Samaria, tametsi nullum respueret numen, quantumcumque sordidum, & vile; præsertim tamen illud amabat, colebátque in quo plus esse putabat dignitatis, & lucis. Colebat namque Solem, & Lunam, omnem deniq; cœli militiam, quia & ipsa speciosa sunt, & ab illis alia regi, atque illustrari existimantur. *Iuuenes cupidinis* illi dicuntur, quia in illis aliquæ sunt illecebræ, quæ leues animos ad amandum alliciunt, vt ætas iuuenilis, & florida, oris species; & alia, quæ capiunt leues, & vagos oculos, & animos incautos.

Decem tribus quàm effusa in idolorum cultu.

Vers. 7. *Et dedit fornicationes suas super eos electos filios Assyriorum.*] Dare fornicationes super eos, nihil est aliud, quàm fornicari cum illis, aut illorum libidini succumbere. Filij Assyriorum, iuxta Hebræorum idioma, idem sunt, qui Assyrij; sicut filij taurorum tauri, & filij arietum, arietes vocantur. Nunc electi vocantur, qui priùs principes, & magistratus vocati, quos sibi ex omnibus Samaria ad infidelem, & impurum thalamum elegit. 23.

Vers. 8. *Insuper & fornicationes suas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit.*] Profunda illius existimatur esse libido, quæ multorum consuetudine expleri non potest. Quæ ita nouos quærit, aut admittit amatores, vt non fastidiat, aut relinquat antiquos. Habuit Samaria in primis pubertatis annis amatores Ægyptios, à quibus subáctæ sunt, & fractæ, quæ ad illud vsque tempus integræ fuerant, & illibatæ mammæ; quia ibi, vt paulo antè diximus, Ægyptiis se sacris, seu veriùs immunditiis implicuerat. Ille autem pruritus in illam metaphoricam Venerem expletus non est, immò neque sedatus in ea Ægyptia libidinū proluuie: quare insaniuit quoque in Assyrios, in idola videlicet, quæ apud illos cùm essent quamplurima, & varia; non tamé ab illis sic est exaturata luxuries, vt non etiam adhinnierit ad Ægyptia, quibus prioribus antè sæculis insorduerat. 24.

Vers. 9. *Propterea tradidi eam in manus amatorū suorum, in manus filiorum Assur.*] Sæpe à Prophetis audis ab idolis nihil sperari posse præter cædem, ludibrium, & ignominiam; neque salutem, aut pacem ab alio petendam, aut sperandam esse quàm à Domino. Id docuit & antè Samaria, quę seruilem, ac sordidam operam tunc nauabat Assyriis; & postea Ierusalem, quæ non aliter fuit accepta à Babyloniis. Quomodo in Israëlis fines irruperint Assyrij, decémque tribus variis expeditionibus ad suam secum regioné abduxerint, constat ex variis Scripturę locis. Venit enim primùm Teglathphalasar, qui regionem trans Iordanem subiugauit sibi, & ad Assyrios traduxit, 4. Reg. 15. & lib. 1. Paral. c. 5. deinde Salmanasar, 4. Reg. 17. & iterum 4. Reg. 18. Quibus irruptionibus, vt ait Isaias cap. 32. sic est ab Assyriis peracta vindemia, vt non necesse fuerit vltra fieri racemationem. 25.

Decem tribus quo ordine vastatæ.

Vers. 10. *Ipsi discooperuerunt ignominiam eius, filios, & filias eius tulerunt.*] Discooperire ignominiá alicuius variè accipitur ab Hebræis; modò significat tentari alicuius pudicitiam, aut venereo comprimi congressu; vt pluribus ostendimus præcedenti capite vers. 10. ad illud, *Discooperuerunt ignominiam eius.* Significat præterea seruilem fortunam, cuius signum est vestes gestare 26.

Ancillarum dura & ignominiosa seruitus.

non

non laciniosas, quod honestarum est, sed decurtatas, ac breues, vt aliquid in fœmina nudent, quod maximè velatum oportuit. Sic Isaias cap.47. cùm ageret de Babylone futura aliquando in ancillari statu, dixit, *Denuda turpitudinem tuam, reuela humerum.* Et clariùs cap.20. *Sic minabitur Rex Assyriorum captiuitatem Ægypti, & transmigrationem Æthyopiæ, iuuenem, & senem, nudum, & discalceatum, discoopertis natibus, ad ignominiam Ægypti.* Nahum cap.3. *Reuelabo Gentibus pudenda tua, & ignominiam tuam.*

27. In vtram harum partium sumendus sit hic locus, explorandum est. In vtramuis exponi posse non est improbabile. Si priori modo sumas, hæc est sententia. Postquam cum Assyriis, ô Samaria, meretricata es, id est, postquam idola ad satietatem vsque coluisti, id consecuta es, vt & tu perieris, & numerosa soboles, qua felix, & locuples videbaris, extincta sit. Sed est, meo iudicio, item & aliorum ferme omnium magis soluta, & obuia explicatio posterior, quæ cædem, vastitatémque prædicit Samariæ, & his, qui reliqui fuerint à cæde ignominiosum vitæ genus, & seruilem conditionem denunciat.

28. *Et factæ sunt famosæ mulieres, & iudicia perpetrauerunt in ea.*] Quidam mulieres hasce formosas, & nobilitatas siue flagitiis, siue flagitiorum pœna, Samaritanas esse putant; cùm non videant præcessisse recens aliquid, post vbera ab Ægyptiis subacta, propter quod Ooliba, id est, Ierusalem flagitiis nobilitari debuerit. Ita cum Hieronymo Maldonatus, & Pradus. Cui explicationi fauet, quia vbi vulgatus habet *mulieres*, Heb. est לנשים *lanasim*, quasi dicat, & nomen, id est, fabula, aut prouerbialis materia data est mulieribus. Et illud maximè probat, quod statim additur, *Iudicia perpetrauerunt in ea.* vbi singularis numerus non indicat meretrices duas, sed vnam tantùm Oollam; quia de Ooliba nihil recens fuerat auditum. Hæc expositio mihi difficilis non est, sed vulgata translatio eo me magis adducit, vt opiner sermonem hîc esse de vtraque sorore, quæ vt morum turpitudine, sic etiam supplicij grauitate ita sunt apud externas nationes famosæ, ac nobilitatæ; vt in prouerbium, & maledictionem abierint. Neque huic explicationi, quam non improbant Hugo, Dionysius, & Lyra, incommodat, quod statim in singulari numero dicitur, *in ea*: fieri enim potuit vt ibi singulare illud distributiuè sumatur, quod apud Hebræos frequentissimum est, vt tradit Pagninus in Institutionibus lib.4.c.15. Vnde cùm numerus antecessisset pluralis, pronomen, aut pars quæcumque alia in singulari reperitur. Gen.27.v.29. *Maledicentes tibi, maledictus*, id est, quicumque illorum, qui maledixerit, maledictus erit, vbi plurima huiusmodi adducit exempla. Sic ergo hoc loco sensus esse poterit, *iudicia perpetrauerunt in quacumque illarum sororum.* Aut certè quia fœmineum genus pro neutro ponitur, non ineptè ille videbatur expositurus, qui sic acciperet: quia iudicia fient in hoc, id est, in eo viuendi scelerato consilio.

REGVLA. *Numerus singularis distributiuè aliquando sumitur.*

29. *Et iudicia perpetrauerunt in ea.*] Illud *&*, credo non tam extrema coniungere, quàm rationem reddere hoc sensu. Ideò duæ illæ sorores famosæ fuerunt, id est, nationibus aliis cognitæ, quia in illas Deus iudicij sui gladium distrinxit, supplicióque affecit adeò graui; vt admiratione omnes, stuporéque concusserit.

30. Vers.11. *Quod cùm vidisset soror eius Ooliba, plusquàm illa insaniuit libidine.*] Ostendit cur Ooliba, id est, Ierusalem famosa fuerit, affectaque supplicio, sicut soror Oolla; quia iisdem est ingressa vestigiis. Cúmque illius supplicio deterreri debuisset; exarsit tamen libidine in Assyrios primùm, deinde in Chaldæos. Neque minus impudenter, atque profusè, quàm Oolla priùs externarum Gentium religionem amplexa est, imò multo magis quàm ea in illam metaphoricam Venerem extabuit. Quæ verò sequuntur, Assyriorum mores, & formam, describunt eodem propè modo, quo proximè; nisi quòd illos nunc appellat *adolescentes egregia forma*, quos priùs *iuuenes cupidinis* nominarat, & quos antea indutos fecerat hyacintho; nunc illis vestem variam attri-
buit. Sed puto in hyacintho variam, & in varia 31.
veste hyacinthum intelligi. Heb. est מכלול *miclol*, quod absolutum, & perfectum sonat. Et ita mihi facile persuadeo, Assyrios Gentem locupletem, & lautam, lautum habuisse, & multiplicem cultum, quem nunc explicatiùs ostendit; priùs verò figuratè, & obscuriùs. Nam per synecdochem hyacinthus, qui aliquid sonat pretiosum, & splendens, pro cultu adhibetur pretioso, & vario. Sicut suprà cap.16.vers.10. cùm pretiosos calceos significare vellet, hyacinthinos vocauit. *Calceaui te hyacintho.* & quem regio luxu excultum significare volumus, splendere illum auro dicimus, aut auro vestitum, cùm tamen ad aurum multiplicem alium cultum adhibeat. Quare cùm suprà amasios significare vellet ornatos esse varia, atque eleganti veste, in veste dixit stetisse hyacinthina.

Hyacinthus pro re splendida.

Vers.14. *Cúmque vidisset viros depictos in pariete; 32.
imagines Chaldæorum expressas coloribus.*] In eo Ooliba auxisse dicitur fornicationes suas supra Oollam, quia Oolla, id est, Samaria amauit, quos præsentes habuit, quibus cum fœdus, ac societatem iniit: at ea fuit Ierusalem non tam libido, quàm furor, & rabies; vt etiam in absentes, neque dum de facie notos insanierit. Cùm enim Chaldæorum expressas in pariete videret effigies, sic exarsit, vt statim illorum congressus expetierit, quod animi est supra modum intemperantis. Vbi fuerint istæ Chaldæorum imagines, in vrbéne Solymitana, an in aliis finitimis ciuitatibus, incertum. Quidam extrà putant, quia vident omnem effigiem Iudæis esse prohibitam. Alij nullibi expressas Chaldæorum imagines, sed tantùm eo dicendi modo significatum esse quàm sit ad libidiné præceps Hierosolyma, cùm non solùm viuentes amasij, sed etiam mortuæ illorum imagines illecebras habeant, & faces li-
bidinis; ita Maldonatus. Sed verba, vt opinor, 33.
simplicem habent, & obuiam sententiam, quam verba propriè menti repræsentant. Neque est verisimile Iudæos priuatim caruisse illustrium virorum imaginibus, quibus rerum præclarè gestarum memoriam conseruarent; vel vt ex eorum habitu, & cultu, diuersarum Gentium ritus, & instituta cognoscerent. Neque enim hoc à lege videtur esse prohibitum: sed tantùm ne vlla ad religiosum cultum, & adorationem excitaretur effigies. Quare in templo, à quo imagines illæ abesse quàm longissimè debent, imagines visuntur Cherubinorum, & boum; quia hæ ad ornatum excitantur potius aliarum rerum, quàm vt illis vllus exhibeatur cultus. Quid ergo vetat, si ad magnificæ domus instructum, & ornamentum, magnorum Principum, & Gentium, in quibus aliquid apparet monstrosum, & rarum, proponantur effigies?

Apud Iudæos fuerũt illustrium virorum imagines.

34. Adde quòd hoc tempore ea erat morum corruptio, ea legum, religionisque siue obliuio, siue contemptus, vt mirari non debeamus in priuatis domibus, profanisque locis spectari Principum, & heroum imagines, quando in ipso templo idolorum imagines descriptæ visebantur. Vt enim suprà cap. 8. vidimus vers. 3. *Iuxta ostium interius, quod respiciebat Aquilonem, erat statutum idolum zeli.* & vers. 10. *Ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Cùm autem quo tempore hæc ab Ezechiele dicuntur, iam tertiò Hierosolymam inuasissent Chaldæi, illámque suo sibi subiugassent imperio, verisimile est Iudæos & notasse Chaldæorum Principum, & ducum militarem cultum, eósque in pariete, aut tabula coràm descriptos habere voluisse. Quomodo verò in Chaldæorum amore intelligendus sit idolorum amor, & obseruantia, diximus paulo ante, cùm de libidine Samariæ egimus in Assyrios.

35. Hic tu pro re morali diligenter obserua, quantum afferant nocumenti lasciuæ, aut incautis animis, quæ ex vsu, aut dignitate non sunt, tacitæ, aut etiam mortuæ rerum imagines, quando religiosum populum, & iam pridem Deo innumeris beneficiis obligatum, sic egerunt à religione transuersum, vt in profundam idolorum proluuiem fœdè demerserint. Quare qui Deo se purum, & totum exhibere volet, etiam, atque etiam videat, ne oculos ad turpia, aut aliquas libidinis illecebras adiiciat, neque solùm à viuis, sed etiam ab expressis in tabula formis oculos contineat. Sanè id grauissimè commendant Patres, qui animos, si modò oculi fuerint impudici, castos esse negant. Augustinus tom. 1. in Reg. cler. regul. 2. *Non dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos.* Vide quæ diximus cap. 6. ad illud, *oculi fornicantes.* Notum illud comicum est in Eunucho, qui ex eo, quod plerunque accidit, & ipsa rerum natura postulat, induxit adolescentem, qui conspecta Iouis imagine, qui aliquid moliebatur improbiùs, seipsum ad simile flagitium excitauit. Narrat Gregorius Nazianzenus in carmine de virtute, quod citatur à septima Synodo, Actione 4. impudicam fœminam cùm domum esset ingressura, vbi & suæ, & alterius libidini satisfaceret, in ipso limine imaginē conspexisse Palæmonis, cuius nota erat, atque laudata continentia, & sic erubuisse, atque mutasse animum, vt domum è vestigio compuncta redierit.

Turpes verò imagines perniciosæ.

Honesta imagines quæ vtiles.

36. *Accinctos balteis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum; formam ducum omnium.*] Tales Iudæi in pariete, seu tabula Babylonios depinxerant, quales in acie viderant, accinctos ferro, specie, instructúque militari. Tiaræ dicuntur esse tinctæ; quia non erant è natiuo lanarum colore, sed ex eo, quem alius, atque alius fucus induxerat. *Tincta* enim Latini vocant, quæ artificio infectorio color imbuit, aut simulauit alienus.

37. Vers. 16. *Insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum.*] Per liberos, ac vagos oculorum intuitus irruperunt in animum cum Chaldæorum formis furor, & rabies. Atque ideo cæcus ille, atque væsanus amor concupiscentia dicitur oculorum. Vnde factum est, vt legatis ad Babylonem nunciis, societatem cum illis inirent, & fœdus, & illorum etiam religionem amplexi, æternas fore putauerint amicitias. Tunc verò amicitia cum Chaldæis inita est, à Ioacim primùm, deinde à Iechonia, ac tandem à Sedecia, quando aut acceperunt regnum à Nabuchodonosor, aut in eo confirmati sunt; eo tamen pacto, si vectigale regnum esset, & Babylonio nomini seruiret. Ex qua etiam societate id effectum est, vt Babylonica religio in Iudæorum fines immigraret, quò præcipuè spectat totum hoc Ezechielis vaticinium.

Vers. 17. *Ad cubile mammarum polluerunt eam stupris suis.*] Cùm liberum Babylonij ad Oolibæ torum habuissent accessum, neque sibi ad libidinem aliquid aut clausum, aut arduum inuenissent; quicquid ipsis collibuit, libauerunt ab illa, quam stupris ad eius vsque satietatem polluerunt. *Cubile mammarum*, idem est, quod cubile amorum, in quo videlicet amori datur opera. Quia verò amor hic metaphoricus est, sic etiam necesse est, hoc quoque cubile metaphoricum sit. Erit igitur cubile mammarum, siue amorum locus ille, in quo nefariæ idolis excitantur aræ, immolantur victimæ, & Gentilium monstris honores impenduntur diuini, quales sunt montes, & arbores condensæ, & illo etiam infelici, atque sacrilego sæculo templum quoque Salomonium, ad quod gentilica superstitio non vno in loco aditum inuenit. 38.

Vbi noster, *& satiata est anima eius ab illis*, quidam ex Hebræis, aut hebraizantibus legunt accommodatè ad Hebraicum textum, quem nunc habemus, *discessit anima eius ab eis.* Et ita etiam habet L X X. translatio. Tunc verò sensum esse putant, discessisse Iudam ab ea fide, quam Babyloniis dederat, quod fecit trium Regum tempore, de quibus suprà. Sed lectio vulgati, & explicatio à nobis proxime adducta, magis est ad textum, & filum orationis. 39.

Denudauit quoque fornicationes suas, & discooperuit ignominiam suam.] Dixerat priùs in cubile mammarum irrupisse Babylonios, & ab Ooliba decerpsisse, quicquid suæ collibuisset petulantiæ, nunc aliquid addit, quod maximè illius libidinem amplificat. Neque enim tantum passa est à Babyloniis vim illam veneream, de qua nuper, quod interdum sine vlla sua culpa patiuntur puellæ; quia inuitæ nonnunquam opprimuntur ab illis, quorum audaciæ repugnare non possunt. Nunc verò ostendit ipsam vltrò Babylonicæ se obtulisse luxuriæ, vltrò nudasse fornicationes, & ad venereum illum congressum occurrisse; id autem meretricum est, quæ quia pudorem habent vænalem, vltro illum aliorum libidini nudant, atque prostituunt. Est autem vsitatum, tum apud sacros, tum apud profanos scriptores, vt actio sumatur pro loco, vbi exercetur, quomodo *cœnatio*, pro loco cœnæ deputato ponitur: *oratio*, pro templo, seu oratorio; *quies*, pro domo, aut loco, vbi commodè quis habitat, aut quiescit. Sic *fornicatio* hic pro illa fœminei corporis parte adhibetur, quæ libidini, ac fornicationi seruit. Porrò modus hic dicendi significat non occultè, & cautè, sed coràm, & publicè idolis sacrificasse Hierosolymam. 40.

REGVLA. Actio pro loco vbi exercetur.

Vers. 18. *Et recessit anima mea ab ea, sicut recesserat, &c.*] Recessit Dominus ab Oolla, id est, Samaria, ex quo publicum constituit prostibulum, excitatis aureis vitulis, & Assyriorum aduocatis idolis. Cùm hoc idem fecisset soror eius Ooliba; & libidine illa metaphorica pruriens se ipsam externis constuprandam, offerret (qui videbatur peccatorum cumulus, & plena mensura) ab illa quoque recessit Dominus, fecitque vt 41.

spoliata

spoliata ciuitate, & templo, exul extruderetur ad alienos; eorúmque voluntati, atque imperio non semper æquissimo seruiret. Facit ad hanc explicationem valde, quod cap. 16. v. 23. cùm ad hanc liberam, vagámque libidinem proiecta est Hierosolyma, dolet Deus, & clamat. *Et accidit post omnem malitiam tuam (ve, va, ve tibi, ait Dominus Deus) ædificasti tibi lupanar, & fecisti prostibulum in cunctis plateis.*

42. Vers. 19. *Multiplicauit enim fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti.*] Ad libidinem illam metaphoricam, in quam se Oolla intemperanter effudit, cùm iuuenilem ætatem ageret in Ægypto, adiecit nunc fornicatias alias, fecitque vt quæ iam post tot sæcula obliuione obscurata videri poterant, renouarentur iterum; & quæ nunc subacta visa est, & constuprata à Chaldæis, illa eadem cognosceretur eundem apud Ægyptium olim instituisse quæstum meretricium; quasi morbus ille prurientis animi recens non esset, sed cum ipso populo pene natus. Vbi vulgatus *recordans*, Heb. לזכר *licor*, id est, ad recordandum. Nempe vt alij recordarentur, quæ tu cùm adhuc esses in incunabulis, luxuriata es. Aut vt ego recordarer, id est, imposito supplicio ostenderem, ex animo meo antiquæ tuæ libidinis mihi non excidisse memoriam. Vt enim diximus ad illud Isaiæ c. 43. *& peccatorum tuorum non recordabor.* tunc recordari dicitur aliquis, & maximè Deus, cum externo aliquo signo ostendit se peccatorum, aut meritorum esse memorem, quæ supplicio punit, aut mercede compensat.

43. Vers. 20. *Quorum carnes sunt, vt carnes asinorum, & sicut fluxus equorum, fluxus eorum.*] Hic locus explicatus est suprà cap. 16. v. 26. ad eadem prope verba, quibus nihil hîc occurrit, quod addamus. Inde pete, & pondera, quò se diuinus spiritus demittat, vt peccatorum stuporem, & impudentiam amplificet. Vt enim suum in nos amorem, & studium ostendat, verba interdum adhibet, quæ longè à diuinæ naturæ puritate distant, sic vt peccatori fœdam proluuiem exprobret, & putridos mores, verbis vtitur dignissimis quidem peccatoris vita; & quæ alicui minus decere infinitam illam puritatem videri poterant. Audi Gregorium in proœmio ad Cantica, *Notemus quàm mirabiliter, quàm misericorditer nobiscum operetur, qui vt nos ad amplexus sacri amoris accendat, vsque ad turpis amoris nostri verba se inclinat. Sed vnde se loquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat: quia ex sermonibus huius amoris discimus, qua virtute in diuinitatis amore serueamus.*

REGVLA. *Vt rei magnitudo, seu turpitudo significetur, verbis interdum à sua puritate alienis vtitur Scriptura.*

44. Vers. 21. *Et visitasti scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Ægypto vbera tua.*] Visitare hoc loco idem esse videtur quod renouare, aut repetere quæ priùs videbantur intermissa. Meretricata fuerat iam pridem in Ægypto Ooliba, sed turpem illam artem iam pridem abiecerat; nunc verò dum similem se in luxuriam effundit, antiquum visitat institutum; sicut qui amici iam pridem vita functi simulacrum inuiseret, amicum visitare diceretur. Quia verò in Ægypto primùm idola coluit, ideo toties sibi subacta dicuntur vbera; quia ad illud vsque tempus, iuxta institutam allegoriam, virgo videri potuit, cùm nemo allegoricum illum virginitatis florem antea libasset. Hæc explicatio magis mihi videtur ad Hebraicum textum, & ad vulgati translationem, vt cum Hieronymo sentiunt plures alij.

Vers. 22. *Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te.*] 45. Quemadmodum priùs Deus contra Samariam excitauit Assyrios, quos ipsa impenso coluerat studio; sic nunc contra Hierosolymam Babylonios euocat, & armat, quibuscum & fidei, & religionis societatem inierat, qui castris priùs obuallarunt, & deinde funditus euerterunt ciuitatem suæ antea voluntati plus satis addictam. Hîc porrò obseruandum; quod iam antea pluribus ostendimus, in Babyloniorum studio, atque amore, amorem significari idolorum, quorum religioni seruiebant, studebántque Babylonij. Dicuntur autem Babylonij amatores, seu amasij Hierosolymæ; quia eorum aliquid, imò quod in republica censetur esse præcipuum, eorum sacra, religionémque complexa, auitam religionem, & propriam abiecisse, aut minùs studiosè curasse videbatur.

Vers. 23. *Nobiles, Tyrannos, & Principes omnes filios Assyriorum, iuuenes forma egregia.*] 46. Eodem penè ordine, qua Chaldæorum Principes, & duces descripti fuerant in pariete, honoris, vt videtur, gratia, à Solymitanis duces illi, & principes memorantur, qui postea in ciues illos Solymitanos hostilem aciem instruxerunt. Hîc verò de Babyloniis, Chaldæis, & Assyriis seorsum loquitur, tanquam de regnis, nationibúsque diuersis; cùm tamen omnes ad idem referantur imperium. Est tamen aliquid in illis peculiare, quod obseruatum oportet; quia eiusmodi locutiones in Scriptura sacra sæpius occurrunt. Licèt Babylonia pro Chaldæorum regione tota capiatur, quia illius caput est, & regia sedes, vnde Babylonij iidem existimantur, qui Chaldæi; tamen sæpe sumuntur pro ciuibus, qui regiam illam ciuitatem inhabitant, vt videntur hoc loco esse intelligendi. Hi verò, quia Regi propiores sunt, & illi familiariùs assistunt, Principes sunt, nobiles, & duces ex lectissimo illo imperio ad varia reipublicæ, regiíque nominis ministeria delecti. Chaldæi nullam sibi certam ciuitatem definiunt; quare Chaldæi nominantur, qui in vniuerso habitant imperio, cuius caput est Babylonia. Quia verò Nabuchonosor Assyrium subiugauit imperium, illius quoque sibi vires adiunxit. Ex quo fit, vt Assyriorum quoque principes arma dicantur sumpsisse contra Hierosolymam, quia socios se ad illam expeditionem adiunxerunt.

Vbi vulgatus legit, *nobiles, tyrannos, & Principes,* 47. Septuaginta vertunt, *Phacud, Suda, Cuda,* siue, vt habent codices à Sixto correcti, *Phacue, Sue, Hycue.* quod sæpe faciunt, cùm voces ipsas ita relinquunt, quales inuenerunt in fonte, quod etiam fecerunt, Hieronymo teste, Theodotio, & Symmachus. Existimarunt fortasse, vt putat Maldonatus, nomina esse propria. Chaldæus nomina putat esse Gentilia, quæ ita vertit, *Pecodaitas, Soaitas, Coaitas.* Mihi non videtur improbabile, si nomina esse dicas magistratuum, quos in re siue publica, siue bellica habuere Chaldæi. Vbi vulgatus, *Principes principum*, Heb. est שלישים *salisim*, quod ternarium aliquid sonat. Septuaginta transtulere *τριστάτας*, sicut & suprà vers. 10. vbi Hieronymus reddidit *duces.* De nominis ratione acutè coniectat Pradus. Multa de hoc nomine Hieronymus, quem tu vide. Ego existimo viros hîc significari fortissimos; seu qui eo funguntur munere, quod strenuos exigit viros, & audaces; quale sunt, qui ab eodem ternario siue ordine, siue numero triarij vocantur. Hic etenim numerus, vt diximus cap. 21. v. 14. ad illud, *duplicetur gladius,*

Ternarius numerus cū epitasi. *gladius, & triplicetur*, in compositione magnum aliquid sonat, vt τρίμεγιστος τρικυμία, vehemens procella; sic etiam τριστάται illi videntur appellati, qui stare in acie didicerunt, quósque prius vitam, quam datam sibi stationem deserunt. Huc facit, quod τριστάται regij corporis custodes sunt, qui plerumque omnium solent esse fortissimi. Ita Hesychius, apud quem τριστάται dicuntur *οἱ περὶ χεῖρα τοῦ βασιλέως ἔχοντες ἀνὰ τρεῖς λόγχας, qui ad manus Regis sunt, tenentes manu tres hastas.* In hoc numero videtur fuisse Ioab, qui 2.lib. Reg.c.18. tres lanceas sumpsisse traditur contra Absolon. Nisi mauis allusum esse ad numerum fortium, qui 2.lib. Reg.cap.2.& 1. Paralip.c.11. terni numerantur. Est autem verisimile fortes illos in gradus illos ternarios distributos, quia res erat celebris; & nota habuisse apud Hebræos parœmialem speciem, ita vt eo numero notarentur illi, quorum virtus inter alios esset præcipua. Hæc iuxta Septuaginta versionem.

48. Vers.24. *Et dabo coram eis iudicium, & iudicabunt te iudiciis suis.*] Iudicium aliquid plerumque seuerum, & hostile significat, quo sensu suprà *fames, bellum, pestis, & mala bestia*, iudicia vocantur cap.14.v.21. tum etiam superiorem aliquam potestatem, quæ alicui ius, & arbitrium in aliud permittit. Vtrumque datum est Chaldæis in Iudæorum gentem: nam in illam gladio, atque igne grassati sunt; & quasi rebellem, & violati fœderis ream capitali, aut alio huic affini supplicio punierunt. Vide Ieremiam cap.39. vbi lege, atque iudicio egisse dicitur Nabuchodonosor in Sedeciam, & occisis priùs illius filiis, aliísque principibus, Regi ipsi oculos effodisse.

49. Vers.25. *Et ponam Zelum meum in te.*] Zelum hîc pro zelotypiæ pœna sumi puto, ita, vt pœnas, quas ab adultera sponsa sumere posset zelotypus sponsus, per Chaldæos exigat suæ potestatis, atque doloris administros. Quæ verò sit illa pœna, accommodatè ad eam, quæ sumi solet ab iis, qui adulteriis alienum torum violarunt, statim declatat.

50. *Nasum tuum, & aures tuas præcident.*] Nasum mœchis, & adulteris solitum esse præcidi, docet Virgilius, & ex eo interpretes ipsius in lib.6. Æneid. vbi à Menelao Deiphobus, cui extincto Paride vxor Helena nupserat, naso mulctatus est, & auribus, quod hîc sponsus zelotypus adulteræ minatur:

Adulteris aures, & nasus abscinduntur.

Deiphobum vidi lacerum crudeliter ora,
Ora, manúsque ambas, populatáque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

Et clariùs Martialis lib.3. epigr.43.

Aures, & nares ad ignominiā abscissa.

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?

Hanc pœnam adulteris infligi solitam, indicat Hieronymus. *Nasum, inquit, tuum, & aures tuas præcident, quasi adulteræ, & deprehensæ in stupro, vt deformata placere desistas.* Sed ad summam ignominiam, qualem passa est ab hoste victore Hierosolyma, abscindi solere nasum, & aures, antiquæ probant historiæ. Apud Herodotum lib.2. Apries Ægypti Rex Patarbemi cuidam ad ignominiam, & vt suum in illum odium expleret, auribus, ac naso mutilauit. Idem apud eundem lib.3. Regij quidam custodes ab Intapherne passi sunt. Ex ea, credo, consuetudine apud Herodotum eodem libro Zopyrus vt se ignominiosè acceptum ostenderet, aures sibi, & nares amputauit. Vide Plutarchum de tranquillitate, vbi nonnihil de hoc ignominioso supplicio. An verò hæc passi fuerint Iudæi à Babyloniis, non constat: contigisse non videtur dubium ex hoc loco. Fortasse in hoc supplicio, quod erat quasi legitimum in adulteros, illa omnia intelliguntur incommoda, quæ Gens illa, quæ à legitimo thalamo defecit, passa est, tanquam violati tori pœnas dederit à lege, vel à consuetudine constitutas.

51. *Nasus regum symbolum, aures iudicum.* Allegoricè hæc quidam interpretantur, putántque in naso Regnum intelligi, siue Regem, quia in naso, qui odoratur, & præsentit absentia, prudentia designatur, quæ in eo, qui sedet ad reipublicæ clauum, maximè est necessaria; in auribus verò Sacerdotes, à quibus populus doctrinam accipit, & legem; ita Rab. Dauid, & Chaldæus Paraphrastes, à quibus non longè abit Hieronymus, qui in naso Reges, in auribus iudices intelligit. Et sanè magis naturæ rerum consentaneè; Sacerdotibus enim magis os, & lingua necessaria sunt, quorum labia custodiunt scientiam: iudicibus verò qui de rebus auditis cognoscunt, & iudicant, necessariæ omnino sunt aures, quas qui abstulerit, omnino iudicandi facultatem præciderit. Huic sententiæ suffragantur valde, quæ proximè sequuntur. Ita enim de reliqua multitudine loquitur; ac si diuersum essent aliquid ad his, quos aures, & nasus allegorico sensu repræsentant.

52. *Et quæ remanserint, gladio concident.*] Sæuiendum videtur primùm in eos, qui in naso, ac auribus videntur adumbrati; neque id mirum, cùm hos Chaldæi arbitrarentur violati fœderis auctores extitisse. Hi ignominiosè tractati sunt, vt de Sedecia, virisque principibus liquet ex Ierem. cap.39. De reliquis quid actum sit, quomodo aut extincti ferro, aut in exilium abducti, satis multa apud Prophetas: de eo, quod in ea clade postremum fuit, quomodo conflagrarint incendio, templum nempe, & vrbis reliquiæ, habes lib.4. Reg.c.25.

53. *Ipsi filios tuos, & filias tuas capient.*] Obseruat hoc loco Hieronymus illa, quæ Deus exprobrat, ac respuit, appellare non sua, sed illorum, à quibus concepta, siue quæsita sunt. Quare hîc non dicit *filios meos*, aut *filias meas*; sed *filios tuos*, quia de adulterio generati sunt. Similiter, quæ non probat, sua esse negat, certè non vocat sua, sic Isai.c.1. *Calendas vestras, & solennitates vestras* dicit, non *suas*; quia non in illis colebatur. Et Exod.cap.32. cùm de populo ageret, qui vitulum adorarat, dixit ad Moysem, *Vade, descende, peccauit populus tuus.* Quasi dicat, populus hic iam meus non est.

54. Vers.26. *Et denudabunt te vestimentis tuis; & tollent vasa gloriæ tuæ.*] Illud prius ignominiam notat, quam subeunt apud barbaros, & illiberales dominos ingenuæ etiam fœminæ; cùm in seruilem statum abiectæ sunt. De qua suprà vers.10. ad illud, *Ipsi discooperuerunt ignominiam eius.* Vasa gloriæ ornamenta illa sunt, quæ in mundo muliebri continentur, quibus ad gloriam, & elegantiam vtuntur puellæ; de quibus Isaias latè cap.3. Vas enim apud Hebræos multa significat; & ad illa accommodatur, quæ ad quodcumque opus instrumenta sunt, qualis hoc loco, est fœminarum cultus paulo lautior, quem ad delicias, & geniales dies adhibere solent. Quanta verò futura sit in filiabus Ierusalem, vitæ, cultúsque conuersio; significauit eleganter Isaias cap.3. ad finem, *Et erit pro suaui odore fœtor, & pro Zona funiculus.*

55. Vers.27. *Et requiescere faciam scelus tuum de te.*] Maldonatus purgationem hîc agnoscit, quæ populi

puli illius sordes eluat, & excoquat rubiginem. quod licet in ferrea fornace tribulationis igne perficiat Deus, id tamen a paterno potius, quam ab odio nascitur hostili. Id verò sæpe facit tum hic Propheta, tum etiam alij; qui & læta subiungunt sæpe tristibus, & purgatum iri dicunt populum, postquam tribulationis procella deferbuerit. Placet nihilominus Hieronymi sententia, quem alij frequentes sequuntur, qui putat cessaturam esse deinceps fornicationem, & scelus, quia omnia etiam cessabunt, quæ in metaphorica illa meretrice fuerant blandimenta, siue illecta menta libidinis. Formæ decor, ac species, tum etiam externus cultus lautus, & splendidus lenocinia quędam sunt ad artem, quæstúmque meretricium, quæ capiunt lenonios oculos, & leuiculos stultorum animos inflammant. Illis omnibus abundabat Hierosolyma, quam externi populi admirabantur, & amabant; qui postquam illam nudam, excisámque contemplati sunt, cum sibilo, & plausu dicebant Thren.2.v.15. *Haccine est vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ!* Hæc tamen omnia abstulit Deus à Hierosolyma, ne quid esset, quod impuros amatores alliceret. Quare fœdauit faciem naso, atque auribus turpiter abscissis, spoliauit illam ornamentis gloriæ, inique reliquit speciem, atque habitum, vt magis ad fastidium, & nauseam, quàm ad amorem, spectatorem moueat. Quare cùm nihil in ea viderent pulcrum, & optabile, qui priùs illam admirabantur, & ad amplexum, & thalamum vocabant, spreuerunt illam, atque ideo cessauit meretricius quæstus, & scelus, cui ipsa priùs vsque adeò intemperanter indulserat.

Quæ blandimenta libidinis.

56. *Nec leuabis oculos tuos ad eos.*] Signum est pudentis animi, & confusione pleni, oculos humi defigere, neque eleuare illos, vt quenquam aspiciat, imò & fugere in tenebras, ne à quoquam videatur. Quod signum à profanis sæpe ponitur in eo, qui sceleris conuincitur, aut in aliquo flagitio deprehenditur, apud quos in eo affectu describendo frequens est, *vultum deiicere humi: oculos humo non attollere*; & similia. Quod etiam apud Sacros non infrequens. 2. Reg.c.2. v.22. dixit Abner ad Asael, *Recede, & noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.* Et de Publicano, qui se peccatorem fatebatur, scribit Lucas cap.18. *Et publicanus à longè stans nolebat oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum,* &c. Sic ergo Hierosolyma insolens priùs propter speciem, & gloriam, post verò ad ignominiam nudata, neque subire auderet hominum oculos, atque ideo secessum amaret, & latebras; neque sine graui pudore leuare posset deformatam faciem, qualem in Deiphobo descripsit Virgilius lib.6. Æneid.

Peccatorum oculi attollere non sinit.

——— *populataque tempora raptis*
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

57. *Et agent tecum in odio.*] Agebant olim amatores cum Hierosolyma, non in odio; vt ipsi saltem præ se ferebant, quia se amicos profitebantur, & in hostili forsitan odio, hilarem, atque beneuolum vultum simulabant. Post verò aut mutabunt animum antè beneuolum, aut depositâ amicitiæ larua, agent cum illa hostiliter, neque minus odio prosequentur in illa fortunæ conuersione, quàm antea amore, atque studio prosecuti fuerant. Id enim fieri aliquando solet, vt amicitiæ, maximè cùm illas auaritia, aut turpis aliqua ratio coniugauit, conuertantur in odio: vt probat satis illud 2. Reg.c.13. nã cùm priùs Ammon sororem suã Thamar ad morbum vsque deperiret, quia turpis voluptas illius incesti amoris fax prima fuit. *Exosam eam habuit Ammon odio magno nimis; ita vt maius esset odium, quo oderat eam amore, quo antea dilexerat.* Hinc ortum est, vt aures ab illo amputarentur, & nasus, vt eò adduceretur ignominiæ, vt neque illos spectare posset præ pudore, qui ipsius congressum olim, & consuetudinem amabant.

Amicitia quæ non est in Domino sæpe in odiũ maximum conuertitur.

Vers.31. *In via sororis tuæ ambulasti; & dabo calicem eius in manu tua.*] De moribus, & supplicio Oollæ satis multa suprà; cuius vestigia secuta est Ooliba: quare non est, cur meliùs de se aut speret, aut cogitet. Bibet enim de calice, qui propinatus est sorori, neque minùs largiter, neque magis benignè. Porrò quid sit de calice bibere, aut vnde sumatur prouerbialis metaphora, diximus ad illud Ieremiæ cap.25. *Sume calicem vini furoris.* Neque aliquid occurrit noui; cúmque non minus in hunc locum, quàm in illum conueniat; quod ibi de calice dictum est, illud hic indè transscribere libuit. 58.

Sæpe in Scriptura sacra calicis auditur nomen, ídque prouerbiali forma. Neque semper eodem sensu, modò enim aliquid significat secundum & dulce, modò aliquid inauspicatum, & acerbum. Vt enim *bibere*, aut *inebriari*, & nomen ipsum *vini*, ac *cella vinaria* summam significat voluptatem (vt pluribus ostendimus ad illud Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam;*) sic nomen *calicis*, in quo vinum illud propinatur, quod inebriat, & exhilarat, pro ingenti voluptate sumitur, maximè quæ ex amore capitur, qui ebrietatem inducit, & ecstasim facit. Augustinus in illud Psal.35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. Cùm accepta, inquit, fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, & inebriatur ab vbertate domus Dei.* Vnde in alio Psalmo dicitur; *Calix meus inebrians quàm præclarus est.* 59.

Prouerb. Calix dulce interdum aliquid, interdum amarum significat.

Sed plerumque *calix* pro amaro sumitur poculo, pro afflictione, & morte, præsertim apud Prophetas, sicut etiam *ebrietas*. Sic Psal.10. *Spiritus procellarum pars calicis eorum.* & Psal.74. *Calix in manu Domini, &c. bibent omnes peccatores terræ.* Apoc.14. *Hic bibet de vino iræ Domini, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius.* Et Christus Ioan.18. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum.* & alibi millies. Vnde verò prouerbialis hæc figura ortum habuerit, obscurum est, mihi etiam nunc probatur maximè, quod in Isaiæ commentariis dixi ad illud cap.51. *Quæ bibisti de manu Dei calicem iræ eius vsque ad fundum.* vbi ostenditur, probatúrque moris apud Hebræos fuisse, vt morte damnatis, iamiámque subituris supplicium vinum porrigeretur conditum, & nobile, quod sensus sopiret, & doloris acerbitatem adimeret. Hic porro calix vinum stuporis, seu tremoris vocatur; tremoris quidem qui trementibus propter mortis horrorem propinatur; stuporis, quia stuporem, & torporem quendem membris inducit, obtundítque sensum, vt minus crucietur cùm secatur, aut vritur. Hoc vinum propinatum fuit Christo, iamiam in crucem ascensuro, quod myrrhatum dicitur, id est, myrrha conditum: ita putat Baronius 1.tom. Annal. anno Christi 34. Maldonatus in illud 27. Mat. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Idem docet Franciscus Suarez t, 16. in 3.p. S.Thom. disp.46. section.3. & Salmeron tom.5. tract.35. tradit hoc in mandatis Hebræos habuisse. Vide quæ diximus ad locum Isaiæ suprà, 60.

Morte damnatis calix porrigi solitus.

Christo cur datum myrrhatum vinum.

A quibus vinum damnatis propinari solitū.

prà, vbi hac de re pluribus. Et adde ex Galatino lib.8. cap.19. qui tradit in libro Sanhedrim, in capite, quod incipit, *Nigmar haddin*, hoc esse definitum. Citat autem hæc verba ex Rab. Hasda: *Quòd occidendus egressurus potabatur puluere incensi in cypho vini, quatenus separetur sensus eius ab eo. Sicut dictum est Prouerbiorum 31. Date ebriatiuum perdito, & vinum amaro animo. Erant autem in Ierusalem mulieres honestæ, quæ hæc sponte mittebant.*

62. Vers.32. *Calicem sororis tuæ bibes profundum, & latum.*] Modus hic dicendi vitam indicat ærumnosam, & tristem: calix namque profundus, & latus, necesse est plurimum contineat fellis, & absynthij; & potionis illius, quam hostibus suis Dominus propinat; ex quo ad ebrietatem vsque largiter hauriant. Satis autem profundus fuit ille calix, qui aures abstulit, & nasum; qui omnibus ornamentis nudauit Hierosolymam, qui à fundamentis vsque ciuitatem excidit: neque in ea, inducto ad extremum igne, vllum reliquit antiquæ nobilitatis, & gloriæ vestigium. Satis item fuit latus, quando ad septuagesimum vsque annum status ille ignominiosus, & turpis productus est, Ita Hieronymus, & Theodoretus. Quia verò subsannatio, quia dolorem ipsa inuehit, & pudorem, calix quidam est; capacissima dicitur, id est, profunda, & lata, sicut calix; quia licèt reliqua, quæ tam in obsidione, atque exilio pertulit, grauissima fuerint; ignominia tamen, atque confusio ex cōmutatione fortunæ, & ex hostium procaci, ac petulāti ingenio, longè maxima fuit. De qua sæpe in Threnis queritur Ieremias.

63. Vers.33. *Ebrietate, & dolore repleberis.*] *Ebrietas* prouerbiali specie, pro dolore sumitur, grauíque supplicio. Vt enim qui è calice bibit, vt proximè diximus, aliquid significatur subiisse molestum; sic qui ad ebrietatem potasse dicitur, eius supplicium ostenditur esse maximum, neque enim temulentus est, nisi qui largè potauit è calice. Quomodo ebrietas pro maximo sumatur dolore, seu perturbatione, diximus in nostris commentariis in Isaiam ad illud cap.29. *Inebriemini, & non à vino.*

64. Vers.34. *Epotabis vsque ad faces, & fragmenta eius deuorabis.*] Fæces extremum significant in quacumque re, quia fæces in fundo subsedere dolij. Vnde de fæce haurire, est rem ad extremum vsque esse deductam. Qui ergo ad fæces vsque potat, ille nihil omnino poculentum relinquit in vasculo. Minatus Deus fuerat Iudæorum populo plurima, & grauia omnia ad vnum affirmat esse deuoranda, sicut qui fæces etiam bibit è calice, nihil non bibit; neque id solùm in ærumnarum multitudine, ac pondere, sed etiam in illarum duratione futurum affirmat. Vltimum verò captiuitatis tempus vocari etiam posset exilij fæces, qualis esset annus à migratione septuagesimus. Ait ergo Dominus nihil de prædicto à Ieremia captiuitatis spacio esse remittendum, neque fæces quidem ipsas, quas homines stomacho nauseante fastidiunt.

Prouerb. Ad fæces vsque.

65. Addit deinde, quòd rem ipsam magis explicat, & amplificat, ipsa quoque fragmenta calicis esse deuoranda. Contingit enim persæpe in vasis maximè fictilibus, ac ligneis, vt liquor, quem in calicem infuderis, sic imbuat calicem, vt inolescat illi, neque vllo modo ab eo separari possit; aut penitissima etiam subeat, & penetret. Id verò periisse videbatur de amaro illo potu, quem Dominus Iudæorum Genti in calice miscuerat. Quare dicit Dominus ipsum quoque vasculum, quod eo liquore commaduit, esse deuorandum: quóque id fieri commodiùs possit, in fragmenta quædam minutim esse confringendum. Auidum hominem significamus, aut rabida fame vehementer vrgeri, qui catillos lingit, at longè ille magis vrgetur, non à fame, sed ab vltrice Domini dextera, qui etiam calicis fragmenta vorat; quæ liquor ille fellis intinxit. Simili forma vsus est Isaias cap.51.v.17. *vsque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti vsque ad faces.*

Vbera tua lacerabis.] In dolore graui, factique pœnitentia sæuire solent homines in illos, qui tanti sibi mali autores fuerunt. Hinc Mutius manum illam cremauit, quæ errauit à vulnere. Simile aliquid de Atti fabulantur poëtæ. Ad hunc credo modum Ierusalem, quæ Ægyptiis, & Babyloniis vbera subigenda præbuerat, quæque eam fuisse causam vel ex hoc Ezechielis loco cognouerat, cur tanta fieret rerum, fortunæque conuersio, à suis vberibus pœnas exegit seuerissimas. Illa igitur lacerauit vnguibus, neque minus deformauit, cruentauítque suis ipsa manibus, quàm ipsius faciem ablatis auribus, ac naso amatores infideles, & duri deformauerant. Hæc mihi magis sunt probabilia, eo maximè nomine, quod pluribus placent. Sed fortasse vbera hoc loco idem sunt, quod vberum integumenta, sumi autem illam corporis partem, quæ ornatur, aut tegitur, pro ipsius integumento, aut ornamento, multis ostendimus in nostris commentariis in Cantica, prolegom.9. & de vberibus putabamus esse non improbabile; quia vsitatum etiam est, vt res contenta sumatur pro continente; quomodo *Vcalegon*, pro Vcalegontis domo, *manes* pro inferno, seu Pluto; & Deut.8. *pes* pro calceo. Sic nunc vestis, qua velantur & includuntur vbera, quæ sinus dicitur, vberum significatur vocabulo. Estque vsitatum, & consentaneum rerum naturæ; vt si discindendæ sunt vestes in dolore, aut offensione, discindantur earum illæ partes, quas commodiùs, & propiùs manus apprehendere, ac lacerare possunt; eæ verò sunt, quas nos communiter *sinus* appellamus. Id docent antiquæ picturæ, quæ non alias in dolore conscerpunt partes; vt in Iob, Iephthe, Caipha, & pluribus aliis intuemur. Et historiæ, seu fabulæ, quæ rerum vsum, & naturam imitantur. Ouid. epist.5.

66. *Pœnitentia quomodo sumat de peccato pœnas.*

67. REGVLA. *Pars corporis pro eius tegumento.*

Sinus in dolore discissi.

Tunc fleui, rupique sinus, & pectora planxi.

& epistol.12.

Protinus abscissa planxi mea pectora veste;
Tuta nec à digitis ora fuere meis.

Fortè lacerare vbera idem est, quod pectora plangere, id est, pugno percutere; *vberibus* enim significari pectora, mihi dubium non est. Hoc verò signum esse pœnitentis animi, docet Christianorum in precando consuetudo, qui pugno tundunt, seu plangunt pectus. neque hoc postremum mihi displicet. 68.

Pectoris in dolore & pœnitentia percussio.

Vers.35. *Proiecisti me post corpus tuum.*] Hieronymus duas hîc explicationes indicat, cásque satis ad sponsæ adulteræ, & meretricis ingenium consentaneas. Altera vt *corpus* pro *dorso* adhibeatur, totum videlicet pro parte, in hunc sensum, *proiecisti me post tergum tuum: aut facie ad amatores alios conuersa, tergum ad me inuerecundè conuertisti.* Altera vt *corpus*, pro illis vsurpetur voluptatibus, quæ à genio sunt, seu à sentienti, seu à vegetatiua facultate; quibus homines, dum immoderatè seruiunt, pudorem interdū omnem, & omnem sæpe religionem abiiciunt. Vtraque mihi expositio apta est, & veritati, & textui; tu vtramlibet elige. 69.

Vers.36.

70. Vers.36. *Nunquid iudicas Oollam, & Oolibam.*] De hoc dicendi genere diximus suprà cap.22. in principio,& cap.20.vers.4.neque est aliud, quod à me lector amplius requirat.

71. Vers.37. *Quia adulteratæ sunt.*] Hæc sunt crimina, quorum arguere, atque damnare iubetur Propheta duas sorores. Quæ ad versum vsque quadragesimum sunt, explicatione non egent; satis enim nota sunt ex his, quæ sæpius à nobis iterata in superioribus.

72. Vers.40. *Miserunt ad viros venientes de longè.*] Hoc est quod suprà dictum fuerat, non solùm metaphoricas hasce meretrices admisisse amatores,à quibus ipsę ad vsum prostituti corporis essent prouocatæ; sed illos vltro ambiisse, aduocasséque ab vltimis terrę finibus,ab Ægyptio videlicet, atq; Assyrio tractu, vsqueadeo illas neq; tędebat,neq; pudebat illius impurę mercimonię.

73. *Quibus te lauisti, & circumlinisti stibio oculos tuos.*] Hoc idem Isaias dixerat cap. 57. v.9. *Et ornasti te Regi vnguento,& multiplicasti pigmenta tua, misisti legatos tuos procul.* Quæ hîc vnguenta,seu pigmenta vocat Isaias, id puto ab Ezechiele dici *lauari aqua*, quæ odorata est, aut ad conciliandum pulcritudinem ex arte condita. Oculos stibio pingi,seu fuscari solitos,videtur olim apud Hebræos vsitatum valde, sicut etiam olim apud Hispanos. Sic Ieremias cap.4.v.30.de hoc eodem populo,quasi de meretrice,ait: *Cùm ornata fueris monili aureo,& pinxeris stibio oculos tuos.* Et 4.Reg.9. v. 30. Iezabel eodem modo ornata, atque fucata dicitur. Porrò quem suprà Isaias Regem vocat, illum esse sponsum,vel amasium,diximus in nostris commentariis in illum locum: nam in re nuptiali noui coniuges se mutuo amatorio blandimento Reges,ac Reginas salutant.

Stibij vsus apud Hebræos.

74. Vers.41. *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te,thymiama meum,&c.*] Instructũ proponit,& apparatũ, quo meretrices paulo lautiores excipere solent,& ornare amatores suos. Idque dolet,& queritur liberalis spõsus;quod quæ ipse ad vsus alios longè dissimiles sponsæ præbuerat,idem illa ad cõciliandum, fouendúmque impurum amorem ingrata contulerit; quod alio in loco fecerat eodem affectu, & verbis non admodũ diuersis. Oseæ cap.2.& suprà cap.16.v.17. *Tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi,& fecisti tibi imagines masculinas,& fornicata es in eis,*&c. *Et oleum meum, & thymiama meum posuisti coram eis.* Eodem modo,aut non valde dissimili meretrix quædã domum ornauerat, vt incautum ad se iuuenem pelliceret;Prouerb.cap.7. Quomodo olim mensa solita fuerit ornari, & conuiuæ in lectulis discubuerint, à primis Hebraici populi temporibus; diximus ad illud Cãtic.cap.1. *Dum esset Rex in accubitu suo.* Vide Pradum ad hunc locum, vbi de triclinio, ritúque discumbendi satis luculenter. Qua de re Petrus Ciaconius eruditum opus molitus est.

75. Vers.42. *Et vox multitudinis exultãtis erat in ea.*] Accedebat ad mensæ ornamenta,siue blandimẽta alia, quæ exhilarare solet conuiuiũ,numerosa symphonia;quæ à splendidis conuiuiis abesse nõ solet; id planè valet illud, *vox multitudinis exultãtis*,nisi mauis esse confusam vocem exultãtis,tumultuantísque lasciuæ turbæ,quę amasiis gratuletur, sponsæque laudat liberalẽ animum, & geniales epulas. Porrò huiusmodi conuiuiis familiarem esse musicam quamplurima docent Scripturæ sacræ testimonia.Isai.cap.24.*Cum cantico nõ bibent vinum.* Et idem cap.5. *Cithara,& lyra,& tympanum in conuiuiis vestris.* Eccli.cap.49. de Iosia, *In omni ore indulcabitur eius memoria,& vt musica in cõuiuio vini.* Et in nouo etiã Testamẽto musica etiã in conuiuiis auditur Lucæ c.15. vbi in cõuiuio, quo fugitiuum filium pater excepit, chorus auditur,atque symphonia. Quod etiam apud profanos haberi,tanquam conuiuij splendidi legitimam partem, probat apud Homerum Iliad. 1. Apollo,in Deorum,& Odys.lib.11. Demodocus in Alcynoi cõuiuio,& apud Virgil.lib.1. Æneid. Iopas qui in hospitali mensa modulati tradũtur.

Musica in conuiuiis adhiberi solita.

76. *Et in viris,qui de multitudine hominum adducebantur, & veniebant de deserto.*] Vbi vulgatus *in viris*, Heb. est אל אנשים *el anasim*, quod variè à variis exponitur. Quidam *in* idẽ hîc valere existimant, quod *cum*, ita Rab.Dauid, & illum secuti Pagninus, Vatablus, & Isidorus vertunt *cum viris*: qui sic transferunt totum locum, *Et cum viris,vt multiplicarentur homines, adducti sunt Sabæi de deserto.* Quasi ad explẽdam metaphoricè illius scorti libidinẽ nationes aliæ non sufficerent. Septuaginta hæc cum iis,quæ antecessere cõtexunt. *Et vocem harmoniæ resonabãt ad viros ex multitudine hominum,venientes de deserto.* Quorum translationẽ nõ improbat Hieronymus, imò ad illam consentaneè hunc sic exponit locum. *Omni genere musicorum caneres,vt non solùm visu,sed & auditu,& odoratu,& cũctis sensibus placeres amatoribus tuis, qui venerunt ad te ebrij: nõ vrbanæ alicuius elegantiæ,sed de deserto,ac solitudine rusticorum, ac latronum habitum præferentes. Et in tantam exarsistis,ô sorores pessimæ, insaniam voluptatũ,vt armillas vestras,& discriminalia imponeretis manibus,& capitibus amatorum vestrorũ,siue vobis ipsis,vt plena ornatu turparemini.* Hæc Hieron.

77. *Posuerunt armillas in manibus eorũ, & coronas speciosas in capitibus eorum.*] In Hebraico textu tã in *dederunt*,quàm in *capitibus eorum*, genus est fœmineum. Vnde quidã exponunt,non esse datas viris à mulieribus,sed contrà mulieribus à viris amatoribus armillas,& coronas,maximè cùm armillæ fœmineum potiùs brachium deceant, quàm virile. Sed credo Hebraicum textũ hîc syncerum nõ esse,sicut alibi persæpe: neque enim Septuaginta iam olim,& postea Hieronymus, & Chaldæus pronomini illi, & verbo genus tribuissent fœmineũ,si quos nũc habemus Hebraicos codices,ipsi quoque suo quique seculo nacti fuissẽt.

78. Neque illud armillarum ornamentum, quod existimatur esse muliebre, nimis premit vulgati translationem. Certum est enim illis temporibus armillarum delicias tam viris, quàm mulieribus fuisse cõmunes. Sanè Iudas eo etiam tẽpore,quo pergebat ad inuisẽdos greges,quando neque cura,neque locus esse solet elegãtiæ, armillarũ secum ornamenta gestabat,Gen.38.à quo Thamar, cùm sederet in biuio cum habitu meretricio, pignori sibi armillã postulauit. Et lib.2.Reg.c.1. Amalecites ille, qui occidit Saul, armillã ex illius brachio, & coronã de capite detractã attulit ad Dauid. Adde quod multis pòst sæculis Romani gens bellicosa,quæque delicias omnes, maximè quæ aliquid olerent muliebre,vehementer horrebant,armillas etiã dum essent in castris, virtuti bellicæ, & duro illi viuendi generi non arbitrabantur indecoras. Quarũ in Romana historia nõ infrequẽs mẽtio. Accedit,quòd hęc metaphorica meretrix suprà c.16.v.33.dedisse traditur amatoribus dona,nõ ab amatoribus accepisse;quod vt cũ vulgati trãslatione bellè consentit; sic cũ aliorũ cogitatione pugnat. *Omnibus meretricibus dantur mercedes,tu autẽ dedisti mercedes cũctis amatoribus tuis*, &

Armillæ tàm viris quàm fœminis cõmunes.

& dona donabas eis, vt intrarent ad te. Et clariùs statim v. 34. *Dedisti mercedes, & mercedes non accepisti.*

79. Hæc mihi difficilia non sunt, sed addá explicationem aliam, quæ mihi displiceret minus, si ducem haberem vllum, quem sequerer, & cuius auctoritatem huic meæ cogitationi prætenderé. Veri mihi valde videtur simile hæc omnia ab illis verbis vers. 41. *sedisti in lecto,* ad versum vsque 43. aliquid olere nuptiale; & ritus illos indicari geniales, qui in nuptiis, epithalamiisque solemnes erant, & quasi legitimi Israëlitis. Neque id alienum est ab illa exprobratione, qua Deus infidelem sponsam, & impudentem exagitat, cùm non aliter ambiat, aut accipiat amatores, quàm legitimo ritu iniri solent, & celebrari à castis sácta connubia. Hæc porrò singula, quæ hîc commemorantur, in Hebræorũ connubialibus sacris, & epithalamiis peragi, docuimus in nostris cõmentariis in proleg. 3. quæ tunc constabunt magis, cùm eorum singula cõmentádo lustrabimus.

Ritus nuptiales apud Hebraeos.

80. Vers. 41. *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mẽsa ornata est ante te: thymiama meũ, & vnguẽtum.*] In nuptialibus sacris instructum esse geniale conuiuiũ, cum strato, seu lecto, quod vnguentis irrorabatur, & pretioso aromate, constat ex cap. 1. Cantic. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Vbi *accubitus* lectum significat, non cubicularem ad somnum, sed discubitorium ad mensam. Nardus verò, fasciculus myrrhæ, botrus cypri vnguentum sonant, & thymiama.

In nuptiis geniale conuiuium.

81. Vers. 42. *Et vox exultantis multitudinis erat in ea; & in viris.*] In nuptiis esse genialé plausum, & cáticum, quod epithalamium vocant, satis constat, ex libro Canticorum, vbi etiam canentium multitudo est, quæ in nouorum cõiugum laudes incumbunt. Id ego his verbis contineri arbitror. Et licèt id admittat nostra translatio, quæ habet *in ea,* nempe meretrice, quæ se gerit pro sponsa; & *in viris,* qui amatores sunt, & adulteri, videri tamen volunt sponsi, aut certè non aliter, quàm sponsi accipiuntur; verùm sensus esset magis apertus, si quod non solùm patitur, sed etiam exigit sensus Hebraicus; *in eam,* & *in viros,* conuertisset. Esset enim sensus, *Exultans turba copiosa, qualis stipare solet genialem pompam, aut conuiuium, in meretricem, quæ sponsæ sibi speciem assumpsit, & in amatores tanquã sponsos, festiuum canet epithalamiũ.* Quod verò hæc per accusatiuum conuerti possent non incommodè, credet facile, qui duarum præpositionum Hebraicarum, vim, & proprietaté agnouerint. ב *beth* etenim non rarò motum significat in locum, & accusatiuũ amat. Gen. 16. de Ismaël, *Manus eius* בכל *bacol,* id est, contra omnes, aut in omnes. & manus omniũ contra eum. Heb. בו *bo.* & Leuit. 16. *Mittet hircum* במדבר *bamidbar.* id est, *in desertũ.* Sic ergo hoc loco; *vox multitudinis exultantis* בה, conuerti posset *in eam,* id est, in eius cõmendationem. De præpositione alia אל, quæ cũ *viris* coniungitur, minus est dubitandũ, quæ nullũ ferme casum aliũ, quàm accusatiuũ admittit.

In nuptiis musica.

82. *Veniebant de deserto.*] Extra ciuitatem, vt Hebræorum ferebat cõsuetudo, in vrbem noui traducebantur coniuges, cum geniali plausu, à frequente turba, & festiua symphonia. Locus verò, qui erat extra ciuitatem, cum ciuitatis frequẽtia cõparatus, desertum dicebatur, & solitudo. Hinc sæpe audis in Salomonis epithalamio *deserti* nomen, vnde in vrbem traducuntur sponsi. Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* Et rursus cap. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* Hîc porrò subaudiéda similitudinis nota. Quasi dicas, vox erat

Ex deserto deducebantur noui coniuges.

A in illarum meretricum conuiuio illi quàm simillima, quæ sponsos aut prosequitur, aut excipit, cùm è deserto in ciuitatem ascendunt.

Posuerunt armillas in manibus earum.] Si, vt textus habet nunc Hebraicus, & multi è recentioribus conuertunt, *posuerunt,* & *eorum* in genere essent fœmineo, ita vt armillæ ab amatoribus datæ fuerint, hæc quoque bellè in nuptiales ritus conuenirent; quia sponsus in nuptialibus deliciis hæc ad sponsæ cultum conferre solet, iuxta illud cap. 1. Cant. *Murenulas aureas faciemus tibi.* Sed quia hîc immoderata describitur fœminæ libido, quæ magis virum ambit, quàm ambitur à viro; & quæ contra quàm aliæ fœminæ faciunt, B ordinem tenuit omnino præposterum, vt dixerat antè Propheta cap. 16. v. 34. ideo armillas adultero dedit, potius quàm accepit. 83.

A sponso dantur sponsæ nuptiales deliciæ.

Vers. 43. *Et dixi ei, quæ attrita est in adulteriis, nũc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc?*] Locũ hunc variè reddunt, & interpretantur auctores. Rab. Dauid quasi de ea, quæ in meretricio instituto consenuit, quæque iam cõfecta stupris, turpi illi mercimoniæ inepta est, sermoné fieri existimat, quasi iã ampliùs in illo metaphorico prostibulo futura non sit. Aut quia in alienam regioné abducta liberè meretricari non poterit. Hieronymus suam sic translationem exponit. *Quamobrẽ dixi ei, vel Ierusalem, vel Samariæ, vel vtrique, sic attri-* C *uistis frontem, vt nequaquam secretò polluamini, vel mariti, vel hominum veteris aspectum; sed instar meretricũ publicè prostituamini, quoniam ingressi sunt ad vos, quasi ad meretrices?* &c. Placet quod putat hîc Pradus, qui non longè abit à Hieronymo, induci Deum quasi admirabundum, quod Oolla, aut Ooliba, aut vtraque simul, non fuerint tamdiu, támque assiduè libidinando satiatæ, imò publicum excitarint lupanar, vbi corpus proponerent venale; & quò amatores omnes non solùm admitterent, sed etiam inuitarent. Quemadmodum si quispiã fœminam confectam senio, & emortuo iam corpore, quámque veriùs diceres aut animatum sepulcrum, aut exesum cadauer, quàm animatum D corpus, videret tamen prurire libidine, & suum illud petulans studiũ variis significare motibus, & se vltro aliorũ ludibrio illudendũ proponere. 84.

Atteri in adulteriis idem est quod subigi, aut, quod Latini dicunt, permoli; sed indicat cõsuetudiné lõgam, quasi libidinando vires, speciem, aut corpus amiserit, quæ sit deniq; exhausta stupris, atque confecta. Quomodo exagitare solent vetulas quasdam putres, fœtidas, cariosas, & tamen rabido quodam œstro pruriẽtes in Veneré. 85.

Vers. 45. *Viri ergo iusti sunt, hi iudicabũt eas iudicio adulterarum, & effundentium sanguinem.*] Cõicit iã Deus sponsam adulterã, profundę, vagaque libidinis; quare iudices iã eligit, seu potiùs sui iudicij E executores, & ministros, qui decretum à summo iudice, suppliciũ exposcant. Hi verò sunt Assyrij, qui de Oolla, & Babylonij, qui de Ooliba igne, ferróque, aut alio grauiori iudicio decernent. Hi verò tametsi scelerati, & non tam iustitiæ vindices, quàm proditores, appellantur tamen iusti; quia iustitiæ diuinæ, in qua nihil iniustum est, aut fallax, administri sunt. Quo sensu diabolus, quantumuis veterator, sitiénsque nostri sanguinis sit, iustus dicitur; quia iusti iudicij minister est, neque in eo sumendo, tam voluntati suæ pessimæ, quàm æquissimo Dei decreto paret. Dixit hoc optimè Gregorius lib. 2. Mor. cap. 10. *Sciendum verò est, quod satana voluntas semper iniqua est, sed nunquam potestas iniusta: quia à semetipso volun-* 86.

Qui Dei exequitur decretum alias supplicium, licet alioqui iniustus, iustus tamen vocatur.

tatem

tatem habet, sed a Domino potestatem. Quod enim ipse facere inique appetit, hoc Deus fieri non nisi iuste permittit. Vnde bene in libris Regum dicitur, Spiritus Domini malus irruebat in Saul. Ecce vnus, idémque spiritus & Domini appellatur, & malus: Domini videlicet per licentiam potestatis iustæ; malus autem per desiderium voluntatis iniustæ.

87. Iudicium sæpe pro condemnatione sumitur, damnatio autem, siue supplicium adulterarū, lapidatio est; quare statim additur, & lapidentur lapidibus populorum. Sanè Ioan.8.v.5.cum fœminam in adulterio deprehensam Pharisæi deducerent, dicunt ad Iesum, *In lege mandauit nobis Moyses huiusmodi lapidare.* Non sunt in lege expressa verba, quæ adulteram fœminam lapidatione puniant. Verùm hic locus Ioannis non difficilè cōuincit. Neque enim viri illi in lege versati dixissent, contra quàm sentirent omnes, & populus consuesset, adulteria punire; neque dixisset Christus, *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Non enim videbatur esse dicturus, vt lapis mitteretur in adulteram, nisi adulterij crimen esset decreta lapidatio. Accedit quòd cùm hoc loco iudicandæ dicantur Hierosolyma, atque Samaria adulterarum iudicio, statim videtur explicari quodnā sit illud iudicium, dum additur, *Et lapidentur lapidibus populorum.* Quare nunquam probaui cogitationem illorum qui deceptos esse dicunt Pharisæos; aut aliquid falsum attexuisse legi, dum dicunt iussum esse à Moyse, vt lapidibus plectatur adulterium.

Lapidatio adulterij pœna.

88. Vers.47. *Et lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladio eorum.*] Duo crimina obiecta fuerāt duabus sororibus Oollæ, & Oolibæ, adulterium, & cædes: quibus duo hic proponuntur supplicia, lapidatio, & gladius; lapidatio, vt diximus, adulterio, cædi autem, & sanguini gladius respondet. Cùm autem adulterium hoc loco nō proprium sit, sed metaphoricum; sic etiam lapidatio propria non est, neque enim lapidatos scimus, aut lapidari potuisse tot populos, támque frequentes ciuibus. Est autē hoc loco lapidatio durum, atque ignominiosum supplicij genus,

A quod propter Idolomaniam, spiritale nimirum adulterium subiere sorores illæ duæ. Hæc eadem ferme habes supra cap.16.v.38. vbi adulterio, & sanguini decretus est lapis, & gladius. Vide quæ ibi diximus.

Vers.48. *Et auferā scelus de terra.*] Ex Hebræorū idiomate auferre scelus, aut malum de terra, nihil est aliud, quam peccatum punire, maximè si pœna capitalis est. Sic cùm vndecim tribus Iudic.cap.20.v.13. statuerunt animaduertendū esse in quosdā de Benjaminitis, dixerunt ad reliquos ex eadem tribu: Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Israël. Et Deut.cap.13. 17.21. 22.24. & alibi sæpe, malum dicitur auferendum B de terra, aut de medio populi, cùm scel' aliquod suis afficitur pœnis. Dicitur autē peccatore mulctato scelus auferri de populo; vel quia sceleratus anfertur, sumpto videlicet abstracto, pro cōcreto; vel quia viuere censetur peccatum, & esse quasi peccatorum fœcunda radix, quandiu non exscinditur. Auferri autem, seu tolli de terra plāta dicitur, cùm de terra euellitur, aut abscinditur: tunc autem de terra, ait Dominus, auferetur scelus, quando lapidetur adultera, aut quæ sanguinem effudit, ferro conficiatur; quia sicut scelus illud impunitum ex vitiata stirpe noua quotidie germinabit scelera; sic scelus seuerè castigatum C vitiorum euellit fibras, & stirpes elidit. Vnde consentaneè sequitur:

89. Auferre scelus idem quod punire.

Scelus impunitum alit, punitū eradicat peccata.

Et discant omnes mulieres, ne faciant secundum scelus earum.] Accommodatè hæc dicuntur ad eas, quæ propriè dicuntur adulteræ. cùm enim mulieres aliæ videant animaduersum esse tam grauiter in adulteras, ipsæ ex periculo discent alieno, suo quoque timendum esse capiti, atque ideo ignominioso illo supplicio deterritæ, melius quā ante & honori suo consulent, & coniugali fidei. 90.

Vers.49. *Et dabunt scelus vestrum super vos.*] *Scelus* hîc sumitur pro sceleris pœna. Sicut *peccatū, iniquitas*, & similia. Quare hîc nihil significatur aliud, quàm subituras esse duas sorores debitas suo sceleri, atque infidelitati pœnas. 91.

IN CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

ARGVMENTVM.

ADDVCTA ollæ similitudine, in qua discoquuntur carnes, ac separantur ab ossibus, supplicium graue Hierosolymæ portenditur; & rursus sumpta ab olla similitudine altera, à qua liquefacto etiam ære in igne expiatorio, sordes tamen illius excoctæ non sunt; ostendit Iudæorum obstinatam in scelere pertinaciam: propter quod iterat rursus superiores minas. Quàm verò misera futura sit illorum exulum conditio, qui tunc cum Ezechiele in Babylonia morabantur, quibus in suorum funere lugere nefas, quique cogerentur in dolore summo habitum assumere triumphantium, in seipso docet, & portendit Propheta, qui vxorem repentè sublatam neque honore funeris prosecutus est, neque publicè plangere permissus, immò vt festiuum assumat habitum iussus est. Tandem vbi certo nuncio de Hierosolymæ, ac ciuium clade constiterit, aperiendum esse dicit propheticum os: quod dum obscurè, & symbolicè loquebatur, clausum, & mutū existimari potuit.

CAPVT XXIV.

1. *ET factum est verbum Domini ad me in anno nono, in mense decimo, decima die mensis, dicens:*

2. *Fili hominis scribe tibi nomen diei huius,*

PARAPHRASIS.

D 1. IN anno nono Regni Sedeciæ, mense decimo, decima die mensis, sic ad me Dominus locutus est:

2. Fili hominis, nota diligenter hunc diem

ius, in qua confirmatus est rex Babylonis aduersum Ierusalem hodie.

A diem, & nomen eius scribe. In eo enim Nabuchodonosor instruxit quæ necessaria iudicauit ad oppugnandam Hierosolymam, quam angusta obsidione vallauit.

3. Et dices per prouerbium ad domum irritatricem parabolam, & loquêris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Pone ollam; pone, inquam, & mitte in eam aquam.

3. Et habebis ad gentem illam rebellem, & odiosam obscurum istum, ac parabolicum sermonem, ídque meis verbis. Pone ollam, pone, inquam, ollam vt coquus assolet, & aquam infunde.

4. Congere frusta eius in eam, omnem partem bonam, femur & armum, electa & ossibus plena;

4. Coniice præterea ex carnibus frusta, quæ magis sunt electa, & lautiorum ferculis expetita, qualia sunt femora, & armi cum suis simul ossibus, quæ carnes illas
B delicatas, & molles cōtexunt, & fulciunt.

5. Pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea: efferbuit coctio eius, & discocta sunt ossa illius in medio eius.

5. Quia nihil futurum est a clade, aut vexatione reliquum, non pingues, & potentes, non pauperes fame, maciéque confecti; vtrosque in olla hieroglyphica comprehende. Assumes igitur, quod est è grege maximè medullatum, & pingue, ídque in ollam congere; & pro arida materia, qua coquuntur carnes, ossa suppone. En vide quomodo ardore ex ossea materia
C concepto efferuescat aqua, atque in ipso calore bullientis aquæ à carnibus separentur ossa.

6. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ ciuitati sanguinum, ollæ, cuius rubigo in ea est, & rubigo eius non exiuit de ea: per partes, & per partes suas eiice eam, non cecidit super eam sors.

6. Propterea hæc dicit Dominus: Væ ciuitati; quæ illis abundat, sordétque sceleribus, quæ à carne, & sanguine nascuntur: væ ollæ, cui sic adhæsit, inoleuitque rubigo, vt nullo expiatorio igne fuerit exusta! Tota eiicietur, & peribit, non quidem simul, aut eodem tempore, sed per partes: aliæ nempe aliis temporibus ac locis. Neque sortitò res agetur, ita vt sors alios da-
D mnet, & alios eximat à gladio, quod faciunt aliquando, qui superiores sunt aut fortuna, aut causa, sed omninò omnes aut gladius, aut exitus ærumnosus absumet.

7. Sanguis enim eius in medio eius est, super limpidissimam petram effudit illum: non effudit illum super terram vt possit operiri puluere.

7. Redundat tota ciuitas innocentium sāguine; & his sceleribus, quæ à carne, sanguinéque nascuntur, quæ non excipit, aut occultat puluis, & ab oculis summouet hominum; sed ita sunt omnibus aperta, atque obuia, vt nullo tegantur, aut simulentur artificio: quemadmodū si sāguis super limpidissimam petram effundatur, qui ne-
E que celatur, neque obscuratur à puluere.

8. Vt superinducerem indignationem meam, & vindictà vlciscerer: dedi sanguinem eius super petram limpidissimam ne operiretur.

8. Vt sanguis sic est effusus, vt omniū oculis conspicuus sit: sic ego, vt illius sanguinis vltor à sanguinaria illa ciuitate pœnas exigam, efficiā vt meis semper oculis occurset, perinde atque si super limpidam petram excidisset, quæ neque bibit, neque celat, quod accepit.

9. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ ciuitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram:

9. Propterea hæc dicit Dominus: Væ sanguinariæ, ac sceleratæ vrbi, quæ sic ardebit ab vltricibus flammis, vt instar habeat pyræ, id est, lignorum acerui, cui flamma supponitur,

10. Congere 10. Congere

10. Congere ossa, quæ igne succendam, consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio, & ossa tabescent.

11. Pone quoque eam super prunas vacuã, vt incalescat, & liquefiat æs eius: & confletur in medio eius inquinamentum eius, & consumatur rubigo eius.

12. Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem.

13. Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis: sed nec mundaberis priùs, donec quiescere faciam indignationem meam in te.

14. Ego Dominus locutus sum: Veniet, & faciam: non transeam, nec parcam, nec placabor iuxta vias tuas, & iuxta adinuentiones tuas iudicabo te, dicit Dominus.

15. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

16. Fili hominis, ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga: & non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ.

17. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.

18. Locutus sum ergo ad populum manè, & mortua est vxor mea vesperè, fecique manè sicut præceperat mihi.

A 10. Congere igitur, ô Ezechiel, ossa in ollam illam metaphoricam, de qua nuper: quæ ego suppositis flammis concremabo, quibus consumantur carnes; & quæ in illam coniecta fuerat tota congeries, immò & ossa, in quibus firmitatis plus est, in cineres soluentur.

11. Nunc illam vacuam carbonibus expiatoriis impone, vt calore concepto æs totum liquefiat, vt sordes, quas ex culinario ministerio contraxit, & rubigo, quæ illi penitus inoleuit, in liquefacto metallo
B consumantur.

12. Adhibui, dicit Dominus, ad purgandam Ierusalem artificium omne, & in eo expiatorio opere diu, multúmque laboraui; & licèt æs ab igne liquefactum sit, non tamen excocta est, aut consumpta rubigo, quæ simul cum ære in vnam naturam videtur esse concreta.

13. Planè execrabilis est immunditia, cùm post tot conatus, ac modos, quibus te mandare à sordibus studui, mundata non fueris. Sed neque mundaberis postea,
C quia eò obstinatio tua progressa est, vt ab hac purgatione seuera nihil acceperit; neque cessabit donec ego à flagellando, atque vrendo cessem, quod maximum furentis animi argumentum est.

14. Veniet super te, ô Ierusalem vaticinij pondus; ego ipse, dicit Dominus, cõplebo quæ nunc audis; non omittam, aut præteribo quicquam eorum quæ comminatus sum, neque vlla me ratione placabis, aut efficies vt iuxta tua merita, vitæ-
D que rationes, atque consilia non te iudicem, ac seuerè puniam.

15. Locutus est iterum ad me Dominus, dixítque:

16. Fili hominis: Ecce ego repentino abs te auferam interitu id, in quo maximè tibi places, & studiosiùs intueris, atque libentiùs, vxorem nempe tuam; in eo tamen infortunio domestico à lacrymis temperabis, & gemitu.

17. Dolebis quidem, geméſque; tacitè tamen apud animum tuum, neque finito
E vt foras vlulatus erumpat; aut mortuæ vxori legitimæ soluantur exequiæ, & funeris honor: immò coronam sume, quæ lætitiæ publicæ signum est; neque ex pedibus calceamenta depone, quod lugentium consuetudo præscribit; neque caput operies, neque funebre conuiuium institues.

18. Progressus sum matutino tempore ad populum, nunciauíque illi, quæ à Domino referre iussus sum; neque fides defuit verbis meis: nam statim vesperi, cùm nihil alij de illius interitu metuerent,

19. Et dixit ad me populus: Quare non indicas nobis, quid iſta ſignificent, quæ tu facis?

20. Et dixi ad eos: Sermo Domini factus eſt ad me, dicens: Loquere domui Iſraël:

21. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego polluam ſanctuarium meum, ſuperbiam imperij veſtri, & deſiderabile oculorum veſtrorum, & ſuper quo pauet anima veſtra: filij veſtri, & filiæ veſtræ, quas reliquiſtis, gladio cadent.

22. Et facietis ſicut feci: Ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis.

23. Coronas habebitis in capitibus veſtris, & calceamenta in pedibus: non plangetis, neque flebitis, ſed tabeſcetis in iniquitatibus veſtris, & vnuſquiſque gemet ad fratrem ſuum.

24. Eritque Ezechiel vobis in portentum: iuxta omnia, quæ fecit, facietis cùm venerit iſtud: & ſcietis quia ego Dominus Deus.

25. Et tu fili hominis, ecce in die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & deſiderium oculorum eorum, ſuper quo requieſcunt animæ eorum, filios & filias eorum

26. In

A vxor extincta eſt, ſicut mihi dictum fuerat à Domino.

19. Cùm autem ego ſolennes mortuorum honores omitterem, neque vllum ederem doloris legitimum argumentum; rogauit à me populus, ecquid hæc nouitas deſignat? cur non doces quid inuſitata hæc ratio portendat?

20. Ad quem ſic ego: Non temerè hæc facio; hic etenim hieroglyphicus ſermo, quem mihi locutus eſt Dominus, & inſuper addidit:

B 21. Loquere hæc verbis meis domui Iſraël: Ecce ego auferam quod libentiùs vident oculi veſtri, quódque imperio veſtro ornamentum eſt maximum, quódque vobis inſolẽtes generat ſpiritus, templum videlicet, quod mihi ſtabile domicilium elegeram, quod religioni vobis, admirationi, atque adeò pauori fuit. Illud enim ſic ab hoſtibus conculcari, fœdaríque permittam, ac ſi aliquid eſſet omnino profanum. Filij præterea, ac filiæ, quos, cùm captiui abduceremini, in patria reliquiſtis,
C ibidem hoſtili conficientur gladio.

22. Et ſicut ego in vxoris obitu nihil præſtiti eorum, quæ legitimo, ac religioſo ritu exhiberi ſolent in mortuorum funere: ſic neque in vrbis, templíque vaſtatione, ac filiorum interitu quicquam eorum, quæ pia Gentis veſtræ conſuetudo præſcribit, vobis ab hoſtibus præſtari licebit. Quare neque caput ferali obnubetis amiculo; neque funebres de more epulas inſtituere fas erit.

23. Vt enim blandiamini, aut gratule-
D mini Babyloniis, quorum ſubiacetis imperio, de victoria, quam de veſtra Gente, ac patria reportarunt, animo licèt mœrenti, ac lugubri; ornabitis tamen caput corona triumphali, neque pedes à calceamento nudabitis; non planctu, non gemitu vllum edetis mœroris indicium; ſed plorabitis taciti apud vos in tenebris, vt fert veſtra ærumnoſa conditio: neque præter fratres veſtros vllum habebitis veſtri doloris participem, aut teſtem.

E 24. Quare ero vobis hac noua ſpecie portentum; & exemplar eorum, quæ vobis tunc exhibenda ſunt, cùm vrbis, templíque ruina, & filiorum veſtrorum interitus aduenerit: tunc verò, dicit Deus, cognoſcetis Deum eſſe me, qui vobis iſtæc futura denuntio.

25. Et nunc, fili hominis, hæc audi de te, cùm ille aduenerit dies, cùm templum eruam, in quo firmamentum imperij fore ſperabant Iudæi, & in quo ſibi vehementer placebant, quod auidè, & cum voluptate intuebantur, & quo ſtante quieto

ipſi

26. In die illa cùm venerit fugiens ad te, vt annunciet tibi:

27. In die, inquam, illa aperietur os tuum cum eo, qui fugit: & loquêris, & non silebis vltrà: erísque eis in portentum, & scietis quia ego Dominus.

A ipsi animo sunt, & à timore vacuo, & cum filij eorum, ac filiæ gladio cadant:

26. Cùm ille funestus dies ingruerit, cùm nuncius è communi clade fugiens aduenerit, (qui tibi ciuium, ac ciuitatis stragem testis ipse oculatus referat:

27. In illa, inquam, die, aperiam os tuum, vt non iam ampliùs obscurè in symbolo, atque ænigmate loquaris; sed apertè, & sine vllo verborum integumento. Tunc clarè illi cognoscent, verum te fuisse portentum: & tam tu, quàm ipsi me Deum esse verum cognoscetis.

Vers.1. *In anno nono, in mense decimo, decima die mensis.*

1. DIXIMVS in primo capite solitum esse Prophetam in designando rerum gestarum tempore, notare, atque obseruare annum, quo primus ipse cum Iechonia ab Babylonios transmigrauit, atque inde numerare annos, qui historiæ tempus magis declarant, & expediunt. Cùm verò constet eodem anno migrasse Iechoniam, & Sedeciam eius loco præfectum esse regno, fit vt idem sit annus migrantis Iechoniæ, & Sedeciæ regnantis. Fuit autem annus Sedeciæ nonus, mensis decimus, & dies item decimus, cùm Chaldæi obsederunt Hierosolymam, vt constat ex lib.4. Reg. cap.25. & Ierem cap.52. Ex quo constat eodem temporis momento, quo ciuitas obsideri cœpit ab hoste Chaldæo, hoc vaticinium à Deo inspiratum esse Prophetæ. Quia verò dies iste Solymitanæ vastitati principium fuit; obseruarunt illud diligenter Iudæi, illúmque lapillo nigro, id est, ieiunio anniuersario notatum esse voluerunt, vt ex illorum Calendario constat.

Eodem anno Iechonias regnare desijt, & cœpit Sedecias.

2. Vers.2. *Scribe tibi nomen diei huius, in qua confirmatus est Rex Babylonis aduersùs Ierusalem.*] Heb. *nomen diei, & substantiam diei huius*, id est, Scribe non solùm nomen, puta primam sabbati, secundam sabbati, &c. sed etiam alias eius diei proprietates, & accidentia, vt quòd fuerit ille dies procellosus, & nubilus, serenus, & candidus, aut alio quodam notabilis naturali signo. Ita cum Rab. Dauid cogitat Chaldæus, neque improbat Maldonatus. Confirmari contra Ierusalem est, adhibere contra illam, quæ ad obsidendam, oppugnandámque ciuitatem, necessaria sunt; vt aggerem, arietes, vallos, & si qua alia sunt ad muros subruendos, seu verberando muralia tormenta. Voluit autem Deus notato temporis articulo Ezechieli propheticam conciliare fidem, vt cùm tam longè dissitus à Iudæa, prædiceret quæ in ea fierent, & quo temporis momento, quod assequi non poterat humana solertia, diuino afflatus spiritu cognosceretur, & verus vates. Tum etiam vt tantæ reipublicæ miserandum excidium non tribueretur fortunæ, & casui, aut hominum industriæ; cùm Deus ipse singularum rerum momenta, earúmque ordinem, & modum tanto antè tam explicatè, tam minutè, tam sine obscuritate vlla prædixisset.

Vers.3. *Et dices per prouerbium ad domum irritatricem parabolam.*] Heb. Parabolizabis parabo-

B lam, de quo dicendi genere egimus in principio cap.17.

Pone ollam, pone, inquam, & pone in eam aquam.] 3.
Graue est hoc ænigma, quódque optimè declarat durum, & horribile ciuitatis exitium. Vt enim in olla, cui ignis subiicitur, coquuntur carnes, quæ si quid haberent sensus, ab eo feruore, atque æstu cruciarentur vehementer, atque ibi ab ossibus, quæ ipsis quasi fundamentum erant, ita nudantur, vt nunquam cum illis societatem habuisse videri potuerint. Sic Iudæorum populus, in vrbe à Babyloniis obsessa, ita torrebitur, & à calore soluetur, quemadmodum in olla carnes ingestæ, qui ab omni firmamento siue murorum, siue bellatorum ita nudabitur, sicut ab ossibus caro. Porrò mœnia ossium nomine significari docuit Ieremias Thren.1.v.13. *De excelsò misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Vbi, vt multo-
C rum est sententia, *in ossibus* turres intelliguntur, & muri, & si qua alia sunt propugnacula, siue præsidia ciuitatis.

Olla obsessæ ciuitatis symbolum.

Porrò in olla duo significantur, quæ maximè 4.
ciuitatis statum, & futurum ipsius excidium, & calamitatem ostendúnt: de calamitate prius; de statu statim. Erat enim ciuitas non alia specie, aut munditia, quàm olla iam pridem assueta fuligini, ac foco, coquendísque rebus, quarum imbibit succum, ac pinguedinem, de quo statu postea pluribus. Hæc verò metaphora vsitata est maximè apud hunc Prophetam. Vide quæ diximus ad illud cap.11. *Hæc est lebes, nos autem carnes.*

Olla pro sordida atque ærumnosa vita.

Congere frusta eius in eam omnem partem bonam femur, & armum.] Non est difficilis sensus histori- 5.
cus, & cortex literæ. Instruit enim ollam quomodo adornari solet à coquo; sed illud hîc habet præcipuum, quòd in hanc metaphoricam ol-
D lam ea congeruntur, quæ delicata sunt, & lautioribus mensis expetita, quale femur est, & armus, & quæ hoc loco dicuntur electa.

Electa, & ossibus plena.] Septuaginta *Crus, & hu-* 6.
merum carnibus separatis ab ossibus. Rab. Dauid, *electis ossibus imple* (nempe ollam,) id est, electis membris, quia solent, inquit, membra secundùm ossa secari. Quem quidam è recentioribus sequuntur. Hieronymus in commentariis videtur potiùs Septuaginta translationem secutus, quàm suam: dicit enim carnes separatas ab ossibus coniiciendas in ollam. Sanè sententia ob-

ſcura eſt, neque video quomodo adducta nuper explicatio, ad vulgati verſionem accommodari poſſit, niſi literam, vt apparet, tenitentem vehementer contorqueas; quam ego deſerere neque audeo, neque poſſum. Primùm ergo dico propter Septuaginta, atque Hieronymi auctoritatem, cui alij ſubſcribunt, & in his Pradus, videri probabile carnes detractis oſſibus, in illam metaphoricam, aut hieroglyphicam ollam eſſe coniectas. Cui ſententiæ non parùm ſuffragatur, quod adiicitur poſtea, oſſa nuda ollæ ſupponi iuſſa, illa nempe quæ fuerant à carne detracta.

7. Sed ſanè non video quomodo id ferre poſſit vulgata tranſlatio, quantumcumque illam etiam, atque etiam verſes. Quæ id ſonat omnino, niſi ego cæcus ſum, electa ex pinguiſſimo grege, ſimul cum oſſibus in ollam eſſe coniicienda. Quod cenſent Lyra, Dionyſius, & Hugo. Tunc verò ſenſus eſſe poteſt, congreganda eſſe cum ſuis oſſibus, quæ in pecore electa ſunt; nempe armum, & femur: ſeu certè cógerendas alias partes, quæ plenæ ſunt oſſibus, & ex animali ad menſam expetuntur. Harum autem videtur potiùs meminiſſe, quia partes, quæ pluribus ſunt oſſibus in animali ſuffultæ, vel contextæ, ſuauiores ſunt.

8. Videntur autem ideo iuberi cum carnibus pariter oſſa concludi, quia in ciuitate malè iactati extabuerunt tam qui in femore, & armo, quàm qui in oſſibus ſignificantur. In armo Regem intelligo, & qui cum Rege ſimul rem moderantur publicam, qui molem regni ſuis ſuſtentant humeris. Notum eſt Sauli, cùm illi regni cura credita eſt, armum à Samuele fuiſſe porrectum, idque non ſine conſilio, 1.Reg.c.9.v.23. *Dixitque Samuel coco, da partem, quam dedi tibi, & præcepi, vt reponeres ſeorſum apud te. Leuauit autem cocus armum, & poſuit ante Saul. Dixitque Samuel, ecce quod remanſit pone ante te, & comede, quia de induſtria ſeruatum eſt tibi.* In femore robuſti intelliguntur; quia pars illa fortiſſima eſt, & gladio è balteo pendenti, inſtrui, atque ornari ſolet. Vnde Siculi vt ſuam fœcunditatem, & robur hieroglyphico aliquo ſymbolo notarent, femur ſibi, ac ſpicas pro gentilitio ſtemmate ſumpſerunt. Item delicati, ac molles, quia, vt in Scriptura ſacra ſæpius audis, femur pro illis ſumitur corporis membris, quæ præcipua generationis inſtrumenta ſunt; vnde frequens *nudare femur*; & *filij egreſſi de femore.* Cùm verò iubentur oſſa ſimul cum carnibus in ollam includi, ibíque igne ſuppoſito torreri, planè ſignificatur tam principibus, & delicatis, ac mollibus, quàm viris aliis robuſtis, quíque aliorum faſtus, delitiáſque ſuſtentant, ſicut oſſa, carnes, duros, atque mortiferos cruciatus eſſe ſubeundos.

Armus regum ſymbolum.

Femur robuſtorum ſymbolum, item & mollium.

9. Verſ.5. *Pinguiſſimum pecus aſſume: compone quoque ſtrues oſſium ſub ea.*] Ex pecore pinguiſſimo, id eſt, ex his, qui primas partes, præcipuáque miniſteria in republica obeunt, carnes, & oſſa congeruntur in ollam illam hieroglyphicam. Cuius verò oſſa illa fuerint, & quid ſignificent, obſcurum eſt. Hieronymus, & qui cum eo ſentiunt, facile hæc exponunt iuxta Septuaginta verſionem, qui cùm puras ab oſſibus carnes in ollam incluſas eſſe dicant, oſſa ollæ tanquam ignis alimenta ſupponunt. Sed quia nos iuxta vulgari tranſlationem, cum carnibus ipſa quoque oſſa coniungimus, quod etiam probant verba, quæ proximè ſuccedunt, aliter de oſſibus ſtatuamus neceſſe eſt.

Doctores Hebræorum varij ſunt. Rab. Dauid oſſa putat eſſe innocentium, quorum ſanguinem effuderunt viri illi ſanguinarij, quos in armo, ac femore ſignificari diximus, quia reuera illorum ſanguis effuſus, & oſſa inhumata, & arida fax fuerunt illius incendij, quo ferbuit olla, & pinguiſſimum pecus coctum eſt. Quæ cogitatio acuta eſt, neque meo iudicio abs re, aliquando etenim eſt olitor valde opportuna locutus. Sed illud incommodat, quòd oſſa hæc ſuum quoque videntur ſuſtinere ſupplicium; quod in viros non quadrat innocentes, quorum Deus potiùs cædem vlciſcitur. Rab. Salomon illud *ſub ea*, fundum putat ſignificare ollæ, quare oſſa ſtatuit intra ollam, in infima parte ſub carnibus; cenſet autem in oſſibus ſignificari principes, qui vt igni propiores, torrentur duriùs, & grauiùs crucientur, neque deſunt alij, qui Rab. Salomoni ſubſcribant. 10.

Ego accommodatiùs ad vulgatam verſionem duobus modis interpretor: altero, vt è pinguiſſimo pecore nihil dicatur futurum à cruciatu, atque à cæde liberum. E pecore ariete, v.g. aut vitulo non omnes partes congeruntur in ollam ex coquinaria ſiue conſuetudine, ſiue diſciplina. Exoſſantur enim partes aliquæ, & illarum oſſa, neque torrētur flammis, neque in olla, aut in lebete coquūtur. Ait ergo Dominus: Si quid ex illo pingui pecore ineptum eſt ollæ; aut certè eiuſmodi, vt a feruenti aqua nihil patiatur, non tamen euaſurum commune malum, erit enim fomentum ignis, à quo combuſtum ſoluetur in fauillas. Altero, ſi oſſa carnibus opponas, pinguibus videlicet, ac delicatis pauperes, & tenues: vt enim in carnibus mollia intelliguntur, quæque minus amant, aut patiuntur dura; ſic in oſſibus aſpera, & quæ conſumptis mollioris vitæ blandimentis, reliqua ſunt, qualia ſunt inopia, ſolitudo, & quæ comitantur infelicem, & extremam miſerorum fortunam. Sic enim cùm aliquem exhauſtum videmus, tantùm illi oſſa ſupereſſe dicimus. Hæc apud profanos obuia. Virgilius de macilento grege, 11.

Carnes delicatos, & oſſa inopes, & laborantes ſignificans.

——— ———*Vix oſſibus hærent.*

Plautus in Captiuis,

Maceſco, conſeneſco, & tabeſco miſer;
Oſſa, atque pellis ſum miſera macritudine.

Silius Italicus,

——— ———*iam lurida ſola*
Tecta cute, & venis malè iuncta trementibus oſſa
Extant conſumptis viſu deformia neruis.

Et Ouidius lib.8. Metam. ex hac conſuetudine, & obſeruata natura famis, famem ipſam, & in ea hominem attenuatum fame bellè deſcripſit,

Oſſa ſub incuruis extabant arida lunbis,
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, & à ſpina tantummodo crate teneri.

Vulgus hominem confectum macie formam appellat oſſeam, vulgo Hiſpanorum *eſqueleto*, cùm crates nuda eſt, ipſaque corporis ſtatumina filis traiecta ferreis, quaſi compacta neruis. Quam credo Ouidius in Ibin oſſeam appellauit formam.

Tunc quoque factorum veniam, memor vmbra tuorum
Inſequar, & vultus oſſea forma tuos.

12. Qui loquendi modus ad explicandam extremam maciem à ſacris etiam ſcriptoribus adhiberi ſolet. Sic Iob cap.19.v.20. *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum.* Pſal.101. *Adhæſit os meum carni meæ.* Id verò accidiſſe Iudæis, quo tempore obſidione

Prouerbium pellis, & os.

obsidione premebantur à Babylonis, ipse docet oculatus testis Ieremias Thren.cap.4. *Adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est quasi lignum.* Appellari ergo possunt ossa, quorum corpus extenuauit fames; ij verò plerumque sunt, quorum est afflicta conditio, & fortuna tenuis. Vt ergo significaret Propheta, neminem à clade, vel à cruciatu futurum esse liberum, carnes nominauit, quæ coquuntur in illo, in quibus pinguior exprimitur fortuna; & arida ossa, quæ lignorum loco subiiciuntur ollæ, & in ignis alimenta sunt; in quibus pauperes, vt dixi, intelliguntur, & debiles. Hæc mihi satis accommodatè dici posse videntur ad translationem vulgatam, & ad totius capitis continens filum.

13. *Efferbuit coctio eius, & discocta sunt ossa illius in medio eius.*] Hactenus instructa est olla congestis carnibus, cum ossibus ex adipato grege, & igne supposito, quem arida concipiunt, atque sustentant ossa, id est, vrbs Solymitana cingitur, ac premitur ab hoste Chaldæo. Nunc vbi ardere cœpit ignis, vrgente fame, ac peste, & grassante liberè hostili ferro, feruere cœpit lebes ille hieroglyphicus, in quo pingues continebantur carnes; in quo ita coctæ sunt, vt ab illis ossa discocta fuerint, id est, in ipso ardore, atque æstu bullientis aquæ, à carnibus separata. Quod contingit, vt quotidiana docet experientia, cum carnes à feruore vehementer coquuntur, atque attenuata, & mollefacta soluuntur. Hoc videtur indicare verbum *discocta*; quod separationem indicat, quæ à coctione fit, id enim valet præpositio *dis* in compositione, vt *dispungo, disseco*, &c. Porrò vsitatum est

14. in Scriptura, vt actio pro subiecto ponatur, circa quam versatur, aut pro termino, quod ex actione resultat. Sic *generatio* pro sobole, *plantatio* pro plantis, *congregatio*, & *concio* pro his, qui congregati sunt. Sic hoc loco ferbere dicitur coctio, quia quæ coquuntur efferbescunt. Hinc planè constat ossa fuisse pariter cum carnibus in olla, quando ipsa quoque in medio ipsius efferbuisse traduntur.

REGVLA. *Actio pro subiecto, aut termino accepta.*

15. Hæc ego cum pluribus aliis magis probo, sed addo cogitationem aliam; quæ mihi placeret multo magis, nisi aliquid postea occurreret, quod illi non parum incommodaret. Quidquid tamen est, lectori proponam, non vt persuadeam, sed vt ipse de re statuat, ac iudicet. Videbatur mihi hic non agi de Iudæorum supplicio, sed de illorum peccatis, maximè quæ ab ira, & inclementia sunt; cùm non aliter se gerant in miseram, atque ignobilem turbam quàm homo truculentus, & vorax, qui pecus lacerat, & eius frusta congerit in ollam, quæ subiectis flammis aut coquit, aut torret. In quam me cogitationem induxit Michæas cap.3. qui verbis quàm simillimis eiusdem populi crudelitatem ostendit. *Audite*, inquit, *Principes Iacob, & duces domus Israel. Numquid non vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnes eorum desuper ossibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt: & ossa eorum confregerunt, & conciderunt, sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ.* Sed quia, quæ deinde sequuntur, non bene cum hac explicatione consentiunt, hæc minus probo. Ex hoc tamen Michææ loco id vnum habemus, hanc videri prouerbialem formam, qua barbara quædam explicatur crudelitas.

16. Vers.6. *Væ ciuitati sanguinum.*] Minus iam agit obscurè; & declarare incipit, quod latebat abdi-

A tum in ænigmate. Docet primùm quò spectet ignis ex ossibus, & carnes in lebete feruentes, nempe vt impuræ ciuitatis graue portendatur supplicium, illud enim valet *væ præfixum ciuitati*. In sanguine illa omnia significari peccata, quæ à sanguine, & carne, id est, à natura sentiente proueniunt, præsertim, quæ à Venere, & à furore nascuntur, supra à nobis obseruatum est.

Olla cuius rubigo in ea est; & rubigo eius non exiuit de ea.] Describit nunc ollam, in qua molles illæ, atque impuræ carnes coquendæ dicuntur. Quam sordidam esse dicit, à sanguinibus videlicet, quibus tam in præsentia, quam antea dudum superioribus sæculis notarat. Sanguines autem appello, quos Propheta ipse clariùs expressit c.22. Nam cùm Hierosolymam v.2. ciuitatem sanguinum appellasset, statim v.6. sigillatim explicat, quænam illa sint, quæ minus explicatè sanguinum nomine comprehendit. Hinc traxit rubiginem, quæ vsu, & tempore sic inoleuit, vt adhibito iterum, ac sæpius igne non sit excocta. 17.

Vbi vulgatus *rubigo*, Heb. est חלאתה *chelathah*, quam cum Rab. Dauid quidam e recentioribus vertunt, *spumam*, quæ vox, cum in hoc tantùm capite reperiatur, ex adiunctis sumenda est propria illius significatio: quæ sanè parùm fauet Rab. Dauid, & aliorum, qui cum illo sentiunt, cogitationi. Fateor spumam genus esse sordium, quas feruentis aquæ vis ignea à carnibus emungit: at non video quid magnum sit ollam illam non esse despumatam, vt tantopere dicatur immunda, cùm omnes ollæ in ipso aquæ bullientis æstu spumas agant; neque quod de spuma adhærere solet ollæ, sic inolescit, vt non facilè elui, aut exuri possit. At infrà vers.11. & 12. imposita dicitur olla ænea flammis, & liquefactum æs, neque tamen excoctas sordes illas; quod sanè non fieret, si sordes illæ forent è spuma contractæ. Hoc tamen loco eadem est vox חלאתה, quæ superiori loco. 18.

Per partes, & per partes suas eiice eam: non cecidit super eam sors.] Hic iam apertè, & sine vllo ænigmate de Hierosolyma loquitur, quam nuper ciuitatem appellarat sanguinum, licet aliqui per- 19.

D stare adhuc in ænigmate vaticinium censeant, licet non eodem omnes modo. Quidam pronomen *eam*, ad *rubiginem* referunt, seu, vt alij volunt, ad *spumam*, in qua peccatum adumbratur ciuitatis, quod statim per partes eiiciendum dicitur. Ita Dionysius, Hugo, Maldonatus cum Chaldæo. Alij ad ollam, quam per partes putant euacuandam, eo prorsus modo, quo congestis frustis impleta fuerit prius, ita Hugo, & Pradus. Sed mihi, vt dixi, certum est hic nullam esse metaphoram, & eò cum Hieronymo incumbunt plerique. Porrò illud *eiice eam*, nempe ciuitatem,

E aut quod idem, ciues, qui in illa sunt, idem est, atque prædic illam eiiciendam esse. Qui dicendi modus familiaris est Deo, cùm verbum aliquod Prophetis annunciandum præscribit. Sic Isaiæ cap.6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*, id est, dic excæcandum esse cor, & aggrauandas aures. & Ierem.cap.1. *Ecce constitui te hodie super Gentes, & super Regna, vt euellas, & destruas*, &c. id est, vt prædicas euellendum, & destruendum esse. Sic hoc loco *eiice eam*, idem est, atque annuncia sub ea metaphora de olla rubiginosa, & sordida, eiiciendam esse ciuitatem immundam, & talia subituram, qualia statim audiet.

Per partes, & partes.] Placet quod hic putat Maldonatus, hoc dicendi genere significari nul- 20.

lum

REGVLA. Per partes, & partes, per generationes, & generationes, & similia vniuersalitatem significant.

lum ex tanta ciuium multitudine futurum esse à cæde, siue ab exilio reliquum. Cùm enim aliquid vniuersè complectimur, ex idiomate Hebræorum, id hoc interdum modo significamus, vt *per Gentes, & Gentes, per domos, & domos, per generationes, & generationes*, id est, per omnes Gentes, seu per singulas Gentes, &c. lib. 2. Paralip. cap. 8. v. 14. *Per portam, & portam*, id est, per singulas portas. *Per partes* igitur, *& partes*, idem est, ac si dicas, per omnes partes, ita vt nihil sit in ea ciuitate, quod mortem, aut exilium effugiat.

21. Sed communior est sententia, eóque nomine mihi probatur magis, illo dicendi modo significari non omnes eodem modo, aut eodem temporis articulo esse subituros aut mortem, aut exilium, sed per partes, id est, alios aliis temporibus. Et sanè ita fuit, siue ad hæc addas superiora tempora; siue de his, atque illis, quæ postea succedent, vaticinium intelligas. Nam pars quædam sub Ioacim in primo, atque secundo Chaldæorum aduentu; pars sub Iechonia in tertio; pars denique in quarto sub Sedecia aut capta, aut interfecta fuit. Adde quòd post hoc etiam tempus, non sub eundem articulum hæc contigerunt, quæ minatur Dominus. Nam in obsidione longa alij aliis temporibus aut fame, aut ferro ceciderunt, deinde multi in eo tractu, qui est è Hierosolyma Babylonem vsque, cùm exhausti, atque confecti inedia festinatius quam vires paterentur languidæ, iter longum quotidie ab insolenti, & barbaro victore conficere cogerentur, credibile est viam illam longam eorum cadaueribus fuisse constratam. Deinde quinto pòst anno, qui ad Ægyptios, vicinósque populos confugerant, redeunte iterum Chaldæo aut occisi sunt, aut exules abducti; sicut prædixerat Ieremias c. 44. Impletum verò esse ab euersa Hierosolyma anno quinto, docet Iosephus lib. 10. Ant. cap. 11. Hæc mihi sententia potior est; neque tamen, vt dixi, displicet prior.

A victoribus hostium vita sorti committitur.

22. *Non cecidit super eam sors.*] Explicatio est superioris clausulæ, maximè secundùm explicationem illam, quam ex Maldonato priori loco proposuimus, quæ omnes omnino aut extremam, aut miseram fortunam subiisse dicit. Fieri etenim solet, vt cùm ab vniuerso exercitu peccatum est, aut cùm hostes capti, quibus veniam dari non oportet; quia neque scelera manere debent impunita, neque præterea ex vsu publico est, vt omnes ad vnum simul intereant, vt sorti res tota committatur: ita vt ille pereat, quem sors ipsa damnauerit; ille sit saluus, quemcumque sors benignior absoluerit. Quare is initur modus, vt neque omnes intereant, neque vllus sit, quem non tangat instantis periculi metus: dispositis namque militum, aut inimicorum ordinibus, quintus quisque, decimus quisque, aut vigesimus quisque, prout delicti postulat ratio, laqueo destinatur, aut ferro, quemadmodum de Thebæorum legione sacri produnt annales. Hoc quod in casu non dissimili faciunt victores, non habebunt Iudæi ab hoste Chaldæo. Neque enim sortitò hi aut liberabuntur, aut cadent; sed omnes simul duram illam, aut extremam fortunam patientur.

23. Vers. 7. *Sanguis eius in medio eius est.*] Hinc liquet non de olla, aut rubigine, sed de ciuitate ipsa superiorem esse sermonem, neque enim in olla sanguis est, aut id quod significatur in sanguine, nempe peccata, quæ ab immoderato carnis affectu nascuntur, neque limpidissima petra

A in olla est, sed in ciuitatis medio. Illud *in medio eius*, idem est, quod *in ea*, vt alibi à nobis sæpius obseruatum.

Super limpidissimam petram effudit illum, non effudit illum super terram, vt possit operari.] Dixit superius Propheta eò progressam esse Iudæorum impudentiam, vt in publicis etiam locis, atque in omnium oculis peccata defixerint. Quod in meretricum ingenio valde significanter expressit, quæ in viarum capitibus, & sub omni ligno frondoso, id est, in locis maximè frequentibus, ac publicis lupanar excitant, & patens signum prostituti pudoris. Idem nunc sub alia metaphora significat eius, quem vsqueadeo non pudet alienum B effudisse sanguinem, vel adeò id sibi putant impunitum fore, vt in petra relinquant limpidissima, ita vt ab omnibus notari possit; non verò super terram, quæ sanguinem ipsa bibit, & celat, & huiusmodi est, vt etiamsi desit hominum labor, & industria, vel à perflante aura excitato puluere operiri possit. Fuisse Hierosolymam plenam innocentium sanguine sæpe clamat, & dolenter Propheta. Neque occulta fuisse illius peccata, siue quæ ab insania, & furore, siue quæ à turpiori intemperantia nascuntur, dixit sub eadem penè metaphora Ieremias cap. 2. *In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum, & innocentum: non in fossis inueni eos.* C Quasi gens illa non occultè, & pauidè, sed palam, & audacter homicidia committat, neque in fossis tegat effusum sanguinem, sed in locis relinquat apertis: quam neque sceleris pudet, neque manus homicidij vindices reformidat. 24.

Prouerb. Super limpidissimam petram.

Vers. 8. *Vt superinducerem indignationem meam, & vindicta vlciscerer, dedi sanguinem eius super petram limpidissimam.*] Reddidisse videtur Deus crudeli, & scelerato populo, qualia ipse patrarat antè in tenuem, & ignobilem turbam. Sic enim apertè mulctauit illius impudentem audaciam, vt externi etiam populi cognouerint; quasi super limpidissimam petram illius effudisset sanguinem, qui non operiretur à puluere, neque vlla obscuraretur D simulatione. Quod enim artificium, aut quæ temporis diuturnitas, aut hominum obliuio obtegeret ruinam tantam, siue vrbis excisæ, siue ciuium, quos partim ferrum, ac pestis absumpsit, partim longum ablegauit exilium? Hic esset omnino sensus, si illud *sanguinem eius* referret ciuitatem impiam, quæ sua potentia immoderatè abusa homines infirmos, qui neque possent, neque si possent, auderent repugnare, non solùm spoliarent bonis, sed etiam sanguinem, atque adeò ipsam etiam animam eriperent. Cuius Deus sanguine limpidissimam conspergeret petram, vnde illa nulla vnquam temporis memoria detergeret. Sed credo *sanguinem eius*, referre potiùs E humilem, atque innocentem turbam, quam occidit, spoliauitque potentiorum hominum vis, & iniuria. Cuius sanguis nunquam non erit ante diuinos oculos, qui semper ad vindictam diuinam instimularet iram. Sic sanguis Abel super petram videbatur effusus, cùm recens, & calidus contra fratrem clamabat. Id optare videtur Iob, dum ait cap. 16. *Terra non operias sanguinem meum, neque habet locum in te latendi clamor meus.* Porrò hîc videtur subaudiri similitudinis nota, quasi dicat Deus (sese ad hominum consuetudinem accommodans) se posuisse sanguinem, vbi perpetuò à se videri posset, perinde atque si super saxum esset effusus: quod neque bibit, neque celat, quod accepit. 25.

Vers. 9.

26. Verſ.9. *Væ ciuitati ſanguinum; cuius ego grandem faciam pyram.*] Poſtquàm impietatem, & barbariem oſtendit ſanguinarij populi, docet iam apertiùs, quod ab illo ſupplicium ſumpturus ſit. Si, quod probabile ſuprà dicebamus, in olla, & carnibus innocentum dolores, & iniurias intelligeremus, tale Deus videretur ſupplicium inferre, quale ipſe populus inflixerat infirmæ, atque innocenti plebeculæ. Vt enim illa vel cocta fuit in olla, vel ab igne in cineres redacta; ſic populus ille, quo ſenſu de illo ſuperiùs explicuimus, conjicietur in ollam, & ab igne torrebitur. Faciet igitur Deus grandem pyram, quia magnum erit incendium, quod ciuitatem ſanguinum, aut ciues ſanguinarios abſumpſit. Sed cùm aliis fermè omnibus, ibi non tam quid paſſa fuerit innocens turba, quàm quid paſſura ſit. ciuitas illa nocentiſſima, portenditur; ideo conſentaneè ad communem illam cogitationem dicendum eſt, hîc, quæ priùs obſcuriùs, & quaſi in ænigmate dicta fuerant, illa eadem multo quàm illic explicatiùs oſtendi. Illud, *cuius ego grandem faciam pyram*, vel hanc habet ſententiam, ex ciuitate futuram eſſe pyram, quia tota ardebit, non ſecus ac lignorum ſtrues, cui flamma ſupponitur, quomodo quidam dixit ex profanis cùm de candelabro loqueretur ligneo,

Eſſe vides lignum, niſi ſerues lumina, fiet
Ex candelabro magna lucerna tibi.

Vel certè grandem conſtruendam eſſe pyram, quæ ciues, ciuitatémque comburat.

27. Verſ.10. *Congere oſſa, quæ igne ſuccendam.*] Heb. illud *congere* in infinitiuo eſt, qui modus aliorum modorum, ac temporum vices ſubit: vt diximus ad illud Pſal.67. *ſpeciei domus diuidere ſpolia.* Porrò hîc quidam per ſecundam perſonam explicant, vt Hieronymus; alij per primam, vt Septuaginta, & quidam ex Hebræorum magiſtris: dicunt enim, *congeram, ſeu multiplicabo*; ſententia tamen non eſt valde diuerſa. Iuxta vulgatum edicitur Prophetæ, vt dicat à Domino incendio datum iri ciuitatem: iuxta Septuaginta vaſtatum iri ciuitatem à Deo. Vbi noſter *oſſa*, Heb. eſt עצים *hheſim.* quæ vox ligna ſignificat, quomodo tranſtulere Septuaginta. Vulgatus alios videtur habuiſſe codices, vbi pro עצים, addita vna tantùm litera legit עצמים *hhaſamim*, quæ vox oſſa ſonat. Illa verò oſſa, vt ſuprà obſeruauimus, verſ.5. pro lignis ſubiicientur ollæ, quibus tota compoſitio, id eſt, quicquid intra congeſtum eſt, coquatur, & tabeſcat. Quòd ſi oſſa dicas innocentium, quos ciuitatis proceres abuſi auctoritate, quam ſibi ſomniabant eſſe ſupremam, occiderunt, vt putabat ſuprà ad verſ.5. Rab. Dauid, quod hoc loco minus mihi, quàm illic improbatur: ſenſus erit, pauperum cædem, & iniuriam futuram eſſe illius pyræ facem, atque materiam: quæ quicquid eſt in olla illa metaphorica, id eſt, in ciuitate ſanguinum, comburet, & ſoluet. Sed probatur magis, quod magis in eo loco probabamus.

28. Verſ.11. *Pone quoque eam ſuper prunas vacuam, vt incaleſcat, & liqueſiat æs eius.*] Dixit optimè de illa, quæ propriè dicitur olla, Horatius lib.1. epiſt.2. non poſſe ab olla detergi odorem, quo imbuta fuit, adde & tu & ſuccum, quem combibit, & in penitiſſimos ſinus, & quaſi in ſua viſcera ſemel admiſit.

Difficile exoleſcunt vitia, quæ primis annis inoleuerunt.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu.

Idem de lana, quæ purpureos imbibit ſuccos, dixit Plato lib.4. de Republica, à qua dicit neque ſapone, neque nitro, neque lomento, neque alio quouis artificio poſſe detergi. Et idem de purpura dixit Hieronymus ad Lætam. Quæ ſententia apud Patres frequens eſt, & in Scriptura non minùs grauiter, & ſignificanter expreſſa. Prou.22. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Ierem.c.13. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Et grauiùs adhuc Iob cap.20. *Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ ſuæ, & cum eo in puluere dormient.* Id ergo nunc in olla metaphorica futurum, aut etiam factum eſſe dicitur, quod nuper in Horatiana teſta dicebamus. Sic enim illa ſanguinem biberat innocentum, ſic erat è multiplici ſcelere ſordibus imbuta: vt etiam igne, id eſt, expiatoria vi, qua nulla cognoſcitur eſſe vehementior, purgata non ſit. Impoſita ergo dicitur prunis, & æs liquefactum, & tamen ſordes illæ, quæ in vnam cum ære naturam coaluiſſe videbantur, excoctæ non ſunt. Id planè eſt, quod ex Iob proximè dicebamus, poſt mortem etiam in puluere, in quem ſolutum eſt impiorum cadauer, & in ipſo ſepulcro, vbi nihil iacere ſolet viuum, viuere tamen peccata iuuentutis, id eſt, illa quibus diu aſſueuit peccator, & inde exhalare tetrum illud, & fœtidum, quod à viuente peccatore traxerunt. Sic nunc deſerta regio, quæ eſt, ad mare mortuum, & igne conſumpta, olet tamen aliquid Sodomæum, vt referunt profanæ etiam hiſtoriæ; ita vt peſtilens illa, & impuriſſima rubigo adhuc poſt incendium cæleſte, & poſt infinita penè ſæcula conſumpta non ſit.

Vt conſletur in medio eius inquinamentum eius, & conſumatur rubigo eius.] Conflatur argentum cùm liquatur, & quicquid erat ſcoriæ detergitur. Sic modò conflari dicitur inquinamentum, per quamdam hypallagem in Scriptura ſacra non infrequentem. Vt enim dicimus *mundari peccatum, & mundari lepram*, quia homo à lepra mundatur, & à peccato; ſic etiam dicimus conflari inquinamentum, quia conflatur æneum vas, & ab inquinamento mundatur. Niſi mauis liquefactum inquinamentum ollæ in ipſius fundo conflatum, id eſt, aſſeruatum ſubſidere, atque ibi conſumi. Quod magis eſt commune, & mihi non improbatur, quod explicuiſſe videtur ſuprà cap.22.v.18. ſub metaphora metalli, vbi in medio Ieruſalem, id eſt, ollæ metaphoricæ, conflandum dicitur ſtannum, & ſcoria. 29.

REGVLA. *Hypallage in Scriptura frequens.*

Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo.] Huius loci duas ego ſententias inuenio. 30.
Altera eſt, vt Deus dicat quando aliis multis modis mundari non potuit impurus ille lebes, qui totus ex ſordibus videtur eſſe conflatus; ad extremum examen eſſe veniendum, id eſt, ad ignem, quo Leuit.15.v.12. æneum vas, ſi immundum eſſe contigerit, purificandum dicitur, ita Maldonatus, & Vatablus. Altera vt fingatur iam ignea vis ad purificandum adhibita; neque tamen ab illa quicquam eſſe perfectum. Quaſi dicat conflator, aut purificator Ezechiel, ſeu potiùs Deus, cuius ſermo ad verſ. vſque 15. producitur; applicuiſſe ſe artificium omne, & in eo expiatorio opere multum, diuque laboraſſe, adhibuiſſe ignem, & licèt liquefactum eſſet metallum, non tamen excoctam eſſe rubiginem; quæ ſimul cum ære in vnam naturam videtur eſſe concreta, quia adhuc lapides ipſi, ac domorum ruinæ, & buſtum ipſum exciſæ, aut

aut concrematæ vrbis libidinem olent, & grauem ex scelerum proluuie halitum aspirant. Ita cum Hieronymo putant alij plures. Hoc idem dixit eodem ferme tempore Ieremias cap.6.v.29. *Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustrà conflauit conflator, malitia enim eorum non sunt consumpta.* Porrò in igne tribulationes, & flagella significari non obscurum est, & docet apertè Gregorius 3.parte Pastor.admon.14.

31. Vers.13. *Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis.*] Heb. *In immunditia tua scelus.* Sed vtcumque alij accipiant, & explicent, non differt Hebraica lectio à sensu vulgati, quia si in immunditia scelus est, aut abominatio (vtrumque enim valet זמה *zimah*) haud dubiè quin immunditia scelerata dicatur, aut execrabilis. Illud *quia*, si rationalis est, ostendit vndénam illa execrabilis abominatio nata sit; quia nempe pertinax, & obstinatum pectus contra tot admonitiones, & tot animi beneuolentis officia impudenter obduruit. Execrabilis planè est omnis malitia; at quæ in offirmato pectore consedit, multo execrabilior, quia impudentiæ plus habet, & contemptus, quod in humanis experimur quotidie. Ferimus enim patienter, si quis peccauit semel, aut iterum; at si sæpius admonitus ad eundem identidem lapidem offendat, neque signum adhibeat resipiscentis, aut pœnitentis animi, hunc execramur, dignúmque censemus, quem omnium suppliciorum acerbitate plectamus. Qua de re multa apud Patres, qui obstinationis nomen non solùm execrantur, sed etiam horrent.

Obstinatio execrabilis.

Sed credo hîc *quia*, quod aliis in locis sæpius occurrit, redundare; quod docuit Euthymius in Psal.9. Exemplorum satis adducit Salmeron Prolegom.16. Pauca accipe. Ioann.4. *Bene dixisti, quia non habeo virum.* Lucæ cap.18. *Tu dicis, quoniam Rex sum ego.* id est, dicis me esse Regem. Et alibi, *Dicite, quia Dominus his opus habet,* & similia. Sic puto hîc redundare *quia*, neque aliam esse sententiam, quàm si dicas simpliciter, *mundare te volui.*

REGVLA. Quia interdum otiosa, & expletiua particula.

32. *Sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te.*] Hanc video communem esse explicationem, significatum esse à Deo non priùs mundatum iri populum à sordibus, quàm Deus omnem in illum oplothecam exhauserit, neque, vt humano modo loquar, aliquod maneat reliquum suę indignationis instrumentum, quod in illius caput non expromat. Illud enim esse existimatur indignationem quiescere, id est, aut non habeat, quod amplius faciat, aut certè sibi omnino satisfecerit, destruendo nempe ciuitatem, & ciues; quod summum videtur in supplicio sumendo. Ita Lyra, & Hugo. Vide quæ diximus suprà ad illud cap.5. *Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis.*

33. Hæc ego magis probo, quia pluribus placent; sed addam explicationem aliam, in eam sententiam, quam sæpe repetunt Prophetæ, quæque supplicium indicat longè grauius. Communis est Patrum sententia tunc Deum maximum indignationis suæ argumentum præbere, cùm dormire nos sinit in peccatis placidè, acquietè: neque noxium soporem, aut lethargum clamore, aut pulsatione turbat. Vt enim medicus grauiùs de ægroto iudicat, ac deliberat, cùm illum deserit, cùm ab vrendo, atque secando abstinet; neque aliud ægroto nunciari potest horribilius; sic cùm Deus virgam à peccatore cohibet, desperare se

Deus terra maximè iratus cum à flagellando cessat.

A indicat de salute; & grauiter se affectum, & indignatum ostendit. Hoc planè est, quod suprà de eodem populo in suis iam sceleribus obstinatò, dixit Propheta suprà cap.16.v.42. *Et requiescet indignatio mea in te, auferetur zelus meus à te, & quiescam, neque irascar amplius.* Et Ierem. cap.6. *Erudire Ierusalem, ne fortè recedat anima mea à te.* Huc facit illud Psal.8. *Israel non intendit mihi, & dimisi eos secundum desiderium cordis eorum.* Vide Hieronymum in illud Ezechiel.cap.7. *Non parcet oculus meus super te, nec miserebor.* Et Gregor. homil.12. in Ezechielem. *Peccantes,* inquit, *quosque tunc amplius consideramus miseros, quando eos conspicimus in culpa sua sine flagello derelictos.*

B Iuxta hæc huiusce loci hanc ego suspicabar 34. esse sententiam, Iudæorum populum frustrà recepisse medicinam, aut expiatorium conflatoris seduli conatum; talémque in posterum futurum videri, vt Deus ab illo aut medicam manum, aut flammas purgatrices summoueat. Ac si dicat Deus, eò me adduces, ô ciuitas væsana, dum mundari non vis, vt me cogas; siue non cessabis, donec me cogas paternam in te sedulitatem, & zelum omittere, ita vt ille, qui videbatur esse furor, requiescat; neque in te colendo, aut expiando vlteriùs laboret.

Vers.14. *Veniet, & faciam: non transeam, nec parcam, nec placabor.*] Sententia est non obscura. Af- 35.
C firmat Deus sententia eadem sæpius iterata hasce minas habituras esse pondus, vtitúrque eo dicendi genere, quo rebus solet plerumque conciliari fides; ne populus putet hæc casu, aut leuiter excidisse. Veniet, inquit, quod accepisti modò vaticinium minax; ego, egò, inquam, faciam, cuius potestatem debilitare, atque eludere nihil potest; non omittam, aut prætcribo quicquam eorum, quæ comminatus sum; neque placabor, aut parcam sicut tecum sæpe, & olim cum parentibus tuis aliquando feci. Et iuxta vias tuas iudicabo te, iudicio videlicet adulterarum, & eorum, qui innoxio se sanguine polluerunt; & tale de te supplicium exigam, quale tot, támque inuerecunda flagitia clamant. Eodem propè modo lo-
D cutus fuerat Isaias cap.46. *Locutus sum, & adducam illud: creaui, & faciam illud.*

Vers.16. *Ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga, & non planges.*] Aliud iam aggre- 36.
ditur vaticinium, tectum tamen, vt alia plurima, ænigmatico quodam inuolucro, vt doceat illam futuram esse rerum perturbationem; illum cadentium numerum, vt patrio more, & legitimo ritu non sint tumulanda cadauera, sed indeplorata, sine honore, in aperto loco esse relinquenda, vt ibi, asinorum in morem extabescant. Minatus est Deus hæc eadem per Ieremiam cap.16. vbi plurimorum meminit eorum, quæ hîc commemorantur. Dicit ergo Dominus futurum vt id, in quo maximè sibi placebat Propheta, quód-
E que studiosiùs intuebatur, & libentiùs, repentino caderet interitu. Cui tamen edicit, vt in eo dolore, atque domestico infortunio lacrymas cohibeat, & gemitum. Porrò in *desiderabili oculorum,* vxorem intelligi, ipse docet Propheta statim vers.18. Illud *in plaga,* aliquid indicat inexpectatum, ac subitum. Cùm enim aliquem morbus, aut ipsa naturæ necessitas extinguit, id sensim fit, & longiori mora: plaga verò, vt in militiis 37.
constat, momento temporis sternit, ac conficit.

Hic ego suspicor *desiderabile*, seu *desiderium oculorum*, epithetum esse vxoris, quam credo vir eo appellaret nomine, etiamsi minùs grata ad ipsius

Vxor dicitur desiderabile, seu desiderium oculorum.

ipsius oculos accederet. Quia sic ab sponso in nuptialibus sacris ex Hebræorum more vocabatur. Sane in Canticis sponsus sæpe canit cupere se vehementer sponsæ suæ faciem aspicere. cap. 2. v. 14. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Et millies illam formosam vocat, speciosam, immaculatam, quæ omnia oculos alliciunt, & capiunt. Eodem modo vxor dicitur, quæ cubat in sinu, qui etiam in nuptialibus sacris in sponsi complexu dormire fingitur. Vnde est illud in epithalamio sacro familiare, *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quare *quæ in sinu dormit*, epithetum est vxoris. Eccli. 9. v. 1. *Non zeles mulierem sinus tui,* id est, vxorem. Michææ c. 7. v. 5. *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Ex quo mihi verissimum esse persuadeo, quod in commentariis in Cantica probaui prolegomeno 3. in Cantico Canticorum ritus contineri, qui ab Hebræis in connubialibus sacris seruabantur. Quandoquidem omnia, quæ sparsim comperimus de Hebræorum connubiis in Scriptura sacra, illa eadem in illo sacro Salomonis epithalamio coniunguntur.

38. Vers. 17. *Ingemisce tacens: mortuorum luctum non facies.*] Non prohibet Deus, ne doleat Propheta in vxoris interitu, sed ne publicè, vt in funeribus solet, lacrymetur, & gemat. Hoc namque signo, quid futurum sit in Iudæorum clade, hieroglyphicè portendit: in qua non defuit priuatus mœror, non domesticus luctus, defuit tamen ille, qui publico, atque legitimo ritu mortuorum funera cohonestare solet. Quare iubet Deus, ne quid illorum faciat, quæ viri solent in vxorum inferiis, quo tempore pacata est ciuitas; & quæ lex, aut consuetudo præscribit, commodè possunt, & sine vlla animi perturbatione præstari. Qualia sunt, quæ statim subiiciuntur, quæ nemo cadente, aut procumbente
39. republica sanus exhibuit. Porrò planctus, vt Hieronymus docuit epist. 25. ad Paulam de obitu Blæsillæ, non est gemitus, aut lacrymæ, quas ex charorum morte dolor exprimit, sed honor, qui amicorum cineribus impenditur. *Planctus*, inquit, *non in plangentium exanimatione, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus est.* Et talem esse dicit planctum, quo Ægyptij Iacobi funus prosecuti sunt Gen. 50. Neque enim Ægyptij, quorum magna frequentia interfuit sepulturæ, ita erant animo in Iacobum affecti, vt illacrymari, aut plangere debuerint; neque eum habitatores terræ Chanaan dixerunt, *Planctus magnus est iste Ægyptiis*, audiebant gemitus, & vlulatus ipsorum; sed videbant currus, & equites, & ex Ægyptia nobilitate quàm plurimos, qui septemdiales exequias magno apparatu Iacobi cineribus impenderunt. Eodem modo explicat planctum, qui Actor. 8. exhibitus esse traditur lapidato Stephano, de quó sic Lucas, *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, &*
40. *fecerunt planctum magnum super eum.* Qualis verò fuerit iste planctus, docet Lucianus in quadam epistola, quam multi è Patribus citant, ac probant. Dicit autem Lucianus quæ in illa sunt epistola per reuelationem se accepisse à Gamaliele. *Ego*, inquit, *Gamaliel compatiens Christi ministro, & festinans habere mercedem à Domino, & partem cum sancto viro fidei, misi per noctem quantos poteram religiosos Christianos, & in Christum Iesu fideliter credentes, habitantes Ierusalem in medio Iudæorum:*

Planctus pompam funeris significat.

Gamaliel Stephano qualem planctum & honorem exhibet.

A *& hortatus sum eos, & necessariam substantiam ministraui, ac persuasi illis vt occulte, vt portarent corpus eius meo in vehiculo ad villam meam, &c. Et ibi feci illi planctum fieri diebus septuaginta, &c. Et præcepi meis, vt quæcunque necessaria erant pro eius planctu, de meo darent.* Vide quomodo sumptus in planctu necessarij sint; vnde colligetur quis sit ille planctus, à quo hîc abstinere iubetur Propheta; non quidem ab eo, quem dolor exprimit, & pietas; sed ab eo, qui cadaueri solennes, ac publicas exhibet inferias. Atque ideo permittitur, vt tacens ingemiscat, domi videlicet, aut occultè; non verò vt mortuorum luctū faciat, legitimum videlicet, atque honorarium. Planctus

B hic legitimus septemdialis erat apud Hebræos, vt constat Eccli. cap. 22. v. 13. *Luctus mortui septem dies.* Aliquando pro personarum varietate diutius producebatur, vt diximus modò de Stephani funere; & Num. cap. 20. v. 30. filij Israël triginta dies lugubres impenderunt Aaroni mortuo, & Deut. 34. v. 8. totidem Moysi. Et Iacobo in Ægypto viri Ægyptij 70. diebus parētarunt, deinde verò septem in terra Chanaan.

Planctum quot diebus apud Hebræos.

Corona tua circumligata sit.] Explicat iam à quibus abstinere Propheta debeat, dum legitimus illi planctus interdicitur, & quid ab Hebræis ad legitimum, & sepulcralem planctum adhiberi solitum. Iubet primùm, vt capiti circumligetur 41.

C corona. Quid verò id sit, non admodum exploratum. Heb. est פאר *peer.* quod quidam tiaram, mitram, seu cydarim exponunt. Et ita fortasse est hoc loco: nam licèt, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Acta, cap. 19. Hebræi nudo incederent capite, neque vnquam operirent, nisi forsitan in via; aut vbi grauis aliqua exigeret necessitas, aut certè in luctu; quia tamen Ezechiel, vt principio ipse fatetur, cap. 1. v. 3. Sacerdos erat, mitram gestare poterat, aut cydarim, quæ quoddam erat capitis vinculum. Cùm autem duo in funere, & luctu patrio more præstare soleant Hebræi, quæ ornatum esse caput non sinunt sacerdotali mitra, ab vtroque

D prohibet Deus, dum coronam vetat ex capite deponi.

Qui ritus in funebri planctu.

Solebant primùm Hebræi in luctu caput operire, quacumque ex causa ille contigisset. Ierem. cap. 14. *Luxit Iudæa, & clamor Ierusalem ascendit, &c. confusi sunt, & afflicti, & operuerunt capita sua.* Et statim, *Quia non venit pluuia in terram, confusi sunt agricolæ, & operuerunt capita sua.* Et de Dauid, cùm fugeret ab Absalon traditur 2. Reg. 15. *Porrò Dauid ascendebat cliuum oliuarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite. Sed & omnis populus, qui erat cum eo operto capite ascendebat plorans.* Hoc ergo primùm prohibet Deus, ne qua fiat in capite mutatio; sed eodem omnino 42.

E modo ligetur, & appareat, quo priùs, cùm adhuc vxor esset incolumis.

Caput opertum in mœrore, ac luctu.

Solebant item in luctu tondere caput, quod fecit Iob cap. 1. qui audita filiorū morte, *tonso capite corruit in terram.* Isai. cap. 15. *In cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.* Michææ cap. 1. *Decaluare, & tondere super filios deliciarum tuarum.* Ierem. cap. 16. *Non sepelientur, neque plangentur, non se incident, neque caluitium fiet pro eis.* Quod præstitit Dauid 2. Reg. cap. 19. qui operto capite Absalonis mortem prosecutus est. *Porrò Rex operuit caput suum, & clamabat voce magna, fili mi Absalon?* Hoc ergo iubere videtur Dominus, ne crines sibi Propheta detondeat lugentium more, sed illos circumliget vel cydari, 43.

Caput in luctu tondere solitum.

vt antea, vel aliò vulgari Hebræorum redimiculo, de quo statim. Et hoc omnino indicat Septuaginta translatio, qui ita conuertunt, *Erunt crines tui ligati super te.* & sentit Hieronymus, qui sic hunc locum exponit, *Habebis coronam, quæ tondetur in luctu.* Et statim, *Nos autem iuxta Septuaginta coronam capillorum intelligamus cæsariem.*

44. Hæc ego magis probo, addam tamen cogitationem meam, quam aliqua pulsat coniectura; non tamen ita confirmat, vt omnino conquiescat. Rogatus aliquando Gregorius Magnus à quodam ex Britannia, vt refert Beda in Retractationibus super Acta, quid esset semicinctium, respondit esse quoddam sudarij genus à Iudæis in capite gestari solitum. Cùm autem semicinctium, vt ipsa vocis notatio indicat, fascia quædam sit, non temere videtur aliquis suspicari potuisse Iudæos defluentes capillos tænia aliqua colligare, ac cohibere solitos, quod faciunt sæpius fœminæ, & viri nonnunquam in aliquibus regionibus. Sanè hoc de Germanis docet Seneca epist. 124. *Quid, inquit, capillum ingenti diligentia comis? cùm illum vel effuderis more Parthorum; vel Germanorum nodo vinxeris; vel vt Scythæ solent sparseris.* Et verò Virgilius respectans, opinor, ad antiqua sæcula, aureis vittis religari dicit adolescentum comas. Sic enim ille lib. 4. Æneid. de Apolline,

An Iudæi tænia defluentes capillos cohibeant.

——————mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro.

Et de Ascanio lib. 10.

———fusos ceruix cui lactea crines
Accipit, & molli subnectit circulus auri.

Huc faciunt imagines antiquæ, quæ virorum etiam non effœminatorum & mollium, sed quibus vita, cultúsque durior, crines fasciis astringunt; aut caput alioqui nudum non indecorè vinciunt. Si quispiam ita putet Hebræorum capita circumligari, habet à Gregorio, referente Beda, vt nuper vidimus, argumentum non leue.

45. Quia hîc incertis ducimur coniecturis. Vide an ex Iosepho lib. 1. contra Apionem, aliquid de circumligato Iudæorum capite coniectare possis, ille enim paulo post medium ex sententia Chœrilli antiqui poëtæ circumtonsam esse indicat Iudæorum comam. Cùm enim Iudæos, qui in Xerxis castris militabant, describeret, circumtonsam illis comam attribuit. Sic autem Chœrillus,

Iudæorum circumtonsa coma.

Huius miranda specie gens castra secuta,
Phœnissam ignoto linguam mittebat ab ore,
Sedes huic Solymæ montes stagnum propè vastum,
Tonsa caput circum, squallenti vertice equini
Exuuias capitis duratas igne gerebat.

Hæc adduxi ad aliorum cogitationem consentanea magis, quàm ad meam. Mihi enim magis est probabile sumpsisse Prophetam in vxoris funere coronam, quæ adhiberi solet in festiuo plausu, atque euentu prospero, & nullum edidisse publicè mœroris signum; quo significabat non quid Solymitanis ciuibus in obsessa, aut capta vrbe, sed quid captiuis, vbi audierint captam vrbem, & filios occisos, futurum esse animi, aut quid in eo animi dolore, ac sensu consilij capiendum. Id verò pluribus ostendam ad illud vers. 23. *Coronas habebitis in capitibus vestris.*

46. Rab. Dauid vsitatum esse dicit inter Hebræos, vt caput in luctu nudent, ablata tiara, mitra, seu galero. Sed vnde hoc probare possit ex Scriptura, non video. Neque ex sui sæculi consue-

A tudine quicquã efficit Rabbinus iste (si fortè iste mos iste inter Iudæos suo tẽpore vigebat, quod non puto) nam vt in omni ferme natione temporis progressu multa cadunt, multa inuehuntur noua, multa iam exoleta renascuntur, multa è vicinis Gentibus mollescunt; sic etiã consuetudo illa induci potuit, cùm tamẽ nihil antiquo sæculo magis alienum. Præsertim cùm valde sit probabile, vt paulo antè diximus, nisi quid grauius, aut durius accidisset, Iudæis semper caput esse nudum.

Sed obstrepet aliquis, ac dicet non esse cur 47.
Ezechieli hoc à Domino præceptum tradi debuerit: cùm enim sacerdos esset, vt cap. 1. in
B principio vidimus, neque vxoris funeri interesse poterat, neque caput radere, aut alia etiam plurima, quæ aliis, qui non essent ex illo sacerdotali ordine, lex, aut consuetudo permittebat. Sic enim de sacerdote Leuit. c. 21. *Non contaminabitur sacerdos in mortibus ciuium suorum, nisi tantùm in consanguineis, & propinquis, id est, super patrem, & matrem, & filium, & filiam, fratrem quoque, & sororem virginem, quæ non est nupta viro. Sed neque in principe populi sui contaminabitur. Nec radet caput, nec barbam,* &c. Hoc loco non numeratur vxor, vt vides: quare etiamsi non haberet istud à Domino mandatum, interesse tamen non poterat coniugis exequiis: neque à do-
C mestico prohibebatur, atque priuato luctu, quod hîc permittitur.

Sacerdos cognatorum funeri interesse non poterat.

Huic obiectioni satis occurrunt, quæ à nobis 48.
paulo antè dicta sunt, & huius siue vaticinij, siue portenti propositus finis. Eò etenim spectant hæc omnia, vt discant Iudæi publicum, ac legitimum planctum in vrbis extrema clade impendendum non esse mortuorum funeri. Hæc verò sacerdotum sumptibus adornari possent in vxorum inferiis; licet ipsi contaminari non possent super illas, id est, illarum interesse funeri. Id ergo prohibet Deus, ne id quod per legem, aut consuetudinem licet, faciendum curet,
D licèt ipse interim contineat se domi, & vxoris interitum priuato luctu, atque domestico plangat. Quare aliqua vetat, quæ salua religione, ac lege exhibere posset à sacerdote doloris argumenta.

Quid sacerdoti licitum in vxoris funere.

Et calceamenta tua erunt in pedibus tuis.] Hinc 49.
constat in Iudæorum exequiis, legitimóque planctu deponi consueuisse calceamenta. Vt enim alia, quæ in parentalibus fieri solent, lugubrem fortunam, & seruilem ostendunt; sic quia miserorum, atque seruorum est nudus incessus, nudos gestare pedes solent, qui suorum funeri vacant, & illa omnia præ se ferre, quæ munditiæ, atque elegantiæ contraria sunt. Qua-
E re quia in coma aliquid, imò plurimum ornamenti est, caput abraditur, & alio quodam modo magis ad luctum, & commiserationem opportuno cooperitur. Denique is est lugentium habitus, ea species, vt sordidati dicantur, aut esse in squalore, & sordibus. Sanè calceos in dolore, & gemitu deponi, probat Dauid, & vt est verisimile, quotquot illum cùm Absalonis coniuratam manum effugeret, prosecuti sunt, de quo 2. Reg. 15. *Porrò Dauid ascendebat cliuum oliuarum scandens, & flens nudis pedibus incedens, & operto capite.* Et quidem de calceis in seruili conditione detractis plurima sunt in Scriptura sacra documenta. De Gente Israëlitide scripsit Ieremias Thren. cap. 1. cùm ageret apud Babylonios captiua, *Sordes eius in pedibus eius.* Et Isaias c. 20. cùm

Pedes in funere, ac misera fortuna nudantur.

cùm Ægyptiis, atque Æthiopibus seruitutem, exiliúmque portenderet nudus, ac discalceatus; nudos illos, ac discalceatos esse dicit.

50. *In oratione pedes nudantur.* Accedit huc, quòd qui funeri dant operam, si modò id pie, ac sanctè faciunt, orare debent supplices pro defunctorum anima: orationem verò nonnunquam fieri nudis pedibus, indicat Iosephus lib. 2. de bello, vbi tradit Berenicem Reginam supplicem, ac nudipedem ante Flori præsidis tribunal astitisse. Sanè exercuisse Paulum nudipedalia, vt se ad Iudæorum mores accommodaret, docet Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum paulo ante medium. Et Leo Magnus in quodam sermone de ieiunio, sic de Hebræis: *Habeant illi nudipedalia sua, & in tristitia vultuum ostendant otiosa ieiunia.* Quo nomine videntur olim notati, ac cogniti Iudæi. de quibus Iuuenalis Satyr. 6.

Obseruant vbi festa mero (id est, nudo) *pede Sabbata Reges,*
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Vide apud Lilium Gyrardum explicationem illius symboli Pythagoræ, *Nudis pedibus sacrificandum.*

51. *Nec amictu ora velabis.*] Ostendimus suprà caput in luctu solitum esse velari, quacumque ille proueniret ex causa. Id verò esse quasi legitimum in funere, docet apertè hic locus. *Cur caput veletur in luctu.* Cur autem id tam olim apud multos, quàm etiam modò in plurimis nationibus instar legis obtineat, ea videtur esse ratio, quia luctus tenebras amat, qui autem faciem obuelauit suam, ille visum sibi lucis eripuisse censetur, & perpetuam sibi noctem indixisse. Tum quia quibusdam lugere turpe existimatur, qui omni fortuna videri volunt superiores; aliis à lacrymis sibi temperare illiberale, atque indecorum: quare cùm illis cohibere lacrymas, & his illas profundere non facile sit, inuenta est facilis, & opportuna ratio, quæ illorum pudori commodè consuleret; quæ dum velum admouet parentantium ori, testes summouet, qui in illis virtutem, atque constantiam, in his dolorem pium, fidémque aliorum Manibus, ac funeri debitam requirant.

52. *Conuiuium legitimum in funere Hebræorum.* *Nec cibos lugentium comedes.*] De cibis, qui in defunctorum exequiis instrui solent, tam apud Hebræos, quàm apud alios populos, diximus ad illud Ierem. cap. 16. *Ne ingrediaris locum conuiuij, neque vadas ad plangendum.* vbi idem omnino Ieremiæ præcipitur, quod nunc Ezechieli. Quanto verò studio curarint Iudæi, ne pium, atque legitimum epulum in suorum parentalibus deesset, docet Iosephus lib. 2. de bello, cap. 1. in principio; vbi sic de Archelao, *Diebus septem in lugendo patrem consumptis, epulísque feralibus prolixè populo exhibitis (hic autem mos apud Iudæos necessario multos ad inopiam redegit: nam qui eum neglexerat, impius æstimabatur) candida veste indutus procedit ad templum.*

53. *Conuiuium ferale apud Gentiles.* Hoc verò esse apud Gentiles penè legitimum, non solùm sacri, sed etiam profani scriptores prodidere. De Græcis docet Hieronymus ad locum Ieremiæ, de quo nuper, qui eiusmodi parétales epulas περίδειπνα nominari dicit. De Atheniensibus tradit Pollux præfectos funerum curare solitos, ne deesset parentale conuiuium. De Scythis docet Herodotus lib. 4. De Romanis docent multorum exempla, qui testamento iusserunt, vt publicum epulum in suo funere præberetur. Testantur id adhuc mortua saxa epitaphiis notata antiqui illius sæculi. Sed

A esse non vsitatum tantùm, sed solenne, atque legitimum ita vt ferale præterire conuiuium nefas putaretur, docemur à Persio, qui Satyr. 6. hoc munus ab hærede præstari tradit.

——————*sed cœnam funeris hæres*
Negliget iratus, quòd rem curtaueris; vrna
Ossa inodora dabit.

Hoc porrò pietatis officium, quod integra republica in patrio solo præstitere Iudæ; exules deinde, atque inopes non intermiserunt in alieno. Neque enim aliter mirarentur vxore mortua conuiuium illud non esse curatum à Propheta.

Locutus sum ergo ad populum manè; & mortua est 54.
B *vxor mea vespere.*] Locutus, opinor, est Propheta matutino tempore, tam vaticinium priùs de olla, in quam carnes simul cum ossibus congestæ sunt, quàm quæ proximè de vxoris morte, déque omisso funeris honore dicta sunt. Neque verbis propheticis fides defuit: nam statim vespere, cùm nihil alij de vxoris interitu metuerent, extincta est; & illa ad vnum à Propheta præstitá, quæ Dominus edixerat.

Vers. 21. *Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperij vestri.*] Explicat Propheta, quis sit 55. actionis illius hieroglyphicæ sensus, & quæ obscuriùs inuoluerat aliena specie, in propria iam, sublato velo, manifestiùs euoluit. In vxore, quæ
C desiderabile dicitur oculorum Prophetæ, ea omnia intelliguntur, quæ populus iam cædi destinatus, aut desiderabat, aut amabat. In primis templi meminit, quod tanti faciebat gens illa, vt eo saluo, se æternùm incolumem futuram confidebat, atque ideo illi multum erat in ore *templum Domini, templum Domini, templum Domini,* Ierem. cap. 7. Illud verò imperij illius Israëlitici superbiam vocat: aut quia eo freti præsidio, quod à templo æternum sibi futurum confidebant, despiciebant externam potentiam, quia aduersùs hostiles vires, & conatus satis se superque munitos arbitrabantur. Aut certè, quia cùm moles illa esset magnum totius mundi, &
D admirabile prodigium, quale nunquam extruere, neque fortasse cogitare potuit antiquitas, præ se ciuitates alias faciebant nihili, sibique proprium Deum, qui illum locum præcipuè ex omnibus elegerat, & non cum aliis communem opinione prorsus vesana cogitabant. Hoc ergo templum polluendum esse dicit; aut quia in hostium veniet potestatem, qui in illo nihil putabunt esse sacrum; atque ideo conculcabunt, tradúcéntque in vsus maximè profanos; aut quia tandem post alias iniurias hostili conflagrabit incendio.

Et super quo pauet anima vestra.] Pauere duo si- 56.
E gnificat: affectum nempe animi solliciti, qui sibi, alterive de periculo cauet. *Iudæorum erga tēplum amor, & reuerentia.* Et hoc inerat Iudæorum animis, qui licèt in patria religione frigerent, tamen alias etiam ob causas, vehementer timebant, ne quid illi sacratissimo totius orbis miraculo grauius accideret. Quod timuerunt postea Machabæi lib. 2. c. 15. v. 18. *Eo quòd templum periclitaretur. Erat enim pro vxoribus, & filiis, itémque pro fratribus, & cognatis minor sollicitudo; maximus verò, & primus pro sanctitate timor erat templi.* Quod gemuit Ieremias in suis lamentationibus non semel; & multo antè Dauid Psal. 78.

Valet etiam interdum pauere, idem quod admirari, siue suspicere; sicut etiam pauor, timor, & horror admirationem valent, & reli- *Pauor, & horror pro obseruantia, & admiratione.*

gionem; neque id solùm apud sacros, sed etiam apud profanos. Docuit hoc Seruius ad illud Virgilij lib.1.Æneid,

Horrentique atrum nemus imminet vmbra.

Et apud sacros multo frequentiùs. Vide quæ diximus suprà cap. 1. ad illud, *Quasi aspectus cristalli horribilis.* Pauebant igitur Iudæi templum, vel quia illud venerabantur, quasi stabile diuinæ maiestatis, & cœleste sacrarium; vel quia opus illud grande artificio, ac mole ad miraculum vsque visendum admirabantur; in côque sibi vehementer placebant. Quare accommodatè ad hoc posterius, templum hoc Iudaici imperij proximè superbiam appellauit.

57. *Filij vestri, & filiæ vestræ, quos reliquistis, gladio cadent.*] B Agit hic Propheta cum his, qui erant secum in exilio, qui domos reliquerant Hierosolymæ, & in illis filios, ac filias, quibus cum non mitiùs agetur à Chaldæis, cùm iterum ad belli reliquias persequendas redierint, quàm cum parentibus antea, qui cum Iechonia in alienum solum transmigrarunt. Cadent enim gladio, postquam innumeris aliis bellorum incommodis perfuncti fuerint.

58. Vers.22. *Et facietis sicut feci: ora amictu non velabitis.*] Exemplar in se proposuit Propheta eorum, quæ in vrbis, templíque vastitate, filiorum cæde, & eorum, quæ quisque amabat interitu, facturi erant, qui tunc apud Babylonios exulabant. C Vt enim ille neque caput operuit, neque legitimo, atque honorario planctu prosecutus est vxoris interitum; sic etiam illi ad eius exemplum, nihil efficient, quo aut suorum leniant desiderium, aut pietati in mortuos, aut studio satisfaciant.

59. Vers.23. *Coronas habebitis in capitibus vestris.*] Qui fortes videri studebant, quasi animo essent supra fortunæ casus excelso, in suorum funere, aut etiam inopinatæ mortis accepto nuncio, neque commoueri se, neque aliqua ratione tangi; quasi nihil ad se pertineret, aut verè prædicabant, aut simulatò fingebant. Quare aut coronas sumebant, vt de Pericle in eius vita au- D ctor est Plutarchus, & Xenophon, vt auctor est Laërtius, & de vtro Valerius lib.5. c.10. aut aliquo alio signo simulata lætitia alto in corde dolorem animi premebant. Non dicit hoc Propheta futurum Iudæis in Babylone captiuis, sed non esse deponendas coronas, quas patrio ritu antè gestabant, siue sint crines, quibus naturali vestitu ornatur, ac coronatur caput; siue fasciæ, quibus prolixa cohibetur cæsaries, ne indecorè defluat, aut oculis inuolitet, quóque minus videant, impedimento sit. id credo potiùs, sed neque illud de corona, quæ assumi solet in lætitia, videtur admodum improbabile.

60. Quod vt ostendam obseruo captiuos hosce, E quibus cum nunc agit Propheta, licèt ægrè ferant abesse à patria, résque Solymitanas ab hoste vexari; tamen ne quid ipsi grauius ab hoste insolente, & barbaro, cuius imperio suberant, paterentur, & ab ipso gratiam aliquam inirent; simulabant velle se illi omnia expedita, & prospera, etiam dum bello peterent, premeréntque Iudæorum genus, & cognatum sanguinem. Hinc fiebat, vt pro Nabuchodonosor, ac regia sobole, & preces ipsi funderent, aut forsan id se facere callidè præ se ferrent; & vt sacrificia offerrent, ab his, qui Hierosolymæ remanserant, publicè per literas postularent. Refert hoc Baruch cap. 1. adducitque ibi hæc captiuo-

Iudæi in summo dolore coacti vultum assumere festiuum.

Iudæi pro Babylonus

A rum verba. *Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocaustomata, & thus, & facite manna, &c. & orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, & pro vita Balthasar filij eius, vt sint dies eorum sicut dies cæli super terram. & vt det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor Regis Babylonis, & sub vmbra Balthasar filij eius, & seruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in conspectu eorum.* Quid aliud agerent, si Regem haberent ex suo genere liberalem, & mitem; & non potiùs peregrinum, & durum? Quis autem dubitet Babylonios, cùm audirent captam esse Hierosolymam, & accessionem magnam esse factam Chaldæorum imperio, exultasse animis, publicámque lætitiam festiuo plausu, triumphalem in modum significasse. Atque ideo imposuisse capiti coronas, & geniales duxisse dies illos; & in regio triumpho, ipsos quoque, vt res ferebat publica, triumphasse. Eo verò tempore non est verisimile Iudæos, qui pacatos sibi, atque propitios habere studebant Babylonios; sumpsisse quoque coronas, ne aut dolere de suorum interitu, ex quo res Babylonica magnum acceperat incrementum; aut inuidere Chaldæorum fortunæ viderentur. Porrò eodem quo nuncius allatus est 61.
die, de Chaldæorum victoria, de suorum cæde, publicáque ruina edocti sunt Iudæi: quare cùm filiis, aut fratribus parentare debuerunt, coacti sunt, dum suæ incolumitati cauent, & oculis seruiunt inimicis, in summo dolore coronam accipere. Hoc idem in casu non dissimili accidit eidem populo sub Antiocho, à quo duro premebatur imperio. De quo 2.Machab. cap.6. v.7. *Ducebantur autem* (nempe Iudæi) *cum amara necessitate in die natalis Regis ad sacrificia, & cùm Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire.* Eadem passæ sunt nationes aliæ, quæ cùm grauia timerent ab Holopherne quas deinde hostiliter afflixit; tamen cum amara necessitate coacti sunt, illius celebrare victorias, de quibus sic Iudith c. 3. *Tantúsque metus prouinciis illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores, principes, & honorati simul cum populis exirent obuiam venienti: excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibiis.* Magna sanè & extrema fortasse calamitas, cogi vt inuitus gaudeas, & in summo dolore tripudies, festósque agites, & geniales dies. Hæc mihi ad hanc cogitationem non leuia fundamenta sunt, quæ etiam facile reddunt, quod de corona circumligata Ezechielis dicitur suprà v.17.

Sed quæret hîc aliquis, quomodo captiuis 62.
edicitur, qui Hierosolymis aberant, ne illa edant doloris argumenta, & pietatis officia, quæ præstari solent in amicorum funere, quando illorum exequiis interesse non poterant? Huic obiecto occurrit omnium penè Gentium consuetudo, quæ amicitia, sanguinéque coniunctis, etiam cùm absunt procul, quia aut naufragio periere, neque cadaueris extrahendi potestas vlla fuit; aut quia alio in loco tumulati, illa impendunt officia, quæ præsentibus solent. Hæc nos quotidie videmus, qui cœnotaphia absentibus excitamus, & illa edimus doloris signa, quibus dum vero assistimus sepulchro præsentes exhibemus. Ex hac consuetudine Virgilius cecinit parentatum esse ab Ænea absenti Deiphobo, lib.6. Æneid.

——— ——— *mihi fama suprema*

Nocte tulit fessum vasta te cæde Pelasgûm

Procu

preces, & hostias offerunt.

Summa calamitas cogi quemquam in dolore exultare.

Defunctis etiam absentibus parentalia exhibita.

Procubuisse super confusæ stragis aceruum.
Tunc egomet tumulum Rhæteo in littore inanem
Constitui, & magna manes ter voce vocaui.

63. Neque in hac Iudæorum republica exemplis caremus. Cùm sub hoc tempus excisa esset à Chaldæis Hierosolyma, & extincta propè infinita Iudæorum multitudo, quasi exequias facturi communi illi tam ciuium, quàm ciuitatis busto, *venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria octoginta viri rasi barba, & scissis vestibus, & squalentes,* Ierem. 41. Sic ergo credo facturi fuissent exules Babylonij; cùm excisam vrbem, & templum audiuerunt, nisi metus, & pudor imitari dominorum suorum plausum, atque habitum coëgissent, & lugentibus, atque mœrentibus animis triumphantem præ se ferre speciem, atque lætitiam.

64. Graue quidem est sic in dolore comprimi linguam, vt neque queri aliquis, neque lugere; aut etiam ingemiscere, ac mutire audeat, vt pluribus ostendimus super Ieremiam ad illud Thré. 1. *Plorans plorabit in nocte.* Sed vultum in summo dolore ad lætitiam fingere, & festiuum habitum assumere, simulare risum, & in suorum funere triumphare, id planè miserrimum est, &, vt nuper diximus de Machabæorum tempore, ab amara necessitate profectum.

65. *Tabescetis in iniquitatibus vestris: & vnusquisque gemet ad fratrem suum.*] Hoc illud est, quod suprà dictum fuerat ad Ezechielem vers. 17. *Ingemisce tacens.* Conficientur enim captiui interno animorum angore, & in tenebris sua siue consilia, siue dolorem fratribus impertient: publicè verò vbi in lucem, ac dominorum oculis prodierint, nouos assument vultus; noua verba, sibique gaudere simulabunt, & aliis de parta victoria, amplificatóque Chaldæorum imperio gratulabuntur.

66. Vers. 25. *In die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & desiderium oculorum eorum, super quo requiescunt animæ eorum.*] Hæc est Solymitani templi ex Iudæorum cogitatione sumpta descriptio. Talia enim sibi Iudæi aut promittebant; aut cogitabant de templo, qualia hîc à Propheta significantur. Dicitur enim *fortitudo eorum*, quia stante templo æternum putabant Solymitanum decus, & imperium: *gaudium dignitatis*, idem est quod suprà v. 21. *imperij superbia.* Requies ideo dicitur animarum; quia aut in eo acquiescunt animi, quasi plus vltrà non sit, quod quærant, aut desiderent; aut certè, quia dum templum stat, quieto sunt animo, & à periculi formidine vacuo. De aliis à templo loquitur, cùm dicit, *Filios, & filias eorum.*

A

Vers. 26. *In die illa cùm venerit fugiens ad te, vt annunciet tibi, in die, inquam, illa aperietur os tuum cum eo, qui fugit, & loquêris, & non silebis vltrà.*] Loquebatur, quo tempore hæc audiit Propheta, vt vides, imò & locutus antè fuerat sæpe, vt ex superioribus constat; sed quia obscuriùs plerumque, atque in ænigmate locutus videbatur; & quasi ore aut clauso, aut impedito: iubet Deus vt postquam à nuncio, qui communem ciuium, ac ciuitatis stragem testis ipse oculatus retulerit, excidium illud lamentabile didicerit, aperiet os suum, neque iam amplius obscurè, ac timide loquatur, cùm audaciam ex rerum euentibus, quos antè prædixerat, possit assumere. Hîc obserua silentium in Scriptura sacra nominari sermonem obscurum, & ab spiritu timido, aut languido profectum, qualis illorum plurimum esse solet, qui adulantur aliis, aut potentiorum mores timidè, atque obscurè reprehendunt. Hi sunt qui canes appellantur muti, non valentes latrare. Non deerat quidem animus Prophetæ, vt quiduis obiiceret incredulo, ac obstrepenti populo; sed quia ille needum erat ad seueram aliquam, & apertam reprehensionem aptè dispositus, obscurè Propheta, & quasi in ænigmate portendere potius, quàm loqui iussus est: cap. enim 3. vers. 26. sic ad illum locutus est Dominus, *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo: & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est. Cùm autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum.* Aperuit autem quamprimum nuncius ad Babylonem venit de Iudæorum extrema clade; vt hîc promittit Dominus. Venit autem nuncius infrà cap. 33. qui Prophetæ linguam minus ad illud tempus expeditam laxauit. *Venit*, inquit, *ad me, qui fugerat de Ierusalem, dicens: Vastata est ciuitas. Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere, antequam veniret, qui fugerat, aperuitque os meum donec veniret ad me manè: & aperto ore meo, non silui ampliùs.* 67.

B

Cùm quis timidè, aut obscurè loquitur silere existimatur.

C

D

Vers. 27. *Erisque in portentum.*] Id aliquid tunc fieri dicitur, cùm factum esse declaratur, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Isaiam ad illud cap. 49. num. 46. *In tempore placito exaudiui te.* fuerat quidem Ezechiel, dum varias species, & personas induit, in portentum, & signum calamitatis futuræ; non tamen credebatur ab aliis, qui portenta illa deliri hominis somnia interpretabantur, & meras nugas, cùm tamen exitus signa illa, atque portenta probauit, tunc verè cognouerunt nimium verum extitisse portentum. Explicit caput 24. 68.

IN CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

ARGVMENTVM.



HVIVS capitis non vnum est, sed multiplex argumentum; continet enim quatuor vaticinia, sibi tamen quàm simillima, in totidem Gentes, quæ iam antea dudum, & nunc proximè rem Israëliticam, & Judaicam hostiliter infectatæ sunt. In Ammonitas videlicet, Moabitas, Idumæos, & Palæstinos, quibus grauem minatur plagam, pro eo quòd res Judæorum vexarunt crudeliter, & in illorum exultarunt, atque triumpharunt incommodis.

CAPVT XXV.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis pone faciem tuam contra filios Ammon, & prophetabis de eis.

3. Et dices filiis Ammon: Audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dixisti: Euge, euge super sanctuarium meum, quia pollutum est; & super terram Israël, quoniam desolata est; & super domum Iuda, quoniam ducti sunt in captiuitatem:

4. Idcirco ego tradam te filiis orientalibus in hereditatem, & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua: ipsi comedent fruges tuas: & ipsi bibent lac tuum.

5. Dabóque Rabbath in habitaculum camelorum, & filios Ammon in cubile pecorum: & scietis quia ego Dominus.

6. Quia hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd plausisti manu, & percussisti pede, & gauisa es ex toto affectu super terram Israël:

7. Idcirco ecce ego extendam manum meam super te, & tradam te in direptionem Gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram: & scies quia ego Dominus.

8. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd dixerunt Moab & Seir: Ecce sicut omnes Gentes, domus Iuda:

9. Idcirco ecce ego aperiam humerum Moab de ciuitatibus, de ciuitatibus, inquam, eius, & de-

PARAPHRASIS.

A 1. ACcepi iterum verbum a Domino in hanc sententiam:

2. Fili hominis, obuerte faciem tuam contra Ammonitas, & durum in illos vaticinium intorque.

3. Sic igitur loquêris ad filios Ammon: Audite, ô Ammonitæ, quod vobis Dominus per me nunciari iubet. Quia cùm à Gentibus pollutum est templum, vulgare illud, *euge, euge*, triumphali voce, atque irrisorio spiritu ingeminasti; neque à libero conuicio abstinuisti, cùm essent
B vastati Israëlitici fines, & domus Israël in exilium abacta.

4. Idcirco ego efficiam, vt eò redigaris à Chaldæis, vt in syluam conuertaris, aut pastorum caulas. Venient igitur in te iam ab omni cultura, atque habitatione derelictam pastores à regione orientali, Madianitæ scilicet, Cedareni, & alij qui rei inuigilant pecuariæ, qui in sedem quondam tuam suos agant greges, & ibi tabernacula figant; tuos populentur agros, & fru-
C ges comedant; lac denique, quod tuum esse debuit, ipsi bibant.

5. Faciam vt Rabbath, quæ maximum regionis illius robur erat, & Ammonitici Regni prima sedes, sit camelorum, quibus Orientales vtuntur, stabulatio: & in locum, vbi quondam habitarunt Ammonitæ, succedent sordida pecorum cubilia. Et tunc scietis Deum esse me.

6. Sic enim de te Dominus; quia sic es immoderatè, ô Ammon, elatus gaudio in tanta regionis Israëliticæ strage, vt non
D tantùm voce, liberóque conuicio; sed etiam manuum plausu, festiuóque tripudio illud significaueris.

7. Idcirco ego contra te infensam, atque vltricem manum extendam, & Gentium potestati diripiendum tradam, efficiamq; ne in populis numereris ampliùs; sed de terra pereas, quam habitaras olim, & profugam vitam agas, & extorrem; vt denique conteraris, & subeas, quod extre-
E mum miseri subeunt ab hoste victore: & cognosces Deum esse me, à quo ad te minax hoc vaticinium datum est.

8. De Ammonitis hactenus. Quæ succedunt Dominus ad duos populos, Idumæum, & Moabiticum loquitur, Pro eo, inquit Dominus, quod Edom, & Moab cum sibilo dixerunt, & sanna eximium olim Iudæorum imperium nihilo fuisse iam aut sua, aut quacumque alia republica sublimius.

9. Idcirco ego tollam decus, & robur de Moab: efficiam quippe ne in Moabiticis

de finibus eius, inclytas terræ Bethiesimoth, & Beelmeon, & Cariathaim,

A ticis finibus amplius sint, neque in ciuitatibus numerentur inclytæ ciuitates Bethiesimoth, & Beelmeon, & Cariathaim, quæ terræ Moabitidis ornamenta fuerunt, & claustra.

10. *Filiis Orientis cum filiis Ammon, & dabo eam in hereditatem: vt non sit vltrà memoria filiorum Ammon in Gentibus.*

10. Sicut Ammonitidem regionem aperui, tradidique Orientalibus ita vastatam, atque desertam, vt nullum sit reliquum in ea vestigium, aut memoria Ammonitici nominis: sic etiam aperiam, vacuósque tradam orientalibus pastoribus Moabiticos fines.

11. *Et in Moab faciam iudicia: & scient quia ego Dominus.*

B 11. Eodem quippe modo de Moabitis, quo priùs de Ammonitis iudicabo: & tam hi, quàm illi me Deum esse experimento cognoscent.

12. *Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd fecit Idumæa vltionem vt se vindicaret de filiis Iuda, peccauitque delinquens, & vindictam expetiuit de eis:*

12. Hoc à Domino vaticinium est contra Idumæos. Propterea quòd Idumæa vlcisci voluit in Iudæorum capite veteres iniurias, & antiquum odium exsaturare illorum detrimentis, sicut antea dudum vehementer optauerat, qua in re non leuiter peccatum est.

13. *Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Extendam manum meam super Idumæam, & auferam de ea hominem & iumentum, & faciam eam desertam ab Austro: & qui sunt in Dedan, gladio cadent.*

C 13. Ideo ait Dominus, armabo contra Idumæam, & extendam manum; neque vllus erit in ea reliquus, non homo, non iumentum ab vsque extremis Idumææ finibus; quos Themam ab Austro, & Dedam ab Aquilone definiunt.

14. *Et dabo vltionem meam super Idumæam per manum populi mei Israel: & facient in Edon iuxta iram meam, & furorem meum: & scient vindictam meam, dicit Dominus Deus.*

14. Neque solùm à Chaldæis subiugabuntur, & delebuntur Idumæi; sed etiam postea per filios Israel, in quorum ipsi calamitatibus exultabant, per quos ego veteres vlciscar iniurias, quibus vtar ministris vt id exequantur, quod mea illis indi-
D gnatio præscripserit contra Idumæos, qui tandem cognoscent non ab aliis, quàm à me vindictam illam esse profectam.

15. *Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd fecerunt Palæstini vindictam, & vlti se sunt toto animo, interficientes, & implentes inimicitias veteres:*

15. Hæc Dominus contra Palæstinos. Pro eo quòd Palæstini suo sibi furori satisfacere in Iudæorum capite voluerunt, & toto animo ad vindictam, & cædem aspirantes veteres inimicitias prosecutæ sunt:

16. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego extẽdam manum meam super Palæstinos, & interficiam interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis:*

16. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego vindicem manum contra Palæstinos eleuabo, & illis, qui necem aliis intu-
E lere, ego quoque necem inferendo parem rependam vicem: neque in Palæstina, quæ regio littoralis est, vllus erit quem non rerum vicissitudo contingat, & vexet.

17. *Faciámque in eis vltiones magnas arguens in furore, & scient quia ego Dominus, cùm dedero vindictam meam super eos.*

17. Corripiam ergo illos, & arguam iusta indignatione commotus, quæ manum meam ad ipsorum crudelitatem puniendam armabit. Cùm verò exigi pœnas à suo capite viderint; tunc me Deum, & scelerum vindicem esse cognoscent.

Vers. 2. *Pone faciem tuam contra filios Ammon.*]

1. VERTIT paulisper animum, ac vaticinium Propheta à Iudæorum clade; conuertitque ad illos qui aliquo modo, ac tempore Iudæorum causam oppugnarunt: sicut etiam fecit ante hoc tempus Isaias, & sub hæc ipsa tempora, licèt diuersò loco Ieremias. Quare caput hoc Ammonitas, Moabitas, Idumæos, & Palæstinos, seu Philistæos duris exagitat vaticiniis. Et primùm quidem ad filios Ammon; de quorum genere, ac patria, item de aliis, quos habet in capite calamitatis, ac vaticinij socios, nihil hîc dico, quia ea de re satis multa in nostris commentariis in Isaiam variis locis.

2. *Ammonitæ in Iudæorum clade exultant.* Vers. 3. *Pro eo quod dixisti: Euge, euge super sanctuarium meum, quia pollutum est.*] Causam reddit, cur Ammonitidi genti illa subeunda sint, quæ in vaticinio minaci prædicuntur, qui cùm deberet in Iudæorum graui causa, & propter illustre Domini sacrarium à Gentibus pollutum dolere potius, quàm insultare lugentibus, sumpserunt tamen hostiles animos; & cum sibilo, & plausu ingeminarunt irrisorium illud, & petulans *euge, euge*, quod ab otiosa, atque procaci turba intorqueri solet in miserorum caput. Pugnasse Ammonitas contra Israel, & illorum consiliis insidiatos, præter Ezechielem dixit Ieremias cap. 49. qui grauiter in Ammonitidem illam gentem inuehitur, & Sophonias cap. 2. v. 8. *Audiui opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum.* Et statim vers. 10. hoc ipsum repetit, *Euge, euge*, voces sunt, quæ in conuitio, & sanna ab insultantibus adhiberi solent, Quibus vtebantur etiam illi in rerum articulo non dissimili, de quibus Dauid Psal. 34. v. 21. *Dilatauerunt super me os suum, dixerunt: Euge, euge viderunt oculi nostri.*

Euge vox insultantis aliquando.

3. Vers. 4. *Idcirco ego tradam te filiis orientalibus in hæreditatem, & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua.*] Variè hic locus ab interpretibus accipitur. Quidam in *Orientalibus* putant Babylonios intelligi, quia à Babyloniis vident expugnatos, & subiugatos Ammonitas, Sed reuera Babylonij siue cum Ammonitis, siue cum Solimitanis compares, Orientales non sunt; sed Aquilonares, vt sæpe audis tam apud hunc, quàm apud Prophetas alios. Alij Cedarenos esse volunt, aut Madianitas, quia hi filij dicuntur Orientis, Ierem. cap. 49. v. 18. *Ad Cedar & ad regna Assor, quæ percussit Nabuchodonosor Rex Babylonis, hæc dicit Dominus, surgite & ascendite ad Cedar, & vastate filios Orientis.* Sed hi Cedareni non sub hæc tempora bellum intulerunt Ammonitis, &, vt hoc Ieremiæ loco planè constat, eodem impetu, quo Ammonitæ à Chaldæorum Rege subiugati sunt. Quare aliter nobis instituenda est præsentis loci commentatio.

4. *REGVLA. Prouincia, in qua ars aliqua, seu ministeriū viget, illi ministerio vel arti nomen attribuit.* Ego in Orientalibus, seu in filiis Orientis, Babylonios intelligo, nō tamen propria, sed figurata dicendi specie. Quod vt probem, duo mihi priùs obseruanda sunt. Alterum est, ab aliqua siue ciuitate, siue prouincia, quæ alicui arti, seu ministerio præcipuè vacat, nomen desumi, transferríque ad explicandam ministerium illud, quacumque illud in Regione exerceri contingat. Quare Rhodij, & Phœnices pro nautis, Cyni-

A phij pro tonsoribus, Chaldæi, seu Babylonij pro Astrologis vsurpantur. Eodem credo modo Cedareni, ac Madianitæ, quia apud illos res pecuaria copiosa, ac penè sola est, pro pastoribus, quasi generale nomen esset, adhibentur. Sic Ieremias supra Cedarenorum opes, in pecore, & pascuis, & pastoritia supellectili constituit. Cùm enim ageret de Cedarenis à Nabuchodonosore debellandis, ait, *Tabernacula eorum, & greges eorum capient: pelles eorum, & omnia vasa eorum, & camelos eorum tollent sibi.* Item Isaias abundare dicit pecore Cedarenos, & Nabathæos, qui idem fermè sunt, & orientalem plagam pascendis gregibus opportunam inhabitant cap. 60. v. 7. *Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi.* Porrò hos ad Orientem pertinere etiam profani docent. Plinius lib. 6. cap. 28. Ouid. lib. 1. Metamorph. vbi de Euro vento orientali ait,

B *Eurus ad auroram, Nabathæaque regna recessit,*
Persidaque, & radiis iuga subdita matutinis.

5. *Reges vocati pastores.* Alterum est, Reges, & Principes siue cùm in pace, atque otio rempublicam administrant, siue cùm in castris agunt, & exercitum cogunt, appellari pastores, neque id solum apud profanos, sed etiam multo frequentiùs à scriptoribus sacris. De profanis pro multis sit vnus Homerus, qui Græci exercitus imperatorem Agamemnonem sæpe vocat ποιμένα λαῶν, id est, *pastorem populorum.* De sacris est illud Isai. cap. 44. v. 28. *Qui dico Cyro, pastor meus est,* & Ierem. cap. 49. *Quis est iste pastor, qui resistat vultui meo?* & clariùs, cùm ageret de eodem prorsùs imperatore, de quo nunc Ezechiel, eisdem penè verbis vtitur in expugnanda Hierosolyma, quibus Ezechiel in vastando Ammonitarum regno. *Ad eam, inquit, venient pa-*
C *stores, & greges eorum, fixerunt in ea tentoria in circuitu: pascet vnusquisque eos, qui sub manu sua sunt.*

6. Hinc mihi difficilis non est huius loci sententia, si in filiis Orientis, seu in Orientalibus pastores intelligas; quia, vt dixi, Orientales Solymitanis vicini pastores sunt; quia regio illa non tam ad satum, quàm ad alendum pecus opportuna est. Et facit plurimum, quia ea omnia, quæ statim in describenda Ammonitarum strage, à Propheta adhibentur, ex re pastoritia sumpta sunt; sicut etiam, quæ ad Hierosolymæ vastitatem adduxit proximè Ieremias. *Collocabunt, inquit, caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua,* &c. quæ optima castrorum descriptio est.

7. *Ipsi comedent fruges tuas, & ipsi bibent lac tuum.*] Hoc proprium est pastorum inductis gregibus, sternere aliorum fruges, & sata disperdere, & multo magis lac bibere, quod pastoribus non so-
D lùm esculentum, sed etiam poculentum est, maximè his, qui in orientalibus pascuis greges alunt, & regiones habitant siticulosas, & arentes. Dicuntur autem lac bibere Ammonitarum, quia illorum opes sic exhaurient sitienter, sicut orientales pastores suum ebiberunt lac, quo è numerosis gregibus plurimum abundant.

8. Hæc mihi visa sunt non abs re, neque à Scripturæ sacræ consuetudine; verùm alia mihi videtur simplicior, & magis soluta commentatio. Ita tamen vt non ab Orientalibus, Cedarenis videlicet, & Madianitis expugnanda sit Ammonitarum regio, sed à Chaldæis, vt dixi, & sentiunt cum Hieronymo complures alij. Et quidem iam hoc

hoc ipsum animo designarat Nabuchodonosor, A vt vidimus suprà cap.21.v.26. & quod priùs cogitauit, re ipsa præstitit, anno quinto ab excisa Hierosolyma, vt tradit Iosephus lib.11. Antiq. cap.10. Ita tamen populatus est regionem illam vbertatis, atque amœnitatis eximiæ, vt nemo in illa præter Orientalium greges, habitare potuerit, qui postquam à cultoribus deserta est, eò compulerunt pecudum, armentorúmque multitudinem maximam, quam in pascuis vberrimis ad satietatem, & delicias alerent. Migrasse verò cum pecore, atque armento Madianitas in regionem illam, suadet & regionis vbertas, & loci vicinitas. Maximè quia id fecisse dicuntur sæpe. Iudic. cap.6. vbi quotannis irrupisse dicuntur B cum gregibus suis in terram Israel, quæ magis ab agro Madianitico distabat. *Cùmque seuisset Israel, ascendebat Madian, & Amalec, cæterique Orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant, vsque ad introitum Gazæ.*

Madianitæ in Ammonitarum agros suos greges egerunt.

9. Hoc facit quod ex Scripturæ vsu prouerbiali, vt reor, figura, eo dicendi modo explicari solet ciuitatis antea frequentis solitudo, & vastitas. Sic de Ierusalem Michæas cap.3. *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem in aceruum lapidum erit, & mons domus in excelsa syluarum.* De eadem etiam Isaias cap.7. non valde dissimilia. De Babylonia idem cap.13. ita euertendam esse dicit, vt ibi futura C fuerint armentorum stabula, nisi horribilia spectra ab ea solitudine pastorum animos non deterruissent. *Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiæ, &c.* Et de terra Philistinorum Sophon.c.2.v.5. *Disperdam te, ita vt non sit inhabitator: & erit funiculus maris requies pastorum, & caulæ pecorum.* Qui loquendi modus non est apud profanos insolens. De Troia aratro iam, & messi magis, quàm habitatoribus opportuna, dixit Virgilius lib.3. Æneid.

Littora tunc patriæ lacrymans, portúsque relinquo,
Et campos, vbi Troia fuit.

Et de eadem rursus Ouid. epist.1. Heroid.

Iam seges est vbi Troia fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virum curuis feriuntur aratris
Ossa; ruinosas occulit herba domos.

D

Non itaque Orientales regionem vastarunt Ammonitida, sed postquam vastata fuit à Chaldæis, in eam tanquam in opima pascua greges inuexerunt.

10. Porrò lac esse maximè in illis regionibus potabile (sicut in aliis nationibus, quæ ideo dicuntur γαλακτοπόσιαι, de quibus nos pluribus ad illud Isaiæ 55. *Emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.*) satis probat locus, quem modò ex Isaia produximus: nam cùm sitientes ad potum inuitasset, vinum propinat, & E lac. Et Cantic.5. sponsus bibisse se dicit lac, & vinum. Neque Iahel vxor Heber Cinæi vtrem lactis porrexisset sitienti Sisaræ, cùm aquam peteret, nisi illud esset optimum, atque vsitatum potionis genus. Iudic.cap.4. *Aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere.*

Lac potabile.

11. Vers.5. *Dabóque Rabbath in habitaculum camelorum, & filios Ammon in cubile pecorum.*] Rabbath præcipua erat ciuitas, & Ammonitici regni prima sedes. Quare cùm Nabuchodonosor, dubius sedebat in binio suprà cap.20. an exercitum contra Ammonitas ageret, an contra Iudæos, Rabbath præcipuè meminit, quasi in ea staret aut imperij robur, aut regia sedes. Ait ergo ciuitatem illam, quam cum Rege habitabat antea prima nobilitas, eò esse redigendam, vt ciuium loco deformes, ac fœdi succederent camelorum greges. Filij Ammon, qui futuri dicuntur pecorum cubilia, figuratè ponuntur pro ipsorum domibus, quomodo *Pluto*, & *Manes* pro inferno sumuntur, quia ibi commorari existimantur; & Vcalegon, pro Vcalegontis domo.

12. Vers.6. *Pro eo, quod plausisti manu, & percussisti pede.*] Eandem adducit causam, quam nuper vers.3. quia exiliit gaudio, cùm capta est Hierosolyma, & si non extinctum omnino, obscuratum tamen, & abiectum Iudæorum nomen. Ea verò fuisse dicitur lætitiæ magnitudo, ea insultantium petulantia, vt non tantùm voce, liberóque conuitio, sed etiam plausu manuum, festiuóque tripudio illam significauerint. De manuum complosione, allisionéque, seu percussione pedum, vide quæ diximus suprà cap.6. ad illud, *Allide pedem tuum.*

13. Vers.7. *Interficiam te de populis, & perdam te de terris.*] Modus hic dicendi familiaris est Scripturæ sacræ, *deleri de terra, perire de populis*, &, quod idem est, *interfici de populis*, aut *disperdi de terra*, quo nil significatur aliud, quàm perire eo genere, quod vox adiuncta proximè significat. Quare perire de populo, idem est quod efficere, ne in populis numeretur, id est, ne sit populus, sed gens quædam sine capite, ac profuga. Perire de terris, nempe suis, idem est quod exulare; interdum verò simpliciter mori. quasi deserat terras, & hominum conuictum, & ad mortuorum numerum adiungatur. Hîc puto exulare significat; quia populus ille non omnino periit, sed procul à patriis finibus in Babyloniam abductus est. Quid sit perire de terra, aut exterminari, diximus pluribus in nostris commentariis super Acta, ad illud cap.3. *Exterminabitur de plebe.*

14. Vers.8. *Pro eo quod dixerunt Moab, & Seir, ecce sicut omnes Gentes domus Iuda.*] Hucusque contra filios Ammon; deinde eodem spiritu, acri videlicet, & duro, in duos alios populos inuehitur, qui non minùs aut hostiliter, aut petulanter in afflictam Iudæorum fortunam insultarunt. Hi verò fuerunt Moabitæ, & Idumæi; qui vt finibus coniuncti, sic etiam animis iam pridem in Gentem Israelitidem, & his maximè Chaldæorum temporibus coniurauerant. Vt autem cum probro, & sanna occinebant Ammonitæ, *euge, euge*, qua geminatione quodcumque conuitij genus explicatur; sic puto tam Moabitas, quàm Idumæos cum sibilo, & plausu idem insonuisse canticum; aut certè, quod idem aut valet, aut sonat, qualia sunt verba, quæ nunc explicatiùs subiicit Propheta.

15. *Ecce sicut omnes Gentes domus Iuda.*] Hæc verba prouerbiali figura, vt opinor, obiiciebantur his, qui cùm excelso in loco essent, aut certè videri vellent locum obtinuisse sublimem, tamen ita ceciderunt de statu, ac gloria, vt nihilo videantur aliis meliores. Tunc autem ab inferiori, & ante illum rerum articulum despecta turba cum stomacho audiunt, & risu. *Ecce tu sicut alij de plebe, aut sicut nos infirmus es, & fortunæ subiectus imperio. Vide quàm vana fuerit & fallax honoris vmbra, vt tua te stultissima cogitatio deceperit.* Sic Isaias cap.14. cùm ageret de Regis Babylonis interitu, inducit alios inferioris notæ, qui occurrunt illi, & subsannantes occinunt infirmitatem illius veram; & gloriam, non tam gloriam, quàm gloriæ vanam, ac somniatam imaginem. *Vniuersi*, inquit, *respondebunt,*

Prouerb. & tu factus es sicut alij.

bunt,& dicent tibi,& tu vulneratus es,sicut & nos:nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, &c. Ad prouerbialem hanc dicendi formam videtur spectare illud Isai.c.24. *Sicut populus, sic Sacerdos*, & illud Lucæ c.18. de Pharisæo, *Non sum sicut cæteri hominum.* Plura huiusmodi occurrent exempla inter profanos; vnus Lucianus in mortuorum dialogis suppeditabit plus satis.

16. Valde seipsos amabant Iudæi; præque cæteris aliis seipsos clamabant fortunatos, quòd ciuitatem colerent sic ab arte, naturáque munitam, vt nullis machinis expugnari posse videretur: quòd templum haberent, quod sibi munimento, ac gloriæ, hostibus verò terrori, ac cladi futurum esset; quòd denique in Dei fide essent, atque tutela, à quo sibi æternum pollicebantur imperium. Nunc verò cùm illam cecidisse vident Gentes, vanam prædicant illorum fiduciam, neque melius illis à Deo, quàm aliis Gentibus à deorum suorum religione, ac fide fuisse consultum. Quæ voces cùm vero Deo prorsus essent iniuriæ, & barbaræ cuiusdam impietatis plenæ, ideo Deus illis tam grauia minatur infortunia. Porrò Seir vocatus fuit Esau, à pilosis manibus; sicut etiam Edom à potione rufa, pro qua primigenij ius voluit esse venale. Quare *Seir* pro Idumæis ponitur, sicut *Edom.* Nisi mauis montem Seir, qui in Idumæa est, vsurpari hîc à Propheta, pro tota Idumæa.

Esau triuonimus.

17. Vers.9. *Idcirco ecce ego aperiam humerum Moab de ciuitatibus, de ciuitatibus, inquam, eius, & de finibus eius inclytas terræ, Bethiesimoth.*] Humerus robur indicat; quia aptus est ad sustinendum onus; quare qui alicui fregit, aut debilitauit humeros, ille robur alicui, & facultatem ad opus aliquod eximium præstandum eripuit. Erant, opinor, ciuitates illæ præcipuum regionis Moabitidis munimentum, sitæ in extremis prouinciæ finibus, quasi quædam externis hostibus opposita claustra, sicut nostra etiam ætate fieri videmus: ad aditus etenim, & quasi fauces prouinciæ, per quas ad interiora regni penetrare posset hostilis acies, ciuitas construitur, quæ instar arcis sit, quæ hostem aditu prohibeat, & quod reliquum est interioris regni sartum, tectúmque custodiat. Has ciuitates, quas inclytas appellat, capiendas esse docet, & sublatis humeris, id est, debilitatis prouinciæ viribus, aperiendas esse fauces, & quasi reuellenda claustra hosti Babylonio, ita penè cum Hieronymo complures alij. Et facit ad hanc explicationem, quòd *humerus*, & quod idem ferme est, *brachium*, in Scriptura sacra fortitudinem sonat, vnde maledictus dicitur Ierem.cap.17. qui ponit carnem brachium suum, id est, qui sibi in carne futurum esse putat aliquid firmamenti.

Humerus pro robore.

18. Ego hîc aliquid aliud subodoror in humero aperto illarum ciuitatum, quæ in tractu Moabitico vocatæ sunt inclytæ. Humerum pro imperio sumi ex eo videtur colligi posse non obscurè, quod in regiis humeris imperium esse dicitur, cùm sermo est de Emanuele Isaiæ cap.9. *Factus est principatus super humerum eius.* Et iterum cap.22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* Quo loco in nostris commentariis diximus videri clauem Regni symbolum. Neque sine causa lib.1. Reg.c.9. datus est armus, id est, humerus à Samuele Sauli, quia illum futurum esse Regem agnouerat. Quare hîc existimare quis posset in *humero* non tam robur, & arcem prouinciæ, quàm maiestatem, & decus imperij portendi, quasi ciuitates istæ principes sint, & imperij Moabitici

Humerus pro regno.

A caput. Et facit, quòd inclytæ dicuntur, quod nomen magis splendorem, & gloriam, quam prouinciæ robur, & propugnaculum importat. Ego vtrumque puto, & regias esse vrbes, & prouinciæ claustra; neque enim sine causa dicuntur in prouinciæ finibus fuisse constructæ.

19. Vers.10. *Filiis Orientis cum filiis Ammon: & dabo eam in hæreditatem.*] Filios Orientis, seu Orientales esse diximus Cedarenos, & Madianitas, quíque ruri in tabernaculis degunt, rémque curant pecuariam, atque syluestrem: quibus aperti fuerunt, & in possessionem dati Ammonitici fines, postquam à Chaldæorum exercitu vastati, & in solitudinem redacti sunt. Ad eundem modum di-
B cit Dominus vastandum esse Moabiticum regnum vicinum Ammonitico, & apertum futurum, ac peruium Orientalium gregibus. Sed modus dicendi, & vocum ordinatio paulo obscurior, qui tamen expediri potest non difficile, si notam similitudinis subaudias, quam hîc Hieronymus cum aliis agnoscit in hunc modum. Sicut Ammonitidem regionem aperui, tradidíque Orientalibus, ita vastatam, atque desertam, vt nullum sit reliquum in ea vestigium seu memoria Ammonitici nominis; sic etiam vacuos dabo, atque desertos Orientalibus Moabiticos fines. Id enim sine dubio valet, quod proximè sequitur. *Et in Moab faciam iudicia*, talia nimirum, qua-
C lia proximè de filiis Ammon, quibus cum eadem expeditione, atque impetu à Chaldæorum exercitu subigentur.

20. Vers.12. *Pro eo quòd fecit Idumæa vltionem, vt se vindicaret de filiis Iuda.*] Idumæa eadem est, quæ paulo antè vocata est Seir. Hæc verò, dum Iudæi grauiter premerentur à Chaldæis, se socios ad illorum exitium adiunxerunt. Neque tantùm suis ipsi lacertis dimicabant, sed stimulos aliis, & faces admouebant; vt molem illam ingentem, & illustrem à fundamentis euerterent: quod cecinit Dauid Psal.136. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem: qui dicunt, exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Imò & habes lib.3.
D Esdræ cap.4. *templum accenderunt. Et vouisti ædificare templum, quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Iudæa à Chaldæis.* Et nihilo fuerunt mitiores in excipiendis Iudæorum profugis, quàm fuerant priùs in oppugnandis. De quibus Abdias v.12.13.14. *Neque stabis in exitibus, vt interficias eos, qui fugerint: & non concludes reliquos eius in die tribulationis.* Id verò fecerunt Idumæi, vt antiquum, & penè hæreditarium explerent odium, quod iam pridem à sui generis auctore Esau animo conceperant; & vt tam antiquas, quàm recentes iniurias, quas à Iudæis, Iudæorúmque parente Iacob acceperant, vlciscerentur. Notum est quemadmodum cum primogenij iure paternam benedictionem fratri præripuerit Iacob; quámque indignè illius astutum, callidúmque consilium tu-
E lerit Esau, vt ipse consilium inierit fraternæ necis Gen.27. *Veniet,* (inquit Esau) *dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Hæc iniuria posterorum animis sic insederat altè, vt Numer. cap.24. Israelitas per fines suos aditu prohibuerint, vt ad extrema hæc tempora perseuerarit. Sed erant adhuc aliæ recentes iniuriæ, seu detrimenta noua à Iudæis accepta. Nam lib.2. Reg. cap.8. v.14. cæduntur primùm, deinde fiunt serui domini Israel. Iterum ingenti clade concisi sunt ab Amasia 4.Reg.14. & 2.Paralip.c.25.v.12. Harum igitur iniuriarum memores, oblatam occasionem petire non sunt passi; sed adiuncti Chaldæis

Idumæi Iudæorum hostes infestissimi.

Causa odij Idumæorum in Israelitas.

dæis ad extinguendum Iudæorum nomen non exiguam illis operam nauarunt.

21. Vers. 13. *Et faciam eam desertam, ab Austro, & qui sunt in Dedam gladio cadent.*] Pro *Austro*, Heb. est תימן, & ita sæpe Hieronymus vertit; vt etiam transferunt hoc loco Septuaginta, ex qua ciuitate fuit Eliphaz, vnus ex his, qui Iob consolendi gratia, profecti sunt in terram Hus. Commodè verò Auster conuertitur à Hieronymo, quia Theman pro vento, qui ab Australi plaga perflat, accipitur, & ipsa ciuitas ita videtur appellata, quia ad Australem partem spectat Idumææ; neque est incredibile Dedam in extrema prouinciæ plaga sitam esse, quæ ex aduerso respondet illi, quam Themam dictam esse putabamus. Ita vt nulla pars Idumæorum futura existimetur à gladio, siue infortunio libera. Ita putat Maldonatus: neque in re obscura, & quæ tantùm coniectura nititur, existimo aliquid adduci posse minus impeditum.

22. Vers. 14. *Et dabo vltionem meam super Idumæam per manum populi mei Israel.*] Graue est pati durius aliquid illum, qui se tutum putabat à fortunæ ludibrio, sed pati aliquid ab eo, cui insultaueras priùs; ciúsque nomen, fortunámque contempseras, multo durius. Id ergo minatur nunc Deus Idumæis; non enim solùm à Nabuchodonosor subiugati sunt, & cum aliis in exilium abacti, vt prædixit hoc ipso in tempore Ieremias cap. 49. & cap. 25. sed etiam postquam iterum in eadem se regione confirmarunt. Prædixerat hoc idem Ieremias cap. 49. v. 20. paulo tamen obscuriùs. *Si non deiecerint eos* (Idumæos) *paruuli gregis, nisi dissipauerint cum eis habitaculum eorum.* Sed clariùs Abdias v. 17. *Erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula: & succendentur in eis, & deuorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Esau.* Non dubium quin hæc impleta fuerint, quo tamen tempore, non admodum exploratum: quia à Machabæorum sæculo ad tempus vsque Christi sacra siluit, atque canonica histostoria. Sed est verisimile à Machabæis subiugatos fuisse, ac debellatos Idumæos. Machab. 1. cap. 5. *Et debellabat Iudas filios Esau in Idumæa, &c. Et percussit eos plaga magna.* Et lib. 2. cap. 10. vigintiquinque millia trucidata narrãtur ex eodem populo, & eodem capite iterũ viginti millia. Imò eò ada-

Idumæi ab Israelitis subacti.

23. cti, si Iosepho credimus lib. 13. Antiq. cap. 17. vt circumcisioné subire cogerẽtur. Sic enim ille de Hircano: *Subiugatis omnibus Idumæis, edixit, vt circumciderentur, nisi mallent è propriis pelli sedibus. Atque illi amore patriæ admiserunt & circumcisionem, & reliquam iuxta Iudaicos ritus viuendi formulam.* Quod eo illis durius videri poterat, quia eorum pater Esau adeò circumcisionem horruerat, Israeliticique generis characterem; vt omnium primus præputium adduxerit, vt in carne sua stigma deleret, quod Abrahamo auo Deus posteris suis imprimendum edixerat. quod abiuratæ patriæ religionis testimonium quoddam erat, atque professio. Ita Epiphanius lib. de ponder. & mensur. ad medium.

Idumæi circumcidi coacti.

Esau primus omnium adduxit præputium.

Vers. 15. *Pro eo, quod fecerunt Palæstini vindictam.*] Idem propè de Palæstinis dicendum, quod de Idumæis proxime. Grauiter enim olim affecti fuerant ab Israelitis Iudicum antè sæculo à Samson, & postea sub Regibus à Dauid, & Ozia 2. lib. Paralip. cap. 26. & non multo ante hoc tempus ab Ezechia, de quo lib. 4. Reg. 18. *Ipse percussit Philistæos vsque ad Gazam, & omnes terminos eorum à turre custodum vsque ad ciuitatem munitam.* Vt ergo Philistæi veteres vlciscerentur iniurias, & conceptum iam dudum in illam Gentem odium exsaturarent, arripuerunt hanc occasionem, tanquam diuinitus oblatam, & quicquid armorum habuerunt, & virium ad delendum, seu obscurandum Iudæorum nomen contulerunt. Id enim est, *vlti sunt toto animo.* 24.

Ecce ego extendam manum meam super Palæstinos.] 25.
Vltus est Deus illatas à Palæstinis iniurias eodem modo, quo proximè, quas eidem Iudæorum populo intulerant Idumæi. Nam Chaldæi priùs in Philistæos irruperunt, euerterúntque, vt constat ex Ieremiæ cap. 25. v. 20. & ex toto capite 47. Deinde postquam in patriam restituti sunt, in eáque se vt antè confirmauerant; afflicti sunt à Machabæis, & graui sæpe plaga confecti. Ita Sophonias cap. 2. v. 4. Qui post solutã è Babylonia captiuitaté prophetauit. *Quia Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum: Azotum in meridie eiicient, & Accaron eradicabitur. Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum. Verbum Domini super vos Chanaan terra Philistinorum, & disperdam te ita vt non sit inhabitator. Et erit funiculus maris requies pastorum, & caulæ pecorum.* Quod etiam nuper de Ammonitis atque Moabitis dictũ fuerat. Et Abdias, *Et transmigratio Ierusalem, quæ ad Bosphorum est, possidebit ciuitates Austri.* Quod accidisse Machabæorum tẽpore habes 1. Machab. cap. 5. v. 68. *Et declinauit Iudas in Azotum in terram alienigenarum, & diruit aras eorũ, & sculptilia Deorum ipsorum succendit igne: & cepit spolia ciuitatum, &c.*

Palæstini à Iudæis victi.

Et interficiam interfectores.] Heb. כרתים *cerethim.* 26.
Quidam nationem esse putant, aut nomen non tam commune, quàm proprium, aut certè alicui Genti, suive ministerio iam appropriatum, quales sunt, qui in Scriptura dicuntur Cerethi, seu Cerethæi, quos Dauid stipatores suos esse voluit, & regij corporis custodes, qui à כרת *carath* deducti sunt, quod est percutere, seu excidere; & sanè illos strenuos esse oportuit, & audaces, quandoquidem Rex ille prudentissimus ad sui lateris custodiam adhibuit. Hoc nomen habuisse videntur Palæstini, siue quia reuera fortissimi fuerunt; seu quia ipsi sibi nomen illud ventosum arrogabãt. Sanè ita illos vocauit Sophonias nuper cùm *Gentem perditorum* dixit, Heb. כרתים.

Cerethæi qui.

Septuaginta quia literæ illæ in Cretensibus 27.
inueniunt, Cerethæos, seu Cerethi, Cretenses esse dicunt. Sed optimè Hieronymus nomen fecit commune; & *interfectores* reddidit: sicut etiam, eodem teste Hieronymo, conuerterant priùs Aquila, Symmachus, & Theodotio: neque longè abit Chaldæus, qui *morte dignos*, interpretatur.

IN CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

ARGVMENTVM.

SICVT Nationes illæ, de quibus capite præcedenti aut oppugnauere Jerusalem, aut in eius exultarunt excidio, & ideo percussæ sunt vaticinio seuero: sic etiam Tyrus, quia in idem consilium, ac studium conspirauit, durum contra se tam in hoc capite, quàm in duobus aliis accipit vaticinium. Minatur quippe Dominus Chaldæorum aduentum, à quibus eò redigetur, vt nihil è tam splendida, ac superba mole reliquum futurum sit, præter nudum, purúmque saxum, in quo fuerat ædificata ciuitas. Ex quo fiet, vt sublato illo nobilissimo totius Orientis emporio negotiatio cesset; vnde etiam accidet, vt nationes aliæ, quæ inde non leue lucrum referebant, eius interitum lugeant; sibique ne quid eiusmodi patiantur, reformident. Ad extremum tunc ruinam alteram prædicit restitutæ Tyro, cùm soluti ab exilio Iudæi vitam degant in patria pacatã, & felicem.

CAPVT XXVI.

1. *ET factum est in vndecimo anno, prima mensis, factus est sermo Domini ad me, dicens:*

2. *Fili hominis, pro eo quòd dixit Tyrus de Ierusalem: Euge confractæ sunt portæ populorum, conuersa est ad me: implebor, deserta est.*

3. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego super te Tyre, & ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans.*

4. *Et dissipabunt muros Tyri, & destruent turres eius: & radam puluerem eius de ea, & dabo eam in limpidissimam petram.*

5. *Siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus: & in direptionem Gentibus.*

6. *Filiæ quoque eius, quæ sunt in agro, gladio interficientur: & scient quia ego Dominus*

7. Quia

PARAPHRASIS.

A 1. ANno vndecimo transmigrationis Iechoniæ, prima die mẽsis locutus est ad me Dominus contra Tyrum in hunc modum:

2. Propterea quòd, ô fili hominis, cùm ab hoste Chaldæo extrema pateretur Hierosolyma, dixit insultans Tyrus: Euge collapsæ sunt portæ, per quas populi ad comportandas, exportandásque merces ingrediebantur: quare totus è mercatura quæstus conuersus est ad me; immò ad me illius ornamenta, atque deliciæ venient, quas victor Babylonius in emporio Tyrio pecunia commutabit. Ego iam implebor
B opibus; quia Hierosolyma spoliata manet, & deserta.

3. Idcirco sic ad te Dominus: O Tyre, ecce ego inueham contra te cofertas populorum acies ea multitudine, atque impetu, quo mare quando excitatis fluctibus feruet, & tumet.

4. Et euertent muros tuos, sternent turres, ac propugnacula, & vsque adeò perfectè vastaberis, vt neque è tanta mole puluisculus supersit: tam enim te relinquam nudam, vt nihil sit reliquum præter purum saxum in quo ciuitas olim ex-
C structa est.

5. Pòst superba illa moles vtpote in medio mari, illum habebit vsum, vt in ea piscatores explicent, ac extendant retia, vt ab humore, quem traxerunt è pelago, siccentur. Neque fides aberit verbis, quia egõ Dominus, cuius nihil potest turbare consilia, locutus sum. Hanc porrò ciuitatem externis populis diripiendam permittam.

6. Colonias quoque illius, quæ in agris sunt, in continenti nempe loco, quas marini non circumfundunt fluctus, gladius

A dius quoque inuadet, ac conficiet hostilis, & tunc cognoscent Deum esse me.

7. Quia hæc dicit Dominus Deus: ecce ego adducã ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab Aquilone, regem regum, cum equis, & curribus, & equitibus, & cœtu, populóque magno.

7. Sic dicit Dominus: Ecce ego aduocabo ad excidium Tyri Nabuchodonosor Regem Babylonis; Regem, inquam, Regum euocabo a Boreali plaga, equis, curribus, & omni apparatu equestri, cœtu, populóque ingenti munitum, eáque de caussa valde metuendum.

8. Filias tuas, quæ sunt in agro, gladio interficiet: & circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro: & eleuabit contra te clypeum.

8. Filias tuas, quæ sunt in agro tibi vicino, ferro conficiet: & licèt vndique te marini circumfundant fluctus; non tamen B munitiones deerunt, quibus obuallet te, & cingat Babylonius. Comportabit quippe aggerem, quo consternat fretum, & in gyro tormenta disponat. Tunc verò leuabit clypeum, & facta testudine muros oppugnabit.

9. Et vineas, & arietes temperabit in muros tuos, & turres tuas destruet in armatura sua.

9. Aget contra te vineas, & pluteos: & ad verberandos, & euertendos muros comparabit arietes; turres denique, & vrbis propugnacula paratis in eam curam machinis euertet.

10. Inundatione equorum eius operiet te puluis eorum: à sonitu equitum, & rotarum, & curruum mouebũtur muri tui, cùm ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum vrbis dissipatæ.

10. Ea erit hostiũ multitudo, vsq; adeò C equorum præceps, & incitatus cursus, vt quemadmodũ fluuius largis collectis imbribus agros inundat: si etiam te operiat puluis equorũ vngulis excitatus; ab equorum sonitu, curruum, rotarúmque fragore tremefacti muri concutientur, cùm per reserata claustra, & disiecta mœnia in mediam ciuitatem irrumpant.

11. Vngulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas: populum tuum gladio cædet, & statuæ tuæ nobiles in terram corruent.

11. Inducet intra muros equos, qui concursantes tota vrbe, plateas omnes vngula pulsabunt, & populus ibi deprehensus gladio cadet; & principum, deo- D rúmque statuæ, & maiorum stemmata ex honesto, atque sublimi loco in terram corruent.

12. Vastabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas: & destruent muros tuos, & domos tuas præclaras subuertent: & lapides tuos, & ligna tua, & puluerem tuum in medio aquarum ponent.

12. Diripiet, atque auferet à te victor Babylonius opes tuas, atque ornamenta omnia quæ negotiatione, & mercatura comparasti; subuertet muros, & domos magnificis operibus extructas excindet, quarum ligna, & saxa, immo & tenuem illarum puluisculum in mare deiiciet.

13. Et quiescere faciam multitudinem cãticorum tuorum, & sonitus cithararum tuarum non audietur ampliùs.

13. Efficiam tandem vt cantica, quæ dum euulgãtur merces, & sæpè, & multis E in locis audiri solent, cessante negotiatione, cessent; & citharæ sonitus multiplex, & varius, quæ varia mercium genera significat, & venum proponit, non audiatur ampliùs.

14. Et dabo te in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis vltrà: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.

14. Eò tandem redigeris, vt deinceps in te nullus inueniat, nisi saxum nudum, & purum, vbi piscatores explicent, atque siccent retia; neque amplius eo in saxo consurgent ædificia, quia hoc verbum, dicit Dominus, à diuina voce pondus habet.

15. Hæc dicit Dominus Deus Tyro: Numquid non à sonitu ruinæ tuæ, & gemitu interfectorum

15. Hæc Dominus Tyro: Nunquid non ex ruentis insulæ fragore, & cadentium in

ctorum tuorum, cùm occisi fuerint in medio tui, commouebuntur insulæ?

16. *Et descendent de sedibus suis omnes principes maris: & auferent exuuias suas, & vestimenta sua varia abiicient, & induentur stupore: in terra sedebunt, & attoniti super repentino casu tuo admirabuntur.*

17. *Et assumentes super te lamentum, dicent tibi: Quomodo peristi, quæ habitas in mari, vrbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant vniuersi?*

18. *Nunc stupebunt naues in die pauoris tui: & turbabuntur insulæ in mari, eo quòd nullus egrediatur ex te.*

19. *Quia hæc dicit Dominus Deus: Cùm dedero te vrbem desolatam, sicut ciuitates quæ non habitantur: & adduxero super te abyssum, & operuerint te aquæ multæ:*

20. *Et detraxero te cum his qui descendunt in lacum ad populum sempiternum, & collocauero te in terra nouissima sicut solitudines veteres, cùm his qui deducuntur in lacum, vt non habiteris: porrò cùm dedero gloriam in terra viuentium.*

21. In

A in complexu tuo gemitu, ô Tyre, commouebuntur insulæ aliæ, sibi metuēt ne quid ab eodem hoste simile contingat?

16. Tunc verò qui in mari Reges censeri potuerunt, & principes negotiatorum, nempe potentissimi, qui distrahendis mercibus tantum diuitiarum congesserunt, vt ad regium splendorem, & potentiam venerint, cùm viderint, sublatum esse emporium, quod regios fastus, & diuitias alebat, de sua sede, atque ambitione descendent spe sublata quotidiani
B lucri; deponent ornamenta, & vestimenta pictura, & multicolore varietate cōspicuas & vestes assument squalidam & lugubrem, quæ animum indicent stupentem, atque ægrum: sedebunt in puluere, & subito quodam horrore perculsi, ad tantam, támque insperatam ruinam obstupescent.

17. Et habitu ad ferale opus accommodato, hoc de te lugubre canticum instituent: O vrbs inclyta, & fortis, & ad omnem vim hostilem arcendam ab arte, naturáque munita; marinis vndique valla-
C ta fluctibus, quò abiit splendor ille eximius, & toties decantata potentia? Quomodo cecidisti cum habitatoribus tuis tam graui, támque inopinata ruina prostrata? quæ aliis omnibus à tui nominis maiestate, exploratáque potentia terrorem ostentabas?

18. In die illa, quæ tibi pauorem, & consternationem afferet, pauebunt quoque, qui negotiandi causa maria transmittunt, obstupescent insulæ vrbésque maritimæ, quibus tecum erat quæstuosum
D & familiare commercium; quia neque tu ad conuehendas merces, neque externi ex portu tuo oneratis nauibus exibunt. Hæc verò dicit Dominus, cuius verbis non aberit fides.

19. Tunc, inquam, obstupescent, & pauebunt, cùm te sic vastari, ac deleri permisero, vt nihilo sis melior ciuitatibus, quæ omninò ab habitatoribus desertæ sunt, cùm induxero Chaldæorum copias, quæ te nō aliter operient, oppriméntque quàm abyssus terram quam inundat.

E 20. Cùm eò te demersero, vt ascribi possis illorum numero, qui in sepulcro iacent, quibúsque ibi sempiterna creditur futura commoratio, & terra nouissima. Cùm te ad illum statum abiecero, vt conferri cum illis ciuitatibus possis, quæ iam dudum in solitudinem versæ sunt, & quarum ciues in lacum iam nouissimum descenderunt. Porrò cùm exacto septuaginta annorum exilio Iudęi in patriam cū gloria remigrauerint, quæ illis sic erit pacata, ac felix, vt verè dici posse videantur, viuentium terram habitare:

21. Tunc

21. *In nihilum redigam te, & non eris, & requisita non inuenieris vltrà in sempiternum, dicit Dominus Deus.*

A 21. Tunc te rursus, cùm respirare paululum cœperis, in nihilum redigam; neque si quis te iterum requirat, in sempiternum inueniet: neque has minas ab homine audis, sed à Deo.

Vers. 1. *Et factum est in vndecimo anno, prima mensis.*]

1\. OBSERVATVM est à nobis sæpe ordinem temporum apud hunc Prophetam deduci à transmigratione Iechoniæ; quæ contigit eodem tempore, quo ipsius loco suffectus est Sedecias. Quare nisi alia obstarent, parum referret à depulso ne Iechonia de regno, an de Sedecia in Regnum sublato temporum ratio, & rerum gestarum series traheretur. Vndecimo ergo anno, quo euersa est à Chaldæis Hierosolyma, accepit à Domino Propheta vaticinium hoc contra Tyrum, quæ non exultauit minus effusè excisa Hierosolyma, quàm nationes aliæ, de quibus capite 25. quas eam ob causam duro percussit vaticinio.

2\. Non notauit hoc loco Propheta mensem, cuius prima die verbũ istud dicitur esse factum: quare in eo explorando nobis omnino diuinandum est. Variis auctores ducuntur, ne dicam abducuntur coniecturis, quas ego hic omitto, quia valde suis etiam auctoribus videntur non solùm incertæ, sed etiam infirmæ. Dicam quod magis mihi videtur simpliciter, & ad Scripturæ modũ dici posse consentaneè. Et primùm obseruo à Prophetis non eodem tempore semper, imò neque eodẽ ordine plerumque scribi prophetias, quo acceptæ sunt à Deo, aut etiam populis annunciatæ. Id probat satis Ieremias, qui cap. 36. iussus est scribere, quæ ad illud vsque tempus acceperat oracula. Obseruo secundò, si quidpiam aliquo tempore magnum accidit, & aliqua ratione maximè notabile, siue illud commodum sit, & humanis vsibus optabile; siue aduersum, & ipsa etiam cogitatione horribile, si aliqua adsit nota, quæ illud tametsi implexè, atque obscurè designet, omitti interdum solere tam à sacris, quàm à profanis scriptoribus.

REGVLA. *Non eodem tempore, aut ordine sæpe scripta prophetia quo accepta.*

REGVLA. *Cùm aliquid insigni aliqua nota cognitũ est omitti interdum solet.*

3\. Quo tempore hæc scripta sunt ab Ezechiele, iam pridem, vt est mihi maximè probabile, excisa fuerat Hierosolyma, vt mensis ille prorsus infelix notatus à Iudæis, & in prouerbium acceptus; ille verò fuit mensis quartus, vt constat Ierem. cap. 52. v. 6. Cùm autem mensis ille notissimus esset, prætermissus est 4. Reg. cap. 25. v. 3. *Clausa est ciuitas, atque vallata vsque ad vndecimum annum Regis Sedeciæ, nona die mensis, &c. præualuítque fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ, & interrupta est ciuitas.* Sed mensis iste, quem suppressit hoc loco scriptor sacer, expressus est à Ieremia cap. 53. v. 6. *Et fuit ciuitas obsessa vsque ad vndecimum annum Regis Sedeciæ. Mense autem quarto, nona mensis obtinuit fames ciuitatem, & non erant alimenta populo terræ, & disrupta est ciuitas, &c.* Vt ergo mensis ille quia notus, sæpéque à Iudæis vsurpatus; quia funestus, & quasi fatalis suæ genti, prætermissus est lib. 4. Reg. Sic etiam eandem ob causam prætermissus est ab Ezechiele; quia cùm anni meminisset vndecimi, non erat cur quartum mensem nominaret, quia nemini existimabat ignotum. Quasi diceret: Factum est in vndecimo anno, prima die inauspi-

Mensis quo capta est ciuitas, notissimus Iudæis, & per se prouerbialis.

B cati illius mensis, cuius horreo nomen, atque ideo ab eius commemoratione abstineo; quarti videlicet, in quo dirupta est, & capta ciuitas.

4\. Hoc igitur vaticinium accepit prima die mẽsis quarti, quem Hebræi vocant Tamuz, & nostro Iunio respondet, nono antequam ciuitas caperetur die. Quo tempore propheticis oculis vidit, prædixitque Ezechiel, quid dicturi, facturire fuerint Tyrij, quibus propheticæ intorquẽtur minæ; cùm actum putarent, non de vrbe solùm, sed etiam de Iudæorum populo.

5\. Vers. 2. *Pro eo quod dixit Tyrus ad Ierusalem: Euge confractæ sunt portæ populorum, conuersa est ad me, implebor, deserta est.*] Erat Tyrus sub hæc tempora celeberrimum, & totius fermè orbis emporium commune. Neque est improbabile, vt C alia fuerunt Hierosolymæ communia genti Israëlitidi, vt templum, sacrificia, scholæ; sic etiam inde ad domesticos vsus quamplurima ab eadem gente comportari solita. Quare dolere poterant Tyrij, quòd inde suis commodis ab emporio vicino aliquid quotidie decederet. Ergo cùm vastatam viderent, & non modò à mercatoribus, sed etiam à ciuibus desertam; gratulabantur sibi quòd suæ negotiationi, ac lucro summotum esset vicinum illud impedimentum. Et ideo clamant confractas esse populorum portas, per quas nempe populi varij, mercimonij gratia, in illam ingrediebantur ciuitatem, dicebantque ciuitatem illam in Tyrum esse conuersam, id est, negotiationem, quæ in ea exercebatur ad Tyrum, incolumem tunc, atque frequen- D tem fuisse translatam. Vnde commodè, & ad hanc cogitationem attemperatè addidit *implebor*, id est, confluent ad me negotiatores omnes, implebor mercibus, & his opibus, quas multitudo frequens mercatorum importat. Hæc, credo, difficilia non sunt, & à multis probata, nisi mauis implendam esse Tyrum Hierosolymæ spoliis, quæ victor Chaldæus Tyrum conuehet, vt ibi distrahat, oneratúsque redeat, non exuuiis, quæ oneri sunt, & impedimento, sed pecuniis quas ex illarum venditione rediget. Portarum verò præcipuè meminit, quia ad portas magnus esse solet ciuium, externorúmque conuentus, ibi iudicia fiunt, disceptantur causæ; ibi sunt fora, ibi exercentur nundinæ, & quæ ad communes spectant vsus, & publicas curas.

Tyrij ex Hierosolyma e. xuuiis locupletati.

E 6\. Vers. 3. *Ascendere faciam ad te Gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans.*] Audiuit facinus Tyrus; nunc minas audit sceleri consentaneas. Optabat Tyrus, sibíque ex vastata Hierosolyma magnos quæstus, & hominum concursus promittebat, quòd non neget Dominus, erunt tamen Gentes, non quales sperabat, atque optabat Tyrus, sed quales vehementer oderat, & horrebat: exercitus nempe copiosissimi ex tractu Babylonico, qui ciuitatem ipsam euertant, & illius fines, sicut exundantes aquæ populentur, & perdant. Est autem vsitatum, & quasi prouer-

 biale,

biale, vt exundante fluuio, aut marinis æstibus, qui terram opplent, significentur infensæ, atque cópiosæ inimicorum acies. Isaiæ cap. 8. *Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum.* & cap. 59. *Cùm venerit quasi fluuius violentus.* Ierem. cap. 46. *Quis est iste, qui quasi flumen ascendit, & veluti fluuiorum intumescunt gurgites eius.* & statim iterum Ezechiel v. 19. *Cùm adduxero super te abyssum; & operuerint te aquæ multæ.*

In fluuio, ac fluctibus, multitudo significatur plerumque infensa.

7. Vers. 4. *Et radam puluerem eius de ea: & dabo eam in limpidissimam petram.*] Prouerbialis hæc est dicendi forma, qua vastitas significatur extrema, & quæ nihil omnino facit reliquum eorum, quæ priùs in illo fuerant, quod non deleatur. Fieri solet, vt ligna consumat ignis, at relinquit saxa, in quæ non semper ius habet, & vires; quòd si ignis, aut hostiles machinæ saxa discutiant, aut ea aliquo modo traducantur aliò: at manet pulnis, qui si scopis etiam verratur, nihil iam omnino reliquum est, atque adeò totum videtur funditus esse sublatum. Vsus est hac metaphora Isaias cap. 14. vbi sic de Babylone, *Et scopabo eam in scopa terens.* Reg. lib. 3. cap. 14. *Mundabo reliquias domus Ieroboam, sicut mundari solet fimus vsque ad purum.* Quod priùs in puluere radendo, idem nunc significatur in mundando fimo. Ex vtroque enim nihil à sedulo ministro, aut ab ancilla diligenti relinqui solet, in lauta, atque eleganti domo.

Prouerbium puluerem radere.

8. *Et dabo eam in limpidissimam petram.*] Non displicet, quod putat Rab. Dauid Tyrum in petra quadam esse sitam; vbi nihil erat pulueris, vt nomen ipsum Hebraicum indicat; dicitur צור *sor*, quod petram sonat. Quare ad constructionem domorum, & mœnium aliquid aliunde pulueris conuectum oportuit, ex quo lutum fieret; aut certè ex disiectis mœnibus, totáque mole disturbata puluere ex calce dissiliisse. id verò etiam ad constructionem Tyri pertinebat. Cùm ergo puluis ille fuerit detersus, manebit petra limpidissima, & merum saxum, sine vllo prorsus ciuitatis vestigio. Hoc mihi videtur non abs re. Nisi mauis eò esse redigendam frequentem illam ciuitatem, vt magis videatur moles, quæ à natura est; id est, saxum aliquod, quàm quæ ab arte est, id est, ciuitas hominum industria constructa.

Tyrus in saxo constituta.

9. Vers. 5. *Siccatio sagenarum erit in medio maris.*] Explicatur magis proxima sententia. Solent piscatores, sicubi saxum prope mare, seu fluuium inuenerint, in eo explicare, siccaréque retia; illum verò vsum habitura dicitur in posterum ingens illa moles, quam instruebat olim, coronabátque Tyrus. Quod ipsum accidisse non est incredibile: nam cùm proximum littori esset saxum illud, in quo Tyrus fuit, satis est rerum naturæ consentaneum, vt piscatores, qui non semper inuehuntur in altum, sed prope littus plerumque versantur, petram illam siccandis retibus opportunam elegerint.

10. Vers. 6. *Filiæ quoque eius, quæ sunt in agro, gladio interficientur.*] Filiæ hoc loco dicuntur oppida, quæ, sicut Tyrum, marini fluctus non circumfluunt, aut alluunt, quas Tyrus suo sibi premebat imperio, in quas non minus hostes, quàm in ipsius caput, ac metropolim sæuierunt. Hæ verò filiæ quo tempore à Chaldæis oppugnabatur Tyrus, subsidio illi non fuerunt, vt ipsa queritur Tyrus apud Isaiam. In hanc enim sententiam accepimus illud cap. 23. v. 4. *Erubesce Sidon, ait enim mare, fortitudo maris* (nempe Tyrus) *dicens: Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, neque ad incrementum perduxi virgines.* Quasi diceret, perinde mihi fuit, ac si nunquam genuissem; vsque adeò me deseruerunt, cùm extrema paterer.

Dicuntur præterea filiæ Tyri coloniæ ab ea 11.
in varias mundi plagas deductæ. de quibus Plinius lib. 5. c. 19. *Tyrus olim partu clara, vrbibus genitis Lepti, Vtica, & illa Romani imperij æmula terrarum orbis auida Carthagine, & Gadibus extra orbem conditis.* Ciuitates porrò, quæ ab aliqua ciuitate quasi coloniæ prodierunt, aut illius subsunt imperio, Hebraico idiomate filiæ dicuntur. lib. 1. Paral. cap. 7. v. 28. *Possessio autem eorum, habitatio Bethel cum filiabus suis, & contra Orientem Noram, ac Occidentem plagam Gazar, & filiæ eius. Sichem quoque cum filiabus suis, vsque ad Asa cum filiabus eius. Iuxta filias quoque Manasse Bethsam, & filias eius, Thonac, & filias eius, Maggedo, & filias eius, Dor, & filias eius.* Est tamen incertum valde an filiæ, quæ gladio hîc dicuntur occidendæ, sint coloniæ illæ, de quibus nuper Plinius, vel certa oppida alia Tyro vicina, qualis est Sidon, & quæ maritimam illam oram insedere, quæ ad ditionem Tyriam spectant, aut Tyro vectigales sunt.

Tyrus multas habuit filias, seu colonias.
Coloniæ dictæ filiæ.

Sunt qui dicant colonias illas grauiter fuisse à 12.
Nabuchodonosore mulctatas, quia Tyro, cùm obsideretur à Chaldæis, auxilium tulerunt; & Babylonios conatus aliquandiu moratæ sunt. Quo fundamento suam statuunt cogitationem qui putant Nabuchodonosorem expugnata Tyro in Hispaniam venisse. Ità putat Florianus de Ocampo, cui subscribere videtur Ioannes Mariana lib. 1. hist. cap. 7. & huic Ioannes Pineda in Salomone præuio lib. 4. cap. 14. In quam sententiam citatur à Iosepho lib. 10. Antiq. cap. 11. Megastenes, & ipse quoque Iosephus in eadem existimatur esse sententia. Qua de re nihil ego definio, quia historicum non ago, neque paucis video, quamcumque in partem inclinem, agendum esse mihi; siue confirmare, siue euertere coner istam sententiam. Tantùm dico neque locum Isaiæ, quem nuper adduxi, neque quem nunc ex Ezechiele versamus, huic sententiæ aliquid afferre firmamenti, imò illi incommodare non parum. Nam apud Isaiam Tyrus de filiabus, id est, de coloniis queritur, quæ sibi non adfuerunt laboranti, atqui hæc adducitur communiter ratio, quæ inflammauit Nabuchodonosorem, vt in Hispanias exercitum inueheret. Et Ezechiel hoc loco eas dicit occisas esse filias, quæ erant in agro; at in agro non erant coloniæ illæ, de quibus Plinius, sed prope mare, in loco non tam arabili, & opportuno ad messes, quàm saxoso, & ad arcendum hostem à natura munito, quales sunt portus; & sanè Gades, quæ ad Hispaniam pertinent, cùm vndique sint ab aquis circumfusæ, in agro non sunt. Quare eò magis inclinat animus, vt existimem sermonem hîc esse de ciuitatibus aliis, quæ Tyro sunt vicinæ, aut vectigales; quas Chaldæus expugnata Tyro, aut certè dum diu traheretur obsidio, oppugnauit, & cepit. Quales fuerunt viginti illa oppida, quæ Hiram Tyriorum Regi tradidit Salomon 3. Reg. cap. 9. v. 11. & alia, quæ sibi in tractu illo maritimo subiecerat.

Nabuchodonosor existimatur in Hispaniam venisse.

Vers. 7. *Ab Aquilone Regem Regum.*] Rex Re- 13.
gum dicebatur Nabuchodonosor, vel quia Regum omnium potentissimus erat; eo enim dicendi modo explicare solet Hebræorum idioma, quæ

Nabuchodonosor cur dictus Rex Regum.

quæ præstantissima sunt: vt *Canticum Canticorum, Sancta sanctorum, vanitas vanitatum, virgo virginum*; seu quia reuera Rex erat Regum, multos quippe Reges suo sibi imperio subiugauerat. Nam de Euilmerodach scribitur 4. Reg. c.25. v.28. & Ierem. cap.52. v.22. posuisse Iechoniæ thronum super thronos Regum, qui cum illo erant.

14. Vers. 8. *Et circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro.*] Nihil sibi Tyrus metuendum existimabat ab hostibus; quia à marinis fluctibus vndique cingebatur, eóque nomine sibi placebat maximè, quòd in corde maris sederet, & mœnibus præterea coronata Regina vocaretur. Erat autem tunc, sicut modò Gades, Tyrus à continenti angusto admodum freto disclusa, quatuor nempe stadiis, vt tradit Q. Curtius lib.4. vt verò Plinius lib.5. cap.19. & ex eo Hieronymus in cap. 23. Isaiæ, & in hunc locum septingentis passibus. Spatium tamen illud iactis molibus constrauit Nabuchodonosor, & quæ priùs erat Insula, peninsulam reddidit, sicut fecit iterum Alexander. Ita Hieronymus in illud Ezechiel. cap. 29. *Omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est.* Ad complendas igitur illas maris angustias absque dubio comportatus est agger, & aliæ comparatæ munitiones, quæ depilarunt humeros, & decaluarunt capita eorum, qui portandis straminibus, ac truncis duram impenderunt, atque seruilem operam, vbi autem peruium redditũ est angustum illud fretum pedestribus Chaldæorum copiis, non difficile fuit munitionibus vndique vallare ciuitatem, quod sonant apertè verba, in quorum nunc explicatione versamur.

Tyrus ex insula facta peninsula.

15. *Et eleuabit contra te clypeum.*] Ego hoc dicendi genere nihil aliud significari puto, quàm arma sumenda contra Tyrum; sed fortasse, vt Maldonatus putat, eleuare clypeum, est munire se, & caput tegere consertis clypeis ad excipienda tela, vel saxa, quæ à superiori loco in subiectum agmen deiiciuntur. Quod tegumenti genus Latini *testudinem*, Hispani *manta* appellant. Et facit ad hæc, quòd statim vinearum meminit, & arietum, quæ cum testudine sæpe coniungi solent. Qui sint *arietes*, & *vineæ*, multis docet Vegetius, & apud illum Godescalcus, à quorum ego descriptione in præsentia abstineo, quia alterius est negotij. Nũc satis sit machinas esse bellicas, quibus milites aut verberant, aut sternunt muros, aut quas infensis inimicorum iaculis opponunt.

16. Vers. 10. *Inundatione equorum eius operiet te puluis eorum.*] Duas voces adhibuit hoc loco Propheta, quibus in re militari explicari ingens hominum multitudo solet, *inundatio*, & *puluis*: illa multitudinem sonat suis egressam finibus, hic illius incitatum cursum. De inundatione, seu flumine, cui comparantur hostiles copiæ, diximus suprà ad vers. 3. De inundatione est illud Isaiæ cap.60. quod omnino huic loco affine est, *Inundatio camelorum operiet te.* In puluere aliquid etiam significatur magnum, maximè cùm puluere, qui ab equorum vngulis excitatur, operienda dicitur Tyrus; qui non potuit non esse magnus, & instar nubis; quando ciuitas illa, quæ cingebatur aquis, & necessariò aberat à Chaldæorum castris, puluere dicitur operienda. Porrò eadem metaphora Latini copiosum describunt exercitum, & incitatum cursum, appellántque nubem, seu, quod eòdem propè pertinet, fumum, qui terram, aut aërem instar nubis obducit, & obscurat. Ex multis pauca accipe exempla ex vno Marone, qui equorum præcipiti cursui fumi nubem, aut puluerís attribuit. Primùm lib.9. Æneid.

Puluis multitudinem sonat.

A

Hic subitam nigro glomerari puluere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis,
Primus ab aduersa conclamat mole Caicus
Quis globus, ô ciues, caligine voluitur atra?
Hostis adest.

Et lib.11.

Quadrupedúmque putrē cursu quatit vngula cāpū,
Voluitur ad muros caligine turbidus atra
Puluis.

Et paulo pòst,

At simul Æneæ fumantes puluere campos
Prospexit.

B Talis erat puluis, qui nubis instar ab incitato Chaldæorum exercitu Tyrum operiet, in quo, vt dixi, & militum ingentes copiæ, & pugnantium ardor exprimuntur.

A sonitu equitum, & rotarum, & curruum mouebuntur muri tui.] Hyperbole est, vsitata tamen cùm ingens significatur tumultus; & motus exprimitur, atque ardor hostilis. vnde in Scriptura frequens, *concussa, & commota est terra, contremuerunt montes*, & similia. Aut quia illo dicendi modo figurato plus significatur, quàm proprio, aut quia ita hominibus timore percussis tremere videtur terra, atque insolito exagitari concussu. Eo sanè modo profani aut turbatam ex pauore mentem, 17.

C aut ardorem maximum pugnantium ostendunt; sic quidam illorum lib.3. Æneid.

———tremere omnia visa repentè,
Liminàque, laurúsque Dei totúsque moueri
Mons circum.

Alius,

Ecce pedum pulsu visa est mihi terra moueri.

Et alibi,

—Pulsúque pedum tremit excita tellus.

Ex hac igitur vulgi opinione, cui in loquendo se sacri accommodant scriptores, seu quia ita nonnunquam accidit, quia magnæ etiam moles incitato quadrigarum motu concutiuntur, dixit Propheta à sonitu rotarum, & curruum mouendos esse muros; tametsi hinc abesse non possit 18.

D hyperbole, cùm inter Chaldæorum quadrigas, & Tyrios muros plurimum interesset spatij, quantum videlicet occupat fretum interiectum, quod iactis molibus constrauit Nabuchodonosor. Nisi dicas commotum iri muros, cùm per portas ipsas ciuitatis ingrediatur exercitus, quasi nulla essent claustra, quæ exultantem exercitum aditu prohiberent; sed per ciuitatis portas ingredi currus non solent; quia in locis clausis, & angustis non tam vsui, quàm impedimento sunt. De equis alia videtur esse ratio, quia ad ipsorum cursum facilis est, & multiplex via, & quidem ingressos esse, atque obiisse ciuitatem, probat,

E quod statim subiicitur, *Vngulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas.*

Vers. 11. *Et statuæ tuæ nobiles in terram corruent.*] Quod vulgatus *statuæ nobiles*, alij aliter reddunt. Heb. est מצבות עזך *masseboth vzech*, quod valet statuas, aut sustentaculum fortitudinis tuæ. Rab. Dauid, & cum eo quidam ex recentioribus turres interpretantur, & propugnacula, in quibus stare existimatur ciuitatis firmitas, & constantia. Septuaginta accommodatè ad hanc sententiam transtulere ὑπόστασιν τῆς ἰσχύος σου. Alij deorum simulacra, qui cùm tutelares vrbis haberentur, tamdiu duraturus credebatur ciuitatis status, quamdiu simulacra illa aut non excessissent, aut non submouerentur ex vrbe. Ita putat Pradus. 19.

Dij tutelares ad expugnationem vrbiũ euocantur.

De qua consuetudine diximus suprà cap.3.ad illud, *Benedicta gloria Domini de loco suo.* & probat illud Virgilij 2. Æneid. quod ex Gentilium vsu, ac religione dictum est,

Excessere omnes adytis, arisque relictis
Dij, quibus imperium hoc steterat.

Et de Tyriis speciatim tradūt Historici, Q. Curtius lib.4.cùm de eiusdē ciuitatis obsidione ageret,& de eodem rerum articulo,in quē nunc redacta erat à Babyloniis, ait Apollinem Tyri custodem excessisse ab vrbe, & in Alexandri castra transfugisse. Et Plutarchus in Rom. ait, ne Dij custodes ab vrbe recederent,solitos esse à Tyriis constringi vinculis.

20. Hæc fortasse vera, sed simplicior est, & magis obuius sensus, si *statuas* in propria significatione sumas; quæ nobiles sunt, quia in illis nobilium, quíque rerum gestarum gloria claruere, monumenta seruantur, imò in illis viuunt, qui iam pridem è viuis abierunt. Has verò tanti fecit antiqua Gentilitas, vt qui statuæ honorem, aut ius imaginis esset consecutus, digito se cœlum putaret attingere. Quæ quo plus præ se ferrent antiquitatis, eo plus habere dignitatis existimabantur: quare fumosæ imagines à vetustate,aut statuæ, quibus aures, aut nasum abstulisset antiquitas, in magna erant veneratione, & quodammodo religiosæ, ac sacræ; pro quibus posteri non minori studio,quàm pro vita, ac religione certabant. Stultè illi quidem, certabant tamen; quia à maiorum statuis non solùm nobilitatem, sed religionis etiam aliquid suis familiis conciliari sibi persuaserant. Hinc illud Iuuenalis Satyr.6. ex cōmuni Gentilium sensu,

Imagines, & statuæ magni olim habita.

Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo
Sanguine censeri, pictósque ostendere vultus
Maiorum? & stantes in curribus Æmilianos?
Et Curios iam dimidios? nasúmque minorem
Coruini,& Galbam auriculis,nasóque carentem?

21. Cùm autem Tyrus esset vrbs antiquissima, & laudis supra modum appetens, vt probant, quæ statim cap. 28. de illius superbissimo spiritu traduntur, credibile est plurimas habuisse maiorum suorum siue imagines, siue statuas, in quibus suam putabant contineri gloriam. Quas tamen cum mœnibus, atque vrbe casuras dicit Propheta, vt neque vllum antiquæ gloriæ, ac nominis vestigium supersit,quod illis communi excidio,& morte ipsa accidit molestius.

22. *Diripient negotiationes tuas.*] Actio interdum pro obiecto, vt loquuntur logici, seu materia, circa quam versatur actio; interdum pro loco, in quo exercetur, vsurpatur: quomodo *plantatio* pro plantis, *generatio* pro filiis, *amputatio* pro ramis, *vindemia* pro fructibus, qui sumuntur è vitibus,capiuntur. Item *cœnatio* locum,vbi cœnatur,*deambulatio*,vbi deambulatur, *quies* vbi quiescitur, significant. Negotiationes ergo merces significant,& quæ ex mercibus compendia proueniunt; item plateas, in quibus nundinatione merces distrahuntur: vtraque diripienda dicuntur,quia nullæ erunt merces,quæ non transportentur aliò, aut in hostium venient potestatem; neque locus relinquetur idoneus, vbi venales proponantur, quæ vndecunque terrarum opes conuehuntur.

Vers.12. *Et puluerem tuum in medio aquarum ponent.*] Gradatio fit, qua extrema significatur ciuitatis ruina: neque enim tantùm euertendi muri,& domus disturbandæ dicuntur, sed etiam saxa,ac ligna, quæ ex illorum ruina relinquuntur: A atque adeò puluis, qui ex disiectis molibus videbatur fore reliquus. Qui sic scopis deiicietur in vicinum mare,vt maneat solùm ex tam nobili,atque numerosa fabrica petra limpidissima, & locus siccandis piscatorum retibus opportunus.

Vers.13. *Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum; & sonitus cithararum tuarum non audientur amplius.*] Vbi opes sunt plurimæ, & ab hostilibus armis timor abest (quod inerat ciuitati, quæ in ipso pelagi corde exædificata, satis contra vim omnem, atque solertiam præsidij à seipsa habere sibi persuaserat) necesse est homines deliciis se dedant; & luxu diffluant,canticis assuescant,& sistris, & aliis prurientis, seu blan- 24.
B dientis naturæ lenociniis.Ab his ergo Tyro, vbi in hostium potestatem venerit, silentium indicetur,sic enim afficietur ægrè, vt plorare magis, quàm cantare libeat; neque si velit, habebit ad illas otiosorum hominum delicias satis facultatis,aut otij. In hanc penè sententiam Hieronymus, & cum eo complures alij: neque id ego improbo,& eo magis, quòd in vastatione simili cædem aliis etiam nationibus intenduntur minæ. Sic Ieremias, cùm excidium denunciaret Hierosolymæ,dixit cap.25.v.10. *Perdámque ex eis vocem gaudij,& vocem lætitiæ.* Et hoc ipsum repetit cap.16.v.9. & cap.7.v.34. Isai. cap.16. de Moab, *Auferetur lætitia,& exultatio de Carmelo.*

C Verumtamen non mihi displicet,quod de eadem Tyro, verbis propè iisdem, significari diximus ab Isaia cap.23. vbi sic de Tyro ad patriam, & merces restituta post 70. annorum exilium. *Post septuaginta,inquit,annos,erit Tyro quasi canticum meretricis.* Meretricem autem, vt multis nos ibi, eo loco vocat non quæ prostituto corpore quæstum facit, sed quæ aliam exercet quæstuariam artem, à qua libido, aut alia quæuis turpitudo abest. Qualis est caupona,textrix,scrutaria;quæ meretrices appellantur non à magis vulgari significatione,sed à propria,quia suo labore,eóque non indecoro,ac turpi stipendium merent. Sanè Rahab meretrix vocatur Iosue cap.2. & mater 25.
D Iephthē Iudic.cap.4.& tamen communis est Hebræorum sententia, cui è nostris non pauci subscribunt,hospitas fuisse,seu stabularias. Cùm ergo dicit Isaias futurum esse Tyro quasi canticum meretricis, dicit planè illi futurum tale cāticum post septuaginta annos, quale futurum negat Ezechiel annos septuaginta, quibus extorris aberat ab eo loco, vbi frequentes erant nundinæ, & commune totius Orientis emporium. Et ideo commodè ad hanc cogitationem addidit, *Sume citharam, circui ciuitatem meretrix* (id est,negotiatrix) *obliuioni tradita bene cane,frequenta canticum.* Quod etiam statim magis explicuit. *Et erit post septuaginta annos visitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad merces suas.*

Meretrix nō semper aliquid significat obscœnum.

E Porrò sicut in aliis nationibus circuitores,qui 26.
merces per vrbem circumferunt, ac distrahunt, certa vocum modulatione significant, quid habeant venale; sic etiam Tyrij mercatores, qui aliunde profecti merces eò comportant, cantu, & citharæ sono merces euulgant. De Romanis indicat Persius Satyr.4. qui institricem, aut circuitricem Baucidem suas merces euulgantem, & cantantem inducit;

Cantu, & musicis organis merces euulgari solita.

———————Pannucia Baucis
Cùm bene discincto cantauerit ocyma vernæ.

Quod faciebant non modò voce ad certos modulos inflexa Tyrij,aut etiam mercatores alij,sed musicis etiam instrumentis.Quod vt de nationi- 27.
bus

bus aliis sileam, Hispanis in quarundam mercium genere familiare est, qui incernicula, ac cribra vendunt sistris, qui dulciaria è melle, saccaróque confecta crotalis, alij verò testarum crepitu, aut fistulurum sonitu artem suam, mercésque testantur, & euulgant. Consentaneè ad hæc Tyriis edicitur canticorum; ac cithararum longum futurum esse silentium; quia diu apud illud negotiatio cessabit.

28. *Non audietur amplius.*] Huic loco aduersari videtur ille, de quo modò apud Isaiam, qui dicit aliquando rediturum esse canticum, nempe post annos septuaginta. Cui obiectioni alij aliter occurrunt, mihi modus ille placet dissoluendi nodi, quem probaui magis apud Isaiam, cùm cap. 23. de Tyro hæc eadem vaticinatus esset, quæ nunc Ezechiel, qui sibi etiam ipsi videri poterat contrarius, cùm dicat de Tyro, *Non adiicies vltrà vt glorieris.* Quo loco obseruauimus ex vsu Scripturæ has voces *non amplius, non vltrà, æternum, sempiternum,* & similia, licèt aliquid vllo tempore futurum esse negent, tamen hyperbolicè non rarò longum significare, non omne tempus prorsus excludere. Quare idem est *non audietur amplius,* atque *non audietur diu.* De *æternum* exempla sunt nō solùm apud sacros, sed etiam apud profanos obuia. Deut. cap. 15. v. 17. de seruo, qui oblata libertate frui noluit, dicitur, *Perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & seruiet tibi vsque in æternum.* At quî æterna seruitus esse poterat in vita mortali? Et Gen. 17. dixit Deus ad Abraham, *Dabóque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam.* Neque tamen æterna aut fuit, aut esse potuit illa possessio. Vide quid in hunc locum dicat August. lib. 1. q. in Gen.

Regvla. Nō amplius, nō vltra, & similia aliquando non omne tempus excludit.

Æternum idem quod diuturnum.

29. q. 31. Præterea ex vsu Scripturæ id dicitur non futurū vltrà, aut non amplius, quæ rarò fiunt, aut minus frequenter quàm antea. Syri 4. Reg. cap. 6. dicūtur nō vltrà venisse in fines Israël, & tamen postea aliquando venerunt. Et de Iacob scribitur Genes. 35. *Non vocaberis vltrà Iacob, sed Israel erit nomen tuum.* & tamen post hæc vocatus est Iacob. Vtroque modo dici possunt non amplius citharæ sonitus audiendos esse apud Tyrios: quia longè post illud tempus, aut certè minus sæpe quàm priùs audientur. Eodem modo explico, quod statim additur, *Nec ædificaberis vltrà,* quia serò ædificata est, neque tam splendidè quàm antea non ædificatam esse nemo dubitare potest, cùm id habeamus ex Isaia suprà, & constat fuisse iterum ab Alexandro post aliquot annos expugnatam.

Regvla. Id dicitur non futurū amplius quod rarò fit, aut minus frequēter quàm antea.

30. Vers. 15. *Nūquid non à sonitu ruinæ tuæ, & gemitu interfectorum tuorum, cùm occisi fuerint in medio tui, cōmouebuntur Insulæ?*] Non poterat diu tātæ molis occultari ruina; & ex ruina fragor in locis etiam remotis nō exaudiri; maximè cùm morientium, cadentiúmque vlulatus, & gemitus accederent, qui morali sonitu sese quàm longissimè diffundunt. Quia ergo de insulæ ruina loquitur, de aliis etiā insulis sermonem inducit, quas fragor ille ruentis Tyri vehementer cōcussit. Nam si insula illa tā ab arte vndiq; naturáque munita obsistere non potuit cōmuni hosti, & multarum regionū victoriis insolenti, quid sibi securitatis promittant, aut quid non timeant, si eò se vertat hostilis acies. Aut certè obstupescent, vbi primùm de Tyri ruina rumor aduenerit, cùm nunquā arbitrarentur fore, vt mole illa mari atque mœnibus cincta corrueret. Dixit hoc idem de eadem ciuitate Zacharias, cùm iterum expugnanda

A prædiceretur, nempe ab Alexandro, cap. 9. *Et ædificabit Tyrus munitionem suam; & coaceruauit argentum, quasi humum, & aurum vt lutum platearum. Ecce Dominus possidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius, & hæc igne deuorabitur. Videbit Ascalon, & timebit, & Gaza, & dolebit nimis, & Accaron, quoniam confusa est spes eius.* Ex quo constat ædificatam iterum fuisse Tyrum, quandoquidem vastāda dicitur à Zacharia, qui multis annis post tempora Nobuchodonosoris prophetauit, post solutam nempe captiuitatem à Cyro.

Tyrus rursus ædificata.

Vers. 16. *Et descendent de sedibus suis omnes principes maris.*] Principes maris hic vocari existimo, 31.
qui nauibus copiosas, atque pretiosas merces
B hinc inde conuehunt, qui plerumque in mari viuunt, & negotiatorum omnium aut principes, aut primi sunt. De quibus eadem propè Isaias, cap. 23. *Vlulate,* inquit, *naues maris, quia vastata est domus, vnde venire consueuerant. Tacete, qui habitatis in insula, habitatio Sydonis. Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam cuius negotiatores principes, institores eius inclyti terræ.* Hi ergo descendent de sedibus suis, quia & ambitiosos fastus abiicient, quos quæstuosa alebat negotiatio, & spiritus regios deponent, spe sublata quotidiani lucri. Hoc est, opinor, de sedibus descendere, id est, de regia, aut Regiæ, proxima sede deturbari. Quomodo de Babylone iamiam à Persico exercitu subiuganda
C dixit Isaias cap. 47. *Descende, sede in puluere virgo filia Babylon, sede in terra, non est solium filiæ Chaldæorum.* Hi ergo principes aut ideo de sedibus descendent; in quas se sublimes extulerāt, qui non amplius, sublato magno illo Orientis emporio, in maritimo commeatu ad regiam vsque potentiam diuitias augebunt; aut quia dolebunt de casu regiæ vrbis, & illius busto parentare volent: id enim facilè persuadent, quæ proximè sequuntur.

Et auferent exuuias suas, & vestimenta sua varia 32.
abiicient.] Hoc plorantium est, & corū, qui iusta funeri persoluūt. Exuuiæ ornamēta sunt מעילים
D *maalelim,* quæ Pagninus *pallia* conuertit, cum Chaldæo, Septuaginta, *coronas,* vel *diademata,* Hieronymus, & Theodoretus *pretiosam vestem,* qualis regiam decet dignitatem. Cur verò vocentur exuuiæ, ea videtur ratio, quia regiæ illæ vestes ex detractis aliorum exuuiis contextæ sunt; aut certè exuuiæ, auctore Nonio, vestimenta sunt, quia vestes non minus sæpe exuuntur, quàm induuntur: vnde sicut vocantur indumenta, sic etiam appellari possunt exuuiæ, quare vulgatus Hebraicam vocem optimè conuertit *exuuias.*

Exuuiæ vnde dictæ.

Hæc puto magis ad veritatem, & textum; tu 33.
vide an alia etiam explicatio possit admitti. Re-
E gibus olim, maximè qui strenui, & fortes videri vellent, vsitatum erat è belluarum maximè ferocium pellibus integumentum. Ad imitationē fortasse Herculis, qui quas leoni detraxerat, sibi accommodauit exuuias. Sanè de Acestæ Siciliæ Rege Virgilius cecinit lib. 5. Æneid.

Reges olim, & veri fortes ferarum exuuiis induti.

——— *occurrit Acestes*
Horridus in iaculis & pelle Libystidis vrsæ.

Et idem de Euandro lib. 8.

Demissa ab læua Panthera terga retorquens.

Sic fortasse isti, qui aut erant, aūt videri studebant Reges, pelles gestabant, quæ ex vsu Latinorum magis frequenti vocantur exuuiæ, quas tunc deponent, cùm de Tyri excidio lugubris afflauerit rumor. Sic lib. 11. Camillam, cui auda-

ces spiritus, & virilem animum attribuit, ferinis induit pellibus, quas exuuias vocat.

Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ
Tigridis exuuiæ per dorsum a tegmine pendent.

34. Vbi vulgatus varia, Heb. est במכמשי *recamoth*, quæ vox telam significat acu pictam, quam phrygiam, aut polymitam dicimus, a qua Hispani, sicut alia plurima, ex Hebræorum lingua, *Recamados* appellant, quicquid varium est, & versicolore filo variegatum, siue illud sutile, siue textile fuerit, & simpliciter pro tegmine pretioso, atque eleganti sumitur.

35. *Et induentur stupore: in terra sedebunt.*] Quemadmodum in omni literatura frequens est signum pro re significata sumi, sic est in Scriptura non infrequens rem significatam abhiberi pro signo, quomodo *lætitia*, pro indumentis, quæ lætos produnt animos, ponitur. Isaiæ cap. 51. v. 11. *Lætitia sempiterna super capita eorum*, id est, corona. Et *fortitudo* pro armis, idem pauló antè v. 9. *Consurge, consurge, induere fortitudinem.* Sic etiam frequens *indui decorem, & gloriam*, quod idem est atque illis ornari tegumentis, quæ regiam dignitatem aut ostendunt, aut docent. Ad hunc ergo modum *stupore indui*, nihil est aliud, quàm stupentes, & consternatos animos cultu ipso, atque habitu corporis testari. Qui verò eo affecti sunt animo, de cultu non laborant, quia spiritum totum abripit, & ad sese traducit admiratio, & stupor. Hispanus ad hanc formam vestimenta hæc, quæ à stupentibus, ac dolentibus sumuntur, *luctum* appellat: quia lugentis animi signa sunt, atque ideo quomodo Hebræi dicunt *indui decore, stupore, & gloria*; sic ipsi dicunt *traer luto*, seu *vestirse de luto*.

REGVLA. *Res significata pro signo.*

36. *In terra sedebunt.*] Sedere in terra, ærumnosæ, ac sordidæ cõditionis signum est; quare qui priùs in sublimi cõsederant loco, cùm ab eo deturbati fuerint, sedere dicuntur in terra; seu in puluere. Sic Isaias cap. 47. *Descende, sede in puluere virgo filia Babylon, sede in terra.* Thren. 2. *Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion.* Et de amicis Iob scribitur cap. 2. *Sederunt cum eo in terra septem diebus.* Hinc in Scriptura sacra frequens, vt qui à sordido, ac lugubri excitatur statu, eleuari dicatur de stercore, ac puluere lib. 1. Reg. cap. 2. & Psal. 112.

Prouerbium Sedere in terra doloris signum.

37. Vers. 17. *Quæ habitas in mari.*] Heb. נושבת מימים *nosuath mimaim*, quod valet *habitata a maribus*. & ita cum Rab. Dauid transferunt recentiores. Hoc autem nomen ideo inditum existimatur Tyro, quia mercatores ibi consederant, propter ineundi commercij, distrahendarúmque mercium commoditatem, qui quoniam per varia maria illuc appulerant, à maribus dicebatur habitata. Aut certè, quia ex variis maribus ad illud emporium erat adnauigatio, puta ex sinu Arabico, ex Euxino, Ægæo, aut etiam Oceano: nam Tyrus, vt diximus, commune erat totius Orientis, atque adeò totius orbis emporium. Neque mihi displicet si Hebraicum sequaris textum, vt nuper eius translationem adduximus. Sed vide an iuxta translationem eandem explicari sic possit: non iam habitandam esse Tyrum ab hominibus, quos aut extinguet, aut fugabit Chaldæorum exercitus, sed tantùm a marinis fluctibus, quasi nuda rupes quæ ab vndis alluitur.

38. Sed sanè commodiùs etiam ad textum conuertit vulgatus, qui non tam ad verba, quàm ad sententiam intentus reddidit *quæ habitas*. Habi-

A tare autem in mari, nihil est aliud, quàm ab aquis vndique circumfundi, id est, insulam esse; id verò etiam significatur passiua voce: nam tunc maria habitant, ac possident ciuitatem, cùm illam suo quasi complexu cohibent, & claudunt.

Vers. 18. *Stupebunt naues in die pauoris tui, & turbabuntur insulæ in mari.*] Naues pro nauigantibus, id est, negotiatoribus sumuntur ea figura, qua res continens pro contenta sumitur. Illi namque cùm Tyri gloriam antè cognouissent, neque fore putarant, vt ab humana potentia vnquam opprimeretur, stupebunt vehementer, cùm subactam viderint, & aliorum ignobili seruituti
B subiectam. Insulæ hoc loco non tantùm dicuntur, vt opinor, quas mare circumfluit, sed etiam ciuitates, quæ maritimæ sunt, quæque negociationis causa maria transmittunt, neque minus sæpe in mari, quàm in terra viuunt. Tales sunt Phœnices, & Sidonij, & qui tractum incolunt Palæstinum. Ducor in hanc cogitationem, quia, vt vidimus nuper ex Zacharia cap. 9. turbatio indicitur, & stupor, cùm iterum subiuganda dicitur Tyrus, his etiam ciuitatibus, quæ cùm in mari non sint, non tamen procul absunt à mari. Pauebunt igitur Insulæ, Rhodus puta, Cyprus, Creta, &c. Sed pauebunt etiam prouinciæ, quibus nota erat Tyrus, & mercimonij gratia sæ-
C pe frequentata. 39.

Eo quòd nullus egrediatur ex te.] Heb. מצאתך *misetheha*, quod sonat, vt Hebræi putant, & cum eis, e recentioribus nonnulli, *ab exitu tuo*. Cuius illam Hebræi putant esse sententiam, cómouendas esse naues, & insulas ab exitu Tyri, id est, cùm viderint depulsam esse Tyrum à sedibus suis; in quibus tãquã Regina maris locata erat, & abiisse procul in exilium. Sed vertit optimè vulgatus, dum ait, *eo quòd nullus egrediatur.* quod vt magis explicem, obserua מן *min* apud Hebræos interdum idem esse, quod *non*, vt multis exemplis probat Pagninus lib. 1. Institut. c. 15. Iob c. 33. v. 18. *liberauit animam suam ne pergeret in interitum.* Heb. מעבור *mahbabor*, i. *à transeundo*, seu *ne transiret.* Sic Isaias cum ageret de Tyro, & eandem
D explicaret sententiam, quã Ezechiel, cap. 23. v. 1. *Vlulate naues maris, quia vastata est domus, vnde venire consueuerant.* Heb. est מבוא *mibo*, id est, *à non veniendo*, siue, *ne veniant*, vt eo loco pluribus explicuimus. Huc, credo, respiciebat Ezechiel, quando dixit מצאתך, vbi מן, etiam negat, quod est, *à non exire te*, siue, *à non exitu tuo*. quod de Tyriis sumi potest in hunc sensum, quia non ampliùs exibis, e tuo videlicet portu ad quærendas merces vel de externis aliis mercatoribus, qui onerati mercibus, vt antea, e Tyrio portu non amplius exibunt. Solùm, opinor, differt Ezechiel ab Isaia, quia hic terminum adhibuit ad quem, vt Physici loquuntur; quasi deinceps ad Tyrias
E nundinas mercatores venturi non sint; ille terminum à quo, quasi inde aut venditis, aut comparatis mercibus mercatores ampliùs egressuri non sint. In hoc posterius cum Hieronymo inclinat Maldonatus, & quidam alij. 40.

REGVLA: מן *idem sæpè quod non.*

Vers. 19. *Et adduxero super te abyssum, & operuerint te aquæ multæ.*] Hic locus explicatus est suprà v. 5. vbi mare, seu abyssum diximus esse Chaldæorum exercitum, qui maris instar Tyrum oppleuit, atque demersit. 41.

Vers. 20. *Et detraxero te cum his, qui descẽdunt in lacum ad populũ sempiternum.*] Lacus pro sepultura ponitur, aut pro inferno, qui profundus est 42.
lacus,

lacus, in quem demersus est populus, qui sempiternus appellatur, quia ad tempus vsque redemptionis nostræ per Christum, omnes descendebant in lacum, licèt non eodem omnes modo, neque in locum eundem. Hinc sæpe audis lacum pro morte, sicut funus, quia mors antiquis illis temporibus aditus quidam erat ad lacum, quicumque ille sit, siue sinus iustorum, siue æternus damnatorum carcer: nam sepultura interdum etiam infernus dicitur. Psal. 29. v. 4. *Domine eduxisti ab inferno animam meam; saluasti me à descendentibus in lacum.* id est, à morte. & Prouerb. cap. 1. v. 12. *Deglutiamus eum, sicut infernus viuentem: & integrum, quasi descendentem in lacum.* Eodem dicendi modo vsus est Ezechiel iterum cap. 32. v. 12. & cap. 42. v. 18.

Lacus olim pro morte, seu inferno.

43. Populus sempiternus est mortuorum cœtus, qui ideo sempiterni nominantur, quia ita vulgus opinabatur, nunquam videlicet eos, qui semel excessissent è viuis, ad viuos iterum reuersuros. Est autem notum solere Canonicos scriptores in loquendi modo vulgi se opinionibus accommodare. Aut quia quod diuturnum est, vt obseruauimus ad illud vers. 13. *non audietur ampliùs, æternum* appellatur, seu *sempiternum.* Est autem longissimum tempus ad diem vsque iudicij extremi, cùm mortui excitabuntur ad vitam, vel ad primam mundi ætatem, in qua mortui aliqui fuerant, qui dici potuere mortui sempiterni. An verò ad mortuos absolutè hæc sint referenda, quorum domus, id est, sepulcrum, sempiterna vocatur, Psal. 48. *Sepulcra eorum, domus eorum in æternum.* & Eccli. 12. *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Vel ad eos, qui primis mundi sæculis decessere. Hoc posterius mihi videtur longè probabilius; quia Tyrij descensuri dicuntur ad populum sempiternum, qui dicendi modus potiùs indicat aliquid, quod antè præcessit, quàm quod deinde futurum est. Et in hunc sensum sumi posse diximus in nostris commentariis super Ieremiam, illud Thren. 3. *In tenebrosis collocauit me, quasi mortuos sempiternos.* Quos Dauid Psal. 141. mortuos appellat sæculi, *Collocauit me in obscuris, sicut mortuos sæculi.*

Mortui cur vocati sempiterni.

44. *Et collocauero in terra nouissima.*] Terra nouissima ea vocatur, quam nuper lacum appellarat nouissimum; siue sepulturam intelligas, siue sinum, quem in terræ visceribus tanquan diuersorium iustis; siue quem pro carcere Deus destinauit damnatis. Nam sepultura nouissimus locus est, quem habitabit homo ex opinione saltem vulgi, & quem nunc habitant à seculo defuncti; & sinus, siue carcer, qui est in corde, seu visceribus terræ omnium existimatur esse nouissimus. Est autem sententia eadem per epexegesim geminata: nam idem est in lacum descendere, & in terra collocari nouissima.

Terra nouissima pro sepulcro.

45. *Sicut solitudines veteres cum his, qui deducuntur in lacum.*] In Tyro duo spectamus, & ciues, & vrbem ipsam frequentem ciuibus, & ædificiorum gloria, & amplitudine inclytam. Quod ad vrbem attinet eò redigendam esse dicit, quo ciuitates aliæ quarum nullum iam pridem superest vestigium. qualis fuit Pentapolis, & aliæ quæ in æternum interitum sale consperfæ sunt. Quod verò ad ciues, tales dicuntur fore, quales qui in lacum demittuntur, siue quia gladio interibunt, siue quia extorres aliò demigrabũt. Extorres autem pro mortuis haberi, iam antè diximus, & docet Propheta infrà c. 37. vbi exules dicuntur mortui, & exilium nominatur sepulcrum.

Porrò cùm dedero gloriam in terra viuentium, in nihilum redigam te.] Redierunt Tyrij eodem, quo Iudæi, tempore in patriam suam, septuagesimo videlicet anno, postquam è Tyriis finibus excesserant. Ita Isaias cap. 23. *Post 70. annos visitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad merces suas.* Idem Ieremias cap. 27. v. 7. Ædificatam item esse Tyrum eodem nempe tempore, quo Ierusalem instaurata, dixit apertè Zacharias c. 9. v. 3. post solutam captiuitatem, quo tempore opera dabatur à Iudæis reædificandæ Hierosolymæ. *Ædificauit,* inquit, *Tyrus munitionem suam,* sed auspicio planè, atque exitu dissimili. Nam quo tempore Iudæi in terra viuentium: in Iudæa videlicet, vbi cuncta succedebant ex voto, feliciter agebant, & sine vlla perturbatione, ac metu malè iactabatur, ac vexabatur Tyrus ab hostibus tam vicinis, 46.
quàm procul inde summotis. Diu namque ob- 47.
sessa fuit ab Alexandro, & tandem subacta, vt externi tradunt Historici. Vide Q. Curtium lib. 4. Plutarchum, Arrianum, Diodorum Siculum, qui de hac Tyri oppugnatione plus satis. quo tamen tempore, vt auctor est Iosephus, Alexander magnis honoribus ac donis Iudæos prosecutus est. Deinde Machabæorum tempore in Iudæorum potestatem redacta, quod prædixerat Zacharias suprà cap. 9. v. 4. *Ædificauit Tyrus munitionem suam, & coacervauit argentum quasi humum, & aurum vt lutum platearum. Ecce Dominus possidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius; & hæc igne deuorabitur.* Et statim versu 8. *Et circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes, & reuertentes.* Vbi significare videtur Dominus totam domum suam, id est, terram promissionis (quam nunquam omnino Israëlitæ possederant, quia aut noluerunt, aut non potuerunt antiquos possessores expellere) ab his, qui sibi militant, i. à Iudæis esse possidendam. Tyrus autem, vt ex Iosue constat cap. 19. ad sortem pertinebat Asser. Hoc etiam indicat non obscurè Sophonias cap. 2. vbi Palæstinam, & totum funiculum maris, ad quem pertinet Tyrus, subiectum iri Iudæorum Regno. *Et erit funiculus maris requies pastorum, & caula pecorum; & erit funiculus eius qui remanserit de domo Iuda.* Et clariùs Abdias vers. 20. qui omnia regna Chananæorum, in quibus, vt proximè diximus, numeratur Tyrus, subiicienda dicuntur iis, qui ex exilio Babylonico remigrarũt. *Transmigratio exercitus huius filiorum Israel* (possidebit) *omnia loca Chananæorum vsque ad Sareptam* (hæc ad Sidonios pertinet) *& transmigratio Ierusalem, quæ ad Bosphorum est, possidebit ciuitates Austri.*

Tyrus rursus ædificata, & iterũ deleta.

Tyrus ad terram pertinet promissionis.

Porrò, vt suprà diximus cap. 20. ad illud, *Quæ faciens homo viuet in eis, viuere* vulgi sermone illi dicuntur, qui vitam agunt verè vitalem, id est, sine angore, & metu, rebus affluentem, & commodis vitæ necessariis. Qualem habuere Iudæi ab exilio reuersi, & quali omnino caruere Tyrij, qui vix diũ in antiqua sede, vtcumque instaurata consederant, cùm ab Alexandro vexati diu, ac tandem subiugati sunt. Et cùm iterum respirare cœperunt à Machabæis iterum tentati, & iugum subire coacti vitam egerunt non vitalem. Optimè ergo dicuntur, cùm in terra viuentium, id est, habitantium securè, atque abundanter, fuerint Iudæi, tunc Tyrios redigendos in nihilum, id est, ita vexandos, vt in mortuorum numero censeri potuerint. 48.

Vita dicitur quies & felicitas, mors verò status miser.

Vers. 21. *Et non eris requisita.*] id est, aut esse desines, neque à quoquam inuenieris vltrà, vel 49.
cùm

cùm antè mercimonij gratia populi te plurimi quæsierint, non erit vllus postea, qui te putet ampliùs esse quærendam.

Non inuenieris vltrà in sempiternum.] Quomodo hæc sint intelligenda, explicuimus paulo antea, cùm diximus *non vltrà, sempiternum*, & similia aliquid interdum significare diuturnum, non quod nullo definietur tempore.

IN CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

ARGVMENTVM.

TYRI opes, splendorem, & potentiam miris modis amplificat Propheta; splendorem quidem, dum illam sub nauis allegoria sic exornat, vt in eo genere nihil videatur afferri posse sublimius: potentiam, dum illam, & fortissimorum hominum præsidio munit, & omni instruit apparatu: opes verò, & rerum abundantiam, dum innumeras penè regiones commemorat, quæ ad Tyrias nundinas quicquid apud se habent pretij, aut prouentus vernaculi, comportant. Ex qua gloria, atque ambitioso fastu cecidisse describitur; quæ ruina & grauissima fuit, & eo visa maior, quo conditio prior magis illustris, & maior status fortunæque conuersio. Ad extremum lugubre instituitur, & parentale canticum priùs à Propheta; deinde ab his, qui soliti essent Tyrias obire nundinas; qui cum sibilo, & plausu occinunt æternum fore ciuitatis interitum.

CAPVT XXVII.

1. *ET factum est verbum Domini ad me, dicens:*

2. *Tu ergo fili hominis assume super Tyrum lamentum:*

3. *Et dices Tyro, quæ habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas: Hæc dicit Dominus Deus: O Tyre tu dixisti: Perfecti decoris ego sum,*

4. *Et in corde maris sita. Finitimi tui, qui te ædificauerunt, impleuerunt decorem tuum.*

5. *Abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulatis maris: cedrum de Libano tulerunt vt facerent tibi malum.*

6. *Quercus de Basan dolauerunt in remos tuos: & transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, & prætoriola de insulis Italiæ.*

7. *Byssus varia de Aegypto texta est tibi in velum vt poneretur in malo: hyacinthus & purpura de insulis Elisa facta sunt operimētū tuū.*

8. *Habi*

PARAPHRASIS.

1. LOcutus est iterum Dominus ad me de Tyro in hanc sententiam:

2. Institue, ô fili hominis, ferale canticum, ac lugubre super Tyrum.

3. Et dic ciuitati potenti, ac lautæ, quæ in loco sedet opportuno maximè, in ipso videlicet maris ingressu, vbi tam maris, quàm terræ commodis facile fruitur; vbi commune est omnibus latè populis atque insulis, & celeberrimum emporium. Sic autem ad Tyrum dices meis verbis: O Tyre, túte hac tibi vana assentatione blandiebaris; dicebásque nihil tibi deesse ad pulcritudinem, nihil ad dignitatem.

4. Et cùm in mari tuam tibi sedem statuisses, nihil tibi ab externa vi, nihil ab insidiis putabas esse metuendum. Et quidem sicut nauis variis lignis compingitur, variis instruitur, & oneratur mercibus: sic te finitimi populi ad firmitatem, & speciem variis modis instruxerunt.

5. Primùm quæ ad totam molem, & fabricam pertinent, puta statumina, tabulas, asseres, & costas, quibus totum illud nauis corpus continetur, & constat ex abiegna materia, comportarunt è monte Sanir. E Libano deinde præaltam cedrum succiderunt, ex qua tibi dolarent, & erigerent malum.

6. De quercu Basanitide formauere remos: & eburnea transtra ex Indico elephanto elaborarunt; & ex Italia comportato ligno prætoria tibi lauta compegere.

7. Vela tibi ex Ægyptio lino tenuissimo, ac nobili contexta sunt, quæ suspenderentur ex malo: hyacinthinis, atque

purpu

8. Habitatores Sidonis & Aradij fuerunt remiges tui: sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui.

9. Senes Giblij, & prudentes eius habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ: omnes naues maris, & nautæ earum fuerunt in populo negotiatiationis tuæ.

10. Persæ, & Lydij, & Libyes erant in exercitu tuo viri bellatores tui: clypeum, & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo.

11. Filij Aradij cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu: sed & Pygmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum: ipsi compleuerunt pulchritudinem tuam.

12. Carthaginenses negotiatores tui, à multitudine cunctarum diuitiarum, argento, ferro, stanno, plumbóque repleruntnundinas tuas.

13. Græcia, Thubal, & Mosoch, ipsi institores tui: mancipia, & vasa ærea aduexerunt populo tuo.

14. De domo Thogorma, equos, & equites, & mulos adduxerunt ad forum tuum.

15. Filij Dedan negotiatores tui: insulæ multæ, negotiatio manus tuæ: dentes eburneos & hebeninos commutauerunt in pretio tuo.

16. Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum, gemmam & purpuram, & scutulata, & byssum, & sericum, & chodchod proposuerunt in mercatu tuo.

17. Iuda & terra Israël ipsi institores tui in

A purpureis integumentis constrata es, quæ lógè tibi ex Elisæis insulis transmissa sunt.

8. Qui te remigio, ô Tyria nauis, impellerent, externi fuerunt, Sidonij videlicet, & Aradij; qui ad clauum sederent, cursúsque maritimos gubernarent, ex tuis, ô Tyre, ciuibus sumpti sunt.

9. Giblij ætate, reíque nauticæ peritia nobiles, nautas adhibuere, qui nauticam supellectilem, id est, varia nauis instrumẽta tractarent: neque tantùm nauis hæc Tyria proximum ciuitatis sinum ambitioso
B progressu peruagata est. Aduenerunt etenim aliæ etiam naues vndecumque Gentium, & illarum gubernatores, & nautæ vt negotiarentur apud te, & tuis commodis quodammodo seruirent.

10. Neque solùm conueniebant externi populi vt opibus te cumularent ingentibus, & delicias tibi vndecumque conueherent; sed etiam vt te præsidio munirent militari contra externorum fraudem, atque potentiam. Persæ etenim, Lydij, & Libyes strenui viri, & armis tractandis
C assueti bellicam tibi operam nauarunt. Et quo tibi ornamento essent, & hostibus terrori, ex ciuitatis propugnaculis galeam suspenderunt, & clypeum.

11. Excubabant quoque in circuitu, pugnabántq; pro muris Aradij, & Pygmæi, qui in turribus, propugnaculísque dispositi, suspensis quoque pharetris magnum ad pulcritudinem cumulum addiderunt.

12. Carthaginenses mercatores, qui tuum emporium frequenter obeunt, ar-
D gento, stanno, ac plumbo comportandis, & diuitiarum ingenti copia forum impleuerunt.

13. Græci deinde, & qui à Thubal & Mosoch genus deriuarunt, & nomen, vt tibi opes, & delicias augerent tanquam institores tui, conflata ex ære vasa; & mancipia ad populi tui splendorem, & domesticos vsus attulerunt.

14. Thogormæi ad nundinas tuas equos, & mulos, & quæ illis insiderent, & condocefacerent, mancipia comportarunt.
E

15. Dedanitę negotiatores tui ex insulis, quæ tibi quęstum afferebant assiduum, & maximum, dentes elephantorum, & ebenum pecunia tecum permutarunt.

16. Syri præterea, quorum negotiatio tuis commodis, atque deliciis seruit, ad varia opera, quæ in tuis distrahuntur nundinis, gemmas conuehunt, purpurã, phrygiam, atque scutulatam vestem; byssum, & sericum, & chodchod, quæ in Tyrio mercatu proposuere venalia.

17. Iudæi quoque, atque Israëlitæ vernaculas

in frumento primo, balsamum, & mel, & oleū, & resinam proposuerunt in nundinis tuis.

18. *Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diuersarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi.*

19. *Dan, & Græcia, & Mosel in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum: stacte, & calamus in negotiatione tua.*

20. *Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum.*

21. *Arabia, & uniuersi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuæ: cum agnis, & arietibus, & hædis venerunt ad te negotiatores tui.*

22. *Venditores Saba, & Reema, ipsi negotiatores tui: cum vniuersis primis aromatibus, & lapide pretioso, & auro, quod proposuerunt in mercatu tuo.*

23. *Haran, & Chene, & Eden, negotiatores tui: Saba, Assur, & Chelmad, venditores tui.*

24. *Ipsi negotiatores tui multifariam inuolucris hyacinthi, & polymitorum, gazarúmque pretiosarum, quæ obuolutæ & astrictæ erant funibus: cedros quoque habebant in negotiationibus tuis.*

25. *Naues maris, principes tui in negotiatione tua: & repleta es, & glorificata nimis in corde maris.*

26. *In aquis multis adduxerunt te remiges tui: ventus auster contriuit te in corde maris.*

27. *Diui*

A naculas merces in tuo emporio, ô Tyre, nundinati sunt; frumentum videlicet nobile, balsamum, mel, oleum, stactem, seu resinam, quorum in Israëlitico solo felix prouentus.

18. Damasceni mercatores, qui in tuis etiam nundinis negotiantur, ad alia innumera opera, ad diuersas opes, quibus Tyrium affluebat emporium, vinum conuexerunt delicatum, ac molle; & lanam eximiis coloribus infectam.

B 19. Dan, Græcia, & Mozel venale proposuerunt apud te in domesticum, aut rusticum vsum fabrefactum ferrum; tum etiam stactem, & calamū in mercatu tuo.

20. Dedanitæ tapetes, stragulaque varia, & puluillos ad mollem, & elegantem sessionem, seu accubitum ad negotiatorium forum adduxerunt.

21. Qui Principes sunt inter Cedarenos, & Arabes re tantùm pecuaria, ac pastoritia abundantes, & nobiles, vt pro sua quoque parte tuo siue quæstui, siue ornamento seruiant, numerosos ad te egerunt
C arietum, agnorum, & hædorum greges.

22. Saba, quæ alio etiam nomine Reema vocatur, ad te etiam venit illis onerata mercibus, quarum apud ipsam copiosus vernaculúsque prouentus. Attulit enim aromata varia, pretiosum lapidem, & aurum, quæ omnia venum exposuit in mercatu tuo.

23. Cum his quoque, quæ negotiarentur, venderéntque merces in emporio tuo, fuerunt ciuitates, atque nationes aliæ, videlicet Haran, Chene, Eden, Saba, Assur,
D & Chelmad.

24. Hæ itaque nationes multis modis elaboratam hyacinthum, & polymitam, ac picturatam vestem, pretiosamque gazam, ac supellectilem inuoluerunt integumentis, incluserunt saccis, ac ligarunt funibus, quo camelorum dorso commodiùs veherentur. Ad hæc præterea cedrinam adhibuere materiam, quam in mercatu tuo pecunia permutarent.

25. Cùm autem in mari plurimæ sint, ac speciosæ naues; tuæ tamen, ô Tyre, quibus ad comportandas, exportandásque
E merces vtebaris, omnium fuere aut pretio, aut specie longè pulcherrimæ. Quare in corde maris, vbi quasi Regina regiam tibi sedem collocaras, & repleta es opibus, & omnigenis ornamentis exculta.

26. In mari, ô nauis Tyria, (redeo enim iam ad allegoriam iam dudum intermissam) remiges tui, de quibus suprà, agitauerunt te remorum pulsu; sed cùm aura secunda, & inflatis velis vehereris, excitatus est repentè Auster, qui è medio cursu

transuer

A transuersam abripuit, & ad scopulos allisam in corde pelagi contriuit.

27. Diuitiæ tuæ, & thesauri tui, & multiplex instrumentum tuum, nautæ tui & gubernatores tui, qui tenebant supellectilem tuam, & populo tuo præerant: viri quoque bellatores tui, qui erant in te, cum vniuersa multitudine tua, quæ est in medio tui: cadent in corde maris in die ruinæ tuæ.

27. Tunc verò eadem tecum tempestate, quæ nauem allisit, & absorbuit, peribunt omnia, quæ te priùs muniebant, & ornabant; peribunt diuitiæ, atque ingẽtes thesauri, quos tibi negotiando quæsieras: instrumentum omne, quod siue ad ornatum, siue ad domestica ministeria parauetas: gubernatores, & nautæ qui multitudini præerant, variámque tractabant, ac publicam supellectilem; custodes quoque B atque præsidiarij, quibus tui custodiam tutò commisisse videbaris, cum reliqua multitudine eodem quo tu casu, atque impetu concident.

28. A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes:

28. Cùm autem clamorem, sonitúmque cadentium, & tam subitæ ruinæ fragorem acceperint classes aliæ, quæ res, rationésque quæstuarias tecũ contraxerunt, ô Tyre, timebũt, turbabuntúrque ne quid simile à subita procella patiantur.

29. Et descendent de nauibus suis omnes qui tenebant remum: nautæ & vniuersi gubernatores maris in terra stabunt:

29. Omnes qui sedebant in transtris, & nauem impellebant remigio, abiicient C remos, & artem illam, vtpote in eo rerum articulo non admodum tutam, & quæstuosam auersabuntur. Quod idem etiam facient alij gubernatores, & nautæ; quoniam tutius existimabunt in terra sedere, quàm cum marinis fluctibus conflictari.

30. Et eiulabunt super te voce magna, & clamabunt amarè: & superiacient puluerem capitibus suis, & cinere conspergentur.

30. Cùm autem è proximo littore spectare potuerint & ciuitatis inane bustum, & Tyriæ nauis triste naufragium, eiulabũt omnes; & lugubri, atque amara lamentatione casum illum insperatum, & miseD rum deplorabunt; & quod in extrema fortuna, aut amicorũ funere fieri mos est, casũ cõsperso puluere, ac cinere fœdabunt.

31. Et radent super te caluitium, & accingentur ciliciis: & plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amarissimo:

31. Et rasis crinibus decaluabũt caput; cilicium assument pro tegumẽto molli, & tuam vicẽ nõ simulato, ac ficto; sed amaro planctu, atque animo dolẽte prosequẽtur.

32. Et assument super te carmen lugubre; & plangent te: Quæ est vt Tyrus, quæ obmutuit in medio maris?

32. Et assumpto super te lugubri, ac ferali cantico lamẽtabuntur, & dicent: Quæ ciuitas vllibi tam splẽdida, sicut olim Tyrus Regina maris? quæ tamen iam obmutuit, & subito perculsa casu prorsus euanuit?

33. Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos: in multitudine diuitiarum tuarum, & populorum tuorum ditasti reges terræ.

E 33. Mercibus tuis, ô Tyre, quæ è tuo portu quocumque Gentium latè exportabantur, innumeros locupletasti populos, & ingenti diuitiarum tuarum multitudine populorum, qui tuo suberant imperio, Principes ornasti.

34. Nunc contrita es à mari, in profundis aquarum opes tuæ, & omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui, ceciderunt.

34. Nunc tamen sic es contrita à maiori potentia, vt in mari cuius Regina videbaris, nusquam appareas. Opes tuas immensas, & multitudinem, quam intra muros, ac terminos tuos amplectebare, maris æstus absorbuit.

35. Vniuersi habitatores insularum obstu-

35. Aliarum insularum habitatores ad

puerunt super te: & reges earum omnes tempestate perculsi mutauerunt vultus.

A subitum casum horruerunt, qui diuitias tuas, & potētiam demersit: & illarum Reges, quorum maior nominis, ac fortunārum alea, eadem tempestate, atque naufragio commoti, mutato ex pauore vultu expalluerunt.

36. *Negotiatores populorum sibilauerunt super te: ad nihilum deducta es, & non eris vsque in perpetuum.*

36. Negotiatores aliarum Gentium, quos tu aliquando fraudibus, calumniisque vexaueras, insultabunt tibi, dicéntque cum sibilo: Ad nihilum iam euanuisti, ô Tyre; neque postea in æternum à ruina resurges.

Vers.2. *Assume super Tyrum lamentum.*]

1. PRÆSTAT hoc loco Propheta quod ad mouēdum πάθος plurimum habere momenti docuere Rhetores: nempe vt maxima significetur rerum cōuersio. Tanto enim grauior est, & ad commiserationem acerbior ruina; quanto maior fuisse cognoscitur, & splendidior status, ex quo cecidit. Quod faciunt sæpe Scriptores sacri. Isaias cap. 14. cùm exprimere vellet Regis Babylonis horribilem casum, priùs illius amplificauit fortunā; idem fecit Ieremias Thren.cap.1. in principio, & Ezechiel cap. 32. cùm Pharaonis prædiceret interitum. Nihil apud profanos in Tragœdiis magis familiare. Vnum accipe exemplum huic nostro maximè affine, cui plurima passim habebis obuia quàm simillima. Seneca in Troade,

Me videat, & te, Troia, non vnquam tulit
Documenta fors maiora, quàm fragili loco
Starent superbi. Columen euersum occidit
Florentis Asiæ, cœlitum egregius labor, &c.

Hoc artificium agnoscit hic, & cōmendat Hieronymus, cùm Tyrus tanquam nauis inducitur ex pretiosa materia, & singulari quodā artificio perfecta, onusta mercibus; quam tamen subitò inuadit, atque obruit oborta tempestas. Iubet itaque Dominus Prophetæ, vt canticum instituat ferale, ac lugubre: impendentémque Tyro calamitatem deploret.

2. *Quæ habitat in introitu maris.*] Hæc prima laus, neque vulgaris ad plurimos vsus opportūnitas videri poterat, quod eo loco sedem sibi Tyrus statuisset, vbi tam ab alto, quàm a continenti, nō spectari solùm, sed etiam adiri non incommodè posset; sic enim marinis cingebatur fluctibus; vt tamē littus penè cōtingeret. Vt enim capite precedēti diximus ex Plinio lib.5.c.19. & ex Hieronymo in c.23. Isaiæ. septingētis passibus Tyrus à continenti distat. Quare quicquid erat pretiosum, ac pulchrum terrestri vectura, atque nauali in commune illud emporium cōportari poterat.

3. *Negotiationi populorum ad insulas multas.*] Explicatio est superioris clausulæ: ex eo namque quòd Tyrus in maris ingressu sita est, efficitur, vt comportandis, exportandísque mercibus, id est, populorum insularúmque negotiationi pateat. Dicitur verò Tyrus negotiatio, quia ibi maximè calent negotiatorum studia: qui loquēdi modus tam profanis, quàm sacris Scriptoribus familiaris est, qui actionem, aut opus in aliquo loco exerceri solitum, pro loco ipso frequenter vsurpāt. Quomodo *cœnatio, deambulatio*, pro locis, vbi cœnatur, seu ambulatur, sumitur; προσευχὴ *proseucha*, seu *oratio*, pro oratorio, *quies*, pro sepul-

REGVLA. *Actio pro loco, vbi ea exercetur.*

B cro; sic negotiatio populorum nominatur Tyrus; quia in ea frequentes negotiantur populi.

4. *Perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita.*] Modus hic dicendi speciē illam, aut statum indicat, cui nihil ad pulcritudinem, nihil ad dignitatem desit. Quomodo Thren.c. 2.v.15. de Ierusalem, cùm tale subiisset excidium, quale postea Tyrus, insultantes viatores dicebant, *Haccine est vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?* Cùm verò se in corde maris consedisse clamabat, significabat, credo, nihil sibi ab insidiis, nihil ab externa vi fore metuendum, cùm satis se à petra, cui insederat, firmitatis habere existimaret. Nisi mauis illū etiam situm in medio maris ad perfectum decorem spectare: quem de se Tyrus vanissimo præconio prædicabat: quasi à crystallino illo liquore, qui coronatum saxum ambiebat, multum Tyro dignitatis accederet. Quod indicant Septuaginta, cùm ita conuertunt, *Tu dixisti, ego circumdedi mihi decorem meum in corde maris termini tui.* Sicut autem *medium* non semper valet, id à quo æquali spatio distant extrema, sed ornatus gratia præpositionibus adiungitur; quibus tamen nihil significationis addit. Sic etiā *Cor*, quod pro *medio* interdum adhibetur, non significat semper quod in medio est, licèt cor mediam obtineat partem animalis, sed aliquando quod intra est: quare *in corde maris* hoc loco nihil est aliud. quā quod *in mari*. Non enim in corde maris esse potest, quæ in extremo littore, id est, in maris introitu habitare dicitur. Sic Hieronymus, qui illud adducit Psal. 45. *Et transferentur montes in cor maris.* & Matth. cap. 12. Christus tribus diebus in corde terræ fuisse traditur, i. in sepulchro; quod à terræ corde quàm longissimè distat. Porrò quàm fuerit Tyrus speciosa, ex eo constat nō obscurè, quod in rerum pulcherrimarum similitudinem, & exemplar assumitur. Oseæ cap. 9. v. 13. de Ephraim, qui sibi raram aliquam speciem arrogabat, *Ephraim, vt vidi, Tyrus erat fundata in pulcritudine*, i. erat sicut Tyrus.

Cor non semper significat quod in medio est.

Tyrus speciosissima.

Finitimi tui, qui te ædificauerunt, impleuerunt decorem tuum.] Ostendit Propheta vndénam tanta rerum copia, tantus, támque perfectus decor aduenerit Tyro: ab illis nempe, qui & olim ad pulcram illam molē, & nunc ad eius instructum, & ornatum quicquid habuere virium, & opum contulere. Planè in ornanda Tyro fabulosum illud cōtigisse videtur, quod de Pandora tradunt Poëtarum figmenta. Vt enim illa, quia à Gentiliū diis dono sumpsisse dicitur, quod erat apud illos maximè illustre, eximiā habuit speciē, & perfectum decorem. Sic Tyrus, quia quod erat in populis, insulisque 5.

C D E

insulisque præcipuum, ab illis siue pretio, siue gratis accepit, eximiam habuit pulcritudinem, ab alienis tamen pennis, vt de cornicula fabulantur mythologi. Quod latè statim explicat Propheta, dum nauem compingit, & instruit ea specie, vt excogitari nihil possit illustrius, sub qua metaphora Tyri diuitias ingentes, & ornamenta mirificè describit.

6. Sed antequam nauis illius metaphoricæ structuram aggredior, explorandum censeo, cur in naui Propheta Tyrias delicias, & commoda proponat: neque enim id temere susceptum existimare fas est. Mihi aliquæ subeunt causæ, alias fortasse aliquis meliores inueniet. Et primùm suspicor illius siue insulæ, siue marinæ ciuitatis symbolum esse nauē, imò & ciuitatis quasi Gentilitium stemma, quod ex omnium penè Gentiū vsu ciuitatem ipsam ita repræsentat, sicut imago ipsius prototypum, & vnum exemplar; aut sigillum ex annulo illius personam; à quo impressum est. Quod ideo mihi persuadeo, quia ciuitates alias illud sibi pro symbolo sumpsisse video, quod apud ipsos præcipuum est; aut quo maximè abundant; aut cuius ipsæ primùm arté, aut modum inuenere. Horum omnium innumera; tibi occurrét exempla: Romæ symbolum septem montes sunt, quia murorum ambitu septē mōtes amplectitur. Rhodi Colossus, id est, imago Solis, quia nihil in ea insula erat magis illustre. Gadibus pro symbolo, ac stemmate Tynnus fuit, quia Tynnorum in eo freto magna piscatio. Siciliæ frumentariæ spicæ, quia illi magna frugibus vbertas. Hispaniæ, vt in Galbæ quodá numismate apparet, symbolū erat iacula, & clypeus; quia illam Romani strenuam, ac bellatricem experti fuerant; & spicarū manipulus, quia ferax est frumenti, & eo nomine commendata. Sic quia Iudæa palmarum habet vberes prouentus, in numis passim palma symbolum illius exenditur. Quid ergo mirum, si cùm abundaret nauibus Tyrus, tā propriis, quàm externis propter portuum, emporiíque commoditates, & imperium sibi maris arrogaret, nauem suum sibi symbolum esse voluerit.

Nauis Tyri stemma.

Ciuitates ex eo insigne sibi assumūt, quod in illa præcipuum, ac vernaculū est.

7. Quòd si, quod primum quisque commentus est, id illi nobilitatis signum, & stemma fuit, (sicut in eadem omnino materia accidit Iano; quē cùm nauigationis, nauisque inuentorem, & artificem existimaret antiquitas, bifronti capiti nauigium adiunxit) opinio quorundam fuit primos omnium Tyrios nauigationis auctores extitisse; quam opinionē, tametsi falsa foret, cùm libenter arriperet gens ambitiosa, vt aliquo monumento confirmaret, credibile est nauem sibi ingenij sui, atque solertiæ testem construxisse. Quòd autem Tyrus nauigationis artem primùm inuenerit, liquet ex eo Tibulli lib. 1. eleg. 7.

Tyrus existimatur omnium prima nauigationem inuenisse.

Vtque maris vastum prospectat turribus æquor
Prima ratem ventis credere docta Tyrus.

Sanè Plinius lib. 7. c. 59. ab Hippo quodam Tyrio inuentam esse dicit onerariam nauem; & alterius nauigij generis auctores dicit fuisse Phœnices, quorum pars est præcipua Tyrus.

8. Sed fortasse ea fuit grauior causa nauis hoc loco describendæ, in qua Tyri exprimeretur aut luxus, aut fortuna; quia, vt in nationibus aliis lautis, ac splendidis vsu euenire solet, quæ cum voluptatibus, quas è mollioribus exercitationibus captant, splendorem quoque, & ambitiosum fastum adiungunt; ipsa sic concursatione nauium prope littus, aut circum petram illam, cui

A insederat, delectabatur, vt in nauibus aliquid ostentaret sumptuosius instructum. Quare ad marinos illos ludos, atque delicias tales adhibebat naues, quales hoc loco ab Ezechiele describi vides: quod sanè non faceret superba, atque opulenta ciuitas; nisi ex aliis populis, qui mercimonij gratia eò confluebant, magnis quotidie lucris augeretur. Et ideo quid ab aliis Gētibus ad compingendam, ornandámque nauem Tyrus acceperit, singulatim commemorat.

Solere autem principes, ac delicatos viros non solùm stabilem domum, vbi diutius viuunt, sed etiam mobiles, &, vt ita dicam, viatorias, qualia sunt tabernacula, seu tentoria, omni mun- 9.
B ditia, atque elegantia excolere, docent & nostro tempore principum exempla sæpius, quàm vellemus, & antiquorum, qui ad insaniam vsque in eo luxu verè muliebri progressi sunt. Iulius Cæsar, vt auctor est in eius vita Suetonius, vsque adeò elegantiæ studiosus fuit, vt tabernaculi pauimentum tessellato opere, & sectili lapide constrauerit. Nero item, vt prodit Plinius lib. 31. cap. 2. viatoria cubicula, id est, tabernacula vnionibus, & lapide pretioso construebat, quod adeò familiare videtur fuisse Romanis, vt prætoria, quæ in mediis castris statuebantur, cóque transferebantur modo, quo à viatoribus, seu pastoribus tabernacula, elegantia, & cultu templis esse
C quàm simillima Iosephus prodiderit lib. 5. de bello cap. 3. Qua de re nos pluribus ad illud Cant. 1. *Sicut pelles Salomonis.*

Viatorum tabernacula superba, & mollia.

Et quidem de nauibus, maximè quæ ad otiosam nauigationem, laxandósque animos comparatæ sunt; aut in quibus aliquid est lætioris animi, aut fortunati successus monumentum; res est magis familiaris, & certa. Ægyptus, quæ è proximo mari, domesticóque flumine varias captabat voluptates, nauibus vtebatur ad speciem illustribus, de qua Maro lib. 4. Georg. 10.

Qui nauibus ad voluptatem, & ludos vtebantur.

Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circumpictis vehitur sua rura Phaselis.

D De naui Isidis, quam certo quodam tempore celebrant Ægyptij, picturatam, atque inauratam esse, ex Apuleio discimus. Nauem Argo, quæ aureum vellus abduxit è Colchide, variis ornamentis fuisse decoratam, tradit Valerius Flaccus. *Auratis*, inquit, *Argo reditura Corymbis.* Seneca lib. 7. de beneficiis triremium meminit, quæ ex cera siue aurata, siue versicolore pingebantur, quibus ad lusus, & animorum laxamenta vtebantur Reges. *Cui triremes*, inquit, *& ceratas non mitterem, lusorias, & cubicularias, & alia ludibria Regum in mari luxuriantium mitterem?*

Sed cùm alia occurrant in hoc genere maximè illustria, nihil video magis simile naui, in 11.
E qua hîc Tyri siue vanitatem, siue potentiam aut describit, aut illudit Propheta; quàm quod de Cleopatra Ægypti Regina in vita Antonij refert Plutarchus. Quæ cùm regios spiritus, & Ægyptiam elegantiam commendare vellet Antonio, nauim, nauticúmque comitatum in hunc instruxit modum. *Erat*, inquit, *aurea puppis, vela autem purpurea pandebantur: remi argentei ad fistula, tibiaque modos agitabantur. Ipsa verò Regina sub tentorio aurato requiescens ad similitudinem Veneris ornata erat. Puellæ insignes Nereidum, & Gratiarum stolis gubernaculis incumbebant, partim rudentibus annitebantur.* Nō longè ab his diuersa tradit Athenæus lib. 5. c. 6. & 7. de nauibus, quas cōstruxere Reges quidam vanissimi Hieron, & Philopatris ad delicias,

licias,& luxum,ostentationémque fortunæ. Eodem,credo, spiritu, quo Rex Tyri, si modò hæc metaphorica non sunt, superbam hanc, & sumptuosam nauem molitus est. Sanè id nostra etiam ætate faciunt apud Sinas,quibus aliquid est potentiæ,& voluptatis captandæ studium,vt referunt ex nostra Societate oculati testes.De quibus Maffæus noster lib.6.cap.8.

12. Hæ mihi videntur fuisse causæ cur in naui Tyriorum potentia, siue fortuna videatur expressa. Neque ad historiam, morésque Tyrios aliquid video afferri posse commodius.Nisi mauis hæc ad impendentem Tyri ruinam accommodare; quæ optimè in eleganti naui, atque pretiosis onerata mercibus adumbratur. Vt enim nauis quantumcumque sit elegans, quantumcumque è firma, solidáque materia compacta; quia marinis iactatur fluctibus,& lunæ, atque ventorum subest imperio, vel absorbetur à gurgite, vel cautibus allisa dissoluitur: sic Tyri potentia nihilo magis stabilis, ac firma, vbi aduersus à Chaldæis ventus afflauerit, iactabitur variè, ac tandem soluta compagine vanescet in nihilum. His vtcumque præmissis ad textum redeamus.

Nauis instabilis gloriæ symbolū.

13. Vers.5. *Abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulatis maris.*] Construi, siue extrui dicuntur illa, quæ ad corpus totum, iuncturas, & neruos operis spectant, ex quibus moles tota compacta consurgit, atque consistit. Reliqua, quæ non tam de corpore sunt, quàm corporis additamenta, & quasi appendices, de molis, seu ædificij constructione non existimantur.Quales sunt in lauta, atque speciosa domo porticus, & xisti,& quæ attexuntur potius domui, quàm cū domo, aut in domo contexuntur. Domum hîc appello, parietes, tectum, & quæ intra illorum complexum ad commodam habitationem, & domesticos,atque interiores vsus necessaria sūt, quæ domum componunt, etiamsi externa alia, & quasi additamenta desint.Sic etiā in naui,quę domus cuiusdam instar obtinet, illa dicuntur ad eius naturam,& nomen pertinere, quæ vas illud ingens,& concauum compingunt,& continent; qualia sunt statumina, seu costæ, & crates illæ, quæ id naui præstāt,quod ossa corpori, & tabulæ,atque asseres,quæ quod spatij vacuum est inter trabes,& costas constipant,& complent. Reliqua extra constructionem nauis videntur esse numeranda, vt remi, malus, transtra, rudentes, quæ non tam ipsa ad nauis fabricam, quàm ad nauis motum, & vsum pertinent, de quibus postea separatim.

14. Tota verò hæc fabrica ex abietibus dicitur constructa de Sanir. Hîc vero duo nobis obseruanda; alterum, quid sit abies; alterum, quis Sanir, vnde excisa fuisse traditur. Vbi vulgatus *abies*, Heb. est ברוש *beros*, quam vocem alij *cedrū*, alij *buxum* exponunt. Sed quòd cedrus non sit, probāt satis illa Scripturæ loca, in quibus ברוש, à cedro non obscurè secernitur. 3.Reg.5.v.8. sic ad Salomonem Hiram, *Ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis, & abiegnis.* Et Isaiæ cap.37. v. 24. *Et succidam excelsa cedrorum eius, & electas abietes illius*, vtroque loco est ברוש. Quàm verò ad nauium structuram, & celeres illarum motus apta sit abiegna materies, docuit Plinius lib. 16. cap. 39. & ex illo hîc Hieronymus; quia nimirum leuis est, & ita se tabularum partes sociant, atque conglutinant, vt in solido potiùs, quàm in adglutinato deficiat.

Abies ad rē naualem apta.

A Sanir pars est montis Libani, de quo Cant. cap. 4. euocatur Sponsa, *Veni de Libano,&c. de vertice Sanir, & Hermon.* Vide quæ eo loco diximus. Est autem mons hic trinominis, vt liquet ex Deut. cap.3. *Tulimus terram trans Iordanem,&c. à torrente Arnon, vsque ad montem Hermon, quem Sidonij Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir.* Quomodo verò Sanir dicatur,diciue possit ab Hermone diuersus,diximus ad cap.Cant.4.de quo suprà. 15.

Sanir trinominis.

Cedrum de Libano tulerunt,vt facerent tibi malum.] Cedrus nobilem præbet, odoratámque materiā quæ non parum facit ad nauis præclaram speciem; sed neque ad mali vsum inepta est, propter proceritatem eximiam, à qua præcipuè cōmendatur. Ex qua,vt tradit Theophrastus Syri, atque Phœnices naues etiam construunt, quia pino carent. 16.

B

Vers.6. *Quercus de Basan dolauerunt in remos tuos.*] Vbi vulgatus *quercus*, Heb. est אלונים *alonim*, quod variè reddunt tam nostri, quàm Hebræi Doctores. Rab. Dauid *pinum* vertit, quem Vatablus, & Pagninus sequuntur, ea, puto, de causa, quia ex pino vident nauigia compingi, quæ sic durat in aqua,vt nunquam putrescat, ex quo fit, vt ex hac quasi familiari materia nauis vocetur pinus. Sic Maro eclog.4. 17.

Pinia materia ad naues optima.

Cedet & ipse mari vector,nec nautica pinus
Mutabit merces.

C Est qui ex literarum similitudine alnos esse putet, quia inter alonim, & alnum omnium penè literarum communitas est; neque ad rem naualem minus existimatur idonea alnus,quàm quæuis alia arbor. Quia cùm hæc in locis nascatur fluuialibus,ac palustribus,non facilè ab humore corrumpitur. Vnde Lucanus,

———*& fluctibus aptior alnus.*

Imò & alnus pro naui nonnunquam ponitur. Claudianus,

Qui dubiis ausus committere fluctibus alnum.

Ex alno naues.

Et Virgilius lib.1.Georg.

Tunc alnus primùm fluuij sensere cauatas.

Sed noster interpres sæpiùs conuertit *quercus*, vt 18.
D Isaiæ cap.2.v.13. Amos 2.v.9.Oseæ 4.v.13.& ita dicendum est. Puto autem in ea Libani parte, vbi est Basan, habere quercus aliquid præcipuū, propter quod tantopere illarum commendetur materia, reique nauali censeatur idonea. Nam experientia ipsa compertum est ex loci natura, cœlorúmque alio,atque alio influxu,idem plantarum,atque animātium genus alias, atque alias habere proprietates; ita vt mutasse naturam,atque à seipsis defecisse,videri potuerint.

Transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico.] Transtra sunt transuersæ quædam trabes, quæ scalmi etiam dicuntur, vbi remiges sedent, quæ Græci ζύγα vocant,& ab illis Latini iuga. Virgil.lib.6.
E Æneid. 19.

Inde alias animas,quæ per iuga longa sedebant,
Proturbat,laxátque foros.

Vbi vulgatus *transtra*, Heb. est קרש *keres*, quod *nauis turrim* vertit Rab. Dauid. Septuaginta ἱερὰ, id est,templa, seu sacraria; fortasse vbi tutelares Dij, quorum fidei credita fuerunt nauis, vectorúmque custodia, locabantur. Nam Diis quondam certis commissam esse nauium tutelā, quorūm in loco illustri ferebantur imagines, non solùm profani docent, sed etiam sacri tradunt scriptores. Persius, 20.

Dij tutelares à nauigantibus gestati.

Ingentes de puppe Dei.

Ouid.lib.1.de Tristibus eleg.3.

Monte nec inferior proræ, puppique recuruæ

Insilit,

Inſilit, & pictos verberat vnda Deos.
Virgil.lib. 10.
—& aurato fulgebat Apolline puppis.
De ſacris eſt illud Actor.cap.28. *Nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in inſula hyemauerat, cui erat inſigne Caſtorum.* Et quidem Phœnices, quorum pars præcipua, ac nobiliſſima Tyrus eſt, Deos habuiſſe, quos naui cuſtodiendæ præficerent, & inhoneſto illius ſacrario circumferrent, teſtis eſt Heſichius in voce πάταικοι; ſic enim ſuos illos Deos peculiari ipſis appellatione nuncupabant. Hæc ſacraria, ſeu templa ex ebore Indico fuiſſe fabrefacta non eſt improbabile. Verumtamen nos cum vulgato tranſtra legemus; quæ fuiſſe ex eburnea materia, neque improbabile eſt, neque difficile: cùm ſolium eburneum, & eburneam domum in Scriptura ſacra conſtructam audiamus. Vt autem tranſtra, ſeu remigum ſedilia eburnea dicantur, ſatis eſt, ſi tigna tranſuerſa, quæ propriè dicuntur tranſtra, eburneis laminis, ſeu tabellis, in quas ebur ſecari tradit Plinius
21. lib.8.cap.3. operiantur. Porrò in Hebraico textu nulla pars eſt, cui vox Latina *Indicum* reſpondeat, ſed tantū שן *ſen*, quod *dentem* ſonat. Sed cùm αὐτονομαστικῶς *dens*, pro elephantino dente, quod propriè dicitur ebur, vſurpetur; noſter interpres charitatis gratia *Indicum* addidit; quia ex ea regione dentes elephantini in alias mundi plagas exportantur. Sanè inde aduecti exiſtimantur ad Salomonem 3. Reg. cap. 10. *Claſſis Regis per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum.* Indicum autem epitheton eſſe eboris nemo eſt, qui neſciat. Martialis lib.2. epig.43.

Dēs per antonomaſiam pro Elephãtino ſumitur.

Tu Libycos Indis ſuſpendis dentibus orbes.
Virgil.lib.12.
Indum ſanguineo veluti violauerit oſtro
Si quis ebur.

22. *Et prætoriola de inſulis Italiæ.*] Prætorium domus ampla eſt, quam illi habitant, qui ciuitati præſunt; quam quia ſplendidam eſſe oportet, & lautam, prætorium pro qualibet vſurpatur domo, quæ paulo eſt illuſtrior, & ornatior. Quia verò in allegoria de naui, cellæ, & ſeceſſus laxi eſſe non poſſunt, quia ſpatium totum nauis anguſtum eſt, ideo diminutiua forma prætoriola dixit, non prætoria: ipſum tamen nomē in qualicumque forma, magnificum aliquid, atque ſuperbum ſonat. Hæc autem prætoriola erant de inſulis Italiæ; de nobiliſſima videlicet materia; quæ tamen illa ſit, nondum mihi compertum. Pro *Italia*, Heb. eſt כתים *kitiim*; quod Hieronymo teſte, occidentales ſignificat inſulas, quæ ad Italiam ſpectāt à Cypro videlicet, ad fretum vſque Gaditanum, cùm Tharſis aliæ dicantur inſulæ, quæ a Cypro, aut ab illis inſulis, quæ Cyprum propiùs attingunt, extremáſque mediterranei maris oras occupant, vt pluribus oſtendimus in noſtris commentariis in Iſaiam ad illud cap.2. *Et ſuper omnes naues Tharſis*, quæ hîc rurſus euoluere neceſſe non eſt.

23. Hæc mihi difficilia non ſunt, & ad vulgatæ tranſlationis ſententiam expedita. Sed Septuaginta tranſlatio, quæ paulo aliter habet, cogit nos hîc pluſculum operæ; atque ſtudij ponere. Vbi vulgatus *prætoriola*, Septuaginta legunt domos ſylueſtres, ſeu nemoroſas; cur ita verterint, non laboro. Sanè legiſſe aliter, quàm nos habemus in Hebraico textu, mihi veriſimile eſt. Appellant autem Septuaginta domos ſylueſtres, vt nonnulli putant; quia ex materia ſylueſtri prætoriola conſtructa ſunt: neque id ego improbo, ſed addam ego cogitationem aliam, nouam fateor, ſed quæ non abhorreat a potentiorum hominum inſania; aut ab ambitioſa Tyriorum luxu, in quo aliis nolebant inferiores videri.

Licet *prætoria*, vt diximus, vrbanam ſignificent 24.
domum, lautam, & ſplendidam, vbi prætores viuunt; interdum tamen, idque non infrequenter, ruſticam ſonant, & ſuburbanam domum, in quam laxandi animi gratia homines ſecedunt. Habes ea de re exempla non pauca. Papinius in Tiburtino Manlij Vopiſci 1.ſilu.

Prætorium, ſuburbana domus.

——nec te mitiſſimus amnis
Diuidit, alternas ſeruant prætoria ripas.
Martialis lib.10.epig.77.
Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum,
Ad quartum breue rus emit Otacilius.
Suetonius in Auguſto cap. 72. *Ampla, & operoſa prætoria grauabatur, &c. Sua verò quamuis modica non tam ſtatuarum, tabularúmque pictarum ornatu, quàm xyſtis, & nemoribus excoluit.* Idem de Caligula, in eius vita cap.37. *In extructionibus prætoriorum, atque villarum, omni ratione poſthabita, nihil tam efficere concupiſcebat, quàm quod poſſe effici negaretur.* Quando conſtat prætoria vocari ſuburbana diuerticula, & aptas ad ruſticandum, ſiue, vt Septuaginta vertunt, ſylueſtres, aut nemoroſas domos; supereſt vt exploremus, an in nauigiis prætoriola, eo ſenſu, aut ſylueſtres inueniantur domus.

Ea erat ſuperborum principum inſania, vt in 25.
eo potētiam ſuam, atque ſolertiam ſpectari vellent; ſi aliquid non ſolùm contra aliorum conſuetudinem, ſed etiam ipſa repugnante natura molirentur. Id nuper dixerat Tranquillus de Caligula, qui nihil tam efficere cupiebat, quàm quod fieri poſſe non videbatur. Quare iactis molibus montium iuga excitauit in mari, & quicquid in ſolido, ac continenti ſolo captari commoditatis, ac voluptatis potuit, id ſibi ex mari captandum eſſe duxit. Is ergo nauem eo opere, ac laxitate conſtruxit, vt ibi frutices viſerentur, & arbores; ita vt cellæ, ac nautici ſeceſſus potiùs prætoria viderentur, aut ſylueſtres domus ad ruſticandum, quàm cubicula ad declinandos maris æſtus & nauigationis incommoda. *Fabricauit*, inquit Suetonius, *de cedris liburnicas, gemmatis puppibus, verſicoloribus velis, magna thermarum, ac porticuum, & tricliniorum laxitate, magnáque etiam vitium, & pomiferarum arborum varietate, quibus diſcumbens de die inter choros, ac ſymphonias littora Campaniæ peragraret.* Similia de Hieronis quadam naue refert Athenæus lib. 5. cap. 8. *In ſupremo*, inquit, *ingreſſu nauis erat exercitationis locus, deambulatoriáque, in quibus multiplices erant horti miram in modum plantationibus fictilibus, & plumbeis vaſis locum complectentes. Aderant & ſcena ex alba hedera, & vineis, quarum radices in doliis terra repletis nutrimentum capiebant, eandémque irrigationem, quam etiam horti conſequebantur.* Hoc idem nunc 26.
etiā apud Sinas faciunt viri Principes, de quibus Maffæus lib.6. hiſt. Indic. *Aliæ conſpiciuntur naues maximè peragrandis animi cauſa littoribus, auro, & argēto cælata puppi, cubiculis, reticulatis feneſtris, porticibus penſilibus hortis penè in maris contumeliam exornatæ.* In hunc arbitror modum naues quoque voluptuarias, ac nugatorias cōſtruxiſſe Tyrios, qui neque minus erant otio, atque voluptati dediti, neque deerat illis ad excogitandum ſolertia, & ad perficiendum facultas, neque minor erat à vicino mari ad futiles illas delicias opportunitas. Quare prætoriola nō abs re LXX. ſylueſtres appella-

In nauibus horti plantati, & ſyluæ.

Caligulæ, ac Hieronis naues arboribus conſpicuæ.

Sinarum in nauibus elegantia, & luxus.

runt domos, quia in mari non aliter quàm in syluis,ac ruri deliciabantur. Hæc iuxta L X X. translationem.

27. Vers.7. *Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum,vt poneretur in malo.*] Quid sit Byssus, diximus suprà ad illud cap. 16. *Et cinxi te bysso.* vbi etiam ostendimus quid esset byssus, quæ hic dicitur *varia*, illic autem *versicolor*. vtrobique est רקמה *riemah*, quod Hispanus ex Hebraico *Recamados* appellat. Byssus autem Ægyptia maximo apud omnes habebatur in pretio; quia & linum nobile, & textus tenuissimus. De qua est illud Isaiæ cap. 19. v.7. *Confundantur, qui operabantur linum,plectentes, & texentes subtilia.* De Ægyptio lino,siue de Ægyptia bysso, vide Plinium lib.19. cap. 1. cuius eam dicit esse tenuitatem, vt suo etiam tempore in Rhodiorum insula videatur Amasis Regis Ægypti thorax, cuius singula fila ex 365. filis torquebantur. Ex eo itaque lino, quod ad miraculum vsque Ægyptij plectebant, texebántque subtiliter, contexta sunt vela, quæ in malo expandebantur. Quod etiam fecere naues aliæ lautæ,atque superbæ,de quibus antea.

Linum apud Ægyptios tenuissimum.

28. *Hyacinthus, & purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum.*] Hæc duo in idolorum ornamento,& cultu coniunxit Ieremias cap.10.*Hyacinthus, & purpura indumentum eorum.* In vtroque hîc intelligo colorem, quo lana, siue linum imbuitur. Operimentum verò non tam vela fuisse arbitror, quibus à vento inflatis nauigium impellitur; quàm quod supra delicatorum hominum caput obtenditur, ne quid ab æstu, siue ab alia temporum iniuria patiantur. Quomodo in theatris expanduntur vela; aut viatores sibi vmbellam opponunt à Sole. Nisi dicamus illitas esse Tyrias illas naues colore purpureo, atq; hyacinthino; vt quomodo à bitumine,& pice nigra dicitur, & ferruginea nauis: sic etiam a purpura,& hyacintho purpurea dicatur, & hyacinthina. Sanè naues olim variis pingi, atque illuminari coloribus,& rubrica maximè,docent Herodotus,& Plinius. ille in Thalia,hic lib.35. cap.6. Troianis autem temporibus rubricam in honore fuisse,Homerus testatur,qui naues ea cómendat, vocátque μιλτοπαρήους. Et quidem Virgilius sæpè Troianorum naues pictas appellat. Hoc modo dici possent operta hyacintho,& purpura nauigia. Sed quia de velo actum erat proximè, quo malus instruitur, credo hîc potiùs aut de minoribus aliis velis esse sermonem,quæ nauem impellunt; aut de alio ad vsus alios expanso, quod vectoribus pro tentorio est, quódque Solis æstum aut moderatur,aut arcet.

Naues variis coloribus pictæ.

29. *De insulis Elisa.*] Iauan Gen.10. filios habuit, quos in Gentium insulas dimisit; qui cùm insulas inter se diuiderent, vt in simili casu vsu plerumque venit,insulis à se primùm apertis,& habitatis nomen indiderunt. Hi verò fuerunt Elisa,Tharsis,Cethim,Dodanim. Quas insulas incoluerint Cethim,& Tharsis, diximus paulo antè; de Elisa,& Dodanim res est magis obscura, neque in Scriptura vestigium est vllū, per quod illius situm, aut etiam plagam indagemus. Elisam quidam Italiam esse putant, & quidem ita vertit Chaldæus, cui Rab. Dauid, Vatablus, & Maldonatus subscribunt. Alij insulas Græciæ, maximè quæ ad Ionium pertinent mare,ita Hieronymus, & cum eo ex Græcis Theodoretus, & Polychronius. Iosephus lib.1.Antiq.cap.11.Æoliam Elisam esse putat. Sanè nihil est certum,& multo minus id, quod nonnulli ex vocum simi-

Elisa qua regio.

A litudine colligunt, vt refert, neque improbat Pereira in illud Genes. 10. quod proximè citauimus,Elisam esse fortunatas insulas,quæ sunt extra fretum Gaditanum; quas Elisias ideo nominatas autumant, vnde factus est fabulæ locus; quæ ibi statuit campos Elisios, vbi beatorum sedes,atque deliciæ esse fingit. Sanè vtcumque sit ex insulis Elisa hyacinthus aduehebatur, & purpura siue ad tegumenta, siue ad ornamenta Tyriæ nauis.

Vers.8. *Habitatores Sidonis, & Aradij fuerunt remiges tui.*] Postquam actum est de compositione,fabrica, atque instructu nauis; iam ad eos, quorum consilio,atque arbitratu,& quorum viribus,atque industria regitur,descendit. Hi verò varia solent in gubernatione multiplici obire ministeria. Alij quasi nauarchi sunt, & duces, quorum imperio maritimus cursus,& tota nauigatio paret; alij qui eò incumbunt vt ad prætoris voluntatem, & imperium res administretur nautica,quales sunt magister, qui ad clauum sedet, aut qui ad astrorum aspectum cursus moderatur maritimos; alij qui lacertis, & viribus nauem impellunt remigando; aut qui alia in naui ministeria obeunt, qui scandant malum, sentinā exhauriant, qui explicent, aut contrahant vela; denique aliorum studio, ac voluntati seruiant. De his igitur omnibus singulatim agit. Et primùm de remigibus,quos esse de sua gente noluit superbissima Tyrus: quare illos Sidonios,& Aradios esse voluit. Est autem Sidon proxima ciuitas,non tam marina,sicut Tyrus,quàm maritima,quæ robustos magis,remísque agitandis alebat viros, quàm Tyrus, quæ domestico luxu filiorum suorum fregerat vires. Aradij ab Arado insula vocati sunt,de qua insula sic Plinius lib.5. c. 31. *In Phœnicio, inquit, mari est ante Ioppen Paria, & iam dicta Arados, inter quam, & continentem quinquaginta cubita alto mari è fonte dulcis aqua tubo coriis facto vsque à vado trahitur.* Et cap. 20. lib.5. Aradum ad oram Libani montis pertinere dicit. 30.

Sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui.] Ex Tyro sumpti sunt nauis illius principes, & præfecti; neque enim aliis principem illum locum tribuere voluit Tyrus; neque suos vilioribus addicere ministeriis. Quòd si gubernatores esse dicas, non qui imperio, atque auctoritate gubernant, sed artis nauigandi peritos; qui ignobili turbæ edicunt, quid facto opus sit, non me ad eam sententiam difficilem habebis. Præsertim, cùm illi dicantur *sapientes*, quod nomen non tam in potestatem, & imperium, quàm in artem, atque solertiam conuenit; sed nonnihil obstat,quod de senibus Gibliis statim adiungitur, quibus si rei nauticæ administrationem ademeris,res erit prorsus expedita. 31.

Senes Giblij, & prudentes eius habuerunt nautas ad ministerium varia supellectilis.] Quidam pro *Gibliis*, *Biblios* legunt; in his sunt Septuaginta,Theodoretus, Eucherius, sed noster interpres Giblios reddidit magis ad textum Hebraicum, quem nunc habemus,in quo est זקני גבל *ziene gebal*. Hi verò sunt,de quibus Psal.82. v.8. *Gebal, & Ammon,& Amalec,cum habitantibus Tyrum.* Porrò hos fuisse viros industrios, & in rebus conficiendis strenuos,docet illud 3.Reg.c.5.v.18. *Porrò Giblij præparauerunt ligna, & lapidem ad ædificium domus.* Quo loco Rab.Dauid putat Giblios nomen esse commune, significaréque artifices, qui lapides, ac ligna, quæ secant, & expoliunt, & in certam aliquam 32.

aliquam figuram efformant, à voce גבול *gebul*, quæ terminum significat: qualem videlicet marmor, & lignum sumunt ab artifice. Hebraicus textus ad verbum habet, *Erant reficientes diruitum tuum, siue complentes, aut obturantes rimas, & scissuras tuas.* Sic enim ferè recentiores conuertunt, neque aliter habet Hispanica trãslatio. Septuaginta paulo aliter, *corroborarunt consiliũ tuum*; id est, quicquid tu, ô Tyre, aut designabas animo, aut edicebas imperio, ipsi operi suo, ac ministerio præstabant.

33. Sed si optimè textum, & horum posteriorum cogitata perpendas, & cum vulgata translatione componas, inuenies, quocumque accipias modo, non adeò multũ esse discriminis. Vulgatus enim dicit à Gibliis nauem illam accepisse nautas ad ministeria variæ supellectilis, & Hieronymus tã in versione, quàm in commentariis expressit, vbi sic legit, *Senes Giblij, & prudentes eius præbuerunt nautas.* Nec alius est sẽsus si, vt cõmuniter est in textu, legas, *habuerunt nautas.* Hi verò nautæ, quia operam supellectili nauticæ nauãt multiplicem, scissuras etiam infertiunt, & obturant, fatiscentémque nauem glutino consolidant, & ad nouas rursus iactationes, & æstus renouant, & instaurant. Quod opus nautarum vulgò apud Hispanos dicitur *calafetear.* Sumpsit autem vulgatus genus pro forma per synecdochem; id est, communem operam, studiúmque nautici ministerij, pro speciali illo, quod textus cõtinet Hebraicus, & alij plures expresserunt interpretes. Vt autem supellex illa dicitur, quæ instrumentis constat ad domesticos vsus, atque functiones necessariis; qualia sunt culinaria, vestiaria, rustica: sic etiam varia est, & multiplex nautica supellex, sine quibus nullum esset nautici laboris, aut operæ pretium; qualia sunt anchoræ, rudentes, remi, clauus, ferratæque sudes, & acuta cuspide conti, quibus tractandis magna est eaque varia nautarum multitudo.

34. *Omnes naues maris, & nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ.*] Hinc iam Propheta omissa metaphora, opes ciuitatis, præsidium, & potentiam amplificat, & primùm docet non fuisse opus, vt Tyrus classem adornaret, vt vel suas merces aliò traduceret, vel alienas accerseret; cùm omnes vndique naues eò confluerent, oneratæ exoticis mercimoniis, quæ cum domesticis, atque vernaculis commutarent. Ex his fit mihi verisimile nauem, quæ suprà multis descripta est, non tam ad nauigationem, & merces, quam ad voluptates captandas esse comparatam: in quã non laboriosæ, & fortis, sed delicatæ, ac mollis ciuitatis natura describitur.

35. Vers. 10. *Persæ, & Lydij, & Libyes erant in exercitu tuo.*] Non tantùm ad domestica ministeria seruilem nauabant operam externi populi, de quibus hactenus, sed etiam militarem ad vrbis ornamentum, atque præsidium; ex quo se fortunatam putabat propter opes, & tutam propter naturale munimentum, & externam opem.

36. *Clypeum, & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo.*] Solebant olim, quod etiam hodie obseruari audio, arcium præfecti, ac præsidiarij milites ad inferendum hostibus terrorem, seu vt ostenderent non esse vrbem à propugnatoribus vacuam, pharetras, & clypeos, & arma reliqua, ab arcis, seu murorum externa facie suspendere; vt docet hîc Hieronymus, Lyra, & interlinearis glossa. Quod etiam obseruarunt antiqui in nauibus ad militiam potius, quàm ad negotiationem instructis, in quarum puppibus ad exterio-

Arma ad hostium terrorem in externa murorum facie suspendi solita.

A rem faciem sic suspendebant arma, vt ab hoste procul videri posset. Ita Seruius ad illud Virgil. lib. 1.

Æneas scopulum interea conscendit, & omnem
Prospectum latè pelago petit, Anthea si quã
Iactatum vento videat, Phrygiásque biremes,
Aut Capim, aut celsis in nauibus arma Caici.

Neque sanè si intra puppim suspensa forent arma, è scopulo videri possent ab Ænea, & idem indicat illud lib. 1. quod in eandem sententiam adducit Seruius,

Pacem orare manu, prætendere puppibus arma.

In hanc ego sententiam explicui illud Cant. 4. 37.
Collum tuum sicut turris Dauid, &c. mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium. Vbi diximus
B externam turris Dauidicæ faciem instructam esse mille clypeis: alioqui non aptè exprimeret sponsæ collum monilibus ornatum. Et quidem ita videntur sentire Septuaginta, qui vertunt, *Mille clypei pendent super eam.* Sicut etiam statim, vbi vulgatus, *suspenderunt in muris tuis,* ipsi legũt, *super propugnacula.* Illud namque *super,* habitudinem importat ad externam faciem: nam quod est super, extra est, non intrà.

Vers. 11. *Sed Pygmæi, qui erant in turribus tuis.*] 38.
Multa hîc interpretes de Pygmæis, quæ licèt vera fuerint, quod non puto, non tamen quæ de illis tradunt siue fabulæ, siue historiæ in hunc
C Ezechielis locum aptè conueniunt. Quid præsidij haberet Tyrus ab illo homunculorum cubitali genere, quod nõ tam terrori essent hostibus, quàm ludibrio? Quomodo sustinerent, aut frangerent hostilem impetum, qui vix traduntur ausi cum gruibus inire certamem? Vbi vulgatus *Pygmæi*, Heb est. גמדים *gamodimi*, quod nomen quasi proprium, reliquit Theodotio, Symmachus trãstulit *Medos*, Chaldęus *Cappadoces*, Septuaginta *custodes*, Aquila *Pygmæos*; quẽ deinde cum Hieronymo secuti sunt alij, sed ij, vt Hieronymus docet, bellatores sunt. Neque nomen huic arti, aut instituto incommodat; πυγμὴ enim, vnde Pygmæorum nomen deductum est, cestum signifi-
D cat, aut pugillatum; id est, pugnam, quæ consertis manibus, aut lacertis committitur, quare commodè Pygmæum appellare quis posset pugilem, aut athletam, quales Entellus, & Dares à Marone fingũtur. Quod si גמד *gomed*, cubitum significat, non ideo efficitur Pygmæus, esse cubitali magnitudine: nam illa pars brachij, quæ cubitus dicitur, non solùm magnitudinem metitur, sed etiam antagonistam amplectitur, atque implicat; quod pugilis, siue athletæ proprium est.

Pygmæi qui.

Ipsi compleuerunt pulcritudinem tuam.] Pulcrę vi- 39.
debantur turres clypeis, pharetrísque in exteriori facie dependentibus, pulcri itẽ muri, quos custo-
E dũ, ac vigilum arma secundùm eandem faciẽ decorabãt. Quare optimè cum illis torquatũ sponsæ collum comparatur Cant. 4. Illam tamen murorum pulcritudinẽ compleuerunt Pygmæi, dum suæ militiæ instrumenta, quæcumque illa sunt, ad murorum propugnacula suspendunt, namque hi dum circulum absoluunt splendentibus vndecunque mœnibus, absoluunt etiam, ac complent murorum, atque adeò ciuitatis pulcritudinem. Quidam illud *compleuerunt*, ad nationes omnes referunt, quas fuisse ciuitati præsidio nuper audiuimus, ad Persas nempe, Lydios, Aradios, &c. Sed modus ipse loquendi, & verborum ordo satis indicant adscribenda hæc esse Pygmæis.

40. *Carthaginenses negotiatores tui.*] Carthago Tyri colonia fuit, vt docet Plinius lib. 5.c. 19.& Virgil.lib.1.Æneid.

Vrbs antiqua fuit Tyrij,tenuere coloni
Carthago.

Vbi vulgatus *Carthago*, Heb. est תרשיש *Tharsis*, de qua pluribus ad illud Isaiæ cap.2.*Et super omnes naues Tharsis.* Enumerat verò hinc iam nationes varias, vnde ad Tyrias nundinas conuehebantur merces; quarum cuilibet id genus attribuit mercimonij, quod cuique vernaculum est: aut certè cuius copia, atque nobilitate præstat. Carthaginenses autem mercatores sua nauigia variis onerabant metallis, puta, argento, ferro, stanno, plumbo; aut quia apud ipsos metallorum eiusmodi prouentus est; aut, quod potiùs reor, quia ex Hispania, quæ his omnibus metallis abundabat, neque longè aberat à Carthagine, exportabant merces illas, quas in Tyriorum emporio distraherent. Quòd si Tharsis mare significet, vt maximè putabamus probabile; aut eas mediterranei insulas, quæ à Cypro extremos maris occupant sinus, quod mihi penè certum est: non est cur de loco, vnde hęc effodiuntur metalla, laboremus. Nam satis constat ex insulis maris, aut ex locis maritimis, quæ multa sunt, hæc omnia metallorum genera posse ad illud commune totius orbis emporium exportari. Cùm tamen has insulas, ac portus sua negotiatoria classe Carthaginēses obire sint soliti, Carthaginísque hîc nomen audiamus, dicamus illos ex variis locis conquisita metalla ad Tyrias aduexisse nundinas.

41. Vers.13. *Græcia, Thubal, & Mosoch ipsi institores tui, mancipia, & vasa ærea adduxerunt.*] Pro *Græcia* Heb. est יון *iauan*, qui Gen.10. inter filios Iapheth quarto numeratur loco, quinto verò Thubal, & sexto Mosoch, qui prouinciis, quas primùm incoluerunt, ex suo nomine nomen indiderunt. A Iauan Heb. יון, vocata est Ionia eisdem omnino literis, ab ea verò prouincia, quia pars Græciæ nobilissima est, Græcia tota sibi nomen accepit. Quam verò regionem occupauerit Thubal, non est ita exploratum, vt aliquid certum definiri possit.

42. *Thubal Hispania primus habitator.* Communis est, & constans scriptorum sententia, qui de Hispanicarum rerum principiis tractauere, Thubal diuisis ab initio prouinciis, in eam regionem concessisse, quam nunc habitamus Hispani. Cui cogitationi fidem facit antiqua consensio; quæ sanè, nisi magna vis rationum premat, conuelli, aut debilitari non debet. Sunt ex antiquis nonnulli, qui ad Iberos affirmát abiisse Thubal; sed cùm Iberi duo sint Occidentales, seu Europæi, quales Hispani sunt, & Orientales, siue Asiatici, dubium est ad vtros horum Thubal iste deflexerit. *Iberia duplex.* Hieronymus hoc loco dubius est. *Thubal,* inquit, *Iberi Orientales, vel de Occidentis partibus Hispani, qui ab Ibero flumine nuncupantur.* Eucherius clariùs de Hispanis accipit, valde obscurè de Iberis loquuntur, neque de quibus hunc locum intelligant quicquam definiunt; neque ego hîc aliquid lectori tanquam certum propono, licèt antiquitas, & Hispanorum conspirans sententia eò me adducant, vt Hispanorum parentem putem esse Thubal.

43. *Mosoch quis.* *Mosoch.*] De hoc nihil habemus magis exploratum, quàm de Thubal, neque quicquam habemus præter cōiecturas, easque maximè incertas, & obscuras. Quidam ex literarum similitudine Moschos esse coniectant, seu Moscobitas. Iosephus lib. 1. Antiq. c. 11. Cappadoces esse putat.

A *Meschini,* inquit, *à Mescho auctore appellantur: Cappadocum enim appellatio noua est, veteris autem vestigium adhuc superest. Vrbs enim est apud eos hodie Mazaca, satis indicans intelligere volenti hoc priscum fuisse Genti nomē.* Cum Iosepho sentit hîc Hieronymus. *Mosoch,* inquit, *quos Cappadoces intelligimus; quorum metropolis, quæ postea ab Augusto Cæsare Cæsarea appellata est, ad hæc vsque tempora lingua ipsorum Mazaca dicitur.* In re vsque adeò implexa, non puto recedendum à Iosephi, Hieronymíque sententia, cùm neque alia sese nobis offerat probabilior, neque aliquid occurrat, quod huic vehementer, aut etiam leuiter incommodet.

B *Mancipia, & vasa ærea adduxerunt populo tuo.*] 44.
Si hi negociatores sunt, qui maria classibus obeunt, mercésque varias hinc inde transportant, non admodum nobis laborandum, an ex Thubal, Mosoch, & Græcia aduehantur mancipia, aut ærea vasa, cùm horum ad portus vis magna venalis esse soleat. Maximè cùm victi, quæcunque ex Gente sint, seruitute soleant vitam redimere, quam belli iure eripere posset victor aduersarius. *Vita seruitute redempta.* Quare licèt nationes quædam sint ingenio abiecto, & natura planè seruili, ex quibus in Græcorum, Latinorúmque tragœdiis seruile, aut ancillare nomen sumptum est (vnde serui dicuntur Lydij, Cares, Syri, Phryges, sicut apud nos hoc C tempore vocantur Æthiopes) tamen quibus vita data est, cùm belli iure, siue consuetudine ab insolente victore adimi potuisset; nulla erat natio tam ingenua, ac clara, quæ non ab hoste domita, ac subiugata seruierit. De reliquis sileo; 45.
de quibus satis externi scriptores, de Hebræis dicam, qui maximè se omnium liberos prædicabant; quíque ausi sunt dicere (quàm verè ipsi viderint) Ioannis 8.v.33.*Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam.* Hi etenim seruierunt, & ante hoc tempus, vt constat de ancilla Hebræa, quam secum habebat vxor Naaman 4. Regum cap. 5. & post hæc tempora 2.Machab. c.8. v. 11. *Ex Hebræorum gente empta mancipia.* Nam iuxta illorum consuetudinem, qui superiores sunt in acie, Antiochus qui spe iam victo- D riam de Iudæorum gente deuorarat. *Ad maritimas ciuitates misit* (hæ verò non longè aberant à Tyro) *conuocans ad coemptionem Iudaicorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distractūrum.* Aduenisse autem mercatores ad Hebræa mancipia coëmenda, constat ex eodem capite vers. 25. *Pecuniis verò eorum, qui ad emptionem ipsorum venerant, sublatis, ipsos vsquequaque persecuti sunt.*

Hæc verò mancipiorum nundinatio, sic erat 46.
frequens, vt illorum certa proponeretur forma: *Serui venales signo notati.* nam serui bello capti coronati veniebant, vt auctor est Gellius lib.7. cap. 4. transmarini autem gypsatis pedibus, vt tradit Plinius lib.35.cap.17. Ad quam consuetudinem respexerunt nonnun- E quam pacta. Tibull.lib.2.eleg.3.

Nota loquor Regnum ipse tenet, quem sæpe coēgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Et Iuuenal.Sat.1.

Vincant diuitiæ, sacro nec cedat honori
Nuper in hanc vrbem pedibus, qui venerat albis.

Hinc, vt credo, fit vt ex mancipiorum fortuna, siue nomine, non grauis sumatur coniectura; vt inde colligamus, quænam sint nationes illæ, in quibus seruilia nascuntur ingenia, cùm vndecumque aduehi soleant, seu bello capta mancipia; seu iniuria traducta, aut fraude decepta.

De æreis vasis idem etiam dicendum est: nam 47.
licèt apud Græcos vasa sint Corinthia, de quibus fortasse hoc loco sermo est, & in Hispania,

vt

vt non solùm profanæ, sed etiam sacræ testantur historiæ (quam dicebamus significare Thubal) varia effodiantur metalla, tamen quia Græcia, Thubal, & Mosoch, ea omnia nauali commeatu aliunde comportare poterant, non admodum ex mercium natura graue ducitur argumentum, vt quæ sint regiones eiusmodi coniectemus.

48. Vers. 14. *De domo Thegorma equos, & equites, & mulos adduxerunt.*] Hic etiam nobis diuinandum est. Thogorma filius dicitur Gomer, filij Iapheth. Gen. 10. Iosephus putat Thogormæos esse Phryges, quem cum Hieronymo, ac Theodoreto sequuntur frequentes alij. Iudæi Turcas, ea coniectura persuasi, quia Turcarum imperator ipsorum lingua nominatur Thogar, & regio, quæ à nobis dicitur *Turkia*, ab Hebræis dicitur Thogarma. Alij Germanos esse credunt, alij Cappadoces. Quid in ea opinionum varietate sequar nihil certi habeo, placet quod Iosepho, atque Hieronymo placuit. Illud vnum certum ex Ezechiele cap. 38. non procul abesse a regione Gog. Nam inter varios populos, quos sibi ad debellandos Iudæos euocauit, & armauit Gog, fuerunt Thogormæi, sed quia neque certum est quis fuerit Gog, & Magog; sic etiam neque hinc coniectare possumus, qui fuerint isti Thogormæi. Illud certum negotiatores illos, de quibus proximè, illinc equos, equites, & mulos aduexisse. Vnde nonnulla nobis coniectura est, vt credamus Phryges esse, qui hoc loco dicuntur Thogormæi: nam & hi populi sunt maritimi, vnde ad portum facile deduci possunt venales equi, & quia regio illa ab equis est copiosa, vt docet hîc Hieronymus. Et facit hîc, quod ex Plinij sententia lib. 7. cap. 56. Phryges primi omnium quatuor rotarum inuenere vehicula, & bigas coniunxere, ex quo nonnulla coniectura est equorum, mulorúmque regionem illam esse fœcundam.

Thogorma quæ regio.

49. Vbi vulgatus *equites*, Heb. est פרשים *perasim*; ab agitandis, pungendísque equis appellati; sed quia hi venales erant, sicut etiam equi, verisimile est fuisse mancipia, quæ equos ad cursum, seu incessum mollem, aut etiam ad tubæ clangorem, & bellicum strepitum condocefaciunt. Vt enim elephantum Indicum Indi moderantur; neque plerumque elephantes sine Indico gubernatore sunt: sic etiam cum equis veneunt quoque mancipia domandis, versandísque equis assuefacta; quæ ibi plurimum reperiuntur, vbi equorum maior est copia, & magis generosa soboles. Quare si equi Phryges, Phryges quoque venales erunt equisones.

50. Vers. 15. *Filij Dedan negotiatores tui.*] Septuaginta pro Dedan Rhodios transtulerunt, quos è Græcis sequuntur Theodoretus, Polychronius, & alij, quod etiam fecere in voce *Dodanim*, Gen. 10. & 1. Paralip. c. 1. Ex quo nonnulli existimarunt Rhodanim illic potius, quàm Dodanim esse legendum; sicut etiam hîc pro Dedan, Rhedan, quod facile fieri potuisse dicunt, propter similitudinem ד *daleth*, & ר *res*, quæ procliui lapsu facile ab attento etiam scriptore commutantur. Sed est communis interpretum sententia Dedan ad Idumæos potiùs pertinere; neque id obscurè indicat Ieremias cap. 25. v. 23. vbi Dedan, cum Theman coniungit, & Buz, quas ad Ismaelitas, & Agarenos refert Hieronymus. Certè ad Rhodios eo loco Dedan pertinere non potest, sicut neque Buz, & Theman, ex quibus profecti duo amici Iob, Eliphaz Themanites, de quo in libro Iob sæpè, & Eliu filius Bachel Buzites, de quo cap. 32. Iob v. 2. Sed docuit clariùs Ieremias idem cap. 49. vbi cùm de Idumæorum, id est, de filiorum Esau interitu ageret, inter ciuitates alias Idumææ annumerat Dedan, & Theman, de qua nuper vers. 8. *Descendite in voraginem habitatores Dedan, quoniam perditionem Esau adduxi super eum.* Hi ergo Dedanitæ negotiatores erant Tyri, quia merces, quas insulæ ad illius nundinas suppeditabant, Dedanitæ camelorum suorum dorso transmittebant. Ismaelitas autem, sicut Dedanitas, qui non longè aberant Camelorum habere mandras, eásque onustas mercibus, hinc inde agere argumento sunt illi, qui è monte Galaad vario aromate camelos onerarunt. Gen. 37. v. 25. *Viderunt Ismaelitas viatores* (statim vers. 28. negotiatores) *venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stactem in Ægyptum.*

Insula multa negotiatio manus tuæ.] Insulas hasce non puto esse ex mari mediterraneo, sed ex Oceano; neque enim mediterraneum mare, aut elephantos gignit; aut materiam alit ebeninam, sed vtrumque aduehitur ex India, vnde ebur suprà v. 6. appellatur *Indicum*; & 3. Reg. 10. classis Salomonis aduexisse dicitur è Tharsis aurum, argentum, dentes elephantinos, simias, & pauos. Aurum autem, & argentum non ea quantitate ferunt mediterraneæ insulæ, vt inde peti à Salomone debuerint; simias verò mediterraneum mare non agnoscit. Ex eo autem loco aduectos elephantos, vnde aurum, argentum, & simiæ, textus ipse declarat. Quòd autem ebenum ex sola India exportetur, testis est Plinius lib. 12. c. 4. Et docet Virgilius Georgic. lib. 2. 51.

Ebur, & ebenum ex India.

Diuisa arboribus patriæ. Sola India nigrum
Fert ebenum.

Idem docuit Theophrastus lib. 4. cap. 5. Solinus cap. 65. qui Indico solo hanc arborem tradunt esse vernaculam. Idem quoque de ebore tradunt iidem ferme auctores, qui suprà de ebeno. Et probat appositum *Indum*, seu Indicum, quod sæpe ebori à Poëtis adiungitur. Sanè Virgilius lib. 2. Georgic. ebur solius Indiæ prouentum esse docet,

Arboribus fœtus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina, nónne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Insulæ ergo multæ, quæ Tyri fuerunt negotiatio, in orientali Oceano fuerunt, ad eam plagã, quam nos Orientalem vocamus. Sed quomodo Dedanitæ ex India merces hasce deportare potuerint, explorandum est.

Dentes eburneos, & ebeninos commutauerunt in pretio tuo.] An insulæ Indicæ, seu Dedanitæ pretio cõmutauerint, seu vendiderint has merces, non laboro. Vtræque enim commutandis his mercibus operam dedere, illæ dum ebenum, ebúrque gignunt, mercatoribúsque vendunt, qui rursus ipsi in Tyriis distrahant nundinis; hæ dum inde, aut ex portu proximo, conuehunt ad Tyrium emporium. Sed nunc de Dedanitis hæc accipio. Et primùm obseruo ex India per Erythræũ mare, quod & Rubrum dicitur, in Ægyptum, regionésque finitimas Indicas transportari merces camelorum dorso; quod ipsa topographica ratio docet non esse longi, ac magni laboris, cùm sinus ille non longè distet ab his regionibus, vnde commodè ad Tyrios Indicum possit transmitti mercimonium. Portus autem videtur esse Asion gaber, qui est in ea maris Rubri parte, quæ ad Idumæam pertinet; vnde soluebat classis 52.

Per mare rubrũ merces Indicæ aduectæ.

ſis in Ophir à Salomone ad exoticas merces inſtructa. 3. Reg. 9. v. 26. *Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſion gaber, quæ eſt iuxta Ailach in littore maris Rubri, in terra Idumææ. Miſitque Hiram in claſſe illa ſeruos ſuos viros nauticos, & gnaros maris cum ſeruis Salomonis. Qui cùm veniſſent in Ophir*, &c. Expoſitas ergo in eo portu Indicas merces Dedanitæ camelorum mandris ad Ægyptum tranſmittebant, & Palæſtinam, per loca ſiticuloſa, atque arida, quale eſt deſertum, quod ex Ægyptia ſeruitute liberati emenſi fuerunt Iſraelitæ. De his egiſſe videtur profanus quidam Poëta, qui Indicas merces à ſitientibus Camelis conuectas dicit, Perſius Satyr. 5. vbi anxiam mercatoris ſollicitudinem notat,

——— ———ebenum, thus, lubrica Coa,
Tolle recens primus piper à ſitiente camelo,

vbi exportari à camelis Indicas merces, ex eo liquet, quia vbi ebenum numeratur, quod non niſi in India prouenire diximus: & piper, vt tradit Plinius lib. 6. cap. 23. & Solinus cap. 65. *Vt piper, inquit, ſola India, ita & ebenum ſola mittit.*

53. *Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum gemmam, & purpuram.*] Syri vicini erant Tyriis, qui vt, quæ vario opere, atque multiplici perfecta proſtabant apud ipſos venalia, ſibi pararent; varias vndique merces, aut ſuæ prouinciæ vernaculas, aut comportatas aliunde ad Tyrium emporium conuehebant. Illa verò ſigillatim dinumerat. Pro *gemma*, Heb. eſt נפך *nophec*, quod variè accipiunt, ac reddunt interpretes. Theodotio vocem ipſam reliquit, Septuaginta ſtactem reddidere, quæ guttam valet, eſt autem ſudor, ſiue ſtilla arborum, quale eſt ſuccinum, aut balſamum, thus, ſtorax, & ſimilia. Rab. Dauid lapidem eſſe putat pretioſum, coloris nigri, Chaldæus Smaragdum, noſter interpres, ſicut aliis in locis *carbunculum*, quem etiam ſequuntur frequentes alij. In quam ego ſententiam libentiùs accedo. Purpura, Heb. Argaman, ſicut alij communiter conuertunt, colorem ſignificat potius quàm materiam. Eſt enim, vt Rab. Dauid docet, color rubeus, quem Hiſpanus vocat Carmeſinum, ſiue à vermiculo, ſiue à cocco, ſeu grano; ſeu etiam à conchyliis tincta ſit, Syriam porrò abundare purpura, ſeu ſanguine, aut fuco, quo purpura, ſeu conchyliata inficiuntur, præter ſcriptores plurimos, qui id tradunt, præcipuámque laudem Syriæ purpuræ attribuunt, nomẽ ipſum, quod purpuram notat, & commendat, ſatis oſtendit. Eſt enim quaſi perpetuum quoddam epitheton purpuræ, *Tyrium, Sydonium, Phœnicium*; ſed iſtæ ciuitates, vnde hoc nomen acceperunt, ad Syriam pertinent, vt tradit Plinius lib. 5. cap. 12. Imò & ipſa purpura à Græcis φοινιξ vocatur, à Phœnicia, cuius præcipuæ ciuitates ſunt Tyrus, & Sidon. Facile igitur mercatores Syri à vernaculis, ſiue à finitimis ciuitatibus purpuram coëmere potuerunt.

Syri abundant purpura.

54. Verſ. 16. *Scutulata, & byſſum, & ſericum, & chodchod propoſuerunt in mercatu tuo.*] Scutulatum opus varium eſt, ea ratione diſtinctum vt quarundam aranearum telas imitetur, quas tranſuerſæ lineæ, & in ſeipſas viciſſim incurrentes ſic efformant, vt quadratas quaſdam areolas relinquant. De quibus ita Plinius lib. 8. cap. 48. *Plurimis liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria inſtituit; ſcutulis diuidere Gallia.* & idem lib. 11. cap. 24. vbi aranearum exemplo optimè explicat, quæ ſit ſcutulati operis forma. *Texere*, inquit, *à medio incipit* (aranea) *circinato ordine ſubtegmina adnectens, maculáſque paribus ſemper interuallis, ſed ſubinde creſcentibus ex anguſto dilatans, indiſſolubili nodo implicat. Quanta arte celat pedicas ſcutulato reti graſſantes.*

Scutulatum opus quid.

A

Sed hîc ſine dubio noſter interpres ſpeciem ſumpſit pro genere, ſcutulata nempe, pro variis, & opere polymito, ſeu phrygio perfectis. Heb. namque vox eſt רקמה *ricmah*; à qua Hiſpanus telam polymitam, & phrygiam, *recamado* appellat, quam aliis locis *variam, diſcolorem*, aut *opere plumario* contextam, vocat vulgatus. De byſſo diximus multa ſuprà ad cap. 16. ad illud, *Cinxi te byſſo.* 55.

Vbi vulgatus *ſericum*, Heb. eſt ראמות *raamoth.* 56.

B quam vocem Septuaginta non mutarunt: *corallium* reddunt Pagninus, & Vatablus, Chaldæus *lapides pretioſos*, Polychronius *amethyſtum*, Symmachus *ſericum*, ſeu *ſubtilia*, quem ſecutus eſt in vertendo vulgatus. Neque omnes in ſerici ſignificatione conueniunt; quidam telam eſſe putant filo bombycino contextam; alij floccos, ſeu vellera, quæ quarundam arborum prouentus ſunt quas Seres depectunt, ex illiſque veſtimenta conficiunt. Quid horum verius, difficile eſt ſtatuere, vtrinque enim ſtant magni nominis Scriptores; eò tamen inclinat animus, vt putent apud Seras ea ratione ſericos floccos ab arboribus legi, qua goſſipium ab herbis; ſicut etiam aliæ ſunt plantæ, quarum fructus vellera ſunt, ex quibus non

C aliter, quàm è lana veſtes conficiuntur. De quibus Virgilius lib. 2. Georgic. vbi cùm ageret de fructibus, qui regionibus quibuſdam familiares ſunt, ac proprij, ait:

Sericum quid.

Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?
Velleraque vt foliis depectant tenuia Seres?

Nihilo tamen minus, ſicut per catachreſim bombycinum opus propter ſimilitudinem Sericum appellatur, licèt longè ſit vt apud Seras decerpatur à foliis; ſic etiam hîc *ſericum* ſignificare arbitror tam ſericos floccos, quàm bombycinos textus; quia ex vtriſque veſtes fiunt ſubtiles, & leues, quæque ita ad elegantiam valent, vt etiam moleſtæ non ſint; propter quod à lautis delica- 57.

D tíſque viris, & à fœminis mollioribus expetuntur maximè. Quare digna viſa ſunt, quæ ad nundinas Tyrias conuehantur. Sericum Hiſpanica tranſlatio *ſirgo* vocat.

Chodchod.] Hieronymus ingenuè fatetur neſcire ſe quid ſit, & ideo vocem ipſam reliquit, ſicut etiam fecerunt LXX. Apud Iſaiam tamen cap. 54. v. 12. *iaſpidem* reddidit. Alij variè transferunt, quidam *carbunculum*, alij *rubinum*, *margaritam* alij; denique nil certum de illius ſignificatione, niſi quòd aliquid videtur eſſe pretioſum, dignúmque quod cum purpura coniungatur, & byſſo à mercatoribus; & in mercatu vſque adeò ſplendido proponatur venale. 58.

Chodchod quid.

Verſ. 17. *Iuda, & terra Iſrael ipſi inſtitores tui in frumento primo; balſamum, & mel, & oleum, & reſinam* 59.

E *propoſuerunt.*] De peregrinis hactenus mercibus; nunc de proximis, de his videlicet, quas è vernaculo prouentu apud Tyrios nundinabatur Iſraël. Terra verò promiſſionis his omnibus abũdabat, vt ſæpius audis in Scriptura ſacra. Ex vno loco Deut. 32. v. 13. hæc omnia, aut pleraque illorum accipe. *Conſtituit eum ſuper excelſam terram vt comederet fructus agrorum; vt ſugeret mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo. Butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberent meraciſſimum.* De balſamo nemo dubitabit, cùm hoc aut ſola, aut præcipua pariat Iudæa.

Terra promiſſionis vber, & fœlix.

ita

ita Plinius lib.12.cap.25. *Omnibus*, inquit, *odoribus praefertur balsamum vni terrarum Iudaeae concessum.* Et Solinus cap.48. *Cùm Iudaea potiùs sumus ita luci illi propagati sunt, vt iam nobis latissimi colles sudent balsama.* De resina satis constat, cùm constet ad terram promissionis pertinere Galaad, quem resinis abundare, succisque aliis odoratis, & salubribus, multa Scripturae sacrae loca probant. Gen.37.v.25.mercatores Ismaëlitae venisse dicũtur de Galaad,& cameli portantes aromata,resi-
60. nam,& stactem. Vbi vulgatus *in frumento primo*, Heb. est מנית *minith*, quod aut aliquod nobile frumenti genus indicat,vt putat Rab. Salomon, aut locum, qui aut frumento abundat,aut generoso nobilitatur frumento, quod censet Rab. Dauid. Hanc frumenti laudem expressit vulgatus,dum *primum* vocat,id est,praecipuum. Porrò
Tyrus sterilis.
Tyrus cùm in petra sit, & ita צור *sor*,id est, petra nominetur; à locisque circumfundatur petrosis, & asperis; aliisque rebus magis quàm frugibus opportunis, aliunde sibi comparabat frumenta, à terra videlicet Israël, vt nunc audis ab Ezechiele; & ab Ægypto,vt docet Isaias cap.23.vbi cùm Tyri aut plangit, aut minatur interitum, ait,*Semen Nili, messis fluminis, fruges eius.*

61. In eo dicendi genere, *in frumento primo balsamum, & mel*,&c. *proposuerunt*, aliquid obseruandũ. Maldonatus putat ב *beth* eo loco positum esse pro את *eth*. atque ideo pro ablatiuo, adhibendum esse accusatiuum, hoc modo, *Institores tui frumentum primum,balsamum,& oleum*, &c. *proposuerunt.* Placet haec Maldonati cogitatio, cuius cõmodum adducit exemplum ex Psal. 39. v.1. vbi bis ב *beth*, accusatiui videtur esse nota. vbi enim vulgatus, *Noli aemulari in malignantibus*; & statim, *Neque zelaueris facientes iniquitatem.* Heb.etiam est *in facientibus*, vtroque loco ב *beth* praeponitur, cùm tamen dicendum esset, *Noli aemulari malignantes, neque zelaueris facientes.* Sed sanè haec duo exempla non admodum sunt ad hanc cogitationem opportuna. Duo namque verba illa חרה *charah*,& קנא *kana*, pro quibus vulgatus *aemulari*, & *zelaueris* adiuncta personis, aliquid significant aduersum,vt *irasci, contendere, inuidere.* vnde Hie-
62. ronymus transtulit, *Noli contendere.* Quare eo loco potiùs crediderim ב sumi pro *contra*, sicut cum iisdem verbis, multis locis. Et ideo aliter
REGVLA. *Praepositio, ב id est, in saepe sumitur pro* cum.
hunc locum expedio. Praepositio ב, iuxta Hebraeorum idioma frequenter adhibetur pro *cum*, vt docet, multisque confirmat exemplis Pagninus lib.1.Instit.cap.18.Duo exempla habes Isaiae cap.7.v.24. vbi enim vulgatus, *cum sagittis, & arcu*, Heb.est בחצים ובקשת *bachisim vba koseth*. & Exodi 15. v. 29. *cum curru, & cum equitibus suis*, Heb. ברכבו ובפרשיו *bricbo vbe parasau*. & quidem praepositionem *in*, pro *cum* non rarò adhibuit noster interpres. Gen.32.v.10. *In baculo meo transiui Iordanem*, id est,pauper, & cum solo baculo. & apud hunc Prophetam capite 16. v.18. *Fornicata es in filiis Assyriorum*, i. cum filiis. & cap.33. v.35. *Qui in sanguine comeditis*, i. cum sanguine, & ibid. v.26. *Stetistis in gladiis*, i. cum gladiis. Ex his mihi difficilis non est huius loci sententia, quam ego sic informo. *Institutores tui cum frumento primo, alias quoque merces vernaculas adducent,balsamum, mel*, &c.idest, non solùm adduxere frumentum,sed etiam balsamum,&c.

63. Vers.18. *Damascenus negotiator tuus in multitudine operum suorum,in multitudine diuersarum opum,in vino pingui, in lanis coloris optimi.*] Damascus ad Syriam pertinet, imò & Syriae caput, Isai. cap.7.

A *Caput Syriae Damascus.* Ex ea ciuitate mercatores ad opes alias,quas in suis nundinis habuere Tyrij, suas quoque merces adiunxerunt. Meminit autem vini,quod appellat pingue, Heb.est חלבן *chelbon*, quod lac significat,aut adipem, & metaphoricè quidquid in re qualibet optimum, ac suauissimum est. Vnde adipem frumenti vocamus,quod est in frumento praestantissimum.Hîc verò quidam vinum putant esse conditum; alij vinum ad lactis similitudinem album, seu lacteum.Sunt qui existiment Chelbon nomen esse loci, quem copia, atque nobilitas vini commendat. Ita Rabbi Dauid,cuius sententiam sequuntur,aut indicãt, qui vocem ipsam Chelbon
B Hebraica forma reliquerunt. In his sunt Theodoretus,Pagninus,& Vatablus.

In lanis coloris optimi.] Hîc quoque varij sunt 64.
interpretes. L X X. vt nonnulli legunt,reddiderunt, *lanas splendentes, & lucidas*; vt verò legit Hieronymus, *lanas de Mileto*, quae sanè pretiosae sunt, & Poëtarum carminibus celebratae. Virgil.3.Georgic.

———— *quamuis Milesia magno*
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.

Et ib.4.Georgic.

———— *Milesia vellera Nymphae*
Carpebant hyali saturo fucata colore.

Vulgatus lanas coloris optimi reddidit, sed du-
C bium est, an color ille optimus à natura sit, vel ab arte,& alieno fuco. Nam lanas ab ipsa ouiũ natura,vel propter pascua, & potum; vel à coeli multiplici temperie alios, atque alios assumere colores,res est omnino certa.
Lanarũ pro regionum diuersitate varius color.
Ad Bethin fluuiũ propter aquarum,locique naturam natiuum esse ouibus colorem fuluum, canit variis in locis Martialis. Idem docet Plinius lib. 8.cap. 48.vbi etiam tradit fuluas esse Canusinas lanas. Et Aristoteles lib.3.Historic.cap.12. Scamandrum fluuium ideo Xanthum vocatum esse dicit,quia eam habet naturam, vt ouium velleribus fuluorem inducat: eundem Cretensibus ouibus colorem Oppianus attribuit lib.2.Cynoget. *Lanea,*
D inquit, *purpurea pelli circumdata est.* Ex his lanis verisimile est Damascenos mercatorium instituisse quaestum: quia illa non à colore solùm,sed etiam à mollitudine quadam, aut tenuitate commendantur. Sed est mihi magis ad veritatem colorem illum optimum lanarum, esse ab illo
Lana colore infici solita.
succo,quem antequam torquerentur in stamina, imbiberunt. Quod fieri solitum,docet loquendi modus frequens, quo mores difficilè deponi dicimus, quibus à teneris annis assuefactus est puer;sicut neque color eluitur, quo lanarum inficiuntur vellera, quod Hispanus dicit *teñido en lana.* Sic Hieronymus ad Letam. *Difficulter eraditur, quod rudes anni perbiberunt: lanarum conchylia*
E *quis ad pristinum candorem reuocet?* Horatius lib.3. ode 5. *Neque amissos colores lana refert medicata fuco.* Sed probat maximè Homerus, qui Odys. 4. ancillam inducit,quae Helenae colum affert cum hyacinthina lana,ex qua videlicet pollice, & fusp filum trahat.

Vers. 19. *Dan,& Graecia, & Mozel in nundinis* 65.
tuis proposuerunt ferrum fabrefactum] Dan ciuitas est in his finibus terrae promissionis,quae ad Babylonem pertinent, vnde cùm de tota terra sermo est, Dan adduci solet,& Bersabe,quia extremi sunt fines,illa ad Aquilonẽ, haec ad Austrum. De Mozel res est magis incerta. L X X. & Aquila,cum vulgato vocẽ ipsam Hebraicam reliquerunt. Ex מאוזל Aquila מ *mem* praepositionem

esse

esse putauit; quasi dicas *de Vzal*. perinde, ac si Dan, & Græcia ad nundinas de Vzal ferrum exportarint, stactem, & calamum. Alij Mozal vocem putant esse communem, nempe participium à verbo אזל *azal*, quod motum importat, & incessum vagum; tum verò sensum esse statuunt Dan, & Græciam, quæ hinc inde commeat quasi negotiatrix, tulisse ferrum, &c. ita Rab. Dauid. Et facit ad hanc cogitationem, quod in Hebraico textu ante Mozel non est coniunctio &. Verùm cum vulgato nomen facio proprium regionis, aut ciuitatis, licèt de illa nihil possit exploratum adduci. Ferrum factum, Rab. Dauid ferrum purum exponit, seu chalybem; eius tamen sententiæ parum fauet vox Hebraica עשת *bhasuth*, quam optimè reddidit vulgatus. Est autem ferrum factum, quod in aliquam figuram, seu vsum informatum est; qualis est vomer, ligo, gladius, &c. sicut argentum factum appellamus, quod in vas aliquod conflatum est.

66. *Stacte quid.* *Stacte, & calamus.*] Stacte gutta est; & vt hæc varia, sic etiam illa varia est. Significat enim stillam, quæ sudat ex arbore; quæque statim plerumque in duritiem concrescit; quale thus est, storax, myrrha, quarum vim maximam producit Libanus. Heb. pro *stacte* est קדה *kidah*, quam quidam casiam, alij cynamomum esse putant; alij myrrham. Ego casiam existimo, quia Exod. c. 30. v. 23. קדה, quam ibi vulgatus casiam reddit, à myrrha, cynamomóque secernitur.

Calamus quid. *Calamus.*] Heb. קנה *caneh*, quæ vox genus illud aromatis significat, quod Hispanus *canelam* vocat, quod suadet vox ipsa Hebraica, à qua non longè recedit Hispanica. Et quia Ieremiæ cap. 6. calamus iste elatus esse dicitur de terra longinqua, id est, vt ibi Hieronymus exponit, de regione Indica, vnde Salomoni pretiosa aducebantur aromata. Vide quæ diximus ad illud Isai. cap. 43. *Non emisti mihi argento calamum.*

67. *Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum.*] Quis sit Dedan, seu Danitæ, diximus suprà ad vers. 15. Taperes autem ad sedendum stragula intelligo filis versicoloribus variè contexta, siue id fiat opere sutili, seu textili; qualia subiiciuntur pedibus, seu puluillis, quæ catastromata dicuntur; siue illa, quibus insternuntur triclinia; aut equorum dorsa, vel ephippia: nam hæc pretiosa fuisse constat, dignaque Tyrio emporio; & ad ambitiosum fastum, & luxum accommodata. De lecto, seu accubitu ad mensam, est illud Tullij lib. 5. Tuscul. quæst. de Damocle, quem Dionysius Tyrannus *collocari iussit in aureo lecto strato pulcherrimè textili stragulo, magnificis operibus picto.* De equorum stragulis, siue tapetibus est illud accommodatum Maronis lib. 7. Æneid. de Latino Rege,

Hæc effatus, equos numero pater eligit omni
Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis.

68. *Cedareni, & Arabes pecore abundant.* *Arabia, & vniuersi Principes Cedar, &c. cum agnis, & arietibus, &c.*] Nationes hasce, vt pluribus nos in nostris commentariis super Isaiam diximus ad illud cap. 60. *Omne pecus Cedar congregabitur tibi*, pecore abundant, imò neque aliquid habent magnum præter pecus: quare in tabernaculis habitant, & vitam agunt prorsus agrestem. Nihilominus habent quod ad emporium illud adducant, arietes nempe, & hædos, & quicquid apud ipsos nutritur, & pascitur.

69. *Saba duplex.* Vers. 22. *Venditores Saba, & Reema, &c. cum vniuersis primis aromatibus, & lapide pretioso, & auro.*] Duplex est Saba, altera quæ ad Æthiopiam spe-

A ctat, altera quæ ad Arabiam; illa per ס, scribitur, vnde venisse existimatur Regina Saba; hæc per ש. de hac posteriori loquitur hìc Propheta. Existimo autem hoc loco idem esse Saba, ac Reema, quia, vt habes Gen. cap. 10. v. 7. Saba cum ש, filius fuit Reema: quare verisimile est vtrumque prouinciæ dedisse nomen. Illud verò &, non tam coniunctionem esse puto, quàm expositiuam particulam, ac si dicas, *Saba, id est, Reema*; vel *Saba, seu, quod idem est, Reema.* Hanc porrò regionem auro abundare, lapidéque pretioso, probant passim Poëtæ dum Arabicum appellant aurum, ad quam pertinet Saba; & confirmat illud Ps. 71. *Et dabitis ei de auro Arabiæ.* De lapidibus pretio- *Saba aromate abundat, auro, ac pretioso lapide.*

B sis, quorum illa regio ferax est, multa Solinus cap. 36. Quod attinet ad aromata, quæ hoc loco dicuntur prima, multa externi scriptores. Strabo lib. 16. Theophrastus lib. 9. Plinius lib. 6. c. 28. Quare hi vernaculos adducunt prouentus, non alienos. Cùm autem hi commerciis studeant, vt ait Solinus suprà, ita vendunt sua vt aliena non emant, quia illis se indigere non putant. Neque id mirum cùm molliores respuant voluptates, quæ exoticis aluntur mercibus, & peregrino luxu. Ex hac prouincia, vt Hieronymus putat, profecta fuit Regina Saba, 3. Reg. cap. 10. neque coniectura leuis: nam alia Saba Æthiopica cum ס, scribitur; hæc verò Arabica cum ש. Regina au- 70.

C tem venisse dicitur ex שבא, non סבא. vide Hieronymum in traditionibus super Genesim, ad illud cap. 10. *Filij Chus Saba.* & statim ad illud, *filij Reema Saba.* Quod si ita est, vt profectò apparet, licèt alij nonnulli contrà sentiant, constat regionem illam aromatum, auri, atque pretiosi lapidis esse feracissimam; quia horum omnium vim maximam Regina ad Salomonem attulisse traditur 3. Reg. cap. 10. v. 10. *Dedit ergo Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas. Non sunt allata vltrà aromata tam multa, quàm ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* *Regina Saba vnde profecta.*

Haran, Chenne.] Hæc ciuitatum, aut prouin- 71.

D ciarum nomina sunt; de illarum situ, aut natura nihil exploratum. De Haran tantùm nouimus esse in Mesopotamia; vnde euocatus est Abraham Gen. cap. 12. quam Stephanus Act. 7. vocauit Charran; & Lucanus Charras; cùm enim de Marco Crasso ageret, cuius ibi exercitus cæsus est, & ipse captus, ait,

Assyrias Latio maculauit sanguine Charras.

Saba illa eadem est, quæ suprà, quia per ש, scribitur. Cùm autem Saba in regione Arabica latè pateat, fieri potest, vt pars quædam metallorum, atque aromatum ferax, merces illas exponat in Tyri mercatu, pars magis illarum rerum sterilis aliquid comportet aliud, cuius hìc Propheta non meminit; nisi huc referas, quæ statim subii-

E ciuntur.

Vers. 24. *Ipsi negotiatores tui multifariam inuolucris hyacinthi, & polymitorum, gazarumque pretiosarum, quæ obuoluta, & astricta erant funibus.*] Hæc, credo, ad eos, quorum proximè meminit, referenda sunt; quibus nullum mercimonij genus adscriptum est. Cùm autem populi isti copiosi sint, vt Haran, & Assur, credibile est hyacinthum, polymita, pretiosásque gazas coëmisse; & ex mercatorum more inclusisse saccis, & ligasse funibus, quo commodiùs camelorum dorso transportentur; quod Hispanorum vulgus *fardos* appellat, aut *balas*. 72.

Vers. 25. *Naues maris, principes tui in negotiatione tua.*] Hebraicè *naues Tharsis.* Locus hic variè ab 73.

interpre

interpretibus exponitur. Theodoretus qui in Tharsis Carthaginem intelligit, ait vsos esse Tyrios ad suas merces Carthaginensium nauibus, quæ multæ sunt. Mihi visum est magis ad textum, si hoc loco dicamus non solùm Tyrios alienas ad suum forum excepisse merces; sed etiam quas in suis coëmissent emporiis, aliò traduxisse; aut alibi coëmptas impositásque nauibus ad suas nundinas prostituisse venales. Quæ naues siue pretio, siue specie aliis omnibus longè præstabant. Neque hic dicendi modus hanc sententiam infirmat: notum est enim Genitiuum partitionis mutari solere in casum partium, vt *οἱ ἄνθρωποι, οἱ μὲν ἀγαθοί, οἱ δὲ πονηροί*: homines quidam boni, quidam mali, pro *hominum*. Quem Græcismum interdum imitatur Latinus interpres, vt Ierem. cap. 1. verba Ieremiæ, &c. quod factum est, id est, verborum Ieremiæ. illud quod factum est sub Iosia, &c. Sic nunc nauium maris, id est, ex omnibus nauibus tuæ fuerunt principes. Et facit, quod vbi vulgatus *principes*, Heb. est שרות, quod generis est fœminini, sicut etiam Heb. nauis. Quare pertinere non potest ad magistratus, & proceres, aut ad eos, qui in republica principes habentur. Et iuxta rationem grammaticam non malè quis verteret, *Principes tua*, id est, naues.

REGVLA. *Genitiuus partitionis aliquando ponitur in casu partiũ.*

74. *Et repleta es, & glorificata nimis in corde maris.*] Tum sua, tum illorum industria, qui ad Tyrium emporium confluebant, portabántque quicquid in rerum natura putabatur pretiosum, & pulchrum; cùm esset in corde maris, id est, in loco maximè conuehendis, distribuendísque mercibus opportuno, repleta est, ac decorata Tyrus rerum omnium abundantia, & gloria. Hæc verò videtur eorum omnium, quæ præcessere, commoda complexio; huc enim spectabant omnia, quæ tam variè, atque explicatè ad hunc vsque locum producta sunt. Nisi mauis, quod mihi videtur maximè verisimile, redire iam Prophetam ad institutam metaphoram, quam statim in principio proposuit; vbi Tyri similitudinem, aque opes in naue luculenta, atque ambitiosa expressit, quam nunc appellat non modò glorificatam, i. splendidam, eburneis nempe transtris, malo è materia cedrina, byssinis velis, sed etiam variis onustam mercibus, quas narratione longa huc vsque prosecutus est. Quod confirmat id, quod statim adiungitur, & in hanc explicationem magis inclinat animus.

75. Vers. 26. *In aquis multis adduxerunt te remiges tui.*] Hîc iam apertè de naui loquitur variis onusta mercimoniis; cuius metaphoram iam pridē intermiserat, docétque quemadmodum illa tanta prosperitas repentè conciderit. Quidam *in aquas multas* legendum esse putant, quasi remiges, de quibus suprà vers. 8. Sidonij, & Aradij in mare è suis naualibus deduxerint, aut è portu in altum impulerint. Et quidem præpositio ב *beth*, quæ *aquis* præponitur, tam motum ad locum, quàm in loco significat. Ita Hugo, Lyra, Vatablus, Maldonatus. Sed est simplicior illa lectio, quæ *in aquis* legit: tunc verò *aquæ multæ* idem sunt, quod *mare*, quod alibi sæpe in Scriptura reperimus. Psal. 106. *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis.* & Psal. 76. *In mari via tua, & semitæ tua in aquis multis.* Quare in aquis multis adduci nauem à remigibus nihil est aliud, quàm gubernari in mari, seu agitari remorum pulsu; quæ explicatio nihil videtur habere violentum.

Aquæ multæ idē quod mare.

76. *Ventus Auster contriuit te.*] Inflatis velis, & aura secunda ferebatur nauis illa diues, & pulchra; sed excitatus est repentè vehemens quidam ventus, qui ad scopulos allisit, fecítque vt ita marinis absorberetur fluctibus, vt nusquam appareret. Ventus iste turbidus, & vehemens fuit Nabuchodonosor, qui ab Aquilonari plaga perflauit; quare vocandus alicui videri posset Boreas, aut Aquilo, potius, quàm Auster. Sed quia Auster vehemens est ventus, & in Scriptura prouerbiali specie pro re sumitur maximè violenta, & turbida, cùm Tyriæ nauis Propheta naufragium spectaret, Austri potius, quàm Aquilonis meminit. Porrò Austrum procellosum esse ventum, ac prouerbiali specie, pro tempestate sumi, non difficilè ex Scriptura sacra colligitur. Iob cap. 9. cum Arcturo, Orione, atque Hyadibus coniungit interiora Austri, siue vt LXX. reddidere, promptuaria; vnde videlicet venti prorūunt, atque procellæ, sicut ab insula Æolide nugantur Poëtæ. *Qui facit*, inquit, *Arcturum, & Oriona & Hyadas, & interiora Austri.* Et cap. 37. *Ab interioribus* (nempe Austri) *orietur tempestas.* Isai. cap. 21. *Sicut turbines ab Aphrico veniunt.* Zachar. 9. *Et vadet in turbine Austri.* Quare Auster pro tēpestate sumitur vehementi, qualis à Chaldæorum acie in Tyrias fortunas exorta est.

Auster pro tempestate.

Vers. 27. *Diuitiæ tua, & thesauri tui.*] Hîc complectitur omnia, quæ de nauis instructu, Gubernatoribus, & mercibus dicta fuerant, eaque minatur eodem maris æstu, qui nauem absorbebit, esse peritura. Singula à nobis superiùs explicata sunt. 77.

Vers. 28. *A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes.*] Hîc nihil puto significari aliud, quàm ciuitates Tyro finitimas, aut quæ res, rationésque quæstuarias cum Tyro contraxerāt, audito illius metaphoricæ nauis tam misero, subitóque naufragio, conturbatas esse, sibíque timuisse, ne quid simile ab hoste vicino, atque victoriis insolēte contingeret. Nam si tanta, támque munita ciuitas effugere nō potuit Chaldæorum arma; quid aliæ neque magis munitæ, neque minus periculis expositæ sibi nō timerēt? Aut certè aliæ ciuitates, & insulæ, quæ classium nomine significantur, ad clamorem occumbentis Tyri exhorruerunt; quia sublatum videbant commune illud orbis emporium, vnde quæstus sibi parabant ingentes. Dixit hoc idem Isaias cap. 23. vbi cùm de simili Tyri ruina loqueretur, ait ad ciuitates alias, *Vlulate naues maris, quia vastata est domus, vnde venire consueuerant.* & statim vers. 5. *Cùm auditum fuerit in Ægypto dolebunt, cùm audierint de Tyro.* A sonitu igitur, & clamore, id est, propter clamorem illorum, quos videbant cum fluctibus, & ventis conflictari, conturbabuntur, qui iisdem se studiis, atque rationibus cum Tyriis implicuerant. 78.

Vers. 29. *Descendent de nauibus suis omnes, qui tenebant remum.*] Sicut *naues conscendere*, siue *ascendere*, nauem ingredi est, aut nauigationis cursum auspicari; sic de nauibus descendere est egredi de naui, exponi in portu, aut nauigationem absoluere. Omnes ergo qui tenebant remum, id est, remiges, qui sedebant in transtris, abiicient remos, & artem illam, vtpote in eo rerum articulo, non satis tutam auersabuntur. Aut quia subuerso emporio maximè nauigantibus opportuno, & spe sublata lucri, non videbatur quæstuosus marinus ille cursus, cùm adiuncta sunt penè continentia pericula. Hanc explicationem indicant, quæ proximè succedunt. 79.

80. *Nauta, & vniuersi gubernatores maris in terra stabunt.*] In terra dicuntur futuri, vel quia mare exhorrescent, cùm putent nauigationem futuram deinceps periculosam, & inutilem. Vel certè, quia in terra, seu puluere sedere dicuntur, qui suam, aut etiam alienam calamitatem deplorant. Quomodo de amicis Iob cap. 2. dicitur, *Sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus.* Thren. 2. *Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion.* Isai. cap. 47. de Babylone, cui extrema omnia minatur. *Descende, sede in puluere, virgo filia Babylon, sede in terra.* Hoc posterius videtur mihi non improbabile; illud tamen priùs libentiùs amplector.

81. Vers. 30. *Et eiulabunt super te voce magna, & clamabunt amarè.*] Cùm Tyrus non longè esset à terra, & è littore spectari possent superbæ illius vrbis ruinæ, & deforme bustū, facilè intelligitur quomodo gubernatores, & nautæ in spectaculum illud miserum intenti communi matri lugubri clamore parentauerint.

82. *Superiacient puluerem capitibus suis, & cinere conspergentur.*] Hæc signa sunt lugentium, maximè in funere; quale hoc Tyri videri potuit, quæ suis est tumulata ruinis, sicut de Carthagine, & Troia canunt profani. Quomodo verò in luctu cinere, ac puluere conspergantur capita, docet Scriptura sæpè. De amicis Iob cap. 2. *Exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum.* Thren. 2. v. 10. *Consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis.* En quomodo cilicium cum puluere coniungit, sicut hîc Ezechiel. Item Ieremias cap. 6. v. 26. *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere.* Quod de hac ipsa Tyro dicit Christus Matth. 11. v. 21. *Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Quod etiam profanis vsitatum in luctu multa probant. Virgil. lib. 10. de Mezentio,

Capita in luctu cinere conspersa.

Canitiem multo deformat puluere.

Homerus lib. 18. Iliad. de Achille audita morte Patrocli,

——————tum pronus adustum
Corripiens manibus cinerem, nigrámque fauillam
Inspergit capiti, & faciem fœdauit honestam.

Seneca in Troade de lugentium choro,

Soluite crinem, per colla fluant
Mœsta capilli tepido Troia
Puluere turpes.

83. Vers. 31. *Et radent super caluitium, & accingentur ciliciis.*] De ciliciis vidimus proximè; quod ad caluitium spectat, res est nota. Caluitium cum cilicio coniunxit Ezechiel cap. 7. v. 18. *Accingent se ciliciis, &c. & in vniuersis capitibus eorum caluitium.* & Amos cap. 8. v. 10. *Inducam super omne dorsum vestrum saccum; & super omne caput caluitium.* & Ieremias 48. v. 37. *Omne enim caput caluitium, &c. & super omne dorsum cilicium.*

84. Vers. 32. *Quæ est vt Tyrus, quæ obmutuit in medio maris?*] Hoc est lugubre, & parentale carmen, in quo priùs ciuitatis opulentia, & gloria; deinde horribile exitium, & miserabilis fortuna proponitur. Est autem Scripturæ sacræ familiare, vt nænia, siue lugubre carmen incipiat ab admiratione, seu stupore; quia hic lamentationis modus affectum indicat maiorem; & animum doloris ferendi, aut exprimendi impotem. Sic Ieremias in Threnis sæpè. *Quomodo sedet sola ciuitas? Quomodo obscuratum est aurum?* Sic Dauid 2. Reg. 1. *Quomodo ceciderunt fortes?* & Isai. cap. 14. de Rege Babylonis, *Quomodo cecidisti Lucifer?* Sic

REGVLA. *Lugubre carmen plerumque ab admiratione incipit.*

A modò cum stupore dicunt, qui casum intuentur Tyri, *Quæ est vt Tyrus?* id est, quæ ciuitas tam splendida, sicut olim Tyrus Regina maris? quæ tamen sic obmutuit, vt subitò de medio maris euanuerit. Est autem *obmutescere*, seu *silere*, seruitutis signum, & eius qui graui dolore affectus, aut graui plaga percussus est. Sic terra siluisse dicitur in conspectu Alexandri 1. Machab. cap. 1. quia metu sic concussa fuit, vt contra illum hiscere non sit ausa. Isai. c. 15. *Conticuit Moab.* Ierem. c. 47. *Conticuit Ascalon.* vbi sermo est de re omnino desperata. & cap. 49. *Cadent iuuenes eius in plateis eius, & omnes viri prælij conticescent.* Sic ergo obmutuisse dicitur Tyrus, quia sic est oppressa repentino casu, vt quicquam contra moliri non audeat, neque sperare aliquid, aut respirare possit. Idem de Tyro dixit Isaias cap. 23. v. 2. *Tacete qui habitatis in insula.*

Silentiū seruitutis signum, & miseræ fortunæ.

B

Vers. 33. *Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos.*] Vsitatum est, vt actio sumatur pro re, in qua exerceri solet, aut quam spectat, aut efficit: quomodo visio pro spectro, auditio pro sermone sumitur; sic Deus laus dicitur, seu timor hominum, quia illum homines laudare, atque timere debent. Negotiatio ergo hoc loco merces significat, quæ sunt negotiationi subiectæ; quæ sæpe de mari, déque celeberrimo illo mercatu egrediebantur; populósque quibus C cum aliquid erat commercij, locupletabant. Porrò alio sensu supra vers. 2. negotiatio populorum dicitur Tyrus, quia ibi negotiabantur populi, mercimoniis tractandis assueti; de quo ibi nos aliquid. Isai. cap. 23. vers. 3. eodem sensu Tyrum negotiationem vocauit; sed idem vers. 18. negotiationes dixit esse merces. 85.

REGVLA. *Actio pro subiecto, seu obiecto actionis.*

Vers. 34. *Contrita es à mari.*] id est, periisti de mari, cúmque in eo sublimem, & principem locum obtineres, vtpote Regina, & in petra collocata: tamen sic es contrita, vt è mari prorsus euanueris, non aliter atque bullæ, aut spumæ solent, quas vt ventus facile inflat, & inani tumore diffundit; sic facile dissipat, neque illius relinquit in aqua vestigium. 86.

D

Vers. 35. *Vniuersi habitatores insularum obstupuerunt super te: & Reges earum, &c.*] Cùm Tyrus esset insularum omnium munitissima, non poterant aliæ insulæ ad illius ruinam non commoueri; cùm talia suo sibi capiti timerent, qualia Tyro contigisse viderant, à Chaldæis. Neque sine causa Regum meminit; illi namque grauiùs timent, quia maior illorum gloriæ, atque fortunæ alea proponitur. Atque ideo dicuntur expalluisse, seu mutasse vultum, quod non nisi ex magna perturbatione contingit. 87.

Vers. 36. *Negotiatores populorum sibilauerunt super te.*] Licèt à potentibus existāt interdum miserorum commoda, vitæque subsidia; sæpius tamen existunt ab illis non leues iniuriæ; quarum memores, licèt compendium sibi periisse doleāt, gaudent tamen aliquam sumptam esse vindictā. Quòd Tyrus omnium negotiatrix maximè fraudibus alios, calūniisque vexauerit, indicat Isaias cap. 23. dum tales dicit accepturam esse Tyrum, quales ipsa aliis intulisset iniurias. *Non adiicies, inquit, vltrà vt glorieris calumniam sustinēs.* Hi ergo sibilabunt, insultabúntque ciuitati, quam priùs externæ opes per fraudem, & calumniam ablatæ ambitiosiùs inflauerant. Porrò vsitatum, & penè prouerbiale est in Scriptura, sibilum cum stupore coniungere, vt fecit hîc Ezechiel. Ierem. 19. v. 18. de Ierusalem, *Ponam ciuitatem hanc in stuporem,* 88.

E

rem,& in sibilū. & cap.49.v.17.de Idumæa, *Omnis, qui transierit per eam, stupebit, & sibillabit.* Et eadem repetit cap.50.v.13. de Babylone.

89. *Et non eris vsque in perpetuum.*]Hunc locum explicuimus supra in fine capitis præcedentis, in quo eadē continetur sentētia. & ibidem vers.13. A ad illud, *Sonitus citharárum tuarum non audietur amplius.* Quod item dixit de Tyro Isaias c.23. *Non adiicies vltrà vt glorieris.* Quibus in locis diximus *non vltra, non amplius, æternum, perpetuum,* & similia significare sæpe tempus longum; non illud, quod nullo definitur spatio.

IN CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

ARGVMENTVM.

EGIT præcedenti capite contra Tyrum; nunc seorsum contra Tyri Regem vaticinium conuertit. Et primùm eius superbissimum stuporem exagitat, qui eò progressus est insaniæ, vt se Deum esse, aut Deo quàm simillimum existimaret: cui propterea exitium indicit ab externa, & potentiori manu. Deinde pulcritudinem eius, & maiestatem describit, & amplificat sumpta similitudine à Cherubino, qui erat in interiori templi secessu, & expansis alis arcam obumbrabat, vbi aureus erat, & è pretioso lapide mirificus splendor; ex eo tamen loco, & maiestate casurus esse dicitur cum aliarum Gentium stupore, ac sibilo. Denique Sidoniis eundem, quem præcedenti capite Tyriis interitum prædicit. Ad extremum reditum in patriam promittit Iudæis, & ibi securos, atque tranquillos dies, cum sublatis populis, quos habuerunt infensos, nullus deinceps futurus sit, qui illorum pacem interpellet, & turbet.

CAPVT XXVIII.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:* B

2. *Fili hominis, dic principi Tyri: Hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris: cùm sis homo, & non Deus, & dedisti cor tuum quasi cor Dei.*

3 *Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum à te.*

4 *In sapientia & prudentia tua fecisti tibi fortitudinem: & acquisisti aurum & argentum in thesauris tuis.* C

5. *In multitudine sapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem: & eleuatum est cor tuum in robore tuo.*

6 *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd eleuatum est cor tuum quasi cor Dei:* D

7 *Idcirco ecce ego adducam super te alienos, robustissimos Gentium, & nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum.*

PARAPHRASIS.

1. FActum est iterum ad me de Tyro verbum Domini in hunc modum:

2. Fili hominis hæc Regi Tyri meis verbis denuncia: Sic te væsanus inflauit spiritus, vt dixeris, Deus ego sū: aut quasi Deus in Tyrio saxo sedeo, quæ diuina cathedra est, aut digna, in qua nemo sedeat nisi Deus: & putasti talem sapientiam inesse tibi, qualis in vno reperitur Deo.

3. Scilicet tu Daniele sapientior, cui omne mysterium reuelatū est; nihil minus.

4. Quam tu sapientiam vocas, & in ea tibi vehementer places, calliditatem ego, & auaram solertiam appello; qua tibi diuitias congessisti plurimas, quæ apud homines fortitudinis sibi nomen arrogarunt.

5. In multa illa siue calliditate, siue sapientia, id est, in negotiatione fraudulenta, & vafra multiplicasti tibi fortitudinem illam, quam parit, alitque diuitiarum accessio, quæ tibi insanos attulit, atque insolentes spiritus.

6. Propterea hæc dicit Dominus: Quia eò te ambitiosa cogitatio extulit, vt cor tibi inesse credideris diuino simile:

7. Idcirco contra fortitudinem tuam, quam cogerendis vndecumque pecuniis comparasti, maiorem aliam fortitudinem armabo. Irrumpent enim contra te alieni populi omnium omnino Gentium robustissimi, distringéntque ferrum in caput tuum, & illam pulcritudinem, & speciem euertent; fœdabúntque quam tibi antè sapientia tua, seu potiùs artificio fraudulento quæsieras.

8. Interficient, & detrahent te: & morieris in interitu occisorum in corde maris.

A 8. Illi ergo sternent te, & exanimem ex ea cathedra deiicient, quam dicebas esse diuinam. In corde maris, quò non putabas accessuras vnquam hostiles acies sibi quàm certissimè, & quàm citissimè morieris.

9. Nunquid dicens loqueris: Deus ego sum, coram interficientibus te: cùm sis homo, & non Deus, in manu occidentium te?

9. Numquid, cùm in hostile ferrum incideris, téque videris sicut ignobilem aliam turbam ab hoste lacerari, dices sicut antea solitus, Deus ego sum? cùm manus experieris armatas in ipso vulnerum inflictu, diuinũ hosti nomen oppones, cùm
B mortalis sis homo; & nullo modo Deus?

10 Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.

10. Morieris autem non Iudæorũ manu, quorum nunc attritæ sunt vires, & afflicta fortuna; sed incircumcisorum, Chaldæorum nempe, qui robustissimi sunt. Neque his minis pondus aberit, quia non ab humano sunt ore, sed à diuino.

11. Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis leua planctũ super regẽ Tyri:

12 Et dices ei: Hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore,

11. Et iterum à Domino sermonem accepi de Tyri Rege in hanc sententiam:

12. Fili hominis super Regẽ Tyri hoc lugubre, ac parentale canticum assume, dicésque meis verbis: O Rex, sic de te vanè,
C atque superbè cogitabas, vt te tam esse similem Deo crederes, quàm est sigillo similis effigies, quæ ab illo in cera, aut creta expressa relinquitur: nam diuinam esse tibi speciem, ac pulcritudinem prædicabas; & eam sapientiam vt scires, & eas facultates, & vires vt posses sapienter cogitata præstare.

13. In deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & iaspis, chrysolithus, & onyx, & berillus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus: aurum opus decoris tui: & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt.

13. Neque sedem, quam tibi habitandam delegeras, diuinæ existimabas esse dissimilem. Vixisti namque in loco vsque
D adeò specioso, & ad voluptates captandas idoneo; tam vbere, ac pleno vt paradisus Dei appellari potuerit: sic cultu splendebas plusquam regio, vt omnis pretiosorũ lapidum in eo radiaret fulgor. Visebatur in ornatu tuo, instructúque domestico, in quo diuinam in te maiestatem apparere studebas, Sardius, Topazius, Iaspis, Chrysolithus, & Onyx, & Berillus, Sapphirus, Carbunculus, Smaragdus. Ornamentum præterea, quod decorem tibi, & gloriam afferebat, totum erat ex auro. Hunc porrò
E splendorem proprium tibi, & naturalem esse putabas; quia à regiis ortus natalibus, & à prima luce regio nomini destinatus prodiisti; his ab initio quasi cauitatibus, ac sinubus perforatus es, quibus lapides illi pretiosi suo tempore illigari possent, & includi.

14. Tu cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti.

14. Eras, ô Tyrie, instar Cherubini illius, qui in sacratiori oraculi secessu expansis alis arcam protegebat. Neque aliter sedisti in monte tuo, Tyrio nempe saxo, quam Cherubinus sedit in monte sancto meo, in parte videlicet templi nobilissima,

15. Perfe

A sima, quod in monte ædificatum est; & sicut ille in loco auro, lapidibúsque pretiosis conspicuus erat; sic etiam in regio conclaui, in medio pretiosorum lapidum ambulasti.

15. Perfectus in viis tuis à die eruditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.

15. Ex quo primùm in lucem susceptus es, in tuis institutis, atque consiliis nihil defuit, quod tibi futurum esset in votis; donec tandem ad iniquitatem illam summam peruenisti, ex rerum successu impotenter inflatus, vt diceres Deum esse te. Tunc enim te Chaldæorum potestati B tradidi, vt pœnas exigerent cogitationis illius arrogãtissimæ, & vltore gladio ignominiosè conficerent.

16. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti: & eieci te de monte Dei, & perdidi te, ô cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.

16. Peccata verò, quibus animũ tuum execrandum in modum impleuisti, ex iis opibus, & facultatibus eruperunt, quas tibi negotiatio peperit: inde ad illud summum peccatum, seu peccatorum culmen peruenisti, vt diceres vana de te cogitatione tumens, *Deus ego sum.* Quare eieci te de mõte tuo, in quo sedebas sicut Cherub in monte meo extensis alis, & arcam C testamenti protegens; fecíque ne inter fulgentes, atque ignitos lapides regiis deliciis indulgeres.

17. Et eleuatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te, ante faciem regum dedi te vt cernerent te.

17. Eleuatus antea fuerat ex rerum abundantia, ac regio decore stultissimus animus tuus; sed proiectus à me in terrã, & ab aliis regibus, qui te cecidisse conspexere, ludibrio habitus; cum dignitate, atque decore regio, sapientiæ quoque opinionem abiecisti, quam tibi inesse arbitrabaris eximiam.

18. In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ polluisti sãctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te.

D 18. Dum variis te sceleribus tradis, quæ fouent diuitiæ, saturitas, & otium, quæ à tua tibi negotiatione prouenere, id consecutus es, vt regiam maiestatem, & locum fœdè pollueris; qui locus dissimilis non erat Sanctuario, in quo super arcam Cherubinus alas expandebat. A te ergo ipso ignem assumam, quem ad tuum tuarúmque rerum incendium peccata produxerunt, qui te videntibus, atque plaudentibus aliis ita consumet, vt nihil sit reliquum præter cinerem.

19. Omnes, qui viderint te in Gentibus, obstupescent super te: nihili factus es, & non eris in perpetuum.

E 19. Omnes Gentes, quæ vndecumque terrarũm ad Tyrias nundinas, & commune commercium confluebant; quæque tuam, ô Tyrie, maiestatem, & gloriam antè perspexerant, in ea rerum conuersione, ac tam subita ruina obstupescent, dicéntque: En quô rediit tam superba potentia! ad nihilum redactus es, ô Rex Regum arrogantissime; neque iam ampliùs ad eum, ex quo deiectus es, ordinem reuerteris.

20. Et factus est sermo Domini ad me dicens:

20. Post hæc de Tyro, Tyríque Rege vaticinia; factus est ad me Domini sermo de Sidone:

21. Fili hominis pone faciem tuam contra Sidonem: & prophetabis de ea, A

21. Fili hominis, faciem tuam contra Sidonem obuerte; & aduersus illam meo nomine vaticinare.

22. Et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Sidon, & glorificabor in medio tui: & scient quia ego Dominus, cùm fecero in ea iudicia, & sanctificatus fuero in ea.

22. Ecce ego ad te Sidon, dicit Dominus, quia dum te feliciter, ac diu in tuis flagitiis viuere permitto, aut impotens habeor ab imperito vulgo; aut res rationésque humanas non curare existimor: ideo iudicabo te, ô Sidon, & cùm alij viderint peccata tua impunita non esse, laudem mihi tribuent potentis, & prouidi, quam antè negauerant; & tuis etiam finibus gloriosus apparebo, sanctus, & iustus.

23. Et immittam ei pestilentiam, & sanguinem in plateis eius: & corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum: & scient quia ego Dominus. B

23. Immittam in ciuitatem pestem, & illius plateæ sanguine redundabunt. In eius circuitu grassabitur gladius, quo plurimi sternentur, & cadent: & tunc cognoscent Deum esse me.

24. Et non erit vltrà domui Israël offendiculum amaritudinis, & spina dolorem inferens vndique per circuitum eorum, qui aduersantur eis: & scient quia ego Dominus Deus.

24. Post hæc tempora, quando cum Sidone, ac Tyro alij quoque vicini populi, Iudæis olim infensi, sublati fuerint, non erunt vltrà qui Iudæis aliquid opponant aduersarium, & durum, ad quod tanquam ad lapidem offendant; aut tanquam à spina compungantur; quia Dominus ego sum, ac potens hæc omnia præstare.

25. Hæc dicit Dominus Deus: Quando congregauero domum Israël de populis, in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis coram Gentibus: & habitabunt in terra sua, quam dedi seruo meo Iacob. C

25. Quando filios Israël, inquit Dominus, ex omnibus populis, ad quos varia illos fortuna dispersit, in patrios fines congregauero; tunc me Gentes sanctum esse dicent, & iustum; & ipsi ab exilio restituti illos repetent, & colent fines, quos olim ego Israëli concessi.

26. Et habitabunt in ea securi: & ædificabunt domos, & plantabunt vineas, & habitabunt confidenter, cùm fecero iudicia in omnibus, qui aduersantur eis per circuitum: & scient quia ego Dominus Deus eorum.

26. Et habitabunt ibi, sine vlla perturbatione, ac metu; & ædificabunt sicut antè domos, plantabunt vineas; & sublatis in circuitu populis, quos habuerunt suis rebus infensos, quieti, & securi: & cognoscent Deum esse me, qui ipsos in meam fidem, & tutelam recepi.

---

1. VM illud Isaiæ caput 14. explicaremus, *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris?* expendendum priùs existimauimus, an locus ille historicè de Angelo apostata, an de Rege Babylonis esset intelligendus; an verò sensu tantùm allegorico, seu accommodato. Idem mihi hoc loco faciendum esse video; qui neque magis est apertus, neque minùs à Patribus in ea disputatione versatus. Quidam omnino de diabolo locum istum accipiunt. Origenes lib. 1. Periarchon. cap. 5. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, cap. 10. qui hæc ad Regem Tyri nullo modo pertinere putant; quia multa eo loco dicuntur, quæ neque in Regem Tyri, neque in vllum hominem conuenire possunt. Idem docuit Gregor. lib. 28. Moral. c. 18. licèt de historico sensu non neget. Hoc ipsum senserat priùs Hieronymus ad illud Isai. 54. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos.* Et epist. 146. ad Damasum. Sed in commentariis super Ezechielem, cùm ea D de re meditaretur attentiùs, historicum sensum institutum de Rege Tyri non obscurè tradidit Isidorus de summo bono lib. 1. cap. 12. ex quo sumpsit etiam Beda.

Ego idem hîc esse dicẽdum arbitror, quod in cap. 14. Isaiæ, in eodem propè argumento existimabam, sensum quidem historicum, seu literalẽ esse de Rege Tyri; allegoricum verò, seu accõmodatum de Angelo apostata, seu de diabolo. Quam sententiam tenet hîc Hieronymus, & Theodoretus, & cum eo omnes fermè interpretes. Tenet Ambrosius lib. 1. de Paradiso. cap. 2. August. lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 25. Cyrillus lib. 3. in Ioannem cap. 39. & Gabriel Vasquez 3. tom. 1. p. S. Thom. disput. 232. c. 4. Quod credo etiam dicerent auctores alij (vnum excipio Tertullianum, & Origenem) si ea de re ex instituto plura, & non casu in illum locum incurrentes pauca dixissent. Quod constabit tunc maximè, cùm illa omnia, quæ hîc dicuntur à Propheta in Regem Tyri conuenire ostenderimus, 2.

De Rege Tyri historicè, de Angelo accommodato sensu accipiendus hic locus.

timus, & non pauca eorum in Angelum nullo modo posse.

Fili hominis dic Principi Tyri.] Hæc verba, quæ primùm occurrunt, satis ostendunt ad alium, quàm ad Angelum esse destinata: quomodo enim Propheta loqueretur cum Angelo, futuramque ruinam ex eo statu prædiceret, cuius nunc species pulcherrima describitur, cùm iam olim, ab ipsa rerum constitutione, in statum infeliciorem, multo, quàm nunc ab Ezechiele describitur, esset demersus.

4 Vers. 2. *Eo quòd eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum.*] Causam ostendit, cámque grauissimam cur a sua maiestate, & gradu Rex ille corrueret, quia vsque adeò insolenter intumuit, vt spiritus sibi assumpserit diuinos. Hæc ratio nonnullos adduxit, vt crederent de Angelo ad literam hæc esse capienda, quasi hoc ipsum homines etiam non captauerint; diuinósque honores haberi sibi studuerint. An non sub hoc ipsum tempus ad diuinum nomen, aurea conflata statua, aspirauit Nabuchodonosor? & alius Nabuchodonosor, de quo Iudith 3. v. 13. *Præceperat illi* (Holopherni) *Nabuchodonosor Rex, vt omnes deos terræ exterminaret; videlicet vt ipse solus diceretur Deus?* An non idem voluere Imperatores, qui excitari sibi altaria curauerunt, diuorúmque sibi nomen assumpsere? An non quotquot a Gentibus pro Diis coluntur, ad diuinum illum ordinem studium summum, & ardentissimus ambitionis æstus abripuit? Ex horum numero cur negemus fuisse Regem Tyri; qui inflatus illis opibus, de quibus latè præcedenti capite; & tot Gentium classibus, quæ ad Tyrium portum singulis propè diebus appellebant, cùm opes non solùm superbos animos, sed stultos faciant, in eam cogitationem venire potuit; quæ alios minoris notæ, atque imperij principes deuios abripuit, & præcipites egit.

Homines Deorum sibi nomen aliquando sũpserunt.

5. Adde quòd hic dicendi modus, *Deus sum*, felicem ostendit, interdum non diuinam naturam, ex Latinorum, & aliarum, credo, Gentium consuetudine; apud quos cum aliquis suam felicitatem admiratur, & prædicat, hoc ferè modo explicare solet, *Deus sum.* Sic Cicero lib. 2. de Oratore, *In quo tu mihi Deus esse videris.* id est, singularis, aut in eo genere summus. Et Terentius in Adelphis, *Deum te facio.* Quæ appellatio, aut loquendi forma inde videtur esse nata; quia olim qui in aliqua re videbatur præter reliquos excellere, in diis numerabatur, vt Æsculapius, Hercules, & alij, qui aut inuenerunt artes humanæ vitæ necessarias; aut supra communem hominum conditionem, aut statum fuisse existimati sunt.

Prouerb. Deus sum & similiter pro felix sum.

6. Sanè qui inter alios excelluerunt siue ingenio, siue robore, siue rerum gestarum gloria, diuini aut opinione hominum falsa, aut adulatoria compellatione vocati sunt, vt Plato, qui etiam dictus est Philosophorum Deus; Hector, & Achilles apud Homerum. Et Quintilianus lib. 1. Instit. hominem omnibus numeris consummatum vulgo hominum mortalem Deum appellari docet. Hinc homines vanissimi, & ad gloriæ studium non proni solùm, sed etiam præcipites, cùm de se ab assentatore vulgo diuinum illud nomen audirent, nimium creduli, accipiebant assentatorias illas voces, sibíque de diuino gradu, atque ordine blandiebantur. Quod accidit Alexandro, qui non *magnus* solùm, sed etiam *Deus* vocari voluit, adductus adulatorio vulgi blandimento. Eadem etiam de causa Herodes Agrippa aut sibi putabat aliquid inesse numinis, aut in eo sibi nomine maximè placebat. Cùm enim Actor. 12. v. 22. à turba assentatoriè plaudente audiisset de se, *Dei voces, & non hominis, eo quòd non dedisset honorem Deo,* illum scilicet, quem ab aliis sibi tribui videbat, id est, qui se Deum esse credidit, aut voluit, percussus est ab Angelo, & consumptus à vermibus expirauit. Adde quòd 7.
vulgi etiam sermone, quibus aliquid inest eximium, de cælo descendisse dicuntur ab admirabundo vulgo, quod iuxta Gentilium sensum idem est, atque esse è Deorum cœtu. Quale est illud Iuuenalis Satyr. 2.

Qui in aliquo genere excelluerũt appellati diuini.

Excellentes viri de cælo descendisse crediti.

Tertius è cœlo cecidit Cato.

Cùm ergo de se audiisset frequenter, Rex ille sua iam fortuna nimium inflatus, aut esse Deum, aut lapsum de cœlo, concepit aliquid de se humana conditione sublimius; & vel publicè apud alios, vel tacitus secum dixit, *Deus ego sum.* quod auctore Eusebio fecit etiam Domitianus.

Adde præterea his apud Hebræos similitudinis notam omitti solitam, quod etiam interdum, licèt minus sæpè, faciunt Latini; quòd si ita statuas, quod non videtur esse difficile, sensus erit, qui non admodum abhorret à superborum hominum spiritu, *sum sicut Deus.* neque aliter in hac Tyria sedeo, quàm Deus sedet in cœlesti cathedra. In quam cogitationem veniunt interpretum plerique. Ex quibus constat, quomodo hæc in hominem cadant insolentem, & vanum, neque necesse sit ad spiritum conferre de cœlo lapsum.

Et in cathedra Dei sedi.] Sicut à vulgo assentatore Rex Tyri salutabatur Deus, ex quo sibi diuinum deberi nomen existimabat; sic quia qui ciuitatem illam habitabant, aut qui aliunde eò mercimonij causa quotidie confluebant, ciuitatem vtpote sitam in sublimi loco, egregiè munitam, & omnibus mundi deliciis, atque ornamentis instructam admirabundi sedem appellarunt Dei; aut dignam, quæ non ab alio, quam à Deo habitaretur: ideo Rex ille sedem illam, quam ipse occupabat, sedem appellabat Dei. Aut si notam similitudinis subaudias, dicebat non aliter se in regio solio sedere, quàm in sua cathedra Deus; cùm esset sublimis, potens, diues, in regio apud externos etiam hospites honore; cuique nihil esset ab hominum potentia, siue artificio metuendum. Aut certè, quia quæ magna sunt, illa Dei esse dicuntur, quomodo dicimus *montes Dei, cedros Dei,* & similia; sic etiam illa cathedra potuit appellari Dei; quia splendida, atque sublimis erat. Ex hac fortasse dicendi forma natum est, vt quæ pulcra sunt, & præcipuo aliquo splendore commendata, aut à Deo possessa, aut Deo dicantur esse digna: quare Parnassus Apollini, Idalium Veneri, Dianæ Cinthus, & alia aliis Diis loca consecrata dicuntur, in quibus etiam habitare vulgo existimantur. 8.

Tyrus cur appellata Dei sedes.

Et dedisti cor tuum, quasi cor Dei.] Cor pro sapientia sumitur, vnde sapientes appellantur cordati; sicut etiam fatui vocantur *excordes*, seu væcordes, quasi sine corde, aut à corde non bene constituti. Et de hac sapientia puto hunc locum esse capiendum; quasi Rex ille sibi talem arrogauerit sapientiam; vt diuina sit, aut quæ non longè abierit à diuina. Et hanc cogitationem confirmant meo iudicio satis perspicuè, quæ proximè sequuntur. 9.

Cor pro sapientia.

Ecce sapientior es tu Daniele.] Ironicè hæc dicta, sicut arbitratur Hieronymus, & cum eo complures alij; seu per concessionem. Quasi dicat, 10.

cat, etiamsi sapientior esses Daniele, & secreta omnia, & quæ contra te hostes meditantur consilia, penitus agnosceres; non tamen declinare poteris, quod a Chaldæorum armis, seu potiùs à vindice Deo imminet exitium.

11. Hic nonnulli dubitant an Daniel hîc, quo sapientior dicitur esse Tyri Rex, sit ille, cuius habemus prophetiam; quique hoc tempore captiuus erat Babylone. Cùm enim hoc tempore non ea esset ætate Daniel, vt illustre sapientiæ nomen comparasse potuerit, maximè apud Tyrios, qui longè aberant a Babylone, neque quicquam de Daniele nouerant; non est verisimile Ezechielem adducturum esse illum, vt exemplar doctrinæ, atque sapientiæ summæ, de cuius sapientia Tyriis nil esset exploratum; maximè cùm eo tempore non edidisset illud spiritus sui, atque sapientiæ specimen, propter quod eximiæ sapientiæ laudem consecutus est.

12. Sed planè dicēdum est non alium esse Danielem, quàm qui nobis inter Prophetas numeratur. Neque puer esse poterat Daniel sub hæc tempora, cùm vndeviginti anni essent exacti, ex quo ipse primo Chaldæorum appulsu abductus est captiuus Babylonem. Id verò non obscurè constat: nam vndecimo anno transmigrationis Iechoniæ, qui vndecimus etiam fuit Regni Sedeciæ, vaticinium hoc accepit Ezechiel, vt diximus in principio cap.26. Fuit autem Daniel Babylonem abductus anno Ioacim tertio, Dan.c.1. quòd si tres annos adimas a Regno Ioacim, qui vndecim regnauit, vt habes 4.Reg.c.23.v.36. reliqui sunt octo: quos si vndecim sumas è Regno Sedeciæ, seu ex transmigratione Iechoniæ; deduces decem, & nouem; quo verò tempore migrauit Daniel, ea erat ætate, vt eruditus esset omni sapientia; tales enim postulabat Nabuchodonosor, Dan.c.1.v.4. Quare sub hoc tempus progressum ætate Danielem oportuit.

Daniel quo anno Babylonem migrauit.

13. Quod verò ad opinionem sapientiæ attinet, minus est difficile, quam quidam opinantur. Nam primùm cùm Babylonem exul est ingressus, *Eruditus erat omni sapientia, cautus scientia, & doctus disciplina*, Dan.1.v.4. Insuper iussu Regis edoctus est Chaldæorum disciplinas, cui Dominus *intelligentiam dedit* omnium visionum, & somniorum, vers.17. Deinde vers.20. Rex in Daniele inuenisse dicitur in omni verbo *Sapientiæ decuplum super cunctos ariolos, & magos, qui erant in vniuerso Regno eius.* Cùm verò anno sequenti diuinasset, explicuisśetque somnium Nabuchodonosor; & ideo ornatus esset à Rege sapientiæ ergò muneribus amplissimis, constitutúsque Princeps super omnes prouincias, & præfectus magistratuum super omnes sapientes Babylonis, Daniel.cap.2. v.48. non est credibile Danielis sapientiam Tyriis, qui non adeò longè aberant, ignoratam esse. Adde quòd duorum senum, qui Susannæ pudori insidiati sunt, iudicium adeò prudens fuit, & acutum, vt omnibus populis videatur esse non ignotum. Ex his omnibus opinor Danielis sapientiam prouerbialem habuisse speciem; & quem sapientissimum significare volumus, illum Daniele sapientiorem vocari. Quale nomen habere dicitur Rex Tyri.

Daniel sapientissimus habitus.

Prouerb. Sapientia Danielis.

14. *Et omne secretum non est absconditum à te.*] Hæc planè suadent sermonem esse de Daniele, qui secretorum conscius, & interpres, & somniorum coniectator fuit.

15. Vers.4. *In sapientia tua, & prudentia tua fecisti fortitudinem, & acquisisti aurum,*] Ostendit Propheta qualis fuerit Regis Tyrij prudentia, quam potiùs calliditatem, seu solertiam appelles, quæ eò spectabat, incumbebátque, vt in singulos dies congestis vndecumque pecuniis ditior fieret. Dicuntur autem pecuniæ fortitudo, quia ditiores, quacumque ratione consideres, oppugnantur infirmiùs, & difficiliùs expugnantur; qui pecuniis conducuntur milites, excitantur mœnia, & alia ciuitatum propugnacula, rêsque administratur bellica opportuno tempore, & magis siue ad lacessendum, siue ad resistendum accommodato. Sanè Tullius oratione pro lege Manilia pecuniam belli neruos appellat: & Philippus Macedo nullam ciuitatem dicebat inexpugnabilem esse, si modò asello onusto auro aditus pateret. Et quidem Isaias cap.61. expresè diuitias fortitudinem vocat. *Fortitudinem Gentium comedetis.* & cap.60.vers.5. *Fortitudo Gentium venerit tibi.* & vers.11. *Et afferetur ad te fortitudo Gentium.*

Pecunia dicta fortitudo.

16. Vers.5. *Et eleuatum est cor tuum in robore tuo.*] Quam priùs fortitudinem dixerat, nunc robur appellat. Illud porrò *in*, quod in Scriptura non infrequens, idem est, quod propter. Pecunia igitur, quam ex Tyriis nundinis ingentem contraxerat, spiritus indidit insolentes Regi stultissimo; & in eam cogitationem abripuit, de qua nuper.

17. Vers.7. *Idcirco ecce ego adducam super te alienos robustissimos Gentium.*] Hucusque suspensa videbatur oratio, quia tantùm proponebatur quid de se Rex ille barbarus sentiret, ac prædicaret; nunc quid tam inflatæ cogitationi calamitatis immineat, docet. Et primùm ostendit instare vim longè maiorem a Chaldæis, qui robustissimi sunt, quibúsque resistere non poterunt aut opes vndecumque congestæ; aut excitata mœnia, aut oppositæ machinæ. Eadem audiuit antea Tyrus ab Isaia cap.23. v.13. *Ecce terra Chaldæorum talis populus non fuit*, & eodem cap.vers.9. docet idem quod nunc Ezechiel, nempe tantæ ruinæ causam fuisse superbiam. *Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret superbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret vniuersos inclytos terræ.*

18. *Nudabunt gladios super pulchritudinem sapientiæ tuæ.*] Sapientiam Tyri illam dicebamus, quam veriùs possemus appellare solertiam; cui propositum est diuitiarum incrementum, quæstuarium lucrum, & quæ auarorum hominum capiunt animos; aut oculos artificiosa pulchritudine pascūt, & oblectant. Est itaque pulchritudo sapientiæ illa, quam mens ad quæstum attenta solerti quadam indagatione quæsiuit, quam statim decorem appellat. In quam Chaldæi nudabunt gladios, eo successu, vt nihil sit tam clausum, quod non scrutentur, & inueniant; nihil tam pretiosum, & pulchrum, quod non euertant, atque contaminent.

19. Vers.8. *Morieris interitu occisorum in corde maris.*] Quidam morbo conficiuntur, & lenta tabe; alij subito, ac violento interitu, ferro puta confossi, aut oppressi ruina. De illis est illud Ierem.cap.16.v.4. *Mortibus ægrotationum morientur*: de his agit nunc Ezechiel, qui Tyriis gladium minatur, & mortem velocem, qualem afferre solet hostilis impetus, & vis armata. Hæc verò geminatio epitasim habet, eámque non vulgarem, quæ certitudinem ostendit, vimque in suo genere præcipuam, qualis est in his dicendi formis: *Morte morieris, vita viues, zelo zelatus sum.* Sed hic quia ter repetitur mors, aut id quod est à morte, longè maior est vis; indicatur enim mors certissima, & mortis acerbissimum genus. Quia verò

verò Rex Tyri, propter vrbis situm, quæ in corde maris erat, in saxo videlicet, quod marinis aquis vndique claudebatur, nihil sibi ab hoste metuebat; ideo addit Propheta, in corde maris illi esse pereundum. Quasi dicat, ad cor etiam maris, quod inaccessum fore existimabas, accedent hostes, & inter ipsa propugnacula, quæ sunt tam ab vndis, quàm à saxo, & mœnibus, morieris.

20. *Alexander vulneratus se hominem esse agnouit.* Vers. 9. *Numquid dicens loqueris, Deus ego sum, coram interficientibus te?*] Putabat se Alexander Macedo Iouis Ammonis filium; talis sanè videri studebat, vt auctor est Plutarchus in eius vita. Hic verò ex vulnere, & sanguine quo perfusus est, ex ea opinione deductus mortalem se esse cognouit, de quo sic Plutarchus, *Cum sagitta saucius doloris acerbitate collaberetur, amici, dixit, hunc planè cruorem, mortalium, & non deorum munera spargunt.* Hunc eundem, vt reor, sensum fore dicit Regi Tyri, cùm in hostile ferrum inciderit, séque viderit sicut ignobilem aliam turbam ab hoste lacerari. Neque enim tunc nisi mentem cum regno simul amiserit, *dicens loquetur*, id est, audacter dicet, & impudenter, sicut antea solitus, *Deus ego sum.* Mors enim & ex vulnere dolor, & sanguis planè suadent in eo nihil esse diuinum.

21. Hæc mihi germana huius loci videtur expositio: sed neque displicet, si dicas, adhuc in illo rerum articulo retinere superbum illum Regem antiquos spiritus, diuiníque nominis, atque ordinis oppositu hebetare velle gladiorum acies, & ardentes inimicorum impetus reprimere. Quomodo (si fas est magnis componere parua) Christus, cùm diceret, *ego sum*, sic armatam Principum, & Sacerdotum cohortem exterruit, ac fregit, vt audito nomine retrorsum ceciderint. Non sic accidet Regi Tyri; quantumuis enim frequenter, & clarè se Deum esse clamet, excipient vocem illam insanam inimici cum sibilo, & nihilo in illum humaniùs bacchabuntur. Illud quod sequitur, *in manu occidentium te*, idem valet quod proximum, *coram interficientibus te.* Quasi dicat, cùm manus experiaris armatas, & in ipso vulnerum inflictu, neque auxilio tibi erit, neque hosti terrori, ac religioni diuini nominis oppositio.

22. Vers. 10. *Morte incircumcisorum morieris, in manu alienorum.*] Duas hîc expositiones afferri video; alteram, quæ infelicem fore dicit Regis Tyri mortem, qualis esse solet incircumcisorum, id est, illorum, qui neque verum Deum agnouere, neque vitam suam sanctis astrinxere rationibus, qui mortem obeunt, quæ verè nominari mors debeat, cùm æterna futura sit. Ita Chaldæus, Rab. Dauid, Lyra, Hugo, Dionysius, Vatablus, & nonnulli alij. Quæ explicatio ideo mihi probatur minùs; quia neque Tyrij, neque Gentiles alij, qui circumcisi non erant, eo loco habuere Iudæos, eo maximè tempore, quo eorum mores erant corruptissimi, résque Iudaica vehementer afflicta, vt illorum mortem futuram esse crederent fortunatam; alioqui ipsi, & præputia deponerent, & Iudæorum legem, & sacra susciperent.

23. Altera explicatio est, quæ mortem infligendam esse dicit ab incircumcisis, & alienis. Et hæc mihi omnino videtur probanda, vt planè suadet quod statim additur: *in manu alienorum.* Sed cur hîc Propheta incircumcisorum meminit; cùm non magis videretur genus mortis esse timendum, modò eadē illius esset acerbitas, siue à circumcisis, siue à præputiatis afferatur. Maldonatus, & Isidorus ideo dicunt incircumcisorum hîc Prophetam meminisse, quia ignominiosum esse existimatur incircumcisorum manibus extingui. In cuius confirmationē adducitur illud 1. Reg. c. 31. v. 4. de Saule, *Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me illudentes mihi.* Quæ explicatio probari mihi nunquam potuit; quia incircumcisis hominibus, quales erant Tyrij, ignominiosa non erat mors ab incircumcisis illata, eo nomine quòd incircumcisi essent. Neque si circumcisi forent, quemadmodum fuerunt nationes aliæ complures à Iudæis (vt pluribus ostendimus in nostris commentariis in Ieremiam ad illud cap. 9. *Visitabo super omnem, qui circumcisum habet præputium*) magis mortem horrerent ab incircumcisis, quàm à circumcisis illatam. Neque Saul ideo extingui se ab incircumcisis metuebat, quia durior esset, aut ignobilior cædes, sed ne viuo priùs illuderent, aut certè postea regium cadauer ignominiosè tractarent, quod ipse statim significauit cùm addidit, *Et interficiant me illudentes mihi.*

Ego aliam ob causam puto addidisse Prophetam *incircuncisos*, & alienos; cùm enim Iudæus esset, existimare Tyrij potuissent, Prophetam Gentis suæ felicitati siue assentatum, siue gratulatum; hanc Iudæis tribuere voluisse gloriam; vt Tyriam frangere potentiam, & regnum illud à nemine ad illud vsque tempus subactum, Solymitano subiugarent imperio. Cùm autem tunc attritæ essent Iudæorum vires, & à Babyloniis extremus iam immineret interitus, quia, vt diximus, vndecimo Sedeciæ anno hoc à Deo vaticinium acceptum est, vanas esse minas existimarent Tyrij, & vaticinium nugax; cùm nihil videretur à Iudæorum armis esse metuendum. Quare dicit Propheta non à Iudæis, sed ab incircumcisis, & alienis, à Chaldæis nempe, quos paulo antè robustissimos dixerat, impendere cladem illam, quam proximè descripsit. 24.

Vers. 11. *Fili hominis leua planctum tuum super Regem Tyri.*] Quemadmodum Isaias cùm cap. 13. durum in Babylonem vaticinium intorsisset, iussus est cap. 14. seorsum contra legem Babylonis canticum insonare lugubre; sic nunc cùm cap. præcedenti multa esset cōtra Tyrum vaticinatus Propheta, nunc contra illius Regem seorsum tristem, & quasi funebrem lamentationem aggreditur. Cur verò quæ hactenus dicta sunt, in Regem Tyri perquam optimè quadrent, quæ modò explicare instituimus, tantum habent difficultatis, vt nonnulli, sicut antea notauimus, nullo modo putauerint in Regem illum conuenire posse, atque ideo existimauerint potiùs esse in Angelum apostatā conferenda. Quæ si nos, vt iam conabimur, in Regem Tyri aptari posse probauerimus, efficiemus profectò, vt totum caput ad illum pertinere facile sibi quisque persuadeat. Id igitur agamus. 25.

Vers. 12. *Tu signaculum similitudinis Dei.*] Hoc credo ironicè dixisse Prophetam accommodatè magis ad vanissimam Regis cogitationem, quàm ad veritatem. Se etenim Rex ille Deum appellabat; aut putabat instar se habere Dei. Quare non alia similitudine explicari meliùs potuit de seipso concepta Regis opinio, quàm signaculi; si tamen illud passiuè sumas pro imagine, quam sigillum exprimit è cera, quæ sigillo quàm simillima est. Vt enim sigillum in cera relinquit suiipsius imaginem; sic in Rege Tyri iuxta Regis opinionem, Deus expressam sui similitudinem reliquerat. 26. *Sigillum perfectissimam sui exprimit imaginem.*

liquerat. In quo verò maximè spectari similitudo potuerit, statim declarat. *Plenus sapientia, & perfectus decore*, id est, qui sapiens est vt sciat, & potens, ac locuples vt possit cogitata præstare. Ac tandem eximio quodam decore conspicuus. Hæc, vt dixi, iuxta stultissimi Regis alienissimam opinionem: nam ille neque sapiens erat, neque decore, ac venustate perfectus.

27. Alius sensus ex sigilli, seu annuli signatorij proprietate sumitur, ex eo namque annulo maximus significatur amor, & pretium; vt enim annulus manu gestatur, neque vnquam non occurrat oculis; sic illos, qui nobis in pretio, aut in amore sunt, gestamus in sinu, neque ab illo oculos, aut cogitationem auertimus. Quare in amoris, atque æstimationis amplificationem adducitur *annulus in manu*. Ierem. cap. 22. vers. 24. *Viuo ego dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioacim Regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* Et Aggæi cap. 2. v. 24. *Assumam te Zorobabel fili Salatiel serue meus, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi.* Hic verò annulus, vt volunt L X X. qui ἀποσφράγισμα reddunt, signatorius est. Talis videbatur sibi Rex Tyri, aut talem arbitrabantur alij, qui cùm ex opibus, & fortuna amorem, & familiaritatem expendant; amari à Deo, & haberi plurimum existimabant Regem Tyri, quem tantopere fortunæ bonis cumulatum, & pluribus aliis dotibus ornatum videbant. Hæ duæ explicationes non videntur alienæ, si diuinæ similitudinis signaculum intelligas, vt est fortasse intelligendum. Sed in textu Dei similitudo non est, atque ideo explicationes alias tentare licebit.

Gestari in annulo, maximi amoris argumentum.

28. Si tantùm signaculum similitudinis legas, neque ad Dei similitudinem contrahas, duplex occurrit expositio, & vtraque aliquid indicat in suo ordine perfectum. Solemus iis, quæ iam absoluta sunt, & plena, suisque numeris absoluta, sigillum imprimere; sicut artifices suo consignāt nomine opus illud, quod maximè probant, & in quo nihil existimant à curiosis etiam hominibus ampliùs requiri: quod statuarij præcipuè faciunt, & pictores. Quòd si hoc loco similitudinem pro imagine sumas, significabis imaginem esse sigillatam, quasi iam omnino perfectam. Quod Hispanus eadem seruata metaphora, sic explicat, *ha echado el sello*: ita indicat Maldonatus. Neque longè hinc abit Rab. Dauid, nisi quòd pro *similitudine* Heb. תכנית *tecnith*, pondus ipse conuertit, aut numerum; quod etiam Pagninus, & Vatablus, & alij quidam è recentioribus faciunt: tunc verò sensus est. Tu es, qui summam cumulas, & numerum comples; cui nihil deest de pondere, ac momento viri perfecti, qui denique gradus omnes, & numeros absoluis. Quod statim explicat, cùm addidit, *plenus sapientia, & perfectus decore.*

Sigillum in artificio perfectionem indicat.

29. Altera explicatio est, si *signaculum* actiuè sumas pro sigillo, qui formam exprimit talem, qualem ipse incisam habet ab artifice: quæ quia plures alias informat, ea perfectissima sit necesse est. Hanc verò formam, quæ alias dirigit, & examinat; regulam nos, & canonem appellamus. Sic puræ locutionis, & propriæ regulam vocamus Ciceronem; sic regulam canonicę veritatis, Scripturam dicimus, & Ecclesiam; sic perfectæ imaginis canonem statuimus illam, quam Apelles finxit, aut pinxit Lysippus. Vt igitur opus magis est perfectum, quod magis ad regulam accedit: sic imago absoluta magis, quo propiùs ad pro-

A totypi exemplaris perfectionem aspirat. Sic ergo Rex Tyri signaculum similitudinis dici potuit, quia ad illum tanquam ad exemplar, & canonem perfectiónis adduci potest, & expendi id, quod in eo genere perfectum videri vult. Similitudinem autem hic appello imaginem, cuius perfectionem explorare, atque probare volumus.

Has ego explicationes magis esse reor ad literam; duas accipe, quæ si minus ad literam, ad mores tamen accommodatæ sunt; quæ signaculum similitudinis Dei esse putant, cuius est imago, & similitudo hominum animis impressã, iuxta illud Geneseos cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Hieronymus ergo 30.

B ait Regem Tyri habuisse Dei similitudinem, quam tamen peccando prodidit, & abiecit. *Signaculum*, inquit, *Dei & figuram, quæ velut in cera mollissima expressa sit, Rex Tyri resignauerit, atque perdiderit, vt pro signaculo fecerit resignaculum*, &c. Eò autem spectare debent viri Apostolici studiũ, atque consilia, vt Dei imago in peccatorum animis reformetur, seu, quod idem est, formetur in illis Christus. Sic Paulus ad Galatas 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, id est, vt hoc loco Hieronymus exponit, *vt recipiatis similitudinem eius, quam vestro vitio perdidistis.* Huc etiam spectare debet pœnitentia, quæ si id non

C assequitur, vt docet Gregor. in lib. 1. Reg. cap. 4. vana est. *Nihil*, inquit, *ei (peccatori) prodest, quod pœnitendo compungitur, nec quod flendo confitetur, si inemendata, & incorrupta interius pulchritudine bonæ voluntatis luce Dei imaginis nequaquam radiare cognoscitur. Imago enim, & similitudo Dei est, inclyto odio malum odire; & amore perfecto Deum diligere.* Vide reliqua.

Altera explicatio est quorundam, qui pro *signaculo*, reddidere *resignaculum*, de quibus ita Hieronymus in hunc locum. *In Latinis*, inquit, *codicibus pro signaculo, resignaculum legitur, cùm* κακόζηλ*ος & verbum è verbo exprimens, qui interpretatus est iuxta L X X. translationem* ἀποσφράγισμα *resignaculum posuit. Vnde quidam sic intelligunt, quòd signaculum Dei,* 31.

Resignaculum quid.

D *& figuram quæ velut in cera mollissima expressa sit, Rex Tyri resignauerit.* Hic verò interpres, quem aut sequitur, aut carpit Hieronymus, Tertullianus est lib. 2. contra Marcionem, cap. 10. qui sic Ezechielis verba conuertit: *Tu es resignaculum similitudinis.* Et addit Tertullianus de suo, *Qui scilicet integritatem imaginis, & similitudinis resignaueris.* Sed sanè licèt ad mores grauis sit hæc Tertulliani sententia, & Græci nominis interpretatio; non tamen aptè conuenit cum Hebraico textu, neque in eam explicationem cogit vox Græca, quam adhibuere L X X. Quamuis enim ἀποσφραγίζω resignare significet, id est, signa detrahere; non tamen id est perpetuum: interdum enim idem va-

E let quod ἐκσφραγίζω, id est, signo, aut sigilli imaginem aliò transfero, in ceram nempe, aut cretam. Certè ἀποσφράγισμα significare imaginem expressam à sigillo, docet apertè Athenæus lib. 13. Nam cùm amator quidam ad Laidem misisset ἀποσφράγισμα, & illam inuitaret, aduocarétque, respondit, οὐ δύναμαι, πηλός ἐστι; non possum, inquit, venire, quia lutum est; quia nempe in creta annuli sui signum expressum mittebat. Et Plinius in quadam epistola. Signata est, inquit, *annulo meo, cuius est* ἀποσφράγισμα *quadriga.*

Vers. 13. *In deliciis paradisi Dei fuisti.*] Sicut, quæ modò diximus, non cogunt nos ad spiritum apostatam hæc referre; sic neque illa, quæ modò explicare aggredimur, quorum est expo- 32.

sitio

sitio magis soluta. Paradisus Dei hortus ille vocari potest, de quo Gen. 1. quia in eo ornando attentior fuisse videtur diuina solertia, quódque ἀνθρωποπαθικῶς paradisus dicitur Dei. In eo neque Angelum fuisse constat, saltem in suo splendore, & gloria, de quo tantùm articulo hæc intelligi poterant, vt liquet, neque Regem Tyri. Quare de alio aliquo paradiso hæc sunt intelligenda. Ego nullam aliam quæro, præter Tyrum ipsam, quam fuisse amœnitatis eximiæ vel loci natura, vel potentissimorum hominum sumptibus, & industria, mihi non est difficile. Nam licèt scopuloso in loco sita esset, imò in præduro saxo, vnde Sor dicta est, à voce Heb. צור, quæ petram significat; tamen industria, atque potentia hominum, qui voluptates, & luxum omni studio captabant; pensiles horti adornari potunt, qui naturalibus aut specie, aut vtilitate non cederent: quales habuisse Babylo-

Tyrus speciosa civitas.

33. nem tradit Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 13. & Q. Curtius lib. 5. de rebus ab Alexandro gestis. Horti autem eiusmodi Dei esse dicuntur, sicut reliqua, quæ in suo quoque ordine magna sunt, vt *cedri Dei*, & *montes Dei*. In hanc ego sententiam sumi posse arbitrabar illud Isaiæ cap. 51. *Et ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini.* Vbi altera pars hemistichij per epexegesim docet, quo sensu altera explicari debeat; nempe deliciosum futurum, atque amœnissimum hortum. Fuisse ergo Regem Tyri in deliciis paradisi Dei, nihil est aliud quàm in loco voluptatis, atque amœnitatis eximię aliquando vixisse.

REGVLA. Quæ magna sunt, Dei esse dicuntur.

34. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.*] Hæc ego non aliter accipio, quàm ipsa sonant verba: vt enim capite præcedenti vidimus, præsertim versu 16. & vers. 22. gemmæ, aliíque pretiosi lapides ad Tyrias nundinas aduehebantur; vnde incredibile non est Regem illum non solùm vestes pretioso lapide habuisse distinctas, sed etiam regiæ supellectilis instrumenta, ac vasa; imò & domũ ipsam. Sanè id Regibus aliis vsitatum esse tradant historici, vt de Iulio Cæsare in eius vita Suetonius. Et Nero, vt prodit Plinius lib. 37. c. 2. cubicula viatoria, id est, tabernacula vnionibus, & pretioso lapide sternebat; & idem, quod de Nerone Plinius, scribit de Herode Trebellius Pollio. Opertum itaque, & clausum vndique arbitror Regem Tyri à pretioso lapide, tam in veste, quæ regium ornat, atque operit corpus; quàm in veste stragula siue illa lectum, siue parietes, siue triclinia sternat; neque de lacunaribus videtur dubitandum, cùm illa in lautioribus domibus inaurari soleant.

Supellex à quibusdam ornata pretioso lapide.

35. *Sardius, Topazius, Iaspis, &c.*] Hic multa de horum lapidum natura, & genere dici à nobis possent, quæ quia ab aliis satis sunt latè, atque accuratè discussa, neque admodum hic explicatu necessaria, sine magno commentariorum dispendio præterire posse videor. Vide ex antiquis Plinium, & Mardobæum; ex nostris Riberam, & Alcasarem, vtrunque in Apocalypsim, qui ea de re diligenter, & optimè.

36. *Et foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt.*] Locus hic variè ab auctoribus explicatur, ac redditur; neque facile est in tanta rerum diuersitate statuere quid sequaris. Quidam ex Hebræo ita conuertunt. *Opus tympanorum tuorum, & fistularum tuarum in te, in die quo creatus es, parata fuerunt.* Quasi dicas: Exceptus es in hanc lucem plaudente tota familia præ lætitia, & propter re-

A gium partum, per regiam domum strepente symphonia. Ita cum Rab. Dauid Pagninus, & Vatablus, neque improbat Maldonatus.

Chaldæus sordes potiùs, & naturæ quandam 37.
ignominiam exprobrari putat, cùm in corpore vilitatis suæ documenta circumferat, varia nempe foramina, per quæ ex multarum sordium tecta, sordidáque proluuie egerantur reliquiæ, quæ admonere debent hominem, nisi philautia quædam, & ambitio stuporem induxerit, habere in se potius cur pudefiat, quàm cur insolenti spiritu intumescere debeat.

Homo in se habet sua vilitatis argumentum.

Septuaginta, & ex illorum translatione Ter- 38.
tullianus copiam rerum omnium his verbis si-
B gnificari docent; sic enim vertunt: *Et auro replesti thesauros tuos, & apothecas tuas in te, à die quo conditus, atque paratus fuisti.* Vnde tanta in vertendo varietas prouenerit, non est promptum ostendere, neque admodum necessarium excutere; quare à labore hoc, studióque prudens abstineo, quia neque lector id à me requiret, neque paucis expediri potest.

Quod autem ad vulgatam translationem spe- 39.
ctat, in qua nobis magis laborandum est, foramina quidam fistulas esse putant, quia ad varios sonos variè etiam perforatæ sunt. Alij communiter sinus esse censent, aut cauitates, quibus illigantur, & continentur pretiosi lapides, quales sunt,
C quæ in annulis dicuntur palæ; aut in vasis, seu argumentoso aliquo emblemate, ab Hebræis dicuntur מלאת meleoth, id est, plenitudines. In hac ego quoque sententia foramen accipio, & sensum esse puto, Tyri Regem ab ortu suo destinatum esse Regno, & tot illis ornamentis, & opibus, de quibus hic latè. Quæ magna pars esse creditur felicitatis, cùm nullo tempore regio luxu, ac mollibus deliciis caruerit. Sunt etenim multi, qui quamuis regium nomen consecuti fuerint; aliquando tamen vitam egerunt parcam, & duram, quia claris, aut regiis natalibus orti non sunt; sed ipsi laboribus, periculísque perfuncti regnum obtinuerunt. Quales ex Hebræis fue-
D runt Dauid & Saul, & ex Gentilibus alij non pauci. Hic verò status optimè foraminum vocabulo significatur: nam sicut foramina, ac sinus, lapides pretiosi non sunt; sed pro pretiosis relinquuntur lapidibus, à quibus deinde suo tempore impleantur; ad quos habilem habent, atque capacem cauitatem. Sic etiam filij Regum, licèt viuente patre Reges ipsi non sint; imò etiam neque mortuo, si adhuc paruuli sunt, & regio ponderi non satis idonei (non enim, teste Apostolo ad Galat. 4. à seruo differunt, cùm sint omnium domini) tamen Regni capaces sunt, & Reges aliquando futuri. Quia sinus habent, vbi includi possint pretiosi lapides, qui regij ordinis symbo-
E lum, aut argumentum sunt; quibus proximè diximus excultum esse Regis integumentum.

Vers. 14. *Tu Cherub extentus, & protegens.*] Hæc 40.
appellatio aliquibus persuasit non de Rege Tyri, sed de Angelo apostata capiendum oraculum; quia Cherub aliquid sonat cœleste, & humana conditione sublimius. Sed sanè sicut Angelus in Dei paradiso non fuit, antequam laberetur; sic etiam neque extentus fuit, & protegens, quocumque velis interpretari modo; nisi admodum literam contorqueas. Comparat ergo Deus Regem illum cum Cherubim, qui erant iuxta arcam testamenti, illámque extentis alis obumbrabant, protegebántque, qui aurei erant, atque ideo pretiosi, ac pulchri. Exod. 25. v. 19. *Cherub vnus sit*

in

in latere vno, & alter in altero: vtrũque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum. Eſt autem hic ſubaudienda ſimilitudinis forma, quaſi dicas, *tu eras ſicut Cherub extentus.* In quo Regis illius præter ornatum ſplendentem, ac pulcrum, obſeruantia quædam & nonnulla religionis ſpecies proponitur. Sic etenim Cherubim erant ſpecioſi, vt etiam eſſent ab hominum oculis remoti, vtpote in ſanctis Sanctorum cum arca collocati, quò non niſi Sacerdoti ſummo, idque ſemel in anno patebat acceſſus. Reges autem ſuperbi, qualem fuiſſe Tyrium ex dictis cognouimus, non facilè ſe videndos offerunt, neque alij eorum audent oculos ſubire; quia in regiis penetralibus ſeſe tanquam aliquid diuinum continent, vbi lapidum pretioſorum abundè eſt; quo

41\. regia operitur, & circumfunditur maieſtas. Neque eſt improbabile Cherubim prouerbiali ſpecie ſumi pro re ſpecioſa, & magnæ apud omnes venerationis; ſicut etiam Angeli nomine, quicquid eſt in quolibet genere eximium, explicari ſolet, quomodo à fœmina Thecutide Dauid ſapiens eſſe dicitur ſicut Angelus Dei, 2. Reg.4.& ab Achis 1.Reg.29.& Stephanus Actorum 6. habuiſſe narratur faciem ſplendentem ſicut Angelus. Quare ad illa explicanda, quæ videbantur in Tyrio, aut ipſe ſibi fingebat ſingularia, nihil afferri potuit accommodatius, quàm Cherubinorum gloria, qui extenſis alis propitiatorium obumbrabant. Imò, vt putat Hugo, ideo dicitur opertus eſſe lapidibus pretioſis, & inter ignitos lapides ambulaſſe; quia etiam Cherubini in ſuo ſacrario eiſdem ornamentis, in deaurato, ac radiante receſſu quaſi operiebantur.

Prouerb. Angelus pro ſapiente, ac pulchro.

42\. *Et poſui te in monte ſancto Dei.*] Mons ſanctus appellatur templum, in quo erant Cherubini, de quibus proximè; quia conſtructum eſt à Salomone in monte Moria, vbi Iſaac à parente ſacrificandus fuit, 2.Paral.cap.3.v.1. *Cœpit Salomon ædificare domum Domini in monte Moria.* Hic porrò ſubaudienda eſt ſimilitudinis nota in hanc ſententiam: Poſui te, ſicut poſui Cherub in monte ſancto meo, id eſt, in templo; quia ad eum modum in monte tuo, id eſt, in ſaxo, cui Tyrus eſt impoſita, fulgebas, quo in templo Cherub. Aut certè quia verbum *pono* ſimilitudinem in Hebraico idiomate, aut comparationem importat; hic erit ſenſus expeditus, & facilis: ſimilem te facio Cherub, qui eſt in monte ſancto meo. Quòd verbum *pono* comparationem aliquam importet, probat frequens Scripturæ ſacræ vſus. Duo nunc accipe exempla. Zachar. cap.12. *Ponam Ieruſalem lapidem oneris*, id eſt, faciam vt Ieruſalem inſtar lapidis ſit, & Pſal,78. *Poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam*, id eſt, ſimilem tugurio, quod ab hortorum, ſeu vinearum cuſtode conſtruitur.

Pono comparationem importat.

43\. Hic neſcio quid frigidum ſomniarunt quidam Hebræorum magiſtri, quibus è recentioribus nonnulli ſubſcribunt, qui putant hæc ad Hiram eſſe referenda, qui Salomoni ad templi fabricam non exiguum attulit vſum. Quem ideo in monte ſancto Dei, id eſt, in templo poſitum eſſe credunt, quia aliquid in illud ſuo vel ſumptu, vel induſtria contulerat: ſed facile horum cogitationem euertit, quod Hiram, cuius extat in templum non leue ſubſidium, iam dudum interierat; quare in illum intorqueri non poterant propheticæ minæ; de alio ergo Rege hæc accipienda ſunt.

44\. *In medio lapidum ignitorum ambulaſti.*] Hæc ego A non aliter accipio quàm ipſa per ſe verba ſonant; neque allegoricos conſector ſenſus, quando locus eſt, iſque perfacilis verborum proprietati. Lapides igniti, ſeu ardentes vocantur pretioſi lapides, qui ſcintillare videntur, & igneum aliquid ex ſeipſis vibrare; quæ verò collucent, & ſplendent, ardere dicuntur à Latinis, & lapides ſæpe dicuntur ignei. Ab igne certe nomen ſumpſit Carbunculus Latinè, & Græcè Pyropus. Puto autem Tyri Regem in medio ignitorum lapidum ambulare; quia regium conclaue vndique collucebat his lapillis, qui ſuo iure vocantur igniti. De lacunaribus res eſt minus dubia, quia illa ab auro, ſplendentique materia B renidere ſolent; quare illorum epithetum frequens eſt, *aureum*. Horatius lib.2.Car.ode 17.

Cur lapides pretioſi igniti dicantur.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Quòd parietes, qui plerumque veſte operiuntur ſtragula, pretioſis ſternantur lapillis, perſuadet, quòd pauimentum ſubſterni etiam ſolet pretioſo lapide, à quo abeſſe deberet tantus ille nitor, atque munditles. Id verò à lautioribus fieri ſolitum, probant aliqua, quæ nuper adduximus; illud maximè quod de Iulio Cæſare adducit Suetonius, qui in expeditionibus progreſsúque militari curabat, vt tabernaculi pauimentum foret teſſellato opere, & ſectili lapide conſtratum. Et C de homine longè inferioris ordinis, ac facultatis ſcribit Martialis in pauimento calcandos onyches ſubſtrauiſſe. 45.

Domus lauta lapidibus ornata pretioſis, & pauimentum.

Calcatúſque tuo ſub pede fulget onyx.

Hîc autem non eſſe marmor, ſed pretioſum lapidem, indicat illud *fulget.* Sanè id fuiſſe ſuo tempore vſitatum, docet Seneca lib.2. epiſt.16. vbi docet, aut certè indicat ſolitas ab hominibus ſuas in pauimento calcari diuitias. Regium luxum, & apparatum, inſtructam domum tantùmque ſupellectilem pretioſo lapide habuiſſe Cleopatram, teſtis eſt Lucanus lib.10. in cuius inſtructu delicato, ac molli ſpeciem quamdam propoſuiſſe, videtur eius domus, quam Rex Tyri è vario ſibi lapide conſtrauit. Lucanum audi, & non Ægy- D ptium, ſed Tyrium luxum ſpectare te puta. 46.

Cleopatra ſuperbus luxus & ornatus.

—— —— laqueataque tecta ferebant
Diuitias, craſſúmque trabes abſconderat aurum.
Nec ſummis cruſtata domus, ſectiſque nitebat
Marmoribus, ſtabátque ſibi non ſegnis Achates,
Purpureúſque lapis, totúſque effuſus in aula
Calcabatur onyx, &c.
Et ſuffixa manu foribus teſtudinis Inda
Terga ſedent crebro maculas diſtincta ſmaragdo
Fulget gemma toris, & Iaſpide fulua ſupellex.

Si talem habuit domum Tyrius, quod non eſt incredibile, facilè intelligitur quomodo in medio lapidum ignitorum ambulauerit. Quare neceſſe non eſt propter hæc locum iſtum à Tyrio ad Angelum apoſtatam auertamus. Neque diſ- E plicet quod Hugo docet alluſum eſſe ad adyta, id eſt, ad ſacrarium, vbi erant Cherubini, cum quibus Regem Tyri comparat Propheta: nam illud argento, atque pretioſo lapide radiabat, vt Hugo putat. Sed ad noſtram cogitationem ſatis eſt, ſi ſacrarium illud ſplendidum ſit.

Verſ.15. *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ.*] *Via* inſtitutum valet, & vitæ modum; & id quod cuilibet ſiue ætati, ſiue miniſterio conſentaneum eſt. Vnde dicitur *via adoleſcentis, via ſenis, via auari, via Chriſtiani.* atque etiam id, quod ſibi aliquis faciendum propoſuit, quomodo dicitur ſuprà cap.14.v.22. *Videbitis viam eorum, & adinuentiones* 47.

Via, ministerium institutum, & opus.

tiones eorum. Et est in Scriptura obuium, *Vias eius obserua*, i. opera: *in vijs peccatorum stare*. i. peccatorum imitari facta, & similia. Cúmque varia sint singularum ætatum instituta, ac mores, variæ etiam sunt illarum viæ: alia pueri, alia adolescentes, alia viri, ac senes studia meditantur; alia ineunt cõsilia. Dum igitur Rex Tyri perfectus esse dicitur in viis à die conditionis suæ, significatur, opinor, illi accidisse omnia eo prorsus modo, quo in qualibet ipsius ætate futura illa fuerunt ex voto. Nam infans illa habuit subsidia, & blandimenta, quæ ætatula illa tenera poscebat; neque puero, ac iuueni defuerunt vitiorum, ac studiorũ lenocinia, ad quę prona erat, atque pręceps ætas. Seu certè, quod idem propè est, quæ tentauit, omnia successere pro votis: & quod de se Salomõ Eccl. c. 2. v. 10. confitetur, suis affectionibus sic est obsecutus, vt nihil vnquam suæ cupiditati negauerit. *Omnia*, inquit, *quæ desiderauerunt oculi mei non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur*. Fuit itaque perfectus in viis suis Rex Tyri, quia ad felicitatem, & vsum nihil illi defuit; voluit enim quæ ad voluptatem, & gloriam existimantur summa, neque vt illis frueretur, solertia, atque facultas defuit.

Regi Tyrio omnia contigerunt ex votis.

Quidam perfectum esse dicunt Regem Tyri, donec eò progressus est insolentiæ, cùm ad votum omnia cogitata, seu optata succederent, vt diceret, *Deus ego sum*. Sed ego non tam fuisse puto in re morali Regem illum perfectum, vt nulla in illo fuerit inuenta iniquitas, de qua statim cùm alienus esset à religione vera; neque deliciæ, atque opes eos alant spiritus, qui ab omni sint iniquitate puri.

48. *Donec inuenta est iniquitas in te.*] Iniquitas ex vsu Scripturæ duo significat, primùm, id quod sonat, nempe scelus, & id quod ab æquo, & iusto hominem abducit: deinde peccati supplicium. In priori significatione sumpsere cum Hieronymo aliorum interpretum plerique. Sed si demus propriè hìc iniquitatem sumi; ego crediderim non de qualibet iniquitate sermonem esse, sed de illa maximè ἀντονομαστικῶς, qua eò progressus est homo propter Tyrias opes inflatissimus, vt diceret, *Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi*: tunc enim Deus, qui superbis resistit, splendorem illum regium abstulit; & Chaldæorum armis cõficiendum tradidit. Ita Hugo, Vatablus, Maldonatus, & Lyra. Et hoc mihi probatur maximè.

Superbi supplicium.

49. Sed credo dici etiam posse non improbabiliter, iniquitatem hìc sumi pro supplicio, quo tandẽ affectus est Rex ille. Ad illud enim vsque tẽpus, quo à Chaldæis subacta est Tyrus, & Rex è sua maiestate depulsus, felix habebatur, & aliquid habere diuino simile. Cùm autem in illo inuenta est iniquitas, id est, suppliciũ, quod tam grandis exigebat iniquitas, esse desiit fortunatus; vt videtur sentire Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, cap. 10. qui sic legit, *Donec inuenta sunt læsuræ tuæ*, i. plagæ tuæ, quibus ab hoste concisus es: tunc autem mortem obiit, aut cum aliis è Tyro captus, & ignobilem seruire seruitutem coactus est. Et hoc posterius mihi verisimile est: nam, vt docet Ieremias capite 52. Ioachim deductus est è carcere, & ipsius thronus supra aliorum Regum thronos collocatus: illos autem Reges non est improbabile illos fuisse, qui à Nabuchodonosor post excisam Hierosolymam subacti, &, vt eo Ieremiæ loco diximus, non videri improbabile, in vinculis coniecti sunt. Sicut etiam fuit Ioachim, qui & Iechonias; in il-

Regem Tyri in vincula coniectum vsque ad mortem, non improbabile.

A lis autem fuit Rex Tyri. Cùm ergo venit illa iniquitas seu iniquitatis documentum, atque supplicium; tunc cecidit illa gloria, quæ in Rege Tyri censebatur amplissima; & ex eo supplicio illato diuinitus, apparuit iniquum illum esse, qui ante illum rerum articulum secus fortasse putabatur.

Vers. 16. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti.*] Ostẽdit Propheta vnde illa tanta iniquitas profluxerit, quæ ad illam insaniam, & stuporem abripuit Regem Tyri, vt deum se, aut Deo non absimilem prædicauerit. Ex multitudine nempe negotiationis, & ex negotiatorum frequentia, qui quicquid B erat in orbe deliciarum, & opum, in celeberrimum illud emporium conuexere. Hæc fuere scelerum fomenta, hæc incendij tanti prima fax, hinc tota tanti imperij ruina. Quod dixit de Sodoma Propheta suprà cap. 16. v. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium*. Hinc interiora Regis illius repleta fuerunt iniquitate; id est, peccatis illis, quæ ex abundantia, atque otio nascuntur. Vnde post hęc optimè adiungitur, *& peccasti*. id est, peccatum illud grande commisisti, de quo suprà; quia videlicet diuinos tibi spiritus assumpsisti. 50.

Abundãtia peccatorum fomes.

Vers. 17. *Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.*] Rex ille, vt diximus, sapiens non erat, licèt de C summa sibi sapientia blandiretur; perdidisse tamen sapientiam dicitur, vel quia cùm obsessus esset à Chaldæis, multísque modis, vt erat in loco satis ab arte, naturáque munitus, ciuitatem suam tutari potuisset; tamen omne illi consilium excidit, neque quid hosti opponere opportunũ inuenit. Sed potiùs credo, ideo dici sapientiam perdidisse, quia ab ea opinione, quam de se priùs temerarius imbiberat, excidit, veréque nouit se neque sapiẽtem esse, neque illud habere præclarũ, & mirabile, quod de se priùs ipse somniarat. Dedit nãque illi intellectum vexatio; sicut Alexandrum sanguis ex vulnere profusus docuit esse mortalem, vt in principio capitis ostendimus. Et 51.

Vexatio affert homini sui cognitionem.

52.
D Antiochus, qui se Deo parem, aut similem putabat; ea etenim de illo traduntur 2. lib. Mach. c. 6. quæ non nisi Deo conuenire possunt. Dicitur enim *supra humanum modum superbia repletus; quique sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, & montium altitudines in statera appendere*. Neque ipse negat, cùm graui percussus vulnere, & ex dolore, & vermium scatebris, fœtoréque quem neque ipse sustinere poterat, edoctus, dixit, *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire*. Idem etiam eodem vulnere, ac fœtore è vermibus admonitus dicebat Herodes Agrippa, qui Actor. 12. consumptus fuisse traditur à vermibus; qui cùm grauia illa, ac fœda pateretur, di- E xit, vt refert Iosephus lib. 19. Antiq. cap. 7. *En ego illa vestra appellatione Deus vitam relinquere iubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium; & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior*. Sic puto Regem Tyri deposuisse sapientiam, id est, inflatam de se opinionem; & sibi non aliam quàm cæteris contigisse naturam, ex sua ruina didicisse.

53. *In decore tuo.*] Duplicem hìc inuenio sententiam: alteram, si perdidisse dicatur Tyrius sapientiam, quam sibi arrogabat, quo tempore in decore suo fuit, id est, quamdiu splendorem regium obtinuit, neque hæc displicet: alteram, si illud *in* sumas pro *cum*, quod esse in Hebraico idiomate non infrequens, docuimus suprà cap. 27. v. 17. ad illud, *In frumento primo*. In

 hunc

hunc sensum, *Cum decore tuo*, id est, simul cum decore, à quo excidisti, perdidisti sapientiam: ex eo namque tempore diuinos abiecisti spiritus; & sapientiam, & te non amplius sapere, quàm mortales homines, cognouisti.

54. *Ante faciem Regum dedi te, vt cernerent te.*] Hic locus indicat, quod verisimile suprà putabamus, cum aliis Regibus à Chaldæo subactis Regem quoque Tyri ductum esse captiuum, & speciem illam miseram & ignobilem aliorum Regum oculis obiecisse, siue illi fuerint aliarum prouinciarum captiui Reges, quos quinto ab excisa Hierosolyma anno subiugauit Nabuchodonosor, vt auctor est Iosephus lib. 11. Antiq. c. 10. siue alij, qui cum Chaldæo ad obsidionem Tyri conuenere. Neque videtur esse dubitãdum, quin ludibrio futurus esset Rex iste superbissimus Regibus aliis, qui non aliter insultabunt illius fortunæ, quàm in statu non dissimili Principes terræ Regi Babylonis apud Isaiam cap. 14. v. 9. *Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum, vniuersi respondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es, sicut & nos; nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua.* Neque puto hîc indicari aliud, quàm quod hoc ipso tempore minatus est Ieremias Sedeciæ Regi Ierusalem cap. 34. v. 3. *Oculi tui oculos Regis Babylonis videbunt, & os eius cum ore tuo loquetur.* nempe iudicia; vt dicit idem Propheta cap. 39. v. 6. id est, verba aspera, & indigna alia, qualia Regibus exprobrari non solent; imò quæ ipsi non nisi rarò de se audiunt.

55. Vers. 18. *In multitudine iniquitatum tuarum, & in iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam.*] Compararat suprà Regem Tyri cum Cherub, qui extentis alis arcam protegebat, seu adumbrabat testamenti, atque attemperatè ad hanc similitudinem dixerat vers. 14. *Posui te in monte sancto Dei.* ac si dixisset, non aliter eras in regio conclaui auro, lapidibúsque radiãte, quàm Cherub in adytis templi, quæ sunt in mõte sancto Dei. Quem ibi montem appellat sanctum, hîc sanctificationem vocat, quam pollutam dicit iis maximè peccatis, quæ sunt à negotiatione; ab auaritia nempe, ab iniuria, & fraude, & à superbia, quam generant, alúntque diuitiæ. Tunc autem polluta est regia domus, quæ similis erat sanctificationi, quando Chaldæorum furori, atque rapinæ patuit, cùm conflagrauit igne, denique ad extremum vsque puluerem subuersa est.

56. *Producam ergo ignem de medio tui.*] Peccator ipse sibi malum parit; vt enim ex immoderata mensa, & frequentibus poculis cruditas generatur, & inde morbus, qui ad extremum voracem hominem consumit; & lignum vermem, & vestis tineam alunt, à quibus corroduntur, & putrent: sic ex peccatis, quæ arida est incendij materies, ignis excitatur, qui peccatorem hominem, aut peccatricem ciuitatem absumit. Idem penè dixit Isaias antè cap. 50. v. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis; ambulate in lumine ignis vestri, & in flãmis, quas succẽdistis.* Quasi diceret aut tunc Isaias, aut nunc Ezechiel non ab aliis, quàm à seipsis vulneratos, & extinctos fuisse homines, de quibus tunc erat sermo propheticus.

Peccator sibi malum generat.

57. Vers. 19. *Omnes qui viderint te in Gentibus, obstupescent super te.*] Venerant ad Tyrias nundinas, vt vidimus capite 27. ex toto terrarum orbe mercatores, qui viderunt quanta priùs fuisset Regis Tyri maiestas, & potentia, inter quos venisse dicuntur etiam Assyrij, v. 23. in quibus etiam intelliguntur Babylonij, vt alibi sæpè; & maximè sub hæc tempora, cùm Assyriorum quoque dominaretur Nabuchodonosor. Illi igitur qui maiestatem diuinæ æmulam, aut similem in Tyrio Rege admirabantur, cùm floreret illa luculenta ciuitas, & Regina maris, subitam illam conuersionem intuiti, quasi ad rem insperatam obstupescent; cùm contigisse videant id, quod nullo vnquam tempore fieri posse sibi persuaserant. Hîc porrò cum stupore adiuncta fuisse puto ludibria, & sibila, quibus exagitabatur illa tanta, támque inopinata catastrophe. Quod ideo mihi persuadeo; quia in Scriptura sæpè in fortuna simili coniunctum esse video cum stupore sibilum. Ierem. c. 18. v. 16. *Obstupescet, & mouebit caput.* & cap. 19. v. 8. *Obstupescet, & sibilabit.* Neque id mirum, cùm viri omnes superbi, odiosi sint aliis; neque spectantibus dolori, aut commiserationi esse solent.

Non eris in perpetuum.] Quid *perpetuum, æternum*, & similia sint, diximus suprà cap. 26. n. 28. nempe esse idem quod diuturnum: nam reuera, vt ibidem diximus, post aliquot annos instauratæ sunt Tyri ruinæ. 58.

Vers. 21. *Pone faciem tuam contra Sidonem.*] Hactenus de Tyro: nunc ad Sidonem vicinam vrbem propheticæ conuertuntur minæ; quia sicut vicina loco, eadem quoque tractabat mercimonia, in quibus fraudes intercedere solent, & calumniæ; sic etiam eisdem se cum Tyro flagitiis implicuerat. Quàm verò similes ciuitates hæ duæ inter se fuerint, probat tum locorum, studiorúmque communitas; tum quia siue laudes, siue reprehendas, in Scriptura sæpè coniunguntur. Coniunxit sanè Christus Matth. cap. 11. v. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis*, &c. vbi similis indicatur vitæ modus, & morum turpitudo. 59.

Vers. 22. *Ecce ego ad te Sidon, & glorificabor in medio tui.*] Glorificatur Deus cùm de peccatoribus suppliciũ sumit; maximè cùm superbos deprimit, quíque videbãtur præsidio abundè comparato nulli subesse mutationi. Cùm enim hi tã à vindice Deo facilè sternãtur, & pereant, vulgus hominũ imperitũ, aut impiũ, quod in Deo prouidentiam desiderabat, aut robur, illius potentiã agnoscit, & illum, nisi sit amens, laudat, atque glorificat. Sic Deus Pharaone, qui sæpe Deo præcipiente restiterat, in mari demerso glorificatus est, cui populus, traiecto pelago, cecinit Exodi cap. 15. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est; equum, & ascensorem proiecit in mare.* & Eccli. cap. 36. *Glorifica manum, & brachium dextrum, excita furorem, & effunde iram.* Accommodatè ad hanc sententiam dicitur, *Scient, quia ego Dominus, cùm fecero in ea iudicia.* Quasi dicat, ante sumptam à Sidone vindictam neque potens existimabar, neque Dominus. 60.

Cùm sanctificatus fuero in ea.] Sanctificatur sabbatum, cùm religiosis operibus deberi illi sanctitatem aliquam ostendimus; sanctificatur diuinum nomen, cùm illud religiosè, & cum veneratione proferimus, quia eo modo sanctum esse significamus. Sic impius iustificatus esse dicitur, cùm ab iniquo iudice iustus declaratur: sic Deus iustificandus dicitur excisa Sidone; quia omnes illum iustum prædicabunt, cùm de violenta ciuitate, multis è præda opibus inflata supplicium sumptum esse videant. 61.

Sanctificatur quod ostenditur esse sanctum.

Vers. 24.

62. *Prouerbium offendiculi amaritudinis.* Vers.24. *Et non erit vltrà domui Israel offendiculum amaritudinis.*] Hæc iam, vt reor, non tam ad Sidonem spectant, quàm ad ciuitates omnes, quæ Israeliticos fines attingebant, quæ Iudæorum rationes sæpe turbabant, quoque minus in patrio solo quietè viuerent, impedimento erant, & offendiculo. Quales fuerunt Palæstini, Moabitæ, Ammonitæ, & Idumæi, quibus cum Israelitarum assiduæ penè contentiones. Hi autem omnes eodem penè tempore, imò eadem penè expeditione subacti sunt à Chaldæis; & à patriis finibus expulsi, vt Iosephus docet lib.11. cap.10. Neque offendicula postea fuerũt Iudæis, quia aliquot annos postquam è Babylone remigrarunt nationes istæ à Machabæis domitæ, atque expugnatæ fuerunt, vt pluribus ostendimus super Zachariam, cap. 9.v.23. Porrò quod
63. *Prouerbium spina dolorẽ afferens.* statim sequitur, *& spina dolorem inferens*, explicatio est superioris vocis *offendiculi*, quam puto vocẽ esse prouerbialẽ, est certè præclara metaphora, quæ satis exprimit aut occultam, aut familiarem, & obuiam doloris causam. Vt enim qui in locis graditur amœnis, ac lætis, ab spinis interdum inopinatò compungitur, & ideo ille neque sine perturbatione, neque sine metu sua commoditate, ac voluptate fruitur, imò sibi interdum ad locum amœnitatis eximiæ, vt in syluis accidit, aditum sibi frequentem interdicit: sic Israëlitæ quia parari sibi à finitimis populis insidias metuebant, perturbatè, ac timidè suos obibant fines, & sæpe aduersùs occurrebat lapis ad quem offenderent. Sublatis autem Gentibus nomini Iudæorum infensis, offendicula quoque, & spina compungens sublata sunt. Theodoretus offendiculum ad mores refert, spinam ad humana commoda: quia ex vicino cõtagio mores traxerunt superstitiosos, & patriæ religioni contrarios, & inde sæpe non solùm opibus, sed etiam libertate spoliati sunt: quod prædixerat Iosue iam morti vicinus cap.23.v.12.

Vers.25. *Quando congregauero domum Israël de populis, in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis coram Gentibus.*] Hæc sæpè ab aliis etiam Prophetis audierunt Iudæi, quos Deus, suo more, non ita concutit minacibus vaticiniis, vt non etiam interdum benigna promissione consoletur, & recreet. Ait ergo, cùm iam in patriam exilio longè ab inolitis sordibus purgati redierint, abiecturos esse impios, & sacrilegos animos, & Deum ad parentum exemplar sanctè, atque fideliter esse suscepturos. Dixit hoc priùs Isaias c.1. v.26. *Post hæc* (nempe post exiliũ) *vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* & Zacharias cap.8. *Vocabitur Ierusalem ciuitas veritatis, & mons Domini exercituum, mons sanctificatus.* Qua sententia suam conclusit prophetiam Ezechiel dum in fine cap. 48. dicit, *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.* 64.

Vers.26. *Et habitabunt in ea securi.*] Id quoque à Prophetis sæpe vsurpatum. Zachar. c.3. v. 10. *Vocabit vir amicum suum subter vineam, & subter ficum.* Mich.c. 4.v. 4. *Sedebit subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat.* quod planè consequens est, si qui Iudæis esse terrori poterant, submouentur. 65.

IN CAPVT VIGESIMVMNONVM.

ARGVMENTVM.

VANE de se, ac superbè cogitabat Pharao, cùm ita sibi de sua potentia blandiretur, aut alterius ope non egeret. Quare illi Deus, & populo, à quo sibi pollicebatur omnia, interitum prædicit; & nullam partem tam spaciosi Regni futuram esse dicit immunem à clade. Quæ regni tanta vastitas ad quadragesimum vsque annum producenda traditur: ita tamen post illud tempus instaurabitur, vt nunquam Ægyptus ad antiquam gloriam, & amplitudinem assurgat. Deinde vaticinium alterum accepit Propheta, in quo Deus Nabuchodonosoris operam, quam in Tyri oppugnatione longam assumpsit, Ægyptiis spoliis compensandam dicit. Et sub illud tempus ad extremum, educto è vinculis Iechonia, excitanda dicitur Iudaici nominis oppressa gloria.

CAPVT XXIX.

1. *IN anno decimo, decimo mense, vndecima die mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:*

2. *Fili hominis pone faciem tuam contra Pharaonem regem Aegypti, & prophetabis de eo, & de Aegypto vniuersa.*

3. *Loquere, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus est fluuius, & ego feci memetipsum.*

PARAPHRASIS.

1. ANno decimo, mense item decimo, & eius die decima quarta, locutus est ad me Dominus, dixitque:

2. Fili hominis, faciem tuam contra Pharaonem obuerte Regem Ægypti, & tam de illo, quàm de Ægypto vniuersa vaticinium aggredere.

3. Loquere, & hæc Pharaoni meo nomine denuncia: Ecce ego ad te, ô Pharao, qui instar draconis, aut magni alicuius fluuialis piscis, in medio fluminum tuorum, id est, in his spaciis, quæ dissectus in septem brachia Nilus amplectitur, stabu-

4. *Et ponam frenum in maxillis tuis: & agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis: & extraham te de medio fluminis tuorum, & vniuersi pisces tui squamis tuis adhærebunt.*

5. *Et proiiciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui: super faciem terræ cades, non colligeris, neque congregaberis: bestiis terræ, & volatilibus cæli dedi te ad deuorandum:*

6. *Et scient omnes habitatores Aegypti quia ego Dominus: pro eo quòd fuisti baculus arundineus domui Israel:*

7. *Quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & lacerasti omnem humerum eorum: & innitentibus eis super te, comminutus es, & dissoluisti omnes renes eorum.*

8. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam super te gladium: & interficiam de te hominem, & iumentum.*

9. *Et erit Terra Aegypti in desertum, & in solitudinem: & scient quia ego Dominus: pro eo quòd dixeris: Fluuius meus est, & ego feci eum.*

10. *Idcirco ecce ego ad te, & ad flumina tua: daboque Terram Aegypti in solitudines, gladio dissipatam, à turre Syenes, vsque ad terminos Aethiopiæ.*

A laris; quique vesana cogitatione non solùm apud te reputas, sed etiam nõ obscurè dicis tuũ esse fluuium; atque ideo cùm ille omnes secum cõmoditates importet, nihil tibi esse metuendum; neque ab aliqua superiore potestate quicquam sperandum, non secus atque si à teipso, & non ab alio haberes quòd viuas, & quòd sis.

4. Ecce, inquam ego, ô Pharao, sic accipiã te, eóque supplicio mulctabo, quod inflatus meretur spiritus, & vesanus stupor. Iniiciam enim faucibus tuis hamum,
B sicut frænum iumentorum maxillis inseritur, & cum piscibus aliis, qui tuis implexi squamis, tamquam stipatores te, ac satellites assectabantur, ex flumine extraham, & in littore exponã, extra Regnum videlicet Ægyptium.

5. Proiiciam autem & te, & pisces alios, qui tuis sese squammis implicuerunt, in locum aridum, & desertum: extraheris quidem in terram, non ita tamen vt colligaris tanquam piscis pro lautorum hominum mensis expetitus. Ibi relinque-
C ris vt putrescas, & bestias terræ pascas; & impuras atque inauspicatas volucres.

6. Tunc verò qui Ægyptum habitant, me Deum esse planè cognoscent. Pro eo, ô Pharao, quòd filiis Israel, qui spem libertatis, & vitæ in tuo præsidio sæpius oblato collocarant, id præstitisti quod baculus arundineus manui.

7. Cùm enim apprehenderunt te, vt bacillantem fortunam confirmarent, diffractus es, neque solùm innitentis perforasti manum; sed etiam humerum la-
D cerasti, & Israelis dissoluisti neruos, & si quid habuere virium, totum infregisti.

8. Quia ergo debilitasti, ac prodidisti domum Israel; ecce ego contra te distringam inimicum gladium, qui non in homines solùm, qui sunt in tuis finibus, sed etiam latè in iumenta grassetur.

9. Et terra Ægypti irrigua, & rebus omnibus affluentissima in desertum redigetur, & vastam solitudinem. Tunc autem cognoscent Ægyptij Deum esse me,
E ac Dominum tam Ægypti, quàm fluminis; non autem te, ô Pharao, qui tibi Ægypti, ac fluminis imperium arrogabas, quasi ipsius esses opifex, & auctor: propter quam vocem insolentem, & stultam vniuersæ prouinciæ vastitatem, & solitudinem inducam.

10. Idcirco hæc à me, ô Pharao, de te, ac de tuis fluminibus accipe. Efficiam vt Ægyptus tota hostili vexata, ac dissipata gladio in vastam redigatur solitudinem, quantum videlicet spatij est à turre Sienes, ad fines vsque vltimos Æthiopiæ.

11. *Non pertransibit eam pes hominis, neque pes iumenti gradietur in ea: & non habitabitur quadraginta annis.*

12. *Dabóque Terram Aegypti desertam in medio terrarum desertarum, & ciuitates eius in medio vrbium subuersarum: & erunt desolatæ quadraginta annis: & dispergam Aegyptios in nationes, & ventilabo eos in terras.*

13. *Quia hæc dicit Dominus Deus: Post finem quadraginta annorum congregabo Aegyptum de populis, in quibus dispersi fuerant.*

14. *Et reducam captiuitatem Aegypti, & collocabo eos in terra Phathures, in terra natiuitatis suæ: & erunt ibi in regnum humile.*

15 *Inter cætera regna erit humillima, & non eleuabitur vltra super nationes, & imminuam eos ne imperent Gentibus:*

16. *Neque erunt vltra domui Israel in confidentia, docentes iniquitatem, vt fugiant, & sequantur eos: & scient quia ego Dominus Deus.*

17. *Et factum est in vigesimo & septimo anno, in primo, in vna mensis: factum est verbum Domini ad me, dicens:*

18. *Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est: & merces non est reddita ei: neque exercitui eius de Tyro pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersus eam.*

A 11. Sic porrò vastabitur prouincia tota, vt nullum in ipsa appareat hominum, iumentorúmque vestigium. Hæc porrò solitudo ad quadragesimum vsque annum producetur.

12. Toto autem illo tempore sic erit Ægyptus desolata, cum ciuitatibus suis, vt numerari possint, & eodem haberi loco cum illis ciuitatibus, atque prouinciis, quæ sic euersæ sunt, vt nullum supersit antiquæ siue gloriæ, siue frequentiæ monumentum. Dispergam etenim Ægyptios à
B patriis finibus procul in nationes alias.

13. Post finem tamen, dicit Dominus, annorum quadraginta Ægyptios ciues ab his locis, vbi peregrini degebant, & extorres congregabo, & in patrias sedes postliminio restituam.

14. Restituam, inquam, Ægyptios antè captiuos, & statuam in terra Phathures; in terra, inquam, vbi nati, & vnde postea in exilium abducti sunt. Neque tamē ideo ad antiquam Ægyptij regni maiestatem, atque amplitudinem assurgent.

C 15. Erit, inquam, Ægypti regnum inter aliarum Gentium regna abiectum, & humile; neque inter nationes alias altius sibi nomen, aut illustrius assumet, quod ego sic frangam, & imminuam, vt vltrà Gentium aliarum neque obtineat, neque captet imperium.

16. Neque deinceps prolixa, ac magnifica auxilij promissione domui Iacob confidentiam addent, & audaciam, & ad iniquitatem impellent, ad frangendam
D nempe fidem, quam alligarant Babylonio, quámque sanctè, & castè seruare debuissent. Dum enim Ægyptiorum animatur præsidio, quod magnum arbitrabatur, & promptum, ab inito, religionéque firmato fœdere defecerunt. Neque efficient postea, etiamsi vires suas promittant, & amplificent, vt ab aliis fugiat, séque Ægyptiæ custodiæ credat. Et tunc scient Deum esse me.

17. Et factum est decimoseptimo abhinc anno, vigesimo nempe, ac septimo anno, mense primo, & eius prima die post
E transmigrationem Iechoniæ, ad me verbum Domini in hunc modum:

18. Fili hominis, Nabuchodonosor lōgam inposuit, & molestam operam exercitui suo in obsidenda, atque expugnanda Tyro; omne caput video decaluatū à galea, & à comportandis oneribus humerum depilatum. Neque ex illa assiduitate quæstum, aut tam longi laboris vllam mercedem accepit ille, aut militum in tanta contentione constantia compensata est.

19. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Aegypti: & accipiet multitudinē eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius: & erit merces exercitui illius, A

20. Et operi, quo seruiuit aduersus eam: dedi ei Terram Aegypti, pro eo quòd laborauerit mihi, ait Dominus Deus.

21. In die illo pullulabit cornu domui Israel; & tibi dabo apertum os in medio eorum: & scient quia ego Dominus.

19. Quapropter, dicit Dominus, ego mittam Nabuchodonosor in Ægyptum, qui ingentem illius multitudinem captiuam abducet; exuuias eius, & opes deprædabitur; & habebit prætereа, quo seruilem suorum operam inde compenset.

20. Terram igitur Ægypti tradidi illi, qua muniretur opera, quam, dum meæ obsequitur voluntati in Tyri expugnatione, posuit; quia laborem illum, dicit Dominus, auctore me, atque auspice suscepit.

21. Sub illud tempus educetur Iechonias è vinculis, & quæ iam iudicari poterat extincta, pullulabit potentia, & sceptrum Israel: tunc autem non obscurè, & quasi clauso, sed aperto ore manifestè loqueris, dicit Dominus.

Vers.1. *In anno decimo, decimo mense.*]

1. Nondum erat excisa Hierosolyma, cùm hæc iubetur Propheta Ægyptiorum Regi, & vniuersæ Ægypto denunciare, vno videlicet anno, aut eo circiter antequam in Chaldæorum potestatem veniret. Est autem vaticinium hoc minax, & durum in Ægyptios, quod quatuor complet capita, ad caput vsque trigesimū secundum, quod superiori quam simillimum est; in quo superbi Regis spiritus insolentes exagitat, & talē casum, qualem Tyrios subituros dixerat, denunciat.

2. Vers.3. *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne qui cubas in medio fluminum tuorum.*] Sicut mare, cui luna dominatur, & venti, pro mundo sumitur, quia vt mare aut magnis commouetur æstibus, aut etiam cùm videtur esse tranquillum, æstum timet; sic qui princeps est mundi illorum piscium, sibi nomen assumit, aut audit ab aliis, qui in mari dominantur, & aliorum qui minus sunt potentes, aut fugant, aut deuorant; quales sunt balenæ, & quæ cete nominantur grandia. Sic diabolus Isai. cap 27. vocatur Leuiathan, & Iob 40. Behemoth, qui sicut nunc Ægyptius draco; sic illi duro mortis genere in medio maris perituri dicuntur. Sanè Pharao nō hîc solùm appellatur Draco, sed multis etiā antè sæculis. Psal.74. *Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconis in aquis: tu confregisti capita draconis, dedisti eam escam populis Æthiopum.*

Mare pro mundo, & pisces magni pro principibus.

Rex Ægypti cur vocatur draco.

3. Sed est præcipua quædam ratio, cur Rex Ægyptius appelletur Draco; quia regiones incolit palustres, in quibus dracones habitant, qui terrores aliis, atque exitio sunt; quales sunt crocodili; qui cùm amphibij sint, infestam reddunt fluuialem oram, & periculosas incautis moliuntur insidias. Sic Iob cap. 40. de diabolo, quem Ægyptiæ fraudes, & potestas adumbrant. *Sub vmbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus: protegunt vmbra vmbrā eius, circumdabunt eum salices torrentis.* Rationē nominis ipse reddit Propheta, dum addit, *qui cubas in medio fluminum tuorum*, idest, inter flumina; sicut modò dicebamus de Behemoth. Dicuntur verò flumina, seu quia ad irrigandos Ægyptios agros varij ex alueo ducebantur riui; aut quia cùm vnus esset fluuius Nilus, in septem distrahebatur ostia, per quæ B tandem in mare se mediterraneum exonerabat. Quare non à profanis solùm, sed etiam à sacris scriptoribus in plurali numero Nilus flumina vocatur. *Va terra Cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ.* vbi, vt eo loco pluribus in commentariis nostris, de Nilo sermo est.

Et dicis, meus est fluuius, & ego feci memetipsum.] 4.
Plurimum Ægyptij suo Nilo tribuebāt, à quibus sperabant omnia non subsidia solùm, sed etiam ornamenta vitæ; cùm enim statis temporibus è suo excedens alueo fluuius ille maximos agros irrigaret, oblimarétque non admodum si pluuia deficeret cœlestis, aut sitim metuebāt, aut agrorum maciem. Hinc ortum credo insolens illud C verbum tam fatui, quàm superbi Regis, *meus est fluuius*; quasi diceret, cùm à domestico flumine omnia mihi rato, atque indubitato prouētu suppetant subsidia, ac blandimenta naturæ; non est cur ab irato Deo quicquam metuā, cum eripere mihi non possit perpetuos, ac familiares vsus, à flumine capio: quare fortunam ac vitā meam perinde habeo, ac si à meo ipso factus fuerim; neque à superiori aliqua potentia productus; à cuius siue benignitate, siue prudentia non depēdeo; quia satis mihi à flumine, cuius ego sum dominus, quia meos mihi fines interfluit, facultatis habeo ad beatè viuendum.

A Nilo quæsita commoditas Ægypto.

Hunc, credo, sensum esse huius loci; neque enim credibile est hominum quemquam, quantumcumque fatuus esset, & amens, eò progressurum, vt se putaret à seipso factum; & ideo, quod in Scriptura frequens est, notam similitudinis subaudio in eam sententiam quàm indicaui. Sed D est cur etiam miremur stultissimi Regis cogitationem ab omni mente vacuam; qui cùm videret aliquando, aut certè audiisset defecisse Nilū, atque interdum Ægyptios graui, atque diuturna fame laborasse; negat tamen, cùm fluuiorum sit dominus, ab alio, neque à Deo quidē ipso quicquam esse sperandum; perindè atque si à seipso habeat, quòd sit, & quo seipsum alere, atque tutari possit. Simile aliquid dixit alius Pharao 6.
Exod.cap.5.v.2. *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? nescio Dominum*, &c. Quòd verò Ægyptiorum spem Nilus sæpe fefellerit, aut alias ob causas graui fame sit afflicta prouincia, 5.

Nilus sæpe Ægyptiorū spē fefellit.

uincia, præterquam quod ex Gen. cap. 41. constat septem annos agrum Ægyptium neque arari, neque meti potuisse; docent auctores profani vsque adeò id contigisse frequenter, vt non dubiis notis obseruauerint quando ex variis fluminis incrementis aut metuenda sit fames, aut speranda saturitas. Ita Plinius lib. 5. cap. 9. & alter Plinius in oratione Panegyrica ad Traianum docet id suo tempore contigisse. Cuius verba libuit adscribere, quia plurimum faciunt ad impij, atque superbi Regis cogitationem, de qua modò; & Aegyptij fluminis fallacem expectationem ostendunt. *Ægyptus*, inquit, *alendis augendisque seminibus ita gloriosa est, vt nihil imbribus, cœlóque deberet; siquidem proprio semper amne perfusa, neque alio genere aquarum solita pinguescere, quàm quas ipse deuexerat, tantis segetibus induebatur, vt cum feracissimis terris quasi nunquam cessura certaret. Hac inopina siccitate vsque ad iniuriam sterilitatis exaruit.* Et statim, *Frustrà tunc Ægyptus nubila optauit, cœlúmque respexit.*

7. Vers. 4. *Et ponam frænum in maxillis tuis.*] Supplicium minatur væsanæ superbi Regis cogitationi debitum, frænum videlicet, & camum, quæ belluas capiunt, versántque, ac trahunt repugnantes, licèt ad aliorum arbitrium. Sic Psal. 31. Dauid fatuis hisce hominibus frænum precatur, & camum. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus: in camo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Et superbo Senacherib, qui eosdem alebat spiritus, quales Ægyptius hic draco, frænum item minatus est Deus Isaiæ cap. 37. v. 29. *Superbia tua ascendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis.* Hęc eadem Dominus minatur Pharaoni, sed quia illum draconem vocat, alio sensu accipiendum est frænum, quod illius iniicitur maxillis, eo nempe quo de Leuiathan locutus est Iob cap. 40. v. 19. *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius?* Est autem frænum idem quod hamus, aut vncus, quòd magnorum piscium faucibus iniectus, illos ab alto, id est, ex suo Regno extrahit, & in littore exponit; vbi in arido vitam momento temporis amittunt; quam in humido vagam, & iucundam egerant. Non aliter magnus ille piscis Tobiæ cap. 6. qui in fluuio Tygri, dum in suo quasi regno ageret, terrori aliis erat, clamaréque cogebat penè exanimatum adolescentem; *Domine, inuadit me.* Idem extractus in siccum, palpitare cœpit ante pedes eius, & exenteratus est, & cor eius ablatum.

Camus, & frænum, superborum supplicium.

8. *Et agglutinabo pisces fluminum tuorum squammis tuis.*] Vt draco hic magnus dominum se putabat fluminum; sic etiam eorum piscium, qui fluuiales sinus habitabant. Hi verò Ægyptij sunt, quorum armis Regnum sibi tutabatur incolume; & quorum opibus, atque industria regios alebat fastus, & opimis fruebatur deliciis: quæ sibi ne deessent, illorum non solùm facultates, sed etiam sanguinem exugebat, sicut pisces maiores, veluti balenæ, minorum se carnibus sustentant. Hos igitur pisces qui draconi magno stipatores sunt, & quasi satellites, in idem Deus compinget rete, aut eodem extrahet hamo, vt quasi in vnum colligati fascem, simul aut congerantur in ollam, aut in igne simul torreantur; aut certè putrescant in aridum extracti, & ibi à belluis, volucribúsque cœli lacerentur, sicut clariùs hoc idem cap. 32. v. 2. declaratur. Addit hîc

A Hugo, qua fide ipse viderit, draconis squammas lucidas esse, atque argenteas, & ideo pisces alios illius lateri frequentes adhærere, qui sunt ipsius stipatores, & asseclæ; neque aliter principes populi, & reliquam turbam admirari regium splendorem, & nomen, atque ideo illum libenter assectari. Hæc, credo, ad plausum non inepta, vereor ne satis ad veritatem.

Draconis lucentes squammæ.

Vers. 5. *Et proiiciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui.*] Eô inclinant interpretum plerique, 9.
vt putent hîc nihil significari aliud quàm à Chaldæo tanquam à piscatore abducendum esse Pharaonem cum aliis Ægyptiis, illis præsertim qui meliori erant ordine, & loco in ea pro-
B uincia, quíque draconis squammis, id est, regio lateri sese adglutinarant, in Babylonem desertum nempe, atque aridum locum. Vbi tanquam in sicco pisces putrescant, pascántque & syluestres belluas, & inauspicatas volucres. Dicitur verò Babylon desertus locus; vel quia si propriè sumas, & cum ægyptio solo componas, desertus videri potest, & aridus, quia licèt mediam ciuitatem Euphrates influeret, tamen neque Babylonici agri sic erant palustres, & irrigui ab Euphrate, sicut à Nilo ægyptios esse constabat. Vel quia in aquis voluptates significantur; quibus propter loci naturam diffluebant ægyptij, dum captiui abducuntur ab vbere solo, quia
C mille quotidie delicias offert, & regiam, & delicatam vitam cum seruili, atque ærumnoso commutant, verè dicuntur in desertum proiecti, vbi non aliter viuāt quàm pisces in arido, postquam piscatorio reti ex aquarum gurgite in littus extrahuntur.

Super faciem terræ cades, non colligéris, neque congre- 10.
gaberis.] Nonnihil hîc videtur ab instituta metaphora recedere, licèt non omnino. Sunt pisces vsque adeò grati, vt expetantur ad lautorum mensas; qui si in rete piscatorium inciderint, congregantur, & honestum in locum deducuntur, in mensam videlicet Principum, in quorum stomachis tanquam in nobili aliquo tumulo
D conduntur. At pisces alij, in quibus aliquid tetrum est, venenosum, & magis ad nauseam, quàm ad stomachum, illi proiiciuntur, vt putrescant; & à canibus, siue vulturibus carpantur: quales plurimi sunt ex illis piscibus, quos Nilus alit, vt crocodilus, & hippopotamus. Hi enim non ideo capiuntur, vt adhibeantur ad mensam, sed ne aliis molestiæ, ac nocumento sint. Talis, credo, est piscis ille, qui Leuiathan, aut qui Behemoth appellatur Iob cap. 40. talis ille qui dicitur Draco, cui similis esse dicitur Nabuchodonosor. Hac eadem similitudine vsus est Christus Mat. cap. 13. v. 47. *Simile est*, inquit, *Regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam
E cùm impleta esset educentes, & secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Sic ergo magnus iste draco tanquam pestilens, & ingratus piscis proiicietur super faciem terræ, vt ibi canes pascat, & coruos; id est, non consequetur regiam, imò neque vulgarem sepulturam, sed quod de Ioacim prædixerat non multò antè Ieremias cap. 22. sepultura asini sepelietur; id est, quod in asinorum cadaueribus vsu venit, inhumatus à belluis lacerabitur; aut, vt optimè agatur cum illo, ignominiosè, ac fœdè soluetur in saniem. Cæterùm congregari, ac colligi, idem esse quod in sepulcrum inferri, satis est in sacra literatura frequens; & indicat quod statim subditur, *Bestiis terræ, & volatilibus cœli dedi te ad deuorandum.*

Princeps superbus tanquam inutilis piscis à mensa repellitur.

 Vers. 6.

11. Verſ.6. *Pro eo quòd fuiſti baculus arundineus domui Iſrael.*] Non ſemel Pharao, aut auxilium à Pharaone promiſſum baculus appellatur factus ex arundine, quia infidelis eſt,& decipit potiùs, & ſauciat innitentis manum,quàm firmat, & alleuat laſſum corpus. Eodem dicendi genere ſine dubio prouerbiali vſus eſt Iſaias cap.36.dum verba proponit Senacherib, qui eodem orationis genere Ægyptiorum fidem eleuat, & ſæpe promiſſum, & cantatum auxilium. *Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum ſuper Ægyptum, cui ſi innixus fuerit homo,intrabit in manum eius, & perforabit eam.* Dicitur verò Ægyptus arundo non ſolùm propter communem rationem, quia arundo nihil habet ſolidi,atque adeò ab illa ſperari nihil firmamenti poteſt; ſed propter præcipuam aliam, & Ægyptio ſolo familiarem. Ad ripam quippe Nili, & in locis paluſtribus arundo naſcitur multa, & nobilis adeò,vt etiam ad ſcribendi vſum inde ad remotiſſimas vſque prouincias exportetur. De quibus eſt illud Martialis lib.14.epig.38.

Prouerb. Baculus arundineus.

Ægyptius, cur vocatur baculus arundineus.

Arundo nobilis in ripa Nili.

Dat chartas habiles calamos Memphitica tellus,
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Quod etiam docuit Plinius lib.16.cap.36. Vnde Ægyptij, vt in explicatione Pſal.67. diximus, feræ appellantur arundinis, quia ad laxandos animos inter arundineta plurimum verſabantur.Sanè Moyſes in carecto, id eſt, in arundineto Nili expoſitus dicitur Exod.2. Vnde Ægypti ſymbolum arundo fuit,& crocodilus, vt in quibuſdam nummis videmus, cuius inſcriptio eſt *Ægyptus,*
12. quorum ego apud me nonnullos habeo. Quod
ſi draco magnus crocodilus eſt, qui in paluſtribus locis in medio fluminum cubat, duarum hîc rerum meminit Propheta, quæ Ægyptum in ſuo quæque genere nobilitant, draconis, & arundinis. Quàm verò ſæpe Ægyptus auxilium Iſraeli promiſerit infidele, ac futile; quam inſolenter, atque,vt propheticis vtar verbis, cymbalato ſonitu prædicauerit, diximus ad illud Iſaiæ cap.18. *Væ terræ cymbalo alarum.* De hoc auxilio loquebatur Ieremias Thren.4.v.17. *Defecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum vanum, cùm reſpiceremus attenti ad Gentem,quæ ſaluare non poterat.*

Ægypti ſymbolũ crocodilus, & calamus.

13. Verſ.7. *Quando apprehenderunt te manu, & confractus es.*] En baculus arundineus, qui vix dum manu tangitur, & iam non ſolùm curuatus, ſed & fractus eſt. Ægyptiam quippe potentiam, quam veluti inſuperabilem reputabat,atque cantabat Pharao,ter domita fuit; bis, cùm auxiliarem manum contra Iudæorum hoſtes adornaret;ſemel à Senacherib Iſai.c.19. iterum à Nabuchodonoſor, cùm ad illam exciſa Hieroſolyma Iudæorũ reliquiæ confugiſſent, de quo Ieremias multa; & ea omnia quæ hîc ab Ezechiele contra Pharaonem prædicta. Tunc verò Ægyptij adeò Iudæis profugis auxilio non fuerunt:vt ipſi cum illis aut cæſi fuerint,aut in exilium abducti.

14. *Et lacerasti omnem humerum eorum.*] Ideo auſi ſunt Iudæi opponere ſeſe Chaldæorum armis, quia ſatis ſe virium ad reſiſtendum habituros putabant à Pharaonis auxilio.Quare ſi ad falſam ſpem non eſſent ab Ægyptiis inducti, ſoluiſſent tributum, quod debebant ex pacto, extaretque Solymitana Reſpublica, ſi minus quàm antea florens,& opulenta, ſtaret tamen;neque omnino fracta de ſtatu concideret. Meritò ergo dici poteſt Pharao Iudæorum laceraſſe humeros, quia robur debilitauit, & fregit; quod in humeris ſi non maximè,magno tamen opere ſpectari ſolet. Sanè ab humeris laudari ſolent robuſti, ac fortes, vel quia robur indicant corporis; aut quia ferendo oneri plerumque ſuppoſiti. Virgilius ab humerorum latitudine commendat Æneam lib. 2. Æneid.

Humerus pro fortitudine.

Hac fatus latos humeros,ſubiectaque colla,
Veſte ſuper, fuluique inſternor pelle leonis.

Et iterum lib.5.de Darete,

Tales prima Dares caput altum in prælia tollit,
Oſtenditque humeros latos, alternaque iactat
Brachia.

Aut certè ideo Iudæorum humeri lacerati ſunt, 15.
aut contriti; quia cùm in ſeruitutem eſſent dati Chaldæis, durò illorum imperio onera portare cogebantur: quare neceſſe erat laſſarentur humeri, atque lacerarentur, ab inſidenti pondere. Sanè de Chaldæorum humeris,quos in obſidione Tyri portando aggeri, & conuehendis oneribus ſubiecerat Nabuchodonoſor, dicitur ſtatim verſ.18. *Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt.* Idem autem ſubiiſſe Iudeos captos à Babyloniis, lamentatur Ieremias Thren.5.v.5. *Ceruicibus noſtris minabamur,laſſis non dabatur requies.* Et verſ.13. *Pueri in ligno corruerunt.* Iuxta quam explicationem, id vnum videtur à Propheta obiici in hac reprehenſione Ægyptiorum Regi, quòd ipſius cauſa ſeruilem Iudæi conditionem ſubeant; & immanium onerum preſſu debiles habeant, & laceratos humeros,neque poſterior hæc explicatio mihi diſplicet.

Humeri Iudæorum ab onere contriti.

Et diſſoluiſti omnes renes eorum.] Duas ad hunc 16.
etiam locum explicationes video:alteram, quæ in rerum diſſolutione infirmitatem, & languorem agnoſcit, qualia in metu, aut graui aliqua perturbatione frequenter accidunt;alteram,quæ oppreſſionem, aut ex labore debilitatem eſſe coniectat. Quod ad priorem attinet certum eſt, in *renibus*, ſeu,quod idem fermè eſt, in *lumbis* ſignificari ſtrenuum aliquid,atque robuſtum. Vnde qui parum ſunt firmo ad laboris tolerantiam corpore delumbati dicuntur,aut elumbes, id eſt, ad rem pro dignitate adminiſtrandam infirmi. Sic Balthaſar Dan.cap.5. cùm oblato ſibi ſpectro vehementer paueret, ac turbaretur, fieretque exanimis, aut exanimato ſimilis; eius pauor, & animi conſternatio eodem dicendi genere explicata ſunt à Propheta. *Tunc,inquit,facies Regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur.* Cur verò diſſolutione illa, atque diffluxu renum talis exprimatur animi, ac corporis affectio, non omnes eodem explicant modo. Quidam à ſigno putant languorem illum animi ſignificari; in diſſolutis autem renibus vrinam indicari putant, quæ in pauore nonnunquam vltro defluit.Quomodo eundem affectum expreſſit ſuprà Ezechiel cap.7. v.17. *Omnes manus diſſoluentur,& omnia genua fluent aquis.* Et iterum cap.21. v.7. *Diſſoluentur vniuerſæ manus, & infirmabitur omnis ſpiritus, & per cuncta genua fluent aquæ.* Alij, quia in lumbis, & renibus, vt ſuprà oſtendimus,robur ſignificatur; in diſſolutis renibus diſſolutas putant ſignificari vires; quomodo diſſolui dicuntur manus, vt proximè diximus,& nerui,& reliqua,quæ cùm priùs,dum eſſent compacta, firmitatis habebant plurimum; poſtea verò adueniente paralyſi, quicquid habebant roboris amittunt.

Renes, & lumbi pro robore.

Renes diſſoluti quid?

Altera explicatio eſt,quæ in diſſolutione lum- 17.
borum,ac renum defatigationem videt, & laſſitudinem,

tudinem, qualem patiuntur illi, qui assiduis, & grauibus laboribus exercentur, quos elumbes vocamus, aut elumbatos, qui fracto præ labore corpore, erigere se non possunt. Tales autem videntur fuisse, quorum ceruicibus graue insidebat pondus, & vno perfuncti labore, alium è vestigio subire cogebantur; neque vllus concedebatur respirandi locus. Hæc minus placet; neque tamen omnino displicet explicatio.

Vers. 8. *Propterea hæc dicit Dominus Deus.*] Quæ sequuntur interprete non egent, tantum enim proponunt barbaro, atque insolenti Regi, quid à Domino ipsius perfidiæ, atque arrogantiæ impendeat supplicij.

18. Vers. 9. *Et scient quia ego Dominus pro eo quod dixeris, fluuius meus est, & ego feci eum.*] Cùm sæpe Deus tam in hoc Propheta, quàm in aliis post intortas minas verba hæc, aut his quàm simillima subiecerit; vt homines increduli, sibique plus satis arrogantes intelligant vim aliquam esse superiorem, ac diuinam, quæ audaces frangat spiritus, & quæ impunita fore flagitia sibi persuaserant, seuerè puniant. Hic tamen præcipua quædam ratio est, cur illa verba propositis minis attexi debuerint; quia cùm Rex ille superbus suum esse fluuium affirmasset, neque sibi ab illius abundante, atque fœcundo influxu quicquam defuturum cogitasset; addidit Dominus: Quia tu ô Draco magne, tuum esse fluuium affirmabas, re ipsa edoctus me illius esse dominum intelliges, quando eò redigam res Ægyptias, vt neque Nilus, neque vlla res alia, cùm ego contrà steterim, tibi possit esse subsidio. Erit enim terra deserta, peribunt homines, & iumenta quibus propter mille fluminis opportunitates, neque cibum, neque pascua defutura credebas.

19. *A turre Sienes, vsque ad terminos Æthiopiæ.*] Hi sine dubio termini sunt, qui totum Ægypti regnum definiunt, & cohibent. Quòd enim Æthiopiæ fines ægyptus attingat, res est certa, & à Cosmographis non semel notata. Pro, *à turre Sienæ*, Heb. est מגדל סונה *migdol seueneh*, quod Septuaginta ita conuertunt; *A Magdalo, & Siene*. Magdalos autem ciuitas est ægypti, cuius meminit Ieremias capite 44. & cap. 46. Sed vulgatus *turrim* vertit, quia id etiam valet מגדל *migdal*. Porrò Siene, vt tradit Mela, quàm longissimè abest à mari. Illud certum est sitam esse sub tropico Cancri, indéque fieri, vt quia directò sol in illius ciuitatis habitatorum verticem aliquando incurrat, nullam ex se vmbram emittant erectà corpora. Vnde est illud Luciani satis à Cosmographis vsurpatum,

Siene vbi, & quid de illius vmbra Cosmographi.

Atque vmbras nunquam flectente Siene.

Illud præterea notum de puteo, quem experiundi gratia ibidem effoderunt Astronomi, in quo nulla visitur vmbra, cùm sol ingreditur primùm in signum Cancri, sed totus omnino puteus illustratur à luce. Qua de re audi Plinium lib. 2. c. 73. *Simili, inquit, modo tradunt in Siene oppido, quod est supra Alexandriam quinque millibus stadiorum solstitij die medio nullam vmbram iaci, puteúmque eius experimenti gratia factum totum illuminari. Ex quo apparere tunc solem illi loco supra verticem esse.*

20. Vers. 11. *Non pertransibit eam pes hominis: neque pes iumenti gradietur in ea.*] Non dubium quin in Scriptura multæ sint locutiones hyperbolicæ, tum maximè quando clades significatur magna, & extrema vastitas. Tunc enim dicitur, non fore reliquus lapis super lapidem, vt de Ierusalem dixit Christus Lucæ cap. 19. v. 44. Sic Isaias de Babylonis excidio cap. 14. *Et scopabo eam in scopa terens.* & suprà cap. 26. de Tyro, *Dissipabunt muros Tyri, & destruent turres eius, & radent puluerem eius de ea.* Vide quæ ibi diximus. Est autem hæc prouerbialis figura, in qua exacta veritas exquiri non debet, sed tantùm quædam similitudo, aut magnum aliquid in eo genere, quod hyperbolica designat oratio. Quale est illud Deuteronom. 9. vers. 1. *Vt possideas ciuitates ingentes, & ad cœlum vsque muratas.* Quis hîc scrutetur quomodo muri ad cælum vsque consurgant? nihil hic significatur aliud, quàm altissimis ciuitates illas mœnibus esse vallatas. Sic cùm magna significetur hoc loco Ægyptiæ terræ solitudo, nullum in ea fore dicitur iumentorum hominúmque vestigium, quæ prouerbialis est, vt dixi, ingentis solitudinis explicatio. Spectat autem hoc ad illud vers. 8. suprà, *Interficiam de te hominem, & iumentum.*

Prouerb. Non pertransibit pes hominis.

Regula. Hyperbolica locutiones in Scriptura maximè in explicanda vastitate vrbium.

Et non habitabitur quadraginta annis.] Hæc videtur superioris hyperboles explicatio. Dum enim negatur pedem hominis, aut iumenti desertam illam regionem calcaturum, omnino significatur prouinciam non esse ab hominibus habitandam; aut agros illos à Nili fœcunditate vberes excolendos. Qui enim locum aliquem incolunt, iidem necesse est iumentis ad fruges siue seminandas, siue conuehendas vtantur. Et fortasse illud *&*, non tam coniungit consequentia, quàm antecedentia proximè declarat, in hanc sententiam, *Non pertransibit eam pes hominis; neque pes iumenti gradietur in ea*, id est, non habitabitur. *Et*, autem particulam esse expositiuam satis est notum. 21.

Illud difficilius, quomodo verum esse possit, quadraginta annis desertam fuisse à cultoribus Ægyptum, cùm eodem videatur edicto Ægyptiorum, quo Iudæorum soluta captiuitas, maximè quia sicut aliæ Gentes, quæ Israeliticos attingebant fines, seruituræ dicuntur Nabuchodonosor, Ieremiæ cap. 25. Sic etiam Ægyptus, quæ inter illas ibidem numeratur. At reliquorum populorum ad septuagesimum annum producitur seruitus. *Et seruient omnes Gentes istæ Regi Babylonis 70. annis.* 22.

Quando nationes aliæ in patrios fines ab exilio remigrauerint, satis est extricatu difficile. Vide quæ nos in illum Ieremiæ locum diximus in nostris commentariis. Nunc tantùm de Ægyptiorum exilio nobis agendum est, enitendúmque vt quadraginta tantùm annorum futuram esse dicamus ægypti solitudinem. Id verò sic mihi assequi posse videor: septuaginta anni, quibus durauit Iudæorum captiuitas, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Zachariam ad illud cap. 1. *Iste iam septuagesimus annus est*, numerandi sunt ab eo tempore, quo primùm Nabuchodonosor regnum iniit, id est, anno tertio Ioacim, vt constat Dan. cap. 1. v. 1. *Anno tertio regni Ioacim Regis Iuda venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam*, &c. Est autem verisimile tertium illum annum propè esse finitum, quando Ieremiæ cap. 25. annus primus Nabuchodonosor, quando primùm fuit expugnata ciuitas, incurrisse traditur in annum quartum Ioacim. Ex annis ergo Regni Ioacim sume tibi 7. annos, tot enim regnauit post captiuitatis initium: nam totum eius regnum vndecim annorum fuit. His adde tres menses regni Iechoniæ, & annos vndecim Sedeciæ (excisa namque ciuitas fuit anno Sedeciæ vndecimo) habes hinc 18. annos, 23. 24.

LXX. anni captiuitatis vnde numerandi.

XL. annis exularunt Ægyptij.

annos,quos ex 70. detrahes ; tunc verò reliqui erunt 52. Ex his sume spatium illud,quod intercessit inter captam primum Hierosolymam, & Ægyptum ita subuersam, atque desertam à ciuibus, vt dici potuerit, sicut proximè audiuimus, in solitudinem redacta. Quantum autem spatij inter vtramque cladem interiectum fuerit, non constat liquidò, sed si prudentes sequare coniecturas, illud deprehendes fuisse non exiguum. Iosephus lib.10. Ant.cap.11.docet Nabuchodonosor anno Regni sui 23. & quinto anno ab euersa Hierosolyma, rursus nouam expeditionem adornasse; victricésque copias iterum in vicinos Hierosolymæ populos intulisse. *Quinto*, inquit, *post excidium Hierosolymitanum anno, qui fuit Regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimus tertius, cum magnis copiis inuasit Cœlem Syriam, qua subacta, bellum gessit contra Ammonitas, & Moabitas, & his quoque perdomitis, Ægyptum hostiliter est ingressus.* Vbi obseruandum non priùs tentatam Ægyptum à Chaldæis, quàm subacta esset Cœle Syria,& regiones aliæ, in quibus plurimum temporis positum oportuit.

25. *Tyrus quamdiu obsessa.* Sanè in debellanda Tyro, quæ ad Cœle Syriam spectat, diuturnum laborem esse susceptum, indicat hoc ipso capite Ezechiel vers.18. vbi Deus operam, & tempus in obsidenda Tyro consumptum compensare voluit Ægyptiis opibus. imò Ægypto Chaldæorum imperio subiugata; quæ tanta merces laborem fuisse indicat non exiguum. Iosephus lib.10. Ant.cap.11.in fine, & iterum lib.1. contra Apionem refert ex Philostrato,qui Phœnicum scripsit historias,tredecim annos Tyrum vexatam à Chaldæis, ac tandem euersam.Ego vix adducor,vt credam,aut tamdiu Tyrum sustinere potuisse obsidionis angustias,aut Chaldæorum tamdiu durare potuisse constantiam. Sed quocumque accipias modo, non est difficile statuere Ægyptiorum exilium, seu quod idem est, Ægypti solitudinem non vltra quadragesimum annum fuisse productam. Nam si ex 70. annis annos detrahas 23. (vigesimo enim tertio anno Nabuchodonosoris illatum bellum est Cœlosyriæ, vigesimum item tertium tunc agebant Iudæi extorres à patria)si detrahas hinc illos etiam annos,quibus oppugnata est,& capta Tyrus ; neque præterea exiguum videtur fuisse tempus, quod in regionibus aliis finitimis debellandis consumptum est, non videtur difficile Ægyptiam seruitutem ad annos quadraginta coarctari. licèt aliquantulo pòst tempore soluta sit, quàm Iudaica, quæ septuaginta annorum spatium impleuit. Sed est ratio alia multo grauior suprà ex hoc ipso capite vers.17. nam quæ proximè sequuntur verba, quando nondum erat expugnata, nec dum tentata ab exercitu Chaldæorum Ægyptus, accepta fuerunt a Propheta. Quod facile constat,quia de euertenda Ægypto, compensandóque Chaldæorum labore deliberat Dominus;eo verò tempore annus agebatur vicesimus septimus à transmigratione Iechoniæ. Quare quadragesimum annum completum esse oportet etiam post exactum septuaginta annorum spatium; atque ideo necessariò dicendum,licèt demus à Cyro factam Ægyptiis redeundi facultatem, rediisse tamen aliquot annos post Iudæos.

26. Vers.12. *In medio terrarum desertarum.*] *In medio* idem interdum valet, quod *inter*, vt est illud, *In medio populi mei ego habito*, id est, inter populares meos. *Et stetit Iesus in medio discipulorum suorum*,id est,*inter discipulos*, & huius generis alia sexcenta. Quare nullam aliam arbitror esse sententiam, quam esse numerandam Ægyptum cum illis prouinciis, quæ sic euersæ sunt,vt nullũ antiquæ siue frequentiæ, siue gloriæ vestigium supersit. Quales fuerunt ciuitates in mari mortuo, quas è cœlo flamma populata est, & Iudæa, ac Tyrus,& vicina regna ; quæ eodem tempore,atque eadem prope expeditione subuersa sunt.

Vers.13. *Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum.*] 27. Triginta annis postquam primùm Iudæi abacti sunt à Nabuchodonosor,subuersa est Ægyptus,vt nuper vidimus; his enim è septuaginta detractis, quadraginta supersunt. Hoc igitur spatium errabunt à patria variè dispersi;pòst verò eodem,quo Iudæi exules,edicto in antiquas sedes reuertentur.

Vers.14. *Collocabo eos in terra Phathures.*] De 28. hac iterum cap. sequenti vers.14. est autem quæ aliter Isai. cap.11.v.11. appellatur Phethros, cuius plurale videtur esse Phethrusim, de quibus Gen. cap.14. qui geniti dicuntur à Misraim, qui nomen Ægypto dedit.

Et erunt ibi in regnum humile.] Restituetur qui- 29. dem Regnum ægyptium ; sed nunquam ad gloriam,seu ad opes restituetur antiquas ; neque efferet ad cœlum vsque superbum caput, aut sibi deinceps nomen assumet diuinum, aut diuino simile. Licèt enim regnum illud propter soli, *Ægypti regnum posterioribus sæculis ignobile.* cœlíque bonitatem, adde & propter animantium fœcunditatem ad miraculum vsque breui fuerit amplificatum ; euehi tamen nunquam potuit ad amplitudinem illam, ex qua deiectus est, quámque multis antea sæculis sibi pepererat. Quare post hæc tempora de Ægyptio regno nihil in Scriptura eximium audimus : quod facili postea negotio subiecit Alexander Macedo ; & longè post illum iterum Romanorum arma. Quare optimè attexitur

Vers.16. *Neque erunt vltrà domui Iacob in confi-* 30. *dentia,docentes iniquitatem,vt fugiant,& sequantur eos.*] Antiqua Pharaonis potentia, assiduáque in promittendo prolixitas, audaces reddebant ad frangendam fidem,& violanda fœdera Iudæos. Neque enim ausi fuissent negare Babyloniis, quod reddere debuerunt ex pacto;nisi adiunctis Ægyptiorum viribus,quas sibi paratas arbitrabantur; pares se,aut etiam superiores existimarent. Hoc verò sibi velle videtur id, quod statim subditur, *docentes iniquitatem*,quia dum vires suas tantopere commendant, auxiliúmque venditant Iudæis, quos ad se in rerum angustiis confugere iubent; fecerunt vt iniquis abducti consiliis, à Chaldæorum Rege deficerent, quod sanè æquitas,atque religio prohibebat. At post hanc plagam sic erit afflictum Regnum illud, licèt ab ærumnosa seruitute respirasse nonnihil videatur, vt neque deinceps aliquid grande polliceri audeat;neque si aliquando promittere contingat, magna futura existimetur promissi fides : vt enim tam ignominiose superatum,rerum suarum,sic etiam magnam fecit fidei iacturam.

Vers.17. *Et factum est in vicesimo, & septimo an-* 31. *no.*] Hinc iam aliud instituitur vaticinium,priori quidem non dissimile, licèt longo pòst tempore propositum. Vt enim ex principio liquet huius capitis, vaticinium,de quo proximè, accepit Ezechiel anno decimo transmigrationis; istud verò anno decimoseptimo : quare inter vtramque prophetiam anni intercessere septemdecim. Huc tamen coacta est à Propheta ; quia longis licèt disclusa temporibus , in eodem

tamen

tamen argumento versatur.

32. Ex his, meo iudicio, videri posset errasse Iosephus, sicut aliis in locis non semel. Nam si anno 27. à transmigratione Iechoniæ nondum erat Ægyptus subiugata; qui fuit trigesimusquintus Nabuchodonosor, quomodo expugnari potuit anno 23. ipsius, sicut prodit Iosephus lib. 10. Ant. cap. 11. Sed facile leuatur hæc calumnia, si dicas nationes quidem alias, quarum ibi meminit, anno illo vicesimo tertio fuisse deletas; deinde verò Ægyptum aliquot post annos, nam nullum ibi definitur tempus Ægyptiæ cladis. Neque exiguum videtur esse potuisse, si diuturna fuit obsidio Tyri, & ad annum vsque vigesimumtertium producta. Quòd verò vastata Ægyptus fuerit post annumvigesimumtertium transmigrationis Iechoniæ, id est, sub extremum tempus Nabuchodonosoris, ex his, quæ mox dicemus, liquidò constabit.

33. Vers. 18. *Nabuchodonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum.*] Non vult Deus laborem sua causa, aut suo imperio, siue auspicio susceptum indonatum, aut immuneratum abire, quia ipsam etiam virtutis imaginem, & vanum licet simulacrum non odit, sicut effigiem mortuam amicorum amamus. Sic Deus 3. Reg. c. 27. non improbasse videtur Achab non tam viuam, & veram pœnitentiam, quàm mortuum, & fictum eius simulacrum. Neque enim fecit quod ab illo pœnitentiæ leges postulabant, vt vineam relinqueret, quam iniquè sustulerat à Naboth, & blasphemiæ crimen, quod obiecerat innocenti, dilueret; atque ita imperfecta existimatur fuisse pœnitentia; tamen ad illius imaginem vtcumque adumbratam dixit Deus ad Eliam, *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* En quomodo imaginem illam pœnitentiæ, si tamen imago fuit, vt nonnulli volunt, munerarit Deus. Egit hac de re Augustinus lib. 5. de ciuitate, cap. 12. vbi ostendit quomodo Deus Romanorum quædam opera imperij propagatione compensare voluerit. Vide item S. Thomam 1. 2. q. 114. art. 10. & ibi interpretes, vbi exemplum adducit obstetricum, quę Exod. 2. Hebræorum infantes seruauerunt; & hoc de Tyro à Nabuchodonosore immenso penè labore subiugata. Quorum opera noluit Deus abire sine mercede. In illo *seruire fecit exercitum suum seruitute magna*, longa significatur, & molesta seruitus: & innuit id, quod suprà putabamus verisimile, obsidionem Tyri fuisse quàm diuturnam.

Virtutis imago aliquando grata Deo.

34. *Omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus.*] Hieronymus eam reddit causam, cur militum capita decaluata sint, ac depilati humeri; quia cùm Tyrus vndique cingeretur à mari, eóque munimento satis se ab externo tutaretur hoste, spatium illud quod erat à littore ad Tyrum vsque, constrauit aggere, reddiditque solidum Nabuchodonosor, vt ad ipsos vsque muros milites pedestri itinere procurrerent. Quare necesse videbatur, vt comportandis cophinis, & graui lignorum, lapidúmque vectura depilarentur humeri; & dum tamdiu milites armati sunt in castris, galearum pondere defluant è capite capilli ad caluitium vsque. Hæc putat hîc Hieronymus, & cum illo frequentes alij; neque mihi displicet: & quia sic videtur ferre rerum natura, & eo maximè nomine quod pluribus placet; verùm addam ego explicationem aliam, vtinam ad rem.

A Seruitutem magnam seruiisse dicitur Chaldæorum exercitus in oppugnanda Tyro; id est, nobile illud hominum genus seruilem in modum laborasse: seruilem autem conditionem existimo, eo dicendi modo significari, idque prouerbiali figura. Nam serui, vtpote gestandis oneribus assueti, attritos habent, & depilatos humeros; neque enim quæ vsu, atque attritu occalluere, pilis operiri solent; atque ideo hoc seruilis conditionis signum, atque argumentum est. De glabro, seu decaluato capite minus est dubitandum; quia caput ad cutim vsque rasum seruulorum familiare signum, & quasi seruitutis auctoramentum est. Qua de re nos alibi pluribus, B nunc sufficiat illud Aristophanis in Auibus, 35.

Seruilis status signum.

Seruorum caput ad cutim rasum.

Ἔπειτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις,

Dein seruus cùm sis portas comam?

Iuxta hæc sensus est non tam visos esse Chaldæos militarem operam in obsidione Tyri, quàm seruilem sumpsisse, cùm tonso essent capite, & depilatis humeris. Tunc verò Hebræorum more subaudienda est similitudinis nota in hunc sensum. Fuerunt Chaldæi milites illorum instar, qui caput decaluant, & humeros depilant; hi verò serui sunt.

Et merces non est reddita ei.] Seruilem, vt reor, metaphoram persequitur, dum seruili operæ mercedem redditam esse negat. Cur verò nul- 36.
C lum ex tam diuturno labore consecutum fuerit operæ pretium, eam rationem esse putat Hieronymus, quia cùm viderent Tyrij se à Chaldæis oppugnari vehementer, & nil esse propius, quàm vt in illorum potestatem ciuitas veniret, *quidquid pretiosum in auro, argento, vestibúsque & varia supellectile nobilitas habuit, impositum nauibus ad insulas asportauit, ita vt capta vrbe, nihil dignum labore suo inueniret Nabuchodonosor.* Hæc Hieronymus, qui optimè coniectat, cùm ex historiis nihil hîc certum afferri possit.

Vers. 19. *Ecce ego dabo Nabuchodonosor Regem Babylonis in terra Ægypti.*] Ægyptiæ opes Babylonicum laborem ab alia mercede vacuum com- 37.
D pensant. Nihil hîc video, quod luce commentationis indigeat ad vers. 21.

Vers. 21. *In die illa pullulabit cornu domui Israel.*] 38.
Cornu pro robore, ac potestate sumi, satis est ex Scriptura sacra notum; vnde frequens exaltari, attolli, aut confringi cornua: sic nunc pullulari cornua domui Israel, erit excitari Israeli nouum Regē, aut qui pro Rege Israelitis esse possit, qualis fuit dux Zorobabel, aut Iesus Sacerdos filius Iosedech, aut certè Iechonias, qui cùm triginta septem annis vinctus iacuisset in carcere, post mortem Nabuchodonosor emersit è tenebris, & quasi ex arido stipite pullulauit. De hoc posteriori puto capiendum esse locum istum, quod
E his mihi causis persuadeo.

Primùm, quia prophetiæ tempus perquam aptè conuenit cum Iechoniæ libertate. Nam anno à transmigratione 27. accepit Ezechiel à Domino vaticinium istud; pòst verò credibile est aliquos annos à Chaldæorum Rege tum in adornando exercitu, tum in subiuganda Ægypto fuisse consumptos. Quare non longè post sublata Ægyptiorum spolia decessit Nabuchodonosor, anno videlicet Regni sui 45. & à transmigratione Iechoniæ anno 37. eodem nempe quo eductus fuit Iechonias è vinculis. Nam vbi primùm extincto Nabuchodonosori successit filius Euilmerodach, vt habes 4. Reg. c. 25. *subleuauit caput Ioachim Regis Iuda de carcere, & locutus est ei benignè,* 39.

Iechonias non longè post deuictā Ægyptum eductus è carcere.

&

& posuit thronum eius super thronum Regum, qui erant A *cum eo in Babylone.* Hoc verò pullulasse est Israeli cornu, & excitatum esse principem, qui periisse videbatur. Cùm autem hæc omnia non longè à debellata Ægypto contigisse constet, bellè in hoc Iechoniæ tempus cadit illud, *In die illa pullulabit cornu domui Dauid.* Porrò *in die illa* longiùs significatur tempus, quasi dicas, *sub illud tempus*, licèt vnus, aut alter annus intercedat, imò & plusculum spatij, vt in Scriptura obseruare promptum est.

40. *Et tibi dabo apertum os in medio eorum.*] Qui timidè, ac dubitanter loquuntur, illi aut mutire & mussitare, aut ore clauso loqui existimentur, quia magis illi opprimunt, & obscurant, quàm exprimunt, ac dilucidant cogitationes suas. Talis videri poterat Ezechiel, qui pleraque locutus est inuoluta parabolis, & quasi ore titubante, ac clauso: sic Deus, qui in Testamento veteri per Prophetas suos quasi clauso, atque obsignato loquebatur ore; postea in nouo, quia clariùs, & sine vllo integumento quid vellet, expressit, aperuisse dicitur os suum. Hoc idem Deus Ezechieli promittit, qui ex rerum prædictarum euentu, collectis viribus audacior erit ad loquendum, quàm antea. Hoc idem audierat à Deo cap. 24. v. 27. *In die illa aperietur os tuum,* &c. *& loqueris, & non silebis vltrà.* vide quæ illo loco diximus.

Os clausum & apertum quid.

IN CAPVT TRIGESIMVM.

ARGVMENTVM.

HÆC prophetia coniungenda est cum illa, quæ priori parte præcedentis capitis proposita fuit: nam pars capitis extrema, licèt in argumento non dissimilis tempore tamen tam ab hac, quàm à præcedenti longè disiungitur. In qua Ægypti multis describitur dura, & vniuersalis strages, quam inuehet Deus per Regem Babylonis, cuius confortabit, atque armabit manum; sic Ægyptij debilitato, atque confracto brachio, vt neque vibrare possit gladium, neque arma tractare.

CAPVT XXX.

B

1. *ET factum est verbum Domini ad me, dicens:*

2. *Fili hominis propheta, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Vlulate, væ, væ diei:*

3. *Quia iuxtà est dies, & appropinquat dies Domini: dies nubis, tempus Gentium erit.*

C

4. *Et veniet gladius in Aegyptum: & erit pauor in Aethiopia, cùm ceciderint vulnerati in Aegypto, & ablata fuerit multitudo illius, & destructa fundamenta eius.*

5. *Aethiopia, & Libya, & Lydi, & omne reliquum vulgus, & Chub, & filij terræ fœderis, cum eis gladio cadent.*

D

6. *Hæc dicit Dominus Deus: Et corruent fulcientes Aegyptum, & destruetur superbia imperij eius: à turre Syenes gladio cadent in ea, ait Dominus Deus exercituum.*

7. Et

PARAPHRASIS.

1. ITerum ad me Dominus in hunc modum locutus est:

2. Fili hominis, hæc meo nomine prophetando loquere: Vlulate, ô Ægyptij, & quæ vobis in die illo funesto impendent infortunia, iam nunc anticipata lamentatione plangite.

3. Aderit enim prope diem tempus illud, in quo Dominus iam diu conceptam in Ægyptios indignationem effundet, tempus caliginosum, & triste, quod infenso Chaldæorum populo continget ex voto.

4. Irruet in Ægyptios Chaldæorum gladius, qui dum Ægyptio sanguine terram cruentat, multitudinem sternit, & prouinciæ ab imo fundamenta conuellit; vicinos Æthiopiæ populos pauore concutiet.

5. Æthiopes, Libes, Chubæi, & Lydij, & alij vicini, aut fœderati populi, qui suas cum Ægyptiis vires coniunxerunt, eo quo Ægyptij gladio cadent: neque alia erit Iudæorum fortuna, qui ad illos securitatis, atque præsidij gratia confugerunt.

6. Et corruent, inquit Dominus, qui viribus, & opibus Ægypriam potentiam sustentabant; & totius imperij maiestas opprimetur, à turre vsque Sienes ab hoste potentiore cædes fient, ait Dominus bellator, & potens.

7. Et

7. Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum, & vrbes eius in medio ciuitatum desertarum erunt.

A 7. Et tam regiones illæ, quæ Ægyptiorum olim potentiæ seruierunt, quam earum ciuitates singulæ cum illis aut ciuitatibus aut prouinciis censebuntur, quæ iam omnino desolatæ sunt, & ab habitatoribus derelictæ.

8. Et scient quia ego Dominus: cùm dedero ignem in Aegypto, & attriti fuerint omnes auxiliatores eius.

8. Tunc verò scient Deũ esse me cùm Ægyptum totam incendio vastauero, & qui ad illam auxiliares copias adduxerũt; immani cæde contriuero.

9. In die illa egredientur nuncij à facie mea in trieribus, ad conterendam Aethiopiæ confidentiam; & erit pauor in eis in die Aegypti, quia absque dubio veniet.

9. Ab Ægypto tunc, vbi ego populabũdas Chaldæorum acies ductabã, erumpent nuncij, qui aduerso Nilo vecti triremibus, quam Ægyptij plagam acceperint, B exponent. Hi verò Æthiopum frangent audaces, & confidẽtes animos; & ex ægyptia clade quid proximè capiti suo immineat infortunij cognoscent.

10. Hæc dicit Dominus Deus: Cessare faciam multitudinem Aegypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis.

10. Delebo, inquit Dominus, ægyptiam multitudinem, in quam curam assumam Nabuchonosorem consilij mei, atque furoris administrum.

11. Ipse & populus eius cum eo, fortissimi Gentium adducentur ad disperdendam terram: & euaginabunt gladios suos super Aegyptum: & implebunt terram interfectis.

11. Adueniet ipse non solùm suis, id est, Chaldæorũ viribus instructus, sed etiã C alienis: suã quippe manũ adiungent externi populi, qui fortissimi existimantur, & in vnum quasi populum, certè in vnũ exercitum conflati regionẽ populabuntur Ægyptiam; distringent in ægyptios hostile ferrum, & terrã multo cadauere cõsternent.

12. Et faciam alueos fluminum aridos, & tradam terram in manus pessimorum: & dissipabo terram & plenitudinem eius manu alienorum, ego Dominus locutus sum.

12. Tam erit inops Ægyptus, cùm illam Chaldęorum acies infensa peruaserit, quasi nunquam illam interfluxisset Nilus, aut illius alueus multis antea sęculis aruisset. Terram porrò illam hostes occupa-D bũt vsque adeò immites; vt neque preceneque pretio ad misericordiam inflectantur. Et regionem totam, & quæ in ea sunt, per alienas manus latè disperdam. Neque his verbis fides aberit, quæ non ab homine, sed à Deo sunt.

13. Hæc dicit Dominus Deus: Et disperdam simulacra, & cessare faciam idola de Memphis: & dux de Terra Aegypti non erit ampliùs: & dabo terrorem in Terra Aegypti.

13. Comminuam, dicit Dominus, atque disperdam idola, & vana Deorum simulacra de Memphi: neque de Ægyptio sanguine quisquã in Ægyptio solo regnabit vlteriùs: terror regnum illud, & pauor deinceps occupabit.

14. Et disperdam terram Phathures, & dabo ignem in Taphnis, & faciam indicia in Alexandria.

E 14. Delebo Phathures, & Taphnim grandi populabor incendio; & de Alexandria celeri statuam, & seuero iudicio.

15. Et effundam indignationem meam super Pelusium robur Aegypti, & interficiam multitudinem Alexandriæ,

15. Furorem iam pridem animo conceptum in Pelusium effundã, quod Ægyptiæ claustrum, & robur est: neque multitudini parcam, quæ in Alexandrina ciuitate consedit.

16. Et dabo ignem in Aegypto: quasi parturiens dolebit Pelusium, & Alexãdria erit dissipata, & in Memphis angustiæ quotidianæ.

16. Igne succendetur Ægyptus; sic dolebit, atque ingemiscet Pelusium sicut mulier, quæ duro, ac difficili puerperio laborat. Disiicietur Alexandria; & quotidianæ Memphim vrgebunt angustiæ.

17. Iuuenes Heliopoleos & Bubasti gladio cadent,

17. Qui in Heliopoli, atque Bubasti con

cadent, & ipsæ captiuæ ducentur.

18. *Et in Taphnis nigrescet dies, cùm contriuero ibi sceptra Aegypti, & defecerit in ea superbia potentiæ eius: ipsam nubes operiet; filiæ autem eius in captiuitatem ducentur.*

19. *Et iudicia faciam in Aegypto: & scient quia ego Dominus.*

20. *Et factum est in vndecimo anno, in primo mense, in septima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:*

21. *Fili hominis, brachium Pharaonis regis Aegypti confregi: & ecce non est obuolutum vt restitueretur ei sanitas, vt ligaretur pannis, & fasciaretur linteolis, vt recepto robore posset tenere gladium.*

22. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad Pharaonem regẽ Aegypti, & comminuam brachium eius forte, sed confractum: & deiiciam gladium de manu eius:*

23. *Et dispergam Aegyptum in Gentibus, & ventilabo eos in terris.*

24. *Et confortabo brachia regis Babylonis, dabóque gladium meum in manu eius: & confringam brachia Pharaonis, & gement gemitibus interfecti coram facie eius.*

25. *Et confortabo brachia regis Babylonis, & brachia Pharaonis concident: & scient quia ego Dominus, cùm dedero gladium meum in manu regis Babylonis, & extenderit eum super Terram Aegypti.*

26. *Et dispergam Aegyptum in natione, & ventilabo eos in terras, & scient quia ego Dominus.*

A constanti sunt, & iuuenili robore gladio sternentur; & ipsæ præterea ciuitates ab hoste captæ seruilẽ ignominiã nõ effugiẽt.

18. Tunc autem tenebræ oborientur Taphni, cum coronam ibi de regio capite, & de Ægyptia manu sceptrum abstulero, comminueróque: ibi enim Ægypti nominis amplitudo, atque potentia deficiet. Sic erit ciuitas olim clarissima obscura, & ignobilis, ac si eã caliginosa operuisset nubes; & filiæ ipsius seruilẽ conditionem subibunt.

19. Sic autem de tota Ægypto iudicabo, vt omnes Deum esse me cognoscant.
B

20. Et rursus vndecimo anno, primo mense, & illius die septima, eodem anno, quo capta est, & excisa Hierosolyma, locutus est ad me, dixitque Deus:

21. Fili hominis, Pharaonis brachium (in eo tu vires intellige, & potentiã Ægyptiam) ita cõfregi, vt sanari iam, atque integrari nequeat: neque obligatũ est fasciolis, neque obuolutum pannis, aut alio modo confirmatum, vt ad illum statum, & robur adducatur, vt obire possit consuetum
C opus, puta tractare arma, vibrare gladium, aut aliquod aliud opus moliri.

22. Propterea hæc dicit Dominus ad Pharaonem Regem Ægypti: Ecce Pharaonis brachium, validum quidem, confractum tamen, atque contusum ego comminuam; efficiámque vt illius manus neque vibrare possit, neque tenere gladium.

13. Et dissipabo Ægyptũ inter Gentes; & sicut turbo stipulas; sic ego Ægyptios in terras ventilabo.

14. Contrà verò Regis Babylonij con-
D fortabo brachiũ, & gladio meo eius dexteram armabo; brachium autem Pharaonis contundam, & frangã: & ante faciẽ eius cum vlulatu, & gemitu interfecti cadent.

25. Confirmabo, inquam, brachium Babylonij; & Ægyptij Regis brachia comminuam. Tunc porrò cognoscent Ægyptij Deum esse me, cùm Babylonius manum, quam ego gladio priùs armauerã in Ægyptiam terram, & in Ægyptiorum iugulum extenderit.

26. Et disseminabo Ægyptum in nationes varias; & in terras aliô atque aliô longè dispertiam: & tunc suis infortuniis edocti cognoscent Deum esse me.

Vers.1. *Et factum est verbum Domini.*]

1. IN extrema parte capitis præcedentis attexuit Propheta prophetiam in Ægyptios, quã multis pòst annis à priori acceperat. Idque non sine magno cõsilio; cùm enim idem esset illius, atque aliarum argumentum, quæ aliquid edicunt Ægyptiis aduersum, noluit prophetiam hanc breuem ab aliis
E distrahere, ne si in tẽpus illi debitum reseruaret, extremum in hoc libro locum obtineret. Quæ cùm esset breuissima, vt vides, non benè videbatur obsignatura librum; & cum aliena, non benè cum Iudaicis rebus, de quibus extrema instituũtur vaticinia, coniungeretur. Addo quòd vaticiniis aliis de Ægypto plurimum affert lucis hæc, qua

qua postremo loco illustratus est Propheta, dum inter alias illa quoque causa proponitur, cur Ægyptus vexari, ac spoliari debeat; nempe vt suā mercedem accipiat tam longus, atque molestus Chaldæorum labor. Postquam ergo alieno tempore, non tamen alieno loco prophetiam illam de Ægyptiorum spoliis inseruit (quæ commodè includi parenthesi potuerat, nisi paulo esset longior) redit ad id, quod in principio præcedentis capitis scripserat, vt docet hîc Hieronymus, cui subscribunt alij; & cum eo hoc quoque caput continenti vaticinio contexit. Vt ergo verbum illud, de quo in principio cap.49. factum est anno decimo transmigrationis, mense decimo: sic etiam quod in 30.capite ad vers. vsque 20. audimus, eodem anno, ac mense factum esse arbitror. Et probat quod prophetia proxima, quam contra Ægyptios etiā accepit Propheta, sequēti anno, id est, vndecimo cōtigisse dicitur. Sunt qui contrà sentiant, neque sine aliquo illi fundamēto; sed hoc videtur facile, atque expeditū magis.

2. Vers. 3. *Vlulate, væ, væ diei.*] In priori prophetia multa audiuimus, quæ grauiter cōcutere potuerunt Ægyptiorum animos, communem cladem, prouinciæ solitudinem, &c. Quare nunc labenti patriæ lamentationē indicit, & ferale canticum. Cur verò lugere debeat, & rationem ostēdit, & materiam supponit. In *vlulate* aliquid intelligitur huiusmodi, vt frangat animos, & virilem debilitet constantiam, & muliebrem in modum viros eiulare compellat. Porrò in *die* per metonymiam illa intelliguntur quæ fiunt in die; sicut locus pro iis aliquando ponitur, quæ in loco fiūt. Dies verò, vt nuper diximus, longū significat; non dierum solùm, sed annorum spatium.

3. *Appropinquauit dies Domini.*] Hæc verba non sunt eiulantis Ægypti, sed Prophetæ, qui causam vlulatus ostendit; quod facile suadent quæ proximè sequuntur. Dies porrò Domini ille vocatur, in quo Dominus edit animi sui vtcumque vehementer affecti documentū aliquod illustre, siue suam ostendendo gloriam, siue cōpressi dudum odij signum, aliquod imponendo suppliciū. Quare dies iudicij magni dies dicitur Dei Actor. cap.2.v.20. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequā veniat dies Domini magnus.* Sic Isai. cap.2.v.12. *Dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum.* Dies præterea alicuius dicitur, in quo aliquis diuturni voti compos fuit; aut in quo quis obstrepente, siue obsistente nemine pro suo arbitratu, atque libidine viuit. Quo sensu dixit Christus, *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* & Ieremias cap.17. v.16. *Diem hominis non desideraui.* Cùm ergo dicitur appropinquare dies Domini, significatur imminere iam tempus, in quo Deus compressum iam pridem furorem in Ægyptios euomat; & solum se Deū esse ostēdat aduersùs illum, qui sic intumuerat insolēter, vt diuinum sibi nomen assumeret. Eodem sensu statim dies dicitur futurus esse Gentium, quia Chaldæi pro sua potentia, vt volent versabunt Ægyptios, & illorum opibus suam sibi auaritiā explebunt. Ita vt in diripienda Ægypto id vsurpent, quod priùs in euertenda Hierosolyma Thren. cap. 2.v. 16. *Ecce ista est dies, quam spectabamus, inuenimus, vidimus.*

Dies Domini quis dicatur.

Dies pro felicitate.

4. *Dies nubis*, in caligine, & tenebris, in cælo obnubilato, & turbido ærumnosam fortunam significari satis est in Scriptura frequens. Ieremias cap.15. *Occidit ei sol cùm adhuc esset dies, confusa est, & erubuit.* Isaias de excidio Babylonico c.34. *Stellæ*

Nubis nox & caligo pro mœrore & ærumna.

A *cœli non expandent lumen suum, obtenebratus est Sol in ortu suo, & luna nō splendebit in lumine suo.* Ieremias de excidio Ierusalem cap.4. *Aspexi cælos, & nō erat lux in eis.* Plurima inuenies in sacris literis his valde similia. Vt autem in splendente sole, & die candido prospera significatur fortuna, & exultandi materies; sic in tenebroso, contractio animi, & mœroris occasio. Quod hîc *in die nubis* paucis cōplexus est Propheta, idem cap.32. cùm de eadem Ægyptiorum vastitate loqueretur, explicatiùs expressit. *Nigrescere faciam stellas, solem nube tegam, & luna non dabit splendorem suū.* Eodem dicendi genere vsus est statim vers.18.

Vers.4. *Et veniet gladius in Ægyptum, & erit* 5.
B *pauor in Æthiopia.*] Ægyptus suos cùm Æthiopiæ finibus coniungebat; atque ideo meritò aliquid mali à vicino malo timere poterant Æthiopes. Experti namque fuerant cùm vires, & studium cum Ægyptiis antea coniunxissent, cum iisdem se malè fuisse mulctatos ab Assyriis, Isaiæ cap. 20. Quid verò à Chaldæis passi fuerint Æthiopes, statim dicitur versu 4. vbi eodem, quo Ægypti, tempore cecidisse dicuntur.

Æthiopia eodem quo Ægyptus tempore vastata.

Et destructa fundamēta eius.] Fundamēta Regni 6.
opes sunt, & vires tam domesticæ, quàm auxiliares, & externæ, quibus institui solet, atque conseruari respublica. Vtumque hoc loco edicitur Ægypto: nā & auferenda dicitur eius multi-
C tudo, ciues nempe, atque incolæ, & reliqua Ægyptiæ gloriæ fundamenta, id est, sustentacula, regiones videlicet illæ, quæ ex vicinitate, ac pacto, auxiliū Ægypto præstare consueuere. Quod statim explicuit v.6. *Et corruent fulcientes Ægyptum.*

Vers.5. *Æthiopia, & Libya, & Lydi, & omne reli-* 7.
quum vulgus, & Chub, & filij terræ fœderis.] Omnes hi populi non longè recesserunt ab Ægyptiis, vt ex doctrina geographica perspicuū est. Reliquū vulgus illi dicūtur populi, qui cùm proximas Ægypto regiones incolant, operam Ægypto nauare soliti sint, nō tamen in illas contribuūtur prouincias, de quibus proximè, neque cōmune habēt & illustre nomē, quo hîc significari possint, atque ideo
D vulgus appellatur, id est, obscuri, ac sine nomine populi. Quid sit Chub, incertū, Hieronymus cum Symmacho sentit, qui transtulit *Arabiam.* cum Hieronymo sentiunt complures alij, quod mihi etiam probatur. Vatablus Cobios populos esse cōiectat, quos Ptholomeus lib.4. Geograph. cap.5. in 3. tabula Aphricæ in Regione collocat Ammonica. Septuaginta aliter legunt. Persæ, & Cretes, & Lydi sanè res est incerta.

Et filij terræ fœderis.] Septuaginta, *Et de filiis testa-* 8.
menti mei. Quæ verba Iudæos esse significat, qui aliis locis filij dicuntur testamenti, vt Actor.c.3. v.25. *Vos estis filij Prophetarū, & testamenti.* & ad Gal. c.4. *filij promissionis.* Et ita cū Hieronymo sentiūt
E interpretum plerique. Et verò sic contigit, quo tēpore accidit hæc Ægyptia clades, vt cap.42.43. & 44. prædixit Ieremias. Vt enim ex his Ieremiæ locis cōstat, Iudæorum reliquiæ, excisa Hierosolyma, abierunt in Ægyptum, vbi eandē, quā Ægyptij, fortunā subierunt. Iudæi verò vocari optimè possunt filij terræ fœderis, seu pacti; quia Deus pollicitus est Abrahamo se illi terrā Chanaanitidē daturū esse, quę ideo terra promissionis dicta, quod est omnino idē, ac terra fœderis. Alij *filios terræ fœderis*, Gētes esse putāt cū Ægyptiis fœdere, ac societate cōiūctas, in quibus sunt Maldonatus, & Vatablus; quod videtur suaderi posse, quia statim additur, *Et corruēt fulciētes Ægyptū*, quæ explicatio videtur esse illi[9] *filij fœderis.* Fœderati nāque

populi fulciebant Ægyptum, quod sanè facere non possent Iudæi viribus, atque opibus exhaustis. Sed placet nihilominus explicatio prior; quia clades Ægyptia, de qua modò, contigit anno decimosexto, postquam in Ægyptum abierunt extorres Iudæorum reliquiæ. Nam anno vndecimo transmigrationis Iechoniæ euersa fuit ciuitas; anno verò vicesimoseptimo nondum erat Ægyptus subiugata; quia illo anno de Ægypto spolianda vaticinium accepit Ezechiel, vt vidimus ad finem capitis præcedentis, sedecim autem annis augeri potuit, ac roborari populus infirmus priùs, & exiguus.

Vers. 6. *A turre Sienes.*] De Siene diximus capite præcedenti ad vers. 10.

Vers. 7. *In medio terrarum desolatarum.*] De hoc etiam loquendi genere cap. 29. ad vers. 12.

9. Vers. 9. *In die illa egredientur nuncij à facie mea in trieribus ad conterendam Æthiopiæ confidentiam.*] Hîc variè laborant interpretes. Ego hîc in nunciis Chaldæos intelligi posse arbitror, qui à facie Domini dicuntur egressi, quia à Deo missi datū sibi negotium breui, atque secundo successu peregerunt. Quòd autem *facies mea*, aut *facies Dei, facies frigoris, facies gladij*, & similia idem sint, quod *ego Deus, frigus*, &c. res est nota. Qua de re nos pluribus ad illud Isai. cap. 25. *facie vinculi colligati.* Quare, *Egredientur nuncij à facie mea*, nihil aliud est, quàm *egredientur à me*, seu, *ego mittam*. Hi verò in trieribus missi sunt, aduerso scilicet Nilo, ad cuius caput spectabat Æthiopia; vt sic acciperent, & vexarent Æthiopes, sicut Ægyptios paulo antè vexarant. Illud enim valet *ad conterēdam confidentiam Æthiopiæ*, actiuam nempe, quam Iudæorum animis solebāt iniicere, cùm illis opinione militare præsidium promittebant. De qua Isai. c. 18. explicuimus illud, *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ.* Alij nūcios esse putāt, qui aut ab Ægyptiis mittebantur, vt inflictæ à Chaldæo stragis admonerent, aut qui fuga elapsi triste attulerunt nuncium de ægyptiorum clade. Atque ita æthiopum fregere confidentiam, qui adiunctis ægyptiis viribus nihil sibi ab hoste metuendum putabant. Cui explicationi nonnihil incommodat quòd nuncij illi à facie Domini egressi dicūtur, id est, à Domino missi, vt Deo auctore, atque auspice tā de ægypto priùs, quàm de æthiopia postea actum esse nunciarent. In hanc tamen explicationem magis inclinat animus, quia cum illa aptiùs cohærent, quæ sequūtur; neque quæ nunc obstare dicebamus vehemēter vrgent. Vt enim aliquis fugisse, aut egressus esse dicitur à facie gladij, quia fugiendo consecutus est, ne gladio caderet: sic etiam fugisse dici potuit à facie Domini, quia elapsus è cæde, quæ grassabatur in ægyptios agente Domino, & Chaldæorum manus confirmante, ad populos vicinos euasit, quos ægyptiæ calamitatis admonuit, sibique à successu simili, vt cauerent, edixit; quia victor Chaldæorum exercitus ad æthiopum exitium, & prædam aspirabat.

10. *Erit pauor in eis in die Ægypti, quia absque dubio veniet.*] *In die*, idem est quod in afflictione, aut casu alicuius, quomodo Psal. 136. dies Ierusalem ille dicitur, in quo à fundamētis excisa fuit. *Memento Domine filiorum Edō in die Ierusalē.* Quomodo dies alicuius ille dicatur, in quo quis quod habebat in votis consecutus est, aut in quo suæ potentiæ illustre profert documentum, diximus suprà ad illud, *Appropinquauit dies Domini.*

11. Vers. 12. *Et faciam alueos fluminum aridos.*] Flumina dicuntur septē ostia, per quæ Nilus in mediterraneum pelagus se exonerat. Dicuntur verò exsiccanda, vt multi volunt, quia ea erit hostium multitudo, vt illorum siti suffecturus non videatur septem fluminū gurges. Quomodo Isai. c. 37. dum suam prædicaret potētiam oratione inflata dicebat Senacherib, *Exsiccaui vestigio pedis mei omnes riuos aggerum.* Hæc sanè, si ita hunc locum 12.
interpretemur, dicta sunt per hyperbolem, à qua Scriptura sanè non abstinet, quæ in loquendo ad hominum consuetudinem sermonem attemperat. Quis enim credat à sitiente Chaldæorum exercitu fluuium omnium maximum exhauriri potuisse. Sed accidisse hoc aliquando tradunt Historici, qua id fide ipsi viderint. Tradunt certè Herodotus lib. 7. & Iustinus lib. 2. flumina ab exercitu, quem Xerxes in Græciam traducebat, fuisse siccata, de quo Iuuenal. Satyr. 10.

Fluuij à numerosis exercitibus exhausti.

—————*credimus altos*
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente.

Sed aliud hîc à Propheta metaphorico sermone 13.
significari arbitror, nempe diripiendas omnes opes, quas è Nili fœcunditate capiebāt ægyptij; sumitur enim μετωνυμικῶς causa pro effectu, Nilus nempe, pro Nili siue deliciis, siue prouentibus: vbi tamen similitudinis nota subauditur, quasi dicat, tam erit inops ægyptus, cùm illam Chaldæorum peruaserit furor, veluti si nunquā illac interfluxisset Nilus, aut illius alueus multis antea sæculis aruisset. Ita putat Rab. Dauid, & probat Maldonatus. Fortasse hæc propriè accipi possent, ita vt reipsa exsiccatus sit Nilus, quod supplicij genus esse potuit, quo Deus ægyptiorum peccata mulctare voluit; neque leue supplicium esse existimatur, quod est à fame. Id verò contigisse nonnunquam, imò & sæpe, docuimus præcedenti capite ad illud, *Meus est fluuius.* Sed placet magis sententia secundo loco posita; licèt aliæ non omnino displiceant.

Et tradam terram in manus pessimorum.] Pessimi 14.
vocantur Chaldæi non ideo, quia moribus sint profligati, ac perditi; licèt hoc etiam modo pessimi vocari potuerint; sed quia immites sunt, atque inexorabiles, quosque neque prece, neque pretio ad misericordiam inflectas. De quo Isai. c. 5. v. 29. *Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum, & frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat.* Ieremias 6. v. 23. *Sagittam, & scutum accipiet, crudelis est, & non miserebitur.* Thren. 4. v. 16. *Neque senum miserti sunt.*

Chaldæi feroces & immites.

Et dux de terra Ægypti non erit amplius.] Sæpè 15.
à nobis obseruatum est *non ampliùs, non vltrà*, & similia non semper negare aliquid futurum, sed indicare nonnunquam aliquid cessaturum diu, aut non ita frequenter futurum vt antea. Fuit quidem Rex in ægypto, & de genere, vt est non improbabile, ægyptio; sed quia longum 40. annorum intercessit spatium; non ampliùs dicitur futurus esse dux de terra ægypti. Reliqua ad vers. vsque 18. obscura non sunt.

Vers. 18. *Et in Taphnis nigrescet dies, cùm contri-* 16.
uero ibi sceptra Ægypti.] Diem nigrescere, aut terram operiri nubibus, nihil est aliud quàm mœrere terram, & acerba pati, vt diximus ad illud vers. 3. *dies nubis.* Defecturum autem dicitur sceptrum in Taphni, quia illa Regni erat sedes, & ægyptiæ potētiæ primum caput. Id non obscurè habes ex Ieremia, cap. 43. v. 9. cui dixit Dominus cùm ventum esset in Taphnim, *Sume lapides grandes in manu tua, & abscondes eos in crypta, quæ est*

Taphnis siue Tanis Ægypti caput, & regia sedes.

est sub muro lateritio, in porta domus Pharaonis in Taphnis. Quã laudem habuit sedes illa tempore etiã Moysis, imò fortasse à cõdito Ægyptiorum Regno: ibi enim patrata sunt tot signa, quæ Pharaonẽ tandem adegerunt, vt captiuos dimitteret. Psal. 77. *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.* Tanim autem idem esse quod Taphnim, communiter sentiunt doctores. Vide Abulensem in lib. 4. Reg. c. 25. q. 25. & Genebrardum in Psal. 77. v. 16. Ad eam ciuitatem peruenisse dicuntur Iudæorum legati auxilij petendi gratia, quia ibi tanquam in regia sede morabatur Pharao. Isai. cap. 30. v. 4. *Erant enim in Tani Principes tui.* Porrò Tanis auctore Iosepho 180. stadiis a Memphi distabat.

17. Vers. 20. *Et factũ est in vndecimo anno, primo mense.*] Alia iam succedit prophetia duobus mẽsibus post illam, quæ præcedenti capite, priori loco posita est; eodem anno quo capta est, & funditus excisa Hierosolyma.

18. Vers. 21. *Brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi.*] In brachio robur significari, res est nota, & in sacris literis sæpius vsurpata. Ieremiæ cap. 17. *Maledictus vir, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* id [illegible], statuit in carne robur. Et Psal. 9. *Contere brachium peccatoris, & maligni.* Dum ergo confractum esse traditur Pharaonis brachium, fractæ significantur Ægyptiorum vires; ita vt contra Chaldæorum conatus nihil possint magnum, aut opportunum obtendere. Dubitant hic doctores quando confractum fuerit hoc brachium, aut infirmatæ vires. Vatablus, & Lyra præteritum putant sumi pro futuro. Ita vt Deus dicat immisso quamprimum Chaldæorum exercitu Ægyptias vires esse frangendas. Sed cum Hieronymo, & Theodoreto censent complures alij confractum iam antè fuisse brachium, atque ideo sub hoc tempus nõ posse commodè arma tractare. Et hoc mihi videtur veri magis simile: nam reuera debilitatum fuit a Babyloniis Pharaonis brachium, & iuxta hanc explicationem, quod reliquum est capitis, sine offensione currit.

Brachium pro robore.

19. Duo tempora præcesserunt non longè ab hoc, in quo præsens versatur prophetia, in quibus a Chaldæis attritæ sunt vires Ægyptiæ. Alterum anno 4. Ioacim ad Euphratẽ, de quo Ierem. c. 46. vbi quantam acceperit plagam res Ægyptia, pluribus, & eleganter amplificat; vbi confractum Ægypti brachium alia translatione declarat vers. 15. *Quare computruit fortis tuus?* In hoc porrò conflictu Pharao magnam sui Regni partem amisit. de quo 4. Reg. c. 24. v. 7. *Tulerat enim Rex Babylonis à riuo Ægypti vsque ad fluuium Euphratem omnia, quæ fuerant Regis Ægypti.* De hoc bello, & in eo accepta tam insigni plaga agi hîc putant duo Hebræorum magistri Rab. Salomon, & Rab. Dauid, quod mihi non displicet; sed addo indicari hic aliud quoque tempus, quod antecessit proximè, in quo Regnum illud iterum magnum videtur cepisse detrimentum. Nam, vt ex Ieremiæ cap. 37. v. 4. liquet, quo tẽpore obsidebatur Hierosolyma, egressus est Pharao, vt subsidiũ afferret obsessis, quem ita durè accepit, concidítque Chaldæus, vt totam illi Syriam ademerit, vt tradit Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 10. Hoc autem est Ægyptium brachium esse confractum; quia & vires attenuatæ sunt; & audaces spiritus superiorum bellorũ memoria depressi, ac languidi.

Quoties attrita Ægyptus.

20. *Ecce non est obuolutum, vt restitueretur ei sanitas, &c.*] Metaphoram persequitur, quæ planè conuincit sermonem hic esse de iam accepta plaga. Significat ergo hic dicendi modus nondum cõfirmatum esse regnum ab eo detrimento, quod accepit, neque restitutas vires, quas res infeliciter gestæ sustulerunt. Sumitur autem metaphora à chirurgis, qui luxatum, aut comminutum brachium fasciolis ligare solent, & ad illum statum reuocare, vt obire possint consuetum opus, puta tractare arma, vibrare gladium, & quodcumque aliud siue ingenuum sit, siue seruile ministeriũ. Quòd si nemo vulnus obliget, aut medicamenta adhibeat, actũ existimatur aut de hominis vita, aut de spe pristinæ recuperandæ sanitatis, & roboris. Hunc eundem statum in Iudæorum populo eadem metaphora expressit Isaias cap. 1. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Ait ergo Deus confractas esse vires Ægyptias superioribus bellis à Chaldæis; neque tamẽ aut externis auxiliis, aut nouo aliquo supplemento renouatas. Neque verò vt maximè cuperẽt Ægyptij, sanare potuerunt recentem plagã, quam paulo ante hanc prophetiam a Babyloniis accepere. Hoc nãque vaticiniũ accepit Ezechiel anno vndecimo transmigrationis, seu quod idem est Sedeciæ, mense primo. Capta verò fuit Ierusalem eodem anno, mense quarto, paulo post debellatos, atque contritos Ægyptios, qui subsidio venerant Hierosolymæ; hoc verò perpusillo spatio neque recuperare potuere robur antiquum, neque confractum brachium alligare.

Tr... [illegible]

Fractũ brachiũ neque obuolutum.

21. Vers. 22. *Comminuam brachium eius forte, sed confractum: deiiciam gladium de manu eius.*] Vsu quotidie euenit, vt qui forti est corpore, & animo strenuo, ex morbo decumbat; qui cùm antiquos retineat spiritus, languet tamen, neque præstare lacertis potest, quod appetit, ac meditatur animus. Sic Ægyptus modò forte habebat brachiũ, confractum tamen; quod si aliqua ratione solidasset, confirmassẽtque, non facile videbatur luxari, aut inflecti posse. At affirmat Deus confractum illud, ac debile brachium sic esse comminuendum, vt tractare deinceps non possit arma; quod se quanto ocyus præstare posse confidebat. Id enim valet, *Deiiciam gladium de manu eius.* i. faciam ne possit gladium in posterum vibrare.

22. Septuaginta in plurali legunt, *Et conteram brachia eius fortia, & extenta.* Heb. *Confringam brachia eius, & forte, & confractum.* Quod sic accipiunt Hebræi, vt duo hic considerent brachia Pharaonis, alterum confractum, id est, illam Regni partem, quam abstulit ab illo Babylonius, de qua 4. Reg. c. 24. quod nempe spatij est à riuo Ægypti vsque fluuium Euphratẽ. Alterum verò, quod propriè dicitur Ægyptus, ex quo nihil dũ videbatur esse detractũ, quod ideo forte vocari potest; hoc igitur brachium simul cum alio conterendum esse dicit Dominus. Sed quamuis explicatio hæc, si textum intuearis Hebraicum, non sit reiicienda; quia tamen minùs cum vulgata translatione consentit, magis arridet prior.

23. Vers. 24. *Et confortabo brachia Regis Babylonis, dabóque gladium meum in manu eius.*] Singula singulis opponit, brachium comminuit Pharaonis, & ab illo gladium extorquet, ne quid audeat; aut siquid audacius tentauerit, ne quid possit. Confortauit verò brachia Regis Nabuchodonosor, & gladio suo eius armauit manum; quo nihil excogitari poterat siue ad humanas sternendas vires, siue ad euitanda pericula potentius. In quo spectare licet hominis, inimici Deo tristem imaginem,

Fortissimus est, cui adest, infirmus verò, à quo abest Deus.

ginem, vt enim inermis redditur Pharao extorto de manibus ferro, & brachio cõfracto, & ad versandum gladium prorsus inutili; aduersarius autem confortatas habet manus & diuino gladio, cui nihil est insuperabile, munitas; sic peccator, quem Dominus punire voluit, nihil habet quod diuino furori opportunum obiiciat, & instare si- A bi à diuina dextra exitium videt. Vt autem Isai. cap. 10. v. 5. contra Gentem Iudaicam virgam Assyrio dedit, in cuius manu indignationis suæ momenta posuit, id est, Assyrium fecit suæ iustitiæ vindicem; sic Chaldæo contra Ægyptum suum gladium dedit, illúmque assumpsit suæ iustitiæ, atque indignationis administrum.

IN CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

ARGVMENTVM.

HOC caput totum minas intentat, & ignominiosum exitium Pharaoni, quod in Assyrio Rege, & eius populo à Nabuchodonosore concisis, tanquam in viuo quodam exemplari proponit. Primùm in Assyrio Principe speciem proponit hominis, in quo summa sint omnia, quæ vulgus hominum admiratur, & stupet, celsitudinem, potentiam, splendorem, quæ ducta à cedro Libani similitudine miris modis amplificat. Neque statim minùs eleganter, ac grauiter ruinam ipsius, & sepulcrum ignobile describit. Ad extremum iubet Pharaoni, cuius gratia inducta fuerat longa illa, & tragica narratio, vt in Assyrio sublimi priùs; deinde verò vehementer abiecto, tanquam in speculo, suam ipsius spirantem, & viuam imaginem agnoscat.

CAPVT XXXI.

1. *ET factum est in anno vndecimo, tertio mense, vna mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:*

2. *Fili hominis dic Pharaoni regi Aegypti, & populo eius: Cui similis factus es in magnitudine tua?*

3. *Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus, excelsúsque altitudine, & inter condensas frondes eleuatum est cacumen eius.*

4. *Aquæ nutrierunt illum, abyssus exaltauit illum: flumina eius manabant in circuitu radicum eius, & riuos suos emisit ad vniuersa ligna regionis.*

5. *Propterea eleuata est altitudo eius super omnia ligna regionis: & multiplicata sunt arbusta eius, & eleuati sunt rami eius præ aquis multis.*

6. *Cúmque extendisset vmbram suam, in ramis eius fecerunt nidos omnia volatilia cæli, & sub frondibus eius genuerunt omnes bestiæ saltuum, & sub vmbraculo illius habitabat cætus Gentium plurimarum:*

7. *Erát*

PARAPHRASIS.

B 1. ANno vndecimo à transmigratione Iechoniæ, mense tertio, & eius prima die, vno mense antequam euerteretur Hierosolyma, locutus est iterum Dominus, & hoc mihi ad Pharaonem vaticinium dedit.

2. Fili hominis, hoc à me mandatum ad Pharaonem, & populum Ægyptium perfer, & roga cui se putet potentia, aut magnitudine similem?

C 3. Ecce Assyrius sic erat sublimis, & multitudine potens, vt speciem præ se ferret cedri, quæ nascitur in Libano, quæ latè explicat ramos, & multo vndique frutice syluescit; quæ in immensam proceritatem assurgit, & inter condensas frondes cacumen attollit.

4. Abundabat aquis, immo apud se aquarum continebat abyssum, à quibus irrigata largè in admirandã altitudinem excreuit. Ad radicẽ iuges habebat scatebras, quas pro summa abundantia ad irrigãdas aliarum regionum arbores deriuabat.

D 5. Propterea sic se sublimem extulit Assyria cedrus, vt longè infra se relinqueret alia ligna regionum. Neque tamen illi sola proceritas honori fuit: nam ex ipso stipite effudit sese germinum immoderata luxuries, & rami in omnem partem vehementer diffusi sunt.

6. Cúmque latè ramos, & in ramis latè vmbram explicuisset, ibi cœli volucres suos sibi nidos, atque cubilia construxere, sub frondibus fruticibúsque, qui truncum circumfundunt, & vestiunt, ediderunt,

alue

A aluerúntque catulos suos omnes bestiæ syluæ;& in solo à syluescentibus,& patulis ramis opacato innumeri hominum, ac multiplices cœtus consedere.

7. Erátque pulcherrimus in magnitudine sua,& in dilatatione arbustorum suorum: erat enim radix illius iuxta aquas multas.

7. Erat autem ad aspectum pulcerrimus;tum propter magnitudinem, qua se in partem omnem ambitiosa luxurie diffundebat;tum propter arbusta, quibus erat ab omni parte fruticante radice constipata; neque id mirum, cùm ad abundantem aquarum, iugémque decursum depacta, humorem haberet, quem stirps exugeret, B familiarem,& proprium.

8. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquauerunt summitatem eius, & platani non fuerunt æquæ frondibus illius:omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi,& pulchritudini eius.

8. In horto quantumuis vbere, & hominum industria diligenter exculto, qui propter singularem excellentiam, Dei vocari posset, non fuit vlla cedrus illa procerior;nulla ibi abies, quæ illius altitudinem assecuta fuerit, neque vlla platanus æquè frondosa: arbor denique nulla in paradiso Dei assimilata est illi siue proceritatem intueare, siue speciem, quæ existit ex ambitiosa ramorum,foliorúmque luxurie.

9. Quoniam speciosum feci eum, & multis condensísque frondibus: & æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei.

9. Quoniam Assyrio ego ad ornatum, C & speciem multa contuli; densis vestiui frondibus, & ad illam pulcritudinem euexi,vt arbores aliæ, quæ ad speciem, & voluptatem expetuntur, licèt in horto sic amœno plantatæ, vt vocari possit Dei paradisus; illius tamen inuidebunt felicitati, quam admirari potius,quàm obtinere,aut imitari poterant.

10. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd sublimatus est in altitudine, & dedit summitatem suam virentem atque condensam, & eleuatum est cor eius in altitudine sua:

10. Propterea sic de Assyrio Dominus: Pro eo, quòd insolentes sibi spiritus propter altitudinem suam sumpsit Assy- D rius; & cacumen suum viriditate, frondibúsque conspicuum omnium oculis ambitiosè spectandum proposuit.

11. Tradidi eum in manu fortissimi Gentium, faciens faciet ei: iuxta impietatem eius eieci eum.

11. Ideo illum Nabuchodonosoris Regum potentissimi potestati subieci, qui de eius tam capite, quàm fortunis suo arbitratu statuit; neque vllus illi impedimento fuit,quo minus perficeret, quod liberet. Eieci etenim illum de illo specioso, atque insolenti loco,prout à mea æquitate illius exigebat iniquitas.

12. Et succident eum alieni, & crudelissimi nationum, & proiicient eum super montes, & in cunctis conuallibus corruent rami eius, & confringentur arbusta eius in vniuersis rupibus terræ:& recedent de vmbraculo eius omnes populi terræ,& relinquent eum.

12. Venerunt igitur lignatores exter- E ni, ac populorum omnium immanissimi, qui speciosam illam, atque sublimem cedrum succiderunt, eo ipso in monte, vbi suam aliis speciem ostentabat. Diffractis autem ramis,& ad rupes, atque acutas silices allisis, ac dissipatis arbustis subiectæ valles constratæ sunt: & quotquot ad eius vmbram antè confugerant, ab illa recesserunt.

13. In ruina eius habitauerunt omnia volatilia cæli, & in ramis eius fuerunt vniuersæ bestiæ regionis.

13. Ad ruinas autem arboris succisæ aduolarunt statim volucres cœli, & in illis suas sibi sedes parauerunt;& in ramis eius sylucstres feræ locauere cubilia.

14. *Quam ob rem non eleuabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum: nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa atque frondosa, nec stabunt in sublimitate sua omnia, quæ irrigantur aquis: quia omnes traditi sunt in mortem ad terram vltimam, in medio filiorum hominum, ad eos qui descendunt in lacum.*

A 14. Deinceps verò arbores illæ, quæ riuis ab huius arboris scaturigine deductis rigabantur, & in vastos truncos, & eximiam altitudinem assurgebant, ab illo familiari humore destitutæ senescent. Quare cacumen suum, quod altè sustulerant, deiicient; neque inter nemorosa ligna censebuntur illa, quibus assiduus erat affluxus irrigantis aquæ. Quia omnes illæ metaphoricæ plantæ securi traditæ sunt, & morti; & instar ignobilis turbæ de medio vulgo in terram vltimam, id est, in la- B cum, & sepulcrum cum aliis è turba demersi sunt.

15. *Hæc dicit Dominus Deus: In die quando descendit ad inferos, induxi luctum, operui eum abysso: & prohibui flumina eius, & coercui aquas multas: contristatus est super eum Libanus, & omnia ligna agri concussa sunt:*

15. Eo, inquit Dominus, die quando occisus, & tumulatus fuit Assyrius, luctum induxi, sterilitatem, & maciem omnibus, qui illo florente floruerunt: abstuli enim illi abyssum, siccaui flumina; & feci ne quid in Assyriis finibus esset irriguum. Elanguit Libanus, & emarcuit vbi virebat cedrus illa; & alia ligna minora, ad quæ ex illa commodus deriuabatur humor, ideo C concussa sunt; quia familiaris defecit irrigatio; neque ex illa strage ad ipsam pars exigua pertinuit.

16. *A sonitu ruinæ eius commoui Gentes, cùm deducerem eum ad infernum cum his, qui descendebant in lacum: & consolata sunt in terra infima, omnia ligna voluptatis egregia, atque præclara in Libano, vniuersa quæ irrigabantur aquis.*

16. Ad fragorem illum, & sonitum ingentem, qui tam grauem ruinam consecutus est, commotæ sunt quoque Gentes illæ, quas ipsius vmbra tegebat, & ornabat: & cùm Assyrium Regem ad lacum, siue sepulcrum demitterem, cum illorum cœtu, qui commune illud mortuorum diuersorium subibant, acceperunt non leue de sua calamitate solatium; solatium, inquam, ingens accepere omnia li- D gna Libani, quæ plantata olim ad voluptatem fuerant, & inductis aquarum riuis irrigata.

17. *Nam & ipsi cum eo descendent in infernum ad interfectos gladio: & brachium vniuscuiusque sedebit sub vmbraculo eius in medio nationum.*

17. Acceperunt consolationis aliquid, quia cum magno principe interfecti, ipsi quoque gladio perempti commune obtinuere sepulcrum, vt in magna clade fieri videmus, vbi promiscuè primi cum infimis coniiciuntur in foueam: tunc verò minores alij in eodem cadauerum aceruo, suo adhæsere Principi, sicut rami trunco; & in illo multorum populorum cœtu sicut fecerunt antea dum in E viuis agerent, sub illius vmbraculo quiescent.

18. *Cui assimilatus es ô inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram vltimam: in medio incircumcisorum dormies, cum eis qui interfecti sunt gladio: ipse est Pharao, & omnis multitudo eius, dicit Dominus Deus.*

18. Cui, ô cedre, seu veriùs, ô Assyrie, quem cedrus adumbrat, procera priùs, modò verò succisa, te similem arbitraris, inter arbores quas ad suas sibi delicias homines plantant, & colunt! Ecce cum aliis lignis, quæ tibi voluptati, atque splendori fuerant, in terræ sinum, & communem foueam deiectus es cum Gentili, atque incircuncisa turba. Hæc contigerunt quondam

dam

A dam Aſſyriis à Chaldæo; eadem tibi nunc, ô Pharao, cuius gratia hæc omnia commemorata ſunt, ab eodem hoſte euentura pronuncio; in quibus expreſſum tuarum rerum exemplar agnoſce.

Verſ.1. *Et factum eſt in anno vndecimo, tertio menſe.*]

1. DVos menſes poſt ſuperiorem prophetiam, hoc quoque contra Pharaonem vaticinium accepit, vno menſe antequam à Chaldæis excinderetur Hieroſolyma. Et illi ad Aſſyrij ſimilitudinem exitium minatur, cuius maieſtatem, & imperium miris modis amplificat, cui ſe quàm ſimillimum aut putabat, aut iactabat Ægyptius. Vt autem ille miſerè, atque ignominioſe periit; ſic etiam Ægyptio edicit fore pereundum.

2. Verſ.2. *Cui ſimilis factus es in magnitudine tua?*] Rogat à Pharaone dicat cui ſe arbitretur eſſe ſimilem; ac ſi dicat, quantumcumque ſit potens, & fortunatus ſiue in conciliandis hominum animis, in quo maximè regnorum ſpectatur nobilitas; ſiue in adminiſtranda republica, non tamen futurum vt impendens ſibi infortunium effugiat.

3. Verſ.3. *Ecce Aſſur quaſi Cedrus in Libano.*] Non poterat Ægyptius altiorem ſibi fortunam fingere, quàm nunc à Deo proponitur in Aſſyrio, quam ſumpta ex cedro metaphora, mirificè deſcribit. Ille tamen victus fuit à Chaldæo, & eò redactus, vt iam ex illo pertenuis tantùm ſuperſit memoria: quare non eſt cur plura ſibi Ægyptius, aut meliora promittat. Porrò cedrus è Libano in maximarum rerum comparationem adducitur. Sic Ierem.cap.22.v.15.de Ioacim, *Numquid regnabis, quia confers te cedro?* & Iſaias cap.2. v.13. magnos Principes cedros appellat Libani. *Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur: & ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & erectas.* Sic Dauid Pſal.36.v.35. *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani.* In deſcribenda autem cedri illius metaphoricæ ſpecie, mirè exprimit Dominus Aſſyrij, atque in eo Ægyptij pulcritudinem, & delicias, & regionis illius naturam, quam aqua fluminis irrigat, & fœcundat, eáſque conciliat commoditates, quas ſtatim eleganter perſequitur. Quas habuiſſe quoque dicit Aſſyrium, de quo omnia, quæ proximè ſequuntur.

Prouerb. Cedrus Libani, decore ſpecioſa, & alta.

4. Verſ.4. *Aquæ nutrierunt illum: abyſſus exaltauit illum.*] Vt cedrus Aſſyrij maieſtatem, & imperium ſignificat; ſic aquæ, quibus arbores nutriuntur, & creſcunt, illa adumbrant fomenta, atque ſubſidia, quibus augentur, & ſplendeſcunt imperia. Quales ſunt opes, & theſauri, qui ſic effodiuntur è terra, ſicut aquæ ex occultis venis, aut ex profunda ſcaturiunt abyſſo. Cùm autem Aſſyrius abundaret opibus, quæ bellorum nerui, & pacis ornamenta ſunt, propagare potuit, & ornare imperium, ita vt latè diffunderet ramos, ſicut cedrus, & vt hæc ſpecioſa eſt, ſic etiam illud ſpecioſum eſſet, & illuſtre.

5. *Flumina eius manabant in circuitu radicum eius.*] Variæ, eædémque abundantes, & opulentæ prouinciæ circumfuſæ quotidiana præbebant diuitiarum, & commoditatum incrementa: non ſecus ac flumina, quæ vicina ſunt hortis, aut agris

B frugum ſationis deſtinatis, obiectas arbores, aut fruges aſſiduè rigant; inducúntque plantis, conſeruántque luxuriem, & ex ea fructus luculentos effundunt.

Et riuos ſuos emiſit ad vniuerſa ligna regionis.] 6.
Non ſolùm ſibi, vt erat omnium fructibus abundans, ſufficiebat Aſſyria, ſed ad alias etiam regiones ex eo quod ſupererat aliquid deriuabat; ſicut e flumine in circumiectos agros hominum induſtria, aut ipſa locorum opportunitate deducuntur riui.

Verſ.5. *Propterea eleuata eſt altitudo eius ſuper* 7.
omnia ligna regionis, & multiplicata ſunt arbuſta eius.] Quia abyſſus erat inexhauſta, ex qua perennes erumpebant fluuij; ſic ſe ſublimem extulit Aſſyria cedrus, vt longè infra ſe relinqueret alia ligna regionum. C Neque tamen ſola proceritas honori fuit: nam ex ſtipite, totóque trunco ea ſeſe profudit luxuries, vt circum arbuſtum eſſe crederes. Id ego arbuſtum eſſe arbitror: nam in pingui, atque irriguo ſolo ex arborum ſtirpibus nouella pullulant germina, quæ truncum amplectuntur, & veſtiunt: aut certè ex ſeminibus, quæ ventus excutit, & deinde terra excipit, & fouet, oriuntur eiuſdem generis plantæ, quæ arboris filiæ nominari poſſunt; quæ frequentes, & denſæ arbuſtorum, & fruticum ſimilitudinem referunt.

Verſ.6. *Cúmque extendiſſent vmbram ſuam, in ra-* 8.
mis eius fecerunt nidos omnia volatilia cœli.] Hæc difficilia non ſunt; ſignificatur enim ſic latè fuiſſe Aſſyrium imperium propagatum, vt varias nationes, D & linguas in ſuo complexu cohiberet, quæ volucrum, & belluarum nomine ſignificantur. Sicut ſub hæc ferme tempora in arbore patulis diffuſa ramis, & loco ex vmbra illius opaco ſignificata fuit Nabuchodonoſoris amplitudo, & potentia, Dan.cap.5. Porrò vmbra pro ramis vſurpatur, qui vmbram efficiunt, & locum opacant arbori ſubiectum. Quod etiam apud profanos non infrequens. Virgil.lib.12.Æneid.de ramo decorticato, atque dolato dixit,

Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras.

Quare vmbram extendere idem eſſe videtur hoc in loco, atque ramos diffundere.

Verſ.8. *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo* 9.
Dei.] Paradiſus Dei, vt cap.28. diximus ad illud, *In deliciis paradiſi Dei fuiſti,* non ſignificat hortum E illum amœnitatis eximiæ; qui ἀντονομαστικῶς paradiſus vocatur, in quo a Deo primus homo collocatus fuit; ſed eximium aliquem hortum, qui ex Hebraici ſermonis idiomate paradiſus appellatur Dei. Sicut montes Dei, & cedri Dei vocantur, quibus ſingularis quædam ineſt altitudo. Quaſi dicat in horto quantumuis vbere, atque hominum ſtudio diligenter exculto, non ſunt inuentæ arbores neque proceræ magis, neque ambitioſæ ramorum, foliorúmque luxuriæ magis decoræ.

Verſ.9. *Æmulata ſunt eum omnia ligna volupta-* 10.
tis, quæ erant in paradiſo Dei.] Omnes alij Reges,

qui plantati videntur tanquam speciosæ arbores, non tam ad fructus humanæ vitæ necessarios, quam ad inertes, & otiosas voluptates; quales sunt plerumque, qui inter homines appellantur Principes; licèt sint locis, quæ propter amœnitatem vocari possint paradisi Dei, illius tamen inuiderunt felicitati, quam admirari potiùs quam obtinere, aut imitari poterant.

11. Vers. 10. *Pro eo quòd sublimatus est in altitudine, &c. & eleuatum est cor eius.*] Hæc tanta sublimitas, & rerum affluentia aluerunt in Chaldæorum Rege insolentes spiritus; ita vt aliquid diuinum, aut diuino simile inesse sibi stulto blandimento cogitaret. Quomodo sub hæc ipsa tempora Nabuchodonosor, qui erecta aurea statua coli se voluit, atque haberi pro Deo. Sanè talia de se non cogitabat solùm, sed etiam prædicabat Senacherib, qui Isai. cap. 36. vers. 18. diis Gentium se putabat superiorem, qui regiones sibi deuotas ipsius manibus non eripuerunt. Et cap. 37. v. 29. sic ad illum Dominus, *Cùm fureres aduersum me, superbia tua ascendit in aures meas.* Ad huius credo similitudinem Reges alij posteriores Assyriorum cogitationes susceperunt neque magis sanas, neque minùs inflatas. Propter quod à Chaldæis postea deleti sunt. Talia de se cogitabat Pharao, qui capite præcedenti dicebat, *Meus est fluuius, & ego feci memetipsum.* Quæ verba non longè aberant ab eo, quod de seipso prædicabat Assyrius. Vide quæ nos in illum locum suprà. Quare cùm Assyrios spiritus tam facile, ac miserabiliter depressos esse videat, timere non immeritò posset Ægyptius, ne suo capiti idem quoque infortunium adueniat.

Superbos Deus deprimit.

12. Vers. 11. *Tradidi eum in manus fortissimi Gentium, faciens faciet ei.*] Quidam Assyrium istum fuisse opinantur Senacherib, cuius exercitus momento temporis deletus est ab Angelo, qui omnium omnino Gentium fortissimus est. Sed hanc cogitationẽ multa conturbant; primùm quia Angelus non connumeratur inter Gentes, fortissimus Gentium appellari non debet. Deinde quia argumentum hoc loco sumitur ab eo, qui Assyriorum extinxit imperium, à quo etiam euertenda dicitur Ægyptus; sed hæc non ab Angelo euersa fuit, sicut priùs Senacherib potentia, sed à Nabuchodonosor; hic ergo est ille Gentium fortissimus, de quo modò.

13. *Faciens faciet ei.*] Futurum ponitur pro præterito, quod sæpe faciunt Hebræi, vt docuit Pagninus lib. 3. instit. c. 12. vbi exemplorum satis. Vide regulam, quam fusiùs explicuimus, probauimúsque apud Isaiam cap. 41. n. 6. vbi diximus vocem futuri aliquando rem significare præteritam, aut præsentem, si vox præteriti, aut præsentis temporis antecessit, quemadmodum hic accidit. Nam cùm præcessisset *tradidi*; deinde sequitur *faciet.* Idem dicendum de verbis aliis, quæ statim vers. 12. & 14. futuram habent terminationem. Porrò hic dicendi modus non est sine epitasi, qui significat, aut summam esse in aliquo potestatem faciendi quidquid illi collibuerit, aut in agendo studium, & ardorem, iuxta rerum naturam. Quomodo dicitur *potens poteris, expectans expectabo,* & similia. Faciens itaque faciet, aut fecit Nabuchodonosor, quia nemo illi impedimento fuit, quo minus suo arbitratu de Assyrij rebus, & capite statueret. Idem obstinato animo dixerunt Iudæi ad Ieremiam cap. 44. *Facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro.*

REGVLA. *Futurum sæpe pro præterito seu præsenti ponitur, quando tempus præcessit vel præteritum, seu præsens.*

14. Vers. 12. *Et succident eum alieni, & crudelissimi*

A *nationum.*] Perstat in metaphora, & docet, quid acciderit cedro illi sublimi, quæ ramos, atque arbusta latè quoquo versùs diffuderat. Statuit autem cedrum illam præaltam in præalto etiam montium fastigio, quo magis esset eius altitudo conspicua, vt quo in altiori loco sita fuerat, eo grauior esset illius ruina, & in ipso descensu affligeretur grauiùs, & dissiparetur magis; & ideo addidit conualles ex illius ruina fuisse constratas, diffractis ipsa descensus asperitate ramis, & ad rupes, atque acutos silices allisis, ac dissipatis arbustis. Ex quo constat quod paulo antè dicebamus ad v. 7. arbusta hoc loco esse densos, & plerumque inutiles ramusculos, qui aut ex stirpe

B pe pullulant, aut arboris truncum condensato frutice conuestiunt. Hic tu pro moribus obserua ea, quæ homines tanto studio parant ad dignitatem, & speciem, vt sublimes appareant, & ambitioso quodam apparatu conspicui; illa eadem fortiùs ad ruinam impellere; & citiùs hominem, atque ignominiosiùs cadere, quo maius sibi pondus alligarat; & altiorem sibi stationem delegerat. Sicut arbor, quæ pluribus est, atque grandioribus onerata ramis, quos ventus concutit, & exagitat; & eo motu arborem ad ruinam impellit vehementiùs. Hinc illud de superbis tritum ex Claudiano, 15.

Illa hominibus exitio sunt & ignominiæ quæ ipsi ad vitam & honorem quæsierunt.

——— ——— *tolluntur in altum*

C *Vt lapsu grauiore ruant.*

Et de Seiano Iuuenal. Satyr. 10.

——— ——— *qui nimios optabat honores,*
Et nimias poscebat opes: numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, vnde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.

Porrò quæ hîc in futuro tempore ponuntur, per præteritum exponenda sunt, vt *succident, proiicient, corruent, confringentur,* & plura alia, quæ tam in hoc versu, quàm in subsequentibus occurrent. Rationem adduximus suprà ad illud vers. 11. *Faciens faciet*; quæ alij omnes interpretes à vulgato per præteritum exponunt.

In ruina eius habitauerunt omnia volatilia cœli.] 16.

D Ruinas ciuitatis vocamus illa, quæ post euersam ciuitatem reliqua sunt tanquam magnæ cuiusdam molis triste monumentum, vt sunt parietinæ, & rudera, & saxorum indigesta congeries. Ruinæ quoque florentis exercitus vocari possunt militum cadauera, & armorum disiecta, & inutilia fragmenta. Sic etiam arboris ruina truncus ipse est, euulsus è terra, spoliatus iam frondium viriditate, aridus, & ipsa mole iam deformi, & horrida priorem gloriam, & pulcritudinem ostentans. Vt autem ad hominum, iumentorúmque cadauera accurrunt canes; conuolant vultures, & corui, vt suam sibi famem exaturent; quæ trahunt, decerpant, & lacerant: sic aues, aut

E quæ priùs in ipsius ramis nidos sibi construxerant, aut aliæ externæ ex fœtore cadauer odoratæ habitabunt in illo, sicut aquila habitare dicitur in Tiryo, cuius viscera pascitur, illísque incubat, & tanquam in suo perpetuo domicilio habitat. de quo Maro in lib. 6. Æneid.

——— ——— *rostróque immani vultur obunco*
Immortale iecur tundens, fœcundaque pœnis
Viscera, rimatúrque epulis, habitátque sub alto
Pectore.

Illæ porrò aues, siue belluæ, quæ habitaturæ dicuntur in arboris ruina, Gentes, vt reor, sunt, quæ 17.

Potentium casus plurimis est vsui.

victis insultauerunt Assyriis, quibúsque Regis, ac principum interitus commoditati fuit. Sic enim vsu plerumque euenit, vt sicut ingens oc-

cumbens

cumbens bellua minores alias magno in numero A
pascit; sic Principum ruina plures attollat & lo-
cupletet alios. Sic arbor illa auulsa, seu succisa à
Babylonica securi mille aliis commoditates at-
tulit. In quam parœmiale illud optimè cadit,
δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται. id est, *quercu caden-
te quisque ligna colligit.*

Vers. 14. *Quamobrem non eleuabuntur in altitudi-
ne sua omnia ligna aquarum.*] Suprà vers. 4. dixerat
Propheta sic abundasse sublimem illam cedrum,
quæ Assyriam potentiam adumbrabat, aquis,
quas flumina, quæ ad eius manabant radices, ef-
fundebant, vt riuos suos ad alias etiam arbores
deduceret; quæ illo influxu in magnam etiam al-
titudinem attollebantur. Nunc ergo cùm illa B
exaruissent flumina, consequens erat, vt arbo-
res illæ, quas Assyrius riuus irrigabat, ab il-
lo familiari humore, & naturali succo desti-
tutæ senescerent. Id ergo nunc significat
Deus accidisse Regnis aliis, quæ & sua potentia
tegebat, & suis opibus ditabat Assyrius, quæ illo
cadente, ipsa quoque eodem impetu collabi ne-
cesse erat. Illa verò regna, siue Reges ideo appel-
lantur aquarum ligna; quia ipsa quoque aquis
metaphoricis abundabant, nimirum opibus, ex
quibus prouëniebant, & ambitiosi spiritus, quos
alunt diuitiæ; & mores delicati, ac molles, quos
frangunt desidia, & luxus, quibus rerum affluen-
tia materiam præbet. C

18. *Quia omnes traditi sunt in mortem ad terram vlti-
mam.*] Omnes illi, qui propter opes, atque po-
tentiam longè se eximebant à vulgo; in medio
tamen filiorum hominum, idque inter reliquam
vulgi multitudinem gladio ceciderunt, & in ter-
ram vltimam, id est, in sepulturam, quam statim
appellat lacum, detrusi sunt. Hieronymus, Hugo,
Dionysius, & Lyra in terra vltima, atque in lacu
infernum intelligunt, & damnatorum carcerem.
Sed placet quod priùs dicebamus de sepultura,
seu fouea, in quam inferuntur mortuorum cada-
uera, quod putant Pagninus, Isidorus, & Vata-
blus. Neque res videtur difficilis, si adiuncta
consideres: nam Principes illi communem di- D
cuntur cum vulgo subiisse fortunam, & ideo in
terram vltimam, & in lacum dicuntur descen-
disse in medio filiorum hominum, id est, sicut
alij homines è vulgo. Quorum nemo commu-
nem illam sepulturæ legem euitauit; at non o-
mnes in damnatorum carcerem compacti sunt.
Neque omnes idem cum Principibus subeunt
supplicij pondus; cùm potentes tormenta po-
tenter patiantur: non sic autem vulgares homi-
nes, qui neque tot se implicuere flagitiis, sicut
potentes; neque alios student opprimere de ple-
be; neque si velint, audent.

19. Vers. 15. *In die quando descendit ad inferos indu-
xi luctum, operui eum abysso, & probibui flumina eius.*] E
Inferi pro sepulcro.
Notum est *inferos* in Scriptura sacra sumi pro se-
pultura, vt Gen. 42. v. 38. *Deducetis canos meos cum
dolore ad inferos.* 1. Reg. 2. v. 6. *Dominus mortificat, &
viuificat, deducit ad inferos, & reducit.* Vbi epexegesis
apertè docet *inferos* ibi pro sepultura poni. Dan. 3.
v. 88. *Eruit nos de inferno, & saluos fecit de manu mor-
tis.* Quando ergo mortuus fuit Assyrius, & cada-
uer eius conditum sepulcro, inductus est luctus
toti terræ, id est, sterilitas; deficiente videlicet il-
lo, quo florente tota illa abundabat, atque flore-
bat regio. Quòd verò *lugere*, ac *luctus* duram si-
gnificet conditionem, qualem in suo statu, & pro
sua natura quiuis subire possit, sæpiùs à nobis di-
ctum est. Quomodo lugere dicitur ager, cùm
Luctus aliquid significat incommodum.

A deficiente pluuia deformis est, & sterilis; item
viæ, cùm non sunt, qui ingrediantur per eas; &
portæ cùm confractæ sunt, & similia, quæ passim
offert sacra lectio.

Operui eum abysso.] Hic locus variè redditur, & 20.
variè etiam a variis exponitur. Heb. est את תהום
כסתי עליו *kisethi alau eth tehom*, id est, *cooperui su-
per eum abyssum.* Septuaginta sic reddunt, *luxit eum
abyssus*, quam translationem videntur secuti, qui
opertam esse putant abyssum, nempe sacco, aut
cinere more lugentium, in quibus sunt Pagni-
nus, Vatablus, Isidorus, & Maldonatus, qui etiam
putant sacco operiri, seu lugere abyssum, idem
esse, quod siccari. Nam vt ager sterilis lugere di-
B citur, quia suo priuatur ornamento, & fructu; sic
abyssus cùm suis etiam spoliatur diuitiis, aquis
videlicet, à quibus videbatur exhauriri non pos-
se. Et verò si Hebraicam sequaris lectionem, aut
translationem L X X. nihil videtur dici posse
commodiùs. Et probat quod proximè succedit,
Prohibui flumina eius, & coercui aquas multas. Ac si
diceret, *exhausi abyssum*, quæ, vt dictum est suprà
vers. 4. *illum exaltauit, & siccaui flumina quæ ma-
nabant in circuitu radicum eius.* Quæ verò sit a-
byssus, & quæ flumina, eo loco à nobis explica-
tum est.

Hæc quidem bene, & apertè ad Hebraicum 21.
textum, & L X X. translationem; non tamen sa-
C tis ad vulgatam, cui nobis maximè seruiendum
est. Quæ legit, *operui eum abysso*, Chaldæus, Hugo,
Dionysius, & Lyra in abysso tribulationem, cla-
dem, & angorem intelligunt (& sanè aquæ mul-
tæ, tribulationes significant multas) & tunc sen-
sum esse putant, eo tempore, quo è viuis excel-
serit Assyrius, operiendam esse terram immensa
quadam tribulationum abysso. Sed quo mihi mi-
nus probetur explicatio, facit, quia non videtur
hîc mutanda abyssi significatio, quam habuerat
priùs v. 4. Sicut neque *flumina*, quæ statim se-
quuntur, quibus inducenda dicitur ariditas. Qua-
re tam hîc abyssus, quàm flumina exsiccanda fo-
re significantur.

D Hieronymus, qui suprà infernum, & lacum 22.
non significare sepulturam, sed damnatorum
carcerem existimabat, hîc opertum esse dicit a-
bysso Assyriorum Regem, quia supra infernum
abyssus est, quæ in infimam illam terræ partem
incumbit, quæ illum tunc circumfundet, & pre-
met, quam priùs irrigabat, & vbere augebat, ex-
hilarabátque prouentu. Sed quia de sepultura
hîc agitur, quam habuit cum reliqua multitudi-
ne communem Assyrius, vt pluribus paulo antè
docuimus, aliter vulgatam translationem expli-
cemus necesse est.

Ego hîc hypallagem quamdam videre videor 23.
vsitatam in Scriptura sacra, quæ voces sic in o-
E ratione permutat, vt alterius loco alteram con-
stituat, de qua Pagninus lib. 4. Instit. cap. 11. Psal.
18. *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, in taber-
naculo suo posuit solem. lib. 4. Reg. c. 9. v. 30. vbi
vulgatus, *depinxit oculos suos stibio.* Heb. est, *posuit
in stibio oculos suos*, id est, posuit stibium in oculis
suis. Iudic. 1. v. 8. vbi Noster, *tradentes cunctam in-
cendio ciuitatem.* Heb. *ciuitatem miserunt in ignem*, id
est, ignem in ciuitatem; & eodem modo Psal. 74.
v. 7. Iuxta hanc figuram Pagninus suprà, & alij
nonnulli explicant illud Psal. 103. v. 8. *Super mon-
tes stabunt aquæ*, id est, montes stabunt super aquas.
Ab hac verò figura non abhorrent externi. Dixit
illorum quidam,
Hypallage in Scriptura vsitata.

——————*perflauit fistula buccas*,

pro,

pro, perflauit bucca fistulam. & Maro lib. 6. Æneid.

Ibant obscuri sola sub nocte per vmbras,

id est, ibant soli sub obscura nocte. Sic puto hoc loco casus esse permutandos hoc modo, vt pro *operui eum abysso*, legas, *operui eo abyssum*. Quæ explicatio bellè cum consequentibus consentit, quæ indicat clausam esse abyssum, atque coercitam, ne aquam effunderet, qua campi irrigabantur Assyrij; sicut exsiccata dicuntur flumina, quæ iuxta radices arboris suprà vers. 4. exiliisse traduntur. Sic videor & satisfecisse Hebraico sensui, & L X X. translationi, quæ luxisse abyssum, aut, quod idem est, exaruisse aut dicunt, aut insinuant.

24. *Contristatus est super eum Libanus, & omnia ligna agri concussa sunt.*] Cedrus in Libano vocatus fuerat Assyrius suprà vers. 3. ex quo seruata allegoria, quam à principio capitis persequitur Propheta, facile intelligitur in Libano, vbi se longè supra reliquos extulerat Assyriorum Rex, Assyrium imperium adumbrari; in aliis verò lignis aut principes alios, aut vulgares homines, qui in illo metaphorico Libano morabantur. Contristatus igitur dicitur Libanus, id est, Assyriorum imperium; & ligna Libani, id est, reliqui ex eodem imperio horrore cócussi, quia defecerunt illis priora commoda, neque ad ipsos ex regia clade pars exigua pertinuit.

25. Vers. 16. *A sonitu ruinæ eius commoui Gentes, cùm deducerem eum ad infernum cum his, qui descendebant in lacum*] Hic credo sermonem esse de aliis siue principibus, siue vulgaribus animabus, quæ ante Regis Assyriorum interitum iam fuerant eodem, aut simili fato perfunctæ, quæ commotæ finguntur, & admiratæ quando cum ingenti sonitu præaltam illam cedrum corruisse vident, & cum aliis inferioribus lignis ad infernum, id est, ad sepulcrum esse coniectam. Quæ aliquid dicuntur habuisse solatij, vel quia sortem suam Principibus etiam magnis vident esse communem; vel quia plebs infima, aut infirmus populus à superiorum principum potentia premitur, & multis quotidie aut vexatur calumniis, aut iniuriis euertitur. Quare exultant ad sonitum ruinæ, cùm vident non defuisse vindicem, quæ suas vlciscatur iniurias, reddátque vicem illi, qui in eandem calamitates alias compegerat. Eodem modo apud Isaiam cap. 14. insultabant alij principes mortui Regi Babylonis, cùm illud in eandem secum foueam, ac sepulturam cecidisse vident. Sic enim illi versu 10. *Et tu vulneratus es sicut & nos: nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum. Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas Gentes.* Similia videntur, aut inducuntur dixisse Principes alij iam vita functi Assyriorum Regi, cuius spiritus insolentes, atque væsani non videntur valde fuisse dissimiles.

26. Porrò illud *descendebant in lacum*, idem esse puto quod descenderunt, aut descenderant in lacum, seu in sepulcrum. Heb. est יורדי בור *iorede bor*, id est, descendentes in lacum. Notum est autem præsens tempus sumi pro præterito, vt multis ostendimus in nostris commentariis super Acta ad illud cap. 1. *Vsque in diem, qua præcipiens.* Quod etiam docuit Salmeron prolegom. 15. regul. 5.

27. Vers. 17. *Nam & ipsi cum eo descendent ad infernum, ad interfectos gladio.*] Consolationis aliquod genus est Principes habere eiusdem siue fortunæ, siue ignominiæ consortes; sic saltem homines arbitrantur, quorum consuetudini, ac sensui sese Scriptura sacra interdum accommodat. Eam nunc reddit causam cur illi, qui ligna dicuntur voluptatis è Libano, id est, qui in excelso loco aliquando fuerunt, consolationem capiant, quia non solùm ipsi descenderunt in lacum, sed magnum etiam Principem, & Regum dominum sociū in ea fortuna nacti sunt. Dicuntur verò descendisse ad interfectos gladio; quia ipsi quoque gladio ceciderūt. Illi verò qui gladio conficiuntur in acie, non seorsum singuli in suis sepulcris, sed confusi simul in communem aliquā foueam, siue lacum coniiciuntur, maximè quando ea facta est strages, vt non supersint vlli, qui per otium cadauera internoscere, atque secernere, eaque honesto in loco tumulare possint. Quemadmodum hìc contigisse existimare licet, vbi non de Rege solùm, regníque Principibus, sed de imperio etiam ipso funditus est actum. Cum aliis autem ordinis inferioris, ac notæ ipsum quoque Regem in foueam aliquam grandem fuisse coniectum verisimile est. Sanè id Regi Babylonis, de quo nuper, contigisse docet Isaias suprà vers. 19. *Tu autem proiectus es de sepulcro tuo quasi stirps inutilis; pollutus, & conuolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamentum laci, quasi cadauer putridum.* Vbi, vt vides, illorum etiam meminit, qui occisi sunt gladio, quod cogitationem nostram magis confirmat. Ponitur autem hinc *descendent*, pro *descenderunt*, quod familiare est Hebræis; & sanè in textu Hebraico præteritum est; & ita vertunt L X X. & alij ferme omnes.

Et brachium vniuscuiusque sedebit sub vmbraculo eius, in medio nationum.] Ironiam hìc esse puto, qua insultare videtur Dominus humano more, ac exprobrare iis, qui sub Assyrij Regis vmbra tutos se ab hoste futuros arbitrabantur. Ac si dicat, tunc vnusquisque sub vmbraculo sedebit, sub quo viuus aliquandiu sederat, & reipsa collapsa iam, atque diffracta arbore cognoscet, quàm fuerit infidelis vmbra, quam sibi ad duros, & inopinatos tribulationum æstus elegerat: idque in medio nationum, quia non magis erit secura, & felix, quàm nationes aliæ minus splendidæ, quæque minus videbantur habere præsidij. 28.

Est tamen hìc explorandum, cur brachium hìc dicatur sessurum sub arboris vmbraculo. Maldonatus ideo putat positum esse brachium, qui cùm ad vmbram arboris sedemus, cubito innitimur. Alij in brachiis subditos, & fœderatos populos intelligunt: nam illi præstabant Regi, quod brachia corpori. Nam vt brachia quia gladium vibrant, tuentur caput, & varia obeunt in sustentando, ornandóque corpore ministeria: sic Gentes illæ Regi aderant, & in grauibus Reipublicæ temporibus tuebantur, & vicissim vires accipiebant, & ornamentum à Rege; sicut brachium à corpore, cui adiunctum est. Hæc mihi visa sunt ad rationem nominis non inepta: addam ego tamen experiundi tantùm gratia rationem aliam, de qua lector statuet, vt volet, me non inuito. 29.

Brachia satis accommodata translatione dicuntur arboris rami; quia non aliter rami funduntur ex trunco, quàm brachia ex corpore, quod sumpta ex arbore metaphora, truncus etiam vocatur. Sic Maro lib. 12. Æneid. de sceptro ex ligno ab artifice dolato, 30. *Brachia pro ramis.*

Nunquam

Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras,
Cùm semel in syluis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas, & brachia ferro
Olim arbos.

31. Et Iob metaphora non admodum diuersa ramos arborum manus appellat cap.15.v.52, Subditi igitur, ac fœderati Regum cùm illi semper adsint, illúmque defendant, atque ornent; sicut rami arborem, ex qua pullularunt; & ex qua ipsi vicissim succum trahunt, quo nutriuntur, & crescunt, rami iure optimo vocari possunt. Qui sicut ipsi viui viuo adhæsere trunco, sic etiam mortui à mortuo non recedent; quia vt priùs iisdem sese implicuere flagitiis; sic etiam postea eodem inuoluentur supplicio, & eidem inferentur sepulcro, sub eodem videlicet vmbraculo, quod in meliori fortuna assiduum habuerunt.

32. Vers.18. *Cui assimilatus es, ô inclyte, atque sublimis inter ligna voluptatis?*] Hucusque descripta est primùm excellens gloria, deinde câsus horribilis A Assyrij: nunc quorsum adducta fuerat tam prolixa narratio, ad extremum exponit. Loquitur autem, vt opinor, adhuc, licet aliqui contrà sentiant, (quod tamen nihil interest, cùm eadem maneat in vtraque explicatione sententia) cum Assyrio, qui ex tanta gloria cecidit, & cum incircumcisis, id est, cum suis, sibíque fœderatis iacet in fouea, qui hostili ferro ceciderunt. Et ab eo rogat, cui velit esse similis. Vel si cum Pharaone loquatur, ostendit illi viuum quoddam exemplar eorum, quæ ipsi à Chaldæis impendent infortunia. Et ideo addit ad extremum id, quô tota spectabat similitudo.

Ipse est Pharao, & omnis multitudo eius.] Ac si dicat, quod Assyrio, & populo ipsius, qui fœdè, atque ignominiosè occisi sunt à Chaldæis, & nunc in foueam cófusè proiecti in saniem priùs, & nunc in cineres extabuerunt. Idem ab eodem hoste accidet Pharaoni, qui non minus quàm Assyrius spiritus alit insolentes, & fatuos. 33

IN CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

ASSVMERE iterum iubetur Propheta ferale canticum contra Pharaonem, Ægyptúmque totam, cui paratum est exitium à Chaldæorum armis. Pharaonem primùm draconi dicit esse similem, qui in fluminibus cubat, & volutatione sua turbidas reddit, atque limosas aquas: qui ex suo fluuiali cubili extrahendus dicitur in alienum atque aridum locum; atque ibi à volucribus, ac feris lacerandus, aut soluendus in saniem. Tunc verò ea accidet Ægyptiæ terræ vastitas à Chaldæis, vt non in ea hominum tantùm, sed etiam iumentorum solitudo futura sit. Deinde post decimamquartam diem iterum accipit mandatum à Domino ad Pharaonem, & subditos illius imperio populos, in eodem propè argumento, quo denunciare iubet non aliam futuram esse conditionem, atque exitum Pharaonis, quàm illorum Principum, quibus ille tam potentia, quàm furore, ac superbia simillimus fuit; quorum deinde nomina ingenium, & ignobilem exitum multis commemorat, & amplificat.

CAPVT XXXII.

1. *ET factum est, duodecimo anno, in mense duodecimo, in vna mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:*

2. *Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem Aegypti, & dices ad eum: Leoni Gentium assimilatus es, & draconi, qui est in mari: & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum.*

3. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, & extraham te in sagena mea.*

PARAPHRASIS.

B 1. ANno iterum duodecimo, mense duodecimo, & eius prima die mandatum aliud dedit mihi Deus ad Pharaonem in hanc sententiam:

2. Fili hominis, lamétationem assume super Pharaonem, & parentale cáticum in húc modú: Quia terra, marique, ô Pharao, potétissimus es, ideo similé te esse dico tú leoni, qui in syluis; tú draconi, qui in mari dominatur. Tu, ô Pharao, quasi fluminú esses vnus è diis quorum cornuta fingitur facies, in mediis fluminib⁹ sublatis, & quasi C ventilatis cornibus, potentiam tuam, & robur ostentabas; & dum superbè tanquã magnus draco te in fluminibus conuoluis, & versas: cœnosas reddebas aquas, quibus incubas, & aliis non facilè potabiles.

3. Propterea, ait Dominus, licèt in medio fluminum stabuleris quô peruenturas non arbitrare piscatorum insidias; non taḿe rete piscatorium effugies. Ego, cui nihil inscrutabile, nihil insuperabile est, expandam rete meú super te; & super popu-

A los multos, qui te circunſtant; extrahã in arentem ripam, & in ſagenam includam.

4. *Et proiiciam te in terram, ſuper faciem agri abiiciam te: & habitare faciam ſuper te omnia volatilia cæli, & ſaturabo de te beſtias vniuerſæ terræ.*

4. Proiiciam deinde te tanquam inutilem, atque odioſum piſcem in terrã extractum è tuo fluuiali regno; ad quem aduolabunt inauſpicatæ, ac carniuoræ volucres; & terreſtres belluæ, quarum famelicam rabiem tuis explebis carnibus.

5. *Et dabo carnes tuas ſuper montes, & implebo colles tuos ſanie tua.*

5. Vſque adeò autẽ è profũdo excedes fluminũ alueo: vt ad locum maximè alienum adducaris: ad præaltos nempe montes, quos tuis conſternes carnibus, ex qui-
B bus ſitu, atq; calore tabidis, ſanies defluet, quæ ipſos etiam colles fœdet, & impleat.

6. *Et irrigabo terram fætore ſanguinis tui ſuper montes, & valles implebuntur ex te.*

6. Rigabo montes, ad quos adduceris extractus è flumine fœtenti ſanguine, qui fluat ex te; qui etiam implebit contaminabítque vallium profunditatem.

7. *Et operiam, cùm extinctus fueris, cælum, & nigreſcere faciam ſtellas eius, ſolem nube tegam, & luna non dabit lumen ſuum.*

7. Eo verò tempore, in quo infenſam habebis, & ſuperiorem hoſtilem aciem, cœlos habebis mœrentes, & nubilos; neque exhilarabunt animum nigrantes ſtellæ; neque ſol obductus nubibus; aut luna, quam lux à ſole communicata deſtituet.

8. *Omnia luminaria cæli mœrere faciam ſuper te: & dabo tenebras ſuper terram tuam, dicit Dominus Deus, cùm ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus.*

C 8. Nubibus, & denſa quadam caligine oppreſſis cœli luminaribus; & tota terra Ægypti tenebris obſcurata, nihil habebis à cœlo niſi triſte, ac nubilum, quaſi ea ſpecie ferales tibi lacrymas impendat.

9. *Et irritabo cor populorum multorum, cùm induxero contritionem tuam in Gentibus ſuper terras, quas neſcis.*

9. Quando hanc tibi contritionem induxero, quæ te abiectum, & perditum ad ignotos tibi populos abducet; commouebo, atque inſtimulabo contrà populorum animos: qui in tuum exitium ſimul cum Babylonio conſpirent.

10. *Et ſtupeſcere faciam ſuper te populos multos: & reges eorum horrore nimio formidabunt ſuper te, cùm volare cœperit gladius meus ſuper facies eorum: & obſtupeſcent repentè ſinguli pro anima ſua in die ruinæ tuæ.*

10. Eo verò tempore ſtupor apprehen-
D det, & horror pupulos multos, eorúmque moderatores, & principes; cùm gladium meum hoſtilem in modum in tuis finibus graſſari videant, ſibíque non diſſimilem ſucceſſum minari: obſtupebunt, inquam, illi, & in tuo diſcent, quod ſuo ſibi capiti ab eodem gladio timere debeant.

11. *Quia hæc dicit Dominus Deus: Gladius regis Babylonis veniet tibi,*

11. Quia tibi ô Pharao, Dominus gladium minatur Babylonicum, dicítque:

12. *In gladiis fortium deiiciam multitudinem tuam: inexpugnabiles omnes Gentes hæ, & vaſtabunt ſuperbiam Aegypti, & diſſipabitur multitudo eius.*

12. Robuſtorum hominum armis Ægyptiam multitudinem ſternam; hi verò eiuſmodi ſunt, vt ſua virtute, ô Pharao,
E expugnari non poſſint: quare ſuperbos Ægyptiorum ſpiritus deiicient, & numeroſa illorum caſtra diſpergent.

13. *Et perdam omnia iumenta eius, quæ erant ſuper aquas plurimas: & non conturbabit eas pes hominis vltrà, neque vngula iumentorum turbabit eas.*

13. Neque tantùm hominibus bellum indicam, cædem, & exilium; ſed ad beſtias quoque vindex ira perueniet. Perdã enim iumenta omnia, quæ Ægyptiis ad rem ſiue ruſticam, ſiue bellicam magnos præſtant vſus, & ad ripas Nili magno paſcuntur numero. Deinceps verò neque armentorum vngulæ, quæ fluuiales calcant, atque paluſtres ripas; neque hominum pedes, qui voluptatis gratia oram illam fluuialem

14. Tunc obeunt,

14. Tunc purissimas reddam aquas eorum, & flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus Deus.

15. Cùm dedero Terram Aegypti desolatam: deseretur autem terra à plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores eius: & scient quia ego Dominus.

16. Planctus est, & plangent eū: filiæ Gentium plangent eum: super Aegyptum, & super multitudinem eius plangent eum, ait Dominus Deus.

17. Et factum est in duodecimo anno, in quintadecima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:

18. Fili hominis, cane lugubre super multitudinem Aegypti: & detrahe eam ipsam, & filias Gentium robustarum ad terram vltimam cum his, qui descendunt in lacum.

19. Quo pulchrior es? descende, & dormi cum incircumcisis.

20. In medio interfectorū gladio cadent, gladius datus est, attraxerunt eam, & omnes populos eius.

21. Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus eius descenderunt, & dormierunt incircumcisi, interfecti gladio.

22. Ibi Assur, & omnis multitudo eius: in circuitu illius sepulchra eius: omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio.

A obeunt, aquas Nili excitato limo à sua puritate turbabunt.

14. Vbi homines, atque armenta sustulero, quæ cœnosam reddebant fluuialem aquam; illam adeò puram relinquam, & illimem, vt oleum imitetur, quod ideo purum est, quia non facilè aliarum rerum admixtionem admittit.

15. Id verò tunc eueniet, quando Ægypto vastitatem, ac desolationē induxero: tunc autem vastabitur & ab incolarum multitudine deseretur, quando habitatores eius ferro percussero, & scient quòd ignorarant antea Deum esse me. B

16. Hoc est, ô Ezechiel, lamentum illud, quod in principio super Pharaonē assumere te iussi: quod lamentū non erit tibi proprium, sed commune cum aliis. Multæ etenim Gētes Pharaonē plangēt, quia periit; Ægyptum, quia multitudo aut extincta ferro, aut ablegata procul à patriis finibus.

17. Locutus est iterū ad me Dominus anno duodecimo & duodecimi mensis decima quinta die, dixitque:

C 18. Fili hominis, audisti de Pharaonis, atque Ægypti siue clade, siue seruitute! Nunc audi de sepulcro, ac lacu, in quem Pharao, atque Ægyptij, eorúmque subsidiarij descendent. Assume ergo rursus lugubre canticum super Ægyptum, & ciuitates alias bellatrices, ac strenuas, & cane quemadmodum in terras vltimas, terræ nempe viscera deiiciendæ sint, & aggregandæ his, qui iam antè defuncti vita descenderunt in lacum.

D 19. Qua in re, ô Pharao pulchrior es aliis, aut dignior qui communem hominum conditionem effugias? mitte hanc cogitationem insolentem, & vanam, & ad lacum, vbi alij ex tuo genere, atque ordine incircumcisi dormiunt, descende.

20. Tam Ægyptus, quàm fœderati populi in illorum numero censebuntur, qui gladio ceciderunt; datus est enim gladius à Deo, & ardor iniectus Babyloniis, vt Ægyptum, & auxiliares populos in lacum demitterent, vbi cum incircūcisis in æternum dormiant.

E 21. Tunc autem occurrent Pharaoni, & iis qui auxiliares copias ad illum attulerunt, quíque eodem cum ipso tempore sublati sunt robustissimi, ac potentissimi principes, qui & ipsi descenderunt in foueam, & familiares cum illis, vtpote iam contubernalibus, sermones conferent.

22. Ibi erit antiquissimus Regum Assur, qui primus omnium Babylonicū fundauit imperium, hic alloquetur Pharaonē, salutabítque; quòd item facient Principes alij, ac populi, qui illius suberant domina-

A tui, quíque sepulcra habuerũt Assyrio proxima, eodem, quo Assyrius, gladio sublati.

23. Quorum data sunt sepulchra in nouissimis laci: & facta est multitudo eius per gyrum sepulcri eius: vniuersi interfecti, cadentésque gladio, qui dederant quondam formidinem in terra viuentium.

23. Horum sepulcra extructa sunt in nouissimo lacu, quæ regium sepulcrum ingenti numero circumstãt; quotquot ibi iacẽt, omnes extincti ferro; qui tamen dũ in viuis agerẽt, formidine terrã cõcussere.

24. Ibi Aelam, & omnis multitudo eius per gyrum sepulchri sui: omnes hi interfecti, ruentésque gladio: qui descenderunt incircumcisi ad terram vltimam: qui posuerunt terrorem suum in terra viuẽtium, & portauerunt ignominiam suam cum his, qui descendunt in lacum.

24. Neque alium exitũ habuit Ælam, à quo Persica regio nomen sumpsit, Assyrio Regi coætaneus, & frater. Ille enim, & alij plurimi, qui sepulcrum ipsius latè circunfundunt, interfecti sunt gladio, & ad B vltimam vsque terram incircumcisi deiecti: qui tamen dum viuerent, fuere formidabiles: nihilominus ad illos aggregati sunt, & in saniem soluti, qui in lacu nouissimo ignominiosè iacent, cum aliquo imbellis animo turpi monumento.

25. In medio interfectorũ posuerunt cubile eius in vniuersis populis eius: in circuitu eius sepulcrum illius: omnes hi incircumcisi, interfectíque gladio, dederunt enim terrorem suum in terra viuentium, & portauerunt ignominiam suam cum his, qui descendunt in lacum: in medio interfectorum positi sunt.

25. Inter aliam ignobilem ex vniuersis populis, qui gladio ignominiosè perierunt, ipsa quoque dormit, Ælamitarũ multitudo; & inter illius Gentis cubilia, regiũ quoque cubile collocatum est. Omnes incircũcisi, & occisi gladio, cùm in viuis C essent, terruerũt orbem; nihilominus ignominiã subiere cõmunem, & in lacum demissi cum interfectis aliis extabuerunt.

26. Ibi Mosoch, & Thubal, & omnis multitudo eius: in circuitu eius sepulcra illius: omnes hi incircumcisi, interfectíque & cadentes gladio: quia dederunt formidinem suam in terra viuentium.

26. In eo interfectorũ cœtu sunt etiam Mosoch, & Thubal, & omnis multitudo, quæ illorum constituit, & amplificauit imperium: inter cuius sepulcra illorum quoque sepulcra visuntur. Omnes hi incircuncisi, atque confecti ferro ceciderunt, qui etiam dum viuerent formidati sunt.

27. Et non dormient cum fortibus, cadentibúsque & incircumcisis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis, & posuerunt gladios suos sub capitibus suis, & fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, quia terror fortium facti sunt in terra viuentium.

27. Hi non iacebunt in sepulcris ad il- D lorum morẽ, qui se gesserunt in acie strenuè; quorum arma in sepulcris insculpta, & gladij capiti suppositi. Non, inquã, cum fortibus iacebunt, quia fœminei, atque imbellis animi secum pœnam, & ignominiam portabunt, sui videlicet languoris, ac timiditatis insignia, quæ etiam in sepulcro hęrebunt ossibus; licèt tanquam si fortes essent, terrori aliis esse voluerint.

28. Et tu ergo in medio incircumcisorumontereris, & dormies cum interfectis gladio.

28. Et tu quoque Pharao, qui eosdem, quos illi spiritus alis, communem cum illis sortem, atque ignominiam subibis. Cades E enim sicut incircumcisi alij, & cum illis ignominiosè dormies, quos ferrum confecit hostile.

29. Ibi Idumæa, & reges eius, & omnes duces eius, qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio: & qui cum incircumcisis dormierunt, & cum his, qui descendunt in lacum.

29. Ibi erunt Idumæi cum aliis, qui eodem tẽpore cadent tecũ, ô Pharao, & illorum Reges, ac duces, qui eodẽ erũt numero, ac loco cum iis, quos vis inimica cõfecit, qui iacent cũ incircumcisis, qui in lacũ demersi, atque ibi in cineres resoluti sunt.

30. Ibi principes Aquilonis omnes, & vniuersi venatores, qui deducti sunt cũ interfectis, pauentes, & in sua fortitudine confusi: qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio, & portaue

30. Ibi sunt principes, qui ad regionem Aquilonarem spectant, Tyrij videlicet, & Sidonij, qui & ipsi simul cum interfectis morabuntur: tam pauentes, & timidi,

portauerunt confusionem suam cum his, qui descendunt in lacum.

31. *Vidit eos Pharao, & consolatus est super vniuersa multitudine sua, quæ interfecta est gladio; Pharao, & omnis exercitus eius, ait Dominus Deus:*

32. *Quia dedi terrorem meum in terra viuentium, & dormiuit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio; Pharao, & omnis multitudo eius; ait Dominus Deus.*

A timidi, quàm audaces, & in sua confisi fortitudine; qui incircumcisi sunt, & in eundem cum interfectis gladio lacum ignominiosè deturbati sunt.

31. Cùm autem illos Pharao, & qui cum illo ceciderint hostili ferro, iacere videant in eodem lacu, aliquid ex illorum societate consolationis capiet: malorum quippe communitas doloris aliquod leuamentum est.

32. Hæc patietur Pharao, & illius populus, qui terrorem dum viueret, aliis afferebat; qui cum incircumcisis incircumcisus ipse; & cum interfectis gladio, gladio item occisus in sepulcro morabitur. Hæc, inquam, patietur Pharao, & omnis populus illi subiectus, dicit Dominus.

Vers. 1. *Et factum est duodecimo anno, in mense duodecimo.*]

1. ACCEPIT hoc vaticinium Propheta mense vigesimo primo, post illud, de quo proximè, quod anno acceperat vndecimo, mense tertio. Quod autẽ hi anni, & qui præcesserunt antea, & deinde sequentur, numerandi non sint à Regno Sedeciæ, vt nonnulli volunt; probat manifestè locus iste, vt bene notauit Maldonatus. Cùm enim, vt sæpè Scriptura docet, vndecim tantùm annos regnarit Sedecias, non potuit annus iste duodecimus ab illius imperio numerari. Et facit quod cap. 40. apertè annorum numerus à Iechoniæ transmigratione sumitur. *In vicesimo*, inquit, *anno transmigrationis nostræ*, & eodem modo capite sequenti vers. 21.

Anni ab Ezechiele nõ sumuntur à Sedecia regno, sed à transmigratione Iechoniæ.

2. Vers. 2. *Assume lamentũ super Pharaonem.*] Sicut descripto Tyriæ ciuitatis, & Regis interitu, cap. 18. lamentum, aut ferale cãticum assumpsit Propheta; quod etiam fecit super Babylonis Regẽ Isaias cap. 14. sic nunc postquã Assyriorum clade exẽplar proposuit Ægyptiæ cædis, & horribilis casus; iubet Deus vt lugubre carmẽ super Ægyptũ instituat, & quasi regio cadaueri, & Regni busto funereas impendat exequias. Quæ tamen non tam sunt ad cohonestandum Regẽ ignominiosè captum, & occisum, quàm ad exprobrandum insolentẽ animum, qui plura sibi, ac maiora tribuebat, quàm ipsius natura, & vires paterẽtur.

3. *Leoni Gentium assimilatus es, & draconi, qui est in mari.*] Prouerbium est, aut prouerbio simile, *terra, marique*, quo tunc vtimur, quando aliquam ad rem perficiendam summam adhibere contentionẽ, & studium, aut cùm in omni loco, atque negotio potentissimum esse significare volumus. Talem hoc loco fuisse Pharaonem indicat Propheta, cùm illum cum leone cõparat, qui in terra belluarum omnium potentissimus est, & ideo Rex appellatur belluarum. Sanè quidam ex profanis nemorum vocat Regem, ac dominum. Sed omnium optimè eius explicuit furorem, ac potentiam, illud Prouerb. 30. v. 30. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* Cum eius verò rugitu, ac fremitu furor, & terror Regis confertur Prouerb. 19. v. 12. & 20. v. 2. *Sicut rugitus leonis, ita & terror Regis.* Comparat item cum dracone, vt ipsius in mari potentiam ostendat: draco verò ille, si ad Nilum spectes, crocodilus est illi flu-

Prouerbiũ. Terrá marique, pro omni studio, aut omni loco.

B mini familiaris, qui nõ minùs in suo Regno dominatur, & furit, quàm in syluis leo: si verò ad mare Leuiathan, aut Behemoth, seu, quod idem esse existimatur, balæna, cuius proprietatem videtur proposuisse statim. Cùm verò Rex ille inter Ægyptia flumina plerumque viueret, draconi potius, quàm leoni similis, ideo quasi leonis immemor, draconis persequitur allegoriam.

Ventilabas cornu in fluminibus tuis.] Difficile est statuere, quid sit hic *cornu ventilare*. Quidam hæc ad balænam referunt, quæ quas hausit aquas, illas ad miraculum per cornua, quæ illi sunt pro naribus, sic exsufflat, vt fõtes quàm altissimè sursum erumpentes videre te putes. Hic verò balænæ lusus est, quę iactatis sursum aquis regnare se C fatetur in pelago, & marinis fluctibus illudere. Tunc verò hypallagem quandam hîc esse video, & pro *ventilabas cornu in fluminibus tuis*, lego, *ventilabas flumina tua in cornu*; nisi ibi subintelligas *aquas*, quas sursum iactabat è cornibus, cùm in medio fluminum cubaret. 4.

Est qui putet cornu ventilatas aquas à Pharaone; quia ille è flumine riuos deduxit, quibus agros irrigabat Ægyptios, & perpetuam inducebat viriditatem, & nunquam deficientes fluctus. Hoc verò faciebat cornu, id est, potentia sua, quã in cornu significare solet Scriptura. Nisi mauis vẽtilata esse flumina, id est, ex suis finibus, atque alueis foras esse deriuata, cornu, id est, riuo: nam fossis, & riuis ex fluminibus deriuantur aquæ, & in agros circumiectos exundant. Riuos autem D cornuum nominibus explicari non videtur admodum durum, neque aliter deducuntur ex alueo riui, quàm erũpunt ex capite cornua. Et ideo fortasse flumina ab antiquis fronte pingebantur cornuta, vt mox in alia explicatione dicemus. 5.

Præter has aliæ duæ mihi expositiones subeunt, quas lectori subiiciã; non quia mihi omnino satisfaciãt; sed quia in re difficili aliter, atque aliter rem tentare interpreti permittitur. Dixerat Pharao cap. 29. v. 3. cùm in medio fluminum cubaret, *meus est fluuius, & ego feci memetipsum*, quibus verbis Deum se fluminum faciebat: olim verò, & sub hæc, vt reor, maximè tempora, dij fluuiorum cornuto fingebantur capite. Sic Virgil. lib. 8. Æneid. cùm ad Tiberim fluuium, tanquam Deum loquitur, ait: 6.

Dij fluuiorum cornutã facies.

Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum
Adsis ò tandem, & propius tua numina firmes.

Idem lib. 4. Georg. de Eridano,

Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus.

Et de Acci in fluuium subitò conuerso, Ouidius lib. 13. Metam.

Mitique res subitò media tenus exstitit alno
Incinctus iuuenis flexit noua cornua cannis.

Rhenus à Virgilio lib. 8. *bicornis* dicitur. Aufidus ab Horatio lib. 4. ode 14. *tauriformis.* & Nilus de quo nobis sermo ab Ouidio lib. 9. Metam. septem dicitur habere cornua,

Isi, Paratonium, Mareoticaque arua, Pharionque
Quæ colis, & septem digestum in cornua Nilum.

Et quidē omnibus fluminibus attribui cornua, docet Seruius ad illum locum lib. 8. Æneid. de quo nuper, & Festus Pompeius; causas adducunt varias, ille aut quòd fluuiales aquæ mugitum edant taurorum in modum, aut quòd cornuum instar fluuiorum ripæ sint incuruæ; hic quia fluuiorum vndæ ad taurorum similitudinem efferantur. Dat igitur Pharaoni Propheta tanquam patrij fluminis Deo cornutum caput, quo ventilare dicitur aquas, quasi aquas effundat, quas euoluit Nilus. Quod fluuiorum diis, seu quod idem censebatur, fluuiorum capiti tribuebat antiquitas, vnde ebullire solent, atque iactari magnæ gurgitum moles.

Fluuiorum cornua quæ.

7. Alteram iam explicationem accipe. In cornibus potentiam significari, ac robur, satis est notum, maximè in Scriptura. Ieremias cap. 48. cùm ageret de Moab, iam ab hoste subacto, & de imperio illius iam extincto, ait, *Abscissum est cornu Moab, & brachium eius contritum est.* Amos capite 6. *Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Psalm. 17. *Protector meus, & cornu salutis meæ.* Apud profanos id etiam frequens. Horat. lib. 3. ode 21. cùm significaret à vino hominibus robur & audaciam ingeri, dicit,

Cornu pro potentia, & robore.

Tu spem reducis mentibus anxiis.
Viresque, & addis cornua pauperi.

8. Illud præterea non obscurum, homines, qui in suis sibi viribus placent, artem ostentare, & ventilare arma: quod minaciter interdum fit, interdum tantùm ad inanem quandam ostentationē. Et tamen non rarò gloriosi isti, & inflati homines, cùm ad pugnam, vbi de vita, atque honore certatur, ventū est, aut effugiunt, aut languent; quod de Ephraimitis dixit Dauid Psal. 77. *Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.* De his Seneca lib. 3. contr. *Deinde res ipsa diuersa tota est. Aliud est ventilare, aliud pugnare.* Ventilabat cornua, id est, minacibus terrebat, atque insultabat vocibus. Horatius in Epod. ode 6. cùm in maledicum ista iactabat,

Ventilare arma quid.

Caue, caue, namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua.

Sic ergo Pharao in suo sibi robore placebat, illúdque aliis volebat esse terrori; quare ventilabat cornu, cùm esset in fluminibus, id est, suas ostentabat vires, atque diuitias, propter quas à nemine putabat sibi esse timendum. Cui explicationi perbellè assonant, quæ proximè sequuntur. Hæc mihi explicatio minimè omnium displicet, quia maximè conuenit in Pharaonis ingenium; neque quicquam habet, quod saltem ego videam à filo distortum.

9. *Et conturbabas aquas pedibus tuis.*] Magni pisces, seu dracones, qui dominari videntur in aquis, dum liberè, ac sine metu sese versant, atque con-A uoluūt in fluuiis, turbidas reddūt aquas, & aliis non facilè potabiles: sic Pharao fluuiorum dominus incubabat aquis, illásque, dum ipse commodè iacere, aut spatiari vult, aliis cœnosas reddebat, & ingratas. Allusum est, vt credo, ad Nili naturam, cuius aquæ turbidæ sunt, Heb. dicitur שחור *schor*, quæ vox nigrum significat, & turbidum. Et quidem ita vocatur Iosue cap. 13. v. 3. *A fluuio turbido, qui irrigat Ægyptū vsque ad terminos Accaron.* Et Ierem. c. 2. v. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* Conturbare verò, & conculcare aquas ideo dicitur Pharao, quia cùm ambitiosus esset, & auarus, vrgebat subiectum sibi populum, & ad bella geren-B da è patriis finibus euocabat: sicut fecerat non multo ante hoc tēpus, cùm ad ripas vsque Euphratis castra mouit, vt habes Ierem. cap. 46. Regios autem fastus nisi reliquam turbam spoliaret, atque degluberet, sustentare non poterat: quare efficiebat vt populus cœnosam aquam biberet, & ab ipso calcatam, id est, vt cùm molestia, & angore è patrio flumine, cuius ipse putabatur dominus, commoda perciperet. Sicut olim alius Pharao sub tempus Mosaicum, dum suis studet commodis, & ideo duriùs populum vexat Hebræum, fecit vt Ægyptij aquas biberent non solùm fœculentas, & turbidas: sed etiam in sanguinem conuersas, Exod. cap. 7. Quod etiam C fecisse videtur Nabuchodonosor in populum captiuum, cui turbabat fluuiales aquas; quibus vti non licebat, nisi data pecunia. de quibus Thren. 5. *Aquam nostram pecunia bibimus.*

Nili aqua turbida

10.

Principes auari, & crudeles aliis turbant aquam.

Vers. 3. *Expandam super te rete meum.*] Metaphoram prosequitur draconis, qui non aliter ab externa vi è suo sibi domicilio extrahitur, nisi reti, aut sagena, piscatorum solertia. Ne verò magnus iste draco securum se ab hominum artificio putaret, quia in medio fluminum cubabat, quò non videbantur peruenturæ piscatorum insidiæ; ait Dominus piscatorium illud munus sibi esse susceptum, & habere ad eam curam paratum, & expeditum rete, quo è gurgitis pro-D funditate draconem extrahet in aridum littus, vbi cum suo regno vitam etiam amittat. Rete verò, vt ex adiunctis non obscurè constat, fuerunt Chaldæi, qui in terram extraxere draconem, id est, in alienam regionem abduxerunt; vbi ignobilem egit, & ærumnosam vitam; imò prolixam obiit, & miseram mortem. Eadem propè dixerat cap. 29. vers. 5. vide quæ nos ibi. vbi etiam explicata sunt, quæ versu sequenti proximè succedunt, de dracone à belluis, atque volucribus lacerato. Vide etiam quæ diximus cap. præcedenti vers. 13. 11.

Vers. 5. *Et dabo carnes tuas super montes; & implebo colles tuos sanie tua.*] Hoc dicendi genere E metaphorico omnia significantur aduētura contraria Pharaonis voto. Quid magis aquatili belluarum generi contrarium, quàm si eductum è gurgite ad altissimorum montium fastigium attollantur: sanè cùm aliquid significare volumus, quod naturæ repugnat, prouerbiali figura piscem in montibus versari dicimus. Sic Horatius epist. ad Pisones, 12.

Qui variare cupit rem prodigialiter vnam,
Delphinum syluis adpingit, fluctibus aprum.

In locum itaque maximè alienum abducetur Pharao; neque ibi habitabit ex voto, aut cōmodè; sed ita discerpetur in frusta, vt carnibus suis montes latè consternat: & sanie, quam ex sese cadauer putre diffundet, colles implebuntur.

Quo

Ægyptij insepulti, & lacerati à belluis.

13. Quo dicendi genere ostendit Propheta variis in locis,& procul à patria morituros Ægyptios,futurósque vbi ceciderint,insepultos.Ex quo id sequetur necessariò, vt lacerentur à belluis, inauspicatisque volucribus; aut extabescant, & soluantur in saniem. Quod explicatur magis statim, dum in eandem sententiam dicitur, *Et irrigabo terram fœtore sanguinis tui super montes.* Rab. Dauid hanc putat esse huius loci sententiam: Rigabo terram tuam, quam priùs à patrio flumine fluctus oppleuerant, non iam aqua,sed sanguine tuo;nec solùm valles, vt antea, sed etiam colles. Sed sanè expansum rete, & in terram extractus draco aliquid significant ampliùs: & quidem Ægypti regio plana est, neque assurgit in montes.

14. Vers.7. *Et operiam, cùm extinctus fueris, cœlos.*] Tenebræ tum apud alios, tum maximè apud Hebræos mœrentem significant, atque contractum animum; & tempora angusta, in quibus durè conflictantur homines; aut certè statum miserum, & faciem deformatam alicuius loci: vt pluribus nuper ostendimus ad illud cap.30.v.3. *Dies nubis.* Nihil ergo videtur hîc significari aliud, quàm dura passuros esse Ægyptios, in illo die, qui oriturus dicitur illis nubilus,& obscurus;aut tristem futuram esse faciem regni deserti.

15. Sed occurrit hîc aliquid,quod nobis exploratu opus est. An hæc caligo terræ contigerit, postquam grassata est in ea Chaldæorum rabies, & extinctis, aut exactis habitatoribus in solitudinem redacta est, vel certè quo tempore vrgebant Chaldæi; & res Ægyptias suo arbitratu, tanquam diuini furoris administri igni, ferróque vastabant. Et quidem priorem explicationem ipsa vulgatæ translationis verba non obscurè significant. Illud enim, *cùm extinctus fueris,* aliquid indicat præcessisse iam, atque adeò effusas esse tenebras euersæ iam Ægypto; non ciuibus cùm bellum arderet, & hostilis duriùs furor ingrueret. Neque regionis deformata facies, aut modus ipse dicendi in oppositum vrgent: ea enim relicta est illius regni facies, sic inhorruit vel à ciuibus deserta, vel syluestribus efferata fruticibus,vt nihil à cœlo habere videretur, nisi nubilum aliquid, atque hyemale solstitium. Sed inclino magis in explicationem alteram, quæ de mœrore,ac pauore ciuium has tenebras, & hunc cœli squalorem,ac luctum intelligit, quod cum Hieronymo censent complures alij. Neque tempus,quod videtur esse præteritum,huic communi Patrum explicationi admodum incommodat. Hebraicè namque est בכבותך *becabothecа*: quod modi est infinitiui,valétque idem quod *in extingui te,* seu quod idẽ est, *dum extinguereris.* aut sicut Tigurina conuerterit, *in extinctione tui.* & ita planè intellexerunt L X X. dum transferunt ἐν τῷ σβεσθῆναι. Illud namque ἐν, rem significat fieri potius quàm esse factam. Quomodo verò in conturbatione, réque infeliciter administranda, sol obscuretur,& complicentur cœli, diximus ad illud Isaiæ cap.34. *Tabescet omnis militia cœlorum.*

16. Theodoretus qui posteriorem amplectitur sententiam,eiúsque rationem optimè reddit,non putat cogitaturum impiè, qui reuera effusas esse tenebras existimaret, non metaphoricas, vt ipse cum aliis fermè omnibus putat, sed proprias, quales superioribus antè sæculis passi sunt Ægyptij. Alij,quasi Rex sol esset terræ Ægyptiæ; illo extincto obortas esse tenebras putant, & planctum indictum. Vbi subaudienda videtur similitudinis nota, in hunc sensum. Quemadmodum obscurato,ac deficiente sole, omnia etiam obtenebrescerent, ac deficerent inferiora lumina: sic cadente Rege, qui instar erat Solis, alij quoque principes cadent,ac splendere desinent; quorum dignitas ab illo pendebat. Ita Maldonatus; sed placet multo magis explicatio prima.

Vers.8. *Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te.*] Homines in mœrore caput operiunt, & 17.
qua ratione possunt, in ipsa etiam meridiana luce, tenebras sibi nocturnis similes offundunt: quare qui caput sibi,& faciem obnubit, mœrere existimatur, quia circumfert secum mœrentis signum. Sic Ierem.cap.14. operuisse dicuntur caput tam qui cùm aquam quærerent è fonte, vasa retulerunt vacua, quàm qui nullos ex agro sicco, ac sterili prouentus perceperunt. Sic ergo cœlum, quia metaphoricis tenebris opertum dicitur, & obscurata quæ cœli videntur esse lumina,iuxta hanc Hebræorum loquendi consuetudinem, lugere dicuntur, atque mœrere cœli luminaria super Pharaonem, regionémque Ægyptiam:quasi subtracto lumine regio cadaueri, & prouinciæ busto parentare viderentur.

Vers.9. *Et irritabo cor populorum multorum, cùm* 18.
induxero contritionem tuam in Gentibus.] Populi multi dicuntur euocandi, armandique contra Pharaonem; quia multi populi cum Babyloniis aduersùs Ægyptum conspirarunt. Nam in tota Chaldæorum regione multi erant populi, ac Regna Nabuchodonosori subiecta; accedebant alij etiam populi non pauci, quos paulo ante hanc expeditionem suo sibi imperio subiugarat in Syria,de quibus Iosephus lib.10. Antiq.c.11. Hæc autẽ tanta conspiratio, & animorum ardor tunc in te desæuiet, quando contritionem tuã, id est,captiuitatem tuam, vt vertunt Septuaginta,inter alienas Gentes, & ignotos tibi populos induxero,eo videlicet tempore, in quo externis eiicieris armis, neque qui hostilem effugerit gladium,aliam habebit sortem,quàm exilij,& duræ apud alienos seruitutis. Porrò hîc *contritio* pro contritis ponitur, forma videlicet pro suo effectu,quomodo *circumcisio*, pro circumcisis, *congregatio,* pro congregatis,*plantatio,* pro plantis, *generatio*, pro filiis. Contritionem igitur inter Gentes inducere nihil est aliud, quàm contritos iam Ægyptios, & bello subactos inter gentes dispergere.

Contritio pro contritis.

Vers.10. *Et stupescere faciam super te populos mul-* 19.
tos:& Reges eorum horrore nimio formidabunt super te.] Quemadmodum cùm de Tyri ruina loqueretur suprà cap.26. induxit vers.15. nationes alias grauiter illius contritione commotas. Quia iure sibi optimo formidare poterant, cùm viderent ciuitatem tam à natura, quàm ab hominum solertia,ad resistendum instructam,cecidisse;cùm meliora de se sperare non possent; & adhuc viderent armatas, & ad bellum intentas Chaldæorum acies. Sic etiam modò nationes alias horrore ingenti dicit esse concutiendas; cùm videant prouinciam terra, marique potentissimam, quæ aliorum vires, & conatus timendos non putabat, succubuisse iam Chaldæorum potentiæ; & latè per alienas nationes dissipari. Hi verò populi illi sunt, quorum Propheta meminit cap.30. v.4. & v.9. nempe Æthiopia, Libya, Lydia, & terra Chub. Neque sine causa illos horror inuasit ex Ægyptiorum casu, quia, vt ibi dicitur, ad illos etiam ex Ægyptiorum ruina pars magna peruenit.

20. Vers.13. *Et perdam omnia iumenta eius, quæ erant super aquas plurimas.*] Eædem antea minæ intentæ fuerant Ierusalem Ierem.c.7.v.20. *Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, & super iumenta,* &c. Hæc verò iumenta ea esse arbitror, quæ hominibus ad rem siue bellicam, siue rusticam magnos exhibent vsus; quales sunt boues, & muli, qui plaustra trahunt, & aratro terram exercent, & subigunt; & equi, quorum in Ægypto fœtura nobilis. Vnde ad Salomonem inde adducebantur equi, lib.3. Reg. cap.10. vers.28. *Educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa.* quorum pretium statim proponitur vers.29. *Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta.* Hæc verò super aquas, id est, iuxta aquas pascebantur Nili (*super* enim interdum idem est quod *iuxta*; vt norunt, qui in Scriptura sacra mediocriter versati sunt,) sicut de vaccis apertè docet somnium Pharaonis Gen. cap.41. quæ illi oblatæ sunt in locis palustribus emergentes è flumine: somnium autem plerumque obiicitur imaginationi, ex iis rebus, quæ plurimum oculis occursant.

Equi Ægypty nobiles.

21. *Et non conturbabit eas pes hominis vltrà, neque vngula iumentorum.*] Quia Nili ripæ & ad iumentorum, & pecorum pascua erant fœcundæ, & ad hominum voluptatem, & laxandos animos opportunæ, copiosi armentorum greges ibi pascebantur, & hominum otiosorum, quorum erat in Ægypto vis maxima ad fluuiales delicias, & voluptates venandas magnus confluebat numerus. Vide Psal.67. homines Ægyptij feræ vocantur arundinis, quia in arundinetis vmbras captant non secus ac boues, qui in vberrimis deliciantur pascuis, & ibi immoderatè lasciuiunt. *Increpa feras arundinis. Congregatio taurorum in vaccis populorum.* Sanè, vt auctor est Iosephus lib.2. Antiq. cap.10. cùm filia Pharaonis inuenit Moysem expositum in carecto, eo consilio egressa fuerat, vt cum puellis luderet. Cùm ergo tunc calcata tam à iumentis, quàm ab hominibus fluuialis aqua turbaretur; nunc sublatis iumentis, atque hominibus, adeò pura, & illimis futura dicitur, vt conferri possit cum oleo, quod clarum semper, & purum est; quia non facilè aliarum rerum commixtionem admittit. Fortasse allusum est ad Ægyptiorum consuetudinem, qui aut ex fluuio per fossas deducebant riuos ad irrigandos agros; aut aquas ipsas, quibus exundante flumine rigabantur agri, phasellis deliciarum gratia in illas inductis luxuriosè turbabant. De quibus Virgil. lib.4. Georg.

Nili ripæ pascendis armentis, & captandis voluptatibus idoneæ.

Nam qua Pellei Gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum.
Et circum pictis vehitur sua rura phasellis.

22. Confertur autem aqua illa iam non ampliùs turbata cum oleo; oleum enim etiamsi iterum, ac sæpiùs moueas, nunquam turbatur, omniúmque liquorum existimatur maximè tranquillum, vnde est illud parœmiale *oleo tranquillior*, quod de illis dicitur, qui natura sunt leni, neque irritantur, aut turbantur iniuriis; sicut neque oleum vllum edit sonum, aut murmur, etiamsi sæpiùs virga percutias, aut exagites. Plato in Theæteto, ingenia illa, quæ ad scientiam accedunt, commendat; quæ lenia sunt, neque facilè turbantur, aut immodicè clamant. Sic enim de quodam, quem eò loco laudat: *Leniter, ac circumspectè, similíque expeditè ingreditur ad disciplinas, quæstionésque multa cum mansuetudine, olei in morem citra strepitum fluentis.* De lenitate, puritate ac splendore olei audi Plutarchum, qui illius rei optimè causam reddit in commentario de primo frigido, *Inter reliquos,* inquit, *humores translucet præcipuè oleum, quòd plurimi compos sit aëris. Præstat etiam in pelago, si vndis sit aspersum, tranquillitatem. Singulare oleo est, quòd in fundo refulgeat, & radiet districto ab aëre humore. Neque solum in summo mari pernoctantibus, sed etiam spongiarum venatoribus ore in mari lumen præbet.* Hæc carptim ex Plutarcho, plurima his affinia habet Plinius.

Prouerb. Tranquillũ, & purum sicut oleum. Ingenium, quod maximè probat Plato.

Oleum cur tranquillum & lucidum.

Vers.16. *Planctus est, & plangent eum; filiæ Gentium plangent eum.*] Suprà vers.2. iussus Propheta fuerat lamentum assumere, quod ad hunc vsque locum persecutus est: nunc verò iterat, aut explicat Deus, quod eo versu dixerat, nempe hoc esse lamentum, quod eo versiculo institui, atque plangi iusserat; docétque non ab vno Propheta, sed ab omnibus Gentibus esse deplorandum Ægyptiorum interitum; vel quia nemo erit, qui tanti Regni casum ignoret; aut quia eiusmodi fuit Ægypti clades, vt inimicorum etiam posset pectus effodere. Quo dicendi genere infortunium alicuius graue, ac miserabile explicari solet. Sic Æneas apud Virgilium lib.2. dum Troiæ casus exponere aggreditur, ait: 23.

Grauis plaga, quæ hosti est miserabilis.

——— ——— *quis talia fando*
Myrmidonum, Dolopúmve, aut duri miles Vlyssis
Temperet à lacrymis?

Sic Statius grauem populi Romani casum amplificat lib.2. Punic.

——— ——— *vix Punica fletu*
Cessassent castra, ac miserescere nescius hostis.

Vide prouerbium; *vel hosti miserandus.* Dicuntur autem ploraturæ filiæ Gentium; vel quia in filiabus ciuitates intelliguntur, vt *filia Sion, filia Tyri, filia Babylonis*, & ipsa eadem prouincia, de qua lugubre hoc canticum, filia vocatur Ægypti. Vel quia fœminarum hoc præcipuum est, vt aduersos casus eiulatu, & lacrymis siue piis, siue venalibus, & secundos hilari, atque festiuo cantu prosequantur.

Vers.17. *Et factum est in duodecimo anno, in quinta decima mensis.*] Decima quarta à priori vaticinio die, inspiratum est posterius istud Ezechieli, quod in eodem propè argumento versatur, in quo prius; nisi quòd non tam de clade loquitur Pharaonis, quàm de illius siue sepultura, siue descensione ad lacum, sicut de Rege Babylonis Isaias cap.14. & proximè Ezechiel cap.31. v.15. de hac ipsa Ægyptiorum prouincia. 24.

Vers.18. *Fili hominis, cane carmen lugubre super multitudinem Ægypti, & detrahe eam ipsam, & filias Gentium robustarum ad terram vltimam cum his, qui descendunt in lacum.*] Id facere dicuntur homines, & præsertim Prophetæ, vt ex frequenti Scripturæ sacræ vsu perspicuum est, quod futurum esse prædicunt, aut denuntiant. Quomodo Isaias cap.6. excæcaturus dicitur oculos, & aggrauaturus aures, quia prophetico edicit spiritu excæcandos esse oculos, & aggrauandas Iudæorum aures. Sic Ieremias cap.1. constitutus est, vt euellat, & plantet, destruat, & ædificet: id est, vt alia euertenda, alia instauranda, atque ædificanda prædicat. Sic modò cùm iubetur Ezechiel, vt ad terram vltimam, & lacum detrahat Ægyptum, & filias Gentium robustarum; mandatum accepit, vt edicat Ægypto, aliísque robustis Gentibus paratam esse foueam, & lacum, in quem à Chaldæo hoste superatæ descendant. Gentes autem robustas illas esse arbitror, quæ aut Ægyptiorum suberant imperio, aut cum Ægyptiis fœdus, 25.

REGVLA. *Id facere dicimur, quod faciendum denunciamus.*

fœdus, ac societatem inierant; aut quæ alias ob
causas, siue vltro amicitiæ gratia, siue conductæ
mercede subsidio venerant Ægyptiis. De quibus
cap.30. vers.5. & 9. Hi etenim populi eidem se
cum Ægyptiis bello, atque fortunæ implicue-
runt. Quid verò sit in terram vltimam, aut in la-
cum descendere, explicuimus suprà c.31.v.14.
vbi idem omnino ponitur dicendi modus.

26. Vers.19. *Quo pulcrior es? descende, & dormi cum*
incircumcisis.] Quidam post *es*, notam addunt in-
terrogationis, & ita habent codices à Sixto cor-
recti, & est principium accommodatum insti-
tuendi canticum, vt Pharao Deum se putabat,
aut Deo similem, cap.29.v.3. sic se aliis pulcritu-
dine, & forma præferebat. Ex qua cogitatione, vt
reor, aut se ipse væsano planè consilio, aut alij
adulatorio blandimento vitulam appellabant e-
legantem. Ad quam Regis cogitationem, seu
vulgi sermonem allusisse videtur Ieremias, cùm
dixit, cap.46. *Vitula elegans, atque formosa Ægyptus,*
stimulator ab Aquilone veniet. Vbi eadem omninò
Ieremias, quæ nunc Ezechiel minatur Pharaoni,
& eius imperio. Hic autem inchoandi modus o-
stendit insolentissimo Regi, non esse cur se exi-
mat à communi humani generis necessitate, aut
ab illis, quæ ipsi iamiam impendent mala, cùm
nemine sit pulcrior, aut extra humanæ condi-
tionis sortem, & modum.

27. Si tamen hæc simpliciter legas, ac sine vlla in-
terrogandi nota, quod faciunt multi, sensus erit
non difficilis; nempe quo pulcrior est, & supra
aliorum conditionem, & fortunam elatus, eo si-
bi durius esse pereundum, & in inferiorem la-
cum descendendum. Quemadmodum Christus
Lucæ cap.10. v.15. dixit de Capharnaum, *Et tu*
Capharnaum vsque ad cœlum exaltaberis; vsque ad in-
fernum demergeris. Dormire cum incircumcisis ni-
hil est aliud, quàm Regem illum depulsum è Re-
gno subiturum sepulcrum, quod per dormitio-
nem, & somnum significat Scriptura. Quid verò
sit dormire cum incircumcisis, diximus cap.31.
v.18. ad eadem propè verba, ac si dicat, sicut alij
incircumcisi, viri potentes, quique sibi secunda
omnia aut arrogabant, aut promittebant, descen-
derunt in lacum, ibique dormiunt eodem quo
ipsi tumulo sepulta memoria: sic tu, qui illis ne-
que potentior es, neque aliam ab illis conditio-
nem sortitus. Adducit autem incircumcisorum,
id est, Gentilium exempla, quia & ipse Gentilis
erat, & in eo genere multi antecesserant, qui du-
ro, atque inopinato casu ceciderunt, quales fue-
runt proximè Senacherib, & alij principes Assy-
rij, & ex eodem Regno, in quo ipse tunc domi-
nabatur, alij quamplurimi, quos statim nominat:
quales inter circumcisos, id est, Hebræos fue-
runt pauci, & ipsi Pharaoni non admodum co-
gniti. Eodem, opinor, sensu dixit Iob c.3. v.14.
Nunc dormiens silerem cum Regibus, atque consulibus
terræ. Vide quid diximus in nostris commentariis
in Isaiam ad illud c.26. *Morientes non viuant, Gigan-*
tes non resurgant. Illud, credo, ex profanis signifi-
cabat Horatius, cùm dixit lib.4. Carm. od.7.

Potentiorũ durior interitus.

Regum splẽdor à mortali conditione non liberat.

Nos vbi decidimus,
Quo pius Æneas, quò Tullus iuit, & Ancus.
Puluis, & vmbra sumus.

Quo significauit nemini fore recusandum quo
minus subeat, quod datum est à natura condi-
tioni mortalium.

28. Hæc mihi visa sunt neque dura, neque abs re:
sed fortasse hîc non tam intelligendi, qui priori
sæculo vixerunt de incircumcisorum genere, &

A quorum iam nulla, aut saltem exigua memoria
superest, quàm illi qui eodem, quo Rex ipse, tem-
pore, ac gladio occubuerunt; in quorum medio,
id est, non alio, quàm reliqua multitudine, aut
ordine, aut modo sublatus est: nam & ipsi incir-
cumcisi erant, & de his proximè dictum fuerat,
Detrahe eam ipsam, & filias Gentium robustarum ad
terram vltimam, cum his qui descendunt in Lacum.
Quam explicationem non obscurè indicare, at-
que confirmare videntur, quæ statim succedunt,
quia in tempore ponuntur futuro, quod non fa-
tis aptè in eos, qui iam antè perierant, conue-
nit. *In medio,* inquit, *interfectorum gladio cadent.* il-
læ nempe nationes, de quibus proximè. Nihilo-
B minus explicatio prior significantior est; & hæc
non difficile diuelli possunt ab his, qui dicti sunt
incircumcisi, & ad filias Gentium robustarum
referri. In hunc sensum, tu ô Pharao, cum filia-
bus Gentium robustarum ad foueam detraheris,
in qua iam incircumcisorum potentissimi exta-
buerunt: nam & illæ tecum gladio cadent.

Vers.20. *Gladius datus est; attraxerunt eam, & o-* 29.
mnes populos eius.] Explicatio est superiorum, da-
tus est à Domino gladius, & ardor iniectus Ba-
byloniis contra Ægyptũ, & fœderatos populos,
quos nuper filias appellauerat Gentium; siue, vt
alij eodem omnino sensu vertunt, *data est gladio*
Ægyptus. Babylonij ergo armati ferro, quod
C Deus porrexerat, attraxerunt eam, Ægyptum
nempe, & alios populos, qui inauspicatum iniê-
re fœdus Ægyptiis in lacum, vbi simul cum in-
circumcisis in æternum dormirent.

Vers.21. *Loquentur ei potentissimi robustorum de* 30.
medio inferni, qui cum auxiliatoribus eius descenderunt,
& dormierunt incircumcisi, interfecti gladio.] Idolo-
peiam Rhetores vocant, cùm mortui, aut illo-
rum spectra, seu imagines loquentes inducun-
tur, quomodo apud Euripedem in Hecuba: &
apud Virgilium lib.3. Æneid. Polydorus induci-
tur, & apud eundem Hector lib.2. Et per eandem
figuram à Luciano compositi sunt mortuorum
dialogi. Quæ figura in sacris etiam literis infre-
D quens non est. Quomodo impij Sap.cap.5. lo-
quentes inducuntur probantes rectas iustorum
vias, & sua ipsorum consilia condemnantes. Quæ
verba vers.14. tunc dicuntur loquuti, cùm in in-
fernum detrusi sunt. Sic Lucæ cap.16. tam diues
in inferno, quàm in limbo Abraham inter se col-
loquuntur; & in argumento omnino simili apud
Isaiam cap.14. mortui principes Babylonio Re-
gi defuncto occurrunt, & insultant. Sic etiam
Pharaoni, qui occisus Chaldæorum ferro, cum
aliis pluribus è suis ferro etiam extinctis in fo-
ueam descendet, occurrent alij principes qui tu-
mulati sunt, qui loquentur illi, eiúsque auxilia-
toribus illa, opinor, verba, quæ Reges alij locuti
E traduntur Babylonio. Isai.14. *Et tu vulneratus es*
sicut & nos: nostri similis effectus es, detracta est ad inferos
superbia tua.

Idolopœia in Scriptura vsitata.

Illud, *qui cum auxiliatoribus eius descenderunt,* ob- 31.
scurum est, quòd si ad verbum ex Hebræo trans-
feras, minus est impeditum, ac difficile. *Loquentur*
illi robustorum potentissimi de medio inferni, & cum au-
xiliatoribus ipsius, qui descenderunt, & dormierunt, &c.
Et in hunc fermè modum transferunt Pagni-
nus, & Tigurina. Eundem sensum, paulo licèt ob-
scurius, continet vulgata translatio; si, quod fieri
commodè, atque frequenter solet, suppleas. *Et*
his, in hunc sensum *loquentur ei, & his qui cum auxi-*
liaribus eius, &c. Descendere autem cum auxiliato-
ribus, idem omnino est, atque auxiliatores esse.

Vers.22.

32. Verſ.22. *Ibi Aſſur, & omnis multitudo eius,in circuitu illius ſepulcra eius.*] Primo loco conſtituit Aſſur, quia ille antiquiſſimus omnium fuit, qui imperium inter homines ſupremum exercuit; qui,vt habes Gen.c.10. Aſſyriorum imperij longè nobiliſſimi, atque antiquiſſimi fundamenta poſuit,*De terra illa*(Senahar)*egreſſus eſt Aſſur,& ædificauit Niniuem, & plateas ciuitatis, & Chale: Reſen quoque inter Niniuem,& Chale. Hæc eſt ciuitas magna.* Hic igitur Aſſur excipiet,alloquetúrque Pharaonem, quod etiam faciet multitudo illorum, qui aliquando ſub imperio fuere Regis Aſſur, quorum ſepulcra non longè aberant à ſepulcro regio,qui etiam cum Aſſyrio gladio ceciderunt.

33. Verſ.23. *Quorum data ſunt ſepulcra in nouiſſimis lacis.*] Hæc Pharaoni proponuntur exempla, ne elatus regni magnitudine, & auxiliatorum frequentia ſperet ſibi nihil iam fore cum morte,atque ſepulcro commune; cùm Reges omnes, etiamſi antiquiſſimam repetas ſæculorum memoriam,communem illam naturæ conditionem non effugerint. Qui lacum dicuntur obtinuiſſe nouiſſimum, quia magis quàm alij videntur mortui;quia plura cum ipſis periiſſe videntur, & illata ſepulcro.

Magnorum Principum peior poſt mortem conditio.

34. *Qui dederant quondam formidinem in terra viuentium.*] Sicut nunc Ægyptiorum imperium nationibus aliis erat formidabile, tales ſe tamen exiſtimabant Ægyptij; ſic etiam fuere quondam Aſſyrij, quorum primus parens, & auctor erat Aſſur,à quo cum imperio nomen etiam, & gloriam ſuſcepere in terra viuentium,id eſt,eo tempore, quo viui ipſi inter viuos egerunt; nihilo tamen magis quàm alij aut naturæ neceſſitatem, aut hoſtile ferrum euaſerunt; in quorum finem, ac ſtatum Ægyptios intueri iubet. Hæc verò omnia, aut horum pleraque dicuntur etiam de Regibus aliis,de quibus ſtatim;quare non eſt cur in illis iterum repetendis immoremur.

35. Verſ.24. *Ibi Ælam, & omnis multitudo eius, per gyrum ſepulcri eius.*] Eadem nunc de Ælam, quæ proximè de Aſſur. Ponitur autem hoc loco Ælam,quia Aſſyrio Regi coætaneus,& frater,Gen. c.10.*Filij Sem Ælam,Aſſur, Arphaxad,*&c. Ille verò fuit Perſarum princeps,à quo Perſæ dicti ſunt Ælamitæ, vt cum Hieronymo in traditionibus Hebrai.in Geneſ.ſentiunt alij frequentes.

36. *Et portauerunt ignominiam ſuam.*] Id eſt, ignominiosè perierunt, quia ab aliis ſuperati; quæ ignominia,& dedecus cùm extincto homine non extinguatur, ſed cum ipſo mortuo, in ſepulcro viuat; ibique clamet, & in hominum oculos, quæ turpiter,atque indecorè geſta ſunt,quotidie prodat; iure dicuntur ignobiles illi mortui in ſepulcrum ſecum ignominiam portaſſe. Seu certè, quia cùm ſe ſupra aliorum fortunam eſſe crederent, & aliorum conditionem ſuperbè deſpicerent;ignominiæ ſibi ducebant, & dedecori in communem ſortem ſe eſſe coniectos, & non aliter, quàm ignobilem turbam extabuiſſe priùs in ſaniem, deinde in puluerem fuiſſe redactos. Sed priorem explicationem confirmat,quod mox attexitur verſ.27. vt ibi nos pluribus. Fortaſſe verum eſt,quod de ignominioſo ſepulcro dicemus ſtatim n.38. cui videlicet fœmineæ timiditatis, & ſexus monumentum inſculpitur.

Verſ.26. *Ibi Moſoch, & Thubal.*] De his egimus ſuprà cap.27. v.13.ad illud, *Græcia, Thubal, & Moſoch.* neque quicquam occurrit quod addamus.

37. Verſ.27. *Et non dormient cum fortibus, cadentibúſque.*] Hos dicit ignobilem oppetiiſſe mortem, & ſecum ad ſepulcrum ignominiam portaſſe,quæ ſuo tam nomini, quam cineribus perpetuò hæreat;quia victi ab aliis interiere, neque tam ipſi deſcenderunt ipſa cogente naturæ lege, quàm ab aliis depulſi ſunt de ſolio.Talem porrò futuram eſſe Pharaonis mortem,hoc ſuperiorum Regum exemplo prædicit.

Qui deſcenderunt ad infernum cum armis ſuis: & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis.] Ex ſigno oſtendit quinam fuerint illi fortes, quibus cum Reges, de quibus proximè, dicuntur non dormiſſe. Sed antequam ad illa ſigna explicanda venio, obſeruo moris fuiſſe maximè apud Ægyptios,vt in ſepulcris adhiberentur notæ, quibus eorum, qui ibi eſſent conditi, aut viriles oſtenderentur ſpiritus, & conſtantia; aut fœminea mollicies. De Ægyptiis tradit Pierius Valerianus lib.34.vbi ſigna quædam dicit columnis,& obeliſcis inciſa, quæ aut hominum inuictum robur, aut victum, & imbellem animum prædicarent. Quæ cùm ignorare non poſſit Pharao, vehementer timere credendus eſt, ne quis inciſum in ſaxo relinqueret æternum ignominiæ ſuæ monumentum. Sanè quòd in ſepulcris notarentur ea, in quibus dum viueret quiſque conſpicuus fuit,docet & noſtro tempore ſi vſquam frequentiſſima,& antiqui ſæculi perpetua, & quaſi legitima conſuetudo. Sanè in ſtatuis, & numis, qui & olim ab Heroicis temporibus, ad noſtram vſque ætatem ab Imperatoribus, & aliis poteſtatibus percutiuntur, monumenta quædam videmus expreſſa,quæ illorum gloriam recentem adhuc, & viuentem conſeruant. Quod ad tumulos ſpectat,ſcimus in ſepulcro Archimedis poſita eſſe præcipua Mathematicæ facultatis inſtrumenta.De quo Cicero lib.Tuſcul.quæſt.5. *Animaduerti, inquit, columellam non multum è dumis eminentem,in qua inerat ſphæræ figura,& cylindri.* & ex eo, & ex quibuſdam ſenariolis cognouiſſe ſe ait Archimedis eſſe monumentum. Miſeni ſepulcro è veteri conſuetudine impoſita eſſe artis inſtrumenta,remum videlicet, & tubam, canit Virgilius lib.6. Æneid.

38.

In ſepulchris inſculpi ſolita fortitudinis,atque timiditatis inſignia.

39.

In ſepulchris inciſa inſtrumenta artis,ſeu dignitatis hominum.

At pius Æneas ingenti mole ſepulcrum
Imponit ſuaque arma viro,remúmque,tubámque.

Neque ob aliam cauſam interfecto à ſe Lauſo arma reliquit Æneas, niſi vt illa eodem, quo cadauer,ſepulcro conderentur,Æneid.10. Quod etiam in Hebræorum gente vſitatum eſſe conſtat ex Machab.lib.1.cap.13.v 29. vbi Simō in ſepulcro patris ſui, fratrúmque ſuorum fortiſſimorum Principum arma compoſuit. Dum ergo Ægyptiorum, & aliorum Principum imbelles, atque fœmineos animos exprobrat Propheta, ait non illum eſſe conſecutos, conſecuturóſve honorem ſepulturæ, quem nacti ſunt præclari duces,ac viri bellicoſi,qui quoniam nunquam amiſerunt, aut abiecerunt arma, eodem ſecum tumulo condiderunt.Aliæ ſunt explicationes, quæ magnos habent patronos;ſed hæc omnium maximè videtur expedita.

Et fuerunt iniquitates eorum in oſſibus eorum.] Dubium eſt ad quos hæc verba referenda ſint, ad illos ne, qui quaſi molles, & ignaui non ſepelientur cum ſtrenuis,ac robuſtis, quos in tumulis ipſa quoque arma, quaſi eſſent membra corporis, comitata ſunt; aut ad eos,qui cùm robuſtiſſimi vocantur, & in tumulis habent expreſſa virtutis bellicæ illuſtria documenta. Hieronymus quidem iniquitates eſſe putat illorum, qui 40.

Mores & vitia etiam in ſepultu viuunt.

ſepulcro

sepulcro crudelitatis arma secum intulerunt; cum quo sentiunt Dionysius, Maldonatus, & Lyra, licèt in exponenda illorum iniquitate aliquantulum dissentiant. Ideo verò dici possunt sua sibi retinuisse arma, quasi adeò fuerint animo feroci, ac barbaro, vsque adeò sanguinis humani sitientes, vt etiam mortui crudelitatem retineant antiquam: neque deponant, sed capiti potiùs supponant arma, quæ fuerunt, dum in viuis agerent, belluini furoris administra. Lyra paulo aliter exponit, robustos nempe illos dedisse iniquitatum suarum pœnas, non quidem hostili ferro, quia gladio interfecti non sunt; sed igne gehennali, quæ pœna viuentibus est occulta, sicut ossa sub carne.

41. Ego libentiùs hæc referrem ad ignauos illos, & molles, quorum sepulcris non inferentur arma, quia aut illa extorta sunt ab hostibus, aut illis ipsi vsi sunt nimis formidolosè, ac languidè; & ita putat Hugo, tunc verò sic expono. Non sepelientur illi, de quibus priùs cum fortibus, quorum gloriam arma in tumulis expressa perpetuò prædicant; sed vt vitam egerunt timidam, & ignobilem, sic etiam ignobilem habebunt, & obscuram mortem; aut, quod eòdem spectat, ignobile sepulcrum. Vt enim alij in ossibus quantumcumque iam diuturnitate in puluerem solutis, gloriosam posteris memoriam reliquerunt, quia cum ipsis ossibus condita sunt illustria bellicæ virtutis insignia: sic etiam aliorum ossibus hærebit in sepulcro sempiterna macula, quia aut nullum agnoscent posteri nobilitatis insigne, aut spectabunt ibi fœminei languoris turpe documentum. Iniquitates autem hoc loco, sicut frequenter alibi, pro iniquitatum pœnis adhibentur; quales videri possunt & mors indecora, & sepulcrum ignobile. Hæc mihi dici posse videntur consequenter, & sine vlla offensione: explicationes aliæ mihi eiusmodi sunt, vt in illis non facile conquiescat animus.

42. Vers. 28. *Et tu ergo in medio circumcisorum contereris, & dormies cum interfectis gladio.*] Loquitur cum Pharaone, quem socium facit illorum, qui gladio perierunt, id est, qui victi sunt, neque sepulcrum nacti sunt gloriosum; non illorum, quorum fortitudinem impressa tumulo symbola testantur.

Vers. 29. *Ibi Idumæa.*] De Idumæa idem quod de Assur, & Ælam; neque est aliud quod præterea cum magno aliquo operæ pretio adiungamus.

43. Vers. 30. *Ibi Principes Aquilonis omnes, & vniuersi venatores.*] Communis est interpretum sententia Aquilonares hosce Principes esse Babylonios, quia Babylon tam Solymitanis, quàm Ægyptiis Aquilonaris est, qui venatores optimè dicuntur; quia non aliter, quàm venatores exagitant, & capiunt, aut conficiunt feras; sic illi vexabunt nationes alias, & suæ tandem ditioni subiicient. Eadem metaphora vsus est in argumento non dissimili Ieremias cap. 16. vers. 16. *Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Sed placet magis quod hîc putat Maldonatus, nihil hîc agi de Babyloniis, quia de his nihil videtur adduci debere inauspicatum, & aduersum,

A cùm illi futuri sint diuini consilij, atque furoris administri. Putat ergo Maldonatus sermonem hîc esse de Tyriis, & Sidoniis, qui Ægyptiorum comparatione Aquilonares sunt. Et quidem, vt cap. 29. vers. 12. diximus ad illud, *Et erunt desolatæ quadraginta annis,* aliquot antè annis euersa fuit Tyrus, quàm Ægyptus: quare cùm Tyrij ignobilem oppetierunt mortem, vtpote gladio sublati Babylonio; optimè cum illis dormiturus esse dicitur Pharao.

Adde quòd vbi vulgatus *venatores* reddidit, 44.
Heb. est צידני *Sidoni*, quæ vox *venatores*, & *Sidonios* significat, vt docet hîc Hieronymus, qui non obscurè docet quid in *venatoribus* intelligat, B dum dicit *venatores, seu Sidonij.* Est autem vsitatum apud vulgatum interpretem, vt explicatio nominis proprij pro ipso proprio nomine ponatur. Quomodo *pacificus* pro Salomone, & *pacem* pro Ierusalem, & similia sæpè in Scriptura legis. Cùm autem Sidoniis vicini sint Tyrij, quos hîc coniunxit Propheta, quia sæpe in Scriptura coniunguntur, qui Aquilonares etiam sunt: veri est quàm simillimum in Aquilonaribus intelligendos esse Tyrios.

Vers. 31. *Vidit eos Pharao, & consolatus est super* 45.
vniuersa multitudine sua, quæ interfecta est gladio.] Hic locus non leuiter suadet *lacum*, & *infernum*, quæ C toto hoc capite frequenter occurrunt, significare sepulcrum, non gehennale supplicium, aut carcerem damnatorum. Neque enim ibi vllum solatium caperet Pharao ex aliorum pœnis; quia nihil damnatis potest esse solatio; imò ipsa miserorum multitudo doloris plus, & confusionis affert. Mortuus autem Pharao, & eius numerosus exercitus, qui gladio hostili sublati sunt, non tam finguntur ad gehennales pœnas, quàm ad sepulcrorum tenebras, & angustias descendisse, vbi occurrunt Principes alij, qui cum exercitibus in sepulcris suis strati iacent. Ibi autem iuxta communem Gentium siue cogitationem, siue errorem consolationis aliquid cepisse dicitur, D quia vulgus ita sentit, leuari malum societate illorum, qui iisdem secum conflictantur incommodis. Sanè sic in humanis experimur quotidie, vt commune malum leuius interdum afficiat, quàm priuatum. Et nos cum leuare alicuius mœrorem studemus, omnium hominum fortunæ, ac statui communem esse dicimus illam dolendi causam. Idem quoque dixerat suprà, cap. 31. vers. 16.

Pharao, & omnis exercitus eius, ait Dominus: quia 46.
dedit terrorem suum.] Iteratio nominis, aut vaticinij, certitudinem ostendit, & pondus, aut certè velocitatem indicat in agendo. Sic Genes. cap. 41. cùm duplici somnio alter Pharao eundem rerum euentum cognouisset, dixit Ioseph, *Quòd* E *autem vidisti secundum ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est.* Et Petrus epist. 2. iterata commonitione per epistolam ait, *Hanc ecce vobis secundam scribo epistolam, &c. vt memores sitis eorum, quæ prædixi.* Ter autem repetit Dominus Pharaonis nomen, ac si dicat: Hæc omnia Pharaonem petunt, hîc, inquam, omnibus Pharao, & illius multitudo compungitur; non effugiet vtcumque se in omnem partem vertet, plagam, quæ Reges alios, & illorum numerosos exercitus concidit.

IN

IN CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

ARGVMENTVM.

SIMILITVDINE sumpta à speculatore, cui capitalis pœna proponitur, nisi clangente buccina imminentis gladij populum admoneat; monet Prophetam Dominus, vt ipse quoque speculetur, & inuigilet, & imminentem à Domino calamitatem denunciet, quo sibi maturè caueat ab impendente malo. Deinde docet, quod Iudæis non tam à Chaldæis, quàm à seipso periculum impendeat: & docet nihil illis, si à iustitia exciderint, profuturam priorem iustitiam, vt gladium effugiant: quemadmodum neque futuram noxiam iniquitatem, si pœnitendo ab impietate resipiscant. Denique pridie quàm veniret nuncius, qui de capta, atque vastata Hierosolyma exules edocuit; alterum accepit Propheta vaticinium, quo spem eripuit repetendæ possessionis antiquæ illis, qui in vrbium ruinis, in saltibus; & agris, & in saxorum latebris præsidium sibi, aut domicilium locauerant, quibus edicit nullum futurum esse locum à periculo vacuum. Ad extremum docet eos omnes, qui prophetica verba aliquid putabant esse nugatorium, excipiebántque cum sibilo, magno suo malo cognituros, propheticis oraculis neque pondus, neque fidem defuisse.

CAPVT XXXIII.

1. *ET factum est verbum Domini ad me, dicens:*

2. *Fili hominis loquere ad filios populi tui, & dices ad eos: Terra cùm induxero super eam gladium, & tulerit populus terræ virum vnum de nouissimis suis, & constituerit eum super se speculatorem:*

3. *Et ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo:*

4. *Audiens autem, quisquis ille est, sonitum buccinæ: & non se obseruauerit, veneritque gladius, & tulerit eum; sanguis ipsius super caput eius erit.*

5. *Sonum buccinæ audiuit, & non se obseruauit, sanguis eius in ipso erit: si autem se custodierit, animam suam saluabit.*

6. *Quòd si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina: & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.*

7. *Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël: audiens ergo ex ore meo sermonem,*

PARAPHRASIS.

A 1. ITerum ad me Deus hunc in modum sermonem habuit:

2. Fili hominis, loquere ad populum tuum, & dic illi: Cùm ego in terram hostilem inuexerò gladium, & à populari turba publico, atque legitimo consensu alicui datum fuerit speculandi negotium, & si de populi fæce fuerit assumptus.

3. Si ille ingruere viderit inimicum, idque populo, vt sibi maturè caueat, buccinæ clangore significauerit.

B 4. Si quispiam autem, quicumque ille fuerit, admonitus à clangente tuba non sibi cauerit ab imminente periculo; & a gladio percussus interierit, suæ ille siue desidiæ, siue stuporis effuso sanguine pœnas dabit: neque est cur in speculatoris incuriam culpam deriuet.

5. Audiuit enim sonitum buccinæ; neque cùm posset, declinauit periculum, sanguis eius non arguet speculatoris incuriã; sed clamabit contra ipsum, damnabítque stuporis, & ignauiæ. Si autem se ab impendente periculo subduxerit, suæ vitæ, atque

C incolumitati consuluit, illámque seruauit.

6. Quòd si speculator irruentem gladium ex alto prospexerit, neque id tubæ clangore significauerit; atque ideo hostis in populum incautum, & securum incurrerit, & ex illo aliquis subito inimicorum aduentu oppressus interierit, is quidẽ non sine aliquo suo merito peribit; speculator tamen illius mortis agetur reus, & pœnas dabit sanguinis effusi.

7. Tu autem, ò fili hominis, speculator à me præpositus es domui Israël, quodcumque

nem, annunciabis eis ex me.

8. *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: id non fueris locutus vt se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.*

9. *Si autem annunciante te ad impium vt à viis suis conuertatur, non fuerit conuersus à via sua: ipse iniquitate sua morietur: porrò tu animam tuam liberasti.*

10. *Tu ergo fili hominis dic ad domũ Israël: Sic locuti estis dicentes, iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo viuere poterimus?*

11. *Dic ad eos: Viuo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Conuertimini, conuertimini à viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israël?*

12. *Tu itàque fili hominis dic ad filios populi tui: Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccauerit: & impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua: & iustus non poterit viuere in iustitia sua, in quacumque die peccauerit.*

13. *Etiam si dixero iusto quòd vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem: omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur.*

14. *Si autem dixero impio: Morte morieris: & egerit pœnitentiam à peccato suo, fecerítque iudicium & iustitiam.*

15. *Et pignus restituerit ille impius, rapinámque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniustum: vita vi-*

A cumque nunc à me acceperis, quod instar est fulminis, aut gladij meo nomine populo denuncia.

8. Si ego per te, ô Ezechiel, hæc ad impium mandata deferri iussero, morte morieris, ô impie! idque tu nunciare recusaueris, neque monueris vt vitam suam execretur, & deserat, atque ita viuat: morietur quidem impius in peccato suo æternæ damnationis reus; tu tamen illius mortis pœnas ita seueras dabis, vt alienum sanguinem non alio, quàm proprio sanguine
B compenses.

9. Sin verò impius abs te admonitus mutare noluerit viuendi modum, sed potiùs in peccatis obstinatò hæserit, morietur ille quidem propter iniquitatem suã, tu tamen propterea morti, quam effugisti, obnoxius non eris.

10. Tu ergo, fili hominis, dic ad domũ Israël, ad illos nempe Iudæos, qui obsessi nunc tenentur à Chaldæis, & quibus proximum iam impendet exitium. Hæc apud vos consilio pleno desperationis agitatis:
C insectantur nos peccata nostra, eóque adigunt, vt tabefaciant nos, & in nihilum redigant: quomodo ergo spes erit vlla viuendi reliqua?

11. Dic, inquam, ad eos: Per memetipsum iuro, dicit Dominus, vsque adeò me nolle peccatoris interitum, vt vehemẽter cupiam, vt à via scelerata conuersus vitam obtineat, & conseruet. Macti ergo animis peccatores! quando vobis à me salus proponitur, & vita conuertimini à viis vestris distortis, & auiis, quæ ad mortem dedu-
D cunt. Ecquid vobis in morte gratum! ecquid in conuersione difficile! cùm facile possitis vitam inuenire, cur tanto studio properatis ad mortem?

12. Tu ergo, ô fili hominis, hoc à me mãdatum perfer ad populares tuos. Quocumque die homo à iustitia defecerit peccando, nòn illum liberabit iustitia prior: neque iniquitas impij nocebit illi, quocũque tempore impietatem detestatus, à sua se impietate cõuerterit: neque iustitia præterita vitam præstabit iusto, quandocum-
E que se peccando à iustitia subduxerit.

13. Si vitam ego iusto promisero, & iustitia, quam acquisierat fretus, à iustitia peccando defecerit, eorum quæ rectè gessit obliuiscar, & propter iniquitatẽ suam, quam postea patrauit, morietur.

14. Contrà verò si peccatori mortẽ indixero, ipse verò à peccato pœnitẽdo resipuerit, feceritque quod iustũ est, & rectũ.

15. Si pignus restituerit, & quod vi, seu furto antè sustulerat; & ad illam legem vitæ suæ modum attemperarit, quæ ducit ad

uet, & non morietur.

16. *Omnia peccata eius, quæ peccauit, non imputabuntur ei: iudicium & iustitiam fecit, vita viuet.*

17. *Et dixerunt filij populi tui: Non est æqui ponderis via Domini: & ipsorum via iniusta est.*

18. *Cùm enim recesserit iustus à iustitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis.*

19. *Et cùm recesserit impius ab impietate sua, feceritque iudicium & iustitiam, viuet in eis.*

20. *Et dicitis: Non est recta via Domini. Vnumquemque iuxta vias suas iudicabo de vobis, domus Israel.*

21. *Et factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ, venit ad me qui fugerat de Ierusalem, dicens: Vastata est ciuitas.*

22. *Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere, antequã veniret qui fugerat: aperuítque os meum donec veniret ad me mane, & aperto ore meo non silui ampliùs.*

23. *Et factum est verbum Domini ad me, dicens:*

24. *Fili hominis, qui habitant in ruinosis his super humum Israël, loquentes aiunt: Vnus erat Abraham, & hereditate possedit terram: nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem.*

25. *Idcirco dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui in sanguine comeditis, & oculos vestros leuatis ad immunditias vestras, & sanguinem funditis: numquid terram hereditate possidebitis.*

26. *Stetistis in gladiis vestris, fecistis abominationes, & vnusquisque vxorẽ proximi sui polluit: & terram hereditate possidebitis?*

27. *Hæc*

A vitam, neque vllo prætereca scelere animam infecerit; huic ego vitam certam, & salutem promitto.

16. Omnium peccatorum, quæ commiserat priùs, quæque iam sunt per veram pœnitentiam expuncta, nõ arguetur reus: quia enim postea iustè vixit, & sanctè vitam consequetur.

17. Et obiectare audent populares tui iniquum esse in iudicando Deum; & in hac siue puniendi, siue indulgendi ratione æquitatem desiderant, cùm ipsorum po-
B tiùs viuendi ratio sit iniqua.

18. An æquũ nõ est, vt ille qui cùm antè vixerit iustè, si deinde peccando iustitiam abiecerit, reus agatur, & dãnetur mortis?

19. An est iniquum vt absoluatur, & viuat, qui cùm priùs impiè vixisset, deinde pœnitendo ab impietate recessit, & diuinæ se legi, ac voluntati conformauit?

20. Et quis pudor, aut amentia est, vt dicatis iniquam esse viã Domini? vnumquéque de genere Israëlitico iuxta suarũ, siue virtutũ, siue scelerũ merita iudicabo.

C 21. Accidit anno vndecimo à transmigratione Iechoniæ, mense decimo, & eius quinta die, vt nũcius, qui e Solymitana cęde effugerat, ad me veniret, & de capta, atque vastata ciuitate triste nunciũ afferret.

22. Pridie autẽ eius diei ad vesperum iam ego à Domino idipsum acceperã, qui aperuit os meum, fecítque vt antequam nuncius aduenisset manè liberiùs iam, & apertiùs loquerer; neque deinceps amplius erepta mihi est loquendi facultas.

D 23. Post hæc locutus est ad me iterum Deus, dixítque:

24. Fili hominis, dic illis, qui in ruinis habitant euersarum vrbium, aut in spelũcis, & rupibus terræ promissionis, qui hac sibi cogitatione persuadent futurum, vt veteres possessiones repetãt; à quibus fuerunt ab hoste depulsi. Si vnus, inquiunt, Abraham totam terram promissionis obtinuit; cur nos, cùm multi simus, de illius possessione desperemus?

25. Idcirco dices ad illos, qui falsò sibi
E de tetrę promissionis possessione blandiũtur: etiamsi Chaldæorum declinaueritis gladium; non tamẽ effugietis meum, quia quæ data sunt vobis præcepta cõtemnitis: Comeditis enim carnes non priùs ab illis expresso sanguine; & ad idola immunda oculos leuatis, & supplices manus. Cædes prætereca vos, & sanguis oblectat; & tamen putatis datum iri vobis quasi hæreditario iure terram promissionis?

26. Armatos adhuc animos ad cædem geritis, & execranda alia flagitia cõmittitis; neque à proximorum vxoribus effu-
sam

A ſam continetis libidinem; & tamen ſperatis hæreditate vobis poſsidendam eſſe terram olim parentibus promiſſam?

27. Hæc dices ad eos: Sic dicit Dominus gladio Deus: Viuo ego, quia qui in ruinoſis habitant, cadent: & qui in agro eſt, beſtiis tradetur ad deuorandum: qui autem in præſidiis & ſpeluncis ſunt, peſte morientur.

27. Hæc igitur dices ad eos: Viuo ego, ait Dominus, quia Genti huic peccatrici, & quæ ſibi paternæ hæreditatis poſſeſsionem & incolumitatem promittit, nullum erit tutũ præſidiũ, nullus locus à periculo vacuus. Eos enim, qui in vrbiũ ruinis conſederunt, inſectabitur, atque conficiet gladius: qui in agris profugus, & incertus vagatur, in belluas incidet, à quibus lacerabi- B tur, deuorabitúrque: illos verò qui in locis arduis, ſaxorúmque ſpeluncis præſidium ſibi locauerunt, quò neque gladius, neque feræ aſpirare poſſe videbantur, aſcendet peſtis, cui nihil inacceſſum, & arduum.

28. Et dabo terram in ſolitudinem, & in deſertum, & deficiet ſuperba fortitudo eius: & deſolabuntur montes Iſraël, eo quòd nullus ſit qui per eos tranſeat.

28. Totam denique terram ſic reddam à cultoribus vacuam, vt nihil in ea ſit præter vaſtam ſolitudinem: ipſi etiam montes, vbi tuta ſibi latibula fore arbitrabantur, euertentur; cadet denique quicquid illis ſuperbam alebat confidentiam, & fortitudinis opinionem.

29. Et ſcient quia ego Dominus, cùm dedero terram eorum deſolatam, & deſertam, propter vniuerſas abominationes ſuas quas operati ſunt.

C 29. Tunc malo ſuo edocti cognoſcent Deum eſſe me, cùm propter iniquitates ipſorum terrę vaſtitatem induxero, & planè reliquero deſertam.

30. Et tu fili hominis: filij populi tui, qui loquuntur de te iuxta muros, & in oſtiis domorum, & dicunt vnus ad alterum, vir ad proximum ſuum loquentes: Venite, & audiamus quis ſit ſermo egrediens à Domino.

30 De te, ô fili hominis, loquuntur cõtribules tui cum irriſione, & ſanna, quaſi vacua à ſano ſenſu forent verba tua, & ſine vlla prophetica fide; dicúntque vbicũque ſeſe obtulerit ſermo de te, in conuentu, & circulo iuxta muros, & ad portas domus, vbi otioſi ſedẽt. Agite dũ, venite, & audia- D mus, quid nobis à Dño verborũ annũciet.

31. Et veniunt ad te, quaſi ſi egrediatur populus, & ſedent coram te populus meus: & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris ſui vertunt illos, & auaritiam ſuam ſequitur cor eorum.

31. Concurrunt itaque ad te, vt quaſi à deliro, ſeu furioſo aliquid captent voluptatis. Quemadmodũ populus ad caueã, ſeu theatrum confluit, vt fabulam audiat, aut ineptum aliquid de mimo: eodẽ modo ſedent coram te populares tui, & quaſi ludibundi audiunt ſermones tuos, neque quicquam illorum curant, ſed arripiunt illos tanquam aliquid inimicum è theatro, illóſque cantillando, ac ſubſannando repetunt; neque ideo minus illorum ani- E mus auaritiæ ſtudet, illíſque vitiis, à quibus illorum ſtudia abducere conaris.

32. Et es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulcíque ſono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.

32. Neque aliter in eorum auribus ſonant verba tua, quàm muſicum carmen, quod ad molles, ac ſuaues numeros concinnatum eſt. Audiũt quidem verba tua, ſed longè ſunt vt opere compleant.

33. Et cùm venerit quod prædictum eſt (ecce enim venit) tunc ſcient quòd prophetes fuerit inter eos.

33. Cùm autẽ venerit, quod à te ſæpe illorũ auribus inſonuit (ecce enim nuncius adeſt, à quo verum eſſe cognoſcent) tunc intelligent, ô Ezechiel, ineſſe tuis verbis pondus, & fidem; & te verum eſſe Prophetam, non veteratorem, & delirum.

Verſ.2. *Loquere ad filios populi tui.*]

1\. HACTENVS de alienis locutus fuerat Ezechiel, de Tyriis videlicet, & Ægyptiis; nunc iubetur propheticum ſermonẽ rurſus ad Gentem Iſraëlitidem conuertere, idque imperio vſque adeò ſeuero, vt alienum ſanguinem ſuo luendum ſanguine, & alienam vitam ſua vita penſandam eſſe dicat. Porrò vſitatum eſt, vt cùm de populo Iudæorum benignè cõſulit, ſuum appellat populum; ſi quid verò contra illum ſeuerius cogitet, populum vocet, aut eſſe ſignificet alienũ, ſuprà cap. 13. v. 17. *Pone faciem tuam contra filios populi tui.* & Exod. 32. poſt vitulum adoratum, ait, *Vade, & deſcende; peccauit populus tuus.* Quaſi dedignetur Deus illum habere ſibi populum, in quẽ propter illius perfidiam, cogitur furoris ſui gladium diſtringere.

REGVLA. *Cum benignè de ſuo populo loquitur Deus, ſuum appellat; ſin verò ſecus, alienũ eſſe ſignificat.*

2\. *Terra cùm induxero ſuper eam gladium.*] Aliquando iuxta Hebræorum idioma nominatiuus abſolutè ponitur, quòd ſi pronomen ſequatur, eius loco in eodem caſu locandus eſt. Iſai. cap. 33. v. 24. *Populus, qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.* quem tu ad Latinorum formam ſic redde, *Auferetur à populo iniquitas.* Idem cap. 11. v. 10. *In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum Gentes deprecabuntur*, id eſt, *radicem Ieſſe Gentes deprecabuntur.* Pſal. 10. v. 4. *Dominus in cœlo ſedes eius*, id eſt, *ſedes Domini in cœlo.* Sic nunc, ſi *terram*, quæ abſolutè in nominatiuo ponitur, pro pronomine in caſum pronominis transmutes, apertum reddes ſenſum in hunc modum, *Cùm induxero ſuper terram gladium.*

REGVLA. *Nominatiuus aliquãdo abſolutus, quod ſi pronomen ſequatur in eius loco, & caſu ponendus eſt.*

3\. *Et tulerit populus terræ virum vnum de nouiſſimis ſuis.*] Populus terræ, ex vſu Scripturæ idem eſt quod populares, & ciues, quem ſæpè videmus, à Rege Regúmque proceribus ſeparatum. Si verò, vt vſu plerunque euenit, populus terræ conſenſu publico, atque legitimo ex infima licèt populi fæce, ſpeculatorem conſtituerit, vt de impendente clade ſecuros admoneat, & ſpeculator ille buccinæ clangore ſignificauerit imminere hoſtem, & ab hoſte periculum: ſi quiſpiam admonitus non ſibi maturè à periculo cauerit, ſed illum ab hoſte interimi contingat, non tenebitur ſpeculator præſtare aut culpã, aut interitum alterius, quia quod ſibi negotium clamãdi ſumpſerat, opportunè ſatis atque fideliter impleuit.

Populus terræ, pro turba & vulgo.

4\. Verſ. 4. *Sanguis ipſius ſuper caput eius erat.*] Hebraiſmus eſt, quo quis effuſi ſanguinis, aut alterius illati detrimenti reus arguitur. Leuit. cap. 20. v. 9. *Patri, matrique qui maledixerit; ſanguis eius ſit ſuper eum.* Et ibidem verſ. 27. *Vir, ſiue mulier, in quibus Pythonicus, vel diuinationis fuerit ſpiritus, &c. Sanguis eorum ſit ſuper illos.* Ioſue c. 2. v. 19. *Qui oſtium domus tuæ egreſſus fuerit, ſanguis ipſius erit in caput eius.* Hoc eodem ſenſu dixerunt Iudæi Mat. 27. v. 25. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Ac ſi dicerent, ſi quid in Chriſti morte interceſſerit culpæ, in caput noſtrum illam deriuamus; nos illius pœnas vltrò ſuſtinebimus.

Sanguis ſuper alicuius caput, quid.

5\. Verſ. 5. *Sonum buccinæ audiuit, & non ſe obſeruauit, ſanguis eius in ipſo erit.*] Fecit ſpeculator quod præſtare debuit, quia ſignum dedit clangente tuba; neque quidquam amplius ab eius ſiue fide, ſiue excubiis expectandum fuit: ſua ergo culpa perijt, qui non ſe cùm poſſet, ab impendente periculo ſubduxit, dedit debitas ſuo ſtupori, atque inertiæ pœnas. *Sanguis eius in ipſo erit*: idem

A eſt atque *in ipſius caput.* Vbi vulgatus *in ipſo*, Heb. eſt בו *bo.* notum eſt autem præpoſitionem ב, motum etiam in locum ſignificare; & idem etiam valere, quod *contrà.* Leuit. cap. 16. *Mittet hircum* במדבר *bamidbar*, id eſt, *in deſertum.* Et Geneſ. 26. Manus eius בכול *bachol*, id eſt, *contra omnes.* Et manus omnium בו *bo*, id eſt, *contra eum.* Sic hoc loco, *ſanguis eius in ipſo*, non ſignificat manſurum ſanguinem intra venas, id enim potiùs commodum aliquid, & vitale ſonat; ſed in ipſum, aut contra ipſum eſſe conuertendum.

Sanguis contra aliquem quid.

Verſ. 6. *Quòd ſi ſpeculator viderit gladium venientem.*] Nunc ſpeculatoris pœna proponitur. Si excubias negligenter egerit, neque excitarit illos, 6.
B qui ſecurè dormiunt, niſi inflatu buccinæ inſtare gladium conclamauerit. Quòd ſi quiſpiam ſubito inimicorum aduentu oppreſſus interierit, illius ſanguinem de ſpeculatoris manu requirendum dicit. Qui loquendi modus reum, aut debitorem effuſi ſanguinis ſpeculatorem oſtendit: qui ſanguinem ſuæ fidei, atque cuſtodiæ creditum actione legitima reddere cõpellitur; qui ab illo nõ aliter exigitur, quàm à debitore pecunia.

Verſ. 7. *Et tu fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël.*] Illud *tu*, abſolutè ponitur, vt diximus proximè v. 2. Accommodat Deus inductam ſimilitudinem; & quicquid impoſitum eſt ſpeculatori muneris, aut pœnæ: idem eſſe datum ſiue 7.
C negotij, ſiue ſupplicij Prophetæ, ſi minus fideliter, ac vigilanter datas ſibi partes impleuerit. Neque ſolùm hoc loco ſpeculator appellatur Propheta, Ierem. cap. 6. v. 17. *Conſtitui ſuper vos ſpeculatores, audite vocem tubæ.* Iſai. 56. v. 10. duabus metaphoris idẽ docet de Prophetis, quod hîc Ezechiel. *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, canes muti non valẽtes latrare.* Idem noſter Propheta ſuprà cap. 3. v. 17. vbi eadem penè repetit verba; quæ nos magna ex parte ab hac ſimilitudine latiùs explicanda liberabunt; quia ibi à nobis ſatis, opinor, explicata ſunt.

Prælati periculum.

Audiens ergo ex ore meo ſermonem annunciabis eis ex me.] Minæ quæ ex diuino ore prodierunt in- 8.
D ſtar fulminis ſunt; & gladij, quem hoſtis cominùs paratus eſt in hominum inerme latus adigere: quare qui minas audit ab eo, quaſi intentum ſpeculatur gladium. Monet igitur Deus, vt non minori ſtudio, neque minùs contenta voce denunciet hominibus diuinæ indignationis inſtare pondus, quàm ſpeculator conſtitutus à populo impendere iam proximè hoſtile ferrum. Ex quo diſcet Chriſtianus concionator quid ipſi maximè cùm agit ad populum, propoſitum eſſe debeat; nempe quando peccatori à Deo multiplices impendent minæ, vt illas frequenti exhortatione identidem ingeminet, neque clamare deſinat,
E donec à ſopore, in quo demerſus eſt, peccatorem exuſciter.

Quanto ardore & ſpũ de re agendum concionatori ad populum.

Verſ. 8. *Si me dicente ad impium.*] Hæc eadem adverſum vſque decimũ eodẽ fermè modo habes ſuprà cap. 3. à verſu 18. explicationẽ inde ſume.

Verſ. 10. *Dic ad domum Iſraël, ſic locuti eſtis, dicentes: Iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus. Quomodo ergo viuere poterimus?*] Quo tempore hæc accepit Propheta, aut erat capta, vt indicat ſtatim verſus 21. aut proximè erat, vt caperetur Hieroſolyma. Tunc verò docti ab ipſa vexatione ciues, cognouerunt 9.

ſuis

suis sceleribus deberi supplicium illud, quod vel subibant iam ab hoste Babylonio; vel quod declinari posse non sperabant. Quod latuisse Iudæos, qui tunc agebat apud Babylonios captiui, non est verisimile. Tam ergo hi, quàm illi cùm illatam crederent cladem illam, & infortunia tanta, vrgeri se putabant à peccatis suis, quæ ab vltrice Dei manu puniri arbitrabantur. Atque ideo saniori iam consilio dicebant, insectantur nos peccata nostra, eóque adigunt, vt tabefaciát nos, & in nihilum redigant: quomodo ergo erit vitæ spes vlla reliqua? Hæc obscura non sunt. Illud *in ipsis*, idem est quod *propter ipsa*. *In* enim non rarò in Scriptura sacra causam importat, vt diximus suprà cap. 5. n. 49. Fortasse hoc loco *iniquitates*, & *peccata* pro supplicio ponuntur, & his ærumnis, quas peccatori suorum scelerum grauitas imposuit, quod in Scriptura frequens. Sed, vtcumque accipias, eadem est sententia. Dixit idem, opinor, Dauid Psal. 37. v. 5. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me: putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ.*

In illi quod propter.

10. Vbi vulgatus, *sic locuti estis*, Heb. est כן אמרתם *ken amartem*. quem locum sic explicat Rab. Dauid. Rectè locuti estis, aut rectè dicere posseris, licèt non dicatis, vos esse peccatores, mortísque reos. Quo cum sentiunt Pagninus, & Vatablus. Sanè כן *ken*, id rarò significat, vt norunt, qui Hebraicè mediocriter sciunt. Sed est sine dubio explicatio prior magis expedita.

11. Antequam hinc egrediamur, expediendum nobis est, an mors, de qua hoc loco Propheta, spiritualis sit, & æterna, an corporalis. Hieronymus, & cum eo Hugo, Dionysius, Vatablus, & Lyra de vita, ac morte æterna sermonem esse censent. Sic autem hîc Hieronymus, *Vita autem, & mors in hoc loco non hæc significatur, qua omnes communi cum bestiis lege naturæ vel viuimus, vel morte dissoluimur, sed illa, de qua scriptum est: Placebo Domino in regione viuorum: & anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Alij de corporali morte, & meo iudicio verisimilius interpretantur. Ita Theodoretus, & illi iidem, quos nuper diximus sententiæ subscribere Hieronymi, Hugo, Lyra, Dionysius. Sic enim in priorem sententiam abiisse videntur; vt posteriorem si attentè legantur, non respuerint. Et quidem in eo statu tunc erant res Iudaicæ, vt non procul Solymitani ciues abessent à morte; aut ab illa vita, si mortem effugere contingeret, quæ propter seruitutem ærumnosam, & duram instar haberet acerbissimæ mortis. Neque tunc Iudæi, vt erant eo tempore ingenio ex obduratione crasso, & stolido, tam erát de æterna, quàm de corporali morte solliciti. Tamen ex hac morte Patres multa ad spiritualem mortem transferunt, & accommodant, quia non est minus speculatori periculum, si in admonendo de materiali gladio segnis fuerit, quàm concionatori, aut Episcopo, qui speculator est, si ad euitandam spiritualem mortem negligentes egerit excubias.

Speculatori mors proponitur, temporalis, aut æterna, si alij mortem fuerunt temporalem, aut æternã.

12. Vers. 11. *Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua. & viuat.*] Hæc a nobis explicata sunt capite 18. ad illud vers. 23. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus*, &c. Similiter quod sequitur, *Quare moriemini domus Israel?* explicatum est ad eadem verba cap. 18. v. 31. Expendit autem hic Tertullianus lib. de pœnitentia, cap. 4. vt peccatori spem afferat veniæ, illud *viuo ego*, quo Deus

Quanta peccatorū spes esse possit veniæ.

A significat quantopere nostram salutem cupiat, vt mortem peccatoris auersetur. Quandoquidem non id vtcumque affirmat, sed interposita iurisiurandi firmitate. *Bonum est, inquit, pœnitere; an non? Quid reuoluis? Deus præcipit. Atenim ille non præcipit tantùm; sed etiam hortatur. Inuitat præmio salutem, iurans etiam, viuo, dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus iurat! ô miserrimos, si nec iuranti Domino credimus!*

Vers. 12. *Iustitia iusti non liberabit eum, in quacumque die peccauerit: & impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit*, &c.] Hæc exposita à nobis sunt capite 18. ad verba propè eadem v. 21. 22. 24. & 25.

B Vers. 20. *Et dicitis, non est recta via Domini.*] Hæc etiam explicuimus suprà vers. 25. & sunt idem, quod proximè dictum fuerat vers. 17. *Nō est æqui ponderis via Domini, & ipsorum vita iniusta est.*

Vers. 21. *Et factum est in duodecimo anno, in decimo mense*, &c. *Venit ad me, qui fugerat de Ierusalem, dicens, vastata est ciuitas.*] Quantum temporis intercesserat inter prophetiam, de qua proximè, & inter illam, quam explicare aggredimur, non constat; quia priori definitum aliquod tempus non præponitur. Est tamen verisimile, vt principio coniectabamus, non longè ante hoc tempus accepisse Prophetam vaticinium superius; quia in illis turbidis Iudaicæ Reipublicæ temporibus, instante iam Chaldæorum gladio, clamandum speculatori fuit, sicut etiam eodem tempore diuino afflatus, atque instimulatus spiritu, clamabat Ieremias. Puto tamen quo tempore superiora locutus est Ezechiel, nondum captam esse Hierosolymam, quia non tam grassari videbat, & Iudæorum sanguine stillare Chaldæorum gladium, quàm impendere; atque ideo speculatoris more clamare iubetur, & Dei nomine pœnitentiam indicere. Quod si ita est, constat, vt minimum, decimosexto mense ab vrbis excidio posteriora hæc vaticinatum esse Prophetam. Capta namque fuit Hierosolyma anno vndecimo, mense quarto, transmigrationis Iechoniæ, seu, quod idem est, regni Sedeciæ; nuncius autem venit anno transmigrationis duodecimo, mense decimo. 13.

Hîc ego nodum inuenio, in quo expediendo aliquid sumendum est operæ. Neque enim tantum intererat spatij inter Hierosolymam, & Babylonem, vt sedecim mensibus tam illustris victoria ignorari debuerit, cuius, credo, nuncium statim misit Nabuchodonosor, vt à metu liberaret Babylonios, qui in Chaldæa remanserant, & maximè fœminas, quæ absentibus maritis, ac filiis, præsertim cùm rei militari dant operam, in qua omnia sunt periculosa, ac turbida, nihil non timent. Neque verisimile est, latuisse Iudæos, quod nunciatum esset Babyloniis, & publica lætitia celebratum. 14.

C

D

E

Si verum esset quod, vt Theodoretus hîc refert, docet Syrus, neque ipse improbat, nuncium illum venisse anno transmigrationis vndecimo, res esset soluta. Sed contrà habent cũ vulgato tam Hebraici, quàm Græci codices, quibus etiam accedit Chaldæus: neque Latini codices, quòd ego viderim, hoc in loco variant. Ego hîc in omnes me partes, cogitationésque versaui; neque tamen quo sum ingenio imbecillo, ac tardo quicquam inuenio, in quo mihi ipsi satisfaciam. Cogitabam primùm an nuncius ille non tam de capta primùm ciuitate, & deformato Iudæorum imperio, quàm de occiso Godolia, & extincta 15.

iam omnino re Iudaica missus esset. Viuente namque Godolia, quem Iudæorum reliquiis ducem, & quasi parentem regio nomine præfecerat Nabuzardan; nondum extinctum videri poterat Iudæorum Regnum. Atque ideo cùm Iudæi sublato Godolia de spe instaurandi Regni decidissent; pro Godolia occiso, & spe regnandi funditus sublata Ieiunium sibi anniuersarium indixerunt, in diem quintum mensis Tisri, id est, Septembris, in quem incidisse sciebant Godoliæ cædem. Sed contra hanc meam cogitationem stabat, quòd ab eo nuncio Propheta nihil de occiso Godolia, sed de capta ciuitate accepisse dicitur. Neque eo tempore occisus fuit Godolias: vt ad explendum numerum quicquam intersit spatium illud numerare à Godoliæ cæde. Nam, vt scribitur in Seder olam cap. 26. quod apte videtur conuenire cum rerum gestarum ordine à templo diruto, die quinquagesimo secundo occisus est Godolias, id est, ab vrbe capta die octuagesimo tertio. nam, vt habes Ierem. cap. 52. v. 6. capta est ciuitas anno vndecimo, mense quarto, nona die mẽsis; templum autem dirutum est, mense quinto, decima die mensis. Et licèt à Godolia occiso ad diem, quo perlatum est nuncium ad Ezechielem, plures dies exacti fuerint: tamen totum illud tempus sedecim mensium comparatione videtur exiguum.

16. Alia rursus occurrebat solutio, quam hic etiam adducam, id enim iuris nobis dat obscuritas, vt minùs etiam certa, aut minùs etiam probabilia tentemus. Putabam igitur notum esse Iudæis, qui extorres erant apud Babylonios, vrbem esse captam, quod à captiuis, quos cum Sedecia secum adduxerat Nabuchodonosor, didicisse facile potuerunt; sed publica, & quasi legitima legatione non nouerant. Legationem autem missam esse puto ab his, qui duce Iohanan filio Çaree abierunt in Ægyptum, deserta patria, quo tempore capta videri ciuitas potuit, & Iudęa deserta. Quia qui reliqui erant non tam in vrbibus habitabant tanquam ciues, quàm in cauernis, & rupibus tanquam alieni. Et hoc aliqua ratione confirmat, quia minæ, de quibus statim, non ad ciuitatum incolas, sed ad saxorum habitatores iactantur, qui tantùm videtur fuisse reliqui vers. 27. *Viuo ego, quia qui in ruinosis habitant, gladio cadent, & qui in agro est, bestiis tradetur ad deuorandum: qui autem in præsidiis, & speluncis sunt, peste morientur.* In hoc rerum articulo capta videtur esse ciuitas, id est, captæ omnes ciuitates Iudææ. Sumitur autẽ singularis numerus pro plurali, quod per synecdochen frequenter accidit. Cur autem hoc nuncium addere animum Prophetæ debuerit, vt deinceps loqueretur audaciùs, ea videtur esse causa, quia hoc ipse aliquando prædixerat: cùm autem non timeret Propheta ne apud captiuos sua laboraret fides, aperire potuit os suũ, & maiori cũ libertate, ac spiritu contribules, & concaptiuos arguere. Hæc ego adduxi diuinando potius, quàm certi aliquid statuendo; neque tamen hæc posteriora mihi omnino frigent. Neque admodum incommodat, quòd nuncius ille fugisse dicitur de Ierusalem; quia eorum plurimi, qui Iudæa relicta in Ægyptum abierunt, ante cladem illatam fugerunt ex vrbe, aut cùm hostis iam victor in vrbem irrupisset.

17. Vers. 22. *Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere, antequam veniret qui fugerat.*] Non indigebat eo nuncio Propheta, cùm iam quid retum fieret, ipso inspirante Domino didicisset, pridie nimirum ad vesperam, antequam legatus ille, aut fugitiuus ea de re quidpiam ad Babylonios attulisset. Manum autem Domini fieri super aliquem ex Scripturæ idiomate, nihil est aliud, quàm à Domino aliquem aut afflari illustratione aliqua prophetica, aut ad aliquod opus interiùs incitari, confirmatiue, vt statim ipse magis declarat.

Aperuitque os meum, donec veniret manè, & aperto ore meo non silui amplius.] Suprà cap. 24. vers. 27. hoc ipsum Dominus promiserat Prophetæ. *Cùm venerit*, inquit, *fugiens ad te, vt annunciet tibi, in die, inquam, illa aperietur os tuum cum eo, qui fugit, & loqueris, & non silebis vltrà.* Quid verò sit os aperiri, explicuimus ibi, neque est quod magni intersit ad illud adiungi. 18.

Quid sibi velit hic locus, obscurum est. Hieronymus, quem Hugo sequitur, putat apertum esse Ezechielis os, antequã quicquam esset perlatum à nuncio, & tunc liberius, quàm antea cœpisse loqui, neque siluisse postea; quia ardore, atque audacia ex prædictarum rerum euentu conceptis, minus quam antea populi obtrectationem ac ludibria timebat. Neque huic Hieronymi expositioni incommodat particula *donec*, quia non semper aliquem designat terminum, vltra quem aliquid portẽdi negatur; sed tantùm ostendit id, de quo poterat esse dubitatio. 2. Reg. 6. *Michol filia Saul non est natus filius vsque ad diem mortis suæ.* Non exclusit tempus post mortem, sed ideo videtur non inclusisse, quia nemini dubium esse poterat Michol post mortem non suscepisse liberos. Genes. 8. de coruo, *Non reuertebatur donec siccarentur aquæ.* Siccatis aquis certum erat non reuersurum coruum. Plura hac de re vide in nostris commentariis ad illud Actorum 2. *Donec ponam inimicos tuos.* Sic ergo nũc, quia dubitare quis poterat, an ante aduentum nuncij, os suum aperuisset Propheta (nam post aduentum dubitaret nemo) dixit locutum se fuisse donec veniret manè, neque tamen siluisse postea. 19.

Donec non semper aliquem assignat terminum, & alterum excludit.

Alij censent apertum fuisse os Prophetæ, cùm primùm nouit qualia passi fuissent, qui in Iudæa remanserant, id est, inspiratos illi fuisse animos ad agendum audaces; siluisse tamen donec res ad aliorum exulum aures peruenit. Ita Theodoretus, Dionysius, Maldonatus. Sed videtur explicatio paulo durior; quare in Hieronymi sententiam pronior est assensio. 20.

Vers. 24. *Fili hominis, qui habitant in ruinosis his super humum Israël.*] Quicquid minatum est, ad illos spectat, qui in ciuitatum ruinis, aut in præruptis silicibus, speluncisque habitabant in terra promissionis, qui se à Chaldæorum gladio mature subduxerant; aut hostium benignitate cõmunem aliorum fortunam non subierant. Hi enim hac sibi ratione persuaserant fore, vt rursus veteres possessiones repeterent, ex quibus fuerant ab hoste depulsi. Si vnus, inquiunt, Abraham totam terram promissionis obtinuit; cur nos cùm multi simus de illius possessione desperemus? Qui sanè maximarum rerum ignoratione laborabant: neque enim Abraham promissæ terræ dominus, ac possessor fuit, cùm in illa, vt ait Stephanus Act. c. 7. neque passum pedis obtinuerit, sed tantùm acceperat ipsius posteris esse tribuendam. His igitur insipiente hac ratiocinatione deceptis obnunciari iubet Dominus quæ mox sequuntur. 21.

Vers. 25. *Qui in sanguine comeditis.*] Proponi iubet, 22.

bet, & exprobrari Iudæis illa crimina, quæ illos omnino reddunt indignos possessionibus, quas iam spe, vt ipsi sibi blandiebãtur, certa deuorauerãt. Quanuis enim illis ignouissent Chaldæi, & tãquam colonos reliquissent in patria, aut alio quouis modo humanum gladium declinassent, non tamen poterunt effugere diuinum: qui peccatores insequitur, comprehenditque quãcumque se in partem dederint, etiamsi ad ima terræ viscera descendant. Inprimis obiicit, quòd *in sanguine comederint*, id est, *cum sanguine* (nam, vt diximus suprà cap. 16. n. 117. *in* iterdum idem valet, quod *cum*.) Iusserat enim Deus iam olim statim à diluuio, & postea Leuit. c. 19. v. 26. ne homines carnes cum sanguine comederent, quòd vt antiquissimum, sic etiam apud veteres religiosum fuit. Ille autem in sanguine, aut cum sanguine comedere dicitur, qui carnes comedit, ex quibus sanguis priùs expressus non est: quòd contingit in suffocato, aut strãgulato animali, aut morticinio, aut denique cùm sanguis continetur in botulis, aut alia quauis ratione cõditus est. Quod præceptum grauibus de causis Apostoli Euangelij etiam tempore seruari voluerunt Actor. c. 15. *Visum est enim Spiritui sancto, & nobis nihil vltrà imponere vobis oneris; quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato.* Cur verò de sanguine Dominus præceptum superioribus illis sæculis imposuerit, diximus in commentariis nostris super Acta ad locum de quo proximè. Chaldæus comedere in sanguine esse putat, statim ab homicidiis, cruentis adhuc manibus cibum capere, quasi nihil esset mali patratum. Sed hanc explicationem conuellit, quod sequitur, *& sanguinem funditis.*

Sanguine vesci Iudæis prohibitum.

23. *Et oculos vestros leuatis ad immunditias vestras.*] Quid significetur immunditiæ nomine, diximus suprà cap. 14. vers. 3. & 4. Leuare autem oculos genus quoddam est adorationis; quasi enim homines ab immunditiis suis, id est, ab idolis, aliquid sibi polliceantur auxilij, ad illas supplices oculos, & manus leuant; quo fatentur in illis aliquid esse diuinum, & posse rebus labentibus occurrere. Fecerunt id, qui excisa iã vrbe fugerunt in Ægyptum, vt ex Ieremia constat cap. 44. qui sacrificasse dicũtur ex voto Reginæ cœli, & aliis Gentium simulacris. Neque est incredibile eos, qui in Iudæa in saxorũ cauernis relicti sunt, contra quos propheticæ hæ minæ, minùs fuisse impios, & in idolorum cultu spem salutis, ac libertatis posuisse.

Iudæi post excisam vrbem idololatræ.

24. Vers. 26. *Stetistis in gladiis vestris.*] Stare in armis is dicitur, qui armatus est, neque cẽdere vult alicui; sed contrà quàm acerrimè pugnare, vt diximus in nostris commentariis in Ieremiam ad illud cap. 46. *State in galeis, polite lanceas.* Vt enim stare in veste, puta, pontificia, aut regia, ex Lacinorum vsu significat regium, aut pontificium in modum ornatum esse: sic esse in armis ex illorum vsu, aut in gladiis, & galea idem est, quod galeatum esse, aut gladio munitũ. Sic Maro lib. 9. Æneid.

Stare in armis, in galeis, &c.

Stabat in egregiis Arcentis filius armis
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera.

Et iterum lib. 12. ad finem,

——— *Stetit acer in armis Æneas.*

25. Sed quando, aut quomodo in gladio steterint, id est, instructi ferro Iudæi illi, contra quos hæ minæ, dubium est. Mihi videbatur esse dicendum tum in gladiis stetisse, cum offirmato animo, etiam si contrà staret clamarétque quotidie Ieremias, statuerunt sibi omnino esse dimicandum, neque vllo modo cedendum esse Chaldæis. Sed placet magis quod cum Hieronymo, ac Theodoreto sentiunt alij plures, accinctos esse ferro Iudæos, paratósque quacumque occasione, ac loco innoxium sanguinem effundere. Cui immanitati barbaræ alia adiunxerunt animi omnino profligati flagitia, quæ abominationis nomine significantur, neque suam libidinem à proximorum vxoribus continuerunt. Quare cum stomacho dicit, frustrà illos sperare ereptæ sibi hæreditatis possessionem.

Vers. 27. *Qui in ruinosis habitant, gladio cadent; & qui in agro est, bestiis tradetur ad deuorandum.*] Ex 26.
his qui vel relicti fuerunt à Chaldæis, ne terra omnino maneret deserta, vel ipsi fuga se ab impendente clade subduxerunt; quidam in ciuitatum ruinis, quæ ex strage supererãt, habitabant; quidam in agris incertis sedibus vagabantur: vtrosque dicit communem suę gentis fortunam non euasuros. Qui enim in vrbium ruinis habitant, expositi sunt hostili ferro, quod certum habet & destinatum locum, in quem irrumpat; qui vagam ducunt, & syluestrem vitam more planè ferino, à feris ipsis, quibus cum habitant, occidentur.

Qui autem in præsidiis, ac speluncis sunt, peste mo- 27.
rientur.] Tertium hominũ genus erat, qui neque vagi errant per syluas, & agros, neque euersarum vrbium parietinas inhabitant, sed in præsidiis, & in speluncis latent, quo non ascendit inimicorum gladius; neque aspirare tutò possunt feræ. Hoc autem loco, idem esse arbitror præsidia, atque speluncas; quia speluncæ quædam erant Iudæis in præaltis, atque præruptis saxis, quas pro arce munitissima, cùm augustiæ præmerentur Iudæi, adire solebant. De quibus Iosephus testis ipse oculatus lib. 1. de bello. cap. 12. *Speluncæ in præruptis montibus erant vndique inaccessa, transuersósque tantùm, ac perangustos accessus habebant.* De his credo speluncis, seu miserorum perfugiis, loquebatur Isaias cap. 2. v. 10. *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo.* Et iterum vers. 19. *Et introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ.* Quod esse frequens in regione illa, quæ confragosa, & opportuna latebris, probat Dauid, qui in spelunca delituit, 1. Reg. c. 24. & Iosue cap. 10. quinque Reges, qui ex speluncis, in quas sese abdiderant, extracti sunt. In illis tamen locis nihil futurum affirmat tutum à periculo: nam licèt eò feræ non aspirent, neque gladius ascendat, tamen adhuc armis abundat Deus, quibus illos in suis latebris oppugnet. Immittit namque pestem, cui nihil clausum est, nihil inaccessum.

Iudæis speluncæ erant ad quas in periculis cõfugerunt.

Vers. 28. *Deficiet superba fortitudo eius.*] Fortes 28.
se putabant Iudæi, quia in inuias se abdiderant atque inaccessas latebras; atque ideo superbè de se, & liberè dicebant possidendas esse sibi regiones, quas vnus Abraham antè possedisset. Quibus edici Dominus iubet defutura illa, quæ non videbantur expugnari posse præsidia, & superbos animos esse deprimendos, deiiciendósque ex illa cogitatione, quam priùs imbibissent.

Vers. 30. *Et tu fili hominis.*] Hæc verba, vt opi- 29.
nor, accepit Propheta pridie eius diei ad vesperam, quam acciperet à nuncio vastatam esse ciuitatem; quæ non ipse recitauit ad alios, quia illis nihil videbantur allatura vtilitatis; sed tantùm ad seipsum retulit, quibus excitatus est, vt aperto iam ore liberiùs loqueretur, cùm rei euentus

tus conciliaturus illi foret propheticam fidem, cui priùs tanquam nugaci, & vano insultabant Iudæi. Illud, *tu fili hominis*, positum est absolutè, sicut alibi sæpe nominatiuus absolutè ponitur. Vide quæ suprà diximus vers. 2. ad illud, *Terra, cùm induxero.*

30. *Filij populi tui, qui loquuntur de te iuxta muros, & in ostiis domorum.*] Commune diuerticulum est otiosorum hominum, apricus locus, qui iuxta muros est; aut in ostiis domorum, illarum maximè, in quibus aliquid exercetur ad publicos vsus, & commune subsidium: qualia vnguëtariæ, seu vinariç taberne, porticus, & his similia. Ad hæc igitur loca conuenire solebant, qui exules agebant apud Babylonios, atque ibi propheticis oraculis irridebant, aut libero Prophetã exagitabant conuitio. Se etenim hortati mutuò, cum stomacho, atque ludibrio dicebant: Venite, & audiamus quid nobis à Domino obganniat Propheta, an nobis aliquid afferat portenti noui. Idẽ quoque accidit Ieremiæ cap. 23. v. 33. cui obstrepebat populus, dicebátque, *Quod est onus Domini*, quasi illud iam ferre non posset, cùm frequens haberet in ore *onus Domini*, quod aliquid populo durum, & molestum obtenderet.

31. Vers. 31. *Quasi si ingrediatur populus.*] Ingreditur cateruatim populus in loca publica, ad publica consilia, popularesque conuentus destinata, qualia sunt templa, & theatra, vbi religionis, ac voluptatis ergò frequẽtes fiunt hominum concursus. De tẽplis accipit Hieronymus, Theodoretus, & alij, ad quæ homines vocat vel religio, & pietas, vel diuini verbi desiderium. Sic homines irrisores, & procaces eo habitu accedebant frequentes ad Prophetã, quasi ab illo audituri diuinum aliquid, quod suspicarent, & studiosè seruarent; sed reuera vt subsannarent, & illuderent.

32. Sed est mihi magis verisimile cũ Maldonato, hîc esse intelligẽda theatra, & circũ, vbi captare solent otiosi homines fabulosas nugas, aut turpes voluptates. Vt enim in theatris, & scenis producuntur aut deliri senes, aut homines fatui, qui suis ineptiis populum tenent, & dum bardos se, ac motiones simulant, suspensam multitudinem oblectant; sic populus ad Ezechielem accedebat vt tanquam stultum comicum audiret, & insano alicui blateratori illuderet, & vera Dei oracula tanquam histrionica quædam deliramenta interpretabatur. Et iuxta hanc explicationem perquàm commodè sequitur;

Propheta à populo iudicati nugaces.

33. *In canticum oris sui vertunt illos.*] Arripiunt verba tua tanquam si quisquam sumeret è theatro aliquid mimicum, illúdque cantillando, ac subsannando repetunt, ac si verba essent, nõ eius, quem diuinus afflauisset Spiritus; sed illius, cuius esset emota mens, aut ingenium Arcadicum. Eodem modo quidam Isaiæ verba cum sibilo, & sanna vertebant in canticũ, dicebántque cap. 28. *Manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* quia nempe hæc verba ab ore Prophetæ sæpius audierant.

Vbi vulgatus, *canticum oris sui*, & postea carmen musicum, Heb. est עגבים *agabim*, quod canticum sonat amatorium. Quo loquendi modo, fortasse prouerbiale significatur, quàm illi longè propositis minis concuterentur, ac horrerent; cùm potiùs quasi aliquid audirent amatorium, ac geniale, sese propheticis minis oblectarent. Carmen autem amatorium rẽ indicat festiuã, & ab omni metu, ac turbatione alienam: neque enim qui amatorium aliquid, aut aphrodisiũ canit, eo est in statu, vt in dolore sit, aut tristi aliqua cogitatione turbetur. Qualem sanè non videntur habuisse illi, qui propheticas minas meras censebant esse nugas, & vacuos, ac sine mente sonitus. Sed credo hîc, *canticum amatorium, & musicum* aliquid sonare nuptiale, puta epithalamiũ, qualia sunt cãtica canticorum, quæ à Psaltriis in re nuptiali, ac coniugali cantantur. Carmen autem illud lætitiam summam indicat, vt res ipsa suadet, & probat illud Ieremiæ cap. 25. v. 10. qui cùm mœrorem populo, & lugubre silentium indicit; nuptiale carmen, & amatorium audiendum esse negat. Perdam, inquit, ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocẽ sponsæ. Idem etiam dixerat c. 7. v. 34. Exultabant igitur Iudæi ad Ezechielis verba, perinde, ac si nuptiales peragerent, ac geniales dies; & onus illud horribile, quod acceperant, aliorsum, quàm oporteret, interpretati, vertebant in canticum, quod adolescentuli leuiculi, ac comptuli, & garrulæ, atque inuerecundæ mulierculæ, ad lyram concinebant coactum in molles, ac prurientes numeros. 34.

35.

Vers. 33. *Cum venerit quod prædictum est.*] Exultant modò, cantántque, quia nihil sibi impendere putant mali, cùm somnia censeant, non oracula verba Prophetæ. Sed cùm compleri videant quæ nunc deliramenta interpretantur, cognoscent, ô Ezechiel, inesse tuis verbis pondus, & fidem, & te Prophetam esse, non veteratorem, & nugacem. 36.

Prouerbium Canticum nuptiale.

Ecce enim venit.] Nempe nuncius, de quo suprà: nã cùm hæc accepisset Propheta, quarta die mensis ad vesperam, die quinta, vt habes vers. 21. accessit nuncius, ex quo verum esse cognouerunt Iudæi, quod antea quasi falsum conuitiis, ac sibilis exploserant. 37.

IN CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

ARGVMENTVM.



XAGITAT hoc caput, & pungit illos, qui cùm pastoris sibi nomen arrogent; nihil tamen aut faciunt, aut cogitant minus, quàm quod officiũ decet pastorale. Dum enim suorum commoditati seruiunt, & genio nimis immoderatè, atque intemperanter indulgent, extenuari sinunt infelicem gregem, & lacerari à belluis: neque illi ea præstant officia, quæ expectari solent à sedulo pastore. Quare & illis grauia minatur, & à se gregem illum curandum esse molliùs promittit. Deinde in potentiores homines de populo duriùs inuehitur, quos hircorum nomine coarguit; quia sibi optima ex omnibus,

bus delibant; & quæ ipsi, quia neque ad stomachum, neque ad voluptatem necessaria, contemnunt, sic turbant, ac proterunt; vt infirmioribus fastidio potius futura sint, quàm vsui. Denique optimum pastorem venturum esse dicit, Christum nempe, qui pastoris boni forma sit, & exemplar. Quàm verò ipsius tempore felicia futura, & fœcunda pascua, quàm fortunatum pecus, atque securum, eleganter docet.

CAPVT XXXIV.

1. *ET factum est verbum Domini ad me, dicens:*

2. *Filij hominis propheta de pastoribus Israël: propheta, & dices pastoribus: Hæc dicit Dominus Deus: Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nónne greges à pastoribus pascuntur?*

3. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis.*

4. *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, nō sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.*

5. *Et dispersæ sunt oues meæ, eo quòd non esset pastor: & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt.*

6. *Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso: & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret.*

7. *Propterea pastores audite verbum Domini.*

8. *Viuo ego dicit Dominus Deus: quia pro eo*

PARAPHRASIS.

A 1. POst hæc iterum locutus est ad me Dominus, & dixit:

2. Fili hominis ad illos nunc vaticiniū cōuerte, qui duces sunt, & pastores Israël, contra falsos videlicet prophetas; contra sacerdotes, atque eos quorum consilio res administratur Iudaica, & illis meis verbis ac nomine dicito: Væ pastoribus Israël, quibus nudum est, & vacuum pastorum nomen! cùm enim gregibus pascendis pastores inuigilent, suæ prorsus commoditatis, aut quietis immemores; illi tamen contempto grege, suiipsorum genio immoderatè indulgent, & compen-
B dium captant è pecorum dispendio.

3. Sumebatis è pecore, ô non tam pastores, quàm pastorum inane simulacrum, quod vobis esse poterat non ad vsum solùm, sed etiam ad delicias. Ad cibum, & potū premebatis vbera; quod magis erat medullatum, & pingue mactabatis; ad tegumentum, & ornamentum nudabatis gregem à molli, naturalíque vestitu de reliquo non putabatis esse laborandum.

4. Neque defuit, in quo spectari posset vestra sedulitas, cùm variis modis grex vobis commissus laboraret: debiles erāt,
C atque infirmæ oues; neque tamen curastis, vt vires assumerent, vt constanti, ac firmo incederent ingressu. Ægrotæ item, & morbidæ; neque tamen commodâ leuastis medicinâ. Fuere in gregibus confracta, atque luxata membra; neque tamen à vobis alligata sunt. Quod à grege seu caulis deerrauerat, non reduxistis, ne separatum lupis esset prædæ. Quod denique perierat, non inuestigastis; neque ostendistis in curando grege sedulum, & mollem; sed seuerum, durum, & imperiosum animum.

5. Ex hac porrò incuria, atque secor-
D dia id consecutum est infortunatum pecus, vt per varia dissiparetur loca, & belluis foret voracibus præda.

6. Errauerunt greges per omnes montes, & excelsos colles incerti, & vagi, & per omnes terras latè dispersi; neque erat vllus, qui dissipatos cogeret; nullus, inquā, erat, qui quæreret errantes.

7. Propterea, ô vanæ pastorum vmbræ, audite quid per me vobis nunciatum esse Dominus velit.

8. Viuo ego, dicit Dominus; quia greges

eo quòd facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quòd non esset pastor (neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum) sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant:

9. *Propterea pastores audite verbum Domini.*

10. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos vt vltrà non pascant gregem, nec pascant ampliùs pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltrà eis in escam.*

11. *Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas.*

12. *Sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis:*

13. *Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suã: & pascam eas in montibus Israël, in riuis, & in cunctis sedibus terræ.*

14. *In pascuis vberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israël erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël.*

15. *Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.*

16. *Quod perierat, requiram, & quod abiectum erat, reducam, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiam: & pascam illas in iudicio.*

17. Vos

A ges meos leones rapiunt, ac lupi: & oues meas belluæ dilacerant, & vorant; quia pastore carent, qui in eorum custodia sedulas agant excubias: nam qui pastorum sibi nomen arrogant, pastores non sunt, cùm nihil minus curent, quàm de grege, in eam vnam curam intenti, vt suis commodis, ac voluptatibus indulgeant; vt seipsos pascant, & nullo modo gregem.

9. Idcirco, ô pastores, non pastores, sed solertissimi vestrarum cõmoditatum aucupes, audite quod à Domino de vobis
B oraculum accepi.

10. Ecce ego, dicit Dominus, de pastoribus, exigam seueram rationẽ ab illis de grege suæ fidei, atque custodiæ commisso; & quicquid sua negligentia perierit, ab illis exigã, & ab studio, ac pastorali nomine summouebo; ne dum simulant velle se pascendo gregi studium impendere, sibiipsis pascua, atque delicias parent. Denique liberabo gregem meum ab illorum voracitate, atque laceratione, perinde atque si à lupo liberem, atque leone.

C 11. Quia ego ipse, dicit Dominus, quæram oues meas dissipatas, ac perditas, & visitabo illas, non solùm vt amans, & prouidus pastor; sed etiam vt acer iniuriarum vindex.

12. Sicut post noctem procellosam, & obscuram; in qua dissipari solent greges à lupis vespertinis, qui tempus illud obseruant agendis prædis opportunum, illucescente die dispersum gregem visitat, & congregat: sic ego, dicit Dominus, visitabo oues meas, & colligam de locis omni-
D bus, in quæ illas dira tempestas, & nocturna caligo disiecerat.

13. Educam igitur de populis, ac regionibus, in quas fuerãt à turbine, atque procella depulsæ; & antiquæ terræ, & pabulo restituam: montibus videlicet Israël, & pascuis prioribus, quæ pinguia reddit, & fœcunda familiaris riuus.

14. Pascam igitur illas in vbere, perpetuóque vernanti pabulo; in pabulo, inquam, salubri, ac pingui, quod perpetuò
E viret in excelsis montibus Israël. Ibi suam habebunt stabulationem, & quietem; ibi in herbosis, ac virentibus pratis, in pascuis lætis, atque fœcundis pascentur, non alieno in solo; sed in montibus Israël.

15. Ego pascam, & moderabor gregẽ; ego, inquam, ipse ad caulas, & stabula deducam, dicit Dominus.

16. Atque ita me geram in pascendo grege, vt pastoribus aliis pastoralis curæ documenta præbeam; quæram enim quod perierat, & aggregabo rursus ad gregem, quod deerrarat lõgiùs, & proximum videbatur esse periculo, ad septa cogam. Quod

confra

A confractum fuerat, alligabo fasciis, & obuoluam; quod infirmum, solidabo, confirmabóque, curabóque ne quod robustũ est, ac pingue, aliquid patiatur aduersum. Neque enim temerè pascam, sed prudenter; separabo namque quæ sana sunt à morbidis, & pro cuiusque necessitate variam adhibebo custodiam, & pabulum.

17. Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego iudico inter pecus & pecus, arietum, & hircorum.

17. Adhibebitur enim, ô greges mei, dicit Dominus, aliquod in pascẽdo discrimen; neque omnes eodem habebo numero, ac loco, alios indulgenti ac molli, alios
B seuera ac dura custodia moderabor: aliter mihi cum arietibus, aliter cum hircis agendum est.

18. Nónne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper & reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: & cùm purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis.

18. Vobiscum nunc ago, viri potentes, & gregis non tam pastores, quàm prædatores lupi, quos hircos appello. Nónne satis vobis fuit, in pabulis vagari pinguissimis, nisi etiam quæ vobis necessaria non erant, sed omnino superflua, aut conculcaretis pedibus; aut ita relinqueretis fœdata, vt ab aliis sine nausea gustari non
C possent. Et cùm aquam biberetis illimem, & puram, aliis eam turbabatis pedibus, relinquebatísque limosam, & turbidam.

19. Et oues meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbauerant, hæc bibebant.

19. Oues autem meæ in pabulis pascebantur tum semesis, tum vestro conculcatis, atque fœdatis pede, & illas potabant aquas, quas vestra priùs vestigia turbauerãt.

20. Proptereà hæc dicit Dominus Deus ad vos: Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue, & macilentum.

20. Propterea, dicit Dominus, ecce ego iudicabo, non tamen sine magno discrimine inter pecus, quod quia optima, ac prima delibant pascua, nitidum est, ac pingue; & inter illud, quod quia in pabulis
D stabulatur alieno vestigio conculcatis, macro est, & attenuato corpore.

21. Pro eo quòd lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerẽtur foras.

21. Quia lateribus, atque humeris, omni videlicet artificio, ac modo, toto denique corporis nixu, & cornibus aperta vi infirmiora pecora, ex compascuis locis, communíque pabulo extrudebatis, donec tandem dispersa ex publicis, ac communibus commodis exciderent.

22. Saluabo gregem meum, & non erit vltrà in rapinã, & iudicabo inter pecus & pecus.

22. Propterea ego, qui pauperum sum patronus, & pater gregem meum, illum, inquam, gregem qui exhaustus est, & ma-
E cer, de vestris manibus, quasi de luporum faucibus expediam: neque vlteriùs vobis erit in prædam; neque erit apud me inter vtrumque pecus leue discrimen.

23. Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.

23. Excitabo, ait Dominus, ouibúsque meis custodem præponam pastorem vnũ, qui pro omnibus, ac præ omnibus sit, & in pastorali munere strenuum, & vnicum, Christum videlicet ex Dauidico semine prognatum; ipse pascet oues, ipse, inquam, erit ouium vigilantissimus pastor.

24. Ego autem Dominus ero eis in Deum: & seruus meus Dauid princeps, in medio eorum ego Dominus locutus sum.

24. Ego, inquit Dominus, ero illis Deus, quos oues nominaui, & Christus, qui ex genere orietur Dauidis, erit inter illos:

25. Et

A illos: neque vana erit promiſſio; quia à Deo eſt, qui falli non poteſt.

25. *Et faciam cum eis pactum pacis, & ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra: & qui habitant in deſerto, ſecuri dormiẽt in ſaltibus.*

25. Et paciſcar cum illis fœdus nouũ, quod pacem ipſis, & trãquillitatem inducet. Neque erunt vltrà feræ, ac peſtilentes belluæ, quas vſque adeò lex illa noua exterminabit è terra, vt qui in deſertis habitẽt, atque ſylueſtribus locis ſomnos ducãt abſque vlla formidine ſecuros, & longos.

26. *Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem: & deducam imbrem in tempore ſuo: pluuiæ benedictionis erunt.*

26. Et quemadmodũ Iſraëliticum populum ab exilio reſtitutũ in ſublimi monte collocaui, & largam illi benedictionem B in eius circuitu impertitus ſum: ſic populum, quo cum fœdus percutiã nouum, in ſublimi Eccleſiæ colle conſtituam, ibíque largam benedictionem impertiam. Demittam ſuo tempore cœleſtem imbrem, imbrem, inquam, non procelloſum, & inimicum qui ſternat, ac diſſipet; ſed benignum, qui riget, atque fœcundet terram.

27. *Et dabit lignum agri fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & erunt in terra ſua abſque timore: & ſcient quia ego Dominus, cùm contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium ſibi.*

27. Cœleſtis illa, benigna, atque opportuna pluuia efficiet, vt arbor ſuos fundat fructus, & terra acceptũ ſemen cum vſura rependat. Neque erit vllus metus, qui illorum conturbet pacem, aut otium. Tunc C autem cognoſcent Deum eſſe me, cùm catenas, quæ illorum collo iugum illigarant, confregero; & à dominorum crudelium imperio vendicauero.

28. *Et non erunt vltrà in rapinam in Gentibus, neque beſtiæ terræ deuorabunt eos: ſed habitabunt confidenter abſque vllo terrore.*

28. Non ex illis ampliùs prædas agent Gentiles; non belluæ lacerabunt, & comedent; ſed ſine vlla ſollicitudine, ac metu in datis ſibi poſſeſſionibus habitabunt.

29. *Et ſuſcitabo eis germen nominatum: & non erunt vltrà imminuti fame in terra, neque portabunt vltrà opprobrium gentium.*

29. Quia ſuſcitabo ex ſtirpe Dauidica, ac regia illuſtre germen, cuius celebre erit, atque glorioſum nomen, quod id præſtabit populo iam meo, vt neque laboret fa- D me; neque opprobrium ampliùs à Gentilico populo ſuſtineat.

30. *Et ſcient quia ego Dominus Deus eorum cũ eis, & ipſi populus meus domus Iſraël, ait Dominus Deus.*

30. Ita vt ex ea beneuolentia, rerúmque ſucceſſu cognoſcant & Deum eſſe me, & ab ipſis non abeſſe; & ſe eſſe Gentem, & præcipuo quodam modo meæ fidei, ac patrocinio commiſſam.

31. *Vos autem greges mei, greges paſcuæ meæ, homines eſtis: & ego Dominus Deus veſter, dicit Dominus Deus.*

31. Neque id veſtra ſolertia, ac viribus faciendũ eſt: quid enim ab humana virtute, qualis eſt veſtra, ſperari poſſit eximium. Ego Dominus Deus veſter, pro vobis, qui meus eſtis grex, ego ipſe præſtabo, dicit Dominus.

Verſ.2. *Propheta de paſtoribus Iſraël.*]

1. MVLTA hactenus contra populum, tam qui captiuus agebat Babylone, quàm qui Hieroſolymæ remanſerat. Nunc ſeorſum contra illos agit, quibus communis loquendi modus paſtorum nomen, & titulum accommodat. Contra pſeudoprophetas, & ſacerdotes, & qui Regibus fuerunt à conſiliis, quorum ſiue ſomniis, ſiue blanditiis E abducti reliqui, alij aliter, omnes tamen fuerunt aut vexati durè, aut occiſi crudeliter.

Væ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos, nónne greges à paſtoribus paſcuntur?] Faciebant hi non tã paſtores, quàm paſtorum idolum, contrà quàm ipſorum muneris ratio poſtulabat. Eò enim videntur intentæ curæ paſtoritiæ, vt bene cum gregibus agatur, vt pinguia ſint, & opportuna 2. *Paſtor bonus quis.*

paſcua,

pascua, ne quid sit debile, ne quid morbidum, ne quid vulpinæ calliditati, aut lupinæ voracitati propositum. Ipsi verò de se aut curant modicè, aut certe id sibi honori esse ducunt, vt tota cura in pecoris custodiam collata, suiipsorum obliti videantur. At hi pastores Israël suis magis commodis inuigilant, quam pecoris commoditati, ac pabulo: qui quod onus esse debuit, ad delicias inuertunt, & compendium captant è pecoris dispendio.

Lac non esculentum solùm, sed etiam poculentum.

3. Verf.3. *Lac comedebatis.*] Comedere, vt reor, hoc saltem loco, non solùm indicat quod esculentum est, sed etiam id quod poculentum. Nam lac tam olim in Palæstinæ tractu ad potũ, quàm ad cibum adhiberi solitum. Id docet suprà Propheta cap.25. v.4. *Ipsi comedent fruges tuas, & ipsi bibent lac tuum.* Vide quæ ibi diximus, & adde illud 1.Cor.3. *Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi.* Hi ergo pseudopastores quicquid ad vsum, atque delicias humanæ vitæ videbatur nõ necessarium solùm, sed opportunum, sumebat è gregibus. Ad cibum, & potum premebat vbera, lacerabat carnes: ad tegumentum, & ornatum nudabant oues à naturali vestitu; & dummodo hæc non abessent, de reliquo non putabant esse laborandum.

A pastore quid curandum in grege.

4. Verf.4. *Quod infirmum fuit, non consolidastis: quod ægrotum, non sanastis.*] Multa de ouium morbis, eorúmque medicina tradunt auctores de re pecuaria, ac rustica, quæ hoc loco repetere necessariũ non est. Ad tria tamen genera cogit hìc Propheta; aut enim pecus infirmum, aut ægrotum est, aut in eo pars aliqua confracta. Infirmum dico quod debile est, cõtusum, luxatum, eius denique modi, vt neque versare se commodè, aut expeditè mouere possit. Hoc à seduio pastore consolidatur, id est, ad eam firmitatem, & robur adducitur, vt oues celeri, atque constanti ingrediantur incessu; neque propter tarditatem à toto grege separatæ, prædæ sunt lupis. Ægrotæ dicuntur oues, quæ peculiaribus afficiuntur morbis, de quibus Maro lib.3. Georgicor. ab illis verbis,

Morborum quoque te causas, ac signa docebo.
Turpis oues tentat scabies, &c.

Vbi etiam docet quid tunc sedulus pastor sanandis gregibus adhibere debeat medicinæ. Iam verò fractum vim aliquam indicat externam, quæ crura frangit, aut ossa comminuit, quod interdum accidit ab irato pastore, qui saxo, aut baculo impatienter proiecto crura suffringit. Hæc autem alligari solent, & eo subsidio, quæ soluta fuerant, coalescunt, & quasi coagmentata roborantur. Sed nihil horum præstitere, qui nomen sibi sumpsere pastorum, à cura tamen pastorali toto aberrabant cœlo. Hic ad extremum obseruandum, *Infirmum, ægrotum, confractum, abiectum,* terminationem habere fœmineam, vel quia hìc intelliguntur oues, aut quia cùm Hebræi genere careant neutro, pro illo plerumque terminationem adhibent fœmineam.

5. *Sed cum austeritate imperabatis, & cum potentia.*] Solidare infirma, sanare morbida, alligare confracta, & quæ perierant, inuestigare, & ad septa reducere, seduli est mollis, atque amantis animi, & eius qui non imperare vult gregi, & illorum vngulas dissoluere, quod de pastore stulto dixit Zacharias cap. 11. sed se totum ad fidelem gregis custodiam, eiúsque commoditatem attemperare. Illi tamen pastores longè aberant ab illa molli atque fideli cura; cùm austeros se potiùs, & crudeles præbuerint, maluerínque potentiã ostentare, atque imperium, quod tyrãnicum aliquid, & barbarum olet; quàm humanum, ac piũ, quod paternũ est, atque amantis animi. Hìc, vt vides, nonnihil recedit à metaphora, dum à pastore sermonem ad tyrannum, seu dominũ traducit; quod in longa præsertim allegoria frequenter accidit, vt notauimus in nostris commentariis in Isaiam cap.22.n.45.

Verf.5. *Et dispersæ sunt oues meæ eo quòd non esset* 6.
pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri.] Ex pastoris incuria id consecuti sunt infausti greges, vt per varia dissiparentur loca, & belluis fierent voracibus prædæ. Quo sensu hæc accipienda sint, spiritualine, an corporali, dubiũ est, id est, an de Iudæorum fuga, vel interitu, qui Chaldæorum armis aut interfecti sunt, aut in varias regiones latè dispersi; vel de idololatria, ad quam dum pseudoprophetarum rationibus, & principum exẽplis abducti, dilapsi sunt, obierunt religionis ergò montes, & rupes, vbi impiæ excitabãtur aræ, vbi à belluis, videlicet spiritualibus, à dæmonibus nempe quos colebant, deuorati sunt.

Mihi primùm videtur sermonem hìc esse pro- 7.
ximè de cæde, ac fuga Iudæorum, quam vrgente Chaldæo subierunt: quod putat Chaldæus paraphrastes, & Hugo. Tunc enim reuera dispersi sunt, & in fuga grauia perpessi, & dum in montibus oberrarent incerti, & vagi, à belluis occisi perierunt. Quæ ita accidisse, vt verba ipsa primùm obiiciunt, habes capite præcedẽti, verf.27. *Qui in ruinosis habitant, gladio cadent; & qui in agro est, bestiis tradetur ad deuorandum.* Nihilominus puto allegorico sensu, seu accõmodato, de Iudæorum spirituali dispersione, ac plaga videri hanc institutam esse querimoniã: de qua multo magis, quàm de corporali dolet, ac queritur Deus. Quod probant aliqua ex sequentibus; illa præsertim, quæ de pastore Christo loquuntur verf. 23. De quo sensu accepisse videri possunt, qui hìc aliquid spirituale vident, Theodoretus, Dionysius, Lyra, quod non improbat Hugo. De corporali igitur dispersione, ac fuga interpretabimur hunc locum, in quo difficultas maior est: quod attinet ad spiritualem, à spirituali pastore neglectam, ac proditam, non erit postea consideratio, aut applicatio difficilis.

Ait igitur Deus dispersos esse greges, & deuoratos siue reuera à feris, quæ in lustris habitant, locísque syluestribus; siue ab hostibus, finitimísque populis, qui nihilo belluis mitiores fuerunt ingentem vagam, & extorrem, quæ ad ipsorum vmbram, extrema, ac desperata fortuna confugerunt.

Eo quòd non esset pastor; neque enim quæsierunt pa- 8.
stores mei gregem meum.] Quod inutile est; neque id assequitur, aut præstat, cuius causa institutum est, perinde habetur, atque si nunquã fuisset; quomodo si ægro corpori nihil attulit opis admota medicina, nullam fuisse medicinam, si consilium aut inutile, aut non admissum nullum fuisse cõsiliarium arbitramur, & dicimus. Sanè in Scriptura sæpe non audiisse dicimur, licèt in auribus nostris millies personuerint; quæ millies audita nullum tamen nobis vsum attulerunt. Sic ergo quia pastoris munus commissi gregis commoditati seruit, qui nullam præstat, aut inutilem operam, quia aut stultus est, aut segnis, aut voluptati, aut auaritiæ plus satis indulgens; is iure optimo negatur esse pastor. Quare simpliciter affirmat Deus nullum fuisse pastorem; qui si quis illud sibi nomen assumpserat, sua potiùs ipsius, quàm suscepti gregis commoda captabat.

REGVLA. *Quod inutile est perinde habetur ac si non esset.*

9. Vers. 10. *Ecce ego ipse super pastores. Requiram gregem meum de manu eorum.*] Quid sit ab aliquo, seu ab alicuius manu, alterius sanguinem requirere, explicuimus suprà ad illud cap. 3. *Sanguinem eius de manu tua requiram*, id est, sanguinem lues pro effuso sanguine; dentem pro dente; animá, pro anima. Horribiles planè minæ, quæ si cuiuspiam animum non concutiant, aut frangant, næ ille sensum, ac mentem abiecisse iudicari potest. Vt autē à pastore, cuius opera mercede conducta est, si quid è grege periit, id totum à gregis domino seuerè exigitur; sic etiam ab animarum pastoribus, si in suo munere præstando dormierint, exigentur, qui sua culpa perierunt, è gregibus; quare animum pro animabus impendent, & cum morientibus ipsi etiam pariter commorientur. Grauiter hac de re, atque horribiliter Patres. Audi Gregorium lib. 24. Moral. cap. vltimo de Prælato. *Qui regendis subditis præest, reddendæ apud Deum rationis tempore, tot, vt ita dicam, animas habet.* Pascebat Iacob alienas oues; neque inertem nauabat, aut parum strenuam operam illarum custodiæ; quicquid tamen peribat, cùm nihil tamen amissum esset pastoralis officij, luebat tamen Domino, cui suam operam antè locauerat. Gen. 31. v. 39. *Nec captum a bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quicquid furtim peribat, à me exigebas.* Quod hîc in re pecuaria dependere cogebatur Iacob, tantum nempe, quantum è grege periisset: sic in spirituali grege vereri iure optimo possunt prælati, ne quantum valet anima, quam sua negligentia perdidit, de suo dependere cogantur, id est, animam, pro anima. Hæc enim potest esse in tam graui iactura compensatio.

Horribile prælatorum periculum.

10. *Cessare faciam eos ne vltrà pascant gregem.*] Summouit Dominus hos pastores, seu pastorum muta simulacra a pecorum custodia, cùm rem strauit, ac perdidit Iudaicam. Illorum enim qui pastores appellari poterant, multi fame, ac peste in obsidione, alij ciuitate capta, & ferro liberè grassante perierunt. Alij palabundi, ac profugi in gladium tandem hostilem incurrerunt, Sedecias videlicet; & alij Principes, qui vocari potuere pastores. Ierem. c. 52. v. 10. & eodem cap. v. 24. Sacerdos summus Saraias, & sacerdotes alij, vtrique principes trucidati dicuntur. Qui verò ex obsidione, ac cæde reliqui fuerunt, sic iactati fuerunt à Babyloniis, vt nullo in pretio haberi potuerint etiam ab his, quibuscum exauctorati iam, & exules viuebant, de quibus Ierem. Thren. c. 5. v. 12. *Principes manu suspensi sunt, facies senum non erubuerunt.* Hæc puto, quæ facta commemorat Ieremias, hoc loco futura vaticinatur Ezechiel. Neque enim iam ampliùs pastores illi, qui reliqui fuerunt è cæde, è grege olim à se per calumniam, & simulationem spoliato, quicquam poterunt captare compendij.

11. *Et liberabo gregem meum de ore eorum.*] Pastores hi in vestimentis veniunt pastoralibus, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; aut leones, qui fremitu terrent, & vngue discerpunt infaustum pecus. Quare, vt ex lupi, seu leonis faucibus hædum extrahimus, & agnum iamiam conficiendum, seu deuorandum; sic ex horum pastorum ore liberandus dicitur à Domino grex suus, à quibus non leuiora timere poterat, quàm si in hiantes illarum ferarum fauces incidisset. A quibus idem propè passus fuerat, quod Amos cap. 3. de leone tradit, è cuius ore Deus eruisse videtur duo crura, aut extremum auriculæ.

Vers. 12. *Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum.*] 12.
Visitatio vox est ambigua, quæ modò aliquid valet ab offensione natum, quomodo Deus visitare dicitur, id est, punire hominum peccata; seu à beneuolentia profectum, quomodo Lucæ cap. 2. Deus visitauit Elizabeth; quam in senectute auxit, atque exhilarauit oblata prole. Visitatio verò à pastore beneuolo varia est; prout est malè iactati gregis varia necessitas. Quare aliter visitat pastor infirmam ouem, aliter ægrotā, aliter illā, in qua aliquid fractum, aut comminutū est: aliā enim consolidat, aliam sanat, aliam denique alligat, vt quæ confracta, ac dissoluta fuerant, coagmentata coalescant. Nunc visitabit populū eo modo, quo pastor oues visitat, quas vel luporum nocturna fames, vel feritas leonum, vel subitò concita tempestas variè dispersit. Vt enim pastor dissipatas oues ad vnum cogit, & congregat ouile: sic Deus dissipatum populum ad pabulum reducet notum, & antiquas caulas, ad fines nempe promissæ terræ, vnde ad alias, atque alias regiones variè diffluxerant.

Visitatio vox ambigua.

In die nubis, & caliginis.] Metaphoram persequitur pastoritiam, varia greges inhorrescente, atque tonante cœlo patiuntur. Primùm in eodem loco, licèt aprico alioqui, & opportuno cōsistere non solent; sed ita feruntur aliô, atque aliô diuersi, vt non gregem putes, sed dissipati gregis, atque lacerati reliquias. Accedit, quòd nocte frequentiùs greges adoriuntur lupi; vnde sæpè in Scriptura sacra dicuntur vespertini, quia id tutius faciunt, quàm interdiu. Neque nocturnæ tenebræ impedimento sunt, cum noctu videant (vt est communis illorum sententia, qui de natura disputant) intempesta etiam nocte, ac silente luna. De quibus Ælianus lib. 10. cap. 27. *Acerrimis, atque acutissimis (lupus) præditus est oculis. Enimverò in intempesta nocte, vel luna ipsa silente lucis vsura perfruitur. Et tametsi omnibus tenebræ offunduntur, non huic tamen lux eripitur.* De nocte, ac caligine, quam lupi captare solent dum prædæ inhiant, multa dicunt externi. Propertius lib. 4. 13.

Lupi nocte vident, & agunt prædas.

Et sua nocturno fallere terga lupo.

Et Statius primo Thebaid.

——rapidi sic agmine mixto
Sub noctem cœtere lupi.

Virgilius lib. 7. Æneid.

Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili
Nocte super media.

Sunt sanè lupis, aliisque voracibus feris nocturnæ tenebræ valde ad captādam prædam opportunæ, iuxta illud Psal. 103. *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant a Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt.* Verùm si tempestas accedat turbida, & à cœlo tonante increbrescat horror, tunc ad prædam lupi audaciores aduolant, vt norunt cum magno pecudum damno, & quotidie experiuntur pastores, à quibus ego id sæpius accepi. Quod etiam Virgilius indicat lib. 2. 14.

——————inde lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit rabies.

Quod videtur ex Homero sumpsisse, qui hoc ipsum leonibus attribuit lib. 10. Iliad.

Perrexerunt ire velut leones duo per noctem nigrā. 15.
Tenebræ, vt suprà cap. 30. n. 4. diximus, statum significant ærumnosum, & tristem, qualis fuit ille, quem populus habuit Iudæorum, cùm obsidione

Tenebræ, & nox pro ærumnoso statu.

dione vrgeretur à Chaldæis. Sed cùm cœlum toto illo tempore nubilum esset, & obscurum; tunc tamen tonare, ac fulgurare visum est, cùm irruperunt in ciuitatem hostes, & omnia flãma, ferróque turbarunt; quæ iuxta metaphorã, quam instituit, aut indicat Propheta, nimbus quidam sunt, & turbida tẽpestas. Tũc ergo dissipati sunt greges in die nubis, & caliginis, id est, Iudæi, aut dispersi in varias regiones intenta fuga; aut ab hoste victore procul à patriis finibus abducti.

16. Vers.13. *Et educam eas de populis.*] Iã se Deus pastorem ostendit, & Dominum gregis, quẽ dissipatum esse dixerat, & proditũ a pseudopastoribus, de quibus suprà. Agit autem historicè de Iudæorum statu, quos ex dispersione, atque exilio, suo tempore, id est, exactis annis septuaginta, in terram promissionis reducet. In qua populi instauratione, rerúmque vicissitudine tempus adumbratur Euangelicum, in quo renouantur omnia; & melior, atque iucundior inducitur viuendi forma, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis in Isaiam in præfatione quadam ad cap.40. vbi in populo ex Babylonica seruitute liberato, & ex diuturnis tenebris ad splẽdorem adducto, designari diximus statum priorem hominum sub dæmonis potestate; deinde verò Christo seruatore, ac vindice ad Ecclesiam vocatum. Quæ autem hîc de posteriore Iudæorum statu, terræque fœcunditate dicuntur, facilè traduci possunt ad Ecclesiam, in qua hęc multo inueniuntur cumulata magis.

17. Vers.14. *In pascuis vberrimis pascam eas.*] Vberrima sunt Ecclesiæ pascua, virentes herbæ, iuges riui, & in toto anno verna fertilitas; quia cœlestibus irrigantur imbribus, & à cœlo hauriunt viuificum influxum. Illius tamen fœcunditatis, atque amœnitatis eximiæ symbolũm est accommodatum terra promissionis, quæ de cœlo spectat imbrẽ, & intentos in se habet diuinos oculos. In illam verò optimè conueniunt, si corticẽ ipsum intueare, & literam nudam, quæcumque hîc à Propheta de terræ delitiis, & pabulorum vbertate dicuntur. Appellatur hæc terra Exod.3. v.8. simpliciter *bona*, sed Num.14. v.7. eo commẽdatur modo ab exploratoribus, quo quæ maxima sunt in suo genere amplificare solent. Vbi enim vulgatus habet, *Terra, quam circuiuimus, valde bona est.* Heb. est, *bona valde, valde.* quod producto botro, quem suspensum è pertica portabant, cum aliis terræ fructibus abundè probarunt. Cui etiam rei argumento, quod de illa terra sæpius auditur, manare, seu fluere lacte, & melle. Sanè Moyses in suo cantico vers.13, eximium aliquid prædicat de regione illa. *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleúmque de saxo durissimo. Butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum*, &c. Hieronymus in cap. Isaiæ 5. nihil scribit esse pinguius terra promissionis. De qua vere possis dicere, quod de regionibus aliis assentatione mendaci fabulantur externi. Ex quibus Horatius in Epod. ode 16.

Terra promissionis vberrima.

Mella caua manant ex ilice, montibus altis
Leuis crepante lympha desilit pede.
Illic iniussa veniunt ad mulctra capellæ,
Refértque tenta grex amicus vbera.

Hoc ipsum nescius de Ecclesiæ tempore cecinit Maro Eclog.4.

Iam duræ quercus sudabunt roscida mella.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta leones.

A Ad hanc ergo regionem opimam, & vberem, reuocandi dicuntur dissipati greges, quos tempestas horribilis ad aliena loca variè dispersit.

Ex hoc loco Iudæi sibi persuadent nõ venisse Messiam, quia neque vident congregatos fuisse Iudæos, quo tempore Christus moratus est in terris; neque habuisse pascua illa virentia, quæ Messiæ tempore promissa sunt Iudæis. Imò eo consilio videtur datus esse Christus vt Iudæorũ gentem dissiparet, & vberrimis illorum pascuis maciem, ac siccitatem induceret. Quia post eius aduentum dissipati sunt ciues, & tantum nõ extinctum Iudæorum nomen. *Verius dixisset Propheta* (inquit Iudæus) *si Christus verus extitisset Messias.* B *Ego dispertiam, vel segregabo reliquias gregis mei, de omnibus terris, & amouebo eos de ruribus suis. Et diminuentur, quotidie pauciores fient; & super eos suscitabo lupos, & comedent eos, & formidabunt, atque pauebunt.* Hæc Iudæi, qui alia plurima Scripturæ loca, quæ idem aut sonãt, aut indicant, in suam cogitationem detorquent. Quæ facile contemnet ille, qui nouerit sermonem esse de Ecclesia, quæ non solùm ex Iudæo, sed etiam ex Gentili coaluit. Neque expectanda esse terrena pabula, sed spiritualia, ac cœlestia, qualia præstitit Christus fidelibus ex omni loco ad Ecclesiæ septa cõgregatis; quibus fœdus pacis, id est, Euãgelium impertitus est, qui ad pacem, & animorum vnitaC tem informat. Vide Finum Hadrianum lib. 7. oppositione 24.

18. *Iudæorum error de aduentu Messiæ.*

Vers.15. *Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam.*] Pastores alij non tam pascunt, quàm lacerant oues, & dum per cautes asperos, & præruptos adigunt silices, illarum vngulas dissoluũt, neque accubare sinunt, aut aliquid sumere temporis ad quietem. Sic sanè de suis ciuibus, qui in malè iactato grege describuntur, lamentabatur Ieremias Thren.5. *Ceruicibus nostris minabatur, lassis non dabatur requies.* Longè tamen aliter pascet Dominus, regétque gregem, quem pastores alij non tam agebant, quàm exagitabant. Vt enim prouidus, atque benignus pastor saturas oues D sub vmbram cogit, aut sub apricum locum, vbi tempore minus ad pabulum opportuno quietẽ capiant: sic bonus pastor Dominus, vbi pabulũ gregibus ad satietatem indulserit, ab eo labore, quem in pascuis perscrutandis susceperant, capiata ad accubitũ opportuna statione, recreabit. 19.

Pastor bonus Christus.

Vers.16. *Quod perierat requiram.*] Desiderabat Deus suprà vers.4. sedulum, atque fidelem animum in pastoribus Israël, qui neque consolidabant infirmum, neque confractum alligabant, &c. Hæc omnia perfecturum se dicit; quia bonus est, atque fidelis pastor, ita vt perfidiæ fides, & socordiæ, ac somno excubiæ, atque solertia respondeant. Quomodo verò hæc Christus E uangelico tempore præstiterit, docet Tertullianus libro de resurrectione carnis cap. 47. & Theodoretus hic in hunc modum. *Quod perierat requiram, & errans reducam, vt Paulum, quique eum sequebantur. Et contritum colligabo, vt publicanum, & meretricem, & latronem, & similes illorum. Et quod infirmum fuerat corroborabo, vt Petrum, qui negauit. Et pingue, & validum custodiam, vt sanctos Apostolos, & eos, qui sibi illorum vitam ad imitandum delegere. Et pascam eas cum iudicio bona subministrans, & cùm opus fuerit, erudiens.* 20.

Optimũ pastorũ munus implet Christus.

Et pascam illas in iudicio.] In iudicio pascit, qui infirma à robustis, à sanis morbida secernit, & pro cuiusque necessitate, ac natura variam adhibet, siue medicinam, & pabulum, siue modera- 21.

Prudentia pastoris, & amor in gregem.

tionem, atque custodiam. Stulti pastoris est, ac minus prouidi patrisfamilias omnes eadē lege, atque eodē ordine metiri, cùm neque vires eædem, neque eadem in omnibus reperiātur ingenia. Bonus pastor Iacob cogebat gregem in iudicio, cùm teneros agnos, & infirmū pecus plus laboris in progrediēdo assumere nolebat, quam illorum patiebantur vires. Genes.33.v.13. sic Iacob ad fratrem Esau, *Nosti domine mi quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum; quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Præcedat dominus meus ante seruum suū, & ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro paruulos meos posse.* Sic Paulus 1.Cor.3.v.2. datum sibi gregem cum iudicio pascebat, *Tanquam paruulis*, inquit, *in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis.* Et Deus ipse cum iudicio, atque admirabili benignitate gregem moderabatur suum, cùm dicebat Isai. cap.40.v.11. *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Hoc puto, quod modò ex Isaia produximus, dicit hoc loco de seipso Deus, cùm in patrios fines, & nota pabula captiuum populum reduxerit. Neque enim temerè, atque promiscuè eodem omnes pondere, ac labore lassabit, aut idem omnibus pabulum impertiet; sed quod cuiusque natura, atque ætas sustinere potest.

Deus alios seuerè, alios molliter pascit

22. Vers.17. *Ecce ego iudico inter pecus, & pecus arietum, & hircorum.*] Hoc etiam pertinet ad iudiciū, ac quo proximè. Vt enim paterfamilias prudēs, & œconomiæ rectæ studiosus, & amator, è seruulorum grege quosdam molliter, quosdam durè, ac parce pro cuiusque meritis accipit, & armentarius rei pecuniæ gnarus, & industrius aliter in lasciuientes hædos, aliter in agnos mansuetos afficitur: sic Deus quia in metaphorico grege varia sunt ingenia, & mores interdum dissimillimi, nō vno omnes pascit, aut moderatur modo. Duas Zacharias, dum pastorem agit, virgas, aut baculos pastorales accepit, c.11. Alteram appellauit נעם *nohham*, id est, decorem; alteram חבל *chebel*, id est, funiculum; illa benignè regit pecus, cui nihil afferre nocumenti potest, quia à summo incurua est, & molliter inflexa, quam Hispani vocant *cayado*, hac vtuntur pastores cùm de pecore durius, atque infensiùs deliberant, cùm videlicet mulgere, tondere, ac iugulare volunt: quæ præferrata est vnco, & ab Hispanis *ganобо* dicitur, à Latinis *pedum*, quia à pedibus comprehendit pecudes, trahítque ad mulctram, siue ad tonstrinam, seu etiam ad cultrum. Quem hamatum baculum iure possis vocare, vt indicat Pholostratus apud Suidam, apud quem καλαῦροψ nominatur, quo sic dicit capi pecudes, sicut hamo pisces. De his virgis vide plura in nostris commentariis super Zachariam ad locum, de quo nuper. Hoc pedum, seu hamatum baculum descripsisse videtur Virgilius Eclog.5.

Dua pastorum virga.

At tu sume pedum, quod me cùm sæpe rogaret
Non tulit Antigenes, & erat tunc dignus amari
Formosum paribus nodis, atque ære Menalca.

23. Ait ergo nunc Deus in pascendo grege aliquid futurum esse discriminis; vtēdum cum aliis virga, quæ decor appellatur; cum aliis verò præferrato baculo, qui vocatur funiculus: quosdam tractandos esse molliter; quosdam acerbè. Constituit autem duo pecudum genera, in quibus maior apparet dissimilitudo, hircos videlicet, & arietes. In illis genus hominum intelligitur petulcum, insolens, inquietum, & vagum, quod, vt suæ gulæ, atque libidini satisfaciat, nihil non tētat, excelsa appetit, ardua, atque prærupta saxa percurrit, à prominente, atque præciso scopulo se suspendit, modò inde aliquid sese obiiciat, quod sensibus in aliquam voluptatem incitatis blandiatur. In arietibus verò alia ratio est: sunt namque mansuetum pecus, quódque facile obsequitur pastoris imperio. Quare Christus iustos ab impiis hac maximè similitudine secernit Matth.cap.25.v.33. *Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dexteris suis; hædos autem à sinistris.* Vt ergo Deus iudicaturus dicitur pastores Israël; sic nunc de gregibus non vno modo, sed cum magno discrimine iudicandum esse dicit; in quibus aliquid peccatum est, quod nempe non est à pastorum inertia, seu malitia; sed ab eorum, qui pecudes appellari possunt, ingenio, plus satis intemperanti, atque improbo. Illud verò, *Iudico inter pecus, & pecus arietum, & hircorum*, sic distingue, *Inter pecus arietum, & inter pecus hircorum.*

Hircus symbolum luxuriosi, insolentis, & vagi.

Vers.18. *Nónne satis vobis erat pascua bona de-* 24.
pasci? insuper reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris.] Quidam hircos cùm aquam biberint, illam pedibus conturbare dicunt: atque ideo non sinere vt alij ex eodem fonte aquam hauriant puram, & elimem. Sed ego apud probatum aliquem auctorem non inuenio. Puto autem in proculcatis pascuis, & in aqua cœnosa, ac turbida, aliquid significari vile, sordidum, ac triste; sicut qui aquam bibit, aut cibum comedit, multo labore, sumptúque comparata, is fel dicitur bibere, & absynthium comedere; quia hæc amara sunt. Thren.3.v.15. *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio, cibauit me cinere.* Bibebant apud Babylonios captiui aquam turbidam, cùm dicebant Thren.cap.5. *Aquam nostram pecunia bibimus*; & panem lapidosum, cùm dicebant ibidem, *Ægyptiis dedimus manum, & Assyriis vt saturaremur panibus.* & iterum, *In animabus nostris afferebamus panem nostrum à facie gladij.* Sic ergo existimo hircos hosce, id est, viros copiosos, & potentes parare sibi delicias non solùm ex propriis, sed ex communibus bonis; cùm autem optima quæque, & suauissima libassent, reliqua, quæ sibi voluptati, atque vsui fore non putabant, aliis relinquebant, aut conculcata, aut semesa, neque illa gratis, sed impenso pretio. Aut certè sic inuiderunt aliis, vt ita relinquerent fœdata, ac turbida, vt nauseam mouerent potius, quàm auiditatem etiam in summa fame. Hoc genus hominum insolens, atque inuidum expressisse videtur Maro lib.3. Æneid. in Harpyiis, quæ Troianorum epulas semesas priùs ita fœdarent, vt illas in summa fame attingere non possent nauseante stomacho,

Aqua turbida pro ærumnosa vita.

At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiúntque dapes, contactúque omnia fœdant
Immundo. Tum vox tetrum dira inter odorem:
Semesam prædam, & vestigia fœda relinquunt.

Et cùm purissimam aquam biberetis, reliquum pedi- 25.
bus vestris turbabatis.] Eadem penè metaphora significatur à potentioribus nihil inferiori turbæ purum relinqui: & quod pauperibus incommodè accidit, id à pedibus superborum hominum prouenire. Sic sanè fecisse videtur diues ille, qui cùm suo sibi genio exquisitis indulgeret epulis, ciborum tamen reliquias, quas ipse

ipse iam abiecisset, mendico, ac supplici Lazaro negabat, Lucæ cap. 16. *Erat quidem mendicus nomine Lazarus, &c. cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.* Hoc planè est, quod reliquum erat victus, aut potius aliis relinquere turbatum, aut fœdatum pedibus.

26. *Turtur aquam bibit turbidam.* Porrò in aqua turbida lugubrem significari, aut angustam fortunam, docet turtur suo iam compare viduata; quæ, vt docet auctor de natura rerum, & cum eo Grapaldus, ea refugit, quæ mœrenti animo aliquid videbatur afferre posse voluptatis. Nam aridos ramos appetit, vbi sedeat, virentes fugit; & cùm aquas amet puras, & elimes, resideátque iuxta fluenta plenissima, Cant. 7. tamen non bibit, nisi ex aqua alis antè turbata. Vide quid nos de turture ad illud, Cant. 2. *Propera amica mea, columba mea.* Talis videtur illorum status, quibus propter tyrannicum superborum ingenium neque pasci licet, nisi ex calcato pabulo; neque bibere, nisi ex aqua ab iniquis pedibus cœnosa, & turbida.

27. Hæc Hieronymus hîc, & Gregorius 1. p. pastoral. cap. 2. ad mores sic accipiunt, qui in ea videntur esse sententia, vt putent hîc in arietibus, & hircis pastores intelligi, id est, doctores, & qui aliis præsunt (contrà quàm nos cum aliis existimamus, & ex ipso textu videtur non obscurum;) sic itaque Hieronymus ad eos, *Concionator & doctor quomodo turbidam reddat scripturam.* qui præsunt, *Nónne vobis satis erat, quòd bonis scripturarum pascuis vescebamini, sed insuper reliquias pascuarum vestrarum conculcabatis pedibus? Et cum aquam eloquiorum Dei purissimam biberetis, reliquas aquas pedibus turbabatis; vt populus meus conculcata à vobis pascua, & turbidas aquas, manducaret, & biberet, & vestro vitio, quod per se bonum erat, corruptum, violatúmque susciperet. Quod & omnes quidem hæretici faciunt, vt carpant eloquia scripturarum, & quantum in se est, maculent. Sed & Ecclesiastici viri, qui dogmatum non custodiunt veritatem, sed de suo corde confingunt, magisträmque habent præsumptionem suam, simili errore retinentur; quia cùm populo persuaserint vera esse, quæ fingunt, & in theatralem modum plausus concitauerint, & clamores, immemores fiunt imperitiæ suæ, & adducto supercilio, libratísque sermonibus, atque trutinatis, magistrorum si-*

28. *Concionator qui suo indulget ingenio, scripturam turbat, atque contaminat.* *bi assumunt auctoritatem.* Præclarè hæc Hieronymus: & sanè quàm verissima, quod experimur nos quotidie cum graui bonorum pudore, atque molestia; & cum maximo aliorum incommodo, & rei Euangelicæ detrimento. Dum enim homines inflati, & vani, ex sacrarum literarum noua aliqua, atque ingeniosa interpretatione sibi blandiuntur; captántque ab admirabunda multitudine approbationem, & plausum, conturbant Euangelium; quod suæ interdum vanitati (proh dolor, & pudor!) seruire faciunt. Et in explicando Euangelio nihil interdum minus afferunt, quàm aliquid Euangelicum. Qui eo sunt ingenio, vt neque ipsi Euangelium bibant nisi turbidum, sua certè vanitate turbatum, neque aliis ex Euangelio pocula propinét, nisi turbata; & quæ ab alio magis, quàm ab Euangelico fonte hausta videantur. Qui mihi camelis *Camelus aquam non bibit nisi prius turbatã pedibus.* animalibus gibbosis, ac turpibus quàm simillimi videntur, qui cùm nacti fuerint aquam crystallinam, & puram; non tamen in summa etiã siti prius ex illa bibunt, quàm turbidam calcando reddiderint. Audi Plinium lib. 8. c. 18. *Sitim & quatriduo tolerant, implentúrque, cùm bibendi occasio est, & in præteritum, & in futurum obturbata prius*

proculcatione aqua, aliter potu non gaudent.

Aliter Gregorius vbi suprà. *Sunt, inquit, nonnulli, qui solerti cura spiritualia præcepta perscrutentur, sed quæ intelligendo penetrant, viuendo conculcant. Repentè docent, quæ non opere, sed meditatione didicerunt. Et quod verbis prædicant, moribus impugnant. Vnde fit, vt cùm pastor per abrupta graditur ad præcipitium grex sequatur. Hinc namque per Prophetam Dominus contra contemptibilem pastorum scientiam queritur, dicens: Cùm ipsi limpidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis, &c. Aquam quippe limpidissimam pastores bibunt, cùm fluenta veritatis rectè intelligentes hauriunt; sed eandem aquam pedibus perturbare, est sanctæ meditationis studia male viuendo corrumpere. Aquam scilicet eorum turbatam pedibus oues bibunt cùm subiecti quique non sectentur verba, quæ audiunt, sed sola, quæ conspiciunt opera prauitatis imitantur. Qui cùm dicta sitiunt, & per opera peruertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt.* Vide quod reliquum est capitis, quia ad institutum maximè facit, & est sanè quàm dignissimum lectu. Augustinus aliter instituit ex hoc loco moralem sensum, & illis accommodat, qui aut aliis inuident, quæ ipsis didicere, aut certè illa alios cum indignatione docent. Sic autem Augustinus tractatu de ouibus, cap. 8. *Pascua Dei bona sunt, & fontes Dei puri sunt, habemus hoc in Scripturis sanctis. Qui sunt ergo, qui quod tranquillum est, inde bibunt; & quod mundum est, inde pascuntur, & conculcant reliquias, & turbant aquam, vt oues aliæ conculcatas herbas accipiant, & aquam conturbatam bibant? Et hoc vtique videtis displicere pastori, qui dicit dum fiunt ista: Ego iudico inter ouem, & ouẽ, ad hoc vtique ne fiãt. Sunt multi, qui tranquillè discunt, perturbatè docent, & cùm habeant doctorem patientem, sæuiunt in discentem. Quàm nos enim tranquillè doceat ipsa Scriptura quis nescit. Venit ergo aliquis, & legit præcepta Dei, legit, & capit, capit tranquillus, de tranquillo viuens, & de viridi, & mundo pascens. Venit aliquis audire ab illo aliquid, indignatur, perturbatur; tarditatem aliquando seriùs intelligentis accusando, turbatum facit minus intelligere, quod potuit audire tranquillus.* Deinde cap. 9. explicationem addit, quæ non longè abest ab ea, quam à Gregorio nuper accepimus. *Est aliud, inquit, in his verbis quod non absurdè potest intelligi, sunt homines, qui putant sibi in bene viuendo sufficere conscientiam; & non valde curant, quid de illis alter existimet, ignorantes, quia cùm homo viderit hominem bonæ conscientiæ, negligentiùs viuentem, & pacem si quil bet, & vbilibet coniungentem, habentem scientiam, quod nihil sit idolum, & tamen in idolio recumbentem; conscientia illius, cùm sit infirma, ædificatur non ad ea quæ perscrutatur; sed ab ea quæ suspicatur. Neque enim homo pater tuus, frater tuus intrare potest in conscientiam tuam, quam nouit Deus. Conscientia tua coram Deo est, conuersatio tua coram fratre tuo, si de te aliquid mali suspicans perturbatus ædificatur ad aliquid faciendum, quod te putat facere, dum sic viuis. Quid prodest, quia venter conscientiæ tuæ hausit aquam puram, & ille de tua negligentia conuersationẽm bibit turbatam. Et audis tales cùm corripiuntur ne ista faciant, respondere nobis, & dicere, Apostolus dixit: Si hominibus placere vellem, seruus Christi non essem. Et hic aquam turbas, pascua conculcas.*

29. *Doctor mala vita bonam doctrinam corrumpit.*

30. *Impatiens doctor turbat doctrinam. Qui cum indignatione & impatiẽter docet, turbidã tradit doctrinam.*

31. *Exemplum malum turbat doctrinã bonam.*

Vers. 20. *Ecce ego iudico inter pecus pingue, & macilentum.*] Hic locus in aliis mihi persuadet sermonem hîc esse non de pastoribus, sed de gregibus, in quibus aliqui sunt pingues, & nitidi; quia quæ in pascuis sunt optima, ac prima delibant; alij macro, atque exhausto corpore, quia pertenue nacti sunt pabulum, illúdque aliorum vesti- 31.

gio conculcatum. Quale verò sit hoc iudicium, non est coniectatu difficile. De iudicio gregis succulenti, & crassi nihil hîc apertè traditur; sed ex dictis facilè quiuis intelliget, nempe auferenda esse, quæ ad voluptatem, & genium abundè carpebantur, & pro omento atque adipe, inducendam esse siccitatem, & maciem. De pecore autem macilento multa dicuntur ad finem vsque capitis.

53. Vers.21. *Pro eo quod lateribus, & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur.*] Potentes illi in hircis significati toto corporis nixu, infirmam plebem, quæ parum habebat ad resistendum virium, ex locis compascuis, id est, ex publicis communibúsque bonis extrudebant. Eleganter autem in eadem semper insistens metaphora, Propheta modos omnes explorat, quibus opprimi solet plebs infirma à potentiori manu. Multis modis armenta sese mutuo pellunt ab aliquo loco; vel cornibus quibus ad vim inferendam, vel propulsandam armantur à natura, quæ adigunt, vel obuertunt in eos, quos fugare, seu vulnerare volũt; vel lateribus, quæ aliorum etiã lateribus admouent; aut humeris, in quibus magna vis est, pulsant, propellúntque quos aut odiosos habent, aut bonorum consortes habere non libet. Dum his modis pauperes profligati, aut pulsati dicuntur, nihil significatur à potentioribus esse prætermittendum, quod aliis offensioni videatur

Quot modis à potentioribus opprimantur infirmi,

54. esse potuisse. Neque arbitror hic amplius aliquid esse quærendum, tametsi in his modis inferendi vim, aliquid possit notari discriminis. Nam qui latus admouet, callidè alterum à loco summouet; quod fieri plerumque solet in media turba clandestino pulsu. In humeris impactis aduersario minus quidem occulta vis est, non tamen prorsus aperta; in cornibus tamen intentis ad vulnus, nihil est simulatum, & occultum, sed vis manifesta, & odium sine vlla tergiuersatione perspicuum. Sic ergo filij huius sæculi, dum astu non possunt, aut insidiis pauperum ad se facultates accersere; per vim rem tentant, & non iam occultis agunt artibus, sed perfligata omnino verecundia ineunt de aliorum fortunis euertendis aperta consilia. Augustinus tractat. de ouibus, cap. 10. sic ad mores. *Humeris,* inquit, *audaces ad impellendum, quia non portant sarcinam Dei: latera mala conspirantes amici, societas pertinaciæ: cornua erecta, elata superbia.*

55. Vers.22. *Saluabo gregem meum, & non erit vltrà in rapinam.*]. Sæpe in Scriptura Deus pauperum se patrem, patronum, ac defensorem vocat, quorum clamores libenter audit, & illorum iniurias suas esse putat. Quare Dauid Psal. 24. vt Deum ad misericordiam inflectat, sibi patronum, ac vindicem asciscat, pauperem se vocat, & vnicum, id est, ab omni hominum auxilio derelictum. *Respice in me, & miserere mei, quia vnicus, & pauper sum ego.* Quia ergo gregem hunc infirmum vexabat, lacerabátque vis, & iniuria, tanquam si præda foret aliorum deliciis, ac ludibrio proposita; ideo Deus suarum dicit esse partium illius suscipere patrocinium, & prædam extrahere ex illorum faucibus, qui bona illorum, qui vim, & iniuriam propulsare non poterant, sua putabant esse commoda.

Deus pauperum patronus, & pater.

56. Vers.23. *Et suscitabo super eum pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid.*] Communis omnium penè interpretum sententia, quibus accedit Augustinus lib. de octo Dulcitij quæst, q. 5. pastorem hunc, de quo tam præclara hoc loco Propheta, esse Christum seruatorem. Vnus, quod ego viderim Hugo, sentit hæc conuenire posse in Iudæorum principem Zorobabel; qui pastor potuit populi vocari, qui sub eo duce in antiqua pabula, id est, Hierosolymam reuocatus est. Qui Dauid meritò vocari potuit, qui hîc si quis alius ex Dauidico genere prognatus est. Sed maiora sunt quæ de hoc pastore vaticinatur, & promittit Propheta, quàm cadere possent in Zorobabel, neque scimus horum pleraque Zorobabelis tempore fuisse completa. Quare hæc sine dubio historico etiam sensu de Christo seruatore intelligenda sunt. Quod etiam putant Hebræi Rab. Salomon, Rab. Dauid, Ionathan Chaldæus, vt refert Galatinus lib. 3. cap. 23. in simili loco Ierem. cap. 30. de quo postea.

Hic nobis explorandum est, an quæ hîc à Deo promittuntur, complenda sint in Iudæorum populo, iam è Babylone reuocato in patriam; vel in Ecclesia à Christo constituta; & bona hæc spiritualia sint futura, vel temporalia. Quidam de Iudæorum populo accipiunt, in quibus sunt Chaldæus, Hugo, Vatablus, Maldonatus. Alij de Ecclesia, in quibus sunt cum Hieronymo, & Theodoreto, Dionysius, & Lyra. Sed hi hoc modo videntur inter se conciliari posse, vt hæc tanquam in vmbra videantur dici de Ierusalem restituta; præcipuè tamen de Ecclesia, quam in illo statu adumbrat Hierosolyma.

Hîc porrò obseruandum, quod in nostris cõmentariis in Isaiam diximus cap. 66. n. 29. vsitatum esse Prophetis non solùm cùm vmbra quædam apparet Euangelicæ lucis ad hanc illico gradum facere, sed etiam si quid contrarium interdum appareat. Vnum accipe, & alterum exemplum. Zacharias cap. 9. vers. 9. cùm egisset de victoria contra Tyrum, & Ascalonem, vbi apparatus bellici, & tumultus descripti, statim cõtraria omnia in Christo triumphatore proposuit. *Ecce,* inquit, *Rex tuus venit,* &c. *pauper, & ascendens super asinum.* Ac si dicat, longè alius erit habitus, atque aspectus Christi, qui pauper ingredietur, & humilis, & tamen quadrigas, & acies inimicorum prosternet. Et idem cap. 13. cùm de falsis prophetis ageret, quos eo nomine parẽtes confixerunt, atque plagarunt, ad verum Prophetam Christum à parente plagatum, atque confixum vaticinium traduxit, dum ait, *Framea suscitare super pastorem meum.* Sic ergo modò cùm actum esset de pastoribus, qui nõ tam pascebant, quàm lacerabant gregem, dum priuatis studiis, ac commodis inseruiunt, sermo ad Christum pastorem traducitur, qui datum sibi gregem à patre, non solùm in vberrimis pascuis abundanter pascet, sed etiam indulgenter, & molliter. 57.

REGVLA. Non solũ cũ vmbra apparet Euangelij, sed aliquid etiam contrarium, ad Euangelium transeunt Prophetæ.

Secundò obseruo nomina maiorum, sine vlla mutatione, ac flexu patronymicè sumi pro posteris. Vnde Christus vocatur *Israel* Isai. 49. quia ex genere Israelitico prognatus pro *Israelita; seruus meus es tu Israel, qui in te gloriabor.* Et beata Virgo Lucæ cap. 1. filium suum appellat Israel. *Suscepit* (nempe Deus) *Israel,* (idest, Israelem, siue Israelitam) *puerum suum.* Vide quæ diximus in nostris commentariis in Isaiam cap. 42. n. 24. sic etiam *Abraham,* pro *Abrahamide* ponitur, nempe Iacob, Actor. c. 7. v. 16. Exempla plura adduximus in nostris commẽtariis super Acta, ad locum, de quo proximè. Quod non solùm apud sacros scriptores, sed etiam apud profanos reperitur. Persius pro *Romano,* seu *Romulide Romulum* adhibuit. Danai 58.

REGVLA. Nomina maiorum sine vlla mutatione patronymicè sũpta.

Dauid pro Christo.

nai passim vocantur Graeci à parente Danao: & Troiani Troes, Teucri, Dardani à parentibus sine vlla nominũ mutatione. Sic *David* pro Christo ponitur, quia ex semine Dauidico natus est. Plura de hoc Christi nomine Augustinus lib. de octo Dulcitij quaest.q.5.& vltima,& tom.9.tract. de ouibus cap. 11. & late Galatinus lib. 3.c.23. Et sunt de hoc nomine alia in Scriptura sacra aperta testimonia.Ierem.c.30. *Seruiem Dauidi Regi suo, quem suscitabo eis*, Oseae cap.3. *Conuertentur filij Israel, & quaerent David Regem suum.* Vbi sine dubio de Christo sermo est. Appellatur iterũ Christus David ab Ezechiele cap. 37. v.24.& iterum vers.25.

39. *Pastorem vnum.*] Idem dixit postea cap.37.v.24. *Seruus meus David Rex super eos: & pastor vnus erit omnium eorum.* Dicitur autem vnus pastor, vt opponat multis, qui dum suis commodis potius, quàm pascendis gregibus inuigilant, illos deglubunt, & perdunt. de quibus Ierem.cap.12.v. 10. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam. dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis.* Et sicut vnus sacerdos, & vna hostia pro sacerdotibus,& sacrificiis multis datus est Christus, vt tradit Paulus ad Heb. cap.7.v.23. Sic vnus pastor Christus, multo quã pastores alij, qui magno numero populo praefuerunt Iudaico, vigilantius, ac melius maiori, atque meliori gregi prouidebit.

40. Sed fortasse illud *vnus*, aliud sibi vult, nempe singularem futurum esse pastorem illum, quo cum nemo pastorum conferri queat; siue studium consideres, atque excubias in pascendo grege; siue gregem ipsum, quem tanti pastoris vigil, fidelisque custodia nitidum reddidit,& pinguem. Quo sensu *vnicum* appellare solemus, qui aliquo gradu neminem habet parem, aut similem. Et quidem quae ad finem vsque capitis dicuntur, eiusmodi sunt, vt ab vno Christi pastore praestari possint. Fuerunt quidem pastores alij seduli, ac prouidi, qui Christum pastorem adumbrarunt; sed obscurè, ita vt rudem imaginem,& mortuam videre te putes, si cum spirante, & viuido prototypo componas. Fuit quidem bonus pastor Abel, & antiquissima omnium imago Christi. Fuit Iacob, qui dum totus in commissi gregis custodiam incumbit, aestu vrebatur, & gelu; & ab eius oculis fugiebat somnus. Fuit item Moyses, qui ne suo deesset pastorali muneri, per loca aspera, & vepribus horrentia gradiebatur, id enim valet *Sinai*, vbi soceri sui pascebat greges. Fuit item David, qui ne quid oues à leone, & vrsa grauiùs paterentur, ipse cum illis colluctatus est; mortem videlicet obiturus alacriter, vt à morte infirmum pecus, & à fortioris hostis faucibus eriperet. Sed hi omnes vmbra quaedam fuerunt pastoris Christi, quae vt affulgente sole dissipatur; sic illorum pastoralis gloria aduẽtante Christo obscurata est. Est enim Christus pastor vnicus, ad cuius accedere praestantiam nemo potest. Quàm verò prouida, quàm vnica futura sit Christi custodia, verba, quae hic sunt iterata tertiò, satis ostendunt. Notum est, epitasim esse in geminata voce, quod si ter geminetur, vt diximus suprà cap.21.ad illud vers.4. *triplicetur gladius*, eximium aliquid,& singulare portenditur. De Christo igitur pastore dicitur, *Qui pascet eas, ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.* Vbi tertiò, vt vides, pastorale munus commendatur.

Qui pastores vmbra Christi.

41. *Ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem: ego autem Dominus ero eis in Deum.*] Optimè hunc locum nobis explicat Augustinus tract.de ouibus, cap. 12. vbi hoc dicendi modo significari dicit personarum distinctionem, & vnitatem essentiae. Coniungit autem his, quae paulo antè dixerat Deus vers.15. *Ego pascam oues meas.* Sic autem Augustinus, *Quis dicebat, ego pascam? certè Deus loquens dicebat, ego pascam. Quomodo non separauit Christum à pascendo cum diceret, ego pascam: sic non separauit Christum à Deitate, cùm diceret, ego Deus. Ecce pastor est Christus, pastor est. & pater: sic Deus est pater. Deus est & Christus; sicut a pastore Christo non separas patrem, sic à Deo patre non separes Christum. Habet cum filio Pater pascendi miserationem. habet cum Patre Filius diuinitatis aequalitatem: sed nisi ita diceret, putares eum esse Patrem, qui est filius. Ergo & ad vnitatem deitatis te admonuit, & ad personarum distributionem, vt quod dicit, ipse pascet, & ego ero illis in Deum, non se separans à filio pascente, nec filium separans a se dominante: & in Patre intelligas Deum filium, & in filio intelligas pastorem patrem.*

Trinitatis indicatur mysterium.

Vers.24. *Et seruus meus David princeps in medio eorum.*] Hîc rursus *David*, pro Christo sumitur, neque locus hîc alia indiget explicatione, quam quae ab Augustino eodem, quo suprà loco, proponitur. *Quare, inquit, seruus meus David princeps in medio eorum? Quia Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis. Princeps in medio eorum; inde & mediator Dei, & hominum: quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. non mediator homo praeter deitatem. non mediator Deus praeter humanitatem. Ecce mediator! Diuinitas sine humanitate non est mediatrix; humanitas sine diuinitate non est mediatrix; sed inter diuinitatem solam, & humanitatem solam, mediatrix est humana diuinitas, & diuina humanitas Christi.* Quomodo Christus vocari seruus possit, docet S.Thomas 3. p.q.20.& ibi Doctores scholastici. Sanè ita vocatur Isaiae cap.42.& cap.49. vbi nos aliqua de hac Christi seruitute. 42.

Christus quomodo mediator.

Vers.25. *Et faciam cum eis pactum pacis.*] Pax in Hebraeorum idiomate abundantiam significat, prosperitatem, & omnia denique quae nobis in votis esse possunt; sed praesertim pax sonat tranquillitatem, & quicquid animos sedat, & à perturbatione vendicat. Haec omnia nobis Euangelium conciliat, quod foedus pacis, seu testamentum pacis vocari potest, quia Euangelium,& id, quod cum Euangelio hausimus, testamentum dicitur, nouum nempe, de quo Paulus ad Colos. 1.v. 20. *Per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quae in terris, siue quae in caelis sunt.* Et ad Ephes.2.v.17. *Veniens enim euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacẽ his qui propè.* Et cùm primùm Princeps hic David in medio hominum esse coepit, cecinerunt coelestes nuncij, *Et in terra pax hominibus.* 43.

Pax quid in Scriptura.

Et cessare faciã bestias pessimas de terra.] Hoc idem cecinit Isaias de hoc ipso tempore c. 11. vers.6. *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum haedo accubabit, &c. & delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo.* Eadem penè repetit cap. 65. in fine. Id autem est bestias pessimas tollere, quia si neque occidunt, neque nocent, iam desinunt prorsus esse pessimae. Id verò de hoc ipso tempore praedicauerunt Sibyllae; vnde sumpsit Virgilius eclog.4. 44.

Temporis Euangelici, pax, & securitas.

Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri
Irrita, perpetua soluent formidine terras.

Et statim magis ad hunc locum,

—nec magnos metuent armenta leones,

 Occidet

Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni. A

45. *Et qui habitant in deſerto, ſecuri dormient in ſaltibus.*] Si belluæ peſſimæ tollendæ, aut cicurandæ, ſunt; conſequens eſt vt quiſque ſecuros poſſit ſomnos capere, vbi illæ plerumque agūt, nempe in ſaltibus, lociſque deſertis. Exiſtimo autem eos qui in deſertis habitant, eſſe Gentiles, qui ideo appellantur pagani, quia pagos habitant, & ferarum in modum ſuo ſe arbitratu potiùs, quàm vlla lege moderantur. Hæc verò ſigna ſunt, vt reor, prouerbialia, quibus pacata ſignificantur tempora; quemadmodum illa Zachar.3. *Vocabit vir amicum ſuum ſubter vineam, & ſubter ficum.* Et Micheæ cap. 4. *Sedebit vir ſubtus vineam ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit qui deterreat.* B

Gentiles cur dicti pagani.

46. Ex his locis argumentum ſumunt ſuo iudicio non infirmum Iudæi, quo probent adhuc expectari Meſſiam: nam ille dicitur inducturus terræ fœdus pacis, & homines etiam in ſaltibus accubituri ſine metu, quia beſtiæ tollentur peſſimæ, nempe peſtilentes, aut feræ; neque iam hoſtes erunt vlli, qui pacē hominibus aut eripiant, aut turbent. Et hoc ipſum vrgent ex illo Iſaiæ cap.2. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres.* Quorum cogitationi reſpondimus in noſtris commentariis in Iſaiam ad locum citatum, & cap.11, ad illud, *Habitabit lupus cum agno,* vbi craſſum, & cæcum illius Gentis ingenium admiraberis.

Iudæorum vana cogitatio de aduentu Meſſiæ.

47. Verſ.26. *Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem.*] Vt reditus ab exilio cum lætitia, & gloriæ figura fuit Eccleſiæ Euangelico tempore conſtitutæ, vt pluribus oſtendimus in præfatione quadam ad cap.40. Iſaiæ: ſic etiam Hieroſolyma typus fuit Eccleſiæ. Nam ſicut ad illam redière captiui ab exilio ſoluti; ſic etiam ad hanc conuenerunt vndecumque populi, qui longè duriore ſeruitute premebantur. Quare quæ propria ſunt Hieroſolymæ, id eſt, Eccleſiæ typicæ, illa ad Eccleſiam veram accommodantur. Erat Hieroſolyma, vt cuique exploratum eſt, in colle ſublimi, cui ideo ſpeculæ nomen datum eſt, id enim ſignificat Sion. Atque ideo Iſaiæ cap.2.v.2. *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes Gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite aſcendamus ad montē Domini.* Sic igitur nunc Eccleſia ad typi ſui ſimilitudinem, collis vocatur Dei. Vt autem in circuitu Ieruſalem, id eſt, in locis antè deſertis, & ſyluarum in modum efferatis, habitarunt Iudæi ab exilio reuerſi; ſic circumſtabunt Eccleſiam, illiúſque fines latè complebunt Gentes, quas varia ſtudia, & multiplex ante religio diſſiparunt. C D

Ieruſalem in loco ſublimi.

48. Illud, *ponam te benedictionem*, dupliciter expono: aut enim *benedictio*, pro *benedicto* ponitur, id eſt, abſtractum pro concreto, quo nihil vſitatum magis. At tunc ſenſus erit, omnibus te bonis cumulabo, id enim ex vſu Scripturæ valet *benedico.* Gen.12.v.2. vbi vulgatus, *Benedicam tibi, & magnificabo nomē tuum, eriſque benedictus.* Heb. eſt ברכה *barachah,* id eſt, *benedictio.* Iſaias cap.19.v.24. *Erit Iſrael benedictio in medio terræ.* Sic hoc loco ponendus dicitur populus benedictio: quia omnibus abundabit bonis. E

Benedictio *bonorum omnium cumulus.*

49. Alter ſenſus eſt ſumptus etiam ex vſu Scripturæ ſacræ, quæ vbi aliquid ſeuerum minatur, ait, talem futuram alicui conditionem, vt in maledictum, & prouerbium ſumatur; quia hæc non niſi ex graui aliqua calamitate prouerbialem induunt figuram. Sic Ieremias c.29. ad populum Iudæorum verſ.18. *Dabo eis in vexationem vniuerſis* A *regnis terræ, in maledictionem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in opprobrium cunctis gentibus.* & ſtatim verſ. 22. ad Achab, & Sedeciam, *Aſſumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iuda, quæ eſt in Babylone, dicentium: Ponat te Deus ſicut Sedeciā, & ſicut Achab: quos frixit Rex Babylonis in igne.* Sic etiam vbi aliquid ſignificat magnum, & omnibus expetendum votis, futurum ait illum cui tale bonum aut ineſſe ſignificatur, aut futurum prædicitur in benedictionem. Sic de eodem populo in eodem ſtatu, in quo nunc ab Ezechiele deſcribitur, dixit Zacharias cap.8. v.13. *Sicut eratis maledictio in Gentibus, ſic ſaluabo eos, & eritis benedictio.* Dicet poſt hæc tempora qui ſibi, aut amico fauſta precatur: B Contingat mihi quod Iudæis ab exilio reſtitutis aut veriùs quod populo ad Eccleſiam vocato. Sic credo Iudæi in nuptialibus ſacris, cùm nouæ nuptæ caſtam, & ingenuam fœcunditatem precarentur, dicebant illud Ruth c. 4. *Faciet Dominus hanc mulierem ſicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Iſrael.* Id credo valet illud Sophon. cap.3. *Dabo vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, cùm conuertero captiuitatem veſtram.* Vtraque videtur explicatio facilis, tu quam voles eligito.

Fœlicitas Iudæorum prouerbialis.

Et deducam imbrem in tempore ſuo.] Duæ pluuiæ in Scriptura maximè notantur: altera temporanea dicitur quæ terram humectat, & diſponit ad ſatum: altera ſerotina, quæ ſata ad ſpicam granúmque perducit; ſi vtralibet harum deſit, ſterilis eſt ager, & fames timetur. Vtramque Deus populo ſuo pollicetur ſiue Iudaico, cùm ad agros patrios excolendos redierit; ſiue Eccleſiæ, cui in illa temporanea, ac ſerotina pluuia omnia tam vſui, quàm votis opportuna promittit. Cùm autem terra promiſſionis irrigua non ſit, ſicut terra Ægypti, ſed ex cœlo expectet pluuiam, à qua tota agrorum pendet vbertas; fit vt inter Iudæos in maximis malis numeretur pluuia deficiens, & ſummum exiſtimetur bonum opportunus imber. Ex quo fiebat vt deſiderium maximum explicetur parœmiali ſpecie ſimilitudine ex terra ſitiente, quæ pluuiam exſpectat. Sic David Pſal.142. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* 50. C D

Duæ pluuiarum genera, tēporanea, & ſerotina.

Pluuia benedictionis erunt.] Eſt pluuia vehemēs, & horribilis, quæ cum fulgurē, ac grandine, non tā ſtillat, quàm vibratur à nubibus, quæ nimbus vocatur, aut procella. Qualis fuit illa, de qua Exod.cap.9. *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram; pluitque Dominus grandinem ſuper terram Ægypti; & grando, & ignis mixta pariter ferebantur.* Aut qualis eſt ille, de quo Prouer.cap.28.verſ.3. *Vir pauper calumnians pauperes, ſimilis eſt imbri vehementi, in quo paratur fames.* Hunc ſanè imbrem deſcripſit Ezechiel ſuprà cap.13. v.13. *Erumpere faciam ſpiritum tempeſtatum in indignatione mea: & imber inundans in furore meo erit,* &c. Alia eſt pluuia mollior, atque benignior, quæ terram irrigat, atque fœcundat; qualem optabat Moyſes Deut.32. v.2. *Fluat vt ros eloquiū meum; quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina.* Hæc Pſal. 67. pluuia vocatur voluntaria, ſiue quiā Deus volens, atque propitius illam immiſit, ſiue quia ad voluntatem, & votum populi laborantis cecidit. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ: infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.* Hæc, vt opinor, eſt quæ nunc pluuia dicitur benedictionis; quæ non ſternit ſata, aut confringit arbores, ſed potiùs complet, & exhilarat terram; ac tandem præſtat, quæ dicuntur ſtatim de ligno fructifero, ac terra germinante. 51. E

Duæ pluuiarum genera, procelloſa & molle.

Verſ.27. *Cùm contriuero catenas iugi eorum.*] Hæc 52.

tanquam,

tanquam in typo contigerunt, quando populus captiuitate laxata, & iugo è ceruicibus excusso respirare cœpit. Tunc enim benignius nactus est cœlum; à quo priùs grandines, ac fulmina hausisse videbatur. Sed hæc in Ecclesiam multo conueniunt magis, cùm Gentes, quæ in illius complexu aggregatæ sunt, vt à duriore seruitute collum subduxere, sic illis multo gratior fuit, magisque pretiosa libertas. Porrò iugi pondus, & seruitutem duram, quæ iugi nomine explicatur, optimè declarant catenæ, quæ iugum captiuorum ceruici implicuerunt. Non enim fuerunt è torto canabe, seu loro, quæ facilè atteruntur, confringunturve; sed ex ferro, quo cum licèt obluctoris diu, non tamen confringes. Quare diuinæ virtutis fuit ferreas confringere catenas, & illi soli adscribenda libertas, quæ captiuo populo tunc primùm affulsit.

53. Vers. 28. *Et non erunt vltrà in rapinam in Gentibus.*] Hæc, & quæ sequuntur ad finem vsque capitis, suadent de Hierosolyma restituta posse hæc accipi, eo saltem modo, quem adduximus, nempe typico. Nam externi populi, vtpote superiores, & violenti captiuorum, ac miserorum bona ad sua ipsorum commoda conuertebant. Quod etiam ante constitutam Ecclesiam de iis, qui in illius se complexum dederunt, affirmari potest, si in Gentibus aut principem tenebrarum intelligas, aut Ethnicos principes, qui subditos populos, qui suo quique modo, tyrannicè vexabant. A qua seruitute verè liberauit, qui cum illis pactum fecit pacis, & ab arenti traduxit, ac salsuginosa solitudine ad vberrima pascua, & virentes herbas, sublatis bestiis pessimis, nempe diabolo, ac barbaris dominis, quibus erant ludibrio, atque rapinæ. Porrò quid sit *non vltrà, non amplius*, & similia, diximus suprà cap. 26. n. 28.

54. Vers. 29. *Et suscitabo germen nominatum.*] Heb. לשם *lasem*. Qui dicendi modus aliquid significat præclarum, & illustre; propter quod in hominum ore frequens est; quod vulgatus sæpè *famosum* vertit. Genes. cap. 6. v. 4. vbi vulgatus *viri famosi*, Heb. est אנשי השם *anse hasem*, nomen verò pro fama sumi satis est notum. Sanè non alio sensu sumitur Ezechiel. cap. 16. v. 14. *Et egressum est nomen tuum in Gentibus propter speciem tuam. Germen* igitur *nominatum*, siue *in nomen*, idem est quod famosum, siue eiusmodi, vt admirationem aliis mouere, atque adeò in omnium ore multum esse debeat. Porrò *nominatum*, idem esse arbitror, quod nominabile, aut nominari dignum; quod dicendi genus apud Latinos non infrequens, qui *inuisum* dicunt, quod videri sine molestia non potest; *inaccessum*, quod arduum est, & ascensu superari nequit; & quod non longè abest à re proposita *illaudatum*, quod laudari dignum non est, quomodo Busiris à Marone dicitur. Quare germen nominatum, illud videtur esse quod laudari ab omnibus, ac nominari debeat. Quales e.g. sunt cedri Libani, vites Engadditanæ, & palmæ Ierechuntinæ.

REGVLA. *Participiũ præteriti pro verbali in bilu.*

55. Quidam germen nominatum Christum esse putant; à quo id consequentur greges, vt aliis neque rapinæ sint, neque ludibrio, & vt pabulo vtantur salubri, ac pleno. Quod visum est Hieronymo, Theodoreto, Lyræ, & aliis communiter; & ideo in hanc ego sententiam libentiùs feror. Quòd Christus dicatur germen, res est nota. Sanè de Christo dicitur Isaiæ cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Et clariùs Ieremiæ cap. 23. v. 5. *Suscitabo Dauid* (Dauidi) *germen iustum.* Et, vt pluribus ostendimus super Zachariam cap. 3. n. 25. ad illud, *Ecce ego adducam seruum meum orientem.* In *Oriente* non tam Sol intelligitur, quàm germen, & planta. Quòd si ita capias, quemadmodum accipiunt aliqui non immeritò; illud *&*, quod verbo *suscitabo* præponitur, non puto coniunctiuè, sed causaliter esse accipiendum, in hanc sententiam. Non erunt vltrà greges in rapinam, neque deuorabuntur à bestiis, sed absque vllo metu pascentur securi; quia germen excitabitur ex Dauidica stirpe, Christus nempe, qui illis hæc commoda abundanter impertiat.

Christus illustre germen.

Oriens aliquando non tam solem significat quàm plantam.

56. Vers. 31. *Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ homines estis, & ego Dominus Deus vester.*] In his ego verbis triplicem sententiam inuenio. Illa communior est, quæ statuit his verbis explicari allegoriam; & clariùs exponi, quæ dicta priùs fuerant obscuriùs. Quasi dicat, in gregibus homines, in meipso pastorem intelligo. Ita Hieronymus, Hugo, Dionysius, Maldonatus. Alij credunt, *homines* dici; quia, ex quo Deum pastorem habebunt, & magistrum, pecudes esse desinant, & humano potius modo, quàm belluino viuent. Ita Theodoretus, & Vatablus, vtraque expositio idonea. Sed accipe tertiam. Multa pollicitus fuerat Deus, quæ non videbatur assequi posse infirmitas humana, vt quòd nihil esset timendum à feris, nihil ab hominum rapinis, &c. Hæc Deus ostendit non hominum industriæ, ac robori esse tribuenda, à quibus sperari nihil potest, quod magnum futurum sit, ac perpetuò constans. Atque ideo dicit, *vos homines estis: ego Deus.* Quare à vobis timete omnia; à me cuncta sperate fortunata: & si quid vobis ex voto, aut ex vsu successerit, meæ potiùs benignitati ascribite, quàm vestræ solertiæ. Quare spem excitat, confirmátque desperantes animos, dum se illis adesse pastorem affirmat.

IN CAPVT TRIGESIMVMQVINTVM.

ARGVMENTVM.

CVM angustè premeretur Hierosolyma ab hoste Babylonio, Idumæi, qui iam dudum à primis suæ familiæ sæculis, odio plusquam hostili ab Israele dissederant, exultabant animo, cùm sterni viderent inimicas vires; & sperarent fore, vt noua prouinciæ accessione Idumæum amplificaretur imperium. His igitur Deus excidium minatur per eos, à quibus illi sibi sperabant omnia. Quod sustinebant gaudentibus,

dentibus, atque insultantibus aliis; vt hac etiam in re Idumæorum calamitas Iudæorum calamitati respondeat.

CAPVT XXXV.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:*
2. *Fili hominis pone faciem tuam aduersum montem Seir, & prophetabis de eo, & dices illi:*
3. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te mons Seir, & extendam manum meam super te, & dabo te desolatum atque desertum.*
4. *Vrbes tuas demoliar, & tu desertus eris: & scies quia ego Dominus.*
5. *Eo quòd fueris inimicus sempiternus, & concluseris filios Israel in manus gladij in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ.*
6. *Propterea viuo ego, dicit Dominus Deus: quoniam sanguini tradam te; & sanguis te persequetur: & cùm sanguinem oderis, sanguis persequetur te.*
7. *Et dabo montem Seir desolatum atque desertum: & auferam de eo euntem, & redeuntem.*
8. *Et implebo montes eius occisorum suorum: in collibus tuis, & in vallibus tuis, atque in torrentibus interfecti gladio cadent.*
9. *In solitudines sempiternas tradam te, & ciuitates tuæ non habitabuntur: & scietis quia ego Dominus Deus.*
10. *Et quòd dixeris: Duæ gentes, & duæ terræ*

PARAPHRASIS.

A 1. LOcutus est iterum ad me Dominus, dixitque:
2. Fili hominis, obuerte faciem tuam contra Idumæam, & montem Seir, & de illo vaticinium institue.
3. Et illi hæc meo nomine nunciabis: Ecce ego, ô mons Seir, extendam contra te grauem, & infensam manum; quæ vsque adeò te seuerè mulctabit, vt ex te faciam desertum, & syluam.
4. Excindam vrbes, depulsísque ciuibus, quibus eras frequens, nihil in te præter solitudinem, & syluam relinquam: & tunc cognosces Deum esse me.
B 5. Neque hoc à me sine magno tuo merito infortunium feres, ô Seir; quia æterna odia contra Israelitas à parentibus olim accepta nouis semper inimicitiis alis, atque sustentas. Qui nuper Iudæos, qui Chaldæorum effugerant gladium, excepisti non hospitio humano; sed districto ferro, eósque rursus in eadem discrimina, quæ declinasse videbantur, compegisti. Quo tempore angusta res erat, & afflictio grauis, & extrema illis impendebat fortuna.
C 6. Idcirco per sui nominis maiestatem iurat contra te Dominus, dicítque: Tradam te, ô Seir, cædi quam tibi afferet Chaldæorum gladius; gladius, inquam, te persequetur Babylonius. Odisti cladem, & ferrum, & idcirco Babyloniis contra Iudæos adhæsisti; illorum tamen gladius, & cædes insectabitur, & assequetur te.
7. Quare efficiam, vt mons Seir olim hominum frequentia nobilitatus, excisis vrbibus redigatur in solitudinem; & ab hominum deseratur concursu, qui aut illum adire, aut ab illo redire consueuerant.
D 8. Sperabas, ô Idumæa, præaltos montes, & confragosa, atque prærupta loca tibi futura esse inaccesso perfugio contra vim hostilem; sed eò etiam aspirabit inimicorum vis, & solertia. Colles etenim tui tuorum ciuium consternent cadauera; & valles tuæ, atque torrentes occisorum strage complebuntur: neque locus erit vllus, quem non imbuat, & fœdet interfectorum sanguis.
9. Æternam tibi, ô Idumæa, vastitatem inducam; neque instaurabuntur, habitabuntúrque ciuitates tuæ; & tunc me Deum esse cognosces.
10. Quod supplicium superbia tua dignissi-

terra mea erunt, & hereditate possidebo eas: cùm Dominus esset ibi: A

dignissimum est, sperabas, dicebásque amplificandum esse imperium noua quadam accessione; ita vt non solùm antiquo dominareris populo, quem complent, & nominant Idumæi; sed etiam Iudæa in tuam potestatem redacta; & sub tuum iugum actis Iudæis, duobus iam populis, & duabus item Gentibus imperares. Hæc dicebas spiritu planè insolente, ac fatuo; cùm tamen Dominus esset eo in loco, quem tuo tibi iuri, atque hæreditati arrogabas.

11. Propterea viuo ego, dicit Dominus Deus, quia faciam iuxta iram tuam, & secundùm zelum tuum, quem fecisti odio habens eos: & notus efficiar per eos cùm te iudicauero. B

11. Propterea sui nominis interposita maiestate, ac fide, dicit Dominus: Iuxta iram tuam, & hostilem animum, quem in Iudæorum populum ostendisti; & propter odium, quod in Chaldæorum animis inflammare studebas, ego quoque iratus vicem tibi parem rependam. Tunc autem notus ero populis, cùm per eos, à quibus inire gratiam voluisti; & quorum opera futurum sperabas, vt noua imperio tuo fieret accessio: iudicium de tuo capite feram inimicum, & graue.

12. Et scies quia ego Dominus audiui vniuersa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Israel, dicens: Deserti, nobis ad deuorandum dati sunt. C

12. Quantumcumque verò crasso sis, atque inculto ingenio; intelliges tamen Deum esse me non è ligno, aut marmore cæcum, & surdum; sed verum, & viuum, cuius aures latere non potuere illæ contumeliosæ, atque inclementes voces, quibus montes Israel libero exagitabas conuitio, & deuorato iam anticipata confidentia regno dicebas: Deserti sunt iam Israelitici fines, in quorum possessionem, & prædam nobis iam irrumpere licebit.

13. Et insurrexistis super me ore vestro, & derogastis aduersum me verba vestra: ego audiui. D

13. Neque tantùm ore petulanti, ac libero, populo exprobrastis Israelitico; sed contra me etiam maledicam exeruistis linguam, & de meo honore audacter detraxistis. Quæ omnia ego præsens audiui; neque enim aures habebam aut procul, aut surdas.

14. Hæc dicit Dominus Deus: lætante vniuersa terra, in solitudinem te redigam.

14. Redigam te, dicit Dominus, in vastam solitudinem cum populorum omniũ vniuersali gaudio.

15. Sicuti gauisus es super hereditatem domus Israel, eo quòd fuerit dissipata, sic faciam tibi: dissipatus erit mons Seir, & Idumæa omnis: & scient quia ego Dominus. E

15. Hæc verò faciam æquissimo iudicio, vt paria paribus ex aduerso respondeant. Vt enim tu cùm sternerentur Iudæorum vires, & ciuitas omnium ornatissima æquaretur solo, gestiebas præ gaudio: sic etiam efficiam vt tu quoque exultantibus aliis dissiperis, & pereas. Dissipabitur ergo mons Seir, & vniuersa vastabitur Idumæa; & tunc me Dominum esse cognoscetis.

Vers. 1.

Verſ.2. *Pone faciem tuam aduersùs montem Seir.*]

1. HÆc prophetia eſt contra Idumæos, in quorum regione eſt mons Seir, qui ab auctore, & principe illius gentis ſic eſt appellatus. Eſau enim, ſicut ab edulio rubro dictus eſt Edom, id eſt, Rubeus, vnde ipſius poſteri vocati ſunt Idumæi; ſic quia villoſis erat manibus, dictus eſt Seir. Sumitur autem per ſynecdochem pars pro toto, mons videlicet Seir, pro tota regione Idumæorum. Egit Propheta ſuprà cap.25. à verſ.12. contra Idumæos, egit Abdias, & Ieremias cap.49. a verſ.14. vbi nos de Idumæorum interitu non pauca. Cùm autem Propheta iubetur faciem ſuam obfirmare contra Seir, mandatum accipit, vt aduerſùs illum aliquid fulminet minax, & horribile, ſumpta ſimilitudine ab illis, qui dum manus cum aliis volunt conſerere, aut aliquid dicunt, aut moliuntur hoſtile, è regione conſiſtunt, & faciem iratam, & pectus opponunt aduerſum.

2. Verſ.3. *Extendam manum meam ſuper te.*] Sicut *ponere faciem*, eſt ſeuerum aliquid, & minacem ſermonem in alterum intendere; ſic *extendere brachium* eſt minari alicui, ſeu inſtigere vulnus. Quid verò ex armata, atque intenta Domini manu venturum ſit Idumæis aduerſi, ſtatim exponit, dum ait ciuitates eſſe vaſtandas, & prouinciam totam in ſolitudinem eſſe redigendam.

3. Verſ.5. *Eo quòd fueris inimicus ſempiternus.*] *Æternum, ſempiternum*, & ſimilia non ſemper ſignificant quod aut principium habuit nullum, aut cui nullus eſt terminus definitus: ſed id, quod iam multis ſæculis ortum eſt, aut quod deinceps futurum eſt diuturnum. Fuit autem Idumæus hoſtis Iſraelitarum ſempiternus; quia cùm nondum eſſent nati, ſed adhuc intra materni vteri clauſtra concluſi vtriuſque generis parentes, luctabantur tamen, quaſi de primatu certarent inter ſe, & æterna portendebant odia obſcura, illa, & infantili lucta Gen.cap.25.v.22. *Collidebantur in vtero eius* (Rebeccæ) *paruuli.* Deinde perpetuas exercuerunt inimicitias, de quibus in Scriptura exempla non pauca. Tunc verò maximè oſtenderunt quo eſſent animo in Iudæorum genus, quando nacti ſunt opportunum tempus, vt illos tutò malè poſſent accipere. Et ideo ſubditur,

Idumæorum in Iſraelitas ſempiternū odium.

4. *Et concluſeris filios Iſrael in manus gladij, in tempore afflictionis eorum.*] Heb. תגר *tagher*, à verbo נגר, quod diffluere valet. Quæ metaphora vim habet maximam ad explicandam Idumæorum inclementiam contra profugos, ac ſupplices Idumæorum, quos cùm in extremâ fortuna ſi quis eſſet humanitatis ſenſus, excipere debuiſſent humaniter, illos non ſolùm repulerunt ab hoſpitio, ſed etiam fecerunt vt ipſorum diffluerent animi, & eò, vnde refugerant, reuocati in hoſtile ferrum curſus incurrerent, quòd iam vtcumque declinaſſe videbantur. Id verò vulgatus optimè expreſſit, dum dixit, *Concluſeris filios Iſraelis in manus*, ac ſi dicat, oppoſuiſti te in via, per quam erat Iudæorum reliquiis tranſeundum. Concluſiſti fugam, & in hoſtile ferrum compegiſti. Et hanc eſſe propriam huius loci ſententiam docet Abdias verſ.14. verbis vſque adeò apertis, vt de illa cordato dubitare non liceat. *Neque ſtabis* (inquit ad Idumæos) *in exitibus, vt interficias eos, qui fugerunt, & non concludes reliquos eius in die tribulationis,*

Idumæorum in Iudæos crudelitas.

A quo accepiſſe videtur Ezechiel, qui eadem penè numerat verba. Sunt qui putent filios Iſrael concluſos fuiſſe ab Idumæis, quia illi cum Chaldæis ſimul Iudæis obſederunt, curarúntque ne quis illorum foras erumperet, effugerétque paratam ab inimico cladem: in quibus ſunt Hugo, Dionyſius, & Lyra. Quam explicationem indicant Septuaginta, dum vertunt, *Aſſediſti domui Iſrael in dolo.* Sed ſi rectè conſideres, priorem potiùs explicationem indicant L X X. vt obſeruauit in hunc locum Theodoretus.

5. *In tempore iniquitatis extremæ.*] Sicut *peccatum*, & *impietas*, ſumuntur pro peccati, atque impietatis ſupplicio: ſic multo frequentiùs *iniquitas*, vt cuilibet promptum eſt obſeruare. Hæc porrò iniquitas, ſeu ſupplicium, extrema dicitur, aut quia funditus excidit ciuitatem, & templum, & extinxit omnino Iudæorum gloriam; aut quia B cùm ſæpius Deus afflixiſſet, attriuiſſétque Iudæorum Rempublicam variis Chaldæorum incurſionibus, ad extremum contriuit eo tempore, quo Idumæi magis exprompſerunt ſuam in Iſraelitas maleuolentiam.

6. Verſ.6. *Sanguini tradam te: & ſanguis te perſequetur.*] *Sanguis* à ſigno pro cæde ponitur, vnde vir ſanguinum appellatur homicida. Quare dum ſanguini tradendus dicitur Idumæus, permittendus dicitur hoſtili ferro, à quo id patietur, quod vt Iſraelita ſubiret in cauſa fuit. Dum verò ſubditur, *& ſanguis te perſequetur*, illud *&* cauſalis eſt, & in hanc ſententiam exponi poteſt. Sanguini traderis, id eſt, hoſtili ferro, quia perſequetur & vrgebit ſanguis, quem effudiſti; efficiétque vt alienum ſanginem tu luas. Vt enim clamabat contra homicidam fratrem ſanguis Abel, illúmque ad vltricem cædem aſſiduè vocabat: ſic ſanguis ab Idumæis inclementer effuſus inſectabatur eos, & ad ſimilem caſum adigebat. Porrò ſanguinem clamare contra aliquem; aut, quod idem eſt, eſſe ſuper alicuius caput, frequens eſt dicendi figura Geneſ.cap.4.v.10. Leuit.cap.10.verſ.9. Ioſue 1.verſ.12.2.Regum cap.16.

Sanguis pro cæde & ferro.

7. *Et cùm ſanguinem oderis, ſanguis perſequetur te.*] Duas hìc expoſitiones ſubodoror, neque facile ſtatuo, vtram magis probem. Altera eſt, ſi, quod ſæpe accidit, ſanguis pro cæde ſumatur, & tunc hæc videtur informari poſſe ſententia, dum cædem horres, cámque maximè declinare ſtudes, in cædem incidiſti. Quæ ſententia videtur eſſe parœmialis: ſicut ſunt apud profanos plurimæ. Vt *fugiens fumum, in ignem incidi*, & illud tritum, *Incidis in Scyllam.* Audierant Idumæi ſibi à Chaldæis talem imminere cladem, qualem modò deſcribit D Ezechiel cap.25. & cap.27. Vt ergo ſibi Chaldæorum conciliarent animos, & intentum ab illorum armis furorem auerterent, coniunxerunt cum Chaldæis vires, & quanto maximo potuerunt ſtudio, Iudæorum cauſam oppugnarunt, adeò vt in illos inimicorum furorem acuerint, dixerintque Pſal.136. *Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* Sed dum mortem euitare ſtudent, in mortem inciderunt. Dum enim placare ſibi voluere Chaldæos, Deum irritarunt, quem ſuæ cauſæ vltorem habuerunt Iudæi, cuius manum effugere nemo potuit.

8. Sumitur etiam *ſanguis* pro vita; & ſi vitam Iudæorum eſſe ſtatuas, illam oderunt Idumæi: quare

quare poſſit hic reddi ratio ſuperioris ſententiæ; aut ſaltem hic idem ſignificari quod proximè. Si ſic dicas: Inſectabitur te ſanguis, quem fudiſti,& vita, quam hoſtilem in modum in Iudæis oderas,perſequetur te.

Prouerbium ire & redire, frequentiam ſignificat.

9. Verſ.7. *Et auferam de eo euntem & redeuntem.*] Modus hic dicendi frequentiam ſignificat, & multitudinem hominum, qui concurſu frequenti locum aliquem obeunt. Qualis eſſe ſolet ille, quem ſpectamus in nundinis, quémque Hiſpani ſumpta ex fluctibus ſimilitudine, qui mutuò ſe proturbant & pellunt, vocant *olas de Gente*, de quibus Geneſ. cap.8. v.3. *Reuerſaque ſunt aquæ de terra euntes, & redeuntes*, id eſt, fluctuantes, & dilabentes. Et profani dum explicare volunt frequens hominum ſtudium, & conuerſationem crebram, hoc ferè modo ſignificant, *Itque reditque.* Erat credo mons Seir in Idumæorum prouincia locus maximè frequens: hunc tamen dicit Dominus; ab illa tanta frequentia fore deſerendum.

10. Verſ.8. *Et implebo montes eius occiſorum ſuorum in collibus tuis.*] Confragoſa erat Idumæorum regio, & conciſa ſalebris; & vt montibus frequens, ſic etiam neceſſe erat, vt vallibus abundaret. Loci ipſius natura ſalebroſa, & ardua perſuadebat Idumæis nihil ſibi fore ab hoſtili periculo formidandum; idque illis eſſe frequens in ore, indicat illud Ieremiæ cap.49. qui cùm ageret de illius populi ruina, ſicut & nunc Ezechiel, & eodem fortaſſe tempore ait, *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui, qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis, cùm exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detraham te.* Idem nunc videtur ab Ezechiele dici,dum montes,& valles,& torrentes ipſos, qui per valles decurrunt, implendos eſſe dicit ſtratis Idumæorum cadaueribus, quó non putabant aſpirare poſſe Chaldæorum audaciam.

Idumæa poſt excidium rurſus habitata

11. Verſ.9. *In ſolitudines ſempiternas tradam te.*] Diximus ſuprà *ſempiternum*, & ſimilia non ſignificare ſemper quod nullo definitur tempore; ſed quod diuturnum eſt. Nam habitatam fuiſſe iterum Idumæam conſtat, & quia id hoc ipſo, vt arbitror,tempore, Ieremias prædixerat cap.27.v.7. Nam cùm dixiſſet Edom,ideſt, Idumæam cum aliis prouinciis a Babyloniis eſſe vaſtandas, ſubdidit, *Et ſeruient ei omnes Gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniet tempus terræ eius.* Quod fuiſſe reipſa completum colligitur Machab. 1. c. 5. *Et debellabat Iudas filios Eſau in Idumea,*&c. *Et percuſſit eos plaga magna.* Addit Ioſephus lib. 13. Antiq. c. 17. cùm ageret de Hircano, *Subiugatis omnibus Idumæis, edixit, vt circumciderentur, niſi mallent è propriis pelli ſedibus, atque illi amore patriæ admiſerunt circumciſionem,*&c.

12. Verſ.10. *Eo quòd dixeris, duæ gentes, & duæ terræ meæ erunt.*] Quemadmodum quando decem tribus è ſuis finibus abductæ ſunt ab Aſſyriis in illorum poſſeſſiones, gentes irruperunt finitimæ, vt de Ammonitis queritur Ieremias cap.49. v.1. *Numquid non filij ſunt Iſraël, aut heres non eſt ei? cur igitur hereditate poſſedit Melchon Gad, & populus eius in vrbibus eius habitat?* Sic etiam nunc Idumæi amplificandos eſſe fines ſuos exiſtimabant, adiectis Iudæorum poſſeſſionibus, cùm ſperarent illos inde fore à Babyloniis exturbandos. Quæ verò ſint duæ terræ, quarum ſe futuros eſſe dominos putabant Idumæi, incertum eſt. Duo regna illa videntur eſſe poſſe, quæ vacua iam antè reliquerant decem tribus ab Aſſyriis abactæ, & quæ nunc relicturæ ſperabantur duæ aliæ, quibus iamiam imminebat infenſa Chaldæorum acies. Item duo regna ita conſiderari poſſunt, vt alterum ſit Idumæum, quod iam obtinebant; alterum Iudaicum,quod iam ſpe certiſſima deuorabant. Vtrumque probat,aut potiùs neutrum improbat Hieronymus, & cum eo alij non pauci: vtrumque admittit litera,neque multum refert hoc ne, an illo modo ſentias.

Cùm Dominus eſſet ibi.] Opinantur aliqui illud *ibi*, ſpectare Idumæos, quibus Dominus præſens aderat, audiebàtque verba illa ab audaci, & ſuperbo animo profecta; illaque ſeuero ſupplicio deſtinabat, quia eiuſmodi cogitationes amentes, & inflatas abire non ſinit impunè. Et huic opinationi fauet, quod ſtatim dicitur verſ. 12. *Et ſcies, quia ego Dominus audiui vniuerſa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Iſraël.* Et verſ. 13. hoc idem repetit, & aduersùm ſe ſermonem illum factum eſſe interpretatur. Ita putant Chaldæus, Vatablus, & Iſidorus: & innuit Theodoretus, dum ait dixiſſe Idumæos, cùm actum eſſe crederent de Iudæorū imperio, neque Deum ipſum, quem venerabātur Iudæi, è ſuis manibus oblatū à fortuna Regnum ereptu-rum. Quam vocē audiuit Deus,& Idumææ prouinciæ interitu mulctauit. Quomodo etiam audiuit verba Senacherib, qui eò proceſſerat inſolentiæ, vt neque diuina potentia ſibi quicquam impedimenti fore prædicaret, quo minus in ſuam poteſtatem veniret Hieroſolyma. Sic enim ille ad Ezechiam per legatos Iſaiæ cap.37. verſ.10. *Hæc dicetis Ezechiæ Regi Iuda, dicentes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: Non dabitur Ieruſalem in manum Regis Aſſyriorum.* Cui dixit Dominus cap. ſequenti, verſ. 28. *Cùm fureres aduerſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas. Ponam ergo circulum,*&c. 13.

Deus præſens, & obſeruās quid à nobis impiè dicatur.

Verùm placet magis communis ſententia, quam cum Hieronymo tenent alij propè omnes interpretes. 14. Quaſi dicat Deus, nimium non ſolùm audacter, & impiè, ſed etiam ſtultè promiſiſſe Idumæos ſibi Hieroſolymæ Regnum,cùm tamen Deus eſſet ibi; vel quia templum nondum eſſet euerſum, cùm hæc dicerentur ab Idumæis; quod magis credo (templum autem domicilium putabatur Dei, & quaſi propria ſedes) vel quia locus ille erat in Dei tutela. Neque ratio deerat cur Deus locum illum in ſuam quaſi fidem, & patrocinium ſuſciperet; cùm in eo olim Abraham filium ſuum immolare voluerit, in monte videlicet Moria, vbi poſtea excitatum fuit à Salomone templum, vt habes lib. 2. Paralip. c. 3. Quòd ſi Deus obe- 15.
dientiam, ac fidem Abrahæ ſic compenſauit antea, vt eo loco, vbi in filij iugulum gladium eleuarat, templum extruxerit omnium, quæ mundus vnquam agnouit, celeberrimum. Sic modò ſicut Abrahæ memoriam non abiecit, neque loci illius voluit abiicere cuſtodiam. Maximè cùm iterum eodem loco ædificandum eſſet templum, & inſtauranda ſacra, quæ non tam extincta erant, quàm intermiſſa. Tanti Dominus fecit montem Sinai, quia ibi aliquando ſpectabilem ſui ſpeciem eſſet oſtenſurus, vt locum illum multis antè ſæculis haberi voluerit religioſum, vt tradit Ioſephus lib. 2. Antiq. cap. 5. adeò vt illuc paſtores gregem ſuum adi-

Deus plurimi facit loca ſancta, neque illa violari permittit.

gere non auderent, quia ibi vim aliquam occulti numinis esse crederent. Cùm in vrbis templique ruinis excitanda foret iterum domus, & sacra rursus instauranda, credibile est locum illum Deo fuisse curæ; quod expiari mallet aliquorum annorum solitudine, potius quàm impiis sacrificiis à sacrilega Idumæorum Gente sordidari. Sanè ita sibi persuaserat Daniel cap. 6. v. 10. qui *fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo.*

16. Vers. 11. *Quia faciam iuxta iram tuam, & secundùm zelum tuum, quem fecisti, odio habens, & notus efficiar per eos, cùm te iudicauero.*] Ligneum fortasse, aut fictilem Deum esse putabant Idumæi, quasi in eo nihil esset mentis, aut sensus; sicut ipsi in diis, quos habebant sibi familiares, & proprios, quotidie experiebantur. De quibus Psal. 113. *Oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient.* Deus autem docet tunc illos quantumcumque ingenio stolido, ac pingui, cognituros mentem esse, atque intelligentiam in Deo; neque surdis accepisse auribus, quæ ipsi aut in conuentu, & circulis; aut apud se taciti de montibus Israël meditati fuerint; cùm eorum nihil impunitum viderint, & iuxta iram, quam in Iudæos exercuerant ipsi, & in Chaldæorum animis inflammare studebant, parem accepisse mensuram. Idem non tam precatus fuerat, quàm prædixerat Dauid Psal. 136. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Et excisa iam vrbe Ieremias Thren. 4. v. 12. *Gaude, & lætare filia Edom quæ habitas in terra Hus! ad te quoque perueniet calix; inebriaberis, atque nudaberis.*

17. Vers. 14. *Lætante vniuersa terra in solitudinem te redigam, sicut gauisus es super hæreditatem domus Israël.*] Exultarat præcipuè Idumæa dum sternerentur Iudæorum vires, & ciuitas olim ornatissima æquaretur solo, vt constat ex duobus locis, quæ proximè adduximus. Quare vt par illi responderet fortuna, oportebat, vt ipsa quoque exultantibus, atque insultantibus omnibus sterneretur, & in nihilum prorsus extabesceret. Quod ita accidisse dubitare nefas, cùm dicat hic Ezechiel, licèt in nullo Scripturæ loco, quod ego viderim, proditum sit.

Sunt qui putent aliam à Græco, atque Hebraico textu sententiam offerri, nempe cùm aliæ Gentes, quæ item vastatæ sunt à Nabuchodonosor, ab exilio redierint, Idumæam tamen illius beneficij futuram expertem. Quosdam autem è finitimis populis subactos fuisse à Chaldæis, & à suis sedibus aliò fuisse translatos, constat ex Ieremia cap. 25. & cap. 27. Et quidem quinto ab excisa Hierosolyma anno, nationes Hierosolymæ vicinas esse subuersas, auctor est Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. Ita censent Chaldæus, Hugo, Lyra, Dionysius, & Vatablus. Neque hinc longè abit Hieronymus, licèt ipse in sensu tantùm allegorico exponat. Sed sanè contrà pugnat historia ipsa, quæ docet cum nationibus aliis remigrasse in patriam Idumæos, ita sanè constat ex Ieremia cap. 27. neque expugnati essent à Machabæis, vt diximus nuper, nisi laxata captiuitate in patriam rediissent. Verisimilius mihi est exultante Iudæa, iterum Idumæos fore vastandos ab Israële, vt prædixerat Abdias vers. 18. *Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula. Et succendentur in eis, & deuorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Esau.* Quod impletum est primo Machab. cap. 5. & 2. Machab. c. 10. verùm explicatio prima mihi omnium maximè videtur soluta. 18.

IN CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM.

ARGVMENTVM.

LOQVITVR Propheta ad montes Israël, in quibus genus intelligitur Iudaicum, qui tunc erant inculti, & horridi, syluarum in modum efferati, quibus frequentiam ciuium, & omnium rerum abundantiam promittit: & interim Gentilibus, qui Iudæorum insultarant incommodis, & eorum nomen contumeliosè vexauerant, talem minatur fortunæ mutationem, talem ruinam; qualem ipsi in Iudæorum gente festiuo exagitabant plausu, & libero conuicio. Ne verò populus tot ornatus à Domino beneficiis suis sibi meritis illam tantam felicitatem ascriberet; aut existimaret immeritò se tot à Gentibus incommodis vrgeri, enumerat Dominus peccata, propter quæ variis vexetur infortuniis, & indignus omnino videatur, quem Dominus tam prosequatur benignè, tam ornet liberaliter. Ex hac verò tam grandi mutatione, occasione sumpta promittit Dominus in Euangelico tempore maius aliud, & magis illustre beneficium, piaculare nempe baptisma, quo lustrabit Ecclesiam, & emaculabit à sordibus, quæ multo fœdius, quàm externæ aliæ animum inficiunt.

CAPVT XXXVI.

1. *TV autem fili hominis propheta super montes Israël, & dices: Montes Israël audite verbum Domini:*

2. *Hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd dixerit inimicus de vobis: Euge, altitudines sempiternæ in hæreditatem datæ sunt nobis:*

3. *Propterea vaticinare, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd desolati estis, & conculcati per circuitum, & facti in hæreditatem reliquis Gentibus, & ascendistis super labium linguæ, & opprobrium populi:*

4. *Propterea montes Israël audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, torrentibus, vallibúsque, & desertis, parietinis, & vrbibus derelictis, quæ depopulatæ sunt, & subsannatæ à reliquis Gentibus per circuitum.*

5. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis Gentibus, & de Idumæa vniuersa, quæ dederunt terram meam sibi in hereditatem cum gaudio, & toto corde, & ex animo, & eiecerunt eam vt vastarent:*

6. *Idcirco vaticinare super humum Israël, & dices montibus & collibus, iugis & vallibus: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo, & in furore meo, locutus sum, eo quòd confusionem gentium sustinueritis.*

7. *Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ego leuaui manum meam vt Gentes, quæ in circuitu* vestro

PARAPHRASIS.

A 1. PRophetasti, ô Ezechiel, de his, qui insultarunt Iudæorum ruinis, & Israëlis montes ad imperij sui fines venturos prædicabant: nunc de montium ipsorum felicitate vaticinare, & meo nomine dicito: O montes Israel, audite quid per me Dominus vobis annunciatum velit.

2. Eo quòd, dicit Dominus, suæ fortunæ gratulati, & in vestris ruinis exultantes hostes dixerunt de vobis. O factum bene! ô diem verè fortunatum, &
B candidum! Euge, ô Idumæa: nam Israelitici montes in possessionem æternam tibi traditi sunt!

3. Propterea vaticinare, & verbis meis hæc annuncia. Pro eo quòd, ait Dominus, ô montes Israel, ab vrbibus, & ciuibus orbati estis, & syluarum in modum efferati, & ab his qui circumstant populis non conculcati solùm, sed etiam ad ipsorum vsum, & imperium adiecti. Quia denique in prouerbium, & fabulã facti estis
C populis, qui vestrum nomen cum sibilo excipiunt, & contumeliis exagitant:

4. Propterea, montes Israel, audite quid Dominus ad vos, & ad illa, quæ aut vobis coniuncta sunt, aut ad vos aliquo modo pertinent. Hæc itaque dicit Dominus, montibus, collibus, torrentibus, ac vallibus, quæ ab antiquis possessoribus deserta sunt. Hæc item ciuitatum ruinis, atque ruderibus, & ciuitatibus ipsis iam ab habitatore vacuis, in quæ conuiciis debacchantur; & maledictis proscindunt finitimi populi.
D

5. Propterea, dicit Dominus, locutus sum in furore meo, tum de reliquis populis; tum maximè de Idumæis; qui ingenti delibuti sunt gaudio, & toto exultarunt præcordiorum affectu, & terram meam cùm futuram sibi hæreditariam possessionem arbitrarentur eò incubuerunt toto animi, corporísque conatu, vt eiicerent ex eo possessores antiquos, & illam pro sua libidine vastarent.

6. Quare, ô Ezechiel, super terram
E olim Israeli promissam vaticinare, dicésque meo nomine montibus, collibus, & eorum iugis, atque fastigiis; tunc etiam depressis vallibus. Meliori iam estote animo, ego de vestra salute, & libertate sollicitus; atque graui instimulatus offensione in populos, qui vobis iniurij, atque contumeliosi fuerunt, iam graue vaticinium intorsi.

7. Hæc itaque ait Dominus: Ego manum meam super Gentes leuaui, iurauíque

vestro sunt, ipsa confusionem suam portent.

A que non minus illas suis spoliatas facultatibus, & aliorum laceratas conuitiis pudefactum iri, quàm vos in simili casu fuistis pudore suffusi.

8. *Vos autem montes Israël ramos vestros germinetis, & fructum vestrum afferatis populo meo Israël: propè enim est vt veniat:*

8. Iuraui item, ô montes Israël, restituendam esse vobis fœcunditatem antiquam, viriditatem, & succum, quæ graui calamitatis æstu exaruisse videbantur. Fundent etenim ramos arentes antè plantæ, parient fructus non ad alienorum, sed ad filiorum Israël opportunos vsus. Neque diu morabitur aut iuramenti fides, B aut soli Israëlitici fœcunditas.

9. *Quia ecce ego ad vos, & conuertar ad vos, & arabimini, & accipietis sementem.*

9. Auerteram à vobis oculos, ô montes Israël, quare neque proscisi vomere fuistis, neque à semente grauidi: pòst verò conuertam iterum oculos ad vos, & redibit ad consuetum opus aratrum, & sarculum; & subacta terra iterum sementem accipiet.

10. *Et multiplicabo in vobis homines, omnémque domum Israël: & habitabuntur ciuitates, & ruinosa instaurabuntur.*

10. Reducam ad vos, & multiplicabo in vobis homines, qui vos iterum exerceant, & habitent, non quidem alienos, sed omnes ex domo Israël, à quibus ciuitates C desertæ habitabuntur; & ad priorem formam instaurabuntur, quas aut solitudo, & mora; aut manus inimica prostrauerat.

11. *Et replebo vos hominibus, & iumentis: & multiplicabuntur, & crescent: & habitare vos faciam sicut à principio, bonísque donabo maioribus, quàm habuistis ab initio: & scietis quia ego Dominus.*

11. Abducti fuerant priùs à Babyloniis non homines solùm, sed iumenta; sed ego non solùm vobis homines; sed etiam iumenta restituam, quæ sic erunt fœcunda, sic multiplicabuntur, & crescent, vt non aliter habitetur terra, quàm à principio. Immò maioribus terram beneficiis ornabo; & tunc scietis Deum esse me fidelem, ac potentem præstare promissa. D

12. *Et adducam super vos homines, populum meum Israël, & hereditate possidebunt te: & eris eis in hereditatem, & non addes vltrà vt absque eis sis.*

12. Adducam, inquam, super vos, ô montes Israël, homines, populum videlicet antiquum, & vestrum, qui vos iterum tanquam propriam sibi possessionem obtineant, quibus eritis postea firma possessio; neque continget postea, vt ab illis orbemini.

13. *Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd dicunt de vobis: Deuoratrix hominum es, & suffocans gentem tuam.*

13. Pro eo, quòd, ait Dominus, obiiciunt vobis alieni populi, exprobrántque ærumnosam conditionem, & famem eiusmodi, vt adegerit ciues occidere, ac deuorare homines.

E

14. *Propterea homines non comedes amplius, & gentem tuam non necabis vltrà, ait Dominus Deus:*

14. Idcirco, ait Dominus, ego infelicem quondam, & famelicum populum ita constituam, vt non ampliùs carnibus vescatur humanis, aut in Gentem suam ferrum distringat; neque audiat vltrà obiectam sibi à Gentibus ignominiam.

15. *Nec auditam faciam in te amplius confusionem Gentium, & opprobrium populorum nequaquam portabis, & gentem tuam non amittes amplius, ait Dominus Deus.*

15. Non audietis ampliùs opprobrium illud, quod cum sibilo, ac plausu Gentes obiiciunt; neque à filiis tuis vltrà nudaberis, dicit Dominus.

16. *Et factum est verbum Domini ad me, dicens:*

16. Post hæc iterum locutus est ad me Dominus, & dixit:

17. Fili hominis, domus Israël habitauerunt in humo sua, & polluerunt eam in viis suis, & in studiis suis; iuxta immunditiam menstruatæ facta est via eorum coram me.

A 17. Fili hominis, ne putes populares tuos sine magno suo merito his fuisse perfunctos incommodis: audi iam quomodo tam grauem commeruerint plagam. Cùm enim in sua regione, siue integro statu, siue ad ruinam inclinato viuerent, illam multifariam suis sceleribus inquinarunt, reddiderúntque abominabilem in conspectu meo; vita enim illorum eiusmodi fuit, quasi menstruo sanguine perpetuò stillaret.

18. Et effudi indignationem meam super eos pro sanguine, quem fuderunt super terram, & in idolis suis polluerunt eam.

18. Contra illos ego conceptum iam
B pridem furorem euomui, quia impiis victimis; & nefariis aris, quibus coluerunt idola; & effuso in terram sanguine regionem suam polluerunt.

19. Et dispersi eos in Gentes, & ventilati sunt in terras: iuxta vias eorum, & adinuentiones eorum iudicaui eos.

19. Idcirco exturbaui illos de terra sua, & inter Gentes in alia, atque alia loca disseminaui: neque aliter à meo furore dissipati sunt; quàm à turbine stipula dispergitur. Tale verò, me iudice, supplicium subierunt, quale illorum exigebat viuendi ratio.

20. Et ingressi sunt ad Gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum, cùm diceretur de eis: Populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt.

20. Illi ergo, cùm regiones alias ingre-
C derentur exules, ad quas ex patriis finibus expulsi sunt, nomen meum reddiderunt suspectum apud Gentes; quæ cùm illos è terra sua excessisse viderent, & aliorum subesse dominatui, in me aut fidem desiderabant; aut potentiam cùm scirent populum esse meum, & tamen de terra mea procul esse depulsos.

21. Et peperci nomini sancto meo, quod polluerat domus Israël in Gentibus, ad quas ingressi sunt.

21. Vt ergo nominis mei sanctitati cōsulerem, quod à Gentibus in suspicionem vocari, immò & audire malè videbam; de
D illorum in patriam reditu cogitationem suscepi.

22. Idcirco dices domui Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam, domus Israël, sed propter nomen sanctum meū, quod polluistis in Gentibus, ad quas intrastis.

22. Idcirco, ô Ezechiel, ne domus Israël, reditum in patriam suis sibi meritis ascribat; hæc ad illam meo nomine referes. Non me, ô filij Israël, vestra merita adduxerunt, vt vestris commodis tam impensè fauerim; neque propter vos fit tanta rerum, fortunæque mutatio; sed propter nomen meum, quod propter vos grauiter laborat apud Gentes, ad quarum fines extorres accessistis.

23. Et sanctificabo nomē meum magnum, quod pollutum est inter Gentes, quod polluistis in medio earum: vt sciant Gentes quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cùm sanctificatus fuero in vobis coram eis.

E 23. Ostendam igitur nominis mei sanctitatem, quod malè à Gentibus accipi, atque iactari video: ostendam quàm longè absit illa nota, quam meo nomini hærere arbitrabantur propter vos: immò & cognoscēt Deum esse me, ait Dominus bellator, & fortis; cùm in vestra causa, in vobis nimirum restituendis, & ornandis meipsum fidelem, & potentem, & meum sanctum esse nomen ostendero.

24. Tollam quippe vos de Gentibus, & congregabo vos de vniuersis terris, & adducam vos in terram vestram.

24. Euocabo quippe vos è Gentibus, ad quas alij aliô dissipati estis; & adducam de locis omnibus, in quæ varia vos fortu-

A na iactauit, & in vnum locum congregabo; ad illum videlicet, qui vobis ex omnibus datus est; & à quo diuersi in alias, atque alias regiones abiistis.

25. *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos.*

25. Magna sunt hæc, quæ à mea humanitate capietis in patriam restitui; sed erunt longè maiora, quę alio meliori tempore sperare vos iubeo. Effundam quippe super vos aquam mundam, piaculare nempe Baptisma, quod vos ab omni inquinamento purificet, & ab his sordibus, quas ex idolorum cultu contraxistis emaculet.

26. *Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.*

B 26. Auferam à vobis antiquum cor, quod à terreno patre hausistis; & cor nouum, ac nouum spiritum infundam. Auferam cor durum, indocile, intractabile, cor denique saxeum; & eius loco carneũ sufficiam, id est, docile, ac molle, quódque ad alterius arbitratũ non difficile fingitur.

27. *Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.*

27. Et spiritum meum longè diuersum ab illo, quem ab Adamo libastis, vobis impertiar, qui alia curet, alia meditetur, quo aliter afficiatur, & impellatur animus; & abdicatis affectibus qui à carne sunt, totum se ad mandatorum meorum formam attemperet, præcepta mea obseruet, & opus omne ad diuinæ legis normam exploret.
C

28. *Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.*

28. Hactenus de tẽpore meliori, quod aliquot post sæcula succedet: iam ad vos redeo, filij Israël, nunc exules apud Babylonios, aliquando tamen redituros in patriam. Aderit tempus cùm terram datam olim parentibus vestris rursus habitetis, cùm ego vos iterum accipiã in populum; & vos me rursus accipiatis in Deum.
D

29. *Et saluabo vos ex vniuersis inquinamentis vestris: & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem.*

29. Et eluam à vobis sordes illas, quas ab exilio longo, ac barbaro dominatu cõtraxistis, & restitutis agris agrorum vobis fœcunditatem, & vernaculi fructus abundantiam restituam. Aduocabo frumentum, à cuius iam pridem satu agri vestri cessauerant, illúdque maiórem in modum multiplicabo; neque famem inducam, quæ genus vestrum olim grauiter afflixit.

30. *Et multiplicabo fructum ligni, & genimina agri, vt non portetis vltrà opprobrium famis in Gentibus.*

30. Efficiam vt arbores copiosos vobis germinent fructus; & agri ex felici satione sementem vobis ingenti cum vsura rependãt: neque vltrà Gentes exprobrabũt ignobilem famem, quæ vos adegit ad sordidos, & inhumanos cibos.
E

31. *Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorúmque non bonorum: & displicebunt vobis iniquitates vestræ, & scelera vestra.*

31. Tunc verò beneficia in immerentes ab offenso, & nihilominus liberali benefactore collata, efficient vt studiorum, ac scelerum vestrorum recordemini; quorum vos pœnitebit, ac pudebit valde, cùm aduersùs illum admisisse noueritis, quem in beneficiis tam estis experti liberalem.

32. *Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis: confundimini, & erubescite*

32. Vobis autem, ô filij Israel, omnino persuasum esse volo hanc rerum tantam

erubescite super viis vestris, domus Israel.

33. *Hæc dicit Dominus Deus: In die, qua mundauero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, & inhabitari fecero vrbes, & instaurauero ruinosa.*

33. *Et terra deserta fuerit exculta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris.*

35. *Dicent: Terra illa inculta, facta est vt hortus voluptatis: & ciuitates desertæ, & destitutæ, atque suffossæ, munitæ sederunt.*

36. *Et scient Gentes quæcumque derelictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificaui dissipata, plantauíque inculta, ego Dominus locutus sim, & fecerim.*

37. *Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc in hoc inuenient me domus Israel, vt faciam eis: Multiplicabo eos sicut gregem hominum,*

38. *Vt gregem sanctum, vt gregem Ierusalem in sollemnitatibus eius: Sic erunt ciuitates desertæ, plenæ gregibus hominum: & scient quia ego Dominus.*

A tam vicissitudinem meritis vestris non deberi; quin potiùs hæc mea humanitas post tot iniurias pudori vobis esse debet. Pudeat igitur vos, ô domus Israel, instituti, cui ad hoc vsque tempus adhæsistis.

33. In illo tempore, dicit Dominus, quando vos ab omnibus exilij, ac seruitutis incommodis exemero; & à contractis inde sordibus expurgaro; cùm derelictas ciuitates suis iterum ciuibus impleuero, & è rediuiua materia ciuitatum ruinas in-
B staurauero:

34. Cùm terra iam syluestris, ac horrida colatur, & seminetur iterum, quæ sic erat desolata, & vasta, vt nemo illam, præter viatores aspiceret:

35. Eo, inquam, tempore nouam rerum speciem admiratus viator, aut qui miserabilem regionis formam priùs aspexerat, dicet: Ecqua tanta est rerum vicissitudo? Ecqua tanta rerum fortunæque conuersio? Ecce quomodo terra syluestris, & inculta: modò ligone, ac sarculo
C sic excolitur; sic virescit, ac splendet vt videre te putes amœnitatis eximiæ paradisum. Ciuitates etiam desertæ, & hostilibus machinis suffossæ, ac dirutæ, munitæ sunt iterum, & ad stabilem firmitatem locatæ.

36. Tunc verò qui ex finitimis populis Babylonicum gladium effugerunt, & in vicinis finibus relicti sunt, cognoscent quemadmodum ego Dominus prædicta, atque promissa compleuerim: quo-
D modo collapsa excitauero, dissipata collegero; inculta, & horrida syluestri frutice iterum plantauero; nouam denique, ac longè dissimilem rerum speciem induxero.

37. Adhuc, inquit Dominus, sicut antea dudum, aures meæ ad illorum preces erunt intentæ; inuenient me propitium, & facilem ad illorum vota, vt largiar quicquid illis ex voto, aut vsu futurum sit. En porrò erit ciuium multitudo, vt conferri possit cum hominum religioso
E conuentu.

38. Cum eo, inquam, conuentu, atque frequentia hominum, qui in præcipuis solennitatibus religionis, ac pietatis ergò obire solent Hierosolymam; sic ciuitates antè desertas hominum multitudo complebit. Tunc autem scietis Deum esse me.

Vers.1. *Tu autem fili hominis propheta super montes Israel.*]

1. MODVS hic inchoandi capitis ostendit, continenti vaticinio caput hoc esse cum præcedenti coniungendum. Et reuera ita postulat rerum ipsarum consecutio. Nam cùm priùs inuectus esset Dominus in Idumæos, quòd iam sibi persuasissent, prædicasséntque Iudæorum regionem in suam potestatem esse venturam, contrariaque omnia esset comminatus; nunc alloquitur, & consolatur montes Israel, id est, aut Iudæos, qui in illis intelliguntur, ea figura, quæ pro re contenta rem adhibet continentem: aut certè montes ipsos, qui tunc abductis cultoribus erant deserti, & syluarum in modum efferati. Quibus talem promittit felicitatem, & cultum, qualem habuere quondam ante Chaldæorum appulsum, aut etiam meliorem.

2. Vers.2. *Eò quòd dixerit inimicus de vobis; Euge, altitudines sempiternæ in hæreditatem datæ sunt nobis.*] Audierant, credo, Iudæi, vel quando angusta premebantur obsidione, vel cùm iam euersa Hierosolyma constricti in Babylonem agebantur ab Idumæis, qui simul erant cum Babyloniis, suam iam esse Ierusalem, & regionem iam olim à Iudæis habitatam. Quod illis non poterat esse non molestum, tum quia ipsi a patria possessione repellebantur; tum quia suis opibus locupletari antiquos hostes grauissima censetur esse plaga, & haud scio an omnium acerbissima. Nunc igitur solatur Dominus montes iam desertos, & quasi hostium auaritiæ propositos, & montium nomine extorres à patria: dum ait tam longè futurum, vt voti sint compotes Iudaici nominis inimici, vt ipsi breui patrios fines relicturi sint, & eandem subituri fortunam.

3. *Iudæis vicinæ nationes insultarũt.* Neque solùm hoc loco intelliguntur Idumæi (quanquam illi in Iudæorum casu magis exultarunt, & spem videntur concepisse maiorem alienæ possessionis occupandæ) sed cum illis plures alij, qui Iudaicæ sortis fines attingebãt. De Ammonitis res est omnino certa; quod enim dixerint, fecerintque, quod Idumæi, cùm templum pollueretur ab hoste Chaldæo, constat ex c.25. v.3. suprà. *Pro eo quod dixisti, euge, euge super sanctuarium meum, quia pollutum est, & super terram Israel, quoniam desolata est; & super domum Iuda, quoniam ducti sunt in captiuitatem,* &c. Quòd autem hi Israeliticos fines possederint, sortem videlicet Gad, longè ante Hierosolymam euersam, habes ex Ieremia cap.49. v.2. De aliis hostibus Iudaici nominis, qui Iudæorum causam oppugnarunt, quibúsque idem, quod in hoc capite minatus est Deus, habes suprà cap.25. Hos verò de Iudæorum finibus occupandis cogitasse, docet Sophonias cap.2. v.8. *Audiui opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobrauerunt populo meo; & magnificati sunt super terminos eorum.* id est, magnificè, ac superbè locuti sunt.

4. *Æternitates, aut sempiterni quid.* Cæterùm vox *euge*, particula est exultantis, aut gratulantis alteri, aut sibiipsi quòd aliquid feliciter, atque ex voto cõtigerit. Montes autem, aut altitudines sempiternæ dicuntur possessiones, ex quibus possessores antiqui depulsi sunt; aut quia reuera sempiternæ sunt eo sensu, qui in Scriptura sacra frequentissimus est, nempe antiquissimæ ab ipso mundi primordio; aut quia sempiternæ fore existimantur in Iudæorum, alia-

A rúmque Gentium potestate. De quo, & sibi gaudent, & inter se vicissim gratulantur. Illud priùs communius est; hoc posterius tenet Hieronymus, quod ego libentiùs amplector.

Vers.3. *Pro eo quod desolati estis, & conculcati per circuitum, & facti in hæreditatem reliquis Gentibus.*] Hoc ipsum plorabat Ieremias Thren.cap.5. cùm diceebat, *Hereditas nostra versa est ad alienos; domus nostræ ad extraneos.* Ex his meo iudicio perspicuum fit, alienas Gentes tanquam in vacuam, atque caducam possessionem, in Iudæorum fines irrupisse, & possessiones alienas, quasi legitimi forent hæredes, inter se diuisisse. Quæ tamen hæreditas illis diuturna non fuit: nam non multo pòst idem, qui Iudæos expulerat, Nabuchodonosor contra populos illos castra mouit, & non solùm ab alienis, sed etiam ab antiquis, propriisque possessionibus exturbauit. 5. *Populi finitimi in Iudæorum possessiones irruperunt.*

B *Et ascendisti super labium linguæ, & opprobrium populi.*] Hoc dicendi modo nil significatur aliud, quàm populum Iudæorum propositum esse vulgi sermonibus, ac fabulis, quibus in publicis conuentibus tam ab ignobili, ac petulante turba, quàm à viris ætate, atque auctoritate maioribus concidebatur. Quod sæpè Deus per Prophetas suos antè prædixerat, Ierem.cap.24. v.9. *Dabo eos in vexationem, afflictionémque omnibus Regnis terræ, in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium, & in maledictionem vniuersis locis.* 6.

Vers.4. *Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, torrentibus, vallibúsque, desertis, & parietinis,* &c.] Hîc ego duo inuenio, quæ maximè confirmare possent Iudæorum animos, earum rerum certitudine, quibus Deus vlcisci vult iniurias à Gentibus illatas, & accepta incommoda dissimili rerum euentu compensare. Alterum, quòd cùm finitimi populi de montibus tantùm videantur locuti, dum dicunt datas sibi in hæreditatem altitudines sempiternas; Deus tamen non montes solùm, sed etiam valles, colles, torrentes, parietinas, & vrbes ab habitatore relictas, liberas futuras affirmat ab alienis dominis, & ad locum, & ordinem antiquum magno cumulatas incremento reuersuras. Alterum, quia sententiam eandem in singulis penè versibus iterat, suspensámque relinquit ad versum vsque septimum: quæ iteratio & studium significat magnum, & animum ad opus perficiendum, offirmatum, & promptum. 7.

C

Vers.5. *Quoniam in igne zeli mei locutus sum.*] Particula *quoniam*, non est semper causalis, & interdum tantùm est expletiua apud Hebræos, neque quicquam addit orationi præter ornatum, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis in Ieremiam ad illud cap.4. *Ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.* Exemplum accipe vnum, & alterum, Ioan.4. *Bene dixisti, quia non habeo virum,* id est, me nõ habere virum, & Matth.7. *Tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos.* Sic puto hoc loco, *quoniam* magis additum ex vsu idiomatis Hebraici ornatus, quàm significationis gratia, in hunc sensum. *Propterea hæc dicit Dominus Deus, in igne zeli mei locutus sum,* &c. *zelus*, cùm vox sit ambigua, quæ amorem, & studium erga aliquem, item ardorem, & furorem significat; hîc, vt planum est, affectum animi indicat, quo quis in alterum vehementer accenditur, rapitúrque furoris 8. *Quoniam expletiua particula.*

D

furoris æstu,& ardore vindictæ, sicut etiam statim vers.6. Furoris autem ea causa est, quia terram, quam Dominus sibi in possessionem elegerat, ipsi, quasi suam sibi hæreditatem adierunt cum gaudio, atque tripudio.

9. Vers.6. *Et eiecerunt eam, vt vastarent.*] Hæc aut altera causa est offensionis diuinæ, aut superioris explicatio. Translatio vulgata difficilem reddit explicationem. Omnes ferè conueniunt interpretes cum Hieronymo, aut eiectos esse Iudæos è regione sua, vt ab antiquis possessoribus deserta occuparetur ab alienis; seu cùm Idumæi,& alij vicini populi vacuam viderent, in illam irrupisse. Heb. לְמַעַן הֱיוֹתְכֶם מוֹרָשָׁה *le mahhan migrasah labaz*, quæ ad verbum sonant, propter eiectionem in rapinam. Pagninus, *Vt eiicerem eam in direptionem.* Eodem modo Vatablus. Tigurina, *Eo quòd eiecti sunt ad prædam.* Septuaginta, *Vt abderent eam in vastatione.* Eundem habet sensum vulgata, licèt aliquanto magis impeditum, qui tamen facile cum iis conciliari potest, si duo hìc primum obserues. Primum *&*, interdum esse finalem, seu causalem particulam, quæ explicari solet per *vt.* Et quamuis *vt* in ea loquendi forma modum amet subiunctiuum, & plerumque indicatiuo adiungitur, Ierem. cap.9.v.1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo,* id est, vt plorem. Psal.118.v.34. *Da mihi intellectum,& scrutabor legem tuam*, id est, vt scruter. & Psal.54.vers.7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo,& requiescam*, id est, vt volem, Gen.45. v.28. *Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit: vadam, & videbo eum,* id est, vt videam. Sic ergo hoc loco, *& eiecerunt,* explicandum est per *vt*, cum subiunctiuo in hunc modum, *vt eiicerent*, sicut verterunt alij.

Regula. Et, particula finalis sicut vt.

10. Alterum est, si *terram*, aut quod idem est *eam*, per metonymiam pro terræ habitatoribus sumas. Quomodo dicimus *lugere*, aut *pauere terram*, quia homines, qui in illa sunt, lugent,& pauent; tunc ergo totius clausulæ hæc erit sententia. Persuaserunt sibi Idumæi, & vicini populi suam esse terram populi mei, atque ideo toto animi, corporisque conatu eò incubuerunt, vt eiicerent ex ea ciues,& illam pro sua libidine vastarent.

11. Vers.7. *Ego leuaui manum meam, vt Gentes, quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent.*] Dixerat proximè Gentem Israeliticam passam fuisse à Gentilibus ignominiam; promittit nunc iustus,& vltor Deus redditurum se eamdem vicem Gentibus, ita vt non minùs eiectæ è patrio solo, & suis spoliatæ facultatibus pudefiant; quàm Iudæi in casu non dissimili pudore suffusi sunt. *Leuare manum*, idem est, quod *iurare*. In iureiurando enim concipiendo, manus solent in cælum eleuari; aut vt Deus testis aduocetur, aut si sciens fallat, qui ius iurandi se religione obstringit, percutiatur è cælo ab irato Deo, aut aliquo alio signo, periuri animi perfidia declaretur. Hunc esse iurantis habitum tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores, multa confirmant, cui consuetudini, sicut aliis humanis sæpè se Deus accommodat. Deut.32.v.40. *Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum.* Exempla occurrent passim, accipe ex hoc Propheta duo ex capite 20. Alterum versu 5. *Hæc dicit Dominus Deus, in die qua elegi Israel, & leuaui manum meam pro stirpe Domus Iacob: & apparui eis in terra Ægypti, & leuaui manum meam pro eis.* Alterum vers.15. *Ego igitur leuaui manum meam super eos in deserto, ne inducerem eos in terram, quam dedi eis.*

Manus in iuramento leuata, & quare.

Quid porrò sit *leuare manum*, explicuit Dauid Psal.94. qui cùm de hoc ipso tempore, atque argumento loqueretur, dixit *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Eandem iui iurandi formam repetit ibid. v.13. & vers.27. De manuum eleuatione vide plura suprà ad vers.5. quem primo loco produximus.

Vers.8. *Vos autem montes Israel, ramos vestros germinetis, & fructum vestrum afferatis populo meo Israel.*] Huc etiam diuinum iuramentum,& manuum eleuatio pertinet, vt montes Israel, qui syluestribus dumis, & ferarum latibulis horrebant, excolantur iterum, fructúsque parturiant sicut antè: quibus non iam hostes, aut feræ, sed restituti ab exilio antiqui domini fruantur. Germinabant montes illi à cultoribus vacui fructus non suos, quia plantis abundabant, non quas sedula agricolarum solertia seuerat, sed quas terra sua sponte produxerat, quásque plurimùm inculti montes alunt; spinas nempe, rubos, & syluestres arbores. Quòd si aliquæ fuerunt ab agricola consitæ, illæ neglectu à priori quasi natura degenerant, agrestésque fundunt,& insipidos fructus. De his montibus sub Iudæorum exilium agebat Isaias cap.7. v.23. *Omnis locus, vbi fuerint mille vites mille argenteis, in spinas, & in vepres erunt: cum sagittis, & arcu ingredientur illuc: vepres enim, & spinæ erunt in vniuersa terra.* Quòd si qua esse poterat ex montibus in illo rerum articulo vindemia, si quis fructus spóte ex illo funderetur saltu, capiebant alieni, quia nullus erat verus, & legitimus dominus, qui agros illos, aut fructus sibi vendicet. Quare aliis Cypreta stillabant balsamo, alij ex vineis vinum, alij ex oliuetis oleum exprimebant, sed Deus interposito iureiurando confirmat, omnia breui in aliam formam, ac statum fore conuertenda. Dabunt quippe montes fructus suos, oleum videlicet, balsamum, & vinum: & colles stillabunt lacte, & melle; neque fructus illos pretiosos,& vberes alieni colligent, quia propè est, vt veri domini postliminio in veteres possessiones reuertantur. 12.

Iudæis ab exilio reuersis quanta commoditas.

Vers.9. *Conuertar ad vos, & arabimini, & accipietis sementem.*] Ex quo excisa fuit Hierosolyma, & ciues variis euentibus aliò, atque aliò dilapsi, nullus montes feraci, atque vbere solo felices vomer exercuit: neque sementem acceperunt vllam; quia sicut Deus in sceleratos ciues, sic etiam in eorum agros sæuiisse videri potuit, a quibus oculos auerterat, quos ante ad ciuium, agrorúmque vota intentos habuerat. Deut. cap.11.v.11. cùm de hac ipsa terra loqueretur Moyses, dixit, *Terra enim ad quam ingrederis possidendam, &c. montuosa est,& campestris de cœlo expectans pluuias, quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni, vsque ad finem eius.* Nunc ergo Deus conuersurum se dicit oculos, quos priùs auerterat, effecturúmque, vt agri renouati nitorem antiquum,& fertilitatem obtineant. 13.

Terra promissionis è cœlo fecunda.

Vers.11. *Et replebo vos hominibus, & iumentis.*] Non solùm homines Babylonem abducti sunt à Chaldæis; sed etiam volucres domesticæ, ac vicures,& animalia, quæ vsui esse poterant, vel ad mensam, vel ad agrorum cultum. Ita Ierem. cap. 9.v.10. *Super montes assumam fletum,& lamentum, & super speciosa deserti, &c. à volucre cœli, vsque ad pecora transmigrarunt,& recesserunt.* Et cap.12.v.4. *Vsquequò lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? Consumptum est animal, & volucre.* Cum ciuibus ergo reuocanda etiam dicuntur iumenta, quorum opera colendis agris necessa- 14.

A Babylonem non solum homines sed etiã pecora abducta.

necessaria est,& vt Hierosolyma,& ciuitates aliæ ciuibus,sic etiam montes iumentis implebuntur. Dixit hoc, eodem fortasse tempore Ieremias cap.31.v.27. *Ecce dies veniunt,dicit Dominus,& seminabo domum Israel, & domum Iuda semine hominum, & semine iumentorum.* Qui dicendi modus multitudinem indicat non vulgarem, & omnino explicat, quod hoc loco dixerat Ezechiel, *Replebo vos hominibus,& iumentis,& multiplicabuntur, & crescent:* hæc enim omnia a semine proueniunt.

15. *Bonisque donabo maioribus.*] Hæc Hieronymus, & cum eo Dionysius,Lyra,& Isidorus, & Iustinus Martyr dialogo cum Triphone prope finem, ad tempus referunt Euangelij: quia non apparet quomodo ab exilio reuocati Iudæi maioribus cumulati sint bonis, quàm à principio, id est,vel cum primùm ingressi sunt terram promissionis;aut proximè priusquam ex ea extruderentur à Chaldæis. Neque hanc cogitationem improbo,ita tamen amplector, vt hæc tanquam in figura dici putem de Iudæorum populo, cùm excusso Babylonico iugo libertati, ac patriæ restitutus est, & aliquid altiùs adumbrent in Tempore euangelico.Ita putat Theodoretus, Maldonatus, & Hugo, & probat Hieronymus capite sequenti,vbi cùm dixisset sequentem allegoriam de ossibus aridis ad vitam, & pulcritudinem reuocatis reditum captiuorum intelligi, addidit hoc ipsum ab Ezechiele eo loco, quem modò versamus,esse significatum.

16. Sed quæres,quænam tanta sit vbertas illa post reditum, quæ superatura nunc dicitur superiorum temporum abundantiam. Respondeo non esse difficile illam inuenire,siue antiquissima spectes sæcula, siue tempus, quod proximè Iudæorum cladem antecessit. De proximo quidem tempore constat Deum afflixisse populum, qui væsano consilio à diuina voluntate recesserat; cohibita pluuia, & ingruente fame; quod Deus multo antè minatus fuerat. Deut.28.v.20. *Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui, &c. mittet Dominus super te famem, & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies donec conterat te.* Quod accidisse non infrequenter ante extremum Iudaicæ gentis exitium, probant Prophetæ,qui aut attigerunt illa tempora, aut illa non nimis antè præcesserunt.Isaias cap.24.v.4. *Luxit, & defluxit terra,* & paulo infrà, *Luxit vindemia, & infirmata est vitis.* Idem cap.32.v.10. & cap.33.v.9. Et sub hoc tempus Ieremias cap.14. vbi illius temporis siccitatem mirificè describit.

Maior Iudæorum felicitas post exilium.

17. Sed etiamsi antiquissima tempora consideres,& quasi incunabula institutæ Iudæorum reipublicæ,inuenies latiùs dominatos fuisse Iudæos post reditum in patriam, quàm antea fuissent integra etiam, & florente republica. De his nos plura ad illud Isaiæ cap.49. *Quia deserta tua,& solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ,nunc angusta erunt præ habitatoribus.* Et Zacharias cap.2.v.9.ait eos, qui Iudæorum rempublicam attriuerunt, puta Idumæos, Moabitas, Ammonitas, & Palæstinos, ac Syros a Iudæis fore subiugandos. *Post gloriam,* inquit, *misit me ad Gentes,quæ spoliauerunt vos. &c.& erunt prædæ his,qui seruiebant sibi.* Et Sophonias c.2. Gazam, Ascalonem, & Azotum, & funiculum maris,id est, tractum maritimum, vbi Tyrus est, & Sidon,occupatum iri à Iudæis. Et clariùs Abdias, *Transmigratio exercitus huius filiorum Israel omnia Chananæorum* (supple hæreditabit) *vsque ad Sareptam* (hæc ad Sidonios pertinet) *& transmigratio Ierusalem, quæ ad Bosphorum est, possidebit*

Latius Iudæorum imperium post exilium.

A *ciuitates Austri.* Hæ dicuntur alibi funiculus maris.

Id verò ita contigisse, vt prædictum antè fuerat, constat ex historiis tam sacris, quam profanis.lib.2. Machab.cap.5. *Iudas declinauit in Azotum terram alienigenarum, & diruit,&c. & cepit spolia ciuitatum.* Quòd autem alias quoque ciuitates subiugauerit, colligitur ex lib.2. Machab.cap.10. Iamniam quoque, & Ioppem captas esse constat eodem libro cap.12. Habuisse præterea Iudæos ciuitates plurimas in Cœlesyria, totóque tractu maritimo, docet Egesippus lib.1. cap.18. cùm scribit illas à Iudæis abstulisse Pompeium. Quomodo Idumæi subacti fuerint à Machabæis, & B vectigalia dependere coacti,superiori capite cognouimus. Quare montes Israel, & qui in illis intelliguntur, Iudæi maioribus quàm antea cumulati sunt bonis, cùm postliminio in patriam remigrarunt. 18.

Vers.12. *Et hæreditate possidebunt te.*] Sunt qui in alienis habitant hospitiis tanquam peregrini, atque hospites,in quæ ita diuertunt in transcursu,vt inde illucescente die,aut confecto negotio quàm primùm aliò demigrent. Sunt alij qui aut sibi stabile construxere domicilium, aut hæreditario iure sumpserunt à parentibus. Hi tanquam in suo diu commorantur, & quod acceperunt à maioribus, ad posteros transmittunt, & illi rursus C ad alios,ita vt æternam sibi hæreditatem obtineant, & nati natorum,& qui nascẽtur ab illis. Hoc posterius promittit Dominus montibus Israel;qui tanquam olim parentibus promissi, & nunc filiis tanquam hæredibus aliquando restituti, futuri sunt illis stabilis, & certa possessio. Hìc obserua quemadmodum numeri mutentur, & personæ, cùm interdum audies *vos*, & interdum *te*; quod apud Prophetas non semel occurrit:& hìc peculiaris est ratio,quia cùm in montibus populus intelligatur, nunc *te* dixit, nunc *vos*, interdum intentus ad populum, interdum ad montes Israel. 19.

REGVLA. Migratio, sæpe fit ab vno numero in alium.

Et non addes vltrà, vt absque eis sis.] Id est, non D iam ampliùs accidet, vt ad alienorum dominatum venias; & à legitimis orberis possessoribus. Hìc duo obserua, alterum est, *non vltrà, non ampliùs*, & similia, non valere semper id, quod extremo caret, & definito termino; sed aliquando idem esse quod diuturnum, vt alibi à nobis sæpe notatum est. Neque enim, vt constat, data fuit Iudæis illorum montium æterna possessio,quando ab illa per Romanos exturbati sunt, sed diuturna. Alterum, verba quædam apud Hebræos vim habere frequenter aduerbiorum,atque adeò per aduerbia exponi oportere. Qualia sunt *addo, adiicio,reuertor,conuerto.* Psal.85. *Tu conuersus viuificabis nos,* id est, iterum viuificabis. Hinc illud tritum,*non adiicias facere, non addas loqui*, id est, non iterum facias,aut loquaris. Vide quæ diximus in E nostris commentariis in Isaiam cap.6. n.45. & cap.64.n.19.Quocirca illud,*non addes vltrà,vt absque eis sis*,idem est,atque *non iterum orbaberis illis.* 20.

REGVLA. Verba quædam per aduerbia explicanda.

Vers.13. *Pro eo quod dicunt de vobis, deuoratrix hominum est, & suffocans gentem tuam.*] Variè hìc opinantur interpretes, dum quærunt, cur terra Iuda hominum dicatur deuoratrix.Quidam eam putant esse causam,quòd regio fertilis est,& maximè ad frangendos, effœminandósque animos opportuna: luxus verò vt corporis vires, sic etiam animi constantiam, & mores corrumpit, quorum intemperantiam Dominus morte castigat. Quare sicut Sodoma ciues suos deuorasse dici 21.

Prouerb. Terra hominum deuoratrix.

Terrae vbertas emollit nimis & frangit vires.

dici potest, quia deliciarum abundantia in omnem libidinem, & mollitiem inflexit, propter quod ab igne cœlesti deuorati sunt; sic regio illi vicina, quæque ad hominum delicias sudabat balsamo, & melle manabat, & lacte, occasio fuit, vt in turpiores voluptates liquefacti Iudæi illa naturæ blandimenta supplicio luerent capitali. Quæ fortassè ideo Num. cap. 13. dicitur deuorare habitatores suos, quia propter soli bonitatem, & glebæ luxuriantis delicias deuorabat homines eo, quem diximus, sensu, seu, quod mihi magis videtur verisimile, quia ea est illius terræ fœcunditas, & prouentus ita multiplicatus, & frequens; vt lasset, & frangat hominum vires, cùm tot percipiendis frugibus non sufficiant: & à nimio studio, atque labore conficiantur, quod idem est, atque deuorari homines. Esse alicubi bifero, ac trifero prouentu fœcundas arbores, tradunt qui de re naturali historiam texuerunt. Sanè de Italia id docet Virgilius lib. 2. Georg. vbi etiam addit aliis etiam mensibus ab æstate fruges demeti.

Terra alicubi bifero ac trifero prouentu felix.

Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas:
Bis grauidæ pecudes, bis pomis vtilis arbor.

De eadem prouincia in agro Campano prodit Dionysius lib. 1. ter in anno frugum esse prouentus. *Vbi ego* (de Campano agro loquitur) *trium fructuum culturas vidi.* Neque minus fœcundam esse puto terram promissionis, quam vnam ex o-
22. mnibus Dominus elegit. Nisi mauis, quod minus mihi displicet, deuorari homines à terræ fœcunditate; quia genitali fœcundissima vi luxuriat in herbas, & frutices ea abundantia germinat, vt ab agricolis domari non possit, neque ad suscipienda semina molliri, ac subigi, & ad commoditates alias rusticas aptè disponi. Quod de filice prouerbiali specie dicunt Latini, quæ cùm in pingui, atque humido solo plerumque nascatur, sic tamen altas agit radices, sic pullulat vehementer millies abscissa, vt inutilem reddat agrum, quem semel occupauit. Hinc illud Persij Satyr. 4.

Non tamen ista filix vllo mansuescit aratro.

Quod facit vna filix aliis in locis, id in Chananitide terra plures alios frutices, atque herbas fecisse non est incredibile. Quo deterrere voluerunt exploratores contribules suos ab ingressu terræ promissionis, quam quidem pinguem esse fatebantur, eiusmodi tamen vt fruticante solo nullus ab eo prouentus sperari posset. Quòd si id exploratores significare voluerunt, è suo potiùs cerebro, ac timore, quàm à regionis natura, & veritate sumpserunt. De hac tamen explicatione pluribus statim.

23. Alij ideo putant deuoratricem hominum vocari terram illam, quia cùm sit fertilissima regio, de illius possessione homines inter se certant, mutuóque se ferro conficiunt, quæque sua amœnitate peregrinos ad se populos sollicitat, ita putat Dionysius. Et in huius explicationis patrocinium aduocari posset illud Ieremiæ cap. 12. v. 9. *Numquid auis discolor hereditas mea mihi? Numquid auis tincta per totum?* Quem locum in eam sententiam assumunt nonnulli, vt putent propter suam vbertatem, ac speciem sic vexari, spoliarique regionem illam ab hostibus, sicut auis picturata, & pulcra ab aliis volucribus vexatur. Sed nos eius loci aliam explicationem adduximus.

24. Hæ omnes explicationes, aut earum pleræque ideo mihi non placent, quia deuoratio illa, ac

A cædes fertilitati tribuit, ac bonitati terræ, quod non satis congruit cum eo, quod proximè sequitur. Dicit enim Dominus effecturum se ne terra illa deinceps homines suffocet, ac deuoret, quod perinde esset ac si diceret, efficiam ne fertilis sit. Quod sanè non facit, imò meliora tempora, & maiorem, quàm ante vbertatem promittit. Quare aliter nobis tentandus est, atque exsoluendus nodus.

Et primùm statuo aliquid hîc turpe à finitimis populis obiici terræ promissionis, quod Dominus sic ab illa remouebit, vt exprobrari postea possit à nemine; quid tamen illud sit, nobis explorandum. Duo mihi hîc occurrunt, cur hæc 25.
B terra deuoratrix hominum appellari potuerit, idque in conuiciis obiici Israelitis. Alterum sumptum ex antiquissimis sæculis, vbi terra promissionis dicta fuit cultores suos deuorare, Num. cap. 13. Id verò ad terræ ignobilitatem, seu cœlum insalubre referri potest, in quo habitatores deuorabantur; id est, vitam agebant ægram, breuémque. Ita censent cum Rab. Salomone Abul. Lyra, Caietanus. Quod si ita esset, bene regio illa vocari potuit hominum deuoratrix, quia incolas suos deuorabat, eo sensu, quo flamma, aut gladius dicuntur voraces. Sed reuera, si hæc dixerunt exploratores, mentiti sunt, vt dicit Caietanus; neque enim terra appellari potest optima,
C quæ pestilens habet, & insalubre cœlum.

Ego si ex sermone exploratorum sortitam esse putarem hanc compellationem, ex alio capite 26.
ductam arbitrarer. Erant, credo, exploratorum verba nota populis, qui cùm finitimi essent, & sacras etiam historias audiissent, (vt de Achior Ammonita constat Iudith cap. 5.) ignorare non poterant. Vt autem illa verba ex animo proficiscebantur imbelli, ac timido; sic puto cùm ignauiam, ac timiditatem illi obiicerent infensi populi, verba illa repetebant, exprobrabántque, quæ ipsorum maiores antè dixissent, videlicet à terra illa habitatores suos deuorari. Hæc mihi expositio potior est. Sed neque hæc omnino pla-
D cet, quia Deus facturum se dicit, ne deinceps terra contumeliosam illam vocem esset auditura; at non effecit, ne ipsi non dixerint superioribus sæculis, aut ex aliorum memoria exciderit vox illa, quæ muliebres arguebat animos, & infantiles metus.

Quare aliter ego locum istum accipio: &, vt 27.
dixi, in montibus Israel ciues intelligo, quæ dicendi figura in Scriptura sacra obuia. Quo tempore durauit obsidio, constat matres ex filiorum carnibus sibi cibos parasse, ita Ieremias Thren. cap. 4. v. 10. *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum.* Quod etiam dixerat priùs Thren. cap. 2. v. 20. Sed neque patres à
E filiorum, neque filios à parentum carnibus abstinuisse, docet Ezechiel suprà cap. 5. *Ideo*, inquit, *patres comedent filios in medio tui: & filij comedent patres suos.* Et ad aliquid addit Baruch cap. 2. vers. 3. *Vt manducaret homo carnes filij sui, & carnes filiæ suæ.* Quod ita legunt LXX. τοῦ φαγεῖν ἡμᾶς ἄνθρωπον σάρκας υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ σάρκας θυγατρὸς αὐτῆς. quæ ad verbum sic reddo; *vt ederemus nos homo*, (id est, quilibet) *carnes filij sui; & homo carnes filiæ suæ.* Qui loquendi modus indicat non fuisse paucos, qui cognatorum carnibus pasti fuerint, præsertim cùm necesse non fuerit fuisse priùs aut à filiis parentes; aut filios, aut filias à parentibus interfectas. Neque enim aut Ieremias suprà, aut Baruch quicquam dicunt aliud, quàm filiorum carnibus

In obsidione Iudæi occisis à se hominibus vescebantur.

nibus pastos esse parentes; & parentum carnes comedisse filios, quod factum esse verisimile est, postquam illi priùs aut ferro extincti sunt, aut fame. Quod in magna fame aliquando contigisse mirandum non est, cùm alia horribilia magis contigisse tradant historici. Interfectos tamen esse aut filios à parentibus, aut parentes à filiis, colligitur facilè ex eo quod statim sequitur. Cùm ergo hæc Idumæis, aliísque Gentibus Hierosolymæ vicinis, ex quibus plurimi tunc erant in Chaldæorum castris, ignota non essent, facilè illis in maledictis obiicere potuerunt, humanarum carnium esse voraces; quia res est eiusmodi, vt non ab ea solùm mundities, sed etiam natura vehementer abhorreat.

28. Vers. 14. *Propterea homines non comedes ampliùs, & Gentem tuam non necabis vltrà.*] Melior iam ostenditur, & magis quàm antea benigna conditio, cùm negat Dominus eas futuras esse rerum angustias, vt cogatur Israelita gladium distringere in cognatum populum, & illius carnes in cibum condire. Illud *non ampliùs*, vt alibi à nobis dictum est, non negat aliquid aliquando futurum, sed affirmat aliquid futurum perdiu in aliquo statu, quia reuera aliquot pòst sæculis cùm eadem ciuitas obsideretur à Romanis, vt auctor est Iosephus lib. 7. cap. 8. & Egesippus lib. 5. c. 40. fœmina quædam Maria nomine vrgente fame occisum à se filium in sua rursus viscera recondidit.

29. Vers. 17. *Domus Israel habitauerunt in humo sua, & polluerunt eam in viis suis.*] Enumerat Dominus populi peccata, propter quæ iis affectus est incommodis, de quibus alibi sæpius, & docet si quid benigniùs de illius salute, ac libertate statuat, non illorum meritis, sed suæ bonitati, atque clementiæ esse tribuendum. Et primùm docet quid priùs admiserit domus Israel antequam solum verteret patrium, & ad alia, atque alia peregrinarum gentium loca diffluerет. Illum enim tenuit viuendi modum, illam ingressus est viam, vt regionem illam ex omnibus electam, quam magni beneficij loco populo concesserat Hebræo, suis sceleribus infecerit, & aliquid tetrum, & impurum halentem reliquerit.

30. *Iuxta immunditiam menstruatæ.*] Prouerbialis apud Hebræos species est, *menstruatæ sordes*; tum quia menstruus ille sanguis nauseam mouet; tum etiam quia contra menstruatam in Scriptura sacræ leges sunt admodum seueræ, de quibus Leuit. cap. 15. vers. 19. adeò vt quicquid fœmina, dum esset in illo obscœni sanguinis proluuio, tangeret, censeretur pollutum. Quare illa, ne suo motu plura contaminaret, plurimùm sedebat. Vnde à LXX. καθημένη, id est, *sedens* appellatur. Vide quæ diximus in nostris commentariis super Isaiam ad illud cap. 64. *Quasi pannus menstruatæ.* En quid fecerit in terra omnium præstantissima scelerum lues, quid corrupti mores, quid sordida peccatorum vestigia; quando terra à peccatore calcata tale aliquid aspirat, quale menstrui sanguinis fœtidum, atque execrabile profluuium.

Prouerb. Menstruata pro re maximè immunda.

31. Multa de hoc sanguine tradunt, qui de rerum naturis accuratiùs scripsere, quæ sanè admirabilia sunt; neque de illorum fide nunc laboro, ac disputo; illud certò scio plura à peccatis hominum prouenire mala, quàm ab illo corrupto menstruo aut verè tradunt, aut falsò comminiscuntur auctores. Audi Plinium lib. 7. cap. 15. *Sed nihil facilè reperiatur mulierum profluuio magis monstrificum. Acescunt superuentu musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus insedere, decidunt; speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur; acies ferri perstringitur, eborisque nitor: aluei apum emoriuntur: æs etiam, ac ferrum rubigo protinus corripit, odórque dirus aërem: & in rabiem aguntur gustato eo canes, atque insanabili veneno morsus inficitur.* Hæc tu omnia transfer ad animam, quam priùs illustrauerat, ornauerátque charitas, & quæ charitati semper assistunt virtutes, & dona; & reputa obscuratum esse aurum, mutatum colorem optimum, & dissoluto, ac fœdato regio quondam domicilio dispersos esse lapides sanctuarij per platearum capita; & omnia denique contigisse quæ in Rege Tyro expendebamus cap. 28. & in Rege Babylonis Isai. cap. 14. Erat sanè pëtapolis vber, & amœna, &, si vspiam aliquid in terra, paradiso Dei similis, Gen. cap. 13. v. 10. Sic tamen habitatorum intemperantia illam contaminauit, vt non illa solùm horribili esset clade fœdata, sed halitum aspiraret fœtentem, & circumfusis latè regionibus molestissimum. De quo Tacitus lib. 21. & Strabo lib. 16. De quo est illud Psal. 106. v. 34. *Terram frugiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.* Erat terra promissionis vbertatis eximiæ, in qua cypreta pretiosissimo, atque fragrantissimo stillabant balsamo. At vide quid fecerit peccatum, sic corrupit terram, quam propter balsami gratissimum odorem admirabantur populi, vt iam grauem haberet, & fœtentem halitum, & sic esset contaminata, ac turpis, vt nauseam moueret non secus, ac pannus menstruatæ. Dixit hoc optimè Gregorius lib. 14. Moral. c. 10. cùm exponeret illud Iobi cap. 18. *Aspergatur in tabernaculo eius sulphur, deorsũ radices eius siccentur. Sulphur, inquit, quid aliud quàm fomentum ignis est: quod tamen sic ignem nutrit, vt fœtorem grauissimum exhalet! Quid itaque in sulphure nisi peccatum carnis accipimus?* &c.

Sanguis menstruus valde fœdus, & noxius.

32. *Peccati damna.*

Vers. 18. *Et effudi indignationem meam super eos, pro sanguine, quem fuderunt super terram: & in idolis suis polluerunt eam.*] Significat hîc Deus admisisse Iudæos illa, propter quæ pœnas illas expendere debuerint, quas ab illis exegere Chaldæi, quia nempe sanguine fœdauerunt terram, siue eorum, quos hostilibus prosequebantur odiis, aut filiorum, quorum sanguine placare sibi Deos voluerunt, & ab illis promereri gratiam: & quia aras excitauerunt impias, in quibus gentilico ritu diabolo litarent. In illo, *effudi indignationem meam* magnæ alicuius offensionis argumentum ostenditur. *Effundo* namque non stillam connotat, aut rorantem aspergínem, sed aliquid cum impetu diffusum, & ea quantitate, vt nihil neque in ipso fundo vasculi supersit. Deinde cogitare nos iubet furorem illum in Dei patiente, atque expectante animo sensim esse collectum, quem cùm diu apud se longa expectatione compressisset, tandem euomuit. Neque enim Deus (de quo Psal. 7. *Deus fortis, & patiens, numquid irascetur per singulos dies.*) cùm peccator quotidie Dei indignationem instimulet, & iram in illius pectore thesaurizet, statim aculeos exerit, aut suo sibi satisfacit furori; sed cùm diu sustineat, & expectet errantem, ad extremum quicquid conceperat indignationis effundit. 33.

Effundo abundantiã indicat.

Vers. 20. *Et ingressi sunt ad Gentes, ad quas introierunt: & polluerunt nomen sanctum meum.*] Causam aperit, cur tam benignè, ac sedulò de populo suo restituendo, atque exornando deliberet; quia non patitur Deus nomen sanctum suum in leui- 34.

tatis,

tatis, atque infirmitatis suspicionẽ venire. Cùm enim Gẽtes omnes, in quas euersa patria dispersi fuerant Iudæi, nossent populum electum à Deo, in illius esse tutela, ac fide; videréntque subesse Chaldæorum imperio insolenti, ac duro, cogitare poterant in Deo potentiam desiderari, ac fidem, qui aut non posset, aut si posset, nollet creditum sibi populum ab ea seruitute, quę putabatur æterna, liberare. Quorum alterũ Deum perfidiæ, alterum infirmitatis argueret. Ex quo etiã coniectabant potentiores esse Gentilium Deos, quorum hostes auxilio, ac numine regiones subegissent Iudaicas; & templum, quod illius esset quasi regia sedes, impune subuertissent. Quod sanè fecisse videntur, qui cum Balthasare sacrilegum iniere conuiuium, dum productis ad profana ministeria templi vasis, & in illis propinato vino etiã concubinis, Deos suos aureos, ligneos, ac lapideos laudabãt. Haud dubiè vocabant illos potentes, inuictos, qui Deo Israël longè superiores extitissent. Hinc Dominus dicit à captiuis Iudæis suum nomẽ esse pollutum; quia ex illorum sordibus, atque seruitute, coniectabant infirmũ esse, aut infidelem Deum, cuius se Iudæi religioni deuouerant. Quam notam diuinum nomen ne subiret, faciendum sibi Dominus existimauit, vt liberato populo, & Babylonici imperij fracta potentia, fidelem se, atque potentem ostenderet, suúmque nomẽ assereret à calumnia. Eodẽ consilio dixit, cùm de eodem populo redimendo ageret, eadem propè verba Isai. cap. 52. vers. 5. *Iugiter tota die nomen meum blasphematur: propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* & cap. 48. v. 9. *Propter nomen meum longè faciam furorem meum.* Vide quæ nos in hæc loca pluribus.

Gentes de Dei nomine, qua iactabant indigna.

35. Vers. 21. *Et peperci nomini sancto meo, quod polluerat domus Israël.*] Hæc satis abundè probant, quæ hactenus dicta, nẽpe Deum curam habuisse de bono nomine, & ea maximè ratione adductũ, vt in libertatem assereret, & gloriam populum ærumnosum, & exulem. Hìc nota dicendi modum, quo illi parcere, aut concedere aliquid dicimur, cuius auctoritate, aut precibus adducimur, vt ignoscamus, aut aliquid largiamur alteri. Sic filio capitalis supplicij reo, cuius propter parentis merita princeps ignoscit, optimè diceret; parenti tuo parco, aut vitam tuam parenti condono. Sic Deus dum captiuis ignoscit, eximítque ex duro Chaldæorum imperio, suo dicitur pepercisse nomini; quia illis ea maximè de causa pepercit, vt sui nominis sanctitati consuleret. Hanc explicationẽ offert L X X. translatio, qui ita reddunt, *Et peperci eis propter nomen meũ sanctũ.*

Deus nominis sui rationem habet.

36. Ex hoc zelo diuini nominis ab omni calumnia vindicandi orta est illa sanctorum Patrum, ac Prophetarum frequẽs, ac propè legitima precatio: vt gloriam opponerent tanti nominis. Sic Psal. 78. v. 9. *Propter gloriam nominis tui Domine libera nos.* Dan. 3. v. 49. *Erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo.* Iudith cap. 7. v. 24. his verbis consolatur obsessos, *Forsitan indignationem suã abscondet (Deus) & dabit gloriam nomini suo.*

Dei nominis quantus honor.

37. Vers. 23. *Et sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est.*] Nomen Dei sumi pro Deo vsque adeò frequens est, vt multi putent hanc vocem שם *sem*, quod *nomen* valet, vnum esse de diuinis nominibus. Sic sanè putat auctor lexici Chaldaici, quod est in apparatu Bibliæ regiæ. Quod si ita hoc loco sumitur, quod profectò mihi non displicet, sensus erit: ostensurum esse Deum longè à se abesse notam illam, quam sibi

Nomen Dei pro Deo.

A Gentes ea persuasione deceptæ, de qua proximè, hærere existimabant. Sanctificare autem idẽ est, quod sanctum esse ostendere, venerabile nempe, & à quo omnis abesse debeat perfidiæ suspicio. Pollutus verò dicebatur Dominus inter Gentes, quia reus arguebatur aut violatæ fidei, aut diuinitatis immeritò susceptæ. Quod tunc demum falsum esse cognoscent, cùm Babylonios cũ suis idolis victos esse videant, & populum antè captiuum in suos fines cum gloria reuocatum.

Vers. 25. *Et effundã super vos aquã mundã.*] Hic locus variè ab interpretib⁹ accipitur, & quocũque sumas modo difficiles habet explicatus. Quidã in his verbis nihil agnoscunt spirituale; sed temporale aliquid, qualis est libertas, fructuum abũdantia, & ab illis incõmodis exẽptio, quibus sub barbaro dominatu iactabantur Iudæi. Hæc verò omnia cùm sordium nomine significentur, (quia qui lugent, & vitã agunt ærumnosam, & tristem, iacere dicuntur in squalore, & sordibus) optimè seruata metaphora mundari dici possunt aquarũ aspersione. Aqua porrò munda vocatur, quia neque nimbosa est, neque cum grandine, & fulmine violẽter effunditur; quæ apta est, vt fœcundet agros, & illas emũdet sordes, quæ à fame sunt, & alias quascũque, quas angusta vita, & seruilis cõditio contraxit. Ita putant ex Hebræis nonnulli. 38.

B

C Sed hãc sententiã ex ipso capitis textu multa confutant. Quomodo enim aqua, quæ è nubibus à sole liquefactis effunditur; aut quæcumque alia metaphorica, quæ spiritualis non sit, mundare potest quemquã ab idolis? Quomodo sublato veteri, nempe carnali, ac crasso, spiritum inseret cœlestem, & nouum? aut pro lapideo, seu obstinato corde, cor carneum, & molle sufficiet. Quare hæc Hebręorum cogitatio nulla se ratione, neque simulata quidem tutari potest. In eo tota vertitur quæstio, an cùm in aqua gratia intelligatur, quæ emundat animam, & spiritum innouat, de illa gratia sermo sit, quæ propria est temporis Euangelici, an de illa, quæ in Testamento veteri, per Christum tamen ab spirituali inquinamento mundabat. 39.

D

Quidam de gratia Testamenti veteris vaticinium istud esse credunt. Ita Chaldæus, Hugo, Isidorus, Rab. Dauid, neque omnino abnuunt Dionysius, & Lyra, qui hæc accipiunt de reditu captiuorum ab exilio, licèt hìc etiam auctores inter se dissentiant. Nam Hugo, & Isidorus hæc de aspersionibus intelligunt, quæ in lege fiebãt, quæque extra Hierosolymã exerceri nefas erat, quales erant illæ, de quibus Num. c. 19. vbi populus expiabatur aqua, cui vaccæ rufæ cineres essent admixti: quam etiam sententiam indicat Chaldæus paraphrastes. Sed multa sũt quæ huic cogitationi manifestè repugnant; maiora etenim promittit Deus, quàm quæ præstari possint à vitulæ cineribus, aut ab aliqua alia aspersione, si qua erat, vt putat Hugo, in celeberrimo expiationis die. Neque legalis munditia, familiariaque Hebræo populo baptismata cõ aspirabant, aut id assequebantur, vt animam à peccato mundarent, aut spiritum inderent nouum, & ex lapideo corde cor efficerent carneum. 40.

E

Alij spiritualiter hæc accipiunt, de gratia, puta, quam per Christum olim consecuti sunt Iudæi, quæ optimè aqua appellari potest munda; quia sicut aqua sordes à corpore, sic gratia peccatum ab anima depellit. Et quidem Spiritum sanctum aquã vocari, seu flumen, satis notum. Sanè Ecclesia hunc Ezechielis locum Spiritui sancto in vigilia Pentecostes accommodat. Ambrosius 41.

Aqua Spiritus sancti symbolum.

brosius lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 20. *Discant, inquit, non solum aquam, sed etiam flumen dictum Spiritum sanctum, secundum quod lectum est Ioan. c. 7. Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ; hoc autem dicebat de Spiritu sancto, quem accepturi erant.* Idem Augustinus tom. 9. in epist. 1. S. Ioan. tractatu 6. Et Christus Spiritum sanctum, aut gratiā aquam appellauit viuam. Quòd autem de gratia sub tempus Babylonicæ libertatis sermo sit, multa suadent. Primùm, quia quæ proximè præcessere tempus illud indicant Babylonicum; *Et adducā vos in terram vestram*, & quæ mox sequuntur, *Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris.* proculdubio tempus spectant antiquum; neque videtur consentaneum, vt quæ interiecta sunt, ab illo

42. tempore distrahātur. Secundò, quia historia ipsa sacra, & textus ipse non obscurè docent aquam hanc, de qua nunc agimus, datam esse Iudæis. Nam egisse dicuntur pœnitentiam, quæ si vera est, qualis planè fuisse significatur, non solet à gratia, siue Spiritu sancto destitui. De hac pœnitentia infrà vers. 31. *Recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorúmque non bonorum; & displicebunt vobis iniquitates vestræ, & scelera vestra.* Et lib. 1. Esdræ cap. 10. cùm antecessisset dolor, atque confessio pœnitentis animi, additur statim in principio capitis, *Sic ergo orante Esdra, & implorante Deum, & flente, & iacente ante templum Dei, collectus est ad Deum de Israël cœtus grandis virorum, & mulierum, & puerorum, & fleuit populus fletu multo.* Tertiò, quia cùm Euangelij tempore Iudæi idola non coluerint, non videtur de illo Euangelico sæculo dici posse, *Mūdabimini ab vniuersis idolis vestris.* Rationes istæ reddunt posteriorē hanc sententiam non improbabilem. Verùm quia minùs illi fauent Patres, & interpretes, & communis Ecclesiæ consensio; aliò nobis penè necessariò abeundum est.

Iudæorum post reditū, pœnitentia.

43. Dico igitur hæc spectare aureum verè sæculum ætatis Euangelicæ, & promitti nobis viuificam aquam, quæ sordentem animam à peccatis emaculet, quæ in Baptismo Christiano ritu in hominem effunditur. Hæc est, vt dixi, communis Patrum, & auctorum sententia, illorum quoque, qui suprà contrà sentire videbantur. Hugònis etiam qui minùs æquus erat in illam: nam in sensu mystico locum hunc ad aquam baptismalem accommodat. Sentit apertè Hieronymus, & Theodoretus hic, sentit Cyprianus lib. 1. epist. vltima, & lib. 4. epist. 7. S. Thomas 3. p. q. 69. art. 1. argum. *sed contra*, & cum illo omnes penè Scholastici, cùm agunt de Baptismo. Quàm facilè, quę dicta sunt ab Ezechiele, in sacrum hoc, & piaculare Baptisma conueniant, nemo non videt: quare huius rei confirmandæ nulla mihi necessitas imponitur. Superest, vt quæ contra hanc sententiam pro superiori cogitatione produximus, minus illi incommodare demonstremus.

Baptismi vis, & natura.

44. Prima ratio ex eo negabat hæc spectare Euāgelij tempus; quia qui mediam hanc sententiam amplectuntur, non videntur posse à Babylonico tempore secerni. Cui ego rationi sic videor ex vsu Scripturæ sacræ maximè apud Prophetas satisfacere; vt enim pluribus ostendimus in nostris commentariis in Isaiam ad illud cap. 45. *Rorate cæli desuper.* cùm sermo propheticus in typo versatur Euangelici temporis, aut illius aliquod se vestigium ostentat; quasi ex inopinato, ac subitò gradus fit ex vmbra ad veritatem; & è vestigio ad vmbram sermo reuertitur. Isaias cap. 45. de hoc ipso tempore loquebatur, de populo vi-

REGVLA. *Ex veteri ad nouum Testamentū gradus fit, [illegible]*

A delicet, quem Cyrus vindex liberum in patriam redire iussit. Cúmque in Cyro imago quædam appareret Christi, à quo maior sperabatur libertas, ad Christum statim erupit propheticus spiritus, clamauitque, *Rorate cæli desuper.* & confestim interrupta cōtexuit. Sic Iacob cùm in Samsone populi liberatorem agnouisset, dixissétque de filio Dan, *Fiat Dan coluber in via.* arreptus in Christi cogitationem dixit, *Salutare tuum spectabo Domine.* Plura inuenies exempla in nostris cōmentariis ad locum Isaiæ, de quo nuper. Cùm ergo magna Deus promisisset populo captiuo, & in his, vt nemo dubitare potest, munditiem à sordibus in exilio contractis, excitauit cogitationem

B ad nobiliorem libertatē, & ad piaculare Baptisma, quod multo potétius est ad eluendas ex animo sordes, quàm quoduis aliud humanū, & cōmune ad abluēdū corpus, aut vestes emaculādas.

Ad secūdum dicimus potuisse quidem eo tēpore Iudæos à peccato purgari, & ita ex dictis videri contigisse; quia illos superioris vitæ pœnitentia subiit. Sed hoc nullo incommodat modo communi sententiæ; neque enim necesse est, si illi tunc fuere à spirituali inquinamento purgati, de munditia illa fuisse hoc vaticinium; aut nihil hîc agi de modo expiādorum criminū, qui Euangelij temporis proprius, & familiaris est.

Neque illud difficilius, quòd mundādi Iudæi 46.

C dicuntur ab vniuersis idolis. Nam vt demus, quo tempore institutum fuit Baptisma, nullum esse apud Iudæos idolū, quod mox paulo accuratiùs expendemus; tamen omne vitium, quod hominum animos occupauit, cuíque se homines penè constrictos addixerunt, ex sacræ Scripturæ vsu idola vocantur. Sic Paulus auaritiam idololatriā vocat ad Ephes. cap. 5. vers. 5. Et ventrē appellat Deum illorum, qui gulæ seruiunt, & abdomini suo, ad Philip. c. 3. v. 19. & lib. 1. Reg. cap. 15. v. 23. inobedientia appellatur crimen idololatriæ, aut illi simile. *Quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Sanè vulgus hominum iam olim scelus quodcūque, aut id, cuius studio, atque amore quisque

Idola vocātur, seu Dij, illa, quibus homines immoderatè, aut illicitè feruntur.

D capitur, illius appellatur idolum. Hieronymus dum explicat illud Psalmi 80. *Non erit apud te Deus recens*, id apertè docet. *Cui Deus, inquit, venter est, Deus ei recens est. Quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est. Vidi mulierem, & concupiui, libido mihi Deus est. Vnusquisque enim quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est. Auarus aurum Deum habet.* Iuxta hanc Scripturæ, & doctorum hominū consuetudinē, homines illi, quos cepit ambitio, aut tenet auaritia, aut quibus dominatur libido, aut alius quicumque immoderatus affectus, idololatræ sunt; & dum ab his liberantur vitiis, ab idolis dicuntur liberari. Quare idoli nomen ni-

E hil officit communi sententiæ.

Nunc exploremus an sub Euangelij tempus, 47.
aut quādo institutum est lustrale Baptisma, prodita religione patria, vt antea sæpe idola coluerint Iudæi. Sunt qui omnino negant, & in his latè Ribera in cap. 5. Micheæ, ad illud, *Auferam equos tuos de medio tui.* Galatinus lib. 4. cap. 24. Baronius tom. 1. Annal. anno Christi 72. Rationes illorum eiusmodi sunt, vt non facile quod suadere nituntur, persuadeant. Quarum vna est sumpta ex Iudæorum testimoniis, qui aut nihil dicunt de hoc idolorum cultu sub nouissimum illud tempus, aut præcisè negant. Quorū prius parum vrget viros doctos, qui in auctoritate negatiua non multum putant esse momenti: posterius

rius

Iudæi post reditũ idola coluerũt. rius verò nõ multo grauius est; quia Iudæi dum suo sibi nomini impensiùs student, quid historica fides, ac veritas postulet, non admodum laborant. Vide illorum testimonia apud Galatinum lib. 4. c. 24. Neque sanè mirandum, si aliquid aut sileant, aut affingant veritati in re non adeò graui, cùm contra quàm Canonica sacrarum literarum fides præscribit, aliquid interdum fabulentur. Adde quòd iidem negant Iudæos postquam in patriam è Babylone remigrarũt, idola coluisse, quod nescio quomodo illi, qui mediocriter in lectione sacra versatus est, suadere possint. Constat enim Machabæorum tempore impletam esse non vrbem solam, sed etiam templum Gentilium sordibus, & multos quasi iam Iudæorum religionem abiurarent, adduxisse præputia. Vide quæ de Iasone, ac Menelao scribuntur lib. Machab. 2. cap. 4. & 5. Quid verò à Machabæorum tempore ad tempus vsque Christi Iudæis acciderit, aut quod instituerint viuendi genus, nihil habemus certum. Ab eo quippe tempore canonica silet historia; est tamen non improbabile, nihilo fuisse maioribus suis meliores, & sicut antea parentibus, non illis displicuisse religionem externam.

48. Altera ratio est, quia vt Christus Iudæis alia obiecit crimina, non omisisset tacitum, quod omnium putabatur grauissimum, nẽpe idolorum cultũ. Huic ego rationi sic occurro, exprobrasse Christum quędã crimina Sacerdotibus, ac Scribis, hypocrisim, auaritiam, &c. qui cùm in tẽplo essent, ac de altari viuerent, aut laudẽ sibi ex sacrarum literarum intelligentia captarent, videri studebant religiosi, & paternarum legum obseruantissimi. Atque ideo hi curabãt studiosissimè, vt tradit suprà Baronius ex Iosepho, ne quid Iudæorum sacris admisceretur Gentilicum: cum reliqua autem turba confusa, atque ignobili aut abstinuisse ab obiurgatione seuera, aut egisse parciùs. Non est autem incredibile in vulgari, atque plebeia multitudine fuisse non paucos, qui ex Romanorum cõsuetudine, qui rerum in ea prouincia potiebantur, aliquid traherent Gentilicũ, cùm videamus plerumque cum statu, atque imperio mutari quoque religionem. Neque verò in sola Hierosolyma morabantur Iudæi, sed erant per totam terrã promissionis diffusi, imò & extrà in varias regiones, quas Gentilica imbuerat superstitio, quas Lucas enumerat Act. cap. 2. *Erant autem in Ierusalẽ habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est, &c. Parthi, Medi, & Ælamitæ, &c.* Et quis credat nõ fuisse quamplurimos in tot regionibus, vbi tam diu, tamque potenter diabolicus cultus insederat; qui eãdem cũ indigenis religionẽ amplecterentur? quorum saluti cõsulendum fuit, & prouidendũ, vt aqua Baptismi expiatoria ab idolorũ sordibus mundarẽtur.

Sub Christi aduentum Iudæorum aliqui idololatræ.

49. Neque desunt cõiecturæ, quæ docent quo tẽpore Baptismus institutus fuit inter Iudæos, aliquem esse gẽtilicæ religioni locum. Nam Simõ Magus erat, & vt ipsum nomen ostendit, ex Hebræorum genere. Itẽ Barieu, seu Bar-Iesu, de quo Act. 13. qui sine dubio, vt eo loco docuimus, Iudæus fuit; at qui artem illam exercebant magicam, aut idololatræ erant, aut non longè aberant ab idololatris. Adde, quòd paulo pòst, vt docent etiam scriptores profani, cùm inter Gentes agerent Iudæi, vt characterem Iudaici generis è sua carne delerent, adducebant præputia; ne quis illos Iudaicæ religionis argueret. Quo consilio prius, vt cùm nudi in Gymnasium prodirent certaturi cũ Græcis, quibus similes videri cupiebãt, eandem notam deposuisse traduntur. Vt docet Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 6. Sane Iosephus idẽ Alexandri cuiusdam meminit, Alabarchæ cuiusdam filij (nomen id est amplissimi apud Iudæos magistratus) qui patria religione deserta, ad Romanorum sacra, & ritus gentilicos transfugit. Quòd si vir tantus idolorum cultor esse voluit, vero quàm simillimum est, ex ignobili turba plures alios auitam prodidisse religionem.

Iudæi abiurata religione præputia deponũt.

Facit ad hæc quod Herodes, cuius sine dubio 50. consilia plurimi Iudæorum, quibus ipse præerat, probarent, sequerentúrque, ea fecit, quæ omnino probarent omnibus ipsum ab idolorũ cultu animum alienum non habuisse. Vt enim tradit Iosephus lib. 1. de bello, cap. 16. templum construxit, consecrauítque Cæsari in vrbe, quam ab eius nomine vocauit Cæsareã; in eóque Cæsaris colossum excitauit non minorem, quàm Iouis Olympiaci. Cùm verò templi moles diuinum aliquid oleat, (neque enim nisi diis suis Gentiles templa consecrabant, & imperatores suos siue errore decepti, siue adulatorio blandimento intemperantiùs obsequuti, diuorũ nomine dignabantur; & quocumque id cõsilio, siue studio facerent, diuinos illis honores deberi profitebãtur. Cùm tẽplum Cæsari dedicauit Herodes homo Iudæus, idololatram se esse professus est: id enim facere non poterat, nisi patria religione deserta.

Ex his constat quomodo Iudæi ab idolis in- 51. stituto à Christo Baptismo mundari potuerint, neque esse quicquam, quod vetet aquam illam mundam esse Baptismum.

Vers. 26. *Et dabo vobis cor nouum, & spiritum no-* 52. *uum ponam in medio vestri.*] Cor pro voluntate plerũque, atque amore ponitur; spiritus pro motu, ac pulsu quo quis ad aliquid agendum incitatur, quodcumque illud sit. Vnde dicitur *spiritus ardoris, compunctionis, fornicationis, zelotypiæ,* quia hominum animos instimulat, ac turbat, rapitque ad illud, quod affectui violenter incitato proponitur. Ex quo intelligitur quid sibi velit illud Prouerb. 19. *Totum spiritum suum profert stultus,* id est, nescit stultus cohibere acriores animi motus, sed illos totos intemperanter effundit. Hunc spiritum Athanasius lib. de Spiritu sancto, non longè à principio spiritum hominis creatum intelligit, qui renouatur: qualem petebat sibi Dauid, cùm dicebat Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Quem,* inquit, *spiritum creatum intelligere possumus, nisi eum, qui in hominibus reformatur, ac renouatur? Siquidẽ per Ezechielẽ promisit Deus: Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo vobis, & auferam lapideum cor de carne vestra.* Idem penè hîc Hieronymus. Habe- 53. bat populus ille terrestris, & indocilis cor antiquum, quod nimirum ab Adamo hauserat terreno patre, durum, indocile, quod iure possis appellare lapideum, quòd sic se interdum defigit, atque offirmat in malo, vt neque remollescat officiis, neque inflectatur, aut frangatur aduersis. Cor planè terrenum, quod terrena spectat, terrenis inuigilat; his denique rebus capitur, & afficitur, quas appetit ea hominum portio, qua vident, & sentiunt. Spiritus autem, qui cor illud antiquum, & terrestre pellunt, & exagitant, antiqui etiam sunt, & terrestres, quales inesse solent mutis animantibus feri, molles, lasciui, superbi; qui non aliter dominantur in homine, quàm in quacumque alia natura rationis experte.

Spiritus propriè quid.

Cor carneũ, ac lapideum quid.

Cùm autem aureum illud tempus aduenerit, 54.

de quo hic Propheta, dabitur hominibus cor nouum, excelsum, nobile, regium, quod cœlestia spectet, terrena despiciat, & vt dicebat Apostolus ad Coloss. cap. 3. *Quæ sursum sunt, quærant, quæ sursum sunt, sapiant, non quæ super terram.* Quòd si hæc de Baptismo capimus, quod plerique sentiunt, sane hæc in Baptismo conferri idem tradit Apostolus ad Galat. 3. dum à baptizatis Christũ indui docet, id est, cor: at spiritum Christi, in cuius quasi corpus coagmentantur. *Quicumque,* inquit, *in Christo baptizati estis, Christum induistis.* & clariùs ad Rom. c. 6. vbi & cordis antiqui iam mortui, & noui, seu renouati meminit, quæ omnia in Baptismo dantur hominibus. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo in Baptismo per Baptismum in mortem: & quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Hæc porrò tanta mutatio cordis, ac spiritus instar est generationis, in qua corrupto eo, quod antè præcesserat, totum aliquid nouum generatur. Ex quo etiam fit, vt recens baptizatus vocetur neophytus, id est, recens natus; at qui baptizatur dicatur nasci denuò, vt Christus ipse docuit Ioannis 3. cùm de Baptismo Nicodemum instrueret. Et ideo inquit homil. ad baptizandos Chrysostomus, Apostolum ad Titum cap. 3. vocasse Baptismum non lauacrum purificationis, sed generationis; *quia non nobis simpliciter peccata concedit, nec simpliciter nos purificat malis actibus implicatos, sed tanquam è cœlo generatos efficit.* Vbi etiam notandum, quod valde facit ad nostram sententiam, hîc etiam renouationis nomen audiri. *Per lauacrum,* inquit, *regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.* Datur ergo cor nouum, quoniam iam alia cogitat, alia appetit, ad alia aspirat homo, ex quo ab Adamo veteri, ad nouum Adamum Christum per Baptisma traducitur. Quid sit cor antiquum, quid nouum; qui noui spiritus, & qui antiqui, ostendit optimè Paulus ad Ephesios cap. 4. vbi cùm opera, aut spiritus antiqui cordis latè exposuisset, mox addidit, *Deponite vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominẽ, qui corrumpitur secũdùm desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est.* Deinde noui cordis, & nouorum spirituum opera persequitur. Plura hîc dici possent, quę tamen dici necessarium non est, cùm id scholastici negotij sit.

In baptismo homo renouatur, & à seipso deficit.

55. *Cur baptizatus dicatur neophytus.*

56. *Quid spiritus nouus.* Vers. 26. *Et spiritum nouum ponam in medio vestri.*] Spiritum hîc nouum, vt priùs dixeram, spiritum creatum intelligo, hoc est, affectus alios, ac motus, qui animam afficiant, ac pellant longè aliter, ac priùs. Amorem nempe alium, alium timorem, zelum, ardorem, tristitiam, & quæ Spiritus sancti dona vocantur, quæ ab ipso homo per Baptismum, & cum ipso etiam Spiritu sancto recipit. Illud *in medio vestri*, idem est, ac in corde vestro; cor enim in medio animantis est; vnde natum est vt à spiritu nouo cor etiam nouum sit, quia aliter viuit, ac mouetur quàm antea. Neque mihi difficile est illud & non tam coniungere, quàm rationem reddere; ideo enim cor nouum, quia spiritus datus est nouus in hunc sensum: *Dabo vobis cor nouum, quia spiritum nouum ponam in medio vestri, id est, in corde vestro.*

57. *Cor lapideũ quid.* *Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.*] Cor lapideum illud dicitur, quod est durum, obstinatum, indocile, quale priùs habuerunt Iudæi, quos Dominus dedolare voluit per Prophetas, attriuitque continenti penè flagello, neque tamen voluerunt accipere disciplinam. Quorum ceruicem ferream appellat Deus, quíque multis modis à sæculo confregerunt iugum, diruperunt vincula, dixerúntque, non seruiemus. Cor istud indocile, quod in lapidum similitudinem obduruit, facile ostendit veteris hominis ingenium, quod retinent illi, qui minùs se ad Christi exemplar, seu, quod idem est, Euangelij normam conformarunt. Hoc expresserũt olim profani, licèt huius mysterij prorsus ignari, dum ex saxis fingũt formatos homines, atque ideo in illis aliquid reperiri lapideũ. Ex quibus vnus Ouidius lib. 1. Metamorph.

———————— saxa
Missa viri manibus speciem traxere virorum,
Et de fœmineo reparata est fœmina iactu:
Inde genus durum sumus, experiénsque laborum,
Et documenta damus, qua simus origine nati.

Cor carneum non est illud, quod carnem sapit, & affectus habet, & motus carnalibus appetitionibus seruientes; hoc etenim sensu cor potiùs poterat appellari lapideum, lapidescit enim, quia non facile à carnis blandimentis abduci se sinit. Dicitur autem carneum, quia molle est, & facile ad alterius arbitratum fingitur, quod facile dolant Prophetarum oracula, & ingenio docili ad Domini vocem illico respondet, *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* & quale erat Pauli cor, quod cùm priùs esset spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, sic tamen temporis momento carnis in modum emollitum est, vt quemuis in se characterem admittere paratus dixerit, *Domine quid me vis facere.* 58. *Cor carneũ obediens, & docile.*

Vers. 27. *Et faciam, vt in præceptis meis ambuletis.*] Hoc opus est spiritus noui, & noui cordis non iam ampliùs suo se arbitratu regere, aut suæ obsequi libidini; sed abnegata voluntate propria morigerum se exhibere diuinæ. Ambulare non in desideriis carnis, sed in pręceptis Dei, & instar existimare mortis, si ab illis aberrare contigerit. 59.

Vers. 28. *Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris.*] Hactenus de tempore Euangelij, & de aqua munda, in qua Baptismum expressum esse diximus: nunc post longam parenthesim reuertitur Dominus ad tempus Babylonicum, à quo paulum videtur fuisse digressus, & promittit possessiones, quas iam olim obtinuere parentes; & à quibus ipsi ab hoste deturbati errarunt inter alienos extorres. 60.

Vers. 29. *Et vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem.*] Grauem famem subierant Iudæi extremis suæ reipublicæ temporibus; vel quia imber de cœlo negatus est, vt constat ex Ieremia cap. 14. vel certè, quia ad extremum obsessi sic angustè fame laborarunt, vt humanas carnes ad cibum adhibuerint, illam autem famẽ cœlitus immissam ipse docet Deus, dum ait, *Et non imponam vobis famem*, quasi dicat, famem illam ingentem, qua perfuncti sunt, & ad deserendam ciuitatem adacti immissam esse diuinitus. Vocare autem frumentum idem est, atque largiri, quasi Deus iubeat, vt frumentum redeat iterum, quod ab illa regione recessisse videbatur; vel quia terra per multos annos sementem non acceperat, id est, quia seminati quondam agri exaruerant siti, neque prouentum vllum cultoribus reddiderant. 61.

Vers. 30. *Vt non portetis vltrà opprobrium famis in Gentibus.*] Duo Iudæis ex fame angusta, & longa aduenerant incommoda. Et quòd ipsi dura, 62.

atque

atque horribilia paterentur à fame,& quòd eam ob causam Gentilibus essent in opprobrium; quia in maledictis obiiciebant,vt vidimus suprà vers. 13. quòd humanas deuorarent carnes. Ab vtraque ergo tam necessitate, quàm ignominia libertatem populo Dominus promittit.

63. *Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum.*] Qui ingenio sunt illiberali, ac rustico, stimulis docentur, & plagis, sicut animalium genus stolidum, & tardum: at ingenuis animis nihil æquè necessitatem imponit atque beneficia, quæ id efficiunt, vt grauius appareat, si quid est in benefactorem nostrum admissum; & nos duriùs excruciet admissi peccati cogitatio. Quod explicuit optimè Paulus ad Romanos cap.12.v.20.ex Prouerb.cap.25.v.21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.* Vtroque modo cor Iudæorum lapideum, vt ad officium, & fidem emolliret, oppugnauit, conficiendo priùs durè, & post hæc afficiendo molliter,& ornando miti,ac liberali manu. Quo consilio id tandem consequutus est,vt populum illum peruicacem,& saxeum admissæ culpæ pœniteret,& imposterum de Deo maiora,& de sua salute meliora cogitaret.

64. Vers.32. *Non propter vos ego faciam,ait Dominus Deus, notum sit vobis.*] Vanissimus ille populus tantum sibi apud Dominum tribuebat, vt suis meritis deberi omnia sibi fallaci blandimento persuaderet: quare aut gratiam in Deo, aut iustitiam requirebat, cùm vexari se ab hostibus animaduerteret; cùm tamen commeruisse se omne beneficium à Deo existimaret. Quare clamabat apud Isaiam c.58. v. 3. *Me etenim de die in diem quærunt,& scire vias meas volunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiæ, appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras,& nescisti?* Ne ergo suis sibi meritis ascriberent libertatem à Babylonico dominatu, & rerum abundantiam ab exculto iam, & fœcundo solo; ideo subdit non propter illorum merita factam esse illam rerum vicissitudinem, sed propter diuini nominis maiestatem, quod à Gentibus sacrilego sermone violari non vult. Sicut dixerat suprà vers.22. *Non propter vos ego faciam domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis.* Hoc idem dixerat Isaiæ cap.48. v. 11. *Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer.* Id verò notum omnino esse vult populo suo, cuius plurimi interest, ne quid sibi tribuat; aut in acceptis beneficiis,tanquam omnino suis sibi immoderatè placeat. Quod documentum maximè commendant spiritualis instituti magistri,ne quis dum secum agi videt liberaliùs insolescat, & se in humilitatis statione contineat, in quam diuini oculi sunt semper intenti.

65. Vers.33. *In die qua mundauero vos ex omnibus iniquitatibus vestris.*] Iniquitas hîc ponitur pro supplicio iniquitatis; pro exilio, seruitute, fame,& si quid est aliud, quod sibi peperit iniquitas mali. Hæc autem omnia sordium nomine significari solent: quare optimè ab his emundari dicuntur captiui, cùm in patriam non solùm liberi,sed etiam gloriosi, & rerum omnium abundantes consederunt.

66. Vers.34. *Quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris.*] Nemo relictus fuerat, qui excisæ ciuitatis ruinas incoleret; neque cuiusquam oculus intuebatur euersam,nisi qui illac,dum aliò diuerteret,casu præteriret. Quare speciem euersæ ciuitatis non aliis, quàm viatoribus proponit Ieremias Thren.cap.1.v.12. *O vos omnes, qui transitis per viam,attendite,& videte si est dolor,*&c. Desolatam ergo ciuitatem non alij viderunt, quàm viatorum oculi.

Vers.35. *Terra illa inculta facta est, vt hortus voluptatis.*] Quæ speciei sunt, & amœnitatis eximiæ, prouerbiali specie hortus dicuntur voluptatis, seu paradisus voluptatis, Ioel.2. v.3. aliquando paradisus Dei, Gen. 13. de Sodoma, & Ezechiel. cap. 28. v. 13. vide quid eo loco suprà diximus. 67.

Munita sederunt.] Sedeo multa significat; hoc tamen loco, vbi de ciuitatibus sermo est, *sedere* stabilitatem indicat,cùm præsertim vrbes quondam suffossæ, quæ sessuræ dicuntur, hoc loco munitæ esse scribantur. Ita communiter interpretes; quod ego etiam probo. Neque nescius sum hac voce significari etiam ciuium stragem; quia quæ sedent,illa strata sunt, neque videntur excitata stare,sed potiùs iacere deiecta. Sic Maro cùm cecidisse caneret Troiam, illam sedisse, aut,quod idem est,consedisse cecinit lib.2. 68.

Tunc verò omne mihi visum considere in ignes
Ilium,& ex imo verti Neptunia Troia.

Et lib.11.iterum,

Lumina tot cecidisse ducum,totámque videmus
Consedisse vrbem.

Sed quia desertis, atque suffossis munita opponuntur, dicendum est quod alij frequentes docent, *sedere* aliquid hîc stabile, ac firmum indicare.

Vers.36. *Et scient Gentes quæcumque derelictæ sunt.*] Quinto anno post euersam Ierusalem, finitimi quoque populi subacti sunt à Babyloniis, & solum vertere coacti. Non tamen sic ciuitates illæ spoliatæ sunt ciuibus, vt non superfuerint aliqui, qui matura se fuga subduxerunt, aut alio se modo à communi clade liberarunt. Hi ergo, quicumque sunt, agnoscent, quomodo Deus fidelis est, vt velit; & fortis, vt possit donare suos libertate, & cumulare beneficiis. Atque ideo, si quam alienam cogitationem imbiberant,illam deponent. 69.

Vers.37. *Adhuc inuenient me domus Israel, & faciam eis.*] Sicut olim intentæ erant diuinæ aures ad Iudæorum preces; quibus ad postulata præstanda diuina inflectebatur misericordia: sic etiam nunc significat facilè se sicut antea futurum ad illorum vota. Id enim valet illud, *inuenient me,* nempe propitium, & paratum, *vt faciam eis,*nempe quod ipsis in votis fuerit,aut ex vsu. 70.

Multiplicabo eos sicut gregem hominum, vt gregem sanctum.] Grex tam de hominibus dicitur,quàm de pecudibus, seu armentis. In tribus autem festiuitatibus infinitus penè erat Hebræorum conuentus in Ierusalem ex tota terra promissionis; nempe in Pascha,Pentecoste,& Scenopegia, seu festo tabernaculorum. Ait ergo Deus eam futuram esse frequentiam in ciuitatibus antè desertis, vt conferri possit cum illa, quæ in præcipuis solennitatibus obire solet religionis ergò Hierosolymam, vbi aliquid est hyperbolicum; sicut alibi in Scriptura non infrequens. 71.

IN CAPVT TRIGESIMVMSEPTIMVM.

ARGVMENTVM.

VATICINIVM, quod hic hieroglyphico symbolo instituit Propheta, optimè cum superiore coniungitur: vtrumque enim ad populi libertatem gloriosúmque reditum spectat. Proponitur autem hoc loco ærumnosus status captiui populi in aridis ossibus, quæ in campi superficie dispersa visebantur: deinde libertas in eisdem ad speciem priorem, & vitam restitutis. Deducit Dominus Prophetam primùm ad campum stratum ossibus vehementer aridis. Ad vocem autem Prophetæ magno strepitu commouentur ossa, & ad suam quæque iuncturam, & sedem adducuntur; pòst compacta ac vincta neruorum nexu teguntur carnibus; ac denique iuxta naturæ modum temperatis inducitur cutis, & spiritus inhalatur vitalis. Quæ symboli species & statum captiuorum exprimit, qui non longè abest à morte; & libertatis suauitatem, quæ instar obtinet vitæ. Deinde ostendit Deus cum duabus tribubus ex aliis decem reuocandos etiam alios ab exilio, qui tamen in eundem populum, & familiam, atque in idem propè corpus cum aliis coalescent: quod docet alio symbolo satis ad rem explicandam opportuno. Iubet enim Prophetæ vt sumat duas ligneas tabulas, in quarum altera Iudæ nomen inscribat, & illorum qui se illi, cùm dissectum est Israëlis imperium, socios addiderint: in altera verò nomen Ioseph, qui pater fuit Ephraim, penes quem aliarum tribuum imperium fuit. Et statim duas coniungat tabulas, & in manu circumferat, spectandásque præbeat Iudæorum oculis. Omnibus autem dicit Regem vnum, atque pastorem vnum esse præficiendum è Dauidico semine. Neque se eorum gloriæ, atque incolumitati defuturum, excitato in Israëlitide regione tabernaculo. Ex quo tandem docet cognituras esse Gentes fidelem esse Deum, & Israëliticam Gentem suæ commissam esse fidei. Hæc porrò cùm in Iudæorum populo completa fuerint; multò tamen gloriosiùs apparuerunt in Ecclesia, cuius restitutus, & ornatus populus typus quidam est.

CAPVT XXXVII.

1. *FActa est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini: & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.* A

2. *Et circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem campi, siccáque vehementer.*

3. *Et dixit ad me: Fili hominis, putásne viuent ossa ista? Et dixi: Domine Deus, tu nosti.*

4. *Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis: & dices eis: Ossa arida audite verbum Domini.* B

5. *Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis.*

6. *Et dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem; & dabo vobis spiritum, & viuetis, & scietis quia ego Dominus.*

7. Et

PARAPHRASIS.

1. APprehendit me manus Domini, & deduxit me in spiritu, atque constituit in campo, quem ingens ossium multitudo constrauerat.

2. Fecitque vt lustrarem, & circumspectarem omnia; quæ sanè magno numero iacebant in campi superficie dispersa, & vehementer arida.

3. Tunc Dominus ad me: Fili hominis, fierine putas, vt ossa hæc vsque adeò sicca reuocentur ad vitam? Cui ego respódi, nemini melius exploratum, quàm ipsi.

4. Et rursus ad me Dominus: Vaticinare, ô Ezechiel, de ossibus istis, & clama: Ossa arida audite quid per me Dominus nunciatum esse velit.

5. Ecce ego, dicit Dominus ad ossa, immittam vobis spiritum, qui vos iterum animet, & halitu vitali viuificet.

6. Hæc verò vitalis informatio, seu reanimatio hac ratione fiet. Primùm vos neruorum nexu colligabo: deinde induam, atque constipabo carnibus, quas inducta deinde cute tegam; ad extremum spiritum

A spiritum inducam animantem, à quo vitam habebitis, & tunc me Deum esse ex admirabili illa mutatione cognoscetis.

7. Et prophetaui sicut praeceperat mihi: factus est autem sonitus, prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam.

7. Tunc ego diuino obsecutus imperio prophetare cœpi. In ipso autem conatu, ac studio prophetandi, cùm adhuc propheticum verbum esset in ore, fit repentè sonitus ex commotione, collisionéque ossium, quæ ex variis congregata partibus in suas se iuncturas, ac sedes referebant.

8. Et vidi, & ecce super ea nerui, & carnes ascenderunt: & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant.

8. Et vidi quemadmodum ossa ad B suam quæque iuncturam reuocata, ligarentur neruis, tegerentur carnibus; ac denique omnibus iuxta naturæ modum coeuntibus, ac temperatis induceretur cutis; neque tamen vllum habebat vitalem, & animantem halitum.

9. Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad spiritum: Hæc dicit Dominus Deus: A quattuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant.

9. Et iterum Dominus ad me: Vaticinare adhuc fili hominis, vaticinare, inquam, & aduoca spiritum; cui dices meo nomine: A quatuor mundi plagis perfla spiritus, & vitali inflatu in horum corpora interfectorum illabere, vt te animante, ac C viuificante statim ipsa reuiuiscant.

10. Et prophetaui sicut præceperat mihi: & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.

10. Prophetaui igitur sicut præceptum mihi fuerat à Domino; & illapso in ea spiritu reuixerunt ossa; & stetit recto vestigio suis innixus pedibus exercitus copiosus valdè.

11. Et dixit ad me: Fili hominis, ossa hæc vniuersa, domus Israel est. Ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi sumus.

11. Aperuit statim mihi Dominus quod obscurum hoc ænigma portendebat; dixitque: In his ossibus, ô fili hominis, filiorum Israel fortuna, atque status exprimitur. Qui dum afflictam sui generis conditionem vident, sic vicissim inter se me- D ditantur, dicúntque: Eò redacti sumus, vt similes illis censeri possimus, qui iam dudum in viuis esse desierunt; quorum ossa sic exaruerunt, vt spes omnis viuendi, ac spirandi sublata sit: aut certè non absimiles plantæ, quæ vbi abscissa est à terra, neque succum attrahit vitalem, neque spem habet vllam recuperandi speciem, quam amisit.

12. Propterea vaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego operiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus: & inducam vos in terram Israel.

12. Propterea vaticinare, & meo nomine dic ad illos meis verbis: Ecce ego vos eo modo ab exilio, seruitute, atque E extrema conditione eximam, atque sic apertis sepulcris mortuos ad vitam, & spirabilem auram excitabo; & in patriam, à qua iam pridem excessistis, reducam.

13. Et scietis quia ego Dominus, cùm aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris, popule meus:

13. Et tunc vos, ô popule meus, cognoscetis Deum esse me, cùm vos in libertatem, ac patriam reuocaro, quomodo si quis sepulcra reseret, & inde cadauera iam tabe putrida, aut nuda ossa, atque arida, ad vitam, à qua priùs exciderant, restituat.

14. Et dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis, & requiescere vos faciam super humum

14. Cognoscetis, inquam, Deum esse me, cùm spiritum meum vobis, quasi animantem

mum vestram: & scietis quia ego Dominus locutus sum, & feci, ait Dominus Deus.

15. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens:*

16. *Et tu fili hominis sume tibi lignum vnum: & scribe super illud: Iudæ, & filiorum Israel sociorum eius: & tolle lignum alterum, & scribe super illud: Ioseph ligno Ephraim, & cunctæ domui Israel, sociorúmque eius.*

17. *Et adiunge illa, vnum ad alterum tibi in lignum vnum: & erunt in vnionem in manu tua.*

18. *Cùm autem dixerint ad te filij populi tui loquentes: Nonne indicas nobis quid in his tibi velis?*

19. *Loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam lignum Ioseph, quod est in manum Ephraim, & tribus Israel, quæ sunt ei adiunctæ: & dabo eas pariter cum ligno Iuda, & faciam eas in lignum vnum: & erunt vnum in manu eius:*

20. *Erunt autem ligna, super quæ scripseris in manu tua, in oculis eorum.*

21. *Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt: & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum suam.*

22. *Et faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Israel, & rex vnus erit omnibus imperans: & non erunt vltrà duæ gentes, nec diuidentur ampliùs in duo regna.*

23. *Neque polluentur vltrà in idolis suis, & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis: & saluos eos faciam de vniuersis sedibus, in quibus peccauerunt, & emundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus.*

24. *Et seruus meus Dauid rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum: in iudiciis meis ambula*

A mantem formam inhalauero; qui vitam vobis, & speciem inducat, quam in patria vestra quietam traducatis. Cognoscetis, inquam, ait Dominus, esse me Deum, qui quod prolixè promitto, fideliter impleo.

15. Post hæc locutus est ad me Dominus iterum, & dixit:

16. Fili hominis, sume duas ligneas tabulas, in altera scribe verba hæc: *Hæc tabula dicata est Iudæ, & illis, qui à principio adhæserunt ex filiis Israel.* In altera, *Hæc tabula* B *dicata est Iosepho Ephraimitarum parenti, & cunctæ domui Israel, & iis, qui se illi socios addiderunt.*

17. Has porrò tabulas ita coniunges, vt ambæ in vnam coaluisse videantur; illas verò inter se coagmentatas gestabis manu, & populo tuo spectandas propones.

18. Cùm autem contribules tui abs te rogent, aut etiam conuitio efflagitent, vt quid sibi portentum illud velit, edoceas.

C 19. Sic ad illos loqueris: Ecce ego, dicit Dominus, sumam lignum Ioseph, in quo regnum exprimitur Israel, quod fuit olim in manu, ac potestate Ephram, qui genus suum deduxit à Ioseph, & tribus alias, quæ illi se quondam adiunxerunt secutæ factionem Ieroboam, & illas coniungam cum ligno, in quo Iudæ genus, & imperium exprimitur; & faciam vt tribus olim locis, animísque diuersæ in vnam coëant familiam, & in vnum quasi corpus coagmententur. Tunc omnes tribus antè dissectæ in vnum locum, ordinémque D conuenient, quarum imperium, & potestas erit sicut multis antea sæculis in tribu Iuda.

20. Assumes porrò tabulas, in quibus superiora verba notaueras in manu tua, illásque tuorum oculis conspiciendas circumferes.

21. Et dices ad eos meo nomine. Ecce ego euocabo filios Israel, ex omnibus locis ad quæ dispersi sunt, & in terram suam redire faciam.

22. Et faciam vt ad antiquos fines reuocati, vnam gentem, populúmque con- E stituant. Vnius Regis suberunt imperio; neque duo regna vocabuntur ampliùs, aut gentes duæ.

23. Neque vlteriùs sequentur Idola, quibus se priùs contaminarunt; abducam enim ab omnibus locis, in quibus olim peccauerunt, & à sordibus, quas inde contraxerunt, emundabo: & vt illi me Deum; sic ego illos meum esse populum agnoscã.

24. Omnibus simul vnus præerit Rex, & vnus Pastor è Dauidico genere prognatus;

ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea.

A tus; à præceptis meis non abibunt deuij, quæ sedulò custodient:& opera sua ad voluntatem meam tanquam ad certam normam explorabunt.

25. Et habitabunt super terram, quam dedi seruo meo Iacob, in qua habitauerunt patres vestri:& habitabunt super eam ipsi, & filij eorum,& filij filiorum eorum, vsque in sempiternum:& Dauid seruus meus princeps eorum in perpetuum.

25. Incolent rursus terram, quam ego ex omnibus vnam Israeli habitandam tradidi; quámque parentes vestri quondam habitarunt. Neque ad modicum tempus illa commoratio producetur; hærebunt enim in illa tanquam in possessione propria tam ipsi, quàm filij, & nati natorum, & qui illis in æternum succedent; neque alius in illos exercebit imperium, præter illum, qui Dauide patre natus est.

26. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis:& fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum.

26. Et pacisar cum illis fœdus, quod pacem ipsis, & tranquillitatem inducit. Fœdus sempiternum erit mihi cum illis. In B stabili illos hæreditate fundabo, augebóque numerosa sobole; neque vnquã templum, quod meum esse volui domicilium, ab illorum finibus amouebo.

27. Et erit tabernaculum meũ in eis:& ero eis Deus,& ipsi erunt mihi populus.

27. Templi verò, seu tabernaculi mei in eorum regione perpetuam sedem, id consequetur, vt & ibi ego Deus sim illorum,& meus ille contrà populus sit.

28. Et scient Gentes quia ego Dominus sanctificator Israel, cùm fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.

28. Cognoscent autem Gentes me Deum esse, & sanctificatorem Israeliticæ gentis, cùm tabernaculum meum in illius regione non iam ampliùs remouendum locauero.

Vers.1. *Facta est super me manus Domini.*]

1\. VATICINIVM istud optimè cũ superiore coniungitur; vtrumque namque ad populi libertatem, & quasi vitam, & ad illius gloriosam remigrationem spectat. In spectro autem, & signo hieroglyphico optimè proponitur ærumnosa captiuorum conditio, quæ non procul abest à morte;& manus Domini potentissima, quæ non solùm fecit, vt qui mortui videbantur, excitarentur ad vitam; sed etiam vt illum recuperarent splendorem, & gloriam, à quo antè deciderant. Manus Domini metaphoricè sumitur aut pro spiritu prophetico, seu prophetia, quæ subitò illustrauit, erudiuitquè Prophetæ mentem, sicut alibi sæpè, vt suprà cap.33.v.22. aut pro vi quadam, seu instinctu diuino, quo quis subitò ad nouam aliquam cogitationem, aut visionem abripitur: quod licèt non multum à superiori differat; modus tamen ipse loquendi, & allegorica forma aliquid indicat non omnino simile. Vt enim manu apprehensum aliquem ad nouum aliquod spectaculum abducimus interdum inuitum; aut quia quô ab alio rapiatur, aut quam ob causam impellatur ignorat; aut quia eô deduci sua quicquam interesse non putat. Sic nunc manus Domini venit super Prophetam, quæ deduxit illum, non quidem inuitum; quia diuinæ voluntati iam olim subdiderat suam; deduxit tamen quasi alieno motu ad locum, de quo statim,& ideo subditur:

Manus Domini quid.

C *Et deduxit me in spiritu Domini.*] Sicut antè c.8 2.
ductus est in spiritu in Ierusalem non quidem è loco motus, vbi antea consederat, sed cogitatione, quia illius menti obiecta sunt Ierusalem, quæque in ea geri eo rerum vestigio videbantur: sic nunc quasi manu prehensus ductus est in spiritu in campum, quia campus illi obiectus est, ea specie, quæ statim à Propheta describitur.

Dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.] 3.
Totum hoc oblatum est cogitationi Prophetæ. Neque enim credibile est, humana corpora hîc fuisse in campo aliquo inhumata, vt ossa apparerent tanto numero in campo dispersa. Neque fuisse illud polyandrium, seu commune sepulcrum (quod nos *κοιμητήριον*, id est, *cœmeterium* appellamus quod dormitorium sonat) illud probat, quòd ossa dicuntur, non in sepulcris condita, sed in campi superficie dissipata, eaque vehe- D menter sicca. Deinde quia si vera essent ossa, & non tantùm ossium species oblata; illa non essent Chaldæorum; qui quacumque essent conditione, non eam subirent ignominiam, vt inhumati sub dio putrescerent; & aliis fœtore tetro, & horribili aspectu fastidium crearent, præsertim quia, qui excitandi dicuntur, qui libertatem captiuorum portendunt, ex captiuorum numero fuisse oportuit.

Sed neque fuisse videntur ex Hebræis, tum 4.
quia Babylonij non sinerent illa corpora in sua regione esse inhumata, quorum est halitus molestus,

Iudæorum circa humanda corpora religio. stus, & pestilens; tum quia ea erat Iudæorum religio circa mortuorum cadauera, vt nec damnatorum quidem corpora insepulta esse paterentur. Quod lege cautum est Deut. cap. 21. v. 22. de iis etiam, quos morum improbitas egisset in crucem. Et cùm Gentes aliæ, iis qui sibi mortem intulissent, negarent sepulturam, id tamen nullo modo patiebantur Hebræi. De quibus Iosephus lib. 3. de bello cap. 14. *Si qui*, inquit, *se occiderint apud nos, vsque ad Solis occasum insepultos abiici decretum; cùm etiam hostes sepeliri fas esse ducamus.* Scio ex Iudæis plurimos computruisse inhumatos obsidionis tempore; aut cùm vrbem à Chaldæis expugnari contigit, quod lamentatur Ieremias Thren. 4. v. 5. *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Vbi amplexari stercora idem esse putabamus, quod sepeliri asini sepultura, id est, sub aperto cœlo fœdè putrescere. Sed hîc longè alia ratio est; ea enim erat morientium multitudo, ea locorum angustiæ, ea rerum turbatio, vt neque vacaret cuiquam piam dare operam tumulandis mortuis; neque tot cadauera vllus caperet locus. Quod dixit Ieremias cap. 19. vers. 11. *In Topheth sepelientur, eo quòd non sit alius locus ad sepeliendum.* Ex quibus fit meo iudicio planum, illa non fuisse verè ossa, sed speciem ossium oblatam cogitationi Prophetæ.

5. Vers. 3. *Putas ne viuent ossa ista?*] Hic locus celebris est, & sæpe vsurpatus à Patribus, dum de carnis resurrectione disputant, de qua hîc agi putant tanquam in vmbra, quæ sic est ad veritatem acris, ac viuida, vt rem ipsam videre te putes. Ita Clemens Romanus lib. 5. Constit. Apost. cap. 8. Iustinus Martyr q. 45. ad Orthodoxos, Irenæus lib. 5. c. 15. & 34. Tertullianus de resurrectione carnis, cap. 29. & 30. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 18. Chrysostomus hom. 2. in Symbol. tom. 15. Augustinus de Genesi ad literam, lib. 10. c. 5. Idem Basilius in illud Psal. 33. *Custodit Dominus omnia ossa eorum.* & plures alij, neque vllus, vt reor, ex antiquis fuit resurrectionis memor, qui huius Ezechielis testimonij im-

6. memor sit. Sed si bene illorum verba pendantur, non tam putant figuram hanc esse resurrectionis, quàm ex mortuorum resurrectione, quam veluti rem omnino certam Dominus statuit, & vt exploratam Hebræis supponit, captiuorum libertatem probari. Atque ideo optimè ex hoc loco efficiunt resurrectionem esse carnis. *Resurrectio mortuorum quomodo ex Ezechiele probetur.* Neque enim argumentum, quo Deus confirmare studet abiectos, & desperantes captiuorum animos, admodum esset efficax, si arida ossa, & carnes iam in puluerem redactæ, non forent iterum ad vitam vocanda. Argumentari itaque Dominus videtur, in hunc modum: si arida hæc ossa ad vitam excitanda sunt, colliganda neruorum nexu, & carnibus induenda; neque facultas mihi deest ad hanc mutationem planè admirabilem, cur quisquam dubitet exules, qui non sunt ad illum rerum articulum deducti, posse per me ad antiquum statum, & pulcritudinem reduci.

7. Quod autem hîc præcipuè sermo sit de restituenda domo Israel ab eo statu, qui non procul abest à sepulcro, docent auctores, de quibus suprà, & cum Hieronymo, ac Theodoreto omnes propè interpretes alij. Neque textus ipse dubitare nos sinit: nam vers. 11. apertè dicitur, *Ossa hæc vniuersa domus Israel est.*

8. Vers. 4. *Ossa arida audite verbum Domini.*] Locuturus erat Dominus ad filios Israel, euocatu-

A rúsque tanquam è sepulcris, ex ærumnosa viuendi conditione. Iubet ergo vt suæ libertatis, & fortunæ melioris exemplar in ossibus intueantur, quæ ad diuinæ vocis imperium, nouam assumpserunt formam, eam nimirum, quam priusquam illa spiritus desereret, habuerunt.

Vers. 5. *Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis.*] Hoc videri potest alicui ὕστερον πρότερον, id est, inuersus ordo: nam vt ex consequentibus constat; priùs in suum quæque locum ossa coacta sunt; deinde neruorum nexu colligata, & obducta carnibus; ad extremum aduenïente spiritu tandem animata. Sed ego potiùs existimo summam quandam in principio fuisse complexum 9.

B Deum, dum ossibus vitam, & spiritum promittit; deinde suo ordine enumerasse singulatim, quæ animationem, & vitam communiter antecedunt in materia, quæ nisi disposita sit, & certis quibusdam rationibus temperata, neque animatur à spiritu, neque vitalem habet facultatem.

Vers. 6. *Et dabo super vos neruos.*] Persequitur 10.
illa, quæ necessariò præcedunt animantem spiritum, nempe vt ad suam quæque iuncturam adducantur ossa, & neruis compacta, tegantur carnibus; ac denique omnibus iuxta naturæ modum coëuntibus, ac temperatis inducatur cutis. Hæc natura postulat, & illius ordinem persequitur auctor naturæ Deus.

C *Et dabo vobis spiritum, & viuetis.*] Vt Deus non 11.
priùs insufflauit in faciem Adami, cùm verè esset Adamus, id est, massa lutea, spiraculum vitæ, quàm in speciem hominis à summo rerum plaste formatus est: tunc autem cùm hominis imaginem habuit, animatus est spiraculo vitæ, id est, spiritu, à quo viuere statim cœpit. Sic non priùs Deus spiritum indidit vitæ ossibus dissolutis, & aridis, quàm colligauit, finxitque in eam speciem, vt homines videri potuerint.

Vers. 7. *Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio.*] Hinc apparet quanta sit vis diuinæ vocis, & imperij, quod Dei nomine Propheta mortuis, atque arentibus ossibus induxit. Nam 12.

D cùm adhuc propheticum verbum haberet in ore; neque totum Ezechiel effatus esset vaticinium, fit repentè sonitus ex commotione, collisionéque ossium, quæ ex variis congregata partibus suis se iuncturis, ac sedibus conserebant. *Diuina vocis vis, & potestas.* Neque sonitus ille exiguus esse poterat, cùm plurima essent ossa, eaque vehementer arida, quæ se ad diuinum imperium magno ferunt impetu, & dum sua repetunt loca, in sua se festinatione vehementer collidunt. Hæc sonitus causa probatur Hieronymo, & cum eo pluribus aliis; quibus ego omnino subscribo. Alij vocem esse putant Angelorum, quorum ministerio totum illud negotium agebatur. Ita Theodoretus: neque de-

E sunt, qui putent mortuorum esse voces, qui sibiipsis vicissim gratulabantur de recepto spiritu, quem consecuta est vita: aut qui laudarent Dominum, à quo insperatum illud beneficium accepissent. Maldonatus commotionem factam esse putat à terra, quæ variis in locis aperuit sese, vt ossa redderet de sepulcris, quæ pòst essent vincienda neruis, & animanda spiritu. Sed sanè ossa non dicuntur fuisse condita sepulcris, sed super terræ superficiem dispersa; & textus ipse non obscurè docet, vnde editus fuerit ille sonitus; quia nempe ossa accesserunt ad ossa, & mutuo se nexu colligarunt.

Vers. 9. *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla* 13.
super interfectos istos.] Iacebant cadauera cum externa

terna quidem hominum specie, inanimata tamen non secus atque si ex marmore essent, aut ex ligno dolata, eodem propè modo, sicut fuit olim primus homo fictus e luto, antequam spiraculum accederet vitæ. Quare iubet Dominus, vt à quatuor ventis adducetur spiritus, qui infusus exanimatæ moli vitales illi tribuat sensus, & motus.

14. Sed hic occurrit implexum aliquid, quod exploremus necesse est, cur spiritus vocetur anima; & cur ille à quatuor ventis dicatur esse venturus. *Spiritus* Heb. רוח *ruach*, ventum significat. Sumitur autem pro animalis anima, quia ipsa maximè se spirando prodit; vnde cùm cætera animantis vitæ signa deficiant, perstat tamen halitus, qui viuere significat animal, quod alia signa extinctum indicabant. Hinc illud Iob c.28. v.3. *Donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis*, id est, quandiu vixero. Hinc *expirare* pro mori, & efflare animam; quod proprium est venti. Hinc dicunt, neque immeritò quidam, *animum* originem habuisse à voce Græca ἄνεμος, quæ ventum significat. Sanè apud Latinos frequens est animam sumi pro vento, qui aërem turbat, & nauium inflat vela, & quem aspirando, seu expirando trahimus, seu emittimus. Hinc illud tritum, *Comprimere*, seu *continere animam, foetere animam*, id est, anhelitum esse grauem. Pro vento vsurpant passim auctores, maximè Latini, Horatius lib.4. car. ode 12.

Iam veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ.

id est, venti Thracij. & Virgilius in Sileno,

Semina terrarúmque, animæque marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis.

Et lib.8. cùm ageret de Vulcano, qui ventosis follibus, ignibúsque ad ferrarium opus plurimum vtitur, cùm prolixè omnia ex suo ministerio, atque arte promitteret, hunc illi sermonem attribuit,

Quod fieri ferro liquidóque potest electro
Quantum ignes animæque valent.

Sed omnium optimè Tullius in Timæo animam appellauit aërem. *Ita*, inquit, *contigit vt inter ignem, & terram aquam Deus, animámque poneret, eaque inter se compararet, & proportione coniungeret: vt quemadmodum ignis animæ, sic anima aquæ; quódque anima aquæ, id aqua terræ proportione redderet.*

15. Quia ergo anima tam illam significat naturam, quæ spirat, & perflat, ventum videlicet, quàm formam, quæ vitales animanti sensus, ac pulsus ingenerat, fit vt vulgus hominum animam esse putent ventum. Huc accedit, quòd animalis vita spirando ducitur: quare dum spiritus à quatuor ventis euocatur, qui grauem illam, & exanimatam molem informet, & animet, anima euocatur, quæ vulgo ventus esse creditur, vt à quatuor orbis partibus, vnde totidem aspirant venti in illa se cadauera rursus infundat. Solet autem Scriptura sacra sese hominum cogitationibus accommodare, & è media turba sermonem assumere; vt latè probauimus in nostris commentariis in Isaiam cap.13. num.11. Vulgus autem

16. tem ventum putat esse animam, quæ spirat in nobis; imò animam putat in ventum rursus, postquam corpus deseruit, euanescere. Quam sententiam Orpheo tribuit Aristoteles lib.1. de anima cap. vltimo, quam Plato in Phædone confutat, & irridet. *Non est*, inquit, *cur quisquam metuat ne animæ cùm recedat à corpore, distrahatur, & dissipetur; omnísque in ventos vita recedat.* Et Philostratus lib.2. Sophist. aërem appellat animam πνεῦμα ἀφῆκεν, ventum, aut flatum, id est, animam emisit. Quo etiam dicendi genere vsus est Ammianus lib.19. *Alij*, inquit, *confossi mucronibus prostrati, animis in ventum solutis, procucebantur extincti.* Ex quo vulgari sensu Virgilius, cùm tamen aliter sentiret, dixit lib.4. Æneid. de Didone, cùm exanimis caderet,

——— ——— *omnis, & vna*
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

Ex quo constat, quàm eo tempore vulgaris esset illa hominum de anima siue opinio, siue deliramentum, quando modum illum dicendi in familiaris sermonis consuetudinem inuexit. A qua cùm non abhorreat Scriptura sacra, ventum hîc aduocat, vndecumque perflet, à quatuor nimirum orbis plagis, in quo vitalem intelligit spiritum. Hanc sententiam probat Isidorus Clarius; neque omnino improbatur mihi, quamuis non putem tam crasso teneri Iudæos errore, ad quorum se opinionem accommodat Propheta, vt aëreas putent esse hominum animas, & à spirante vento inspirari, atque illigari corporibus. 17.

Paulo aliter alij, in quibus est Lyra, qui cùm negent animas esse aëreas, neque perflanti, atque spiranti naturæ cum anima, quæ etiam spiritus appellatur, quicquam esse commune præter nomen. Dicunt tamen in perflante vento spiritum vitalem, id est, animam propositum esse Prophetæ. Cùm enim visio hæc foret imaginaria, neque animæ quicquam inesset, quod moueret sensum, & aliqua sui imagine cogitationem imprimeret; aliquid aliud offerri debuit, quod maximè animantis, ac viuificantis formæ naturam exprimeret. Nihil autem vento videbatur commodius, quia subtilis est, & tenuis, & omnium facillimè occultissima, ac penitissima rimatur, & subit. Et quidem spiritualia, quæque nullo sensu capi possunt, per ventum exprimi, satis est in sacris literis vsitatum. Primùm Spiritus sanctus Actor.2. in flatu vehementi aduenisse se in discipulorum corda significauit. Datam etiam gratiam ab ore Christi flatus ostendit Ioan. cap.20. v.22. *Insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum.* Et Dominus ipse 3. Reg. c.19. vers.12. *in sibilo auræ tenuis* cognitus est ab Elia. Denique anima venti explicatur nomine Sap.15. v.11. *Quoniam ignorauit, qui se finxit, & qui inspirauit illi animam, quæ operatur, & qui insufflauit ei spiritum vitalem.* Et Genes.2. anima spiraculum vitæ nominatur. Quod Hieronymus, & Theodoretus non improbant, imò in eam sententiam valde propendent, dum aiunt, sicut homini, cùm primùm creatus est, inspirauit in eius faciem Dominus spiraculum vitæ; quo flatu significauit animam infusam esse corpori: sic nunc perflante vento significatum esse, animata rursus esse cadauera. Hæc verò omnia, vtpote alicui subiecta sensuum, optimè Prophetæ cogitationem informare potuerunt. 18.

Cur verò à quatuor ventis vocetur spiritus, eam rationem adducit Theodoretus, quia Deus ostendere voluit Prophetæ, & per ipsum populo, quàm sit sibi facile instaurare vniuersa. Cùm autem ad quatuor ventos in illo campo, de quo suprà, dissipata esset tot ossium multitudo, ex quatuor ventis, id est, ex quatuor mundi plagis aduocari spiritum oportuit, vt vndecumque perflante spiritu, & animabus ad sua corpora certatim conspirantibus, appareret Prophetæ clariùs animari corpora; & temporis momento rem esse peractam. 19.

Obseruat ad hunc locum accommodatè Basilius 20.

Anima cur dicta spiritus.

Animus vnde dictus.

Anima pro vento.

Anima ex quorundam sententia quo abeat à corpore soluta.

Incorporea, & spiritualia per ventum significantur.

Quanta consensio esse debeat inter illos qui præsunt.

silius ad illud Psal.33. *Custodit Dominus omnia ossa eorum.* Quomodo vt Ecclesiæ corpus aptè compactum sit consentire inter se debeant, qui ossa existimantur Ecclesiæ, qui nempe illius propter doctrinam, auctoritatem, aut alia, quæ nos iuxta Euangelicam parabolam talenta dicimus, columnæ aut propugnacula censentur. *Quemadmodum,* inquit, *ossa ingenita sibi vi prateneram carnis mollitiem suffulciunt, & pressius contrahunt; itidem sunt in Ecclesia quidam qui possint sua ipsorum constanti firmitudine debilium suffulcire, & ferre imbecillitatem. Et sicuti ossa interse connectuntur secundùm commissuras articulorum, & hæ consertiones neruis firmantur, & ligamentis, quæ ossibus adhærescunt; idem prorsus contigerit, si charitatis, pacisque colligatio in Ecclesia Dei veluti cognationem quamdam conficiet spiritualium ossium, & in vnum conspirantem. De eiusmodi ossibus à concordi partium harmonia emotis, solutisve, & quasi à commissuris suis, & artubus eluxatis, Propheta inquit: Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.*

21. Vers.11. *Ossa hæc vniuersa domus Israel est.*] Hinc planè constat, quò spectet hieroglyphica hæc species; non vt futuram carnis resurrectionem adumbret, sed vt futuram populi libertatem, felicitatémque portendat. In ossibus aridis à sua compage dissolutis, & spoliatis à carne, optimè exprimitur fortuna misera, qualis illius esse fingitur, qui barbaro subest dominatui, qui à patria diuulsus est, imò à seipso quodammodo distractus. Eò namque redactus est miseriæ, vt neque sibiipsi impunè prouidere possit. Neque enim oculos habet, quibus aut declinet mala; aut prospectet vtilia, quia neque declinandi mali, neque quærendi boni vlla datur facultas; neque manus habet, aut pedes, quia illos constrinxit aliena voluntas: non linguam, quam ita comprimit metus, vt neque in summo dolore coram hominibus victoria inflatis, & imperio mutire audeat.

Seruitus mors ciuilis.

Quare qui seruitutem mortem appellauit ciuilem, perbellè seruitutis naturam, & proprietates expressit. In his non caro, in qua nitor est, & species; non nerui, qui membra suaui quodam nexu coagmentant, efficiúntque vt ad necessarios, voluptuariósque vsus sine vlla vi, ac difficultate versentur; sunt denique in illo statu sicut ossa vehementer sicca. Sanè ita captiuorum speciem describit Ieremias Thren. cap.4.v.8. *Adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est quasi lignum.* & cap.5, v.10. *Pellis nostra, quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis.*

Exul pro mortuo censetur.

Porrò exules isti quasi iam mortui reputantur, Ierem. Thren.3.v.6. *In tenebrosis collocauit me tanquam mortuos sempiternos.* & Isaias c.32. dum ait de populo in statu eodem, *Domus enim dimissa est,* &c. *Donec effundatur super nos spiritus de excelso.* qui locus maximè cum hoc Ezechielis testimonio colludit.

Prouerb. Ossa arida pro statu miserrimo.

22. *Ipsi dicunt aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi sumus.*] Ex his mihi fit verisimile, *ossa arida,* aut *exaruisse ossa,* prouerbialiter sumi pro fortuna sic abiecta, ac desperata, vt nulla aut vitæ melioris, aut leuioris saltem infortunij reliqua sit spes. Hîc verò ex familiari Hebræorum dialecto subaudienda est similitudinis nota; in hunc sensum. Eò redacti sumus, vt similes illis censeri possimus, qui iam dudum in viuis esse desierunt, quorum ossa iam exaruerunt, & à se vicissim dissoluta variè dispersa sunt.

Prouerb. Eradicata planta, aut ramus abscissus pro extrema fortuna.

Similis est parœmialis forma, in illo, *abscissi sumus.* vbi sine dubio sumpta est ab arbore metaphora; quæ vbi abscissa est de terra, arescit statim: neque in eo statu spem habet vllam producendi fructum, aut

A recuperandi speciem, quam amisit. Eadem metaphora vsus est Iob cap.19. vers.10. *Destruxit me vndique, & pereo; & quasi auulsæ arbori abstulit spem meam.* Neque credo alia est metaphora in illo Isaiæ cap.53. de Christi morte, *Quia abscissus est de terra viuentium,* nempe sicut planta, quæ à stirpe decisa, nullum è terra haurit vitalem succum. Sic puto ob eamdem causam, quæ in eo statu sunt, vt ab eis sperari nihil vtile queat, vocari lignum aridum, abscissum nempe iam pridem à trunco, aut auulsum è terra. Sanè populus hic in exilio lignum appellatur aridum, aut abscissum Ierem. Thren.cap.4.v.8. *Adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est quasi lignum,* nempe aridum. Et hic ipse
B Propheta suprà cap.17.v.9. cùm de eodem populo excidendo ageret per Nabuchodonosor, ait, *Radices eius euellet, & fructus eius distringet, & siccabit omnes palmites germinis eius, & arescet.* & eadem metaphora vtitur sæpius eodem capite vers.10. & vers.24. Quare idem est sensus in aridis ossibus, & abscissa planta; quibus verbis desperatam salutem, & libertatem explicabant exules Babylonij.

Vers.12. *Ecce ego aperiam tumulos vestros; & educam vos de sepulcris vestris populus meus.*] Exilium 23.
ciuibus, quibus chara est patria, instar sepulcri est; quia diuulsi à natali solo, sicut arbores à terra, vnde trahebant alimentum vitale, pro mortuis

Iudæorum in patriam amor.

C censentur. Iudæi verò sic in sua sibi placebant Ierusalem, vt perpetuum cantico, ac lyræ silentium indixerint, donec ad illam rursus remearent. Psal.136. *Si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Sanè Iudæis, vt auctor est Cornelius Tacitus lib.21. maior inerat metus ab vrbe excedendi, quàm è vita. *Si transferre,* inquit, *sedes cogerentur, maior vita metus, quam mortis.* quia durius erat vitam extra patriam ducere, quàm mortem oppetere. Videri itaque potuerunt in tumulis iacere, quia à patria aberant, quæ illis pro vita, aut instar vitæ erat. Aperiendi ergo dicuntur tumuli, & inde euocandi, quia ab exilio, quod instar est tumuli, ad patriam, quæ instar obtinet vitæ, reuocandi sunt.

D Dicit autem Dominus, dum populum mitiùs 24.
iam, & benigniùs alloquitur, *populus meus,* sicut etiam versu statim sequenti, quia iam illos propiùs intuetur; & de illorum rebus multo quàm antè secius deliberat.

Cùm Deus dicit meum benignè, cū tuum cum offensione loquitur.

Obseruauimus autem suprà capite 13. cùm de populo Deus aliquid durius, aut cogitat secum, aut loquitur ad Prophetas, non consueuisse dicere, *populum meum;* quia tanquam ad alienum afficitur, & ipse quoque animos assumit alienos: sed dicit *populum tuum.* Sic Exod.32. post vitulum adoratum, ait ad Moysem, *vade, & descende, peccauit populus tuus.* Et Ezechiel suprà cap.13. *Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filios populi tui.* & cap.33. *Loquere ad filios populi tui.*

E Hîc dubitare nonnemo posset, cur, cùm ossa 25.
illa vehementer arida non sint de sepulcris extracta, vt propheticis oculis obiecta sunt, sed per campi superficiem latè dispersa; in quibus, vt nuper vidimus, copiosus Hebræorum populus exprimebatur; nunc Dominus dicat exules illos, qui censebantur pro mortuis, extrahendos fore de sepulcris. Quidam condita fuisse putant, illa ossa priùs, deinde extracta, & vt oculis obiicerentur Prophetæ fuisse super terræ faciem disseminata, ita coniectat Hugo. Ego in hac dissimilitudine hærendum non puto. Neque enim arbitror singulatim omnia esse consideranda, aut cum

cum rerum imagine componenda. Hîc porrò tantùm significetur in ossibus priùs dissolutis, atque dispersis, captiuorum fortuna desperata; in eisdem iam colligatis neruorum nexu; & animatis spiritu Iudæorum libertas, quæ tunc exprimitur, cùm extrahendi dicuntur è sepulcris. Cúmque hæc omnia ita exprimantur apte, vt nil sit præterea aliquid aliud necessarium; non puto de reliquo cuiquam quantumuis curioso laborandum. Maxime cùm locus, vbi iacent cadauera, quicumque illa sit, quantumcúque apertus, sepulcrum appellari soleat. Sanè Ioacim Ierem. cap. 22. sepultura asini sepeliendus dicitur, id est, sub cœlo, & in sterquilinio, vbi solent putrescere iumenta.

Sepulchrum dicitur vbi quis iacet mortuus.

26. *Et inducam vos in terram Israël.*] Hinc constat, quò tendat spectrum de animatis ossibus, & reserata sepulcra. Nempe vt ad ciuilem vitã resurgat populus, ad libertatem nempe in natali solo, extra quod in viuis se esse non putabant Hebræi. Idem statim indicat Dominus, vers. 14. dum explicat, quid significet spiritus inmissus, scilicet quietem, & abundantiam in patria; rebus ita conuersis, vt qui mortem antea ciuilem trahebant, iidem postea ducant vitam vere vitalem.

27. Vers. 16. *Sume tibi lignum vnum, & scribe super illud Iuda, & filiorum Israël, & sociorum eius.*] Aliud iam aggreditur vaticinium, nisi mauis prophetiam hanc esse superioris appendicem. In quo docet populos à seipsis antè dissectos à tempore Ieroboam in vnum coalituros esse corpus, & facta animorum conspiratione in patriam simul esse remigraturos. Id verò, sicut alia pleraque, hieroglyphico quodam symbolo portendit: iubet enim Dominus Prophetæ, vt duo capiat ligna, siue, vt alij cum Chaldæo volunt, duas tabulas, quæ duo regna, seu potius regnum vnum in duo quasi membra dissectum adumbrabant. Et primùm agit de illa parte Israëlitidis familię quę licèt minor, erat tamen ordine, ac nobilitate maior, in qua regium erat nomen, & magna etiã ex parte sacerdotale. Hæc autem erat Iuda, vt hîc habes expressum in textu; filij autem Israël erãt, opinor, filij Beniamin: nam hæc tribus non deflexit cum aliis ad Ieroboam, sed Dauidico generi semper adhæsit.
28. Socij verò dicuntur in primis plurimi de genere Leuitico: nam cùm hi in templo variis essent inteti ministeriis, ex quibus ad naturæ subsidia, & dignitatis ornamenta necessarij suppeterent sumptus, plurimi se ad illas tribus applicuerunt, in quarum finibus templum erat à Salomone constructum. Sed neque ex aliis tribubus defuere quamplurimi, qui Regnum Iuda vehementer auxerunt, perseuerarúntque ad extrema vsque tempora Iudæorum; id est, ad excisam vrbem, & templum, & genus illud hominum ex patriis finibus in exilium abductũ. Tradit sanè Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 3. ad Roboam è tota Israëlitarum ditione confugisse sacerdotes, & Leuitas, & quotquot è reliqua plebe boni erant, ac iusti patriam suam deseruisse, vt Hierosolymis Deum colere liceret. Qui eo fuerunt numero, vt illorum accessione regnum Roboam confirmatum fuerit, ac corroboratum. Certè lib. 2. Paralip. cap. 11. & cap. 15. plurimi ex Israël transfugisse dicuntur ad Asa pronepotem Salomonis. Et cap. 30. alij ex tribu Asser, Zabulon, & Manasse accessisse dicuntur ad Ezechiam. Hi ergo qui se ad duas tribus olim adiunxerant, cùm iisdem quoque sine dubio in Babylonem translatæ sunt.

Decem tribus cũ duabus aliis in vnum corpus coaluerunt.

Ex Leuitica tribu plurimi cum duabus tribubus.

A principio plurimi è decem tribubus duabus se adiũxerant.

29. Iubet ergo Dominus, vt hi omnes, qui aut ex tribu fuerunt regia, aut cum illa in vnum corpus, seu in Rempublicam vnam coaluere, in vno scribantur ligno, siue tabella. Illa autem verba, *Iuda, & filiorum Israël sociorum eius*, sumenda esse puto, vt Logici loquuntur, materialiter in hunc sensum: Scribe in lignorum altero, *Hoc lignum est Iuda, & filiorum Israël sociorum eius*, seu, *Hoc lignum dicatum est Iuda, & filiis Israel sociis eius.* Quæ explicatio consentanea est textui Hebraico, in quo *Iuda*, & reliquæ voces sunt in datiuo casu. Si quispiam in Iuda comprehendi etiam putet Beniamin, & eos qui dicuntur illius socij ex filiis Israël, aliarum esse tribuum, non me habebit ad illam cogitationem difficilem. Cùm enim Beniamin tribus esset exigua, vtpote quondam ad paucissimos redacta; (neque enim plures ex pugna, de qua Iudic. cap. 20. & 21. quàm sexcenti reliqui fuerunt) illi qui remanserant contributi fuerunt tribui Iuda, vt verisimile putabamus in nostris commentariis in Zachariam cap. 2. n. 17. Quare cùm constet tribum Beniamin secutam esse Ieroboam; multis tamen in locis ab vna tantùm tribu Iuda factum esse traditur 3. Reg. cap. 11. v. 31. Sic Aias Propheta ad Ieroboam, *Ecce ego scindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus; porrò vna tribus remanebit ei.* Et cap. 12. v. 20. *Nec secutus est quisquam domum Dauid, præter tribum Iuda solam.* Et lib. 4. Reg. c. 17. v. 18. *Iratus est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos a conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda tantummodo.* Quòd si ita statuas, quod meo iudicio feceris acutè, ac verè, sententia erit satis, vt vides expedita, nempe: *Hoc lignum est Iuda, & Beniamin, & filiorum Israel sociorum illarum tribuum.*

Tribus Beniamin eadẽ censetur cũ tribu Iuda.

Tolle lignum alterũ, & scribe super illud, Ioseph ligno Ephraim, & cuncta domui Israël sociorum eius.] Satis est notũ Ephraim sumi pro decem tribubus, quæ à Dauidico genere defecerunt; quoniam Ieroboam, qui dissecti populi princeps fuit, ex Ephraimitica tribu propagatus est. Fuit autem Ioseph pater Ephraim, ex quo fit, vt Ioseph sumi etiam possit pro tribubus, quæ secutæ sunt Ieroboam Ephraimitam, sicut Ephraim. Postquam Propheta vnum accepit lignum pro Iuda, atque illis qui in seditione se adiunxerunt Iudæ, iubetur vt lignum accipiat alterum pro tribubus aliis, quæ aliquot antea sæculis subactæ, & in exilium abductæ fuerant ab Assyriis. In quo ligno inscribi iubetur Iosephi nomen, qui pater fuit Ephraim, quod in ipsa ligni inscriptione significatum puto, vt mox dicemus, & illarum formularum nomina, quæ relicto Dauidico, Ephraimiticum, seu Israëliticum Regnum constituerunt. 30.

Illud *Ioseph* datiui casus est, sicut & reliqua, quæ notantur in ligno. Quod statim additur, *ligno Ephraim*, non est admodum expeditum. Ego hîc puto Hebraicam vocem עץ *ets*, pro qua bis noster interpres *lignum* reddidit, non esse vtroque in loco in eadem significatione sumendam. Constat עץ significare lignum quodcumque illud siue aridum, siue viride, siue dolatum ad artificiosum aliquod opus; siue impolitum, & rude. Quomodo dicimus *pendere in ligno*, vbi Heb. עץ significat etiam arborem, quæ ramos fundit, & germinat; vt mille probant exempla. In priori significatione priori loco sumendum est, pro virga videlicet, seu tabula, quibus illa pinguntur, aut inciduntur verba, de 31.

Arbor pro genere sumitur.

quibus proximè: in posteriori verò pro arbore. Est translatio non inepta, si arborem pro genere sumas, aut familiæ principio, sicut *stirps*, & *radix*, vnde nouella germina subolescunt: nam vt ex arbore funduntur rami; sic ex parente oriuntur filij, quibus ramorum compellatio satis est, vt vides, accommodata. Et communi omnium gentium consuetudine iam olim descripta alicuius familiæ series arbor appellatur. Sane in eo lexico Hebraico, quem Rab. Mardochai Nathan inscripsit, ספר יאיר נתיב *sepher iahir nathib*, id est, *illuminans semitam.* significationes variæ, aut formationes nominum, quæ ex vna radice, seu principio proueniunt, rami vocantur. Quare Ephraim, & qui ab illo deinceps prognati sunt, aptissimè possunt nominari rami, & illorum Patriarcha, seu generis auctor Ioseph lignum, id est, arbor, seu stirps.

Ex his ego sic interpretor Scripturam, quam
32. in secundo ligno notare iubetur Ezechiel. *Hoc lignum est Iosephi arboris, seu progenitoris Ephraim, & domus Israël, & eorum qui illi se socios adiunxerunt.* Nisi mauis per datiuum exponere, sicut de priori ligno diximus, & vertunt alij communiter iuxta textum Hebraicum, in hunc modum. Hoc lignum dicatum est Iosepho Ephraimitarum parenti, & cunctæ domui Israël, & iis qui se illi socios addiderunt.

Vers. 17. *Et adiunge illa vnum ad alterum tibi*
33. *in lignum vnum.*] Diuersa erant, ac separata duo ligna eorum notata nominibus, inter quos longæ intercesserunt, & graues inimicitiæ; diuersa, inquam, quia diuersi erant animi, diuersa studia, diuersa etiam loca, in quæ à suis sedibus extorres ablegati fuerant, qui eo hieroglyphico symbolo designabantur. Iubet tamen Deus, vt illa coniungat, coagmentétque, ita vt ex duobus lignis vnum coaluisse videatur. Quod fieri potuit non difficile, si quadrata erant ligna, aut in tenues secta, atque dolata tabulas. Puto autem sic esse à Propheta compacta, seu adglutinata ligna, vt literæ ab omnibus legi, atque obseruari potuerint, vt inde excitari posset spectantibus legendi, intelligendíque cupiditas. Quod sanè ita contigit, vt statim vides.

Et erunt in vnionem in manu tua.] Gestabat, vt
34. apparet, duo ligna, quasi vnum esset, in manu; perinde atque si imaginem spectandam ab omnibus circumferret. Atque ita obibat omnia loca, in quæ frequenti concursu exules conuenire soliti, vt suam inde quisque fortunam agnosceret. Quæ cùm curiosiùs essent intuiti, quid res illa subita portenderet, cognoscere student; atque ita rogant, quid species illa inopinata designaret.

Vers. 19. *Ecce ego assumam lignum Ioseph, quod*
35. *est in manu Ephraim.*] Aperit quod sub illo lignorum cortice latebat, docétque tribus inter se iam antea diuisas, in populum vnum esse coituras. Lignum Ioseph, regnum esse interpretor Israël, quod decem olim tribubus constabat, quod erat in manu Ephraim, quia Ieroboam Ephraimita, & eius posteri per multa secula illi præfuerunt. Nisi mauis, quod mihi videtur non difficile, hîc quandam esse hypallagem, per quã si verba in hunc modum permutes, sententia erit aperta. Assumam lignum Ioseph, in quo est manus Ephraim, id est, potestas, & imperium, quæ olim fuit in familia Ephraim. Sed mihi potior est explicatio prior.

Et dabo eas pariter cum ligno Iuda, & faciam eas

A *in lignum vnum, & erunt vnum in manu eius.*] 36.
Hinc constat veram esse sententiam prioris clausulæ, quæ dicebat, lignum in manu Ephraim significare imperium olim fuisse in Ephraim; quando hîc, vt significetur imperium fore in tribu Iuda omnium Gentium, quæcumque in patrios fines remearent, futurum esse dicitur lignum, quod è duobus compactum est, in manu Iuda. Quomodo verò Rex vnus è Iudæo sanguine omnibus tribubus hinc inde collectis præficiendus sit, constabit, credo, ex his, quæ mox dicemus.

Antequam hinc emigrem expeditum oportet, an cum duabus tribubus, quas subiuga- 37.
B uit, ac transtulit Nabuchodonosor, redierint decem aliæ, quæ multo antea translatæ sunt ad Assyrios; quod nisi priùs exploratum sit, totum hoc hieroglyphicum vaticinium erit implexum.

Communis interpretum sententia est in illud Oseæ cap. 1. *Voca nomen eius absque misericordia, quia non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum, & domui Iuda miserebor.* Et 4. Reg. c. 17. *Translatúsque est Israel de terra sua in Assyrios vsque in diem hanc.* id est, in perpetuum; id enim valet ille loquendi modus, vt putat Origenes homil. 7. in Iosue. Et quidem Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 5. *Duæ*, inquit, *tan-*
C *tùm tribus per Asiam, & Europam sub Romanorum degunt imperium: decem autem tribus nunc quoque vltra Euphratem sunt, infinita hominum millia, quæ vix est numero comprehendere.*

Mihi valde verisimile est è decem tribubus cum duabus aliis per edictum Cyri rediisse 38.
quamplurimos, quod hic locus non difficile probat; imò & Oseas ipse cap. 11. *Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar vt dispergam Ephraim.* Et Ieremias cap. 3. vers. 18. *In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Israel; & venient simul de terra Aquilonis ad terram, quam dedi patribus vestris.* Et cap. 50. vers. 4. *In diebus illis, & in tempore il-*
D *lo* (nempe cùm capta fuerit, & subiugata Babylon) *ait Dominus, venient filij Israel, ipsi & filij Iuda simul.* Probat item satis apertè Tobias cap. vltimo, quantumcumque alij illius oraculum, aut versent, aut contorqueant. Loquitur autem de decem tribubus captis ab Assyriis multo antequam duæ caperentur aliæ, cùm nondum esset Niniue subuersa. *Propè erit*, inquit, *interitus Niniue; non enim excidit verbum Domini, & fratres nostri, qui dispersi sunt de terra Israel, reuertentur ad eam.* Propter hæc, & alia, quæ non minus videntur habere momenti, quidam absolutè dicunt rediisse decem tribus, & suos iterum fines occupasse. Ita Cyrillus in Prologo Zachariæ, & in Oseæ cap. 11. & in Malach. c. 2.
E Theodoretus, & Theophylactus in illud Oseæ 3. *Quia dies multos sedebunt.*

E decẽ tribubus multi cum aliis duabus restituti.

Neque eius rei paucæ sunt, aut leues coniecturæ. Prima est, quia cùm in eiusdem Regis 39.
imperio duodecim tribus captiuæ morarentur; priùs sub Nabuchodonosor, qui suo sibi imperio Assyrios subiugauit, apud quos iam antè vixerant decem tribus; deinde sub Cyro, atque Dario, qui non Assyriis solùm, & Babyloniis, sed etiam Persis, ac Medis dominabantur: quis dubitet aliis alios in eadem regione fuisse permixtos? Id habemus meo iudicio ex Danielis cap. 6. non obscurum; vbi duo senes dicuntur filiabus Israël illusisse, non verò filiabus Iuda. Quæ verba planè suadent Israëlitidas fœminas,

Quæ

Iudæi cum aliis Israëlitis Babylone permixti.

atque Iudæas tunc temporis fuisse Babyloniæ. *Sic*, inquit, *faciebatis filiabus Israel, & illa timentes loquebantur vobis: sed non filia Iuda sustinuit iniquitatem vestram.* Et quidem Esther cap. 3. & cap. 8. Iudæi per 127. prouincias dicuntur fuisse dispersi, id est, per totum Regis Assueri dominatum. Cùm ergo facile inter se potuerint inire commercia, & si quæ esse potuere antiquæ maleuolentiæ reliquiæ, illas communis, & inueterata calamitas extinxisset; non video, cur è decem tribubus non potuerunt in patriam remigrare quamplurimi.

Adde quòd in suo decreto Cyrus nullum excepit à redeundi facultate, quod ipsis ignotum esse non poterat. Sic enim Esdras lib. 1. cap. 1. *Suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, & traduxit vocem in omni Regno suo, &c.*

40. Neque obstat huic sententiæ, quod, vt principio diximus, aliquibus locis Scripturæ decem tribubus negari videtur reditus ab exilio. Nam quemadmodum, quãdo ex magno numero pauci sunt, qui aliquid non fecerint, omnes fecisse dicuntur; sic quando aliquid ex magno numero fecere pauci ex Scripturæ sacræ consuetudine, nulli fecisse existimantur. Exempla sunt obuia. vide quæ diximus ad illud Actor. 1. *De omnibus ô Theophile.* Et est accommodatum exemplũ in materia valde simili Ierem. 42. Nam cùm ageret cum eis, qui reliqui ex communi clade Iudæorum, quasi à belli metu futuri essent liberi, in Ægyptum ire meditabantur, sic vaticinatur: *Omnes viri, qui posuerunt faciem suam, vt ingrediantur Ægyptum, vt habitent ibi, morientur gladio, & fame, & peste; nullus de eis remanebit, neque fugiet a facie mali, quod ego afferam super vos.* Quid grauius, quid minacius, quid clarius dictum est de decem tribubus capitis ab Assyrio? sed de his qui ad Ægyptios contra Domini præceptum commigrarunt aliquos euasisse gladium, & pestem, & in Iudæam remeasse, constat ex ipso Ieremia cap. 44. vbi cùm cædem propè minæ præcessissent, addit, *Et qui fugerint gladium reuertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci.* Vt ergo Iudæi ex Ægypto redituri negantur, tum quia pauci rediere, tum quia non vt populus, qui suis publicè legibus, & in sua republica honestè viueret, sed vt inquilini sine lege, ac duce, quasi in aliena. Sic etiam licèt ex decem tribubus multi redierint cum duabus; quia tamen infiniti penè alij remanserunt, neque ex hac, vel illa tribu certi, atque discreti, sed confusi, atque permixti, & inter se, & cum aliis duabus reuersi sunt, negantur rediisse: quare nullam habent Rempublicam à Iudaica diuersam.

REGVLA. Quando ex magno numero pauci aliquid fecerunt, nullus fecisse; & quando plurimi, omnes fecisse dicuntur.

41. Et quemadmodum, qui ante captiuitatem ex Israël ad duas alias tribus se applicuerunt, non dicuntur, e.g. Rubenitæ, aut Ephraimitæ, quia earum tribuum nullus erat definitus locus; sed omnes simpliciter vocantur Iudæi, quia vna erat Iudæorum Respublica, in qua ipsi viuebant tanquam in sua: sic etiam qui modò ex captiuitate rediisse existimantur, Iudæi dicuntur, non Rubenitæ, aut Ephraimitæ. Atque ideo optimè his negatus dicitur reditus, quia non suis ordinibus, ac familiis discreti, ac cogniti, vt antea, sed confusi, ac veluti Iudæ, ac Benjamin familiis ascripti redierunt. Quod etiam insinuasse videtur Isaias cap. 7. qui cùm ageret de captiuitate Ephraim, in quo totus intelligitur Israël, non negat illum emersurum ab ea, sed non futurum esse populum, id est,

Cur decem tribus negentur rediisse.

A non habiturum esse Rempublicam. *Ephraim*, inquit, *desinet esse populus.* Rediisse autem non paucos, docent doctores Hebræorum in lib. 1. Esdræ cap. 2. vbi cùm eorum, qui ex captiuitate ascenderunt, numerus esse dicatur 42000. tamen vbi sigillatim computatio fit ex tribu Iuda, & Benjamin, eorum summa fuisse constat 32000. Respondent ergo Hebræi rediisse quidem è duabus tribubus 32000. ex aliis verò decem 10000. ex quibus conflatur numerus ille 42000.

Ex his intelligitur facilè cur lignum illud, 42.
in quod duo diuersa ligna coaluerunt, futurum esse dicatur in manu Iuda; quia tribus
B hæc regia alias tribus, quibus neque dux erat vllus, neque caput, adde quia dissipatæ erant, & pro tanto numero, qui ex illis redierunt in patriam non admodum plurimi, in suum gremium amplexa est. Exemplum habemus in eadem tribu non admodum dissimile: vt enim paulo antè dicebamus num. 29. tribus Benjamin, postquam ab aliis tribubus, quæ contra illam animo prorsus hostili coniurarunt, sic est concisa, vt è tanto numero sexcenti tantùm viri superfuerint; adhæsit tribui Iudæ, & paterno nomine relicto, ex tribu Iuda nomen sibi, & ordinem assumpsit. Quare cùm duæ tribus Iuda, & Beniamin secutæ fuerint Roboam, vna
C tamen tantummodo tribus Iuda illi adhæsisse traditur.

Tribus Beniamin cur adscripta Iuda.

Vers. 22. *Et Rex vnus erit omnibus imperans.*] 43.
Dubitant hic interpretes, quærúntque an hoc vaticinium sit de captiuitate Israëlitici populi restituta, eorúmque republica in meliorem formam redacta; vel de Ecclesia, quam Christus postea ex diuersis populis in vnum quendam ordinem congregatis instituit. Quidam de Ecclesia hoc interpretantur, in qua satis videntur impleri cumulatè, quæ hîc ab Ezechiele prædicuntur; cùm Rex futurus sit vnus, sicut etiam vnus populus è Iudæo, Gentilique conflatus. In his sunt Maldonatus, & Lyra.
D Frequentes alij cum Hieronymo, ac Theodoreto ita hæc accipiunt de reditu è Babylone, vt in eo tanquam in vmbra Ecclesiam considerent, & vnum in eo imperatorem Christum. Quod mihi videtur omnino esse dicendum; & probant illa omnia, quæ adduximus in præfatione quadam ad caput 40. Isaiæ, vbi diximus laxatam captiuitatem, & instauratam Hierosolymam, & templum effigiem esse Ecclesiæ constitutæ, & eius libertatis, quam aureo Euangelij tempore consecuti sunt fideles.

Laxata Iudæorum captiuitas Ecclesiæ typus.

Et quidem, quæcumque significantur in duobus lignis seu tabulis, illa tam in Hebræorum 44.
reditu, instaurata que Hierosolyma, quàm in
E Ecclesia constituta inueniuntur. Quòd enim, qui è decem tribubus redierunt, qui non videntur fuisse admodum pauci, nomen suum abiecerint, & omnes vtpote iam in vnam familiam adoptati, appellentur Iudæi, paulo antè vidimus. Id verò esse sub vno Rege, interpretatur hîc Hieronymus, & Theodoretus, & in hunc etiam sensum exponi posset id, quod statim subditur vers. 24. *Seruus meus Dauid Rex super eos.* quia tribus Iuda ex qua ortus est Dauid, vndecim aliis tribubus præfuit, neque ab ea vlterà dissectæ sunt. Nisi mauis in pastore, ac Rege Zorobabelem intelligere, quem ducem omnes tribus quotquot repetierunt antiquas sedes, secutæ sunt.

Iudæi restituti quomodo sub vno Rege.

45. Si verò oculos auertas ab vmbra,& ad Ecclesiam,eiúsque Regem, atque pastorem Christum conuertas, quod præcipuè intuebatur Propheta, inuenies ibi multo completa cumulatiùs. Quis ignorat quàm fuerint adglutinata firmiter duo ligna, quæ tam antè & loco, & sensu, & omni rerum genere distabant? Quis crederet gentilicos fastus, & collum indocile iugo submittendum Euangelico? & quod antè de hoc ipso tempore, atque animorum consensione cecinit Isaias cap. 11. eam futuram animorum, ac studiorum conspirationem, vt suos homines mores,& quasi naturam retexant, & ad aliorum studia, atque ingenium attemperent. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus,& leo, & oues simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus,& vrsus pascentur: simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas.* Quod accidisse in ipsis Ecclesiæ cunabulis,constat ex Actis cap. 4. vers. 32. *Multitudinis autem credentium cor vnum,& anima vna: nec quisquam eorum,quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

In Ecclesia mira consensio.

46. *Et non erunt vltrà duæ Gentes; nec diuidentur amplius in duo Regna.*] Si de vmbra loquaris, id est, de re Iudaica,atque Israëlitica restituta,non iterum decem tribus diuisæ sunt, neque in duo Regna, aut in diuersa religionum sacra inter se dissectæ; sed ad tempus vsque Christi Iudæorum retinuerunt religionem, & nomen, imò & nunc retinent. Neque coluerunt idola, qualia fuerunt aurei vituli, & quæ acceperunt à vicinis olim Gentibus. Si de Ecclesia,res est magis certa; lex etenim Euangelica non admittit, imò execratur valde quicquid vmbram habet, aut odorem gentilicæ superstitionis; & quia pacis principem,auctorem, & conditorem habet, abalienata consociat, & distracta coniungit multo arctiùs, & meliùs, quàm duo ligna diuersarum tribuum notata nominibus. Consignat enim non characteribus qui Ioseph, & Iudæ nomen exprimunt; sed Spiritu sancto, qui vt est charitas, sic suorum corda inflammat charitate, & amoris,ac pacis vinculo constringit.

Decem tribus in idem cum duabus corpus vnita.

47. Vers.23. *Neque polluentur vltrà in idolis suis, in abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis.*] Tria hæc *idola, abominatio, iniquitas*, voces sunt synonymæ, quæ idolorum sordes significant, & quicquid ab impia religione nascitur. Nam aliis vitiis vitã habuisse corruptissimam genus illud hominum, satis nouimus ex libris Machabæorum, & ex historia Euangelica, & ex his, quæ de suæ Gentis nefandis sceleribus tradit Iosephus. Imò mihi non est improbabile, cùm de idolis loquitur, & de abominationibus, sermonem eò spectare, vt neget non reuersuras esse decem tribus ad aureos vitulos, quæ propria fuerunt illius Gentis iam à Dauidico dominatu, templíque religione segregatæ. Vt enim Ieroboam in suo Regno, ac fide contineret populum, qui ægrè ferebat legitimis non interesse sacrificiis, aureos erexit vitulos, quibus illos
48. impenderet honores, quos antea Deo. Exemplum habes huic cogitationi valde affine, Actor. cap.13. referente Paulo, qui repetit illud de Dauid 1. Reg. cap. 13. *Inueni Dauid filium Iesse virum secundum cor meum: qui faciet omnes voluntates meas.* Hæc posteriora verba habes tantùm in hoc loco ex Paulo. Cùm autem constet Dauid non semper diuinam fecisse voluntatem, vt probant adulterium Bersabee, cædes Vriæ,

A & populi numeratio, propter quæ Deum seuerum vindicem expertus est; dicendum est voluntates illas omnes non esse sumendas simpliciter, sed comparatè. Est autem ibi sermo non de omni voluntate, sed de illis, quæ ad belli, regnique administrationem pertinebant, vt ex causa reprobati Saulis facile conicitur. *Eo*, inquit Samuel, *quòd non seruaueris, quæ præcepit Dominus.* Præceperat autem, vt habes 1. Reg. c. 10. vt expectaret septem diebus in Galgalis, quod non seruauit, vt constat eodem lib. c. 13. vers. 13. Tunc verò Dauid eligendus dicitur Rex, qui non ad suum arbitratum, sicut Saul, sed ad diuinum, commissum sibi à Do-
B mino tractabit imperium. Sic mihi verisimile est, sermonem hîc esse, non de omnibus abominationibus, seu idolis, quæ coluerunt olim Hebræi, sed de illis, quibus decem tribus à duabus aliis secernebantur, id est, de vitulis aureis, ad quos dissectæ tribus auitam religionem transtulerunt. Quod ideo mihi persuadeo, quia, vt suprà vidimus cap. 36. ad illud, *Effundam super vos aquam mundam*, non omnino populus à captiuitate solutus abstinuit ab idolis. Item quia proximè dixerat, *Non erunt vltrà duæ Gentes, nec diuidentur ampliùs in duo regna.* Accommodatè ad hæc *abominationes, & idola* illa intelliguntur, quæ Gentes proprio qua-
C si symbolo secernunt, & regna distrahunt, & constituunt diuersa. Hæc mihi coniectura non omnino displicet, sed difficile à communi cogitatione diuellor.

Dauid quomodo dicatur fecisse omnes voluntates Dei.

Et saluos faciam eos de vniuersis sedibus suis, in quibus peccauerunt.] Si de populo accipias è Babylone reuocato, non est explicatio difficilis: nam vtraque gens tam Israëlitica, quàm Iudaica, tam in exilio, quàm in patria, externa sese religione polluit; de Iudaica millies audimus à Prophetis, & ab hoc nostro non rarò. De Israëlitica, & Iudaica simul habes, cap. 23. sub metaphora duarum sororum, Oolla, & Ooliua. Sumitur autem hîc per metonymiam lo-
D cus, pro his, quæ in loco sunt; luci videlicet ac montes, seu etiam impia sacraria, vbi dæmoni excitatæ sunt aræ, & nefaria instituta sacrificia. Emundari igitur, aut saluos fieri, nihil aliud videtur, quàm expiari ab iis sordibus, quæ illis ab impuris Gentilium sacris, in ipsorum sedibus, siue sacrariis adhæsere; aut facere ne ad illud cœnum iterum redeant, in quo se diu, ac sæpe volutarunt. Sed hæc quàm aptius in veritatem, quàm in vmbram conueniant, id est, in Ecclesiam, & Christum, quàm in Hebræorum Rempublicam, & Zorobabelem, aut alium quemuis pastorem, & ducem, nemo non videt. 49.

E Vers.24. *Et seruus meus Dauid Rex super eos.*] 50.
Hæc quoque in vmbram non difficile veniunt. Fuit enim omnium tribuum, postquam iterum in vnum Regnum coierunt, princeps, & pastor Dauid, siue ille sit Zorobabel, qui dispersum antea populum ad patrios fines, & tanquam pastor gregem ad antiqua septa reuocauit; siue quia Iuda, vnde genus traxit Dauid, in suum sibi sinum reliquos admisit, illósque ex suo nomine, tanquam ex eodem sanguine prognatos, Iudæos appellauit. Porrò Dauid patronymicè pro iis, qui sunt ex genere Dauidico, frequenter vsurpari satis est notum. Sed multo hæc magis de Christo sunt intelligenda, sicut pluribus ostendimus suprà cap. 34. ad il-
lud

Dauid patronymicè pro eius posteris.

lud vers. 23. *Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascet eas, seruum meum Dauid.* Vocatur autem Christus non hoc tantùm in loco Dauid, vt pluribus ostendimus ad locum, de quo proximè cap. 34.

51. Vers. 25. *Et habitabunt super terram, quam dedi seruo meo Iacob.*] Hîc etiam vmbram intueor, sed in qua multo magis apparet, & splendescit veritas. Redierunt quidem exules in terram, quam Iacob à Deo accepit, & incoluit: sed illa terra, in quam ex Ægypto iam olim populus ille ingressus est, vt typus erat Hierosolymæ cœlestis; sic etiam Ecclesiæ, quæ ad supernam illam Hierosolymam aspirat, & deducit. Quemadmodum autem instaurata Hierosolyma, & in eam reuersa Iudæorum captiuitas, vmbra sit Ecclesiæ, ex multorum Patrum, scriptorúmque sententia, diximus in præfatione ad cap. 40. Isaiæ.

Terra promissionis typus Ecclesiæ.

52. Vers. 26. *Et percutiam cum illis fœdus pacis, & pactum sempiternum erit eis.*] Hunc versum explicuimus suprà cap. 34. v. 25. ad eadem propè verba. Quomodo hæc spectari possint in vmbra, nō est coniectare difficile, & nomen ipsum pacis apertè prodit. Pax enim abundantiam significat & copiam rerum omnium, quæ aut sunt, aut esse

A solent in votis. Hæc verò omnia promissa sunt à Deo, & cumulate præstita, postquam populus libertati, & patriæ restitutus est. Hæc tamen multo cumulatiùs habet Ecclesia, de qua suprà, similem locum explicuimus.

Et dabo sanctificationem meam in medio eorum.] 53. Sanctificatio templum est, & hoc ipso nomine significatur Amos cap. 7. v. 9. *Sanctificationes Israël desolabuntur*, id est, idolorum templa. & iterum vers. 13. & 1. Machab. 1. vers. 23. *Intrauit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum.* Et iterum vers. 38. Dicitur autem *sanctificatio*, quia Deus ibi sanctificatur, id est, sanctè colitur, aut sanctus esse religioso cultu significatur. Sicut B etiam templum *oratio* dicitur, quia ibi homines orant. Neque id nouum est apud Latinos, qui actionis nomine locum significant, in quo eiusmodi exercetur actio; quo modo cœnatio vocatur, & ambulatio, vbi homines cœnant, aut deambulant. Posuit Dominus sanctificationem suam in loco, vbi prioribus annis excitata à Salomone fuerat; & instaurauit sacra, quæ ex eo loco iam pridem exciderant. Sed hæc habet Ecclesia illustriora longè, & ad finem vsque sæculorum fundata. Reliqua aperta sunt.

IN CAPVT TRIGESIMVMOCTAVVM.

ARGVMENTVM.

VATICINIVM hoc est contra Gog, hominem insolentem, & barbarum; qui copiosum instruxit exercitum, vt inter alios genus quoque Israëliticum popularetur, & deleret: cui Dominus durum, & ignominiosum interitum minatur. Cúmque de Gog res sit obscura, neque adhuc à quoquam satis explorata; illud videtur esse probabilius, in Gog (siue propria sit persona illius Tyranni, quem hoc loco Propheta vehementer exagitat, siue alicuius crudelis, atque insolentis hominis, quæ prouerbiali specie illis accommodatur, qui barbaro sunt ingenio, ac præferoci) Antiochum intelligi, qui restitutum ab exilio populum variè vexauit. Qui etiam adhuc typus Antichristi fuit, in quem eorum, quæ in capite occurrunt, multa conueniunt.

CAPVT XXXVIII.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:* C

2. *Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch, & Thubal: & vaticinare de eo.*

3. *Et dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch & Thubal.*

4. *Et circumagam te, & ponam frenum in maxillis tuis: & educam te, & omnem exercitum tuum, equos & equites vestitos loricis vniuersos, multitudinem magnam, hastam & clypeum arripientium & gladium.* D

PARAPHRASIS.

1. POst hæc in hunc modum locutus est ad me Dominus:

2. Fili hominis, conuerte vaticinium, & faciem contra Gog, & Magog terram ipsius; conuerte, inquam, faciem contra Gog principē, & caput Mossoch, & Thubal, & contra illum vaticinium intorque.

3. Et dices ad eum meo nomine: Ecce ego ad te Gog, Principem, & caput Mossoch, & Thubal.

4. Quantumcumque te potentem arbitrere, & continenti victoriarum cursu, insolenter efferaris; iniiciam tibi tamen hamum, aut circulum tanquam draconi magno, téque in quamcumque partem circumactum versabo; & extraham te iam superatum, ac domitum; de tua potentia, ac regno tanquam draconem, seu balænā è mari. Neque tibi subsidio erunt copiæ, quas vndecumque terrarum coëgisti; extraham namque tecum exercitum

5. *Persæ, Aethiopes, & Libyes cum eis, omnes scutati & galeati.*

6. *Gomer, & vniuersa agmina eius, domus Thogorma, latera Aquilonis, & totum robur eius, populíque multi tecum.*

7. *Præpara, & instrue te, & omnem multitudinem tuam, quæ coaceruata est ad te: & esto eis in præceptum.*

8. *Post dies multos visitaberis, in nouissimo annorum venies ad terram, quæ reuersa est à gladio, & congregata est de populis multis ad montes Israël, qui fuerunt deserti iugiter: hæc de populis educta est, & habitabunt in ea confidenter vniuersi.*

9. *Ascendens autem quasi tempestas venies, & quasi nubes, vt operias terram tu, & omnia agmina tua, & populi multi tecum.*

10. *Hæc dicit Dominus Deus: In die illa ascendent sermones super cor tuum, & cogitabis cogitationem pessimam.*

11. *Et dices: Ascendam ad terram absque muro: veniam ad quiescentes, habitantésque securè: hi omnes habitant sine muro, vectes & portæ non sunt eis:*

12. *Vt diripias spolia, & inuadas prædam, vt inferas manum tuam super eos, qui deserti fuerant, & postea restituti, & super populum, qui est congregatus ex Gentibus, qui possidere cœpit, & esse habitator vmbilici terræ.*

13. *Saba, & Dedan, & negotiatores Tharsis, & omnes leones eius dicent tibi: Numquid ad sumenda spolia tu venis? ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam, vt tollas argentum, & aurum, & auferas supellectilem, atque substantiam, & diripias manubias infinitas.*

14. Pro

A omnẽ, equos, & equites cataphractos, hastatam multitudinem, accinctam gladio, & clypeo munitam.

5. Fuerũt tecũ in acie Persæ, Æthiopes, Libyes scutis omnes, & galeis instructi.

6. Adfuit Gomer, suásque vires tuis copiis adiunxit. Adfuerunt Thogormæi, qui ad plagam spectant Aquilonarem, adduxerúntque ad te quicquid virium colligere potuerunt; & præter hos ingens alia populorum multitudo.

7. Age Gog, quàm maximas potes copias coge; téque atque illas omni bellico
B apparatu instrue; esto illis imperator, & dux, & illas omni studio, atque solertia tutare: neque tamen aut tu effugies, aut ab illis auertes infortunium.

8. Aliquando enim, licèt post longum tempus, dabis scelerum pœnas. Venies tãdem ad populum, qui reuertetur iam ab exilio liber, & hostili ferro; qui de variis Gentibus, ad quas dispersus fuerat, redibit tandem ad montes Israël, qui perdiu fuerunt ab habitatore deserti. Populus hic
C ex multis locis in libertatem emerget; & sine vllo metu, ac perturbatione in patriis finibus habitabit.

9. Irrumpes in terram Israël eo impetu, quo nimbus, & procella; atque ea multitudine, vt non aliter operias terram, quàm cœlum nubes.

10. Eo verò tempore, dicit Dominus, superbè tecum meditaberis, ác pessimè, & variis cogitationibus inflatus dices.

11. Dices, inquam, apud te inani cogitatione delusus, fore non difficile Iudæo-
D rum fines tuæ subiugare ditioni, cùm nullo se murorum præsidio contra vim externam, & hostiles insidias muniissent, cùm securi viuerent, & quieti; neque habeant muros, ac vectes, aut denique portas, quas hostibus opponant.

12. Hac spe, atque cogitatione fretus, alacer irrues non tam ad pugnam, quàm ad prædam; vt spolia diripias, exuuias auferas, & manus afferas victrices, & acres in eos, qui diu fuerunt derelicti; post lon-
E ga deinde tempora restituti. Qui collecti iam tandem è populis possidere postliminio cœperunt antiquos fines, & habitare regionem, quæ in medio terræ promissionis sita est.

13. Neque deerũt qui ambitiosos tuos, atque auaros spiritus instimulent, quo tibi adulentur; aut aliquod sibi compendium ex bello captent, Dedanitæ videlicet, Sabæi, & mercatores è Tharsis, & qui ex ipsis habẽt audacẽ, ác leoninum animũ. A quibus frequẽter audies: Euge imperator inuictissime! macte animo, ad prædã venis,

non

A non ad pugnam; his, quos tibi ad victoriam socios adduxisti, optimæ ab hoste superato proponuntur exuuiæ. Eò te tua virtus, ac fortuna vocat; vt aurea, atque argentea cumules spolia, vt supellectilem auferas pretiosam; & innumeras opes tibi parias ex hostili præda.

14. *Propterea vaticinare fili hominis, & dices ad Gog: Hæc dicit Dominus Deus: Numquid non in die illo, cùm habitauerit populus meus Israel confidenter, scies?*

14. Propterea, ô Ezechiel, vaticinare, & dices ad Gog meo nomine: Obseruas, ô Gog, tempus consiliis tuis opportunum, cùm videlicet securus sit Israeliticus populus, & in suis finibus confidenter

B habitet.

15. *Et venies de loco tuo à lateribus Aquilonis tu, & populi multi tecum, ascensores equorum vniuersi, cœtus magnus, & exercitus vehemens.*

15. Tunc verò ex Aquilonari plaga, è regno videlicet tuo copiosa tecum agmina ex multis populis conscripta deduces: equitatus erit numerosus; exercitus si numerum spectes, ingens; si robur, & audaciam vehemens, & ardens.

16. *Et ascendes super populum meum Israel quasi nubes, vt operias terram. In nouissimis diebus eris, & adducam te super terram meam: vt sciant Gentes me, cùm sanctificatus fuero in te in oculis eorum, ô Gog.*

16. Ingrues autem in populum meum Israel ea populorum multitudine instructus, vt non aliter explicatis agminibus terra operiatur, quàm offusis nubibus cœlum obducitur. Nouissimis tandem die-

C bus ad terram Israelitidem adducam, vbi non ab opibus solùm malè quæsitis; sed etiam à vita ignominiosè cades. Ex quo discent Gentes sanctum esse me, qui meorum vlciscar iniurias, & spiritus tuos insolentes deprimam, ô Gog.

17. *Hæc dicit Dominus Deus: Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis in manus seruorum meorum prophetarum Israel, qui prophetauerunt in diebus illorum temporum, vt adducerem te super eos.*

17. Tu es, ô Gog, dicit Dominus, ille, in quem optimè cadunt, quæ diebus antiquis per Prophetas meos locutus sum contra populum meum, per sceleratos nempe Principes puniendum; è quorum numero tu es, nempe vt te crudelem vti-

D que, & sanguinarium Principem contra illum inducerem.

18. *Et erit in die illa, in die aduentus Gog super terram Israel, ait Dominus Deus, ascendet indignatio mea in furore meo.*

18. Eo verò tempore, dicit Dominus, cùm primùm Gog Iudæorum terminos inuaserit, meus in populum meum inflammabitur furor.

19. *Et in zelo meo, in igne iræ meæ locutus sum. Quia in die illa erit commotio magna super terram Israel:*

19. Locutus sum enim in ira, atque offensione animi mei contra illum. Tunc verò magnus erit æstus in Israel, & magna turbatio.

20. *Commouebuntur à facie mea pisces maris, & volucres cæli, & bestiæ agri, & omne reptile quod mouetur super humum, cunctique homines qui sunt super faciem terræ: & subuertentur montes, & cadent sepes, & omnis murus corruet in terram.*

20. Postquam verò aliquandiu Gog

E res turbauerit, afflixeritque Iudaicas, sic mutabitur eius fortuna, vt contra illum armata omnia, ac coniurata videantur. Mouebo etenim aduersùs eum in mari pisces, in aëre volucres, in syluis feras; quicquid denique graditur, aut repat in terra; in quem erit commune omnium hominum odium, & ardor. A suis sedibus conuellentur montes, disiicientur septa; & ruina graui sternentur colles.

21. *Et conuocabo aduersùs eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus: gladius vniuscuiusque in fratrem suum dirigetur.*

21. Et ex omnibus montibus Israel euocabo armatos ferro milites; immò illi iidem, quos ipse in castris contra Israelitas

A adduxerat, inteſtinis diſſecti ſeditionibus, mutuo ſe vulnere concident.

22. *Et indicabo eum peſte, & ſanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immenſis: ignem & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper exercitũ eius, & ſuper populos multos, qui ſunt cum eo.*

22. Inſectabor illum, concidámque graui, atque multiplici plaga, peſte videlicet, & ferro; imbre vehementi, & grandine de cœlo vibratis. Immittam ſuper illum, & ſuper eius caſtra, & ſuper populos omnes, qui auxiliares illi copias adiunxerint, igneos de cælo globos, & ſulphureos imbres.

23. *Et magnificabor, & ſanctificabor: & notus ero in oculis multarum gentium, & ſcient quia ego Dominus.*

23. Tunc verò glorioſus exiſtimabor, potens, & ſanctus, & Gentes plurimæ cognoſcent me; & ſcient eſſe me Deum.

Verſ. 2. *Pone faciem tuam contra Gog, & terram Magog, principem capitis Moſoch, & Thubal.*]

1. LOCVS hic valde torquet, ac diſtrahit interpretes; quia in illo multa occurrunt incerta, quæ neque obſcura aliqua coniectura indagari poſſunt. Primùm incertum eſt, quódnam tempus ſpectet hoc vaticinium: deinde quínam ſint illi, qui Gog, & Magog nominibus explicantur. De quibus interpretes multa, ac varia tam in hunc locum, quàm in caput Apocalypſeos 20. vbi iterum Gog, & Magog audiuntur nomina. Nos illa ne promiſcuè, atque confuſa minùs explicentur aperte, quàm oportet, in certa quædam capita digeremus; ex quibus ad extremum concludemus, quid nobis in multiplici patrum, atque doctorum ſenſu vero appareat eſſe ſimilius.

2. Sit ergo prima quæſtio, an in Gog, & Magog aliquid ſignificetur hiſtoricum. Sententia prima ſit illorum, qui tantum hîc aliquid myſticum agnoſcunt; & ideo de hiſtoria laborandum non putant, in quibus eſt Hieronymus, qui in Gog, & Magog Hæreticos intelligit, & hæreticæ prauitatis, atque perfidiæ ſectatores. *Gog*, inquit, *Græco ſermone δῶμα, Latino tectum dicitur. Porrò Magog interpretatur de tecto. Omnis igitur ſuperbia, & falſi nominis ſcientia, quæ erigit ſe contra notitiam veritatis his nominibus demonſtratur.* Et paulo pòſt; *tectùmque interpretabimur hæreticorum principes; & de tecto eos, qui eorum ſuſcepere doctrinam.* Idem etiam putat Auguſtinus lib. 20. de ciuitate, cap. 11. *Gentes*, inquit, *iſtæ, quas appellat Gog, & Magog, non ſic ſunt accipiendæ, quaſi ſint aliqui in aliqua parte terrarum barbari conſtituti.* &c. & paulo pòſt, *Quorum interpretationem nominum comperimus, Gog tectum, Magog de tecto tanquam domus, & ipſe, qui procedit è domo. Gentes igitur ſunt, in quibus diabolum, velut in Abyſſo ſuperiùs intelligebamus incluſum, & ipſe de illo quodammodo ſeſe efferens; vt illæ ſint tectum, ipſe de tecto.* Eodem modo exponit Tyconius homil. 17. & omnes Gentes intelligunt, quæ vndecunque locorum Eccleſiam oppugnant. Auguſtini verò non ſolùm ſenſum, ſed ipſa etiam expreſſerunt verba plures alij in cap. 20. Apocalypſeos, Primaſius, Haymo, Beda, Anſbertus. Eadem ſententia probatur Proſpero Aquitanico in dimidio temporis cap. 4. & Petro Galatino lib. 5. de arcanis, cap. 12.

Gog, & Magog aliquid existimantur ſignificare myſticum non hiſtoricum.

In Gog, & Magog quidam hæreticos intelligunt.

3. Hæc tamen ſententia non valdo congruit cum verbis Ezechielis, totóque capite, in quo multa occurrunt, quæ hiſtoricum aliquid, & ſingulare ſonant, vt promptum eſt legenti. Neque B enim ſi de omnibus vniuersè, qui Eccleſiam, aut pietatem oppugnant, eſſet hoc vaticinium, certus deſignaretur locus, vbi Gog regnaret, & vnde armatas acies in Eccleſiam moueret; neque tam diſertis nominibus notarentur Gentes, ex quibus inimicus ille exercitus conflatus eſt.

In Gog, & Magog aliquid hiſtoricum.

Secundò quæritur, quando hîc aliquid hiſtoricum ſonat, quis ſit iſte Gog. Et primùm non placet quod Euſebius putat lib. 9. demonſtratione 3. in Gog exprimi Romanorum potentiam; quam ſententiam ſibi ideo perſuaſit, quia Num. cap. 24. v. 7. iuxta tranſlationem L X X. ſcribitur, *Et exaltabitur Gog Regnum, & creſcet Regnum eius.* Cùm ergo Gog imperium exaltandum ſit à Chriſti exortu, idque Romanis contigiſſe videamus, non difficile conſectatu videbatur, in nomine Gog Romanorum imperium, & nomen C contineri. Adde quòd Gog, princeps dicitur capitis Moſoch: at Roma caput fuit olim imperij, & nunc eſt Eccleſiæ. Sed optimè Hieronymus hanc Euſebij cogitationem euertit, cùm in Hebraico textu non ſit Gog, vt L X X. reddidere in aliquot codicibus, ſed Agag, vt etiam habet vulgata tranſlatio. Neque præterea apparet quomodo Romani vocari poſſent Aquilonares, cùm potiùs Iudæam ab Occaſu reſpiciant. 4.

In Gog quidam Romanos accipiunt.

Altera ſententia, vt auctor eſt Hieronymus, Iudæorum eſt, aut Iudaizantium, qui ſecuti Ioſephum in Gog, & Magog regiones intelligunt Septemtrionales, quorum ſententiam amplectuntur è noſtris non pauci, neque vulgaris auctoritatis, ac fidei; in quibus ſunt Theodoretus hîc, Dorotheus in ſynopſi, Eucherius lib. 2. in Geneſ. & lib. 1. de quæſt. veteris & noui Teſta- D menti, cap. 4. Beda in Geneſ. cap. 10. Quare Scythas Magogæos eſſe putant; quia ſicut Magog regiones illas primus occupauit, ſic etiam cum imperio nomen inuexit. De quo Ioſephus lib. 1. Antiq. c. 6. *Magoges*, inquit, (is eſt Magog, de quo Geneſ. 10. nam de illo loquitur) *Magogarum à ſe denominatorum fuit auctor, qui ab ipſis vocantur Scythæ.* Et iuuat hanc cogitationem, quia Scythæ Aquilonares ſunt, & eius ingenij, quale habuiſſe, ſeu habituri dicuntur illi, quos nomen illud barbarum deſignat. Sunt enim Scythæ, vt ſcriptores tradunt externi, ingenio agreſti, inculto, atque effero, quos non facilè, aut prece, aut precibus ad miſericordiam inflectas. De quorum feritate aliquod habes in ſacra pagina veſtigium 2. Machab. 5.

Gog, & Magog exiſtimati Scythæ.

chab. cap.4.v.47. *Miseros autem, qui etiam si apud Scythas causam dixissent, innocentes iudicarentur, hos morte damnauit.*

6. Non longè hinc abeunt, qui in Gog, & Magog adumbrari Gothos existimarunt; in quibus sunt Ambrosius lib.2. de fide, & Isidorus lib.14. Etymol. cap.2. quorum opinioni fauet primùm, quòd, vt norunt qui mediocriter in humana eruditione versati sunt, aut in Scythis numerantur, aut illis sunt loco, atque ingenio proximi, & nomen ipsum non valde dissonat ab antiquo Gog. Hoc verò Hieronymus aut negat, aut dubitat in tradition. in Genesim. *Scio*, inquit, *quemdam Gog, & Magog tam de præsenti loco* (nempe Gen 10.) *quàm de Ezechielis ad Gothorum nuper in terra nostra vagantium historiam retulisse. Quod vtrùm verum sit, prælij ipsius fine monstrabitur. Et certè Gothos omnes retro eruditi magis Getas, quàm Gog, & Magog appellare consueuerunt.* Ribera in cap.20. Apocal. Gothos esse negat, illos saltem, qui superioribus sæculis, de quibus proximè Hieronymus, Romanum vexauerunt imperium, & varias sibi regiones subiugarunt. Quia nihil illi habuere cum his, quæ de Gog, & Magog Ezechiel hîc, & Ioannes Apocal. cap.20. tradiderunt quod etiam mihi non placet; neque improbaret Hieronymus, si prælij ipsorum finem videre contigisset; ex eo enim indicauit suprà sumendam esse propositæ quæstionis coniecturam.

Gog, & Magog existimati Gothi.

7. Sunt qui putant Gogæos, seu Magogæos Saracenos esse, aut Turcas, qui Aquilonares sunt, & vt ipsorum produnt annales ex Scytharum genere, ita Genebrardus in Psal.53.v.2. Alij addunt etiam Tartaros Asiaticos, quorum posteri perseuerant adhuc in prouincia, quæ vocabulo non admodum mutato, vocatur Mogor. Ita Martinus de el Rio in Genes. cap.20.

Gog, & Magog existimati Saraceni.

8. Ego in hac rerum varietate quicquam certi definire neque audeo, neque possum; dicam tamen, quod minus mihi apparet impeditum. Primùm censeo Aquilonarem esse regionem, quia id apertè habemus à Propheta; neque mihi difficile est esse Getas, Gothos, aut Scythas, modò ne sint illi Gothi, qui sub Hieronymi tempus variè turbarunt, attriuerúntque Romanum imperium; quia, vt constat, illorum finis alius fuit, quàm qui à Ioanne, seu Ezechiele describitur. Sed credo potiùs, quicquid cum Iosepho dicant Hebræi, & cum Hebræis è recentioribus non pauci, regionem esse aliam Iudaicis finibus propiorem ex his, quæ ab Aquilone vrbem respiciunt Solymitanam, puta Babyloniam, Syriam, & quæ cum illis aliquo modo contribuuntur. Id mihi ideo persuadeo, quia Scythæ, & qui Boreali sub cœlo consedere; non potuerunt, nisi perquam difficile, ac laboriose Iudæis illud afferre detrimentum, de quo Propheta postea. Deinde, quia Plinius lib.5.c.23. in Cœlesyria ciuitatem esse dicit, quæ ab aliis Hierapolis, à Syris appellatur Magogum. Quod etiam puto sensisse Septuaginta, qui Numer. cap.24.v.7. vbi vulgatus habet, *Tolletur propter Agag Rex eius*, ipsi reddunt, *Exaltabitur Regnum Gog, & augebitur Regnum eius.*

Gog, & Magog Aquilonares sunt, non tamen procul à Iudæa.

9. Adde, quòd si, vt communis est sententia, Gog iste Antichristus est, communis est etiam opinio illum nasciturum esse Babylone. Ita Hieronymus in cap.11. Danielis. August. in lib. quæstio. in Iosue q.22. Prosper in lib. de promissionibus, & prædictionibus Dei. Gregor. lib.31. Moral. cap.10. Ambrosius lib. de benedictionibus. At quis credet è Babylone egressurum, vt Scytharum occupet Regnum, vt inde cum exercitu ad fines vsque Israeliticos progrediatur. Quòd si, vt multi putant, in Gog, ac Magog Antiochi persecutio describitur, de quo nos statim, constat Regem istum Babylonem obtinuisse; successit namque in Regnum, quod mortuo Alexandro accepit Seleucus: Seleuco autem obtigit in illa Regnorum diuisione, Babylon, & Syria.

Accedit huc, quòd ciuitates illæ, quibus imperauit Gog, Mosoch nempe, & Thubal, non videntur vllo modo ad Scythas pertinere potuisse: nam, vt constat ex cap.27.v.13. coniunguntur cum Græcia, & inde dicuntur ad Tyrium emporium comportata, quæ ex illa regione tunc inculta, ac barbara neque excudi videntur, aut conflari; neque tanto spatio conuehi potuisse. *Græcia, Thubal, & Mosoch ipsi institores tui mancipia, & vasa ærea adduxerunt populo tuo.* Sanè vt eo loco diximus ex Iosephi, Hieronymique sententia, duæ istæ prouinciæ Scythicæ non sunt, Thogormæos autem, quos in castris secum dicitur habuisse Gog, Phryges esse docet Iosephus, & cum eo Hieronymus, Theodoretus, & alij plures, vt diximus cap.27. vers.14. *De domo Thogorma equos, & equites.* 10.

Quæritur tertiò, an Gog prouinciæ nomen sit, an hominis? Communis est sententia, quam omnes propè tenent interpretes tam hîc, quàm Apocal. cap.20. nomen esse Regis; an verò proprium sit alicuius, aut commune illis, qui alicui prouinciæ præfuerunt, incertum est. Vt enim Ægypti Reges priùs Pharaones, deinde Ptolemæi; Babylonis Merodachi; Persidis Arsacidæ, Syriæ Antiochi, Cæsares Romæ nuncupantur; sic etiam Gog commune possit esse nomen illorum, qui certæ alicui regioni præessent. Quòd verò de persona sit, non autem de loco vaticinium, illud perspicuè probat, quòd statim in principio Gog Princeps esse dicitur Mosoch, & Thubal. & vers.15. venturus esse fertur ipse, & populus eius ex lateribus Aquilonis. Et caput sequens vers.11. eius sepulturam designat in valle viatorum ad Orientem. 11.

Gog nomen personæ.

Quæritur quartò, quisnam futurus sit hic homo. Hîc nobis per cæca, atque obscura vestigia ingrediendum est. Quidam Antichristum esse credunt, in quibus est Maldonatus; quare affirmat prophetiam istam nondum esse completam, sicut neque illam, de qua Ioannes Apocal. c.20. quod etiam tenet Ribera in Apocal. c.20.n.56. & 57. quod item sentiunt in hunc Ezechielis locum Lyra, Burgensis, Vatablus, Isidorus, Clarius. & Galatinus lib.5. de arcanis, cap.12. Quod ideo Ribera sibi persuadet; quia victoria talis, qualem nunquam consecuti sunt Hebræi, non esset à Iudæis scriptoribus prætermissa. Nihil ea de re Iosephus diligentissimus scriptor, & Iudaici nominis amator, & laudator maximus; nihil alter Iosephus Gorionides, qui illius temporis texuit historiam de Gog, aut de illius prodigiosa strage prodiderunt. Imò ex hoc loco, vt refert Galatinus suprà, Iudæi sibi persuadent nondum aduenisse Messiam, quia nondum Ierusalem oppugnauerunt Gog, & Magog, qui à Messia dicuntur occidendi. 12.

Gog Antichristus esse existimatur.

Ego hîc eo magis inclino, vt putem vaticinium istud spectare Antiochum, ita tamen, vt in illo, tanquam in vmbra Antichristi tempus, & extremam Ecclesiæ vexationem describat. Quod sanè subinnuisse videtur Propheta satis attemperate; quia cùm proximè de populo restituto, atque 13.

Gog fuisse Antiochum verisimilius.

A atque eius felicitate, ac pace luculenter egisset; addendum etiam aliquid fuit de illa vexatione, quæ Iudæorum pacem, rémque publicam aliquandiu turbauit, & afflixit. Id verò fecit Antiochus vsque adeò pertinaciter, ac durè, vt non lamentatione solùm ac luctu, sed etiam Iudæorum sanguine Hierosolymam impleuerit. Vide caput 1. lib. 2. Machab. vbi summa quædam eorum continetur, quæ in Iudæorum caput, & fortunas cogitauit, ac perfecit Antiochus. Neque finis illius, atque interitus dissimilis fuit illi, quem tradit Ezechiel Gog habuisse. Periit enim non acerbo solùm, sed etiam mortis genere ignominioso, ac fœdo. De quo lib. 2. Machab. cap. 9. v. 5. *Apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta.* Et vers. 9. *Ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent: odore etiam illius, & fœtore exercitus grauaretur.* Vide reliqua.

14. Secundò, quia Antiochus hic Rex erat Syriæ, in qua, vt diximus suprà ex sententia Plinij, ciuitas erat, quam Syri nominabant Magogum: Syria verò Hierosolymam ab Aquilone respicit, vnde Gog barbaras acies in Iudæorum fines inuexit. Accedit quòd aliqua sunt, quæ nullo modo in Antichristum conuenire possunt, vt quòd certo loco sepeliendus sit Gog, & eius sepulchrum fore nominatum in Israel; cùm tamen Antichristus viuus dicatur descensurus ad inferos, vt indicat illud Apocal. 19. v. 20. *Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis*, nempe Antichristus, & bestia. Neque si sepultus esset, sepulcrum eius nominatum esse potuit; quia statim post Antichristi mortem, iudicatus est, & consummatus mundus.

Gog non est Antichristus.

15. Nihilominus in Antiocho adumbrari puto Antichristum, de quo plurima sunt intelligenda, quæ hîc ab Ezechiele prædicuntur. Quod ideo mihi persuadeo; quia, vt suis locis deinde notabimus, multa hîc occurrunt, quæ non in Antiochi, multa, quæ non in Antichristi mores, & ingenium conuenire possunt. Item quia sine dubio huc respexit Ioannes Apocal. c. 10. qui tamen de Antiocho prædicere nihil potuit, cùm ille iam pridem excessisset. Videtur autem Ioannes eo loco euoluere, atque explicare voluisse, quæ dicta ab Ezechiele fuerant obscuriùs. Quòd verò eòdem spectet Ezechielis, & Ioannis vaticinium, ex eo fit mihi verisimile, quia de Gogi, Magogíque successibus eodem vterque modo locutus est. De supplicio illius sic Ezechiel cap. 38. v. 22. *Ignem, & sulphur pluam super eum, & super exercitum eius, & super populos multos, qui sunt cum eo,* & cap. 39. v. 6. *Et immittam ignem in Magog.* Idem Ioannes v. 9. *Et descendit ignis de cœlo, & deuorauit eos.* Et sicut Ezechieli c. 39. v. 17. dictum est, *Dic omni volucri, & vniuersis auibus, cunctisque bestiis agri: Conuenite, properate, concurrite vndique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel, vt comedatis carnem, & bibatis sanguinem, carnem fortium comedetis, & sanguinem Principum terræ bibetis.* Sic Apocal. 19. vers. 17. *Et vidi vnum Angelum stantem in sole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cœli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei, vt manducetis carnes Regum, & carnes Tribunorum, & carnes fortium.*

In Antiocho seu Gog adumbratur Antichristus.

16. Adde quod in Scriptura frequens occurrit, vt cùm ab aliquo, quod ad Testamentum vetus pertinet, exorsus sit sermo, in quo typus aliquis appareat noui; statim ad Euangelij tempus vaticinium erumpat. Docuimus hoc pluribus ad illud Isaiæ cap. 45. n. 21. Sed habemus in hoc eodem argumento exempla præclara Dan. cap. 11. cùm multa dixisset Angelus de Antiocho, qui res Iudaicas vehementer afflixit, ex rerum similitudine, occasione capta, prædicit de Antichristo plurima, qui in Ecclesia Dei, quam Iudæorum meliùs instituta respublica figurabat, talem excitauit persecutionem, qualem nunquam antea pertulerat. Et cùm in excidio Solymitano per Titum species quædam obiiceretur temporis Antichristi, cùm de Hierosolymæ interitu Christus ageret Mat. c. 24. v. 24. statim ad Antichristum, à quo non leniora parabantur incommoda, verba con-

Antiochus Antichristi typus.

B uertit. Sic credo nunc, cùm in Gog, id est, Antiocho speciem quandam intueretur Propheta temporis Antichristi, de illius priùs crudelitate, deinde de illius interitu vaticinium instituit. Quare de Antiocho quædam, alia nobis de Antichristo accipienda sunt; neque enim omnia, facile in vtrumuis illorum conuenire possunt. Qua ratione conciliare posse videor illorum sententias, qui inter se dissident, cùm amplectamur vtramque; seu, quod veriùs dici potest, neutram excludamus. Quidam enim de Antiocho, alij de Antichristo vaticinium intelligunt: ego verò tam hunc, quàm illum à Propheta censeo voluisse describi; illum quidem tanquam in typo, hunc

C tanquam in veritate; illum apertiùs, hunc obscuriùs. Quæ rerum conturbatio, atque confusio difficilem admodum reddunt vaticinium.

Quæritur quintò de nomine Gog; si, vt Hieronymus, & Augustinus suprà existimabant, hîc tantùm spectaretur aliquid arcanum, & mysticum, non esset admodum laborandum. Sed, vt à nobis suprà probatum est, aliquid hîc historicum latet, & accommodatè ad historiam disputandum de nomine. Præterquam in his locis Ezechielis, & Ioannis nunquam in sacris literis inuenitur nomen Gog, nisi lib. Paralip. 1. cap. 5. vers. 4. vbi quidam Ioëlis filius Gog appellatur; sed ille, credo, nihil ad ea, quæ exploramus. In

17.

Gog etymologia.

D Gog ego duo considero, & vocem ipsam, quæ fortasse certum aliquem hominem designat; & vocis ipsius significationem: si posterius hoc esse statuas, non videtur alieni aliquid dicturus, qui censeret in nomine aliquid Prophetam inuoluere, atque obscurare voluisse. Gog etenim, vt suprà ex Augustino, atque Hieronymo notauimus, *tectum* significat: quod tu ad quodcumque integumentum, seu inuolucrum transferre potes. Quod si ita est, non videtur dici posse abs re, significatum esse à Propheta aliquid in nomine Gog latere clausum, & obsignatum, quod post longa tempora resignandum sit; quando videlicet ab Antichristo postrema in Ecclesia tempe-

E stas adueniet. Est autem hoc obseruatum à Ribera in cap. 22. Apocal. v. 10. obsignari solere prophetias, quæ non nisi post longum tempus implendæ sunt. Sic Danieli cap. 8. dicit Deus, *Tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit.* Et cap. 12. *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum.* Et postea, *Clausi sunt, signatique sermones vsque ad præfinitum tempus.* Contrà verò Apocal. cap. 22. Quia futurum est, vt prophetia breuiter impleatur, iubetur Ioannes ne illam claudat, atque consignet. *Ne signaueris,* inquit, *verba prophetiæ libri huius: tempus enim propè est.* Sic fortasse Gog dicitur ille, de quo hîc agit Ezechiel, id est, tectus; quia non nisi post longum tempus sese prodidit is, de cuius immanitate, ac robore est

REGVLA. Prophetia longè post implenda signari iubetur.

est propheticus hic sermo; siue de Antiocho, siue de Antichristo institutus sit. Nam hic in extremo sæculorum, ille post annos 430. grassatus est, olympiade nempe 151. cùm olympiade 45. vastata fuerit Hierosolyma.

18. Hæc in re dubia, & inexplorata non videtur inepta coniectura, fortasse Gog aliquis olim fuit, cuius vulgo fuerit inter cæteros nobilitata crudelitas; cuius tamen excidit memoria, qui, vt alij plurimi in aliis nationibus, locum fecit prouerbio. Seu certè nomen est commune alicuius gentis crudelis, & barbaræ; quales Scythæ sunt, & Getæ, aut qui Anthropophagi vocantur ab historicis. quorum nomina mores hominum exprimunt vastos, & ferinos. Quomodo Thrasones dicuntur gloriosi, Gnathones adulatores, & parasiti, Zoili detractores, & inuidi, Aristarchi censores, & critici. Et è nationibus, & gentibus Pœni perfidi, Scythæ feri, & agrestes, Cretes mendaces, Milesij effœminati, Arcades stolidi. Sic Gog siue proprium viri nomen, siue commune alicuius prouinciæ, durum denotat, & barbarum ingenium, quale fuit Antiochi, & Antichristi. In hanc sententiam inclinat Alcasar in cap. 20. Apoc. notat. 7. Hæ duæ explicationes, seu coniecturæ in præsentia occurrunt, quas licèt omnino non probem, non tamen omnino respuo, dum meliores aliæ non succurrunt.

Gog pro crudeli.

19. Quæritur sextò, quid sit Magog? De Magog habes Genes. c. 10. *Filij Iapheth Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, & Thubal, & Mosoch.* An verò hoc loco Magog sit viri proprium nomen, an prouinciæ, difficile explicatu est; & interpretum sententiæ variè dissectæ. Quidam personam esse putant, quia Ioannes Apoc. 20. eodem modo de Gog loquitur, ac Magog: Gog autem virum fuisse diximus, non prouinciam, sic autem Ioannes. *Seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog.* Græcè τὸν γὼγ, ϗ μαγὼγ. qui loquendi modus parem vtrique videtur conditionem adscribere. Ita putat Ribera in c. Apoc. 20. & Alcasar ibidem, licèt cum aliqua differentia.

20. Sed mihi verisimilius est, Magog nomen esse prouinciæ, cuius erat Princeps Gog. Ita sentiunt, quos suprà diximus existimasse tam Gog, quàm Magog prouinciarum esse nomina: & præter hos Hieronymus, Hugo, Maldonatus, Pereira in cap. 10. Genes. quod non videbitur difficile illi, qui nouerit eos, qui primi regionem aliquam occuparunt, suum nomen indidisse prouinciis, vt ex cap. 10. Genes. non obscurè colligitur. Quare Gomer, & Magog, & Madai, & reliqui, qui in hoc capite nominantur, non minùs propria sunt prouinciarum, quàm virorum nomina. Sic *Iauan* Græciam, *Madai* Medos, *Thubal* Iberos, seu Hispanos significat. Puto ergo Magog, Mosoch, & Thubal non esse viros hoc loco, sed prouincias, quas illi habitarunt primi, & suis consignauere nominibus, quibus imperauit Gog, quicumque ille sit. Neque locus ex Apocalypsi citatus huic cogitationi quicquam incommodat: vt enim Magog prouinciæ, ac viri nomen est; sic etiam articulum sumere viro, atque prouinciæ conuenientem potuit. Et quo modo nemo hunc loquendi modum reprehendéret, *Percussit Iudas* v. g. *Adonibezec, & Chananæum, & Pherezæum.* cùm tamen Adonibezech nomen esset viri, cætera prouinciarum; sic neque si quis dicat, *Seducet Satanas Gog, & Magog.* Hæc sententia facile nobis expediet multa, quæ aliter non faciles haberent explicatus.

Magog videtur nomen esse prouinciæ.

REGVLA. *Commune nomen prouinciis, & illis, qui primi prouincias occuparunt.*

21. Libet hîc aliam adducere nominis rationem, non quòd illa omnino mihi placeat; sed quando res est obscura, licèt, imò etiam interdum necesse est variè tentare locum, si quomodo ex multis occurrat vera, ac sana cogitatio, iuxta illud tritum, *Ex crebro talorum coniectu aliquando Venerem exire. Magog*, vt norunt, qui Hebraicè mediocriter sciunt, idem est, quod *de Gog*: quare vox hæc accommodari potest regioni, quæ Gog paret imperio; atque ita sensus erit non valde contortus. Pone faciem tuam contra Gog, & terram Magog, id est, contra Gog, & terram, quæ est à Gog, vel quæ stat à Gog; vel quia in eius est potestate: vel quia illius agit partes, & pro ipso pugnat.

Magog terra, cui imperat Gog.

22. Quæritur septimò, vbi sit Magog? Egimus hac de re suprà quæstione secunda, vbi diximus Magog regionem esse non longè dissitam à Iudæorum finibus, quod etiam nunc existimamus; & addimus idem esse dicendum de aliis filiis Iapheth; quos verisimile est non valde fuisse à se vicissim separatos. Sanè Gomer esse Gallo-Græcos, seu Galatas, docet Iosephus, & alij plures illum secuti; Magog pertinere ad Cœlesyriam iam suprà docuimus ex Plinio; Madai esse Medos; & Iauan Iones; Mosoch Cappadoces, Thubal Iberos, communis est sententia. Id verò probabile fit, quia eos secum armauit, & in suis castris habuit Gog, Ezechiel. cap. 38. v. 6. cum aliis nationibus, quæ non longè ab illis recesserunt. Antiochum autem, quem Gog appellari putabamus, Regem esse Syriæ iam antea diximus. Hæc nobis verisimilia sunt, quæ probant Beroaldus lib. 4. Chronici cap. 6. §. Magog. Pereira lib. 15. in Genes. n. 13. Maldonatus hîc. Tornellius in sacris Annalibus ad annum mundi 1931. num. 21. His vtcumque suppositis explicationem aggrediamur.

23. *Pone faciem tuam contra Gog, terram Magog Principem capitis Mosoch, & Thubal.*] Maldonatus Gog, qui in terra Magog dominabatur, & contra Principem Mosoch, & contra Principem Thubal. Mihi verisimilius est, quod nuper dixi, vnum videlicet esse principem Gog, & tria esse Regna, quæ illius suberant dominatui, quæ habitarunt primum, & suis nominibus notarunt filij Iapheth, quia cum vno loquitur principe, non cum pluribus. Quòd vero contra terram Magog propheticæ intorqueantur minæ, ea videtur esse causa, quia illa inter prouincias alias operam nauauit magis acrem, & strenuam crudeli, ac scelerato Principi, quicumque ille sit; & illius studium ad prædam, & cædem magis inflammauit. Deinde illum nominat Principem capitis Mosoch, & Thubal; & clariùs statim vers. 3. quo modo etiam vocare posset eodem sensu Principem Magog.

24. Illud *Principem capitis Mosoch*, aliquid habet difficultatis. Hebr. ראש *ros*, quod Septuaginta, Theodotio, & Symmachus, quasi nomen esset proprium prouinciæ, non conuerterunt. Eusebius lib. 9. demonstratione 3. in *capite* Romanos intelligit, cuius sententia iam est à nobis quæstione secunda confutata. Sed Vulgatus cum Aquila nomen putat esse commune. Et quidem si nomen esset proprium, aliquod eius extaret in Scriptura sacra, aut in Iosepho vestigium. Est itaque ראש caput, quæ vox cùm nullam habet notam in quocumque casu collocari potest. Si ita vertas, *principem, & caput*, seu, quod idem est, *principale*, aut *primum caput*, sensus idem omninò, minus

REGVLA. Genitiuus nominis substantiui pro adiectiuo.

minus tamen obscurus. Adhibet enim Scriptura sacra genitiuum substantiui nominis non rarò pro nomine adiectiuo; quomodo dicitur *vir roboris*, pro robusto; *vir doloris*, pro eo qui patitur, & dolet; *princeps pacis*, pro principe pacifico. Sic nunc *princeps capitis*, idem est, quod princeps capitalis, seu caput Mosoch, & Thubal; vel quia illarum ciuitatum Rex esset; vel, quia inter Principes primum teneret locum, sicut solet dux in exercitu, aut Consul in pacata Republica.

18. Vers. 4. *Et circumagam te, & ponam frænum in maxillis tuis.*] Metaphora sumitur ab equo, quem qui insidet iniecto fræno, & adductis habenis suo arbitratu versat, circumagitque. Sed non videtur alienum, imò magis ad vsum Scripturæ, si hæc non ab equo, sed a magno aliquo pisce, aut ab ingenti, atque indomita bellua metaphoram sumas: qualis Behemoth, & Leuiathan, aut Rhinoceros. Quod ideo mihi probatur magis, quia equus neque adeò fero est, atque intractabili ingenio, vt cum illo Antiochus, seu Antichristus homines insolentès, atque efferi comparari possint. Deinde quia aliis in locis, vbi hæc occurrit dicendi forma, frænum, seu, quod idem esse arbitror, circulum, seu hamum aliis animalibus adhiberi video, quæ natura sunt præferoci, atque indomita, quæque aliis terrori potius sunt, quàm vsui. Neque hîc aliud edici puto Antichristo, aut Antiocho, quàm quod Deus minatus antè fuerat Senacherib, Isai. 37. *Ponam circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis.* At circulus non iniicitur equis, sed rhinoceroti, ac bubalo. Deinde suprà cap. 29. cùm eædem prope minæ intenderentur Pharaoni, qui Draco eo in loco, seu magnus piscis appellatur, iisdem verbis vtitur Propheta. *Ponam*, inquit, *frænum in maxillis*, vbi sine dubio frænum hamus est; neque enim piscis gubernatur fræno, aut nisi hamo extrahuntur ab aquis. Iob cap. 40. v. 20. *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius; nũquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillas eius.* Adde quòd vox Hebraica, pro qua vulgatus frænũ reddidit, nempe חחים *chachim*, vncinum significat, aut hamum, quam habet textus Hebraicus, cùm suprà cap. 29. de Dracone magno, & Iob c. 40. Leuiathan agit. Quomodo frænum, aut hamum iniecerit insolenti Regi Antiocho, illúmque reluctantem circumegerit, habes 1. Machab. cap. 6. & lib. 2. c. 9. Vbi extractus videtur hamo à continenti pene victoriarum cursu, & eo mortis genere confectus, quod non ab alia, quàm à diuina manu videtur fuisse cælitùs inflictum.

Prouerb. Ponere frænũ pro subiicere, ac domare.

19. De Antichristo hîc nihil dico, præter id quod habes apud Paulum 2. ad Thessal. 2. *Quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui*, & Apocal. 20. *Descendit ignis de cœlo, & deuorauit eos.* Hoc planè est extrahi hamo è suo Regno, sicut Behemoth ex aquis extrahitur, vbi suo se arbitratu in vasta aquarum profunditate versabat.

Antichristus quomodo occisus.

20. *Educam te, & omnem exercitum tuum, equos, & equites vestitos loricis vniuersos.*] Quot sibi copias instruxerit Antiochus, quot vndecumque delectus habuerit contra Israel, norunt qui vel mediocriter in Machabæorum libris versati sunt. Fortasse has Antiochi copias loricatas portendebat spectrum illud, de quo 2. Machab. cap. 5. v. 1. *Eodem tempore Antiochus secundam profectionem parabat in Ægyptum. Contigit autem per vniuersam Hierosolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes auratas stolas habentes, & hastas quasi cohortes armatas, & cursus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri cominus, & scutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis destrictis, & telorum iactus, & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonum monstra conuerti.* Hæc, vt suspicor, effigies quædam est exercitus, quem contra Hierosolymam instruxit Antiochus.

Antiochi quantus exercitus.

21. Hæc eadem de Antichristo intelligi posse nemo dubitabit, qui ex sacris literis didicerit Regem futurum Antichristum; subiecturúmque populos, & opes habiturum ingentes. De quo Daniel cap. 7. iuxta communem interpretum sententiam, *Cornua decem, decem Reges erunt: & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus.* Et statim, *Et ipse tres Reges humiliabit*, &c. De illius opibus est illud Daniel. cap. 11. *Dominabitur thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti.* Ex his non obscurè efficitur copiosum exercitum habiturum Antichristum, illúmque egregiè & ab armis instructum, & ab omni ornamento fulgentem.

Antichristi potentia.

22. Vers. 5. *Persæ, Æthiopes, & Libyes cum eis omnes scutati, & galeati. Gomer, & vniuersa agmina eius, domus Thogorma*, &c.] Quid sit Gomer, diximus suprà ex Iosepho lib. 1. Ant. cap. 6. nempe Gallo-Græcos, aut Galatas. De Thogorma diximus cap. 27. quam communiter Phryges esse putant. Hos verò adfuisse Antiocho, satis est probabile; tum quia non longè absunt à Syria, in qua Antiochus dominabatur, vt tradunt cum Appiano Liuius, & Iosephus lib. 12. Antiq. c. 7. Cùm autem populos subegisset plurimos, vt Machabæorum prodit historia, & Iosephus lib. 12. Ant. cap. 12. & sui metu finitimas regiones impleuisset, non difficile fuit vel mercede conductos, vel timore coactos ad belli societatem aduocare. De Æthiopibus idem censeo, siue sint illi qui Ægyptiorum attingunt fines, siue illorum, qui sunt in Arabia, quique alio nomine dicuntur Madianitæ. Nam cùm victi ab illo forent Ægyptij, facilè intelligitur quomodo finitimi Æthiopes, vel vt gratiam inirent, vel impendentem à Rege cladem euitarent, vel vt publicis rebus aliqua ratione consulerent, suas vires cum Antiochi copiis adiuncturi fuerint. Si verò Æthiopes alij sint, Orientales nempe, de quibus in Scriptura sacra non infrequens sermo, neque illi in expeditione bellica defuisse videntur Antiocho. Nam, vt testis est Liuius lib. 45. in eo progressu, quem in Ægyptum subiugandam instituit, omnes populi qui erant in Arabia deserta vltrò se illi, aut coacti tradiderunt: ad illum autem tractum spectat illa quæ Orientalis dicitur Æthiopia.

Quæ gentes se adiunxerunt Antiocho.

Æthiopia duplex.

23. De Antichristo hîc nihil dico, tantùm repeto ingentes construxisse thesauros, quibus difficile non fuit delectus habere copiosissimos, & hos præsertim populos, qui non procul absunt à Babylonia, vbi ipse nasciturus esse creditur. De Æthiopibus sanè affirmant Sibyllina carmina lib. 3.

Antichristi copiæ.

> Αἶ αἶ σοὶ χώρα Γὼγ, ἠδὲ Μαγὼγ, μέσσον ἐοῦσα
> Αἰθιόπων.
> *Væ, væ, tibi regio Gog, & Magog, quæ medium es*
> *Æthiopum.*

Et eodem libro nationes commemorantur, quæ in Antichristi castris futuræ sunt; quarum multæ sunt ex his, quæ hoc capite ab Ezechiele numerantur.

24. Vers. 7. *Præpara, & instrue te, & omnem multitudinem tuam.*] Permissio hæc est Ironica; quæ cùm hortari

hortari videatur Gog, quicumque ille sit, vt arma capiat, viresque suas quàm potuerit maximè confirmet, & expediat; re tamen vera prædicit apparatu illo quam maximo non perfecturum vt gladium à diuina manu iamiam impendentem effugiat. Hæc de Antiocho difficilia non sunt, quem scimus percussum à Deo mortem obiisse ignominiosam, & acerbam. De Antichristo casum habes non dissimilem. Apocal. cap. 19. & cap. 20. & ironiam valde similem cap. 22. v. 11. *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc, &c. ecce venio citò.*

25. *Et esto eis in præceptum.*] Heb. למשמרת lemismar, quæ vox custodiam sonat; sed est omnino idem quod præceptum, iuxta Hebræorum consuetudinem, apud quos frequens est, vt actio pro actionis termino, seu obiecto ponatur. Quomodo *Laudatio* pro re laudabili, *Timor* pro re timenda, qualia sunt arma, hostes, pericula; *visio* pro spectaculo, & similia, & *custodia* pro *præcepto*, quod custoditur. Sic Zachar. cap. 3. *Custodiam meam custodieris*, id est, præceptum. Sic etiam Leuit. cap. 18. Nam vbi vulgatus habet, *Custodite mandata mea.* Heb. est, *Custodite custodiam meam.* & Numer. cap. 18. vbi noster, *Excubabunt Leuitæ ad præcepta tua.* Heb. est; & ita etiam Septuaginta legunt, *Custodient custodias tuas.* Sic etiam hoc loco למשמר, licet idem valeat Heb. quod *in custodiam*, ex idiomate tamen linguæ sanctæ, vt diximus, *præceptum* significat, sicut optimè reddidit vulgatus.

REGVLA. *Actio pro termino seu obiecto actionis.*

26. Vers. 8. *Post dies multos visitaberis.*] Ostendit Deus tempus, in quo Gog, quicumque ille sit, suæ immanitatis atque superbiæ pœnas dabit; quod post longum tempus futurum esse docet. De Antichristo nemo dubitat, quia in fine sæculorum omnium puniendus est. De Antiocho etiam non obscurum, ante cuius crudelitatem, & interitum anni sunt interiecti plurimi. Nam cùm excisa fuerit Hierosolyma, quo tempore videntur hæc ab Ezechiele prædicta, sub annum mundi 4600. olympiade 45. vt auctor est Eusebius; & Antiochus Epiphanes regnum inierit sub annum mundi 5030. olympiade 151. anni intercessere inter propheticas minas, & Antiochi interitum plusquam quatercenti, ac triginta; tunc autem visitatus est, postquam varia edidit suæ impietatis, ac crudelitatis exempla.

27. *In nouissimo annorum venies ad terram, quæ reuersa est à gladio, & congregata est de populis multis ad montes Israel.*] Hæc durè admodum in Antichristum quadrant, bellè autem in Antiochum; qui multis annis, postquam è captiuitate redierunt Iudæi, remque Israëliticam ad veterem formam constituerunt, integrarúntque, illos ita inclementer insectatus est, vt non multo distare videretur ab hoste Chaldæo. Nouissimum autem tempus cùm variè in Scriptura sumatur, interdum significat non extremum omnium, sed aut Euangelicum, in quod incidit extrema mundi ætas; aut quod longè pòst futurum esse dicitur; imò simpliciter quod postea futurum est, vt pluribus ostendimus in cap. 2. Actor. ad illud, *Et erit in nouissimis diebus.* De populis multis gens illa congregata est; quia variè fuerat antè dispersa. Nonnulli enim in Ægyptũ, alij ad finitimas Gentes; nonnulli in alia, atque alia Babylonici imperij loca diffluxerant, quod sanè patebat quàm longissimè. Inde tamen reuocati sunt à Deo ad montes Israël, vt

Nouissimum tempus non semper significat extremum.

A quæ collapsa fuerant instaurarent.

Hæc de populis multis educta est, & habitabunt confidenter.] Educta est terra illa, id est, captiui, atque extorres, qui ad regionem illam pertinebant, ex illis populis, in quos varia illos fortuna dispulerat, & diu in ea regione per 430. annos confidenter, id est, sine vlla perturbatione, ac metu consederunt. Pòst verò in illorum fines irrupit Antiochus, turbauítque pacem, quam illi sibi sperabant futuram esse perpetuam. Illud, *& habitabunt*, per tempus præteritum explicandum est, quod non rarò inuenies in Scriptura, quæ à versione Latina aliarum linguarum interdum proprietates seruat,
B quarum vna est: vt futura terminatio cum *vau* conuersiuo, quod idem est, atque coniunctio *&* aliquid significet præteritum; quod hic omnino vides. Et ita vertit Chaldæus; neque admodum differunt LXX. qui tempus hîc adhibent præsens. Sed si tempus spectes, in quo hæc ab Ezechiele dicuntur, sensus est omnino idem. Nondum enim habitare cœperat populus confidenter, quia nondum nactus libertatem; habitaturus tamen erat postea exactis annis septuaginta, ad Regnum vsque Antiochi, per annos nempe 360. 28.

29. Vers. 9. *Ascendens autem quasi tempestas venies, & quasi nubes.*] Hic dicendi modus prouerbia-
C lis est, significátque vim aliquam repentinam, & grauem. Eisdem propè verbis expressit Ieremias cap. 4. v. 13. Chaldaici exercitus impetum horribilem, & subitum. *Ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus eius.* In nube multitudo significatur, quæ terram operiet, inundabitque, non aliter ac cœlum offusa nubis. In tempestate incitatus significatur cursus, & repentina strages. Hæc eadem Daniel de eodem Antiocho cap. 11. vers. 40. *Quasi tempestas veniet contra illum Rex Aquilonis in curribus, & in equitibus, & in classe magna.*

Prouerbiũ. Tempestas, & nubes pro impetu ac multitudine.

Vers. 10. *In die illa ascendent sermones super cor tuum: & cogitabis cogitationem pessimam.*] Ascen- 30.
D dere sermones super cor, Hebraismus est, qui nihil significat aliud, quàm meditari quicquam aliquid secum, aut tacitè apud animum suum deliberare. Sic Lucas cap. 24. *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?* Sermones hîc idem esse puto quod cogitationes, quæ verbum mentis, seu mentale vocatur à Logicis: neque enim aliter secum aliquis loquitur, quàm per cogitationes, quod facile suadent, quæ sequuntur, *Et cogitabis, &c.*

Vers. 11. *Ascendam ad terram absque muro.*] Hæ 31.
sunt cogitationes pessimæ, quas secum tacitè voluebat Antiochus; quibus seipsum, vt hostile aliquid in Iudæos strueret, hortabatur. Dice-
E bat enim facile sibi fore Hebræorum fines suæ sibi subiugare ditioni, cùm nullo se præsidio contra vim externam, & hostiles insidias muniuissent; cùm securi viuerent, & longa jam pace imbelles, & ignaui nihil minus, quàm de bello, atque hoste cogitarent. Dicit autem illos esse absque mœnibus, absque portis, ac vectibus; cùm tamen, vt ex libris Esdræ abundè constat, egregiè esset munita ciuitas; vel quia non solùm hic agit de Ierusalem, sed de toto tractu terræ promissæ olim, & nunc tandem post longa tempora restitutæ, in quo verisimile est multas esse vrbes ab omni muro, atque præsidio nudatas; vel quia sibi sua potentia nimis esset ... inflatus,

inflatus, nihil putabat sibi fore difficile, atque ideo perinde habendas esse ciuitates, atque si apertæ essent, & cuilibet peruiæ.

32. *Vmbilicus terræ quid.* Vers. 12. *Qui possidere cœpit, & esse habitator vmbilici terræ.*] Vmbilicus in omni ferme lingua, sumitur pro eo, quod in medio est, sumpta metaphora ab ea parte, quæ medium locum obtinet humani corporis: vnde Cicero agens de Ennensium nemore dicit, *Qui locus, quod in medio est insulæ situs, vmbilicus Siciliæ nominatur.* Sic putant aliqui vmbilicum terræ dici Ierusalem, quia in medio terræ est sicut centrum in circulo, & ita explicant illud Psal. 73. *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* *Ierusalem in medio terræ.* Ita sanè putat Hieronymus in illud Ezechiel. cap. 5. *Ista est Ierusalem, in medio Gentium posui eam.* Vbi docet quo sensu Ierusalem dici possit in terræ medio sita. *A partibus*, inquit, *Orientis cingitur plaga, quæ appellatur Asia: à partibus Occidentis eius, quæ vocatur Europa: à meridie, & Austro Libya, & Africa: à septentrione Scythis, Armenia, & Perside, & cunctis Ponti nationibus.* Sed sanè id creditu difficile est, siue terram secundùm longitudinem, seu secundùm latitudinem metiaris. Multo videtur verisimilius, quod alij cum Iosepho credunt, qui in vmbilico dicunt sitam Ierusalem non comparatione vniuersæ terræ, sed terræ tantùm promissionis. *Ierusalem in medio terræ promissionis.* Neque nouum est, aut inusitatum, vt tota terra regionem tantùm significet Chanaanitidem; aut illam de qua sermo est, vt Hieronymus docuit in illud Isai. cap. 13. *Vt disperdam omnem terram.* *REGVLA. Tota terra de regione interdum dicitur de qua sermo est.* Neque tamen vmbilicus, aut medium sic est accipiendum, vt in centro terræ promissionis sit Hierosolyma, ita vt ab ea ad extremos ambitus lineæ duci possint æquales. Satis enim est, si in aliarum tribuum complexu sit, id est, ab illis vndecumque claudatur.

33. Vers. 13. *Saba, & Dedam, & negotiatores Tharsis, & omnes leones eius dicent tibi: Numquid ad sumenda spolia tua venis?*] Hos secum in castris habuit Antiochus, quia etiam habuit secum Æthiopes, & Libyes, ad quos regiones istæ videntur contributæ. Hi verò instimulabant Antiochum, vt bellum vrgeret, & aciem in Iudæorum Gentem instrueret; ex qua ingentes collecturus esset exuuias. Id verò faciebant illi populi, vel vt Regi adularentur diuitiarum, & gloriæ sitientissimo; vel vt ab illo aliquam inirent gratiam, cuius potentiam, & barbarum ingenium horrebant. Hæc credo magis ad textum, & historicam fidem: sed vide, an aliquid aliud indicent hæc Tharsensium negotiatorum verba. Machab. lib. 1. cap. 3. contraxerat in Iudæos Antiochus exercitum copiosum, neque finitimæ nationes dubitare videbantur, quin subiugaturus esset Iudæos, & spolia multa ab illis reportaturus. *Antiochi quàm certa spes de victoria.* Cúmque ex captiuis magnos fore putarent seruorum, atque ancillares greges, vt illos à victoribus emerent, ad castra, quasi ad nundinas properabant, cum argento, & auro: *Processerunt*, inquit, (nempe Antiochi Duces) *cum vniuersa virtute sua, & venerunt, & applicuerunt Emaum in terra campestri. Et audierunt mercatores regionum nomen eorum, & acceperunt argentum, & aurum multum valde, & pueros, & venerunt in castra, vt acciperent filios Israël in seruos, & additi sunt ad eos exercitus Syriæ, & terræ alienigenarum.* Hi ergo ne eo priuarentur lucro, quod ex illa mancipiorum nundinatione deuorauerant, hortabantur milites ne languerent animis; sed audaces assumerent spiritus, quasi ad prædam potius, quàm ad pugnam pergerent.

Vers. 14. *Numquid non in die illo, cùm habitauerit populus meus Israel confidenter scies?*] Captauit opportunum tempus Antiochus, quo meliùs posset cogitata perficere, id est, complere sermones illos, qui suprà dicti sunt in ipsius animum ascendisse, cùm videlicet securo essent animo, atque quieto Iudæi, & adeò contra hostiles acies, & insidias imparati, vt habitare viderentur in vrbibus ab omni præsidio militari nudatis, in quibus neque portarum essent claustra, neque repagulorum custodia. Id ergo nunc obiicit Dominus Antiocho, quod obseruaret attentè, dum confidenter, ac sine metu populus habitaret; quia tunc magis erat ad cædem, vel ad prædam expositus. Quod clariùs explicuere LXX. dum ita reddunt, *Nónne in die illa, cùm habitauerit populus meus in pace, consurges, & venies?* 34.

Vers. 16. *In nouissimis diebus eris, & adducam te super terram meam: vt sciant Gentes me.*] Exultabit diu Gog, subiectarum sibi regionum spoliis ditatus, & perpetuo penè victoriarum cursu inflatus, & alacer; ad extremum tamen postquam nationes alias suo sibi subegerit imperio, adductus in terram Israël, non solùm ab honore decidet, malè sæpè concisus à Machabæis, sed etiam acerbè, ac turpiter à vita. Ex quo discent Gentes, quis sit, & qualis Iudæorum Deus, qui sic suorum vlciscitur iniurias. Id verò optimè conuenire in Antiochum docent historiæ tam sacræ, quàm profanæ: ex quibus habemus multa bella secunda gessisse Antiochum, ac tandem cùm afflixisset Iudæorum populum aliquandiu in terra, quam hîc Dominus appellat suam; malè fuisse mulctatum. Licèt enim extra terram promissionis ignominiosam mortem obierit, seu in Perside, seu in Media, seu, vt alij probabilius censent, in Babylone, tamen propter res infeliciter gestas contra Iudæos, & exercitum fugatum, & castra direpta sic est affectus grauiter, vt in morbum inciderit, à quo non post multos dies extinctus est. 35. *Antiochus vbi occisus.*

Hæc etiam non malè trahi possunt ad Antichristum, qui tempestas videri potuit, quæ repentè irruit, & terram latè populata est, & exercitu supra modum copioso, tanquam nube totum mundum oppleuit; de quo Daniel cap. 13. *Data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & Gentem.* Quo verò loco Antichristus occisus, incertum est. Si verum est, quod Hieronymus putat in cap. 25. Isaiæ, ad illud, *Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati*, & in caput 11. Daniel. ad extrema verba, quod etiam putat Haymo in cap. 19. Apocalyps. in monte Oliueti fore interimendum, quod aliis quoque visum esse docet, quos tamen non nominat, bellè in illum quadrat locus iste. 36. *Antichristus vbi extinctus.*

Cùm sanctificatus fuero in te in oculis eorũ ô Gog!] Id est, cùm sanctum me ostendero, iustum vltorem, & potentem apud omnes, quòd facile sibi persuadere poterunt, cùm te viderint, ô Gog, acerbissimas mihi pœnas dedisse. Eodem dicendi genere vsus est suprà cap. 28. vers. 22. *Glorificabor in medio tui, & scient, quia ego Dominus, cùm fecero in ea iudicia, & sanctificatus fuero in ea.* Idem cap. 37. v. 23. quod statim repetit versu vltimo. 37.

Vers. 17. *Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis in manu seruorum meorum Prophetarum.*] 38.

rum.] Laborant hic interpretes quibus Scripturæ locis, de hoc Antichristi, seu Antiochi tempore locuti sint Prophetæ; & adducunt varia, quæ tamen curioso lectori non satisfacient; sicut neque ipsis, vt arbitror, auctoribus. Hieronymus adducit illud Num. 24. v. 7. iuxta L X X. translationem, *Et eleuabitur Gog, regnum eius.* Sed quia in Hebraico textu non est Gog, sed Agag, illam idem cogitationem refutat. Theodoretus putat de hoc bello Gog locutum Oseam cap. 2. vers. 18. *Et disponam ipsis testamentum in die illa cum bestiis agri, & cum volatilibus cœli, & cum reptilibus terræ; & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & habitare faciam te in spe.* & Ioel cap. 3. *Ecce ego in diebus illis, & in tempore illo, quando conuertam captiuitatem Iuda, & Ierusalem, & congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Iosaphath, & disceptabo cum eis ibi pro populo meo, & hereditate mea Israël.* Adducit item aliud Michææ testimonium cap. 4. *Surge, & tritura filia Sion, quia cornua tua ponam ferrea, & vngulas tuas ponam æreas. Et deduces in ipsis Gentes, & minues populos multos.* Quæ testimonia, licèt alias habeant explicationes, huc tamen non difficile veniunt. Aliud verò testimonium, quod adducit ex Zacharia cap. 4. huc non facit, sicut etiam alia, quæ adducunt Hebræi sumpta ex Zacharia cap. 14. & Ezechiele hîc; possent etiam eodem modo adducere ex Daniele cap. 11. quia Deus locutum se dicit diebus antiquis per manus Prophetarum; sed hoc tempore nondum de Antiocho, seu Antichristo quicquam egerat Daniel, quia de illis prophetare cœpit sub Dario, soluta iam captiuitate; & Zacharias hoc tempore nondum erat natus, qui post reditum ex Babylonia orsus est prophetare.

39. REGVLA. *Multa in Scriptura per accommodationem dicta.* Ego quid hoc loco sentiam paucis expediam. Primò testimonia, quæ profert Theodoretus posse ad institutum accommodari. Secundò quæ dicta sunt à Prophetis in principes sceleratos, & suis viribus, atque opibus nimium insolentes, quos interdum Deus tanquam virgam assumit, vt corripiat suos, licèt illa ad omnes generatim pertineant, posse tamen ad hos duos principes optimè traduci. Quæ cùm in illos conueniant, in illos quoque fuisse prædicta negari non potest. Quomodo duæ oliuæ, & duo candelabra Apoc. c. 11. v. 4. duobus testibus, qui putantur Elias, & Enoch, accommodantur; quæ tamen Zach. cap. 4. vnde tam oliuæ, quàm candelabra sumpta sunt, vt eo loco diximus, ad illos pertinent, qui cum potestate sunt. Sic etiam si quis, exempli gratia, illud, quod de omnibus impiis, qui in loco sunt sublimi, dicitur Psal. 36. v. 35. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat.* iactaret in Antiochum, diceretque de te illud est, aut de te locutus est Dauid, cùm dixit: *Vidi impium,* &c. satis ille videretur locutus accommodatè, & verè.

40. REGVLA. *Multa citata in sacris litteris quæ litteris mãdata non sunt.* Tertiò dico videri mihi Dominum de his temporibus disertè locutum esse per Prophetas; non tamen illa à Prophetis litteris esse mandata, quæ tamen norant illius temporis Iudæi per manus à parentibus accepta. Id mihi ideo persuadeo, quia multa dicta sunt in Scriptura sacra, quæ nisi ab aliis essent repetita, illa prorsus ignoraremus. Dixit quidem Christus, *Beatius est magis dare, quam accipere:* vt refert Paulus Actor. cap. 20. At quis id nosset, nisi postea didicisset a Paulo? Dixit item Christus, *Ecce homo, & opus coram facie eius?* Neque nobis illud esset notum, nisi Ignatius epistola ad Smyrnæos, & Gregorius Nazianzenus lib. seu oratione de bono ordine disserendi, & alij ex Patribus docuissent. De hac re nos pluribus super Acta cap. 1. num. 15. Sic etiam verisimile est dixisse olim Prophetas aliquid de Gog, quod tamen literis mandatum non est. Et hoc fortasse verius.

Vers. 18. *In die aduentus Gog super terram Israel, ait Dominus, ascendet indignatio mea.*] Antequam animum adiecisset Antiochus ad subiugandam Ierusalem, cursu progrediebatur adeò secundo, vt non tam passibus, quàm victoriis terram lustrasse videretur. Vide Liuium lib. 45. cui Samaritæ, eius, credo, felicitatem admirati, Dei, & seruatoris nomen tribuerunt, vt tradit Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 7. Cùm autem bello tentauit Ierusalem, licèt primùm illi, sicut antea arrisisse videretur fortuna, non longè tamen postea mutauit sese, & Regem insolentem gloria spoliauit, & vita. De illo verò tempore, quo affligere cœpit Deus Hierosolymam, videtur hic locus accipiendus. Assumpsit enim Deus Antiochum quasi virgam, qua populum corriperet, sicut olim per Prophetas minatus fuerat; deinde illum grauissimo supplicio mulctauit. Sed hæc, credo, multo magis in Antichristum conueniunt, si verum est, quod ex Hieronymo nuper dicebamus, illum in monte Olіueti fuisse extinctum à Deo. Quàm enim ille ad illud vsque tempus feliciter se gesserit, (si tamen illa felicitas dici potest) habes ex Daniele cap. 11. cùm & plurima regna suo subiugarit imperio, & immensos propè thesauros acquisierit. 41. *Antiochi plenus victoriarum, cursus.*

Vers. 19. *Quia in die illa erit commotio magna super terram Israel.*] Si dicamus esse hanc hyperbolicam dicendi formam, quæ subitam rerum turbationem, ac conuersionem significat; neque esse omnia singulatim obseruanda, ac consideranda, vt in figuris prouerbialibus assolet, benè hæc omnia quadrant in Antiochum, in cuius cædem hæc omnia videri possunt coniurasse. Vt enim ipse tantum tribuebat, vt non hominibus solùm, qui in terris agunt, sed etiam piscibus maris, & auibus aëris imperare se crederet, atque adeò cœlum ipsum attingere: sic ab his omnibus non modò derelictus, sed oppugnatus est, vt planè omnium videretur esse miserrimus. Audi quid de Antiocho 2. lib. Machab. c. 9. *Qui vniuersa conspicit Dominus Deus Israel percussit eum insanabili, atque inuisibili plaga,* &c. Et paulo pòst, *Is, qui sibi videbatur etiam piscibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur,* &c. *Ita vt è corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius, ac fœtore exercitus grauaretur. Et qui paulo antè sydera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* Nunc vide quàm aptè his omnibus respondeant quæ nunc ab Ezechiele de illius supplicio proponuntur: quomodo væsanas superbi Regis cogitationes æquali penè mensura pœnæ compensent, vt homines, pisces, volucres, & montes aduersùs impium, ac stolidum Regem commoueantur, & conspirent; qui sibiipsi, quod in illa omnia potestatem haberet, blandiebatur. Hæc magis sunt ad aliorum mentem; si quis tamen ad tempus illud referat, quo primùm res Iudaica tentata, atque vexata fuit ab 42. *Antiochi horribilis mors*

Antiocho, non me difficilem habebit; imò arbitror id esse magis expeditum, & facile.

43. Sed hæc multo magis in Antichristum conueniunt, quia quo tempore occisus est, certè non longè pòst, acciderunt hæc omnia, aut saltem illa, in quæ non immeritò cadit verborum istorum vis, & acerbitas. Vide apud Matth. cap. 24. & Lucam cap. 17. qualia futura sunt signa, quæ in nouissimo sæculorum Christi iudicis aduentum antecedent.

44. Vers. 20. *Et commouebuntur à facie mea pisces maris*, &c.] Sunt qui hæc non ad Antiochi, seu Antichristi mortem, & exercitum eorum stragem referenda putent, sed ad Ierusalem, seu Ecclesiæ sub id temporis vexationem; quæ sic erit acerba, vt in Hierosolymam sub Antiocho, & sub Antichristo in Ecclesiam elementa omnia, & ipsam naturam rerum conspirasse videri potuerint. Ita indicat Maldonatus; sed in aliam sententiam frequentes alij abeunt, quam ego ita complector; vt non valde ab hac posteriore dissentiam. Est autem hic loquendi modus, vt dixi, hyperbolicus, si rerum ipsarum naturam spectes, & ad hominum vires attemperatè consideres. Si verò de Deo loqueris, qui nutu vniuersa moderatur, & concutit; nihil omnino dici potest hyperbolicum, quia nihil est supra omnipotentem illius facultatem. Vtitur hac, aut simili dicendi figura Deus, aut qui de Deo loquuntur, cùm omnipotentis virtutis opera significare volunt. Sic Dauid Psal. 17. *Commota est, & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata, quoniam iratus est eis.* & Psal. 103. vers. 32. *Qui respicit terram, & facit eam tremere; qui tangit montes, & fumigant.* Isaias 13. *Cælum turbabo, & mouebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum.*

Hyperbolicus belli apparatus.

45. Vers. 21. *Et conuocabo aduersùs eum in cunctis montibus meis gladium.*] De Antiocho hæc facilè intelliguntur: constat enim quemadmodum Deus Machabæorum animis ardorem inspirauerit defendendæ patriæ, religionis, & vires addiderit; vt sese Antiochi consiliis, atque armis opponerent; & quemadmodum alij illorum exemplum, & auspicia secuti arma arripuerint, & hostiles acies ignominiosè sæpè fugarint, ac fregerint. De Antichristo hoc idem futurum ipsa nos Prophetarum oracula non obscurè docent.

46. *Gladius vniuscuiusque in fratrem suum dirigetur.*] Diuinitus aut stragem editam, aut victoriam comparatam hoc signum inter alia putatur esse certissimum, cùm homines repentè mutatis animis, aut cæco aliquo furore correpti in commilitones, & socios quasi forent hostes, aut quia illos hostes esse putant, arma distringunt. Sic Philistæi 1. Reg. cap. 14. vers. 20. *Et ecce versus fuerat gladius vniuscuiusque ad proximum suum, & cædes magna nimis.* Et Iudic. cap. 7. Madianitæ conuersis in se gladiis superati sunt non tam à Gedeone, quàm à Deo. *Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant.* Et 2. Paralip. cap. 20. ad orationem Iosaphath, hostes inter se vicissim digladiati mutuis se confecere vulneribus. Idem siue victoriæ, siue supplicij genus subiisse Galatas, cùm à templo Apollinis Delphici repulsi sunt, tradit in Phocicis Pausanias; an verò illud fabulosum sit, in præsentia non disputo.

Inimici Dei mutuò se ferro concidunt.

47. Non lego id accidisse Antiocho, nisi dicamus ab illo auxiliares, & fœderatos defecisse. In Antichristi verò castris, quæ ipse ex variis

A Gentibus, ac linguis instruxerat, quas vel metu coegerat, vel mercede conduxerat, contigisse huiusmodi dissidia, mutuísque odiis à se vicissim multitudinem illam esse distractam, non est improbabile; tametsi nihil ea de re certum occurrat.

Vers. 22. *Et iudicabo eum peste, & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis: ignem, & sulphur pluam super eos.*] His verbis prouerbiali specie multiplicia, ac varia tormenta significari arbitror. Quare necesse non est, vt hæc seorsum singula aduenisse probemus Antiocho, seu Antichristo, dummodo constet grauia à Domino, & varia subiisse supplicia. Sanè cùm de peccatorum supplicio sermo esset Psal. 10. v. 6. eisdem propè verbis illius acerbitas explicatur. *Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulfur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Hoc verò prouerbium, seu prouerbialis forma sumpta videtur ex Sodomæorum exitio, & Ægyptiorum strage, quorum illi sulphureo imbre de cœlo tacti, atque combusti sunt; hi verò varias plagas, quales hîc describuntur à Propheta, subierunt. Est autem vsitatum in Scriptura, vt cùm acerbissimam plagam significare vult, exemplum sumat è Sodoma, vel Ægypto. Graue supplicium minatur Deus populo suo suprà cap. 13. quod verbis quàm simillimis exprimitur; cùm tamen non constet illis diuinæ indignationis telis fuisse vexatum. *Erit*, inquit vers. 11. *imber inundans, & dabo lapides praegrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem.* Sic puto hæc minatum esse Deum Antiocho, iuxta vsitatum dicendi modum, cui se Deus frequenter accommodat; quibus nihil aliud, vt reor, significatur, quàm grauis, & ignominiosa calamitas. Vbi noster, *lapides immensi*, Heb. אבני אלגביש *abne elgabis.* qui, vt L X X. transtulerunt, lapides sunt grandinis, quos Dominus eiaculatur è nubibus.

48. *Prouerb. Descriptio vexationis magna.*

Sodoma, aut Ægypti plaga prouerbialis.

D Hæc verò passus videri potest Antiochus, si mortis genus ignominiosum, & durum cum harum minarum numero, atque ordine componas. Cùm enim de curru cecidit, & graui membrorum collisione vexatus est, vt habes 2. lib. Machab. 9. de cœlo videtur aut grandibus petitus esse lapidibus, aut è cœlo fulminatus. Cùm verò insanabili, atque inuisibili plaga percussus est, peste videri potest laborasse; sulphureo autem incendio, ex quo grauis aspiratur, & intolerabilis halitus; satis significatur fœtor ille, qui omnes à suo congressu repellebat; quémque ipse, qui patiebatur, tolerare non posset. 49.

E De Antichristo, illisque populis, qui ipsi ad varias expeditiones adhæsere, minus est dubitandum: quia aliis Scripturæ sacræ locis de illius interitu aliqua dicuntur non admodum diuersa. Apocal. c. 20. v. 8. cùm sermo esset de Gog, & Magog, dicitur, *Descendit ignis à Deo de cœlo, & deuorauit eos. Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris: vbi & bestia, & pseudopropheta* (Antichristus) *cruciabuntur die, ac nocte.* Cùm verò Antichristus occidendus dicatur spiritu oris Christi, magna significatur, atque horribilis clades, quæque illa obscurè inuoluit, quæ hîc pluribus explicantur à Propheta 2. ad Thess. 2. *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* De interitu Gog, & Magog, id est, de Antichristi, & de illius exercitus horribili strage sunt Sibyllina carmina lib. 3. in tomo 2. Bibliothecæ veterum Patrum. 50.

Heu

Heu tibi Gog, tractúſque Magog, qui diuidis amnes A
Æthiopum medius, quantas tu ſanguinis vndas
Accipies, pœnaque domus diceris in orbe,
Potabitque nigrum tua roſcida terra cruorem.

Et turſus eodem libro ſic de Gentibus, quas in conſtituendo, atque amplificando imperio ſub ſignis habuit,

Heu tibi Gog, Magógque, aliíſque ex ordine cunctis
Marſog, atque Angon, tibi quot mala fata propinquant.
Multa etiam Lyciæ natis, Myſæque, Phrygiæque
Pamphyliæque cadent Genti, Lydique frequentes:
Maurique, Æthiopeſq́; & quorũ barbara lingua eſt
Cappadoces, Arabeſque, &c.

IN CAPVT TRIGESIMVMNONVM.

ARGVMENTVM.

PERSEQVITVR vaticinium, quod præcedenti capite de Gog instituerat, & poſt ſecundum rerum, & victoriarum curſum, horribilem illi cædem, & miſerabilem interitum denunciat. In qua cæde deſcribenda multus eſt, & elegans Propheta. In Gog autem Antiochum intelligi, qui rem Iudæorum confirmatam iam, & ſtabilitam poſt exilium vehementer afflixit, veriſimile eſt; in quo etiam Antichriſti viua quædam effigies apparet. In extrema parte capitis poſt longum hyperbatum, ad populum tunc adhuc exulantem regreditur, cui tandem eam felicitatem promittit; vt & ipſe verecundetur, & doleat aduersùs illum peccaſſe, quem tam experitur liberalem, & humanum; & alij ſibi perſuadeant Deum eſſe fidelem, & ſanctum; qui populum ſuum propter peccata ſua ſeuerè punierit, & eundem ab exilio vindicatum multis modis ornauerit.

CAPVT XXXIX.

B 1. *TV autem fili hominis vaticinare aduerſum Gog, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ſuper te Gog principem capitis Moſoch & Thubal:*

2. *Et circumagam te, & educam te, & aſcẽdere te faciam de lateribus Aquilonis: & adducam te ſuper montes Iſraël.*

3. *Et percutiam arcum tuum in manu ſiniſtra tua, & ſagittas tuas de manu dextera tua deiiciam.*

C 4. *Super montes Iſraël cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui, qui ſunt tecum: feris, auibus, omnique volatili, & beſtiis terræ dedi te ad deuorandum.*

5. *Super faciem agri cades: quia ego locutus ſum, ait Dominus Deus.*

D 6. *Et immittam ignem in Magog, & in his qui habitant in inſulis confidenter: & ſciet quia ego Dominus.*

7. *Et nomen ſanctum meum notum faciam in medio populi mei Iſraël, & non polluam nomen ſanctum meum ampliùs: & ſcient Gentes quia ego Dominus ſanctus Iſraël.*

PARAPHRASIS.

1. VAticinare, fili hominis, iterum contra Gog, & dices meo nomine: Ecce ego ſuper te, ô Gog Princeps, & caput Moſoch, & Thubal.

2. Poſtquam te per varia loca circumegero, adducam tandem ad montes Iſraël ab Aquilonari plaga, vbi tuam tibi ſedem collocaueras.

3. Confringam vires tuas, & arma diſperdam: arcum tuum comminuam, quem geris in ſiniſtra, & de manu dextera ſagittas excutiam.

4. In montibus Iſraël ſterneris, ô Gog, ibi opprimentur tecum agmina tua, & omnes populi, qui auxiliares ad te copias adduxerunt: ibi paſces feras, & volucres; quia volucribus te, ac feris deuorandum tradidi.

5. In montibus, atque in agris cades, neque verbis meis pondus aberit; quia à Deo ſunt.

6. Igne Magogæos, & Inſulanos perdam, qui nihil ſibi à quoquam metuendum putant; & magno ſuo malo edocti cognoſcent Deum eſſe me.

7. Et faciam, vt ex eo quod in populi mei finibus glorioſè compleuero non ſolùm populus meus, ſed & Gentes omnes me ſanctum eſſe intelligant, & Deum Iſrael. Neque permittam amplius, vt malè quiſquam de me aut ſentiat, aut loquatur.

8. Ecce venit, & factum est, ait Dominus Deus, hæc est dies, de qua locutus sum.

A 8. Quod autem de te locutus sum, ô Gog, vsque adeò certum est, vt censeri possit, quasi iam sit factum; & quasi dies, quæ tibi stragem, & infortunium afferet, iam prorsus aduenerit.

9. Et egredientur habitatores de ciuitatibus Israel, & succendent, & comburent arma, clypeum, & hastas, arcum, & sagittas, & baculos manuum, & contos: & succendent ea igni septem annis.

9. Postquam verò exercitus extinctus fuerit, egressi ad montes de ciuitatibus viri Israelitæ, arma comburent, & incendio perdent, ita vt nihil reliquum sit à flamma; non clypeus, non hasta, non arcus, & sagittæ, non conti, & baculi, qui manu gestantur. Quorum ea erit multitudo, vt
B pro septem, id est, pro multis annis Israelitæ lignorum satis ad instruendum focum habituri sint.

10. Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus: quoniam arma succendent igni, & deprædabuntur eos, quibus prædæ fuerunt, & diripient vastatores suos, ait Dominus Deus.

10. Quia satis erit ad multos annos incendiariæ materiæ, quam in castris relinquent hostes interfecti: non erit necesse cæduam è syluis, regionibúsque nemorosis cōportare materiam; eorum enim loco succedent inimicorum arma. Tunc verò, dicit Dominus, qui aliis prædæ fuerant, ab illis reportabunt exuuias; nudabúntque illos omnibus ornamentis, & cō-
C modis à quibus ipsi priùs nudati fuerant.

11. Et erit in die illa: dabo Gog locum nominatum sepulcrum in Israël: vallem viatorum ad Orientem maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes: & sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius, & vocabitur vallis multitudinis Gog.

11. Illo verò tempore, locus vbi computruerit Gog in montibus Israel celeber erit, & notus, non quidem propter superbam aliquam sepulcri molem; sed propter memoriam scelerati hominis, ibi ab vltore Domino diuinitus oppressi. Erit autem Gog siue sepulcrum, siue sterquilinium ad orientale mare, in valle quadam viatoribus peruia; qui ex tanta cadauerum multitudine, ac grauiolente strage cum fastidio obstupescent, & nausea. Ille
D igitur locus erit Gog, & eius multitudini pro sepulcro, qui deinceps ex eo euentu appellationē nactus vocabitur vallis multitudinis Gog.

12. Et sepelient eos domus Israël, vt mundent terram septem mensibus.

12. Congerent cadauera filij Israel in vallem illam, non quidem, vt aliquid illis impendant honoris; sed potiùs vt magnum à se fœtorem, & molestiam auertant; & pro cadauerum multitudine septimestre spatium ad illud opus erit necessarium.

13. Sepeliet autem eum omnis populus terræ, & erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus.

E 13. Ad illud porrò negotium expurgandæ à cadaueribus terræ omnis populus certatim incumbet. Erit autem dies illa celebris, & solenni memoria decantata; in qua, dicit Dominus, gloriosa victoria omnem à meo nomine suspicionem auerti.

14. Et viros iugiter constituent lustrantes terram, qui sepeliant, & requirant eos qui remanserant super faciem terræ, vt emundent eam: post menses autem septem quærere incipient.

14. Constituentur viri, qui terram lustrent, quíque si qua iaceant cadauera alibi dispersa, vt in fuga solet; aut condant terra; aut auertant à locis, vnde ex grauiolentia timeri aliquid posset; & impij illius exercitus reliquias prosequantur. Quod

15. Et ita

15. Et circuibunt peragrantes terram: cúmque viderint os hominis, statuent iuxta illud titulum, donec sepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog.

16. Nomen autem ciuitatis Amona, & mundabunt terram.

17. Tu ergo fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Dic omni volucri, & vniuersis auibus, cunctísque bestiis agri: Conuenite, properate, concurrite vndique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel: vt comedatis carnem, & bibatis sanguinem.

18. Carnes fortium comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis: arietum, & agnorum, & hircorum, taurorúmque & altilium, & pinguium omnium.

19. Et comedetis adipem in saturitatem, & bibetis sanguinem in ebrietatem, de victima, quam ego immolabo vobis;

20. Et saturabimini super mensam meam de equo, & equite forti, & de vniuersis viris bellatoribus, ait Dominus Deus.

21. Et ponam gloriam meam in Gentibus: & videbunt omnes gentes iudicium meum, quod fecerim; & manum meam, quam posuerim super eos.

22. Et scient domus Israel, quia ego Dominus Deus eorum à die illa, & deinceps.

A ita facient constanter; & auidè exacto septimestri spatio, quasi tunc primùm & hostes quærere inciperent, & eorum submouere cadauera.

15. Illi verò, qui conficiendis belli reliquiis, & humandis, aut auertendis cadaueribus præficientur; cùm lustrando terram speciem aliquam humani cadaueris aspexerint, excitabunt ibi signum aliquod, quod pollinctores admoneat ibi esse cadauer, quod ipsi statim ad vallem maris orientalis, seu ad vallem multitudinis
B Gog deportandum curent.

16. Nomen autem ciuitati, quæ prope vallem illam est, erit imposterum Amona, quæ multitudinem sonant, eo quòd eò iniecta sit multitudo cadauerum.

17. Tu ergo, fili hominis, dic ex me omni carniuoræ, atque inauspicatæ volucri, & syluestribus feris, vt conuolent quàm primùm ad cæsa cadauera, quæ apertum habebunt, & subdiale sepulcrum, atque adeò exposita erunt illarum rapinæ.
C Straui enim cadauera, illísque laceranda porrexi, perinde atque si victimas immolarem, victimas, inquam, pingues, & copiosas in montibus Israel, vt carnibus ibi pascantur, & sanguinem bibant.

18. Pascantur, inquam, carnibus robustorum; & sanguinem Principum bibant, quasi caro esset, & sanguis agnorum, arietum, taurorum, atque hircorum; eorum denique quæ pinguia sunt, & quasi diu in sagina conclusa.

19. Comedent Principum carnes, tan-
D quam si quis medulla, atque adipe ad satietatem vsque vescatur, & sanguinem ad ebrietatem vsque potabunt. Vtrumque præstabit affatim victima, quam ego ad illorum vsum immolabo.

20. Sternam quippe, dicit Dominus, mensam, quam equitum, equorúmque, & robustorum carnibus onerabo; quibus famem quantumuis acutam, atque diuturnam expleant.

21. Tunc omnes Gentes gloriam meam argumento non obscuro cogno-
E scent; videbunt enim quale de scelerato illo exercitu iudicium tulerim; quemadmodum aduersùs illum manus attulerim vltrices.

22. Iam tandem post longum sermonem de Antichristo, atque Antiocho ad populum Israeliticum reuertor, quem in patrios fines ab exilio reducam. Tunc ergo cùm restitutum populum donis cumulauero ingentibus, ab eo tempore, & deinceps cognoscent filij Israel, & tunc, & postea me ipsorum Dominum esse, & Deum.

A 23. *Et scient Gentes quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel, eo quòd dereliquerint me, & absconderim faciem meam ab eis: & tradiderim eos in manus hostium, & ceciderint in gladio vniuersi,*

23. Cognoscent item Gentes non ideo populum vitam agere ærumnosam, & sordidam in exilio; quia in me fides, aut facultas defuerit ad saluandum; sed quia vt malè vexaretur, ipse commeruit, dum vanam religionem amplexus est, & veram abiecit. Intelligent ergo ideo me ab illis auertisse faciem, & illos non potestati solùm, sed etiam gladio inimicorum tradidisse, à quibus in vniuersos graui strage sæuitum est.

24. *Iuxta immunditiam eorum & scelus feci eis, & abscondi faciem meam ab illis.*

24. Tale illis supplicium inflixi, quale ipsorum exigebat improbitas, & immunB ditia; & ideo facie aliorsum conuersâ illos, tanquam alienos auersatus sum.

25. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Nunc reducam captiuitatem Iacob, & miserebor omnis domus Israel: & assumam zelum pro nomine sancto meo.*

25. Cùm ergo iam diu populus grauibus sit affectus incommodis, dicit Dominus, iam tandem misertus abiectæ domus Israel, eximam illam à seruitute longa; & honori nominis mei, quod ab aliis incusari doleo, ea ratione consulam.

26. *Et portabunt confusionem suam, & omnem præuaricationem, qua præuaricati sunt in me, cùm habitauerint in terra sua confidenter neminem formidantes:*

26. Tunc verò illi tantis à me cumulati beneficiis, incipient cognoscere peccati grauitatem; & ingenuo suffundentur pudore, cùm videant in illum se tam grauia peccasse, quem tam in se liberalem, & C humanum experiuntur: quando nimirum in auitam possessionem ita redierint, vt in ea pacate, ac sine vlla perturbatione viuant.

27. *Et reduxero eos de populis, & congregauero de terris inimicorum suorum, & sanctificatus fuero in eis, in oculis gentium plurimarum.*

27. Et quando exemero, reuocaueróque de populis, apud quos exules agebant, & de inimicorum prouinciis congregauero; & in oculis omnium Gentium, quæ tantam populi gloriam, & felicitatem aspicient, meum nomen fidele, ac sanctum ostendero.

28. *Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eo quòd transtulerim eos in nationes, & congregauerim eos super terram suam, & non dereliquerim quemquam ex eis ibi,*

28. Quod ex eo cognoscent, quia D propter peccata Israelitas, quem meum esse populum nouerant, variè dispersi: eosdémque postea è diuersis locis in regionem suam ita restitui, vt eorum neminem ibi reliquerim.

29. *Et non abscondam vltrà faciem meam ab eis, eo quòd effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.*

29. Neque iam ampliùs oculos, atque animum ab illis auertam; quia iam in eos effudi quicquid furoris ante conceperam, dicit Dominus.

Vers. 1. *Ecce ego super te Gog.*]

1. PERSEQVITVR quod proximè E exorsus fuerat vaticinium de Gog, agítque latiùs de illius interitu, & repetit, quæ capite præcedenti dixerat vers. 3. vnde huius etiam loci explicatio sumenda est.

2. Vers. 3. *Percutiam arcum tuum in manu sinistra tua: & sagittas tuas de manu dextera tua deiiciam.*] Prouerbiale aliquid olet hæc dicendi forma, qua significamus frangendas esse alicuius vires, seu irritos futuros esse conatus. Familiaris erat arcus Hebræis, ex quo fiebat, vt arcus pro quolibet instrumento bellico sumeretur: quare arcum percutere, seu frangere, idem est quod arma detrahere; aut certè efficere ne quem habeãt vsum in re bellica; aut infirmare vires, in quibus hostes maximè confidebant. Psal. 36. vers. 15. *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* Psal. 45. v. 10. *Arcum conteret, & confringet arma.* Sanè sicut arcum scitè, & ex arte tendere, est artem

Arcus familiaris Hebræis.

Arcus pro qualibet instrumento bellico.

tem militarem didicisse; sic arcus pro omni instrumento, quod in re bellica versamus, assumitur. Sic ego accipio illud 2.Reg.1. vers.18. *Praecepit, vt docerent filios Iuda arcum,* id est, arma tractare, quæcumque illa forent. Posuit autem arcum in sinistra, sagittas autem in dextra, quia dextera neruum adducit, cum quo simul sagittam apprehendit, ac torquet.

3. Vers.4. *Super montes Israel cades tu, & omnia agmina tua.*] Capite præcedenti diximus, quomodo Antiochus dici possit cecidisse in montibus Israel, quia ibi ipsius exercitus concisus est à Machabæis, ex quo ipse præ mœrore in morbum incidit, à quo extinctus est: quare iure optimo dici potest, in montibus Israel cecidisse; quia plaga, quæ confecit exercitum, ipsum quoque Regem absentem oppressit. Quomodo Antichristus in monte Oliueti occidendus sit, diximus præcedenti capite ex sententia Hieronymi.

4. *Feris, auibus, omnique volatili.*] Cùm strages editur magna, inhumati plerumque relinquuntur occisi, qui canes alunt, & coruos; quod tam in sacra, quàm in profana historia sæpius auditur. Homerus statim in principio Iliados, occisos fuisse tradit Græcos, eósque canibus, atque volucribus datos esse in escam, αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν, οἰωνοῖσί τε πᾶσι. & ex eo, quod plerumque fit, inducitur à Virgilio mater Euriali hoc modo filij ab hostibus interempti casum deplorans,

Hostes inhumati relicti.

Heu terra ignota canibus data præda Latinis,
Alitibúsque iaces.

Quod esse etiam inter Hebræos vsitatum, tametsi magis essent in mortuos pij, quàm nationes aliæ, docuit adolescens Dauid, qui id est minatus Philistæo, quod credo hostes hostibus solerent obtendere. 1.Reg.c.17.v.44. *Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus terræ, & bestiis terræ.* & clariùs Psal.78. *Posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.*

5. Est qui putet allusum hîc esse ad eos, qui capitalis supplicij rei, aut aguntur in crucem, aut alio mortis genere capite plectuntur. Hi enim ad aliorum terrorem, & exemplum in loco excelso, ac peruio collocantur, vbi coruos pascant, & vultures. Quod ne contingeret filiis suis, qui in crucem acti fuerant, *Respha substrauit sibi cilicium supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cœlo, & non dimisit aues lacerare eos per diem, neque bestias per noctem*, lib.2. Reg.c.21. Sed non credo huc spectasse Prophetam, sed simpliciter explicare voluisse stragem fuisse magnam in montibus, id est, in terra Israel, quæ cùm montosa sit, & confragosa, montium sibi nomen assumpsit. Et quidem cùm de terra Israel, seu de terra promissionis sermo fit, nomen sæpè montium auditur.

6. Vers.6. *Et mittam ignem in Magog, & in his, qui habitant in Insulis.*] Ex hoc loco Ribera colligit in cap.20. Apocal. num.60. Magog, nomen esse non regionis, sed principis, qui Gog, id est, Antichristo operam nauauit bellicam; sed, vt capite præcedenti dixi, regio potiùs est, vbi Dominatus est Gog. Si verò hîc in Magog personas intelligas, quas Dominus incendio consumpsit; quod videtur ex eo colligi posse, quia simile supplicium indicitur his, qui in Insulis habitant confidenter; non tamen ideo efficitur in Magog personam significari, non locum: est enim tum alibi, tum in Scriptura sacra frequentissimum, vt

REGVLA. *Locus sæpe pro personis.*

A per metonymiam locus, qui continet, pro personis adhibeatur, quæ continentur in loco. Quare hîc in Magog Magogæos intelligo. Insulæ iuxta Hebræorum idioma, loca sunt remota, licèt neque in maris complexu sint; aut alibi fluuialibus aquis circumfusa. Qua de re nos pluribus in nostris commentariis in Isaiam, vbi Insularum frequens mentio, in ea, qua dixi, significatione.

Insula pro quocumque loco remoto.

Vers.7. *Et non polluam nomen sanctum meum amplius.*] Id aliquis facere dicitur, quod vt fiat, permittit, ac patitur. Quod cùm in humanis frequens sit, vt diximus super Isaiam ad illud c.63. *Quare errare nos fecisti Domine?* in sacris tamen frequentissimum est. Quare Deus dicitur obdurasse cor Pharaonis Exod.4. quia obdurari permisit. Vide quod diximus suprà cap.14. ad illud v.9. *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Ad hunc ergo modum Deus dicit se polluisse nomen suum, quia permisit illud à Gog, & populis, qui adhæserunt illi, aliquandiu pollui. 7.

B

REGVLA. *Id facere dicimur, quod cùm prohibere possimus, fieri permittimus.*

Vers.8. *Ecce venit, & factum est, ait Dominus Deus, hæc est dies, de qua locutus sum.*] Vsitatum est apud Hebræos notas omittere similitudinis, quales sunt *quasi, tanquam, sicut*, & similia. Hinc factum est, vt multa, quæ futura sunt, facta esse dicantur, quia certissimè fient: & tunc maximè quando futurum est, vt breuiter fiant. Quomodo Christus dixit Lucæ cap.8. de puella, quæ iam erat mortua. *Non est mortua puella, sed dormit*, ac si diceret, perinde est ac si mortua non esset, sed quasi dormiret; quia non aliter statim excitabitur à morte, quàm si excitaretur à somno. Vnde sæpe apud Prophetas præteritum ponitur pro futuro; quia quæ futura sunt propter certissimum euentum, perinde ab illis existimantur, ac si iam essent opere completa. Sic ergo Deus hoc loco factum esse dicit, quod minatus est Gog, cùm tamen longè post hæc tempora contigerint, siue illa de Antichristo, siue etiam de Antiocho consideres. Quare sensus est, vsque adeò certum est, ô Gog, hoc de te durum vaticinium, vt censeri possit, quasi iam venerit, & quasi iam sit factum. 8.

REGVLA. *Nota similitudinis sæpe omittitur, vnde fit vt præteritum ponatur pro futuro.*

C

D

Hæc est dies, de qua locutus sum.] Paulo antè diximus capite præcedenti vers.17. *Tu ergo ille es, de quo locutus sum à diebus antiquis.* Quomodo hæc eadem, aut similia iam olim de Gog, quicumque ille sit, prædicta fuerint; vbi videtur tempus fuisse notatum, in quod inciderent successus illi graues, de quibus modò. Ait igitur Deus iam illud tempus aduenisse. vbi etiam subaudienda est similitudinis forma, sicut proximè dicebamus: in hunc modum, *quasi hæc esset dies à me prædicta.* Nisi mauis per metonymiam diem assumere pro iis, qui in aliquo die fiunt, quod in omni literatura frequentissimum est. Quomodo dicimus, *hic dies nobis libertatem attulit, seu seruitutem*; quia illa in eo die contigerunt, quæ nobis attulerunt, aut eripuerunt libertatem. Et iuxta hæc sensus est, *Hæc sunt infortunia illa, de quibus olim locutus sum.* 9.

E

Vers.9. *Et egredientur habitatores de ciuitatibus Israel, & succendent, & comburent arma.*] Hic locus non facile venit ad tempus, & casum Antichristi, sicut ille qui huic succedit proximè de septem annis. Neque videtur affirmari posse de rebus Antiochi, si hæc propriè, & citra figuram aliquam interpretere. Sed sanè figuratus est sermo, & ille proculdubio prouerbialis, quo infinita inimicorum multitudo, atque apparatus militaris immensus, & hostium horribilis strages explicatur. Et primùm, quod in armorum combustione 10.

Hostilia arma in victoria comburi solita. stione significetur victoria, docet communis vsus loquendi tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores; quia non vulgare damnum est, quod est ab incendio, à quo nihil in ligno relinquitur, quod ignis inuasit. Ex quo fit, vt in igne magnus significetur furor, & vehemens in pugnando contentio dicatur ardor. Certè eodem dicendi modo explicuit Dauid facilem, & magnam Domini victoriam, Psal.45. *Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igne.* *Armorum combustio magnam cladem significat.* Quare nihil hic aliud significari puto, quàm ingenti clade fuisse concisum Antiochum à Machabæis; maximè eo tempore, quod Antiochi proximè præcessit interitum, vt habes lib.1. Machab.c.6. & lib.2.c.9.

B

11. De Antichristo res est magis dubia, quia hic non videtur oppressus ab iis, qui habitabant ciuitates Israel, neque ipsius exercitus deletus, & arma combusta. Cùm ille dicatur 2.Thessal.c.2. extinguendus spiritu oris Domini. *Antichristus quomodo à Deo superatus.* Sed hîc obseruandum maximè non legi hic apud Ezechielem opprimendum esse Gog, & exercitum eius fugandum, aut sternendum ab habitatoribus Israel; sed ab illis esse comburenda arma, ea videlicer, quæ de hostili manu Dominus extorquebit. Quod fieri potuit, etiamsi a Domini spiritu Antichristus perierit. Seu certè vtrumque verum est, à Domino superatum Antichristũ, & ab spiritu oris eius exercitum esse difflatum, & ab habitatoribus Israel fuisse concisum; quia Dominus eò deduxit aduersarias illas acies, sic exanimauit, atque concussit, vt facile ab aliis expugnari potuerint. Quemadmodum si quis alteri robustum hostem constrictum tradat, in quo sternendo nihil sibi assumat negotij, seu periculi: imò si qua victoria est, illius videtur esse tantùm, qui hostem alteri inermem tradidit, atque constrictum. Quare quòd concisus hostis, quòd hastæ, & clypei in fauillas redacta, non est opus hominum; sed spiritus diuini oris, cui nihil omnino est insuperabile, aut arduum. Cùm autem in igne non solùm strages significetur, ex qua nihil est reliquum, quæque temporis momento fit, optimè in igne repentinus, & velox significatur interitus, quo Antichristus oppressus, & illius acies deletæ sunt.

12. Hoc puto significatum esse prouerbiali specie Num.cap.21.vers.30. *Prouerb. Ignis pro bello celeri ac graui.* *Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sebon, & deuorauit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon.* Prouerbium expressit Chaldæus, qui sic vertit, & explicat locum. *Ventus vrens fortis egressus est de Hesebon, & facientes prælium sicut flamma ignis de ciuitate Sehon.* Et clariùs Iudicum 9. vbi ignis pro bello sumitur, quod breuem inuehit, & magnam stragem. *Egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, & oppidum Melo: egrediatúrque ignis de viris Sichem, & de oppido Melo, & deuoret Abimelech.* In igne igitur velox significatur, & vehemẽs pugna, qua subitò extabuit Antichristi potentia. Sibylla Antichristum igne fore perdendum prædixit 3.lib. in principio. vbi enim de illius fraudibus, atque potentia egit, subdit,

Verùm quando Dei prædicta minacia magni
Aduenia, terrásque petet flammata potestas,
Inflata exuret Belier, hominésque superbos
Omnes quotquot ei fuerint per fœdera iuncti.

Arma à victore combusta. Sed antequam ex hac armorum combustione emergo, obseruo ab antiquis parta victoria, solere inimicorum arma aboleri flammis, quod hîc Propheta dicit faciendum ab habitatoribus Israël. Sic sanè ex illorum temporum consue-

A tudine refert Virgilius factum ab Euandro, quē ita lib.8.Æneid.loquentem inducit,

O mihi præteritos referat si Iuppiter annos.
Qualis eram cùm primam aciem Præneste sub ipsa
Straui, scutorúmque accendi victor aceruos.

Quod tradit eo loco Seruius factum à Tarquino Prisco, victis Sabinis; quem postea dicit secutos fuisse alios.

Et succendent ea igni septem annis.] Hic locus aliquantulum premit illorum sententiam, qui hîc nihil putant accipiendũ de Antiocho. Nam cùm ab Antichristi morte ad finē vsque mundi quadraginta quinque dierum spatium, vt constat Dan. cap. 12. iuxta communem explicationem, 13.

B non apparet quomodo Antichristi arma septem annis comburenda sint. Sed est solutio non difficilis, quam adducit Ribera in cap.20. Apocal. ex ea regula, quam nos alibi sæpius amplexi sumus; iuxta quam id dicitur fieri, licèt futurum non sit, quod vt fiat, ipsa rerum natura videtur postulare. *REGVLA. Id dicitur fieri, quod vt fiat, aut ratio aut natura postulat.* Quomodo Isaiæ cap.4. septem mulieres dicuntur apprehensuræ virũm vnum ad nuptias, quod licèt non acciderit, est tamen verum; quia ea erit virorum paucitas, vt vix pro septem fœminis vnus inueniatur vir. Sic etiam hîc, quia non tantum supererit temporis, in cõburendis armis, non consumentur anni septem, consumendi tamen dicuntur, quia pro septem

C annis satis videbantur habituri lignorum Israelitæ ad instruendum focum, cibósque coquendos. Porrò *septem* pro multis sumi, certum videlicet numerum pro incerto, satis est exploratum, vt probat exemplum nuper adductum ex Isaia, & Prouerb. 24. *Septies in die cadet iustus*, & mille alia. Quare septem annos, pro longo tempore sumptos esse arbitror; licèt tempus longiusculè distet à septennio.

Vers.10. *Et non portabunt ligna de regionibus.*] 14.
Quia satis erit incendiariæ materiæ ad instruendum focum ex hastis, clypeis, & sagittis, quas in castris relinquent hostes interfecti: non erit necesse cæduam comportare materiam ex saltu ad

D longum tempus, quod per septennale spatium significatur. Aliquid eiusmodi referunt Hispanorum Annales, de pugna illa planè miraculosa ad Tolosæ Nauas, quæ Sarracenorum compressit spiritus, & neruos incidit. Vno etenim prælio ducenta millia cæsa commemorãtur, cùm quinque tantùm, & viginti viri ex Hispanorum agmine ceciderint. Tunc autem ea dicitur in Sarracenorum castris inuenta hastarum, sagittarúmque copia, vt biduò adhiberentur ad ignem, neque tamen omnia consumpta sint.

Vers.11. *Dabo Gog locum nominatum sepulcrum in Israel.*] Hîc etiam hærent, qui nihil hîc commune putant cum Antiocho. Nam Antichristus non videtur esse sepultus, cùm Ioannes Apocal. cap.19. in stagnum ignis dicatur viuus esse con- 15.

E iectus. Sanè hoc difficile est, neque occurrit, si locum istum Apocalypsios de Antichristo sumas, quid adduci possit eiusmodi, vt curioso lectori satisfaciat. Quidam illum locum esse negant de Antichristo; alij aliter dicunt: mihi verò non videtur aliquid dicturus abs re, qui ideo viuentem abiisse putaret in infernum, quia momento temporis sublatus est, ita vt viuus appellari potuerit, quia proximè viuus, sanúsque visus fuerit, adeò vt in illo spectaret nemo consueta signa morientium. Quomodo virginem appellamus, quæ paulo ante violata fuit, quia proximè virgo fuerat. Vide quæ diximus super Isaiam

REGVLA. Talis quis nomen habere dicitur, quale proximè amiserit.

Isaiam cap.1.n.55. Habemus exemplum huic val- A
de simile Num. cap.16. Dathan, & Abiron viui
dicuntur in infernum descendisse; quos tamen
ex eodem loco constat obiisse mortem: sic enim
ibi Moyses de illis, *Si consueta hominum morte interierint, & visitauerit eos plaga, qua & cæteri visitari solent, non misit me Dominus.* Interituros dicit, non ta-
men eo mortis genere, quo reliqui; & paulo pòst

Antichristus quomodo ad infernum viuus descenderit.

addit, *Descenderintque viui in infernum operti humo, & perietunt de medio multitudinis. At verò omnis Israel, qui stabat per gyrum fugit à clamore pereuntium.*
Viui autem ideo videntur esse dicti, quia mo-
mento temporis, antequam perirent viui, sani-
que visi fuerant. Hoc, credo, mortis genus repen- B
tinum precabatur, aut prædicebat Dauid Psal.54.
vbi mortem precatur inimicis; & tamen videtur
optare ne moriantur, id est, vt subita cadant, &
repentina morte. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Sic fortasse Antichristus
Apocal.19. viuus dicitur mittendus in stagnum
ignis; quia momento temporis peribit, spiritu
nempe oris Domini: & statim in stagnum illud
proiicietur. Hæc mihi solutio, si demus de eo-
dem agere Ioannem, & Ezechielem, non vi-
detur inepta, quia viuum ostendit præcipita-
tum in infernum, & sepulturam nactum Anti-
christum.

16. Neque placet quod nonnemo putat, hæc de C
vno tantùm Antiocho fuisse prædicta, atque
ideo necessarium non esse de conciliando Ioan-
ne cum Ezechiele laborare; quia Antiochus ne-
que ab Israelitis sepultus est, neque in eo loco
decessit, vbi hoc ab illis officium præstari potue-
rit. Obiit enim, vt nonnulli putant, in Perside, vt
alij, in Media; sed est longè verisimilius in Baby-
lone, quod indicatur non obscurè lib.1. Machab.
cap.6.v.4. *Et abiit cum tristitia magna, & reuersus est in Babyloniam,* &c. At Gog sepulcrum futurum esse
traditur in Israel.

17. Vbi vulgatus *locum nominatum*, Heb. est מקוםשם
mekomsem, quod cum variis punctis varia signifi-
cat. Hebræi שם *sam* legunt, & ideo exponunt *ibi*, D
in hunc sensum, *Dabo locum ibi sepulcri*, quos se-
quuntur Pagninus, Vatablus, Isidorus: sed noster
interpres legit שם *sem*, quod *nomen* significat,
quod videtur magis ad rem Grammaticam: nam
מקום *mekom*, est in statu regiminis; qui post se no-
men magis desiderat, quàm aduerbium. Quare
ad verbum id sonat textus Hebraicus, *dabo locum nominis*, quod idem est, ac dabo locum nomina-
tum, & celebrem.

18. Sed hîc quæret nonnemo, quomodo locus,
vbi sepultus est Antichristus, nominatus, ac ce-
leber esse potuerit, cùm tempus ad finem vsque
sæculorum, vsque adeò breue futurum sit, vt ne-
que nominari potuisse videatur? Cui ego re- E
spondeo iuxta regulam proximè traditam, sepul-
crum esse eiusmodi, vt si sæculorum ætas trahe-
retur diutius, omnium Gentium sermonibus ce-
lebrari potuerit: non quidem, vt ego arbitror,
quia maximis elaboratum sumptibus, aut exi-
mio aliquo artificio perfectum, quale Mauso-
leum fuit; sed quia Antichristus ibi conditus, aut
etiam quia inhumatus extabuit in sepulcro asi-
ni, id est, in sterquilinio. Nobilitatur enim ali-

Locus sæpe à re turpi nominatur.

quando locus, nominatúrque ab aliquo facto
insigniter scelerato, ac fœdo: & maximè ex casu,
aut sepulturæ alicuius, quem maxima nobilita-
tunt flagitia. Quomodo apud Poëtas loca illa ce-
leberrima sunt, in quibus latere existimantur Gi-
gantes illi monstrosi, atque impij, qui cœlum

finguntur armis tentasse, vt Æthna Encelado, &
Inarime Typhœo ibi sub ingenti mole tumula-
tis. Sic etiam cùm nihil haberet artis, ac pretij
sepulcrum Absolonis, cùm nihil haberet præter
aceruum lapidum, quos turba hominum non
tam beneuola, quàm infensa coniecit; ex illo ta-
men homine væsano, atque impio, magis ibi op-
presso, quàm sepulto locus ille nomen sumpsit
celebre quidem; non tamen illustre 2.Reg.c.18.

Absalonis tumulus.

vers.17. *Tulerunt Absolon, & abiecerunt eum in saltu in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis.* qui locus ad hoc vs-
que tempus nomen retinet Absolonis, quem
coniectis lapidibus hodiéque, qui sacra illa loca
religionis gratia obeunt, & ipsi etiam Sarrace-
ni cum conuiciis, ac maledictis execrantur. Vide
Hadrichomium in Ierusalem num.227.

Vallem viatorum ad orientem maris.] Designat 19.
locum vbi sepeliendus Gog, quis tamen ille sit,
obscurum est. Mare absolutè dicitur in Scriptura
Mediterraneum: sed quia hîc spectare dicitur o-
rientem, de alio mari, quàm de Mediterraneo
intelligendus est hic locus. Rab. Dauid lacum es-
se putat Genesareth; sicut etiam Chaldæus, qui
lacus mare dicitur in Scriptura. Sed si cum Hie-
rosolyma compares, cuius respectu regiones O-
rientales, seu Aquilonares appellantur; Genesa-
reth, seu mare Tiberiadis Aquilonaris potius,
quàm orientalis appellari potest. Est ergo mare
illud Orientale, mare mortuum, quod ab Orien-
te Hierosolymam respicit; vbi cum Maldonato
metathesim agnosco, & pro *ad Orientem maris, ad mare Orientis*, seu, *Orientale* lego. Prope hoc ergo
mare in valle quadam viatoribus peruia, sepul-
crum erit Antichristi, & multitudinis illius in-
gentis, quæ cum illo sternetur in prælio.

Quæ obstupescere faciet prætereuntes.] Heb. חוסמת 20.
chosemeth. quæ vox grauem indicat anhelitum,
quem aspirabit ex sese ingens illa cadauerum
strages. Vox enim illa obturare significat, atque
innuit obstruendas esse prætereuntium nares,
quia sustinere non poterunt fœtorem, quem ex-
halabunt cadauera saniosa, & putrida. Noster
autem interpres *obstupescere* reddidit, quod ali-
quid significat amplius, nempe admirationem ex
tanta cadauerum multitudine, & de graueolen-
tia, quam efflabunt inhumata cadauera.

Et vocabitur vallis multitudinis Gog.] Sicut lo- 21.
cus, vbi extabuerunt Iudæorum cadauera, quos
vel fames, & pestis, vel Chaldæorum ferrum ex-
tinxit, vocatus est vallis interfectionis Ierem.
cap.7. & licèt eò proiecti fuerint, potius quàm
tumulati; tamen sepulti ibi fuisse traduntur: sic
etiam exercitus Antichristi, qui in illa valle in-

Sepulchrum dicitur locus vbi cadauer est, licèt apertus sit.

humatus computruit; sepultus tamen esse tradi-
tur, & nomen dedisse valli, quam suis cadaueri-
bus constrauit. Dicitur tamen vallis habitura
nomen à multitudine Gog eo loco concisa; vel
quia reuera ita vocata exiguo illo spatio, quod
ad finem vsque sæculorum supererat; vel quia
eiusmodi fuit strages, vt valli eiusmodi nomen
imponere potuerit. L X X. vertunt πολυάνδριον
tam hîc, quàm apud Ieremiam cap.19. vallem,
quam hostilia impleuerunt cadauera, Topheth
videlicet & vallem hanc, quæ spectat ad Orien-
tale mare. Est autem Polyandrium commune se-
pulcrum, vbi promiscuè confunduntur cadaue-
ra, quod communiter appellatur κοιμητήριον.

Vers.12. *Et sepelient eos domus Israel, vt emundet* 22.
terram septem mensibus.] Non congerent strata ca-
dauera in vallem illam, de qua proximè filij
Israel,

Israel, vt aliquid honoris impendant defunctis; sed potiùs vt magnum à se fœtorem, & molestiam auertant: néve aër ab illa graueolentia corruptus tabem aliis populis, & pestem inhalet. Septem mensibus dicitur mundanda terra, non quia tantum spatij futurum sit reliquum mundi; sed quia si diutius esset mundus duraturus, tantum esset necessarium ad purgandam terram ab illo cadauerum anhelitu. Iuxta illa, quæ diximus paulo antè, nempe id in Scriptura dici factum, quod vt fiat ipsa postulat rerum natura.

23. Vers. 13. *Et erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum.*] Deus, vt est in beneficiis largiendis liberalis; sic etiam vult perpetuam beneficiorum extare memoriam, vt docent cæremoniæ, ac festa, quæ beneficia quondam accepta quotidie renouant in posterorum memoria. Hinc azymi panes, hinc agnus, hinc oblati Deo primogeniti, hinc aliæ plurima, aut antiquorum, aut etiam recentium donorum monumenta. Cùm autem nossent Hebræi hoc gratitudinis officium gratum esse Deo, vbi insigne ab illo donum accepissent, illud solemni aliqua, ac publica cæremonia testabantur. Sic Esther cap. 9. instituerunt quotannis renouandam esse memoriam eius beneficij, quo à suspendio & ferro liberati sunt, quibus deuotum iam erat Iudæorum genus. Sic vt propiùs ad institutum accedamus, quo tempore recepta ciuitas est, quam occuparat Antiochus, & templum ab illis expurgatum sordibus, quas alieni ritus, & ethnica impietas inuexerat, indicta festa sunt, quæ vocantur Encænia, quibus fatebantur Iudæi magno se à Deo cumulatos esse beneficio. Hoc itaque beneficium, quo sublato Antichristo, respirare inciperet Israel, tam erit magnum, vt dies illa, quæ victoriam pepetit, perpetua memoria celebrari debeat: sicut celebrata est anniuersaria cæremonia dies illa, quæ confecit Aman, à quo iam ferrum intentum erat Iudæorum iugulo, & fracto iam Antiocho, qui hæc ipsa Antichristi tempora adumbrabat, instituta sunt illa, quæ dicuntur Encænia. Sic etiam dies illa, quæ Antichristum oppressit, digna est, quæ nominetur, celebretúrque quotannis eo prorsus modo, quo victo Antiocho, & acto in patibulum Aman, noua quasi lux Iudæis oriri visa est.

Deus beneficiorum suorum memoriam perire non vult.

Festa instituta pro Dei beneficiis.

24. Hic porrò obseruandum interdum participia præteriti in Scriptura sacra adhiberi pro his nominibus, quæ terminantur in bilis; quæque non tam actum, quàm dignitatem significant, & potentiam. Qualia multa occurrunt apud Latinos, qui locum *inaccessum* dicunt, qui est inaccessibilis; *inuictum*, qui vinci non potest, aut non solet; *inuisus*, quem nemo videre vult. Sic hoc loco *dies nominata*, idem est quod dies nominabilis, id est, quæ digna est, vt quotannis memoriæ, ac gratitudinis ergò nominetur.

REGVLA. Participium præteriti pro nominibus in bilis.

25. Vers. 14. *Et viros iugiter constituent lustrantes terram, qui sepeliant.*] Modus iste dicendi tantùm videtur explicare constituros esse viros, qui illos inquirant, qui in superficie terræ mortui iacebunt, vt illis aut summotis, aut tumulatis periculum illud, & molestia vitetur, quæ à corrupto cadauere formidari poterat. Sed quia emundari etiam dicitur terra ab inimicis, ac latronibus, qui tunc etiam sepeliuntur, quando pereunt; vtroque modo hanc lustrationem, & indaginem accipiemus; licèt magis existimemus verisimile, hic tantùm de summouendis, aut sepeliendis cadaueribus esse sermonem. Hæc loquendi forma amplificat, & stragis magnitudinem, & fœtorem intolerabilem, quem aspirant cadauera. Neque enim exercitus si magnus est, vno impetu plerumque confici solet, multi enim è communi se clade subducunt, & in syluas se abdunt, locáque subterranea; alij aliò diffugiunt, quorum tamen multos inimicorum ardor, atque solertia deprehendit, ac perimit. Hanc igitur ob causam victores Israelitæ victores constituent, gnaros, & industrios, qui pallantes, atque latentes hostes omnibus vestigiis indagent, & occidant. Et quia timent ne erumpens è cadaueribus fœtor aërem inficiat, & pestem inuehat, constituent etiam viros, qui quos alij interfecerunt, ipsi sepeliant, aut ab eo loco summoueant, vnde timeri poterat ab infecto aëre periculum: sicut alij, qui cum Antichristo interierunt, proiecti sunt in vallem, & tamen sepulti fuisse traduntur.

A cadaueribus intolerabilis periculum.

Post menses autem septem quærere incipient.] Satis videbatur sumptum esse spatij, vt inquiri, exagitari, ac confici potuerint, qui reliqui fuerint post cladem Antichristi. Nihilominus illud erit studium vindictæ in Israelitis, sic Dei in illos furor ardebit vehementer, vt exacto illo septimestri spatio, inquirant tamen an adhuc supersint vllæ ex barbaro illo exercitu reliquiæ, quas bello persequantur. Quod ita facient constanter, & auidè, quasi tunc primùm quærere inciperent, & integris essent viribus, non autem longa indagine, ac lustratione lassatis. In illo autem *quærere incipient*, subaudienda est similitudinis nota, in hunc sensum, *Post septimestre spatium, erunt quasi tunc inciperent.* 26.

Vers. 15. *Cùm viderint os hominis, statuent iuxta illud titulum.*] Hæc verba satis indicant aut solùm, aut præcipuè electos esse viros, qui mortuos inquirerent, sepeliréntque, ne quid terra grauius ab aëre fœtente pateretur. Est autem ex ipso dicendi genere verisimile multos, qui sibi fuga salutem quæsierant, periisse in syluis, locísque desertis, inedia, ac siti, & aliis locorum, ac temporum incommodis. Quare cùm illi lustratores montiū, & quasi venatici canes, in cadauer inciderent, quod esse humanum non dubiis signis internoscerent, statim titulum erigebant, aut certum aliquod signum, quo aliis, quibus id datum esset negotij, quique illorum sequebantur vestigia admoniti cognoscerent, iacere ibi aliquid, quod sua indigeret opera. Est autem *titulus* signum aliquod, aut monumentum, quod docet ibi aut latere aliquid, aut accidisse, cuius nolumus perire memoriam. Quomodo malus erigitur nauis, vbi factum est naufragium; aut aliquid aspectabile proponitur, quod beneficij accepti, aut rei præclare gestæ excitatur memoria. Sic Absalon 2. Reg. c. 18. cùm filium non haberet, qui paternum nomen conseruaret, quò testatum relinqueret se vixisse, titulum erexit. *Porrò Absalon erexerat sibi cùm adhuc viueret, titulum, qui est in valle Regis: Dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei.* Titulorum, qui fœderis, ac societatis testes sunt, plenæ sunt sacræ literæ, quos sæpè excitauit Iacob Genes. cap. 28. 18. & 31. 45. & 35. 20. 27.

Titulus quid.

Donec sepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog.] Pollinctores sunt, qui corpora adornant, & præparant sepulturæ; qui nempe euiscerant, condiúntque cadauera; qui lauant, & vngunt; qui denique Libitinæ Deæ opus, quod pietatis existimatur esse plenum, & omne sepulcrale ministerium obeunt. Propriè tamen pollinctores 28.

Pollinctores quid.

ctores dicuntur, qui corpus vngunt, à verbo exoleto *pollingo*, seu *pollincio*, quod idem est quod *vngo*. Plautus in Pœnulo in prologo,

Eorum alter viuit, alter est mortuus;

Quia mihi pollinctor dixerat, qui illum pollinxit.

Apuleius, *pollinctor eius funeris dum vnctionem parat.* Quia verò in curando cadauere, illud erat præcipuum, vt contra grauuolentiam illius vnguentum adhiberetur, vel aroma, quod gratum aliquod exhalaret; hinc factum est, vt pollinctor iam latiorem habeat vsum, vsurpetúrque pro illo; cuius in cadauere præparando aliquod spectatur officium. Et quidem vngi siue ad rogum, siue ad sepulturam mortuorum corpora in omni penè natione familiare est. Tertullianus lib. de Resurrectione carnis, *Corpora medicata condimentis sepulturæ.* Apuleius 4. Floridorum, *Iam miseri illius membra omnia aromatis perspersa: iam os ipsius vnguine odoro delibutum.* Cuius consuetudinis crebra apud poëtas mentio. Horat. lib. 2. Satyr. 5.

——————— *cadauer*

Vnctum oleo largo, nudis humeris tulit heres:

Persius Satyr. 3.

Compositus lecto crassóque lutatus amomo.

Iuuenalis Satyr. 4.

Et matutino sudans Crispinus amomo,

Quantum vix redolent duo funera.

Quòd etiam fieri apud Hebræos multi docent, & nos ea de re multa diximus in nostris commentariis in Ieremiam ad illud cap. 34. v. 5. *Secundum combustionem patrum tuorum.* Neque Christus aliquod nouum accepit officium ab his, qui pollinctores dici potuerunt, cùm ipsius corpus myrrha, atque aloë conditum illatum est sepulchro, id enim, vt ferebat Iudæorum consuetudo, factum est, vt habes ex Ioanne cap. 19. v. 40. *Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, & aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus sicut mos est Iudæis sepelire.*

Cadauera vngi solita ad funus.

Iudæi cadauera vngebant.

29. Longè erant hi, qui hoc in loco pollinctores dicuntur, vt hostium corpora aut odoratis inungerent succis, aut pretioso aromate condirent; quia tamen opus aliquod exercebant circa cadauera, licèt illud non tam ab amore, seu officio profectum, quàm ab odio, ac metu pollinctores vocantur. Horum verò ministerium, aut sacrum erat olim in Ecclesia, aut certè non longè aberat à sacro: ordo quippe institutus erat pro componendis mortuis ad sepulcrum; quòd qui tunc obibant, dicebantur *laborantes.* De quibus Ignatius epistola ad Antiochenos. *Saluta*, inquit, *Diaconos, &c. hypodiaconos, lectores, ianitores, laborantes, exorcistas, &c.* Qui verò sint isti laborantes, docet Epiphanius in compendiaria doctrina ad finem. *Laborantes*, inquit, *sunt, qui corpora eorum, qui dormierunt, obuoluunt, & cooperiunt.*

Ordo quidā in Ecclesia pro curandis cadaueribus dictus laborantium.

Ex cæde, siue communi sepultura eorum, qui cum Antichristo concisi sunt, appellata est *vallis multitudinis Gog*: quemadmodum pars illa in deserto Pharam; vbi Hebræi, cùm adhuc essent edendis carnibus intenti, perierunt, vocata est *sepulcra concupiscentiæ*; & vallis alia, vbi percussi sunt Philisthæi *Baalpharasim.* 2. Reg. cap. 5. & Ierem. cap. 31. vers. 40. vallis, vbi computruerunt Iudæorum cadauera, vocata fuit *vallis cadauerum, & cinerum.*

30. Vers. 16. *Nomen autem ciuitatis Amona.*] Cre-

do prope vallem illam, vbi barbari, atque impij exercitus strata sunt cadauera, fuisse ciuitatem, quæ aliud priùs nomen habuerat; quæ ab occisorum aceruo postea nomen accepit Amona, quæ multitudinem sonat: sicut etiam vallis ipsa, cùm aliud prius nomen habuisset, ab euentu appellata est *vallis multitudinis Gog.* Sic enim contingit non rarò, vt casus aliquis grauis antiquum nomen deterat, & nouum inducat ciuitatibus. Et, vt omittam externa; in sacris occurrunt loca non pauca, quæ propter nouos rerum euentus nouis etiam sunt notata nominibus. Gen. 28. v. 19. quæ priùs dicebatur Luza, vocata fuit ab euentu Bethel, & hæc eadem ciuitas, propter aureum vitulum, quem ibi constituit Ieroboam, Bethauen Oseæ cap. 4.

Locorum nomina propter aliquē euentū mutata.

Vers. 17. *Dic omni volucri, & vniuersis auibus, &c.*] Ex his liquet quale futurum sit Gog, & eorum, qui illius se castris adiunxere, sepulcrum; apertum nempe, & subdiale; seu, vt de Ioacim dixit Ieremias, sepultura asini, ita vt a bestiis terræ & à volucribus lacerari possint. Quid sibi velit hic dicendi modus, non obscurum est; nempe ingentem illam cadauerum multitudinem futuram inhumatam, ad quam accedere sine vlla difficultate possint volucres, & feræ, suámque famem sæpius ad satietatem explere. Eadem penè dixit Ioannes Apocal. c. 19. v. 17. *Et vidi vnum Angelum stantem in sole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cœli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei, vt manducetis carnes Regum, & carnes Tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis. Et carnes omnium liberorum, & seruorum; & pusillorum, & magnorum.* Quæ verba sine dubio respiciunt locum illum, in quo nostra nunc versatur commentatio. 31.

Inhumata Gogæorum cadauera.

Porrò *victima* ex vsu Scripturæ cædem magnam significat, in qua sic hominum multitudo laceratur, atque conficitur, sicut victima: quæ ad aram iugulata cultro, in frusta concerpitur. Hoc dicendi genere vsus est Isaias cap. 36. v. 6. *Victima enim Domini in Bosra: & interfectio magna in terra Edom.* Et Ieremias cap. 46. vers. 10. *Deuorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum; victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis.* Et Ezechiel suprà cap. 21. v. 9. *Gladius, gladius exacutus est & limatus, vt cadat victimas.* 32.

Victima pro cæde.

Vers. 18. *Sanguinem Principum terræ bibetis arietum, agnorum & hircorum, taurorúmque, & altilium, & pinguium omnium.*] In his diuersorum animalium nominibus, quorum varia est natura, & dissimiles mores, varia etiam exprimuntur ingenia, variæ facultates, & viros illorum, qui in Antichristi castris, tanquam in pascuis, inter armenta vagabantur. Eadem similitudine varia hominum ingenia expressit Isaias eo loco, de quo nuper. *Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe: de sanguine agnorum, & hircorum, de sanguine medullatorum arietum. victima enim Domini, &c.* 33.

Vers. 22. *Et sciet domus Israel, quia ego Dominus Deus eorum à die illa, & deinceps.*] Post longum hyperbatum, reuertitur Deus ad interrupta, & omisso vaticinio de Gog, & Magog, siue ille Antichristus sit, siue Antiochus, pertexit quod cap. 37. dicere instituerat, de reditu Iudæorum in patriam. Ita indicant Theodoretus, & Maldonatus, neque video quò aliò spe- 34.

Omisso Gog ad populum captiuum sermo recurrit.

clarari possit, quod reliquum est capitis. Neque hoc inusitatum est Prophetis, qui vbi in Testamento veteri typus aliquis occurrit, & quasi lux ad nouum, ad illud solent vaticinium attollere, vnde se rursus ad inchoata referunt. Egerat suprà cap. 37. de vexatione dura, quam in exilio Babylonico pertulerunt Iudæi, ex qua à Dei potente, & liberali manu restituti sunt; vnde cognouerunt Gentes, non ideo populum illum exturbatum e suis sedibus, & alienæ addictum esse seruituti, quia Deo fides deesset, aut facultas ad saluandum; sed quia id exigebant populi peccata. Vidit postea Gens eadem sub Antiocho speciem quandam prioris fortunæ: nam eodem tempore indictum est bellum, non tantùm populo; sed etiam religioni: neque minus pollutum est templum ab Antiocho, quam pollutum antè fuerat ab hoste Babylonio. Vbi verò fracti sunt Antiochi spiritus, & obscurata gloria, cognitum est à Gentibus, quòd dubitare videbantur, quantum esset in Deo facultatis, & fidei, sicut antea populo, attritis Chaldæorum viribus, in patriam restituto.

35. Cùm autem in Antiocho præferoci, atque impio species quædam occurreret Antichristi, ad illum Propheta vaticinium transtulit, sicut etiam fecit eodem tempore Daniel cap. 11. qui ab Antiocho item ad Antichristum, cuius priùs expresserat effigiem, gradum fecit. Quam autem aptè Antichristum adumbrarit Antiochus, facile intelliget, qui vtriusque initia, progressus, & exitus agnouerit. Vterque enim ambitiosus fuerat, vterque crudelis, & impius; vterque secundos habuit in acquirendo, atque constituendo regno successus, vterque exitum habuit insperatum, durum, & ignominiosum. Et ne aliquid esset, in quo duo illa monstra non conuenirent; vterque etiam studuit diuinos sibi honores impendi; quódque magis mirabere, vterque etiam quod optauerat, consecutus est. De Antichristo nemo ignorat, cùm testatum id sæpe in sacris literis habeamus; sic sanè habes Dan. cap. 11. & 2. ad Thessal. cap. 2. De Antiocho indicat Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 7. vbi refert epistolam datam à Sidoniis Antiocho, cuius hæc est inscriptio, *Regi Antiocho Deo illustri suggestio a Sidoniis in Sicimis habitantibus.* Est autem credibile hoc nomen etiam ab aliis datum Antiocho, neque ipsum diuinam hanc appellationem respuisse. Adde etiam temporis moram, in qua suam vterque tyrannidem exercuit, vexauitque alter Iudæos, alter Ecclesiam. Quod enim Antichristus tres annos cum dimidio afflicturus sit Ecclesiam, docent communiter Patres ex illo Danielis cap. 12. v. 7. *In tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Quod statim magis explicuit, cùm dixit, *dies mille ducenti nonaginta*, qui tres annos cum dimidio complent, quindecim amplius dies, qui iuxta Hebræorum idioma nihil rationem numerandi conturbant, cùm paucorum dierum in numerando, cùm numeros plenos, atque perfectos adhibemus, ratio haberi non soleat. Quod Ioannes Apoc. cap. 13. satis aperuit, cùm Antichristo menses attribuit quadraginta duos. Tantundem Antiochus temporis posuit in vexanda, atque opprimenda re Iudaica. Ita Iosephus in prologo belli Iudaici, post medium. *Antiochus cognomento Epiphanes, deuicta penitus Hierosolyma, cùm triennium, sexque menses eam tenuisset, ab Assamonie filiis expulsus est.*

Antiochi, & Antichristi similitudo.

Antiochus salutatus pro Deo.

Tandiu Antichristus gradiu Antiochus oppugnabit populum Dei.

36. Postquam ergo de vtroque dixit Propheta id, quod erat satis, refert se ad illa, quæ in fine præcedentis capitis omiserat, vbi egerat de statu, quem habituri essent Iudæi, exacta tempestate tranquillum; vbi eodem prope modo definit, quo hoc in loco incipit vaticinium. *Et scient Gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, &c.* Quare hæc quæ supersunt, de reditu populi ab exilio sumenda sunt.

Vers. 23. *Et scient Gentes, quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel.*] Satis hìc se produnt, quæ modò dicebamus, dum causa producitur, cur captus fuerit populus, quia nempe vixerunt impiè, & vanam religionem amplexi deseruerunt veram. Ideo Deus populum tractauit vt alienum, & auertit oculos, quasi illum alieni voluntati illudendum, vorandúmque permitteret. Quid sit abscondere faciem ab aliquo, diximus in nostris commentariis in Ierem. cap. 33. n. 8. vbi eadem de populo illo dixit Ieremias, *Abscondens faciem meam à ciuitate hac.* 37.

Et assumam zelum pro nomine sancto meo.] Sæpe auditur nobis hæc sententia tam apud hunc, quàm Prophetas alios; qua Deus curare se dicit ne nomen suum vile sit apud Gentes, laceretúrque publico conuicio, quod aut nolit, aut nequeat creditum sibi, ac deuotum populum à Gentium vexatione, atque ludibrio liberare. Quorum alterum est eius qui nullam rationem habeat officij, siue datæ fidei: alterum illius, qui cùm maximè velit, perficiendi tamen facultatem non habeat. Nunc verò dicit assumpturum se zelum sui nominis, quod abiecisse videri potuit, illúdque ab hominum libero, & procaci sermone vindicaturum. Dixerat hoc idem suprà vers. 7. & cap. 36. v. 22. 38.

Vers. 26. *Et portabunt confusionem suam, & omnem præuaricationem, &c. cum habitauerint in terra sua confidenter.*] Hunc locum satis explicuimus suprà cap. 36. ad illud, *Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum.* Quam sententiam iterat sæpius apud hunc Prophetam cap. 20. v. 42. & cap. 16. v. 60. cuius sensus est, quem suprà tradidimus, nempe Iudæos beneficiis prouocatos, quæ à liberali manu singulis diebus accipient, cognituros quàm graue sit contra Dominum vsque adeò liberalem, & bonum, qui sic amanter accipit, & amplectitur eos, à quibus offensus, & repudiatus est, aliquid admisisse, aut cogitasse flagitij. Est sanè apud ingenuos animos graue telum, quod à beneuolente animo, & à beneficiis vibratur; quod facit, ne quieto sit animo is, quem alterius ornant, imò quem alterius, qui lacessitus est iniuriis, onerant beneficia. Tunc ergo cùm à Domino vindice consecuti fuerint, vt iugum excutiant Babylonicum, portabunt confusionem, & præuaricationem; id est, sentient quàm graue sit pondus à peccato, & illud ad animum admisisse, ingenuo illos pudore perfundet. Quàm graue portet onus, cui peccatum remissum est, aut post culpam oblatum beneficium, docet Bernar. optimè ser. 15. in Psal. *Qui habitat; Omniferum animal est homo tempore suæ mortalitatis, si adhuc portat peccata sua, onus est graue, si iam fortè exoneratus est à peccatis, munus quidem graue; sed si sanum sapiat, non munus grande onus inueniet hanc ipsam, quam diximus, exonerationem. Onerat nos cùm exonerat Deus, onerat beneficio, cùm exonerat peccato.* 39.

Beneficium post iniuriā magnū ingenuis animus pondus.

Vers. 29. *Eo quòd effuderim spiritum meum super omnem domum Israel.*] Si hæc de captiuo populo iamiam in patriam restituto consideres, 40.

sensus

sensus est non difficilis. Significat namque Deus futurum se tunc in populum admodum liberalem, & porrectúrum manum, quam contraxisse videbatur. Id enim est spiritum effundere, nihil apud se clausum retinere; sed alios ad omnium rerum societatem, & communitatem accersere. Sic de illo, qui nihil apud se retinet, sed intimas etiam cogitationes aliis impartitur, dicitur Prouerb. 29. v. 11. *Totum spiritum suum profert stultus; sapiens differt, & reseruat in posterum.* Si ad Ecclesiam referas, quæ in Ierusalem instaurata, & populo ad statum meliorem restituto significatur, vt sæpius obseruauimus, & communior est interpretum sententia; facile intelligitur, quomodo homines portaturi sint confusionem, & commissa priùs errata dolentes damnaturi. Id enim facit spiritus, qui gemitus inenarrabiles excitat in peccatorum animis, & quid à culpa fœditatis adhæserit, ostendit.

Spiritus dabit nos & gemere facit pro peccatis.

41. Septuaginta in spiritu furorem intelligunt. Sic enim vertunt, *Eo quòd effuderim furorem meum super domum Israel.* Quare sensus est, non ampliùs sæuiendum in populum, neque ab illo aliquid præterea sumendum esse pœnarum, quia iam Dominus in illum effudit quicquid furoris antè conceperat. Quod etiam dixerat de eodem tempore Ieremias cap. 4. Thren. v. 22. *Completa est iniquitas tua filia Sion: non addet vltrà, vt transmigret te.* Quæ sententia mihi vehementer placet: neque fortasse aliud sibi vult vulgata translatio. Nam רוח *ruach*, id est, spiritus, furorem etiam significat, idque non rarò, vt docuimus in nostris commentariis in Zachariam ad illud cap. 5. *Et spiritus in alis earum.* Exemplorum in Scriptura satis. Accipe duo. Psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo?* Et Isai. cap. 30. *Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli ad perdendum Gentes.* Iob c. 4. *Vidi eos, qui operantur iniquitatem,* &c. *flante Deo periisse, & spiritu iræ eius consumptos.*

PRAEFATIO AD CAP. XL. & alia, quæ de Templi structura obiecta sunt Ezechieli.

1. STATVERAM, benigne Lector, cùm animum adieci ad explicandum obscurum hunc Prophetam, aut abstinere ab his capitibus, in quibus Solymitani templi forma præscribitur, aut saltem leuiter, ac modicè tractare; quia non sperabam assequi me posse, quod videbam aliis magno ingenio, atque eruditione Doctoribus visum esse perquam difficile; ne dicam eiusmodi, vt assequi non possit vlla vel ingenij celeritas, vel laboris contentio. Quid igitur sperarem ego, cui si summa inessent reliqua, quæ tamen video, quàm sint exilia; tamen ars illa deest, quæ in ædificiis aut efformandis, aut intelligendis magno solet esse subsidio; artem dico architectonicam, cuius qui ignarus est, satis accedit imparatus ad cognoscendam, explicandámque hanc molem tam illustrem, tam variam, & in qua Deus spectari voluit, maximarum rerum expressa monumenta. Egère hac de re plurimi, qui ea in causa iudicare posse videbantur; sed adeò ipsi sunt inter se diuersi, adeò in rebus explicandis obscuri, adeò in re implexa interdum implexi; vt non facilè aut ipsos intelligas, & illorum scriptis speciem templi aliquam informare possis. Egit ea de re ad extremum è nostra Societate Franciscus Ribera, & Ioannes Baptista Villalpandus, sanè si vllus alius accuratè, ac scienter; & hic posterior ad alia ingenij, eruditionísque subsidia artis attulit architectonicæ facultatem. Sed vt ingenuè, ac verè ingenij mei imbecillitatem profitear, cùm eius commentarios, & eorum, qui in ea curæ laborarunt, diu ac sæpe reuoluerim, nihil tamen assecutus sum, in quo omnino meus acquiescat animus. Quare non miror édictum esse quondam ab Hebræis, ne quis hunc Ezechielis locum attingeret, nisi ipse priùs ætatem attigisset sacerdotalem, in qua prudentia maior est, & ingenij maturitas. Neque fortasse formam ab Ezechiele propositam vllus intellexit, nisi qui sæpe, ac diu in variam illam fabricam intentis oculis spectauit, & singula obseruauit iam expléta, quæ hic obscurè sunt à Propheta descripta.

Cur autem hæc, quæ ad secundi templi fabricam spectant, diu vexauerint doctorum ingenia, & adhuc etiam post longam operam expedita non sint, præter rei ipsius difficultatem, quæ sanè grauis est, vt norunt, qui ab hoc loco iuueniles adolescentum curas repulerunt; illa est, meo iudicio, causa non leuissima; quia ex aliis aut Scripturæ sacræ locis, aut scriptorum monumentis adinuenta sunt non admodum firma, ad cognoscenda plurima ex his, quæ nunc habemus in hac visione, quæ oblata est Ezechieli postrema. Sanè verum est posterius templum ad prioris imaginem fuisse constructum; multa tamen in illo priori expressa sunt, quæ in hoc posterius translata non fuerunt. Vel quia illa erant quædam quasi parerga, quæ non admodum ad ministeria facta, aut ad mysticos sensus pertinebant; sed tantùm ne quæ erant ad significationem grauia, nuda forent ab arte; vel quia non omnia, quæ in templo visebantur Salomonio, ab historico sacro prodita sunt, sicut nunc habemus ab Ezechiele singulatim expressa. Adde quòd quemadmodum noua à Deo sacrificia, & noui ritus instituti sunt post exilium, vt dicemus cap. 45. num. 61. & cap. 46. multis in locis de sacrificiis Principis, & de illius certa statione in templo; & sicut multa in terræ sortitione mutata sunt, vt habes cap. 48. sic etiam non est incredibile in templo quoque multa fuisse mutata. 2.

Difficilis cognitio styli fabrica.

Quæ de Iosepho ad huius templi fabricam explorandam sumunt interpretes, seu ab Egesippo, non eo apud me sunt loco, vt ex eis grauem aliquam putem ducendam esse coniecturam. Quæ enim nunc in Ezechiele legimus, tradita sunt populo tunc captiuo, vt cùm solutus reuerteretur in patriam, iuxta datam sibi formam templum instaurarent. Sic enim habes infrà capite 43. vers. 10. 11. 12. *Tu tamen fili hominis ostende domui Israël templum,* &c. *Figuram domus, & fabricæ eius; exitus, & introitus, & omnem descriptionem eius & vniuersa præcepta eius, cunctúmque ordinem eius, & omnes leges eius ostende eis. Et scribes in oculis eorum, vt custodiant omnes descriptiones eius.* Vt autem Salomon accepit à patre descriptam templi formam, ad cuius præscri 3.

Iosephus non multum lucis affert ad templi Ezechielis cognitionem.

Templum primum re-

edificatum iuxta formam datam Ezechieli. præscriptum sacram illam, & mirabilem molem excitaret, à qua non recessit: sic puto Zorobabel, & reliquam multitudinem nullo modo recessisse ab exemplari, quod accepit à Propheta. De forma reuelata Dauidi, habes lib. 2. Paralip. cap. 28. v. 19. vbi sic ad filium, cùm templi formam, & exemplar præscriberet. *Omnia*, inquit, *venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaria.* Sic etiam exemplar traditum est à Propheta, quod ad amussim seruasse credendus est Zorobabel in excitando templo. Quod mihi facit plusquam verisimile, quia Iudæi insperatis à Deo cumulati beneficiis, non videbantur contra id, quod diuina ferebat voluntas, aliquid suscepturi, maximè cùm opus vrgerent viri sanctissimi, quos Dominus nouis quotidie sensibus, & illustrationibus afflaret, Aggæus, Zacharias, & Esdras. Et quidem Zachariæ, vt constat cap. 2. vers. 1. ostensus est vir cum funiculo mensorio, qui spacia metiretur; sicut qui nunc cum calamo, & lino apparuit Ezechieli. Quare tale templum ædificatum est à Iudæis, cùm primùm sunt ab exilio reuersi, quale Ezechieli à Deo monstratum est, & ab ipso Genti tunc temporis captiuæ præscriptum.

4. *Iosephus nō vidit templum ab Ezechiele descriptum.* Hoc verò templum aut Iosephus non vidit, vt multi putant, & in his Iosephus, qui censent destructum fuisse ab Herode templum à Zorobabele constructum, & aliud excitatum à fundamentis, (quod mihi, vt alio loco dixi, verisimile non est.) aut certe sic videre potuit, vt aliud iudicari potuerit ab illo, cuius imaginem accepit à Propheta populus: quare ab eo, quod Iosephus vidit, quódque lib. 6. cap. 6. de bello fusè, atque accuratè descripsit, argumentum sumi non potest, aut coniectura grauis, quæ nos ad huius templi cognitionem deducat. *Magna ad templum Ezechielis accessiones factæ.* Id verò facilè mihi persuadeo; quia priori fabricæ aliquid additum est à Machabæis, ad cuius munimentum construxere turrim, vt auctor est Iosephus lib. 15. cap. 14. Antiq. quam Herodes postea vocauit Antoniam. A Simone verò Oniæ filio, qui octauus Pontifex fuit post captiuitatem, quantum operæ positum sit in ornando, atque amplificando templo, tradit non solùm Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 2. sed *Simon Oniæ filius templum amplificauit.* etiam Ecclesiasticus cap. 5. *Simon*, inquit, *Oniæ filius Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum: templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, vt excelsi parietes templi.* Deinde Herodes, vt tradit Iosephus lib. 15. c. 14. Antiq. sic ornauit, amplificauítque templum, vt non tam instauratum, aut accessione auctum, quàm de nouo, atque integro ædificatum videri potuerit.

5. *Templum Ezechielis à templo Salomonis quo modo diuersum.* Inter hæc tria templa, tum in aliis, tum in altitudine maxima licet spectare discrimina. Habuit templum à Salomone conditum centum viginti cubitos altitudinis: totidem quod deinde aut extruxit, aut amplificauit Herodes. Sed templum extructum à reducibus ex præscripto Ezechielis, atque ex edicto Cyri, cubitos tantùm habuit 60. quem verisimile est instinctum à Deo formam, & modum præscripsisse fabricandi templi. Ille enim, vt constat Esdræ cap. 6. edicto cauit, ne altiùs foderetur fundamentum, quàm quod sustinere posset 60. cubitorum altitudinem, & latitudinem æqualem. Atque ideo, qui antiquum templum viderant, aut de eius amplitudine aliquid à maioribus audierant, flebant voce magna Esdræ cap. 3. quòd tam viderant templum hoc posterius à priori futurum esse dissimile. Et Aggæi cap. 2. comparatione prioris eo loco, & pretio existimatur esse posterius, quasi non esset. *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc, numquid non ita est, ac si non sit in oculis vestris?* Cùm ergo tam posterior domus à priori differat, & quæ amplificata fuit ab Herode, ab ea, quam extruxit Zorobabel; quam tantùm Iosephus videre potuit; sequitur neque à priori templo, neque ab vltimis posterioris temporibus, sumi posse certam aliquam coniecturam, ad cognitionem plurimorum, quæ in hac Ezechielis descriptione proponuntur. Hæc ideo dixerim, ne quis eos, qui hac de re commentarios edidere, inertiæ, aut ignorantiæ damnet, si quid animaduertat minus cum alterutro horum templorum conuenire, quando res est difficilis, & coniecturæ incertæ. Ego neque tantum mihi laboris assumo, vt de hoc argumento longam disputationem instituam; neque tantum fidei haberi mihi postulo, quantum rebus certis, aut nimis exploratis adhiberi fas est. Neque 6.
mirum si tantulus ego incertum aliquid assequi desperem; cùm ante me complures alij; qui plus attulerunt ingenij, eruditionis, & studij, id verbis profiteantur ingenuis, & apertis. Mitto alios; vnum audi Hieronymum, qui instar est omnium, in Prologo cap. 42. *Ego*, inquit, *in explanatione templi Ezechielis, & cæterorum, quæ ad finem ipsius voluminis pertinent; fateor me pro rei magnitudine nihil dignum scribere: & in paucis, si qua tamen accipere meruero, gratias agere Saluatori.* *Hieronymus ignorare se dicit templi fabricam.* Et in Proœmio cap. 40. *Obsequar*, (inquit ad Eustochium) *voluntati tuæ, & flante Spiritu sancto vela suspendam, ignorans ad quæ sint littora peruenturus. Et cum hoc eodem Propheta clamitans, à quatuor ventis veni spiritus, fastidiosoque lectori, imò animo perduelli nostra lecturo, illud in explanatione templi tota libertate denuncio, vt si veritatem desiderat, quærat eam ab aliis. Nos autem ea, quæ in opere difficillimo possumus suspicari, simpliciter confitemur; atque dictamus, gratias acturi Domino, si non in omnibus (quod impossibile est) sed in plerisque nobis aperuerit fores scientiæ.* Hæc Hieronymus.

IN

IN CAPVT QVADRAGESIMVM.

ARGVMENTVM.

STATVERAM tribus hisce capitibus, in quibus tantùm atriorum, ac templi continetur nuda, atque adeò difficilis, & insulsa descriptio, abstinere à paraphrasi; quia illa parum afferre poterat lucis rei admodum obscuræ. Neque necessarium erat narrationis filum contexere, quod præcipuè spectari solet à paraphrasi, quòd satis Propheta ipse distinctè loquatur, & rerum sequatur ordinem nunquam, aut certè modicè interruptum. Sed ne hac etiam in parte studiosus lector interpretis operam requireret; explicationem etiam paraphrasticam adieci. Cùmque aliis in locis parum mihi placeam; in horum tamen trium capitum paraphrasi vehementer displiceo; quia assequi mè posse despero, quod aliis locis spectaui, & res paulo minùs relinquitur implexa, quàm si nullam accepisset lucem ab hoc exponendi genere. Hæc præfari volui, ne cui fraudi sim, si fortè ex hoc meo paraphrastico studio aliquid sibi magnum promittat. Neque verò argumentum capitis admodum necessarium, cùm res sit historica, & suis ipsa finibus distinctè conclusa. Ducitur autem Propheta à Spiritu in Ierusalem, cùm tamen corpore à Babylone non recederet: ibi à dimensore, atque architecto docetur singulas partes, ac eorum ministeria cuiusdam ædificij, quod deinde excitandum esset à Iudæis postquam soluta captiuitate in patrios fines essent restituti. Incipit autem à muro quodam extrinseco, seu peribolo, qui molem illam sacram, & eximiam à reliquorum hominum habitatione secernit. Deinde atrium Gentium attentè contemplatus, ad atrium laicum, seu populi Israël progreditur: inde ad sacerdotale vsque ad penitioris ædis, id est, templi vestibulum; ibi thalamos, fenestras, gazophylacia, & eorum vsus, mensuram, & ornamenta cognoscit. Quæ in annotationibus explicantur pluribus, nos hic pro argumenti natura, atque instituto plus satis.

CAPVT XL.

1. *IN vigesimo quinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quartodecimo anno postquam percussa est ciuitas: in ipsa hac die facta est super me manus Domini, & adduxit me illuc.* A

2. *In visionibus Dei adduxit me in terram Israël, & dimisit me super montem excelsum nimis: super quem erat quasi ædificium ciuitatis vergentis ad Austrum.*

3. *Et introduxit me illuc: & ecce vir, cuius erat species quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius: stabat autem in porta.* B

4. *Et locutus est ad me idem vir: Fili hominis vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego ostendam tibi: quia vt ostendantur tibi adductus es huc: annuncia*

PARAPHRASIS.

1. ANno à transmigratione Iechoniæ vigesimoquinto, anno ipso ineunte, & ab excidio ciuitatis anno decimoquarto, die decima diuina manus me in spiritu deduxit ad locum, vbi tantùm supererant ciuitatis ruinæ.

2. Ita me tetigit diuina manus, & spiritus mentem afflauit, & illustrauit meã, vt deduci viderer in terram Israël, & in excelso quodam monte constitui, in quo illustris ciuitatis ingens quædam, & operosa moles videbatur, quæ comparatione Babylonis ad plagam spectabat Australem.

3. Illuc igitur deductus sum. Et primum quidem in ipsa ciuitatis porta occurrit mihi vir ea specie, vt videre me putarem splendentis æris nitorem eximium; in cuius manu videre mihi videbar instrumenta quædam tectonica, funiculum videlicet, & calamum mensorium.

4. Ille verò statim ad me: Fili hominis aduerte oculos, & aures adhibe, quantum potes attentas; & animi tui intelligentiam excita, vt videas, & intelligas, quę tibi

nuncia omnia, quæ tu vides, domui Israël.

A tibi nunc cognoscenda proponam; neque enim aliam ob causam huc te diuina manus adduxit.

5. Et ecce murus forinsecus in circuitu domus vndique, & in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, & palmo: & mensus est latitudinem ædificij calamo vno, altitudinem quoque calamo vno.

5. Intendi vt iussus eram sensus, & animum. Et ecce occurrit mihi primùm extrarius quidam murus, qui domum quamdam illustrem circumuallabat vndique. Porrò vir ille calamum gestabat metatorem sex cubitis longum, & vno palmo; & primùm extrarium illum murum, seu peribolum mensus est; qui vno tantùm calamo tã in altitudine, quàm in

B latitudine patebat.

6. Et venit ad portam, quæ respiciebat viã Orientalem, & ascendit per gradus eius: & mensus est limen portæ, calamo vno latitudinem, id est, limen vnum calamo vno in latitudine:

6. Egressus autem ex porta periboli, progressus est ad orientalem partem atrij Gentium, quod primùm occurrebat à peribolo. Et cùm per gradus quosdam ascendisset (quod necessarium erat, cùm Occidẽtem versùs ædificij sedes esset accliuis, vtrumque portæ limen secundùm latitudinem vno calamo dimensus est.

7. Et thalamum vno calamo in longum, & vno calamo in latum, & inter thalamos, quinque cubitos:

7. Thalamos porrò, id est, cubicula, quæ erant ad portam, mensus est, qui tam

C secundùm longitudinem quàm latitudinem vno patebant calamo; quinque inter se cubitis disclusi.

8. Et limen portæ iuxta vestibulum portæ intrinsecus, calamo vno.

8. Limen item portæ, quæ est ad vestibuli interiorem partem, vno mensurauit calamo.

9. Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, & frontem eius duobus cubitis, vestibulum autem portæ erat intrinsecus.

9. Mensus est quoque vestibulum, quod ad interiorem atrij partem pertinebat, in quo cubitos octo deprehendit: duos verò in eo instructu, qui frontem exornat.

10. Porrò thalami portæ ad viam Orientalem, tres hinc & tres inde: mensura vna triũ, & mensura vna frontiũ ex vtraque parte.

10. Porrò ad orientalem portam sex visebantur thalami, vtrinque terni, eius-

D dem omnes mensuræ, & frontis æqualis.

11. Et mensus est latitudinem liminis portæ, decem cubitorum: & longitudinem portæ, tredecim cubitorum.

11. In latitudine liminis, quæ etiam vestibuli latitudo est, decem numerauit cubitos; in vestibuli verò longitudine tredecim.

12. Et marginem ante thalamos cubiti vnius: & cubitus vnus finis vtrinque: thalami autem, sex cubitorum erant hinc & inde.

12. Marginalis verò thalamorum ornatus vnius erat cubiti; ab vtroque latere: ipsi autem thalami ad vtramque vestibuli partem hinc inde dispositi senis singuli cubitis patebant.

13. Et mensus est portam à tecto thalami, vsque ad tectum eius, latitudinem vigintiquinque cubitorum: ostium contra ostium.

13. Deinde mensus est portam cum suo, ac thalamorum instructu, & ab extre-

E mo thalamo ad extremum alterum, qui aduerso portæ, siue vestibuli latere visebatur, viginti cubitos deprehendit. Ostia verò thalamorum omnino sibi tum in ornatu, tum etiam in magnitudine respondebant.

14. Et fecit frontes per sexaginta cubitos: & ad frontem atrium portæ vndique per circuitum.

14. Frontium verò ornamenta iuxta altitudinem atrij sexaginta cubitos occupabant. In toto verò atrio eadem erat dispositio, & modus, qui in orientali porta, & adiunctis illi thalamis descriptus est.

15. Et ante faciem portæ, quæ pertingebat vsque ad faciem vestibuli portæ interioris,

15. A porta verò orientali quæ cum suo vestibulo descripta est, ad portam

quinqua aliam,

quinquaginta cubitos.

A aliam, quæ in eadem porticu post ternos thalamos sequebatur, ad interiorem partem quinquaginta cubitorum spatium intererat.

16. *Et fenestras obliquas in thalamis, & in frontibus eorum, quæ erant intra portam vndique per circuitum: similiter autem erant & in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus, & ante frontes pictura palmarum.*

16. Fecit item fenestras tam in thalamis, quàm in eorum frontibus in toto circuitu, qui erat intra portas. Erant autem ea forma fenestræ, vt obliquæ introrsus lumen admitterent. Similiter etiam fenestras addidit vestibulis, quæ interiores instruebant portas atrij per gyrum: In ipsis porrò frontibus frequentes palmæ insculptæ visebantur.

B

17. *Et eduxit me ad atrium exterius, & ecce gazophylacia, & pauimentum stratum lapide in atrio per circuitum: triginta gazophylacia in circuitu pauimenti.*

17. Inde metator ille, & Architectus Angelus deduxit me ad atrium exterius (exterius, inquam, si cum sacerdotali conferas, quod interius est, & Oraculo proximum) & statim occurrerunt gazophylacia, siue exhedræ, & pauimentum lapide constratum, per totum atrium, & in pauimenti circuitu affixa porticui gazophylacia triginta.

18. *Et pauimentum in fronte portarum, secundum longitudinem portarum erat inferius.*

C

18. Pauimentum autem, quod erat ad portarum frontes, secundùm totam earum longitudinem erat depressius.

19. *Et mensus est latitudinem à facie portæ inferioris vsque ad frontem atrij interioris extrinsecus, centum cubitos ad Orientem, & ad Aquilonem.*

19. Deinde mensus est totius atrij latitudinem ab inferiori porta, quæ ab Oriente spectat ad Occidentalem; & ab Aquilonari ad meridianam, siue Australem vsque ad exteriorem partem sacerdotalis atrij (nam murus ille communis erat tam laico, quàm sacerdotali atrio) & inuenit quoquò versus cubitos centum; quia atrium illud erat perfectè quadratum.

20. *Portam quoque, quæ respiciebat viam Aquilonis atrij exterioris, mensus est tam in longitudine, quàm in latitudine.*

D

20. Progressus deinde ad portam Aquilonis exterioris, siue profani atrij, sicut in orientali nuper fecerat, illius tam latitudinem, quàm longitudinem explorauit.

21. *Et thalamos eius tres hinc & tres inde: & frontem eius, & vestibulum eius secundum mensuram portæ prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem eius, & latitudinem viginti quinque cubitorum.*

21. Erant autem vtrinque terni thalami, frons, & vestibulum eodem prorsus modo, qui nobis in orientali porta descriptus est. Cuius longitudo erat quinquaginta cubitorum: dimidio minor latitudo.

22. *Fenestræ autem eius, & vestibulum, & sculptura secundùm mensuram portæ, quæ respiciebat ad Orientem: & septem graduum erat ascensus eius, & vestibulum ante eam.*

E

22. Eadem erat fenestrarum, eadem vestibuli, eadem cælaturæ forma, quæ in Orientali porta. Erat quippe ante illam vestibulum, & septem gradus ad ascensum.

23. *Et porta atrij interioris contra portam Aquilonis, & Orientalem: & mensus est à porta vsque ad portam centum cubitos.*

23. Et cùm ab Aquilonari ad meridianam portam procurreret; item ab Orientali ad Occidentalem centum quoquò versus cubitos numerauit.

24. *Et eduxit me ad viam Australem, & ecce porta, quæ respiciebat ad Austrum: & mensus est frontem eius, & vestibulum eius, iuxta mensuras superiores.*

24. Deduxit me postea ad Australem viam, vbi erat porta eiusdem omnino formæ cum Orientali, siue frontes spectes, siue vestibulum tam quoad mensuram, quàm quoad dispositionem, & ornatum.

25. *Et fenestras eius, & vestibula in circuitu,*

25. Fenestræ illius, atque vestibulum, nihilo

cuitu, sicut fenestras ceteras: quinquaginta cubitorum longitudine, & latitudine viginti quinque cubitorum.

A nihilo erant ab aliarum portarum fenestris, atque vestibulo diuersa; neque alia mensura cùm in longitudinem quinquaginta, in latitudinem viginti quinque cubitos pateret.

26. Et in gradibus septem ascendebatur ad eam: & vestibulum ante fores eius: & cælatæ palmæ erant, vna hinc, & altera inde in fronte eius.

26. Ad illam sicut ad alias per septem ascendebatur gradus. Vestibulum item prætendebatur, & in fronte vtrinque cælatæ palmæ.

27. Et porta atrij interioris in via australi: & mensus est à porta vsque ad portam in via australi, centum cubitos.

27. Ab ea porrò Australi porta dimensus est spatium ad Aquilonarem vsque, & in eo centum inuenit cubitos.

28. Et introduxit me in atrium interius ad portam australem: & mensus est portam iuxta mensuras superiores.

B 28. Hactenus de exteriori atrio, siue profano: hinc ad Sacerdotale deductus sum ab architecto Angelo. Et primùm ad meridionalem portam progressus, iuxta aliarum portarum mensuram, & ordinem dimensus est.

29. Thalamum eius, & frontem eius, & vestibulum eius eisdem mensuris: & fenestras eius, & vestibulum eius in circuitu, quinquaginta cubitos longitudinis, & latitudinis viginti quinque cubitos.

29. Thalami, frontis, atque vestibuli eadem omnino descriptio. Fenestræ eius, & vestibulum quinquaginta in longitudinem cubitos, dimidio minus in latitudinem patebant.

30. Et vestibulum per gyrum longitudine vigintiquinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum.

C 30. Vestibulum autem toti obtendebatur portæ, quod secundùm longitudinem viginti quinque secundùm verò latitudinem quinque numerabat cubitos.

31. Et vestibulum eius ad atrium exterius, & palmæ eius in fronte: & octo gradus erant, quibus ascendebatur per eam.

31. Vestibulum, inquam, erat in sacerdotum atrio, in eóque frons palmarum in sculpturis illustris: & erat porta illa aliis omnino portis quàm simillima, nisi quod ad atrium Israel ex Gentilico per septenos; ex atrio verò Israelitico ad sacerdotale per octonos gradus ascendebatur.

32. Et introduxit me in atrium interius per viam orientalem: & mensus est portam secundùm mensuras superiores.

D 32. Hactenus spectaram profani atrij mensuram, & formam: ex eo dein deductus sum ad sacerdotale per viam orientalem ab architecto Angelo, qui portam, quæ eo in loco erat, eodem prorsus modo descripsit, mensurauitque quo superiores alias.

33. Thalamum eius, & frontem eius, & vestibulum eius, sicut suprà: & fenestras eius, & vestibula eius in circuitu, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine viginti quinque cubitorum.

33. Eadem erat thalami, frontis, & vestibuli designatio; eodem modo fenestræ, vestibulúmque disposita, ad quinquaginta cubitos secundùm longitudinem, & secundùm latitudinem ad vigintiquinque porrecta.

34. Et vestibulum eius, id est, atrij exterioris: & palmæ cælatæ in fronte eius hinc & inde: & in octo gradibus ascensus eius.

E 34. Erat autem vestibulum ante portam sacerdotalis atrij, quod etiam appellatur exterius; & in fronte illius vtrinque cælatæ palmæ, & octoni gradus ad ascensum.

35. Et introduxit me ad portam, quæ respiciebat ad Aquilonem: & mensus est secundùm mensuras superiores.

35. Deduxit me ad portam, quæ ad partem atrij Aquilonarem vergebat, quam eadem, qua superiores alias, mensura definiuit.

36. Thalamum eius, & frontem eius, & vestibulum eius, & fenestras eius per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitu

36. Dimensus est thalamum, frontem, vestibulum, & fenestras eius per circuitum, quorum erat quinquaginta cubitorum

latitudine viginti quinque cubitorum.

A torum longitudo; latitudo verò viginti-quinque.

37. *Et vestibulum eius respiciebat ad atrium exterius:& cælatura palmarum in fronte eius hinc & inde: & in octo gradibus ascensus eius.*

37. Vestibulum erat ad illam partem, quæ introrsus atrium spectabat sacerdotale; vtrinque palmæ videbantur insculptæ, & per octonos gradus assurgebat ascensus.

38. *Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum ibi lauabant holocaustum.*

38. In frontibus portarum ad singula gazophylacia apparebat ostium, vbi quæ ad holocaustum parabantur, victimæ lauarentur.

39. *Et in vestibulo portæ, duæ mensæ hinc, & duæ mensæ inde: vt immoletur super eas holocaustum, & pro peccato,& pro delicto.*

B 39. In vestibulo verò illius Aquilonaris portæ, binæ vtrinque mensæ locatæ, vt cæderentur ibi victimæ tam quæ in holocaustum, quàm quæ pro peccato, atque delicto essent immolandæ.

40. *Et ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ, quæ pergit ad Aquilonem, duæ mensæ, & ad latus alterum ante vestibulum portæ, duæ mensæ.*

40. Ad latus exterius Aquilonaris portæ, id est, ab eo loco, vnde gradus sunt, & ascensus in atrium sacerdotale duæ mensæ; totidem ad alterum latus ante vestibulum, id est, eo in loco, quem obeunt profani.

41. *Quattuor mensæ hinc, & quattuor mensæ inde: per latera portæ octo mensæ erant, super quas immolabant.*

41. Erant quatuor mensæ in exteriori C parte Aquilonaris portæ ad latus vnum; totidem ad alterum; octo nimirum super quas immolabantur, id est, cædebantur, & parabantur hostiæ.

42. *Quattuor autem mensæ ad holocaustum, de lapidibus quadris extructæ: longitudine cubiti vnius & dimidij: & latitudine cubiti vnius & dimidij: & altitudine cubiti vnius: super quas ponant vasa, in quibus immolatur holocaustum, & victima.*

42. Quatuor autem illæ mensæ, quæ erant ad vtrumque latus vestibuli, id est, octo mensæ pro immolandis ad holocaustum victimis, siue his quæ pro peccato, seu delicto mactantur, ex lapide secto, atque quadrato excitabantur. Erant autem latæ, ac longæ sesqui cubito; altæ verò dimidio cubito minus, in quibus reponeD rentur vasa, quæ ad sacrificale ministerium, & ad immolationis opus necessaria sunt.

43. *Et labia earum palmi vnius, reflexa intrinsecus per circuitum: super mensas autem carnes oblationis.*

43. Extremæ verò mensarum oræ, siue labia introrsus per gyrum reducebantur. In his porrò mensis carnes altari destinatæ reponebantur.

44. *Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem: & facies eorum contra viam Australem, vna ex latere portæ Orientalis, quæ respiciebat ad viam Aquilonis.*

44. Extra portam nimirum Orientalem, vsque ad Aquilonarem gazophylacia erant affixa muro in atrio interiori, in quibus cantores habitabant. Vnum autem præcipuum erat gazophylacium in via, E quæ ab Orientali porta respicit Aquilonem. Alterum item præcipuum in via huic aduersa, quæ ad Australem portam ex Orientali ducebatur.

45. *Et dixit ad me: Hoc est gazophylacium, quod respicit viam Meridianam, sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi.*

45. Tunc dixit ad me dimensor, atque Architectus Angelus, gazophylacium hoc, quod ad Austrum porrigitur, sacerdotibus illis seruiet, qui statas in templo excubias agent.

46. *Porrò gazophylaciū, quod respicit ad viā Aquilonis, sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris, isti sunt filij Sadoc, qui accedunt de filiis Leui ad Dominum vt ministrent.*

46. Alterum verò gazophylacium, quod Aquilonarem spectat plagam, illorum Sacerdotum habitationi designatum est qui altari seruiunt, & ad eius ministerium

47. Et

A rium inuigilant. Hi verò sunt ex genere quidem Leuitico, orti tamen ex Sadoch, qui primus omnium post excitatum à Salomone templum sacerdotio summo functus est.

47. *Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadrum: & altare ante faciem templi:*

47. Deinde mensus est sacerdotale atrium, quod tam quoad longitudinem, quàm quoad latitudinem centum patebat cubitis, erat namque perfectè quadratum. Ante vestibulum autem in sacerdotum atrio altare fabricatum erat holocausti.

48. *Et introduxit me in vestibulum templi: & mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde.*

48. Cùm iam, quæ ad sacerdotale atrium pertinerent, esset dimensus: deduxit me ad vestibulum, quod templo, seu B domo Dei prætendebatur. Quod ita mensus est, vt quinos cubitos vtrinque numeraret; sicut etiam portæ latitudinem, quæ vtrinque ternis patebat cubitis.

49. *Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, & latitudinem vndecim cubitorum, & octo gradibus ascendebatur ad eam. Et columnæ erant in frontibus; vna hinc, & altera inde.*

49. Erat porrò vestibulum longum viginti cubitis: latum verò vndecim, ad quod è sacerdotali pauimento per octo gradus ascendebatur; ad cuius frontem duę vtrinque assurgebant columnæ.

---

7. CAPVT hoc, imò quicquid hinc ad finem vsque libri reliquum est, adeò est obscurum, & implexum, vt cautum fuerit inter Hebræos, ne cuiquam liceret infra ætatem sacerdotalem extremam huius libri partem attingere, sicut neque primam; quia in vtraque aliquid esse videbant, quod assequi non posset aut inferior ætas, aut eruditio vulgaris. Est autem hæc prophetia vltima, quam de Iudæorum populo accepit Ezechiel anno vigesimo quinto transmigrationis, vt ipse fatetur in principio; non tamen omnium. Nam vt constat ex cap. 29. vers. 17. duobus annis post hæc vastitatem prædixit Ægypti, anno videlicet vigesimo septimo, si modò à transmigratione Iechoniæ anni ab Ezechiele numerentur; quod mihi certum est.

Ezechielis primam postremamque partem non licebat omnibus legere.

Agit autem in his nouem capitibus Propheta de his rebus, quas solutus ab exilio populus præstare debuit; vbi primùm rediisset in patriam, & templum ad veterem formam instaurasset. Cur autem hæc ostensa fuerint Ezechieli, & literis mandata, ea causa est; quia Deus eodem modo coli se voluit ab exulibus, vbi rediissent Hierosolymam, quò antequam Babylonem essent abducti. Neque enim sine causa sacrificiorum formas antè tam accuratè descripsit, in quibus maximarum, sanctissimarúmque rerum spectabantur vmbræ, & Testamenti noui imagines ad viuum expressæ. Quia verò in templi fabrica, rebúsque ad speciem leuissimis, aliquid etiam spectabatur non leue, quod antiqua renouaret beneficia, aut futura portenderet; ideo forma quædam præscribitur construendi templi, in qua nihil omitteretur in nouo, quod antè Salomon expressisset in veteri.

8. Fuit autem id omnino necessarium; quia post septuagennale exilium excidisse ex omnium Iudæorum memoria antiqui templi multiplicem formam certum est. Quo tempore iam omnes propè interiisse, qui templum Salomonium aC spexerant, non est creditu difficile. Quia licèt omnia essent Iudæis ex voluptate, & voto: neque quicquam pateretur à fame, & seruitute dura, ipsa tamen tot annorum diuturnitas, quam vix æquare solet hominum ætas, ipsos confecisset. Rediisse tamen aliquos ex his, qui templum à Salomone conditum aspexere, docet Esdras lib. 1. cap. 3. v. 12. *Plurimi etiam de Sacerdotibus, & Leuitis, & principes Patrum, & seniores, qui viderant templum prius, cùm fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum flebant.* Sed neque hi cùm ablegati sunt à patria, eius fuerunt ætatis, vt antiqui templi formam concipere, aut illam tam diu conseruare potuerint. Maximè cùm essent aliqua, eaque sanctissima, ad quæ illorum nemo vnquam esset D ingressus; qualia sunt Sancta sanctorum, ad quæ non ingrediebatur nisi Sacerdos summus, ísque semel tantùm in anno. Atqui videre arcanum illud sacrum vnus tantùm potuit Saraias Sacerdos, cuius tempore exustum est templum; sed Saraias, vt habes 4. Reg. c. 25. cum ipso templo simul interiit.

Aliqui viderunt ex his, qui templum Salomonis viderunt.

At dices satis esse minutim descriptas templi 9.
partes, satis expressam illius effigiem in libris Regum in Paralipomenon: quare inde potuisse formam desumi nouæ fabricæ, ad similitudinem antiquæ. Atque idem obiicere aliquis posset de sacrificiorum ritu, qui sic est in libris legis, & in Scriptura tota sæpè, fuséque descriptus; vt hîc ab Ezechiele renouari necessarium non sit. Quare licèt longo illo tempore intermissa fuerint saE crificia, functionésque aliæ sacræ, quæ non nisi in templo sanctè, atque legitimè obire poterant; eorum tamen ratio satis è sacris monumentis desumi poterat.

Huic ego cogitationi satis videor esse factu- 10.
rus, si dicam eodem, quo templum incendio, sacra quoque monumenta conflagrasse. Neque id mirum cùm in eo esset tabularium, vbi seruarentur scripta, quæ ad religionem, legitimósque ritus, imò quæ ad publicas rationes pertinerent,

Libri sacri captiuitatis tempore perierunt.

Quod

Quod autem hæc perierint, argumento est; quia cum adhuc integra esset res Iudaica, neque vlla ab hoste vis illata templo; legis tamen liber periisse videbatur, quando inuentus esse traditur lib.4. Reg.c.22.v.8. Nullum autem alium librum fuisse in ciuitate, aut in tota fortasse Iudæa, ex eo mihi fit verisimile, quòd cùm scriba Saphan legisset coram Rege, quasi nouum aliquid audiisset, scidit vestimenta sua; quod sanè facturus esse non videbatur, si librum habuisset, à quo diuinas illas minas acciperet, quæ ipsius animum metu concusserunt. Idem Chrysost. in Matth. c.2. homil.9. *Multa enim ex propheticis periere monimentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cùm essent Iudæi; nec desides modò, sed & impij: alia quidem perdiderunt negligenter; alia verò tum incenderunt, tum conciderunt. Et de prophanitate quidem tali Ieremias refert, de negligentia verò in 4. Reg. libro legimus: quoniam post multum temporis vix Deuteronomij sit volumen repertum, defossum quodam in loco, ac penè deletum. Si autem absque vlla incensione templi, absque vllo impugnante ciuitatis tumultu, sacri tamen libri variè deperibant: quis iam istud inter illas depopulationes, vastationésque hostium, inter illa templi, ac totius vrbis incendia contigisse miretur?* Ita putat Abul. quæst. 12. in cap.22. lib.4. Regum.

11\. Item constat id non obscurè, si verum est Scripturam sacram ab Esdra fuisse restitutam; quasi iam aut hostium iniuria, aut Iudæorum negligentia periisset: quod docent, aut indicant communiter Patres; neque parum est momenti ad hanc cogitationem, quod ipse ait lib.4. c.14. v.20. *Positum est sæculum in tenebris, & qui inhabitant in eo sine lumine. Quoniam lex tua incensa est, propter quod nemo scit quæ à te facta sunt; vel quæ incipient opera. Si enim inueni in te gratiam, immitte in me Spiritum sanctum, & scribam omne, quod factum est in sæculo ab initio, quæ erant in lege tua scripta, vt possint homines inuenire semitam.* Scio librum istum Canonicæ fidei pondus non habere; verùm illi sua quoque auctoritas inest. Quare si neque vlla hominum memoria retinere potuit antiquam templi formam, neque sacrificiorum ordinem, ac ritum recordari; satis accommodatè offertur Prophetæ templi, sacrificiorúmque tam exacta, atque minuta descriptio.

Scriptura ab Esdra restituta creditur.

12\. Nunc videndum est, an eadem templi noui forma describatur à Propheta, quæ veteris fuit. Nam sunt qui dubitãt, quia aliqua præscribũtur ab Ezechiele ad noui templi fabricam, quæ non reperiuntur in veteri; qualia sunt atria quædam, cœnacula, thalami: & quędam minutiora, de quibus suis postea locis. Sed mihi certum est vtriusque templi eandem esse formam; quod sibi persuadebit facilè, qui attentè perpenderit, quæ de antiqui templi fabrica Propheta dixit suprà c.8. & cap.9. vbi portæ, & atria, & alia plura, quæ tunc spectauit Propheta in templo Salomonio, cum ea forma conueniunt, quæ ad noui templi structuram obiecta est Prophetæ. Neque admodum contrà facit, quòd minuta quædam in noua descriptione reperiuntur, quæ non scribuntur in antiquo à Salomone fabrefacta; quia aliter proponitur architecto ad operis molitionem effigies, aliter illa eadem molitio describitur ab historico. Ille namque minutissima quæque notat; hic magna tantùm, & necessaria. Neque est verisimile in describendo priori templo, illa omnia à sacro historico fuisse proposita, quæ à Salomone præcepta, atque elaborata; quia illa non tam ad sacrum ministerium, cuius gratia templum illud excitatum est, erant necessaria; quàm ad alios vsus; de quibus posteà. Quales sunt quædam exhedræ, cœnacula, thalami, gazophylacia, & similia; de quibus tamen aliquid habemus apud Ieremiam, & apud hunc Prophetam. Et quæ hîc explicatiùs exponuntur de templo posteriori, illa eadem de priori alibi inuoluuntur obscuriùs. Qua in re hæc duo templa videantur fuisse dissimilia, diximus suprà num.2.

Eadem forma Ezechielis, & Salomonis templi.

Vers.1. *In vicesimoquinto anno transmigrationis nostræ.*] Anno quinto transmigrationis suæ, 13.
quæ eadem fuit, quæ Iechoniæ, aut primùm fuit afflatus spiritu prophetico Ezechiel; aut certè primam illam illustrationem accepit, de qua c.1. Quare ab illa visione ad hanc postremam, anni intercessere viginti. Notatur prætereà annus ab excisa vrbe, qui fuit decimusquartus.

Facta est super me manus Domini, & adduxit me illuc.] Quid sit manum Domini fieri super aliquem, diximus cap.1. ad illud, *Et facta est super eum ibi manus Domini.* Adductus verò dicitur *illuc*, id est, ad ciuitatem, quæ decimoquarto annò dicebatur ante percussa.

Vers.2. *In visionibus Dei adduxit me in terram* 14.
Israel.] Quæ sint visiones Dei, diximus suprà cap.1. v.1. ad illud, *Vidi visiones Dei.* Porrò in visionibus adductus est super montem, vbi vidit ciuitatem, quæ licèt esset in lateribus Aquilonis; ad Australem tamen plagam porrigebatur. Nisi mauis ad Austrum esse ciuitatem, quæ reuera ad Aquilonem vergebat, iuxta illud, *latera Aquilonis ciuitas Regis magni*; quia comparatione Babylonis, vbi tunc exul agebat Ezechiel, Australis erat Hierosolyma. Notum est autem Chaldæam Aquilonarem esse, si ad Hierosolymam referas: quare sæpe audis ab Aquilone aduenire malum, cladem, exitium, & similia; vnde efficitur ad Austrum tunc pertinere Ierusalem. Quòd verò non tam deductus Propheta fuerit Hierosolymam, quàm Hierosolymæ illi species oblata, suadet illud, quòd tunc nondum erat instaurata ciuitas, sed tantùm informe quoddam bustum euersæ ciuitatis. Erat itaque corpore Babylone Propheta; spiritu tamen Hierosolymæ. Porrò ædificium ciuitatis templum esse satis probant, quæ deinde sequuntur: mensus est enim Angelus ædificium; quod oblatum erat propheticis oculis; sed mensum fuisse templum, satis è sequentibus perspicuum est.

Vers.3. *Et ecce vir, cuius erat species, quasi species* 15.
æris.] Illustris erat species, & splendida viri illius, quem sibi videre visus est Propheta, qualis est æris eximij nitoris, quod suapte natura fulget, & tunc maximè quando accedit artificis manus, & industria. Quis autem ille fuerit, incertum est. Quidam ex Hebræis Michaelem esse putant; quia ille Synagogæ princeps. Aliis videtur esse Gabriel, qui Dan. cap.9. & templi, & vrbis instaurationem prædixit. Nec deest, qui Christum esse putet. Ita Hieronymus, & Gregorius hom.12. in Ezechielem. Res est incerta, & coniecturæ leuis. Neque displicet postrema hæc cogitatio; ita tamen vt Angelus quicumque ille sit, speciem aliquam Christi propheticis oculis obiecerit.

Funiculus lineus in manu eius.] Quemadmodum 16.
Zachariæ cap.2. oblatus est Angelus cum mensorio funiculo, qui definiret, metaretúrque spatia, in quibus esset ædificanda ciuitas; qui funiculus non tam erat instrumentum fabrile, perpendiculum puta, aut miniatus funis; quàm lati alicuius spatij metator, qualis nempe fuit ille,

Funiculus quid.

quo

quo Iosue in duodecim sortes terram promissionis partitus est, vnde pars quælibet funiculus vocatur. Sic funiculus hic lineus, non est illa linea, quæ cum libella, aut alio pondere columnæ, aut muri rectitudinem explorat; sed alius mensorius, qui spatium metatur, quod occupare debet, & templi sedes, & singularum partium longitudo, latitudove, quod in rebus altis præstat calamus, de quo nobis statim agendum est.

17. *Et calamus mensuræ in manu eius.*] De calamo variè loquuntur auctores: neque puto quantumcumque illi in ea se inquisitione, ac tractatione discrucient, aliquid inuenient certum; sicut neque de rebus, quæ varias subeunt mutationes, quales sunt in omnibus propè nationibus mensuræ, ac pondera, ratioque numerati. Quare cùm ea de re nihil cuiquam certum esse, aut exploratum possit, meo iudicio, neque mihi tantum assumam, vt aliquid à me putem afferri certi, & id principio ingenuè profiteor. Dicam tamen quid alij sentiant, quódque frequentes probant; neque quenquam in hanc, vel illam cogitationem impello. Egerunt nostra ætate de mensuris, atque ponderibus, Robertus, Senalis Abrincensis Episcopus, & ante illum Budæus, Alciatus, Georgius Agricola, Leonardus Portius, & ex nostra Societate Ioannes Mariana, Villalpandus, Ludouicus Alcasar, Martinus Stephanus. Hos qui volet, adeat, qui id sibi præcipuè sumpserunt negotij, vt antiquæ nobis mensuræ rationem ostenderent. Ego ab accurata hac disputatione abstinere posse videor, qui interpretem ago.

18. Illud primùm obseruo ab homine sumptas esse plerasque mensuras, quia status hominis magis est cognitus, & in eo partes longitudine inæquales, quæ valde sunt ad exploranda, distinguendáque rerum spatia accommodata. Hinc *digiti, palmus, spithama, vlna, cubitus, pes, orgyia,* & plures aliæ; sed nihil est in Scriptura cubito frequentius. Est autem cubitus propriè, pars illa brachij, quæ est à flexu, seu curuatura ad summum vsque digitum medium. Sed cùm varia sit hominum magnitudo, varia quoque sit necesse est cubitorum mensura. Antiquis sanè temporibus homines fuere corporis vsque adeò proceri, ac vasti, vt si cum illis comparentur nostri, quasi locustæ videantur. Sic sanè putabat Empedocles apud Plutarchum lib.5.c.27. de placitis Philosophorum, vbi ait suæ ætatis homines cum illis prioribus comparatos instar obtinere infantium. Idem penè Augustinus lib.15. de ciuit. cap. 9. vbi adducit illud Virgilij lib.12. Æneid. de Turno,

Ab homine sumpta mensurarum diuersitas.

Homines olim magis proceri.

Saxum antiquum ingens campo qui fortè iacebat
Limes agro positus litem vt discerneret aruis:
Vix illum lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Sumpsit ex Homero lib.12. Iliados, vbi de Hectore eadem, quæ ab illo expressit Virgilius in Turno. A quo etiam sumpsit Iuuenalis Satyr. 15.

Nam genus hoc viuo iam decrescebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque pusillos.

Vide Esdram lib.4. cap.5. vbi hæc eadem docet, & tantæ naturæ mutationis, atque infirmitatis causam adducit.

19. Sed licèt antiqui cubiti rudioribus sæculis essent longiores, quia etiam hominum statura magis procera, tamen posteriora sæcula certam aliquam, atque constantem, habuere mensuram,

A sumptam quidem à naturali cubito, sed artificio quodam in virga designatam. Hæc cubitalis mensura maximè est familiaris Hebræis. Hanc etenim à principio ferè sæculorum adhibent, vbi ex arte moles aliqua construenda; aut rei alicuius exploranda magnitudo. Id docet Genes.6. arca à Noë ex Domini præscripto artificiosè constructa; id templum Salomonis, id denique omnia, quæ ordinem aliquem inter se, proportionémque desiderant.

Obseruat P. Ioannes Mariana in libro de ponderibus, & mensuris. §. de cubito, & Maldonatus hîc, quibusdam videri duplicem esse cubitum Hebræis, alterum legalem, aliquantulo maiorem, qui sex habet palmos, seu digitos viginti quatuor; alterum communem palmorum quinque, seu digitorum viginti. Quod colligunt ex lecto Og Regis Basan, qui longus erat cubitis nouem, latus quatuor; quia additur Deut. cap.3. v.11. cubitos illos fuisse ad mensuram virilis manus, nempe communis cubiti, qui tantus est, quanta est longitudo à flexu, seu curuatura brachij ad extremos vsque digitos. Cubitus alter ex Ezechiele colligitur, ex hoc ipso cap.40. in quo nunc nostra laborat commentatio. Vbi enim Vulgatus, *Et in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, & palmo.* Hebraicè habetur, *Et in manu viri calamus sex cubitorum in cubito, & palmo.* id est, ex illis cubitis, qui communi cubito vnum addunt palmum. Et postea clariùs cap.43.v.13. *Ista autem mensura altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum* (nempe communem) *& palmum.* Hic autem cubitus legalis est, & cubitus dicitur Sanctuarij, qui, vt dixi, sex habet palmos, digitos 24. qui etiam nominatur sesquipes, quia vno pede constat cum dimidio. 20.

Cubitus duplex.

Illud hîc obiter obseruo quadricubitalem esse hominum staturam, quæ quantitas æquat suam cuiusque longitudinem. Nam à medio pectore ad illam partem, quæ brachium inflectit, cubitus vnus est; à flexu verò brachij ad summos vsque digitos alter est cubitus. Experientia verò constat tantum esse longitudinis in Orgyia, id est, intremos digitos, in brachiis, ac manibus expansis, quantum est inter verticem, & pedes, id est, quàm longa est, quæ dicitur hominum statura. Hæc de cubito. 21.

Statura hominum quadricubitalis.

Calamus alia mensura est longior, quæ, vt ex hoc Ezechielis capite constat, sex cubitis constat. Vt autem cubitus duplex est, nempe legalis, quem Sanctuarij etiam vocari diximus; & communis, qui palmo vno, id est, digitis quatuor minor est: sic etiam necesse est, vt duplicem quoque calamum statuamus, legalem, seu Sanctuarij, qui palmos continet 144. & communem, qui 120. Hic porrò calamus, qui templum, & alia plurima metitur, qui sæpe nobis occurret in Ezechiele, legalis est, constánsque maioribus cubitis, qui sesquipedem habet, seu digitos 24. quod docet Ezechiel hoc cap.40.v.5. *In calamo,* inquit, *viri calamus mensuræ sex cubitorum, & palmo.* Heb. *Sex cubitorum in cubito, & palmo,* vt etiam vertunt L X X. id est, eorum cubitorum, qui ad communem cubitum palmum addunt, seu quatuor digitos. Ita explicat Robertus Senalis lib. de mensuris, & ponder. §. de cubito, & Ioannes Mariana suprà, & Maldonatus hîc, quod mihi valde placet. Quem verò hîc Ezechiel calamum appellat, Ioannes Apocal. c.21.v.15. arundinem vocat auream. Eandem propè mensuram habuere Romani, quæ tantum differt ab Hebræorum calamo, 22.

Calamus duplex.

Calamus sanctuarij continet sex cubitos & palmum.

B C D E

calamo, quòd hic nouem habet pedes; illa, vt nomen ipsum præ se fert, decem. Vocatur enim à Latinis decempeda, de qua sæpe in re agraria. Est itaque calamus mensura dimidio maior hominis statu, hic enim quadricubitalis est; ille sex cubitalis.

23. *Stabat in porta.*] Quia dimensurus erat vir ille splendidus, in cuius manu linum erat, & calamus, ædificium illud ciuitatis, seu templi (nam ea de re variè cogitant interpretes, ego templum puto) in porta stetit ædificij, vt inde progressus metiretur singula. Monuit autem vir ille cùm metaturus esset spatium, & descripturus templi fabricam, Prophetam vt oculos aduerteret, atque aures; obseruarétque diligenter omnia, quæ audiret, & cerneret, vt illa suo ordine exactè ad populum referret. Vt quorum ipse speciem aspexisset, illa deinde populus suo tempore reipsa compleret.

24. Vers. 5. *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus vndique.*] Qui in ædificio montem intelligunt, in quo ædificata fuit ciuitas; in muro etiam intelligant, necesse est, ciuitatis mœnia. Sed multa sunt, quæ hanc cogitationem conturbant: quare ad templum nos tam murum, quàm quæ deinde succedent, accommodabimus. Erat autem hic murus in circuitu templi, quasi illius munimentum, quod Septuaginta vocant *antemurale*, Græcè προτείχισμα, vel περίβολος, quod genus quoddam munimenti est, quod à lapsu cohibet, & communiter appellatur lorica. Προτείχισμα quidem, quia templo prætenditur; περίβολος autem, quia illud vndequaque circumdat. Habuisse autem templum aliud à Salomone cõstructum ambitum illum, & forinsecum murum, indicat non obscurè Ieremias Thren. cap. 2. v. 7. vbi de templo sermo est, vt apparet. *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ, tradidit in manus inimici muros turrium eius.*

Murus ante templum, qui & peribolus.

25. *Et mensus est latitudinem ædificij calamo vno; altitudinem quoque calamo vno.*] Ædificium nomen est commune omni fabricæ, quæcumque illa sit, sicut Heb. בנין *binian*; licèt nomen ædis, à quo deducitur, non ita latè pateat. Sic Gen. 2. Deus ædificasse dicitur costam, & in Scriptura sæpe audis, ædificare parietem, altaria, naues, excelsa, & signa; cùm tamen hæc longè absint ab his, quæ domus appellantur, aut ædes. Quod etiam profani sæpe faciunt, qui, quia verbum non habent proprium, quod ad illud fabricandi genus adhibeant, vsurpant commune. Sic Maro cùm non haberet, quo propriè equi constructionem exprimeret, verbum sumpsit ab ædibus lib. 2. Æneid.

Ædificij nomen latè patet.

Instar montis equum diuina Palladis arte
Ædificant.

Quare equus ille ligneus, aræ, naues, statuæ vocari possent ædificia. Sic ergo nunc ædificium, non est domus, aut templum; sed murus, seu peribolus, qui templo prætenditur. Hunc ergo metator ille vir ita dimensus est, vt vnum haberet calamum latitudinis; altitudinis alterum; fecit itaque muri latitudinem altitudini æqualem. Quanta verò fuerit muri, seu periboli longitudo, id est, quot habeat calamos in toto suo complexu, atque circuitu, dicemus postea cap. 42. v. 16. & deinde.

26. Hoc tamen loco aliquid difficultatis obiicit translatio L X X. quæ æquare videtur longitudinem cum altitudine, ac latitudine periboli, quod omnino repugnat & naturæ rerum, &

A Scripturæ sacræ, quæ longè maius definit spatium. Multi hîc multa dicunt; sed quæ nullo curiosis satisfaciunt ingeniis. Neque ego aliquid afferre me posse profiteor, in quo aut acquiescam ipse; aut putem aliis iri probatum. Satius ego putarem affirmare in L X X. codicibus aliquid esse corruptum, quod aliis etiam in locis dicendum necessariò, cùm solutiones alię omnino frigeant. Quod ideo puto, ac dico minùs timidè; quia in codicibus tam Græcis, quàm Latinis nunc à Sixto correctis partem illam video fuisse sublatam.

Vers. 6. *Et venit ad portam, quæ respiciebat viam orientalem.*] Steterat priùs Angelus in porta abs- 27.
B que dubio periboli, seu extrarij muri, quem vbi mensus est, processit ad orientalem partem, id est, per prolepsim, ad locum illum, vbi postea futura erat. Cùm autem plura essent atria, eaque portas haberent in quatuor ventos, seu mundi latera, fit vt plures etiam futuræ sint portæ Orientales, Aquilonares, &c. Ex porta ergo periboli progressus est Angelus ad portam aliam atrij prioris, quod dicitur Gentium, quæ spectabat ad Orientem, quæque directò ferebat ad partem illam templi sacratissimam, quæ dicitur Sancta Sanctorum. Pars etenim illa, vt diximus suprà cap. 8. Occidentalis erat; cui è regione pars alia ab Oriente respondet.

C *Et ascendit per gradus eius.*] Cùm templum esset sublimi in loco, in monte videlicet Moria, 28.
necessariò ad illud per gradus erat ascendendum, maximè si ab Orientali regione futurus esset ingressus, cùm Sancta Sanctorum in altissima esset illius regionis parte, quam templi sedes occupabat.

Et mensus est limen portæ calamo vno latitudinem.] 29.
Limen licèt plures habeat figuratas significationes; propriè tamen significat lignum, lapidémve transuersum, qui postes duos vtrinque coniungit; quod duplex est, alterum, quod calcatur pedibus, & Græcè dicitur ὑπόθυρον; alterum quod est supra caput, & ὑπερθύριον appellatur. Hoc ve-
D rò à Latinis superum dicitur, & infernum. Næuius, *Exime limen superum, quod mihi miserè sæpe confregit caput. Inferum quoque, vbi ego sæpe defregi digitos.* Plautus, *Limen superum, inferúmque salue, simul autem vale.* De his liminibus credo hîc agere Prophetam, quia latitudinem hoc loco metitur, non altitudinem; quæ limina in externa erant parte atrij, quæ primùm ingredientibus occurrebat. Modus autem dicendi obscurus est, quem puto sumendum esse cum distributione in hunc sensum: singula limina, nempe tam superum, quàm inferum calami vnius latitudinem habebant. Sed obstat, quia hæc non tam latitudo dici debet, quàm longitudo, quia limina illa secun-
E dùm muri longitudinem extenduntur. Quare vide, an hic sermo esse possit de postibus, qui vtrinque, ab vtroque latere attolluntur. Nam & hi etiam à Latinis, licèt minùs vsitatè, ac propriè limina vocantur, qui lati esse possunt vno calamo; vtpote ad ornamentum, munimentúmque speciosissimæ, atque nobilissimæ portæ.

Limen quid propriè.

30. Vers. 7. *Et thalamum vno calamo in longum, & vno calamo in latum.*] Thalamus propriè lectus non est, sed cubiculum, vbi lectus sternitur. Sic Lucianus in Dialogo, qui Herodotus inscribitur, non longè à principio, lectulum in thalamo constituit. Athenæus lib. 12. cap. 8. *Habebat,* inquit, *domus centum thalamos, in quibus singulis lectus erat.* In hanc sententiam explicat Seruius illud Maro

Thalamus propriè cubiculum vbi lectus est.

Maronis lib.2.Æneid.

Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum.

thalamos illos cameras nuptiales vocat. Est itaque hoc loco thalamus cubiculum. Thalamorum autem magnus erat numerus, vbi habitabant,qui aut custodiebant templum; aut qui variis ministeriis in templo vacabant.Habebat autem thalamus quoquò versùs tam in longitudinem,quàm in latitudinem calamum vnum; quare quadratam haberet formam,si de calamari altitudine constaret.

31. *Et inter thalamos quinque cubitos.*] Non erant vsque adeò coniuncti thalami, vt illos intergerinus paries è cratibus, aut assere discluderet: sed murus interiectus quinque cubitorum, ita vt vno minus cubito latus esset quàm thalamus, cùm hic sex haberet cubitos, quibus calamus constat; ille quinque.

32. Vers.8. *Et limen portæ iuxta vestibulum portæ intrinsecus calamo vno.*] Sicut exterior portæ facies limen habuit latum vno calamo; sic etiam interior, quam ornabat, adumbrabátque vestibulum, siue limen sit, quod supra portam porrigitur, quod vocamus superum, & quod ab ingredientibus calcatur, & appellatur inferum; siue postes,qui erecti sunt, & superliminaris pondus vtrinque sustentant. Vtrumque verò limen necesse est, sit æquale, atque ideo vtrumque vnus mensurat calamus.

33. Vers.9. *Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum.*] Vestibulum propriè dicitur id, quod portæ prætenditur, neque tam videtur pars, quàm appendix domus, quales etiam in basilicis,magnisque domibus sunt, qui porticus dicũtur. Sic sanè Aulus Gellius lib.16. c.5. ex Cæcilio Gallo in libro de significatione verborum. *Vestibulum*, ait, *esse non in ipsis ædibus, neque partem ædium, sed locum ante ianuam domus vacuum, per quem à via aditus, accessusque ad ædes est,cum dextra, sinistráque inter ianuam, tectaque quæ sunt viæ iuncta, spatium relinquitur.* Hæc porrò vestibula familiaria esse arbitror Hebræis,maximè cùm publicæ sunt portæ: nam cùm in portis iudicia exercerentur, & de communi re consultationes fierent, conuentúsque frequentes; necesse erat lata adiungi foribus vestibula, quæ magnam interdum multitudinem caperent. Idem etiam esse arbitror in portis præcipuis, quæ fuerunt in templo: nam ibi quoque consedisse homines, dum de re publica,ac sacra deliberarent,indicia habemus non obscura in sacris monumentis. Ierem. cap. 38. v.7. *Porrò Rex sedebat in porta Beniamin.* Quod autem porta illa esset in templo, suadet quod statim vers.14. *Et misit Rex Sedecias, & tulit ad se Ieremiam Prophetam ad ostium tertium, quod erat in domo Domini.* Vbi sine dubio locus etiam erat opportunus, & latus, vbi Rex sedebat. Et suprà cap.11.v.1. *Eleuauit me spiritus, & introduxit me ad portam domus Domini Orientalem, quæ respicit ad Solis ortum. Et ecce in introitu portæ viginti quinque viri, &c. dixitque ad me, Fili hominis, hi sunt viri,qui cogitant iniquitatem,& tractant consilia pessima.*

Vestibulum propriè quid.

34. Hoc vestibulum octo cubitorum esse dicitur à nostro interprete; fortasse nactus est codices Hebraicos,ab his diuersos, quos nunc habemus. Nam in textu Hebraico duæ ponuntur vestibuli mensuræ;altera vnius calami, id est, sex cubitorum, & palmi; altera octo cubitorum. Prior mensura à nostro interprete (si modò nullum est vitium in Hebraico textu) aut omissa est, aut certè ab his,qui transscripserunt, prætermis-

A sa. Quod fieri aliquando solitum, quando est in rebus aliqua similitudo, quæ scribentem non nimis attentum decipiat, diximus in nostris commentariis supra Ieremiam cap.1. n.13.& 14. Integrum autem testimonium est, si modò Hebraicum textum consulas. *Mensus est vestibulum portæ internum calamo vno; & mensus est vestibulum portæ octo cubitorum.* Vbi duo constituuntur vestibula, aut duæ certè partes vestibuli. Ego cum Maldonato duas partes accipio: altera est ipsa latitudo portæ,id est,spatium illud, quod porta reliquit in muro vacuum,& apertum; & hoc vt vidimus, æquale est vni calamo. Altera est quæ extra portam, murúmque proiicitur in atrium, B quámque appendicem portæ vocari posse diximus;& hæc paulo longior est, quæ, vt habes in Hebraico textu,& in translatione vulgata, octo constat cubitis. Ex quo constat quomodo ad consessum hominum, qui de re sacra, ac publica disceptant, satis esse potuerit spatij in porta, atque vestibulo;cùm ibi sedecim numerentur cubiti, vbi plusquam triginta commodè considere possunt. Hoc porrò vestibulum erat in interiori facie portæ; vt videtur posse colligi ex eo, quod statim sequitur, *Vestibulum autem portæ erat intrinsecus.*

REGVLA. Transcriptores sæpe vocum similitudine decepti.

Et frontem eius duobus cubitis.] Hîc variè coniectant interpretes:ego illorum conciliare, aut C commemorare sententias supersedeo, & breuiter dico frontes, iuxta naturam eius, vnde sumpta est translatio, esse id, quod in superiori parte vestibuli primùm obiicitur, quale est illud,quod ab Hispanis *friso*, seu,*cornisa*, à Latinis corona,seu coronamentum appellatur. Alij columnas putant, alij cochleam, alij nescio quas turres; omnes, credo,diuinant. Neque præterea Hebraicam vocem eodem omnes interpretantur modo: sed noster secutus Aquilam *frontem* reddidit; frons verò id sonat, quod in superiori parte est, & frontispicij interdum vocabulo explicari solet. Quod quia longius est duobus cubitis, cùm portæ latitudinem aut su- D peret, aut æquet; ideo putabam secundùm latitudinem, seu altitudinem duos habere cubitos. Sed multa, quæ postea de atriorum instructu, atque ornamento dicuntur, cogunt nos vt credamus frontes vocari columnas, seu postes, qui atriorum latera illustrant,& ornant. 35.

Frons in ædificiis quid.

Vers.10. *Porrò thalami portæ ad viam Orientalem tres hinc, & tres inde,mensura vna trium.*] Quid sit thalamus, explicuimus suprà;quod etiam alibi dicitur esse pastophorium,& de illorum mensura iam antè dictum. Nunc significat ex vtraque parte portæ ternos esse thalamos tam magnitudine, quàm ornamento, seu columnis vtrinque dispositis, seu coronamento similes. De E frontibus nihil dico amplius, quàm quod nuper de vestibuli fronte. 36.

Vers.11. *Et mensus est latitudinem liminis portæ decem cubitorum: & longitudinem portæ tredecim cubitorum.*] Hæc nullo modo conuenire possunt in illam, quæ propriè dicitur porta, id est, quæ murum laxat, & ad ingressum aperit: nam huius mensura longè diuersa est, cùm vno tantùm calamo vtrinque pateat. Agit ergo de vestibulo, cuius longè alia dimensio est: limen autem appello quidquid supernè, transuersim iniicitur, ex quacumque illud materia constet, quod vestibuli columnas, aut postes coniungit; & spatium quod huic ab inferiori parte respondet. Huius verò liminis longitudo, quæ 37.

quæ vestibuli latitudo est, decem habet cubitos; longitudo verò tredecim. Est autem hic longitudo idem quod altitudo; quantum verò à muro, seu porta extrinsecus promineat, paulo antè diximus vers. 9. Proiicitur autem extrinsecus à
38. muro cubitis octo.

Vers. 12. *Et marginem ante thalamũ cubiti vnius, & cubitus vnus finis vtrinque.*] Hic etiam auctores varij. *Margo, finis*, & *terminus* idem sunt; neque aliud esse reor, quàm singulis thalamis vtrinque, id est, ad vtrumque latus esse marginale, seu literale aliquod ornamentum vnius cubiti.

39. Vers. 13. *Et mensus est portã à tecto thalami, vsque ad tectum eius latitudinem viginti cubitorum, ostiũ contra ostium.*] Hic nobis diuinandum est, sicut & aliis omnibus, qui sic in deducendo hoc numero ex variis mensuris inter se variant, vt nemo ferme cum alio consentiat. Hic ego portã accipio cum suis ornamentis; & à tecto portæ, id est, à postibus, seu frontibus ad extremum vsque tectũ thalami vtriusque cubitos 12. numero, vnum à fronte, quam vno cubito latam fuisse diximus, quinque à muro, qui inter portam, & thalamum interiectus est; sex à latitudine thalami, quẽ vno calamo constare diximus. Quòd si ex altera parte totidem adiicias, efficies 24. cubitos. Vnus verò, qui videtur desiderari ad 25. ex aliquo ornatu thalamorum videtur posse conflari. Ostium autem ideo videtur esse contra ostium, quia thalamorum ostia æquali à porta proportione distabant. *Contrà* enim, sicut & *ἀντὶ* apud Græcos, æqualitatem significat, & proportionem, quomodo Rhetorice Logices dicitur *ἀντίστροφος*. Alij putant dici ostium cõtra ostium, quia ostium vnius atrij directò spectabat ostium alterius, ita vt per ostium vnius aspiceres id, quod spectare posses per ostium alterius, in atrio interiori. Quòd si thalami essent prope portam alterius atrij, quorum portæ mutuò se è regione conspicerent, res esset mihi non difficilis. Vtraque expositio mihi videtur probabilis, sed neutra certa.

40. Vers. 14. *Et fecit frontes per sexaginta cubitos.*] Frontes hic esse puto ornaméta, siue coronaméta portæ, & sex thalamorum, quibus si attribuas senos cubitos pro thalamorum, ac portæ latitudine, & binos pro marginali, aut laterali ornatu, cubitos efficies 56. cùm thalami sint sex, & atrij orientalis porta, quæ sex habet cubitos, sicut & thalami: quatuor verò cubiti, qui vt sexagesimũ impleant numerum, desiderantur, sumi posse videntur à vestibulo, quod aliquãto maius est porta. Fortasse in frõtibus altitudo significatur atrij, vt putat Villalpandus, tametsi durius culè in eũ vsum, ac significationẽ veniat *frontis* appellatio. Id tamen facit verisimile, quia illa templi moles non poterat iuxta datum edictum à Cyro vltra sexaginta cubitos ascendere, vt habes lib. 1. Esdræ 6. v. 3. *Cyrus Rex decreuit, vt domus Dei ædificaretur, quæ est in Ierusalem, in loco, vbi immolant hostias, & vt ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, & latitudinem cubitorum sexaginta.* Et mihi valde videtur probabile nõ sine diuino afflatu præfiniisse Cyrum domus altitudinem, quæ cum tradito ab Ezechiele exemplari consentiret. Hæc ego, vt dixi, sicut alia omnia, quæ sunt eiusmodi, magis coniecto, quàm affirmo.

41. *Et ad frontem atrium portæ vndique per circuitum.*] Hic nobis nodus occurrit explicatu difficilis. Sed non displicet explicatio, quam in sua trãslatione indicat Pagninus. *Et vnicuique posti atrij portæ per circuitum eadem erat mensura.* Mihi horum verborum sensus videtur accommodatus, si in toto atrio dicamus eandem esse dispositionem, & mensuram, quæ in orientali porta, & thalamis adiunctis descripta est. Quòd verò in illo atrio plures aliæ sint portæ, sicut etiam in aliis, de quibus postea, satis ex hoc ipso capite, & abunde constat. Literam verò nostræ translationis sic ordino. *Atrium vndique per circuitum erat ad frontem portæ*, id est, ad similitudinem frontis, quã ante portam orientalem suprà descripsimus.

Vers. 15. *Ante faciem portæ, quæ pertingebat ante faciem vestibuli portæ interioris quinquaginta cubitos.*] 42.
In porta duas ego partes considero, interiorem, seu intrinsecam; & exteriorem. Quælibet autẽ pars iuxta Latinorum vsum totius sibi nomen assumit; cum aliquo tamen modo, quomodo dicimus *baculus summus inflexus*, id est, summa pars baculi. *Mons summus apertus, medius syluestris, imus arabilis.* id est, summa, media, & ima pars. Sic etiam porta interior eadem est, atque pars interior portæ. Obseruandum item in eodem atrio, ac muro varias esse portas, de quibus sæpe Propheta loquitur, quæ ex variis regionibus variis etiam notantur nominibus. Sunt enim portæ quædam Orientales, quædam Aquilonares, &c. Ait ergo Propheta, à porta Orientali, quæ cum suo vestibulo suprà descripta est, ad aliam portam, quæ proxima est in eodem atrio, esse quinquaginta cubitos; quos ita, meo iudicio, bene colligit Maldonatus. Nam inter duas portas terni erant thalami senis cubitis lati, qui cubitos reddunt 18. inter singulos thalamos spatium intererat muri quinque latum cubitis: cùm verò quatuor essent spatia, viginti inde cubiti sumendi. His adde cubitos duodecim ex duarum portarum latitudine, quæ latæ erant singulis calamis, id est, senis cubitis; ex quibus omnibus quinquaginta cubitorum summa conflatur.

Vers. 16. *Et fenestras obliquas in thalamis, & in frontibus eorum, quæ erant intra portam vndique per circuitum.*] Pro *obliquis*, Heb. אטמות *atumoth*, quæ 43.
clausum aliquid sonat. Dicuntur autem, vt opinor, clausæ, comparatione illarum fenestrarum, quæ magis latæ sunt, & totæ patent; quia intrinsecus erant latæ, extrinsecus angustæ, seu, vt alij volunt, angustę intrinsecus, & extrinsecus magis explicatæ. Alij reticulatas putant esse fenestras decussatis lineis, quas nos *Gelosias* dicimus, quia istæ obductis cancellis quasi clausæ sunt. Id verò videtur suadere, quod capite 41. vers. 16. vbi vulgatus, *fenestras obliquas*, Septuaginta reddunt *θυρίδες δικτυωταί*. id est, reticulatæ, seu cancellatæ. Sicut etiam 3. Reg. cap. 6. vbi item fenestræ dicuntur obliquæ *θυρίδας διακεκυμμένας κρυπτάς*, id est, fenestras cancellatas occultas. Idem putat Hieronymus ad illa verba Ezechielis cap. 41. de quibus proximè. *Fenestræ*, inquit, *erant factæ in modum retis, instar cancellorum, vt non speculari lapide, vel vitro; seu lignis interrasilibus, & vermiculatis clauderentur.* Est ita fortasse, sed magis est accommodata loco, & ad vsum excipiendi luminis, fenestra in cuneum modum efformata, de quo priùs. Cuius rationem reddit Abulensis in cap. 6. lib. 3. Reg. Erant præterea fenestræ item obliquæ in portis, quæ erant per totum atrium in muro dispositæ. Nam cùm latum haberent, longúmque vestibulum, ibíque conuentus fierent hominum frequentes, vt diximus paulo antea, necessarium videbatur lumen, quod in loco magna ex parte clauso futurum

turum videbatur exiguum, nisi adderentur fenestræ illæ obliquæ, per quas ab admisso lumine locus illustraretur.

44. *Et in frontibus eorum.*] Si frontes essent, quas cochleas appellamus, quas verisimile est fuisse affixas portis, per quas ad superiora tabulata esset ascensus; facile intelligitur quomodo in postibus obliquæ sint fenestræ, & quem ad luminis vsum futuræ sint in illo loco necessariæ. Et ita fuisse credo: nam quomodo quis ad superiora ascendere potuerit his sublatis, non apparet; maximè cùm in templo Salomonis cochleæ fuisse dicantur in pariete, 3.Reg.cap.6.v.8. *Per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.* & idem infrà cap.41. v.7. Et interim dum alia non subit ratio cōmodior, hæc mihi placet.

45. *Ante frontes figura palmarum.*] Si frontes sint postes, seu columnæ, quæ in atrij circuitu certis interuallis disponuntur, quod nobis proximè placebat; facilè intelligitur quale fuerit atrij, & quàm varium, & multiplex ornamentum. Nam columnas speciosas fuisse oportet; figuræ verò palmarum, quæ intercolumnia cōplebant, & ipsæ fuerūt speciosæ, & regium aliquid, atque triumphale portendebant. Alij putant columnis ipsis insculptas fuisse palmas, & ita fortasse verū; sed locus qui inter columnas interiectus est, magis videtur palmis insculpendis idoneus, neque locus ille aliquo carere debuit ornamento; neque minus frontis nomen intercolumniis, quàm columnis accommodatum, & vtrumque ad illam atrij faciem spectant.

Palma ad atrij ornamentum.

46. Vers.17. *Et adduxit me ad atrium exterius.*] Exterius atrium putant aliqui esse quod patebat mulieribus intra secundum murum; quod exterius dicitur, si comparetur cum atrio virorum, quod magis erat intrinsecum, ita Pagninus, Isidorus, Vatablus, Maldonatus. Alij exteriùs putant atrium secundum, id est, atrium Israël, quod medium erat inter atrium Gentium, & atrium Sacerdotum: dicitur autem exterius comparatione atrij Sacerdotum, quod proximè Sancta Sanctorum attingebat. Inductus est autem in atriū illud Propheta egressus è portis, atque vestibulo; & ex thalamis reliquisque ornamentis atrij, de quibus hactenus; vt quæ erant in atrio, id est, in area porticibus conclusa singulatim describeret, & aliis notanda, atque considerāda proponeret.

47. *Et ecce gazophylacium.*] Quæ hactenus dicta sūt, in ea parte muri esse videntur, quæ obsepit illud atrium, quod exterius modò dicebamus, secundùm externam faciem, quam palmis illustrē esse diximus, & thalamis, & frontibus, seu columnis instructā. Hos verò thalamos in ipsa muri crassitie inclusos esse putabamus; atque ideo latos esse calamo vno, ad muri nempe latitudinem. Nunc credo sermonē esse de interiori facie atrij, eiúsque ornamentis, itémque de rebus ad ministerium templi necessariis. Erant, vt diximus, in ipsa murorum constructione thalami, quorum ostia ad externam muri faciem spectabant; in interna autem erant gazophylacia, non quidem in muri crassitie, sed adiuncta muro, in ipso exterioris atrij pauimento; triginta videlicet in ipso circuitu, ex quo meo iudicio constat, cum ipso muro fuisse coniuncta. Pro gazophylaciis Heb. est לשכה *lascah,* quam nonnunquā vulgatus trāsfert *exedram,* nonnunquam *cubiculum, gazophylaciū* aut *pastophorium.* Est autē gazophylacium, locus, aut capsella vbi cōduntur, aut conseruantur gazæ, siue magno illæ numero, ac pretio sint; siue exiguo, & leuiori, quamuis plerumque gaza magnum aliquē thesaurum importet. Quare locus, vbi templi diuitiæ, atque thesauri reconduntur, gazophylacium dicitur; & theca quæcūque, quæ collectas à populo eleemosynas excipit, seruátque, quam vulgus hominum cippum vocat, sic 4.Reg.12. v.9. *Tulit Ioiada Pontifex gazophylacium vnum, aperuítque foramen desuper, & posuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebántque in eo Sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.* De aliis gazophylaciis pro seruandis thesauris, sacráque templi supellectili, 1.Paral. c.28. v.11. sub nomine exhedræ; sic enim ibi conuertitur לשכה. *Nec non & omnium, quæ cogitauerat, atriorum, & exhedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros sanctorum, diuisionúmque Sacerdotalium, & Leuitarum, &c.*

Gazophylacium quid.

Hæc autem gazophylacia, seu exhedras alios 48.
præterea vsus habuisse constat ex Ieremiæ c. 35. v.1. vbi multi videntur ad gazophylacium conuenisse, vbi propositum Rechabitarum exēplum, & cap.36.v.10. *Legítque Baruch ex volumine sermones Ieremiæ in domo Domini in gazophylacio Gamariæ.* & statim vers.12. *Descendit in domum Regis ad gazophylacium scribæ, & ecce ibi omnes principes sedebant.* Ex his intelligitur Ioannis illud cap. 8. *Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo.* Et ideo quæ ex priori vsu vocata sunt gazophylacia, eadem ex posteriori exhedræ dicuntur; quia ibi hominum conuentus fieri soliti, vt apparet non infrequenter. Neque mihi dubium est ex loco, quem proximè ex Ieremia produximus, in gazophylaciis, seu exhedris esse sedes, vbi fiant illi siue publici, siue priuati consessus. Quemadmodum in alio genere non admodum dissimili dixit Vitruuius lib.5. cap. 11. *Constituuntur,* inquit, *in tribus porticibus exhedræ spatiosæ, habentes sedes, in quibus Philosophi, Rhetores, reliquíque qui studiis delectantur, sedentes disputare possunt.*

Exhedra quid.

Vers.18. *Et pauimentum in fronte portarum, secundùm longitudinem portarum erat inferius.*] Quia 49.
id, quod propriè dicitur templum, aut domus Domini, seu Sancta Sanctorum, erat in loco maximè sublimi; necesse erat, vt ad illud per gradus ascēderetur. Quare sæpe in hoc capite audiuimus à pauimento ad portas per septem, aut octo gradus ascensum expediri. Optimè ergo dicitur pauimentum esse fronte muri, & portis, nempe tam muri, quàm thalamorum inferius; idque secundùm longitudinē, quia nulla pars erat muri, quæ modò frontē haberet aliquo illustrē, & speciosā argumēto, quæ nō esset pauimēto superior.

Vers.19. *Et mensus est longitudinem à facie portæ* 50.
inferioris vsque ad frontem atrij interioris extrinsecus centum cubitos ad Orientem & ad Aquilonem.] Quia ad atrium interius, seu sacerdotale, ex pauimento, quod necessariò æquale erit inferiori portæ, per gradus septem erat ascendendum, vt liquet ex vers.22. fit necessariò, vt porta exterioris atrij sit etiam inferior. Dum autem spatium constituitur inter vtramque portam, ostenditur quanta sit latitudo pauimenti, vel areæ, quæ porticibus clauditur. Patebat ergo atrium illud quoquo versùs centū cubitis, siue ab Orientali, siue ab Aquilonari porta numeres; cùm enim atrium illud sit perfectè quadratū, tantum erit spatij ab Orientali ad portā interioris atrij, id est, occidētem versùs, quantū ab Aquilonari ad Meridianā.

Vers.20. *Portam quoque, quæ respiciebat viam* 51.
Aquilonis atrij exterioris.] Idem omnino dicendum

dum siue quoad ornatum, siue quoad mensuram spectat de Aquilonari porta, quod hactenus dictum de Orientali; neque quicquam hic addendum cùm communia sint omnia.

52. Vers. 24. *Et deduxit me ad viam Australem.*] De via Australi idem quod de Orientali, seu Aquilonari dicendum, tam secundùm mensurã, quàm secundùm frontium vestibuli, thalamorúmque ornamentum, & ordinem. De porta Occidentali ideo non agit, cùm tamen Occidentalis porta sit, quia illa communis est vtrique atrio tam interiori, quàm exteriori, quia per illam rectà ad domum Domini, & atrium sacerdotale patet ingressus; & ideo de illa tunc sermo fit, quando ad atrium sacerdotale ventum est, vbi, vt constat ex vers. 32. & vers. 44. Orientalis dicitur; quia illa eadem quæ comparatione atrij interioris Orientalis est: si referas ad atrium exterius, erit Occidentalis. Scio esse qui putet in eo latere Occidentali portam esse nullam, & ita putat Iosephus lib. 6. de bello, cap. 6. *Occidua*, inquit, *pars nullam portam habebat, sed perpetuus ibi murus erat extructus.* Sed fortasse alia erat forma templi, quod vidit Iosephus, quia suo tempore magna fuerat accessio facta; & in multis mutata ædificij forma, sed locus Ezechielis vers. 32. & v. 44. cogit me aliter existimare.

53. Vers. 28. *Et introduxit me in atrium interius ad portam Australem.*] Agit de interiori, seu sacerdotali atrio, quod parum est ab exteriori diuersum in mensura, instructa siue portarum, atque vestibulorum; siue thalamorum, exhedrarúmque: quare de his ad versum vsque 38. nihil dicendum est, quia nihil est, quod magni referat superioribus adiungere. Tantùm obseruo ex atrio Gentilium ad atrium exterius, seu Israël per septenos gradus; ab atrio autem exteriori, ad atrium sacerdotale per octonos ascendi.

54. Vers. 38. *Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum.*] Sicut in atrio exteriori thalami erant, qui extrorsum, & gazophylacia, quæ introrsum aspicerent; sic etiam in atrio interiori, in quo nunc describendo Propheta versatur. Quia verò hoc atrium sacerdotum est, in quo ministerium omne sacerdotale peragitur; aliqua sunt in hoc atrio, quæ non reperiuntur in externo; primum est quod hîc de ostio dicitur, quod quale, aut vbi sit, mihi incertum est, neque video certum aliquid ab aliis definiri. Et primùm in his gazophylaciis, vbi holocausta lauantur, aliquid dicitur esse peculiare, quod in aliis gazophylaciis non inuenitur. Quare ostium, de quo hîc, aliud est ab eo, quod gazophylaciis aliis cõmune est. Ego domunculam esse puto adiunctam gazophylaciis, & in ipsã illorum constructione; quæ tamen proprium habet ostium, & est gazophylacij quasi quædã appendix, ibi erant luteres, siue conchæ, vbi lauarentur holocausta, quia non bene luteres, & victimæ cum his, quæ in gazophylaciis seruabantur, cõiungi poterant.

Neque, vt ego arbitror, gazophylacia omnia ostium habuere, aut iuxta illa vbique ad abluendas victimas dispositi luteres; ideo enim dicitur *in frontibus portarum.* Hæ verò portæ sunt, non gazophylacij, sed atrij: gazophylaciis autem, quæ adiuncta fuerunt atrij portis, attexebantur appendices illæ, aut spacia extraria abluendis victimis destinata. Erant autem portæ non omnes, sed tantùm quæ ad dexteram, atque sinistram erant altaris. Sic enim indicat illud lib. 3. Reg. c. 7. v. 39. *Et constituit decem bases, quinque ad*

A *dexteram partem templi, & quinque ad sinistram.* Et 2. Paralip. c. 4. v. 6. *Fecit quoque conchas decem, & posuit quinque à dexteris, & quinque à sinistris, vt lauarent*, &c. Hæc mihi cogitatio minus videtur impedita, quàm aliæ, vt tamen ingenuè fatear, non omnino soluta.

Vers. 39. *Et in vestibulo portæ duæ mensæ hinc, atque duæ mensæ inde.*] Agit de porta Aquilonari, & dicit quid illi inter alias peculiare fuerit. Auctores plerique putant octo mensas ita in Aquilonari porta fuisse dispositas; vt quatuor essent in exteriori parte vestibuli, id est, in atrio Israël, duę ad dextram illius partem; totidem ad sinistram, & eodem ordine, ac modo quatuor aliæ in parte 55.
B interiori, quæ ad atriũ pertinet sacerdotale. Ego potiùs crederem ad profanum atrium pertinere, quod satis indicat textus ipse, qui in exteriori parte, de qua dubitari magis poterat, quatuor mensas locat. *Ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ, quæ pergit ad Aquilonem duæ mensæ.*

Mensa nõ solùm est, in qua aliquid reponitur, v. g. libri, vasa, abaci, & similia; aut quæ accùbentes excipit, illisque appositos ostẽtat, & porrigit cibos, sed etiam altare, vbi cæduntur, & immolantur victimæ. Sanè Malachias cap. 1. *Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te?* statim verò subiicit, *In eo quod dicitis, mẽsa Domini despecta est*, vbi quod priùs *altare*, mox 56.

Mensa idem quod altare.

C *mensa* nominatur. Et clariùs aliquanto pòst, vbi de altari, vbi holocaustum immolatur, sermo est, id est, aut de his mensis, aut de eo altari, cuius loco hæ mensæ videntur suffectæ. *Et vos polluistis illud, in eo quod dicitis, mensa Domini contaminata est: & quod superponitur contemptibile est, cum igne, qui illud deuorat.* Neque alio sensu dixit Paulus 1. Cor. 10. *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ demoniorum.* & Isai. cap. 65. *Qui ponitis fortunæ mensam.* Quare ex his octo mensis aliquæ vsum, & ministerium subeunt altaris.

Vt immolaretur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto.] En quẽ vsum habeant excitatæ mensæ, vt immolentur sacrificia varia tam holo- 57.
D causta, quàm aliæ victimæ siue ad placandum Deum pro peccato, & delicto, seu ignorãtia; siue ad reuerentiã maiestatis ipsius, & amorem bonitatis, quod efficiebat holocaustum, vt putat S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 3. ad 8. Quid sit sacrificiũ pro peccato, disce ex Leuit. cap. 4. Immolari hoc loco, non tam, credo, offerri est, aut litari, quàm iugulari; tum quia hoc opus Leuitarum erat, vt habes infrà cap. 44. v. 11. tum quia mensæ istæ, vt nuper vidimus, extra sacerdotale atrium erant. Vide quæ diximus infrà cap. 44. ad vers. 14.

Vers. 42. *Quatuor autem mensæ ad holocaustum de lapidibus quadris extructæ longitudine cubiti vnius, & dimidij.*] De iisdem mensis hîc sermo est; licèt ex 58.
E translatione LXX. diuersæ futuræ videantur. In iis verò quatuor, vt putat Maldonatus, octo intelliguntur; quia cùm omnes eiusdẽ sint mensuræ, & ad eundem vsum destinentur, satis fuit quatuor, immò & vnius meminisse, quia ex illis ad reliquas satis exprimi potuit exemplar, & forma. Patebant autem tam in longitudinem, quàm in latitudinem sesqui cubito; altitudo erat dimidio cubito minor: & vt mensæ in quadratam formam extruebantur, sic etiam lapides secti erant, atque politi in quadrum.

Super quas ponent vasa, in quibus immolatur holocaustum, & victima.] Vas ex Hebræorum idiomate multa significat; & in summa instrumentum omne, cuiuscunque sit generis. Quomodo dici- 59.

Vasis significatio latè patet. mus *vasa mortis*, & *vasa cantici*, &c. Hoc loco vasa instrumenta sunt, quibus ad victimas siue occidendas, siue cremandas, siue ad quodcumque aliud sacrificale ministeriū necessaria sunt. Qualia sunt gladius, & phialæ ad excipiendum sanguinem; quæ omnia exprompta esse, atque expedita debent, ne qua mora sacrum illud ministerium retardaret.

60. Vers.43. *Et labia earum palmi vnius reflexa intrinsecus per circuitum.*] Nihil hîc moror quid Hebræi dicant, & qua de causa *vncinos* interpretentur, aut tripodes; quia hîc vnam tantùm vulgatam translationem intueor. Labia id significant, quod in re qualibet, quæ modò aliquid latitudinis habeat, extremum est; qualia sunt hæc altaria, seu mensæ, quæ labia habent ad palmæ magnitudinem lata, & introrsus inflexa, ne labatur extrà, quod in mensam iactari, aut in illa locari cōtigerit, quæ id in altari præstāt, quod in muro, aut in pōte ea, quæ lorica, seu peribolus vocatur.

61. *Super mensas autem carnes oblationum.*] An in quatuor mensis vasa fuerint ad sacrificandi ministerium idonea, & in quatuor aliis victimarum carnes, dubium mihi est: & hoc planè indicat genus ipsum orationis. Et videtur suaderi posse, quia si aliæ mensæ, vbi erant instrumenta, ad victimarum cædem essent ad extremum instructæ peribolis, non facile in illis cædi possent victimæ, quia labium illud eminens ministris esset impedimento, & minùs à sanguine purgari posset mensa. Nihil hîc video ab aliis definiri: & hæc posterior explicatio mihi nō improbatur.

62. Vers.44. *Extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem.*] Ab vno latere portæ Orientalis erat Aquilonaris porta; ex altero Australis: in vtroque latere erant gazophylacia ad vsum, & habitationē sacerdotum; quia interius illud atrium illorum vsui destinatum erat. *Gazophylacia à quibus habitata.* Gazophylacia igitur, quæ ab Orientali vestibulo ad Aquilonarem portam disponebantur, cantores habitabant: quæ verò ad Australem portam spectabant illi, qui statas in tēplo excubias agebant. At verò illa, quæ media erant inter Aquilonarem portam & Occidentalem; seu potiùs inter Aquilonarem, & templum, quæ magis interna, & ideo magis sacrata, quia propiora templo, illorum sacerdotum habitationi designabantur, qui altari seruiūt, & ad eius ministeriū inuigilāt.

63. Vers.46. *Isti sunt filij Sadoc, qui accedunt de filiis Leui.*] *Sacerdotes maximi ex genere Sadoc.* Ex genere Sadoc, qui summus sacerdos fuit, & primus postquam extructum est à Salomone templum, orti sunt illi, qui ad hoc vsque tempus functi sunt sacerdotio primo, & eorum plurimi, qui minores cùm essent, sacrificali tamē ministerio vacabant. Omnes de filiis Leui, quia genus illud Deus è multis elegerat, quod sibi in templo in sacro, atque legitimo cultu inseruiret. Porrò *accedo* in aliis aliquid etiam significat sacerdotale, ac sacrum; & de Sacerdotibus plerumque dicitur Leuit. cap.21. v.23. *Non accedet ad altare, qui maculam habet.* Et ad Hebræos cap.7. v.25. de Christo sacerdote dicit, *Sempiternum habet sacerdotium, vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum*, &c.

Vers.47. *Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum.*] Quadratum erat atrium patens quoquo versùs centum cubitis.

64. Vers.48. *Altare ante faciē templi.*] In atrio sacerdotum ante faciē templi erat altare holocausti; de quo nos plura c.43. v. 16. vbi vocatur Ariel, A inde pete, quod hic à nobis cōsultò relinquitur.

Et introduxit me in vestibulum templi.] Hîc etiam 65. *templum* oraculum est, seu Sancta Sanctorum, & quæ proxima sunt & dicuntur Sancta. Ante cuius portam, sicut ante alias, de quibus priùs cùm sermo esset de atriis, vestibulum erat aliquanto latius, cuius porta vtrinque tam secundùm internam, quàm externam faciem; seu certè, quod mihi minus videtur difficile, tam secundùm longitudinem, quàm latitudinem ternis patebat cubitis, quinque verò hinc atque inde vestibulum duplo penè magis. In vestibulo autem duo cōsidero, id nempe quod inter postes, siue frontes vestibuli vacuum est, & ingredientibus, seu ambulantibus patet, & illud etiam spatium vacuum B simul cum frontium, seu postium latitudine. Si posteriori hoc modo consideres, ab vtraque parte ostij sacrarij habebat in latitudine vestibulū quinque cubitos: si verò spatium illud vacuum accipias, detrahásque postium latitudinem, qui singulos cubitos videntur habuisse, habebit vtrinque vestibulum quaternos cubitos, qui octo efficiunt; quibus si addas tres alios à portæ vestibuli latitudine, numerabis vndecim, quot secundùm latitudinem statim dicitur habere vestibulum. Hæc porrò latitudo est, quæ ab ostio templi ad atrium sacerdotale procurrit; vt ex lib.3. Reg. c.6. v.3. vbi ante faciem templi portiC cus, qui idem est atque vestibulum, decem cubitos habuisse dicitur latitudinis. Quomodo verò in hoc Ezechielis templo decem cubiti sint, pro variis dimensionibus nuper diximus. Neque mirum est si vno differat cubito Salomonis vestibulum, cùm in dimensionibus hoc templum ab illo quàm sæpissimè differat. Porrò hæc porta, quæ tres habebat in latitudine cubitos, vestibuli est, non sanctuarij, huius enim porta decem habet latitudinis cubitos, vt ex cap.41. v.2. manifestè liquet.

Vers.49. *Longitudinem autem vestibuli 20. cubitorum.*] De latitudine vestibuli, quomodo cōstare 66. potuerit vndecim cubitis, explicuimus modò: D longitudo hic viginti cubitorum fuisse traditur, quæ ab angulo extremo ad extremum vsque angulum templi protenditur. Esse autem templi spatium interius viginti latum cubitis, cap. sequenti dicemus: longitudo verò illa, viginti numerat cubitos, & templi latitudinem æquat, quod colligo ex lib.3. Reg. c. 6. v. 3. *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi; & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.*

Et octo gradibus ascendebatur ad eam.] Sicut ex 67. vno atrio in aliud ad Orietales portas per septenos, aut octonos gradus erat ascensus, quia pars Occidentalis templi sublimior erat reliquis; sic E etiam per gradus ex atrio Sacerdotum ad portā, vestibulúmque sacrarij erat ascendendum. Quot verò sint illi gradus, ex textu Hebraico non habemus: quare qui illi siue constanter, siue pertinaciter adhærent, variè de numero coniectant. Rab. Salomon, & Rab. Dauid gradus putant fuisse duodecim; quibus accedit Iosephus lib. 6. de bel. cap. 6. Lyra octo gradus non admittit, & probabilius putat fuisse quindecim. Quod alij antiquissimi censuerunt, docet hîc Hieronymus, cuius præstat hîc audire verba. *Symmachus, quem in hoc loco secuti sumus, octo gradus posuit; Septuaginta decem: Theodotio, & Aquila secunda editio, vndecim: prima autem nullum numerum posuit, sed absolutè ait: Et gradibus quibus ascendebatur ad eam: vt vel iuxta*

consuetu

cõsuetudinẽ priorum portarum octo intelligamus gradus, sicut intellexit & Symmachus; vel certè quos habebat porta inferior, quorum numerum Scriptura non dixit. Hæc Hieronymus, cuius nos sententiæ hærcamus necesse est. Et coniectura de aliarum portarum ascensu non infirma.

68. *Et columnæ erant in frontibus vna hinc, & altera inde.*] Duas columnas fecerat Salomon ad ornamentum firmitatémque vestibuli, in illius fronte, 3. Reg. c.7.v.21. *Et statuit duas columnas in porticu templi; cúmque statuisset columnam dextram, vocauit eam nomine Ioachin: similiter erexit columnam secundam, & vocauit nomen eius Booz.* & 2. Paralip. c.3. *Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, vnam à dextris, & alteram à sinistris.* Quæ porrò fuerit harum columnarum mensura, habes 3. Reg.c.7.v.15. *Et finxit duas columnas æreas decem, & octo cubitorum altitudinis columnam vnam, & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque.* De his item Ieremias cap.52. *Decem & octo cubiti altitudinis erant in columna vna, & funiculus duodecim*

A *cubitorum circuibat eam. Porrò grossitudo eius quatuor digitorum, & intrinsecus caua erat.* Paralip.lib.2.cap.3. v.15. ostẽditur duas illas columnas habuisse cubitos 35. ex quo constat singulas habuisse septemdecim cubitos, & dimidium; neque id ex vsu Scripturæ pugnat cum superiori mensura, quæ singulis octodecim cubitos attribuit: nam interdum numerus qui paululum à perfecto deficit, vel paululum supra perfectum excrescit, aut omitti solet, aut pro perfecto censeri: sic etiam hîc dimidius cubitus pro integro numeratur; & columna reuera septemdecim, atque dimidio cubito constabat; octodecim habuisse traditur. Ex hac duarum columnarum magnitudine nihil licet coniectare de duabus columnis, quas hoc loco Ezechieli Angelus ostendit; quia vt templum à Salomone constructum, multo fuit illo, quod nunc describitur ab Angelo, sublimius; sic etiam columnarum magnitudo, quæ tunc à Salomone excitatæ fuerunt, multo fuit ab hac columnarum quantitate diuersa.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMPRIMVM.

ARGVMENTVM.

DESCRIBITVR Sacrarij spatium, & instructus illius, qui sanè varius est, & illustris: & insuper altare thymiamatis, quod è regione statuebatur vestibuli, in priori tabernaculi parte: cætera ex commentariis cognoscentur potius, quàm ex hac perioche, quæ summam potius contrahit, quàm minuta persequitur.

CAPVT XLI.

1. *ET introduxit me in templum, & mensus est frontes, sex cubitos latitudinis hinc, & sex cubitos inde, latitudinem tabernaculi.*

2. *Et latitudo portæ, decem cubitorum erat: & latera portæ, quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum.*

3. *Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portæ duos cubitos: & portam, sex cubitorum: & latitudinem portæ, septem cubitorum.*

PARAPHRASIS.

B 1. POstquam lustraui, & contemplatus sum illa, quæ non tam templum sunt, quàm templi quædam antipagmenta, seu præambula: introductus sum ab architecto Angelo in illud, quod propriè templum appellatur. Tum verò Angelus mensus est templi frontes, quæ tantæ erant, quanta totius templi latitudo, & ex vtroque portæ latere senos inuenit cubitos.

2. Portæ verò latitudo, seu cauitas decem patebat cubitis: latera verò portæ secundùm interiorẽ faciem, & ad interiores angulos quinis hinc inde producebantur cubitis. Quibus si addas totidem cubitos

C ex portæ cauitate viginti deprehẽdes, quãta est totius templi, seu tabernaculi latitudo, tantam enim metator Angelus inuenit. Qui deinde mensus priorem tabernaculi partem, in qua cubitos numerauit quadraginta.

3. Progressus inde metator Angelus ad Oraculi portam deduxit me, in cuius frontibus, quibus porta ipsa efficiebatur illustrior, binos vtrinque cubitos inuenit. Patebat autem portæ laxitas septem cubitis; latera vno minùs erant extenta; quanta nimirum erat latitudo muri, qui sex cubitis erat crassus.

4. Et mensus est longitudinem eius viginti cubitorum, & latitudinem eius viginti cubitorum, ante faciem templi: & dixit ad me: Hoc est sanctum sanctorum.

5. Et mensus est parietem domus sex cubitorum: & latitudinem lateris quatuor cubitorum vndique per circuitum domus.

6. Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria: & erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum, vt continerent, & non attingerent parietem tẽpli.

7. Et platea erat in rotundum, ascendens sursum per cochleam, & in cœnaculum templi deferebat per gyrum: idcirco latius erat templum in superioribus: & sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium.

8. Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio:

9. Et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum: & erat interior domus in lateribus domus.

10. Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus vndique.

11. Et ostium lateris ad orationem: ostium vnum ad viam Aquilonis, & ostium vnum ad viam

A 4. Et mensus est oraculi longitudinem, quæ tanta erat, quanta latitudo; hæc verò spectabatur à facie templi, id est, à porta, & muro quibus Sancta sanctorum secernebatur à sanctis. Hæc verò longitudo viginti cubitorum fuit, quot habuit eius latitudo; erat enim pars illa penitissima perfectè quadrata.

5. Aggressus est deinde explorare parietis crassitudinem, qui tam erat latus, quàm muri alij siue atriorum, siue templi; omnes enim senis erant cubitis crassi.
B Deinde egressus est, vt latera, seu costas, quæ templum per circuitum ambiunt, metiretur, & quaternos in quolibet cubitos deprehendit.

6. Porrò latera, siue pilæ, quæ templi muris erant affixa, si illa quæ ad Australem plagam sunt, cum illis annumeres, quæ murum ab Aquilone instruunt, sexaginta sex sunt. Ex lateribus verò, quæ exiguo spatio distabant à muro, prominebant trabes, quæ insertæ, atque instructæ templi muro, efficiebant ne latera contingerent parietem ipsum; illam tamen continerent, atque firmarent.
C

7. Super prominentes trabes, quæ cum muro laterales pilas coniungebant, erat platea, siue pauimentum eorum cubiculorum, ad quæ per interiora quædam cochlidia ascendebatur, in toto templi circuitu; quæ ad ipsum templi cœnaculum, id est, suprema tabernaculi domata ferebant. Hinc porrò fiebat, vt latior videretur pars templi superior; cùm à superiori
D parte laterales pilæ essent coniunctæ templo, ab inferiori verò separatæ. Ascendebatur porrò ab inferioribus cubiculis ad superiora per alia inter media, per quæ cochlidia ad superiorem vsque partem assurgebant.

8. Et vidi in domo per circuitum partem laterum summam, thalamos nimirum, qui in summa pilarum parte constructi erant, quorum singuli, singulis calamis, seu, quod idem est, senis constabant cubitis.

E 9. Additus prætерea fuit paries separatus quinque cubitis crassus, qui templi latera, seu pilas ambiret; intra quem domus continebatur interior in ipsis templi lateribus extructa; in quibus thalamos esse constabat.

10. In circuitu porrò domus Dei à gazophylaciis, quæ adiuncta erant muro interioris atrij, ad parietem, qui laterales pilas ambiebat, spatium quoddam intercedebat vacuum viginti cubitis latum.

11. Gazophylacia, seu thalami, quos in laterum, seu pilarum complexu fuisse diximus,

viam Australem:& latitudinem loci ad orationem, quinque cubitorum in circuitu.

A diximus, ostium habebât, quod spectabat introrsus orationem, seu orationi destinatum locum. Erat autem singulis ostium tũ ad Aquilonarem, tum etiam ad Australem plagam. Porrò locus ille, qui ad orationem spectabat, in circuitu domus, quinque erat cubitis latus; erant enim latera crassa magis, quo magis in altitudinem sublata.

12. *Et ædificium, quod erat separatum, versúmque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum. paries autem ædificij, quinque cubitorum latitudinis per circuitum:& longitudo eius nonaginta cubitorum.*

12. Ædificium separatum quod lateribus, seu pilis constabat, quas paries amplectebatur, quinque cubitis latus; spectabátque (vtpote complexum templi latera) Aquilonem, & mare, septuaginta patebat cubitis in latitudinem, ab orientali nempe ad occidentalem plagam. Paries verò, qui quinque cubitis erat crassus, septuaginta in longitudinem cubitis producebatur.

13. *Et mensus est domus longitudinem, centum cubitorum:& quod separatum erat ædificium & parietes eius, longitudinis centum cubitorum.*

13. Et mensus est domum, quæ cum suis ædificiis à porticu, muróque separatis, & cum iis, quæ ad eius amplitudinem pertinent, centum in longitudinem cubitis extenditur: tantum enim patet interius

C illud atrium, quod domus Dei meritò vocari potest, quia totum proximè Dei domum illustrat, & complet.

14. *Latitudo autem ante faciem domus, & eius, quod erat separatum contra Orientem, centum cubitorum.*

14. Vt autem longitudo centum patebat cubitis; sic etiam in totidem explicabatur eius latitudo. Latitudinem autem voco id quod à templi vestibulo ad orientalem plagam extenditur tam in templo, quàm in ædificio separato.

15. *Et mensus est longitudinem ædificij contra faciem eius, quod erat separatum ad dorsum: ethecas ex vtraque parte centum cubitorum:& templum interius, & vestibula atrij.*

15. Deinde mensus est ædificium separatum à facie ad dorsum, id est, ab ingressu ad partem illius maximè remotam, & templum interius, & atrij vestibula; tum

D etiam gazophylacia, & ethecas, quæ omnia erant centumcubitali spatio definita.

16. *Limina, & fenestras obliquas, & ethecas in circuitu per tres partes, contra vniuscuiusque limen, stratúmque ligno per gyrum in circuitu: terra autem vsque ad fenestras, & fenestræ clausæ super ostia.*

16. Erant autem ibi limina, & obliquæ fenestræ in ethecis, & ornamentis per circuitum ad tria latera, Australe videlicet, Aquilonare, & Occidentale: nam Orientale satis erat instructum à vestibulo; limina verò sibi vicissim in specie, atque ordine respondebant. Erat autem porticus in circuitu ligno constrata nobili, in quo insculpta erant præclara symbola, & arcanæ significationis argumenta.

E Quicquid autem erat à pauimento ad fenestras vsque è terrea materia excitabatur, è saxo videlicet. Erant autem fenestræ clausæ; quia in retis modum erant fabricatæ cancellato ordine; aut in pertuso ligno frequentibus perfossæ foraminibus.

17. *Et vsque ad domum interiorem, & forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus, & forinsecus, ad mensuram.*

17. Hæc, inquam, ornamenta erant super ostia, super illud nempe, per quod aditus patebat in Sancta; & illud quod stabat è regione in eo muro, qui Sancta sanctorum à sanctis diuidebat, vsque ad

18. Et ipsum

A ipsum oraculum in circuitu tam in externa, quàm in interna facie; neque temerè, atque confusè disposita, sed cum mensura, atque ordine.

18. Et fabrefacta cherubim & palmæ: & palma inter cherub & cherub, duásque facies habebat cherub.

18. Cælabatur autem illius religiosissimi claustri paries ab vtraque facie alternis cherubinis, ac palmis, ita vt cherubini palmas, & palmæ vicissim cherubinos discluderent. Erant autem duæ cherubinorum, ac diuersæ formæ.

19. Faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte, expressam per omnem domum in circuitu.

19. Altera cherubini facies erat hominis, leonis altera, quas media per totum B circuitum palma separabat.

20. De terra vsque ad superiora portæ, cherubim, & palmæ cælatæ erant in pariete templi.

20. In toto templi muro nihil erat, quod non esset cherubinorum, atque palmarum formis illustre, à pauimento ipso ad illam vsque partem, quæ supra vtramque templi portam visebatur.

21. Limen quadrangulum, & facies sanctuarij, aspectus contra aspectum.

21. Duæ verò portæ valde inter se similes, se è regione aduersis frontibus respiciebant; altera, quæ in Sancta sacerdotes; altera, quæ in Sancta sanctorum sacerdotem summum admittebat.

22. Altaris lignei trium cubitorum altitudo: & longitudo eius duorum cubitorum: & anguli eius, & longitudo eius, & parietes eius lignei. Et locutus est ad me: Hæc est mensa coram Domino.

C 22. In medio basilicæ, id est, in priori parte tabernaculi, quæ dicitur *Sancta*, altare statuebatur ligneum tribus cubitis altum, & duobus longum. Eius verò anguli, & tota longitudo, atque parietes compacta erant è lignea materia. Dixit autem mihi Dux, & magister meus illam esse mensam in Domini conspectu.

23. Et duo ostia erant in templo, & in sanctuario.

23. Bifores erant portæ tam quæ in priori, quàm quæ sacratiori tabernaculi parte spectabantur.

24. Et in duobus ostiis ex vtraque, parte bina erant ostiola, quæ in se inuicem plicabantur: bina enim ostia erant ex vtraque parte ostiorum.

D 24. In singulis autem portis bina erant constructa, atque conserta ostiola, quæ non aliter conuertebantur in magnorum ostiorum sinu, quàm alia maiora; erant enim insertæ vertebris, faciléque plicatilia.

25. Et cælata erant in ipsis ostiis templi cherubim, & sculpturæ palmarum, sicut in parietibus quoque expressæ erant: quam ob rem & grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus.

25. Sicut templi parietes cherubinis, & palmis alternis ornabantur; sic etiam ipsius valuæ, in quibus cherubini, & palmæ insculpti spectabantur alterni. Quia verò signa illa extare debuerunt è tabuli, E necessarium fuit, vt crassiora secundùm externam faciem essent ligna, ex quibus illæ rerum imagines essent expressæ.

26. Super quæ fenestræ obliquæ, & similitudo palmarum hinc atque inde in humerulis vestibuli, secundùm latera domus, latitudinémque parietum.

26. Sicut in latere, atque pariete domus fenestræ visebantur, & palmæ; sic etiam in vtrisque vestibuli humerulis, id est, lateribus fenestræ statuebantur, & palmæ.

Vers.1

Vers.1. *Et introduxit me in templum.*]

1. HACTENVS versati sumus in atriis, atque porticibus, quæ quidem templum non sunt, si rem seuerè, atque accuratè consideres. sed templi quædam quasi antipagmenta, siue præambula, quæ adiri partim à promiscua, partim à sacerdotali turba poterunt. Nunc aliquid tentamus maius occultum, & arcanum; quod quia vni tantùm summo sacerdoti peruium, idque semel in anno, Adytum vocatur, id est, inaccessum. In templo autem, id est, intra portam, atque vestibulum, de quo nuper, duæ sunt partes, altera in regione magis occidentali, & extrema, vbi seruabatur arca, quæ magis erat religiosa, & sacra, quæ *oraculum* dicitur, aut *Sancta sanctorum*; altera, quæ ab oraculo versùs Orientem ad vestibulum vsque porrigitur, & dicitur *Sancta*, seu *Basilica*. De vtrisque Propheta iam agere aggreditur, & primò de eo, quo ingressis vestibulum primùm occurrit.

2. *Et mensus est frontes sex cubitos latitudinis hinc, & sex cubitos latitudinis inde, latitudinem tabernaculi.*] Incipit nunc Propheta templi portam, seu ingressum metiri. Murus, qui sacrarium à sacerdotum atrio separabat, sex erat cubitis latus, atque ideo duæ portæ frontes, id est, duæ muri partes, seu latera senis patebant cubitis, sicut etiam aliarum portarum, quas in inferioribus atriis suprà descripsimus. Hunc esse sensum coniectabam illius, *latitudinem tabernaculi*. Ac si dicat, tam esse latas frontes, seu latera portæ, quàm latus est, seu crassus tabernaculi murus.

3. Verumtamen aliò magis inclinat animus; & puto longè esse verisimilius hîc describi tabernaculi frontem, quam Hispani vocant *el testero*. Hæc verò frons tanta erat, quanta tabernaculi latitudo, viginti nempe cubitorum: neque enim sine causa subditur, *latitudinem tabernaculi*, id est, iuxta latitudinem tabernaculi. Hanc autem latitudinem ita colligo, habebat tabernaculi porta sex cubitos hinc, & totidem inde: ad sinistram videlicet, & dextram tabernaculi partem; hi verò duodecim cubiti sunt. His adde decem, quos habuit portæ latitudo, & totam muri, ac templi latitudinem implebis.

4. Sed dices ex his non colligi viginti tantùm cubitos, sed viginti duos; quare aliquid hîc esse à templi latitudine diuersum. Respondeo tabernaculi frontem maioris necessariò latitudinis esse, quàm cauum eius spatium, id est, interiorem, & muro conclusam latitudinem; tanto enim habet spatium angustius, quantum crassitudinis habuit murus, qui suis lateribus vtrinque templi latitudinem amplectitur: atque ideo fieri potuit, vt spatium templi interioris 20. cubitis latum sit; exterioris verò frontis duobus supra viginti.

5. Vers.2. *Latitudo portæ decem cubitorum erat.*] Tantum existimatur fuisse ostium tabernaculi Mosaici. De altitudine portæ nihil hîc habemus; habuisse tamen altitudinis 10. cubitos, docent quidam Hebræorum magistri, & cum his Sixtus Senensis lib.2. vers. *volumen volans*; ideo enim putant volumen volans, de quo Zachariæ cap.5. habuisse decem cubitos latitudinis, longitudinis 20. quia erat mensura portæ templi, ex quo egressum ipsi opinabantur volumen illud. Et sane molis fuisse ingentis, indicat Iosephus lib.12.
A c.7. vbi inter alia prodigia, quæ vrbis, templique excidium portendebant, ait, *Orientalis autem porta interioris templi, cùm esset ænea, atque grauissima, & sub vesperam vix à viginti viris clauderetur*, &c. *visa est noctis hora sexta sponte patefieri.*

6. *Et latera portæ quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde.*] Egerat de exteriori portæ ingressu, ac frontibus; nunc illius secundùm interiorem faciem spatia metitur. Et quemadmodum externas frontes ad externos etiam angulos dimensus est, quibus vtrinque senos attribuit cubitos; sic etiam nunc frontes item internas ad internos producit angulos, illisque quinos annumerat cubitos; quia de lateralium parietum crassitudine nihil assumit. Hæ verò interiores frontes, sine
B dubio latera vocantur; quare dimidiam partem interioris muri decem cubitalis quarta occupabat porta; alteram verò dimidiam frontes duæ, siue latera, quæ quinque cubitali spatio vtrinque constabant.

7. *Et mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum.*] Duas diximus esse partes templi, alteram, quæ vocatur *sancta*; alteram, quam oraculum dicimus, & magis communi vocabulo *Sancta sanctorum*. De priori nunc agit Propheta, quam dicit longam esse quadraginta cubitis, latam viginti: nam reliquum spatium ad sexaginta cubitos longitudinis, & quadraginta latitudinis occupabat oraculum, de cuius mensura statim.

8. Vers.3. *Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portæ duos cubitos.*] Egressus ex *sanctis*, seu ex
C aula metator Angelus progressus est ad ostium oraculi, illúdque describit. Primùm docet frontes portæ, id est, postes adiunctos portæ, seu parastades, quæ vtrinque portam exornabant; seu quoduis aliud ornamentum, quod hinc, atque illinc tabernaculi portam illustrat, & instruit, binis patere cubitis.

9. *Et portam sex cubitorum.*] Sicut angustior erat oraculi ingressus, sic etiam angustior quàm templi porta; hæc enim decem cubitis patebat, ad mensuram nempe orientalium portarum, per quas ad atrium Israel, & ad atrium sacerdotale patebat aditus. Nisi mauis, quod magis reor, portam esse non tam latam sex cubitis, quàm crassam, id est, habere duo latera, quæ aperturam, & cauitatem portæ vtrinque definiunt lata sex cubitis, quanta est muri crassitudo, quæ statim vers.5. sex numerat cubitos.

10. D *Et latitudinem portæ septem cubitorum.*] Hæc confirmant, quod ad extremum de portæ non tam latitudine, quàm crassitudine coniectabamus: quando portæ latitudo, id est, spatium vacuum aperti muri septem dicitur constare cubitis.

11. Vers.4. *Et mensus est longitudinem eius 20. cubitorum; & latitudinem eius viginti cubitorum ante faciem templi.*] Si cubitos hos cum quadraginta aliis coniungas, quos habere diximus exteriorem templi aulam, efficies sexaginta, quæ totius templi longitudo est. Porrò hæc mensura ideo ante faciem templi fuisse dicitur, quia tantumdem spatij est à facie templi, id est, à muro, quod oraculum ab aula, seu à sanctis secernit, ad totam oraculi magnitudinem, quoquo versùs spectes. Erat autem oraculum perfectè quadratum, vt ex mensura constat.

Vers.5.

12. Verſ.5. *Et menſus eſt parietes domus ſex cubito-rum.*] Hinc conſtat omnes muros ſiue atriorum, ſiue templi, æqualis eſſe craſſitudinis, quandò vel vno calamo, ſeu, quod idem eſt, ſenis cubitis di-cuntur lati.

13. *Et latitudinem lateris quatuor cubitorum vndique per circuitum.*] Hic laterum ordo, ſitus, & vtilitas valde obſcurant, & implicant bonam huius ca-pitis partem; cùm templi parieti nihil eſſet ad-iunctum, quod illum firmaret; & ne in latus pro-cumberet, aut rueret, ſuſtineret, aliquid illi, quaſi fulcrum aſtruendum fuit; ne moles illa impoſito tecti pondere ſolueretur. Quid verò illud ſit, ex-plicare tentemus.

14. Pro eo quod vulgatus legit *latus*, Heb. eſt צלע *ſelagh*, quæ latus ſignificat; & id quod animalis latera ſuſtentat, & inſtruit, nos *coſtam* vocamus. Ex צלע, Gen. 2. formata eſt Eua, & ab humanæ coſtæ ſimilitudine coſtæ vocantur, quæ coſta-rum in modum adhibentur, vt opus aliquod ſuf-fuciant, atque contineant. Sic Maro lib. 2. Æ-neid. ſtatumina, quæ tabulis conſternuntur, co-ſtas vocat. Sic enim de mole illa lignea, quam equum appellat,

Coſta ſigni-ficatio lata.

Inſtar montis equum diuina Palladis arte
Ædificant, ſectáque intexunt abiete coſtas.

Sic in nauibus ligna, quibus laterum compages, & coaſſatio nititur, coſtæ vocantur. Plin. lib. 13. cap. 9. cùm de ſpina loquitur, quæ Græcis dicitur ἄκανθος, ait, *Nec minus ſpina celebratur, quoniam in-corrupta etiam in aquis durat, & ob id vtiliſſima na-uium coſtis.* hinc ab Hiſpanis pars illa nauium *co-ſtado* dicitur.

15. Non minùs idonea tranſlatione dicitur coſta, ſiue latus moles illa, quæ magnorum operum muris adhibetur, ne ab impoſitæ molis grauitate fatiſcat, & ruat; quam Latini pilam vocât, Græci ἀντήρειδες, Hiſpani *eſtribas*. Id hoc loco puto ſigni-ficare *latera*, quæ ad vtramque templi partem A-quilonarem, & Auſtralem addita ſunt muro, quæ illum ſuſtinerent, & à lapſu, rimarúmque hiatu tuerentur. Quæ tranſlatio antiquiſſima Hiſpani-ca, *coſtaneras* vocat, quia coſtarum in morem ædi-ficij lateribus adhibentur. His igitur poſitis non erit, credo, admodum difficilis explicatio.

16. Agit hîc, vt vides, non de inſtructu, atque or-namento templi, ſed tantùm de fabrica: nam de aliis poſtea longior ſermo. Ad fabricam verò ſa-cri illius, & myſtici ædificij pilæ illæ, ſeu fulcra pertinebant, quæ nunc vocantur *latera*; quæ in circuitu eſſe dicuntur, non quidem totius do-mus; quia ab Orientali regione domus, vbi erat tabernaculi porta, ſatis habebat à veſtibulo fir-mamenti. Erant illa latera, ſiue coſtæ quatuor cu-bitis lata.

17. Verſ.6. *Latera autem latus ad latus bis triginta tria.*] Hæc difficillima ſunt, neque quomodo hæc fabrica, vel menſura informari cogitatione melius poſſit video, quàm ſi latus, quod ad Aqui-lonarem regionem ſpectat, ad illud referas, quod Auſtralem templi partem circumdat, & munit. Tantum enim inter vtrumque latus intercedit ſpatij, quantum hîc à Propheta conſtituitur, nempe triginta trium cubitorum. Hanc enim menſuram in tota templi conſtructione admo-net; ſeu quod idem eſt, calamum, qui ſenos nu-merat cubitos. Triginta verò, & tres cubitos bis, id eſt, ab vtroque latere, (ſic enim expono illud *bis*) hac ratione colligo: ex templi latitudine ſu-mo viginti, ex duorum parietum craſſitudine duodecim: nam paries ſenis vtrinque cubitis

A conſtabat, ex his efficio 32. Cùm autem latera, ſi-ue coſtæ templum non attingerent; veriſimile eſt dimidio ſaltem cubito fuiſſe ſeparata: quare ſi è duobus ſemicubitis vnum componas, com-plebis aſſignatum ſupra 33. cubitorum menſu-ram. Quod ſi menſuram pedalem eſſe facias, vt 18.
putant Hebræi, & ſignificat ſæpè Hebraica vox פעמים *pehhamaim*, erunt reuera bis triginta tres pedes, quos ita ex vniuerſa molis conſtructione deduco. Sumo ex templi latitudine adiuncta pa-rietum craſſitie cubitos 32. ex duobus ſpatiis, quibus vtrinque latus à pariete recedit, quatuor, ab ipſa laterum craſſitudine octo; dicuntur enim latera illa quaternis cubitis eſſe lata. Ex his de-

B ducuntur 44. cubiti; quòd ſi ad pedes redigas, bis triginta tres ſunt, id eſt, ſexaginta ſex; cubitus enim ſeſquipedalis eſt.

Alij qui latera thalamos eſſe putant, ſeu cubi-cula, in templi circuitu triginta tria cubicula diſ-ponunt, quæ quaternis patent cubitis; quorum cogitatio ſic mihi videtur informari, atque pro-bari poſſe. Nam vtrumque latus tam Aquilona-re, quàm Auſtrale 70. cubitos habet latitudinis, ſecundùm exteriorem faciem: nam ad ſexaginta cubitos, quos habet interior facies, accedunt ex craſſitudine Orientalis, atque Occidentalis muri alij duodecim, vterque namque murus ſenos nu-merat cubitos. His adde 32. ex Occidentali mu- 19.

C ro, tot enim habet ſecundùm externam faciem; efficies in toto templi ambitu, (nam hîc ex O-rientali regione, vbi eſt templi oſtium, atque ve-ſtibulum nihil ſumimus) 176. cubitos; quo ſpatio conſtrui poſſunt thalami 33. quaternis lati cubi-tis, ſi modò inter thalamos ſingulos ſeſquicubi-tum ſtatuas; aut ſpatium, quod abeſt à ſeſquicu-bito proximè. Quòd ſi alterum addas thalamo-rum ordinem (nam duos eſſe ordines ſuperio-rem, & inferiorem, ex his quæ ſuccedunt, ſatis eſt veriſimile) erunt bis triginta tres thalami, id eſt, ſexaginta ſex. Aliam explicationem habes ſtatim ad illud, *Aſcendebatur ad ſuperiora in medium.* Ex

D his tu quam voles, explicationem elige; mihi v-traque non omnino ſoluta eſt, ſed minus mihi ſunt difficiles, propter ingenij mei, credo, tardi-tatem, quàm aliæ, quarum ego explicationem aſſequi non poſſum.

Et erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus in lateribus per circuitum, vt continerent, & non attingerent parietem templi.] Latera, quæcumque illa ſint ſiue thalami, ſiue pilæ, ac coſtæ, pauxil-lum à templi pariete recedebant ab imo; ita vt inferior laterum ſedes non videretur pars tem-pli, quia quilibet iudicare poſſet aliquid eſſe à templi fabrica ſeparatum. Cùm verò paulo al-tiùs attollerentur latera, ex illis eminentiæ quæ-dam erumpebant, quæ inſertæ, atque inſtructæ 20.

E templi parieti efficiebant, ne latera continge-rent parietem ipſum; illum tamen continerent, atque firmarent. Hæ eminentiæ 3. Reg. 6. v. 6. tra-bes appellantur. *Trabes autem poſuit in domo per cir-cuitum forinſecus, vt non hærerent muris templi.* Trabes iſtæ in hunc tranſuerſæ modum vulgo hominum *pontes* appellantur.

Verſ.7. *Et platea erat in rotundum aſcendens ſur-ſum per cochleam.*] Supra eminentias illas, quæ laterales pilas, ſeu coſtas cum templi pariete coniungebant, ſternebatur illud, quod futurum erat plateæ, ſeu cubiculorum pauimentum; ad quæ per interiora quædam cochlidia aſcende-batur. In hac platea, vt dicemus poſtea, quædam erant gazophylacia. Dicitur autem illa platea cu-biculis 21.

biculis extructa, rotunda, non quia sphæricum aliquid, seu circularem ambitum referret; sed quia in circuitu per omnia latera totam templi molem ambiebat. Vt enim latera, quæ domum Domini ambiunt, in eius circuitu proxime esse dicuntur, cùm tamen in domo nihil sit circulare, siue rotundum, quod sonat circuitus: sic platea, quæ in rotundum videtur esse descripta, cùm propriè rotunda non sit; rotunda tamen appellatur, quia per templi circuitum extenditur; & in cœnaculum templi per gyrum ambulantes deducit. Et hoc planè significat vox Hebraica, pro qua vulgatus sæpe reddit circuitum. Deducitur enim à radice סב *sab*, quæ circuire valet, & ita vertunt communiter alij.

22. *Et in cœnaculum templi deferebat per gyrum.*] Cœnaculum pars est in ædificio summa, vbi plerũque pauperes habitant; vtpote in loco habitationi magis incommodo, sic Iuuenal. Satyra 10.

Cœnaculũ quid.

Rarus venit in cœnacula miles.

Apud Plautum in Amphytruone seruus dicit, *In superiori, qui habito cœnaculo.* Liuius lib. 9. de bello Macedonico, *Cœnaculum super ædes datum est scalis ferentibus in publicum obseratis.* Sic etiam hoc loco cœnaculum summam existimo esse templi regionem, quæ aperta est, non fastigiata, sed plana; sicut reliqua sunt tecta in tota Palæstina, quæ Hieronymus domata vocat, siue Memniana. Seu certè vltimus cubiculorum ordo, quod magis reor, quia cœnaculi nomen non bene conuenit in apertum locum, & hominum habitationibus ineptum.

23. *Idcirco latius erat templum in superioribus.*] Hîc ego latitudinem templi dupliciter considero; aut enim templum latius in superioribus dicitur, quia magis erant ampli superiores thalami, quod ex 3. lib. Reg. c. 6. v. 6. constat, vbi cùm de hoc laterali ædificio in templo Salomonis, sermo esset, ait, *Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis; & tertium tabulatum septem habebat cubitos latitudinis.* Causam eius statim reddit, dum ait, *Et sic de inferioribus*, &c. aut certè templum dicitur in superioribus latius, quia pars inferior non videtur esse templi pars; quia duobus cubitis à pariete templi separatur, vt videtur ex eo posse colligi; quia, vt nuper vidimus, infimus ordo quinque dicitur habuisse cubitos latitudinis, supremus septem. Quæ differentia seruata videtur in templo Ezechielis, licèt sit non eadem omnino mensura. Nam hoc habuisse dicitur latera quaternis tantùm cubitis lata; illud quinis. Cùm ergo pars infima non videatur ad templum pertinere, quia cum templi muro coniuncta non est; secus verò aliæ, quas eminentiæ, seu extantes trabes cum templo coniungunt, & quasi cum illo corpus vnum efficiunt, fit vt templum à superiori parte, quàm ab inferiori latius appareat.

24. *Et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium.*] Ex his constat, quomodo cubiculum superius aliquanto fuerit inferiore latius; quia cùm ex inferioribus per cochleam ad superiora esset ascendendum, necessarium erat, vt tanto inferiora cubicula essent angustiora, quantum spatij in illis occuparet cochlea. Cùm verò superiora cubicula essent omnino vacua, sublato cochlearum impedimento, necesse etiam erat, vt paterent latiùs. Illud *in medium*, idem esse suspicor, quod per medium, ita vt ex inferiori cubiculo, per medium cubiculum, ad superius vsque foret ascensus.

Ex hoc mihi verisimilius fit, id quod antea magis probabam, latera esse pilas, seu costas separatas quidem inter se; sed eminentiis quibusdam, seu trabibus, vt habes 3. Reg. cap. 6. v. 6. cum templo coniunctas; ita vt quodlibet latus instar esset turris, quæ tribus tabulatis, seu contignationibus distinguitur. Quod si de laterum, seu turrium numero aliquid esset certum, & illas in templi ambitu vndenas vtrinque fuisse constaret; cùm quælibet ternis esset instructa cubiculis, facile videbatur expediri posse, quod suprà videbatur obscurius, quomodo *latera latus ad latus essent bis triginta tria.* Et sanè vndecim lateribus, seu costis, quæ quaternis constabant cubitis, spatij satis est in templi circuitu, etiamsi aliquid spatij fuisse dicatur inter singulas costas, de quibus statim vers. 10. Quare hæc cogitatio non mihi videtur contemnenda; immò omnium fortasse maximè ad mensuram, & structuram templi. 25.

26. Vers. 8. *Et vidi in domo altitudinem per circuitum fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio.*] Agit hîc de altissimo cubiculorum ordine, propter quod diximus videri templum à superiore parte magis latum. Et dicit habuisse calamum vnum, id est, sex cubitos latitudinis; cùm tamen suprà dixisset latera, id est, costas, quaternis cubitis esse latas. Cuius ea videtur esse causa; quia duos illos cubitos, qui laterum sedem, seu fundamentum infimum à templi pariete diuidunt, thalami superiores occupant, quia trabes, seu eminentiæ latera cum templi pariete coniungunt; totam verò latitudinem illam pauimentum consternit, quod superiora cubicula sustentat. Et ideo ait Propheta vidisse se altitudinem, id est, thalamos altos, latera videlicet iam fundata, atque sublata sursum, quæ calamus vnus, id est, seni cubiti metiebantur. Nisi mauis hæc de thalamorum altitudine accipere, quod non videtur esse difficile; quia de illa hactenus non egerat. Res sanè difficilis; neque mihi definitum, quid magis probem, aut potiùs quid improbem minùs.

27. Vers. 9. *Et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum.*] Egerat priùs de laterum, seu costarum latitudine; de earum longitudine dixit hactenus nihil. Illam videri alicui posset assignari à Propheta: latitudo autem videtur illa, secundùm quam latus, seu pila à templi muro ad atrium sacerdotum excurrit, quæ etiam respondet latitudini templi, & hæc est quatuor cubitorum, vt habes suprà vers. 5. Longitudo verò, quæ est secundùm templi longitudinem, & hæc habet forinsecus, id est, versùs sacerdotale claustrum, quinque cubitos. Sed est omnino verius parietem in circuitu laterum esse productum quinque cubitis latum, qui templi latera, seu pilas ambiret, quod tam in hoc capite, quàm in aliis sæpe ædificium dicitur separatum, quoniam à templo secernitur, vt habes vers. 6. & porticum atrij non attingit.

28. *Et erat interior domus in lateribus domus.*] Hæc omnia, vt vidimus, latera vocantur domus Dei, quia illa muniunt, atque ornant, sicut humanum corpus latus, & costæ. Sed hæc latera non erant in eum tantùm vsum, vt firmitatis aliquid adderent templo; sed etiam vt in illis seruaretur varia templi supellex, aut etiam ad sacerdotum habitacula. Quare domus erat intra latera illa, quæ nos sæpè vocauimus thalamos, cubicula, &

gazophylacia, in quibus, vt in turribus assolet, interiores erant scalæ, quæ cochlidia vocantur; per quas sursum ad vltimam vsque contignationem esset ascensus.

29. Vers. 10. *Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus vndique.*] Gazophylacia voco cubicula, seu thalamos, qui sunt in ipso laterum, pilarúmve complexu, de quibus hactenus. Inter hæc gazophylacia seu extrarias turres aliquid erat spatij, quia latera sibiipsis vicissim coniuncta non erant. Sed quomodo inter hæc gazophylacia viceni intercesserint cubiti, difficile explicatu est. Inter latus, & latus, id est, inter costam, & costam, vicenos esse cubitos, mihi est incredibile, quia non satis esset spatij, cùm costæ sint plurimæ; potiùs existimarem ex omnibus spatiis impletum esse hunc cubitorum numerum. Nam si vtrinque vndenæ pilæ sunt, dena erunt vtrinque spatia interposita; quæ si cubitalia sunt, viginti erunt in circuitu cubiti. Et in re hac coniecturali, ac dubia, hoc mihi postremum non omnino displicet.

30. Sed melius alij hanc vicenorum cubitorum mensuram aliter instituunt, & putant inter gazophylacia, & inter latera, de quibus proximè, esse latitudinem, id est, plateam, viginti cubitorum, quæ circum circa sacrarij, laterúmque fabricam ambirent; & hoc ego magis, & omnino probo, tum quia spatium illud omittendum non fuit, quod interposita moles coangustabat: tum maximè, quia numerus ille cubitorum non difficile in circulari illa latitudine deprehenditur. Quod ita colligo: atrium illud, vbi templum erat, centenis cubitis patebat in latitudinem, cap. 40. v. 47. à porta videlicet ad portam, ibidem vers. 25. Ex hoc igitur spatio adime latitudinem parietis, qui latera claudebat, qui cubitis constabat quinque; hi verò sunt cubiti vtrinque decem. Deinde cubitos, quos habebant vtrinque latera, quorum quodlibet quaternis constabat, sume decem ab eo spatio, quod inter latera, & sanctuarij murum intercedebat; neque enim exiguum videtur illud interuallum, quandoquidem propter ipsum ædificium dicitur separatum: & à Sanctuarij latitudine 32. cauitas enim Sanctuarij viginti patet in latitudinem cubitis: muri verò crassitudo vtrinque senis. Ex his summa deducitur cubitorum quinquaginta; quòd si ex gazophylaciorum crassitudine, quæ muris erant adiuncta, decem assumas cubitos, (quis enim dubitet cubitis fuisse lata quinis?) cubitos deduces 60. Quòd autem non à gazophylaciis, sed à muro, seu porta sumenda sit illa centum cubitorum latitudo, constat ex cap. 40. v. 23. *Mensus est à porta vsque ad portam centum cubitos.* Et iterum v. 27. quibus si quadraginta cubitos adiicias, quia hinc, atque illinc latitudo erat cubitorum viginti, implebis totam illius atrij latitudinem, quam constare diximus centum cubitis. Porrò hîc duos gazophylaciorum ordines intueor, alterum illorum, quem in lateribus, seu pilis esse diximus; illorum alterum, quæ atrij interioris muro affigebantur; inter quæ visebatur illa latitudo, quæ viginti cubitis constabat; ideo enim dicitur inter gazophylacia latitudinem esse viginti cubitorum.

31. Aliquanto plus difficultatis habet orientalis, & occidentalis regio, quam coangustat magis templi longitudo, quæ 60. cubitorum est; cùm latitudo fuerit viginti. Sed puto hîc tantùm esse

A se sermonem de latitudine, quæ est ad vtrumque templi latus, ad partem videlicet Aquilonarem, & Australem, de quibus suprà egisse videbatur, quando latera, seu costæ de quibus proximè, illas templi partes tantùm videri possunt instruxisse. Hæc ego in re vsque adeò impedita dici posse arbitror verisimiliter, quæ sic aliis propono, vt ingenuè fatear mihi non omnino videri soluta.

Vers. 11. *Et ostium lateris ad orationem.*] Vbi vulgatus *orationem* reddidit, Heb. est מנוחה *menucha*; quæ quietem valet. Vtrumque verò nomen aptè ponitur pro templo. Sic sanè de quiete Isaias cap. 66. v. 10. *Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus requietionis meæ?* 32. *Oratio pro templo.*

B Et quidem domus, seu habitatio requies appellatur non ab Hebræis solùm, sed etiam à Latinis. Sic Dauid Psal. 131. v. 14. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo.* Et 2. Paralip. 6. vers. 41. templum, de quo modò, requies dicitur Dei, *Surge Domine in requiem tuam.* Et Isai. cap. 11. vers. 10. מנוחה, pro sepulcro posuit, id est, pro domo mortuorum. *Et erit sepulcrum eius gloriosum.* Ex Latinis accipe duo exempla; alterum Maronis lib. 8. Æneid. *Quies pro loco, vbi aliquis quiescit.*

Hic locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

Ante hunc Lucretius quietes appellat ferarum cubilia. De quibus sic lib. 1.

C *Namque canes, vt montiuagæ persæpe ferai*
Naribus inueniunt intecta fronde quietes.

De oratione res est non obscura, quæ apud Latinos, & Græcos pro templo ponitur. Sic προσευχὴ, quæ orationem, seu precationem valet, pro templo, seu oratorio sæpius vsurpatur. Iuuenal. Satyr. 5. cùm ageret cum Iudæis, ait: 33. *Proseucha pro templo.*

Ede vbi consistas, in qua te quæro proseucha?

Et Iosephus in vita sua longè post medium de Iudæis ait, *Sequenti die populus conuenit in proseucham, quam vocant precationis domum amplam.* Et Philo de vita Moysis, *Apud Iudæos*, inquit, *destinata oppidatim sacris precatoribus loca, quæ proseuchas vulgus nominat.* Sanè Lucas Actor. cap. 16. v.

D 13. Oratorium *orationis* vocabulo significat. *Die*, inquit, *Sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse.* Erat autem ille locus orationis, & ideo Paulus diem expectauit Sabbatorum, vt cum illis, qui orandi gratia eò conuenirent, loqueretur. Hîc porrò obseruandum, non rarò actionem adhiberi, pro loco vbi exercetur actio, vt *quies*, de qua nuper, pro domo, seu quietis loco; *cœnatio*, & *deambulatio*, pro locis cœnæ, aut deambulationi destinatis. Est igitur *oratio*, idem quod *oratorium*, seu *templum*; & nunc, vt reor, pro illa sumitur parte, quæ domus appellatur Dei, ad quam, & in qua tam à Sacerdotibus, quàm à populo frequens *REGVLA. Actio pro loco, vbi exercetur.*

E fit oratio.

Vt mittam ergo alia, quæ dicuntur à multis, quæ mihi, quia fortasse non intelligo, videntur non omnino soluta, existimo dici posse non repugnante litera, aut rerum natura gazophylacia, seu cubicula, quæ in ipso laterum, seu pilarum complexu fuisse diximus; ostium habuisse quod spectaret introrsus orationem, id est, locum orationi destinatum; templum videlicet, cui erant proxima. An verò ostium esset in templi muro, per quod in oratorium introspici posset, vel certè tantùm in eam partem spectarent laterum fenestræ; nec diuinare quidem possum; vtrumque videtur non difficile, neutrum exploratum. 34.

Ostium vnum ad viam Aquilonis, & ostium vnum 35.
ad

ad viam Australem.] Hic singulare adhibitum esse puto pro plurali, quod in Scriptura frequens, in qua sæpe cardinalis numerus pro distributiuis vsurpatur, vt *vnus* pro singulis, seu pro quolibet. Cùm autem omnium cubiculorum, atque ostiorum eadem esset ratio, quod de vno dixit, idem de omnibus censendum est. Agit autem de via tantùm Aquilonari, & Australi; quia à regione Orientali pilæ non erant, cùm illarum locum occuparet vestibulum. Neque fortasse ab Occidentali, id est, à tergo Sanctuarij, sed tantùm continens murus, etsi à nomine ipso צלע *selagh*, aliqua sumi potest coniectura, ita dicendum est. latus enim, seu costæ non aptè in illas partes conueniunt; costæ enim lateribus insunt, & latera non tam longitudinem, quàm latitudinem designant. Australis autem, & Aquilonaris regio latus templi sunt, quia ab illis partibus templum sese in latitudinem porrigit.

36. *Et latitudinem loci ad orationem quinque cubitorum in circuitu.*] Latera, seu pilæ quatuor cubitos habebant latitudinis, vt vidimus suprà vers. 5. Est autem latitudo, quæ a pariete templi ad atrium sacerdotale porrigitur. Secundùm verò longitudinem quinque; quam esse secundùm longitudinem templi diximus ad illud v. 9. *Et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum.* Hic porrò locus ad orationem perforatus in thalamis erat, quos in laterum complexu fuisse diximus. Habebant autem latera eo loco, vbi ostium erat, quinos cubitos, cùm tamen suprà quaternis constare dicantur; quia latera principio, quando non erant tabernaculo coniuncta, quaternis patebant cubitis; pòst verò per prominentes trabes adiuncta tabernaculo, aliquanto fuerant ampliora.

37. Vers. 12. *Et ædificium, quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare latitudinis, septuaginta cubitorum.*] Hic etiam locus variè distrahit interpretum cogitationes; neque ego aliquid vel legendo, vel coniectando inuenio, in quo meo mihi studio satisfaciam. Non quia alij rem ipsam assecuti non sint: nam fortasse meditatione, atque arte latentem veritatem inuenerunt; sed quia ego, quid illi cogitarint, explorauerintque, assequi non valeo. Dicam igitur quod inter has salebras minus mihi apparet implexum, & obscurum.

38. Domum separatam voco illa latera, seu pilas, quæ in suo veluti complexu Sanctuarium aut cohibent, aut circumfundunt, quas paries amplectitur quinque cubitis crassus. Dicitur verò *ædificium*, sicut etiam peribolus, qui templum ambibat, ædificium vocatur suprà cap. 40. vers. 5. & *separatum*, quia neque Sanctuarium, neque sacerdotalis atrij murum attingebat. Cùm autem de longitudine, latitudinéque tam atrij, quàm templi actum esset diligenter à Propheta; res ipsa videbatur exigere, vt de huius etiam ædificij medij longitudine, ac latitudine sermo fieret. Et primùm docet latum esse 70. cubitis: latitudinem autem voco, spatium quod à templi vestibulo, ad regionem templi occiduam porrigitur: cur verò ea dicatur latitudo, cùm longitudo potiùs vocari possit, cùm templi longitudini respondeat, statim dicemus. Hanc verò 70. cubitorum latitudinem sic deduco: sumo ex templi longitudine 60. cubitos, ex muri crassitudine sex, reliquos ex crassitudine laterum, seu pilarum. Quòd si ex hac computatione plures efficiuntur cubiti, duo videlicet, aut tres, illi detrahi possunt ab orientali templi parte, quia fortasse a principio templi ille pilarum ordo ductus non est.

Paries autem ædificij quinque cubitorum per circuitum.] De pariete hoc proximè, qui totum pilarum ordinem claudit, & cohibet. 39.

Et longitudo eius nonaginta cubitorum.] Longitudinem parietis, seu laterum sumo ex eo, quod ad 70. cubitos latitudinis accessit. Addo enim 70. cubitis viginti alios, quos habuisse diximus templi latitudinem, quibus completur cubitorum nonaginta numerus: neque enim tota laterum longitudo constat, donec illud quasi corollarium accedat, quod vtrique pilarum ordini commune est, tam qui ad Australem, quàm qui ad Aquilonarem templi partem spectat. In hac ego explicatione aliquid inuenio, in quo mihi ipsi displiceo: sed nihil in alis inuenio, in quo non aliquid etiam occurrat, ad quod non offendat, & in quo non laboret expositio. Aliqui in lõgitudine altitudinem intelligunt; vnde tamen hæc altitudo deduci possit non video; & operis symmetria valde mihi suspecta est. Et quidem altitudo templi trigiuta cubitos habuisse traditur lib. 3. Reg. cap. 6. v. 2. neque altius fuit templum ab Ezechiele descriptum, quàm quod à Salomone conditum est. Nisi dicas templum ab Ezechiele descriptum, & à Zorobabele constructum 60. cubitos esse altum, id enim in suo edicto Cyrus permiserat lib. 1. Esdræ cap. 6. v. 3. & supra templum separatum ædificium 30. cubitis assurgat; quod vnde constare possit non video. 40.

Vers. 13. *Et mensus est domus longitudinem centum cubitorum.*] Multi hic multa, quæ, vt ingenuè fatear, qua sum ingenij imbecillitate, quomodo constare possint non intelligo. Centum cubitorum mensuram esse video in atrio sacerdotali. Tantumdem spatij erat in atrio, vbi templum erat, neque intra illud atrium video, quid esse possit eiusmodi, vt centum cubitorum mensuram implere possit. Neque domum aliquam, quæ centum cubitis possit esse longa. Non quidem templum quod sexaginta cubitorum lõgitudinem habuit. Neque quod ad templum, seu quod ad laterum, seu pilarum dimensiones pertineat; quia quidquid intra atrij ambitũ, atque complexum est, illud infra centum cubitos sit necesse est. Nisi intelligas intimum illud atrium, quod, sicut sacerdotale, quoquo versùs centenos habuisse cubitos iam antea didicimus. 41.

Quia ædificium separatum ad templi ornamentum, & maiestatem pertinebat, ideo pars potest appellari templi; immò & templum, atque ideo cùm de illius spatiis, quæ centenis cubitis quoquo versùs patent, agit Propheta, illa etiam ædificia comprehendit, quæ in ipso interioris atrij ambitu excitata sunt: & ideo additur, *Et quod separatum erat ædificium, & parietes eius longitudinis centum cubitorum.* Ac si dicat, atrium illud cum suis ædificiis à porticu, muróque separatis, seu in quo separatum ædificium est, centum in longitudinem cubitis extenditur. 42.

Vers. 14. *Latitudo autem ante faciem domus.*] Hæc etiam de atrio accipienda, quæ etiam cum ædificio separato, de quo proximè, centum numerat cubitos. Ostenditur autem hîc vnde petenda sit latitudo, nempe ab Australi ad 43.

ad Aquilonarem plagam; sicut ab Ortu ad Occasum atrij longitudo porrigitur. Ideo enim additur *ante faciem domus*, quia linea, seu calamus, quæ longitudinem metitur, ante, id est, contra faciem extenditur domus Dei, id est, contra vestibulum & portam, quam fuisse in orientali templi regione iam antè dictum est. Dicitur verò templum esse contra Orientem, licèt eius porta orientalis sit; quia solem, cùm oritur, aduersum intuetur; & cùm in partem vergat occidentalem, orientali plagæ se aduersam opponit.

44. Vers.15. *Et mensus est longitudinem ædificij contra faciem eius, quod erat separatum ad dorsum.*] Dorsum templi voco extremam illius partem, quæ ab ingressu quàm longissimè recessit: quare calamus, qui longitudinem explorat, ab orientali porta interioris atrij ad occidentale latus, in quo sacrarij dorsum est, lineam producit.

45. *Ethecas ex vtraque centum cubitorum.*] Postquam dimensus est Propheta tam atrium, quàm ædificium separatum, quod in ipsius sinu excitatum erat, accedit ad explicandum interiorem illius instructum, & ornamentum; & quia templum eiúsque vestibulum maxima erat maiestatis, ac pulchritudinis pars, ideo cùm ethecarum meminit, interius templum, & illius vestibulum adiunxit. Etheca vox est Chaldaica אתיקא *atikeah*, quæ variè ab interpretibus sumitur. Quidam gazophylacium, & thalamum; alij alia porticus ornamenta esse putant: esse verò plurima, quæ partem illam nobilem atrij ornarent, & excolerent, constat ex illis, quæ mox dicemus. Adhibuit autem Propheta Chaldaicam vocem, sicut etiam fecerunt alij: qui apud Chaldæos aliquandiu commorati sunt, vt Esdras, & Daniel; eo fortasse consilio, quia אתיקא, latiori significatione omnem significat atriorum, murorum, portarúmque elegantiam, quàm vt ætate nostra varia est; sic etiam olim, & in eo maximè templo, quod à designatore, &, vt ita loquar, ab architectante Deo fabricatum est, variam fuisse oportet. Has porrò ethecas ex vtraque parte centum cubitorum esse traduntur, quia atrij porticus quoquo versùs centum patebat cubitos. Præter has ethecas in atrio interiori templum erat, & ipsius atrij ad omnes partes affixa vestibula, quæ numero tria, ad Orientalem, Aquilonarem, & Australem portam, in quibus fuisse vestibula, liquet ex hoc loco. Ex quo etiam constat non hìc esse sermonem de templi vestibulo, quia pluralis numerus aliquid significat ab illo diuersum.

Etheca quid.

46. Vers.16. *Limina, & fenestras obliquas, & ethecas in circuitu.*] De liminibus, & fenestris diximus cap.40. Vbi noster *limina*, Heb. est ספים *saphim*, quæ vox non solùm id quod propriè dicitur limen, id est, quod portis transuersum iniicitur, sed etiam postes, qui non portarum solùm, sed murorum etiam ornamenta sunt; atque ideo in circuitu esse dicuntur. Fenestræ cur dicantur obliquæ, diximus cap.40. ad vers.15.

47. *Per tres partes.*] Cùm atrium quatuor haberet latera centenis extensa cubitis; cur modò tres tantùm partes liminibus, fenestris, & ethecis dicuntur instructæ? An quia porticus, ac muros, qui atrium illud intimum definiebat, tres tantùm habuit portas, Orientalem, Aquilonarem, & Australem: ab Occasu namque nullus patebat aditus: atque ideo atrium illud in tres partes potuit videri diuisum, & hoc mihi videtur non improbabile. Sed quòd alij tres hasce partes in templo constituunt (cuius Meridianæ, Aquilonares, & Occiduæ partes his excolebantur ornamentis, de quibus nuper, quia pars orientalis ipso vestibulo satis videbatur ornata) mihi probatur magis. Limen verò ideo positum videtur contra limen, quia atrij illius latera maximè quæ ab Austro, & Aquilone sunt, eundem habent ornatus, atque mensuræ modum; atque ideo limina, fenestræ, & ethecæ sibiipsis è regione respondent.

Stratúmque ligno per gyrum in circuitu.] Quod hìc limen dicitur, (est autem aliquid amplius, quàm quòd foriat communiter apud Latinos limen, vt nuper diximus) constratum erat, atque instructum ligno è nobili materia, de quo suo loco postea. In quo insculpta maximarum rerum symbola, & arcanæ significationis argumenta præclara. 48.

Terra autem erat vsque ad fenestras, & fenestræ clausæ.] Quicquid est à pauimento ad fenestras vsque spatij, è terra, id est, ex materia terrea, qualia sunt saxa, constratum erat: nam reliqua, vt vidimus, per gyrum in circuitu lignum tegebat. Fenestræ verò clausæ dicuntur, non quia essent ad speciem tantùm, id est, non tam fenestræ, quàm fenestrarum imagines, quæ nunc vulgo *porta*, seu *fenestræ damnata* vocantur; sed quia in eam erant formam descriptæ, vt lucem exciperent obliquam; neque aliquis in cubicula illa posset introspicere. Seu potiùs, quia in retis similitudinem cancellato ordine erant fabrefactæ; aut in pertuso ligno frequentibus perfossæ foraminibus, quæ ideo dicuntur clausæ, quia non facilè distinguas an fenestræ sint, quæ gazophylacium illuminent; aut tantùm insculpta, aut excauata ligna. 49.

Fenestræ clausæ quæ.

Vers.17. *Super ostia, & vsque ad domum interiorem, & forinsecus per omnem parietem.*] Proponit ornatum templi, exterioris nempe partis, quæ dicitur *sancta*, & interioris, quæ vocatur *oraculum*, seu *Sancta Sanctorum*. Et docet quænam sculptura, cælaturáve fuerit super vtrumque ostium, illud nempe, per quod aditus patebat in sancta, & alterum quod stabat è regione, & in eo muro, qui à sanctis Sancta Sanctorum secernebat. Atque quidquid super ostia, totóque templi ambitu spectabatur signis, & opere vario distinctum, & illustre, id non esse dispositum temere, ac sine magno consilio, sed ad mensuram tam forinsecus, id est, in exteriori; quàm intrinsecus, id est, in interiori parte domus. 50.

Vers.18. *Et fabrefacta Cherubim, & palmæ, & palma inter Cherub. & Cherub.*] Hic est præcipuus ornatus tam templi, quàm atriorum, de quibus postea. Cælabatur enim illius religiosissimi claustri vtrinque paries, alternis Cherubinis, & palmis, ita vt Cherubini palmas, & palmæ Cherubinos discluderent. 51.

Cherubinorum, & palmarū imagines in templo frequentes.

Duásque facies habebat Cherub.] Hinc fit verisimile non vnam fuisse Cherubinorum speciem, quando cap.1. longè dissimilis describitur Cherubinorum species, quadriformis videlicet. Fit etiam verisimile, contrà quàm existimabat Pradus, quatuor illas facies, quas præseferebant Cherubini, esse perfectas animalium formas; non 52.

Cherubini multiformes.

non obscura quædam animalium vestigia, alas nempe, iubas, & vngulas; in quibus obscurè aquila, leo, & vitulus agnoscebantur. Quia eiusmodi alæ, iubæ, atque vngulæ in aliis etiam animalibus inueniuntur: quare ex alis non magis coniectares esse aquilam, quàm vulturem; neque ex vngulis bifidis alcem, aut bubalum a vitulo distingueres. Sed hîc apertè inter palmas facies repetitur leonis, atque hominis; sicut etiam in specie illa quadriformi integra hominis, leonis, aquilæ, ac vituli species visebantur. Hîc porrò non puto, quod aliis placere video, ex vno corpore duo pullulare capita, leoninum alterum, alterum humanum; quia nimis essent separata, cùm medius intercederet palmæ truncus: sed in vno cherubino speciem hominis totam; in altero totam leonis imaginem expressam.

53. Vers.20. *De terra vsque ad superiora portæ Cherubim, & palmæ cælatæ erant in pariete templi.*] In toto templi muro secundùm interiorem faciem, nihil erat, quod non esset Cherubinorum, atque palmarum imaginibus illustre à pauimento ipso ad illam partem, quæ supra vtramque templi portam visebatur, id est, quicquid erat spatij ab imo solo ad summum vsque templi fastigium.

54. Vers.21. *Limen quadrangulum, & facies sanctuarij aspectus contra aspectum.*] Aliud erat ornamentum templi planè admirabile; à duabus portis, quæ sese aduersis frontibus vicissim spectabant; altera excipiebat ab Oriente ingressuros in templum; altera in sacrarij adyta Sacerdotem maximum admittebat. In illa, quæ ab Oriente patebat ad Sancta, quadrangulum dicitur esse limen, quia ostium illud tantum ferè in longitudinem, quantum in latitudinem patebat, vt suprà v.5. *Altaris lignei trium cubitorum altitudo, &c.*

Altare thymiamatis.

55. Quia meminit portæ sanctuarij, addit de altaris, quod è regione stabat illius, mensura, atque materia, de quo hîc nobis nihil amplius à Propheta proponitur. Sunt tamen de hoc altari plurima notatu digna, quæ ex aliis Scripturæ sacræ locis sumi possunt. De hoc Exod. cap. 30. *Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis setim habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id est, quadrangulum; & duos cubitos in altitudine: cornua ex ipso procedant.* Vide quomodo non eadem est mensura altaris, quod antè à Moyse, & quod modò ab Ezechiele describitur. Neque id mirum cùm hoc stabile futurum esset; illud cum ipso tabernaculo transmutabile. Addit deinde, *Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam eius, quàm parietes per circuitum, vt cornua; faciésque ei coronam aureolam per gyrum.* De ornatu, figura, atque materia altaris, vide Abulens. in cap. 6. lib. 3. Reg. Riberam de templo lib.2. cap.8. & Villalpandum tom. 2. lib.5. à cap.53.

Altare thymiamatis vbi.

56. De loco, vbi erat altare, non omnes consentiunt. Quidam fuisse opinantur intra oraculum, ita Origenes homil. 9. in Leuit. August. q. 173. in Exod. & alij quos citat Theophylactus in cap. 9. epist. ad Hebræos. Sed est omnino certum fuisse in priori templi parte, quæ dicitur *sancta*, quod communiter sentiunt interpretes cum Iosepho lib. 3. Antiq. cap. 7. Et vt omittam alia, duo tantùm adduco firmamenta, alterum sumptum ex Exodi cap. 40. vbi altare aureum, seu thymiamatis inter candelabrum, & mensam propositionis statuitur: hæc verò nemo dubitat extra Sancta Sanctorum esse locata. Adde quòd in oraculum, seu Sancta Sanctorum vnus tantùm ingredi poterat Sacerdos summus, idque semel in anno; at Zacharias, qui summus Sacerdos non erat, in illo altari adoleuit incensum, Lucæ cap. 1. Quod verò vnus esset de minorum sacerdotum numero, ex eo fit perspicuum; quia dicitur fuisse ex vice Abiæ; ex qua ad summum illum ordinem nullus assumebatur; tum etiam, quia ministrasse dicitur secundùm ordinem vicis suæ: at Sacerdos summus neque vicem expectabat, cùm nullus alius ad sacrum illud ministerium aditum haberet; neque sortitò ad illud munus accedebat, cùm neminem haberet in eo munere consortem.

57. Vers.22. *Et locutus est ad me, hæc est mensa coram Domino.*] Quomodo mensa pro altari sumatur, diximus cap. 40. v. 39. ad illud, *Duæ mensæ hinc.*

Vers.23. *Et duo ostia erant in templo, & in sanctuario.*] Bifores erant portæ, tam quæ in Orientali templi regione, quàm quæ in Occidentali visebantur. Occidentalem appello, quæ parietem illum instruebat, qui sancta à Sanctis Sanctorum separabat.

58. Vers.24. *Et in duobus ostiis ex vtraque parte bina erant ostiola, quæ in se inuicem plicabantur.*] Cùm portæ magnæ sunt, & quæ non nisi magna adhibita vi in suo cardine versantur, insertas habent plerumque portas, alias longè minores (quas Hispanorum vulgus *postigos* vocat) quæ ingredientes admittunt, & abeuntes excludunt. Erant autem bina in singulis portis ostiola, quatuor videlicet in vtrisque. quæ ideo dicuntur esse plicatiles, quia insertæ erant, & compactæ ostiis, cum quibus sic se artificiosè complicabant; vt cum ostiis ostiola in vnam tantùm molem, siue pegma coaluisse viderentur; seu quod magis reor, quia non aliter portæ duæ, quæ in singulis ostiis insertæ erant, conserebantur, iungebantúrque repagulis, ac seris, quàm maiores aliæ valuæ, in quarum complexu mediæ condebantur. Quòd autem templi valuæ magni essent ponderis, ac molis, docet Iosephus lib. 7. de bello, cap. 12. vbi orientalem templi portam vsque adeò tradit fuisse grauem, vt vix à viginti viris mouerentur. Quare oportuit, vt ostiola quædam constituerentur, quæ aperiri facilius, & obserari possent.

59. Vers.25. *Et cælata erant in ipsis templi ostiis Cherubim.*] Sicut domus tota Cherubinis, & palmis alternis ornabatur; sic etiam templi valuæ, in quibus Cherubini, ac palmæ insculptæ visebantur, alternis.

60. *Quamobrem & grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus.*] Quia palmæ, ac Cherubini extare debuerunt è tabula; neque enim tam erant picta, quàm exculpta, atque ficta cælo, ideo necessarium fuit, vt crassiores essent asseres, seu ligna, ex quibus illæ rerum imagines essent expressæ.

61. *Super quæ fenestræ obliquæ, & similitudo palmarum hinc, atque inde in humerulis vestibuli.*] Super portas eodem modo visebantur fenestræ obliquæ, & cancellatæ, sicut antè nobis in lateralibus costis fuere descriptæ: & sicut in lateribus domus cherubini fingebantur, & palmæ, sic etiam in vtroque vestibuli latere; quod hîc maximè accommodata metaphora vocatur humerulus.

62. Hîc explicit caput difficile, vt vides, & vehementer implexum, in quo vt cortex durus videtur, & insulsus; at medulla suauissima est, quæ aliquid

aliquid sacratius olet, & arcanius. Egit de my- A
stico sensu eorum, quæ in templo descripsimus, Beda lib. de templo, & nuper Ribera in eiusdem tituli tractatu, quos tu consule. Ego hic in altari thymiamatis, & palmarum structura spectare videor illorum statum, quos Deus adhærere sibi voluit; & habere secum familiares. Quales sunt sacerdotes, ac religiosi, qui abdicato sæculo, sæcularibúsque blanditiis, sursum se extulerunt a terra, & non nisi de cœlo cogitandum esse sibi statuerunt. Horum symbolum accommodatum est palma, quæ cùm stirpe pro tanta mole ad terram exili sit, quo altiùs assurgit, contra aliarum arborum naturam crassescit magis, B ita vt non tam è terra per radices ali, quàm per summas frondes augeri videatur à cœlo. Accedit quòd quo maiori pondere, ab externa aliqua violentia deprimitur, eo maiori nixu se sursum attollit, ac si è supernis vis aliqua potentior arriperet. Qui de re multa, qui de re naturali historiam prodidere. Vide Plutarchum quæst. natural. & lib. 8. quæst. conuiual. q. 4. vbi ad mores

Religiosus, & sacerdos qualis.

Abnegationis typus.

63. quædam non vulgaria. Hæc est vera religiosi effigies, & forma, cuius pars illa, quæ de terra est, & in terram inclinat, infirma est, & exilis: quæ verò sursum cœlum prospectat multo robustior, quem si deorsum deprimas, quo magis vrges, eo se magis ille sursum attollit, dicítque, aut certè eo esse debet spiritu, vt dicat, quod Paulus antè ad Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia? an fames, an nuditas?*

Religiosi typus.

De altari thymiamatis, quod est ante ostium 64.
tabernaculi, spectátque semper mysticam vmbram, quæ latet in sacrario, in quo religiosi viri emicat species, audi Bedam in lib. de templo cap. 22. *Significat*, inquit, *typicè perfectorum vitam iustorum, qui quasi in vicinia oraculi sunt positi; quia desertis infimis delectationibus, de solo Regni cœlestis ingressu curam omnem impendunt. Vnde bene in hoc altari non carnes victimarum, sed sola incendebantur thymiamata: quia tales non adhuc peccata carnis, & illecebras cogitationum in se mactare opus habent, sed tantùm orationum spiritualium, & cœlestium desideriorum odoramenta per ignem interni amoris in conspectu sui conditoris offerunt.*

Viri perfecti typus.

IN CAP. QVADRAGESIMVMSECVNDVM.

ARGVMENTVM.



GRESSVS ab æde sacra metator Angelus, iterum lustrat, metitur, & describit atrium, in quo tabernaculum erat, quod proximè descripserat. Vbi cùm singula esset accuratè dimensus, extra templum egressus, periboli, cuius principio latitudinem vno calamo metitus fuerat, longitudinem quingentis patere dicit. Ad extremum murum dimensus, qui templum claudit, & continet, in eo quingentos cubitos deprehendit.

CAPVT XLII.

1. *ET eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad Aquilonem, & introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium, & contra ædem vergentem ad Aquilonem.*

2. *In facie longitudinis, centum cubitos ostij Aquilonis: & latitudinis quinquaginta cubitos,*

3. *Contra viginti cubitos atrij interioris, & contra pauimentum stratum lapide atrij exterioris, vbi erat porticus iuncta porticui triplici.*

4. *Et*

PARAPHRASIS.

C 1. EGressus è tabernaculo architectus Angelus eduxit me secum ad atrium, in quo tabernaculum ipsum extructum erat; eduxit, inquam, per Aquilonarem viam ad ea gazophylacia, quæ ex aduerso ædificium separatum aspiciebant, & contra illam templi partem, quæ plagam spectabat Aquilonis.

2. Facies autem Aquilonaris, seu, quod idem est, gazophylaciorum ordo, qui totum illud instruebant latus, centum constabat cubitis secundùm longitudinem; secundùm verò latitudinem quinquagin- D ta. Quia cùm centumcubitalis esset latitudo atrij; dimidia illius pars, quæ ad Aquilonem pertinebat, quinquaginta sibi cubitos asseruit; totidem reliquit Australi plagæ.

3. Erat autem latitudo versùs interiorem ædem, cuius erat latitudo cubitorum viginti, & versùs pauimentum exterioris atrij, seu areæ, quam lapide stratam esse diximus, vbi porticus erat tribus porticibus, id est, tribus cubitorum ordinibus instructa.

4. Ante

4. Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis, ad interiora respiciens via cubiti vnius. Et ostia eorum ad Aquilonem:

5. Vbi erant gazophylacia in superioribus humiliora: quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, & de mediis ædificij.

6. Tristega enim erant, & non habebāt columnas, sicut erant columnæ atriorum: propterea eminebant de inferioribus, & de mediis à terra cubitis quinquaginta.

7. Et peribolus exterior secundùm gazophylacia, quæ erant in via atrij exterioris ante gazophylacia: longitudo eius quinquaginta cubitorum.

8. Quia longitudo erat gazophylaciorum atrij exterioris, quinquaginta cubitorum: & longitudo ante faciem templi centum cubitorum.

9. Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab Oriente ingredentium in ea de atrio exteriori.

10. In latitudine periboli atrij, quod erat contra viam Orientalem, in faciem ædificij separati, & erant ante ædificium gazophylacia.

11. Et via ante faciem eorum, iuxta similitudinem gazophylaciorum, quæ erant in via Aquilonis; secundùm longitudinem eorum, sic & latitudo eorum: & omnis introitus eorum, & similitudines, & ostia eorum.

12. Secundùm ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad Notum: ostium in capite viæ: quæ via erat ante vestibulum separatum per viam Orientalem ingredientibus.

13. Et

A 4. Ante gazophylacia, quæ atrij muro erant adiuncta, deambulatio decem cubitis lata prætendebatur. In ea verò parte, quæ interiorem templi partem spectat, nempe ad portam Orientalem, vno tantùm cubito patebat ad deambulandum via. Horum porrò ostia ab Aquilonari plaga laxabantur.

5. Hæ porrò deambulationes erant prope gazophylacia, seu in illis potiùs gazophylacia erant, quorum tres erant ordines vt situ, & loco; sic etiam magnitudine
B diuersi. Nam superiorum minor erat, quàm reliquorum altitudo, ac firmitas: idque necessariò, quia pondus sustinebant eorum, quæ ab illis sursum eminebant; tam eorum quæ summum, quàm quæ medium locum obtinebant.

6. Terni erant gazophylaciorum ordines, quorum tota moles quinquaginta attollebatur cubitis; quod fieri non incommodè poterat, quia tam media, quàm summa gazophylacia columnas non habebant adiunctas, sicut infima, quibus alio-
C rum columnæ adiungebantur.

7. Ibi erat obiectus peribolus extrinsecus inter interius atrium, & sacerdotale, qui à sacerdotibus summoueret Leuitas, qui quinquaginta patebat cubitos, quanta erat sacerdotalis atrij longitudo.

8. Cur verò peribolus ad quinquaginta tantùm cubitos producatur, ea ratio est; quia licèt atrium interius, item & exterius centumcubitale sit; in exteriori tamen, quod definit, separátque peribolus, quinquaginta tantùm cubitis patent gazophy-
D lacia, à quibus ostium aperitur, per quod Sacerdotibus aditus patet ad interius.

9. Erat autem ad inferiorem gazophylaciorum partem introitus, per quem qui ex exteriori, id est, orientali atrio vellent intra peribolum, & intimum atrium ingrederentur.

10. Erat porrò introitus ille in latitudine periboli, per quem Sacerdotes in atrium illud penitissimum intrare poterant ab Orientali porta, quæ faciem intuebatur ædificij separati: nam in eo loco ante separatum ædificium gazophylacia
E erant.

11. Erat præterea via ante illa gazophylacia, sicut ante alia, quæ spectabant ad Aquilonem; eadem longitudo, ac latitudo omnium, similis aditus, similis species, & eadem ostiorum similitudo.

12. Neque alia erat forma eorum gazophylaciorum, quæ spectabant ad Austrum, vbi in principio viæ ostium visebatur, per quod in atrium interius ex orientali, id est, sacerdotali atrio patebat accessus;

A sus;qui separati ædificij faciem, atque vestibulum spectabat.

13. *Et dixit ad me: Gazophylacia Aquilonis, & gazophylacia Austri, quæ sunt ante ædificium separatum: hæc sunt gazophylacia sancta: in quibus vescuntur sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum in sancta sanctorum: ibi ponent sancta sanctorum, & oblationem pro peccato, & pro delicto: locus enim sanctus est.*

13. Tunc ad me Architectus Angelus: Gazophylacia, inquit, quæ ad Australem, atque Aquilonarem regionem spectant, quæ ex aduerso ædificium separatum intuentur, gazophylacia sancta sunt, vbi Sacerdotes de more comedent, quæ ad ipsorum vsum ex sacrificiis pertinent, qui accedunt ad altare, & tractant sancta. Ibi reponent sancta, & quæ ad illos ex sacrificiis pertinent, siue illa pro peccato
B fuerint, siue pro delicto. Est enim locus sanctus.

14. *Cùm autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius: & ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt, vestientúrque vestimentis aliis, & sic procedent ad populum.*

14. Cùm autem Sacerdotes suum atrium ingressi fuerint, non egredientur inde ad atrium exterius, nisi deposita priùs sacra veste. Vbi autem depositis sacris communia sumpserint vestimenta, licebit ad profanum atrium, & turbam popularem prodire.

15. *Cúmque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam Orientalem: & mensus est eam vndique per circuitum.*

15. Cúmque iam interioris domus mensuram absoluisset, eduxit me per illam viam, ac portam quæ spectat ad O-
C rientem, vt periboli longitudinem metiretur, qui locum sacrum à vulgari secernit, de cuius latitudine statim in principio; & aggressus illius mensuram ab Orientali porta.

16. *Mensus est autem contra ventum Orientalem calamo mensuræ, quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum.*

16. Mensus est autem ab Orientali plaga calamo mensorio per circuitum; & quingentos ibi calamos inuenit.

17. *Et mensus est contra ventum Aquilonis quingentos calamos in calamo mensuræ per gyrum.*

17. Mensus item plagam Aquilonarem per circuitum, & totidem ibi deprehensi calami.

18. *Et ad ventum Australem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum.*

18. Mensus etiam meridionale latus per gyrum, & idem ibi spatium deprehensum.

19. *Et ad ventum Occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ.*

D 19. Et cùm eundem mensorium calamum ad occidentalem plagam admouisset, nihil in ea minus inuentum est.

20. *Per quattuor ventos mensus est murum eius vndique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, & latitudinem quingentorum cubitorum, diuidentem inter sanctuarium & vulgi locum.*

20. Ad extremum mensus est murum illum templi, qui claudebat quod sacrum erat, & à turba, atrióque Gentilium separabat. Cúmque illum per circuitum metiendo lustrasset, quingentos in latitudine cubitos, & totidem in longitudine deprehendit.

Vers.1. *Et eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad Aquilonem.*]

1. De quo atrio hæc sint accipienda, difficile explicatu est. Placuit Maldonato hæc de atrio sacerdotali esse intelligenda, quod appellatur exterius comparatione templi, ex quo egressus est; tametsi aliorum respectu interius nominetur sæpe, & nunc etiam interius appellari potuerit. Alij aut nihil hac de re, aut obscurè loquūtur. Mihi longè videtur probabilius sermonem hîc esse de
E atrio, in quo situm erat Templum; & in quo ædificium separatum constructum esse diximus. Multa enim hîc audimus, quæ nullo modo dici, de atrio sacerdotali, optimè verò de interiori possunt, vt statim constabit. Egressus itaque fuit Propheta de templo per viam, quæ ad Aquilonarem portam deferebat, id est, per illam atrij partem, quæ vergebat ad Aquilonem.

Et

2. *Et introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium, & contra ædem vergentem ad Aquilonem.*] Gazophylacium in singulari numero pro gazophylaciis sumitur, quæ totam Aquilonarem regionem occupabant adiuncta muro, quæque ex aduerso obiicebantur templi, ædificiique separati Aquilonari lateri.

3. Vers. 2. *In facie longitudinis centum cubitos ostij Aquilonis.*] Quia quoque versùs atrium centenos habebat cubitos, necesse est, vt latus illud Aquilonare, seu quod idem est, gazophylaciorum ordo, qui totum illud complebat latus, centum constaret cubitis: facies verò porticus illa dicitur, quia egredienti Prophetæ ex templo primùm occurrit; aut quia sicut in homine facies est illustrior, & attentiùs videtur, sic ille muri, ac porticus ornatus.

4. Vers. 3. *Contrà viginti cubitos atrij interioris.*] In describenda atrij longitudine non admodum laborandum fuit; cùm nihil sese versùs illam regionem obiiceret, quod continens Aquilonare latus intersecaret. In describenda autem, atque metienda latitudine plusculum operæ sumendum fuit; quia ab illa parte multa sunt interposita suis quæque notata mensuris. Primùm ex atrio interiori, id est, ex interiore parte atrij sumo cubitos viginti. (id enim valet illud, *Contrà viginti cubitos atrij interioris.*) ex pauimento, id est, ex eo spatio, quod inter porticum atrij, seu inter gazophylacia, & inter ædificium separatum intererat, totidem; est enim hic repetendum per Zeugma illud *viginti cubitos*, in hunc sensum: *Contra pauimentum stratum lapide viginti cubitos.* Vt enim vidimus suprà cap. 41. v. 10. per circuitum templi inter gazophylacia viginti cubitorum interuallum erat. Quare ex vtroque latere sumo cubitos quadraginta; ex crassitudine parietum templi duodecim; ex costarum latitudine octo; ex pariete, qui ædificium separatum amplectitur, decem; his adde spatium quod ex pauimento sibi gazophylacia sumunt; & latitudinis centum cubitos deprehendes.

5. *Vbi erat porticus iuncta porticui triplici.*] Cap. 40. v. 17. in pauimento strato lapidibus excitata dicuntur gazophylacia, quæ & ipsa aut porticus erant, aut certè illorum ornamenta. Idem credo dicendum de hoc interiori atrio. Triplex verò dicitur porticus, quia triplex erat cubiculorum ordo, vt facile constabit ex sequentibus.

6. *Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis.*] Deambulatio hæc decem pedibus lata, & innixa columnis erat, qualis in publicis operibus, & magnorum Principum Basilicis esse solet, cuius tectum columnis suspendebatur. Quæ tam erat longa, quàm longa erat porticus, seu atrij sacerdotalis circumscriptio, saltem ab Australi atque Aquilonari latere. Nam de orientali, atque occidentali regione alia fortasse ratio est, de qua nobis nunc agendum est.

7. *Ad interiora respiciens via cubiti vnius.*] De hoc cubito variè coniectant, & loquuntur interpretes; ego ab illorum sententiis commemorandis supersedeo. Et puto hîc agi de illa tantùm parte quæ spectabat directò interiora sacrarij, à porta videlicet orientali, quæ portæ templi è regione respondebat; & ab occidentali regione, quæ aduersa erat illi sacrarij parti, quam dorsum appellari diximus; quod necessariò nobis dicendum: sic enim regiones illæ duæ constructionibus aliis sunt impeditæ, vt decem cubitali deambulationi locum non reliquerint. Nam vt de interuallo illo agamus, quod orientalem atrij portam à templi vestibulo secernit, adeò illud est impeditum, & angustum, vt vix inuenias spatium apertum, & liberum, per quod possit aliquis commodè transire. Detrahe enim de centum cubitis, quos habet atrium secundùm longitudinem, 20. quos occupat ab occidentali plaga spatium, quod inter atrium, atque sacrarij dorsum intercedit (nam cùm templum in atrij medio situm sit, & 60. cubitos longitudinis habeat, necesse est, vt ab vtraque parte 20. cubitos ad atrium vsque latitudinis relinquat) detrahe deinde 60. tanta est enim templi longitudo, deinde quos habet templi vestibulum, & tandem comperies angustum esse spatium in via, quæ ad interiora respicit, quódque vix hominum deambulationi pateat.

De regione occidentali idem omnino dicendum est: nam si ex 20. cubitis, qui inter atrium, & sanctuarij dorsum interpositi sunt, detrahas eos, quos adiuncta sibi assumunt gazophylacia, & quinque, quos habet paries, qui latera complectitur; & quatuor, quos habent latera, seu costæ; & spatium illud, quod separatum ædificium illud à templo discludit, vix inuenies locum expeditum, & laxum, per quem singularis homo commodè incedat. 8.

Vbi erant gazophylacia in superioribus humiliora.] 9.
In eo, quem diximus, loco erant gazophylacia; triplici distincta serie, quæ postea tristega vocantur, quasi tria essent tabulata, seu contignationes. Ita tamen vt essent, vt situ, & loco, sic etiam magnitudine diuersa. Nam superiora minus erant, quàm reliqua sublimia, cuius duæ videntur adduci causæ; quia inferiora gazophylacia cùm totam porticuum molem sustinerent, necesse erat magis essent firma; tum etiam quia inferioribus adiunctæ erant columnæ, quæ deambulationes decemcubitales definiebant, quæ partes haberi poterant inferiorum cubiculorum; quas superiora gazophylacia non habuere; sicut neque deambulationes. Porrò illud *supportabant*, non ad superiora cubicula refero; sed ad inferiora, in hanc sententiam. Vbi erant gazophylacia superiora quidem magis angusta, atque humilia, quàm inferiora; quia hæc supportabant porticus, quæ ex ipsis eminebant, ex inferioribus quidem media, ex mediis superiora: atque ideo quo magis eleuabantur, magis contrahebantur gazophylacia.

Tristega enim erant, & non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum: propterea eminebant de inferioribus, & de mediis à terra cubitis quinquaginta.] Tota hæc moles quinquaginta attollebatur cubitis; quòd verò in eam altitudinem assurgere potuerit, ea ratio redditur, quia superiora cubicula, magis erant angusta, neque præterea columnarum accedebat pondus. Quod ideo factum fuit, ne subiecta gazophylacia superiorum pondere satiscerent. 10.

Et peribolus exterior secundùm gazophylacia, quæ erant in via atrij exterioris ante gazophylacia.] In atrio Israel, de quo egimus cap. 40. & de quo hoc etiam capite nonnihil dicendum, excitabatur peribolus, seu lorica, quæ laicam, & profanam turbam à sacerdotali atrio submouebat. Quantum verò haberet altitudinis, non habemus ex Ezechiele, sed nonnulla coniectura sumitur ex Iosepho lib. 8. Ant. cap. 2. *Circumdedit*, inquit, *deinde templum septum quoddam trium cubitorum altitudine, quod nostra lingua Gyson vocamus, exclusurum profanam* 11.

nam multitudinem, & solos Sacerdotes admissurum. Idem docet Theodoretus 3. Reg.q.22. *Quomodo,* inquit, *interna* (scilicet Sancta,& Sancta sanctorum) *erant bifariam diuisa; ita etiam quæ erant sub dio. Ex his enim erant alia quidem omnium populorum; alia verò erant destinata sacerdotibus, & Leuitis. Hos autem ab illis arcebat septum non admodum altum,*&c. *ne extrinsecus cerneretur sacrificiorum operatio.* quod omnes ferme recentiores sequuntur. Ad illum modum inter interius atrium, & sacerdotale, peribulus erat, qui vnum atrium ab altero secluderet, & à Sacerdotibus Leuitas submoueret; quibus ad templum, & templi internum atrium aditus non patebat.

12. Vers.8. *Quia longitudo erat gazophylaciorum atrij exterioris quinquaginta cubitorum, & longitudo ante faciem templi centum cubitorum.*] Docet cur cùm murus, qui sacerdotale atrium ab interiori secernit, centumcubitalis sit, peribolus tamen adiunctus illi sit duplo minor; dicitque ideo illud fieri, quia exterius atrium, quod turbæ patebat sacerdotali, & leuiticæ, ad quod tricubitalis ille peribolus pertinebat in suis gazophylaciis, ac thalamis, quinquaginta tantùm cubitos numerabat, vt constat ex cap.40.v.21.& 25. Ab his porrò gazophylaciis aditus patebat Sacerdotibus ad atrium interius: vt proximè dicitur. Nam quòd sacerdotale atrium centenis quoquo versùs cubitis pateret, constat cap.40.v.19.& 23.

13. Vers.9. *Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori.*] Si peribolus alios à sacerdotali turba separabat, effici hinc videbatur, vt quemadmodum aliis, sic etiam Sacerdotibus ad atrium interius aditus esset interclusus. Ideo ostenditur Prophetæ opportunus introitus subter gazophylacia, id est, ad inferiorem gazophylaciorum partem, per quam intra peribolum Sacerdotes admissi ad portam atrij interioris accederent. Qui tamen introitus facile occludi potuit sæculari, ac leuiticæ turbæ; neque ex illo videri poterant, quæ intus operarentur Sacerdotes; quæ præcipua caussa existimatur, cur obiectus esset ille peribolus. Quo autem loco fuerit introitus ille, dicemus statim.

14. Vers.10. *In latitudine periboli atrij, quod erat contra viam orientalem in faciem ædificij separati.*] Coniecturis hîc ducimur obscuris, faxit Deus, ne abs re! Peribolus ille tricubitalis, de quo proximè, totum ambibat atrium interius, ab illis certè regionibus, vnde ingredi posset aliena turba, aut quæ intus à Sacerdotibus fierent, intueri: ab Orientali nempe, Aquilonari, atque Australi plaga. Ita Iosephus suprà, *Circumdedit deinde templo septum quoddam trium cubitorum altitudine,* qui de hoc peribolo videtur esse locutus. In tribus hisce lateribus apertus videtur esse peribolus, vt per ipsum ad totidem partes, quæ Sacerdotes ad illud atriũ admittebant, pateret accessus. Quod videtur indicare illud, *In latitudine periboli,* quasi dicat diuisam esse latitudinem periboli, & ibi aditum fuisse relictum. De introitu ad latus orientale, videtur accipiendus locus, de quo nuper vers.9.& statim vers.11. de Aquilonari sermo est. de Australi, seu meridionali vers.13. vbi pro Austro, Notus adhibetur, qui idem omnino valet. Cùm autem peribolus, aut gazophylacia contra separatum ædificium fuisse dicuntur, de Australi, seu Aquilonari regionibus sunt intelligenda, quia lateraliter illud ædificium ad illas regiones spectat: neque enim ab orientali plaga, vt diximus, obie-

A ctum est. De Occidentali regione nihil dico, quia ab illa nullus in atrium aditus patebat. Hæc mihi dici posse videntur probabiliter, quia postea versu 11. omnia latera illius atrij dicuntur esse similia, tam secundùm introitum, quàm secundùm ostia, à quibus eximendum non arbitror introitum, quem patuisse diximus in diuiso peribolo. Sed hæc incerta sunt, & implexà valdè, quibus multa contrà opponi possunt; quæ non faciles habent explicatus.

Vers.11. *Et via ante faciem eorum iuxta similitudinem gazophylaciorum quæ erant in via Aquilonis.*] Descripserat suprà à versu secundo, ad vers.7. Aquilonare latus, vbi quo ordine, ac serie essent descripta gazophylacia, docuit. Idem nunc considerandum esse dicit in aliis lateribus. Et hîc speciatim agit de via ante gazophylacia; id est, de illo ambulacro, quod adiunctum erat gazophylaciis, circumscriptum à columnis, quæ ipsius tectum suspendebant; quod decem cubitis latum esse diximus. 15.

B

Vers.13. *Et dixit ad me: Gazophylacia Aquilonis, & gazophylacia Austri, quæ sunt ante ædificium separatum, hæc sunt gazophylacia sancta, in quibus vescuntur Sacerdotes.*] Quod è sacrificiis ad Sacerdotes pertinebat, id in vno loco sancto cõsumebatur. Leuit.6.v.16. *Reliquam partem similæ comedet Aaron cum filiis suis absque fermento, & comedet in loco sancto atrij tabernaculi.* Et v.25. *Ista est lex hostiæ pro peccato, Sanctum sanctorum est: Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto.* Nunc ergo ostendit architectus Angelus, quisnam sit locus ille sanctus, vbi oblata debeant à Sacerdotibus sacrificia comedi, nempe in illis gazophylaciis, quæ ab Aquilone, & Austro ædificium separatum respiciunt. 16. *Sacerdotes vbi comedunt oblata.*

C

Ibi ponent Sancta sanctorum, & oblationem pro peccato, & pro delicto.] Sancta sanctorum ex frequenti Scripturæ sacræ vsu, pro penitiore parte templi sumitur; sed interdum, neque id rarò aliis accommodatur rebus, maximè his, quæ ex oblationibus sacerdoti debentur. Leuit.6. *Ista est lex hostiæ pro peccato: in loco vbi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino; Sanctum sanctorum est.* Et paulo pòst, *Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus eius, quia Sanctum sanctorum est.* Dicuntur autem Sancta sanctorum, aut quia maximè sancta, quod verius puto; aut cùm sancta sint, in sanctorum, id est, in Sacerdotum vsum adhibentur. Porrò illud *&* ante *oblationem,* exegetica particula est, & idem valet, quod *id est.* 17. *Sancta sanctorum variè accepta.*

D

Vers.14. *Cùm autem ingressi fuerint Sacerdotes, non egredientur è sanctis in atrium exterius, & ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant.*] Quæ sancta sunt, in loco sancto esse, atque tractari debent; neque in profanum locum, aut ministerium adduci: quare sicut carnes, quæ dicuntur sanctæ, non extrahuntur è loco sacro, ex atrio videlicet interno, sed in eo à sacerdotibus consumuntur; sic etiam Sacerdotum indumenta sacra, quæ sacris etiam ministeriis obeundis destinata sunt, extra locum sacrum offerri prohibentur. Iubet ergo Deus, vt non priùs ex atrio suo prodeant sacerdotes, quàm vestimenta sacra in locis etiam sacris, vnde sumpta fuerant, antea reponantur. Cùm autem vestimenta alia, quæ cum popularibus habuere communia, sumpserint, tunc licebit ad populum prodire. Idem docet postea cap.44. v.17.& 19. quod vsque adeò seuerè Deus à Sacerdotibus exigit, vt neque ad absoluendum sacerdotale munus, si res ipsa sacrificalis postulet, cum sacerdotali cultu ad populum prodire permittatur. 18. *Vestimenta sacra quo loco gestanda.*

E

mittatur. Leuit.6.v.10. *Vestietur tunica Sacerdos, & feminalibus lineis, tolletque cineres, quos vorax ignis exussit, & ponens iuxta altare, spoliabitur prioribus vestimentis, indutúsque aliis efferat eos extra castra.* Vide quomodo in functione sacra, quia in sacro loco non sit, vestes sacras deponit Sacerdos, & vulgares assumit. Habuisse autem sacerdotes vestes cum populo communes, cùm rei sacræ religiosam operam non nauarent, indicat Iosephus lib.6. de bello, cap.6. non longè à fine. *Vestibus*, inquit, *utebantur plebeiis: quoniam sacerdotali solus, qui sacra celebrabat, amiciebatur.*

Sacerdotum vestes extra sacrum ministerium communes cum aliis.

19. Vers.15. *Cúmque complesset mensuram domus interioris, eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam Orientalem. Et mensus est eam vndique per circuitum.*] Sicut priùs egerat cap.40. de peribolo, qui totam templi molem, & externam etiam fabricam circumscribit, cuius tantùm altitudinem, ac latitudinem vno mensurarat calamo; sic nunc egressus ex sanctuario, ac sacerdotali atrio, ad periboli longitudinem metiẽdam progreditur. Et obiens singula illius latera, in illorum quolibet quingẽtos calamos deprehendit; seu potiùs designat. Villalpandus in hunc locum, & cum Pineda de rebus Salomonis lib.5.c.5. n.108. hanc summam quingentorum calamorum ex toto periboli circuitu colligunt: ita vt non singulæ regiones quingentos numerent calamos, sed illarum quælibet centum viginti quinque, ex quibus quingentorum calamorum numerus conflatur. Ego non inueniebam, quomodo ex ipso dicendi modo, qui sanè apertissimus, & simplicissimus est, hanc possem informare sententiam; aut eo modo coarctare calamorum numerum, qui à Propheta non obscurè proponitur. Quare omissis aliis argutiis, quas tectonicæ artis ignarus assequi non possum, censebam cum Hieronymo, & cum aliis fermè omnibus, quodlibet latus habuisse calamos quingentos; & ex omnibus bis mille fuisse conflatos; neque video quo alio modo numerus iste
20. definiri potuerit apertiùs. Sed sanè incredibile est peribolum quoquo versùs habere potuisse quingentos calamos, id est, sexies esse maiorem eo muro, qui totam templi, atriorúmque omniũ amplitudinem ambiebat: (nam statim dicitur murus ille vndique per circuitum lõgitudinem habuisse quingentorum cubitorum: calamus autem, vt antè diximus, sex numerat cubitos.) Duo verò calamorum millia tantum metiuntur spatium, quãtum nemo credet habere potuisse Hierosolymam. Et huc magis inclinat animus. Tunc verò sic videtur ordinari posse latera textus vehementer obscuri. Mensus est contra ventum Orientalem quingentos calamos in circuitu: quingentos, inquam, calamos ex his, qui erant ad Orientalem regionem; & ex his, qui erant ad Aquilonarem: quingentos item ex his, qui numerabantur ad Austrum, &c. Quasi dicat quingentos illos calamos conflari ex cẽtum viginti quinque calamis, quos singula periboli latera numerabãt. Cui expositioni non parum fauet quod, cùm de singulis lateribus agitur, quingentos calamos habuisse dicuntur per circuitum, seu per gyrum; sed singula latera, vt constat, vocari nequeunt gyrus, seu circuitus. Quingenti ergo calami ex toto circuitu sumendi sunt. Video hæc esse durinscula, sed non video quo alio modo solui possit hic nodus, si quis opportunius aliquid afferat, excipiam auide.

Vers.21. *Per quatuor ventos mensus est murum eius vndique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum.*] Hîc hærent interpretes; neque vident quomodo hæc cum superiori clausula conueniant. Putant enim iterari hîc per ἀνακεφαλαίωσιν, quæ proxime antecesserant. Et quidem Hieronymus, cùm videret hîc cubitos pro calamis esse suppositos, errorem agnoscit suum, putátque sibi minus attento cubitorum nomen excidisse, cùm in Hebraico textu non sit. Audi Hieronymum, *Illud autem, quod per simplicitatem interpretationis (dum parum attendimus celeritate dictandi) & Septuaginta habet, & nostra translatio, murum eius vndique per circuitum longitudine quingentorum cubitorum, & latitudine quingentorum cubitorum Hebraus sermo non continet; sed simpliciter quingentorum, vt subaudiatur calamorum. Sicut quarto supra dictum est ad Orientalem ventum, & ad Aquilonem, & ad Austrum, & ad mare quingentis calamis, murum partium singularum ab eo, qui tenebat calamum, fuisse dimensum.* Hæc Hieronymus. 21.

Ego hîc duo videor affirmare posse, non modò non reclamante, sed etiam fauente textu tam Græco, quàm Latino, imò etiam Hebraico; primum rectè ab Hieronymo positos esse *cubitos*, etiamsi in textu non inueniantur Hebraico: secundum de alio hîc muro agi, quàm nuper à vers.16. De primo satis mihi argumento est translationem illam fuisse semper probatam ab Ecclesia, & nunc ad extremum à Sixto, & quod ita ante Hieronymum, ipso teste, senserunt Septuaginta. Huius verò nunc à nobis reddenda ratio est. Et primùm obseruo in mensuris ac numeris à Hebræis interdum incertum, ac commune nomen pro definito, & certo; quia in numerando, ac metiendo illud solet frequentiùs adhiberi. Sic in numerando *argenteus* ponitur ab Hebræis, & tamen ibi *siclus* intelligitur; in eo nomine, quod ad pecuniam omnem argenteam patet. Sic etiã cùm mensurarum omnium in Scriptura sacra frequẽtissimus sit cubitus, in communi nomine mensuræ subaudiendus est. Quare optimè Hieronymus, & Septuaginta in hoc Ezechielis loco *cubitos* addidere. 22.

REGVLA. *Generale nomen pro speciali, & magis vsitato ponitur.*

Cubitus vsitatissima mensura inter Hebræos.

23. Secundò mihi videtur certum alium esse murum, quem nũc cubitis, ab eo, quem proximè calamis metiebatur architectus Angelus. Sunt enim, vt vidimus, tria atria, quæ tabernaculum in suo sinu, & quasi complexu continent. Atrium Gentium, quod proximè peribolus amplectitur; & atrium Israel, & sacerdotale, de quo suprà. Cùm autem de aliis egisset priùs accuratè, & sedulò; nunc agit de illo, quod primùm occurrebat, quódque adiri impunè poterat à Gentilibus. Quod ex eo videtur posse colligi, quia illud diuidere dicitur *inter sanctuarium, & vulgi locum.* Sanctuarium autem appello, quicquid ab atrio Gentium, ad tabernaculum vsque porrigitur; quia illud spatium sanctius est, & à sanctis, & mundis iniri poterat, quale putabatur Iudæorum genus: nam Gentes omnes pollutæ censebantur, & immundæ. Hæc mihi visa sunt neque dura, neque aliena à textu: melius fortasse alij, sed vt ego sæpius confessus sum, illorum cogitationes non omnino capio.

IN

IN CAP. QVADRAGESIMVMTERTIVM.

ARGVMENTVM.

ITERVM Prophetæ obiicitur visio, quæ principio ad fluuium Chobar: iterum videt illustres quosdam diuinæ maiestatis radios. Cúmque spiritu deductus esset ad Dei domum, ibi iubetur, vt populo expressum quoddam exemplar eorum, quæ viderat ab Angelo metatore descripta, legésque tradat, & ritus, quos in sacrificando reductus ab exilio seruare debeat. Et speciatim docet, qualis altaris holocausti futura sit forma; qui altaris lustrandi, ac dedicandi ritus, vt deinde in eo legitimè peragi sacrificia possint.

CAPVT XLIII.

1. *ET duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam Orientalem.*

2. *Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem: & vox erat ei quasi vox aquarum multarum, & terra splendebat à maiestate eius.*

3. *Et vidi visionem secundùm speciem, quam videram, quando venit vt disperderet ciuitatem: & species secundùm aspectum, quem videram iuxta fluuium Chobar: & cecidi super faciem meam.*

4. *Et maiestas Domini ingressa est templum per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem.*

5. *Et eleuauit me spiritus, & introduxit me in atrium interius; & ecce repleta erat gloria Domini domus.*

6. *Et audiui loquentem ad me de domo, & vir qui stabat iuxta me.*

7. *Dixit ad me: Fili hominis, locus solij mei, & locus vestigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israel in æternum: & non polluent vltrà domus Israel nomen sanctum meum, ipsi, & reges eorum in fornicationibus suis, & in ruinis regum suorum, & in excelsis.*

8. Qui

PARAPHRASIS.

A 1. POstquam mensus est Architectus Angelus tam peribolum, qui templi pomœria à vulgari habitatione secernebat, quàm murum, qui totam templi fabricam amplectebatur; progressus est ad Orientalem templi portam.

2. Tunc verò videre mihi visus sum Dei gloriam, quæ per illam Orientalem portam ingrediebatur; & audire vocem vehementem, qualis excitari solet ab aquis dum altè se per loca scopulosa præcipitant; & terra ab illius maiestatis radiis illuminata est.

3. Neque dissimilis erat visio ab illa,
B quam obiecit mihi Dominus in principio, quando venit, vt Hierosolymam tunc adhuc extantem euerteret, & species eadem, quæ oblata est ad fluuium Chobar: & sicut ibi quondam; sic etiam modò cecidi stupefactus, ac pronus in terram.

4. Maiestas porrò Domini ingressa est per portam Orientalem, quæ directò ferebat ad Sanctuarium.

5. Eleuauit me spiritus de terra, ad quam me deiecerat stupor è diuinæ maiestatis splendore conceptus, & introduxit me ad penitissimum, ac sacratissimum atrium, vbi erat tabernaculum; & vidi splendore diuinæ gloriæ plenam esse domum.

C 6. Audiui autem ex illius domus abditissimo secessu loquētem mecum; quod item audiuit metator ille Angelus, qui me ad illum vsque locum adduxerat, qui à meo latere non recesserat.

7. Dixit autem ad me is, qui de intima domo loquebatur: Fili hominis, locus iste, ille est, quem ego è multis vnum elegi, vbi solium mihi statuerem, & vestigiis pedum meorū scabellum sternerem suppedaneum; vbi inter filios Israel æternam haberem commorationem, quam polluit peccando domus Israel, fecitque vt ab illa

recede

A recederem, & Chaldæorũ armis vastandã tradiderim. Lõgè tamen melius sibi, ac tẽplo cõsulẽt deinceps filij Israël, & ipsorum Reges. Neque enim vltrà abiicient me, tãquam si quid essem sordidũ, ac vile, inductáque adulterantiũ more impia superstitione veram abiicient religionem, quã suis fornicationibus, & idolomaniis in lucis, & excelsis polluerunt, quæ tam Regibus, quàm populo ruinam inuexerunt.

8. *Qui fabricati sunt limen suum iuxta limen meum, & postes suos iuxta postes meos: & murus erat inter me & eos: & polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus, quas fecerunt: propter quod consumpsi eos in ira mea.*

8. Qui eò sunt impietatis progressi, vt in tẽplo meo impias excitauerint aras, &
B impura obiecerint sacrificia; tantum non in secessu meo, atque æde penitissima idolorum suorum altaria, aut monumenta locarunt. Posuerunt namque limen iuxta limen, & etiam postes iuxta meum limen, & postes: ita vt inter me, atque illorum fornicaria sacra vnus tantùm murus intercederet. Illis autem abominationibus nomen meum vile profitebantur, & sordidum; propter quod indignatus & illos consumpsi, & templum euerti.

9. *Nunc ergo repellant procul fornicationem suam & ruinas regum suorum à me: & habitabo in medio eorum semper.*

9. Nunc ergo abiiciãt impura, ac forni-
C caria sacra; & illa quæ Regibus, ac Regno ruinas intulerunt, & redibo iterũ ad eos, & inter illos stabile cõstituã domicilium.

10. *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam:*

10. Tu ergo fili hominis, vt populus pudore ex peccatorum cognitione confusus se ad beneficia recipienda, quæ iam ostendam, aptè disponat, ostende domui Israël quam vidisti templi fabricam, aut ædificandi templi expressum exemplar; & iube vt ipse quoque contempletur, & metiatur fabricam.

11. *Et erubescant ex omnibus, quæ fecerunt: Figuram domus, & fabricæ eius exitus, & introitus, & omnem descriptionem eius, & vniuersa præcepta eius, cunctúmque ordinem eius, & omnes leges eius ostende eis, & scribes in oculis eorum: vt custodiant omnes descriptiones eius, & præcepta illius, & faciant ea.*

11. Vt erubescant, eo quòd suis pecca-
D tis similem euerterim molem; & quòd illum offenderint, quem nunc tam experiũtur liberalẽ. Ostende igitur minutim quæ accepisti omnia; mensuræ, & fabricæ perfectum exẽplar, ingressus omnes, & egressus, vniuersámque formã accuratè descriptam; ac tandem eorum, quæ ibi fieri debent sanctè, atque legitimè, præcepta trade, ritus & cæremonias, & hæc omnia ipsis spectantibus in tabulis describe, vt cæremonias obseruent, & mandata cõpleant.

12. *Ista est lex domus in summitate montis: Omnis finis eius in circuitu, sanctum sanctorum est: hæc est ergo lex domus.*

12. Lex, atque descriptio domus, quæ
E excelso monte ædificãda est, ea est, de qua hactenus diffusè satis. Hic est ambitus, & circuitus, quẽ paulo antè in peribolo, muróque descripsi, in cuius complexu tabernaculum est.

13. *Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum, & palmum: in sinu eius erat cubitus & cubitus in latitudine, & definitio eius vsque ad labium eius, & in circuitu, palmus vnus. hæc quoque erat fossa altaris.*

13. Quando autem de sacrificiis agendum est, accipe nunc primùm de mensura, ac forma altaris holocausti. Et primùm exploranda est altaris magnitudo non vulgari cubito, sed sacro, atque verissimo, qui ad vulgarem vnum addit palmũm. Sinus qui est ad fundamentum altaris, & fossa quædã vndique circumducta, quæ

14. Et de sinu terræ vsque ad crepidinem nouissimam duo cubiti, & latitudo cubiti vnius: & à crepidine minore vsque ad crepidinem maiorem quattuor cubiti, & latitudo cubiti vnius.

15. Ipse autem Ariel quatuor cubitorum: & ab Ariel vsque ad sursum, cornua quattuor.

16. Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis: quadrangulatum æquis lateribus.

17. Et crepido quattuordecim cubitorum longitudinis per quattuordecim cubitos latitudinis in quattuor angulis eius: & corona in circuitu eius dimidij cubiti, & sinus eius vnius cubiti per circuitum: gradus autem eius versi ad Orientem.

18. Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Hi sunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum: vt offeratur super illud holocaustum, & effundatur sanguis.

19. Et dabis Sacerdotibus, & Leuitis qui sunt de semine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, vt offerant mihi vitulum de armento pro peccato.

20. Et assumens de sanguine eius, pones super quattuor cornua eius, & super quattuor angulos crepidinis, & super coronam in circuitu: & mundabis illud, & expiabis.

21. Et tolles vitulum, qui oblatus fuerit pro peccato: & combures eum in separato loco domus extra sanctuarium.

22. Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato: & expiabunt altare, sicut expiauerunt in vitulo.

23. Cùmque

A victimarum sanguinē excipit, & aliò trāsmittit, vno cubito profundus est, & altero in latitudinem patet. Hæc porrò fouea nō erit intra ipsam altaris fabricam, sed extremæ illius sedi, ac fundamento adiuncta, tota nempe eius definitio ad extremum vsque labium. Quam foueam per gyrum amplectebatur, ac muniebat peribolus quidā exiguus vno eleuatus palmo.

14. Ab eo sinu, siue fossa attollebatur altare; à sinu ad proximam crepidinem, quæ erat in altari nouissima, duorum cu-
B bitorum spatio producebatur altitudo. Porrò crepidinis ipsius latitudo, id est, spatium, quo superior pars retrahebatur introrsus, vnius erat cubiti. Ab illa verò infima crepidine ad crepidinem aliam superiorem quatuor numerabantur cubiti; crepido verò illa, sicut ea, de qua proximè, vno cubito procurrebat, & extendebatur ab illa superiori parte, cuius videbatur esse fundamentum, & basis.

15. Ex illa verò crepidine quatuor cu-
C bitis attollebatur pars altaris summa, in qua victimæ cremabantur, quæ dicebatur Ariel. Ab infima porrò sede Ariel ad supremam eius partem in quatuor angulis totidem columellæ extabant, siue cornua.

16. Erat autem Ariel ad æqualia latera quadratus duodenis cubitis latus, id est, ab Aquilone ad Austrum; longus totidem ab Ortu ad Occasum.

17. Arielis crepido duobus erat cubitis productior, quàm Ariel, qui duodenis tantùm cubitis quoquò versùs patebat;
D crepido verò tam longitudine, quàm latitudine ad summos vsque angulos quaterdenis. In summa verò Arielis parte corona quædam, seu peribolus semicubitalis extabat; & ibi sinus per circuitum cubitalis, cui ab Oriente gradus erant affixi.

18. Locutus est ad me spiritus, dixitq; Dei nomine, quales futuri essēt ritus, quibus initiaretur, & consecraretur altare, vt victimæ in illo offerantur, effundatur sanguis, & immolentur holocausta.

19. Præcipies Sacerdotibus, & Leuitis,
E qui genus suum deriuant à Sadoc, qui altari meo deseruiunt, vt sumant vitulum, & illum mihi offerant pro peccato.

20. Sanguine præterea vituli quatuor altaris cornua, quatuor angulos, & coronam per circuitum tinges; & hoc expiatorio ritu mundabis.

21. Vitulum, quem obtulisti pro peccato, exportabis extra sanctuarium, & loca quæ sunt adiuncta Sanctuario, & ibi in loco separato combures.

22. Secundo statim die sumes hædū, & offeres similiter pro peccato; qui neque deformis sit, languidus, aut aliquo captus

vitio,

23. *Cúmque compleueris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum.*

24. *Et offeres eos in conspectu Domini: & mittent sacerdotes super eos sal, & offerent eos holocaustum Domino.*

25. *Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie: & vitulum de armento, & arietem de pecoribus immaculatos offerent.*

26. *Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud: & implebunt manum eius.*

27. *Expletis autem diebus, in die octaua & vltrà, facient sacerdotes super altare holocausta vestra, & quæ pro pace offerunt: & placatus ero vobis, ait Dominus Deus.*

A vitio, & hædino sanguine, expiabis altare, sicut antea feceras vitulino.

23. Cúmque hoc piaculare sacrificiũ absolueris, offeres rursus vitulum, & agnũ; vtrũque probatũ, & sine macula, ac vitio.

24. Offeres, inquam, coram Domino vitulum, & agnum, quos Sacerdotes de more conspergent sale; ex illísque Domino holocaustum immolabunt.

25. Septem præterea diebus continẽter hircum, vitulũ, & agnũ offeres pro peccato; in quibus nulla sit labes, nullũ vitium.

B 26. Septemdiali sacrificio lustrabunt, atque mundabunt, ac denique consecrabunt altare.

27. Vbi his sacrificiis, ac ritibus altare fuerit dedicatum, à die octaua, & deinceps licebit iam reliqua peragere, quæ res exigit sacrificalis, & publica; qualia sunt holocausta, & pacificæ victimæ: & tunc vobis, inquit Dominus, propitius ero.

Vers.1. *Et duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam Orientalem.*]

1. DVBIVM est, an hæc porta sit atrij Gentium, an atrij Israël: nam in vtroque fuisse portam Orientalem è superioribus constat. Videri alicui posset, de primo atrio, quod Gentes admittebat, sermonem esse; ad quod è peribolo primùm progrediendum fuit. Sed mihi certum est Orientalem hanc portam esse atrij Israël: nam per illam ingressurus dicitur Princeps cap.46. neque alteri è populo futura peruia. Ratio verò redditur c.44. v. 2. *Quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam: & erit clausa Principi.* Est ergo eadem porta, per quam ingressa est gloria Domini, & per quam ingressurus dicitur princeps.

2. Vers.2. *Et ecce gloria Dei ingrediebatur per viam orientalem: & vox erat ei quasi vox multarum aquarum.*] Hæc à nobis suprà explicata sunt cap.1. v.24. & cap.10. neque est quod ad superiora addere plurimi intersit.

3. Vers.3. *Et vidi visionem secundùm speciem quando venit, vt disperderet ciuitatem.*] Ex hoc loco supra colligebamus quadrigam, & Cherubinos, de quibus cap. 1. significare Chaldæorum exercitum, quem Deus armauit, duxítque ad euertendam Hierosolymam. Sed cùm bis species illa oblata fuerit Prophetæ, semel cap.1. iterum cap. 9. & 10. vbi de ciuitatis exitio dictum est, non satis idoneè ex hoc loco colligitur, in primo illo quadrigæ, & Cherubinorum ingressu Chaldæorum exercitum, aut vim aliquam hostilem indicari, quæ Hierosolymæ cladem molitetur. Et sanè Hieronymus, Theodoretus, & alij visionem illam hic referri putant, de qua cap.9.& 10. vbi planè agitur de ciuitatis interitu.

4. Sed probo, quod principio dixi, eo loco, atque eo spectro hostilem impetum, & inimicorum castra portendi, quibus præerat Dux ipse, atque imperator Deus. Quod ideo mihi persuadeo; quoniam talis dicitur oblata species, qualis olim ad fluuium Chobar, quando Deus venit, vt disperderet ciuitatem. Quare spectare nos Propheta iubet caput primum, vbi spectrũ illud, & singulas partes accuratè describit. Ne-

In quadriga designatus Chaldæorũ exercitus.

C que alio loco video descriptam visionem, quam sibi ad fluuium illum oblatam scribit Propheta. Capite enim nono, vbi sex virorum gladiis permissa est Hierosolyma, non describitur visio illa de qua hoc loco: quare ex eo capite nihil acciperet lucis caput hoc 43. Neque præterea eadem se propheticis oculis obiecit visio, quæ ad fluuium Chobar, id est, quæ capite primo accuratè descripta. Non enim alia fuit species, quàm quæ cap. 8. proposita fuerat, quando quæ in templo abominationes exercebantur, ostensæ sunt Prophetæ: at illa species longè videtur fuisse à superiori diuersa. Neque enim aliquid habet amplius, quam quæ nunc audis ex vers.2. *Et vidi, &*
D *ecce similitudo quasi aspectus ignis ab aspectu lumborum eius, & deorsum ignis: & à lumbis eius, & sursum quasi aspectus splendoris, & visio electri.* Vide quàm sit hæc similitudo ab illa diuersa: sed hæc species fuit, quæ statim cap.9. venisse dicitur, vt ciuitaté disperderet; sic enim Propheta caput nonum aggreditur, cùm infanda populi peccata proposuisset. *Et clamauit in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquauerunt visitationes vrbis.* neque aliquid præterea de visione dicitur toto cap.9.

Plus nobis negotij exhibet cap.12. vbi species 5.
videtur oblata eadem, quæ in primo capite, aut certè non admodum diuersa, (quam ego cùm ab alia, de qua cap.8.& 9. non omnino eandem esse arbitror) multa tamen in ea legimus, quæ non
E traduntur in prima, multa omittuntur quæ alibi proposita, & accuratè descripta. Neque credo aliquid visionem cum prima omnino habuisse commune præter Cherubinorum quadriformẽ speciem. De his enim tantùm dicitur cap.10. v. 15. *Ipsum est animal, quod videram iuxta fluuium Chobar.* & hoc ipsum repetit vers.20. Quòd si reliqua talis essent formæ, qualem priùs vidisset ad fluuium; eodem etiam modo locutus esset de reliquis: quare cùm hoc de Cherubinis tantùm affirmat, de reliquis aliis videtur negasse. Cùm ergo constet speciem, de qua cap. 1. oblatam esse ad fluuium Chobar; & de aliis certi nihil habeamus præter Cherubinorũ formas, dicendũ vide-

tur necessariò, talem esse visionem nunc obiectam, qualem priùs capite primo descripsimus; atque adeò in illa aut Chaldæorum acies, aut vim aliam hostilem significari.

6 Vbi vulgatus *quando venit*, Heb. est בבואי *beboi*. id est, *cùm venirem*, & ita omnes fermè præter vulgatum conuerterunt, cum Chaldæo, & Septuaginta. Sed licèt verba sint mutata, eadem tamen sententia est, quocumque vertas modo. Sed priùs obseruandum est, vt sæpius ostendimus, maximè ad illud Isaiæ cap. 6. *Excæca cor populi huius*, tunc aliquid ab aliquo faciendum dici, cùm futurum dicitur, aut declaratur, vt probat exemplum nunc ab Isaia productum. Neque enim iubetur Propheta, vt caliginem offundat Iudæorum oculis, aut illorum obturet aures; sed vt illos cæcos, & surdos aut esse tunc, aut futuros esse denuntiet. Eodem modo Ieremias cap. 1. iubetur, vt *destruat, & ædificet; euellat, & plantet*. id est, vt plantandum, & euellendum esse prædicat. Iuxta hæc sensus erit, si textum intuearis Hebraicum; quando veni, vt prædicerem disperdendam esse ciuitatem, ab illo nempe exercitu, cuius in quadriga, atque animalibus intuebar imaginem.

REGVLA. *Fieri aliquid dicitur ab eo, qui faciendum denunciat.*

7. Septuaginta pro *disperderet*, legunt vt *vngeret*. fortasse pro שחת *sachath*, legerunt משח *masach*. Theodoretus respexisse putat LXX. ad cap. 9. vbi vncti videri possunt à viro linteato, qui atramentarium gestabat; illi in quorum frontibus inscriptum erat Tau. Hieronymus translationem illá non probat: neque ego video quid vnctioni commune cum cæde sit, nisi fortè quis putet ciuitatem eo vnctionis genere significari morti esse deuotam; vnguntur enim à pollinctoribus mortui, cùm ad funus, & sepulturam præparantur, tum apud externos, tum etiam maximè apud Hebræos, 2. Paralip. cap. 16. v. 14. de Asa. *Et sepelierunt eum in sepulchro suo, quod foderat sibi in ciuitate Dauid. Posuerúntque eum super lectum suum plenum aromatibus, & vnguentis meretriciis.* Et Ioannis cap. 19. v. 39. hoc ipsum pietatis officium legitimum Iudæis fuisse significatur. *Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm ferens mixturam myrrhæ, & aloes quasi libras centum.* Et statim additur, *sicut mos est Iudæis sepelire.*

Mortui vngi soliti ad sepulturam.

8. Verf. 4. *Et maiestas Domini ingressa est templum.*] Sicut egressa de templo fuerat Dei maiestas cap. 10. sic nunc eadem in templum reuertitur. Hinc tamen aliquid nobis obtendi possit superiori cogitationi contrarium. Diximus enim spectrum hoc esse simile illi, quod cap. 1. luculenter à Propheta descriptum est. In quo etiam exprimi dicebamus aut Chaldæorum exercitum, aut vim aliquam aduersariam, quæ ciuitati vastitatem inuexit. At species hæc non satis conuenit cum maiestate Dei, quæ nunc postliminio rediisse traditur in sedem, ex qua priùs dicitur egressa. Sed est quod respondeam, primùm militarem, vt humano loquar modo, virtutem, & victoriam reportatam ab hostibus; aut aliquid fortiter, atque feliciter gestum pro aliorum libertate, ex vsu Scripturæ vocari gloriam Dei. Sic Exod. cap. 15. demerso Pharaone cecinerunt Hebræi, *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Sic Isaias in visione non admodum dissimili cap. 6. v. 9. cùm grauia minaretur, talia videlicet, qualia sub hæc tempora passus est Iudæorum populus, vidisse dicitur gloriam Dei. De quo Ioannes cap. 12. v. 40. *Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam eius.* & Eccli. c. 36. *Glo-*

Virtus bellica, aut victoria gloria dicitur Dei.

A *rifica manum, & brachium dextrum: excita furorem & effunde iram.* Rediit igitur in templum Domini maiestas, eo habitu, quo victor imperator cum exercitu veloci, ac strenuo, qui ab eius vel leuissimo nutu nunquam discederet, quémque in quadriga, atque animalibus expressum vidimus, vt veterem sibi possessionem vendicaret; illámque illa quasi bellatrici potentia tueretur. Nisi mauis existimare rediisse cum exercitu Persico, quo Babylonicam potentiam fregit, & aperuit captiuo populo ad libertatem aditum. Adde quòd Deus in templo, quod splendore suæ maiestatis impleat, fuisse dicitur, tanquam in arce, vbi creditum sibi populum tueretur. Hæc B verò custodia satis aptè significatur in Cherubinis, & quadriga, quæ aliquid strenuum, & militare protendunt. Sanè Psal. 67. v. 38. de templo pugnaturus dicitur, sic enim nos explicuimus illud, *Mirabilis Deus in sanctis suis* (id est, in Sanctuariis suis) *Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ.* id est, sicut olim Deus pugnauit è nubibus: sic nunc è templo suo. 9.

Per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem.] Sicut olim egressus est Deus per Orientalem portam, quia illa rectà Sanctuarium spectat: sic etiam nunc, quia rectà ad Sanctuarium reuertitur, per Orientalem portam ingressus est. 10.

Verf. 5. *Et eleuauit me spiritus, & introduxit me* 11.
C *in atrium interius.*] Ceciderat Propheta in faciem suam, cùm primùm ipsi obiecta est visio, sicut etiam cùm iterum illam antè viderat cap. 2. v. 1. Vt autem tunc primùm, sic etiam nunc à spiritu excitatus est. Neque puto aliquid hîc aliud esse intelligendum, quàm quod ibi notauimus; quare inde huius loci explicatio sumenda est. Spiritus autem idem, qui cadentem erexerat, in interiorem templi partem induxit, in atrium, opinor, vbi templum erat, quod comparatione aliorum simpliciter interius appellatur.

Verf. 6. *Et audiui loquentem ad me de domo.*] 12.
Hæc propheticis oculis, id est, internæ cogitationi oblata sunt. Neque enim tunc tēplum erat D quod aliquot antè annis excidere Chaldæi; neque si foret, intueri posset, cùm procul abesset à Iudæa. In illo autem imaginario templo, & ex illius intimo, ac religiosissimo secessu audire sibi visus est vocem, absque dubio illius, qui personam repræsentaret diuinam, vt probat sermo totus, quem accepisse se Propheta ipse testatur. Lyra ex Hebræorum sententia putat, illud *de domo*, non tam locum, vnde vox audita, quàm argumentum, de quo susceptus est sermo. Quasi ibi ageretur de excitanda, atque illustranda domo, & ad veterem formam instauranda. Sed alij fermè omnes contrà sentiunt; & omnino verè. Nam de ædificanda domo satis hactenus multa; E & quod ad formam, atque mensuram attinet nihil describi, aut præscribi poterat accuratiùs. Adde quòd in eo, quod reliquum est capitis, de domo construenda, aut describenda nihil, sed totum ad sacrificandi, sacrificiorúmque genus, & formam confertur. Quare hæc Hebræorum, ac Lyræ cogitatio minus est ad capitis continens filum, &, vt reor, ad veritatem.

Et vir qui stabat iuxta me.] Supple, audiuit 13.
quoque mecum vocem loquentis de domo, id est, de abditissimis templi penetralibus. Vir autem ille erat Architectus ille Angelus, qui lino, calamóque mensorio metatus fuerat singula tēpli spatia, & construendæ fabricæ formam expresserat. Neque nouum est vt Angeli vocentur viri;

Angelus cur dicatur vir.

viri; vel quia in illis nihil est, quod non virtutem, atque constantiam oleat, quæ præcipua est virorum commendatio; aut quia virilis illis affingitur species. Quare non placet illa Hebræorum non satis pia cogitatio, qui putant Cherubinos à Moyse in tabernaculo descriptos vtroque sexu fuisse distinctos, cuius sententiæ princeps existimatur fuisse Rab. Salomon. Et miror cogitationem illam verè Rabbinicam placuisse Montano, qui in apparatu eo libro, quem inscripsit *Noah*, siue de arcæ fabrica, titulo *de propitiatorio*, vtrumque sexum in Cherubinis agnoscit. Sanè vbicumque de Angelis in sacratis literis occurrit sermo, fœmineum nihil, virile plerumque aliquid audimus. Angeli, qui assumpto in cœlum Christo Apostolis apparuerunt, viri dicuntur Actor. cap. 1. & qui fœminis ad Christi sepulcrum obiecti sunt Lucæ cap. vltimo, & mille aliis in locis. Cúmque genus spiritibus tribuatur masculinum, & neutrum perquam rarò, nullibi tamē in genere nominātur fœmineo.

Error Hebræorum, qui sub vtroque sexu Angelos effingunt.

14. Vers. 7. *Et dixit ad me, fili hominis locus solij mei, & locus vestigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israël in æternum.*] Ex his cōstat Deum esse, aut Angelum, qui diuinam repræsentabat personam, vt alibi in Scriptura sæpe, illum cuius vocem de domo acceperat Propheta. Quæ vox vendicare sibi videtur locum illum, ex quo vrgentibus Iudæorum peccatis excesserat. Ait ergo illum esse locum, quem sibi è multis vnum elegisset, vbi inter Cherubinorum alas soliū sibi in æternum statuisset, & suppedaneum sibi strauisset scabellum, aureum videlicet operculum, quod etiam propitiatoriū appellatur. Porrò post *fili hominis*, subaudienda est, *iste est*, in hunc modum: *iste est locus solij mei*, &c. Illud *habito* consuetudinem designat, id est, habitare soleo, quomodo is, qui docere, aut iudicare solet, dicit, *ego doceo*, aut *ego iudico*. *In medio filiorum Israël*, idem est quod *inter filios Israel*. Neque enim Ierusalē promissæ terræ, quocumque consideres modo, medium obtinebat. *In æternum* non significat, quod nullo clauditur fine; sed quod diuturnum est, vt aliis in locis sæpe notauimus. Neque enim æterna fuit, vt constat diuina in illo loco commoratio, cùm euerso templo longo septuaginta annorum spatio, ex illa se statione subduxerit, & iam pridem locus ille desertus sit à Deo, secundùm specialem illum modum, quo illi præesse, aut astare consueuerat.

15. Ostendit autem Deus, quantum sibi olim in eo loco complacuisset, quando tēplo dedit quod cœlo, & terræ; nempe vt sedes esset sua, & locus vbi pedum insisterent vestigia. Sic Isai. cap. 66. v. 1. *Cœlum sedes mea est; terra autem scabellum pedum meorum.* Sed Iudæorum peccata electam illam domum ita contaminarunt, vt eam Dominus nō deseruerit solùm tanquam alienam; sed etiam Chaldæorum furori, atque incendio permiserit.

16. *Et non polluet vltrà domus Israel nomen sanctum meum.*] Indicare videtur Dominus cur è Sanctuario ante illum temporis articulum excesserit, quia nimirum sic erat pollutum iis sordibus, de quibus statim; vt habere illic maiestatis solium nullo modo diuinam munditiem, ac sanctitatem deceret. Quare ait altum postea futurum animum, aliud studium Hebræis in suas sibi sedes ab exilio reuersis: neque enim quod fecere priùs diuinum pollueut nomen; id est, vile putabunt, aut quasi pollutum aliquid esset, auersabuntur, & contemnent.

A Ex hoc loco nonnulli efficere se putant, nullo modo hæc ad Solymitanum templum, Iudæorúmque rempublicam pertinere; quia vident neque æternum fuisse domicilium illud, cùm iam pridem desertum sit à Deo, neque tā fuerit gens Israelitica in fide, ac religione constans, vt nō illud inuectis Gentilium sacris, & peregrinis sordibus rursus inquinauerit. Ego, vt sæpe aliàs in argumento simili, existimo sermonem hîc esse de instaurando Solymitano templo, reuocandáque in illud antiqua sanctitate; & eò spectare quæcumque hactenus à metatore Angelo de tēpli fabrica proposita fuerunt. In hac tamen Ichnographia rudi altiorem aliam excitari molē; 17.

Instauratū templum, & soluta captiuitas typus Ecclesiæ.

B Ecclesiam videlicet, cuius typus est & templum instauratum, & in statum meliorem reuocata Iudæorum respublica; vt pluribus ostendimus in præfatione quadam ad caput Isaiæ quadragesimum. Porrò futurum esse in restituto populo antiquam sanctitatem, & fidem, cecinerunt præter Ezechielem alij etiam Prophetæ. Isaias cap. 1. v. 25. cùm ageret de hoc ipso populo post exilij ærumnas in patriam reuocato, eadem penè dicit, quæ nunc Ezechiel. *Excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum. Et restituam Iudices tuos, vt fuerunt priùs; & consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Idem Zacharias cap. 8. cùm de hoc ipso statu, ac tempore

C loqueretur, *Reuersus sum ad Sion, & habitabo in medio Ierusalem: & vocabitur Ierusalem ciuitas veritatis, & mons Domini exercituum, mons sanctificatus.* De hac re pluribus Ezechiel in postremis verbis capitis etiam postremi.

Neque id quod obiiciunt, qui contrà sentiūt, admodum premit hanc cogitationem; non enim de quibuscumque sordibus sermo est, sed de illis, quæ ex idololatria nascuntur, vt quæ proximè succedunt non obscurè docent. Iudæi verò post tempora Babylonica, licèt vitam interdum egerint in alia omnia vitiorum genera proiectam, non tamen sicut parentes olim gentilicæ superstitionis sordibus adhæsere. Mitto 18.

Iudæi post exiliū quomodo idola coluerint.

D illud infelix tempus sub Antiocho, in quo aliqui, vt Tyranni sæuitiam declinarent, idolis supplicarunt, qui non tam visi sunt idolorum vesaniæ, quàm barbari hominis succubuisse tyrannidi. Illud etenim tempus breue fuit, & magnis illustre pietatis exemplis; cùm illius impietatis Machabæi vindices plus addiderint gloriæ ciuitati, ac templo, quàm Græcorum violentæ fraudes, & Iudæi à religione transfugæ detraxerant. Quomodo aliquando Iudæi idola post exilium coluerint, diximus cap. 36. num. 47.

Ipsi, & Reges eorum in fornicationibus suis: & in ruinis Regum suorum, & in excelsis.] Hîc iam se produnt illæ sordes, quibus pollutum esse dicitur 19.

E tabernaculum, quod sibi Dominus domicilium voluit esse perpetuum. Nemo nescit idololatriam dici fornicationem, vt docuit hîc Propheta mille aliis in locis. Superiori autem tempore non solùm à vulgari, atque ignobili turba; sed etiam à Regibus, ac Sacerdotibus, atque ab iis, qui Prophetæ sibi nomen, & munus vsurpabant, impiæ excitabantur aræ, & in idolorum honorem nefariæ mactabantur victimæ. Et vt omittam alios, extremis Iudaici Regni temporibus tres postremi Reges, sub quibus magna accepit detrimenta, & ad extremum concidit res Iudaica, & penè extinctum fuit Iudæorum nomen; gentilicis se superstitionibus implicuerunt, de quibus lib. 4. Reg. cap. 23. & 24.

dictum est fecisse malum, sicut & parentes suos, quod omnes verè de idolorum cultu scriptum accipiunt.

20. *In ruinis Regum, & in excelsis.*] Hæc locum indicant, vbi excitatæ idolorum aræ, & diuini illis honores impensi, nempe in excelsis, & lucis quæ abundasse altaribus, & Gentium simulacris non semel è sacris literis accepimus. Illud *in ruinis Regum*, fortasse respicit Iosiæ tempora, qui, vt habes 4. Reg. cap. 23. euertit lucos, sustulit excelsa, demolitus est aras, & quicquid impij Reges in idolorum honorem excitarant, funditus deleuit. *Altaria quoque, quæ erant super tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant Reges Iuda, & altaria, quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit Rex, & cucurrit inde, & dispersit cinerem eorum in torrentem Cedron. Excelsa quoque quæ erant Ierusalem ad dexteram partem montis offensionis, quæ ædificauerat Salomon Rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum*, &c. Hæc loca, in quibus constructæ priùs ab impiis Regibus, & deinde à Iosia Rege euersæ sunt aræ, ruinas ego Regum appello, quas excitauerunt postea sanctissimi Regis degeneres filij, secuti potiùs aliorum Regum pestilentes mores, quàm parentis optimi religiosum exemplar. De quibus 4. lib. Reg. c. 23. & 24. dicitur, *Fecit malum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerant patres eius.*

21. In *ruinis*, vt dixi, impia significantur sacra, & aræ nefariæ, quæ fortasse ideo vocantur ruinæ; quia & Reges ipsos idololatras, & illorum statum, & regna perdiderunt. Est autẽ in omni lingua visitatum, & frequens, vt effectus causæ suæ nomen attribuat, per metonymiam, quomodo *labem*, & *pestem* dicimus illum, qui rei communi, ac publicæ labem, ac pestem intulit. Et ne longius exemplum petamus, idola *confusio* dicuntur, & *ignominia*; quia id officiunt, vt ipsorum cultores ignominiam subeant, & confusionem. Sic ergo idola ruinæ vocantur; quia vt Reges ignominiosè ruerent, perfecerunt. Porrò illud &, particulam esse arbitror expositiuam, sicut etiam postea vers. 9. in hunc sensum, *In fornicationibus suis, id est, in ruinis Regum suorum.*

Idola vocata ruina, & confusio.

22. Quidam ex Hebræis in ruinis Regum, eorum intelligunt cadauera; putántque ideo Deum in illorũ cadaueribus grauiter offensum, quia iuxta templum in horto proximo condebantur. Idque probant, quia Manasses, & eius filius Ancon in horto quodam sepulti sunt. Sanè hæc leuissima sunt; neque video tantum esse sceleris in illa sepultura, vt ideo Deus è templo, id est, ex suo domicilio excedere debuerit: maximè quia sine fundamento vllo temerè affirmant, sicut alia plurima, Regum cadauera prope templum in horto tumulata. Nam de Manasse lib. 4. Reg. c. 21. v. 18. tantùm dicitur, *Dormiuitque Manasses cum patribus, & sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza.* & vers. 26. de Amon, *Sepelierúntque eum in sepulcro suo in horto Oza.*

23. Si pro *ruinis* supponendum esset *cadauer*, quod non puto, aliter ego locum interpretarer, in quo appareret grauior aliqua ratio, quæ diuinum instimularet furorem. Si verum esset, quod de Ioacim tradit Historia scholastica in lib. 4. Reg. q. 39. quòd abiuratæ religionis inusta corpori signa circũtulerint; satis grauis videtur esse causa, cur Deus illud hominum impium genus abiecerit. Quod alij quoque Reges, de quibus idẽ in Scriptura testimonium, fecisse non est incredibile. Gestabat autem inustum corpori idoli nomen, quod colebat, quódque vocabatur Co-

Ioacim corpori inustũ idoli nomẽ.

A donazer; quod videtur posse colligi ex lib. 2. Paral. c. 36. v. 8. *Reliqua autem verborum Ioacim, & abominationes eius, & quæ inuenta sunt in eo, continentur in libro Regum Iuda.*

Hæc mihi magis ad rem videntur, quàm quæ de cadaueribus prope templum sepultis commenti sunt Hebræi. Quòd si apud Hebræos illa vigeret consuetudo, quæ apud nationes alias; vt Reges, vbi inter viuos esse desiissent, in Deorum numerum, ac censum referrent; nihil aliud nobis esset inuestigandum à cadauere, quod Deus totius imperij vastitate mulctaret: sed nullum, quod ego viderim, extat in Scriptura tam impiæ, atque insanæ adorationis vestigium. Et vox B Heb. פגרים *pegarim*, non solùm cadauera significat, sed etiam ruinas. sic suprà cap. 21. vers. 14. *Multiplicat ruinas*, & Psal. 109. vers. 6. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* 24.

Vers. 18. *Qui fabricati sunt limen suum, iuxta limẽ meum, & postes suos iuxta postes meos, & murus erat inter me, & eos.*] Hîc interpretes varij sunt, quorũ plerique eò incumbunt, vt putent reprehẽdi hîc à Domino Reges, aut quòd prope templum domos sibi regias ædificauerint, aut cùm loci vicinitas illos ad pietatem inducere debuisset, nihilo tamen religiosius vixerint, quàm si longè abessent à templo, & in regione habitarent moribus instituta gentilicis. Ita fermè cum Hieronymo Dionysius, Maldonatus, & Hugo. Non lõ- C gè hinc abit Theodoretus, qui ex propinquitate domorum prouenisse dicit, vt Reges, cùm facilem haberent ad templum ingressum, in templo illa solitos esse facere, quibus domi ludicram, aut familiarem operam nauare consueuissent; non secus, ac si sacer ille locus profanis vsibus, forensíque ministerio foret destinatus. Quod grauiter tulit Deus, & quasi locus ille contaminatus esset, & indignus, quem Deus præcipua quadam religione commendaret, Chaldæorum illum feritati, atque incendio permisit. Grauis sanè res est, quæ sacra sunt alieno ministerio temerari, & dari pessum à profano pede. Quæ res D grauiter affecit, & perculit Christi pectus, Mat. cap. 11. v. 12. & Marc. 11. v. 15. *Et cum introisset in templum, cœpit eiicere vendentes, & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & non sinebat, vt quisquam transferret vas per templum. Et docebat dicens eis, nónne scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus Gentibus; vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Et addit Ioannes cap. 2. vers. 17. *Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est: zelus domus tua comedit me.* 25.

Templi vicinitas ad sanctitatem hortatur. Pro religiosis.

Templorum religio, & reuerentia.

Hæc ego non improbo, eo maximè nomine quòd probantur multis. Sed puto longè probabilius quod visum est Lyræ hîc indicari aliquid, E quod in tẽplo impiè in idolorum cultu instituerunt tam Reges, quàm alij, qui se ad regios mores, & ingenium informant. Quod sanè cõtigisse proximè ante Iosiæ Regnum, id est, paulo antequam ab Ægyptiis, atque Chaldæis tentari cœpit, atque atteri res Iudaica, ex lib. 4. Reg. cap. 23. satis abundè constat. Nam vers. 6. *Efferri fecit lucũ de domo Domini foras Ierusalem in conuallem Cedron.* & v. 7. *Destruxit quoque ædiculas effœminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant, quasi domunculas luci.* Et vers. 11. *Abstulit quoque equos, quos dederant Reges Iuda, soli in introitu templi Domini.* Neque magis pura fuerunt tempora, quę proximè ciuitatis, & templi exitium præcesserant, vt satis probãt, quæ obiecta sunt Ezechieli cap. 8. 26.

Templum à Iudæis variè pollutum.

cap.8. vbi impura,atque nefaria sacra in Deorum cultum instituta,atque impensa traduntur. Propter quæ gloria Domini egressa dicitur de templo;& facta sedes,de qua statim cap.9.& hæc postrema in mea me cogitatione valde confirmant. Neque enim puto aliud à Domino hic significari factum, quam quod ibi fieri vidimus; nempe relictam esse domum, quia sordes illam gentilicæ fœdauerant.

27. Neque meo iudicio aliud sibi volunt limen iuxta limen,& postes iuxta postes extructi; quia iuxta postes, & limina aræ excitabantur in idolorum cultum;aut quia sacris fuerant vsibus destinata,ad impia ministeria traducebantur. Vide cap.8.& disce, qualisnam religio, aut quæ potiùs sordes gazophylacia, & atria contaminarint. Iuxta limen autem, & postes impia illa sacra dicuntur instituta,quia,vt vidimus cap.8.v.16.non intra adyta, aut Sancta sanctorum, quæ propriè domus dicitur Dei; sed prope vestibulum peracta esse dicuntur.Hæc eadem dixerat multo ante hæc tempora Isaias cap.57.v.8. *Iuxta me discooperuisti,& suscepisti adulterum.* Vbi docet Propheta cõ progressam esse ingrati,atque infidelis populi intemperantiam, vt præsente, atque dolente sponso, in eodem cum sponso thalamo concumberet,id est,in eodem templo,vero Deo legitimos, non legitimè, & dæmoni nefarios honores impenderent. Vide quæ in illum Isaiæ locum adduximus, quæ valde sunt ad hanc explicationem opportuna.

28. Vers.9. *Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, & ruinas Regum suorum a me.*] Docet iam apertiùs,cur vrbem sibi priùs electam,templúmque reliquerit, dum docet, quid à Iudæis postea curandum sit,si velint,ne rursus excedat; nempe vt à fornicationibus, id est, ab idolorum sordibus abstineant, & ruinas obliuiscantur Regum, loca videlicet euersa priùs à Iosia, deinde a sceleratis filiis instaurata; seu certè à vano Deorum cultu, qui Regibus ruinam, & exitium attulit. Hic ego, vt in simili dixi ad vers.7. & exegetica particula est,quæ nõ tam extrema copulat, quàm vocem præcedentem exponit.

29. Vers.10. *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum,& confundantur ab iniquitatibus suis.*] Non hic Deus metitur templum, aut illius formam ob oculos Prophetæ ponit,quia iam à metatore Angelo illius formam, & mensuram acceperat; sed iubet, vt quæ ipse didicit, ad populares referat,idque duabus præcipuè de causis. Altera est, quam pluribus in quadragesimi capitis præfatione explicuimus, vt ad propositum exemplar, cùm primùm patrios fines reuiserent, templum instaurarent. Altera nunc adducitur, eaque grauis, vt proposita templi veteri forma illos peccatorum suorum memoria pudefaceret; quæ id effecit,vt tanta,támque pretiosa moles interiret. Quod sanè ad rem moralem graue est; neque enim leuis est dolendi, aut erubescendi causa, cùm quis considerat, quam rebus antea speciosis ignominiam, & labem peccatum inuexerit; vt templum antea Dei, & illius delicias in ferarum lustra,& fœda, atque olida prostibula conuerterit, vt illustria Domini beneficia contempserit, conculcauerit testamenti sanguinem, & Christum iterum recrudescente passione, quam sub Pilato pertulit,ignominiosè traduxerit. Dolebat Ieremias cùm ad templi ruinas cogitationem retulit Thren.cap.4.v.1. *Quomodo obscuratum est aurum,mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij per capita omnium platearum.* At grauiùs multo dolendum est,quod templum olim Solymitano multo gloriosius;& vbi Deus multo quàm in Solymitano iucundiùs morabatur, obscuratum sit,& dispersis illius sanctuarij lapidibus per platearum capita, ad profanum se,ac sordidum ministerium abiiciat.

Peccati dãna grauissima.

Memoria eorum, quæ peccando amisimus, confundit.

30. Est præterea ruboris alia,atque mœroris causa,quod populus ille Deum deseruerit, commutaueritque cum idolorum monstris; quem post tot iniurias, post violatam fidem, post prostitutum connubiale torum tam illum experiatur liberalem, & iterum instauret collapsam domum, & syluarum in modum efferatam; & excitato rursus, atque ornato nuptiali thalamo, rursus ad connubiale fœdus,rursus ad oscula,& amplexus inuitet.Illud enim indicat, quod statim additur: Sunt qui putent edici hìc Ezechieli à Domino, vt primùm formam, atque mensuras templi Iudæis ostendat;quòd si illos eis propositis, peccatorum suorum suppuduerit, ostendat reliqua, quæ ad sacrificiorum ritum, & ordinem spectabant;ita cum Chaldæo alij nonnulli. Ex quibus id habet moralis concionator, ruborem ex peccatorum cognitione conceptum, ad alia beneficia aditum aperire; sicut inuerecundus animus aditum ad misericordiam occludit.

Beneficia post iniuriã pudorem afferunt.

Pudor ex peccato aditum ad alia beneficia aperit.

31. Vers.11. *Figuram domus,& fabricæ eius exitus, & introitus,& omnem descriptionem eius: & vniuersa præcepta eius.*] De figura domus nihil hìc habemus, quia satis multa quadragesimo capite. De præceptis iam agere aggreditur, quæ in re sacrificali seruare debet populus in antiquum locum, atque ordinem restitutus. Quare accuratè agit de sacrificandi ritibus,quia, vt alibi pluribus ostendimus, sacrificiorum leges longo septuaginta annorum interuallo aut exciderant, aut obsoleuerant.

32. *Ista est lex domus in summitate montis.*] De domo, totáque templi fabrica, vix vnum verbum, in quo breuis quædam comprehenditur summa eorum omnium, quæ per tria superiora capita metator Angelus latè descripsit. Hæc verò vox primùm spatium omne complectitur,quod templi sedes occupat, & atriorum, quæ illud vndique circumfundunt, immò & periboli, qui suo circumductu totius sacræ molis spatia definit, in summitate montis, nempe Moriæ; in quo priùs a Salomone Domus constructa, & postea à Zorobabele restituta est. Quantum verò spatium illud fuerit, quod ad templi fines porrigebatur, suprà cap.42.v.16. dictum, nempe quingentorum calamorum.

33. Vers.12. *Omnis finis eius in circuitu Sanctum sanctorum est.*] In ipso atriorum periboli que complexu, claudebatur pars illa sacratissima, quæ propriè dicebatur domus Dei,siue oraculum;& magis familiari vocabulo Sancta sanctorum. Et id nunc explicat ille, cuius de domo Domini vocem audiebat Propheta. Ac si dicat, quicquid operis extructum est in spatio hoc laxo, quod definit, continétque peribolus, ad templi pertinet maiestatem, & locum: & iterat quod paulo antè dixerat, *Hæc est lex domus.* Ac si dicat,de domo nihil iam ampliùs esse quærendum, quàm quod ipse priùs Propheta ab architecto Angelo didicisset. Quare statim ad sacrificale ministerium,& leges sermonem traducit.

34. Vers.13. *Ista autem mensura altaris in cubito verissimo.*] Acturus de sacrificandi ritibus orditur ab altari holocausti: (quod in atrio Sacerdotum

erat è regione vestibuli sanctuarij) quia ad illud frequens, & pene continua victimarum cædes. Dimensus est autem illud cubito verissimo, de quo egimus cap.40. vbi duo genera cubitorum statuimus, alterum sacrum, quod hic verissimum appellat Propheta; profanum alterum, & vulgare; illud ad communem cubitum palmum adiicit, vt hic expressè vides; hoc tantum longitudinis habet, quantum est à brachiorum flexu ad summos vsque digitos: ille sex constat palmis, id est, digitis viginti quatuor; hic tantùm quinque, id est, viginti digitis. In hoc verò altari partes oportet esse varias, quando variis quoque distinguitur mensuris, de quibus iam agendum. In quo nonnihil nobis ponendum est operæ; neque enim res est, aut cognitu, aut explicatu facilis.

Altaris holocausti forma.

35. *In sinu eius erat cubitus, & cubitus in latitudine.*] Describit altare hoc holocausti Villalpandus, & eius nobis formam effigiat. Sinus hoc loco est altaris pars infima, & eius quasi fundamentum, quæ statim appellatur fossa, quia sanguinem excipit victimarum, & per occultos, ac subterraneos meatus aliò transmittit. Hæc verò fossa ab infimo altaris fundamento, ac basi, & extra illam vno cubito verissimo demittebatur in profundum, & tantundem in latitudinem patebat. Ad eum, credo, modum, quo in domorum circuitu depressæ circumfunduntur foueæ, seu canales, quæ pluuiales excipiunt aquas, eásque non sinunt ad ædium parietes allabi. In his autem canalibus cæca quædam, seu occulta foramina, per quæ victimarum sanguis, aut lustralis aqua, quæ altaris cruorem abluebat, extra templum efflueret. Ita Aristæus in historia Septuaginta interpretum. *Sunt*, inquit, *& apud aræ basim frequentes apertura, omnibus quidem, nisi his, qui ministrant, incognitæ; quarum influxu, & impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgatur.*

36. *Et definitio eius vsque ad labrum eius.*] Hic sinus ille, seu fouea, quam vno latam cubito dixerat, & altero profundam, erat non intra altaris fabricam, aut molem, sed adiuncta illi, & extremum eius parietem, seu latus attingens: ibi namque finiebatur fouea, vnde extremum altaris latus assurgebat. Iuxtà verò definitio erat, id est, quædam quasi corona, quæ extrorsus ad extremum labium, illam amplectebatur.

37. *Et in circuitu palmus vnus.*] Ambibat canalem illum, siue foueam peribolus exiguus, vno altus palmo, fortasse ne quid extra fossam sanguinis efflueret, & atrij pauimentum inficeret; qui pars censeri poterat fossæ, quia ad illius vsum erat adiunctus; & ideo statim subditur, *Hæc quoque erat fossa altaris.* quia aquæductum, seu sanguinis potiùs ductum quoquo versùs claudebat, reddebátque magis aliquanto capacem.

38. Vers.14. *Et de sinu terræ vsque ad crepidinem nouissimam duo cubiti, & latitudo cubiti vnius.*] Hinc constat sinum, seu canalem, aut fossam esse in ipso pauimento; neque ab illo extare, vt nuper dicebamus. Erant autem in altaris longitudine interualla quædam spatiis, mensurísque diuersa, quæ molem illam coangustabant magis, quo magis attollebatur sursum. Quælibet pars suum habebat fundamentum, & sedem; quarum hîc longitudo describitur, & latitudo. Latitudinem voco spatium illud, quo pars inferior crassitudinem superioris excedit; gradum nempe illum, qui à superiori parte extrorsus procurrit, suáque definitur, & clauditur crepidine. Hæc spatia metitur singulatim Propheta; & ait à terra, id est, à sinu, seu canali ad crepidinem nouissimam duorum cubitorum esse longitudinem: latitudinem verò cubiti vnius, quia superior pars tantundem à crepidine retrahebatur introrsus, & gradum, siue podium relinquebat vno cubito latum, qui censeri possit inferioris spatij latitudo.

Et à crepidine minore vsque ad crepidinem maiorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti vnius.] Secunda pars, & quasi membrum illius sacræ molis, quam vno cubito contractiorem esse diximus, quatuor cubitis in altum assurgebat, & ab eo spatio tertia rursus moles attollebatur, vno cubito, quàm inferior, angustior. Ait ergo Propheta à crepidine inferioris partis, vsque ad alteram superioris crepidinem quatuor esse cubitos; quæ partis illius secundæ longitudo est. Vnum autem esse latitudinis, quia alius rursus gradus, siue podium relinquebatur, à tertio, vt ita dicam, tabulato, quod erat summum in altari. 39.

Vers.15. *Ipse autem Ariel quatuor cubitorum.*] Ariel vocatur altaris summa pars, in qua cremabantur victimæ, licèt totum altare à nobiliori parte vocari soleat Ariel, de cuius nominis vsu, ac notatione agemus statim; nunc verò de mensura. Ex illo podio, siue gradu, quem relictum esse diximus è secunda contabulatione, attollebatur tertia, quatuor in altum exaggerata cubitis. Hæc est tota Arielis altitudo. 40.

Et ab Ariel vsque ad sursum cornua quatuor.] In Ariel finiebatur id, quod propriè dicebatur altare. Sed è quatuor illius angulis totidem extabant columellæ, seu cornua, quæ ad speciem aliquid addebant non vulgare, de quorum vsu postea.

Vers.16. *Et Ariel duodecim cubitorum longitudinis per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulatum æquis lateribus.*] Patebat duodecim cubitis Ariel tam in longitudinem, quàm in latitudinem. Dicitur autem latitudo illa, quæ templi latitudini respondet, ab Aquilone videlicet ad Austrum; longitudo verò ab Orientali ad regionem Occiduam. 41.

Vers.17. *Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis eius.*] Prominebat Arielis crepido, vt apparet vno cubito, atque ideo necesse erat vt vno cubito longior esset, & latior crepido ab vtraque parte quàm latera, & duobus item cubitis esset productior. quæ mensura ab angulis ad angulos vsque crepidinis sumebatur. Est qui putet de crepidinum aliarum partium mensura sermonem hîc esse, quas esse latiores ex superioribus constet, quod fortasse verum. Sed sanè durum est ab Ariele ad alia, de quibus actum antè fuerat, repentè mutatum esse sermonem: præsertim cùm statim ad Arielem redeat oratio, cùm semicubitalem illius coronam describit. 42.

Et corona in circuitu eius dimidij cubiti.] Sicut sinus seu canalis ab inferiori parte peribolo, seu corona palmari cingebatur; sic etiam pars altaris summa corona, seu peribolo claudebatur semicubitali, eo fortasse consilio ne ex ara, seu sinu, in quo cremabantur victimæ, quicquam foras efflueret. 43.

Et sinus eius vnius cubiti per circuitum.] Quidam reuocari sermonem existimant ad sinum, de quo primùm; id est, ad fossam, seu canalem, quæ adiuncta fuerat infimæ basi. Quod mihi videtur paulo durius, cùm satis accuratè de illo actum antea fuerit. Potiùs existimarem describi hic arulam, 44.

arulam, seu forum, qui in summo spectabatur Ariele, vbi incendebatur ignis, & victimæ cremabantur, vt apertè habes Exod. cap. 38. v. 4. *Craticulámque eius in modum retis fecit æneam, & subter eam in altaris medio arulam.* Nisi mauis in Ariele summo sinum esse, id est, canalem vno cubito latum; quod non puto, quia non video, quem esset vsum habiturus, cùm per sinum illum cineres, qui tantùm esse poterant in Ariele, non commodè defluerent; & pro illis addita esset altari craticula, quæ munus istud multo præstaret accommodatiùs.

45. *Gradus autem eius versi ad Orientem.*] Cùm esset altaris ea magnitudo, vt ad decem se cubitos attolleret, non poterat eò aspirare sacerdos, qui sacris esset operaturus, nisi per gradus ad Arielem ascendisset. Hi ergo gradus, inquit Propheta, erant ad regionem Orientalem conuersi. Hæc aperta sunt; illud obscurum valde, quod Exod. cap. 20. gradus in altari fieri prohibentur. *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.* In quo explicando loco, & cum hoc Ezechielis conciliando laborant interpretes. Mihi non displicet altare hoc ab Ezechiele descriptum, non omnino simile fuisse illi, quod à Moyse olim fabricatum est, licet cum illius forma in plerisque conueniat. Et primùm de altitudine nemini dubium esse potest, illud enim tres tantùm cubitos altitudinis habuit, Exod. 27. v. 2. hoc verò decem. Ex hac verò differentia illud natum existimo, vt altare illud Mosaicum gradus ad sui ascensum non requireret. Cùm enim communis hominum status tricubitalem mensuram excedat, facile à Sacerdote componi in altari ligna poterant, & ignis supponi. At in hoc, quod Ezechieli nunc oblatum, non video quomodo sine gradibus ascendere quis possit. Solutiones variæ finguntur ab auctoribus, quas hîc commemorare supersedeo, quia neque probantur aliis, neque id effugiunt, quod sublatis gradibus cauere voluit legislator. *Ne reueletur*, inquit, *turpitudo tua.* Sanctus Thomas 1. 2. q. 102. q. 4. ad 6. solutionem adhibet, quam etiam admittit Lyra; videlicet non prohiberi omninò gradus in altari; sed quæ in gradibus Gentilium sacerdotibus fiebant impudicè, iuxta ipsorum obscœna, atque nefaria sacra; solebant, inquiunt, sacerdotes Priapi locum ascendere sublimem, indéque aliorum oculis nudare id, quod maximè velatum oportuit. Hæc solutio quo minùs mihi placeat, multa faciunt. Primùm, quia non constat hoc esse in sacris Priapeis in vsu, vt ex sublimi loco Sacerdotes, spectaculum illud flagitiosum præberent; licèt alia fierent non minùs execranda. Deinde quia postea lex feminalia addidit sacerdotibus, ne casu, aut in ascensu altaris, aut in victimarum cæde, dum cum hostiis luctantur, aliquid se proderet indecorè. Id ergo cauere Dominus voluit, quod casu accidit, non quod deliberatè fit: qualis est nuditas illa, quæ in sacerdotibus Priapi reprehenditur. Quod si Sacerdotes facere vellent, necessarij non erant gradus, quod lex summouet, cùm in quouis alio loco sublimi, ac plano Priapeium illud flagitium edere possent; neque in gradibus illa tam possent exhiberi commodè, quàm in suggesto, ac latiori alio loco, atque firmiori, qui magis est impuris gesticulationibus opportunus.

Cur altare gradus non haberet.

46. (paragraph marker beside "quit, turpitudo tua")

Priapeia sacra.

47. Ego quidem tam in hoc altari ab Ezechiele descripto, quàm in eo, quod fabrefactum fuit à Salomone, gradus fuisse arbitror. De hoc nemo dubitabit, cùm apertè id expressum habeamus: de illo Salomonio eadem omnino ratio est, quia eadem vtriusque mensura, quoad altitudinem; vtrumque enim decem cubitis sursum attollitur. Ducor autem in eam cogitationem, quia si gradus summoueas à Salomonis, & Ezechielis altaribus, non potest vllo modo in illis obiri sacerdotale ministerium, quia nullus ad illa patet ascensus: quod longè secus habet in Mosaico. Deinde quia Salomonis, & Ezechielis tempore, ab ascensu illo periculi nihil erat, ne reuelata turpitudo actionem illam sacram deformaret, & sacerdotem pudefaceret; quia eo tempore sacerdotibus ad opus illud sacrificale, femoralium vsus permittebatur, immò præcipiebatur seuerè, secus atque tempore illo, quando ascensus ille per gradus interdictus fuit, nempe Exod. cap. 20. Pòst verò, vt notauit ibi Lyra, præceptum est à Domino, ne vnquam sacerdos sine femoralibus ad sacrificandum accederet, Exod. 28. *Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ à renibus vsque ad femora: & vtentur eis Aaron, & filij eius, quando ingrediuntur tabernaculum testimonij; vel quando appropinquant ad altare, vt ministrent in sanctuario.* Tempore Ezechielis, cùm ad hoc altare ascendendum esset, feminalia sibi assumebat Sacerdos. Sic enim habes Ezechiel. cap. 44. v. 15. *Ipsi accedent ad me, vt ministrent mihi: & stabunt in conspectu meo, vt offerant mihi adipem, & sanguinem.* Et statim vers. 17. *Cùmque ingredientur portas atrij interioris* (ibi erat altare holocausti) *vestibus lineis induentur*, &c. *Et feminalia linea erunt in lumbis eorum.*

Sacerdotibus ad sacrificia adhibita femoralia.

Adde quòd gradus isti dicuntur esse *versi ad Orientem*, id est, è regione Orientalis portæ: quare cùm inter populum, qui propiùs sacrificium spectabat ab Ortu, & gradus tota altaris moles intercederet, nullum esse periculum poterat, ne illorum oculis nudata pateret turpitudo, etiamsi ab eo periculo non esset priùs satis cautum iniectis feminalibus. Ab Aquilonari autem, & Australi porta timendum nihil erat, cùm ab altari illarum quælibet quinquaginta fermè cubitis abesset. Hæc mihi visa sunt in ea re vsque adeò controuersa, ac dubia, quæ dici posse videntur non improbabiliter tam de Salomonis, quàm de Ezechielis altari; quibus quia altitudo eadem, iidem quoque gradus adiungendi fuerunt. Neque leue mihi argumentum est, vt putem in Salomonis altari fuisse gradus, cùm illos in Ezechielis expressos esse videam. Neque video quid contra cogitationem hanc obtendi possit, quod nos, aut ab ea deducat; aut in ea valdè nutare faciat. 48.

Nunc de Ariele nobis aliquid obseruandum, de quo nonnihil in nostris commentariis in Isai. cap. 29. vbi diximus à quibusdam pro vrbe, pro templo ab aliis vsurpari. Et sanè eo loco Isaiæ ciuitas est: hîc autem constat esse altare; neque vt vides altare totum est, sed pars illius summa, à qua per Synecdochem altare totum vocatur Ariel. Hæc de re de nominis autem notatione variè interpretes. Ego cum plerisque *leonem Dei* interpretor, id est, leonem fortissimum; quæ enim Dei esse dicuntur, in suo quælibet genere magna existimantur, quomodo dicuntur *montes Dei, cedri Dei.* Erit autem Ariel Leo Dei, id est, Leo fortissimus. Quod nomen optimè cadit in altare illud holocaustorum; quia sicut Leo capit, lacerat, & deuorat prædam, sic altare illud horis propè singulis magnos absumebat animalium greges. 49.

Ariel quid.

Dei nomen rebus additum cum epitasi.

greges. De hoc altari accipiunt illud Genes.49. Chaldæus,& Hebræorum magistri, teste Hieronymo de traditionibus Hebraicis in Genes. *Benjamin lupus rapax manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia.* In altari namque manè immolantur victimæ, quas Sacerdotes vespere distribuunt. Dicitur autem Benjamin lupus rapax: quia, vt pluribus ostendimus in cap.2. Zachar.n.18. situm erat templum in tribu Benjamin.

50. Vers.18. *Hi sunt ritus altaris, in quacunque die fuerit fabricatum.*] Postquam præscripta est altaris forma, sacrificiorum ritus, & leges inducit: in illud tamen tempus, quando altare illud extructum fuerit Hierosolymis; neque enim alibi fas erat sacrificium offerre. Incipit autem ab eo sacrificio, quod omnium primum esse debuit; quia auare ipsum quodammodo initiat, & ad reliqua sacra peragenda disponit.

51. *Vt offeratur super illud holocaustum, & effundatur sanguis.*] Non solùm holocausta offerebantur in hoc altari, sed etiam aliæ victimæ: dicitur tamen altare holocausti à nobiliori sacrificio. Est autem holocaustum victima, quæ tota in altari comburitur, neque pars vlla ad sacerdotem pertinebat. De his animalibus, ex quibus fiebat holocaustum, habes Leuit.c.1. Sed & altare hoc victimarum imbuebatur sanguine, vt statim dicemus.

52. Vers.19. *Et dabis sacerdotibus, & Leuitis, qui sunt de semine Sadoc.*] Abiecto Abiathar Sacerdote, qui fuit de genere Heli, eius loco suffectus est à Salomone Sadoc, qui priùs omnium in constructo à Salomone templo ministrauit: & qui ab illo deinde prognati sunt, sacerdotale munus obierunt. Iubet ergo Dominus, vt leges, ritúsque sacrorum illis solis, aut præsertim edicat, qui genus suum deriuant à Sadoc. Quibus cùm iam pridem neque ipsi sacrificiis religiosam dedissent operam, neque alios sacrificantes vidissent, iam sacrorum omnium exciderat memoria, quam hoc loco Deus excitari iubet ad excipiendam disciplinæ veteris recentem formam.

53. *Vt offerant mihi vitulum de armento pro peccato.*] Hoc, credo, sacrificium primum est, quod offerri Dominus iubet, quo altare sanctificatur, idoneúmque redditur, vt in illo sanctè peragatur sacrificale munus. Illud verò sacrificium septemdiale fuit: sicut illud, quo Salomon ædificatum à se altare, quod huius erat forma, consecrauit. De quo 2.lib. Paralip.cap.7.v.8.& 9. *Fecitque* (Salomon) *die octauo collectam, eo quòd dedicasset altare septem diebus, & solemnitatem celebrasset diebus septem.* Quomodo verò dedicari debuerit altare, quanto tempore, & quo ordine, habes Exod.cap.29. cuius ibi forma præscribitur; quam, meo iudicio, hîc repetit Dominus in eo, quod reliquum est capitis. Quare caput illud huius sententiam continet, & quod in illo obscurum videbatur, elucidat.

Altare quomodo consecrandum.

54. De altari mundando, ac dedicando, ita vers. 47. *Septem diebus expiabis altare, & sanctificabis: & erit Sanctum sanctorum. Omnis qui tetigerit illud sanctificabitur.* Quæ verò sint illa, quæ horum septem dierum curriculo, in consecrationem altaris fieri debeant, docet, opinor, hoc loco, si vspiam aliquis, noster Propheta clarissimè.

55. *Vt offerant mihi vitulum de armento pro peccato.*] Hæc puto pro expiando altari sacerdotes offerunt: neque enim fas est, vt priùs Sacerdos alios, aliáve sanctificet, quàm altare ipsum sanctificet, & emundet.

A Vers.20. *Et assumens de sanguine eius pones super quatuor cornua eius & super quatuor angulos crepidinis, & super coronam in circuitu, & mundabis illud.*] Dubitare aliquis posset, an altare hoc, cuius cornua, corona, & anguli sanguine tinguntur vitulino, sit holocausti, quod erat in atrio sacerdotali, an thymiamatis, quod è regione vestibuli intra templum, aut domum Domini situm erat. Vtrumque etenim cornua habebat, coronam, & angulos, vt de priori docet hoc ipsum caput, de posteriori constat Exod.cap.30. Quòd verò altare thymiamatis hostiarum sanguine aspergi sit solitum, satis est in Scriptura sacra obuium. Lege Leuit.4.v.7.& 17.& Leuit.16.v.18. Sed sine dubio hîc de altari holocausti sermo est, neque enim quicquam antea, de altari thymiamatis; neque in eo ea intelligebantur omnia, quæ hîc à Propheta numerantur. Tot autem locis aspersus sanguis aliquid non expiatorium solùm, sed etiam consecratorium significat. 56.

B

Vers.21. *Et tolles vitulum, qui oblatus fuerit pro peccato, & combures eum in separato loco domus extra sanctuarium.*] Quoties hostia offerebatur pro peccato, extra sanctuarium, id est, extra atria, quæ templo erant adiuncta, cremabantur; sicut olim Moysis tempore extra castra. Neque nouum est, vt quæ templi fabricæ adiuncta sunt, & ad templi vsum, atque ornatum pertinent, sanctuarium vocentur. Quando verò sacrificia pro peccato cremarentur olim extra castra; & deinde post ædificatum à Salomone templum extra sanctuarium, disce ex cap.4. Leuit. vbi discrimen statuitur inter victimam oblatam pro peccato Pontificis, & populi, & pro peccato aliorum. Nam victimæ priores cremabantur extra castra; quia de illarum sanguine aliquid inferebatur in tabernaculum testimonij, ita Leuit.cap.6. dicitur obscuriùs quidem, sed exponit apertè magnus interpres Paulus. Leuiticus ait, *Hostia, quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.* Paulus ad Heb.13.v.11. *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra.* 57.

C

D

Vers.22. *Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato.*] Persequitur ordinem, qui in dedicando, ac consecrando altari tenendus est. Et docet altero die post immolatum vitulum, eodem etiam modo hircum esse mactandum, vbi duo nobis obseruanda. Alterum hîc appellari hircum caprarum, quod sanè alicui videri posset otiosum, cùm non ab aliis, quàm à capris hirci nascantur. Sed hîc est aliquid, quod Latinum fortasse respueret, non tamen Hebræorum idioma, quod cùm aliquid tenerum significare vult, matris illi nomen adiungit. Sic Gen. 38. dixit Iudas, *Mittam tibi hædum de gregibus.* Heb. *hædum caprarum,* id est, tenerum. Zachar.9. *Super pullum filium asinæ,* id est, nouum, tenerum, neque dum assuefactum oneri. Id notandum in hoc capite sæpe: nam nuper vers.19. vbi vulgatus, *vitulum de armento.* Heb. est, *vitulum filium vaccæ,* & vers.23.& 25. idem vbi iterum *vitulus de armento.* Tam igitur vitulus, quàm hircus teneri, ac noui futuri significantur. 58.

E

REGVLA. *Cum Scriptura aliquod animal tenerũ significat, illud aut matri, aut gregibus associat.*

Alterum est, *immaculatum* non illud esse, quod nonnulli putant; qui *maculatum* idem esse credunt, quod maculosum, id est, quod versicolore vellere tectum est; quomodo varius dicitur pardus à Ieremia cap.13. & lynx apud Virgilium maculosam dicitur habere pellem. Non prohibet 59.

Deus

Agnus, aut vitulus immaculatus quis.

Deus vitulum, hircum, aut arietem ab altari, qui variis sunt distincti coloribus; sed eos, qui maculati potiùs sunt, quàm maculosi, id est, illos, qui aliquo vitio deformes sunt, aut capti membris, aut aliqua ratione fœdati, ac languidi. Arcebantur, credo, victimæ ab altari, cùm eo modo essent maculatæ, quo maculati homines ab altaris ministerio submouentur Leuit. 21. *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo.* Quæ verò sint hæ maculæ, quæ altari hominem adesse non sinunt, statim explicat. *Si cæcus fuerit, si claudus, si vel paruo, vel grandi, vel torto naso: si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino.* Et clariùs de victima cap. 22. v. 21. *Homo qui obtulerit victimam, &c. tam de bobus, quàm de ouibus, immaculatum offeret, vt acceptabile sit: omnis macula non erit in eo, si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino.*

60. Vers. 23. *Cùmque compleueris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum.*] Postquam eo sacrificio, de quo nuper, expiatum est, aut expiari cœptum altare; edicit Deus quid deinde fieri in altari expiando, ac dedicando debeat. Nempe vt vitulus de armento, seu, vt Hebraicus habet textus, *filius vaccæ*, id est, tener offeratur; & deinde aries de grege, id est, tener, sicut priùs *vitulum de armento* tenerum interpretati sumus. Hæc oblatio fiet die tertio, ex quo lustrari altari, ac dedicari cœpit.

61. Vers. 24. *Et mittent Sacerdotes super eos sal.*] Suspicor iam significari eò sacrificia peruenisse lustralia, vt offerri iam victimæ Deo possint, in altari videlicet iam legitimo. Atque ideo proximè dictum fuerat, *Et offeres eos in conspectu Domini.* eò credo spectat, quòd sale aspergendum dicitur illud sacrificium, quod aliquid indicat perfectum, ac stabile, quódque Deus sibi in eo, quod sacrificium vocari potest, offerri sibi iussit. Leuit. 2. v. 13. *Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.*

Sal cur in sacrificiis adhiberi solitum.

62. Cur verò sal in sacrificiis adhiberetur, res est obscura; neque mihi occurrit, quid certò, ac definitò affirmare possim. Fortasse ideo sal tantopere commendatur à Domino, quia in sale ea significatur virtus, quæ fluentes, & molles corporis delicias, titillantes voluptates constringit, & cohibet; facítque vt in carne, immoderati carnis affectus non ebulliant. Hæc verò virtus mortificatio, seu pœnitentia est, quæ id præstat in animo, quod sal in corpore, qui putere non sinet, aut putrescere carnes, quæ si non essent à sale duratæ, soluerentur in saniem: vt autem sale conditi cibi gratiores sunt palato; sic spirituales epulæ, quæ hoc genere salis condiuntur, gratissimæ sunt Deo. Non existimabat Iob cap. 6. fieri posse, vt cibus, cui nihil foret salis aspersum, esset esculentus. *Numquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?* Quicquid sit de cibo, cui saporis nihil conciliauit sal, sanè Deo cibus ille, cui à carne saniosum aliquid instillatur, ac putre, non potest non afferre molestiæ aliquid, ac nauseæ.

Pœnitentiæ proprietas.

Sal perpetuitatis symbolum.

63. Fortasse ideo sacrificiis sal iubetur aspergi; quia sal æternitatis, aut saltem diuturnitatis symbolum est; quia durat, & in longa tempora conseruat materiam fluxam, atque friabilem. Et eam forsan ob causam Numer. cap. 18. v. 19. dixit Dominus ad Aaron, *Omnes primitias Sanctuarij, quas offerunt filij Israel Domino, tibi dedi, & filiis, & fratribus tuis iure perpetuo, pactum salis est sempiternum coram Domino.* Idem etiam habes 2. Paralip. cap. 13. v. 5. *Num ignoratis, quòd Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid super Israel in sempiternum, ipsi, & filiis eius in pactum salis.* Nisi dicamus in pactum salis datum esse regnum Dauidi, & Aaroni primitias, id est, eo pacto, si illi legitima, ac stata sacrificia seruent quæ pactum dicuntur salis; quoniam à sacrificiis sal abesse non poterat. Vnde Leuit. 2. v. 13. *Nec auferes sal fœderis Dei tui.* Sed vt ad institutum redeamus, æternitatis, seu diuturnitatis symbolum esse sal, docuit Philo libro de victimis post medium. *Sale, inquit, significatur æterna durabilitas; sal enim conseruator est corporis secundo post animam ordine. Nam sicut anima causa est incorruptionis corporum, sic sal quàm diutissimè tuetur ea, redditque quodammodo immortalia.*

Pactum salis quod.

Alij ideo putant sal semper addendum esse sacrificiis, quia in sale prudentiam, atque sapientiam agnoscunt, quæ si absit, insulsam, atque insipidam oblationem reddit. Ideo Christus Marci cap. 9. ait omnem victimam non solùm igne, sed etiam sale fore condiendam. *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.* Licèt enim ignis seu ille zelus sit, siue vehemens alius quicumque ardor, victimam consumat, id est, animum rapiat, & absorbeat; abest tamen sacrificio plurimum, si prudentia absit. Qua de re multa Patres, vide Cassianum collat. 2. maximè capite 2. ex sententia Antonij, & Augustini de consensu Euang. lib. 4. cap. 6. Bernardus optimè serm. 49. in Cant. *Discretio, inquit, est moderatrix, & auriga virtutum, affectuum, morum; omni virtuti ordinem ponit; ordo modum tribuit, & decorem, & perpetuitatem: tolle hanc, virtus vitium erit.* Cùm autem Rex Persarum Artaxerxes didicisset plurimum salis à Iudæis in sacrificando consumi, cùm cætera largitus esset ad mensuram; sal tamen illis porrigi voluit absque mensura. De sale plura pete ab aliis; ego pro interpretis munere, satis hîc multa dixisse videor. 64.

Sal prudentia symbolum.

Prudentia valde necessaria.

Ad extremum adde id quoque placuisse Gentilibus, qui sicut alia plurima, hoc ab Hebræis videntur accepisse. His verò familiare, ac penè legitimum fuit, in sacrificiis salem adhibere; vnde frequens apud illos in sacrificiis, *salsa mola*, aut *salsæ fruges*; quia molæ, id est, farri, aut frumento molito sal aspergebatur. Festus, *Mola vocátur far tostum, & sale sparsum, quod eo molito hostiæ aspergantur.* Virgilius lib. 2. Æneid. 65.

Mola quid in sacrificiis.

——— ——— *mihi sacra parari,*
Et salsæ fruges, & circum tempora vitta.

Horatius lib. 2. Satyr. 3.

Tu cùm pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras, spargisque mola caput improbe salsa.

66. Vers. 25. *Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie.*] Edicit iam quid ad septimum vsque diem ad lustrandum, & dedicandum altare fieri debeat, nempè vt quotidie offerantur vitulus, hircus, & aries: hæ enim victimæ frequentiùs adducebantur ad altaria. His autem peractis in aliorum salutem, & expiationem aliæ etiam victimæ immolari poterant, vt statim habes vers. 27. Illud *facies* verbum est sacrificale, quasi dicas *offeres*, qua dicendi forma vsus est statim vers. 27. *Facient Sacerdotes super altare holocausta.* Neque id solùm apud sacros, & Ecclesiasticos auctores, apud

Facio, verbum sacrificale.

apud quos sæpe audis, *rem facram*, & *rem diuinam facere*; sed etiam apud profanos. Sic Græci δρᾶν,& ῥέζειν, quæ facere significant, passim vsurpant pro sacrificare. Quod expresè docuit Athenæus lib.14. οἱ παλαιοὶ τὸ θύειν δρᾶν ὠνόμαζον. id est, apud antiquos *facere* idem erat, quod sacrificare. Hinc illud Virgilij Eclog. 3.

Cum faciam vitula pro frugibus ipse venito.

Verſ.26. *Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud.*] Hinc constat septemdialia hæc sacra ad sanctificationem altaris pertinere, quod maximè expiatum oportuit, quandoquidem in illo alij expiari, atque sanctificari debuerunt.

67. *Et implebunt manum eius.*] Placet hoc loco, quod Maldonato, & Emanueli Sà visum est, *implere manum*, idem esse, quod *consecrare*, quod optimè Scripturæ sacræ exempla confirmant. Exod.28.v.41. vbi vulgatus, *Et cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos.* Heb. est ומלאת את ידם *vmalatha eth iadam.* id est, *implebis manus eorum.* Et cap.29.v.9. vbi noster, *Postquam initiaueris manus eorum.* Heb. *Implebis manus Aaron, & filiorum eius.* Eodem modo verſ.35. vbi vulgatus, *Septem diebus consecrabis manus eorum.* Neque tarò vulgatus in consecratione verbum istud retinuit. lib.3. Reg.13.v.33. *Quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos.* id est, quicumque volebat, initiabatur. Iudic.17.v.5. *Fecit Ephod, & Theraphim,* id est, *vestem sacerdotalem, & idola, impleuitque vnius filiorum suorum manum, & factus est ei Sacerdos.* Et iterū verſ. 12. *Impleuit Michas manum eius, & habuit puerum sacerdotem apud se.* 2. Paralip.c.29.v.31. dixit Ezechias ad illos, qui erant è sacerdotali genere. *Impleſtis manus vestras Domino: accedite, & offerte victimas, & laudes in domo Domini.* Hæc mihi difficilia non sunt, neque credo aliter visum iri his, qui rem accuratè perpenderint. Genus dicendi obscurum est, & nobis hîc paucis explorandum.

Implere manus idem, quod consecrare.

68. Sicut *plenus* aliquid significat perfectum, ita vt nihil illi ad perfectionem accedere posse videatur; vnde sancti habuisse dicuntur dies plenos, id est, perfectos, & religiosè transactos. Sic etiam *implere* id sonat, quod rem subiectam ita perficit, vt nil amplius desideret. Quare sancti in Scriptura sacra egisse dicuntur annos plenos, aut pleni dierum decessisse; quia dies vitæ habuerunt rectè factis, & virtutum meritis cumulatos. Cùm autem sacerdotum manibus nihil accidere possit felicius, quàm vt Deo, & altari destinentur, consecrentúrque, fit vt iure dici plenæ debeant, siue impleri. Idem etiam dicendum de altari diuino consecrato cultui; quod si saperet, nihil optaret sibi perfectius. Quid enim saxo, ac ligno magis esse posset in votis, quàm ab aliis vsibus, quos ligna, & saxa vulgares habent, & ignobiles ad nobilissima alia, atque sanctissima ministeria traduci?

Pleni dies qui & quis plenus dierum.

Sacerdotum dignitas.

Sed roget hîc aliquis, quomodo impleri possint altaris manus, cùm neque manus habere possint metaphoricas? Nam de sacerdotum manibus rationes dari possunt non alienæ; quas in cap.17. Iudicum reddunt Caietanus, & Serarius; quæ si minus curioso, atque studioso satisfaciunt, certè non videbitur inepta, quam nuper nos produximus. Neque deest quid pro altaris manibus curioso lectori responderi possit. Primùm vsitatum esse in omni ferme lingua, vt quæ in aliquo genere vicina sunt, mutuo sibi præstent nomina. Quomodo stagna, quæ piscibus carent, piscinæ vocantur propter societatem, communitatémque naturæ cum illis, quæ piscatu abundant. Cùm ergo tam altare, quam Sacerdotes consecrentur, vsuique deputentur religioso; quod sacerdotis initiati proprium est, ad initiatum altare facile traducitur. 69.

Ego commodiorem aliam rationem videre mihi videor, & noto priùs vocem Hebraicam יד *iad*, pro qua hîc vulgatus *manus* conuertit, significare terminos, qui quantitatem aliquam definiunt, & continent. Quod nos ita esse putabamus ex Hebræorum sententia ad illud Zachariæ cap.13. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Neque aliud sibi velle existimo illud Psal. 103. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus*; quàm mare esse suis finibus, atque littoribus latum, sicut Num.13.v.30. Nam vbi vulgatus, *Chananæus verò moratur iuxta mare, & iuxta fluenta Iordanis,* Heb. est על יד *aliad.* id est, iuxta littus, seu fines. Et Iudic.cap.18.v.10. vbi vulgatus, *Intrauimus in Regionem latissimam.* Heb. *in terram latam manibus*, id est, quæ latis concluditur finibus. Manus ergo sumo pro iis partibus altaris, quæ illius termini, seu fines vocari potuerunt. Quales sunt crepido, cornua, anguli, corona; quæ victimarum sanguine delibuta, & ea cæremonia initiata, & consecrata sunt, vt habes suprà verſ.20. Tunc autem Sacerdotes altaris manus impleuerunt, quando tinctis sanguine his, quæ manus dici poterant, quia illius extremam partem occupabant, altare consecrarunt. 70.

Manus pro terminis.

Expletis autem diebus in die octaua, & vltrà, facient Sacerdotes holocausta vestra, & quæ pro pace offerunt. 71.
Vbi his cæremoniis dedicatum altare fuerit, licebit iam in illo reliqua peragere, quæ res exigit sacrificalis, & publica; qualia sunt sacrificia pro peccato, pacifica, holocausta, & quæ Deum aut placant, aut gratiis exoluendis commendant.

IN CAP. QVADRAGESIMVMQVARTVM.

ARGVMENTVM.


GITVR primùm de sacerdotalis atrij Orientali porta, quæ Principi ex laico, atque profano ordine futura dicitur peruia, cæteris obstructa. Et cùm seuerè priùs Israeliticam Gentem incusasset; pòst docet ex qua Gente, atque ordine futuri sint, qui ad altaris sacrum ministerium accedent. Et primùm Leuitas illos, qui decem tribuum insaniam amplexi sunt, ad illam curam Leuitici ordinis ablegat, in quo minus splendoris est, & dignitatis, ad illud videlicet ministerium, & locum, quæ non

longè

longè distant à profanis. Deinde quædam documenta præscribit, quæ seruare Sacerdotes debeant, siue in sacerdotali instructu, siue in sacrificalibus cæremoniis; & ex quo genere, & qualem vxorem ducere, cuius funeri interesse fas sit; quæ denique munera exercere, quem seruare in consecratione modum edocet. Ad extremum ostendit, quàm largè illis à Deo de rebus ad domesticos vsus necessariis promissum sit, vt ipsi de se omnem curam, & sollicitudinem abiiciant.

CAPVT XLIV.

1. *ET conuertit me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem: & erat clausa.*

2. *Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit; non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa principi.*

3. *Princeps ipse sedebit in ea; vt comedat panem coram Domino: per viam portæ vestibuli ingredietur, & per viam eius egredietur.*

4. *Et adduxit me per viam portæ Aquilonis in conspectu domus: & vidi, & ecce impleuit gloria Domini domum Domini: & cecidi in faciem meam.*

5. *Et dixit ad me Dominus: Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de vniuersis ceremoniis domus Domini, & de cunctis legibus eius: & pones cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctuarij.*

6. *Et dices ad exasperantem me domum Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel:*

7. *Eo quòd inducitis filios alienos incircumcisos corde, & incircumcisos carne, vt sint in sanctuario meo, & polluant domum meam; & offertis panes meos, adipem, & sanguinem: & dissoluitis pactum meum in omnibus sceleribus vestris.*

8. *Et non seruastis præcepta sanctuarij mei: & posuistis custodes obseruationum mearum in sanctuario meo vobismetipsis.*

PARAPHRASIS.

A 1. DEinde Angelus deduxit me ad sacerdotalis atrij portam illam, quæ propior erat Orientali plagæ, & hæc erat clausa.

2. Tunc Dominus ad me: Porta hæc orientalis clausa erit, neque vlli è populari, atque profana turba vnquam patebit; quia per illam Dominus Deus Israel ingressus est.

3. In porta illa stabit princeps, vt spontaneum sacrificium, quod suo nomine immolari fecit, coram Domino comedat. Ingredietur rectà per Orientalẽ portam, id est, per vestibuli viam popularis

B atrij; & per illam item egredietur.

4. Deinde per Aquilonaris portæ viam deduxit me in conspectu domus Domini, quam à diuinæ gloriæ splendore repleri vidi: tunc autem stupens corrui pronus in terram.

5. Tunc sic ad me Dominus: Fili hominis, mentem adhibe, aduerte oculos, & aures attende: & obserua quæcumque tibi patefecero de cæremoniis, quæ in domo mea obseruari; & de legibus, quas à popularibus custodiri voluero. Ad omnes itaque vias, per quas ad Sanctuarium itur,

C aut à Sanctuario receditur, animum, & oculos aduerte.

6. Et dices ad rebelles, quíque assiduè furorem meum instimulant, filios Israël. Satis diu peccatis indulsistis, & tempus iam exigit, vt modum iam tandem peccatis imponatis; cò enim estis progressi, vt non satis vobis habeatis peccasse; sed aliis etiam, vt peccent, scandalum obtenditis.

7. Induxistis enim homines non solùm incircumcisos animo; sed etiam Gẽtiles, qui carnem habent incircumcisam,

D in Sanctuarium, quod lex omnino cauet, ne ab illis templum polluatur. Ab iisdem præterea sumitis, quod à Gentilibus oblatum religio remouet ab altari. Liba nimirum è frumento, adipem, & sanguinem, & dissoluitis pactum, quod vobis ego iam olim indixi.

8. Et ritus, ac leges, quas in Sanctuario meo seruari volui, contempsistis; neque Sacerdotes, atque custodes sacrorum præposuistis, qui honori, ac volũtati meæ

9. *Hæc dicit Dominus Deus: Omnis alienigena incircumcisus corde, & incircumcisus carne, non ingredietur sanctuarium meum, omnis filius alienus qui est in medio filiorum Israel.*

10. *Sed & Leuitæ, qui longè recesserunt à me in errore filiorum Israel, & errauerunt à me post idola sua, & portauerunt iniquitatem suã:*

11. *Erunt in sanctuario meo aditui, & ianitores portarum domus, & ministri domus: ipsi mactabunt holocausta, & victimas populi: & ipsi stabunt in conspectu eorum, vt ministrent eis.*

12. *Pro eo quòd ministrauerunt illis in conspectu idolorum suorum, & facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis: idcirco leuaui manum meam super eos, ait Dominus Deus, & portabunt iniquitatem suam.*

13. *Non appropinquabunt ad me vt sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne sanctuarium meum iuxta sancta sanctorum: sed portabunt confusionem suam, & scelera sua quæ fecerunt.*

14. *Et dabo eos ianitores domus in omni ministerio eius, & in vniuersis, quæ fient in ea.*

15. *Sacerdotes autem & Leuitæ filij Sadoc, qui custodierunt ceremonias sanctuarij mei, cùm errarent filij Israel à me, ipsi accedent ad me vt ministrent mihi, & stabunt in conspectu meo vt offerant mihi adipem, & sanguinem, ait Dominus Deus.*

16. *Ipsi*

A sed qui commoditati, ac voluntati vestræ seruirent. Et hoc in sanctuario meo; vbi non nisi honori, ac voluntati meæ studendum fuit.

9. Vt autem sancta legitimè administrentur, hæc Dominus populo Israël seruanda præscribit. Primùm ne vllus ingrediatur templum, vt sacrum ibi ministerium obeat, qui alienus sit à genere Israëlitico, id est, qui cor habeat, & carnem incircumcisam. Neque etiam is, qui ex alieno genere generi se applicuit Israelis, &
B præputio deposito eadem cum Israelitis sacra complexus est.

10. Sed & Leuitæ, qui suum ab Aaron genus deriuant, qui tamen recesserunt à meo cultu, decem tribuum olim insaniam secuti; quique ideo erroris sui pœnas dederunt, graui exilio, & seruitute mulctati.

11. Non quidem hi omnino excludentur à templo; illa tamen in illo obibunt ministeria, in quibus splendoris minus, & plus laboris est, atque molestiæ. Erunt enim ianitores, & æditui, iugula-
C bunt holocausta, & victimas, assiduámque operam, aut seruilem, aut seruili proximam Sacerdoti præstabunt.

12. Neque hanc pœnam sine magno suo merito sustinebunt; sic enim seipsos abiecere, vt decem tribuum erroribus obsecuti, honorem illum impenderint idolis, qui vni Deo vero debebatur: quare aliis ad scelus, & ruinam scandalo fuerunt. Idcirco vindicem contra illos dexteram extendi, & pœnam illorum erratis vltor
D imponam, quam ipsi, vt maximè studeant, non declinabunt.

13. Non enim proximè accedent ad me; neque sacerdotalis officij, aut ordinis participes erunt: neque illa obibunt Leuitarum munera, quæ in locis fiunt oraculo, & tabernaculo proximis; sed ad ignobilius illius ordinis ministerium abiecti scelerum suorum pondus, & ignominiam portabunt.

14. Non, inquam, accedent ad me, sed excubabunt ad ianuas, vt illas custodiant;
E & ministerialem, seu seruilem operam præstabunt iis, quæ ab aliis in Sanctuario cum maiori honore, ac dignitate fient.

15. Longè alia erit conditio, & ratio eorum, qui aliam tenuerunt in sacrificando, atque viuendo viam. Sacerdotũ nempe, & Leuitarũ ex genere Sadoc, qui cùm alij ad decem tribuum castra, errorésque diffluerent, ipsi tamen & veram retinuerunt religionem, & legitimos in sacrificãdo ritus. Illi ergo propiùs accedent ad me, vt sacerdotali functi ministerio adipem offerant, & sanguinẽ, dicit Dominus.

16. Ipsis

16. Ipsi ingredientur sanctuarium meum, & ipsi accedent ad mensam meam vt ministrent mihi, & custodiant ceremonias meas.

A 16. Ipsis licebit Sanctuarium inire, ad mensam panum propositionis, & ad alteram mensam, siue altare thymiamatis accedere, vt ibi ministrent, & iuxta legitimos ritus, ac cæremonias seruiant.

17. Cúmque ingredientur portas atrij interioris, vestibus lineis induentur: nec ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrāt in portis atrij interioris & intrinsecus.

17. Cùm autem atrium non interius solùm, sed etiam exterius, & sacerdotale ingressi fuerint, vestes deponent laneas; lineas assument, neque quicquam erit in illis ex animalium vellere, quando ministrauerint, sicut in Sanctis; id est, in interiori; siue in sacerdotali, id est, exteriori,
B atrio.

18. Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, & feminalia linea erunt in lumbis eorum, & non accingentur in sudore.

18. Vittæ erunt, seu cidaris linea in sacerdotum capite; cùm rei sacrificali dant operam: tunc lineis subligaculis ne quid contingat turpius, accingentur; curabuntque vt vestimenta munda sint, neque grauiter oleant à sudore.

19. Cúmque egredientur atrium exterius ad populum, exuent vestimentis suis, in quibus ministrauerant, & reponent ea in gazophylacio sanctuarij, & vestient se vestimentis alijs: & non sanctificabunt populum in vestibus suis.

19. Cùm verò sacerdotes ad profanum atrium egredientur, deponent lineas illas, & sacerdotales vestes, quibus se ad sacrum ministerium induerant, & in gazophylaciis, vnde illas assumpserant, re-
C ponent. Et vestimentis deinde vtentur cum populo communibus, ne fortè ex sacrarum vestium attactu sanctitatis illius aliquid ad populum deriuetur.

20. Caput autem suum non radent, neque comam nutrient: sed tondentes attondent capita sua.

20. In capite illam seruabunt mediocritatem, vt neque raso incedant capite, neque immodicè prolixo capillitio; sed tondebunt comam, non radent, aut fluere patientur.

21. Et vinum non bibet omnis sacerdos quando ingressurus est atrium interius.

21. Abstinebit præterea sacerdos à vino quandocumque ipsi in interius atrium, in priorem videlicet tabernaculi partem
D ingrediendum est.

22. Et viduam & repudiatam non accipient vxores, sed virgines de semine domus Israël: sed & viduam, quæ fuerit vidua à sacerdote, accipient.

22. Quod ad sacerdotum connubium attinet, caueat Sacerdos, ne quam ex alieno genere ducat vxorem; neque illam, cui ab alio sit libata virginitas. Quare nō admittet repudiatam ab alio, aut viduam, nisi viduitas illi à defuncto sacerdote coniuge contigisset.

23. Et populum meum docebunt quid sit inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum ostendent eis.

23. Docebit prætereà populum quid inter sanctum, & pollutum, quid inter mundum, & immundum intersit.

24. Et cùm fuerit controuersia, stabunt in iudiciis meis, & iudicabunt: leges meas, & præcepta mea in omnibus sollemnitatibus meis custodient, & Sabbata mea sanctificabunt.

E 24. Cùm verò inter aliquos fuerit exorta controuersia; qui de causa disceptāt, iudicium totum Sacerdotibus permittent, qui secundùm præscriptas à me leges iudicabunt. In solemnitatibus, rebúsque sacris obeundis iurabunt, vt illa seruentur præcepta, quæ à me tradita sunt; & ne vlla fiat iniuria Sabbati sanctificati.

25. Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur, nisi ad patrem & matrem, & filium & filiam, & fratrem & sororem quæ alterum virum non habuerit: in quibus contaminabuntur.

25. Ne verò polluantur Sacerdotes, & tractandis sacris minùs fiant idonei, mortuorum funeri non intererunt, nisi fortè patrem, aut matrem; filium, & filiam; fratrem, aut sororem tumulari contingat;

A sororem autem intellige, quæ non fuerit copulata coniugio. Horum tantùm funere contaminari fas erit.

26. Et postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei.

26. Postquam aliquis purificatus, & consecratus fuerit Sacerdos, antequam Sanctuarium ingrediatur, septem expectabit dies; ita vt non nisi decimoquarto, ex quo lustrari cœpit, die munus obeat sacerdotale.

27. Et in die introitus sui in sanctuarium ad atrium interius, vt ministret mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo, ait Dominus Deus.

27. Ipso autem die, quo primùm ingredietur, vt in interiori atrio mihi ministret, dicit Dominus, offeret victimam
B pro peccato.

28. Non erit autem eis hereditas, ego hereditas eorum: & possessionem non dabitis eis in Israël, ego enim possessio eorum.

28. Nulla erit Sacerdotibus hæreditas, ego enim illis hæreditas ero; neque possessio, quia illis ero fertilis, & vera possessio.

29. Victimam & pro peccato & pro delicto ipsi comedent: & omne votum in Israël ipsorum erit.

29. Non illis deerunt ad victum necessaria; in illorum etenim cibos dedi pacificas victimas, & quæ pro peccato, ac delicto immolantur, & omnia dona, quæ à filiis Israël offeruntur ex voto.

30. Et primitiua omnium primogenitorum, & omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, sacerdotum erunt: & primitiua ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, vt reponat benedictionem domui tuæ.

30. Ad ipsos pertinebunt primitiua munera, quæ videlicet è primo omnium animalium partu Domino debentur: tunc
C etiam libamina, primitiæ videlicet liquidorum; & ciborum omnium, quæ referent, seruabúntque domi, ad suos, atque domesticorum vsus.

31. Omne morticinum, & captum à bestia de auibus & de pecoribus non comedent Sacerdotes.

31. Abstinebunt tamen sacerdotes ab omni morticino, & ab eo quod à bestia captum, aut strangulatum est, siue illud sit de volucrum, siue de quadrupedū genere.

Vers.1. *Et conuertit me ad viā portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientē.*]

1. HACTENVS Angelus spectare iusserat Prophetam altare holocausti, quod erat in atrio sacerdotum: nunc illum in portam exterioris Sanctuarij, id est, eiusdem atrij intueri iubet, vt discat alia, quæ statim referat ad populum. Erat autem illa Sanctuarij porta in occidentali plaga, si latos templi fines, atque externa opera consideres; spectare tamen dicitur Orientem, quia orientali templi parti, aut orięti Soli ex aduerso respondet. Sicut autem quicquid templum ambit, licèt propriè neque templum sit, neque domus Domini; dicitur tamen templum, quia illud vel munit, vel illustrat, & aliquo modo religioni, ac sanctitati seruit: sic etiā multo magis sacerdotale atrium, quod proximè templum, seu Sanctuarium attingit, templum vocari, ac Sanctuarium potest, quia & ibi altare est; neque ab aliis, quàm à sacratis Deo viris initur. Dicitur autem sacrarium exterius comparatione illius domus, quæ propriè dicitur Sanctuarium, & Sancta, seu Sancta sanctorum.

2. *Et erat clausa.*] Aliquid arcani claudit obserata porta, quando nō solùm populi vestigia summouet, sed etiam oculos. Et quidem quæ sacra sunt, quorúmque sensus vulgaris turba non assequitur, nisi seuero obsignentur sigillo, vilia fiunt, & fatuæ cuiuslibet cogitationi, immò & ludibrio proposita. Quare Gentes experientia ipsa edoctæ nefaria sacra, ne hominibus explorata vilescerent, tenebris abdiderunt, & latebris: vnde apud illos frequens adytorum, & mysteriorum nomen, illis *inaccessa*; his *occulta* significatur religio. Cur autem clausa ostendatur porta, statim dicemus.

Sacra occulta esse debent, & clausa.

Porta hæc clausa erit; non aperietur, & vir non transiet per eam.] Clausum vocamus aliquid, quantumcumque natura peruium, & apertum; si tamen à lege, seu consuetudine adiri non permittitur. Quomodo clausum dicitur mare, licèt nihil illo videatur apertius; quia neque modò
D pedibus, neque nauigiis olim traiici poterat: clausæ regiones transmarinæ, quia ad illas nemo aspirabat olim: clausus liber alicui, qui illius intelligentiam non capit, qui tamen aliis est apertus, qui illius occulta sensa cognoscit. Sic puto portam illam vocari obseratam, & clausam; non quia illi semper obiecti sunt vectes, & seræ; sed quia lex, aut consuetudo non aliter ac seræ populari, atque profanæ turbæ illam occluserūt. 3.

Clausum quod quocumque modo adiri non potest.

Vers.2. *Quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam.*] Ratio redditur, cur porta illa orientalis promiscuæ, atque vulgari multitudini peruia non sit; quia cùm à diuino, vt ita loquar, vestigio calcata fuerit, non decuit, vt cuilibet pateret è populo. Ingressus autē dicitur Dominus per 4.
portam

portam Orientalem sanctuarij, quæ Orientalis dicitur, vt cōstat ex cap.43. vers.4. Et maiestas Domini ingressa est templum per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem. Hic obserua, fortasse ex hac porta sumpto documento, in nonnullis locis clausas esse portas, quia magno aliquo prodigio, aut singulari prærogatiua illustres; quia nefas esse iudicatur, vt quæ maiorem illum in modum ornatæ, aut illustratæ sunt, familiaribus hominum vsibus inseruiant. Sane in Hispania portæ quædam sunt, quæ quia Regibus aliquando patuerunt, clausæ seruantur; neque aliis sunt, nisi Regibus peruiæ. Qualis est Burgis ad cœnobium sanctimonialium, quas vulgò *Huelgas* vocant. Et Toleti porta illa, per quam B.Virgo in templum existimatur ingressa, toto anno obserata est, nisi eo die, quo Toletana domus eximio illo beneficio decorata fuit. Clauduntur quidem hæ portæ propter splendorem, & gloriam, quam à splendidis & gloriosis Principibus acceperunt: sed & aliæ quoque clauduntur, quia aliquo infelici successu detestabiles; quales multæ quoque visuntur in Hispania. Noluit ergo Deus, vt ex profanis vllus per illam ingrederetur portam, quam suis ipse vestigiis, siue illustri conspectu consecrarat.

Porta à magno principum calcata aliis obstrui solent. 5.

6. In hac porta, quæ vni tantùm Regi patuit, Sanctorum plurimi B.Virginem agnoscunt, quæ illibatum semper pudorem conseruauit, cuius viscera multo compleuit, & illustrauit abundantius Deus, quàm tabernaculum illud, in quo suum sibi domicilium pararat. Fuit etenim tabernaculum illud, in quo illustria fuerunt sanctitatis symbola, arca nimirum, altare thymiamatis, mensa cum panibus, candelabrum septem collucens flammis, typus, & vmbra quædam subobscura virginis. Sed quanto corpus vmbra nobilius; tanto virgo nobilior tabernaculo, & tanto à maiestate, atque splendore Dei nobilius illustrata; quam inhabitauit multo libentius, quàm tabernaculum, & vbi cum maiori gloria, & maiestate consedit, quia nobilior arca virgo fuit, quæque multo melius seruauit impressam cordi legem, quàm arca lapideis tabulis conscriptam. Ex qua ascendebat odoratissima fumi virgula, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, multo fragrantius, quàm ex aromate, quod in altari thymiamatis è sacerdotali ministerio cremabatur. De candelabri luce, de panibus in arcana positis mensa, nemo dubitat, quin in Virgine illud splenduerit multo magis; & illa humani generis famem abundantiùs expleuerint. Egere hac de re in hunc Ezechielis locum, aut cùm huius loci aliqua ex causa meminissent è Patribus, Doctoribúsque quàm plurimi. Cyprianus in expositione symboli, Epiphanius sermone de laudibus Deiparæ, tom.6. Bibliothecæ. Hesichius hom.1. de laudibus Virginis, & fusiùs hom.2. eodem tomo, Isidorus in sermone quodam de Assumptione, Hieronymus, & Theodoretus hìc, Augustinus tom.10. serm.6. de tempore, cuius tantùm referam verba, in quibus aliorum sensus, & mentem agnosces. *De Maria virginis generatione, & porta erat clausa, & non est aperta: tanquam si interrogaretur, cur aperta non esset, adiecit: quia Dominus transiuit per eam. Porta clausa, id est, signaculum pudoris, immaculata carnis integritas. Non enim est violata partu, quæ magis est sanctificata conceptu.*

B.Virgo porta orientalis.

Tabernaculum typus Virginis.

7. *Eritque clausa principi.*] Id est, in vsum, gratiámque principis. Est enim non vulgaris honor, quem suo principi impendet Respublica, cùm non patitur, vt populo liceat, quod regio nomini concessum est. Sicut Sponsa Cant. 4. hortus conclusus dicitur, & fons signatus, nempe sponso, ille enim solus poterat fructus, floresque carpere ex illo horto, & ex illo fonte aquas bibere, reliquis ab illorum vsu longè summotis. Athenæus lib. 12. cap. 3. ex Agathocle refert esse apud Persas fontes, ex quibus solus Rex, & filius natu maximus biberet, proposita capitali pœna, si quis alius inde quicquam hauriret. Quare fontes illi optimè Regibus clausi dicerentur, id est, regiis tantùm poculis aperti.

Apud Persas fons vni Regi patens.

Vers.3. *Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino.*] Hæc satis probant sermonem hìc esse, non de orientali porta, per quam ex atrio sacerdotali in domum Domini, seu tabernaculum aditus patet; sed de illa, quæ ex populi, seu Israëlis atrio, in sacerdotale ingressuros admittit. Neque enim Rex in porta, quæ ducit ad Sancta, mensam sterneret. Et hoc multo constat magis ex cap. 46. vers. 3. vbi populus adoraturus esse dicitur, ad ostium portæ illius, vbi stetit princeps in Sabbatis, & Calendis. Sed orientalis porta sacerdotalis atrij aperienda dicitur in Calendis, & Sabbatis, cap.46. v.1. Quando verò Princeps in porta illa comesturus sit, dicemus postea c. 46. cùm nempe spontaneum obtulerit holocaustum. Panis autem hìc, sicut aliis in locis sæpe pro quocumque sumitur cibo, licèt nihil habeat, aut oleat frumentaceum. 8.

Per viam portæ vestibuli ingredietur: & per viam eius egredietur.] Suprà cap.42. diximus, num.11. ante orientalem portam, in eius vestibulo peribolum esse, quæ laicam arceret multitudinem; vbi etiam viam esse diximus, quæ ad portam orientalem deduceret, & ostia per quæ ad viam illam, pateret ingressus, quæ tu vide. Dicere ergo videtur Angelus, qui Prophetam sacros edocet ritus, Principem non rectà per orientalem portam ingressurum, egressurúmve, cùm lege sacrum illud limen attingere permittitur; sed per obliquas, atque transuersas vias, quas efficit, munítque peribolus, de quo suprà. Sed est mihi verisimilius portam hanc orientalem esse profani, ac popularis atrij, vt dixi cap.46. v.8. vbi per orientalem viam ingressurus dicitur princeps, populus verò per Aquilonarem, vel Australem. Quo loco multa diximus ad hanc explicationem consequenter. 9.

Et adduxit me per viam portæ Aquilonis in conspectu domus, & ecce impleuit gloria Domini domum.] Dictum est suprà vias esse per omnes plagas iuxta gazophylacia, per has vias, seu deambulationes deductus est Propheta, vt quæ in atrio fierent, fierive deberent, pleniùs obseruaret. Vnde spectauit splendere maximè tabernaculum à diuina gloria; quod non obscurè docebat, adesse ibi Dominum, cuius tunc maiestas sacrarium illud illustre compleuerat. 10.

Vers.5. *Fili hominis pone cor tuum.*] Iubet Dominus aduertat oculos, adhibeat aures, & animum Propheta, vt capiat, & obseruet singula, de quibus illum instructum esse vult. Vbi tu considera, quanta Dominus illa faciat, quæ nobis inspirat, quando nos ad excipienda totis corporis, atque animi viribus intentos esse iubet. 11.

Vers.6. *Et dices ad exasperantem me domum Israël.*] Vsitatum est Deo, vt obiurgatione disponat priùs, quos deinde beneficiis ornare vult. Sic modò cùm de ornādo populo cogitationē susci- 12.

Humiliat Deus, quos ornare vult.

pit, & illum meliùs, quàm antea ſperare iubet; antiquas obiicit ſordes, & peccata, propter quæ Deus exaſperatus, duriùs accepit populum quòdam amicum. Quod eo facit conſilio, vt ſuperiora deteſtatus meliorem ineat viuendi formam.

13. *Sufficiant vobis omnia ſcelera veſtra, domus Iſrael.*] Duplicem ſenſum ex his verbis odorari videor, alterum ſatis eſſe datum temporis, & operæ peccatis; & duros rerum euentus exigere, vt à peccando iam tandem abſtineant. Alterum vſque adeò illos fuiſſe ſceleratos, & impios, vt non ſatis habuerint, quòd ipſi peccauerint; ſed alios etiam iiſdem ſecum peccatis implicuerint, cùm eò alienæ religionis homines adduxerint, vt illa ſuſcipiant, obeántque miniſteria, à quibus quàm longiſſimè abigunt diuinæ leges. Quæ verò ſint illa peccata, ſtatim declarat. Vtraque ſententia videtur non inepta; poſterior minùs diſplicet.

Scandaloſus Deo grauis.

14. Verſ.7. *Eo quòd inducitis filios alienos incircumciſos corde, & incircumciſos carne, vt ſint in ſanctuario meo.*] Qui ſint alieni, facile conſtat ex adiunctis, illi nempe qui circumciſam carnem non habēt, id eſt, qui ex Iſraëlitico ſemine non ſunt; quos etiam cùm naturæ tantùm legibus, atque affectibus plerumque ſeruiant, incircumciſos corde fuiſſe oportet. Hi porrò Gentiles non ſolùm à ſacro miniſterio; ſed etiam à loco ſacro repellebantur, & ideo ſeparatus locus Gentilium erat ab atrio filiorum Iſraël, ad quod ſi quiſquam tranſire tentaſſet, non faciebat impunè. Quod ita Iudæi ſeruauerunt poſt hæc tempora conſtanter, vt magnæ ideo contra Paulum excitatæ ſint turbæ, Actor.cap.21. quòd Gentiles induxiſſe putaretur in templum. *Gentiles*, inquiunt Iudæi, *induxit in templum, & violauit ſanctum locum iſtum.* Et cùm ſubditi Iudæi forent imperatori Romano; obtinuerunt tamen ab illo, ne quis alienus, etiamſi Romanus foret, templum intraret, capitali propoſito ſupplicio, ſi quis contrà quicquam moliretur. Audi Ioſephum lib. 7. de bello, cap.4. vbi Titum ipſum imperatorem, cum Iudæis, qui templum effuſo temerarant ſanguine, ſic loquentem inducit: *Non vos, ô ſceleratiſſimi, cancello ſanctum locum protexiſtis? Nónne literis Græcis, ac noſtris inciſas tabulas conſtituiſtis, quibus ne ſepta cuiquam tranſgredi liceret, edicitur? Nónne eos, qui tranſiiſſent, quamuis Romanus quis eſſet, vobis necare permiſimus?* Atqui ex horum numero ad ſacrum templi miniſterium quidam videntur accerſiti, vt indicare videtur grauis hæc Domini querimonia.

Gentiles nō admittebātur in templum.

15. An cautum eſſet olim ne quis è Gentili genere ſacrum obiret miniſterium, non ſatis conſtat, niſi ex hoc Ezechielis teſtimonio, & Thren.c.1. *Quia vidit Gentes ingreſſas ſanctuarium tuum, de quibus præceperas, ne intrarent in ſanctuarium tuum.* De Ammonitis, & Moabitis habemus Deut. cap.23. v. 3. *Ammonites, & Moabites etiam poſt decimum generationem non intrabunt in Eccleſiam Domini in æternum.* Quomodo verò Rechabitæ, quos alienigenas fuiſſe conſtat, in templo miniſtrauerint, miniſtraréve potuerint, diximus in noſtris cōmentariis in Ieremiam cap.35.n.17.& n.18.

Gentiles à ſacro miniſterio arcebantur.

16. Sed puto hìc Iudæos aliam etiam ob cauſam à Deo reprehendi, quia videlicet, ex illorum manibus victimas accipiebat, ſeu libamina, quæ offerrent in templo: tunc verò, & cap. 46. pluribus demonſtrabimus, nō ſolùm in atrium Iſraël, ſed etiam in atrium ſacerdotale, locúmque ſacrificij penetrare poterant, hi etiam, qui è Leuitico

A genere non eſſent. E Gentilibus autem cautum erat, ne quod in templum per alienas etiam manus oblationis genus inferretur. Leuit.22. v.25. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro, & quicquid aliud dare volueris: quia corrupta, & maculata ſunt omnia, non ſuſcipietis ea.* Quod tamen intellige ſi victima fuerit, aut quodcumque aliud ſacrificium, aut donum, quod in altari holocauſti, aut in ara thymiamatis adoletur. Nam pecuniam accipere, qua victimæ, aut aromata compararentur, id verò prohibitum non eſt; immò id à Gentilibus ſæpe oblatum conſtat. De Dario liquet Eſdræ 1. cap. 6. vbi quæ ad ſumptus tam

Nullum oblationis genus à Gentilibus admittebatur, admitti tamē pecunia pro oblationibus poterat.

B templi, quàm altaris neceſſaria ſunt, de regio fiſco præſtari iubet. Idem Artaxerxes cap.7.& Machabæorum tempore Seleucus Aſiæ Rex, vt habes 2.Machab.cap.3.v.3.

Et offertis panes meos, adipem, & ſanguinem.] Hæc 17.
verba poſteriorem etiam expoſitionem magis confirmant. Id enim quoque videtur exprobrari Iudæis, quòd panes, adipem, & ſanguinem, quæ ab incircumciſis accepiſſent, obtulerint. In his verò tribus multiplex continetur oblationis genus. In pane, far, & ſimila, & lagana, & quæcumque è farinacea finguntur materia. In adipe, quæ in animalibus pinguia ſunt, in quibus etiam oleum intelligo. In ſanguine verò victimæ omnes ſiue in volucribus, ſiue in pecoribus nu-

C merentur. Hæc omnia à Gentibus oblata, ad ſuam credo commoditatem attenti capiebant ſacerdotes, contrà quàm lex à Domino tradita præſcriberet; quia leges tunc, & religio ſilent, quando cupiditas dominatur, & ambitio.

Et diſſoluitis pactum meum.] Heb. יפרו *iapheru*, id 18.
eſt, diſſoluerunt, i. fecerunt, vt vos diſſolueretis, dum eorum dona ad altare meum adoletis; aut ipſi ad ſacrum altaris miniſterium vocantur. Hoc verò pactum futurum erat æternum, ſi modò ipſi datas ſibi leges, & ſacra legitima ſeruaſſent. Ideo enim ſuprà Aaroni, & filiis primitias, & Dauidi, eiúſque poſteritati regnum datum dicebamus in pactum ſalis, quia futurum erat per-

D petuum; ſicut caro, quæ facile in ſaniem ſoluitur, id accipit à ſale, ne tabeſcat, & putrat. Hoc porrò pactum, quod Dominus diſſolutum eſſe queritur, multis in locis Scripturæ ſacræ reperitur, vbi Deus legum ſeruatoribus plurima promittit, & illarum tranſgreſſoribus grauia minatur, ſed præcipuè Deut.cap.28. vbi ſpectare licet infortunia varia, quibus tranſgreſſor Iudæorum populus perfunctus eſt. Niſi mauis illud eſſe pactum, quo cauetur ne alienigena inducatur in templum, aut oblata à Gentilibus dona ferantur ad altare.

Verſ.8. *Et poſuiſtis cuſtodes obſeruationum mea-* 19.
rum in Sanctuario meo vobiſmetipſis.] Duo peccarat

E in re ſacrificali, ac religioſa populus; & quia victimas acceperat à Gentili manu, & quia ad altaris miniſterium Gentiles induxerat. Hoc poſterius nunc explicat, dum ait ſuo potius arbitratu, quàm ex legis præſcripto datos eſſe Sanctuario cuſtodes obſeruationum, & legum, id eſt, Sacerdotes qui cæremonias cuſtodirent, & ritus, quos legiſlator Deus de re ſacrificali ſacerdotibus indixiſſet. Illud verò *vobis metipſis*, optimè cogitationem iſtam exponit, & rei ipſius indignitatē amplificat. Quaſi dicat Deus, non tam mihi cuſtodes, quàm vobiſmetipſis quærebatis; neque enim eò veſtrum incumbebat ſtudium, vt ſacerdos ille alienigena honori, ac volūtati meç; ſed vt veſtræ potiùs cupiditati ac voluptati ſeruiret.

Sacra profanis ſtudiis ſeruire non debent.

uiret. Neque suo caret pódere, eóque maximo illud, *In sanctuario meo.* Quasi dicat Deus, graue sibi esse, quòd in illo sanctuario, quod Deus in suum sibi honorem sacrari voluit, suæ homines commoditati, seu libidini seruiant. Quod perinde est, atque domum Dei fecisse, aut speluncam latronum, aut ferarum lustra.

Alienigenæ, & proselyti à templo prohibiti.

20. Vers. 9. *Omnis alienigena, incircumcisus corde, & incircumcisus carne; non ingredietur sanctuarium meum.*] Hæc lex à sanctuario, sacerdotalíque ministerio omnem alienigenam excludit. Quod licèt ante hoc tempus iniunctum fuerit à Domino; non tamen, quod ego viderim, vllus est locus, qui expresè hunc alienigenis omnibus aditum præcludat. Tantùm inuenio Deut. cap. 23. Ammonitis, ac Moabitis ingressum in Ecclesiam fuisse negatum.

21. *Omnis filius alienus, qui est in medio filiorum Israel.*] Fortasse hìc de proselytis sermo est, qui cùm non sint ex genere Israelitico, Israeliticam tamen religionem amplexi sunt: nam hi etiam à sacro arcentur ministerio; quia ex genere Leuitico non sunt. Hanc cogitationem indicat illud, *qui est in medio filiorum Israel*, id est, qui inter Israelitas habitat. Cum Israelitis autem aliquid habere commercij, aut familiarem conuictum, alienigena non poterat, nisi abiurata patria religione, Israeliticam esset amplexus.

22. Vers. 10. *Sed & Leuitæ, qui longè recesserunt à me in errore filiorum Israel, & errauerunt à me post idola sua.*] Non solùm alienigenæ, aut qui è Leuitico genere non sunt, arcentur à sacro ministerio; sed ipsi etiam Leuitæ, qui deserto templo, cuius ministeriis alligati fuerant, & auita religione prodita; secuti sunt errorem decem tribuum, & aureis vitulis, quos excitauit Ieroboam, diuinos honores impenderunt. Hi ergo, licèt non omnino excludantur à templo; tamen illa in templo obire munera iubentur, in quibus & splendoris videtur esse minus, & plus laboris, atque molestiæ. Neque enim tam erunt Sacerdotes, quàm sacerdotibus ad sacrificale munus administri: erunt enim ianitores, & æditui: iugulabunt holocausta, & victimas: præstabunt denique seruilem quamdam operam, aut seruili proximam, sacerdotibus.

23. Vers. 12. *Pro eo quòd ministrauerunt illis in conspectu idolorum suorum.*] Cur Leuitæ ad infimos Leuitici ordinis gradus sunt deiiciendi, ea causa redditur; quia seipsos sic abiecerunt, vt Israelis, id est, decem tribuum insaniæ lenocinati, quem vero Deo honorem tribuere debuissent, impenderent vitulo comedenti fœnum.

Leuitarum multi decem tribubus adhæserunt.

Hìc nobis duo obseruanda sunt. Alterum est, licèt plurimi ex Leuitico genere duabus adhæserint tribubus, qui in illo populi dissidio secuti sunt Roboam: in cuius ditione templum erat Salomonium, cui seruiebant ipsi, & ex eo ad domesticos sumptus necessaria sumebant: multi tamen illorum sese maiori adiunxerunt multitudini, & ad aureos vitulos delapsi sunt. Alterum est, vt alibi à nobis sæpius obseruatum, cum duabus tribubus ex aliis rediisse quamplurimos, vt ostendimus suprà cap. 37. v. 16. ad illud, *sume tibi lignum vnum* Hæ ergo minæ illos respiciunt, qui è Leuitico genere væsano Israelis errori seruierunt; qui nihilo fortasse meliores fuerunt apud Assyrios extorres à patria, quàm antè fuerant à templo, atque antiqua religione distracti. Ab his pœnas exigit desertæ religionis, vt nempe è nobili sacerdotum ordine deiecti, ministerium obeant, sacrum quidem, vt decet Leuitas; non tamen illud, quod familiare Deo Leuiticum illud genus, & proximum facit.

Portabunt iniquitatem suam.] Iniquitas pro supplicio ponitur, quod iniquitati debetur. Vt autem Leuitæ sacerdotibus ministrabant, qui vitulis nefariam impendebant cultum; sic æquum fuit, vt illi non tam sacra facerent, quàm facientibus adessent, & gradum obtinerent profano proximum. 24.

Vers. 13. *Et non appropinquabunt ad me, vt sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne sanctuarium meum iuxta Sancta sanctorum.*] Explicatio est eorum, quæ proximè audiuimus; ostenditur enim in quo spectetur maximè supplicium, quod ab illo Leuitarum infideli genere exigit Deus. Neque enim sacerdotalis ministerij participes erunt; neque illa obibunt Leuitarum munera, quæ in locis fiunt Oraculo, aut tabernaculo proximis, puta quæ exercentur in altari thymiamatis intra sancta, aut in atrio sacerdotali ad altare holocausti. Id enim valet illud, *Neque accedent ad omne sanctuarium meum iuxta Sancta sanctorum.* Quod verò sit, quóve loco exercendum, infimum illud Leuitici ordinis officium, subiicitur statim. 25.

Vers. 14. *Et dabo eos ianitores domus in omni ministerio eius, & in vniuersis, quæ fiunt in ea.*] Hæc suprà vers. 11. clariùs expressa, vbi euoluuntur illa, quæ in extremis vèrbis obscuriùs inuoluta cernis. Ibi claré de ianitoribus, qui vt suo munere rectè fungantur, necesse est stent semper ad portam: quare non accedent ad Dominum, id est, ad locum illum, vbi religioso, atque sacrificali cultu Deus honoratur. Quare ianitores isti excubare existimantur ad portas, & in thalamis habitare, quos esse diximus cap. 40. in ipsa muri crassitudine ad externam faciem muri, qui atrium sacerdotale à laico, seu profano secludit. 26.

Æditui qui.

Leuitarum munera.

Quod obscurè hìc Dominus, & implicitè, dum ait, *Et in vniuersis, quæ fiunt in ea*, euoluit paulo antè vers. 11. *Erunt in sanctuario meo æditui, & ianitores portarum domus, & ministri domus, ipsi mactabunt holocausta, & victimas populi.* Æditui illi sunt, qui ædem, id est, sacra loca custodiunt, curántque vt quæ ad sacrificia pertinent, apta sint, & prompta; neque tam ipsi sacrificant, quàm sacrificantibus assistunt, seruiúntque sacerdoti magis, quàm altari. Ministri domus aliquid significat ampliùs; & ad omnia se latè porrigit, quæ seruile in templo studium, atque operam requirunt: qualia sunt quæ ad rem culinariam spectant, atque lignariam; item vt domus perpetuò munda sit; omnia denique quæ in priuatis domibus ancillæ curant, aut mediastini serui. Addit ad extremum ab ipsis holocausta, & victimas fore mactanda; neque tamen omnia, sed quæ offeruntur à profanis. Similia habemus in Ecclesia decreta, quæ Sacerdotes aliquando lapsos ab altioribus functionibus arcent, & inferioribus ministeriis addicunt. Vide dist. 50. can. *qui sub gradu*, & can. *presbyteros.* 27.

Vers. 15. *Sacerdotes autem, & Leuitæ filij Sadoc, qui custodierunt ceremonias sanctuarij mei.*] Longè erit alia conditio illorum, qui ex eodem prognati genere Leuitico, diuersum tamen viuendi, atque sacrificandi genus secuti sunt. Hi verò fuere, qui orti sunt ab illo summo Pontifice Sadoc, qui primus omnium in templo à Salomone constructo sacrificauit. Qui vt ipse legitimos tenuit 28.

 sacrifi

ſacrificandi ritus,ſic etiã poſteri paternis ingreſſi veſtigiis, eandem in ſacrificando legem ſeruauerunt. His ergo Deus gratificatus, grauiora permittit munera, & magis illuſtre miniſterium. Non vt ſacerdotibus aliis in ſacrificando, ſed vt ſibiipſi in opere ſacerdotali miniſtrent, & offerant illa, à quibus alij Leuitarum ordines arcentur.

29. Verſ.16. *Ipſi ingredientur ſanctuarium meum, & ipſi accedant ad menſam meam.*] Sanctuarium hìc in propria ſignificatione ſumo, pro ea fabricæ Salomoniæ parte, quæ *ſancta* dicitur, & *Sancta ſanctorum*;ad quam non omnibus è Leuitico genere patebat ingreſſus. In ſanctuario autem menſa erat,altare nempe thymiamatis,quod ex vſu Scripturæ ſacræ menſa vocatur, vt pluribus oſtendimus cap.40.ad verſ.29. *Erat item menſa,in qua propoſitionis ponebantur panes*, de quibus ſuo loco poſtea. Hæc magis arcana ſunt & propiora loco, vbi Deus dicit ſibi paratum eſſe ſolium: ad quæ Deus Sacerdotes admittet fideles, alios verò ad atria longè diſſita repellet.

30. Verſ.17. *Cúmque ingredientur portas atrij interioris, veſtibus lineis induantur.*] Poſtquam ex Leuitico ordine illos elegit, quos Sacerdotes eſſe voluit,ſibíque præter cæteros, familiares, & aſſiduos, tradit leges quas ſeruare debent, cùm ſacrificandi cauſa interioris atrij portas ingrediantur. Hæc Aaroni, & Pontificibus aliis præſcripta ſunt Leuit.cap.16.v.4. *Tunica linea veſtietur, feminalibus lineis verecunda celabit, accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti*, quæ omnia repetũtur hoc loco. Sed locus hic Deuteronomij abſque dubio loquitur de ſummi Sacerdotis ingreſſu in ſacerdotale atrium, quod plerumque atrium appellatur interius:nam præceſſerat, *Quando ingredietur ſanctuarium, quod eſt intra velum coram propitiatorio*. Sed hìc de aliis etiam ſacerdotibus videtur loqui, cùm ad ſuum ingrediuntur atrium, quibus idem præcipitur indumenti genus.Exod. cap.28.v.40.*Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, ac tiaras in gloriam,ac decorem,veſtiéſque his omnibus fratrem tuum, & filios eius cum eo. Facies, & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ, à renibus vſque ad femora, & vtentur eis Aaron, & filij eius, quando ingredientur tabernaculum teſtimonij, vel quando appropinquant ad altare, vt miniſtrent in ſanctuario.* Vbi vides quatuor minorum ſacerdotum indumentorum genera præſcribi, feminalia, tunicam, zonam, & tiaram, quæ hoc etiam loco numerantur. Quæ ſumunt Sacerdotes ſacris operaturi; & eadem deponunt, cùm ex atrio ſuo ad populum procedunt,vt diximus ſuprà cap.42. ad verſ.14. De veſtibus ſacerdotum egere non pauci. Hieronymus epiſtola 127. ad Fabiolam, Iſidorus lib.19. etymolog.c.21. Ioſephus lib.3. Ant.cap.8. & nuper Ribera lib.3. de templo à capite 5.Obſeruat autem Rab.Moyſes Ægyptius Sacerdotes, propter hoc veſtimenti genus lineum, quod minus tueri corpus poterat à temporum iniuriis, variis fuiſſe morborum generibus obnoxios, cùm enim mutandum eſſet ſæpe lineum illud amiculum, quia illud ſacerdotale miniſterium ſæpius intermittebatur:& quia ibidem, vt notat idem Rab. Moyſes,in pauimento ſtare ſemper cogebantur; neque enim ſedere in loco, vbi ſacra fiebant, putabant eſſe fas: adde, quòd, vt ſtatim dicemus, nudis erant pedibus, cùm rei ſacrificali dabatur opera.Quare non poterat ab his non affici grauiter natura mortalium,quæ valde ſunt aduerſa valetudini.

Sacerdotes, quibus induti veſtibus ſanctuarium ingrediuntur.

Lineum,non laneum ſacerdotale indumentum.

Nec aſcendet ſuper eos quicquam laneum, quando miniſtrant in portis atrij interioris, & intrinſecus.] 31.
Quod laneum eſt,minus eſt purum, quàm quod lineum;&neſcio quid habet ab animali,vnde detonſum vellus, ex quo lanea tegumenta texuntur. Quare Deus, qui in ſacerdotali miniſterio, ſeu perſona nihil eſſe patitur non purum, linum adhibet, lanam remouet ab altari. Id verò non ſolùm cùm rei ſacræ datur opera in ſanctis, id eſt, in priori parte tabernaculi;ſed etiam cùm in atrio ſacerdotali ad altare holocauſti opus exercetur ſacrificale. Id enim valet, *in portis atrij interioris,& intrinſecus*. Tria verò in priori tabernaculi parte præſtabant Sacerdotes.Primò ſingulis Sabbatis in menſa propoſitionis recentes reponebant panes, veteribus inde ſublatis, Leuit.c.24. Secundò, lucernas concinnabant candelabri quotidie manè,& veſpere, Exod.27.verſ.vltimò. Tertiò, manè item & veſpere quotidie altari thymiamatis imponebant incenſum:quæ omnia ex præſcripto legis obibant linteati.

Verſ.18. *Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum.*] 32.
Has lineas vittas Moyſes Leuit.16.v.4. Cidarim appellat lineam, cùm ſacerdotis ſummi tiaram, ſiue mitram deſcribit. Sunt autem non faſciæ illæ, quæ imperatorum olim vinciebant caput, premebántque crines defluentes, quæ à circumligando διαδήματα vocantur, ſed faſciæ, quæ multis implicatæ voluminibus, totum contegunt& cohoneſtant caput;quales ſunt,quas nunc nationes aliquæ geſtant orientales,maximè Turcicæ, quæ ab illis *triumphæ*,ſeu *turbantes* dicuntur. Sic ſanè Ioſephus lib.3.Ant.c.8.de pontificia Cidari,ſeu mitra. *Eſt*, inquit, *tali paratu, vt videatur vitta linea ſæpè in orbem replicata, & conſuta,quam ſupernè alia tela integit, vſque ad frontem deſcendens, & per ſuperficiem verticis ſuturarum deformitatem occultans. Hic adaptatur accuratè,ne inter ſacrificandum delabatur.* De minorum ſacerdotum tiara nihil, quod ego viderim, certum habemus:ſuſpicor tamen non eſſe aliam,quàm quæ à Pontifice, cùm linteatus incederet, geſtabatur;veluti cùm ſemel in anno, expiationis tempore in Sancta ſanctorum introibat.Nam quibuſdam aliis temporibus aliis vtebatur ornamentis verſicoloribus,& eximij pretij. An verò Sacerdotes extra ſacrificale, aut ſacerdotale miniſterium aliquid in capite geſtarent, diximus in noſtris commentariis in Acta cap.19. n.8. vbi multis oſtendimus omnibus omnium ordinum Iudæis ab omni tegumento nudum fuiſſe caput, niſi dum noua ratio aliter exigeret.

Qualis vitta,ſeu cidaris ſacerdotalis.

Iudæorum nudum caput.

Et feminalia linea erunt in lumbis eorum.] Cur 33.
feminalia Deus Sacerdotes aſſumere voluerit, diximus ſuprà cap.43.cùm de gradibus, per quos ad altare holocauſti aſcendendum eſſet, ageremus; nempe ne illorum reuelaretur turpitudo. De his agitur Exodi cap.28. vbi edicitur, nefas eſſe in tabernaculum ingredi, aut appropinquare ad altare ſine ſubligaculis. De quibus Hieronymus ad Fabiolam, *Lineis feminalibus, quæ vſque ad genua,& poplites veniunt,verenda celantur, & ſuperior pars ſub vmbilico vehementer aſtringitur.Vt ſi quando expediti mactant victimas, tauros, & arietes trahunt, portántque onera,& in officio miniſtrandi ſunt,etiamſi lapſi fuerint, & femora reuelauerint,non pateat quod opertum eſt.* Quomodo extra hæc tempora Sacerdotes,ſicut & alij feminalibus,ac tibialibus vſi non fuerint, diximus in noſtris commentariis ſuper Cantica ad illud cap.5. *Crura illius columnæ marmoreæ.* Quod autem dum ſua Sacerdotes miniſteria obeunt,

Feminalia cur adhibita ſacerdotibus.

34. obeunt, nudos haberent pedes, probant & quòd nulla hic calceorum mentio, sicut neque Exodi cap.28. & quod Exodi c.30.v.19. iubentur sacerdotes sæpè pedes lauare. *Et missa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus suas, & pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij.* Neque enim si calceati sacris illis operarentur, opus foret pedes abluere. Et ita putant Gaietanus, & Lipomanes in hunc locum Exodi. Et sanè Moyses deponere iubetur calceos Exodi 3. eiúsque causa redditur, quia terra sancta erat, quare non decebat, vt à calceatis pedibus calcaretur. Hinc ortum, vt Iudæi hodie quoque nudis ineant pedibus, quæ nunc habent qualiacumque sacraria. Hinc etiam orta illa sacra nudipedalia, quæ obiisse Paulum, vt Iudæos lucrifaceret, tradit Hieronymus in lib.1. contra Iouinianum paulo ante medium. Quod indicat Iuuenalis Satyr.6. vbi sic de Iudæis,

Sacerdotes nudis pedibus sacra obeunt ministeria.

Sacra nudipedalia.

Obseruant, vbi festa mero (id est, nudo) *pede Sabbata Reges,*
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

A Iudæis hanc legem, vt opinor, accepere Gentiles, quibus legitimum fuit, vt non nisi nudis pedibus ad sacrificandum accederent. Vnde ortum est tritum illud Pythagoræ, *Nudis pedibus sacrificandum.*

Nudis pedibus sacrificabant Gentiles.

35. *Et non accingentur in sudore.*] Multi hîc multa dicunt; quæ referre aliquod afferent operæ pretium. Heb. ביזע *baiaZagh*, quæ vox laborem significat, & sudorem. Vnde quidam exponunt, *non erunt arcta sacerdotum vestes, ne cum labore accingantur.* Cui explicationi accinit translatio L X X. qui sic vertunt οὐ περιζώσονται βίᾳ, id est, non accingentur vi, seu violenter. Alij, non se accingant Sacerdotes in illis locis, vbi plerumque sudor est, & naturalis fœtor, nempe ad axillas, & inguina. Alij prohiberi hîc putant, ne Sacerdotes lineis illis indumentis se vestiant, cùm membra sudore maduere, donec siccetur sudor, ne sacræ vestes contaminentur, & grauiter oleant à sudore. Ita indicat Pagnini translatio, *Non accingent se post sudorem.* Ex his expositionibus sumat licet lector quam volet, mihi nulla videtur omninò

Cur Sacerdotes prohibeantur in sudore vestiri.

36. soluta. Aliæ duæ mihi succurrunt, quas hîc adducam, vt lector habeat quid reiiciat. Altera est, ne Sacerdos cum sudore, id est, festinatò, & tumultuariè sacris se indumentis operiat; sed attentè, & deuotè illud apud se reputans, cû quanto tremore quis debeat ad sacrosanctum altaris ministerium accedere. Quod etiam in suis sacrificiis agnouere Gentiles, qui sacris operaturum sacerdotem admonebant, vt pium illud opus attentè præstaret, & consideratè; cui illud in sacrificiis solenne inclamabat præco: *Hoc age.* Ita Plutarchus in Numa, & Coriolano, qua voce dicit Sacerdotes admoneri, vt erectis, & attentis animis in eam curam incumbant, nec perfunctoriè, atque oscitanter sacrificio vacent. Quod sanè maximè commendatum oportuit sacerdotibus Euangelici temporis, in quo augustior est, & sacratior victima; in cuius oblatione si quid minus attentè, ac religiosè fiat, non potest non esse reprehensibile.

Sacerdos attentè, & deuotè sacris operetur.

37. Altera mihi explicatio magis videtur ad institutum, quæ edicit sacerdotibus ne vestiantur in sudore, id est, vt puræ sint vestes, non infectæ, aut olidæ à sudore. Neque enim decet, vt aliquid adhibeatur ad altare, non purum. Quod si, vt modò dicebamus, immundis manibus, aut pedibus ad sacrum ministerium accedere nefas exi-

Vestimentorum sacerdotalium, aut sacrificaliũ munditiès.

A stimatur (quare luteres sunt, & mare æneum, vt se Sacerdotes sacrificaturi abluant) id quoque videtur fuisse præceptum, vt pura sint, & candida vestimenta. Sane id Gentes in suis sacrificiis sic obseruabant diligenter, vt si quis secus faceret, contemptæ religionis ageretur reus. Vnde apud illas cùm de sacrificio sermo est, vestis puræ sæpe nomen occurrit. Tibullus lib.1. eleg. vltima,

Hunc pura cum veste sequar, myrtóque canistra
Vincta geram, myrto vinctus & ipse caput.

Item lib.2. eleg.1.

Casta placent superis pura cum veste venite.

Virgil. lib.12. æneid.

———— ———— puráque in veste Sacerdos
B *Setigeræ fœtum suis, intonsámque bidentem*
Attulit.

Vers.19. *Cúmque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis.*] Hæc à nobis explicata sunt cap.42. v.14. vbi hæc eadem pene occurrunt verba.

Vers.20. *Caput autem suum non radent, neque comam nutrient.*] Hæc, & quæ sequuntur proximè, ex cap.10. Leuitici sumpta sunt. Incertum est, an vniuersè Deus radi caput prohibeat; an certo aliquo tempore, nempe in suorum luctu. Hoc posterius videtur dici posse probabiliter; quia tonderi comam, seu radi caput, neque videtur esse prohibitum, neque habere aliquid indecori, nisi C fortè cùm aliquid posset olere gentilicum, quale est in domesticorum funere inducere capiti caluitium, quod vetat Deus Deut.14. v.1. *Non vos incidetis, nec facietis caluitium super mortuo.* Sed credo in vniuersum id esse sacerdotibus iniunctum olim cùm toti etiam populo præceptum id esset. Leuit cap.19. v.27. *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.* Sed hoc tempus sacerdotibus maximè commendatum oportuit, quia tunc Gentes caput attondebant, vt ex Ieremia constat cap.9. v.26, & cap.25. v.23. Quod credo nunc maximè commendat Deus; quia cùm egisset diu populus exul inter Gentes, ab illis mores potuit ediscere gentilicos, quorum vnus fuit, vt D caput raderent; sicut videri possunt fecisse Idolorum mystæ apud Babylonios. 38.

In funere cæsaries radi solita.

Sacerdotibus comam alere, aut ad cutim radere prohibitum.

Neque comam nutrient.] Videtur edici ne longam comam Sacerdotes nutriant, sed in ea mediam quandam teneant mediocritatem, ita vt neque raso incedant, neque nimium capillato capite. Atque adeò videtur etiam edicere, ne voto se Nazareatus obstringant, saltem perpetuo: quia super Nazaræorum caput nouaculam ascendere religio vetabat. 39.

Vers.21. *Et vinum non bibet omnis Sacerdos, quando ingressurus est atrium interius.*] Hæc sumpta sunt è Leuit. cap.10. *Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui, quando intratis in tabernaculum testimonij, ne moriamini.* E Capitale sacerdotibus est, si sacris operaturi vinum antea biberint, quia qui rem tantã aggrediuntur, vigilantes esse oportet, & sobrios, ne æstuantes à calore vini aliquid admittant indecorè. Eius causam reddit statim Deus vers.10. *Vt habeatis scientiam discernendi inter sacrum, & profanum; inter pollutum, & mundum.* Ideo putat Chrysologus serm.26. Nadab, & Abiu in ipso sacrificandi conatu periisse; quia à vino antequam ingrederentur tabernaculum, non abstinuissent. *Vini odor,* inquit, *odorem fugarat incensi, & ebrietatis ignis flammam prouocarat altaris. Vnde quia alienati vino alienum portauerant ignem, mox diuino igne referuntur extincti. Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium.* Hoc idem existimant Hebræi, qui 40.

Vinum sacerdoti prohibitum sacris operaturo.

Nadab, & Abiu cur existimentur periisse.

qui ideo dicunt filios Aaron alienum adhibuisse ignem, quia cùm ad tabernaculum accessissent, temulenti inter profanum,& sacrum ignem nullum habuere discrimen: eamque ob rem putant statim à Deo de non bibendo vino datum esse præceptum. Sed sanè aliam causam illorum interitus apertè Scriptura producit Leuit.10. v.1. & Num.3.v.4. & hæc mera sunt Rabbinorum commenta.

41. *Augustini sententia de altari thymiamatis.* Augustinus q.31. in Leuit. negat Pontificem potuisse vnquam vinum bibere,aut siceram;quia putabat illum necessariò debere diebus singulis intrare tabernaculum, cùm altari thymiamatis aliquid esset imponendum quotidie;quod altare putabat Augustinus esse in tabernaculi interiori secessu, quod tantùm vni sacerdoti summo patebat. Sed cùm in priori tabernaculi parte altare illud esset, in quam fas erat sacerdotibus ingredi,immo & necessarium ad concinandas lampadas,& recentes panes in mensa proponendos, vt paulo antè diximus, & pluribus statim ostendemus, deserenda nobis est Augustini sententia. Vide interim 1. Paralip.6.v.49. & 2. Paralip.26. v.18.vbi apertè habes Aaron, & eius filios in altari thymiamatis incensum posuisse.

42. *Sacerdotis uxor virgo, & ex Israelitico genere.* Vers.22. *Et viduam, & repudiatam non accipient vxores, sed virgines de semine Domus Israel.*] Hoc præceptum habuerunt primùm Sacerdotes Leuit.cap.21.v.13. *Virginem ducet vxorem;viduam autem, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet,sed puellam de populo suo.* Duo hìc præcepta accipit Sacerdos:alterum ne viduam ducat, aut repudiatam; sed eam, cuius non sit ab aliquo libata virginitas: alterum ne peregrina sit puella, & ab alieno semine. Quare cùm alienigenæ fœminæ seruatis cæremoniis & ritibus, Deut.cap. 21.v.12. nubere possint his, qui sunt de populo Dei,& factæ iam Israelitides Israelitarum thalamum inire;id tamen,vt ex hoc Ezechielis,& Leuitici testimonio constat,nullo modo erat sacerdoti permissum. Cur externarum Pontifex non possit inire coniugia,ratio obscura non est,ne videlicet mixtum genus, & quodammodo biformis proles ad sacrum altaris ministerium accederet. Et eam ob causam putant Hebræi apud Zachariam cap.3. accusatum Iesum filium Iosedech, quòd filios suos alienigenarum se connubiis implicuisse passus sit;immò & quòd ipse externis se nuptiis illigarit; quod cum Hebræis sentit quoque Hieronymus lib.2. contra Iouinianum.Qua in re docet ab illo adumbratum esse Christum, qui Gentilem populum ad mysticum thalamum adiunxit.

43. *Cur sacerdoti ducenda virgo.* Cur verò à Sacerdote non nisi virgo duci possit, ea videtur grauissima, ac penè sola ratio, quia minus decebat sacerdotale nomen, si subactam ab alio vxorem acciperet. Philo lib.2. de Monarchia alias adducit, quas tu vide. Vbi obseruat, cùm aliæ leges nuptiales sacerdotibus cum summo Sacerdote communes sint;illam tamen de virgine ducenda, vni tantùm Pontifici fuisse præscriptam. In hoc porrò coniugio, vt Cyrillus putat lib.12.de adoratione significatur, *quod Christus non cum impiis, & corruptis animis, sed cum castissimis,atque purissimis tanquam virginibus versaretur,easque fœcundas redderet, ac sibi genere coniunctas appellaret.*

44. *Sacerdos summus vxorem ducere potuit extra genus Leui.* *De semine domus Israel.*] Philo suprà non putabat licere sacerdoti ex alio, quàm Leuitico genere nuptias inire; sed omnino fallitur, quia & verba id edicunt planè, vt virgo sit de domo,

A aut semine Israel;& Leuit. cap.21. *de populo suo.*

Sed & viduam, quæ fuerit vidua à sacerdote, accipient.] Non inuenio alio in loco permissum esse sacerdoti, vt defuncti sacerdotis vxorem consortem sibi ad thalamum adhibeat: neque hac de re,quod miror, laborant interpretes; tantùm inuenio apud Lyram licuisse sacerdoti defuncti fratris Sacerdotis viduam ducere; si tamen sine filiis frater decessisset, vt quod lege cautum est, fraternum semen excitaret. Coniectat quidem optimè Lyra, vellem id probare potuisset. Hieronymus ad allegoricos sensus confugit, quibus tamen, vt ipse non semel docuit, supponere videtur historicum. *Non solum, inquit, virginem, sed viduam debent sacerdotes ducere,quæ tamen alterius sacerdotis vxor fuerit: scientiam videlicet,quam alius Dei cultor inuenerit. Neque enim noua tantum contenti esse debemus doctrina, sed & veterem excolere, & nostro coniungere comitatui, si tamen sacro cultu fuerit erudita.* 45. *Aliena doctrina non respuenda, si tamen pia.*

B

Vers.23. *Et populum meum docebunt, quid sit inter sanctum,& pollutum.*] Hoc idem habes Leuit.cap. 10.v.10. *Vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum,& profanum,inter pollutum, & mundum,doceatisque filios Israel omnia legitima mea.* Dubitat hic Augustinus q.33.in Leuiticum, an inter ea, quæ sacra sunt,& munda,& quæ secus habent;vel inter homines,qui sancti,vel polluti sunt,iudicare, ac decernere debeat Sacerdos. *Hoc quoque, inquit, ambiguè positum est, vtrum inter illa sacra, quæ ritè, vel non ritè fierent,distinguere voluit sacerdotes, an ipsos homines probandos,vel improbandos; an potiùs ad vtrumque referendum est,siue homines,siue sacra?* Ego vtrumque subiectum esse puto sacerdotum iudicio;neque enim frustrà neutraliter positum est, *inter sanctum, & pollutum*;& tandem additum, *omnia legitima mea*, id est, omnia, quæ cauta sunt diuina lege. Horum autem plurima ad sacrificia pertinent,quæ videlicet adhiberi possent,quia immaculata,& idonea sacrificiis,& quæ ab altari,quasi maculata,& inepta repelli debeant. De hominibus idem est,& grauius,& magis familiare iudicium, quia multa sunt vitia, quæ homines ab altaris ministerio submouent, de quibus Leuit. cap.21. Multa in profanis,de quibus sacerdotum iudicio decernitur, qui multis modis pollui possunt,& multis etiam modis lustrari debent,vt de leprosis,seminifluis,&c. Vide Leuit.à capite 11. ad caput 16. Hæc verò omnia sacerdotum iudicio permittuntur. Quod etiam Christus seruatum esse voluit, qui Lucæ cap.17.v.14. leprosis, quos ipse mundauerat, dixit, *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* 46. *Sacerdotum de multis iudicium.*

C

D

Vers.24. *Et cùm fuerit controuersia, stabunt in iudiciis meis.*] De hoc sacerdotali munere habes Deut.cap.17. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam,& causam,lepram,& lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari,surge,& ascende in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad sacerdotes Leuitici generis, &c. Et facies quodcumque dixerint,qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te.* Quorum iudicio tantum voluit Dominus inesse ponderis, vt vetuerit ab illo in alterutram partem declinare, proposita capitali pœna, si quis contrà faxit,vt docent quæ mox sequuntur verba. Quare oportet, vt legem Dei optimè Sacerdos nouerit, quando illius custos esse debet, & vindex.Aggæus 2. *Interroga sacerdotem legem.* Malachiæ c.2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.* 47. *Sacerdotes de controuersiis iudicant.*

E

Et

Sacerdotum iura mandata sacrarum rerum obseruantia.

48. *Et praecepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient.*] Hactenus de controuersiis, quas suo arbitratu, & ex praescripto legis sacerdotes decidunt. Nunc de aliis, quae ad religionem ritúsque sacrorum spectant, praecepta traduntur. Iubet igitur Deus, vt in solemnitatibus, quae variae sunt, & plurimae apud Hebraeos curent sacerdotes, ne quid fiat, nisi iuxta leges, quas acceperunt, quarúmque ipsos scientissimos esse oportet. Neque puto id tantùm in mandatis habere sacerdotes, vt datas à Domino leges ipsi custodiant, sed vt ab aliis obseruari curent. Quod fecerunt Azarias Sacerdos summus, & sacerdotes alij, qui sese opposuerunt Oziae Regi, qui contra praescriptas à Domino leges, profanus cùm esset, adolere tentauit in altari thymiamatis incensum, 2. Paralip. cap.26.v.17. *Statímque ingressus post eum Azarias Sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini, octoginta viri fortissimi, restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium. Egredere de sanctuario,* &c. Et idem esse puto de Sabbato, cuius sanctitas sacerdotum curae videtur esse commendata.

Sacerdos quorum funeri interesse poterat.

49. Vers.25. *Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur, nisi ad patrem, & matrem, & filium, & filiam, & fratrem, & sororem.*] Haec eadem habes Leuit. c.21. à vers.1. Contaminati censebantur, qui mortuum tangebant, & pro illis certum expiationis genus comparatum erat, Numer.c.19. cúmque id esset omnibus in lege prohibitum, maximè verò sacerdotibus, quos Dominus puros esse volebat, & mundos, & ab eo quod tetri aliquod olet, separatos. Cúmque diuina semper spectare debeant, à mortuis mortalibúsque alienos esse decet. Quare vetat Deus, ne sacerdotes aliorum funeribus intersint, ne quid à mortuis contrahant, quod aliis fastidio futurum sit, & nauseae. Excepit tamen illos, qui magis sunt naturae communitate coniuncti, patrem videlicet, & matrem, filium, & filiam, fratrem, & sororem; nihilominus non effugient, vt dicemus postea, quominus illorum funere non contaminentur.

Vxor de viri familia esse censetur.

50. *Quae alterum virum non habuerit.*] Leuit.21. v.3. *quae non est nupta viro.* Cur verò sororis funeri, quae viro nupsit, Sacerdos interesse non possit, ea ratio est, quia nuptiali iure in viri familiam cooptata iam est, neque ad paternam domum pertinere existimatur, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis in Cant. cap.4.n.67. Et quidem Leuit.c.22.v.12. cùm sanctificatis vesci possint, qui sunt è sacerdotis familia, nullo tamen modo licet illius filiae, quae alteri nupsit. *Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quae sanctificata sunt, & de primitiis non vescetur.* Hinc fiebat, vt patres nurus in suam accerserent domum, quasi iam futuras filias; filias verò ablegarent à se in generorum domos, tanquam alienas. Sic fecit Abessan Iudic.12.v.8. *Iudicauit Israel Abessan de Bethlehem, qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras maritis dedit, & eiusdem numeri filiis suis accepit vxores introducens in domum suam.* Hinc, vt opinor, ortum est, vt noui coniuges sororis, se, ac fratris compellarent nomine, quasi ex eisdem essent nati parentibus.

Socerí nurus ad suam domum traducebant.

Contaminatio legalis sine vlla culpa esse poterat.

51. *In quibus contaminabuntur.*] Hinc constat contaminationem istam legalem sine vllo peccato fieri potuisse; quod probat Abulensis in caput 21.Leuitici.q.5. Probat autem Abulensis ibidem q.4. cur Sacerdos domesticorum interesse funeri, & sepulturam curare possit; secus alienorum, quem tu vide: neque enim in his vagari longiùs aut libet, aut necessarium est.

* Adde ad extremum etiam apud Gentes cautum esse, ne Pontifex mortuorum se attactu, aut funere pollueret. Docet sanè Aulus Gellius lib. 10.cap.15. de flamine diali. *Locum, inquit, in quo bustum est, nunquam ingreditur, mortuum nunquam attingit.* Et de Tiberio Caesare, cùm Pontifex esset, refert Seneca de consolatione ad Martiam c.15. si tamen liber ille Senecae est, artificio quodam vsum fuisse, ne filium, à cuius funere abesse non poterat, videret. *Tiberius, inquit, Caesar & quem genuerat, & quem adoptauerat, emisit; ipse tamen pro rostris laudauit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantummodo velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret. Et flente populo Romano, non flexit vultum.* 52.

Pontifex apud Gentes funeri interesse non poterat.

Haec quidem de sacerdotibus aliis à summo: nam summo parentum funeri quantumuis existimetur debitae pietatis officium, interesse nullo modo permittitur. Leuit.21.v.10.& 11. *Pontifex, id est, Sacerdos maximus, &c. ad omne mortuum non ingredietur omnino; super patre quoque suo, & matre non contaminabitur.* Cur Pontifici tam seuerum mandatum fuerit iniunctum, docet Philo Iudaeus lib.2. de Monarchia, & in aliis causis hanc etiam adducit; quia lex in eo maius aliquid humano ingenio, atque indole requirit. *Cùm enim sit, inquit, Deo dicatus, ductórque sacrati ordinis, oportet eum abdicari omnibus cognationibus affectibus, vt charitatem erga parentes, liberos, fratres posthabeat, ne vnquam eo retardatus potiora negotia differat.* & statim, *Postulat in eo viro lex praestantiorem homine indolem, quippe quae Deo sit familiaris prae caeteris, situs in quodam diuina natura, (si verum fateri licet) confinio, vt hoc mediatore Deus propitietur hominibus.* Bernardus serm.1. de circumcisione, prophetiam hanc esse putat de Christo Pontifice summo, potius quàm mandatum: Christus enim neque in patris, neque in matris funere se contaminabit, quia in neutro peccatum fuit, aut corruptio, quibus foedum aliquid traheret summus ille Sacerdos. Sed nimis eo loco allegoricè Bernardus. 53.

Summus sacerdos ab omni funere prohibitus.

Sacerdos esse debet homine maior, & Deo proximus.

Vers.26. *Et postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei.*] De purificatione sacerdotis, seu Leuitę habes Num.cap.19. vbi septemdialis definitur lustratio his, qui se cadauerum contactu polluerint. Hîc verò dubitare quis possit, an exacto illo septem dierum spatio, tabernaculum posset Sacerdos ingredi, & operari sicut antea sacris; an verò post illam purgationem, expectari debeant septem alij dies, antea quàm ad consueta redeat ministeria, ita vt à contaminatione ad ingressum sanctuarij, sacerdotaléque ministerium quatuordecim dies intercedant. Postremum hoc non obscurè indicat textus ipse, qui ab emundatione septem enumerat dies. Et ita putat Hieronymus, cui Lyra, Dionysius, & Vatablus subscribunt; & ex Hebraeis Rab. Dauid, quae mihi sententia omninò placet. Scio alios aliter sentire, in quibus est Rab. Salomon, & quidam alij ex Hebraeorum magistris; sed nimis contorquetur litera. 54.

Sacerdotum à mortuo purificatio.

Neque ratio deest, cur in illud tempus differri debeat sacerdotale munus, in quo aliqua sese obiicit vmbra sacerdotij noui, & ministerij sacri, quod obeunt Euangelici sacerdotes. Si enim in antiquis illis, post illud lustrationis septemdiale spatium, aliud rursus septemdiale exigebatur, ne quid olerent mortuum, & immundum; quanto magis 55.

Sacerdotis puritas.

magis noui studium adhibere debebunt accuratum, & longum, ne quid oleant vel minimum, quod contrahi potuit à cadauere, seu, quod idem est, ab operibus mortuis.

56. *Sacerdotum consecratio.* Hæc quidem iuxta aliorum sententiam, quam ego valde probo; sed addo aliam, quam prudens lector expendat, & iudicet. Putabam ego hoc loco agi potiùs de sacerdotum, Leuitarúmque consecratione, quàm de purgatione à contactu cadaueris. Quod sanè consequens filum totius capitis videbatur exigere; vbi docemur quando ingredi Sanctuarium possunt (primò nimirum) & à profana turba separari, iam videlicet consecrati Deo, & sacris addicti ministeriis. Hæc consecratio describitur Num. cap. 8. vbi hæc eadem proponuntur, quæ hîc habemus apud Ezechielem. Quam consecrationem multa consequuntur. Primùm, quia Deus illorum sit hæreditas, & possessio; deinde quia è Sanctuario viuent, aliorúmque votis, & alia quæ in sacerdotum consecrationem magis, quàm in illorum purgationem conueniunt. Neque sanè cùm de re sacrificali, ac sacerdotali inductus esset sermo, omittendum videbatur id, quod erat in eo munere, ac nomine præcipuum. Et ad hanc sententiam, quæ reliqua sunt capitis attemperabo.

57. *Quomodo purificandi & consecrandi sacerdotes.* *Et postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei.*] Quo lustrationis genere, aut quandiu mundarentur, & quasi sacrarentur, qui inituri essent sacerdotalem, aut Leuiticum gradum, non habemus expressum; sed non est coniectare difficile ex his, quæ habemus Num. cap. 8. v. 6. *Tolle Leuitas de medio filiorum Israel, & purificabis eos iuxta hunc ritum. Aspergantur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis suæ; cúmque lauerint vestimenta sua, & mundati fuerint*, &c. Ex his primùm habemus purificandos esse sacros hosce ministros aqua lustrationis. Hæc verò fiebat ex cineribus vitulæ rufæ, de qua Numer. c. 19. quæ vers. 13. vocatur aqua expiationis. Vt autem eorum plurimi, qui hac lustrabantur aqua, septem diebus putabantur immundi, quibus exactis ab ea, quam contraxerant, macula piari putabantur; sic etiam verisimile est, qui se, vt altari inseruirent, expiabant, in re illa piaculari septemdiale spatium posuisse. In eo verò quod sequitur magna vis se, & commendatio prodit sacerdotalis officij. Cùm enim, vt de Sacerdote summo nuper didicimus ex Philone, Sacerdos in confinio quodam sit humanæ, atque diuinæ naturæ, necesse est, vt
Sacerdos à terrenis abstractus. seipsum quodammodo retexat, & humana despiciens ad diuinos sensus, & naturam aspiret, sicut de alienigena, atque captiua fœmina, quæ in domum, & thalamum accersitur viri Israelitæ, dicitur Deut. 21. v. 12. *Vt radat cæsariem, & circumcidat vngues, & deponat vestem, in qua capta est.* Id est, seipsam deserat, & abiectis his, quoad eius fieri potuit, quæ à patria, atque parentibus hausit, & expressit, vt Israelitæ nubat, & omninò fiat Israelitis. Sic etiam multo magis idipsum commendari his, qui non ad mortalis hominis thalamum, aut vulgare coniugium, sed ad Dei familiarem vsum, & complexum aspirat. Hic ergo à seipso deficit, & quod saluo corpore fieri potuit, de terrena, atque mortali natura procul abiicit; quia priores cogitationes, atque studia despiciens, maius aliquid, atque diuinius meditatur. Quid aliud indicat vestimenta ab his sordibus lota, quæ ex terrenarum rerum contagione contractæ sunt? quid aliud pili, qui toto corpore creuerunt, cùm radi iubentur?

A Vers. 27. *Et in die introitus sui in sanctuarium ad atrium interius, vt ministret mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo.*] Quid offerre debeat Sacerdos, quo primùm tempore Sanctuarium ingreditur, non satis exploratum. Quidam huc pertinere putant oblationem illam, quam habemus Leuit. cap. 6. v. 20. decimam partem Ephi similæ frixam in sartagine. Ita Maldonatus. Sed credo aliquid amplius offerendum esse, quod eo loco propositum non est; addendum tamen ex Leuit. cap. 8. vbi sacrificia quædam offerri iubentur in sacerdotum consecratione, de qua eo loco multis. 58.

Cap. 6. vers. 20. *Hæc est oblatio Aaron, & filiorum eius, quam offerre debent Domino in die vnctionis suæ* *Quæ caremonia, ac sacrificia in sacerdotum consecratione.*
B (vngebantur autem minores etiam sacerdotes, vt ex cap. 8. planum fit) *decimam partem Ephi offerant simulæ in sacrificio sempiterno, medium eius mane, & medium eius vespere; quæ in sartagine oleo conspersa frigetur.* In capite verò 8. à vers. 13. alia numerantur sacrificia in prima consecratione, seu vnctione, Aaron, & filiorum eius, id est, minorum sacerdotum. Et primùm quod de simila dixerat oleo frixa, cap. 6. id repetit cap. hoc 8. vers. 26. *Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino panem absque fermento, collyridam conspersam oleo, laganúmque posuit super adipes.* & vers. 3. meminit sacrificij. *Filios quoque eius* (nempe Aaronis, qui minores erant sacerdotes) *oblatos vestiuit tunicis lineis, &*
C *cinxit balteis, imposuitque mitras, vt iusserat Dominus. Obtulit & vitulum pro peccato. Cúmque super caput eius posuisset Aaron, & filij eius manus suas, immolauit eum.* Et vers. 18. oblatus esse dicitur aries in holocaustum, & vers. 26. secundus aries in consecratione sacerdotum immolatus fuisse traditur. Hoc credo spectasse Ezechielem in hoc loco, in quo præcipuè victimæ pro peccato meminit, quæ, vt vides vers. 14. vitulus est. Porrò atrium interius, idem esse puto quod sacerdotale atrium, quod sanctuarium dicitur; quia nihil ibi fieri, aut audiri debet nisi sanctum; & sanè ita vocatur aliquando atrium illud interius; licèt sanctuarij nomen pro domo Domini, aut tabernaculo sæ-
D pius vsurpetur, sicut ædificia, quæ templum, seu tabernaculum circumsistunt, à templo ipso nomen interdum assumpserunt.

Vers. 28. *Non erit autem eis hæreditas; ego hæreditas eorum.*] Sententia hæc in Scriptura sacra sæpius vsurpatur, Num. 18. v. 20. *In terra eorum nihil possidebitis, neque habebitis partem inter eos; ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israel.* & Deut. c. 18. v. 1. *Non habebunt sacerdotes, & Leuitæ, & omnes, qui de eadem tribu sunt, partem, & hæreditatem cum reliquo Israel; quia sacrificia Domini, & oblationes eius comedent*, &c. *Dominus enim ipse est hæreditas eorum.* Notum est in distributione terræ possessionis, quemadmodum pars nulla sit assignata tribui Leui; quare inter alias tribus dispersa, nihil præter ciuitates habuit sacerdotales, quas habitaret, & 59. *Sacerdotibus Deus possessio est.* *Quæ possessio permissa sacerdotibus.*
E suburbana quædam ad alenda pecora, & olitorios hortos, & ad laxandos animos opportuna diuerticula. Sic habes Num. 35. v. 2. *Præcipe filiis Israel, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum, vt ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus, & iumentis.* Quòd si sacerdotibus eiusmodi agros habere non liceret, nunquam Ieremias in Anathoth vrbe sacerdotali agrum emisset, Ierem. c. 32. De aliis ergo agris, ac possessionibus sermo est, de vineis nempe, oliuetis, & prædiis, ex quibus frugum speratur prouentus. Erit igitur Deus illorum hæreditas; quia dum religioni, diuinóque cultui addicti sunt

ctæ sunt, his omnibus à Dei liberali manu non solùm ad vsus necessarios, sed etiam ad satietatem, & delicias abundant. Cur autem Deus Sacerdotes ab hac cura vacuos esse voluerit, docet Ambrosius lib. de fuga sæculi, cap. 2. *Cui Deus*, inquit, *portio est, nihil debet curare, nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic modo officio decerpitur.*

60. Vers. 29. *Victimam, & pro peccato, & pro delicto ipsi comedent.*] Hæc omnia pluribus, & explicatiùs habes Numer. cap. 18. à vers. 8. & quod statim additur de voto vers. 14. Hic nobis tria sunt obseruanda, & quid victimæ nomine intelligatur, quódnam sit sacrificium pro peccato, & quod pro delicto. In *victima* sacrificium intelligo pacificum, de quo Leuit. cap. 3. & cap. 7. De hostia pro peccato, Leuit. c. 4. de hostia pro delicto, Leuit. 7. vbi de victimarum genere, ritúque sacrificandi satis multa. Sed est obscurum, in quo hic delictum differat à peccato, de quo hic nobis breuiter agendum. Sed illud in primis obseruandum propter quandam affinitatem in Scriptura alterum pro altero sine vllo discrimine sæpius adhiberi. Communis est interpretum, Patrúmque sententia, commissionem peccati omissionem delicti significari nomine. Ita Augustinus q. 20. in Leuiticum. *Fortasse*, inquit, *peccatum est perpetratio mali; delictum autem desertio boni. Vt quemadmodum in laudabili vita aliud est declinare à malo, aliud facere bonum quod admonemur, dicente Scriptura: Declina à malo, & fac bonum; ita in damnabili aliud sit declinare à bono, aliud facere malum.* Idem Gregor. homil. 21. in Ezechiel. ad illud cap. 40. *Vt immoletur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto*, Hieronymus in citatum Ezechielis locum, delictum esse putat, quod ab homine per ignorantiam admittitur, quæ Ezechielis verba sic exponit. *Vt primùm immoletur holocaustum, quod totum sacer ignis absumit: deinde pro peccato; ad extremum pro ignorantia, quod vel scientes commisimus, vel ignorantes.* Vtrumque mihi propter magnos auctores, resque ipsius naturam probatur. Hoc posterius in eo videtur laborare, quod Leuit. c. 4. 5. & 6. pro ignorantia quædam videntur instituta sacrificia.

In quo peccatum differat à delicto.

61. *Et omne votum Israel ipsorum erit.*] De hoc voto Num. cap. 18. v. 14. *Omne quod ex voto reddiderint filij Israel, tuum erit.* Multa offerebantur in templo, quæ non à lege, sed à voto homines deferre tenebantur, vt quæ offerebat, qui Nazaræi votum ad definitum tempus emisisset. Quod autem ex voto debetur Deo, id perfectum, atque immaculatum esse oportet. Ita Leuit. cap. 22. *Homo, qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota soluens, vel sponte offerens tam de bobus, quàm de ouibus, immaculatum offeret, vt acceptabile sit: omnis macula non erit in eo.* & vers. 23. *Bouem, & ouem aure, & cauda amputatis voluntariè offerre potest; votum autem ex eis solui non potest.*

62. Vers. 30. *Et primitiua omnium progenitorum.*] Hæc habes Num. c. 18. v. 15. *Quicquid primùm erumpit è vulua cunctæ carnis, quam afferunt Domino siue ex hominibus, siue de pecoribus fuerit, tui*

Vnde victus Sacerdotum.

A *iuris erit. Ita duntaxat, vt pro hominis primogenito pretium accipias, & omne animal, quod immundum est, redimi facias.* Idem etiam præcipitur Exod. cap. 13.

Et omnia libamenta, ex omnibus, quæ offeruntur.] 63.
Libamina, seu libamenta illa dicuntur, vt notauit Abulensis, quæ humida sunt, & liquida, quæ non concerpuntur, aut cremantur, sed effunduntur. Heb. נסך nasak, quam vocem sæpe per *libationem*, aut *libare* vertit vulgatus Exod. 29. *Libabitis vini quartam partem hin*, id est, effundetis super sacrificia. Deut. 32. *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* Neque aliter aut sentiunt, aut loquuntur Latini.
B Virgilius lib. 1. Æneid.

Libamentum quid.

Dixit, & in mensam laticis libauit honorem,
Primaque libato summo tenus attigit ore.

Ouidius 3. Fastorum,

Liba Deo (Baccho) fiunt, succis quia dulcibus ille
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

Et Seneca apud Xiphilinum in Nerone incisis venis, & iamiam moriturus dixisse fertur, *Tibi libo hunc sanguinem Iupiter liberator.* Quare libamina propriè dici possunt vinum, & oleum. Tale etiam esset mel, si ad sua sacra Hebræorum admisisset religio. Sed contrà cautum est Leuit. cap. 2. vers. 11. *Nec quicquam fermenti, ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.* Hæc quidem
C libamina vocantur propriè; iam tamen eo nomine significantur, quæ condiendis carnibus in sacrificiis adhibentur, aut quæ oblatis victimis adduntur; qualia sunt sal, simila, thus, vinum, & oleum.

Primitiua ciborum vestrorum dabitis Sacerdoti, vt reponat benedictionem domui suæ.] De his Num. 64.
28. vers. 12. *Omnem medullam olei, vini, ac frumenti, quicquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi vniuersa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in vsus tuos.* Quod idem est, atque *reponent benedictionem domui suæ.* Hæc namque Sacerdotes afferre domum poterant, & ex illis sustentare familiam. Num. suprà
D vers. 11. *Primitias autem, quas vouerint, & obtulerint filij Israel, tibi dedi, & filiis tuis, ac filiabus tuis iure perpetuo; qui mundus est in domo tua vescetur eis.* Porrò *benedictionem* pro felicitate sumi beneficio largo, ac rerum abundantia, satis est in Scriptura frequens. Ioel. cap. 3. vers. 10. *Si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam.* Et 2. Cor. cap. 9. vers. 6. *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

Omne morticinum, & captum à bestia de auibus, & de pecoribus non comedent Sacerdotes.] Hæc lex 65.
de morticiniis, & captis, seu laceratis à bestia, non adhibendis in cibum sæpius est in sa-
E cris literis repetita. Leuitic. 22. vers. 8. *Morticinum, & captum à bestia non comedent, ne polluantur in eis.* Idem Leuitic. cap. 17. vers. 15. Deuter. 14. v. 21. de quo præcepto diximus plura in nostris commentariis super Acta, ad cap. 15. Est autem morticinum, quod strangulatum, aut suffocatum est; aut extinctum morbo, non effuso sanguine.

IN CAP. QVADRAGESIMVMQVINTVM.

ARGVMENTVM.

PRIMVM distribuit terram; partémque suam templo, atque ordini Leuitico definit: tum deinde ciuitati, ac principi; cuius à rapina auaras cohibet manus, & callida consilia. Quare ne qua in rebus contrahendis fraus intercedat; & quod Sacerdoti, templóque debetur, ad pondus reddatur, & mensuram, certum statuit, atque legitimum mensurarum, ac ponderum examen; & de primitiis prouentuum omnium certum modum definit. Deinde de quibusdam sacrificiis, quæ variis de causis, & variis etiam temporibus peragi debent, ritus, & ceremonias præscribit.

CAPVT XLV.

1. CVmque cœperitis terram diuidere sortitò, separate primitias Domino, sanctificatum de terra, longitudine vigintiquinque millia, & latitudine decem millia: sanctificatum erit in omni termino eius per circuitum.

2. Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariam per circuitum: & quinquaginta cubitis in suburbana eius per gyrum.

3. Et à mensura ista mensurabis longitudinem vigintiquinque millium, & latitudinem decem millium, & in ipso erit templum, sanctúmque sanctorum.

4. Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarij, qui accedunt ad ministerium Domini: & erit eis locus in domos, & in sanctuarium sanctitatis.

5. Vigintiquinque autē millia longitudinis, & decem millia latitudinis erunt Leuitis, qui ministrant domui: ipsi possidebunt viginti gazophylacia.

6. Et possessionem ciuitatis dabitis quinque millia latitudinis, & lōgitudinis vigintiquinque millia secundùm separationem sanctuarij, omni domui Israel.

7. Principi quoque hinc & inde in separationem

PARAPHRASIS.

A 1. CVm ab exilio restituti terram sortitò pro habitatione illorum, qui in patriam remigrabunt, diuidere volueritis; primùm omnium pro templo, templíque ministeriis separate, ac sanctificate, quasi restitutæ terræ primitias, vigintiquinque millia cubitorum longitudinis; & decem millia latitudinis. Hoc porrò spatium in suis finibus quoquò versùs sanctificatum erit.

2. Sanctificatum porrò, nempe templum, & quod templi ambitus circundat,
B & colligit, quingentis constat calamis ex quadrilateri circuitu, quanta videlicet est longitudo periboli. Ad templi porrò suburbana quinquaginta per gyrum cubiti relinquentur.

3. Hoc primum pro templo, templíque suburbanis spatio constituto, definiēdi sunt fines alij. Sumes itaque pro Sacerdotum vsibus vigintiquinque cubitorū millia longitudinis, & decem millia latitudinis; quibus etiam adde Sanctuarium,
C & templum, ex quibus Sacerdotibus accedent emolumenta plurima.

4. Spatium enim sanctificatum pro tēpli fabrica dabitur Sacerdotibus, atque ministris, qui sacram Deo, ac templo operam impendunt; vt ibi habitent, & sacrum obeant ministerium.

5. Vigintiquinque millia cubitorum longitudinis, & decem millia latitudinis cedent in vsum Leuitarum, qui in templo Domini ministrant; quorum præterea ha-
D bitationi viginti attribues gazophylacia.

6. Dimidio minorem partem agrorum assignabis è suburbanis, seu proximis agris ciuitati viginti, nimirum cubitorum millia longitudinis; & quinque millia latitudinis ad vsum aliorūm, qui ex genere sunt Israelitico, eodem modo, ac spatio, quo pars est Sanctuario, ac Leuitico ordine diuisa.

7. Principi quoque sua pars assignabitur

tionem sanctuarij, & in possessionem ciuitatis, contra faciem separationis sanctuarij, & contra faciem possessionis vrbis: à latere Maris vsque ad Mare, & à latere Orientis vsque ad Orientem: Longitudinis autem iuxta vnamquamque partem à termino Occidentali vsque ad terminum Orientalem.

8. *De terra erit ei possessio in Israël: & non depopulabuntur vltrà principes populum meũ: sed terram dabunt domui Israel secundùm tribus eorum.*

9. *Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis principes Israel: iniquitatem & rapinas intermittite, & iustitiam facite, separate confinia vestra à populo meo, ait Dominus Deus.*

10. *Statera iusta, & ephi iustum, & batus iustus erit vobis.*

11. *Ephi & batus æqualia & vnius mensuræ erunt: vt capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori ephi, iuxta mensuram cori erit æqua libratio eorum.*

12. *Siclus autem viginti obolos habet. Porrò viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli, mnam faciunt.*

13. *Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis: sextã partem ephi de coro frumenti, sextam partem ephi de coro hordei.*

14. *Mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est: & decem bati corum faciunt: quia decem bati implent corum.*

15. *Et arietem vnum de grege ducentorum de his qui nutriunt Israel in sacrificium, & in holocaustum, & in pacifica, ad expiandum pro eis: ait Dominus Deus.*

A tur ab vtraque parte illarum sortium, quæ Sanctuario, ac ciuitati attributæ sunt; quæ vtramque sortem à mari mortuo, atque mediterraneo, tum etiam ab Ortu, ac Occasu contingat; cuius erit longitudo ab vtroque latere ad Ortum ab Occasu.

8. Definitur in agris certa quoque possessio Principi, eo consilio, vt inde sibi, ac familiæ necessarios habeat, & certos sumptus; ne vltrà Principes, quod fecerunt hactenus, populum expolient, vt ex illius

B bonis suas sibi facultates augeant. Domui ergo Israël per singulas tribus descriptos fines, non ampliùs sibi facient esse vectigales.

9. Sufficiat vobis, ait Dominus, ô Principes, effusè, ac diu habenas auaritiæ laxasse; pudeat iam tandem iniquæ prædæ; alium instituite viuendi modum; æquitatem, atque iustitiam in iudicando seruate; & ne agrorum vicinitas rapinæ vobis occasio, aut occultatio sit, curate ne

C fundi vestri popularibus prædiis permixti sint.

10. Iniusta pondera, & inæquales mensuræ iniquas vobis diuitias pepererunt: nunc studete ne quid in mensura, ac pondere inæquale sit. Stateram adhibete iustam, ephi iustum, & iustum batum.

11. Hic autem erit mensurarum modus ephi, & batus in suo quoque genere æqualia sunt; capit enim batus in liquidis decimam partem cori; tantundem in aridis mensurat ephi. Horum verò iusta, ac legitima capacitas ad cori quantitatem

D examinanda est.

12. Hæc de mensuris, nunc exploranda ponderum ratio. Siclus, qui magis vulgare pondus est, viginti pendit obolos: viginti sicli, & iterum viginti quinque sicli, & quindecim sicli, qui varias distinguunt ponderum formas; & simul collecti sexaginta sunt, in vna mna, seu mina continentur.

13. Nunc quantæ esse debent Sacerdotum primitiæ accipite. Ex aridorum coro sexta pars vnius ephi; ex liquidorum

E coro sexta pars bati, id est, ex omni prouentu sexagesima portio.

14. Quod ad liquidorum mensuram spectat (nam eorum quoque reddendæ primitiæ) batus olei decima pars cori est; & decem bati vnum implent corum.

15. Quod ad greges pertinet, rémque pecuariam, ducentesimus quisque aries offeretur in templo, in sacrificium, holocausta, & pacifica, & ad ipsius populi piaculares hostias, dicit Dominus.

16. Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israel.

17. Et super principem erunt holocausta, & sacrificium, & libamina in sollemnitatibus, & in Calendis, & in Sabbatis, & in vniuersis sollemnitatibus domus Israel: ipse faciet pro peccato sacrificium & holocaustum, & pacifica ad expiandum pro domo Israel.

18. Hæc dicit Dominus Deus: In primo mense, vna mensis, sumes vitulum de armento immaculatum, & expiabis sanctuarium.

19. Et tollet sacerdos de sanguine quod erit pro peccato: & ponet in postibus domus, & in quattuor angulis crepidinis altaris, & in postibus portæ atrij interioris.

20. Et sic facies in septima mensis pro vnoquoque qui ignorauit, & errore deceptus est, & expiabis pro domo.

21. In primo mense, quartadecima die mensis erit vobis Paschæ sollemnitas, septem diebus azyma comedentur.

22. Et faciet princeps in die illo pro se, & pro vniuerso populo terræ, vitulum pro peccato.

23. Et in septem dierum sollemnitate faciet holocaustum Domino septem vitulos, & septem arietes immaculatos quotidie septem diebus: & pro peccato hircum caprarum quotidie.

24. Et sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arietem faciet: & olei hin per singula ephi.

25. Septimo mense, quintadecima die mẽsis in sollemnitate faciet sicut suprà dicta sunt per septem dies; tam pro peccato, quàm pro holocausto, & in sacrificio, & in oleo.

A 16. Omni populo terræ imponitur à Domino necessitas, vt hæc offerat Sacerdoti, qui principem, & summum locum obtinuerit in Israël.

17. Curabit autem ille, qui Princeps est, & sacerdos maximus, vt in Calendis, & Sabbatis, & aliis solemnitatibus, quas colit Israël, offerantur holocausta pacifica, ac libamina, quæ religio iubet; ipse sacrificium offeret pro peccato; holocausta, & piaculares, ac pacificas victimas pro populo Israel.

B 18. Cùm toto anno aliquid accidere potuerit, quo videri possit pollutum sanctuarium; assumes, dicit Dominus, mense primo, & eius primo die vitulum perfectum, & immaculatum; & Sanctuarium vendicabis à macula.

19. Lustrandi verò, atque expiandi Sanctuarij hic erit ritus. Sumet primùm Sacerdos sanguinem sacrificij pro peccato, & intinget eo postes domus, & quatuor altaris angulos; & postes, qui sunt affixi portæ interioris atrij.

C 20. Eundem adhibebis expiationis modum septima eiusdem mensis die pro illis, qui legalem contraxere maculam; ignorant tamen se esse pollutos; expiabis autem illos, vt in domum Domini possint intrare legitimè.

21. Eiusdem primi mensis die decima quarta paschalis vobis erit celebritas: tunc verò septem diebus fermentato pane vesci non licebit.

22. Eodem verò die Sacerdos summus tam pro se, quàm pro populo terræ

D vitulum offeret pro peccato.

23. In illa porrò septemdiali Azymorum solennitate, singulis diebus in holocaustum Domino septem offeret vitulos; totidem arietes ab omni labe puros. Quibus etiam addet per septem ipsos continenter dies hircum pro peccato.

24. De victimis hactenus: nunc de libamentis, ac frugibus, quæ victimis adhibentur. Singula ephi singulis adiungentur vitulis, atque arietibus; & quot fuerint ephi, tot erunt hin, siue sextarij olei.

E 25. In festo autem tabernaculorum, id est, mense septimo ad diem decimamquintam septemdiali spatio eadem faciet, quæ in paschalibus feriis antè præscriptas tam quæ in holocaustum, quàm quæ pro peccato offerri iubentur, quibus eadem accedet frugum, oleíque mensura.

Vers.1. *Cúmque cœperitis terram diuidere sortitò, separate primitias Domino.*]

1. ICVT olim ad Domini præscriptum diuisa est terra, tribúsque in his locatæ sedibus, ad quas Deus antè destinauerat. Sic nunc idem metator, atque diuisor Deus, sortitò, id est, per sortes terram iterum voluit esse diuisam. Neque hîc agit de tota terra promissionis; illa etenim non ab illis tribubus habitata est post exilium è Babylone solutum, à quibus antea quàm res Israëlitica primùm ab Assyriis, deinde à Babyloniis esset euersa. Nam ex aliis tribubus à Iuda, & Benjamin constat multos habitasse Hierosolymis, & contrà è tribu Iuda aliquos extra Iudam funiculum sedes sibi delegisse. Exemplo sit B. Virgo, quæ cùm esset è tribu Dauidica, habitabat tamen
2. Nazareth in terra Zabulon. Est itaque hæc longè alia sortitio, seu distributio ab illa, qua Iosue duodecim tribus suis quamque terminis definiuit. Neque fortasse superior illa diuisio sub Iosue fuit his temporibus seruata: licèt enim ex aliis tribubus, vt cap.37. probauimus, multi cum duabus ab exilio remigrarint in terram promissionis; tamen non fuerunt ita multi, vt latos illius prouinciæ fines, quos olim inhabitarant decem tribus, implere potuerint. Et quidem si tribus illæ datas sibi sortes occupauissent; & vt diuersæ natalibus, diuersis quoque finibus essent inclusæ; non ignoraret Iosephus, qui post hæc tempora, & terram promissionis incoluit, & de illa scripsit luculenter, vtpote rerum Iudaicarum scientissimus. Hîc tamen vsque adeò non vidit inhabitare decem tribus in assignatis sibi sortibus à Iosue; vt illas ab exilio rediisse negauerit lib.11. Antiq. cap.5. non longè à principio. *Duæ*, inquit, *tantùm tribus per Asiam, & Europam sub Romano degunt imperio: decem autem tribus nunc quoque vltra Euphratem sunt, infinita hominum millia, quæ vix est numero comprehendere.* Quod etiã alij multi cum Hieronymo sentiũt, vt diximus ad illud Zach.8. *Domus Iacob, & domus Israel.* Confert etiam plurimum symbolum illud duorum lignorum, quæ in vnum cõpacta sunt, de quibus cap.37. in quibus duo regna antea diuisa, in vnam gentem, & regnum, immò in vnum locum coierunt. Et sicut inter se vixerunt domiciliis permixti; sic etiam nomen habuere commune. Neque enim ampliùs vocati sunt Rubenitæ, Danitæ, Ephraimitæ, &c. sed omnes, & eo tempore vocati sunt Iudæi. De diuisione, sortitionéque terræ promissionis agit Propheta latè cap.47. & 48. quem in finem dicemus ibi.

Non habitarunt tribus post exilium funiculos, quos antè habuerunt.

Omnes tribus post exilium permixtæ.

3. Tradit itaque Dominus modum, quo terra diuidenda sit. Et primùm docet quantum spatij sumi debeat ad illorum habitationem, qui ab exilio soluti postliminio patriæ restituti sunt. Quod fecit Esdras, vt constat lib.1. c.3. v.1. vbi filij Israël in suis ciuitatibus consedisse dicuntur; in his, inquam, ciuitatibus, in quas illos Esdras sortitò distribuit.

4. *Separate primitias Domino, sanctificatum de terra longitudine vigintiquinque millia; & latitudine decem millia.*] Hoc spatium nonnulli esse putant, quod terra promissionis, tam quoad longitudinem, quæ est à Dan, vsque ad Bersabee, quàm quoad latitudinem, quæ est à mari magno ad Iordanem vsque complectitur. Nam si mensura calamorum est, vt Hieronymus, & cum illo plures alij sentiunt, tantum deprehenditur spatij, quantum

Terra promissionis spatia.

A terræ Chananitidi, seu terræ promissionis alij communiter attribuunt. Vt enim Hieronymus docet in epistola ad Dardanum, longitudo terræ promissionis ad centum & sexaginta milliaria, id est, ad Italicas leucas sexaginta porrigitur; latitudo verò quadraginta sex, id est, leucas Italicas quindecim. Tantundem verò plus minus vigintiquinque calamorum millia in longitudinem, & decem millia in latitudinem metiuntur. Nisi dicamus non totam terram promissionis hîc esse mensurandam, sed partem illam, quæ in lato illo spatio esset ab iis, qui rediissent ab exilio, possidendam. Neque enim commoda spatia, quæ decem olim tribus inhabitarunt, à multo
B paucioribus occupari potuerunt; & hoc posterius mihi videtur minus difficile, quia non facile terrã promissionis numerus ille calamorũ adæquat. Et iuxta hanc cogitationem, iubet Deus ex illo spatio 160. milliaribus longo, & 46. lato partem aliquam separari, quæ Sanctis sit destinata ministeriis, quæ ideo sanctificata dicitur. Hæc porrò pars non solùm templi sedem, & eius pomœria, seu suburbana colligit, sed etiam Sacerdotum domicilia; qui variis templi muneribus addicti sunt. Hoc autem spatium sanctificatum 5.
primitiæ dicuntur Domino separatæ; quia sicut de frugibus omnibus, atque pecoribus primitiæ Domino separantur, vt nuper diximus cap.44. sic
C etiã ex tota terra promissionis locus aliquis præcipuus in medio terræ in diuinũ cultum separari, ac conseruari debuit. Et hîc est Ierusalem, de qua quæ sequuntur omnia intelligenda sunt.

Sed mihi probabilius videtur, quod putat 6.
Theodoretus, subaudiendos hîc esse cubitos, non calamos; tum quia nimis esset ampla portio, quæ templo, templique ministris assignatur: nam in horum vsum videtur esse facta sortitio, ac distributio, si calamorum esset mensura, cui vix suffectura videbantur totius terræ promissionis spatia. Deinde, quia non obscurè significatur statim: nam cùm quinquaginta cubiti pro templi suburbanis, atque pomœriis relinqui iu-
D bentur, continenti filo subiungitur, *Et à mensura ista mensurabis longitudinem vigintiquinque millium,* &c. Ac si diceret, vigintiquinque millia longitudinis, & decem millia latitudinis; quorum priùs mensuram certam non posueram, cubitis numeranda, ac dimetienda sunt; eadem nempe, qua templi suburbana nunc mensuranda dico. Hæc mihi videntur non obscura: & expedita reddunt, quæ alioqui totam hanc distributionem turbant, & impediunt.

Sanctificatum erit, in omni termino eius per circuitum.] *Sanctificatum*, vt facile dehinc constabit, 7.
idem est quod *Sanctuarium.* Huius autem loci satis obscuri hanc nonnemo crederet esse sen-
E tentiam, spatium illud, quod latum esse diximus vigintiquinque cubitorum millibus; & decem millibus latum habiturum esse in complexu suo, atque ambitu (sic enim interpretor illud *per circuitum*) Sanctuarium, sicut perisphæria centrum habet in medio, & illud circuitu suo continet, & claudit. Quòd si hîc hypallagem esse statuas, sic erit magis aperta, & explicata sententia. *Omnis terminus* (nempe terræ Hierosolymæ) *erit in circuitu sanctificati, & templi.* Sed quomodo ciuitas, & templum in sorte concessa ciuitati sit, dicemus capite 48.

Templi spatia.

8. Vers.2. *Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariam per circuitum.*] Eadem hîc iterari suspicor, quæ dicta sunt cap.42. v.16. de mensura periboli, qui totam templi molem amplectebatur, vbi apertè quingenti calami quoquò versùs fuisse traduntur. Vide explicationem aliam quam à numero 14. statim adducemus.

9. *Et quinquaginta cubitis in suburbana eius per gyrum.*] Ex eo peribolo extrorsus spatium relinquitur vacuum quinquaginta cubitorum, quo à templo summouet ciuitatis ædificia, quo magis emineat illa sacra moles, & à reliquis ædificiis separata plus aliis sanctitatis, & religionis obiiciat. Hæc autem vocantur suburbana, seu pomœria; quia quemadmodum prope vrbem loca sunt, neque habitata à ciuibus, neque serendis frugibus destinata, sed omninò vacua, quæ homines laxandi animi gratia obire solent: sic templum illud, quod instar erat ciuitatis, laxam aliquam aream habere debuit, quæ ostenderet templum illud à vulgari cœtu, & ciuium frequentia aliquid esse diuersum.

Templi suburbana.

10. Vers.3. *Et à mensura ista mensurabis longitudinem vigintiquinque millium.*] Primo loco Deus suã sibi domum designauerat in ea amplitudine, ac spatio, quod ciuitas copiosa, & lauta requirebat. Deinde iubet, vt ab ea mensura, id est, postquam spatium illud esset dimensus, alia spatia metiretur, ac diuideret, seu quæ in profanos, ac ciuiles vsus essent conferenda; nempe aut totam terram promissionis, aut quod in illa Deus ab exulibus occupari voluit; seu, quod verius putabamus, spatium illud, quod pro Sacerdotum, Leuitarúmque vsu definiendum erat. Hoc videtur sentire Hieronymus, qui cùm hunc explicaret locum, inquit: *Hac descriptione finita, alia ex integro separanda sanctificationis mensura præcipitur.* Porrò, *à mensura ista*, idem est, quod *post mensuram istam*; vel *postquam hæc mensura fuerit.* Tritum est enim apud Latinos illud, *à fundata ciuitate tertius agitur annus; à funere tertius est dies: ab illo die nihil mihi successit ex voto.* i. post ciuitatem fundatam, post funus, post diem illum.

Alij existimant illud, *à mensura ista*, significare instrumentum; ita vt longius aliud spatium viginti quinque millium mensurandum sit non calamo, sed cubito, quia proximè cubitus antecesserat. Et hoc posterius mihi probatur magis; quia multa tollit impedimenta, ad quæ explicationes aliæ grauiter offendunt. Quod si ita est, vt profectò apparet; non hîc tota terra promissionis distribuitur, sed pars illa, quæ Leuitico seruit generi, vt quæ sequuntur indicant apertè.

11. *Et in ipso erit templum, sanctúmque Sanctorum.*] In toto hoc spacio, quod tam hîc, quàm paulo antè definitum est, statuendum est primùm templum, & Sanctum sanctorum, in eo videlicet spatio, quod à quingentorum calamorum peribolo concluditur. Deinde alia in alios vsus tam profanos, quàm Leuiticos, & quodammodo sacros, de quibus statim. Quomodo templum, & ciuitas in ea futura sint sorte, quæ ad ciuitatem pertinet, dicemus cap. 48. Neque enim verisimile est, longè fore templum ab vrbe separandum (quod procul dubio in ciuitate fuit) quantum sors ciuitatis à sacerdotali distabat. In illa vero sorte fuisse ciuitatem, constat cap.48. v.15. Quod verò hîc dicitur spatium viginti quinque millium; non sumo pro sacerdotali sorte præcisè; sed pro toto illo tractu, qui viginti quinque cubitorum millibus in longitudinem patet. In illo verò tractu sortes erant, sacerdotalis, Leuitica, & ciuitatis, & in hac postrema ciuitas, & templum. Hæc mihi maximè videntur expedita: nam si vrbem in sorte ciuitatis statuas, & in sacerdotali templum, & media sors intercedat Leuitica (quod schema propositum à Lyra significat) planè necesse est, vt longissimo spatio templum à ciuitate separetur. Sed fortasse non videbitur alienum, si dicas illud, *Et in ipso erit templum, Sanctúmque sanctorum*, hanc habere sententiam: præter sortem illam longam viginti quinque cubitorum millibus, & latam decem, habere quoque pro sorte sua Sacerdotes templum, ex quo plura capiant emolumenta, quàm ex agris sibi destinatis. & hæc mihi responsio magis est soluta; quia & in templo domos, & ex templo mille alios vsus habuere Sacerdotes.

Vers.4. *Sanctificatum de terra erit Sacerdotibus ministris Sanctuarij, qui accedunt ad ministeria Domini: & erit eis locus in domos, & in Sanctuarium sanctitatis.*] Duo hactenus spatia notata sunt; nunc ea singulatim variis vsibus, atque personis attribuuntur. Totum illud spatium, quod pro templo definitum est, quod sanè amplissimum erat, cùm templum illud tot circumfusum atriis, instar obtineret ciuitatis, Sacerdotibus assignat, quo tempore per suas vices, atque ordines sacris operarentur. Quibus, eorúmque familiis ex his, quæ offerebantur in templo, abundè suppetebant necessaria. 12.

Ex templo Sacerdotibus habitatio, & victus.

Vers.5. *Viginti quinque autem millia longitudinis, &c. erunt Leuitis, qui ministrant domui.*] Licèt Dominus Sacerdotum esset, & Leuitarum hæreditas, à quo multo abundantiùs, atque securiùs necessaria suppeditabantur ad victum, vsúsque domesticos; nihilominus Dominus in omnibus tribubus ciuitates assignauit, vbi stabile sibi domicilium haberent; & inde præscriptis sibi vicibus ad templi ministeria proficiscerentur. In quibus ciuitatibus suburbana habuerunt prædia pro alendo pecore; & pro familiaribus aliis vsibus. Iosue cap.14. v.4. *Neque acceperunt Leuitæ aliam in terra partem, nisi vrbes ad habitãdum, & suburbana illarum ad alenda iumenta, & pecora sua.* Et hoc idem habes Num. c.35. v.2. vbi suburbanorum spacia definiuntur. *Præcipe filiis Israël, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbana eorum per circuitum, vt ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus, ac iumentis, quæ à muris ciuitatum forinsecus per circuitum mille passuum spatio tendentur. Contra Orientem duo millia erunt cubiti; & contra meridiem similiter erunt duo millia. Ad mare quoque quod respicit ad Occidentem, eadem mensura erit; & Septentrionalis plaga eodem termino finietur; eruntque vrbes in medio, & foris suburbana.* Quod ergo Deus in aliis vrbibus Leuitico, ac sacerdotali nomini destinatis fieri iussit, id quoque fieri iubet in Ierusalem, quæ licèt non sit sacerdotalis; quia tamen in illa ingens semper erat Sacerdotum, Leuitarúmque numerus, illorum etiam vsibus prouisum oportuit. 13.

Quæ possessiones Leuitis permissa.

Hæc ego puto non improbabilia; eóque consilio pluribus explicui, quia hæc probant aliqui tam ex Hebræis, quàm ex nostris: alij verò licèt non expresè, non tamen obscurè in illam cogitationem inclinant. Nunc ego quod sentio, paucis, & apertiùs exponam, vtinam ad rem! Et primùm suppono id, quod modò ex capite Numer. 35. produxi, suburbana versùs omnes partes Leuitarum vsibus esse designata. Secundò id, quod proximè 14.

Authoris sententia de spatio, atque mensura.

proximè putabam probabilius, viginti quinque millia longitudinis, & decem millia latitudinis, cubitis potius, quàm calamis esse mensuranda. Principio igitur Dominus in distributione promissæ olim, & nunc demum restitutæ terræ, portionem aliquam in sacros vsus separari iubet, quam ideo sanctificatam appellat. Et quia sacerdotes erant, ac Leuitæ plurimi, qui templo seruiebant, atque altari, illorum commodis consultum oportuit: neque enim voluit, vt peiori essent conditione, ac loco qui Hierosolymis, quàm qui in aliis sacerdotalibus vrbibus habitabant. Quare vt illis vrbium suburbana, seu pomœria concesserat; sic his in eosdem vsus agros attribuit. Et primùm sacerdotibus versu 1. metitur viginti quinque millia cubitorum, in agris, credo, Solymitanis, qui & proximi essent vrbi, quique ideo suburbani vocantur. Et qui summoti essent paulo longiùs ab vrbe: neque enim tam latè se suburbana prædia porrigerent, vt viginti quinque millia cubitorum implerent. Neque præterea hoc loco suburbanorum vlla mentio; sed tantùm spatij, quod se in longitudinem vigintiquinque millibus, in latitudinem decem cubitorum millibus extendit. Cur verò tantum spatij in Solymitanis agris attribuendum sit sacerdotibus, dicemus statim ad vers. 5. vbi de Leuitarum sortibus agemus.

15. *Sanctificatum erit in omni termino eius per circuitū.*] Rationem reddit, cur assignanda sint sacerdotibus prædia in agro Solymitano; quia in omni termino terræ promissionis, in qua Leuitici generis homines habitare contigerit, Leuitis dantur suburbana per circuitum, vt præceptum est, Num. cap. 35. & expletum accuratè Iosue cap. 21. vbi vers. 39. dicitur, *Itaque ciuitates vniuersæ Leuitarum in medio possessionis filiorum Israel, fuerunt quadraginta octo, cum suburbanis suis.* Cùm ergo in regia illa ciuitate propter templum magna sit Leuitici generis multitudo; illi etiam non secus, atque aliis assignanda fuerunt suburbana prædia, aut quæ suburbanorum commoditatem præberent.

16. *Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariam per circuitum.*] Hæc etiam refero ad ciuitates omnes, quæ Leuitis sunt à reliquis tribubus attributæ, de quibus proximè. In quibus per circuitum mille passus agri suburbani tribuuntur Leuitis, qui efficiunt bis mille cubitos, quot habet per circuitum *sanctificatum*, id est, prædium; quod quia generi Leuitico concessum est, sanctum existimatur, & consecratum Deo, sicut etiam Leuitæ consecrati sunt. Hæc ergo ratio adducitur, cur Solymitanis sacerdotibus etiam in ciuitate non sua, aliquid proprium definiendum sit.

17. *Et quinquaginta cubitos in suburbana eius per gyrum.*] Totus ambitus, qui suburbana prædia continebat, bis mille continebat cubitos: à mœnibus autem, vnde incipiebant suburbana, quæ ideo pomœria, id est, post muros dicta sunt, ad extremos suburbanorum fines quinquaginta intercedebant cubiti, quæ latitudo vocari poterat illius spatij, cuius circularis longitudo bis mille cubitos colligebat.

18. *Et à mensura ista mensurabis longitudinem viginti quinque millium.*] Repetit spatium, quod in principio pro sacerdotibus constituerat; neque addit nouum aliquid, sed tantùm explicat quænam debeat esse mensura, quæ vigintiquinque millia longitudinis, & latitudinis decem millia metitur, nempe cubitorum, quia proximè cubitorum nomen antecesserat. Et quidem Numer. 35. suburbana Leuitico generi descripta non tam calami, quàm cubiti metiuntur.

Et in ipso erit templum sanctúmque sanctorum.] *In*, sæpe in Scriptura sacra, idem valet quod *cum*, vt ostendimus suprà cap. 16. n. 117. Sic hoc fortasse loco; tunc autem sensus erit, meo iudicio, non expressus violenter à litera, sed expeditus, & facilis. *Præter illa viginti quinque millia longitudinis, &c. erit præterea sacerdotum totum illud spatium, quod templi sedes occupat, & ingentis fabricæ sanctificata moles.* Quia reuera licèt opus illud sacrum in Dei cultum excitatum, & consecratum sit, in eo tamen sunt sacerdotes, pro quorum habitatione gazophylacia, & thalami constructa sunt. 19. REGVLA. In, idem quod cum.

Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarij.] Licèt sanctificatum appelletur, quicquid ab vsu vulgari, & quodammodo profano separatum est; quale est non solùm templum, sed quod in Leuitarum, & Sacerdotum vsum segregatum est; & istud quicquid est, sacerdotibus, qui sacram operam impendunt altari, Dominus assignari iubeat: tamen verisimile est, hoc loco sermonem esse de templo, vt statim dicemus. 20.

Et erit eis locus in domos, & in sanctuarium sanctitatis.] Huic loco duas puto subesse sententias; neque mihi constitutum est, vtram illarum magis probem. Edixit Dominus Moysi Deut. c. 35. vt pro Leuitarum habitatione ex aliarum tribuum funiculis ciuitates aliquas seligeret. Hoc idem videtur hîc præcepisse Dominus, vt locus designetur aliquis in Leuitarum, ac sacerdotum domos, vt habuerunt olim; & templum, vbi leuiticum obeant, & sacerdotale ministerium. Et hoc verba simplicissimè sonant, dum dicunt: *Et erit eis locus in domum, & in sanctuarium.* id est, habeant aliquid designatum, ac proprium, vbi habitent, & vbi sacris operentur. Altera explicatio tantùm hæc accipit de templo in hunc sensum: templum, de quo proximè, præbebit sacerdotibus locum, & aram vbi sacrificent, aliísque vacent ministeriis religiosi cultus. Hanc posteriorem explicationem ita probo, quia pluribus probari video, vt tamen superior non displiceat. 21.

Viginti quinque autem millia longitudinis, & decem millia latitudinis erunt Leuitis, qui ministrant domui.] Postquam de suburbanis agris, ac templo egerat, quæ Deus sacerdotum vsibus, & ministeriis adscribi voluit; agit iam de Leuitis, quibus etiam de possessionibus ad domesticos vsus commodatum oportuit, & quòd ad suburbana prædia tantundem illis consignat spatij. Et licèt templum sacerdotibus magis, quàm Leuitis pateat: in templo tamen Leuitis sua quoque domicilia destinantur, viginti nempè gazophylacia, & præter hæc thalamos, quos esse inclusos muro, qui sacerdotale atrium à profano diuidit, diximus cap. 40. 22.

Sed dicet hîc aliquis, si in aliis ciuitatibus exigua spatia sacerdotibus in armentorum, ac pecudum pabula relicta sunt, nempe, *quæ à muris ciuitatum forinsecus per circuitum mille passuum spatio tenduntur*, Num. 35. Cur nunc in agro Solymitano tanto illis maiora spatia laxata sint. Huic ego cogitationi sic videor occurrere posse non difficile. Nam vt aliæ ciuitates à Leuitis tantùm occupatæ fuerint, seu à sacerdotibus; sed nunquam in eis tanta fuit illius ordinis multitudo, quanta Hierosolymæ, propter templum, ad cuius curam, atque custodiam ipsi ex instituto excubare debebant. Quanta Leuitarum multitudo fuerit, 23. *Cur Leuitis Hierosolymæ plus agri, quàm alibi tributum.*

Sacerdotum quis numerus Hierosolymis. quanta sacerdotum, constat ex lib.1.Paralip. De sacerdotibus quidem c.24. v.4. vbi viginti quatuor numerantur sacerdotum classes, seu familiæ. *Diuisit autem eos*, (hoc est, filiis Eleazar) *principes per familias Sedecim: & filiis Ithamar per familias, & domus suas octo.* Quælibet autem cognatio per octo dies, à Sabbato videlicet ad Sabbatum in templo ministrabat, vt auctor est Iosephus lib.6. Antiq.c.11. & lib.2. contra Apionem, qui cuiusuis familiæ numerum adducit. *Quarum*, inquit, *cognationum vnaquæque habebat hominum plus quinque millia.* Quare sacerdotum numerus ad centum propè millia producebatur.

24\. De Leuitis habes eodem lib.Paral.v.3. *Numerati sunt Leuitæ à triginta annis, & supra, & inuenta sunt triginta octo millia virorum. Ex his electi sunt, & distributi in ministerium domus Domini viginti quatuor millia. Præpositorum autem, & Iudicum sex millia. Porrò quatuor millia Ianitores, & totidem psaltæ canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum.* *Quis Leuitarum numerus.*

25\. Sed aliquis hîc fortassè hæreat, quærátque cur, cùm sacerdotes, vt vidimus, multo sint plures, quàm Leuitæ; neque gradu, ac dignitate pares, par tamen in agro suburbano spatium assignetur. Huic ego respondeo, diuersam esse sacerdotum, ac Leuitarum conditionem: plus enim ex decimis, templique sacrificiis, atque donariis ad sacerdotes pertinebat, vt habes Numer.c.18. *Leuitæ sacerdotibus decimas offerebant.* Adde quòd ipsi etiam Leuitæ ex decimis, quas accipiebant à profano populo, decimam ipsi partem offerebant in templo, quæ ad sacerdotum vsus pertinebat. Sic traditur Nehemiæ c.10.v.38. *Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Leuitis in decimis Leuitarum, & Leuitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri ad gazophylacium in domo thesauri.* Hieronymus ad illud vers.13. *& hæ sunt primitiæ.* hoc ipsum docet, & hanc Leuitarum decimam oblatas sacerdotibus ait appellari solitam δευτεροδεκάτην, id est, secundam decimam; aut decimam secundò decimatam.

26\. Hic adde habuisse quoque sacerdotes, & Leuitas præter suburbana rura, ad pecorum pabula, alios etiam agros ad domesticos vsus, vt docet Hieronymus in cap.32.Ieremiæ, qualem emit sibi Ieremias eo capite ad Domini imperium. Et 3.Reg.2.v.26.dixit Salomon Abiathar sacerdoti, *Vade in Anathoth agrum tuum.* Et quidem, vt ex Leuit.29.v.21.constat, sicut alia vota oblata Domino; sic etiam, si oblati essent agri, ad sacerdotum ius, & vsum pertinebant. *Sacerdotibus à Deo quàm largè prouisum.* *Quòd si agrum possessionis voueris, & consecraueris Domino,* &c. *possessio consecrata ad ius pertinet sacerdotum.* Ex quo constat, quàm abundanter à Deo sacerdotum commodis consultum fuerit.

Ex suburbanis minor pars assignata ciuitati, quàm Leuitico generi. Vers.6. *Et possessionem ciuitatis dabitis quinque millia latitudinis, & longitudinis viginti quinque millia secundùm separationem sanctuarij omni domui Israel.*] Siue de suburbanis sermo sit; siue de alio compascuo loco, qui procul sit ab vrbe Hierosolyma, in eius sortitione dimidio minor pars assignatur reliquæ ciuitati, quàm vtrilibet ordini sacerdotali, ac Leuitico. Assignatur namque spatium æquè longum, minus tamen latum dimidio. Sed dicet hic aliquis iniquam videri portionem, cùm verisimile sit ciuitatem reliquam, plus habuisse in armento, & pecore, quàm ordinem sacerdotalem, & Leuiticum, si ita cogitemus toti ciuitati exiguam illam partem esse attributam. Cur hæc diuisio futura fuerit non iniusta, duæ possunt existimari causæ; vel quia Deus noluit vt gens addicta templo, & suo nomini præcipua quadam ratione consecrata in pascendo grege non procul abesset à templo; atque ideo proximam templo regionem attribuit. Reliqua verò multitudo, cùm templo non esset alligata, parare sibi poterat pro alendo pecore procul ab vrbe opportuna pabula: item quia quotidie pro sacrificiis magni offerebantur armentorum, pecorúmque greges; atque ideo ampla oportuit esse pascua, in quibus greges teneri, atque nutriri possent interim, dum ad aram, & cultum traherentur. Sed, vt dicemus pluribus cap.48. pars hæc non est ascripta ciuitati toti, sed iis, qui ciuitatis publicæ commoditati seruiunt. Nihil hîc amplius dico, quia longior ea de re sermo cap.48.

Secundùm separationem sanctuarij.] Hic duæ nobis voces explicandæ. *Secundùm* interdum valet idem quod *post.* quo modo dicimus: *tu mihi secundùm Deum in honore es: te secundùm patrem obseruo*, id est, tu mihi post Deum; vel post patrem veneror, & colo. In hunc fortasse sensum explicandus est hic locus, cuius hæc est sententia. In sortitione terræ, primùm separetur sanctuario, quod illi decretum est, nempe viginti quinque millia, &c. Deinde diuidantur quæ ad Principem, & ciuitatem spectant. Valet etiam *secundùm* idem quod *ad similitudinem*, vel *iuxta*; qua ratione dicunt Latini, *viuere secundùm legem, secundùm exemplar.* Sic ergo nunc secundùm separationem sanctuarij, idem est ac si diceret, ad eum modum, quo diuisa sunt, quæ ad sanctuarium pertinent, nisi quòd ibi decem millia, hîc quinque millia latitudinis legimus. Hæc posterior explicatio sine dubio verior, de qua pluribus cap.48. 27.

Sanctuarium, per metonymiam idem valet, quod ea, quę in sanctuario sunt, sicut cœlum pro cœlitibus, & ciuitas pro ciuibus vsurpatur. Est ergo separatio sanctuarij, idem quod agri in vsum sanctuarij, & eorum, qui in sanctuario viuunt, separati; hi verò sacerdotes sunt, ac Leuitæ, de quorum sortitione proximè actum fuerat. 28.

Principi quoque hinc, & inde in separationem sanctuarij, & in possessionem ciuitatis.] Principi quoque in hac rerum partitione suam partem definit, id nimirum, quod reliquum est sacerdotalis, Leuiticæ, ac ciuitatis sortis, ex vtraque parte. Cùm enim a mari Orientali, ad mare magnum plus sit spatij, quam quod implere possint viginti quinque cubitorum millia, quanta est longitudo sortium illarum; fit vt versus vtrumque mare lata supersint spatia, quæ vtrinque continent, & medium amplectuntur tractum illum, in quo tres illæ sortes definiebantur. Illæ igitur duæ, atque extremæ partes, ad Principem pertinent; id enim valet illud *hinc, & inde.* Et quod statim additur, *Contra faciem separationis sanctuarij, & contra faciem possessionis vrbis.* Quod idem esse videtur, atque aspiciet, atque attinget vtramque partem tam ciuitatis, quàm sanctuarij; quia vtrinque ab illis media continebitur. De hac Principis sorte, item de aliis pluribus agitur, & expressiùs cap.48. inde pete plurima, quæ in hac partitione desiderantur. 29.

A latere maris vsque ad mare, & à latere Orientis vsque ad Orientem.] De hac partitione terræ redibit iterum sermo cap.48. à vers.8, vbi plura de hac principis hæreditate, inde pete. 30.

Vers.8. *De terra erit ei possessio in Israel: & non depopulabuntur vltra principes populum meum.*] Sæpe conquesti sunt Prophetæ, quòd Principes, dum auaritiæ student, infirmam plebem deglubunt, & exhauriunt; quia neque ipsi modum cupiditati 31. *Prouisum à Deo ne principes infirmiorem turbam expilent.*

piditati statuunt, & nihil sibi non deberi putant. De his Ezechiel cap.22.v.27. *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, & perdendas animas, & auarè sectanda lucra.* Cui graui rerum publicarum incommodo, vt in suo populo Dominus occurrat, statuit vt Principi sicut aliis, in ciuitatis finibus sui quoque termini describantur, vt inde sibi, suæque familiæ necessaria paret. Quod fecisse videntur, qui instaurandæ ciuitati Principes præfuere, vt indicat, licèt subobscurè, Zacharias cap.14.v.10. vbi dilatandum esse dicit Ierusalem *à turre Hananael vsque ad torcularia Regis.*

32. *Sed terram dabunt domui Israel secundùm tribus eorum.*] Quia suprà putabam non improbabile, tribus Israel, quæ ex exilio in patriam remigrarunt, non fuisse eodem omnino modo, quo antea, in suas sedes distributas; ideo hic etiam arbitror verisimile, non hîc esse sermonem de omnibus tribubus, sed de illis, quarum hæreditates docuit esse diuersas; nempe illas, de quibus modò: sacerdotales videlicet, Leuiticas, & eas, quæ quia reliquæ ciuitati seruiunt, vocari possunt quodammodo profanæ.

33. Vers.9. *Sufficiat vobis Principes Israel; iniquitatem, & rapinas intermittite.*] Grauis hîc, & quasi quotidiana querimonia contra Principes, qui cùm ad lucrum intento sint animo, omnia iura in iudicando peruertunt, de quibus Isai. cap.1.v.23. *Principes tui infideles, socij furum. omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* His igitur edicit Dominus, vt modum suæ statuant auaritiæ, satis iam effusè, ac diu laxatas esse habenas cupiditati, pudeat iam tandem iniquæ prædæ, & vitæ modum, & iudicandi rationem aliter instituant.

34. *Rapina occasio.*

Separate confinia vestra à populo meo.] Qui ad potentiam, quam habent supra cæteros, vim, & cupiditatem adiungunt, illi omnium putantur esse domini; quia a re nulla cohibent, aut auarum animum, aut furaces manus. Quod tunc faciunt audaciùs, & sæpiùs cùm commodè possunt, & speciem aliquam habent honestam, quam rapinæ, atque iniuriæ prætexant. Talem habent, qui commixtos cum aliis fundos habent, qui cùm ad suas hæreditates ire se simulant, in vicinas irrumpunt, illásque suo depopulantur arbitratu. Hoc prædatorum hominum artificium euertit Deus, dùm Principum agros, aut suburbana prædia separari iubet ab aliorum possessionibus; siue illæ populari turbæ, siue sacerdotali ordini, ac Leuitico seruiant.

35. *Iniusta pondera, & inæquales mensuræ vsitatæ Hebræis.*

Vers.10. *Statera iusta, & ephi iustum, & batus iustus erit vobis.*] Tegebant olim rapinas suas auari isti, ac violenti Principes, aut condendis iniquis legibus, aut mensurarum, ac ponderum inæqualitate; vt cùm iniquè iudicarent, aut merces compararent, aut venderent, haberent quid iniquo iudicio, aut rapinæ turpi prætendere possent honestum. De legibus est illud Isaiæ cap.10. *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt; vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei; vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* Neque in ponderibus, ac mensuris statuendis fuerunt, aut magis æqui, aut minùs impudentes. De quibus Amos cap.8. v.4. *Audite hoc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit mensis, & venundabimus merces, & aperiemus frumentum, vt minuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas.* Nempe vt in distrahendis mercibus leuiora, in emendis grauiora adhibeantur pondera. Quod genus infidele, ac turpe abominabile esse dicitur apud Deum, Prouerb.20.v.10. *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum.* Quare Deus Deut.25.v.13. seuerè præcipit, ne sit inæqualitas vlla mensurarum, ac ponderum. *Non habebis in sacculo diuersa pondera maius, & minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor.* Id ergo nunc præcipit Deus, vt exolescat omnino prior illa consuetudo, quæ dudum in Iudæorum inueterarat populo; & docet quæ sit vera mensura, ac legitimum pondus.

36. *Corus aridorum, & liquidorum mensura.*

Vers.11. *Ephi, & batus æqualia, & vnius mensuræ erunt, vt capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori ephi.*] Hic locus maximè notatus est ab his, qui de Hebræorum mensuris disputarunt. Et cùm ephi, & batus æqualis dicantur esse mensuræ, cùm vterque pars sit cori decima, necessariò hîc nobis expendendum est, quid sit corus, de quo quid certò, ac verè definiri possit, neque ipsi norunt Rabbinorum magistri. Primum hoc certum est corum mensuram esse, quæ tam liquida, quam arida metitur. Id docet satis liquidò Ezechiel statim vers.13. *Sextam partem ephi de coro frumenti, & sextam partem ephi de coro hordei? mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est.* Corus Heb. dicitur חמר *chomer*, quod *aceruum* significat: quare nullum est vas, quod tantum capiat, mensuretve, quantum cori nomen importat. Sicut neque pecunia vlla est, quæ talenti valorem adæquet: sed est potiùs quædam ingens pecuniarum summa: neque apud Hispanos vlla mensura est, quæ dicatur *cahiz*, sed est summa, seu aceruus frumenti, qui duodecies implet Hispanicam fanecam. Sic corus summa quædam est omni vase mẽsorio capacior; quę cùm metitur arida, ephi; cùm liquida, batum decies complet. Quid tamen corus capiat, diuinant alij, quibuscum nobis diuinandum est. Quidam corum tantum capere, aut numerare putant, quantum camelus, alij quantum asinus portare possit. Et ideo credunt asinum Hebraice dictum חמור *chamor*, quia illi chomer vnus, id est, corus vnus pondus est. Iosephus lib.15. Ant. cap.12. decem Atticos medimnos vno coro contineri putat. In re vsque adeò incerta placet, quod Hieronymus censet, in coro modios esse triginta; sic hoc loco. Et Leuit. c.27.v.16. Isaiæ 5.v.10. pro coro vertit modios triginta. Quod etiam opinatur Epiphanius, lib. de ponderibus, & addit corum onus esse cameli, in quam sententiam magis inclinat Mariana. Quòd si modius duos Hispanicos *celemines* implet, efficitur corum quinque *fanecarum* mensuram implere.

Cori capacitas.

37. *Ephi quid.*

Ex quo etiam fit, vt ephi, quæ cori decima pars est, idem apud Hispanos valeat, quod *faneca* dimidium, sex nempe *celemines*, aut modios tres. Huius dimidia pars est gomor, quæ sesquimodium implet, Exod.16.v.36. *Gomor autem decima pars est ephi.*

38. *Batus quid.*

Est præterea corus liquidorũ mensura, vt paulo ante vidimus, qui decem capit batos; de quo res est etiam incerta, neque ego certum aliquid polliceri habeo. Communiter omnes batum existimant septuaginta duobus constare sextariis, quos si decies multiplices, 720. numerum implebis. Ita Iosephus lib.8. Ant. c.2. vbi tamen *batum* exiguo flexu badum appellat, quẽ sequitur Epiphanius. Batus idem esse creditur quod metreta. sanè ita vertunt Hebraicam vocem Septuaginta, & noster interpres 2. Paralipomen. cap.4. vers.5.

vers.5. vbi pro ter mille batis, ter mille metretas posuerunt.

39. *Iuxta mensuram cori, erit aqua libratio eorum.*] Definit Deus quæ sit æqua, atque legitima mensura tam bati, quàm ephi, quam dicit sumendam esse ex coro, cuius in aridis decima pars est ephi, id est, trimodialis mensura; & in liquidis batus. Libratio hoc loco examen est, aut exploratio mensurarum, ac ponderum.

40. *Sicli pondus.* Vers.12. *Siclus autem viginti obolos habet.*] Corrumpebant antea auari illi, atque furaces Principes non solùm mensuras, sed etiam pondera, vt vidimus nuper apud Amos cap.8. Licèt autem siclus aliquando pecuniæ genus sit, sicut obolus, & dupondium, hîc tamen, vt apparet, pondus est à lege constitutum, quo penduntur, & explorantur corpora continua, & solida. Est autem siclus apud Hebræos idem, quod apud Græcos stater, pondus videlicet tetradrachmum, id est, semiunciale. Ita Hieronymus suprà ad cap.4. Ezechielis. *Siclus autem, id est, stater habet drachmas quatuor, octo autem drachmæ Latinam vnciam faciunt.* Ostendit autem Deus, quódnam sit legitimum sicli pondus, idque duobus modis explorandum dicit: primò si viginti contineat obolos, quod etiam dicitur Exod.30.v.13. & Leuit.27.v.25. Secundò si sexaginta sicli, in vna mna, seu mina contineantur. Id enim valet quod statim additur, *Porrò viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli mnam faciunt.*

41. *Quid obolus, & mna.* Hîc verò non est, cur examinemus ampliùs, quid sit obolus, & quid sit mna, cùm ex pondere, atque valore sicli facile vtrumque æstimari, atque existimari possit, cùm viginti oboli sint in vno siclo, & in vna mna sicli sexaginta numerentur.

42. *Porrò viginti sicli.*] Potuisset multo breuiùs mnæ, siue minæ valor, ac pondus explicari, si in mna sexaginta sicli numerari dicerentur, quàm si in tot partes forent distributi sicli. Sed eius ratio non defuit: nam sicut in grandi aliqua mensura, ac pondere plures aliæ minores mensuræ, ac pondera nota omnibus, & à lege constituta continentur; sic etiam in mna tria erant legitima pondera, quæ solidi, atque continui corporis molem examinabant. Altera viginti quinque constabat siclis; altera viginti; quindecim altera. Quare modus iste dicendi significat sexaginta siclos, tantum valere, ac pendere, quantum vna mna; aut tria pondera legitima, in quæ mna distribuitur. Ita penè Rab. Dauid, & ex eo Maldonatus.

43. *Quota pars fructuum danda sacerdotibus.* Vers.13. *Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis, sextam partem ephi de coro frumenti.*] Constituerat quantum spatij in agris assignandum esset in sacerdotum, ac Leuitarum vsum. Et quia iustam illis volebat fructuum omnium exhiberi mensuram, cùm reddendæ essent primitiæ iam antè decretæ, legitimam ostendit mensuram, & pondus, ne quid in exoluendis primitiis, ac decimis fieret non legitimè. Nunc iam quid sacerdotibus reddendum sit explicatiùs ostendit. Præceperat quidem Deuter.c.18.v.4. reddendas esse primitias sacerdotibus omnium fructuum; illorum verò quotam partem non docuerat. Nunc autem ne sacerdotes plus exigerent, quàm ipsis deberetur ex lege; aut ne populus auarior esset, quàm religio pateretur, certam statuit mensuram, & modum, qui tam in exigendis, quàm soluendis decimis seruandus sit. Ita penè cum Hieronymo plures alij. In Deuteronomio suprà, *Hoc erit iudicium sacerdotum à populo, &c. Dabunt sacerdoti, &c. primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ouium tonsione.* Neque minus obscurè Leuit.c.18. v.20. Nunc verò sacerdotalem partem explicatiùs definit, & iubet vt ex aridorum coro sexta pars exoluatur ephi; & ex liquidorum sexta pars bati, id est, ex fructibus omnibus sexagesima portio. Nam si ephi, & batus decima pars sunt cori, consequens est, vt sexta pars ephi, ac bati sit pars cori sexagesima. Dum autem frumenti, & hordei ex aridis; ex liquidis autem olei meminit, arida omnia, ac liquida comprehendit, ex quibus iuxta mensuram istam reddendæ sunt primitiæ. Nam, vt diximus suprà ex Numer.c.18. v.13. *Vniuersa frugum initia, quæ gignit humus, & Domino deportantur, cedent in vsus tuos.* & de vino vidimus modò ex Deut.c.18.

44. Vbi vulgatus *primitiæ*, Heb. est תרומה *terumah*, quæ vox eleuationem significat, & pro quacumque oblatione sumitur. Quare vox hæc, non magis primitias, id est, primos fructus, quàm decimas, & oblationes alias significat. Obseruat hîc Hieronymus ex Hebræorum traditione in soluendis decimis, seu primitiis hanc olim Hebræorum legem tenuisse, antequam mensura, & pondus à lege forent definita; vt neque minus liceret populo offerre, quàm sexagesima pars, neque plus quàm quadragesima, intra hos fines licebat cuilibet pro suo arbitratu deferre, quantumcumque vellet. *Quota pars olim data sacerdotibus.*

45. Vers.14. *Mensura quoque olei, batus olei.*] Quod de coro, & ephi dictum est in aridis, idem de coro, & bato dicendum in liquidis. Suprà enim diximus eorum tam aridorum, quàm liquidorum esse mensuram.

46. Vers.15. *Et arietem vnum de grege ducentorum, de his quæ nutriunt Israel in sacrificium.*] Hactenus de primitiis, decimísque, quæ ad Leuitarum, ac sacerdotum vsum impenduntur; nunc iam de armentorum, ac pecudum oblationibus agitur, quorum ingens quotidie numerus in templo consumitur. Iubet igitur Deus, vt postquam ex exilio populus ad patrios fines, antiquámque fortunam redierit, ex ducentenis arietibus singulos deferat in templum, in holocaustum, & pacifica, & ad ipsius populi piaculares hostias. *Quotus ex grege offerenaus aries.*

47. Hic nobis obseruanda duo, primùm pro ariete Heb. esse שה אחת *seh achath*, in genere fœmineo, quod idem valet, atque *ouem*, siue *agnam vnam.* Sed obseruandum, vt hîc notat Hieronymus, שה nomen esse genericum, quod in omne pecus, atque armentum accommodari potest; atque ita ipse putat reddi posse *βόσκημα*, quæ vox est quàm simillima Latinè *pecudi*, quæ in fœmineo generi masculinum etiam sexum amplectitur: vnde arietem, & hircum vagas pecudes vocamus, & vocem Heb. שה, vulgatus modò arietem, & agnum; modò etiam hircum vertit, atque hædum.

48. Vbi vulgatus, *de his qui nutriunt*, Heb. ממשקה *mimusceh*, quod veriè reddunt alij à vulgato. Vox illa *potum* significat, & hîc pro loco sumitur pingui, atque vbere, qui assiduè aquam potat familiarem, ac suam; qui nempe irriguus est, & ad pecudum, atque armentorum pabulum opportunus: qualem se habere prædicabat Dauid Psal.22. *Dominus regit* (id est, pascit) *me, & nihil mihi deerit, in loco pascua ibi me collocauit: super aquam refectionis educauit me.* Quare Aquila, & Symmachus ex Hieronymo, conuerterunt, *de irriguis*; Septuaginta, & Theodotio *de canalibus.* Qui dicendi modus indicat *Oblatio Deo ex optimis.*

dicat pingue futurum esse pecus, quod in templum adducitur, quale illud est, quod in irriguo pascitur loco. Nisi mauis pecudem sumendam esse de potu, id est, ex earum numero, quæ potatæ sunt, id est, succulentæ, & pingues. Ex vsu namque Scripturæ irrigatio pro pinguedine sumitur, Iob cap. 21. v. 24. *Iste moritur robustus, & sanus, diues, & felix: viscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur.* Heb. *potantur.* Et Prouerb. cap. 3. v. 8. *Sanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum.* Hæc omnia optimè explicuit vulgatus, cùm dixit, *de his qui nutriuntur.* Verbum enim *nutrio* aliquid sonat mollius, quódque à singulari nascitur indulgentia. Quale tener infantulus à sedula, & bene amante nutrice accipere solet.

Nutrio aliquid significat molle.

49. Ex his habes, quomodo meliora sibi postulet Deus, pinguia videlicet, & nitida; non exhausta, macra, debilia, atque horrida, quod seuerè Deus ipse prohibuit. Vide primum caput Malachiæ, in quo hac de re multa grauiter, cuius hæc sunt postrema verba, *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino. Quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus.*

Donum quale.

50. Vers. 16. *Omnis populus terræ tenebitur primitiis his Principi in Israel.*] Legibus hisce omnes tenentur quotquot sunt in Israel. Has autem primitias accipiet Princeps, quem penes erit hæc sanctificata possessio, cui eo erit incumbendum diligenter, vt ea omnia fideliter præstentur, quorum causa oblata, atque instituta sunt. Sed quis sit iste Princeps non est omnino certum, aut exploratu facile. Quidam Regem existimant, aut eum, qui in sæculari statu, réque publica principem locum obtinet; qualis videri potuit Zorobabel: & ita putat Emanuel Sa; & glossa Regem putat, sed allegoricè accipit de Christo. Et quidem dum paulo antè Principis antecessisset nomen, in quo omnium concessu potestas intelligitur sæcularis; non videtur aliter hoc loco principis nomen accipi oportere. Maximè cùm *Princeps*, nisi aliquid addas aut loci, temporísque ratio aliò nos deducat, nunquam de sacerdote maximo dicatur. Ad hûc autem optimè deferri poterant illa, quæ ad sacros vsus, sacerdotúmque victum offerebantur, à quo illa Leuitæ, ac sacerdotes acciperent. Et illud præterea accedebat commodum, quòd ipse alios posset pro regia potestate compellere, vt quod lex exigeret, accuratè complerent.

51. Sed est aliorum fermè omnium cum Hieronymo, ac Theodoreto sententia, Principem hunc esse sacerdotem summum, quod ex eo fit non solùm probabile, sed penè necessarium; quia à captiuitate soluta idem fuit & Rex, (si tamen regium nomen erat eo sæculo) & Sacerdos. Qua de re nos pluribus in nostris commentariis in Zachariam ad illud cap. 6. *Et subter eum orietur.* Item quia idem Princeps, ad quem huiusmodi primitiæ deferuntur, holocausta offert, & alia sacrificia: at munus hoc, neque Regis est, neque eius, quem sacris ministeriis aut genus, aut religio non alligat.

Sacerdos princeps.

52. Vers. 17. *Et super Principem erunt holocausta, & sacrificium, & libamina in solennitatibus, & in Calendis.*] Quando constat Principem hunc esse sacerdotem summum, facile est statuere, quid sibi velint reliqua, quæ deinde succedunt. Hoc verò loco docetur summus Sacerdos, ad cuius manus primitiæ deferuntur, id sibi datum esse negotij, vt curet diligenter, ne quid omittat eorum, quæ & religio cogit, & publica necessitas. Id enim valet illud, *super Principem erit,* id est, id erit negotij, atque oneris impositum Principi, vt & ipse offerat, & ab aliis offerri curet, quæ religio iubet offerri sacrificia. De sacrificiis, holocaustis, & libaminibus, nonnihil paulo antè diximus, & statim plura capite sequenti. Deinde tempus indicit, in quo sacrificia hæc, & oblationes obiri debent; in Calendis videlicet, seu Neomeniis, & in Sabbatis aliisque solennitatibus, de quibus statim explicatiùs. Hæ verò sunt Pascha, Pentecoste, Scenopegia, seu festa tabernaculorum.

Et ipse faciet pro peccato sacrificium, & holocaustum, & pacifica ad expiandum pro domo Israel.] De his sacrificiis diximus, credo, quod nostro instituto satis erat cap. 44. sub finem. De sacrificio pro peccato populi, déque illius expiatione habes Leuit. c. 4. à versu 13. 53.

In primo mense vna mensis sumes vitulum de armento immaculatũ, & expiabis sanctuarium.] De hac lege, seu consuetudine expiandi sanctuarij, nihil quod ego viderim habemus in lege, quod etiam hîc Hieronymus sentit, sicut etiam de septimi diei sacrificio; neque plus habemus lucis, quàm quod nobis hoc loco præfert Propheta. Egit suprà capite 43. de sacrando, atque expiando altari holocausti; neque longè dissimili ratione docet expiandum esse sanctuarium in ipso ineuntis anni principio, mense nimirum primo, qui dicitur Nisan, qui in nostrum Martium plurimum incurrit, & illius mensis primo die; siue in ipsa Neomenia. Est autem verisimile in vno anno, cur tot sacrum illum locum inirent sacerdotes, ibíque multa quotidie fierent à multis, aliquid accidisse, quo domus illa sacra censeretur polluta. Quare institutum est, vt quotannis fieret templi lustratio, vt si quid ex sacerdotum incuria, aut culpa sordium esset contractum, illud piacularis sacrificij sanctitas elueret. Docet autem Dominus, quomodo templum expiari debeat, eo videlicet modo, quo expiari solent Sacerdos, & populus, qui mundari volunt à peccato, occiso nempe vitulo, & eius sanguine aliqua aut altaris, aut tabernaculi parte respersa. 54.

Sanctuarij expiatio.

Vers. 19. *Et tollet Sacerdos de sanguine, quod erit pro peccato, & ponet in postibus domus.*] Hi ritus expiandi sanctuarij vsque adeò apertè traduntur à Propheta, vt luce nulla interpretis indigeant. Postes domus, qui sanguine tinguntur vitulino, sunt illi qui primam portam instruunt, quæ in partem illam tabernaculi, quæ Sancta dicitur, sacerdotes admittit: atrium autem interius, cuius etiam postes intinguntur sanguine, atrium est sacerdotale, vbi altare est holocausti, vbi vitulus immolatus est, cuius etiam quatuor angulis inspersus est sanguis. 55.

Vers. 20. *Et sic facies in septima mensis, pro vnoquoque, qui ignorauit.*] De hoc etiam sacrificio, vt inquit Hieronymus, nihil habemus in lege Mosaica. Pro ignorantia plurima instituta sunt sacrificia Leuit. cap. 4. 5. & 6. de quibus nos capite sequenti nonnihil. Ex peccato, quod ignorantes admisere sacerdotes, aut quia cæremonias à lege præscriptas non seruarunt, de quo peccato Leuit. cap. 5. non tantùm in peccantem hominem, sed etiam in templum aliquid redundare poterat immundum. Ad expiandam igitur illam maculam tam è templo, quàm ex homine quocumque institutum est sacrificium aliud expiatorium septimo die mensis primi; nisi dicas expiari quemcumque (nempe sacerdotem) pro domo, id est, 56.

Personarum expiatio.

est, vt domum possit ingredi legitimè, & sacrificale in ea munus obire; & hoc posterius mihi minus displicet. Est itaque sacrificium hoc septimi diei generale pro omnibus, qui reuera legalem contraxere maculam; nesciunt tamen se esse pollutos, quia ignorantes fecerunt id, à quo expiari debent.

57. Verſ.21. *In primo mense, quarta decima die mensis erit vobis Pascha.*] De hac solemnitate omnium maxima satis multa habemus Exod. cap.12. Leuit.23. & nos non pauca in nostris commentariis in Acta, ad illud cap.12. *Erat enim dies Azymorum.* Neque hîc de Azymis quicquam nobis dicendum, quia ab aliis ea de re plus fortasse satis; neque paucis à nobis res expediri potest.

In Azymis quotidie sacrificium pro peccato.

58. Verſ.22. *Et faciet Princeps in die illa pro se, & pro vniuerso populo terræ vitulum pro peccato.*] Sacrificia quædam offerebantur totis septem Azymorum diebus, quæ omnia ab immolato agno paschali, Pascha dicebantur; de quibus nos ad citatum proximè locum ex Actis Apostolorum. In his sacrificiis sunt etiam hæc, quæ nunc audimus à Propheta. Cúmque his vesci non possent polluti, ideo Iudæi noluerunt intrare in Prætorium Pilati, ne ex Gentium congressu sese pollucrent, & minus accederent ad comedendas illas paschales epulas idonei.

59. Hic verò rursus occurrit explorandum, quisnam sit iste Princeps, qui offerre iubetur hæc sacrificia pro se, & vniuerso populo. Et cùm iam supra probauerimus summum esse sacerdotem, facile nos ab alio labore simili exoluemus. Est itaque hic Sacerdos summus, cui ideo suprà ab omnibus pecudes, & armenta tradi diximus, vt habeat, quæ pro variis populi necessitatibus offerre possit sacrificia. Et quidem hic Princeps facere dicitur vitulum pro peccato, quod sane nullo posset modo, nisi esset Sacerdos. *Facere* autem, vt diximus suprà cap.43. v.25. verbum est sacrificale, & idem valet quod immolare. Scio in hisce diebus Azymorum à Principibus ad paschales victimas offerri solitam magnam pecudum, atque armentorum vim, vt 2. Paralip. cap.35. v.7. Iosias in paschale sacrificium fecisse traditur. *Dedit præterea Iosias omni populo, qui ibi fuerat inuentus in solennitate Phase agnos, & hædos de gregibus; & reliqui pecoris triginta millia: hæc de Regis vniuersa substantia.* Duces præterea, qui Iosiæ aderant, alia plurima in illud tempus obtulisse dicuntur. Verùm hæc munera diuersa sunt ab illis, quæ in hoc loco legitimè in Azymorum festo offerri iubentur.

Varia sacrificia in diebus Azymorum.

60. In illis Azymorum diebus varia offerebantur sacrificia, quæ habes Numer. c.28. à verſ.16. quæ omnia dicebantur pascha, sicut septem dies Azymorum, Pascha siue paschales dies vocabàtur. Sanè ita dicuntur Actor. cap.12. vbi Herodes dicitur voluisse post Pascha Petrum ad populum producere, id est, exacto Azymorum septemdiali spatio. Et nunc in Hebræorum Calendario prima dies Azymorum dicitur prima dies Paschæ, & sic ad septimam vsque diem, quæ septima dicitur Paschæ. Quid offerri iubetur hisce diebus Azymorum Num cap.28. non est mea-
61. rum partium explicare. Multa enim ibi traduntur de victimarum numero, libamentorúmque mensura, quæ hîc sunt ab Ezechiele prætermissa; ideo fortasse quia Deus ab eo, quod antè præceperat, aliquid mutauit, quod pro temporúmque, rerúmque varietate factum fuisse

A videmus, non solùm in sæculari, sed etiam in Ecclesiastica œconomia. Et quidem Deus Hebræo populo multa præcepit, quæ tamen in deserto, quia locus erat incommodus, seruari noluit. Et cùm ad tempus vsque diluuij à carnibus homines abstinuerint, ita iubente Domino, vt nonnulli putant; postea tamen quia diluuij tempore inducta terræ macies est, permisit Deus Noë carnes animalium in cibos; sicut antea olera, & quæ nascuntur à terra, concesserat. Gen. cap.9. *Omne*, inquit, *quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia dedi vobis omnia.* Ac si diceret, sicut olim terrà nata concessi, sic modò animalia vobis esculenta concedo. Et multa teste Hieronymo per Ezechielem tradita sunt populo Iudaico, quæ aliis temporibus tradita fuisse non constat. Qualia sunt quæ de legitima primitiarum portione traduntur suprà num.43. & 46. De sortibus Sacerdotum, Leuitarum, ciuitatis, & Principis, de quibus à num.10. & de quibusdam sacrificiis docet Hieronymus suprà num.54. & 56. Vtcumque sit, neque enim definitò quicquam affirmare possum; ex hoc loco tantum habemus, debuisse Iudæos septemdiali Azymorum spatio offerre quotidie septem vitulos, & totidem arietes, & hircum vnum pro peccato, & illud libationum genus, de quo statim.

REGVLA. Aliqua mutata, alia noua instituta, tam olim in Synagoga, quàm modò in Ecclesia.

B

C *Et sacrificia ephi per vitulum, & ephi per arietem faciet, & olei hin per singula ephi.*] Diuersæ mensuræ sunt Num. cap.28. cur facta mutatio illa, nostram nuper coniecturam adduximus. Egit de victimis, quæ in paschalibus feriis immolantur; nunc de libationibus, seu libamentis, quæ victimis de more sacris illis diebus adiunguntur. Iubetur igitur, vt cum singulis vitulis atque arietibus, singula quoque offerantur ephi, cum singulis quoque hin olei. Ephi, vt diximus, mensura est aridorum, decima pars cori, quæ tres capit modios, id est, Hispanicæ fanecæ dimidium. Hin liquidorum est mensura, de qua sicut de aliis omnibus nihil afferri certi potest; neque auctores inter se conueniunt; neque id mirum, cùm variatis rerum pretiis, variari subinde soleant mensurarum, ponderúmque momenta. Id vnum habemus certum ab hoc Propheta tantum hin capere liquoris, vt pars eius sexta porrigi soleat in vnum diem illi, cui parcum, & arctum poculum esse volumus. Nam cùm cap.4. vitam Deus indixisset seueram, & angustam Ezechieli, dixit, *Aquam in mensura bibes, sextam partem hin.* In quem locum Hieronymus ait hin mensuram sextarij castrensis, cuius sexta pars æquat sextam partem sextarij Italici. Idem autem Hieronymus, licèt plerumque in vertendo retineat Hebraicam vocem *Hin*, aliquando tamen sextarium reddit, vt Leuit.19. v.36. Iosephus lib.3. Ant. cap.10. ab vno hin duas Atticas choas impleri dicit, quas aliter sentiunt, qui satis se habere putant, si non longè à mensura propria aberrare contingat. Hebræi in ouis statuunt, definiúntque liquidorum mensuras. Dicunt enim batum, qui decima pars est cori, oua continere 432. hin oua 72. log autem 12. Si hæc Hebræorum ratio quicquam faceret ad fidem, proxima harum mensurarum capacitas deprehenderetur. Et quidem quemadmodum hordei granis digitorum latitudinem metimur, & in illis mensuras alias solidas, quia grana illa plerumque æqualia sunt; sic in liquidis per oua mensurarum capacitatem notamus, quia nihil habemus æquale magis ac familiare,

62.

Hin quæ mensura.

D

E

Oua principium mensuræ liquidorum.

Grana principium mensuræ latitudinis.

familiare, ad quod referri possint, & explorari liquidorum mensuræ.

64. Vers. 25. *Septimo mense, quinta decima die mensis.*] Agit de festo tabernaculorum, quod etiam vocatur Scenopegia, de quo Leuit. cap. 23. in quo multa alia fieri iubentur; sed hoc loco tantùm Propheta meminit eorum, quæ ad victimas, & A libamenta pertinent, ad sacrificium nempe pro peccato, ad holocaustum, ad oleum, &c. Et quoad hæc eundem dicit ordinem esse seruandum, qui in paschalibus feriis: nam in aliis multa sunt, in quibus dies isti celeberrimi dissentiunt, quod facile ex illorum institutione constabit.

IN CAP. QVADRAGESIMVMSEXTVM.

ARGVMENTVM.

TRADITVR primum sacrificiorum genus, & numerus tum quæ à Principe ex lege, tum quæ voluntariè deferuntur. Deinde quo loco Princeps, quo Sacerdotes, quo denique popularis turba sacrificalibus epulis vesci debeat. Sed agit speciatim de Orientali porta, quæ est in exteriori, ac sæculari atrio, per quam vni tantùm Principi patet accessus: cùm reliqua populo profano, ac laico non nisi per Aquilonarem, vel Australem intrare liceat.

CAPVT XLVI.

1. *HAec dicit Dominus Deus: Porta atrij interioris, quæ respicit ad Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit: die autem Sabbati aperietur, sed & in die Calendarum aperietur.*

2. *Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, & stabit in limine portæ: & facient sacerdotes holocaustum eius, & pacifica eius: & adorabit super limen portæ, & egredietur: porta autem non claudetur vsque ad vesperam.*

3. *Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in Sabbatis, & in Calendis coram Domino.*

4. *Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino; in die Sabbati sex agnos immaculatos, & arietem immaculatum.*

5. *Et sacrificium ephi per arietem: in agnis autem sacrificium quod dederit manus eius: & olei hin per singula ephi.*

6. *In die autem Calendarum vitulum de armento immaculatum: & sex agni, & arietes immaculati erunt.*

7. *Et ephi per vitulũ, ephi quoque per arietẽ faciet sacrificium: de agnis autem, sicut inuenerit manus eius: & olei hin per singula ephi.*

PARAPHRASIS.

B 1. PORTA atrij sacerdotalis, inquit Dominus, quæ ad Orientem spectat, illis diebus obserabitur, in quibus fas est seruili operi faciundo vacare: aliis verò, quibus ab opere cessatur seruili, aperietur, Sabbatis nimirum, & Neomeniis.

2. Porrò Princeps intrabit non rectâ, sed per viam vestibuli, ita tamen vt in ipso vestibulo ad templi limina consistat. Interim verò Sacerdotes pro illo sacrificium pacificum, & holocaustum immolabunt. Ex eo loco adorabit Princeps, & egredietur per viam vestibuli, per quam ingressus C antè fuerat. Porta verò ad vesperum vsque non claudetur.

3. Illis autem diebus, in quibus Orientalis reseratur porta, Kalendis videlicet, & Sabbatis, fas erit populari, atque profanæ turbæ adstare ad portam, & adorare in Domini conspectu.

4. Hoc erit holocaustum, quod singulis quibusque Sabbatis offeret Princeps, sex agnos, & arietem vnum, quibus adhæserit nihil à legali macula.

5. Quod verò ad libamenta pertinet, id est, ad sacrificia sine sanguine cum sin- D gulis arietibus offeratur ephi, id est, tres farinæ modij: de agnis verò mensuram certam non decerno; erit enim Principi liberum offerre quod libuerit, modò cum singulis ephi frumenti, singula quoque offerat hin olei.

6. Primo autem die cuiuscumque mensis ad sex agnos, & arietem vnum, immaculatum vitulum adiiciet.

7. In vitulum simul, & arietem conferet ephi: de sex verò agnis nihil certum definio: liberum illis relinquo, vt suo arbitratu

8. *Cúmque ingressurus est princeps, per viã vestibuli portæ ingrediatur, & per eandem viã exeat.*

9. *Et cùm intrabit populus terræ in conspectu Domini in sollemnitatibus: qui ingreditur per portam Aquilonis, vt adoret, egrediatur per viam portæ Meridianæ: porrò qui ingreditur per viam portæ Meridianæ, egrediatur per viã portæ Aquilonis: non reuertetur per viam portæ, per quam ingressus est, sed è regione illius egredietur.*

10. *Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingredietur, & cum egredientibus egredietur.*

11. *Et in nundinis, & in sollemnitatibus erit sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arietem: agnis autem erit sacrificium sicut inuenerit manus eius: & olei hin per singula ephi.*

12. *Cùm autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino; aperietur ei porta, quæ respicit ad Orientem, & faciet holocaustum suum, & pacifica sua, sicut fieri solet in die sabbati: & egredietur, claudetúrque porta postquam exierit.*

13. *Et agnum eiusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino: semper manè faciet illud.*

14. *Et faciet sacrificium super eo cata mane mane sextam partem ephi, & de oleo tertiam partem hin, vt misceatur similæ: sacrificium Domino legitimum, iuge, atque perpetuũ,*

15. *Faciet agnum, & sacrificium, & oleũ cata mane mane: holocaustum sempiternum.*

16. *Hæc dicit Dominus Deus: Si dederit princeps donum alicui de filiis suis: hereditas eius, filiorum suorum erit, possidebunt eam hereditariè.*

A bitratu quantum volunt, de frumento deferant, dummodo cum quolibet ephi frumenti vnum coniungatur hin olei.

8. Cúmque ingressus fuerit Princeps per viam vestibuli, id est, per Orientalem portam atrij popularis; per eandem, vbi suo fuerit munere perfunctus, egredietur.

9. Cùm autem in solennitatibus popularis turba suum ingredietur atrium, vt adoret, non per oriẽtalem, sicut Princeps; sed per Australem, vel Aquilonarem portam intrabit; neque tamen, sicut concessum
B est Principi, per eandem ingredietur, atque egredietur viam. Qui ingressus fuerit per Meridionalem, per Aquilonarem exibit, quæ è regione est; & qui per Aquilonarem, per Meridionalem egredietur.

10. Princeps verò, cùm populus ingreditur, egreditúrve; ipse quoque cum illo eadem faciet. Intrabit enim, & exibit; non tamen per illas vias, quæ popularibus patent; sed per suam, id est, orientalem.

C 11. In nundinis porrò, id est, solennitatibus, ad quas, tanquam ad nundinas, frequentes fiunt hominum concursus, illa seruabitur sacrificandi ratio, de qua priùs. Nempe vt singulis vitulis, atque arietibus, offeratur ephi similæ; pro agnis, pro cuiusque facultatibus, seu arbitrio; ita tamen vt à simila non separetur oleum, sed ad singula ephi, singula quoque hin adhibeantur.

12. Cùm verò Princeps voluntariè, & nulla cogente lege holocaustum offerre
D voluerit, aut sacrificium pacificum, quocumque illa die fieri contingat; aperietur illi porta orientalis, non aliter, atque in die Sabbati, & cùm per illam, sacrificio peracto, fuerit egressus, statim obserabitur.

13. Ex duobus agnis, qui singulis diebus ad iuge sacrificium immolantur, ille qui matutino tempore in holocaustum offertur, à Principe curabitur, qui immaculatus erit, & quotidianus.

14. Super illud porrò sacrificiũ, quod singulis diebus ad matutinam lucem im-
E molabitur, addet sextam partem ephi similæ, & tertiam partem hin olei, vt cum illo subigatur simila. Hoc porrò sacrificium legitimum erit, atque perpetuum, quod nullo vnquam intermittatur die.

15. Agnum autem illum, & sacrificium iuge cum oleo, vt dixi, singulis diebus ad matutinam lucem immolanda curabit, ne vnquam deficiat holocaustum.

16. Si dederit, inquit Dominus, filio suo Princeps dono possessionem aliquam; illam, tanquam hæreditatem propriam perpetuò possidebit.

17. Si autem dederit legatum de hereditate sua vni seruorum suorum, erit illius vsque ad annum remißionis, & reuertetur ad principem: hereditas autem eius, filiis eius erit. A

17. Sin autem quicquam alicui seruorum de hæreditate legauerit, cùm primùm Iubilæi, seu remissionis annus aduenerit, ad Principem, Principisve familiam postliminio redibit.

18. Et non accipiet princeps de hereditate populi per violentiam, & de possessione eorum: sed de possessione sua hereditatem dabit filiis suis: vt non dispergatur populus meus vnusquisque à possessione.

18. Neque per vim Princeps ex popularium bonis sibi vindicabit, quo filiorum suorum vsui, atque ornamento prouideat; sed de possessione sua illis accommodabit ne populus à paterna hæreditate summotus, & aliô digressus appetat alienam.

19. Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portæ, in gazophylacia sanctuarij ad sacerdotes, quæ respiciebant ad Aquilonem: & erat ibi locus vergens ad Occidentem. B

19. Deduxit me deinde per viam, quæ in sacerdotali atrio ad ea gazophylacia ducit, quæ ad Sacerdotum vsum destinata sunt, quæque spectabant ad Aquilonem. Et ostendit mihi locum, qui ad plagam vergebat occidentalem.

20. Et dixit ad me: Iste est locus vbi coquent sacerdotes pro peccato, & pro delicto: vbi coquent sacrificium, vt non efferant in atriũ exterius, & sanctificetur populus.

20. Et dixit ad me: En locus iste est, vbi ex sacrificiis pro peccato, ac delicto illæ coquentur partes, quas Sacerdotibus lex sacrificalis assignat; ne qua pars sacra ad profanum atrium efferatur, profanamque turbam attingat, & polluat.

21. Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrij: & ecce atriolum erat in angulo atrij, atriola singula per angulos atrij. C

21. Ex eo loco traduxit me in atrium exterius, & populare; & cùm per quatuor angulos atrij circumegisset, in quolibet angulo atriola quædam visebantur.

22. In quattuor angulis atrij, atriola disposita, quadraginta cubitorum per longum, & triginta per latum: mensuræ vnius quattuor erant.

22. Atriola porrò illa, quæ quatuor atrij angulis erant affixa quadraginta cubitis in longitudinem, & triginta in latitudinẽ patebant, eiusdẽ omnia mensuræ.

23. Et paries per circuitum ambiens quattuor atriola: & culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum.

23. Murus præterea circumfusus atriola quatuor ab area, & à reliqua turba secludebat. Sub porticu autem per gyrum in subterraneis cryptis constructæ erant culinariæ officinæ.

24. Et dixit ad me: Hæc est domus culinarum, in qua coquent ministri domus Domini victimas populi.

24. Tunc tandem Angelus ad me: Hæ culinæ sunt, in quibus ministri domus sacrificales epulas coquent ad popularem mensam.

Vers.1. *Porta atrij interioris, quæ respicit ad Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus sit.*]

1. IN atrio interiori, nempe sacerdotali, tres erant portæ Orientalis, quæ directè spectabat tabernaculi portam, & Australis, atque Aquilonaris, quæ Sãctuarij lateribus erant obuersæ. Ex his Orientalem Dominus clausam esse iubet diebus omnibus, in quibus operi faciundo vacare fas est. In Neomeniis, & Sabbatis apertam esse vult; si quid enim aliis diebus sacrum fieri oportet, duæ aliæ portæ tam Sacerdotibus, quam aliis ex populari turba patebunt.

2. Vers.2. *Et intrabit Princeps per viam vestibuli portæ deforis.*] Quo tempore Orientalis porta reseratur, licebit Principi ad portam accedere, ita tamen vt in ipso vestibulo ad portæ limina consistat: interim dum pro illo Sacerdotes aut sacrificium immolant pacificum, aut holocau- D stum; neque illi ad locum vlteriorem, qui iniri tantùm à Sacerdotibus potest, penetrare fas erit. Ex eo loco adorabit Princeps, & egredietur per viam vestibuli, per quam ingressus antè fuerat. Via porrò vestibuli illa est, de qua suprà cap.42. v.11. tunc verò porta illa ad vesperum vsque non claudetur. De peccato Principis habes Leuit.cap.4.

Principi quis locus in templo.

Vers.3. *Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in Sabbatis, & Calendis.*] His diebus aperiendam diximus Orientalem portam; tunc fas erit populari, atque profanæ turbæ astare ad portam illam interioris atrij, quæ Sanctuarij portam, & altare holocausti propiùs spectabat, atque directò. *Populus* verò *terræ* gentem significat vulgarem, & ignobilem, quæ à magni nominis ordine secernitur. Quod ex eo fit verisimile, quia in 3.

Populus terræ quid.

Scriptura sæpe post magistratus, & Principes separatim populus terræ nominatur. Ieremias cap. 44. *Reges vestri, & Principes vestri, & populus terræ.* Et iterum cap. 52. *Et septem viros de his, qui videbant facies Regis,* &c. *& sexaginta viros de populo terræ.*

4. *Oblationum tria genera.* Vers. 4. *Holocaustum autem hoc offeret Princeps Domino in die Sabbati sex agnos immaculatos, & arietem immaculatum.*] Tria oblationum genera inueniuntur in Scriptura sacra, de quibus antea non semel. Holocaustum, quod Hebraicè dicitur עולה *olah*, sacrificium Heb זבח *zabach*, & libatio, aut donum sine sanguine, Heb. מנחה *minchah*. Hæc tria iubetur offerre Princeps diebus illis, in quibus reserare licet Orientalem portam. In holocaustum sex agnos, & arietem vnum, qui tamen omnes immaculati esse debebunt, id est, perfecti, non languidi, non cæci, scabiosi, ac mutili, vt diximus cap. 43. ad vers. 22. ad illud, *Hircum caprarum*, qui iuxta holocausti leges & institutum cremari omnino debent, ita vt nulla pars ad hominum vsum conferatur.

Hæc credo sacrificia, quæ offerri à Principe iubentur, illa sunt, quæ legitimè in Sabbatis, ac Neomeniis immolari iubentur, de quibus Num. cap. 28. Quasi dicat Deus, si quando princeps diebus illis solennioribus sacrificium pro se, aut holocaustum offerri voluerit, id ad Sacerdotes, atque ad altare offerendum curabit, quod lex diebus illis immolari præcipit. Quare, vt opinor, cùm sacrificiis Principum certus modus, ac forma præscribitur; edicitur etiam quid diebus eisdem perpetuo, atque solenni ritu sacrificari debeat. Illud enim quod legitimè sacris illis diebus offerri præcipitur, id quoque ferè à Principibus impendi iubetur. Neque admodum laboro, an victimarum genus, & numerus, quæ hîc à Propheta proponuntur, cum his quæ caput illud 28. Num. edicit, omnino consentiant; nam multa, vt paulo ante vidimus in fine cap. 44. pro rerum, temporumque varietate aut mutata sunt, aut modificata.

5. *Misericordia optimum sacrificium.* Vers. 5. *Et sacrificium ephi per arietem: in agnis autem sacrificium, quod dederit manus eius: & olei hin per singula ephi.*] Hoc iam ad libamenta pertinet, quæ oblatio sunt non ex animantibus, sed est sacrificium quoddam exangue. Iubet autem Deus, vt cum ariete offeratur simul ephi, id est, tres farinæ modij; cum agnis verò liberum relinquit; quod attinet ad libamenta tantùm dicit, *quod dederit manus eius.* Quasi dicat, non definiri modum, sed omnibus relinqui liberum, vt cum agnis quantum possint, aut velint suo arbitratu de frumento deferant; ita tamé vt cũ quolibet ephi frumenti, vnum coniungatur hin olei. Vbi notandum in sacrificiis, nunquam frumentum ab oleo separari. In oleo verò misericordiam designari, nemo nescit, quam à dono suo Deus abesse non vult; neque a sacrificiis vllo modo disiungi. Quod per Oseam cap. 6. significauit Deus, cùm oleum dixit se malle, quàm sacrificium, id nempe quod significatur in oleo, id est, misericordiam. *Misericordiam, inquit, volui,*
6. *& non sacrificium.* Quod Christus Mat. cap. 9. v. 13. contra immisericordes vsurpauit. Cumque omnibus maximè commendetur misericordia, præcipuè tamen Principibus, qui cùm potentes sint, & diuites, facilè aliorum leuare possunt inopiam largiendo; & ab iniuriis, atque calum- *Principibus misericordia commẽdata.*

A niis infirmiores sua auctoritate, ac potentia tueri. Hic ad extremum obserua, non offerri frumentum, seu similam seorsum ab oleo; sed similam ex oleo subactam, aut, quod millies audis, oleo conspersam: sic certè habes de his sacrificiis, quæ in Sabbatis, & Calendis stabili ritu sacrificantur Num. cap. 28. De Sabbato quidem v. 9. *Die Sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio.* De Calendis vers. 11. *In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos septem immaculatos: & tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos,* &c. *In oblationibus nunquam à frumento separatur oleũ.*

B Vers. 6. *In die autem Calendarum vitulum de armento immaculatum, & sex agni, & arietes immaculati erunt.*] Hæc offeret Princeps, si quando in Calendis sacrificium offerre volet. Neque aliud, credo, vt proximè dixi, sacrificium iniugetur Sacerdotibus, atque his, qui res curant templi, & opus sacrificale. Est tamen aliquid discriminis, vt constat ex loco, quem nunc ex Num. cap. 28. produximus, inter sacrificia, atque libamenta, quæ illic, & quæ modò ab Ezechiele præscribuntur. Sed aut aliquid à legislatore mutatum est; aut certè definitur quid ad statas victimas, libationésque illarum solennitatum à Principe debeat impendi, videlicet non totum, quod lex illa præfinit; C sed bonam eius partem, vt minus habeant Sacerdotes, quod addant ad legitimum illud sacrificium implendum. 7. *Aliquid discriminis inter sacrificia olim, & quæ ab Ezechiele descripta.*

Quid sit *vitulus de armento*, diximus suprà cap. 43. v. 22. pro *vitulo de armento*, Heb. est *vitulus filius vaccæ*, qui dicendi modus tenerum aliquid significat, sicut *hircus caprarum, pullus asinæ.* Hæc enim animalia, cùm tenera sunt, a matribus recedere non solent, quarum perpetuò sunt affixa lateribus, ex quibus primum hauserunt alimentum. 8.

Cur in Calendis, seu Neomeniis, id est, in primo mensis die, atque in Sabbatis sacrificia illa sint instituta, de quibus modò, attingam hic, sed breuiter ne nihil dicam, vt munus exigit D interpretis. In Sabbato, id est, in septima quaque luce sacrificia decreta sunt à lege, & à rebus agendis legitima vacatio; vnde dies illa Sabbatum, id est, quies appellatur. Quo tempore renouatur illius beneficij memoria, à quo homines habent res omnes creatas, quas non solùm ad vsus necessarios, sed etiam ad delicias adhibeant. Quare septimus quisque dies solennis est, & sacer; quia absoluta rerum creatione septima die requieuit Dominus ab vniuerso opere quod patrarat. Dies autem ille, qui tantum à Deo profectum beneficium agnoscit, sic erat solennis, & sacer, vt ab illo dies omnes vocarentur Sabbata; immò festa omnia, quæcumque forent, E Sabbati, cõpellarentur nomine. Sic docet Chrysostomus homil. 40. in Mat. Theophylactus, & Euthymius in cap. Lucæ 6. Et probat illud Leuit. 23. v. 24. vbi primus dies mensis septimi vocatur Sabbatum, festum videlicet tubarum; cùm tamen raro festum illud in Sabbatum incideret, quia primus dies mensis, primus est dies Lunæ. *Mense septimo, prima die mensis erit vobis Sabbatum.* & ibidem vers. 32. eiusdem mensis decimus dies, in quo expiationis festum peragitur, Sabbatum vocatur. *Sabbatum requietionis est.* Et in vniuersum de festis omnibus dicitur ibidem, *A vespera, vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* 9. *Dies Sabbati cur solenn. & sancti.* *Festa omnia vocata Sabbatum.*

De

10. De Calendis, seu Neomeniis alia ratio est, quæ etiam a Deo beneficium aliquod magnum recognoscit, beneficium nempe gubernationis vniuersi, qua Deus, quæ creauerat antea, conseruat, & regit. Ita S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10. Cur autem in Neomenia, i. in Nouilunio, hæc sacrificia in gubernationis beneficij memoriam sint instituta, rationes assignantur variæ. Vna est, quia exacto cuiusuis mensis, seu lunæ curriculo notabilis apparet, & inclinatio temporis, & rerum mutatio. Ita Lyra ad illud Numer. c. 28. de quo nuper, *In Calendis autem.* Et addit in Nouilunio potius, quàm in plenilunio hæc sacra fieri, aut illum diem magis esse notatum, ne quis putaret lunæ sacrificium illud, aut solennitatem impendi, quod faciebant Gentiles, & ad illorum imitationem nonnunquam Iudæi, quam Reginam appellabant cœli, vt habes non semel apud Ieremiam. Quare non est electum plenilunij tempus, cum magis a solari luce luna completur, ne illius splendor adorari videretur; sed nouilunij, quando vix luna habet quidpiam lucis; immò quando vix existimatur esse in rerum natura, sed potiùs in nihilum extabuisse.

Calēds, seu Neomenia cur festi dies.

Cur Nouilunij dies, & non plenilunij sacer sit.

Vers. 7. *Et ephi per vitulum.*] Hic nihil occurrit, quod interpretis lucem, & operam desideret; neque enim quicquam est, quod addi posse videatur, præter illud quod vers. 5. obseruatum est.

11. Vers. 8. *Cùmque ingressurus est Princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur, & per eandem viam exeat.*] Discrimen hic inter Principem, & turbam aliam popularem assignat. Princeps etenim diebus hisce solenníoribus, in quibus, vt vers. 1. vidimus, porta reseratur Orientalis, ad Orientalis portæ limen ascendit, ibique subsistit; & inde per eandem viam reuertitur, per illam nimirum, de qua proxime vers. 2. & per eandem viã, per quam ingressus fuerat, egreditur; secus de reliquis è populo, de quibus statim. Hæc mihi satis videtur expedita expositio; placet tamen illa magis, quæ putat solum Principem in atrium Israël, & populare intrare posse per Orientalem portam, vt rectà ad Oriẽtalem aliam portam, quæ est in Sacerdotum atrio, progrediatur, à qua iisdem repetitis vestigiis per Orientalem portam, per quam priùs intrauerat, exiret.

Porta Orientalis popularis atrij soli principi peruia.

12. *Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solennitatibus, qui ingreditur per portam Aquilonis, vt adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ.*] Ex his fit verisimile per Orientalem portam exterioris, seu popularis atrij vni tantùm Principi ingredi licere; quando reliquis è populo portæ aliæ videntur esse concessæ, Aquilonaris videlicet, & Australis. Edicitur nunc populo contra quàm permissum est Principi, vt per aliam ingrediatur, per aliam egrediatur portam: qui per Aquilonarem ingressus est, per Australem; & qui per Australem, per Aquilonarem peracta adoratione exeat: cùm tamen eadem Orientalis porta ingredientem, & exeuntem Principem excipiat. Ita cum Hieronymo alij complures ex interpretibus.

Portæ diuersæ pro populo, & principe.

13. Vers. 8. *Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingredietur, & cum egredientibus egredietur.*] Quidam ex Hebræorum magistris existimant in Calendis, & Sabbatis, eandem esse legem impositam tam Principi, quam populo, & vtrique tantùm Australem, atque Aquilonarem aditum petere, ita vt non idem, qui ingredientem admisit, recedentem excipiat. Verùm ex nostris plerique multo magis ad superiora consentaneè credunt, aliam viam Principi, aliam popularibus esse permissam; edicique Principi, vt quo tempore populus in templum ingreditur, ipse quoque cum populo ingrediatur; non tamen per eamdem portam, sed per suam, id est, per Orientalem. Illud *in medio eorum*, ex vsu Scripturæ idem est, quod *cum illis*, vel *inter illos*, quod tunc præstat Princeps, quamuis non sit à populari turba circumfusus, quando eodem tempore facit, quod alij faciunt.

Vers. 12. *Et in nundinis, & solennitatibus erit sacrificium ephi per vitulum.*] Idem pene præcipitur in nundinis fieri, quod proximè in aliis sacrificiis quoad ritum, modúmque sacrificandi. Immò ex omnium penè sententia hic traditur sacrificandi modus, qui in omnibus solennitatibus seruari debet, ille nempe, qui suprà præfinitus est. Ac si dicat, Dominus seruandam in aliis solennitatibus formam illam, de qua priùs; nempe vt cum vitulis singulis, & arietibus offeratur ephi similæ; cum agnis tamen pro cuiusque facultatibus, ita tamen vt à simila non separetur oleum; sed ad singula ephi, singula quoque hin adhibeantur. In nundinis festa omnia, atque solennitates intelliguntur, vt est communis omnium penè interpretum, & in his etiam Hieronymi sententia. Cur solennitates illæ præcipuæ dicantur nundinæ, ea videtur non aliena ratio: nam eodem modo ex toto Israële fiebant ad Solymitani templi sacrificia conuentus, quoad nundinas, id est, ad tempus mercimoniis, rebúsque contrahendis destinatum, frequentes fiunt hominum vndecumque terrarum concursus. 14.

Solennitates cur vocatæ nundinæ.

Vers. 12. *Cùm autem fecerit Princeps spontaneum holocaustum.*] Nihil arbitror hic definitur aliud, quam quod paulo antè vers. 1. vbi actum est de Principis holocausto, dictúmque aperiendam portam Orientalem popularis atrij, vt per illam ingrediatur Princeps ad Orientalem aliam portam sacerdotalis atrij, vt ad eius limen consistat interim, dum holocausti sacrificium peragitur. Duæ verò sunt Principis oblationes, altera pro Sabbato, atque Neomeniis; tunc autem, vt diximus vers. 4. 5. 6. & 5. Princeps aliquid cogebatur impendere in sacrificia, quæ diebus illis legitimo ritu immolabantur. Altera, de qua v. 2. quam nulla cogente lege, sed pro sua in Deum pietate, vltrò deferebat; tunc quoad sacrificandi modum, ea seruabitur forma, quæ paulo antè descripta. Sed additur, quod proximè vers. 2. vt eo die aperiatur Orientalis porta ad Principis ingressum, sicut in Sabbatis, ac Neomeniis de more fit; & peracta immolatione rursus obseretur. 15.

Vers. 13. *Et agnum eiusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino, semper mane faciet illud.*] Hieronymus hic, quem Dionysius sequitur, putat hoc loco definiri materiam holocausti, & pacificorum, quæ sponte oblaturus esset Princeps; neque enim speciatim de victimarum genere quicquam fuerat superiùs expressum. Sed sanè videntur durè ad hanc sententiam posse trahi, quæ proximè succedunt. Quare cum aliis id etiam oneris opinor imponi Principi, vt è duobus agnis, qui quotidie cremantur, alter mane, & alter vesperi (quod holocausti genus vocatur iuge sacrificium) alter qui matutino tempore immolatus, & 16.

Agnus quotidie oblatus à Principe in sacrificio iugi.

& ab igne consumitur, offeratur à Principe; alter curetur à Sacerdotibus, & afferatur aliunde. Ita putant Hugo,& Lyra,nisi quòd Hugo vtrumque agnum etiam vespertinum putat offerendum à Principe, quod nullo mihi probatur modo; satis enim expressè, neque id semel de agno secundùm matutinum tempus immolando,præcepta traduntur.

17. De immolandi ritu nihil definitur noui. In singulis, quæ offerri iubentur in holocausto illo matutino,& iugi,additur *semper manè*, aut, quod idem est, *cata mane mane*; quod mihi graue argumentum est, vt credam hìc nihil agi de agno vespertino, quòd quotidie immolatur; & quòd sacrificium illud spontaneum non est,quando & tempus definitur, & materia,quæ non satis cum spontaneo,& voluntario conueniunt. Illud *cata mane* distributionem sonat,id est,*per singula mane*. Est enim Græcè præpositio κατὰ, quæ res, quibus adiungitur, vniuersè distribuit, quomodo dicimus κατὰ μῆνα, κατ' ἔτος, καθ' ἡμέραν: per singulos menses, annos, dies. Vnde Hispanus sumpsit vocem *cada*, in eundem vsum; vt *cada-dia,cada mañana*. Eundem præstat vsum vox geminata, quæ vniuersalem distributionem significat. Quomodo suprà cap.14. vers.4. *Homo homo de domo Israel*, id est, quilibet homo, seu singuli homines. Vide quæ in illum locum obseruauimus.Et quidem hoc loco nulla vox est,quæ præpositioni κατὰ respondeat; sed tantùm particula *manè* geminatur. Heb.בבקר בבקר *baboker, baboker*, id est,*in mane,in mane*, quod duobus modis reddidit interpres,*semper manè*,& *cata mane mane*. Porrò sicut in Mosaica lege, vt diximus suprà ad vers.4. ex sententia Hieronymi nihil inuenitur de holocausto, quod in Calendis, & Sabbatis Princeps iubetur immolare; sic neque de hac oblatione, quæ ad quotidianum, & iuge sacrificium spectat. Cùm enim in Iudæorum statu magna facta sit rerum mutatio; sic etiam in sacrificiis obeundis, réque sacra administanda aliquid mutatum,aut modificatum oportuit.

Cata mane quid.

18. Vers.16. *Si dederit Princeps domũ alicui de filiis suis, hæreditas eius filiorum suorum erit.*] Hæc quoque in Mosaica lege non inueniuntur; adduntur tamen, quia sic exigebat noua ratio instauratæ reipublicę Iudæorum.Antequam huius loci explicationẽ aggredimur, præmisso opus est,quid de alienandis, reuocandisque possessionibus Leuit. cap.25. decretum sit,vbi seuerè cautum est, ne perpetuò ad alienos dominos hæreditas abeat; atque ideo tempus definitur, in quo vendita, seu quocumque modo ad aliorum vsus transmissa possessio ad priorem redeat possessorem. Tempus autem fuit Iubilæi, quod post exactum quinquagesimũ quemque annum reuocabatur. *Sanctificabis* (inquit ibi Dominus vers.10.) *annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse enim est Iubileus. Reuertetur homo ad possessionẽ suam,& vnusquisque rediet ad familiam pristinam.* Et vers.13.iterum, *Anno Iubilæi redient omnes ad posses-*

Hæreditas ad alienos dominos nõ poterat in perpetuum transferibi.

19. *siones suas*.In hac verò siue alienatione, siue reuocatione rei alienatæ, quædam erant dubia, quæ homines fortasse ante hoc tempus ad suam commoditatem iniquè, atque peruersè contorquebant; quæ ne fierent postea republica ad meliorem formam instaurata, Dominus aut nouam legem condit, aut certè renouat, & interpretatur antiquam. Ac primùm, sicut Principibus rationem sacrificiorum edocuit; & quid in eam curam ab ipsis prouisum oporteret edixit.Sic nunc quid in rebus aut donãdis, aut alio modo distrahendis seruandum sit,ostendit. Et primùm inter filios, & seruos; seu etiam alienos id voluit esse discriminis. Nam si quid à Principe donatum est filiis,id illis voluit esse perpetuum; si quid verò seruis,aut iis qui alieni sunt à familia, statuit, vt cùm primùm annus remissionis, seu Iubilæi reuerteretur; ad Principem, Principisve familiam postliminio rediret.

Vers.18. *Et non accipiet Princeps de hæreditate populi per violentiam*,&c.] Aliud hoc præceptum est, quo Deus popularibus cautum esse vult à Principum potentia:ne videlicet per vim ex popularium bonis sibi vendicet;quo suis,filiorúmve commodis inseruiat. Et ideo statuit vt è sua hæreditate possit aliquid legare,seu donare filiis, quod illis proprium futurum sit, atque perpetuum; & ne Principis attenuentur opes;si prodigus esse velit in alienos, iubet vt quæ ad alienos vsus translata sunt, statuto à lege tempore ad Principem reueniant. 20.

Vt non dispergatur populus meus vnusquisque à possessione sua.] Duas hìc ego explicationes inuenio, quæ alienæ non videntur à textu.Altera est,prohiberi Principem,ne possessionem à popularibus auferat; ne hæreditatem acceptam à parentibus, & certis quibusdam ascriptam familiis, ad alienas familias traduci contingat.Quod Leuit. cap. 25. spectasse videtur legislator Deus, dum dicit, *Reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque rediet ad familiam pristinam.* Cùm enim per sortes cognoscerentur familiæ, qui sortem possidebat alienam,alienæ putabatur esse familiæ. Quare id cauet Dominus, ne aliquis à sua possessione dispergatur, id est, ne à paterna hæreditate deiectus,aut ius,aut nomen videatur amisisse cognationis suæ. 21.

Hæreditas cur ad alienas familias nõ traducatur.

Altera ratio est,quia homines libentiùs,atque constantiùs in eo loco hærent,vbi aliquid habét perpetuum,& proprium,& quod quantumcumque cupiant, in perpetuum tamen abdicare non possunt. Si hæc abstuleris, non facilè homines continebis,quin sedes relinquant patrias; & si se alibi spes ostentet lucri,migrent in alienas. Sanè Iudæi apud Babylonios captiui ægrè ferebant ab his diuelli, quæ sibi apud Babylonios pararant, atque ideo illorum plurimi maluerunt inueterascere in alieno solo, quàm ad proprium reuerti. 22.

Vers.19. *Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portæ in gazophylacia sanctuarij ad Sacerdotes.*] Actum est iam de sacrificiis, & sacrificali ritu;nunc de aliis sermonem aggreditur, quæ immolationis opus consequuntur; de culinis videlicet, vbi Sacerdotes illa coquent, quæ ad ipsorum vsum sumuntur è victimis. Et primùm illarum locum ostendit,qui erat in atrio sacerdotali in Aquilonari latere,ad eam partem, quæ vergit ad Occasum, procul nimirum ab Orientali porta. Sanctuarium verò hìc non est tabernaculum, seu domus Domini; sed atrium sacerdotum, quod ideo Sanctuarium vocatur, quia in illud nihil admittitur nisi sacrum, victimæ nempe, atque personæ sacræ. Atque ita Septuaginta vertunt,*In exedram sanctorum sacerdotum.* Chaldæus, *In gazophylacia sacra sacerdotum.* quod non obscurè significat vulgata translatio, dum ait, *gazophylacia ad sacerdotes*, quod apertè designat atrium sacerdotale, quia in eo tantùm erant gazophylacia Sacerdotum. 23.

Sacrificiorũ carnes vbi coquendæ & comedendæ à Sacerdotibus.

Vers.20. *Iste est locus, vbi coquent Sacerdotes pro peccato,* 24.

peccato, & pro delicto.] Ex victimis quædam omni- A
no cremabantur, quæ dicebantur holocausta, ex
quibus pars nulla ad sacerdotem pertinebat: ex
aliis partes quædam in sacerdotum vsum con-
ferebantur, vt in hostiis pacificis; in sacrificiis
pro peccatis, & pro delictis, de quibus Leuit. cap.
26. & cap. 27. Vide Riberam lib. 4. de templo. c. 6.
Quæ ergo ex victimis ad sacerdotum vsum le-
ges destinabant sacrificales, ad locum illum de-
ferebantur, vbi culinæ erant, in quibus coque-
rentur.

25. *Et non efferant in atrium exterius & sanctificetur po-
pulus.*] Sicut suprà cap. 44. vers. 19. prohibuit
Deus, ne ad populare atrium progrederetur Sa-
cerdos in veste sacra, ne sanctificaretur populus:
sic etiam nunc vetat, ne ex sacris victimarum B
carnibus quicquam efferatur in atrium exterius,
ne populus sanctificetur. Sanctificari hoc loco
quidam existimant sanctum fieri, & quodammo-
do sacrum, quicquid carnes illas tangeret, aut
aspiceret. Ita Maldonatus. Rab. Dauid, sanctifica-
ri dicit populum, non quidem reuera, sed sua o-
pinione; quasi dicat opinaturum esse profanum
populum se esse sanctum, quandoquidem sancta
tangit, aut sibi sancta cum sacerdotibus putat es-
se communia. Ego potiùs crederẽ *sanctificare* hoc
loco, idem esse quod *contaminare*; fieri enim so-
let, vt rerum sacrarum attactu aliquis censeatur
immundus, licèt alioqui res illæ sacræ vim ha- C
beant expiatoriam, vt de sacrificio pro peccato
constat Leuit. cap. 6. v. 25. *Ista est lex hostiæ pro pec-
cato, &c. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto,
in atrio tabernaculi: quicquid tetigerit carnes eius, san-
ctificabitur; si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, la-
uabitur in loco sancto. Vas autem fictile, in quo cocta est,
confringetur; quòd si vas aneum fuerit, defricabitur, &
lauabitur aqua.* Ex hoc loco habes victimarum
carnes à sacerdotibus comedendas esse in taber-
naculo, & in vase fictili, vel æneo coquendas.

Sanctifico, idem interdum quod polluo.

26. Hoc idem dixit Deus Numer. cap. 18. v. 9. *Omnis
oblatio & sacrificium, & quicquid pro peccato, atque de-
licto redditur mihi, & cedit in Sancta sanctorum, tuum
erit, & filiorum tuorum: in sanctuario comedes illud.* Ha- D
bes præterea pollui quicquid carnes illæ expia-
trices tetigerint: nam licèt aliquibus videatur,
ideo ablui iuberi quicquid caro, aut sanguis vi-
ctimarum imbuerit; ne id quod ex attactu san-
ctum fit, ad vsus traducatur communes, & pro-
fanos; sicut nunc in Ecclesia, quæ sacris ministe-
riis seruierunt, vbi vetustate attrita sunt, & inu-
tilia, abolemus potius flammis, quàm ad profana
ministeria conuertimus. Sed sanè nimis videtur
seuera lex, quæ vas fictile confringi iubet, nisi
aliquid traheret à victima, propter quod indi-
gnum videretur postea sacro ministerio. Et qui-
dem de vacca rufa nemo dubitabit, quæ cùm
vim habeat expiatoriam; suo tamen contactu E
aliquando contaminat, Numer. c. 19. Nam vers. 7.
de sacerdote, qui vaccam illam immolauit, dici-
tur, *Lotis vestibus, & corpore suo ingredietur in castra,
commaculatúsque erit vsque ad vesperum. Sed & ille
qui combusserit eam, lauabit vestimenta sua, & corpus, &
immundus erit vsque ad vesperum.* Idem dicitur de
eo, qui expiatorios vaccæ portauerit cineres
vers. 10. Accedit, quòd verbum *sanctifico*, idem in-
terdum in Scriptura valet, quod polluo. Deut. 22.
v. 9. *Non seres vineam tuam altero semine, ne & semen-
tis, quam seuisti, & quæ nascuntur ex vinea, pariter san-
ctificentur*, id est, polluantur. Sic ergo puto homi-
nes ex tactu, aut etiam ex conspectu sanctificatæ
carnis censeri pollutos.

Quæ sacra sunt ea interdum tactu suo polluunt.

Vers. 21. *Et eduxit me in atriũ exterius, & circũdu- 27.
xit me per quatuor angulos atrij, & ecce atriolum, &c.*]
Victimarum aliqua pars ad turbam quoque pro-
fanam pertinebat, vt Leuit. cap. 7. dicitur de ho-
stia pacifica, & hoc loco ostenditur manifestè
vers. 24. vbi coquendæ dicuntur à ministris do-
mus victimæ populi, id est, illæ victimarum car-
nes, quæ pertinebant ad populum. Quod docuit
Theodoretus q. in c. 7. Leuitici, vbi cùm præce-
ptum esset ne pacificæ hostiæ esus in tertiũ pro-
traheretur diẽ, eiúsque causam quæreret, respõ-
dit: *Vult eos nõ solos epulari, sed etiã egenis de carnibus
elargiri. Idcirco prima quidem, & secunda die de carni-
bus illis sumere iubet, & quæ superfunt igni mandari, vt
necessitate compulsi pauperes conuiuij sui socios habeant.*
Idem penè Philo in libro de victimis. *Victimarum,*
inquit, *partes non sunt in penum retrudendæ, sed in me-
dium proponendæ omnibus indigentibus. Iam enim sunt
non offerentis, sed eius, cui litatum est, qui cùm sit benefi-
cus, ac munificus, vult conuiuis vocatis communicari
suum epulum.* Pro his igitur epulis coquendis, e-
dendísque institutæ erant culinæ, atque triclinia
in quatuor angulis exterioris, seu popularis atrij,
de quibus modò.

Sacrificiorũ carnes pro populo vbi coquebãtur.

Atriola singula per angulos atrij.] Quadratum 28.
erat populare, siue profanum atrium, in cu-
ius angulis, id est, remotissimis locis secessus
erant ab aliorum statione separati, eiusdem o-
mnes mensuræ longi quadraginta cubitis, & tri-
ginta lati, quos paries interpositus ab area, & à
reliqua turba secludebat.

Vers. 23. *Et culinæ fabricatæ erant subter porticus 29.
per gyrum.*] *Subter, subtus*, & similia non semper va-
lent id, quod omninò suppositum est; sed inter-
dum id quod est ad rei alicuius inferiorum par-
tem: quomodo dicimus illum esse sub muro,
qui se ad inferiorem muri partem applicuit; &
sub arbore esse, qui ad radices, seu imam trun-
ci partem consedit. Sic ergo culinæ istæ aut
esse possunt ad inferiorem partem muri, quo
definitur atrium; aut in imis porticibus; seu in
subterraneis cryptis, quæ sub porticibus erant.
Et hoc mihi videtur verisimilius, quia minus
id videtur decere tanti loci maiestatem, vt ibi
omnium proponeretur oculis, in loco splendi-
do, ac verè regio, quòd homines in priuatis do-
mibus ab aliorum oculis summouere solent. I-
tem quia non aptè apud lautos, & elegantes ho-
mines cum tricliniis, seu cænatoriis cubiculis
culinæ conueniunt, quæ esse prope culinas do-
cet hîc Hieronymus. Quare in posteriorem
hanc partem magis inclinat animus. Multa
hîc Hebræorum magistri tam de culinis, quàm
pariete, qui quatuor obuallabat atria; quæ quia
minùs mihi videntur ad rem, prudens omitto.

Culina pro cibis popularium.

IN CAP. QVADRAGESIMVMSEPTIMVM.

ARGVMENTVM.

PRIMVM videt Propheta aquas scaturientes è sanctuario, quæ sensim magna accipiunt incrementa, vsque adeò vt vado transmitti non possint. In quibus & Baptismi, & Euangelicæ doctrinæ vis significetur, & fœcunditas. Quæ verbis exprimuntur grauibus, & illustri quodam genere orationis; cum allusione, vt videtur ad mare mortuum, cuius sanandæ dicuntur aquæ; & aliæ omnes, in quas fluuius ille sacer, & mysticus influxerit. Cùm iam multis egisset de templo, ac de his quæ aliquo modo ad templi vsum, ac ministeria pertinent, traducit tandem sermonem ad ciuilem, ac publicam populi œconomiam. Ne postquam ex exilio redierint Iudæi, aliquid controuersum habeant, & implexum. Quare quatuor promissæ terræ plagas suis locis, finibusque discriminat, ac docet in illis cuilibet æqualem tradendam esse sortem, etiam iis qui ex alieno semine sese Iudæorum generi, ac sacris addixerunt.

CAPVT XLVII.

1. ET conuertit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem: facies enim domus respiciebat ad Orientem: aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris.

2. Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, & conuertit me ad viam foràs portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem: & ecce aquæ redundantes à latere dextro.

3. Cùm egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, & mensus est mille cubitos: & traduxit me per aquam vsque ad talos.

4. Rursúmque mensus est mille, & traduxit me per aquam vsque ad genua:

5. Et mensus est mille, & traduxit me per aquam vsque ad renes. Et mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transuadari.

6. Et dixit ad me: Certè vidisti fili hominis. Et eduxit me, & conuertit ad ripam torrentis.

7. Cúmque me conuertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex vtraque parte.

8. Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad

PARAPHRASIS.

A 1. CVm iam quæ ad sacerdotale atrium spectabant, per otium essem contemplatus; reduxit me iterum Angelus ad portam tabernaculi. Tunc verò primùm mihi visæ sunt aquæ sub limine exire tabernaculi, & Orientem versùs illabi à latere templi dextero, meridianámque partem altaris holocausti.

2. Inde eduxit me per viam Aquilonarem extra templum ad portam orientalem extimam; & ecce aquæ ab imo tabernaculi limine exortæ à latere dextro, defluebant.

B 3. Progressus ergo Angelus, qui mensorium in manu funiculum gestabat, ad orientalem plagam; cùm mille cubitorum spatium esset emensus, toto illo tractu fluuius ille sacer talos non excedebat.

4. Deinde cùm metiendo alios mille cubitos percurrisset, inuenit vsque adeò excreuisse, vt sese ad genua vsque fluuius attolleret.

5. Cùm alios mille cubitos rursus esset emensus, illa iam incrementa fluuius acceperat, vt ab aquis tantùm renes extarent; cùm mille alios cubitos esset progressus, ea iam erat gurgitis altitudo, vt vado transiri non posset. Sic enim vasta aquarum mole torrens intumuerat, vt non esset hominum vestigiis permeabilis.

C 6. Tunc ad me Angelus: Quæ vidisti, ô fili hominis, ea tecum iterum, ac sæpius expende; & pòst à contemplanda aquarum profunditate, ad spectandam fluminis ripam traduxit.

7. Statim ad vtramque torrentis oram oblata est mihi multitudo arborum immensa

8. Tunc rursus Angelus ad me: Aquæ istæ,

ad tumulos sabuli Orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ.

A istæ, quas è tabernaculo erupisse vides, quæque ad ripas ex alueo, vt fluuiorum mos est, vastos aduoluunt arenarum cumulos, ad Orientale mare, mare videlicet mortuum, procurrent; deinde se per deserti planitiem latè diffundent. Intrabunt mare, exibúntque, & salsis permixtæ, ac dominatæ fluctibus, quicquid pestilens, ac mortiferum est, ab illis auferent.

9. Et omnis anima viuens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, viuet: & erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & viuent omnia, ad quæ venerit torrens.

9. In Orientali mari, ac mortuo nihil erat viuum; at postquam illuc sacer, ac salutaris torrens influxerit, omne animal
B aquatile viuet: sicut etiam aliis in locis, quæ fluuius ille salutaris attigerit. Immò & copiosa illic erit piscatio, postquam illuc se fluuius infuderit, & ab aquis vis alia pestilens excesserit.

10. Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi vsque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ:

10. Quia ergo ibi erit, & aquæ suauitas, & lucrosa piscatio, concurrent eò piscatores multi; ibi latè sagenæ siccabuntur, post capturam ab Engaddi vsque ad Engallim: neque plura erunt piscium genera in mari magno; neque frequentia maior.

11. In littoribus autem eius, & in palustribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur.

C 11. Aquæ verò, quæ intra sacri fluminis alueum non influxerint, quales sunt, quæ in littoribus, locísque palustribus stagnantur, neque amittent pestilentem vim, neque grauem anhelitum; sed aquæ dicentur mortuæ, vtpote quæ à mari mortuo; & in salem concrescent, vtpote quæ à mari salsissimo.

11. Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per singulos menses afferet primitiua, quia aquæ eius de sanctuario egredientur: & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.

12. Longè aliæ erunt huius fluminis ripæ, quàm maris mortui, vbi horribilis species, & arbores infrugiferæ. Ad huius etenim fluminis margines hinc inde na-
D scentur pomifera ligna perpetua foliorum viriditate vernantia, suis continenter fructibus onerata, singulis mensibus recenti superfœtabunt prouentu. Hæc verò tam pulchra species, atque fœcunditas ex eo proueniet, quia illis rigabuntur aquis, quæ ex sacris penetralibus exundant. Fructus corpus alent, roborabúntque, & frondes vendicabunt à morbo.

13. Hæc dicit Dominus Deus: Hic est terminus, in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel: quia Ioseph duplicem funiculum habet.

13. Hactenus de templo, ac de his quæ ad templum quoquomodo pertinent:
E nunc de aliis agendum, quæ ad ciuilem spectant œconomiam. Hi sunt, inquit Dominus, fines, quos in terra promissionis occupabitis ab exilio reuersi; qui in duodecim sortes pro totidem familiis, & tribubus diuidentur. Nam licèt tribus Leui nullum sit habitura funiculum; erunt tamen constituendæ duodecim; quia Ioseph duarum sortium spatia quondam obtinuit.

14. Possidebitis autem eam singuli æquè vt frater suus; super quam leuaui manum meam vt darem patribus vestris, & cadet terra hæc vobis

14. Hæc terra vobis iterum possidenda dabitur, quam ego quondam patribus vestris, interposita iurisiurandi fide, habitandam

vobis in possessionem.

A bitandam promisi. Ita tamen illam obtinebitis, vt in suo cuique funiculo sors attribuatur æqualis.

15. *Hic est autem terminus terræ: ad plagam Septemtrionalem, à mari magno via Hethalon, venientibus Sedada,*

15. Tota terra his in vniuersum finibus circumscribitur. Plaga septemtrionalis à mari mediterraneo, quæ ab Hethalon ducit ad Sedada.

16. *Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci & confinium Emath, domus Tichon, quæ est iuxta terminum Auran.*

16. Continet Emath, Berotha, Sabarim, quæ media est inter Emath, Damascique confinia; & Chesertichon, quæ clauditur finibus Auran.

17. *Et erit terminus à Mari vsque ad atrium Enon terminus Damasci, & ab Aquilone ad Aquilonem terminus Emath, plaga Septentrionalis.*

B

17. Terminus verò totus Aquilonaris erit à mari vsque ad Enon, vbi est Damascus, & terminus Emath, quæ Aquilonarem plagam definiunt.

18. *Porrò plaga Orientalis de medio Auran, & de medio Damasci, & de medio Galaad, & de medio terræ Israel, Iordanis disterminans ad mare Orientale, metiemini etiam plagam Orientalem.*

18. Plaga orientalis sic erit à vobis describenda; vt ab Auran, atque Damasco, regionéque Galaaditide, qua mediam terram Israel Iordanis interfluit, & ad mare vsque orientale, id est, mortuum progreditur, totum orientalis lateris spatium procurrat.

19. *Plaga autem australis meridiana à Thamar vsque ad aquas contradictionis Cades: & torrens vsque ad mare magnum: & hæc est plaga ad Meridiem australis.*

19. Australis verò plaga à Thamar ad aquas vsque contradictionis extendetur, vbi est Cades; & torrens Rhinocurara vsque ad mare magnum.

C

20. *Et plaga Maris, mare magnum à confinio per directum, donec venias Emath: hæc est plaga Maris.*

20. Latus autem occidentale, quod ad alteram mediterranei maris regionem pertinet, à confinio Australis plagæ directò porrigitur, vsque dum attingat fines Emath.

21. *Et diuidetis terram istam vobis per tribus Israel:*

21. Quicquid autem his terminis circumscribitur, ita distribuetis, vt nullam ex familiis Israel exortem relinquatis.

22. *Et mittetis eam in hereditatem vobis, & aduenis, qui accesserint ad vos, qui genuerint filios in medio vestrûm: & erunt vobis sicut indigenæ inter filios Israel: vobiscum diuident possessionem in medio tribuum Israel.*

22. Distribuetis ergo sortitò hæreditatem hanc tam vobis, qui genus ducitis ab Israel, quàm proselytis, qui vestræ se religioni sociarunt; & filiis inter vos aucti sunt, & familia, quos eodem habebitis loco; atque si vobiscum nati, & ex eodem semine prognati forent. Quare suas quoque sortes inter Israelitas obtinebunt.

D

23. *In tribu autem quacumque fuerit aduena, ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus.*

23. Cùm autem aduenæ illi, atque alienigenæ nullum habeant in Israel definitam tribum, cui ascribantur; in illa tribu possessionem accipient, in qua illos habitare contigerit, dicit Dominus.

Vers.1. *Et conuertit me ad portam domus.*]

1. DVo mihi hoc loco persuadent, sermonem hîc esse de sanctuario, seu tabernaculo, tum quia hoc propriè dicitur domus Dei; tum quia absolutè dicitur porta, neque significatur, in quam portam spectet. Quod sanè non fieret, si de atrio profano, aut sacerdotali hæc essent accipienda; cùm hæc atria tres habeant portas, de quibus à

E

nobis sæpius actum est. At sanctuarium vnam habet portam ad Orientalem plagam: quare satis fuit nominasse portam, sine vlla particulari nota.

Et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem.] Maldonatus hoc limen esse putat interioris partis domus, quæ oraculum dicitur, de cuius porta, atque vestibulo suprà cap.41. Idem putant 2.

putant Hebræi, quos sequūtur Dionysius, & Lyra. Plures alij de limine tabernaculi accipiunt. Neque vlla è textu ratio apparet, cur de alterutrius limine magis egressurus sit riuus ille exundantis aquæ, modò egredi de sanctuarij limine fateamur. Nam vtrumque limen ad Orientem spectat, & infrà vers. 12. aquæ de sanctuario dicuntur egressuræ.

3. *Aqua autem descendebant ad latus templi dextrum ad meridiem altaris.*] Ante vestibulum templi erat, vt vidimus, altare holocausti, ad eius dextrum latus labebantur aquæ, quæ è sanctuario, tanquam è suo capite defluebant; id est, versùs meridianam templi regionem: nam egredientibus è sanctuario, sicut egreditur aqua à dextris, B est meridiana plaga.

4. Antequam plura de hac aqua hieroglyphica dicamus, aliqua priùs præmittamus oportet, de illius significatione mystica; ad quam quæ in illo rudi cortice inclusa latent, referantur. Et primùm obseruo illud, *subter limen domus*, significare vmbram aliquam, siue typum, in quo corpus continetur, & veritas. Vt in simili propè casu diximus in nostris commentariis in Zachariam cap. 6. v. 12. vbi in Iesu sacerdote filio Iosedech gemina redimito corona; quæ dignitatem sacerdotalem, & regiam portendebat, Iesum seruatorem sacerdotem, & Regem adumbrari diximus. *Ecce*, inquit, *oriens nomen eius, & subter eum orietur.* C Sub Iesu sacerdote, qui multis modis vmbra fuit Christi, orietur, seu prodibit Iesus seruator. Qua ratione aliquid, quod sub vmbra latuerat, in lucem prodire, aut euocari dicitur.

5. *Baptismi Typus.* Cùm autem in templo multa essent, quæ venturum Christum adumbrarent, promitterentque, puta oblatæ victimæ, sanguis effusus, ignis perpetuo ardens, & iuge sacrificium: tamen hîc piacularis aqua Baptismi significatur; quia & hæc Christi agni immaculati sanguinem adumbrat, vt Maldonatus putat, & cum illo nonnulli alij. Sed plerique de doctrina Euangelica hæc accipiunt cum Hieronymo, & Theodoreto, quæ egressa dicitur è sanctuario; nempe ab eo, qui D templum verum fuit, & vera victima, cuius sanguine mundatus est orbis. *Euangelij Typus.* De hac aqua munda, atque vitali; siue de Baptismo, siue de Euangelica doctrina, siue etiam de sacra Scriptura capias, vt cum Hieronymo sentiunt complures alij, multa sunt, eaque maximè illustria Scripturæ sacræ testimonia. Isaias cap. 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Et iterum cap. 11. v. 9. *Repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientur.* Ioel. cap. 3. *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.* Zacharias cap. 14. v. 8. *Exibunt aquæ viuæ de Ierusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouissimum.* Idem Ezechiel supra cap. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ad hæc igitur Euangelici temporis, & doctrinæ sacræ fluenta, mysticos huius hieroglyphici fontis sensus accommodabimus. E Neque tamen omittemus, quid hinc sibi sumat restituta Iudæorum respublica, quæ tanquam vmbra quædam obscura splendenti Euangelij, & cælestis doctrinæ luci substernitur.

6. Vers. 2. *Et conuertit ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem.*] Eduxit Angelus Prophetam extra templum ad portam Orientalem extimam, per quam primùm fuerat ingressus, vt inde spectaret, réque ipsa experiretur, quanta foret illius sacri gurgitis altitudo. Porrò illud *foras*, Heb. ץוחה *chuz*, aut præpositio est, aut vsum hic habet præpositionis, & ita vertit Pagninus, *extra portam* extrinsecus.

Et ecce aqua redundantes à latere dextro.] Est qui 7. putet sacras illas aquas, quæ a latere dextero altaris erumperant, reflecti rursus ad templum, ibique in eam altitudinem attolli, de qua statim. Quod planè quomodo verum censeri possit, non video. Nam neque tanta erat atriorum amplitudo, vt toties replicatam mille cubitorum mensuram capere potuerit, & multa, quæ statim de sacro illo torrente dicuntur, in illud templum, aut templi ambitum nullo modo conueniunt. Sed reuera quicquid sit, aut oculis propheticis obiicitur, extra templum fit, vbi sese prodit & Euangelici temporis vbertas, & doctrinæ cœlestis immensa profunditas. Quod spectauit, credo, primùm diuinus spiritus, ita tamen vt rem quoque Iudaicam, quæ excitato templo plurimum amplificata est, huic veritati, tanquam vmbram, & typum supposuerit. Quare in singulis exponendis spectabimus quid primùm ad vmbram, deinde quid ad veritatem maximè pertineat.

Et primùm obseruo per Aquilonarem portam eductum esse Prophetam ab Angelo, vt conuersus ad Orientalem portam exundantes aquas intueretur, quæ à dextro latere, id est, ab Australi plaga, fundebantur. Vbi egregium sese ostentat symbolum Iudæorum fortunæ, quæ vt fuit in Aquilonari plaga apud Babylonios; sic etiam ab Aquilone frigido durè admodum iactata est. Cùm ergo Iudæi ab Aquilone euocantur, ab Austro, id est, à Meridionali plaga, torrentem vident fœcundæ, atque exuberantis aquæ; id est, felicitatem, & copiam, quæ præteritæ sterilitati, atque ærumnis opponant. Notum est Aquilonem ventum esse perfrigidum, & humanis commodis inimicum; contrà Austrum ventum esse clementem, qui suo tepore laxat, atque diffundit, quæ glacies ab Aquilone contraxerat, vestitque floribus agros, quos Aquilo, & hyemalis asperitas ab omni nudarat ornamento. Hinc Cant. cap. 4. iuxta horum ventorum naturam, quo mitiora sint omnia, optat sponsus, vt abeat Aquilo, & ab Austro perflet aura benignior, *Surge Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meum.* Vide quæ nos ad illum locum in nostris commentariis.

8. *Felicitatis Iudæorum post exilium Typus.*

De tempore Euangelij, ac gratiæ multo hæc 9. meliùs accipi, & amplificari possunt, quia & tempus præcessit multo ærumnosius, & terra talia patiebatur, qualia ea mundi pars, quæ sub Aquilone riget. De qua Solinus cap. 20. *Damnata pars mundi, & a rerum natura in nubem æterna caliginis mersa, ipsisque prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima. Sola terrarum non nouit vices temporum, nec de cælo aliud accipit, quàm hyemem sempiternam.* Hæc, meo iudicio, si vllo apud profanos optima descriptio est ærumnosi sæculi, quod Euangelium præcessit. Cui postquam splendor affulsit Euangelicus, discussæ sunt tenebræ, & ager antea macer, ac sterilis, fœcundis irrigatus aquis, fructus tulit mirificos. Hæc tempora spectabat Isaias, cùm cap. 9. v. 2. cecinit, *Populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.*

Felicitatis Euangelicæ Typus.

10. Vers. 3. *Cùmque egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, mensus est mille cubitos, & traduxit me per aquam vsque ad talos.*] Magnum aliquid est, quòd in suo progressu sacer hic fluuius in tam exiguis spatiis tam grandia, támque diuersa

Magna post exilium accessit ad Iudæorum religionem.

diuersa capit incrementa. Quæ si de instaurata Hierosolyma interpretemur, constat ad illam magnos omnium Gentium, atque ordinum factos esse concursus, ita vt qui exiguus videbatur, & infirmus populus, in amplissimum, & magni nominis imperium euaserit. Quanta Gentium multitudo ad Iudæorum religionem accesserit, postquam ab exilio soluti sunt, diximus in nostris commentariis in Zachariam ad illud cap.8. *Vsquequo veniant populi, & habitent*!

In ciuitatibus multis.] Et quidem de primis restitutæ reipublicæ temporibus, nempe septimo post reditum mense, scribitur Esdræ lib.3. cap.5. *Conuenerant ibi ex aliis nationibus terræ: & erexerunt sacrarium in loco suo omnes Gentes terræ, & offerebant hostias, & holocaustomata Domino matutina.* De his quasi alluuionibus, quibus exiguus ille Iudæorum ritus excreuit, est quod reliquum est capitis Zachariæ, vide quæ nos ibi pluribus.

11. *Per Euangelium Ecclesia magna suscepit incrementa.* De his autem incrementis, quæ in Ecclesia suscepit Euangelicus torrens, qui priùs videbatur exiguus; multo hæc meliùs explicari possunt, qui breui sic est quotidianis accessionibus auctus, vt à talis ad genua, & inde ad renes ascenderit, & tandem sic intumuerit abundanter, vt non nisi natatu, aut nauigatione transmitti potuerit. Poterant sanè in principio numerari quos sibi filios pepererat Euangelium, cùm riuus ille talos tantùm attingeret; postea longè difficiliùs crescente discipulorum numero vsque ad genua, cùm ex circumiectis prouinciis, noua quotidie fieret accessio. Tunc deinde vsque ad renes, cùm è remotis etiam regionibus, potentes etiam homines Christiana amplecterentur sacra. *Transmare progressum Euangelium.* At postquam Euangelium transmisit maria, & Regna latissima in suum sibi gremium adiunxit, intumuerunt torrentis aquæ, neque possunt transuadari. Quòd si vllo vnquam tempore, nostro maxime sæculo, quod ea in re fortunatissimum est, quia ad vltimos vsque terræ fines, & ignotas ante regiones Euangelicæ lucis splendor penetrauit. Quæ de Euangelio dicimus, de Baptismo eadem censeri possunt, quia Euangelicus sermo Baptismo tingit, & lustrat quos adiungit Ecclesiæ; & torrenti immergit, & priores spiritus suffocat, vt nouos ingeneret, vt regenerati in nouam creaturam, & Christo viuant, & sibi moriantur.

Hæc porrò tanta felicitas, atque abundantia, ex vsu Scripturæ per aquarum copiam explicari solet. Sic Isaias de hoc ipso tempore, atque argumento cap.66. v.12. *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis.*

12. *In sapientia quo progressus.* Si tamen torrens sit sapientia, aut diuina mysteria, quæ de sanctuario egrediuntur, variè accommodari potest, & institui mysticus sensus. Vide Gregorium lib.12. Moral. cap.12. vbi latè, ac bene docet quomodo quis in Sapientia crescat, & quibus ad illam gradibus enitendum sit. Vbi post alia multa, ait de torrente, qui transuadari non potest. *Perfecta namque perfectione operis ad contemplationem venitur. In qua scilicet contemplatione, dum mens in altum ducitur, sublenata videt in Deo, quia non potest penetrare quod videt. Et quasi tangit aquam torrentis, quam pertransire non valet, quia & intuetur speculando quod libeat; & tamen hoc ipsum perfectè non valet intueri quod libet. Propheta ergo quandoque ad aquam peruenit, quam non pertransit, quia ad contemplationem sapientiæ, cùm ad extremum ducimur; ipsa eius immensitas, quæ ex se hominem sublenat, ad se humano animo plenam cognitionem negat; vt hanc & tangendo amet, & tamen nequaquam pertranseundo penetret.*

13. *Scriptura sacra pro funditas.* Qui profunditatem hanc impermeabilem Scripturam sacram esse putant, in ea agnoscunt aliquid non difficile, quod cognoscere queat quilibet hominum, qualia sunt Decalogi præcepta, & hæc non attolluntur supra talos, id est, supra communem hominum captum. Alia sunt paulo obscuriora, quæ genua, & renes attingunt, quæ intelligunt adhibito aliquanto studio ingenia paulo magis exculta. Alia sic se supra humanum captum extulerunt, vt neque ab acutissimis ingeniis comprehendi possint. Qualia sunt altissima fidei nostræ mysteria, quæ spectare quidem possumus, penetrare non possumus: sicut spectabat Propheta profundum illum torrentem; transuadare tamen neque audebat, neque poterat altissimo illius gurgite deterritus.

14. *Qualis in virtute progressus.* Alij hìc in varia torrentis altitudine varios agnoscunt hominum gradus, qui in virtutem de virtute progrediuntur, donec videatur Deus Deorum in Sion. Illorum talos hæc aqua contingit, qui in Dei mandatis pedes posuerunt, quíque ambulare dicuntur in lege Domini. Alij mille progressi cubitis genua tingunt aquis de sanctuario, qui manus dissolutas confirmant, & genua roborant debilia, qui nempe ad præcepta, consilia quoque Euangelica adiungunt. Alij longiùs prouecti ad renes vsque se fluctibus immergunt. Hi verò sunt, quorum renes vrit spiritus sancti flamma, qui casto corpore seruiunt Deo, & pura mente placent; qui castitatem colunt, & illius candore nitentes statum imitantur angelicum. Postremi sunt, qui se supra humanos sensus sic extulerunt, vt à seipsis prorsus abiisse, & in beatorum statum, & spiritualem naturam migrasse existimentur. Hi iam ad illam euecti sunt altitudinem, quam traiicere non possunt, id est, cognoscere, qui eadem experti non sunt: sicut qui sensus, ac cogitationes alligatas habent corpori, beatorum sensus assequi cogitando, ac meditando nequeunt. *Quia neque oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* 1. Cor.2. v.9. Alias morales expositiones adducit hìc Hieronymus, quas latè persequitur tanto Doctore dignas, quas tu vide.

15. Vers.6. *Certè vidisti fili hominis.*] Hoc dicendi modo iubet Prophetæ Dominus, vt attentè consideret, retineátque memoria, quæ vidit. Ac si dicat, reputa tecum, atque iterum, & sæpius expende, quæ vidisti omnia; magnum enim aliquid est, quod vides; neque minus mysteriis, quàm aquis abundans.

16. *Et eduxit me, & conuertit ad ripam torrentis.*] Aquarum hactenus gurgitem ostenderat; nunc iam oculos iubet ad ripam conuertere: neque enim minus est mysteriorum in ripa, quàm in alueo.

17. Vers.7. *Ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex vtraque parte.*] Apparet iam fructus, quos aqua illa producit in ripis, quas alluit, & fœcundat; vtrinque enim felices, & virentes arbores sacrum illum torrentem coronabant. Sanè hic Euangelij fructus est, & lustralis, ac baptismalis aquæ, cui incubans spiritus vitalem, atque fœcundam reddidit. Neque alium fructum sapientia gignit, quæ è sanctuario manat, id est, quæ è sursum est. Hæc enim terram implet plantis cœlo dignis; hæc ad sterilium arborum radices securim admouet, *Quis fructus Euãgelij, ac sapientiæ veræ.*

neque

neque finit locum illum inanem esse ab ignobili germine, aut generoso fructu, quem à cœlesti influxu habuerit irriguum. Eccl. cap. 24. v.40. *Ego sapientia effudi flumina: ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio: ego quasi fluuius de oryx, exiui de paradiso: dixi, rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum.*

Sapientia vana qualis fructus, & proprietas.

18. Hic sanè torrens, qui suas habet scatebras in Sanctuario, vberrimis vndecumque circumfluit plantis, quarum fructus est honoris, & honestatis; sed est alius è nimbo, procellâque collectus, qui populatur terram, deiicit arbores, quem potius horreas, quàm desideres; potius adimat, quàm importet bona, qualis est ille, quem descripsit Maro lib.2.Æneid.

——— rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boúmque labores,
Præcipitésque trahit syluas.

Et Silius Italicus lib.4.

Vt torrens celsi præceps è vertice Pindi
Cum sonitu ruit in campos, magnóque fragore
Auulsi montis voluit latus: obuia passim
Armenta, immanésque feræ, syluæque trahuntur,
Spumea saxosis clamat conuallibus vnda.

Hunc ego torrentem non ex Sanctuario putem exundare, sed ex inferno, qui non tam effundit aquas, quàm eructat incendia, quales sunt illi, quos fabulantur Poëtæ aut erumpere ex tartaro, aut per tartarum labi. De quo idem qui nuper Silius lib.13.

Ardenti phlegethonte natat, feruoribus atris
Fons rapidus furit, at vstas sub gurgite cautes
Egerit, & scopulis pulsat flagrantibus ora.

Dei furor grauis, & timendus.

19. Eadem penè, sed non eodem spiritu, ac fide Isaias cap.30.vers.28. vbi loquitur de offenso, atque indignato Deo, qui vt clemens, & benignus aquam emittit è Sanctuario fœcundam, & lenem; sic vbi illius animam nostra inflammat improbitas, torrentem effundit, qualis è procellosa pluuia colligitur; aut fluuium ab igne feruentem. Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum. Quod idem habes Apoc. cap.1. *Vox illius, tanquam vox aquarum multarum*; quòd aquæ multæ ab animo proueniant offenso, & ad exitium, & sanguinem intento, probat quod statim subditur, *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Et Isai. eodem cap. v. 33. flatus Domini instar esse dicitur torrentis, qui sulphureis voluitur fluctibus.

Scientia vana, quàm noxia.

20. Sanè torrens, quem vana alit, & effundit sapientia, cum strepitu labitur, aut potiùs præceps ruit; neque tamen ad satus habet vtilem vim, id est, ad excitandam, aut fouendam pietatem, ad nutriendos spiritus Angelicis proximos; sed potiùs obscurant mentem, & quo magis tenere se putant de sacra, aut etiam physica doctrina, magis cæci fiunt. In his torrentibus aluntur illi corui, qui effodiunt oculos, de quibus Prouerb. 30. v. 17. *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus.*

21. Vers.8. *Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli Orientalis, & descendent ad plana deserti.*] Torrens hic, qui egressus esse dicitur è Sanctuario, in duo brachia diuisus existimatur, quorum alterum ad mare Orientale, nempe mare Galilææ, aut mortuum, quod ab ortu Hierosolymam spectat: alterum ad mare magnum, versùs partem illius Occidentalem, id enim significare existimatur, ad plana deserti. Quæ cogitatio videtur probari posse ex Zacharia cap. 14. qui cùm de hoc ipso tempore loqueretur, & sub eadem metaphora ait, *Et erit in die illa exibunt aquæ viuæ de Ierusalem, medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouissimum.* In quem locum in nostris commentariis diximus ortum, & occasum intelligi; & in his duobus terræ cardinibus totum orbem, quem tam profani, quàm sacri Scriptores ortus, & occasus nomine circumscribunt. Quòd verò in deserto pars terrarum occidua intelligatur, docuimus in explicatione Psalmi 67. ad illud, *Qui ascendit super Occasum.* vbi Hebraica est eadem vox, quæ hîc ערבה *arabah*, quæ Arabiam significat, & desertum, sicut hoc loco conuertit Hieronymus.

Arabia pro occasu.

22. Cur verò vox, quæ Arabiam significat, & desertum, pro Occasu sumatur, ea ratio est; quia de deserto sermo est omnium notissimo Iudæis, quod ἀντονομαστικῶς desertum appellatur: illud autem spectabat ad Arabiam illam, quæ Hierosolymæ comparatione Occidentalis erat. Quare cùm dicuntur aquæ egredi ad tumulos sabuli Orientalis, & descendere ad plana deserti, id est, ad Ortum, & Occasum dicuntur peruasuræ, lustraturæque totum orbem; quem Ortus Occasúsque describunt. Et hæc mihi sententia omnium maximè videtur expedita: sed vide an minùs displiceat, quam adducemus statim ad illud, *Et sanabuntur aquæ.*

23. Modus autem loquendi subobscurus est. *Tumuli sabuli,* acerui sunt arenæ, quos congregare solent torrentes incitati, & eiectare ad littus. Neque aliquid aliud esse puto, quàm seruata fluuiorum allegoria, torrentem illum habiturum esse alueum suum, qui arenis plerumque, & sabulis obuallatur ad Ortum, & Occasum. Quocirca *tumuli sabuli* nihil videtur esse aliud, quàm alueum, & ripas, à quibus arenæ cumuli abesse non solent.

24. *Intrabunt mare, & exibunt.*] Loquitur de hoc torrente, quasi de aliis fluuiis, qui omnes postquam per terram latè vagati sunt, in mare tandem delabuntur. Illud verò *intrabunt, & exibunt*, accommodatè dicitur ad illud Eccl.1. vers.7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Hanc veram arbitror esse sententiam: nisi mauis hoc dicendi generi significari hunc sacrum fluuium dominaturum esse mari, ita vt illud subeat, & verset arbitratu suo.

Prouerbium ingredi, & egredi pro plena potestate.

Est autem in Scriptura familiaris dicendi modus, *ingredi, & egredi; intrare, & exire,* quo plenam alicuius potestatem exprimimus. Sic Moyses Deut. 31. de seipso ait, *Centum viginti annorum sum, non possum vltrà egredi, & ingredi.* Et de Dauid 1. Reg. cap. 18. *Qui ingrediebatur, & egrediebatur in conspectu populi.*

Clauis pro imperio.

Hinc fit, vt clauis pro sceptro, seu imperio sumatur; quia qui clauem habet, potestatem etiam habet ingrediendi, & egrediendi. Hoc verò de Euangelio, cœlestique doctrina quàm verissimè dicitur, quæ totum orbem peruasura est, & Solis fulgentissimi radiis lustratura.

Aqua de petra excussa habitabilem reddidit desertum.

25. *Et sanctificabuntur aquæ.*] Aqua olim excussa de petra regionem priùs infelicem, & aridam irrigauit, fecitque vt deinceps habitari posset, quæ priùs erat terra horroris, & vastæ solitudinis. Ita docuit Abulensis tom. 2. in Num. cap. 20.

quæst.5.quod nos etiam verisimile putabamus in nostris commentariis super Isaiam ad illud cap.43. *Ponam in deserto viam, & in inuio flumina. Glorificauit me bestia agri, dracones, & struthiones; quia dedi in deserto aquas,flumina in inuio.* vbi dracones dicuntur glorificasse Deum; quia excussa de silice aqua mortiferam antè solitudinem vitalem habuerunt. Sic nunc regiones illæ, quas peruasit sacer ille torrens de Sanctuario, quæ aridæ priùs erant, & steriles, abundarunt aquis, & arboribus, & factæ sunt paradiso voluptatis quàm simillimæ. Neque mihi difficile est illis verbis, *& descendunt ad plana deserti,* allusum esse ad desertum, in quo errauerunt diu filij Israël, vbi subaudienda est similitudinis nota, in hanc sententiam. Sicut torrens ex silice virga percusso arentem solitudinem habitabilem reddidit;& quasi sanauit terram ante pestilentem; sic aqua, quæ suum habet fontem in Sanctuario, exhilarabit, fœcundabitque terram, & sanabit aquas antè mortiferas. Ex quibus verbis subit explicatio alia superioris loci, quæ sanè displiceret minus, si aliorum mihi faueret auctoritas. Ita vt mare Orientale, seu sabulum orientalis maris sit mare mortuum, in quod cùm influxerit torrens ille sacer, postea ingredietur in desertum, & in eo præstabit, quod priùs saxum virga percussum. Sanabit autem aquas, quæ sunt in mari mortuo pestilentes; & rigabit desertum, efficietque vt hinc inde arboribus abundet.

Euangelij mirificus fructus.

26. *Et sanabuntur aquæ.*] Aquæ in Scriptura calamitates, & tribulationes sonant; quia aquæ exagitatæ à ventis variè versant,atque concutiũt nauigantes; neque vacuos esse sinunt à periculo,siue à periculi metu. De quibus est illud Psal. 106.v.26. *Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.* Et licèt ex hac maris proprietate natum sit, vt in aquis misera significetur conditio, & dura calamitas; tamen hoc ipsum accommodatur sæpè fluminibus; quia in illis non semper, neque vbique statio secura. Hinc illud Psal.123. *Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Has aquas salsas,& quas molliores sensus horrent, tanquam humanæ vitæ pestilentes sanauit salutaris aqua è Sanctuario manans, & imbuta victimarum sanguine; fecitque vt non solùm non horreant,sed etiam, vt auidissimè expetant, stomachi iam melius, quàm antea constituti. Sanè dura erat olim crux, & execrabilis, ita vt Deut. cap. 21. maledictus diceretur, qui penderet in ligno: at postquam crucem tetigit aqua de Sanctuario, sanguis nempe Christi, sic facta est dulcis, vt Ecclesia multorum annorum experientia edocta canat in ipso passionis tempore,

Aqua pro tribulatione.

Sãguis Christi à rebus tollit amaritiem.

Crux fidelis inter omnes arbor,
Arbor vna nobilis,
Nulla sylua talem profert
Fronde, flore, germine.
Dulce lignum, dulces clauos,
Dulce pondus sustinet.

27. Ex hoc torrente sumpsit Dauid lapidem, quo strato Gigãte à mœrore, & metu liberauit Israël pauidum priùs, & exanguem. Ex eodem erant illi lapides, qui Stephanum gloria, & honore coronauerunt. De quo canit Ecclesia, *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Ecce quomodo aquæ priùs insulsæ suaues;& quæ antè mortiferæ, salubres factæ. Nemo etiam in extrema siti bibere poterat aquas de Marà Exod.cap.15. vbi tamen illas tetigit lignum, nihil in illis reliquum fuit amaritudinis. Erant apud Ierichuntem aquæ mortiferæ,ac salsæ; sed postquam in illas sal ab Elisæo missus est, *non fuit vltrà in eis mors,neque sterilitas.*

Quia diximus torrentem illum egressum è Sanctuario influxisse in mare mortuum, quod etiam salsissimum appellatur, & inde ad planitiem vsque deserti penetrasse, videndum est, quid duæ istæ regiones significent; & cur illarum maximè Propheta meminerit. In deserto, quod longiùs abest à Ierosolyma, & à Gentibus habitatur, quæ neque legem acceperant, neque Mosaicis fuerant excultæ disciplinis, populum significare gentilicum, neque probare operosum est, neque creditu difficile, ad quem torrens ille sacer tunc est ingressus, postquam in mare mortuum priùs influxisset. Notum est, missum esse Christum primùm ad Israëlitici populi conuersionem, deinde ad Gentes alias, à Iudaicis & legibus, & finibus alienas, quod ipse dixit Mat.cap.15. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*, primo nimirum loco. Quod etiam præcepit discipulis Mat. cap. 10. *In viam Gentium ne abieritis; & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Et clariùs Paulus Actor. 13. cùm loqueretur ad Iudæos Euangelij lucem respuentes. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes; sic enim præcepit nobis Dominus.* Dum ergo priùs in mare mortuum ingreditur torrens ille sacer, & deinde ad planitiem vsque deserti progreditur, Euangelicæ prædicationis cursus explicatur; qui cùm incepisset à Iudæa, ad vltimos vsque terræ fines diffusus est. Quòd verò in mari mortuo status Iudæorum explicetur,ex eo fit verisimile,quia non longè abest à Hierosolyma, & ita putant Hieronymus, Cyryllus, & Haymo in illud Zachar.cap.14. *Medium eorum ad mare Orientale.* & quia mare illud sterile est,fœtidum, & percussum de cœlo. Cui non dissimiles sunt Iudæi, qui odio sunt, horrori, & nauseæ apud omnes, quibus inusta est perpetua quædam infamiæ nota. Eorum namque corporibus naturalis quidam inest fœtor tam communis,ac notus,vt ab eo nomen vulgare traxerint, & vocati fuerint *fœtentes.* Sanè Martialis inter res maximè fœtidas halitum numerat Iudæorum lib.4. epig.4. vbi illos Sabbatarios appellat. Audi Ammianum lib.2. de imperatore Marco, *Cùm Palæstinam transiret Ægyptum petens fœtentium Iudæorum, & tumultuantium sæpe tædio percitus dolenter dicitur exclamasse: O Marcomani, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis deteriores inueni!*

28. *Euangelium tam Iudæis quàm Gentilibus patuit.*

Euangelium prædicatum priùs Iudæis.

29. *Mare mortuũ Iudæorum symbolum.*

Iudæis fœtor quidam naturalis inest.

Vt aqua hæc sancta, vbi cœnosas, fœtentes, & amaras aquas attigerit, dulcedinem illis, sanitatem, & odorem infundit suauem, & gratum;sic aqua illa,quam vomunt infernæ fauces, quæ sulphureum aliquid secum trahit, & pestilens, quales à Poëtis finguntur Auerni lacus, styx, & phlegeton, vbi in aquas dulces, & salubres influxerint, sic illas afficiunt, inficiúntque, vt vix in illis quicquam antiquæ suauitatis, ac sanitatis, agnoscas. Ad Borysthenem, vt tradit Mela lib.2. c.1. fons est exiguus, cui Exampæus nomen est qui Hypani fluuio copioso, atque dulcissi-

30. *Aqua quadam aquas alias dulcissimas corrũpunt.*

dulcissimo infusus, illius aquas amaras, atque impotabiles reddit. De quo Vitruuius lib. 8. cap. 3. *In Ponto, inquit, est flumen Hypanis, qui à capite profluit sapore dulcissimo. Deinde admiscetur ei fonticulus oppido quàm paruulus. Is cùm in eum influit, tunc tantam magnitudinem fluminis facit amaram.* Quæ res iure optimo ab Historicis notata est; quia reuera non longè abest à prodigio, quòd exiguus fonticulus tantam fluminis molem contaminet, & perdat. De eo item agit Herodotus in Melpomene. Ouid. 15. Metam.

Peccati proprietas.

Quid non & Scythicis Hypanis de montibus ortus,
Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris.

31. Fonticulus ille amarus, & pestilens Exampæus vocatur ab Herodoto, & Mela, quæ vox apud Scythas, (vt ait Vadianus apud Melam, vbi tamen auctorem non citat) sacram viam significat; execrabilem ego interpretor, nam quæ sacra, id est, sancta via est, qualis est torrentis, qui suas habet scatebras in sanctuario, dulcedinem amaris, non dulcibus amaritiem inducit. Hoc quod nos Exampæi, ac Hypanis exemplo probauimus, alia similitudine probat Scriptura sacra Eccl. cap. 10. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Heb. *fœtere faciunt.*

Exampæus fōs exiguus Hypanim fluuiū magnum, & dulcissimum corrumpit.

32. Vers. 9. *Et omnis anima viuens, quæ serpit, quocunque venerit torrens, viuet.*] De mari mortuo, in quod influere dicitur riuus de Sanctuario, multa tradunt non solùm sacri, sed etiam profani scriptores; cuius hic naturam videtur descripsisse Ezechiel, dum illius adhibet medicinam, & quid curato morbo consequutum sit vtilitatis ostendit. Mitto alia plurima, quæ de hoc mari omnino prodigioso narrat Iosephus lib. 5. de bello. cap. 5. Aristoteles lib. 2. Meteor. Cornelius Tacitus, Strabo planè horribilia; id dicam tantùm, quod nos hoc loco notare, atque explorare cogit. De anima videlicet viuenti, & de plantis, quibus caret lacus ille mortuus; abundaturus tamen dicitur, cùm primùm illi se sacer liquor infuderit. De piscibus ait Hieronymus in tradition. Hebraicis super Genes. Si quando è Iordane pisces in mare mortuum ingredi contingat, statim emori. Idem Cornelius Tacitus lib. 21. *Lacus immenso ambitu specie maris, sapore corruptior, grauitate odoris accolis pestifer: neque vento impellitur, neque pisces aut suetas aquis volucres patitur.* En maris mortui pestilens natura, quæ neque pisces alit, & qui aliunde eò innatarunt, confestim examinat. Sed efficiet aqua torrentis sacri, vt ibi viuant, nutriantúrque omnia aquatilium genera. *Id enim valet anima viuens, quæ serpit,* id est, quæ pedibus non vtitur ad incessum.

Maris mortui prodigiosa malitia.

33. Quid sibi velit hieroglyphicus hic aquarum cursus, obscurum non est; nempe illos, qui doctrinam hauserint Euangelicam, & intincti fuerint piaculari Baptismate; habituros esse vitam verè vitalem, & alituros in se id, quod in illo sacro, ac prodigioso flumine admiramur. Pro piscibus, & arboribus fœtus alios animi bene cōstituti, spiritus nobiles, quos lex diuina regat, & informet; qui denique fructus faciant æterna vita dignos.

34. Sed vt hìc contraria, quod antea fecimus, opponamus, torrens alius, quem peccatum inficit, quàm non viuentes alat fœtus, proximè vidimus in mari mortuo: quàm verò si quid parit, & educat, exile sit, & momentaneæ vitæ, si modò vita est, & non potiùs vitæ inanis quædam, atque fucata species; docet fluuius ille, de quo nuper, Hypanis, quem inficit, reddátque por-

Peccati vis pestilens.

A sus impotabilem fonticulus Exampæus. Nam is, vt opinor, postquam in suum alueum amaram illam, & pestilentem aquam admisit, animalia quædam gignit ἡμερόβια, id est, quæ vltra diem vnum vitam non producunt. Sic ex Aristotele Cicero lib. 1. Tuscul. *Apud Hypanim, inquit, fluuium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quæ vnum diem viuant. Ex his igitur hora octaua quæ mortua est, prouecta ætate mortua est; quæ verò occidente Sole decrepita, eo magis si etiam solstitiali die.* Tales omnino sunt quotquot ad sæculares aquas viuunt, qui eo feruntur impetu, quo torrens in Austro, qui B cum repentè, & cum fragore præceps eruat, repentè deficit. Qui iuxta has aquas considere non tam homines videntur, quàm vana, & fœnea simulacra hominum. Sanè apud flumina Babylonis sedere nemo vtiliter, atque frequenter potest, nisi vt sileat, suspendátque ex arborum ramis instrumenta lætitiæ.

Sæcularia vanissima.

Bestiola apud Hypanim vita vnius diei.

Vers. 10. *Et stabunt super illa piscatores.*] Sumpta metaphora à mari, seu fluminibus, quibus nihil deesse videtur, si aquæ sunt salubres, & dulces, & aluei piscosi, docet Propheta purissimos fore Ecclesiæ, atque Euangelij riuos, & magnorum fructuum abundantes. Et sicut eò confluunt piscatores frequentes, vbi maior apparet piscium multitudo, & copiosius ex piscatu lu- C crum: sic quia fluuius ille sacer piscibus abundabit, quos alet mira aquarum fœcunditas; seu certè aquæ à sacri fluminis influxu sanatæ; aduolabunt piscatores, expansísque retibus, aut vimineis labyrinthis opportuna statione dispositis stabunt super illas assidui. In his verò piscatoribus Apostolos, ac viros Apostolicos intelligo, quibus magnus piscator Christus dixit, Mat. cap. 19. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* qui cùm in nomine Domini laxant rete in capturam, magnam comprehendunt piscium multitudinem. 35.

Ab Engaddi, vsque ad Engallim siccatio sagenarum erit.] Hæc mihi omnino persuadent, aut quę D dicta sunt de mari Orientali, ad mare mortuum spectare; aut saltem si ad alia sese explicet, atque impertiat torrens ille sacer, ab illius fœcundo, ac salutifero influxu mortuum illud mare non excludi. Engaddi enim prope vallem est, vbi fuere quondam quinque ciuitates è cœlo perculsæ, vt docet Hieronymus in locis Hebraicis; & hìc tradit duo hæc oppida Engaddi, & Engallim non longè abesse à mari mortuo. Quod etiam probant alij fermè interpretes, qui cum Hieronymo putant alterum vicum ibi esse, vbi primùm in vallem influit Iordanis; alterum in extremo maris deficientis angulo. Porrò siccatio sagenarum, idem est, quod locus aut pisca- E tu abundans, aut piscatoribus frequens: neque enim alibi siccantur sagenæ, siue retia, nisi vbi eadem extrahuntur è mari madefacta. Eadem dicendi forma vsus est Propheta cap. 26. vers. 5. & vers. 14. *Siccatio, inquit, sagenarum erit in medio maris.* 36.

Vers. 11. *In litteribus autem eius, & in palustribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur.*] Optimè Propheta institutam persequitur allegoriam, & docet aquas illas fore sanandas & vim habituras esse fœcunditatis à sacro flumine, quod vim habet viuificandi, fœcundandique mortuas, atque stagnantes aquas. Quòd si quæ erunt extra sinum, & alueum, ita vt à viuifico flumine non tangantur longè abfuturas, vt sa- 37.

Quàm infelix, quem non Euangelij doctrina erudierit, aut aqua baptismi non lustrarit.

nentur, piſcatúque abundent; qualia ſunt littoralia loca, atque paluſtre ſolum, quæ carebunt his, quæ regionem aliquam reddunt amabilem, & è cœno impuro grauem emittent, & fœtentem halitum. Hæc autem accommodatè dicuntur ad naturam maris mortui, quòd à Cornelio Tacito adeò dicitur odoris eſſe grauis, vt accolis peſtilentiam inhalet. Quem odorem retinebit, quia litteralis, atque paluſtris regio à ſacro, atque purificante flumine non expiabitur. Illud hic, inquit Hieronymus, latenter oſtenditur; ſic eſſe pereundum illis, quos aqua hæc ſalutaris non tetigerit; quemadmodum periere omnes, qui diluuij tempore non ſunt arcam ingreſſi.

38. Quod verò addit, *in ſalinas dabuntur*, maximè etiam cadit in illum locum: nam ſalſiſſimus in Scriptura ſæpius appellatur. Quare ille videtur commodus eſſe ſenſus, manſurum eſſe littoralem, ac paluſtrem locum ſalſuginoſum ſicut antea, & ſterilem; qualia eſſe illa experimento nouimus, quibus ſalſugo ineſt, cùm non eò pertingat aqua fluminis, quod à vitiis omnibus vindicat aquas; & ſolum facit fœcundum vt ſit. Hæc mihi ſententia potior eſt; ſed tu vide an locus eſſe poſſit alteri cogitationi, quæ ex ſalinarum nomine coniectat, omnino locum illum eſſe vaſtandum, quem non irrigauerit, purgaueritve fœcunda illa, atque luſtralis aqua, quæ ſeſe à Sanctuarij limine diffundit. Notum eſt autem terræ à ſale ſterilitatem induci; & id Dominus minatur terræ propter improbitatem, Deut. 29. v. 23. quòd terram illam *afflixerit Dominus ſulphure, & ſalis ardore comburens, ita vt vltrà non ſeratur, nec virens quidpiam germinet, in exemplum ſubuerſionis Sodomæ.* Ex quo nonnullus coniectare poſſet, non ſolùm ſulphureis flammis conflagraſſe Pentapolim, ſed etiam conſperſo ſale feraci quondam glebæ inductam eſſe ſterilitatem. Et Pſal. 106. *Poſuit flumina in deſertum, terram frugiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea.* Certè Abimelech Iudicum cap. 9. v. 45. euerſam à ſe ciuitatem ſale conſperſit. Quæ conſuetudo apud Hiſpanos iam pridem inueterauit; itémque, vt audio, apud nationes alias. Sanè Sigonius de Regno Italiæ lib. 13. exaratum olim Mediolanum, ſaléque conſperſum eſſe dicit. Hieronymus in ſalinas dicit datum iri peccatores, quia ſuo exemplo alios à peccando deterrebunt, & facient perditis moribus id, quod ſal ſanioſæ carni; iuxta illud Prouerb. 19. *Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit.*

Sal ſterilitatem inducit, & ſterilitatis ſymbolum.

39. Verſ. 12. *Et ſuper torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum.*] Oriuntur quidem ad ripam maris mortui, ſiue ſalſiſſimi, arbores ad ſpeciem præclaræ; & cùm fructiferæ videantur inexpertis, verumtamen fructus nullos afferunt niſi fallaces, & omnino fucatos. Ita Ioſephus teſtis ipſe oculatus. *Adhuc,* inquit, *in ea* (nempe terra Sodomæorum) *diuini reliquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres. Qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles; carpentium verò manibus in fumum diſſoluuntur, & cinerem.* Quod etiam externi Scriptores prodiderunt, vſque adeò res erat celebris, & nota. Cornelius Tacitus lib. 21. *Haud procul inde* (nempe à mari mortuo) *campi, quos ferunt olim vberes vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſiue herba tenus, aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adoleuere, atra, & inania in cinerem vaneſcunt.* Idem Solinus cap. 38. *Longo,* inquit, *ab Hieroſolymis receſſu triſtis ſinus panditur, quem de cælo tactum teſtatur humus nigra, & in cinerem ſoluta. Duo ibi oppida Sodomum nominatum alterum; alterum Gomorrhum; apud quæ pomum gignitur, quod habeat ſpeciem licèt maturitatis, mandi tamen non poteſt: nam fuliginem intrinſecus fauillaceam ambitio tantum extima cutis cohibet, quæ hac leui tactu preſſa fumum exhalat, & fatiſcit in vagum puluerem.* His igitur plantis infrugiferis, atque horridis opponuntur arbores, quæ perpetuò florent, fundúntque fructus in omne tempus & palato iucundos, & vitæ conſeruandæ ſalubres.

Euangelij, baptiſmatiſque fœcunditas.

Maris mortui prodigioſa ſterilitas, & ſpecies vaniſſima fructuũ.

Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius.] Hæc propè eadem de iuſto dicuntur, figura fortaſſe prouerbiali Pſal. 1. v. 3. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet; & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.* Quod verò ſtatim de impiis dicitur, *Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis, quem proiicit ventus.* fortaſſe reſpicit ad arbores, quæ plantatæ ſunt ad craſſas, & ſtagnantes aquas maris mortui; quarum fructus eſt, vt nuper vidimus, puluis, fuligo, & fumus, quæ proiicit ventus. Et quidem puluis ſi ſeorſum conſideres, non ita commodè arboribus opponitur; niſi fortè puluis aliquid tibi ſumat ab arboribus, qualis eſt ille, in quem Sodomica poma manibus contrectata ſoluuntur. Eadem allegoria videtur vſus Iſaias cap. 65. cùm dixit, *Secundùm enim dies ligni erunt dies populi mei.* Vide quæ nos in eum locum adduximus, num. 54. 40.

Fructus à ſpiritu, & à carne, & ſæculo diſſimillimi.

Per ſingulos menſes afferet primitiua.] Primitiua dicuntur fructus, quos primùm aut ſata pariunt, aut arbores fundunt, quæ Oſeas cap. 8. vocat, *prima poma ficulnea.* & Iſaias cap. 28. *temporaneum*, Hiſpanè *fruta temprana.* Eſt autem hæc optima deſcriptio, aut explicatio perpetui, & nullo tempore deficientis fructus. Vt enim experimento conſtat, vno menſe durant in arbore, cuiuſcumque ſint generis maturi fructus. Ex quo fit, vt ſi ſingulis menſibus noui germinant, continenti tractu veteribus ſuccedant recentes, neque vnquam arbores maturis fructibus oneratæ non ſint. Promiſit Deus propè hæc eadem his, qui diuinæ legi obſequentes eſſent Leuit. c. 26. v. 10. *Comedetis vetuſtiſſima veterum, & vetera nouis ſuperuenientibus proiicietis.* Ad hunc locum ſpectauit Ioannes Apocal. cap. 22. v. 2. *In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem Gentium.* Lignum hoc loco ſumi pro lignis in plurali, ſicut etiam apud Ezechielem, ſatis probat, quòd lignum vnum eſſe non poterat in platea, atque in vtraque fluminis ripa. 41.

Hæc optima eſt fœcundiſſimi agri, aut horti feliciſſimi deſcriptio, quem expreſſit Homerus ex Scriptura ſacra, vt putat Iuſtinus Martyr in exhortatione ad Gentes qui in hunc Ezechielis locum intentus videri potuit, ſi modò conſtaret Ezechiele Homerum non eſſe ſuperiorem. Iuſtinus paradiſi imaginem eſſe deſcriptam putat ab Homero, quem in ſuis fabulis incluſiſſe dicit plurima ex Scriptura ſacra, quam ad fabuloſos, & alienos ſenſus detorſit. *Paradiſi,* inquit Iuſtinus, *imaginem deſcripſit in hortis Alcinoi, quos ſemper virere dicit, plenos continuatis fructibus.* Deinde addit carmina Homeri ex Odyſſea lib. 7. quæ idem propè ſignificant 42.

Paradiſi ſpecies ab Homero deſcripta.

Alcinoi horti.

quod

quod hîc Ezechiel de plantis consitis ad sacri fluminis ripas.

Ibi magnæ creuerunt arbores,longæ
Pyri,& punicæ,& mali fructuosæ,
Ficúsque dulces,& oliuæ longæ;
Quarum nunquam fructus perit,nec intermittit
Hyeme,nec æstate perennans,quin semper aura
Zephyria flans alia gignit,alia coquit,
Pyrum post pyrum senescit,& malum post malum,
Et vua post vuam,& ficus post ficum.

43. Vers.12. *Quia aqua eius de Sanctuario egredientur.*] Rationem reddit, cur tam sint aquæ illæ vitales, & fœcundæ; quia nempe egrediuntur è Sanctuario. Non est dubium hæc esse accipienda mysticè; de Euangelij nempe disciplina cœlesti,& Christi sanguine, quæ in mortuo mari, atque salsissimo, id est, in hominum animis, qui mortuo mari quàm simillimi sunt, talia præstant, qualia nuper vidimus; vt quilibet Apostolorum actis, sacrísque annalibus nascentis Ecclesiæ spectare potest. Nam quòd quidam fontem putant aquæ iugis manare de templo, ex eóque torrentem colligi, quem transuadare Propheta non potuit, mihi omninò improbabile est. Putant enim vim illam fœcundam, & viuificam inesse torrenti, quia aquæ illæ intinctæ erant victimarum sanguine,efficíque perennem quendam cursum ex aqua, quæ altare abluebat, & sacrificia, quam ex altaris holocausti sinu, id est, per occulta foramina, cæcósque meatus extra templum elabi diximus cap. 43. v.14. Neque putant temere affirmari posse,cùm videamus aquas probaticæ piscinæ vim habere sanandi, ex eo quòd traxissent è victimis, quæ in illis abluebantur; vt mundæ ducerentur ad

44. altare. Sed hæc cogitatio multa fingit, multa assumit, quæ non facilè concedent alij. Primùm, quia vim illam aquarum tantam, quæ transuadari non poterat ab illa altaris, victimarúmque lotione, colligi incredibile est. Neque præterea aquæ illæ manasse dicuntur ex atrio Sacerdotum, vbi altare est holocausti, & vbi hostiæ cæduntur, sed è tabernaculo, quæ altare non alluebant, sed ab eius dextro latere labebantur. Deinde quia sicut arbores illæ frugiferæ,quæ ad illius fluminis ripas consitæ, perpetuo vernabant fructuum, foliorúmque prouentu, metaphoricæ sunt; sic etiam necesse est dicamus aquas, à quibus virtutem illam habent eximiam, esse metaphoricas. Et facit, quòd aquæ, propriè in mari Sodomico sanatæ non sunt; neque arbores vnquam eo tractu visæ cum illo multiplici prouentu. Quare hæc omnia mysticè à nobis, & figuratè, non historicè,

Falsum est torrentem propriè exudare de templo.

45. ac propriè exponenda sunt. Plura de hac aqua Aristæas in historia L X X. interpretum 1.tom. Bibliothecæ veterum Patrum, ex quo, credo, in eam cogitationem venerunt, qui aliquid iugi, atque perenni cursu copiosum labi existimarunt è Sanctuario. Sic autem Aristæas: *Aquarum verò receptacula,quæ plurimæ ad diluendum iugulatarum hostiarum sanguinem funduntur, commodis locis occuluntur. Nam festis diebus multa victimarum millia cæduntur. Etenim tantus est eductarum aquarum assiduus fluxus, vt perennem fontem inundare putes. Sed mirabilius est, & ferè inenarrabile, subterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque vsque stadia per circuitum templi cuncta penetrat. Plumbeæ ad ea fistulæ quacunque per muros, & templi solum, quibus omnia abluantur, mundentúrque, descendunt. Sunt & apud aræ basim frequentes aperturæ omnibus quidem, nisi his qui ministrant incognitæ, quarum influxu,& impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgetur. Receptarum autem aquarum multitudinem per hunc modum coniectauimus: nam cùm nos vltra quatuor stadia extra vrbem deduxissent ad quendam locum, iubent nos subter fluentium vndarum sonitum exaudire, qui mihi quidem magnorum vasorum confluxus visus est.*

De aqua Sanctuarij quid tradat Aristæas.

46. *Et erunt fructus eius in cibum, & folia eius in medicinam.*] Optima illa existimatur planta, ex qua nihil est,quod abiicias; quia nihil est,quod non sit futurum hominibus ex vsu. Hæ verò plantæ, quæ ad hæc sacra fluenta nascuntur,& crescunt, esculentos habent fructus, salubres frondes; & quæ in aliis reiiciuntur arboribus, hic magno studio ab iis, qui ægro sunt corpore, aut animo expetuntur. Si in arboribus eos intelliges, qui præceptis instituuntur Euangelicis, quos Christi sanguis adoptat, & vegetat; quales sunt, qui mentem mutarunt antiquam, spiritus imbibere regios; & vt Christum induerent, veterem hominem exuerunt. Sanè hi sunt eiusmodi; quia Christum in omnibus spirant, & olent, vt aliorum egregios alant,& instituant mores, non secus ac cibus corpus nutrit, & vegetat, quorum exemplo aut confirmantur languidi; aut seruantur robusti ne languescant, quod medicinæ, proprium est opus. Hieronymus hæc ad Scripturam accommodat, cuius sacramenta hîc demonstrari putat. *Vt verba*, inquit, *simplicia intelligamus in foliis, in fructibus vero sensum latentem. Sicut enim scientia Scripturarum ducit ad regna cœlorum, & prabet nobis panem, qui dicit: Ego sum panis, qui de cœlo descendi; sic folia eius moralem doctrinam continent,& tribuunt sanitatem.*

In Euangelio,& Christo omnia sunt, ad salutem,& vitam.

Scriptura sacra fructus.

47. Vers.13. *Hic est terminus, in quo possidebitis terram in duodecim tribubus.*] Egit hactenus de templo, ac de his, quæ ad templum quoquo modo pertinent; nunc de aliis instituitur sermo,quæ ad ciuilem spectant, & communem œconomiam. Et primùm ne qua sit rerum ,funiculorúmque confusio,regionem antea possessam,& postliminio possidendam primò definit; deinde in singulas familias partitur. Occurrit autem primò cogitationi tacitæ illorum, qui cùm norint nullam habere sortem in terra promissionis filios Leui, fortasse cur cum duodecim fuerint filij Iacob; neque ex illis cum fratribus vllam sit sortem habiturus Leui; nihilominus quasi sua cuique sit ascribenda sors, duodecim sint discriminandi funiculi. Et respondet: duos fuisse filios Ioseph, quos Iacob moriens numerari voluit, & haberi pro suis. Quare licèt Leui in terræ partitione sortem nullam sit habiturus;erunt tamen duodecim aliæ familiæ, quæ totidem funiculos obtineant.

48. Vers.14. *Possidebitis autem eam singuli aquè, vt frater suus.*] Alia nunc instituitur terræ sortitio, seu diuisio, quàm quæ olim à Iosue, vt constat ex ipsius libro à cap. 15. vbi constat aliter hîc, atque illic terram esse diuisam. Accommodauit enim Iosue, inspirante, atque fauente Domino, terræ fines amplos, seu angustos pro multitudine capitum,quæ singulæ tribus numerabant: quare aliis laxauit,aliis contraxit, angustauítque fines. Iuxta illud Numer.cap.33.v.54. *Ego enim dedi vobis illam* (nempe terram) *in possessionem, quam diuidetis vobis sorte, pluribus dabitis latiorem, & paucioribus angustiorem.* Hoc verò loco iubet Deus,vt æqua sit sors omnibus.

Terra promissionis nō eodem modo à Iosue, & ab Ezechiele diuisa.

49. Sed est obscurum,an singulis tribubus æqua-

 lis

lis sit assignanda portio; vel cùm tribus inæquales sortiantur funiculos, in quolibet funiculo singula capita æqualem sibi sortem sint habitura. Nam in vtramque sententiam verba patent. Lyra in principio cap.45.& Maldonatus in hunc locum, putant hîc à Deo singulis tribubus, etiãsi inæqualem habeãt capitum, seu familiarum numerum; æqualẽ tamen assignari funiculum. Sed placet magis, quod Hieronymus putat, inæquales nempe fore tribuum funiculos; in illis tamẽ singulis capitibus æquales esse sortes ascribendas. Qua in re descriptio terræ ab Esdra facta, non valde differt ab ea, quam olim legimus factam à Iosue. In hanc ego cogitationem adducor, tum Hieronymi sententia, quem sequuntur alij; tum quia non videtur si res humana prudẽtia sit expendenda, publicæ opportunum œconomiæ, vt tribus numerosæ magis, non etiam spatia magis lata sortiantur. Sanè ex tribu Iuda, & Beniamin rediere multo plures, quàm ex aliis decem simul. Peius igitur actum esset cum illis, qui minus quàm alij fuerunt infideles, si ad aliarum tribuum mensuram, illorum esset portio definita.

Æqualis sors omnibus in suo cuique funiculo.

50. At obstrepet hîc aliquis iniquum videri, minúsque ex vsu publico, si Princeps in suæ tribus partitione æqualem cum quolibet è vulgo sortem obtineat; præsertim cùm cap.45.v.8. nihil à populo dicatur tribuendum esse principibus. Sed huic cogitationi hoc ipsum caput planè satisfacit: nam latos attribuit Principibus fines, vnde suæ sibi familiæ, ac nomini prouideat. Reliquis itaque à Principibus, æquales in sua cuilibet tribu sortes decernuntur.

51. Ex his constat, quod pluribus locis ostendimus, cum Beniamin, & Iuda ex aliis tribubus rediisse quàm plurimos. Vt quid enim aut antiqui renouarentur termini, aut describerentur noui pro singulis tribubus, nisi ab illarum familiarum ordinibus essent occupandi. An verò qui ab exilio confusis ordinibus redierunt, distincti in assignata sibi sorte cõsederint; an potiùs promiscuè in terra promissionis habitarint, incertum est. Placet interim, dum grauior non subit cõiectura, aut ratio, quod suprà diximus in principio cap.45. vbi putabamus verisimilius exules Babylonios non ad suos discretè remigrasse fines; sed omnes inter se habitasse confusè.

Cum Iuda, & Beiamin ex aliis familiis rediere multi.

52. *Super quam leuaui manum meam, vt darem patribus vestris.*] Leuare manum, iurisiurandi signum est, maximè apud Hebræos, qui in iuramento concipiendo, manum in cœlum leuant, Deum ad rei promissæ fidem, & testimonium, fideiussorem, ac testem aduocando. Exempla sunt plurima, & in hac ipsa materia nonnulla. Exod.cap.6. vers.8. *Et induxerim vos in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham, Isaac, & Iacob.* Et Num. cap.14.v.30. *Non intrabitis terram super quam leuaui manum meam.* Ad quæ loca videtur hîc allusum à Propheta.

Leuatio manuum iuramenti signũ.

53. *Et cadet terra hac vobis in possessionem.*] Illud *cadet* aut significat regionem illam redituram esse ad dominos antiquos; aut certè, quod mihi propius videtur vero; non quemuis suo arbitratu electurum sibi, quam voluerit possessionem; sed vt sorte ceciderit. Quod explicuit suprà cap.45. cùm dixit versu primo, *Cum cœperitis terram diuidere sortitò.*

54. Vers.15. *Hic est autem terminus terræ.*] Definit priùs totam terram, quæ habitanda dicitur ab exulibus; notísque terminis circumscribit, vt

Locorum cognitio ma-

A deinde meliùs, atque expeditiùs ad singularum tribuum funiculos incumbat sortitio. Et primùm quatuor constituit latera, ad totidem cœli plagas: quæ definitio maximè est ex arte dimensoria; & his, quæ mox dicentur, & quæ ad sacram pertinent historiam, non parum afferunt lucis. Obseruarunt alij ante me plurimum conferre ad Historiæ sacræ cognitionem, locorum etiam ignobilium intelligentiam, & illam artem, quam Chorographicam, seu Topographicam appellant. Multa enim ex locorum situ, atque ordine dependent, quæ si quis ante oculos proposita non habeat, necesse est incertus erret; & cæcus in rebus interdum maximis offendat. Multa de

ximè ad Scripturæ cognitionem necessaria.

B hac re scriptores externi: dicam quid ex nostris duo viri maximi sentiant. Chrysostomus homil. in Priscillam, & Aquilam. *Nihil omnino in sacris literis superuacaneum. Nónne didicistis & inscriptiones, & nomina diligenter in arcanis scripturis excutienda? Ego sanè studiosos arbitror ne laturos quidem, vt verbulum aliquod in sacris literis contemptim prætereatur, etiamsi tantùm nomina recenseantur.* Hieronymus in præfatione ad Paralipomena. *Quomodo Græcorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint, & tertium Virgilij librum, qui à Troade per Leucadem, & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad ostia Tiberis nauigarunt. Ita sanctam Scripturam lucidiùs intuebitur, qui Iudæam oculis contemplatus sit, & antiquarum vrbium*

55.

C *memorias, locorúmque, vel eadem vocabula, vel mutata cognouerit. Vnde & nobis cura fuit, cum eruditissimis Hebræorum hunc laborem subire, vt circumiremus prouinciam, quam vniuersæ Christi Ecclesiæ sonant.* In his tamen explicandis parciores erimus; quia & res ipsa non admodum obscura est, quia textus ipse satis seipsum expedit; & alij ea de re longos instituere tractatus, quos promptum est adire. Vide expositores in Iosue, Salmeronem in prolegomenis, Hadrichonium, Institutiones Euangelicas Galareæ, & mille alios.

Hic est autem terminus terræ.] Varij in variis locis constituuntur termini terræ promissionis, 56.

Terræ promissionis termini.

D qui tamen aut eòdem spectant, aut certè non multum differunt inter se. Exod. cap. 23. v. 30. *Ponam autem terminos tuos, in mari rubro, vsque ad mare Palæstinorum, & à deserto vsque ad fluuium* (scilicet Euphratem) *tradam in manibus vestris.* Iosue cap.13.v.3. his concluditur finibus. *A fluuio turbido, qui irrigat Ægyptum, vsque ad terminos Accaron contra Aquilonem, &c. Ad Meridiem verò sunt Heuai; omnis terra Chanaan, & Maara Sidoniorum vsque Apheca, & terminos Amorrhæi. Eiúsque confinia Libani quoque regio contra Orientem à Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath.* Sed clariùs Num.cap.34.v.3. vbi termini describuntur sic explicatè; vt nulla indigeant interpretis luce. Qui locus omnino videndus est; quia ex eo plurimum

E accipiet lucis ille, quem nunc versamus. Neque ego de hac terræ diuisione quicquam addam ad versum vsque 22. quia res est non obscura; tantùm dicam si quidquam occurrerit in aliqua dictione notatu dignum.

A mari magno.] Hoc mare mediterraneum est: dicitur verò magnum comparatione maris mortui, & maris Tiberiadis, quæ exigua sunt, nempe aluei paulo latiores in quibus stagnat sese, atque expatiat Iordanis. 57.

Mare mediterraneum cur dicitur magnum.

Domus Tichon.] Vsitatum est nostro interpreti, vt è dictione composita alteram partem Latinè reddat, alteram in suo idiomate relinquat, vt probauimus in nostris commentariis in Isaiam cap.7. num.5. sic ibi filius Isaiæ *Sehar Iasub*, redditur 58.

REGVLA. *Ex dictione composita altera interdum pars Latinè redditur.*

ditur à nostro interprete, *derelictus Iasub.* & qui dicendus esset *Beniaminita*, seu filius Benjamin, vocatur in Scriptura sæpe *filius Iemini*, priori parte compositionis Latinè reddita, posteriore relicta. Sic nunc pro Chasser Tichon, dixit noster interpres domus Tichon. Est autem Heb. Chasser, idem quod Latinè *domus*, vel *atrium*. Idem dicendum de atrio Enon vers. 17. est enim nomen vnum Chasserenon.

Filij Iemini, idem quod Beniaminita.

Vers. 18. *Ad mare Orientale.*] Hoc mare mortuum est, seu lacus Asphaltites. Dicitur verò Orientale, quia Hierosolymam ab Oriente respicit.

Thamar Heb. *palmam* sonat Latinè. Hæc verò est Iericho, quæ non longè abest à mare mortuo. Dicitur verò ciuitas palmarum, quia palmis abundat.

59. Vers. 19. *Vsque ad aquas contradictionis Cades.*] Cades erat in solitudine Sin, non procul à mari mortuo, quæ, vt habes Iosue 15. pertinebat ad tribum Iuda. Non longè à Cades fuerunt aquæ illæ excussæ de silice; quæ quia tunc murmurante, atque contradicente populo datæ sunt, contradictionis sibi compellationem accepere.

Cades quo loco.

60. *Et torrens vsque ad mare magnum.*] Torrens hîc multis appellatur nominibus: dicitur enim torrens Ægypti Numer. 34. & Iosue cap. 13. *fluuius turbidus.* Ab aliis Rhinocolura, seu Rhinocorura dicitur, quia prope vicum illum in mare se mediterraneum exonerat. Porrò hic torrens tribum Simeonis, & Iuda ab Ægypto, & solitudine secernit.

Vers. 22. *Et mittetis eam in hæreditatem vobis.*] 61.
Heb. *Cadere facietis*, id est, diuidatis sortitò, ita vt quisque partem illam in suæ tribus funiculo capiet, quæ illi sorte ceciderit.

Et aduenis, qui accesserint ad vos.] De proselytis 62.
accipio, quorum pars magna fuit. Vt diximus super Zachariam ad illud cap. 8. *Vsquequo veniant populi?* Sanè, vt constat ex lib. 3. Esdræ cap. 5. ex nationibus aliis plurimi ad Iudæorum religionem accesserunt. Et postquam Mardochæus ad dignitatem regiæ proximam euectus est, quamplurimi de Chaldæis Iudæorum sacra complexi sunt. De quibus Esther cap. 8. *Plures alterius Gentis, & sectæ Iudæorum religioni, & cæremoniis iungebantur: grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaserat.* His ergo Deus cum Iudæis communem vult esse possessionem, & domum; neque loco disiungendi sunt, quos animus coniungit, & religio.

Proselytis eadem sors quæ indigenis in terra promissionis.

IN CAP. QVADRAGESIMVMOCTAVVM.

ARGVMENTVM.

POST generalem terræ descriptionem, suam cuique tribui regionem definit. Et primùm septem statuit sortes ab Aquilonari templi latere, quæ omnes ab Orientali plaga ad mare procurrunt. Deinde Sacerdotibus, Leuitis, ac ciuitati suam quoque sortem ascribit, quæ quadrata specie vigintiquinque millia cubitorum quoquò versùs amplectitur; quam deinde partitur tripliciter, inter Leuitas, sacerdotes, & vrbem. Duas verò partes, quæ ex triplici sorte vtrinque supererant ab ortu, & mari, Principi largitur. Deinde pro quinque tribubus, quæ supererant, ab Australi templi latere totidem sortes definit, quæ ab Orientali plaga ad mare protenduntur; quarum prima est Benjamin. Ad extremum ciuitatem metitur per quatuor latera, quorum singulis ternas adhibet portas, eásque filiorum Israel nomine consignat; illámque deinceps vocandam esse dicit, Dominus ibidem.

CAPVT XLVIII.

1. *ET hæc nomina tribuum à finibus Aquilonis iuxta viam Hethalon pergentibus Emath, atrium Enan terminus Damasci ad Aquilonem iuxta viam Emath. Et erit ei plaga Orientalis Mare, Dan vna.*

2. *Et super terminum Dan, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Aser vna:*

3. *Et super terminum Aser, à plaga Orientali*

PARAPHRASIS.

1. HÆc sunt nomina tribuum, quibus in Terra promissionis assignata possessio, quarum septem ab Aquilonari templi parte, & quinque reliquæ ab Australi sortes obtinebunt. In Aquilonari plaga, in ea parte qua ab Hethalon procurrit ad Emath, & atrium Enan, cuius terminus est Damascus; ad eam partem Aquilonis, vbi est Emath; ab orientali latere vsque ad mare, vnde omnes porriguntur funiculi, primam sortem obtinebit Dan.

2. A plaga eadem orientali, à funiculo Dan, vsque ad mare, partem huic proximam possidebit Asser.

3. A plaga item orientali, vsque ad plagam

tali usque ad plagam Maris, Nephthali vna.

4. *Et super terminum Nephthali, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Manasse vna.*

5. *Et super terminum Manasse, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Ephraim vna.*

6. *Et super terminum Ephraim, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Ruben vna.*

7. *Et super terminum Ruben, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Iuda vna.*

8. *Et super terminum Iuda, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, erunt primitiæ, quas separabitis, vigintiquinque millibus latitudinis, & longitudinis, sicuti singulæ partes à plaga Orientali vsque ad plagam Maris: & erit sanctuarium in medio eius.*

9. *Primitiæ, quas separabitis Domino: longitudo vigintiquinque millibus, & latitudo decem millibus.*

10. *Hæ autem erunt primitiæ sanctuarij sacerdotum: ad Aquilonem longitudinis vigintiquinque millia, & ad Mare latitudinis decem millia, sed & ad Orientem latitudinis decem millia, & ad Meridiem longitudinis vigintiquinque millia: & erit sanctuarium Domini in medio eius.*

11. *Sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoc, qui custodierunt ceremonias meas, & non errauerunt cùm errarent filij Israel, sicut errauerunt & Leuitæ.*

12. *Et erunt eis primitiæ de primitiis terræ Sanctum sanctorum, iuxta terminum Leuitarum.*

13. *Sed & Leuitis similiter iuxta fines sacerdotum vigintiquinque millia longitudinis, & latitudinis decem millia. Omnis longitudo viginti & quinque millium, & latitudo decem millium.*

14. *Et non venundabunt ex eo, neque mutabunt, neque transferentur primitiæ terræ, quia sanctificata sunt Domino.*

15. *Quinque millia autem quæ supersunt in*

A gam maris, à funiculo Asser, sors erit altera Nephthali.

4. A plaga etiam orientali à funiculo Nephthali, ad mare vsque sors erit Manasse.

5. Ab eadem regione vsque ad mare à sorte Manasse, altera ducetur sors Ephraim.

6. Huic sorti Ephraimiticæ ab orientali plaga vsque ad mare funiculus succedet Ruben.

7. Ab eadem plaga ad mare sors extrema
B assignabitur Iuda, quæ proximè ducatur à sorte Ruben.

8. Et ab hac sorte, & ab eadem orientali plaga, ad plagam vsque maris, sicut reliquæ sortes; erit sors pro primitiis sacerdotum, Leuitarum, & ciuitatis, quæ tam secundùm longitudinem, quàm latitudinem viginti quinque millia cubitorum habebit. In hoc verò spatio ædificabitur sanctuarium.

9. Ex hoc spatio sors illa, quæ pro pri-
C mitiis separabitur Domino, viginti quinque cubitorum millia habebit longitudinis; decem verò millia latitudinis.

10. Hæ autem primitiæ, quas Domino separandas diximus, sacerdotum erunt. Quarum longitudo Aquilonem versùs à meridie, seu, quod idem est, ad meridiem ab Aquilone viginti quinque millia cubitorum habebit: & latitudo ad mare procurrens, decem millia. Et præter hæc accedent illa commoda, quæ sacerdotes ex templi ministerio percipient.

11. Percipient, inquam, è sanctuario
D fructus sacerdotes, qui sunt è genere Sadoc, qui præscriptas à me cæremonias, & ritus seruauerunt; neque decem tribuum errorem prosecuti sunt, sicut fecerunt Leuitæ.

12. Erunt item illis, qui sunt è genere Sadoc, primitiæ, de quibus proximè; præter illa, quæ è templo capiuntur emolumenta; quæ erunt illis adiunctæ primitiis, quæ pro Leuitis definitæ.

13. Tantundem spacij assignabis Le-
E uitis statim à sacerdotali sorte, quod in longitudinem viginti quinque pateat cubitorum millibus; in latitudinem verò decem. Vtriusque sortis latitudo erit decem millium; & longitudo viginti quinque millium cubitorum.

14. Illæ porrò primitiæ perpetuò Leuitis, ac sacerdotibus seruient; neque ex illis quicquam vendent, ac permutabunt; aut alio quouis modo à suis vsibus abire patientur: quia possessio sanctificata Domino.

15. Ex viginti quinque cubitorum millibus,

in latitudine per vigintiquinque millia, profana erunt vrbis in habitaculum, & in suburbana: & erit ciuitas in medio eius.

16. *Et hæ mensura eius: ad plagam Septentrionalem quingenta & quattuor millia: & ad plagam Meridianam, quingenta & quattuor millia: & ad plagam Orientalem, quingenta & quatuor millia: & ad plagam Occidentalem, quingenta & quatuor millia.*

17. *Erunt autem suburbana ciuitatis ad Aquilonem ducenta quinquaginta, & ad Meridiem ducenta quinquaginta, & ad Orientem ducenta quinquaginta, & ad Mare ducenta quinquaginta.*

18. *Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundùm primitias sanctuarij, decem millia in Orientem, & decem millia in Occidentem, erunt sicut primitiæ sanctuarij: & erunt fruges eius in panes his, qui seruiunt ciuitati.*

19. *Seruientes autem ciuitati, operabuntur ex omnibus tribubus Israel.*

20. *Omnes primitiæ vigintiquinque millium, per vigintiquinque millia in quadrum, separabuntur in primitias sanctuarij, & in possessionem ciuitatis.*

21. *Quod autem reliquum fuerit, principis erit ex omni parte primitiarum sanctuarij, & possessionis ciuitatis è regione vigintiquinque millium primitiarum vsque ad terminum Orientalem: sed & ad Mare, è regione vigintiquinque millium vsque ad terminum maris, similiter in partibus principis erit: & erunt primitiæ sanctuarij, & sanctuarium templi in medio eius.*

22. *De possessione autem Leuitarum, & de possessione ciuitatis in medio partium principis: erit inter terminum Iuda, & inter terminum Benjamin, & ad principem pertinebit.*

23. *Et reliquis tribubus: A plaga Orientali vsque ad plagam Occidentalem, Benjamin vna.*

24. Et

A millibus, quos primitias secundùm latitudinem habuisse diximus, viginti sibi vendicabit sacerdotum, ac Leuitarum portio. Quinque verò millia, quæ ex ea latitudine supersunt, profanis seruiunt vsibus, & ad suburbana, & habitacula ciuium relinquentur. Eo quippe spatio ædificabitur ciuitas.

16. Hæ porrò erunt mensuræ, atque spacia ciuitatis, quæ in sæculari, atque profana sorte construetur. Quatuor habebit latera ad quatuor mundi plagas, quorum B singula quatuor patent cubitorum millibus, & quingentis insuper aliis.

17. Ad quatuor ciuitatis latera sua quoque erunt pomœria, ac suburbanus ager; quæ à ciuitatis mœnibus quoquò versùs se ducentis ac quinquaginta cubitis exporrigent.

18. Ex sorte ciuitatis, ipsius vrbis sedes, & agri suburbani quinque millia cubitorum occupant: quare ex longitudine viginti millia supersunt, decem ad Ortum; totidem ad Occasum, tanta enim est sanC ctuarij longitudo. Hæc igitur viginti millia erunt ad victum, & sumptus iis, qui ciuitati, publicísque commoditatibus seruiunt; sicut aliæ primitiæ deseruiunt sanctuario.

19. Seruient autem ciuitati non vna, aut altera tribus; sed omnes tribus Israel: quare ad tribus omnes profanæ huius sortis commoditas pertinebit.

20. Quadratus ille tractus, qui viginti quinque cubitorum millibus quoquò versùs patet, primitiarum erit, & status, ac leD gitimus fructus sanctuarij; & ciuitati destinata possessio.

21. Cùm autem pro terræ promissæ longitudine ex spatio illo quadrato, quod viginti quinque cubitorum millibus vtrinque patet, magnum etiam spatium vtrinque necessariò supersit, totum illud pertinebit ad Principem, quantum ad mare vsque reliquum est ex vno latere, & ad initium orientalis regionis ex altero. Quæ sors tam erit vtrinque lata, quantum est E facies sortis sanctuarij, atque vrbis, quam vtrinque respicit; & sanctuarij primitias, & vrbis possessionem in suo complexu continebit.

22. Sors porrò Principis erit sicut aliæ sanctuarij, vrbísque primitiæ inter tribus Benjamin, & Iudam, quam ab Ortu, Occasúque definient possessiones ciuitatis, & sanctuarij, quas medias amplexabitur.

23. Dictum est quo ordine, ac situ septem tribus ab Aquilonari templi regione suas sibi sortes obtineant: nunc de quinque aliis, quæ Australem templi plagam

A gam insedere dicendum est. Prima sors erit Beniamin, quæ ab Orientali plaga ad occidentalem procurret.

24. Et contra terminum Benjamin, à plaga Orientali vsque ad plagam Occidentalem, Simeon vna.

24. Huic succedet proximè ab Orientali item ad Occidentalem regionem tribus Simeon.

25. Et super terminum Simeonis, à plaga Orientali vsque ad plagam Occidentalem, Issachar vna.

25. Hinc ab Oriente, Occidentem versùs ducetur funiculus Issachar.

26. Et super terminum Issachar, à plaga Orientali vsque ad plagam Occidentalem, Zabulon vna.

26. Inde spatio simili ad Occidentem ab Ortu suam sortem habebit Zabulon.

27. Et super terminum Zabulon, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Gad vna.

B 27. Huic adiungetur funiculus Gad, quæ ab Orientali plaga ad occidentalem regionem producetur.

28. Et super terminum Gad, ad plagam Austri in Meridie: & erit finis de Thamar vsque ad aquas contradictionis Cades, hereditas contra mare magnum.

28. A funiculo Gad Australis, siue meridionalis plaga incipit à Thamar; & inde ad Cades, quæ ad mare magnum spectat, & ad aquas contradictionis protenditur.

29. Hæc est terra, quam mittetis in sortem tribubus Israel: & hæ partitiones earum, ait Dominus Deus.

29. Hæc est summa quædam complexio, ac definitio terræ, quæ sortitò distribuenda est; & istæ sortes, quæ assignari debent familiis Israel, dicit Dominus.

30. Et hi egressus ciuitatis: A plaga Septentrionali quingentos & quatuor millia mensurabis:

30. Et hæc suburbana ciuitatis, A plaga septemtrionali quater mille numera & C quingentos cubitos.

31. Et portæ ciuitatis ex nominibus tribuum Israel, portæ tres à Septentrione, porta Ruben vna, porta Iuda vna, porta Leui vna.

31. Portæ porrò ciuitatis in singulis lateribus ternæ à nominibus tribuum Israel nomen accipient. Quæ ab Aquilone sunt, nominibus Ruben, Iuda, & Leui notabuntur.

32. Et ad plagam Orientalem, quingentos & quattuor millia: & portæ tres, porta Ioseph vna, porta Benjamin vna, porta Dan vna.

32. Ad latus Orientale quater mille erunt, & quingenti cubiti; & ibi tres portæ, quas nominabunt Ioseph, Benjamin, & Dan.

33. Et ad plagam Meridianam, quingentos & quattuor millia metieris: & portæ tres, porta Simeonis vna, porta Issachar vna, porta Zabulon vna.

33. Tantundem erit spacij in Australi latere; & ternæ item portæ, quibus nomen dabunt Simeon, Issachar, & Zabulon.

34. Et ad plagam Occidentalem, quingentos & quattuor millia, & portæ eorum tres, porta Gad vna, porta Aser vna, porta Nephthali vna.

D 34. Eadem erit mensura occidentalis plagæ, vbi tres etiam portæ totidem consignatæ nominibus Gad, Asser, Nephthali.

35. Per circuitum, decem & octo millia: & nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.

35. Totus ciuitatis ambitus decem, & octo colligit cubitorum millia. Et ex illo tempore, quia Deus in ea futurus est, vt antè beneuolus, nouum accipiet nomen Hierosolyma; & à Deo, quem secum habebit appellationem sortita, nominabitur *Dominus ibidem.*

---

1. CAPVT hoc post generalem promissæ terræ descriptionem, suam cuique tribui sortem ascribit. Opus sanè impeditum, & longum; eiusmodi tamen, vt saluo interpretis nomine, ac munere ab illo longiore explicatione tractanda abstinere posse videamur. Quare præmittemus communia quædam, sine quibus res tota maneret impedita: deinde si quid in singulis implexum occurrerit, illud paucis expedire tentabimus.

Primùm exploremus, an eadem sit Iosue, & Ezechielis terræ diuisio, & cuius terræ diuisio sit. Sunt qui putent hæc spiritualiter esse sumenda, de cœlesti nimirum Ierusalem, & promissa fidelibus æterna possessione, cuius vmbra fuit Ierusalem terrena, & terra promissionis, quæ ma- 2.

nare

nare dicitur lacte, & melle. Aut certè de Ecclesia, ad quam Israelitæ veri à Babylone confluxerunt. In sensu mystico explicare videtur Hieronymus, Dionysius, Lyra, & plures alij, inter quos nuper Alcasar in cap.3. Apocal.p.2. v.12. not.2. Quorum hæc esse potest grauissima ratio; quia aliter hîc ab Ezechiele, quàm à Iosue olim numerantur sortes, vt patet, & nos statim magis explicabimus. Secundò, quia cùm decem tribus nō essent ab exilio reuocandæ, non erat cur illarum sortes definirentur, & secernerentur inter se.

3\. In hac ego quæstione dicam, quod dixi sæpius in causa simili, hæc nimirum historicè esse intelligenda de terra distributa, quam possederunt Israelitæ è Babylonia reuersi; typicè tamen de Ecclesia, aut etiam de cœlesti patria, quod latè probauimus in præfatione quadam ad 40. caput Isaiæ. Et hîc noua est, & peculiaris ratio, cur de terra post exilium repetenda agi debuerit. Nam vt de templo egit antea, rébque tota sacrificali, quia instaurari debuerunt à Iudæis, quæ iam pridem fuerunt intermissa; quæ quia extra templum illud fieri non poterat, de templi quoque fabrica multa dicta sunt: sic etiam quia ab illis repetenda fuit, & habitanda regio, à qua priùs exciderant, de illis terminis, ac diuisione actum oportuit, ne qua fieret vrbium terminorúmque confusio; ex qua seditiones nasci frequentes solent. Adde quòd hæc eò spectant, vt ad benè de suis rebus sperandum excitentur abiecti, atque mœrentes animi; & meliora, quàm antea, de reditu conciperent. Neque enim sine causa dictum est Prophetæ cap.40.v.4. *Annuncia omnia, quæ vides domui Israel.* Neque id negant Hieronymus, & qui cum illo videntur sentire: sic enim mysticum instituunt sensum, vt illi tamen supponant historicum; sed quia obiecta non parum habent difficultatis, ad illa nos oportet responsionem instruamus.

Diuisio Ezechielis historicè de terra, mysticè de Ecclesia.

4\. Alia est, inquiunt, Iosue, alia Ezechielis terræ sortitio: aliud ergo Deus apud Iosue, aliud apud Ezechielem intuebatur. Admitto lubens, quod obiiciunt; non tamen id, quod ex eo effici nobis persuadere student. Multa enim in templo nouo fieri iubentur; quæ tamen non inueniebantur in veteri, vt suo loco diximus. Et de sacrificiis Principum, quæ certis diebus fieri debent, de quibus cap.43.v.16.& 17. sentit apertè Hieronymus. Et quæ de sorte Sacerdotibus, Leuitis, & Principi destinata traduntur eodem capite, nusquam leguntur facta, quandiu durauit templum à Salomone constructum. Quare vt illa nemo negat esse de templo, aut sacrificiis intelligenda; sic neque quæ de promissa terra præscribuntur, licèt aliter hîc, quàm olim antea diuidatur.

5\. Mihi dubium non est aliam à Iosue, aliam ab Ezechiele sortitionem esse descriptam; neque cuiquam esse potest dubium, quin alteram diuisionem cum altera contulerit. & ita puta Lyra in principio cap.45. Adducam duo, aut tria exempla, ex quibus de aliis sumi potest coniectura. Iosue cap.18. Benjamin possedit terram inter filios Iuda, & filios Ioseph: hîc verò vers.24. dicitur esse inter tribum Iuda, & tribum Simeon. Et Gad, quæ erat vltra Iordanem, dicitur esse à sorte Zabulon, à plaga Orientali, vsque ad plagam maris. Et idem dicendum de Ruben v.6. Et cùm antè dimidia tribus Manasse vltra Iordanem constitisset; versu tamen 4. adiuncta dicitur tribui Nephthalim. Et cùm sors sacerdotalis, & Leuitica, tum etiam quæ ascripta est principi, tan-

A tum occupet spatium, & fortasse plus, quàm vna tribus, & in optimo loco, ac media inter tribus alias; necessariò in tribubus fieri debuit aliqua mutatio, neque illa leuis.

Sed dices, si tribus illæ decem rediture non erant in patrios fines; aut si ex illis plurimi etiãsi rediissent, quod verisimilius putabamus, paternas sortes occupaturi non erant, vt in principio cap.45. magis verisimile probabamus; cur tam accuratè partes descriptæ? Ab his ego etiam quærerem, cur Iosue cap. 15. à v.45. tribui Iuda adscriptæ sunt ciuitates Palæstinæ, immò totus ille tractus, quem obtinuit non nisi post multa sæcula: & tribui Aser Tyrus, & Sidon, Iosue cap.19. 6.

Tribus Iudæ, & Aser non obtinuerunt ciuitates aliquot suarum sortium.

B v.29. quæ tamen bonam illam partem suæ hæreditatis nunquam obtinuit? Sed vt hîc causa non defuit, eaque non vulgaris, cur ciuitates illæ alicui familiæ ascribi debuerint, licèt in illius potestatem redactæ non sint; tamen ius illud debellandi illas, & suæ potestati subiugandi, magni ab omnibus æstimari solet. Et hic multo grauior ratio; quia filiis parentum suorum possessiones cognitas oportuit, & si quando multiplicata soboles, non posset angustiis Iudæorum finibus cohiberi, & inde exire in alias sortes foret necessarium; in deligenda habitationis sede minus esset laborandum. De aliis temporibus longè à Babylonio reditu, nihil hîc dico amplius, quàm

Cur facta sortium distributio.

C quod in principio cap.45. dictum est. Quòd qui ab exilio reuersi sunt, primùm habitarint in Ierusalem, & ciuitatibus Iuda, indicat Esdras lib.2. c.11. Rediisse autem plurimos eo tempore è decem tribubus, nō obscurè infertur ex eodem Esdra lib.1.c.2. vbi cùm eorum, qui ex captiuitate ascenderunt, numerus esse dicatur 42000. tamen vbi sigillatim cōputatio fit ex tribu Iuda, & Benjamin, eorum summam fuisse constat 32000. Eorum causam hanc putant Hebræi, quia è duabus tribubus 32000. redierunt; ex aliis verò decem 10000. ex quibus conflatur numerus ille 42000. 7.

Multi ex his, qui è decem tribubus redierunt habitarunt in sorte Iuda.

Vers.1. *Et hæc nomina tribuum à finibus Aquilo-* 8.

D *nis.*] In quatuor partes diuiditur tota terra, in Aquilonarem, Meridionalem, Orientalem & Occidentalem, cuius ad Occidentem spectat longitudo. In Aquilonari constituit septem tribus, eo ordine, quo hic à nostro Propheta definitæ sunt: Dan, Aser, Nephthalim, Manasse, Ephraim, Ruben, Iuda. Ad Meridiem quinque: Benjamin, Simeon, Issachar, Zabulon, Gad. In harum verò medio, in eo nempe spatio, quod inter Aquilonarem, & Australem plagam situm est, id est, in eo tractu, qui ad Ortum ab Occasu procurrit, sors est sacerdotum, Leuitarum, & Principis, & illorum, qui ciuitati seruiunt, in cuius medio ciuitas est, & templum. Et hæc est totius capitis summa complexio.

E Vers.2. *Super termino Iudæ à plaga Orientali, vsque ad plagam maris erunt primitiæ, quas separabitis.*] 9.
Ostendimus cap.45. quomodo nobis videretur vero magis simile mensuram, de qua in hac terræ diuisione, non tam calamorum esse, quàm cubitorum; quia nobis non videbatur credibile, tam longam esse sacerdotalem sortem, quam vix caperet longitudo terræ promissionis; præsertim cùm ex vtraque parte ciuitatis versùs longitudinem, hæreditas etiam contineretur Principis, vt dicemus. Quam sanè amplam esse oportet, cùm ideo sors illa sit assignata, ne populo grauis sit exigendo ab illo tributa ad publicos, & domesticos sumptus. Idem hîc nobis videtur dici posse, & ad hanc mensuram sortium dimensionem

nem attemperabimus. Scio aliis communiter videri hos esse calamos, & fortasse verè; sed ego multa deprehendo, quæ non bene cum calamorum mensura consentiunt: atque ideo cubitos hìc, non calamos intueor. Ex vltimis finibus sortis Iudæ ducetur pars illa, quæ ad sacerdotes, Leuitas, & ciuitatem pertinet, quæ, vt putat Lyra, & probat Maldonatus, quadratam habebat figuram, quod mihi valde placet. Nam quælibet istarum partium viginti quinque millia cubitorum habet longitudinis: quòd si tantundem latitudinis habere constiterit, nihil desiderabis ad quadratam formam. Quod ita facile ostenditur: nam sacerdotalis sors latitudinis habet decem millia cubitorum; totidem Leuitica, quibus si addas quinque millia ciuitatis, quæ sacrum à profano diuidunt, viginti quinque millia cubitorum inuenies. Quod sanè spatium tantum est, vt ferè cuiusuis sortis aliarum tribuum amplitudinem æquet. Quòd verò quoquò versùs tractus ille sacerdotibus, Leuitis, & ciuitati destinatus, viginti quinque millibus cubitorum pateat, ipse Propheta videtur statim explicare, dum dicit, viginti quinque millibus longitudinis, & latitudinis; quia nimirum tanta latitudo, quanta longitudo est. Et clariùs, v.20. vbi spatium harum sortium quadratum esse dicitur.

Sicuti singulæ partes à plaga Orientali, vsque ad plagam maris.] Sors ista tam Leuitica, quàm sacerdotalis, & ciuitatis, à parte orientali ad mare vsque dicitur esse proiecta; sicut aliæ sortes, de quibus suprà, quæ eodem omnino modo producebantur.

10. *Et erit sanctuarium in medio eius.*] Hinc facilè constat, & vbi fuerit sors sacerdotalis, & Leuitica; nempe eo loco, vt mediam amplectatur ciuitatem, & templum; & aliter diuisam esse terram, quàm olim à Iosue. Nam templum, & ciuitas, & maxima pars sortis illius sacræ, ac ciuitatis ad Iudam pertinebant, & Benjamin: nunc verò cum ciuitate, ac templo maxima pars hæreditatis ablata est. Et cùm Benjamin, & Iudæ sese priùs termini coniungerent; nunc tamen interiecta viginti quinque cubitorum millia, illos latè discludunt.

11. Vers.10. *Ad Aquilonem longitudinis viginti quinque millia, & ad mare latitudinis decem millia; sed & ad Orientem latitudinis decem millia, & ad meridiem longitudinis viginti quinque millia.*] Hìc explicat, quod suprà dixerat de longitudine, ac latitudine sacræ sortis, quæ ad Leuitas pertinet, & sacerdotes; ostenditque ad quam partem spectent illius longitudo, ac latitudo. Longitudo spectat Aquilonem, & mare; latitudo Orientem, & meridiem. Dicitur verò longitudo, seu latitudo non comparatione sortis, quia illa longior est ab Oriente; sed comparatione terræ totius, cuius est latitudo ab Ortu, ab Aquilone longitudo. Quæ sequuntur ad versum vsque 14. aperta sunt, & iam à nobis superiùs explicata.

12. Vers.15. *Quinque millia autem, quæ supersunt in latitudine per viginti quinque millia profana erunt vrbis in habitaculum, & suburbana.*] Quadratum esse diximus spatium illud, quod pro sacerdotibus, Leuitis, & ciuitate definitum est: quare in omnia latera viginti quinque cubitorum millibus patebat. Cùm verò tam sacerdotalis, quàm Leuitica portio decem non amplius cubitorum millibus pateret, ad quadrationem illius quinque cubitorum millia desiderabantur. Hæc autem nunc dicit ascribenda esse ciuitati, in qua

In profana sorte ædificata ciuitas, & templum.

ædificetur ciuitas, & illius suburbana constituantur. Neque est, cur quis durum putet, in hac profana sorte ædificatum etiam esse templum, quod proculdubio in ciuitate fuit: nam licèt eo nomine profanus videri posset locus ille, quia ad illam sortem pertinet, ex qua ad ciuitatis vsum fruges capiuntur; sacer tamen fit templi ædificatione, & ad vsum pertinet sacerdotum, sacraque ministeria. Neque Deus voluit quicquam de Sacerdotum, ac Leuitarum commodis auferri; sed partem illam detraxit è ciuitatis sorte, vt religioni, ac templo, atque adeò sacerdotum commoditati seruiret. Quomodo verò intelligendum sit quod suprà dictum est v.10. & cap. 45. v.5. *in ipso erit templum, sanctumque sanctorum*, diximus suprà cap.45. num.19.

E sacerdotali sorte nihil detractum.

Vers.16. *Et hæ mensuræ eius.*] Nempe vrbis, cuius sedes futura dicitur in ciuitatis tractu; qui tamen ad ius sacerdotale, ac Leuiticum pertinet.

Ad plagam septemtrionalem quingenta, & quatuor millia.] Definiuit ciuitatis amplitudinem, & ambitum, & cùm quatuor latera quadratæ ciuitatis constituat, singulis quatuor mille, atque quingentos cubitos ascribit. Quare ambitu suo decem, & octo colligit cubitorum millia. Quo vno argumento mihi persuadeo, in hac re mensoria locum non esse calamis; cùm penè incredibile videatur, muros ciuitatis habuisse decem, & octo millium cubitorum longitudinem. At calamus sex constat cubitis, & palmo, vt habes suprà cap. 40. v.5. 13.

Hierosolyma ambitus.

Vers.17. *Erunt autem suburbana ciuitatis ad Aquilonem ducenta quinquaginta.*] Ad quatuor ciuitatis latera, sua quoque erant pomœria, seu agri suburbani; quæ neque accipiunt satus, neque vsum præstant, quàm qui capitur ab his, qui laxare animos volunt; aut alterius generis leue aliquod captare compendium, Hispanè dicuntur *los egidos*. Hi verò agri à mœnibus ducentis sese, ac quinquaginta cubitis exporrigunt. Hic quoque numerus facilè conuincit non hanc esse calamorum mensuram: esset enim spacium illud latissimum, quantum credo ciuitatem nullam habuisse vacuum à cultura. Sanè cum templi assignantur suburbana cap.45. v.2. non illa calamis, sed cubitis mensurantur. *Et quinquaginta cubitis in suburbana eius per gyrum.* 14.

Hierosolyma suburbana.

Vers.18. *Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundùm primitias sanctuarij decem millia in Orientem, & decem millia in Occidentem erunt, sicut primitia sanctuarij, & erunt fruges eius in panes his, qui seruiunt ciuitati.*] Diuidit nunc partem illam, quam ascriptam diximus esse ciuitati, id est, ad vsus publicos, & communes illius; ex qua tantum spacij sumpsimus, quantum sede ciuitas occupabat. Deinde suburbanos agros, de quibus proximè, in quibus quinque cubitorum millia consumpta sunt. Superant ergo viginti millia cubitorum decem ad Orientem, totidem ad Occidentem; ab his enim terminis spectabatur sortium illarum communium longitudo, id est, decem millia cubitorum ab eo ciuitatis latere, quod orientalem plagam; & totidem ab illo, quod occidentalem spectat. Vt ergo communibus vsibus quinque millia cubitorum seruierunt; partem enim templum, partem ciuitas, partem suburbana vendicarunt: sic etiam vult Deus, vt quæ supersunt ex illa sorte, ad publicos ciuitatis vsus conferantur, id est, in sumptus illorum, qui ciuitatis commodis inuigilant, qui res curant communes; quorum denique studia eò spectant, 15.

Sors ciuitatum, quibus seruit.

vt

vt non domesticis, ac suis publicis rationibus, atque vsibus seruiant, nempe ædificandis, atque instaurandis mœnibus, reficiendis fontibus, complanandis viis; his denique rebus, sine quibus res laboraret communis, & publica.

16. *Secundùm primitias sanctuarij.*] Id est, quicquid habet præterea longitudinis, quæ tanta est, quãta primitiarum sanctuarij, id est, agri, vnde qui sanctuario seruiunt, fruges metunt ad sacros, atque domesticos vsus. Vel, vt quemadmodum sanctuarij primitiæ, id est, fruges sacerdotalis, atque Leuiticæ sortis sacris destinantur; sic etiam quæ ex profana illa sorte capiuntur, licèt profanis, publicis tamen seruiant ministeriis.

17. *Omnibus tribubus cõmẽdata ciuitatis cura.*

Vers.19. *Seruientes autem ciuitati operabuntur, ex omnibus tribubus Israel.*] Pertinebat ante hoc tempus vrbs, & templum ad tribum Iuda, & Beniamin, vt pluribus ostendimus ad illud Zachariæ cap.2. *O, ô fugite de terra Aquilonis*: quare illorum curæ videbantur permissa sarta tecta ciuitatis, & templi. Nunc autem cùm longè duæ illæ tribus ab vrbe, templóque recesserint, cùm ædificari iubeantur in eo tractu, qui latè vtramque tribum secludit, ac separat; æquum videbatur, vt tribubus aliis communis sit ille labor, & cura; & si qua inde capi commoditas potuit, ad illarum quoque vsum pertineret.

18. *Sors sanctuario ac ciuitati designata quadrata.*

Vers.20. *Omnes primitiæ viginti quinque millium per viginti quinque millia in quadrum, &c.*] Quadratas diximus esse sortes illas, quæ simul sumptæ quoquo versùs viginti quinque cubitorum millibus patent. Totum illum tractũ quadrangularem ciuitati, ac templo, templíque ministris, ac ministeriis addicit.

19. *Principi sors ex eo, quod templo, ciuitatique superest.*

Vers.21. *Quod autem reliquum fuerit, Principis erit, ex omni parte primitiarum Sanctuarij, & possessione ciuitatis.*] Sicut sortes aliæ à regione Orientali, ad mare magnum procurrebant; sic etiam sors hæc viginti quinque cubitorum millibus lata, & totidem longa, quam sanctuarium possidebat, & ciuitas. Erat tamen à mari, vsque ad mare spatium multo longius, quàm quod viginti quinque cubitorum millibus impleri posset. Quare versùs vtrumque mare magna pars esset relinquenda vacua, inter illas lineas, quæ spatium illud definiebant per totam terræ longitudinem. Illud verò Deus principis esse iubet, qui, vt vidimus cap.45. ad sacros vsus multa præstare debet. Sors itaque erit inter duas tribus Beniamin, & Iudam; sicut & aliæ sortes de quibus nuper, tam lata, quàm tres illæ sortes in vnum coactæ, nempe viginti quinque cubitorum millibus. Eius verò longitudo erit ab vtroque latere, ad vtrumque mare, ita vt sortes ciuitatis, & sacras vtrinque concludat, in quibus ciuitatem, & templum

20. *Princeps templum, & ciuitatẽ amplectens.*

esse diximus. Quanta verò sit longitudo duarum illarum partium, quæ assignatæ sunt in Principis vsum, non constat; sed magnam fuisse oportet, quia Principum sumptus non possunt esse non magni, quos alit illa regio; quæ ideo Principi ascripta dicitur cap. 5. v.8. Hieronymus tantum Principi, quantum singulis tribubus assignatum putat, iuxta diuisionem, de qua modò. *De hoc*, inquit, *Principe suprà pleniùs disputatum est; & quod tantum solus acciperet, quantum vna tribus.*

Principis quàm magna sors.

Quod si ita est, sanè illa viginti quinque millia cubitorum sunt, non calamorum: terra quippe promissionis vix tot calamorum multitudinem capit. Addit verò Hieronymus ab aliis etiam tribubus, quicquid reliquum esset Principem accipere; neque vllam esse tribum, quæ Principi non

offerat dona. Fortasse hoc verum; sed durè admodum extorquetur à litera.

Vers.22. *De possessione autem Leuitarum, & de possessione ciuitatis in medio partium Principis erit inter terminum Iuda, & inter terminum Beniamin.*] Circũscribit nunc terminos, quibus possessio Principis definitur. Clauditur enim inter sortes Beniamin, & Iudæ ab Aquilone, & Austro: ab Ortu verò definitur ea linea, quæ terminat sortes Leuitarum, id est, eorum, qui prognati sunt à Leui, in quibus etiam Sacerdotes intellige, & funiculum ciuitatis, quæque absoluit illam longitudinem, quam Deus ciuitati, ac Leuitici generis hominibus addixit. Et eodem modo definienda est pars altera, quæ versùs aliud mare porrigitur, earundem tribuum finibus inclusa; & ab alia item incipiens linea, quæ ex illa parte longitudinem complet viginti quinque mille cubitorum. 21. *Quibus finibus conclusa Principis possessio.*

Vers.23. *Et reliquis tribubus à plaga Orientali, vsque ad plagam Occidentalem Beniamin vna.*] Diuiserat à parte Aquilonari templi terram promissionis, ibique septem constituerat tribus, incipiens à Dan, vsque ad Iudam, à cuius sorte incipit spatium illud viginti quinque mille cubitorum, de quo proximè. Postquam verò medium illud spatium in varios dominos, ac ministeria diuisit, ad aliarum tribuum sortitionem progreditur. Et ducit sortes ab ea regione, vnde superiores; nempe ab Orientali, ad Occidẽtalem plagam, cò namque tendit longitudo terræ. Constituit autem primo loco Beniamin, prope locum illum, quem ante captiuitatem obtinuerat; ita vt eius sors ab Austro sacerdotalem, & ciuitatis possessionem definiat, sicut sors Iudæ ab Aquilone. Reliqua ad numerum vsque 28. obscura non sunt. 22. *Quæ tribus ab Australi templi regione.*

Vers.28. *Et erit finis de Thamar vsque ad aquas contradictionis Cades hereditas contra mare.*] Sicut in principio terminos designauit Aquilonaris plagæ, in qua suas sibi sortes habuerunt septem tribus; sic nunc extremos adhibet Australis terræ terminos, quam aliæ quinque tribus occuparũt. Et dicit Australem illam plagã oriri à Thamar, quæ palmam sonat, id est, à Iericho, quæ ciuitas appellatur palmarum; & ad aquas contradictionis protendi, id est, ad Cades. Quod clariùs explicarat paulo antè cap.47. v.19. *Plaga autem Australis meridiana à Thamar vsque ad aquas contradictionis Cades, & torrens vsque ad mare magnum. Et hæc est plaga ad meridiem Australis.* 23.

Vers.29. *Hæc est terra, quam mittetis in sortem tribubus Israel, & hæ partitiones earũ, ait Dominus Deus, &c.*] Hæc summa complexio est eorum omniũ, quæ de descriptione terræ, atque sortitione dicta sunt. Egressus autem sunt suburbana, seu pomœria, quæ dicuntur egressus, quomodo ab Hispanis appellantur *egidos*, quasi exitus, quó homines laxandi animi gratia, vt forenses curas, & domesticas molestias declinent, secedere solent. 24.

Vers.30. *A plaga septemtrionali quingentos, & quatuor mille numerabis.*] Quatuor antè descripserat ciuitatis regiones, & quatuor latera, quorum quodlibet quingentos habebat, & quatuor mille cubitos. Nunc lateribus singulis ternas addit portas, quas notari iubet nominibus tribuum Israel. Ab Aquilone tres, quæ compellationem accipient à Ruben, Iuda, & Leui. Ab Oriente tres, quas nominabunt Ioseph, Beniamin, & Dan. A meridie tres, quæ nomẽ accipient à Simeone, Isachar, & Zabulon. Ab Occasu tres, totidẽ cõsignatæ tribuũ nominib[9] Gag, Aser, Nephthalim. 25. *Ciuitati quot portæ, & quibus notatæ nominibus.*

26. *Ciuitatis quantus ambitus.* Verſ. 35. *Per circuitum decem, & octo millia.*] nempe cubitorum. Dixerat ſingulas regiones, ſeu latera ciuitatis habere quingentos & quater mille cubitos; omnium nunc ſummam colligit, quam eſſe dicit decem & octo mille cubitorum; tantum enim efficies, ſi numerum illum ſingulorum laterum replices quater.

27. *REGVLA. Vocari idē quod Eſſe.* *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.*] Sicut *nomen* in Scriptura pro eo ſumitur, cuius eſt nomen; vnde *nomen Dei*, idem eſt quod *Deus*, *nomen meum*, idem quod *ego*: ſic etiam *vocari*, idem eſt quod *eſſe*. Hinc lucem accipiunt multa Scripturæ loca, in quibus aliquid dicitur hoc vel illo modo vocari, aut tale habere nomen; quod idem eſt, ac eſſe tale. Iſaiæ cap. 62. *Tranſgreſſorem ab vtero vocaui te.* id eſt, tranſgreſſor fuiſti. & cap. 9. v. 6. *Vocabitur nomen eius Admirabilis, conſiliarius*, &c. id eſt, erit admirabilis, conſiliarius, &c. Et in hac ipſa ciuitate ſunt exempla non obſcura. Baruch cap. 5. v. 4. *Nominabitur tibi nomen tuum à Deo in ſempiternum, Pax iuſtitia, & honor pietatis.* Iſai. c. 62. *Vocaberis voluntas mea in ea.* id eſt, fiet in ea voluntas mea. Sic etiam hoc loco, *Nomen ciuitatis Dominus ibidem*; nihil eſt aliud, quàm Dominum futurum in ciuitate, eo nempe modo, quo fuerat olim, dum ſtaret templum, & minus temerata religio.

28. *Ieruſalem quanta mutatio poſt exilium.* Hæc, vt alibi dixiſſe me memini, de Hieroſolyma inſtauranda dicuntur; quæ vbi in Babylonica fornace ſcoriā depoſuit, ſic eſt ab eo, quod habuerat antè, ingenio mutata, vt vocetur fidelis, & iuſta; de qua Iſaias cap. 1. v. 25. *Excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum*, &c. *Poſt hæc vocaberis ciuitas iuſta, vrbs fidelis.* id eſt, in qua ſit iuſtus, nempe Deus, qui ciuitati præſit, & ſanctis inſtituat diſciplinis. Sed multo hæc melius de Eccleſia capiuntur, cuius vmbra fuit inſtaurata Hieroſolyma; in quam Deus multo plura contulit, quàm in Ieruſalem; immò plura, quàm vmbra illa obſcura, & hieroglyphica portendit. Quæ etiam accommodari non ineptè poſſunt ad animam priùs exulantem ab eo complexu, quo Dominus fouere ſolet quoſlibet ſuis præceptis obſequentes: quæ prius in ſordibus iacuit ſeuero tyrannorum imperio ſubiecta, quæ Babylonio iugo ingenuam antea ceruicem fregit. Hęc etenim vbi iugum excuſſit, & in patriam rediit, in patriam, inquam, quam verè potuit appellare ſuā, ornatur à Deo, & ſplendorem accipit, quem antè perdiderat, & quem priùs peccando à ſuo complexu ingrata repulerat, eundem pœnitendo in ſuum ſibi ſinum rurſus acceſſit, qui non difficilis redit inuitatus, immò ſeipſum vltrò non vocatus inuitat; & talem ſeſe támque familiarem, & aſſiduum præbet, vt quod dixit Iſaias ſuprà de Hieroſolyma iam ad meliorem formam reuocata, audire de ſe poſſit, *Non vocaberis vltrà derelicta, & terra tua non vocabitur ampliùs deſolata; ſed vocaberis, voluntas mea in ea.* Faxit vtinam Deus, vt Dei voluntas beneplacens, & perfecta in nobis ſit, ad quam nos, ſtudiáque noſtra ſic attemperemus, vt de nobis verè dici poſſit, quod typicè de ſe Hieroſolyma audiuit, *Dominus ibidem*, cui ſit gloria, & honor in ſæcula ſæculorum, Amen. 29. *Animæ à peccato ſoluta quanta fœlicitas.*

Abſoluta ſunt hæc anno 1617. nono Kalend. Martij, qui dies mihi candidus affulſit, & lætus, redibitque quotannis feſtiuus, & ſacer. In eo etenim Deus ſingulari me beneficio complexus eſt, cùm in filij ſui ſocietatem aſcripſit, anno abhinc 46. pro qua eximia in me liberalitate gratias illi ago, agámque, vt de ipſius bonitate confido, ſempiternas. Quicquid verò à me dictum, atque adeò cogitatum eſt; id Eccleſiæ, Doctorúmque iudicio ſubiectum eſſe etiam, atque etiam volo.

FINIS.



INDEX



INDEX
RERVM, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Primus numerus Caput: secundus numerum marginalem: tertius columnam: p, Prolegomena designat.

nentur, piscatúque abundent; qualia sunt littoralia loca, atque palustre solum, quæ carebunt his, quæ regionem aliquam reddunt amabilem, & è cœno impuro grauem emittent, & fœtentem halitum. Hæc autem accommodatè dicuntur ad naturam maris mortui, quod à Cornelio Tacito adeò dicitur odoris esse grauis, vt accolis pestilentiam inhalet. Quem odorem retinebit, quia litteralis, atque palustris regio à sacro, atque purificante flumine non expiabitur. Illud hic, inquit Hieronymus, latenter ostenditur; sic esse pereundum illis, quos aqua hæc salutaris non tetigerit; quemadmodum periere omnes, qui diluuij tempore non sunt arcam ingressi.

38. Quod verò addit, *in salinas dabuntur*, maximè etiam cadit in illum locum: nam salsissimus in Scriptura sæpius appellatur. Quare ille videtur commodus esse sensus, mansurum esse littoralem, ac palustrem locum salsuginosum sicut antea, & sterilem; qualia esse illa experimento nouimus, quibus salsugo inest, cùm non eò pertingat aqua fluminis, quod à vitiis omnibus vindicat aquas; & solum facit fœcundum vt sit. Hæc mihi sententia potior est; sed tu vide an locus esse possit alteri cogitationi, quæ ex salinarum nomine coniectat, omnino locum illum esse vastandum, quem non irrigauerit, purgaueritve fœcunda illa, atque lustralis aqua, quæ sese à Sanctuarij limine diffundit. Notum est autem terræ à sale sterilitatem induci; & id Dominus minatur terræ propter improbitatem, Deut. 29. v. 23. quòd terram illam *afflixerit Dominus sulphure, & salis ardore comburens, ita vt vltrà non feratur, nec virens quidpiam germinet, in exemplum subuersionis Sodomæ.* Ex quo nonnullus coniectare posset, non solùm sulphureis flammis conflagrasse Pentapolim, sed etiam conspersо sale feraci quondam glebæ inductam esse sterilitatem. Et Psal. 106. *Posuit flumina in desertum, terram frugiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.* Certè Abimelech Iudicum cap. 9. v. 45. euersam à se ciuitatem sale conspersit. Quæ consuetudo apud Hispanos iam pridem inueterauit; itémque, vt audio, apud nationes alias. Sanè Sigonius de Regno Italiæ lib. 13. exaratum olim Mediolanum, saléque conspersum esse dicit. Hieronymus in salinas dicit datum iri peccatores, quia suo exemplo alios à peccando deterrebunt, & facient perditis moribus id, quod sal saniosæ carni; iuxta illud Prouerb. 19. *Pestilente flagellato stultus sapientior erit.*

Sal sterilitatem inducit, & sterilitatis symbolum.

39. Vers. 12. *Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum.*] Oriuntur quidem ad ripam maris mortui, siue salsissimi, arbores ad speciem præclaræ; & cùm fructiferæ videantur inexpertis, verumtamen fructus nullos afferunt nisi fallaces, & omnino fucatos. Ita Iosephus testis ipse oculatus. *Adhuc,* inquit, *in ea* (nempe terra Sodomæorum) *diuini reliquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renascentes in fructibus cineres. Qui colore quidem sunt edulibus similes; carpentium verò manibus in fumum dissoluuntur, & cinerem.* Quod etiam externi Scriptores prodiderunt, vsque adeò res erat celebris, & nota. Cornelius Tacitus lib. 21. *Haud procul inde* (nempe à mari mortuo) *campi, quos ferunt olim vberes vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, siue herba tenus, aut flore, seu solitam in speciem adoleuere atra, & inania in cinerem vanescunt.* Idem Solinus cap. 38.

Euangelij, baptismatisque fœcunditas.

Maris mortui prodigiosa sterilitas, & species vanissima fructuum.

A *Longo, inquit, ab Hierosolymis recessu tristis sinus panditur, quem de cœlo tactum testatur humus nigra, & in cinerem soluta. Duo ibi oppida Sodomum nominatum alterum; alterum Gomorrhum; apud quæ pomum gignitur quod habeat speciem licèt maturitatis, mandi tamen non potest: nam fuliginem intrinsecus fauillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ hac leui tactu pressa fumum exhalat, & fatiscit in vagum puluerem.* His igitur plantis infrugiferis, atque horridis opponuntur arbores, quæ perpetuò florent, fundúntque fructus in omne tempus & palato iucundos, & vitæ conseruandæ salubres.

B *Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius.*] Hæc propè eadem de iusto dicuntur, figura fortasse prouerbiali Psal. 1. v. 3. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet; & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.* Quod verò statim de impiis dicitur, *Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proiicit ventus,* fortasse respicit ad arbores, quæ plantatæ sunt ad crassas, & stagnantes aquas maris mortui, quarum fructus est, vt nuper vidimus, puluis, fuligo, & fumus, quæ proiicit ventus. Et quidem puluis si seorsum consideres, non ita commodè arboribus opponitur; nisi fortè puluis aliquid sibi sumat ab arboribus, qualis est ille, C in quem Sodomica poma manibus contrectata soluuntur. Eadem allegoria videtur vsus Isaias cap. 65. cùm dixit, *Secundùm enim dies ligni erunt dies populi mei.* Vide quæ nos in eum locum adduximus, num. 54. 40.

Fructus à spiritu, & à carne, & sanè dissimillimi.

Per singulos menses afferet primitiua.] Primitiua dicuntur fructus, quos primùm aut sata pariunt, aut arbores fundunt, quæ Oseas cap. 8. vocat, *prima poma ficulneæ.* & Isaias cap. 28. *temporaneum*, Hispanè *fruta temprana.* Est autem hæc optima descriptio, aut explicatio perpetui, & nullo tempore deficientis fructus. Vt enim experimento constat, vno mense durant in arbore, cuiuscumque sint generis maturi fructus. D Ex quo fit, vt si singulis mensibus noui germinant, continenti tractu veteribus succedant recentes, neque vnquam arbores maturis fructibus oneratæ non sint. Promisit Deus propè hæc eadem his, qui diuinæ legi obsequentes essent Leuit. c. 26. v. 10. *Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proiicietis.* Ad hunc locum spectauit Ioannes Apocal. cap. 22. v. 2. *In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem Gentium.* Lignum hoc loco sumi pro lignis in plurali, sicut etiam apud Ezechielem, satis probat, quòd lignum vnum esse non poterat in platea, E atque in vtraque fluminis ripa. 41.

Hæc optima est fœcundissimi agri, aut horti felicissimi descriptio, quem expressit Homerus ex Scriptura sacra, vt putat Iustinus Martyr in exhortatione ad Gentes qui in hunc Ezechielis locum intentus videri potuit, si modò constaret Ezechiele Homerum non esse superiorem. Iustinus paradisi imaginem esse descriptam putat ab Homero, quem in suis fabulis inclusisse dicit plurima ex Scriptura sacra, quam ad fabulosos, & alienos sensus detorsit. *Paradisi,* inquit Iustinus, *imaginem descripsit in hortis Alcinoi, quos semper virere dicit, plenos continuatis fructibus.* Deinde addit carmina Homeri ex Odyssea lib. 7. quæ idem propè significant 42.

Paradisi species ab Homero descripta.

Alcinoi horti.

quod

quod hîc Ezechiel de plantis consitis ad sacri fluminis ripas.

Ibi magnæ creuerunt arbores,longæ
Pyri,& punicæ,& mali fructuosæ,
Ficúsque dulces,& oliuæ longæ;
Quarum nunquam fructus perit,nec intermittit
Hyeme,nec æstate perennans,quin semper aura
Zephyria flans alia gignit,alia coquit,
Pyrum post pyrum senescit,& malum post malum,
Et vua post vuam,& ficus post ficum.

43. Vers.12. *Quia aqua eius de Sanctuario egredientur.*] Rationem reddit, cur tam sint aquæ illæ vitales, & fœcundæ; quia nempe egrediuntur è Sanctuario. Non est dubium hæc esse accipienda mysticè; de Euangelij nempe disciplina cœlesti,& Christi sanguine, quæ in mortuo mari, atque salsissimo, id est, in hominum animis, qui mortuo mari quàm simillimi sunt, talia præstant, qualia nuper vidimus; vt quilibet Apostolorum actis, sacrísque annalibus nascentis Ecclesiæ spectare potest. Nam quòd quidam fontem putant aquæ iugis manare de templo, ex eóque torrentem colligi, quem transuadare Propheta non potuit, mihi omninò improbabile est. Putant enim vim illam fœcundam, & viuificam inesse torrenti, quia aquæ illæ intinctæ erant victimarum sanguine,efficíque perennem quendam cursum ex aqua, quæ altare abluebat, & sacrificia, quam ex altaris holocausti sinu, id est, per occulta foramina, cæcósque meatus extra templum elabi diximus cap. 43. v.14. Neque putant temere affirmari posse,cùm videamus aquas probaticæ piscinæ vim habere sanandi, ex eo quòd traxissent è victimis, quæ in illis abluebantur; vt mundæ ducerentur ad

44. *Falsum est torrentem propriè exudare de tēplo.* altare. Sed hæc cogitatio multa fingit, multa assumit, quæ non facilè concedent alij. Primùm, quia vim illam aquarum tantam, quæ transuadari non poterat ab illa altaris, victimarúmque lotione, colligi incredibile est. Neque præterea aquæ illæ manasse dicuntur ex atrio Sacerdotum, vbi altare est holocausti, & vbi hostiæ cæduntur, sed è tabernaculo, quæ altare non alluebant, sed ab eius dextro latere labebantur. Deinde quia sicut arbores illæ frugiferæ,quæ ad illius fluminis ripas consitæ, perpetuo vernabant fructuum, foliorúmque prouentu, metaphoricæ sunt; sic etiam necesse est dicamus aquas, à quibus virtutem illam habent eximiam, esse metaphoricas. Et facit, quòd aquæ, propriè in mari Sodomico sanatæ non sunt; neque arbores vnquam eo tractu visæ cum illo multiplici prouentu. Quare hæc omnia mysticè à nobis, & figuratè, non historicè, ac propriè exponenda sunt. Plura de hac aqua

45. *De aqua sāctuarij quid tradat Aristæas.* Aristæas in historia L X X. interpretum 1.tom. Bibliothecæ veterum Patrum, ex quo, credo, in eam cogitationem venerunt, qui aliquid iugi, atque perenni cursu copiosum labi existimarunt è Sanctuario. Sic autem Aristæas: *Aquarum verò receptacula,quæ plurimæ ad diluendum iugulatarum hostiarum sanguinem funduntur, commodis locis occuluntur. Nam festis diebus multa victimarum millia cæduntur. Etenim tantus est eductarum aquarum assiduus fluxus, vt perennem fontem inundare putes. Sed mirabilius est, & ferè inenarrabile, subterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque vsque stadia per circuitum templi cuncta penetrat. Plumbeæ ad ea fistulæ quacunque per muros, & templi solum, quibus omnia abluantur, mundentúrque, descendunt. Sunt & apud aræ basim frequentes aperturæ omnibus quidem,* A *nisi his qui ministrant incognitæ, quarum influxu,& impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgetur. Receptarum autem aquarum multitudinem per hunc modum comectatmus: nam cùm nos vltra quatuor stadia extra vrbem deduxissent ad quendam locum, iubent nos subter fluentium vndarum sonitum exaudire, qui mihi quidem magnorum vasorum confluxus visus est.*

Et erunt fructus eius in cibum, & folia eius in medicinam.] Optima illa existimatur planta, ex qua nihil est,quod abiicias; quia nihil est,quod non sit futurum hominibus ex vsu. Hæ verò plantæ, quæ ad hæc sacra fluenta nascuntur,& crescunt, esculentos habent fructus, salubres frondes; & B quæ in aliis reiiciuntur arboribus; hîc magno studio ab iis, qui ægro sunt corpore, aut animo expetuntur. Si in arboribus eos intelliges, qui præceptis instituuntur Euangelicis, quos Christi sanguis adoptat, & vegetat; quales sunt, qui mentem mutarunt antiquam, spiritus imbibere regios; & vt Christum induerent, veterem hominem exuerunt. Sanè hi sunt eiusmodi; quia Christum in omnibus spirant, & olent, vt aliorum egregios alant,& instituant mores, non secus ac cibus corpus nutrit, & vegetat, quorum exemplo aut confirmantur languidi; aut seruantur robusti ne languescant, quod medicinæ, proprium est opus. Hieronymus hæc ad C Scripturam accommodat, cuius sacramenta hîc demonstrari putat. *Vt verba,* inquit, *simplicia intelligamus in foliis, in fructibus vero sensum latentem. Sicut enim scientia Scripturarum ducit ad regna cœlorum, & præbet nobis panem, qui dicit: Ego sum panis, qui de cœlo descendi; sic folia eius moralem doctrinam continent,& tribuunt sanitatem.* 46. *In Euangelio,& Christo omnia sunt, ad salutem,& vitam.* *Scriptura sacra fructus.*

Vers.13. *Hic est terminus, in quo possidebitis terram in duodecim tribubus.*] Egit hactenus de templo, ac de his, quæ ad templum quoquo modo pertinent; nunc de aliis instituitur sermo,quæ ad ciuilem spectant, & communem œconomiam. Et primùm ne qua sit rerum, funiculorúmque confusio,regionem antea possessam,& post- D liminio possidendam primò definit; deinde in singulas familias partitur. Occurrit autem primò cogitationi tacitæ illorum, qui cùm norint nullam habere sortem in terra promissionis filios Leui, fortasse cur cum duodecim fuerint filij Iacob; neque ex illis cum fratribus vllam sit sortem habiturus Leui; nihilominus quasi sua cuique sit ascribenda sors, duodecim sint discriminandi funiculi. Et respondet: duos fuisse filios Ioseph, quos Iacob moriens numerari voluit, & haberi pro suis. Quare licèt Leui in terræ partitione sortem nullam sit habiturus; erunt tamen duodecim aliæ familiæ, quæ totidem funiculos obtineant. 47.

E Vers.14. *Possidebitis autem eam singuli æquè, vt frater suus.*] Alia nunc instituitur terræ sortitio, seu diuisio, quàm quæ olim à Iosue, vt constat ex ipsius libro à cap. 15. vbi constat aliter hîc, atque illic terram esse diuisam. Accommodauit enim Iosue, inspirante, atque fauente Domino, terræ fines amplos, seu angustos pro multitudine capitum,quæ singulæ tribus numerabant: quare aliis laxauit,aliis contraxit, angustauítque fines. Iuxta illud Numer.cap.33.v.54. *Ego enim dedi vobis illam* (nempe terram) *in possessionem, quam diuidetis vobis sorte, pluribus dabitis latiorem, & paucioribus angustiorem.* Hoc verò loco iubet Deus,vt æqua sit sors omnibus. 48. *Terra promissionis nō eodem modo à Iosue, & ab Ezechiele diuisa.*

Sed est obscurum,an singulis tribubus æqualis 49.

lis sit assignanda portio; vel cùm tribus inæquales sortiantur funiculos, in quolibet funiculo singula capita æqualem sibi sortem sint habitura. Nam in vtramque sententiam verba patent. Lyra in principio cap.45. & Maldonatus in hunc locum, putant hîc à Deo singulis tribubus, etiãsi inæqualem habeãt capitum, seu familiarum numerum; æqualẽ tamen assignari funiculum. Sed placet magis, quod Hieronymus putat, inæquales nempe fore tribuum funiculos; in illis tamẽ singulis capitibus æquales esse sortes ascribendas. Qua in re descriptio terræ ab Esdra facta, non valde differt ab ea, quam olim legimus factam à Iosue. In hanc ego cogitationem adducor, tum Hieronymi sententia, quem sequuntur alij; tum quia non videtur si res humana prudẽtia sit expendenda, publicæ opportunum œconomiæ, vt tribus numerosæ magis, non etiam spatia magis lata sortiantur. Sane ex tribu Iuda, & Beniamin rediere multo plures, quàm ex aliis decem simul. Peius igitur actum esset cum illis, qui minus quàm alij fuerunt infideles, si ad aliarum tribuum mensuram, illorum esset portio definita.

Æqualis sors omnibus in suo cuique funiculo.

50. At obstrepet hîc aliquis iniquum videri, minúsque ex vsu publico, si Princeps in suæ tribus partitione æqualem cum quolibet è vulgo sortem obtineat; præsertim cùm cap.45.v.8. nihil à populo dicatur tribuendum esse principibus. Sed huic cogitationi hoc ipsum caput planè satisfacit: nam latos attribuit Principibus fines, vnde suæ sibi familiæ, ac nomini prouideat. Reliquis itaque à Principibus, æquales in sua cuilibet tribu sortes decernuntur.

51. Ex his constat, quod pluribus locis ostendimus, cum Beniamin, & Iuda ex aliis tribubus rediisse quàm plurimos. Vt quid enim aut antiqui renouarentur termini, aut describerentur noui pro singulis tribubus, nisi ab illarum familiarum ordinibus essent occupandi. An verò qui ab exilio confusis ordinibus redierunt, distincti in assignata sibi sorte cõsederint; an potiùs promiscuè in terra promissionis habitarint, incertum est. Placet interim, dum grauior non subit cõiectura, aut ratio, quod suprà diximus in principio cap.45. vbi putabamus verisimilius exules Babylonios non ad suos discretè remigrasse fines; sed omnes inter se habitasse confusè.

Cum Iuda, & Beniamin ex aliis familiis rediere multi.

52. *Super quam leuaui manum meam, vt darem patribus vestris.*] Leuare manum, iurisiurandi signum est, maximè apud Hebræos, qui in iuramento concipiendo, manum in cœlum leuant, Deum ad rei promissæ fidem, & testimonium, fideiussorem, ac testem aduocando. Exempla sunt plurima, & in hac ipsa materia nonnulla. Exod.cap.6. vers.8. *Et induxerim vos in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham, Isaac, & Iacob.* Et Num.cap.14.v.30. *Non intrabitis terram super quam leuaui manum meam.* Ad quæ loca videtur hîc allusum à Propheta.

Leuatio manuum iuramenti signũ.

53. *Et cadet terra hæc vobis in possessionem.*] Illud *cadet* aut significat regionem illam redituram esse ad dominos antiquos; aut certè, quod mihi propius videtur vero; non quemuis suo arbitratu electurum sibi, quam voluerit possessionem; sed vt sorte ceciderit. Quod explicuit suprà cap.45. cùm dixit versu primo, *Cum cœperitis terram diuidere sortitò.*

54. Vers.15. *Hic est autem terminus terræ.*] Definit priùs totam terram, quæ habitanda dicitur ab exulibus; notísque terminis circumscribit, vt

Locorum cognitio ma-

A deinde meliùs, atque expeditiùs ad singularum tribuum funiculos incumbat sortitio. Et primùm quatuor constituit latera, ad totidem cœli plagas: quæ definitio maximè est ex arte dimensoria; & his, quæ mox dicentur, & quæ ad sacram pertinent historiam, non parum afferunt lucis. Obseruarunt alij ante me plurimum conferre ad Historiæ sacræ cognitionem, locorum etiam ignobilium intelligentiam, & illam artem, quam Chorographicam, seu Topographicam appellant. Multa enim ex locorum situ, atque ordine dependent, quæ si quis ante oculos proposita non habeat, necesse est incertus erret; & cæcus in rebus interdum maximis offendat. Multa de

ximè ad Scripturæ cognitionem necessaria.

B hac re scriptores externi: dicam quid ex nostris duo viri maximi sentiant. Chrysostomus homil. in Priscillam, & Aquilam. *Nihil omnino in sacris literis superuacaneum. Nõnne didicistis & inscriptiones, & nomina diligenter in arcanis scripturis excutienda? Ego sanè studiosos arbitror ne laturos quidem, vt verbulum aliquod in sacris literis contemptim prætereatur, etiamsi tantùm nomina recenseantur.* Hieronymus in præfatione ad Paralipomena. *Quomodo Græcorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint, & tertium Virgilij librum, qui à Troade per Leucadem, & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad ostia Tiberis nauigarunt. Ita sanctam Scripturam luculentiùs intuebitur, qui Iudæam oculis contemplatus sit, & antiquarum vrbium*
C *memorias, locorúmque, vel eadem vocabula, vel mutata cognouerit. Vnde & nobis curæ fuit cum eruditissimis Hebræorum hunc laborem subire, vt circumiremus prouinciam, quam vniuersæ Christi Ecclesiæ sonant.* In his tamen explicandis parciores erimus; quia & res ipsa non admodum obscura est, quia textus ipse satis seipsum expedit; & alij ea de re longos instituere tractatus, quos promptum est adire. Vide expositores in Iosue, Salmeronem in prolegomenis, Hadrichonium, Institutiones Euangelicas Galareæ, & mille alios. 55.

Hic est autem terminus terræ.] Varij in variis locis constituuntur termini terræ promissionis, qui tamen aut eòdem spectant, aut certè non
D multum differunt inter se. Exod. cap. 23. v. 30. *Ponam autem terminos tuos, in mari rubro, vsque ad mare Palæstinorum, & à deserto vsque ad fluuium* (scilicet Euphratem) *tradam in manibus vestris.* Iosue cap.13.v.3. his concluditur finibus. *A fluuio turbido, qui irrigat Ægyptum, vsque ad terminos Accaron contra Aquilonem, &c. Ad Meridiem verò sunt Heuæi; omnis terra Chanaan, & Maara Sidoniorum vsque Apheca, & terminos Amorrhæi. Eiúsque confinia Libani quoque regio contra Orientem à Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath.* Sed clariùs Num.cap.34.v.3. vbi termini describuntur sic explicatè; vt nulla indigeant interpretis luce. Qui locus omnino videndus est; quia ex eo plurimum
E accipiet lucis ille, quem nunc versamus. Neque ego de hac terræ diuisione quicquam addam ad versum vsque 22. quia res est non obscura; tantùm dicam si quidquam occurrerit in aliqua dictione notatu dignum. 56.

Terra promissionis termini.

A mari magno.] Hoc mare mediterraneum est: dicitur verò magnum comparatione maris mortui, & maris Tiberiadis, quæ exigua sunt, nempe aluei paulo latiores in quibus stagnat sese, atque expatiat Iordanis. 57.

Mare mediterraneum cur dicitur magnum.

Domus Tichon.] Vsitatum est nostro interpreti, vt è dictione composita alteram partem Latinè reddat, alteram in suo idiomate relinquat, vt probauimus in nostris commentariis in Isaiam cap.7. num.5. sic ibi filius Isaiæ *Sehar Iasub*, redditur 58.

REGVLA. *Ex dictione composita altera interdum pars Latinè redditur.*

Filij Iemini, idem quod Beniaminita. ditur à nostro interprete, *derelictus Iasub.* & qui dicendus esset *Beniaminita*, seu filius Benjamin, vocatur in Scriptura sæpe *filius Iemini*, priori parte compositionis Latinè reddita, posteriore relicta. Sic nunc pro Chasser Tichon, dixit noster interpres domus Tichon. Est autem Heb. Chasser, idem quod Latinè *domus*, vel *atrium*. Idem dicendum de atrio Enon vers. 17. est enim nomen vnum Chasserenon.

Vers. 18. *Ad mare Orientale.*] Hoc mare mortuum est, seu lacus Asphaltites. Dicitur verò Orientale, quia Hierosolymam ab Oriente respicit.

Thamar Heb. *palmam* sonat Latinè. Hæc verò est Iericho, quæ non longè abest à mare mortuo. Dicitur verò ciuitas palmarum, quia palmis abundat.

59. Cades quo loco. Vers. 19. *Vsque ad aquas contradictionis Cades.*] Cades erat in solitudine Sin, non procul à mari mortuo, quæ, vt habes Iosue 15. pertinebat ad tribum Iuda. Non longè à Cades fuerunt aquæ illæ excussæ de silice; quæ quia tunc murmurante, atque contradicente populo datæ sunt, contradictionis sibi compellationem accepere.

60. *Et torrens vsque ad mare magnum.*] Torrens hîc multis appellatur nominibus: dicitur enim torrens Ægypti Numer. 34. & Iosuè cap. 13. *fluuius turbidus.* Ab aliis Rhinocolura, seu Rhinocorura dicitur, quia prope vicum illum in mare se mediterraneum exonerat. Porrò hic torrens tribum Simeonis, & Iuda ab Ægypto, & solitudine secernit.

Vers. 22. *Et mittetis eam in hereditatem vobis.*] 61.
Heb. *Cadere facietis*, id est, diuidatis sortitò, ita vt quisque partem illam in suæ tribus funiculo capiet, quæ illi sorte ceciderit.

Et aduenis, qua accesserint ad vos.] De proselytis 62. Proselytis eadem sors qua indigenis in terra promissionis.
accipio, quorum pars magna fuit. Vt diximus super Zachariam ad illud cap. 8. *Vsquequo venient populi?* Sanè, vt constat ex lib. 3. Esdræ cap. 5. ex nationibus aliis plurimi ad Iudæorum religionem accesserunt. Et postquam Mardochæus ad dignitatem regiæ proximam euectus est, quamplurimi de Chaldæis Iudæorum sacra complexi sunt. De quibus Esther cap. 8. *Plures alterius Gentis, & secta Iudæorum religioni, & cæremoniis iungebantur: grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaserat.* His ergo Deus cum Iudæis communem vult esse possessionem, & domum; neque loco disiungendi sunt, quos animus coniungit, & religio.

IN CAP. QVADRAGESIMVMOCTAVVM.

ARGVMENTVM.

POST generalem terræ descriptionem, suam cuique tribui regionem definit. Et primùm septem statuit sortes ab Aquilonari templi latere, quæ omnes ab Orientali plaga ad mare procurrunt. Deinde Sacerdotibus, Leuitis, ac ciuitati suam quoque sortem ascribit, quæ quadrata specie vigintiquinque millia cubitorum quoquò versùs amplectitur; quam deinde partitur tripliciter, inter Leuitas, sacerdotes, & vrbem. Duas verò partes, quæ ex triplici sorte vtrinque supererant ab ortu, & mari, Principi largitur. Deinde pro quinque tribubus, quæ supererant, ab Australi templi latere totidem sortes definit, quæ ab Orientali plaga ad mare protenduntur; quarum prima est Benjamin. Ad extremum ciuitatem metitur per quatuor latera, quorum singulis ternas adhibet portas, eásque filiorum Israel nomine consignat; illámque deinceps vocandam esse dicit, Dominus ibidem.

CAPVT XLVIII.

1. *ET hæc nomina tribuum à finibus Aquilonis iuxta viam Hethalon pergentibus Emath, atrium Enan terminus Damasci ad Aquilonem iuxta viam Emath. Et erit ei plaga Orientalis Mare, Dan vna.*

2. *Et super terminum Dan, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Aser vna:*

3. *Et super terminum Aser, à plaga Orientali*

PARAPHRASIS.

1. HÆc sunt nomina tribuum, quibus in Terra promissionis assignata possessio, quarum septem ab Aquilonari templi parte, & quinque reliquæ ab Australi sortes obtinebunt. In Aquilonari plaga, in ea parte qua ab Hethalon procurrit ad Emath, & atrium Enan, cuius terminus est Damascus; ad eam partem Aquilonis, vbi est Emath; ab orientali latere vsque ad mare, vnde omnes porriguntur funiculi, primam sortem obtinebit Dan.

2. A plaga eadem orientali, à funiculo Dan, vsque ad mare, partem huic proximam possidebit Asser.

3. A plaga item orientali, vsque ad pla-

tali vsque ad plagam Maris, Nephthali vna.

4. *Et super terminum Nephthali, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Manasse vna.*

5. *Et super terminum Manasse, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Ephraim vna.*

6. *Et super terminum Ephraim, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Ruben vna.*

7. *Et super terminum Ruben, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Iuda vna.*

8. *Et super terminum Iuda, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, erunt primitiæ, quas separabitis, vigintiquinque millibus latitudinis, & longitudinis, sicuti singulæ partes à plaga Orientali vsque ad plagam Maris: & erit sanctuarium in medio eius.*

9. *Primitiæ, quas separabitis Domino: longitudo vigintiquinque millibus, & latitudo decem millibus.*

10. *Hæ autem erunt primitiæ sanctuarij sacerdotum: ad Aquilonem longitudinis vigintiquinque millia, & ad Mare latitudinis decem millia, sed & ad Orientem latitudinis decem millia, & ad Meridiem longitudinis vigintiquinque millia: & erit sanctuarium Domini in medio eius.*

11. *Sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoc, qui custodierunt ceremonias meas, & non errauerunt cùm errarent filij Israel, sicut errauerunt & Leuitæ.*

12. *Et erunt eis primitiæ de primitiis terræ Sanctum sanctorum, iuxta terminum Leuitarum.*

13. *Sed & Leuitis similiter iuxta fines sacerdotum vigintiquinque millia longitudinis, & latitudinis decem millia. Omnis longitudo viginti & quinque millium, & latitudo decem millium.*

14. *Et non venundabunt ex eo, neque mutabunt, neque transferentur primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt Domino.*

15. *Quinque millia autem quæ supersunt in*

A gam maris, à funiculo Asser, sors erit altera Nephthali.

4. A plaga etiam orientali à funiculo Nephthali, ad mare vsque sors erit Manasse.

5. Ab eadem regione vsque ad mare à sorte Manasse, altera ducetur sors Ephraim.

6. Huic sorti Ephraimiticæ ab orientali plaga vsque ad mare funiculus succedet Ruben.

7. Ab eadem plaga ad mare sors extrema B assignabitur Iuda, quæ proximè ducatur à sorte Ruben.

8. Et ab hac sorte, & ab eadem orientali plaga, ad plagam vsque maris, sicut reliquæ sortes; erit sors pro primitiis sacerdotum, Leuitarum, & ciuitatis, quæ tam secundùm longitudinem, quàm latitudinem viginti quinque millia cubitorum habebit. In hoc verò spatio ædificabitur sanctuarium.

9. Ex hoc spatio sors illa, quæ pro primitiis C separabitur Domino, viginti quinque cubitorum millia habebit longitudinis; decem verò millia latitudinis.

10. Hæ autem primitiæ, quas Domino separandas diximus, sacerdotum erunt. Quarum longitudo Aquilonem versùs à meridie, seu, quod idem est, ad meridiem ab Aquilone viginti quinque millia cubitorum habebit: & latitudo ad mare procurrens, decem millia. Et præter hæc accedent illa commoda, quæ sacerdotes ex templi ministerio percipient.

11. Percipient, inquam, è sanctuario D fructus sacerdotes, qui sunt è genere Sadoc, qui præscriptas à me cæremonias, & ritus seruauerunt; neque decem tribuum errorem prosecuti sunt, sicut fecerunt Leuitæ.

12. Erunt item illis, qui sunt è genere Sadoc, primitiæ, de quibus proximè; præter illa, quæ è templo capiuntur emolumenta; quæ erunt illis adiunctæ primitiis, quæ pro Leuitis definitæ.

13. Tantundem spacij assignabis Leuitis E statim à sacerdotali sorte, quod in longitudinem viginti quinque pateat cubitorum millibus; in latitudinem verò decem. Vtriusque sortis latitudo erit decem millium; & longitudo viginti quinque millium cubitorum.

14. Illæ porrò primitiæ perpetuò Leuitis, ac sacerdotibus seruient; neque ex illis quicquam vendent, ac permutabunt; aut alio quouis modo à suis vsibus abire patientur: quia possessio sanctificata Domino.

15. Ex viginti quinque cubitorum millibus,

in latitudine per vigintiquinque millia, profana erunt vrbis in habitaculum, & in suburbana: & erit ciuitas in medio eius.

16. *Et hæ mensura eius: ad plagam Septentrionalem quingenta & quattuor millia: & ad plagam Meridianam, quingenta & quattuor millia: & ad plagam Orientalem, quingenta & quatuor millia: & ad plagam Occidentalem, quingenta & quattuor millia.*

17. *Erunt autem suburbana ciuitatis ad Aquilonem ducenta quinquaginta, & ad Meridiem ducenta quinquaginta, & ad Orientem ducenta quinquaginta, & ad Mare ducenta quinquaginta.*

18. *Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundùm primitias sanctuarij, decem millia in Orientem, & decem millia in Occidentem, erunt sicut primitiæ sanctuarij: & erunt fruges eius in panes his, qui seruiunt ciuitati.*

19. *Seruientes autem ciuitati, operabuntur ex omnibus tribubus Israel.*

20. *Omnes primitiæ vigintiquinque millium, per vigintiquinque millia in quadrum, separabuntur in primitias sanctuarij, & in possessionem ciuitatis.*

21. *Quod autem reliquum fuerit, principis erit ex omni parte primitiarum sanctuarij, & possessionis ciuitatis è regione vigintiquinque millium primitiarum vsque ad terminum Orientalem: sed & ad Mare, è regione vigintiquinque millium vsque ad terminum maris, similiter in partibus principis erit: & erunt primitiæ sanctuarij, & sanctuarium templi in medio eius.*

22. *De possessione autem Leuitarum, & de possessione ciuitatis in medio partium principis: erit inter terminum Iuda, & inter terminum Benjamin, & ad principem pertinebit.*

23. *Et reliquis tribubus: A plaga Orientali vsque ad plagam Occidentalem, Benjamin vna.*

24. Et

A millibus, quos primitias secundùm latitudinem habuisse diximus, viginti sibi vendicabit sacerdotum, ac Leuitarum portio. Quinque verò millia, quæ ex ea latitudine supersunt, profanis seruiunt vsibus, & ad suburbana, & habitacula ciuium relinquentur. Eo quippe spatio ædificabitur ciuitas.

16. Hæ porrò erunt mensuræ, atque spacia ciuitatis, quæ in sæculari, atque profana sorte construetur. Quatuor habebit latera ad quatuor mundi plagas, quorum B singula quatuor patent cubitorum millibus, & quingentis insuper aliis.

17. Ad quatuor ciuitatis latera sua quoque erunt pomœria, ac suburbanus ager; quæ à ciuitatis mœnibus quoquò versùs se ducentis ac quinquaginta cubitis exporrigent.

18. Ex sorte ciuitatis, ipsius vrbis sedes, & agri suburbani quinque millia cubitorum occupant: quare ex longitudine viginti millia supersunt, decem ad Ortum, C totidem ad Occasum, tanta enim est sanctuarij longitudo. Hæc igitur viginti millia erunt ad victum, & sumptus iis, qui ciuitati, publicísque commoditatibus seruiunt; sicut aliæ primitiæ deseruiunt sanctuario.

19. Seruient autem ciuitati non vna, aut altera tribus; sed omnes tribus Israel: quare ad tribus omnes profanæ huius sortis commoditas pertinebit.

20. Quadratus ille tractus, qui viginti quinque cubitorum millibus quoquò versùs patet, primitiarum erit, & status, ac legitimus fructus sanctuarij; & ciuitati destinata possessio. D

21. Cùm autem pro terræ promissæ longitudine ex spatio illo quadrato, quod viginti quinque cubitorum millibus vtrinque patet, magnum etiam spatium vtrinque necessariò supersit, totum illud pertinebit ad Principem, quantum ad mare vsque reliquum est ex vno latere, & ad initium orientalis regionis ex altero. Quæ sors tam erit vtrinque lata, quantum est E facies sortis sanctuarij, atque vrbis, quam vtrinque respicit: & sanctuarij primitias, & vrbis possessionem in suo complexu continebit.

22. Sors porrò Principis erit sicut aliæ sanctuarij, vrbísque primitiæ inter tribus Benjamin, & Iudam, quam ab Ortu, Occasúque definient possessiones ciuitatis, & sanctuarij, quas medias amplexabitur.

23. Dictum est quo ordine, ac situ septem tribus ab Aquilonari templi regione suas sibi sortes obtineant: nunc de quinque aliis, quæ Australem templi plagam

nare dicitur lacte, & melle. Aut certè de Ecclesia, ad quam Israelitæ veri à Babylone confluxerunt. In sensu mystico explicare videtur Hieronymus, Dionysius, Lyra, & plures alij, inter quos nuper Alcasar in cap. 3. Apocal. p. 2. v. 12. not. 2. Quorum hæc esse potest grauissima ratio; quia aliter hîc ab Ezechiele, quàm à Iosue olim numerantur sortes, vt patet, & nos statim magis explicabimus. Secundò, quia cùm decem tribus nō essent ab exilio reuocandæ, non erat cur illarum sortes definirentur, & secernerētur inter se.

3. In hac ego quæstione dicam, quod dixi sæpius in causa simili, hæc nimirum historicè esse intelligenda de terra distributa, quam possederunt Israelitæ è Babylonia reuersi; typicè tamen de Ecclesia, aut etiam de cœlesti patria, quod latè probauimus in præfatione quadam ad 40. caput Isaiæ. Et hîc noua est, & peculiaris ratio, cur de terra post exilium repetenda agi debuerit. Nam vt de templo egit antea, réque tota sacrificali, quia instaurari debuerunt à Iudæis, quæ iam pridem fuerunt intermissa; quæ quia extra templum illud fieri non poterat, de templi quoque fabrica multa dicta sunt: sic etiam quia ab illis repetenda fuit, & habitanda regio, à qua priùs exciderant, de illis terminis, ac diuisione actum oportuit, ne qua fieret vrbium terminorúmque confusio; ex qua seditiones nasci frequentes solent. Adde quòd hæc eò spectant, vt ad benè de suis rebus sperandum excitentur abiecti, atque mœrentes animi; & meliora, quàm antea, de reditu conciperent. Neque enim sine causa dictum est Prophetæ cap. 40. v. 4. *Annuncia omnia, quæ vides domui Israel.* Neque id negant Hieronymus, & qui cum illo videntur sentire: sic enim mysticum instituunt sensum, vt illi tamen supponant historicum; sed quia obiecta non parum habent difficultatis, ad illa nos oportet responsionem instruamus.

Diuisio Ezechielis historicè de terra, mysticè de Ecclesia.

4. Alia est, inquiunt, Iosue, alia Ezechielis terræ sortitio: aliud ergo Deus apud Iosue, aliud apud Ezechielem intuebatur. Admitto lubens, quod obiiciunt; non tamen id, quod ex eo effici nobis persuadere student. Multa enim in templo nouo fieri iubentur; quæ tamen non inueniebantur in veteri, vt suo loco diximus. Et de sacrificiis Principum, quæ certis diebus fieri debent, de quibus cap. 43. v. 16. & 17. sentit apertè Hieronymus. Et quæ de sorte Sacerdotibus, Leuitis, & Principi destinata traduntur eodem capite, nusquam leguntur facta, quandiu durauit templum à Salomone constructum. Quare vt illa nemo negat esse de templo, aut sacrificiis intelligenda; sic neque quæ de promissa terra præscribuntur, licèt aliter hîc, quàm olim antea diuidatur.

5. Mihi dubium non est aliam à Iosue, aliam ab Ezechiele sortitionem esse descriptam; neque cuiquam esse potest dubium, qui alteram diuisionem cum altera contulerit. & ita puta Lyra in principio cap. 45. Adducam duo, aut tria exempla, ex quibus de aliis sumi potest coniectura. Iosue cap. 18. Benjamin possedit terram inter filios Iuda, & filios Ioseph: hîc verò vers. 24. dicitur esse inter tribum Iuda, & tribum Simeon. Et Gad, quæ erat vltra Iordanem, dicitur esse à forte Zabulon, à plaga Orientali, vsque ad plagam maris. Et idem dicendum de Ruben v. 6. Et cùm antè dimidia tribus Manasse vltra Iordanem constitisset; versu tamen 4. adiuncta dicitur tribui Nephthalim. Et cùm sors sacerdotalis, & Leuitica, tum etiam quæ ascripta est principi, tantum occupet spatium, & fortasse plus, quàm vna tribus, & in optimo loco, ac media inter tribus alias; necessariò in tribubus fieri debuit aliqua mutatio, neque illa leuis.

Sed dices, si tribus illæ decem redituræ non erant in patrios fines; aut si ex illis plurimi etiāsi rediissent, quod verisimilius putabamus, paternas sortes occupaturi non erant, vt in principio cap. 45. magis verisimile probabamus; cur tam accuratè partes descriptæ? Ab his ego etiam quærerem, cur Iosue cap. 15. à v. 45. tribui Iuda adscriptæ sunt ciuitates Palæstinæ, immò totus ille tractus, quem obtinuit non nisi post multa sæcula: & tribui Aser Tyrus, & Sidon, Iosue cap. 19. v. 29. quæ tamen bonam illam partem suæ hæreditatis nunquam obtinuit? Sed vt hîc causa non defuit, eaque non vulgaris, cur ciuitates illæ alicui familiæ ascribi debuerint, licèt in illius potestatem redactæ non sint; tamen ius illud debellandi illas, & suæ potestati subiugandi, magni ab omnibus æstimari solet. Et hîc multo grauior ratio; quia filiis parentum suorum possessiones cognitas oportuit, & si quando multiplicata soboles, non posset angustis Iudæorum finibus cohiberi, & inde exire in alias sortes foret necessarium; in deligenda habitationis sede minus esset laborandum. De aliis temporibus longè à Babylonio reditu, nihil hîc dico amplius, quàm quod in principio cap. 45. dictum est. Quòd qui ab exilio reuersi sunt, primùm habitarint in Ierusalem, & ciuitatibus Iuda, indicat Esdras lib. 2. c. 11. Rediisse autem plurimos eo tempore è decem tribubus, nō obscurè infertur ex eodem Esdra lib. 1. c. 2. vbi cùm eorum, qui ex captiuitate ascenderunt, numerus esse dicatur 42000. tamen vbi sigillatim cōputatio fit ex tribu Iuda, & Benjamin, eorum summam fuisse constat 32000. Eorum causam hanc putant Hebræi, quòd è duabus tribubus 32000. redierunt; ex aliis verò decem 10000. ex quibus conflatur numerus ille 42000.

6. *Tribus Iuda, & Aser non obtinuerunt ciuitates aliquot suarum sortium.*

Cur facta sortium distributio.

7. *Multi ex his, qui è decem tribubus redierunt habitarunt in sorte Iuda.*

8. Vers. 1. *Et hæc nomina tribuum à finibus Aquilonis.*] In quatuor partes diuiditur tota terra, in Aquilonarem, Meridionalem, Orientalem & Occidentalem, cuius ad Occidentem spectat longitudo. In Aquilonari constituit septem tribus, eo ordine, quo hîc à nostro Propheta definitæ sunt: Dan, Aser, Nephthalim, Manasse, Ephraim, Ruben, Iuda. Ad Meridiem quinque: Benjamin, Simeon, Issachar, Zabulon, Gad. In harum verò medio, in eo nempe spatio, quod inter Aquilonarem, & Australem plagam situm est, id est, in eo tractu, qui ad Ortum ab Occasu procurrit, sors est sacerdotum, Leuitarum, & Principis, & illorum, qui ciuitati seruiunt, in cuius medio ciuitas est, & templum. Et hæc est totius capitis summa complexio.

9. Vers. 2. *Super termino Iuda à plaga Orientali, vsque ad plagam maris erunt primitiæ, quas separabitis.*] Ostendimus cap. 45. quomodo nobis videretur vero magis simile mensuram, de qua in hac terræ diuisione, non tam calamorum esse, quàm cubitorum; quia nobis non videbatur credibile, tam longam esse sacerdotalem sortem, quam vix caperet longitudo terræ promissionis; præsertim cùm ex vtraque parte ciuitatis versùs longitudinem, hæreditas etiam contineretur Principis, vt dicemus. Quam sanè amplam esse oportet, cùm ideo sors illa sit assignata, ne populo grauis sit exigendo ab illo tributa ad publicos, & domesticos sumptus. Idem hîc nobis videtur dici posse, & ad hanc mensuram sortium dimensionem

nem attemperabimus. Scio aliis communiter videri hos esse calamos, & fortasse verè; sed ego multa deprehendo, quæ non bene cum calamorum mensura consentiunt: atque ideo cubitos hîc, non calamos intueor. Ex vltimis finibus sortis Iudæ ducetur pars illa, quæ ad sacerdotes, Leuitas, & ciuitatem pertinet, quæ, vt putat Lyra, & probat Maldonatus, quadratam habebat figuram, quod mihi valde placet. Nam quælibet istarum partium viginti quinque millia cubitorum habet longitudinis: quòd si tantundem latitudinis habere constiterit, nihil desiderabis ad quadratam formam. Quod ita facile ostenditur: nam sacerdotalis sors latitudinis habet decem millia cubitorum; totidem Leuitica, quibus si addas quinque millia ciuitatis, quæ sacrum à profano diuidunt, viginti quinque millia cubitorum inuenies. Quod sanè spatium tantum est, vt ferè cuiusuis sortis aliarum tribuum amplitudinem æquet. Quòd verò quoquò versùs tractus ille sacerdotibus, Leuitis, & ciuitati destinatus, viginti quinque millibus cubitorum pateat, ipse Propheta videtur statim explicare, dum dicit, viginti quinque millibus longitudinis, & latitudinis; quia nimirum tanta latitudo quanta longitudo est. Et clariùs, v.20. vbi spatium harum sortium quadratum esse dicitur.

Sicuti singulæ partes à plaga Orientali, vsque ad plagam maris.] Sors ista tam Leuitica, quàm sacerdotalis, & ciuitatis, à parte orientali ad mare vsque dicitur esse proiecta; sicut aliæ sortes, de quibus suprà, quæ eodem omnino modo producebantur.

10. *Et erit sanctuarium in medio eius.*] Hinc facilè constat, & vbi fuerit sors sacerdotalis, & Leuitica; nempe eo loco, vt mediam amplectatur ciuitatem, & templum; & aliter diuisam esse terram, quàm olim à Iosue. Nam templum, & ciuitas, & maxima pars sortis illius sacræ, ac ciuitatis ad Iudam pertinebant, & Benjamin: nunc verò cum ciuitate, ac templo maxima pars hæreditatis ablata est. Et cùm Benjamin, & Iudæ sese priùs termini coniungerent; nunc tamen interiecta viginti quinque cubitorum millia, illos latè discludunt.

11. Vers.10. *Ad Aquilonem longitudinis viginti quinque millia, & ad mare latitudinis decem millia, sed & ad Orientem latitudinis decem millia, & ad meridiem longitudinis viginti quinque millia.*] Hîc explicat, quod suprà dixerat de longitudine, ac latitudine sacræ sortis, quæ ad Leuitas pertinet, & sacerdotes; ostenditque ad quam partem spectent illius longitudo, ac latitudo. Longitudo spectat Aquilonem, & mare; latitudo Orientem, & meridiem. Dicitur verò longitudo, seu latitudo non comparatione sortis, quia illa longior est ab Oriente; sed comparatione terræ totius, cuius est latitudo ab Ortu, ab Aquilone longitudo. Quæ sequuntur ad versum vsque 14. aperta sunt, & iam à nobis superiùs explicata.

12. Vers.15. *Quinque millia autem, quæ supersunt in latitudine per viginti quinque millia profana erunt vrbis in habitaculum, & suburbana.*] Quadratum esse diximus spatium illud, quod pro sacerdotibus, Leuitis, & ciuitate definitum est: quare in omnia latera viginti quinque cubitorum millibus patebat. Cùm verò tam sacerdotalis, quàm Leuitica portio decem non amplius cubitorum millibus pateret, ad quadrationem illius quinque cubitorum millia desiderabantur. Hæc autem nunc dicit ascribenda esse ciuitati, in qua

In profana sorte ædificata ciuitas, & templum.

A ædificetur ciuitas, & illius suburbana constituantur. Neque est, cur quis durum putet, in hac profana sorte ædificatum etiam esse templum, quod proculdubio in ciuitate fuit: nam licèt eo nomine profanus videri posset locus ille, quia ad illam sortem pertinet, ex qua ad ciuitatis vsum fruges capiuntur; sacer tamen fit templi ædificatione, & ad vsum pertinet sacerdotum, sacráque ministeria. Neque Deus voluit quicquam de Sacerdotum, ac Leuitarum commodis auferri; sed partem illam detraxit è ciuitatis sorte, vt religioni, ac templo, atque adeò sacerdotum commoditati seruiret. Quomodo verò intelligendum sit quod suprà dictum est v.10. & cap. B 45.v.3. *in ipso erit templum, sanctúmque sanctorum*, diximus suprà cap.45. num.19.

E sacerdotali sorte nihil detractum.

Vers.16. *Et hæ mensura eius.*] Nempe vrbis, cuius sedes futura dicitur in ciuitatis tractu; qui tamen ad ius sacerdotale, ac Leuiticum pertinet.

Ad plagam septemtrionalem quingenta, & quatuor millia.] Definiuit ciuitatis amplitudinem, & ambitum, & cùm quatuor latera quadratæ ciuitatis constituat, singulis quatuor mille, atque quingentos cubitos ascribit. Quare ambitu suo decem, & octo colligit cubitorum millia. Quo vno argumento mihi persuadeo, in hac re mensoria locum non esse calamis; cùm penè incredibile videatur, muros ciuitatis habuisse decem, & octo C millium cubitorum longitudinem. At calamus sex constat cubitis, & palmo, vt habes suprà cap. 40.v.5. 13.

Hierosolymæ ambitus.

Vers.17. *Erunt autem suburbana ciuitatis ad Aquilonem ducenta quinquaginta.*] Ad quatuor ciuitatis latera, sua quoque erant pomœria, seu agri suburbani; quæ neque accipiunt satus, neque vsum præstant, quàm qui capitur ab his, qui laxare animos volunt; aut alterius generis leue aliquod captare compendium, Hispanè dicuntur *los egidos*. Hi verò agri à mœnibus ducentis sese, ac quinquaginta cubitis exporrigunt. Hic quoque numerus facilè conuincit non hanc esse calamorum mensuram: esset enim spacium illud D latissimum, quantum credo ciuitatem nullam habuisse vacuum à cultura. Sanè cum templi assignantur suburbana cap.45. v.2. non illa calamis, sed cubitis mensurantur. *Et quinquaginta cubitis in suburbana eius per gyrum.* 14.

Hierosolymæ suburbana.

Vers.18. *Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundùm primitias sanctuarij decem millia in Orientem, & decem millia in Occidentem erunt, sicut primitiæ sanctuarij, & erunt fruges eius in panes his, qui seruiunt ciuitati.*] Diuidit nunc partem illam, quam ascriptam diximus esse ciuitati, id est, ad vsus publicos, & communes illius; ex qua tantum spacij sumpsimus, quantum sede ciuitas occupabat. Deinde suburbanos agros, de quibus E proximè, in quibus quinque cubitorum millia consumpta sunt. Superant ergo viginti millia cubitorum decem ad Orientem, totidem ad Occidentem; ab his enim terminis spectabatur sortium illarum communium longitudo, id est, decem millia cubitorum ab eo ciuitatis latere, quod orientalem plagam; & totidem ab illo, quod occidentalem spectat. Vt ergo communibus vsibus quinque millia cubitorum seruierunt; partem enim templum, partem ciuitas, partem suburbana vendicarunt: sic etiam vult Deus, vt quæ supersunt ex illa sorte, ad publicos ciuitatis vsus conferantur, id est, in sumptus illorum, qui ciuitatis commodis inuigilant, qui res curant communes; quorum denique studia eò spectant, 15.

Sors ciuitatum, quibus seruit.

vt

vt non domesticis, ac suis publicis rationibus, A atque vsibus seruiant, nempe ædificandis, atque instaurandis mœnibus, reficiendis fontibus, complanandis viis; his denique rebus, sine quibus res laboraret communis, & publica.

16. *Secundùm primitias sanctuarij.*] Id est, quicquid habet præterea longitudinis, quæ tanta est, quãta primitiarum sanctuarij, id est, agri, vnde qui sanctuario seruiunt, fruges metunt ad sacros, atque domesticos vsus. Vel, vt quemadmodum sanctuarij primitiæ, id est, fruges sacerdotalis, atque Leuiticæ sortis sacris destinantur; sic etiam quæ ex profana illa sorte capiuntur, licèt profanis, publicis tamen seruiant ministeriis.

17. Vers.19. *Seruientes autem ciuitati operabuntur, ex omnibus tribubus Israel.*] Pertinebat ante hoc tem- B pus vrbs, & templum ad tribum Iuda, & Beniamin, vt pluribus ostendimus ad illud Zachariæ cap.2. *O, ô, fugite de terra Aquilonis*: quare illorum curæ videbantur permissa sarta tecta ciuitatis, & templi. Nunc autem cùm longè duæ illæ tribus ab vrbe, templóque recesserint, cùm ædificari iubeantur in eo tractu, qui latè vtramque tribum secludit, ac separat; æquum videbatur, vt tribubus aliis communis sit ille labor, & cura; & si qua inde capi commoditas potuit, ad illarum quoque vsum pertineret.

Omnibus tribubus cõmendata ciuitatis cura.

18. Vers.20. *Omnes primitia viginti quinque millium per viginti quinque millia in quadrum, &c.*] Quadra- C tas diximus esse sortes illas, quæ simul sumptæ quoquo versùs viginti quinque cubitorum millibus patent. Totum illum tractũ quadrangularem ciuitati, ac templo, templíque ministris, ac ministeriis addicit.

Sors sanctuario ac ciuitati designata quadrata.

19. Vers.21. *Quod autem reliquum fuerit, Principis erit, ex omni parte primitiarum Sanctuarij, & possessione ciuitatis.*] Sicut sortes aliæ à regione Orientali, ad mare magnum procurrebant; sic etiam sors hæc viginti quinque cubitorum millibus lata, & totidem longa, quam sanctuarium possidebat, & ciuitas. Erat tamen à mari, vsque ad mare spatium multo longius, quàm quod viginti quin- D que cubitorum millibus impleri posset. Quare versùs vtrumque mare magna pars esset relinquenda vacua, inter illas lineas, quæ spatium illud definiebant per totam terræ longitudinem. Illud verò Deus principis esse iubet, qui, vt vidimus cap.45. ad sacros vsus multa præstare debet. Sors itaque erit inter duas tribus Beniamin, & Iudam; sicut & aliæ sortes de quibus nuper, tam lata, quàm tres illæ sortes in vnum coactæ, nempe viginti quinque cubitorum millibus. Eius verò longitudo erit ab vtroque latere, ad vtrumque mare, ita vt sortes ciuitatis, & sacras vtrinque concludat, in quibus ciuitatem, & templum esse diximus.

Principi sors extra, quod templo, ciuitatique superest.

20. Quanta verò sit longitudo duarum illarum partium, quæ assignatæ sunt in Princi- E pis vsum, non constat; sed magnam fuisse oportet, quia Principum sumptus non possunt esse non magni, quos alit illa regio; quæ ideo Principi ascripta dicitur cap. 5. v.8. Hieronymus tantum Principi, quantum singulis tribubus assignatum putat, iuxta diuisionem, de qua modò. *De hoc*, inquit, *Principe suprà pleniùs disputatum est; & quod tantum solus acceperet, quantum vna tribus.* Quod si ita est, sanè illa viginti quinque millia cubitorum sunt, non calamorum: terra quippe promissionis vix tot calamorum multitudinem capit. Addit verò Hieronymus ab aliis etiam tribubus, quicquid reliquum esset Principem accipere; neque vllam esse tribum, quæ Principi non offerat dona. Fortasse hoc verum; sed durè admodum extorquetur à litera.

Princeps templum, & ciuitatẽ amplectens.

Principis quàm magna sors.

21. Vers.22. *De possessione autem Leuitarum, & de possessione ciuitatis in medio partium Principis erit inter terminum Iuda, & inter terminum Beniamin.*] Circũscribit nunc terminos, quibus possessio Principis definitur. Clauditur enim inter sortes Beniamin, & Iudæ ab Aquilone, & Austro: ab Ortu verò definitur ea linea, quæ terminat sortes Leuitarum, id est, eorum, qui prognati sunt à Leui, in quibus etiam Sacerdotes intellige, & funiculum ciuitatis, quæque absoluit illam longitudinem, quam Deus ciuitati, ac Leuitici generis hominibus addixit. Et eodem modo definienda est pars altera, quæ versùs aliud mare porrigitur, eatundem tribuum finibus inclusa; & ab alia item incipiens linea, quæ ex illa parte longitudinem complet viginti quinque mille cubitorum.

Quibus finibus conclusa Principis possessio.

22. Vers.23. *Et reliquis tribubus à plaga Orientali, vsque ad plagam Occidentalem Beniamin vna.*] Diuiserat à parte Aquilonari templi terram promissionis, ibíque septem constituerat tribus, incipiens à Dan, vsque ad Iudam, à cuius sorte incipit spatium illud viginti quinque mille cubitorum, de quo proximè. Postquam verò medium illud spatium in varios dominos, ac ministeria diuisit, ad aliarum tribuum sortitionem progreditur. Et ducit sortes ab ea regione, vnde superiores; nempe ab Orientali, ad Occidẽtalem plagam, eô namque tendit longitudo terræ. Constituit autem primo loco Beniamin, prope locum illum, quem ante captiuitatem obtinuerat; ita vt eius sors ab Austro sacerdotalem, & ciuitatis possessionem definiat, sicut sors Iudæ ab Aquilone. Reliqua ad numerum vsque 28. obscura non sunt.

Quæ tribus ab Australi templi regione.

Vers.28. *Et erit finis de Thamar vsque ad aquas contradictionis Cades hereditas contra mare.*] Sicut in 23.
principio terminos designauit Aquilonaris plagæ, in qua suas sibi sortes habuerunt septem tribus; sic nunc extremos adhibet Australis terræ terminos, quam aliæ quinque tribus occuparũt. Et dicit Australem illam plagã oriri à Thamar, quæ palmam sonat, id est, à Iericho, quæ ciuitas appellatur palmarum; & ad aquas contradictionis protendi, id est, ad Cades. Quod clariùs explicarat paulo antè cap.47. v.19. *Plaga autem Australis meridiana à Thamar vsque ad aquas contradictionis Cades, & torrens vsque ad mare magnum. Et hac est plaga ad meridiem Australis.*

Vers.29. *Hæc est terra, quam mittetis in sortem tri-* 24.
bubus Israel, & hæ partitiones earũ, ait Dominus Deus, &c.] Hæc summa complexio est eorum omniũ, quæ de descriptione terræ, atque sortitione dicta sunt. Egressus autem sunt suburbana, seu pomœria, quæ dicuntur egressus, quomodo ab Hispanis appellantur *egidos*, quasi exitus, quô homines laxandi animi gratia, vt forenses curas, & domesticas molestias declinent, secedere solent.

Vers.30. *A plaga septemtrionali quingentos, & quatuor mille numerabis.*] Quatuor antè descri- 25.
psérat ciuitatis regiones, & quatuor latera, quorum quodlibet quingentos habebat, & quatuor mille cubitos. Nunc lateribus singulis ternas addit portas, quas notari iubet nominibus tribuum Israel. Ab Aquilone tres, quæ compellationem accipient à Ruben, Iuda, & Leui. Ab Oriente tres, quas nominabunt Ioseph, Beniamin, & Dan. A meridie tres, quæ nomẽ accipient à Simeone, Issachar, & Zabulon. Ab Occasu tres, totidẽ cõsignatæ tribuũ nominib' Gag, Aser, Nephthalim.

Ciuitati quot porta, & quibus notata nominibus.

26. *Ciuitatis quantus ambitus.* Vers. 35. ***Per circuitum decem, & octo millia.***] nempe cubitorum. Dixerat singulas regiones, seu latera ciuitatis habere quingentos & quater mille cubitos; omnium nunc summam colligit, quam esse dicit decem & octo mille cubitorum; tantum enim efficies, si numerum illum singulorum laterum replices quater.

27. *Regula. Vocari idē quod Esse.* ***Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.***] Sicut *nomen* in Scriptura pro eo sumitur, cuius est nomen; vnde *nomen Dei*, idem est quod *Deus*, *nomen meum*, idem quod *ego*: sic etiam *vocari*, idem est quod *esse*. Hinc lucem accipiunt multa Scripturæ loca, in quibus aliquid dicitur hoc vel illo modo vocari, aut tale habere nomen; quod idem est, ac esse tale. Isaiæ cap. 62. *Transgressorem ab vtero vocaui te.* id est, transgressor fuisti. & cap. 9. v. 6. *Vocabitur nomen eius Admirabilis, consiliarius*, &c. id est, erit admirabilis, consiliarius, &c. Et in hac ipsa ciuitate sunt exempla non obscura. Baruch cap. 5. v. 4. *Nominabitur tibi nomen tuum à Deo in sempiternum, Pax iustitia, & honor pietatis.* Isai. c. 62. *Vocaberis voluntas mea in ea.* id est, fiet in ea voluntas mea. Sic etiam hoc loco, *Nomen ciuitatis Dominus ibidem*; nihil est aliud, quàm Dominum futurum in ciuitate, eo nempe modo, quo fuerat olim, dum staret templum, & minus temerata religio.

28. *Ierusalem quanta mutatio post exilium.* Hæc, vt alibi dixisse me memini, de Hierosolyma instauranda dicuntur; quæ vbi in Babylonica fornace scoriā deposuit, sic est ab eo, quod habuerat antè, ingenio mutata, vt vocetur fidelis, & iusta; de qua Isaias cap. 2. v. 25. *Excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum*, &c. *Post hæc vocaberis ciuitas iusta, vrbs fidelis.* id est, in qua sit iustus, nempe Deus, qui ciuitati præsit, & sanctis instituat disciplinis. Sed multo hæc melius de Ecclesia capiuntur, cuius vmbra fuit instaurata Hierosolyma; in quam Deus multo plura cōtulit, quàm in Ierusalem; immò plura, quàm vmbra illa obscura, & hieroglyphica portendit. Quæ etiam accommodari non ineptè possunt ad animam priùs exulantem ab eo complexu, quo Dominus fouere solet quoslibet suis præceptis obsequentes: quæ priùs in sordibus iacuit seuero tyrannorum imperio subiecta, quæ Babylonio iugo ingenuam antea ceruicem fregit. Hęc etenim vbi iugum excussit, & in patriam rediit, in patriam, inquam, quam verè potuit appellare suā, ornatur à Deo, & splendorem accipit, quem antè perdiderat, & quem priùs peccando à suo complexu ingrata repulerat, eundem pœnitendo in suum sibi sinum rursus accersit, qui non difficilis redit inuitatus, immò seipsum vltrò non vocatus inuitat; & talem sese támque familiarem, & assiduum præbet, vt quod dixit Isaias suprà de Hierosolyma iam ad meliorem formam reuocata, audire de se possit, *Non vocaberis vltrà derelicta, & terra tua non vocabitur ampliùs desolata; sed vocaberis, voluntas mea in ea.* Faxit vtinam Deus, vt Dei voluntas beneplacens, & perfecta in nobis sit! ad quam nos, studiáque nostra sic attemperemus, vt de nobis verè dici possit, quod typicè de se Hierosolyma audiuit, *Dominus ibidem*, cui sit gloria, & honor in sæcula sæculorum, Amen. 29. *Anima à peccato soluta quanta fœlicitas.*

Absoluta sunt hæc anno 1617. nono Kalend. Martij, qui dies mihi candidus affulsit, & lætus, redibitque quotannis festiuus, & sacer. In eo etenim Deus singulari me beneficio complexus est, cùm in filij sui societatem ascripsit, anno abhinc 46. pro qua eximia in me liberalitate gratias illi ago, agámque, vt de ipsius bonitate confido, sempiternas. Quicquid verò à me dictum, atque adeò cogitatum est; id Ecclesiæ, Doctorúmque iudicio subiectum esse etiam, atque etiam volo.

FINIS.



INDEX



INDEX
RERVM, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Primus numerus Caput : secundus numerum marginalem : tertius columnam: p, Prolegomena designat.

Antiochi

Suppli

Exaspero.

Iudicium.

Iudico.

Iugum.

Iuramentum.

Iustifico.

Iustus.

L

Labor.

Lac.

Lacedæmones.

Lacinia.

Lacus.

anno

Multa

Virga.

INDICIS FINIS.

GASPARIS SANCTII CENTVMPVTEOLANI,

E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

IN COLLEGIO COMPLVTENSI sacrarum literarum Interpretis,

IN DANIELEM PROPHETAM Commentarij cum Paraphrasi.

NVNC PRIMVM PRODEVNT, INDICIBVS cùm Locorum Regularúmque Scripturæ sacræ, tum rerum notabilium illustrati.



LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DC. XIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. ANTONIO ZAPATA,

S. R. E. TITVLI S. BALBINÆ CARD.
MERITISSIMO, HISPANIÆ PROTECTORI,

GASPAR SANCTIVS è Societate IESV, S. P. D.



VDACIÆ me forſan aliquis, & ruſticæ cuiuſdam ſimplicitatis incuſet, CARDINALIS AMPLISSIME, qui hoſce in Danielem Commentarios, exile nempe, atque impolitum opus, quódque à mediocri ingenio, non tam ſperari, quàm timeri poterat, in tuo nomine apparere voluerim. Sed fecit ipſa tam Auctoris, quàm operis infirmitas, vt à Patrono aliquid ſibi præſidij, ac firmitatis exquirat: & tua iam pridem explorata humanitas, & in noſtram Societatem beneuolentia, ne ab alio ſibi patrocinium accerſeret. Neque enim cuiquam ex noſtris dubium eſt, quin pro tua eximia auctoritate poſſis, & pro effuſo in noſtrum Ordinem ſtudio, velis quicquid tuo nomini, ac fidei, à Societate commendatum eſt, ſuſcipere benigno atque libenti animo, & paterni pectoris oppoſitu conſtanter tueri. De auctoritate nemo dubitat, quam peperit tibi eximius ab antiqua nobilitate ſplendor, & illa quæ tute tibi à teipſo habes virtutis, atque doctrinæ ornamenta maxima. Hæc te, per omnes gradus, legitimo curſu, ad purpuream dignitatem, & Pontificiæ proximam, ſine vlla hominum inuidia, atque offenſione prouexit. Quàm verò integrè, quàm ſedulò, qua bonorum approbatione, Epiſcopale magiſterium obieris, docuit Gaditanorum, Pampilonenſium, & ad extremum Burgenſium non obſcura ſignificatio: quibus tui, cùm illarum ſedium deſignatus es Præſul, tantum ſtudij, & alacritatis excitaſti, quantum inde, ad alias curas euocatus, doloris ac deſiderij diſcedens reliquiſti. Cúmque ex rei Hiſpanicæ vſu fore exiſtimarent Hiſpani Proceres, ſi extra Hiſpaniam, apud Romanum Antiſtitem, Hiſpanici nominis cauſam, & dignitatem ſuſti-

neres: id curarunt diligenter, ac seriò, vt à Pastorali cura, & ministerio solutum, ad alienas regiones purpuratum dimitterent. Quantum autem gratiæ, homo Hispanus, apud alienos, morum suauitate, & in rebus dubiis extricandis cognita prudentia consecutus sis, ipsi etiam externi, qui aliorum laudibus minus fauent impensè, non obscurè prædicant. Sic autem tua, apud alienos, est probata fides, consiliíque maturitas, atque dexteritas, & religionis ardor: vt, in illo purpuratorum Patrum grauissimo conuentu, assumptus sis è multis, vt Quæsitor, & Censor causas fidei, religionísque cognosceres. Quanta verò alacritate, atque studio reducem te exceperit, déque tuo reditu sibi gratulata fuerit Hispania; quàm frequens tunc ad te Principum bonorúmque concursus, neque obscurum est, neque explicari paucis aut debet, aut potest. Illud dico quamprimum te in eorum numerum fuisse conscriptum, qui de Regis, Regnorúmque statu grauissimo consessu deliberant. Quare, si in Patrono spectatur auctoritas: ex ea parte quæsitum à tuo nomine patrocinium non laborat, cùm eo nomine, non solùm Hispanis nostris, sed externis etiam, vt tute gratus, & grauis es, sic etiam illis, quæ ad te aliquo pertinent modo, gratiam, auctoritatémque concilies. De auctoritate, satis multa. Quod verò ad voluntatem spectat, & in nostram Societatem studium singulare, nimis est ignarus ex nostris, qui non nouerit, quàm sis de nobis prolixè meritus, quàm nostra cures amanter ac sedulò, quemadmodum in nostrum Ordinem noua quotidie à tua humanitate beneficia proueniant. Longum esset numerare, quantum tibi in Hispania, quantum Romæ, quãtum vbique gentium nostra debeat tuæ benignitati Societas. Cuius sic te cura tangit, & amor, vt iam in te nemo, aut paternæ sedulitatis indulgentiam, aut fraternæ charitatis studium desideret. Habet Madritanum Collegium, inter alia plurima, illustre tuæ voluntatis monumentum, quod lauta atque copiosa Bibliotheca prosecutus es, additis ad ipsius ornamentum tabulis, & numero plurimis, & penicillo illustri, argumento præclaro, atque opere perfectis: quæ quoties videmus, videmus autem sæpius in die, toties venit in mentem, à quo munus illud tam pretiosum, & splendidum profectum sit. Et ne quod tempus à tua benignitate vacuum haberemus, in ipso etiam reditu ad Hispanos bene de nobis mereri voluisti. Portasti etenim tecum Patris Francisci Borgiæ viri sanctissimi reliquias, quibus non solùm Societatem nostram, patriámque tuam Madritanam, sed Hispaniam totam tanti viri suauissima memoria luculenter ornasti. Neque dubium est quin sacri illius corporis tam pia atque opportuna transmissio magno tibi in tam longa, atque molesta via leuamento fuerit. Quare, cùm de tua auctoritate nemo dubitet: de

volun

voluntate, nullus, nisi cum pudore, mentem quoque prorsus abiecit, possit ambigere: prudenter videor elegisse Patronum, qui ea est naturæ benignitate, vt velit, ea auctoritate ac loco, vt possit tam Auctori per seipsum ignobili, quàm libro omni ex parte inornato, atque inopi conciliare auctoritatem, & gratiam. Vt autem munusculum hoc exile, grati ac memoris animi monumentum est: sic illud idem abs te, quod speramus, benignè susceptum, & amanter, tui in nostram Societatem animi paterni verè, atque beneuoli præclarum erit, & non vulgare documentum. VALE.



APPROBATIO.

OMMENTARIA P. Gaſparis SANCTII in Danielem Prophetam mihi à Patre Prouinciali commiſſa, ſunt doctrina Patrum, eruditione, & pietate plena, literæ ſacræ tenaciſſima, digniſſima vt in lucem prodeant, vt lucem dent, etenim ſuo auctore digna. Ita cenſeo. Ieſu del monte ipſis Kalendis Iunij anno 1618.

GASPAR HVRTADO.

ATRIS Gaſparis SANCTII Commentaria in Danielem Prophetam, iuſſu R.P. Roderici Niño in Prouincia Toletana Societatis IESV Præpoſiti Prouincialis, vidi ac luſtraui, ac primùm quidem nihil in his occurrit quod à fide Catholica, & probis moribus aberret: deinde author ipſe qui dum maiorum Prophetarum commentaria inſequitur, non aliis modò, ſed etiam ſeipſo maior indies extitit, in hoc extremo opere maximus mihi viſus eſt, in quo non ſolùm aliorum quæ ab ipſo profecta ſunt, dignitatem, & gloriam diuinarum humanarúmque eruditione rerum totius interpretationis conſequentia, & filo, ſtylíque amœnitate exæquat, ſed etiam ſuperat. Quapropter cenſeo vt cum aliis eiuſdem Authoris ingenio elaboratis fœtibus ad Societatis noſtræ ornamentum & Eccleſiæ vſum lucem aſpiciant. Datum Compluti die tertia menſis Iunij anno 1618.

HERNANDO DE SALAZAR.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV in prouincia Lugdunenſi.

GO BARTHOLO. IACQVINOTIVS Societatis IESV in prouincia Lugdunenſi Præpoſitus Prouincialis, Opus quod inſcribitur, *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Theologi, in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum Interpretis, in Danielem Prophetam Commentarij cum paraphraſi*, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos, abſque Superiorum eius permiſſione imprimant, permitto HORATIO CARDON Lugdunenſi Bibliopolæ, vt ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni die 5. Maij 1619.

B. IACQVINOTIVS.

OANNES CLAVDIVS DEVILLE in ſacra Theologia Magiſter, & in S. Pauli Lugdunenſis Canonicus, & in hac Lugdunenſi Diœceſi, à Domino Dionyſio Simone de Marquemont, Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo, librorum Cenſor deſignatus: fidem facimus, nos *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Theologi, in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum Interpretis, in Danielem Prophetam Commentarios cum paraphraſi*, perlegiſſe, omniáque in illis iuxta orthodoxam Catholicæ Apoſtolicæ ac Romanæ Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum ſanam doctrinam ſumma cum eruditione exponi. Lugduni apud ſanctum Paulum 15. Nouembris 1619.

DEVILLE.

R.D. D. Thomæ de Meſchatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

HOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Opus inſcriptum, *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Theologi, in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum Interpretis, in Danielem Prophetam Commentarij cum paraphraſi*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 16. Nouembris 1619.

MESCHATIN LA FAYE.

SVMMA PRIVILEGII A CHRIstianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus literis cautum, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inscribitur, *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate IESV Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum Interpretis, in Danielem Prophetam Commentarij, cum paraphrasi*, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare sine consensu dicti HORATII CARDON. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die 7. Augusti 1617.

De mandato Regis,

Signatum

BRVLART.



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS EXPLICANTVR.

Primus numerus caput : secundus numerum marginalem : tertius col. a, b, c, d, e, literas in margine positas : p. Prolegomena, indicant.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex

9.12.



INDEX



INDEX
REGVLARVM SCRIPTVRÆ SACRÆ, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS OBSERVANTVR.



IN



AD DANIELIS COMMENTARIOS

PRÆFATIO.



RCANA Danielis mysteria, & obscura vaticinia illustrare cõmentariis aggredior, opus planè vehementer implexum, temporibus varium, argumento multiplex, & ipsa rerum tractatione, & linguarum confusione difficile. In quo sese frequentes obiicient, & inexplicabiles nexus, quos extricare studij longi est, ingenij acris, doctrinæ non vulgaris. Adde quòd de his rebus aliquando, immò & multus sermo, quas neque sacri, neque profani scriptores prodiderunt: quare aut nullum est, aut non nisi leuissimum à sacra, siue profana literatura subsidium. Quòd si, vt Deus ipse, à quo hac tot rerum præsensione illustratus est Propheta, docet Danielis cap. 12. prophetias hasce aperiendas non esse, nisi doctis, id est, religiosis, & piis (*Impij*, inquit, *non intelligent; docti autem intelligent.*) audaciùs ego existimabor rem tentasse mihi omnino negatam, à quo tam longè abest doctrina, id est, eruditionis apparatus; si ita interpretere *docti* nomen, aut, quod verius puto, sanctitas, & pietas, quam Scriptura sacra solam putat appellari posse sapientiam. Aderit tamen, vt spero, atque opto, diuinus Spiritus, qui reuelat mysteria, certè vt adsit oro, errantémque deducat per cæcas has, & obscuras tenebras, ne, quod maximè horreo, in medio cursu offendam, & elabar ab eo, quod veritatis magistra docet, & sequitur Ecclesia. In quam curam patrociniũ aduoco B. Virginis MARIÆ, quæ lux est, & stella nauigantium, & B. Patris IGNATII, cui me, vt in aliis omnibus, sic etiam in hoc scopuloso, ac salebroso curriculo regendum cõmitto: ad extremum Prophetæ sancti DANIELIS, cuius arcana sensa, & cogitationes abdi- A tas scrutati, atque explicare aggredior. Prius autem quàm ad Prophetæ verba expedienda descendo, nonnulla mihi præmittenda sunt, quæ & lucis afferent aliquid argumento toti, & illis vtcunque principio libatis, solutior deinde incumbet commentatio.

B

PROLEGOMENON I.

De genere, & patria Danielis.

DE vita, rebúsque gestis Danielis scripserunt ex Antiquis Iosephus lib. 10. c. 14. Epiph. de vita, & interitu Prophetarum, c. 10. Doroth. in Synopsi, c. 17. Isid. de vita, & obitu Sanctorum, c. 40. Metaphr. apud Surium tom. 4. Chronicum Alexandrinum, quod nuper Latinum fecit Matthæus Reiderus ex nostra Societate post Olympiadem 70. Ex quibus nos, & ex his maximè, quæ Scriptura prodidit, quæ C de Daniele videntur dici posse, sumemus. 1.

De genere omnes conueniunt, dicúntque è regio semine prognatum esse Danielem; ídque non obscurè constat ex ipso Daniele cap. 1. vbi Nabuchodonosor ex captiuis seligi iussit adolescentes egregiâ formâ, & è regia stirpe, qui astarent sibi, obiréntque aulica ministeria. Quod etiam, vt notauit Theodoretus, suadet quod Isai. c. 39. Ezechiæ dicitur, D postquam regias opes ostentauit Babyloniis, *De filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent* (nempe Babylonij) *& erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis.* Ex quo etiam fit ex tribu Iuda ortum fuisse Danielem, quæ vna ex omnibus Reges iam antea à multis sæculis ferebat. 2. *Daniel è regio genere.*

Hæc ego magis probo, quia id communiter existimant Patres, & interpretes, & quia non leuiter Prophetæ personam cohonestat. Verumtamen non puto ex hoc loco 3. *Nõ conuincitur è Scriptura regiũ genus Danielis.*

loco sic effici necessariò, vt qui contrà senserit, aliquid existimari possit Scripturæ sacræ cogitasse contrarium. Neque enim Rex iussit, vt ad aulam regiúmque conspectum eligerentur solùm, qui genus ducerent è regiis natalibus; & alios excluderent, quos regij sanguinis splendor non ornaret; sed vt aduocarentur ad aulicum ministerium, qui claris essent orti parentibus, & aliquo titulo, ac nomine commendatis. Hi verò principes neque solùm erant è stirpe regia, neque è tribu Iuda. Audi quid suis edicat Nabuchodonosor. *Et ait Rex Asphenez præposito eunuchorum, vt introduceret de filiis Israël de semine regio, & tyrannorum.* Hi porrò tyranni, siue principes alieni esse poterant à genere regio; immò & à tribu Iuda. Neque magis vrgent minæ à Domino per Isaiam intentæ Ezechiæ Regi, quæ edicunt ex regio sanguine quosdam eunuchos fore in aula Regis Babylonij: non tamen ab eodem loco, ac ministerio cæteros excludunt. Quare, Hieronymo teste in præfatione commentariorum in Danielem, Septuaginta translatio, quam ipse tunc habuit, ortum esse dicit è Leuitico genere, & chronicum Alexandrinum è nobili genere, parentibus videlicet, qui in aula regia principem locum obtinerent. Verùm fuisse Danielem è tribu Iuda, negari nullo modo potest, id enim habemus ex cap. 1. Danielis v. 16. *Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda Daniel, Ananias*, &c.

4. *Daniel obses pro Ioacim.* Minus quidem certum è regio sanguine natum esse Danielem, sed hoc mihi magis verisimile, vt est communis sensus, neque deest aliquod in Scriptura vestigium, vt vidimus. Addit autem auctor historiæ Scholasticæ in lib. 4. Regum, cap. 39. restitutum esse in Regnum Ioacim, datis tamen obsidibus de seruando fœdere adolescentibus de stirpe regia, in quibus numeratur Daniel.

5. *Danielis patria.* De patria nihil habemus ex Scriptura certum: communis tamen est sententia eorum, quos de Daniele scripsisse suprà obseruauimus, patriam ipsius fuisse Bethoron superiorem, quæ est in sorte Ephraim, & familiæ Leuiticæ annumerata; quæ distare dicitur à Hierosolyma non amplius nouem milliaribus, prope castellum Emaus. Quod fortasse verum; non tamen huic conditioni valde fauet, quòd Daniel de tribu Iuda ortus est, non è tribu Ephraim, vbi sita dicitur Bethoron; neque de Leui, cui ex Ephraimitico funiculo ciuitas illa ascripta est. De patre mirum silentium, nisi quòd princeps fuit. Epiphanius tamen Hæresi 55. ex Hebræorum traditionibus dicit parentis nomen esse Sabaam.

PROLEGOMENON II.

De vita, & conditione Danielis.

QVàm fuerit Daniel sanctus, & gratus Deo, illud nobis argumento est, quòd cùm adhuc in viuis ageret, neque admodum esset ætate progressus; cum viris tamen sanctissimis numeratur Ezech. c. 14. *Si fuerint tres viri isti, Noë, Daniel, & Iob, in medio populi istius, ipsi iustitiâ suâ liberabunt animas suas, filios autem, & filias suas non liberabunt, sed terra desolabitur.* Eius porrò sanctitas, & integritas sic erat ipsis etiam Gentilibus explorata, vt inuidi, & ad instruendas fraudes solertissimi homines non alio modo existimarent adduci posse in Regis odium, aut offensionem, nisi ipsius pietati insidias parauissent. Atque ita cùm se in omnes fraudes, atque consilia versarent; dixerunt tandem cap. 6. *Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi fortè in lege Dei sui.* Illud planè mirabile, quod cùm dura pateretur, vtpote captiuus, & quotidie spectare potuerit Babylonicas delicias; & ad hæc accederet Regis voluntas, & imperium, & præpositi eunuchorum sollicitudo, & preces; nunquam tamen adduci potuit, vt cibis à lege vetitis vesceretur. 6. *Danielis sanctitas.*

7. *Daniel virgo.* Virginitatem perpetuò coluit: sic alienus ab illis rebus, quæ libidinem aut instimulant, aut produnt, vt à Iudæis putaretur eunuchus, vsque adeò casti, ac compositi motus, virginalis pudor, atque modestia, verecundi oculi, verba pudica, vt à carne nihil habere crederes, nisi in quo nouis quotidie victoriis triumpharet. An verò spado fuerit, siue exectus, incertum est; quidam eò inclinant, in quibus sunt Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. *Nabuchodonosor*, inquit, *selectis nobilissimis Iudæorum pueris, & Sedeciæ Regis cognatis, qui & flore ætatis, & decore formæ fuere conspicui, pædagogos eorum curæ assignauit; exectis quibusdam ex eo numero*, &c. Idem putat Origenes homil. 4. in Ezechielem, Metaphrastes in vita Danielis, Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, quanquam in cap. 39. Isaiæ, & in cap. 1. Dan. aliter videatur existimare, vbi id haberi dicit in traditionibus Hebræorum, à quibus ipse animum videtur alienum habuisse. Sed putat S. Thomas in primum cap. Dan. *Existimatus Eunuchus.*

Ego

8. *Verisimilius est non fuisse Eunuchum.* Ego in illorum sententiam libentiùs feror, qui spadonem fuisse negant. Ita Epiphanius in vita Danielis, & Dorothæus in Synopsi, & Chronicum Alexandrinum Olympiade 70. qui propter virginalem oris verecundiam, totúmque corporis habitum ad honestatem compositum, ab Hebræis dicunt eunuchum appellari. Ita ex recentioribus putant Dionysius, & Lyra, & Abulensis in lib. 4. Reg. cap. 20. q. 34. Pereira, Maldonatus, & Pintus. Quod etiam videtur existimasse Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 25. vbi affirmat propter eximiam castitatem Danielem à leonum immanitate, & tres pueros à flammarum incendio non potuisse violari.

9. *Eunuchus non semper exectus.* Neque eunuchi nomen, aut etiam Heb. סריס *saris* admodum pugnant quod accommodatum est his, qui in aula sunt principum, ipsísque astant ad aulicas curas, & ad exequendum familiare mandatum. *Eunuchorũ varia, & honesta ministeria.* Erant quidem olim emasculati, qui gynæceis præerant, aut quibus credita erat fœminarum custodia, aut illis quoquo modo seruilem operam nauarent, quia ab illo euirato hominum genere tutus videbatur fœminarum pudor. Vnde factum est, vt quicumque cum principibus familiariùs ageret, eunuchus diceretur. Quod omnino expressit Tigurina translatio, quæ, vbi vulgatus, *præposito eunuchorum*, reddidit, *magistro palatij*, id est, qui aulicis pueris præerat. Et quidem multa in Scriptura sacra munera tribuuntur eunuchis, quæ in exectos mares minus aptè conueniunt, vt quòd bellorum fuerint duces, & militiæ Principes, quòd munus imbelle hoc, & effœminatum hominum genus sustinere non posset: neque superbum militum ingenium semimares hosce sibi præponi pateretur. Ieremias cap. 52. v. 25. eunuchi meminit, qui præpositus erat super viros bellatores. & Gen. 39. v. 1. Putiphar princeps esse dicitur exercitus Pharaonis. Sanè Putiphar eunuchus dicitur Pharaonis Gen. cap. 39. & vxorem habuisse, & ex ea prolem suscepisse traditur Gen. 41. cuius filiam vxorem duxit Ioseph.

10. Quidam ex eo negant virginem fuisse Danielem, quia Ezechielis cap. 14. Deus illi videtur attribuisse filios. *Si fuerint tres viri isti, Noë, Daniel, & Iob, in medio populi istius, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas; filios autem & filias suas non liberabunt.* Horum obiectioni respondimus in nostris commentariis super Ezechielem ad hunc locum: vbi diximus particulam conditionalem subaudiri in hanc sententiam. Si filios haberent Noë, Daniel, & Iob; non tamen illos paternæ preces eximerent ab interitu.

De Danielis sapientia multa in hoc libro habemus documenta, quæ suis quæque locis paulo accuratiùs expendentur. 11. *Danielis sapientia.* Sed illud maximè notandum ab ipso Deo Danielis sapientiam fuisse commendatam: sic enim apud Ezechielem cap. 28. ad Regem Tyri, *Ecce sapientior es tu Daniele? Omne secretum non est absconditum à te?* Qui loquendi modus aliquid olet prouerbiale. Prouerbium autem non leuia sumit, atque vulgaria, ex quorum comparatione aliorum siue sordes, & vitia; siue ornamenta, atque virtutes amplificet. Danielis porrò sapientia non Hebræis solùm, & Babyloniis, quibuscum egerat, nota erat; sed etiam externis, quales erant Tyrij, quibus Danielis sapientiam opponit Deus, quasi rem illis maximè celebratam, & notam. Et quidem ex cap. 1. vbi tenera adhuc erat Danielis ætas, cui vt roboris, & virium, sic etiam quotidie noua fiebat eruditionis accessio; facile constat, & quam tunc haberet, & quam habiturus esset postea sapientiam. Iam enim cùm primùm ingressus est Babyloniam; de ipsius sapientia, atque eruditione constabat: eo enim nomine in regiam aulam inductus est. Dixit namque Rex ad aulici ministerij præpositum, *vt introduceret de filiis Israël, & de semine regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula, decoros formâ, & eruditos omni sapientiâ, cautos scientiâ, & doctos disciplinâ.* Et vers. 17. *Pueris autem his dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia; Danieli autem intelligentiam omnium visionum, & somniorum.* Deinde vers. 20. de pueris illis dicitur Rex inuenisse *decuplum super cunctos ariolos, & magos, qui erant in vniuerso regno.*

PROLEGOMENON III.

Qua ætate captus, & quoto anno ætatis vita functus.

12. *Qua ætate captiuus.* Quoto anno regni Ioacim abductus fuerit Babylonem, ipse docet statim in principio suæ prophetiæ, de quo nos postea pluribus. Quoto verò ætatis suæ anno, id longè obscurius. In iuuenili verò ætate fuisse, satis ostendit iudicium, quod tulit in causa Susannæ. Isidorus cùm captus fuit, puerum, Epiphanius pusionem esse tradit Danielem. Sulpitius lib. 2. sacræ hist. & ante hunc Ignatius epist. ad Magnesianos duodenem esse putat. Ex his

his non planè constat de ætate, in qua Babylonem transmigrauit; quia neque constat quoto transmigrationis anno acciderit accusatio Susannæ. Accidisse autem non longè à transmigratione, argumento est quòd Græci à Susannæ iudicio librum Danielis ordiuntur, & in sua Synopsi Athanasius, vbi sacrorum librorum initia proponit, primo loco historiam adhibet Susannæ. Pereira coniectat decem annorum fuisse Danielem cùm migrauit è patria, in quo planè diuinat, sicut etiam mihi in eo constituendo annorum numero diuinandum est.

13. *Pueri dicuntur ætate etiam grandi.* Ego quidem grandiorem eo tempore existimo fuisse Danielem, viginti puta annorum, aut eo circiter. Neque iudicium illud in causa Susannæ quicquam incommodat; ex vsu quippe Scripturæ pueri dicuntur etiam, qui iuueniles annos egressi sunt. Quis non putaret duodenem esse Dauidem, aut non longè maiorem, cùm dixit de illo pater Isai 1. Reg. 16. v. 11. *adhuc reliquus est paruulus:* at ille vigesimum nonum annum agebat quando vnctus est à Samuele, vt tradunt Hebræi in Seder-olam, quod mihi videtur esse certissimum, & idem Dauid statim eodem cap. v. 18. vocatur *vir bellator, & prudens verbis*. Benjamin Gen. à cap. 42. id est, ab eo tempore, quo in Ægyptum profectus est, puer appellatur paruulus; quis illum ex hac compellatione non putaret pusionem: at eodem tempore cap. 46. vers. 21. decem filios suscepisse dicitur, quos secum in Ægyptum induxit. Idem dicendum esset de Ismael, quo tempore expulsus est cum matre à Sara; de quo ita loquitur Scriptura Gen. 21. vt infantem credas, qui tamen non procul aberat à vicennario. Sic etiam Daniel, quanuis puer vocetur, cùm causam iudicauit Susannæ, impleuisse, immò & superasse potuit annum vigesimum. Et hoc mihi difficile non est.

14. *Qua ætate mortuus.* Neque magis est certum quoto ætatis anno è viuis excesserit; est tamen certum ad longam vsque ætatem fuisse progressum. Totos enim septuaginta captiuitatis annos Babyloniæ vixit, vt constat; quia primo captiuitatis anno, qui etiam primus fuit Nabuchodonosor, abductus fuit à Babyloniis: his adde annos, quos in Chaldæa posuit sub imperio Cyri, atque Darij, quósque in Iudæa vixerat, antequam captiuus inde traheretur; inuenies tot esse annos, quot implere non potuit nisi grandis, & plusquam senilis ætas. Abulensis q. 91. in cap. 2. Matth. 81. annos impleuisse putat Danielem; sed multo plu-

A res vixisse constat. Hebræi ætatem Danielis ad centum & quinquaginta annos producunt plus minus. Nam, vt refert Genebrardus in Chronico, sub principium ætatis sextæ interfuit, aut etiam præfuit magnæ Synagogæ, quæ instituta fuit sub Dario Longimano, vt tradunt Elias præfatione 3. in Massoreth, & Rabbi Moses præfatione in Sepher Mizuoth, & in Talmud tractatu de votis. 15. Sed errant valde, vt in aliis plerumque, hi Hebræorum magistri: quicquid enim sit de hac Synagoga magna, cui interfuisse dicunt Esdram, Danielem, Ananiam, Azariam, Misaelem, Zachariam, Aggæum, & Malachiam; de qua hoc loco disputare neque otium est, neque animus. *Daniel non rediit in patriam.* Certè non constat Danielem rediisse cum aliis exulibus in Iudæam; quod sanè non tacuissent Esdras, & Nehemias, qui longum instituere catalogum eorum, qui in patriam remigrarunt, qui longè erant Daniele, tribúsque pueris inferiores. Neque grauis prouincia, quæ illi à Persarum Regibus fuerat commissa, liberum reliquisset reditum ad suos.

16. Isidorus vitam Danielis ad centum & decem annos prouehit; quod mihi difficile non est: iuxta ea, quæ principio dicta sunt. *Daniel vbi mortuus.* Mortuus est Babylone, vt docent communiter Patres, & Martyrologium Romanum, cuius apud me grauis est, & venerabilis auctoritas. De cuius sepulcro hæc Epiphanius. *Humatus est in angusta cauerna honoribus: extátque monumentum eius vsque ad hoc sæculum nostrum in Babylone cunctis notissimum.* Hæc de vita, moribúsque Prophetæ, plura ipse de se in toto hoc libro, quæ nos suis quæque locis fusiùs exponemus. Illud non omittam, quod prodit Baronius in additionibus ad Martyrologium, ad diem vigesimum primum Iulij, in quo illius anniuersaria renouatur memoria. *Daniel olim sepulcris inscribi solitus.* *Antiquus*, inquit, *mos Christianorum fuisse reperitur, vt in suis sepulcris inter alia resurrectionis symbola Danielem in lacu inter leones liberum stantem sculperent. Extant eius rei in veteribus lapideis sepulcris complura exempla.*

PROLEGOMENON IV.

Vtrùm Daniel sit inter Prophetas numerandus?

17. *Daniel à quibusdam è prophetarum numero exemptus.* HEbræi, teste Hieronymo epist. 120. quæ est præfatio in Danielem, in tres ordines digerunt Scripturæ libros, in Legem, Prophetas, & Hagiographa, id est, scripta

scripta sacra: in tertium hunc ordinem Danielem conscribunt,& à Prophetis eximunt,eodem Hieronymo teste. Quo nomine sanctus doctor à Rufino carpitur, quasi ipse dixisset nō esse Prophetam Danielem, cùm tamen ab ea cogitatione quā longissimè abesset; tantúmque asseruisset illam esse Hebræorum sententiam. Quare id putauerint Hebræi, docet Theodoretus in præfatione ad hunc librum. *Eò*,inquit, *impudentiæ processere Iudæi, vt vel à Prophetarum choro Danielem segregent, propheticóque cognomento defraudent. Impudens certè hoc ipsorum est commentum, non tamen ab eorum proposito fine abhorrens. Cùm enim multo apertius quàm alij omnes magni Dei,& Saluatoris nostri Iesu Christi prædixerit aduentum, neque solùm ea quæ facturus esset, antè commemorarit, sed etiam tempus præsignificarit, numerúmque ascripserit annorum, qui vsque ad illius aduentum intercessere, &c. merito,vtpote Deo infensi, & veritatis hostes: audent impudenter asserere non esse Prophetam.* Non video graue aliquod Hebræorum fundamentum; nisi fortè illud existimetur esse non leue, quod cap. 3. in sua oratione dixerit Azarias, *Non est in tempore hoc Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam.* cùm tamen, quo hæc tempore dicerentur, in Babylonia esset Daniel. Sed est quod verbis Azariæ respondeam. Primùm non esse tunc Prophetam, qui publico, atque legitimo more munus obiret prophetale, qui sacco nempe indueretur cilicino, sicut Isaias,& Prophetæ alij, vt ex Zacharia colligitur c. 13. qui sic de falsis prophetis, qui vt suis mendaciis auctoritatem conciliarent, insignia sibi Prophetarum sumebant. *Nec operientur pallio saccino, vt mentiantur.* Deinde publicè in hominum mores inuehebantur, interdúmque à peccando cohibebant. Quod tamē eo tempore, quo hæc loquebatur Azarias, præstare non potuit Daniel, vtpote qui tenera adhuc erat ætate, & inter aulicos pueros; neque si spiritum accepisset propheticum, illius prophetali aliqua forma, atque habitu documenta prodiderat.

Daniel numerandus inter Prophetas.

18. Seu certè cùm Prophetæ nomen multa significet, vt ostendimus in nostris commentariis super Acta c. 2. & super Isaiam cap. 8. n. 11. in aliqua illius significatione negatur Babylone fuisse Propheta. Dicitur autem Propheta non solùm qui præsentit, ac prædicit futura, licèt hæc vulgaris, & magis vsitata significatio; sed etiam qui Scripturas interpretatur. Sic S. Thomas exponit illud 1. Cor. 11. *Omnis vir orans, aut prophetans.* Vnde *prophetare* est in Scriptura, aut Prophetis legendis, aut interpretandis versari. Et quia laudes Dei ex Scriptura sacra frequenter sumuntur, fit vt *prophetare*, idem sit quod laudare Deum. In quem sensum omnes communiter accipiunt illud 1. Paralip. 25. *Igitur Dauid,& Magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithum, qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis.* In his potiùs significationibus ego hîc acciperem Prophetæ nomen, quàm in magis vulgari, ac propria. Quod ex eo coniecto quod proximè sequitur; meminit enim templi, holocausti, & eorum quibus offensus placaretur Deus. Quare commodè coniungi hîc possunt,quæ fiebant in templo, nempe diuinæ laudes; & Scripturarum expositio, quorum alterum cantorum, alterum scribarum opus est. Ait igitur Azarias in illo temporis articulo, neque duces esse, aut principes qui populum in vulgari œconomia moderentur; neque scribæ, aut cantores, qui mores instituant, & animos excitent ad pietatem; neque sacerdotes, qui ab offenso Deo holocaustis, ac sacrificiis misericordiam extorqueant.

Prophetæ significatio multiplex.

Quòd verò Propheta fuerit Daniel, liber totus manifestè docet, & ita clamat apertè, & clarè, vt nisi qui aures obstinatò obstruxerit, ignorare non possit. 19.
Quàm multa de Christo, quàm varia de Antichristo, déque imperiorum mutatione prædixerit; quàm illa rerum confirmaret euentus, quis non videt? Cæcus sit oportet,& amens qui hîc prophetici spiritus vim non agnoscat, & supernaturale donum. Sed dixit hoc Christus apud Matth. cap. 24. *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco sancto.* quæ verba habes in Daniele cap. 9. v. 27.

PROLEGOMENON V.

Quis auctor huius libri.

HVnc librum esse Danielis Prophetæ, de quo proximè, negant Anabaptistæ,qui,vt inquit Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecæ, Hæresi 6. hauserunt è Manichæorum fontibus. Negat etiam Porphyrius, teste Hieronymo tam in procemio ad commentaria in Danielem; quàm in quadam in eundem Prophetam præfatione. Hi igitur non ab eo Daniele, cuius in hoc libro texitur historia,sed ab alio quodam scriptum aiunt esse hunc librum. Alij sunt qui cùm librū istum ab hoc Daniele scriptū esse dicant;nonnullas tamen eius partes ab alio auctore scriptas esse 20.

Quidā hunc librum Danielis esse negant.

contendunt, de quibus aliud nobis Prolegomenum instituendum est.

21. In primis, vt hîc bene admonet Maldonatus, statuendum est, siue ab hoc, siue ab alio Daniele compositus sit liber; eandem habere auctoritatem, canonicam videlicet; neque enim nos hîc de auctoritate, sed de auctore quærimus. Sicut de auctore libri Iob, Samuelis, & Regum laborant interpretes: & cùm non omnes in eodem auctore consentiant; non tamen in canonica horum librorum auctoritate dissentiunt.

22. *Daniel huius libri auctor.* Quòd idem sit scriptor, & argumentũ libri, probat communis hominum sensus, & ipse loquendi modus, qui scriptorem cum ipso scribentis argumento coniungit. Cap.8. v.1. *Anno tertio Regni Balthasar Regis visio apparuit mihi.* & cap.9. v.2. *Anno vno Regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum.* Eodem modo vers.11. & 12. Et hæc vna ratio instar habet multarum ad obstruendum non tam contra oppugnantium, quàm errantium os.

23. Argumenta adeò leuia sunt, vt referre pudeat. Adducit illa Sixtus Senensis lib.8. hæres.6. quorum primum supponit auctorem huius libri esse illum, quem Ezechiel cap.14. cum Noë, & Iob tertium annumerat; cum illo verò non aptè conueniunt, quæ de hoc Daniele præsens narrat historia. Ille enim vir vocatur, & filios suscepisse; quod nullo modo conuenit in Danielẽ hunc, qui & puer erat, & eunuchus: quare filios generare non potuit. De hac re diximus in nostris commẽtariis in Ezechielem super illum locum, & suprà Prolegom.2. Et quod attinet ad ætatem, quo tempore hæc scripta sunt ab Ezechiele, iã multi exacti fuerant anni à transmigratione Danielis. Cùm enim qui puer ingressus esset Babylonem, octodecim nempe annis antequam exscinderetur Hierosolyma, iam erat in ætate virili, cùm de illo talia prædicaret Ezechiel, non longè à ciuitatis excidio.

24. *REGVLA. Hebræi de seipsis tanquã de tertia persona loqui soliti.* Secunda ratio Anabaptistarum est, quia auctor ille, qui librum hunc edidit, quicumque ille sit, siue vocetur Daniel, siue aliquo alio nomine, ita de Daniele loquitur quasi aliquid esset diuersum: vt cap.1. v. 6. *Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda Daniel, Ananias,* &c. Sed multa hîc peccant Anabaptistæ: Primùm, quia aut non considerant, aut verius ignorare se simulant, vsitatum esse inter Hebræos, vt aliquis de seipso tanquam de tertia persona loquatur. Quare cùm Dauid de seipso loqueretur Psal.137. ait, *Memento Domine Dauid.* & eodem Psalmo, *Iurauit Dominus Dauid veritatẽ.* & Gen.4. Lamech, cùm de seipso

A loqueretur, ait: *Audite vxores Lamech.* & statim iterum, *Septuplum vltio dabitur de Cain; de Lamech verò septuagies septies.* Quod in suis cõmentariis sæpe facit Cæsar, qui de seipso, tanquam de alio quopiã semper loquitur. Quod etiam fecere Prophetę alij, à quibus scriptas esse prophetias negare possent Anabaptistæ, si quid haberet ponderis illa ratio; in omnes enim æquè valeret. Isaias c.1. *Visio Isaiæ filij Amos,* & alibi millies: lege cap.37. 38. 39. Ieremias cap.1. *Verba Ieremiæ Prophetæ.* Ezech.

B cap.1. *Factum est verbum Domini ad Ezechielem.* & idem dicẽdum de aliis Prophetis. Sed, quod mirere, magis ipse Daniel sæpe in sua apertè loquitur persona, non diuersam assignat, vt in principio huius Prolegomeni diximus; & quid, dum tertiam videtur adhibere personam, significare voluerit, satis docuit cap.10. Nã cùm dixisset vers. 1. *Anno tertio Regni Cyri Regis Persarum verbum reuelatum est Danieli.* statim vers.2. explicuit, quis ille foret Daniel, de quo in tertia persona fuerat antè locu-

C tus: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus.*

PROLEGOMENON VI.

An historia Susannæ scripta fuerit à Daniele.

DE libro toto nemo ferè dubitat, quin fuerit à Daniele conscriptus; de quibusdam supplementis, siue laciniis ambigunt non solùm ex alienis, sed etiam ex nostris non pauci: vt de Susanna, de can- 25. *Nihil in hoc libro quod non à Daniele scriptum.*

D tico trium puerorum, de Dracone occiso, de Sacerdotibus Bel, & de Habacuc ad lacum leonum è Iudæa translato. Quorum sententiis Hieronymus aliqua ratione videtur adhæsisse, vt constat ex præfatione in Danielem. Quanquam aliqui illum excusare conantur, sicut & alios; quod fortasse consecuti sunt: vt Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. Bellarminus tom. 1. controu. lib.1. cap.9. Sed sanè si quid antiqui Patres locuti sunt secus in iudicio de sacris libris, mirandum non est, cùm res illo tempore

E esset obscurior; neque res esset, sicut ætate nostra, ab Ecclesia definita. Quare quid alij senserint nunc omitto; tantùm dicam quàm sint infirmæ rationes, quibus alij sibi persuasere neque veras esse hasce lacinias, neque à Daniele cõscriptas. Et quod his canonicæ fidei pondus insit, nemo iam pius dubitare potest, cùm Concilium Tridentinum id apertè doceat sessione 4. Sed de hoc postea latiùs Prolegomeno nono.

Primùm de Susannæ historia nobis videndum est. Duo hîc obiiciunt aduersarij, quæ minus cum veritate consentiunt. Al- 26. *Historia Susãnæ scripta à Daniele.*

terum,

terum, quòd quo tempore Susannæ causa à Daniele disceptata est, puer erat Daniel; at eo tempore puer esse non poterat, cùm iam septuaginta captiuitatis anni transiissent. Nam, vt postremo loco posita est, sic etiam postremo Danielis tempore videtur contigisse; quod etiam probat, quia absoluta historię narratione statim subiungitur, *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses Regnum eius:* quo tempore iam Iudæorum exules in patriam remigrarant.

27. Huius obiectionis non est difficilis solutio, si statuamus in exordio captiuitatis accusatam esse à senibus, & liberatam à Daniele Susannam. Quæ verò posteriori loco scribuntur, priori, aut cōtra, quæ posteriori priori tempore contigisse non est nouum, aut infrequens, maximè apud Prophetas, qui vaticiniis aliquid admiscent historicū; vt in Ieremia, atque Ezechiele constat: & quàm id sit huic nostro Prophetæ familiare, docebimus postea in quodā ea de re instituto Prolegomeno. Sanè Græci ab hac historia librum ordiūtur; cur verò Hebræi non itē, ea ratio est, quia hæc historia Græcè scripta fuit, atque ideo Hebraicis admisceri non debuit: Septuaginta verò cùm scripsissent Græcè, nō putauerunt à primo, id est, à suo loco reiiciendam. Illud verò de Astyagis mortem, Cyrique successione nō valde huic cogitationi incommodat: neque enim verba illa tam finiunt caput 13. in quo est iudicium Susannæ, quàm inchoāt decimumquartum, in quo draconis continetur interitus, & sacerdotum Bel. Et ita partem illam Græci decimiquarti capitis initio præponūt. Neque id obscurè docent verba, quæ proximè antecesserunt; quæ affirmant ex eo tempore magnum sibi nomen comparasse Prophetam: at quæ toto libro ante caput hoc 13. scripta sunt, gloriosum illi nomen conciliarant.

Historia Susanna in principio libri ponitur à Græcis.

28. Altera ratio est sumpta ex illa paranomasia, quæ tātùm esse potuit in Græca lingua; in qua certum est non scripsisse Danielem. Vbi enim nos habem⁹, *Dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi? qui ait, sub schino. Dixit autem Daniel, rectè mentitus es in caput tuum: ecce enim Angelus Domini scindet te medium.* Allusio est ab arbore, ad diuisionem, & sectionem. Est etenim similitudo magna inter σχῖνον arborem, & σχίζω, quod scindere valet, seu diuidere: & inter πρῖνον quod statim additur, & πρίω, quod scindere item, & serrare significat. Hæc verò allusio in vna lingua Gręca reperitur. Hoc ipsū obiecerat olim Iulius Africanus Origeni; cui respōdet Origenes adhibuisse quidem Danielem vocem aliquam siue Hebraicam, siue Chaldaicam, in qua similis esset, & elegans allusio; Græcum autem interpretem habuisse rationem non tam verborum, quàm sensus, & ne periret allusio, & cum ea lepor, & elegantia, alias supposuisse arbores, in quibus similis esset agnominatio, & lusus.

29. Quia in hac quæstione ratio hæc est grauis, & quæ aduersariis est visa potentissima; ideo in ea explicanda paululum nobis ponendum est moræ. Et primùm explorandum cur caput istud, & alia quæ aduersarij notant, & suggillant, Græcè tantùm reperiantur scripta, non ideo existimantur à Græco aliquo potius quàm à Daniele fuisse conscripta.

30. Primùm certum est periisse magnorum etiam scriptorum monumenta, quæ legerunt antiqui; neque tamen ad posterorum manus peruenere. Hinc multa citat Athenæus, multa Cicero, multa Gellius, & alij plures, quorum nos nihil præter nomen accepimus. Et ne longiùs abeamus, Hieronymus in præfatione suorum commentariorum in Danielem, ad intelligendā Danielis prophetiam multiplicem Latinorū, ac Græcorum historiam affirmat esse necessariam, veluti Suctorij, Hieronymi, Callinici, Possidonij, Theonis, Andronici, &c. quos auctores Hieronymus legit; & tamen nos eorum nihil præter nomen, & memoriam accepimus. Legit Iustinus olim Trogum Pompeium, & breuem nobis ex eius historia epitomem reliquit; quod etiam in Liuio præstitit Florus; sed Trogi libri nobis perierunt, & eorum aliqui, quorum summam legimus in Floro. Illud idem experimur in sacris, & Canonicis libris: nemo quippe nescit allegari in sacra Scriptura libros, quos nostræ, immò & antiquissimæ ætatis nemo vidit, de quibus vide Garciam Galarzam lib. 4. institut. cap. 6. Et quidem Tertullianus lib. de carne Christi, cap. 23. verba quædam citat ex Ezechiele; & Clemens Alexandrinus ex eodem plurima lib. 1. stromat. quæ tamen nos apud illum non inuenimus.

Libri multi etiam sacri perierunt.

31. Sic ergo fieri potuit, immò sic absque dubio factum est, vt quæ scripsit Daniel Hebraicè, legerint interpretes, qui Græcè transtulerunt, Septuaginta videlicet, & Theodotio; neque enim ipsi auctores esse dicuntur, sed interpretes: neque ex Græco ipsi Græcè transferrent; sed ex Hebraico, Chaldæóve, ex vno videlicet in aliud idioma. Cúmque Hebraicū excidisset exemplar, mansit Græcum, sicut accidisse videmus in Euangelio Matthæi, & Epistola Pauli ad Hebræos, quæ scripta existimantur Hebraicè, quorum tamēn Græcum, & Latinum ex Græco tantùm habemus exēplar. Neque aliter actum est cum libro

Libri sacri scripti Hebraicè, qui nunc tantū leguntur Græcè.

Tobiæ,& Iudith, quos tãtùm nunc Græcè legimus; Chaldaicè tamen scriptos in eorũ præfationibus tradit Hieronymus. Qui idem sentit de libro 1. Machabæorum, quẽ epist. 106. à se repertum esse scribit Hebraicè. Neque aliter iudicandum de libro Sapientiæ, qui si cõpositus à Salomone, vt est communis sententia, sanè Græcè compositus nõ est. Idem ego iudico de libro 2. Machabæorum, qui scriptus fuit à Iudæis, qui erant Hierosolymis, ad fratres qui erãt in Ægypto, in quibus erat Iudas Machabæus, vt constat ex lib. 2. Machab. c. 1. v. 10. Ego de eodem libro Machabæorum idem esse puto iudiciũ, & quidem Eusebius in Chronico anno mundi 4800. Olymp. 116. vtrumque librum Hebraicum videtur legisse. *Machabaeorum*, inquit, *Hebraea historia hic Graecorum supputat Regnum; verùm hi libri inter diuinas Scripturas non recipiuntur.* Illud hîc notandum, non dixisse librum Machabæorum, sed *libros* in plurali, Hebræos esse, neque Hieronymus negat suprà epist. 106. quæ est Prologus Galeatus, secundum librum scriptum Hebraicè, sed tantùm dicit, Græcũ esse; scriptũ verò esse in principio Hebraicè rationes suprà allatæ prudẽti lectori necessariò penè persuadent. Quia cùm neque hi, qui scripsere, neque illi, ad quos scripta fuit epistola, vt est verisimile, eo maximè tempore Græcè nossent; incredibile est librum illum scriptum esse non Hebraicè. Quòd verò scriptus sit à Iuda Machabæo, docet multis Bellarminus lib. 1. de verbo Dei, cap. 15.

32. REGVLA. *Frequentes in Scriptura paranomasiæ.*

Secundò obseruandum frequentes in Scriptura sacra esse paranomasias, id est, agnominationes, seu allusiones ad ambiguam, seu similem vocem, quam si tollas, & lepor perit, & quod dicitur videri potest absonum, absurdum, & abs re. Ex quo fit, vt sacer interpres in sensum potius intentus quàm in verba, aliud interdum verbũ assumat, quàm habuit in fonte. Sic in Ierem. c. 1. vox שקד *saked*, nucem, aut amygdalum significat; itẽ vigiliam, maluit Hieronymus *vigilantem* vertere, quàm nuceã, vel amygdalinam, cùm statim sequeretur verbum שקד, quod *vigilare* valet. Quæ enim esset consecutio, aut lepos, si diceret, *Virgam nuceam ego video*, & responderet Deus, *bene vidisti, quia vigilabo ego.* Quid nuci, aut amygdalæ cum vigilante commune? At est consecutio, & lepos non inelegans in dictione Hebraica, quæ nucem, & quæ vigilare significat. Ac si dicat, vidi ego virgam שקד *saked*, & respondeat Deus: Ego שקד *saked.* Item idem Hieronymus Isai. 24. ne periret agnominatio, quæ erat in vocum similitudine, vbi Heb. אבלה נבלה *habelah nabelah*, id est, *luxit*, & *cecidit*, ipse reddidit, *luxit*, & *defluxit.*

33. *Multa frigida videntur, si non coniiciantur paranomasia.*

Hinc fit vt quædam absurda videantur, & obscura, quia voces originales aliquid habent, quod verba non possunt exprimere Latina, qualia sunt quæ modò de virga nucea, seu amygdalina dicebamus, & illud Pauli Epist. ad Philemonem de Onesimo, *Qui tibi aliquando inutilis fuit; nunc autem & mihi, & tibi vtilis.* Onesimus *vtilem* significat; cùm fugit Onesimus seruus à Philemone, non fuit illi vtilis, quod sonabat nomen, sed inutilis. Iam verò Apostoli doctrinâ mutatus, & meliora cogitans vtilis erit. Ait ergo Apostolus: Qui tibi, ô Philemon, Onesimus non fuit, deinceps & tibi, & mihi erit Onesimus. Quid magis absurdum, aut à prudenti coniectura alienum, quàm ex *pane*, si vocem intuearis Latinam, coniectare gladium, cùm nihil videatur aduersari magis ferro, ac cædi, quàm panis, qui non adimit, aut debilitat, sed potiùs alit, & corroborat vitam. At ex pane, quem socius in somnis viderat Iudic. 7. coniectauit Madianita ferrum instare Gedeonis. *Non est*, inquit, *hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filij Ioas viri Israelitæ: tradidit enim Dominus in manus eius Madian.* Coniectauit autẽ optimè Madianita, ex ambigua nominis significatione: nam לחם *lechem* panem significat, & bellum, ex ea coniunctione non naturæ, sed vocis, & soni, quæ vtrumque valet, cõiectauit instare Madianitis cædem, & gladium à Gedeone. Si quod esset Latinum nomen, quod panem aut cibum, & ferrum, aut cædem modico flexu significaret, illud, credo, adhibuisset interpres: sed cùm non occurrisset, vsus est ea voce Latina, quæ magis adæquabat Hebraicam. Si pro *pane hordeaceo*, panem adhibuisset *farreum*, ex vocis similitudine magis appareret coniecturæ ratio; à farre enim ad ferrum non est magna dissimilitudo.

34. Sic ergo puto Græcum interpretem voces adhibuisse, non quæ omnino Hebraicis, aut Chaldaicis responderent; sed quarũ in alio idiomate sensus esset non dissimilis, & similis allusio. Nam cùm Hebraicè, aut Chaldaicè (vtraque enim lingua in hoc libro vsus est Daniel) allusio esset ad arbores, quæ durum aliquod mortis genus indicãt; Græcus interpres sumpsit *schinum*, & *prinum*, quæ, teste Hieronymo præfatione in Danielem, lentiscum significant, & ilicem, quæ allusio nescientibus Græcè obscura est. Quòd si Latinus interpres, quod fortasse posset, arborum adhibuisset nomina, quæ aliquid durum, atque horribile portenderent, res esset manifesta magis; & aliquid dixisse videretur Daniel, quod cũ duorum senum responsione congrueret: neque existimaretur ab iis, qui Græci sermonis

monis imperiti sunt, absurdè, & sine vlla rerum connexione locutus; quemadmodũ si *malum* posuisset, & *prunum*. Tunc enim accommodatè ad nominum communem sonum intulisset, dixisséque senum alteri, *malè peribis*; alteri verò, *prunis concremaberis*.

35. Addam ego in gratiam illorum, qui hãc historiam à Danielis libro resecandam putant, argumentum aliud, quod miror ab illis, qui leuissimis contrà nituntur rationibus, non fuisse animaduersum. Nam non videtur bellè cum temporum, rerúmque natura conuenire, vt altero captiuitatis anno, in quo contigisse diximus Susannæ iudicium, de Ioachim Susannæ marito dicatur, *diues erat valdè, & erat ei pomarium vicinum domui suæ*. Hæc ampliora sunt, quàm vt conuenire possent in exulis fortunam, eo maximè tempore, quo primùm abductus est captiuus; vbi omnia illi esse debuerunt angusta. Item quia nimium videbatur clementer agi cum captiuo populo à Rege insolente, & barbaro, cùm suam haberet rempublicam, & in ea iudices sui generis, qui de Iudæorum causis statuerent; quales fuere duo senes, qui Susannæ pudori insidiati sunt.

36. *Nabuchodonosor primũ non adeò infensus Iudæis.* Hæc omnia leuia videbuntur illi, qui animaduerterit quo tempore, & quo suo merito abducti sunt Babylonem hi, de quibus in hoc capite sermo est. Hi verò ablegati sunt à patria cùm primùm Nabuchodonosor in Iudæam appulit, anno videlicet 3. Regni Ioacim, vt habes Danielis cap. 1. statim in principio. Tunc autem minus erat infensus Nabuchodonosor Iudæorum nomini, cùm neque illos expertus esset infidos, & rebelles; neque magnum ab illis detrimentum ipsius exercitus accepisset. Cùm ergo, vt ex ipso statim textu constat, abduxisset secum viros ex præcipua nobilitate, & ex Regum, ac Tyrannorum semine, qui quasi obsides forent percussi fœderis; non est improbabile eos non vt hostes, & captiuos angustè, & durè, sed vt amicos, & quasi pacis arbitros accepisse clementi, ac liberali manu. Neque enim si aliter esset in primam illam exulum sortem animatus, in aulam admisisset tres illos pueros, illísque constituisset *annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino vnde bibebat ipse*. Quid ergo mirum si Ioachimo, qui Iudæorum erat maximè nobilis, domum tradidisset elegantem, & lautam eo instructam horto, in quem secedere soleret Susanna: & statueret vt è Iudæorum genere eligerentur iudices, apud quos exulum iuxta suæ Gentis decreta disceptarentur causæ; ne si ad Babylonios iudices deferrentur, cum ipsis ageretur iniquiùs. Sic videtur occurri posse huic obiectioni, quæ aliquid habere videbatur momenti.

PROLEGOMENON VII.

An caput III. totum scriptum fuerit à Daniele?

EX hac quæstione penè definitæ sunt aliæ, de c. 3. cuius magna pars Græcè reperitur, & à Daniele negatur esse cõposita, vt cap. 13. in quo Draconis continetur historia, & sacerdotum Bel. Iudæi fabulosum esse putant, quod de puerorum cantico traditur Dan. c. 3. idque duobus modis efficere se putant: & quia canticum illud, & Azariæ oratio tãtùm reperiuntur Græcè conscripta; & quia (vt Hieronymus ait in Præfatione ad Danielem, audisse se à quodam Iudæo) non tantum otij fuit tribus pueris, vt in camino æstuantis incẽdij metro luderent, & per ordinem ad laudẽ Dei omnia elementa prouocarent. De idiomate Græco iam, credo, satis dictum est Prolegomeno præcedenti. De cantico inter erumpentes flammarũ globos, quod incredibile Iudæo videbatur, tantùm dico illam videri Iudæi cogitationem, qui si quid occurrit durum, & à quo aliquod se periculũ ostendat, horret, ac trepidat, & de suo animo aliorum metum, aut robur expendit, Incredibile iudicat quod pueri cantant inter flammas, quia quo est ipse animo effœminato, ac languido, ante fornacẽ, & flammas eiularet. Sed sanè illũ, cui Deus adest in tormentis, (quod sanè facit, si quis ipsius causa in omne se discrimen obiiciat) neque terret incendium, neque eripit vocẽ exultantem, & hilarem horribilis species, quæcumque illa sit. Crederet fortasse, si tempus nactus esset Euangelicum, in quo infinita occurrũt exempla illorum, qui laudabant Deum in tormentis, quæ sic appetebant ardenter pro Dei gloria, quasi qui frigida diuturnã sitim explere cupiunt. Cùm autem tres illi pueri talem in flãmis experirentur indulgentiam à Deo, qualẽ Euangelici Martyres in tormẽtis, cùm eos refrigeraret vẽtus à rore madidus, quid mirum si & ipsi numeroso cantico laudarent Deũ, & creaturas omnes ad diuinas laudes prouocarẽt. Chrysostomus Rom. 1. homil. de tribus pueris, rationem reddit cur fornax illa pueris cãtandi facultatem nõ ademerit. *Non audet*, inquit, *ignis inuocantis Dominum fauces irrumpere; nec nubilo ducto vaporans eloquentis ora conturbat: innocentis oratione prolata, & quasi facto impetu tremula flamma subducitur*. Si qui sunt alij è nostris qui contrà sentiant, ignoscendum est illis, quia antiquis illis sæculis res erat minùs explorata; nunc verò plura sunt, quæ nos de au-ctore

37. *Caput tertium à Daniele scriptum.*

Trium puerorum historia quibusdam visa fabulosa, sed malè.

38. *Sanctorum in tormentis lætitia.*

ctore docent;ac deCanonica fide huius,de qua multi etiã ex nostris olim dubitabant. Sed de harum laciniarum auctoritate postea in peculiari quæstione.

PROLEGOMENON VIII.

An caput XIV. scriptum à Daniele fuerit?

39. *A Daniele ij. scriptum de Dracone, & sacerdotibus Bel.*

IN eo capite duæ continentur historiæ, altera de Bel Babyloniorum Deo, eiúsque sacerdotibus occisis:altera de dracone interfecto,eiúsque causa Daniele in lacum à Dario concluso. Quod ad sacerdotes à Daniele deprehensos, vt veteratores, & furti reos, Iudæus apud Hieronymum in præfatione ad Danielem, ideo à Daniele scriptum esse negat, quia ea magis solertia prudẽtis viri,quàm spiritu prophetico peracta sunt. Et idẽ dicit de modo, quo Draco ibidẽ extinctus esse traditur. Sed planè Iudæus ille satis significauit, dũ his rationibus adducitur, vt lacinias hasce Danieli eripiat,quàm parum esset in Prophetarum lectione versatus:qui nõ vbique Prophetæ sunt,id est, futura prædicunt, aut portenta interpretantur, & somnia;sed interdũ Historici, qui rerum gestarum monumẽta in scriptis relinquũt. Alioqui multa adimere debuisset Iudæus ille Ionæ, multa Isaiæ, multa Ieremiæ;qui res narrant gestas; non prædicunt futuras:multa etiã adimere potuisset Danieli, quæ ab eo scripta fuisse non negat, vt primum caput quod totum scriptum est historicè.Scripsit quidem hæc Daniel, non quidem vt Propheta, sed vt Historicus, sicut scripsit alia, quorum memoriam posteritati mandari voluit.

Prophetæ aliquando Historici.

40. *Historia de lacu, & Abacuc à Daniele scripta.*

Quod verò de Danielis lacu, déque Habacuc ab Angelo Babylonem adducto, eodem capite proditũ est, pluribus oppugnant argumentis. De lacu quidem; quia quæ hîc dicuntur mendacij coarguunt, & euertunt quæ capite sexto suprà dicta fuerant.Ibi enim vna tantùm nocte conclusus in lacu dicitur Daniel, & extractus manè; hîc verò septẽ continuos dies posuisse dicitur in lacu, & pastus ab Habacuc. Quis non miretur tantum stuporem,qui non videat ex temporibus, & causis bis Danielẽ in lacum esse demissum:capite enim sexto missus est à Dario,eo nomine quòd contra regium decretum Deum suum intra triginta dies adorauerit. Hoc verò loco coniectus est à Cyro, qui Dario successit, vt constat ex fine præcedentis capitis, quem huius diximus esse principium; & ob causam longè dissimilem, quia, vt habes ibid. vers.27.*Bel destruxit,draconem interfecit, & sacerdotes occidit.*

41. De Habacuc res est difficilior. Et vt de Habacuc, quod ad propositum argumentum dici potest,absoluamus;quidam putãt historiam Belis ab hoc potiùs,quàm à Daniele fuisse conscriptã;neque hîc Danielis Prophetæ, sed alterius Danielis historiam contineri. Quod ex eo sibi persuadent, quòd Belis historia apud Septuaginta hoc inscribitur titulo,προφητεία τοῦ Ἀβακοὺκ υἱοῦ τοῦ Ἰούδα ἐκ φύλης Λευί: *Prophetia Habacuc filij Iuda de tribu leui.* Et statim,*Homo quidam erat sacerdos nomine Daniel filius Abda.* Hæc refert Hieronymus inProœmioDanielis,& ex illo alij.Ex quo constat & Habacuc istũ non esse èProphetarum numero,cùm ille dicatur ab Isidoro,Dorotheo,& Epiphanio,ex tribu Simeonis;hic verò de tribu Leui: & cùm Daniel, cuius nũc prophetiam explicare aggredimur,fuerit filius Sabaç,vt docet Epiphanius,& ex tribu Iuda; hic tamẽ filius dicitur fuisse Abda,& ex tribu Leui, quandoquidem Sacerdos. Sed huic obiectioni satis, vt credo, facit communis auctoritas, quæ contrà sentit;& quod Hieronymus, & cum eo alij plures respondent, ideo ab Ecclesia pro translatione Septuaginta,Theodotionis translationem esse receptam. Certè cuiuscumque titulus ille sit,in nostris Bibliis non reperitur.

Nunc ad illum Habacuc veniamus,qui messorum prandium attulit Danieli;cõtra hunc enim multa commenti sunt cum Iudæis qui partem illam cõmentum esse putant,& fabulam.Primùm,quia nõ apparet, quis alius esse posset Habacuc,nisi ille, qui in duodecim Prophetis numeratur: at hic non videtur ad hoc vsque tempus ætatem producere potuisse. Nam si prophetauerit sub Rege Manasse,vt in Sedar-olã docent Hebræi, & eos secuti quidã è Chronographis,planè vixit ad centum annos ante captiuitatem:at post septuaginta captiuitatis annos in lacum coniectus est Daniel.Et licèt hoc incertum sit;certum tamẽ est prophetasse stante adhuc Solymitana republica, contra quam cap.1.v.6. Chaldæorum exercitum minatur. Quare necessarium videtur aut eo tempore excessisse è viuis; aut ea esse ætate vt prandium ad messores ferre non potuerit. 42.

Quis Abacuc qui prandium attulit Danieli.

Deinde quia,vt Iudæus ille,de quo Hieronymus pręfatione in Danielem,incredibile videtur,vt discophorus, (sic enim appellat Habacuc) immensa terrarum spatia aëreo volatu breuissimo temporis momento percurrerit, maximè cùm in Scriptura sacra nullum reperiatur exemplum.

Hæc illi obiiciunt: nos ad illa breuiter. 43.
Multi sunt qui Habacuc discophorum, id est,qui intrauit,& tulit ad Danielem panes in alucolo, fuisse illum,qui numeratur inter duodecim Prophetas;in quibus estDorotheus in Synopsi, Epiphanius,& Hieronymus

Duo prophetæ vocati Abacuc. nymus in Prologo Habacuc, quem alij plures secuti sunt. Sed est id valde durum, atque difficile, quare communis est sentētia hunc Habacuc discophorum, fuisse ab altero diuersum. Ita putant Ribera præludio in Habacuc, & Genebrardus, qui duos esse dicunt eiusdem quidem nominis, at ætatis diuersæ; vtrumque Prophetam, non eiusdem vtrumque tribus. Ille enim qui inter duodecim numeratur, mortuus est biennio, antequam captiuus populus ab exilio rediret, vt putant Epiphanius, Dorotheus, Isidorus, & Chronicum Alexandrinum: hic verò licèt Propheta fuerit, fuit tamen longè pòst, nempe aliquot annos post captiuitatem, quo tempore acciderunt quæ cap. 13. Danielis scribuntur.

44. *Exempla aliqua singularia.* Id verò quod obiiciebat Hieronymo Iudæus, quod non simile esset exemplum in Scriptura, quàm sit infirmum nemo nō videt; quasi necessarium sit aliquid aliquādo contigisse simile; aut repugnet aliquid in rerum natura esse singulare. An exemplum habet ardens, & non combustus rubus? raptus in aëra Elias in igneo curru? ferrum securis enatans è profundo? & mille alia quæ in Scriptura singularia sunt? Quare non est quod Iudæorum nugis, quæ Deo potestatem aut tollunt, aut infirmant, aliquod pondus inesse existimemus.

PROLEGOMENON IX.

An horum trium capitum, quæ Græcè tantùm habentur, Canonica sit fides?

45. *Liber totus Danielis Canonicus.* HÆc olim quęstio habere potuit suum locum, cùm nihil esset definitum à Conciliis; nunc verò dubitare nefas, cùm id expresśè doceat Tridentinū, quod sessione 4. iubet recipi libros sacros, in quibus numeratur Daniel, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueuerunt. Quòd autem & legi iam olim hæc in Ecclesia solita sint; & ab antiquissimis Patribus haberi pro Scripturæ partibus, probauit satis luculenter, & grauiter Cardinalis Bellarminus tom. 1. lib. 1. de verbo Dei, cap. 9. Ego ex illo huc cogam nonnulla, quæ satis propositam quæstionem expedient.

46. Et quòd Ecclesia lacinias hasce in officio sacro legere consueuerit, res est satis nota. Hymnus trium puerorum in Missis quatuor anni tēporum recitatur: tum diebus omnibus peracto sacro, & cùm officiū matutinum recitatur de Sanctis. Susannæ historia tota legitur in Missa Sabbato ante Dominicam quartam Quadragesimæ. Historia denique Draconis in Missa feriæ 3. post Dominicam 3. Quadragesimæ. Hæc verò ante 1200. annos in Ecclesiis recitari solita, bene Bellarminus colligit ex Rufino lib. 2. aduersùs Hieronymum, & Origene tract. 21. in Matth. vbi ait in publicis conuentibus fidelium ab Ecclesiæ exordio, tanquam Scripturam sacram recitari.

Quod attinet ad Patres, satis habemus luculentam nubem testium, qui & harum Danielis partium meminere, & illis fidem attribuere diuinam. Ignatius ad Magnesianos citat historiam Susannæ, & c. 13. Danielis, & Tertullianus libro, de corona militis. Cyprianus multis locis diuinæ auctoritatis inesse pondus ait his omnibus partibus. Historiæ quidē Susānæ lib. 1. epist. 8. Hymno trium puerorum, sermone de lapsis, lib. 4. epist. 6. & lib. 3. epist. 1. & sermone de oratione Dominica; & de eleemosyna meminit prandij Habacuc, quibus diuinam auctoritatem attribuit. Chrysostomus itē has historias diuinas appellat homil. 4. ad populum, & sermone de tribus pueris, vbi puerorum meminit, & illorum hymni; & Susannæ sermone de ipsa, quæ habentur in fine primi tomi. Athanasius item in Synopsi in explicatione Danielis Susannæ meminit, & hymni trium puerorum, & draconis occisi, & expresśè docet hæc ad Scripturæ corpus pertinere. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto, historiam Susannæ Scripturā diuinam appellat. Augustinus lib. de natura boni, cap. 16. hymnum trium puerorum, & epist. 122. orationem Azariæ, & tract. 36. in Ioannem, historiam Susannæ, quasi aliquid Canonicum allegat. 47.

Neque Hieronymus, qui contrà sentire à nonnullis existimatur, ab his historiis citandis abstinuit; quo meo iudicio, docuit aliter iudicare se de illarum fide, neque enim illis esset vsus, si vulgarem tantùm, & humanam auctoritatem haberent. Sic ille lib 2. aduersùs Iouin. ad medium. *Qui Deo miserabilis apparuerat, post ieiuniū leonibus in lacu fuit horribilis. Mittitur ad eum (licèt hoc in Hebraicis voluminibus non inuenerimus) Habacuc messorum prandium portans: talem enim discophorum inedia meruerat hebdomadis.* Et in Prologo Habacuc docet illum esse discophorum, qui prandium attulit Danieli. Et in cap. 3. Ezech. vers. 14. *transfertur Propheta non in spiritu, sed in ipso corpore, quod & de Habacuc iuxta Theodotionem legimus.* 48.

Ex hoc mihi verisimile est, licèt alij contrà sentiant; Hieronymum historias hasce non existimasse fabulosas: licèt enim in 49.

Præfa

Præfatione ad Danielem fabulas appellet; A videri tamen potest voluisse dicere historias, quas fabulas appellant Iudæi. Vel certè fabulas in ea accepisse significatione, qua narrationem significant veram. Licèt enim fabulæ nomen figmentum plerumque, & futile commentum importet; aliquando tamen veram narrationem significat: quemadmodum apud Hispanos *habla*, quæ à fabula deducitur, non magis falsam indicat, quàm veram narrationem; & verbum *fabulor*, seu *confabulor*, aut loqui significat simpliciter, aut sermonem inire B cum altero, siue de re iocosa sit, & falsa, siue de vera, ac seria. Ita Bellarminus tom. 1. lib. 1. de verbo Dei, cap. 9.

PROLEGOMENON X.

Qua lingua scriptus Daniel; & quis eius interpres.

50. *Tribus linguis scriptus liber Danielis.* TRibus linguis habemus hoc Danielis opus concinnatum à primo capite ad vers. 4. cap. 2. Hebraicè; ab illis nempe verbis, *Responderunt Chaldæi Regi Syriacè.* Inde ad visionem anni 3. Belthasaris, hoc est, vsque ad finem septimi capitis, Syriaca, id est, Chaldaica lingua prophetia contexitur. Inde vsque ad finem duodecimi capitis Hebraicum rursus idioma recurrit. A decimotertio capite vsque ad finem Græco scribuntur sermone historiæ Susannæ, & Bel, & Draconis occisi ex editione Theodotionis; cuius est etiam editio orationis Azariæ, & trium puerorum hymnus; quæ in tertio Danielis capite leguntur. Ita Hieronymus, qui hæc ex Theodotionis translatione se sumpsisse dicit.

51. *Totus liber scriptus à Daniele Hebraicè, & Chaldaicè.* Quòd illa, quæ tam Hebraico, quàm Chaldaico scribuntur idiomate, à Daniele composita sint, nemo sanus, ac pius dubitat; quia & ille Hebraicam phrasim à parentibus didicerat Hebræis; & vsu, atque doctrina Chaldaicam fuerat edoctus, vt habes Dan. cap. 1. v. 4. *vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.* De hac re aut nulla est, aut leuis controuersia. In eo nobis elaborandum est, vt exploremus, an etiam ea, quæ nunc habemus à Theodotione Græcè, scripta fuerint à Daniele Hebraicè; qua de re nonnihil diximus Proleg. 6. Quòd hæc etiam scripta fuerint Hebraicè, siue Chaldaicè (quemadmodum de Iudith, atque Tobia in eorum præfationibus docuit Hieronymus, quæ tamen modò tantùm Græcè leguntur) docet Origenes in epistola ad Iulium Africanum. Et eo fit plusquam verisimile, quia si primùm essent scripta Græcè, non reperirentur tot Græcæ trãslationes. Vt quid enim ex Græco in Græcum necessaria conuersio? At est Septuaginta translatio, vt docet Hieronymus, cuius hoc est principium in historia Bel. *Vir quidam erat Sacerdos nomine Daniel filius Abda conuiua Regis Babylonis.* Sed hoc etiam transtulit Theodotio, cuius versionem amplexa est Ecclesia; Symmachus item, & Aquila, vt docet Hieronymus Apologia 2. contra Rufinum. *In promptu*, inquit, *sunt quatuor editiones Aquilæ, Symmachi, Septuaginta, & Theodotionis. Ecclesiæ iuxta Theodotionem legunt Danielem.*

Ex his translationibus, quæ ex Hebraica, siue Chaldaica lingua factæ sunt, elegit Ecclesia translationem Danielis, quam nunc habemus Græcam, quam esse Theodotionis multis locis significat Hieronymus, cuius nunc verba referre nonnullum erit operæpretium; neque aliud erit potius, quod in eam sententiam afferamus. In præfatione ad Danielem, quæ est epistola 120. *Danielem Prophetam*, inquit, *iuxta septuaginta Interpretes, Domini saluatoris Ecclesiæ non legunt, vtentes Theodotionis editione. Et hoc cur acciderit nescio; siue enim quia sermo Chaldaicus est, & quibusdam proprietatibus à nostro eloquio discrepat, noluerunt septuaginta Interpretes easdem linguæ lineas in translatione seruare, siue sub nomine eorum ab alio, nescio quo, non satis Chaldæam linguam sciente editus est liber: siue aliud quid causæ extiterit, ignoramus. Hoc vnum affirmare possum, quòd multum à veritate discordet, & recto iudicio repudiatus sit.* Hæc Hieronymus. Et in Proœmio Danielis, *Illud quoque Lectorem admoneo, Danielem non iuxta septuaginta Interpretes, sed iuxta Theodotionem Ecclesias legere, qui vtique post aduentum Christi incredulus fuit.* Idem docet in cap. 4. Dan. v. 5. & in Apologia 2. contra Rufinum, cuius verba proximè adduximus. Aliæ poterant quæstiones præmitti, quas attigit Pereira eruditè, atque optimè, de operis obscuritate, præstantia, atque vtilitate; ab his tamen abstineo, quia hæc satis explorata sunt, & in ipso operis decursu constabunt.

52. *Translationem Theodotionis amplexa est Ecclesia.*

IN

IN CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM.

INVASIT Hierosolymam Nabuchodonosor, & sacra vasa ex templo sublata Babylonem transmisit. Ex pueris autem, quos siue captiuos apud se, siue initi cum Ioacimo fœderis obsides habuit, elegit ad atriense ministerium aliquos, in quibus nulla appareret in facie, aut toto corpore deformitas, & qui ad Chaldæorum disciplinas docile haberent, & excultum ingenium. Electi sunt ex omnibus quatuor, quorum princeps Daniel, quibus mutata sunt antiqua nomina, & pro Hebraicis Chaldaica suffecta. Cúmque obtinuissent precibus, sibi vt liceret à cibis abstinere luculentis, & lautis, quos ex regia mensa Rex ipse decreuerat: tantúmque leguminibus vterentur, atque aqua pura; tamen succulenti magis, ac pulcri visi sunt, quàm omnes alij adolescentes, qui simul cum illis ad aulicum ministerium nutriebantur. Post tertium annum ad Regem introducti illud ingenij, atque doctrinæ specimen dedere, vt quotquot inter Chaldæos doctrinæ laude floruerant decuplo superauerint excessu. Illud verò Daniel habuit eximium, vt visionum somniorúmque portenta cognosceret: propter quod in magna fuit gratia apud Chaldæorum Reges, quandiu illorum durauit imperium.

CAPVT I.

1. *ANno tertio regni Ioakim regis Iuda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam:*

2. *Et tradidit Dominus in manu eius Ioakim regem Iuda, & partem vasorum domus Dei: & asportauit ea in terram Sennaar in domum dei sui, & vasa intulit in domum Thesauri dei sui.*

3. *Et ait rex Asphenez præposito Eunuchorum vt introduceret de filiis Israel, & de semine regio & tyrannorum,*

4. *Pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina, & qui possent stare in palatio regis, vt doceret eos litteras, & linguam Chaldæorum.*

PARAPHRASIS.

A 1. CVm iam tertium annum in regno transegisset, & quartum inchoasset Ioacim, Babylonicas copias in Iudæã inuexit Nabuchodosor, & obsidione cinxit Hierosolymam.

2. Cuius manibus constrictum tradidit Dominus Regem Iudææ Ioacim, & partem bonam vasorum, quæ ad sacram templi supellectilem pertinebant. Quæ Rex abduxit Babylonem, atque in Dei sui Belis templum inuexit, & inter sacras gazas collocauit.

3. 4. Tunc Rex præcepit Asphenez magistro palatij, quem aulicæ iuuentuti antè præfecerat, vt è captiuorum, atque B obsidum numero, qui proximè ex Iudææ finibus traducti fuerant Babylonem, qui ex Regum essent ac procerum, siue optimatum genere, quatuor pueros seligeret, in quibus nulla esset macula, quę aut suos, aut aliorum oculos offenderet. In quibus videlicet à claris natalibus esset commendatio, nulla in vultu labes, sed decora species; & quibus pro ætatis captu aliqualis esset sapientia, siue quæ ad Philosopho- C rum argutias & cauillos, siue quæ ad ingenij laudem, atque ad omnem morum disciplinam pertineret. Essent denique iis præditi corporis, atque naturæ dotibus, vt occursare possent regiis oculis inter aulicos pueros sine cuiusquam molestia, & ad Chaldæorum disciplinas, sermonémque patrium ediscendum docile haberét, & paratum ingenium.

5. Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino vnde bibebat ipse, vt enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis.

A 5. Illos verò Rex non aliis cibis nutriri voluit, quàm quibus ipse sibi regiam mensam instruxerat. Quare diebus singulis annonam illis, & vinum porrigi iussit, quibus ipse vesci, atque potari solitus: neque prius suum sibi conspectum illos subire voluit, quàm regiis cibis ac poculis triennali spatio essent enutriti.

6. Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda, Daniel, Ananias, Misael, & Azarias.

6. Eo corporis habitu, atque illa ingenij, naturæque præstantia, quæ Rex in aulicis pueris requirebat, inuenti sunt è Iudæorum semine adolescentes quatuor. B Quorum hæc erant nomina, Daniel, Ananias, Misael, & Azarias.

7. Et imposuit eis præpositus eunuchorũ, nomina; Danieli, Baltassar; Ananiæ, Sidrach; Misaeli, Misach; & Azariæ, Abdenago.

7. Cúmque in aula, atriensiúmque puerorum Ephebia, ac cœtu nihil Rex vellet Hebraicum, ac peregrinum audiri, ex regio mandato palatij magister, quibus cõmissa fuerat adolescentum institutio, & cura; illorum adolescentum Hebraicis, ac primis sublatis nominibus, Chaldaico idomate compellari iussit. Quare Danielem, Baltassarem, Ananiam, Sidrach, Misaelem, Misach, Azariam, Abdenago, C Hebraicis obliteratis, Chaldaica nomina substituit.

8. Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus eius: & rogauit eunuchorum præpositum ne contaminaretur.

8. Statuit autem Daniel apud se, abstinendum sibi omnino esse ab esculentis omnibus ac poculentis, quæ sibi è regio penu forent oblata: nequid, quod viro Israëlitæ sordes allineret à lege prohibitas, ex Gentilium mensa, atque conuictu contraheret. Quare adiit Eunuchorum præpositum, orauitque ne pateretur quicquam sibi in regio luxu, atque deliciis D afferri, à quibus nisi abstinerent, viri Iudæi polluti censerentur.

9. Dedit autem Deus Danieli gratiam & misericordiam in conspectu principis eunuchorum.

9. Adfuit Dominus Danieli, qui regias delicias, & splendidos cibos longè posthabuit paternarum legum obseruantiæ: Quare ita moderatus fuit Principis animum, vt gratum habuerit Danielis votum, & vt oratio ad illius animum accederet, & grata, & honesta. Præbuit igitur se mitem, & beneuolum Danieli, neque offensus est illa, quæ videri poterat rustica postulatio.

10. Et ait princeps eunuchorum ad Danielem: Timeo ego dominum meum regem, qui constituit vobis cibum & potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ ceteris adolescentibus coæuis vestris, condemnabitis caput meum regi.

E 10. Tunc ad Danielem Eunuchorum Princeps: Libenter tuis votis, ô Daniel, satisfacerem, nisi capiti meo cautum esse vellem; timeo enim ne ab irato Rege aliquid mihi contingat infortunij; à quo vobis ex regia mensa constitutæ sunt alimoniæ. Qui si macrum in vobis viderit, atque pallentem vultum contrà quàm habent alij adolescentes, quibus idem, ac vobis donatus est cibus, in suspicionem veniat; aut violati à me præcepti, aut defraudati cibi; quem vobis quotidianum esse voluit, quod crimen cùm capitale sit,

11. Et stabit

A stabit mihi ita cari, vt nō aliud Rex quàm à capite meo supplicium exigat.

11. *Et dixit Daniel ad Malasar, quem constituerat princeps eunuchorum super Danielem, Ananiam, Misaëlem: & Azariam,*

11. Cùm ab Eunuchorum præfecto, licèt alioqui beneuolo, nihil obtinuisset Daniel; confugit ad Malasar, cui Eunuchorum Princeps quatuor illorum adolescentum curatorem esse, atque præfectum voluit, dixítque illi:

12. *Tenta nos obsecro seruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum:*

12. Experire obsecro, diebus saltem decem quo tempore leguminibus tãtùm, & aqua sustentemur, & de hoc solo spatio in posterum cape coniecturam.

13. *Et contemplare vultus nostros, & vultus puerorum qui vescuntur cibo regio: & sicut videris, facies cum seruis tuis.*

B 13. Contemplare deinde faciem nostram, & illam cum aliorum, qui cibo vtuntur regio, vultu, atque specie compone: prout autem nos affectos esse cognoueris, de nobis statues, quod tibi ex vsu magis fore videbitur.

14. *Qui, audito sermone huiuscemodi, tentauit eos diebus decem.*

14. Cùm hæc audiisset Malasar, neque Danielis ratio displiceret; conditionem accepit, & decem dierum experimento iudicium permisit.

15. *Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.*

15. Exacto verò decemdiali spatio, & C quatuor pueris in aliorum comparationem adductis, inuenti sunt magis pleni, succulenti, & nitidi illorum vultus, quàm eorum, quos regius cibus, & splendidior mensa nutriebat.

16. *Porrò Malasar tollebat cibaria & vinum potus eorum: dabátque eis legumina.*

16. Qua ex re Malasar magnum rebus suis parauit compendium; sumebat enim sibi cibos, & vinum, quæ in singulos dies regia liberalitas antè decreuerat; & pro lautis, & pretiosis eduliis legumina, & puram aquam pueris ministrabat.

17. *Pueris autem his dedit Deus sciētiā, & disciplinam in omni libro, & sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum.*

17. Deus autem hanc tantam puerorum D fidelitatem magno compensauit cumulo; dedit enim illis præter alia, in omnibus non solùm Chaldæorum; sed etiam aliorum disciplinis intelligentiam, siue illas à magistris viua acciperent voce, siue in illorum libris, ac commentariis inuenirent. Danieli autem id præter alios à Domino concessum est; vt visionum ac somniorum portenta cognosceret.

18. *Completis itaque diebus, post quos dixerat rex vt introducerentur: introduxit eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor.*

18. Exacto verò triennio, post quod iuxta Regis imperium induci poterant adolescentes illi cum aulicis pueris; vt E astarent Regi, obiréntque atriense ministerium, introduxit illos Eunuchorum præfectus, statuítque in conspectu Nabuchodonosor.

19. *Cúmque eis locutus fuisset rex, non sunt inuenti tales de vniuersis, vt Daniel, Ananias, Misaël, & Azarias: & steterunt in conspectu Regis.*

19. Cúmque illos Rex esset esset allocutus, explorasśetque, quantum in Chaldæorum sapientia profecissent: deprehendit tantum illos assecutos esse doctrinæ, quantum illorum nemo, qui iisdem disciplinis secum triennalem operam dedissent. Quare deinceps steterunt in atrio, assiduúmque regi ministerium nauarunt.

20. *Et omne verbum sapientiæ & intellectus, quod sciscitatus est ab eis Rex, inuenit in eis decuplum super cunctos ariolos; & magos, qui erant in vniuerso regno eius.* A

20. In quacunque materia, de qua sapientiæ atque ingenij, sciscitante Rege, subiere periculum, inuenti sunt superasse decuplo non solùm coætaneos pueros, quos habuerunt in eadem literaria palæstra concertatores, & comites, sed ariolos omnes, & magós, quotquot in toto Chaldæorum imperio ingenij, atque doctrinæ gloria præstabant.

21. *Fuit autem Daniel vsque ad annum primum Cyri regis.*

21. Neque ex illa gratia, quam ab illo tempore consecutus est Daniel apud Nabuchodonosor, vnquam excidit, quandiu Chaldæorum durauit imperium, durauit autem ad annum vsque primum Cyri, qui Chaldæorum potentiam transtulit ad Persas.

Vers. 1. *Anno tertio regni Ioacim Regis Juda, venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Jerusalem, & obsedit eam.*]

1. *Bis à Nabuchodonosor sub Ioacimo oppugnata est Ierusalem.*



HIc multa nobis præmittenda, atque expedienda sunt, quæ valdè historiam hanc in ipso primùm aditu conturbant. Et primùm statuendum bis Nabuchodonosor sub Ioacimo inuasisse Iudæam; semel sub initium regni, anno videlicet tertio, iterum anno vndecimo, id est, postremo, quo cum regno, vitam quoque finiuit. Id verò non obscurè docet Scriptura sacra, quæ tradit hîc anno primo regni sui, & Ioacimi tertio, victum esse Ioacim, & Regis Babylonij potestati traditum, & 4. Reg. cap. 24. rebellasse postquam tribus annis seruisset, & ab eodem Rege Babylonis superatum iterum, & tandem extinctum.

2. *Ioacim captus deinde regno restitutus.* Productum autem esse ad annum vsque vndecimũ regnum Ioacimi, habes lib. 2. Paral. c. 36. v. 5. In primo Nabuchodonosor appulsu captiuum duxit secum Babylonem Ioacimum. Sic 2. Paralip. suprà vers. 6. *Contra hunc ascendit Nabuchodonosor Rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem.* Solutum tamen postea, atque restitutum regno, satis constat, quia ad vndecimum annum produxit regnum; & vectigalia soluisse, seu, quod idem est, tribus annis seruisse, dicitur 4. Reg. c. 24. Cùm verò rebellasset, neque in fide, quam in vinculis dederat, perstitisset, iterum cõtra illum Nabuchodonosor aciem instruxit, eoque adegit infelicem, Regem, vt non aliam, quàm asini sepulturam nactus sit. In priori appulsu cum Ioacimo quis dubitet alios quoque fuisse Babylonem abductos, in quibus fuit proculdubio Daniel cum tribus aliis, quos Nabuchodonosor ad aulica ministeria secum habere voluit: *Daniel relictus obses Babylonia.* Qui tamen Rege libertati, ac regno restituto, ipsi remanserunt in alieno solo, vel quia Babylonio grati; vel certè vt obsides percussi fœderis, & datæ fidei. Neque hoc videtur incredibile, cùm ex regio essent sanguine, & quorum capiti tum à cognato Rege, tum à parentibus, qui principes erant, cauendum esset.

3. *Daniel ca-* De anno, quo à patria emigrauit Daniel, variè alij loquuntur. Quidam anno octauo Ioa- B cimi putant, in quibus est auctor historiæ Scholasticæ super lib. 4. Reg. c. 39. & in historia Ezechielis cap. 1. Abul. super lib. 4. Reg. c. 24. q. 2. & 5. Hugo, Lyra, & Maldonatus. *primum anno primo Nabuchodonosor.* Alij cum Iechonia putant esse translatum, quod idem ferme est. in quibus numeratur Hieronymus in cap. 1. Ezech. Sed planè liquet, in primo aduentu ablegatum esse Danielem. Quorsum enim de tertio anno Ioacimi in principio sermo, & de aliis captiuitatibus tantum silentium; nisi hoc Propheta suarum rerum vellet esse principium. Exorsus est autem suæ vitæ narrationem ab illa ætate adhuc puerili, in qua cum aliis tribus aulicis ministeriis destinatus est sub Eunuchorum magistro; quod statim subdidit, postquam & tertij anni Ioacimi, & primi Nabuchodonosoris appulsus meminisset. C Quòd verò Maldonatus argumentum adducit, quo sibi persuadet non anno quarto Ioacimi, aut, quod idem est, primo anno Nabuchodonosoris non esse abductum Danielem; non admodum premit nostram cogitationem. Probat enim primùm, quia cùm captiuorum census sit Ierem. cap. 52. v. 28. nulli hoc anno dicuntur esse translati. *Iste est, inquit, populus, quem transtulit Nabuchodonosor. In anno septimo Iudæos tria millia, & viginti tres. In anno octauodecimo, &c. animas octingentas triginta duas.* Hæc, inquam, ratio non admodum premit; quia licèt primùm aliquot secum cum Ioacimo captiuos abduxisset, quod non constat; tamen cùm non haberet primo illo tempore, cur Iudæis esset infensus, cùm illos fœdifragos expertus non foret, D verisimile alios omnes cum Rege simul reuersos in patriam, exceptis quibusdam è regio, ac nobili sanguine; quos apud se tanquam obsides manere voluit, vt tradit historia Scholastica in lib. 4. Reg. cap. 39. qui cùm pauci forent, non erat, cur in incundo captiuorum censu illorum haberetur ratio.

Neque magis vrget altera ratio, quòd nempe primo anno delectus non potuerit habere militares, & acies instruere; quia iam & milites cõscripti fuerant, quibus Assyrium sibi vendicauit imperium, & victoria alacres & ardentes; neque viarum spatium ita longum, vt non breui tempore confici potuerit. Maximè si quod salua historiæ

historiæ fide dici potest, inchoato anno regni sui secundo expeditionem illam suscepit.

4. Sed etiamsi demus, quod, meo iudicio, necessarium est, in primo appulsu cum Ioacimo Danielem traductum esse Babylonem, at quoto anno regni Ioacimi Iudæam inuaserit Babylonius, non est omnino certum; quia alius occurrit Scripturæ locus, qui aliud indicat tempus, & quidem non obscurè. Ieremias namque cap. 25. ait primum annum Nabuchodonosor in Ioacimi regni quartum incurrisse. *In anno*, inquit, *quarto Ioacim filij Iosiæ Regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor Regis Babylonis.* Quod si ita est, non apparet, quomodo anno tertio Ioacimi Nabuchodonosor iam Rex obsidere potuerit Hierosolymam, & illa præstare, quæ Daniel in huius capitis exordio commemorat: maximè cùm imperium Chaldæorum adeptus, non exiguum temporis ponendum fuerit in cogendo milite, & instruendo exercitu; & in spatio non admodum breui conficiendo, quod inter Hierosolymam, & Babylonem intercedit. Hoc idem dubium expediendum nobis fuit in nostris cõmentariis ad citatum Ieremiæ locum; vbi quomodo, quæ alicui videri contraria poterant, in eandem sententiam conuenire possent ostendimus, quæ quia eòdem spectant, & idem agunt, in hunc etiam locum transcribenda duximus.

5. Notum est his, qui vel mediocriter in Scripturæ sacræ lectione versati sunt, imperfectum numerum, aut partem notæ alicuius, ac perfectæ summæ, interdum omitti, interdum quasi perfectus esset, & integer adhiberi. Ex quo fit vt annus inceptus habeatur, numeretúrque pro integro; & interdum resecetur à numero. Exempla nos aliquot produximus in nostris commentariis in caput Ieremiæ 52. Iuxta hanc regulam explicuimus ibi quomodo verum sit abductum esse Iechoniam, & plures alios anno octauo Nabuchodonosor, cùm 4. Reg. c. 24. v. 12. dicatur id anno septimo contigisse. Quia cùm nondum esset completus octauus annus, omissus fuit à Ieremia, adhibitus tamen ab eo, qui librorũ Regũ scriptor fuit. Qui scribẽdi, & numerandi modus omni, vt reor, nationi, & linguæ familiaris est.

REGVLA. *Imperfectus numerus aliquando omittitur, aliquando ponitur pro perfecto, ac pleno.*

6. Ex his facile conciliari potest cum Daniele Ieremias, si dicamus secundo anno regni sui inchoato venisse Nabuchodonosor; & annum illum imperfectum omissum à Daniele, qui incurrit in annum quartum Ioacimi. Dixit ergo venisse Babylonium anno primo regni sui, qui incidit in annum Ioacimi tertium; quia spatium aliud anni secundi anno primo adnumerauit. At Ieremias de anno secundo sic est locutus, quasi non esset à priori diuersus. Cùm autem pars illa secundi anni Nabuchodonosor, quæ pars etiã censetur anni primi, in quartum annum incurreret regni Ioacimi, optimè Nabuchodonosor primo anno regni sui, & quarto Ioachimi obsedisse dicitur Ierusalem.

7. Alio modo, & magis, vt arbitror, expedito, componi inter se possunt duo hæc testimonia, si primum annum Nabuchodonosor incurrisse dicamus in tertium, & quartum Ioacimi; in tertiũ quidem iam adultum, & ad finem; in quartum verò inchoatum, aut modicè progressum. Quare optimè, & quàm verissimè dici potest venisse Nabuchodonosor in Ierusalem primo anno regni sui, & venisse anno tertio, aut quarto Ioacimi; quia illorum annorum alterius extremum, alterius initium primus ille annus complexus

A est. Ita Pereira in hunc locum, & Ribera in c. 2. Nahum.

Venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Ierusalẽ.] 8.
Vt primùm Rex ille Assyrium sibi imperium vendicauit, elatus victoria, & honoris studio, & dilatandi imperij desiderio inflammatus, ex suis finibus egressus est, non quidem prouocatus ab aliis; aut iniuriarum vltor, quibus ab aliis esset affectus; sed quia terribilis aliis videri voluit, & latè sibi alienos fines subiugare. Quare, vt habes Ezech. cap. 21. v. 19. acies eduxerat e Babylone, neque tamen statuerat quã in partem illud belli pondus inueheret: & in medio cursu exta consuluit, & per sortes explorauit quamprimùm regionem bello tentaret. *Stetit Rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum diuinationem quærens, commiscens sagittas interrogauit idola, exta consuluit. Ad dexteram eius facta est diuinatio super Ierusalem.*

Nabuchodonosori studium imperij dilatãdi.

B

Vers. 2. *Et tradidit Dominus in manu eius Ioacim Regem Iuda, & partem vasorum domus Dei.*] Quia ad texendam rerum suarum historiam festinat Propheta; ideo quàm breuissimè rerum multarum summam complectitur. Et primùm indicat, non tam à Nabuchodonosor subiugatam esse Hierosolymam, & captum Regem, quàm à Deo, qui coniectas à Babylonio sortes ita temperauit, vt illius telis vrbem, Regémque proposuerit. Et ideo dicit in Babylonij manus à Deo traditum esse Ioacimum. Ita notat hîc Hieronymus. Tulit autem partem vasorum, non omnia vasa, sicut fecit postea; vel quia deterritus est religione, & sanctitate loci, cui illa vasa ad sacra ministeria seruiebant; aut quia cur tantopere succensere populo debuerit, non habebat, cùm neque ab illo fuerit antea lacessitus, neque reum haberet temeratæ fidei. At postea adeò in illum populũ vehementer exarsit, vt non solùm templum vasis omnibus, atque pretiosa veste spoliarit; sed etiã ab imis vsque fundamentis exciderit. Tulit autem hoc tempore vasa non pauca, vt apparet ex ipso loquendi genere; nam quam hîc partem vasorum appellat Daniel 2. Paralip. cap. 36. v. 7. vasa simpliciter appellantur Domini. *Contra hunc ascendit Nabuchodonosor Rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem. Ad quam, & vasa Domini transtulit, & posuit ea in templo suo.* Et iterũ eodem capite, v. 10. cùm Ioacimi filium Iechoniam abduxisset Babylonem, cum ipso quoque pretiosissima vasa transportauit. *Adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini.* Adduxit autem illa vasa concisa, vt constat ex lib. 4. Reg. c. 24. vt illa videlicet in alias conflaret formas, & in alios vsus, ac ministeria conuerteret. Et tandem capto Sedecia, & excisa vrbe, ac templo, nihil relictum est: quæ verò tunc sublata, atque translata fuerint, habes apud Ieremiam cap. 52.

9. *Ioacim non tam à Nabuchodonosor, quàm à Deo victus.*

C

D

E

Hæc porrò vasa intulisse dicitur Nabuchodonosor *in domum thesauri Dei sui*, videlicet nõ concisa, aut collisa, sed integra; quibus postea ad impuras epulas, & incesta cõuiuia produxit Belthasar Dan. cap. 5. & quæ Cyrus, restituto populo, ipsa quoque ad consuetum olim ministerium restituenda curauit. Hic porrò obseruandum, vasorum nomine instrumenta omnia significari, quæcumque illa sint: quare non magis hîc phialæ, & scyphi, & quæ eius generis sunt, intelliguntur; quàm emunctoria, & fuscinæ, & quæ ad alios vsus longè dissimiles conflata sunt. 10.

Domus thesauri illa est, in qua & sacra reponebatur supellex, & opes seruabantur, quæ ad 11.

Thesaurus Babylonicus quantus pro templorum instructu.

sarta tecta templi, & ad eius amplitudinem collatæ fuerant. Quanta vis auri in cuiusdam Babylonici templi thesauro fuerit, docet Diodorus Siculus lib.3. rerum antiquarum, cap.4. *In summo*, inquit, *templi tres ingentes aureas statuas Iouis, Iunonis. Opísque erexit* (nempe Semiramis) *quarum Iouis adhuc extat longitudine pedum quadraginta, mille Babyloniorum talentorum ponderis. Opis simili pondere in sella aurea residet; ad cuius genua duo astant leones, iuxtaque serpentes argentei ingentis magnitudinis, ponderis quilibet est talentorum triginta. Iunonis stans signum ponderis est talentorum octingentorum. His omnibus communis erat mensa aurea longitudinis pedum quadraginta, duodecim latitudinis, ponderis talentorum quinquaginta. Duo præterea Carchesia talentorum triginta erant, totidémque vasa vaporibus apta, vtrumque talentorum triginta. Crateres ex auro tres, quorum Ioui dicatus talenta mille & ducenta Babylonica pendebat; aliorum quilibet sexcenta.* Hæc, credo, & alia pretiosa, quæ inter hæc tantæ molis, ac ponderis signa fuisse oportet, thesaurus erant Dei, quem colebat Nabuchodonosor, inter quæ reposuit vasa, quæ ex templo Solymitano transtulit. Quia cùm pretiosa essent, & sacra, inter sacra alia, atque pretiosa vasa seruari voluit. Hunc porrò deum Bel esse puto, qui magno in pretio fuit apud Babylonios, de quo plura postea ad cap.14.

12. Vers.3. *Et ait Rex Asphenez præposito Eunuchorum, vt introduceret de filiis Israel, & de semine regio, & Tyrannorum.*] Cur dicatur Asphenez iste præpositus Eunuchorum, diximus suprà Prolegomeno 2. Ex hoc porrò loco non difficile efficitur præter hos quatuor pueros fuisse aliquos alios, qui restituto Ioacimo apud Babylonios relicti sunt, obsides fortasse regiæ fidei, & fœderis percussi, vt auctor historiæ Scholasticæ putat in lib.4. Reg. cap.39. Neque enim omnes adolescétes, qui essent de filiis Israël, immò qui essent de regio semine introducere iubetur Asphenez, sed qui de stirpe essent regia, & in quibus nihil appareret indecorum. An verò quatuor hi viri aut spadones essent ante hoc tempus, vel postea à Babyloniis execti, ita vt iuxta vulgarem nominis acceptionem vocari potuerint Eunuchi, diximus suprà Prolegomeno 2. vbi illos ab hac siue iniuria, siue nota vindicauimus.

13. Tyranni porrò dicuntur hoc loco Principes, sicut apud hunc Prophetam non semel statim cap.3. Fuit autem hoc nomen olim honestum, & plenum dignitatis, & regium, aut regio proximum. Sanè apud profanos aliquid interdum honestum sonat, & illustre. Sic Rex Latinus apud Virgil. lib.7. Æneid. cùm de Ænea quasi de amico loqueretur, ait:

Tyrannus quis olim dictus.

Adueniat, vultus néve exhorrescat amicos;
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

& statim quẽ tyrannũ vocauerat, Regẽ appellat,

Vos contrà Regi mea nunc mandata referte.

14. Successu verò temporis ex tyrannorum, id est, Regum, & Principum sæuitia, & peruersis, corruptísque iudiciis malè cœpit audire tyrãni nomen; sicut Regis olim apud Romanos post Tarquinij superbos, & inclementes spiritus. Et quidem Seneca de clementia, tyrannum à Rege factis secernit, & moribus; non officio. Fuerunt sanè olim multa nomina honesta, quæ tamen in alium vsum, & acceptionẽ longè diuersam abierunt, propter hominum fraudulentum ingeniũ, & morum intemperiem. *Hostis* olim peregrinũ hominem significabat; quia tamen peregrini, id est, homines aliunde profecti, vi & astu in alienos fines irruperũt, factum est, vt vox quæ priùs peregrinum sonabat, inimicum iam, & aduersarium significet. Ita Cicero 1. de officiis. Sic etiam Sophistę nomen nihil antè de se malum, aut veteratorium audiebat; at postquam ab illis inducti sunt cauilli, & fallaces in argumentando nexus, odiosi habiti sunt, & nugatores. Sic planè contigit in tyranni voce, quæ vox dignitaté sonabat, & imperium, eodem propè modo quo Regis; sed tyrannorum improbitate factum est, vt némo iam nomen illud sine molestia, atque offensione audiat. Tunc verò Principes à regia compellatione cadunt, & in tyrannorum odium degenerant, vt habetur 15. q.7. c.1. *cùm quosdam fauoris gratia sublimant; quosdam odio, vel inuidia humiliant, & leuis suspicionis aura condemnant.* Hi verò qui modò tyranni vocantur ex Hebræorũ Gente, & postea cap.3. è Chaldæorum numero Principes sunt; duces nempe regij exercitus, aut qui regio nomine prouinciam aliquam administrabant. Egi de tyranni voce pluribus, quia hoc nomen occurret iterum, atque ideo paulo accuratiùs explicatum oportuit.

Nomen tyranni cur odiosum.

Regula. Nomina quædam honesta cur malè iam audiant.

Hostis olim peregrinus dictus.

Sophista quis.

Vers.4. *Pueros, in quibus nulla esset macula, decores forma.*] Forma sæpe, atque exterior species occultam indolem nonnunquam prodit, & latens ingenium: vt enim distortum os, & eius partes minus aptè dispositæ prauam indicant, & distortam naturam: sic facies ad honestatem, & modestiam composita, si accedat coloris non ingratus nitor, & suffusus rubor, nobilem indicat naturam, & ingenuos mores, quales in aulicis pueris optabat Nabuchodonosor. Sed præter hoc etiam speciosam requirebat formam, tum quia illa grata est; tum quia si quid occurrit distortum, & fœdum quasi inauspicatum aliquid horrent delicati, atque elegantes oculi maximè Regum, ac Principum; quia ea in re morosi nimiũ, ac superstitiosi sunt. Illud huc maximè facit, quòd olim ad magistratus, & publicas curas illi accersebantur, quos species, & dignitas oris cómendabat. Sic Curtius lib. 6. *Plurimis*, inquit, *Gentibus in corporis maiestate venerationem esse; magnorúmque operum non alios capaces existimare, quam quos eximia specie donare natura dignata est.* Quod etiam docuit Aristoteles 4. Politicorum, cap.4. vbi docet id esse apud Æthiopes penè legitimũ, *vt secundùm magnitudinem, aut secundùm pulchritudinem magistratus, honorésque publici distribuerentur.* Audi Lucretium, qui antiquissimis illis sæculis proximus fuit, qui lib.5. ait, 15.

Forma ingenij, & animi index.

Pulcri olim ad dignitatem electi.

Præsidium Reges ipsi sibi, perfugiúmque
Et pecudes, & agros diuisere, atque dedere
Pro facie cuiusque, & viribus ingeniisque.
Nam facies multum valuit.

Quòd verò nullam in pueris maculam esse vult; 16.
id planè desiderat, ne qua sit in toto corpore deformitas: neque enim, vt apparet, à facie remouet cicatricem, aut næuum; sed quicquid ex qualibet parte accidere poterat ingratum, qualia multa Leuit. cap.21. v.17. homines, ex genere etiam Leuitico, remouent ab altari. *Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius. Si cæcus fuerit, si claudus, si vel paruo, vel grandi, vel torto naso; si fracto pede, si manu: si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, &c.* Hæ omnes appellantur maculæ, licèt nõ omnes in facie sint. Sanè cùm Absalon pulcher esse dicitur 2. Reg. cap.14. à toto ipsius corpore remouetur macula.

Distorti, ac fœdi ab honesto munere prohibiti.

Porrò

Porrò sicut Absalon non erat pulcher in Israel. & decorus nimis: à vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula. En quomodo macula id quoque significat quod in qualibet corporis parte vitiosum est, siue id à natura, siue ab hominum iniuria contingat.

17. *Eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina.*] Hîc multa sunt, quæ alicui fortasse parum viderentur cum rerum natura consentire. Si enim quatuor isti, qui ad Regis imperium è regio semine in aulam introducti sunt, in puerili adhuc erant ætate, vt est communis interpretum sententia, (& de Daniele nemo dubitat, qui in causa Susannę puer esse dicitur, & existimatur eo tempore fuisse duodennis) quî fieri potuit, vt omni essent eruditi sapientia; quod vix homines, qui magno sunt ingenio, quorúmque labor ab eius studio nunquam cessauit in ætate senili, consecuti sunt?

REGVLA. *Participia pro nominibus in bilis adhiberi solita.*

Varia hîc variè: ego priusquam, quod mihi magis videtur expeditum aperio, obseruo vsitatum esse non apud sacros solùm, sed etiam apud profanos, vt participium præteriti passiuæ vocis, non tam aliquid factum, aut præteriisse significet; quàm aut fieri posse, aut vt commodè fiat, facile habere, & idoneum ingenium. Quare participia hæc præteriti temporis pro nominibus in *bilis* adhiberi solent: quomodo locum vocamus *inaccessum*, si arduus est, atque inaccessibilis; hominem *inuictum* pro inuincibili; *inuisum* pro eo, qui videri sine molestia non possit; & huius generis sexcenta alia. Et vt propiùs ad institutum accedamus, *doctus* pro docibili sumitur; sic quos Isaias cap. 54. v. 13. dixit *doctos*, Ioannes cap. 6. v. 45. exposuit *docibiles*. Ille dixit, *Vniuersos filios tuos doctos à Domino*: hic, *est scriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei.*

18. Ex his iam apparet, quæ commoda videri posset huius nodi solutio: neque enim tam hi pueri dicuntur assecuti doctrinam, quàm ingenium habere docile, & acutum, vt illam assequantur. Cuius rei in ætate adhuc tenera, & rudi documentum aliquod edere potuerunt; solent enim infantes in rebus ludicris quale habeant ingenium, & quales postea in ætate grandiori futuri sint, specimen præbere, quale ab Athanasio magno accepisse dicitur Alexandrinus Antistes. Tales erant, quos ex Hebræorum gente, & regio sanguine eligi iubet Nabuchodonosor; quod facilè constat ex eo, quod mox additur: *vt doceret eos literas.* vbi non tam in pueris doctrinam, quàm ingenium docile requirit.

19. In explicando quid sit *eruditos esse sapientia, cautos scientia, doctos disciplina*, varij sunt interpretes. Lyra sic nomina variis disciplinis accommodat. *Eruditos*, inquit, *omni sapientia, quantum ad Philosophiam naturalem. Cautos scientia, quantum ad scientiam rationalem, cuiusmodi est Grammatica, Logica, Rhetorica. Doctos disciplina, quantum ad Philosophiam moralem, seu quantum ad disciplinam morum.* Sed licèt aliquid inter tres hasce voces discriminis appareat; tamen improbabile non est, quod visum est Maldonato, hæc omnia idem significare; aut per tergeminam repetitionem aut perfectam scientiam, aut scientiarum encyclopædiam explicari, ad quam ingeniosos, & idoneos Babylonius desiderat.

20. *Et qui possent stare in palatio Regis.*] Multa in sacerdote desiderat Deus tum Leuit. cap. 21. tum alibi sæpe, genus nempe nobile ex stirpe Aaronis, ne qua pectore a insit macula; deinde disci-

In Sacerdote quid requiratur.

A plinam apud Malachiam cap. 2. v. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Hæc eadem exigit Rex terrenus in his, quos in suum secum palatium admittit. Vult enim illos satos regali sanguine, vt ingenuos alant, & regios spiritus; vult omnino integros, & à labe puros, & omnigena eruditione præditos. At nunc, prô dolor; quod Regi damus terreno, ac mortali, id cœlesti, & immortali Regi negamus. Impuri accedimus ad altare; neque pudet vultum subire regium maculatos; quàm verò multi à spiritu regio, id est, ingenuo, & qui sublimia meditetur, longi sint, quàm ab omni sapientia, ac disciplina nudi, quis non videt, & dolet!

21. *Quæ disciplina apud Chaldæos.*

B *Vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.*] Eò spectabat ingenium docile, ac velox vt discere posset disciplinas, quæ tunc apud Chaldæos erant in honore. Quæ verò fuerint Chaldæorum disciplinæ, docet Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothecæ v. *Chaldæorum sapientia.* quas Daniel, ipse variis locis, secundo præcipuè capite, complexus est. cap. 2. *Præcepit ergo Rex Nabuchodonosor, vt conuocarentur Arioli, Magi, & Malefici, & Chaldæi, vt indicarent Regi somnia sua.* & cap. 4. *Tunc ingrediebantur ad Regem Nabuchodonosor Arioli, Magi, Chaldæi, & Haruspices.* & illorum etiam meminit cap. 5. Cum verò hæc omnia nomina apud hunc Prophetam sæpius occurrant; in illis explicandis plu- C sculum moræ nobis ponendum est.

22. *Qui sapientes vocati Chaldæi.*

Chaldæi Hebraicè dicunt כשדים *casdim*, qui licèt genus illud hominum significent, qui regionem illam habitant, à qua ipsi vocati sunt Chaldæi; tamen quia disciplinæ Mathematicæ, Astronomicæ, seu Genethliacæ ibi floruerunt maximè, factum est vt Astronomi, ac Mathematici nominentur Chaldæi, seu Babylonij. Sic de his Horatius lib. 1. ode 11.

Tu ne quæsieris scire (nefas) quem mihi, quem tibi
Finem dij dederint Leuconoe, nec Babylonios
Tentaris numeros.

Et Iuuenalis Satyra 6. inter illos, qui futura præsagiunt, & prædicunt, Chaldæos numerat, & D Astrologos vocat.

Chaldæis sed maior erit fiducia, quicquid
Dixerit Astrologus credent à fonte relatum
Ammonis, quoniam Delphis oracula cessant.

De his Cicero lib. 2. de diuinatione. *Nam quod aiunt quadringenta, & septuaginta millia annorum in periclitandis experiendisque pueris, quicumque essent nati, Babylonios posuisse fallunt.* Ecce quomodo Genethliacos appellat Babylonios. Et lib. 1. *Contemnamus etiam Babylonios, qui ex Caucaso cœli signa seruantes numeris, & motibus stellarum cursus persequuntur.* De his Philo libro de Abraham. *Chaldæi*, inquit, *cum primis exercitati syderali scientia, omnia tribuebant stellarum motibus, à quibus credebant dispensari* E *mundi potentias, quæ constant ex numeris earúmque proportionibus. Venerabantur isti res visibiles, non percipientes inuisibilia, & intelligibilia, scrutantes illarum tantùm ordinem: atque ita è Solis, Lunæ, stellarum erraticarum, fixarúmque circuitibus, & anni in quatuor tempora distincti vicibus, consensúque rerum cælestium, ac terrestrium mundum ipsum existimabant esse Deum, prophana opinione creaturam facientes Creatori similem.* Hæc Philo.

23. *Magi qui.*

Magi Heb. אשפים *asaphim*, quæ vox variè ab aliis exponitur; sed Hieronymus *Magos* vertit. Quod nomen olim non sic audiebat malè, sicut ætate nostra. Erant enim Magi iidem qui Philosophi, seu naturæ scrutatores, & ita fortasse accipiendum est apud Danielem Magi nomen. Li-

cèt satis sit verisimile, tales hos fuisse Magos inter Chaldæos, quales fuerunt olim apud Ægyptios; qui videlicet fœdere cum dæmonibus inito, aut futura diuinant, & præstigiis hominum oculis illudunt, & falsis miraculis diuinam sibi, aut diuinæ similem opinionem conciliant, qualis fuit Simon Magus.

Arioli qui.

24. Arioli Heb. חרטמים *charummim*, quam vocem Septuaginta conuerterunt ἐπαοιδοί, id est, *incantatores*. Hi dæmonum artibus addicti de futuris diuinant, & ipsi decepti alios quoque decipiunt, & cùm apud prudentes isti existimentur deliri, atque insani, fit vt ariolari apud Latinos interdum idem sit, quod insanire.

Aruspices qui.

25. Aruspices Heb. גזרים *gazarim*, qui etiam dicuntur augures, hi ex animalium extis, aut cantu futura coniectant. Hos verò habuisse apud se, quos in dubiis rebus consuleret Nabuchodonosor, satis constat ex cap. 21. Ezech. v. 21. immò & alios omnes, de quibus suprà. Cùm enim de regione bello primùm tentanda, déque illius successu deliberaret, *stetit in biuio in capite duarum viarum diuinationem quærens, commiscens sagittas interrogauit idola, exta consuluit.*

Malefici qui.

26. Malefici Hebr. מכשפים *mecassim*, qui etiam venefici vocantur, ij sunt ex Hieronymi sententia, qui sanguine vtuntur, & victimis, ac sæpe contingunt mortuorum corpora, & ex his diuinant; qui imagines fingunt cereas, & aliis vtuntur modis ad illudendos, dementandos, aut etiam occidendos homines; quorum varia sunt genera, quæ modò persequi longum esset negotium. Illud certum hæc nomina tam Latina, quàm Hebraica patere quàm latissimè, quæ sæpè scriptores tam sacri, quàm profani confundunt; interdum enim vno, interdum alio modo conuertunt.

Quas scientias edocti Daniel, & tres alij pueri.

27. Has ergo scientias Chaldæorum iussi sunt doceri quatuor illi iuuenes è regio semine delecti, ne earum disciplinarum cognitione carerent, quæ maximè ornabant commédabántque Chaldæos. Quæ licèt illæ aliquid doceant, aut inducant flagitiosum, & impium; illud tamen nosse propter honestum aliquem finem neque impium, neque indecorum iudicari debet. Immò id interdum honestissimum est, & necessarium; sicut accidit medicis, qui non solùm earum rerum cognitionem habent, quæ salubres sunt affecto corpori; sed quæ noxiæ, ac pestilentes sunt: illas vt adhibeant; has vt remoueant, & euitent. Sanè, in sapientiæ parte ponitur Eccli. 1. cognoscere hominum errores, & quæ facta indecora sunt, eadem cognita dignitatem habent. *Dedi, inquit, cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroréſque ac stultitiam.* Audi Hieronymum ad illud de quo statim, *Proposuit Daniel in corde suo. Qui de mensa Regis, & de vino potius eius non vult comedere ne polluatur: vtique si sciret ipsam sapientiam, atque doctrinam Babyloniorum esse peccatum, nunquam acquiesceret discere, quod non licebat. Discunt autem non vt sequantur, sed vt iudicent, atque conuincant. Quomodo si quispiam aduersus Mathematicos velit scribere imperitus μαθημάτων, risui pateat: & aduersum Philosophos disputans, si ignoret dogmata Philosophorum. Discunt ergo ea mente doctrinam Chaldæorum, qua & Moyses omnem sapientiam Ægyptiorum didicerat.* Eo consilio, vt apparet, mores Chaldæorum, & studia diderat Baruch, cùm ab illorum erroribus exules Iudæos auocare voluit, cap. 6. Ex Gentilium libris, & erroribus magna sibi adiumenta sumpserunt Augustinus, Clemens Alexandrinus, Arnobius, & Minutius, vt Gentilium prodigiosa com-

Quomodo aliquando expediat aliorum errores, & nugas doceri.

A menta, atque deliria confutarent. Eo consilio qui ex nostra Societate apud barbaros, & nefariis religionibus addictos, puta apud Iaponios, Sinas, & Malauares illorum errores studiosissimè discunt, idque non prudenter solùm, sed sanctè, & necessariò; quo enim alio modo dedoceri possent nationes illæ tandiu delusæ, & inueterati illi errores euerti? Neque Daniel, licèt in his Chaldæorum disciplinis supra reliquos decuplum esset eruditus, ad somniorum interpretationem, illorum vsum, aut cognitionem adhibuit; sed orationem, & ieiunium, quibus à Deo impetrauit, vt abdita consiliorum ipsius arcana cognosceret. Vide cap. 2. v. 18. & v. 28. futilem ostendit B Chaldæorum scientiam; & à Deo tantùm sperari posse dicit solutionem. *Mysterium, quod Rex interrogat, sapientes, magi, & arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi; sed est Deus in cælo reuelans mysteria.*

Et linguam Chaldæorum.] Indignum putabat 28.
Nabuchodonosor in aula sua audire peregrinam linguam; aut Chaldaicum sermonem sic sonare imperfectè, vt illi aliquid esset admixtum Hebraicum. Quare iubet vt Chaldaicam ediscant linguam, & auitam dediscant; aut certè intra regiæ aulæ cancellos non loquantur Hebraicè. Vt quid enim, qui ex seruili conditione, in qua plures alij ex eodem genere remanserant, ad lautum C ministerium, & ingenuum nomen vocati fuerát, captiuorum, & in eo statu ignobilium sermonem retinerent, quod sine molestia Rex, à quo tanta humanitate suscepti fuerant, audire non poterat. Quod pro viris religiosis, ac sacerdotibus, qui euocati sunt a profana, & populari turba, quique familiariùs in quodam quasi conclaui a vulgi strepitu secreto cum Domino conuersantur, admirabile documentum est. Neque illorum statum, atque adeò neque pudorem decet, vt sermones adhibeant peregrinos, quibus sæculares vtuntur, id est, captiuum, & ignobile vulgus: quos Deus neque libenter audit; neque sacer ordo, atque humano maius ministerium admittit. Quem, obsecro, locum habere possunt in lin- D gua Euangelio consecrata populares nugæ; immoderati risus, lasciua verba; & quæ à status illius sanctitate aliquid oleat peregrinum?

Religiosi viri qualis sermo.

Vers. 5. *Et constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, vnde bibebat ipse.*] Magna 29.
hæc est humanitas, ac beneuolentia Principis, quæ victum impertitur, & potum non alium, quam quo ipse potatur, & vescitur. Quod eo, vt apparet, consilio fecit, ne illa deflorescerei species, quæ tunc in pueris notabatur eximia, quam crassi, atque angusti cibi aut obscurant, aut perdunt. Tum deinde ne ex vili, atque peregrino victu aliquid ructarent molestum, & crassum: quale etenim est hominum alimentum, talis plerumque expiratur anhelitus. Hinc aliud quoque E documentum capient viri aut studio, aut professione religiosi, quibus porrigit Deus de mensa sua quotidianum cibum, & de suo calice familiare poculum, quid spirare, quid inhalare debeant, ex corpore, & sanguine, quibus quotidie à regia, ac liberali manu reficiuntur. Dedit, inquit S. Thomas in hunc locum, Rex de cibis suis, *ne nobilitas naturæ ipsorum cibis vilioribus corrumperetur, vel ingenij ipsorum subtilitas hebetaretur.* quod item sentiunt interpretes alij, nobiles namque cibi ingenuos solent alere, ac sustentare spiritus; quod etiamsi in humanis quàm sæpissimè fallat, vt ipsa nos quotidiana experientia docet; at id quotidie

Eucharistia qualem alat spiritum.

Varij habitus corporis ex ciborum varietate.

tidie quàm verissimum experimur in illis, quos cœlestis Eucharistiæ panis, & diuinum reficit poculum, id est, quibus Deus è sua mensa annonam porrigit, & è sua cella vinum propinat.

30. *Vt enutriti tribus annis, postea starent in conspectu Regis.*] Triennale spatium constituit Nabuchodonosor antequam pueri alioqui regij, atque decora facie regium aspectum subirent: quo verò id consilio fecerit, non est coniectare difficile. Ego ideo puto tantum temporis alendis regio cibo pueris, & ad Chaldaicas disciplinas informandis impensum esse, nequid Hebræi pueri ad Chaldæi Regis aspectum afferrent Hebraicum; non linguam, non doctrinam, non halitum, non denique sanguinem: nisi quem Chaldæorum cibus genuisset. En tibi pro religiosis, sacratisque Deo viris documentum aliud! Qui ad Deum accedunt, illud apud se statuant oportet, ne quid à sæculo, ne quid ab antiqua conuersatione, neque quod carnem olet, & sanguinem, reliquum sit, quia cælestem iam, & spiritalem vitam meditantur. Quare retexant seipsos necesse est, & vt, quod est à sanguine mortali concretum, id totum excoquat, atque consumat cælestis ignis. Id Patres abnegationis nomine significant, quæ, vt ait Basilius in quæstion. fusius disput. q. 6. *Summa rerum omnium vitæ superioris obliuio, atque à suis ipsius voluntatibus recessio.* Docet hoc optime sponsæ nomen, quæ ex syluis euocata, ferarúmque lustris, vbi ferarum victu, ac more vitam propagabat suam; obliuisci iubetur populum suum, & domum matris suæ, quia nihil iam cum carne, ac sanguine debet habere commercij. Vide quæ in hanc sententiam diximus in nostris commentariis ad illud cap. 8. *Sub arbore malo.* Neque aliud indicat hieroglyphico sensu, quod de captiua, atque alienigena fœmina, quæ connubium init viri Israelitæ, præcipitur Deut. cap. 21. v. 12. *Radet cæsariem, circumcidet vngues, & deponet vestem, in qua capta est: sedénsque in domo flebit patrem, & matrem suam.* Quo quid aliud exprimitur, quàm totam à seipsa defecisse alienigenam fœminam, quæ in nobili, atque ingenua familia commorari studet.

Religiosus nihil debet retinere sæculare.

Abnegatio quid.

31. Vers. 6. *Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda Daniel, &c.*] Inter captiuos nempe, qui erant ex Regum, seu Tyrannorum semine, qui magis digni visi sunt, qui inter aulicos pueros versarentur; quia nimirum pulcri magis; & qui melioris ingenij, atque indolis specimen præbuerant. Horum autem Princeps erat Daniel, de quo præcipuè totus hic liber. Cur verò Danielis compellationem habuerit, à principióne, vel post exposita somnia, & manifestata Domini iudicia (id enim sonat, aut indicat *Daniel*, ita vt Daniel non tam nomen, quàm cognomentum sit) non est constituere facile. Sed non est in ea re tantum, vt nimium, in ea re exploranda, tẽporis & operæ ponendum sit. Non est improbabile hoc illi nomen datum ab euentu, sicut aliis multis: sed credo id non fuisse prætereundum ab aliquo eorum, qui Danielis in suis scriptis meminerunt. Quare censeo hoc Prophetæ datum esse nomen, ab initio; sed parum interest, hócne, an illo modo capias.

Daniel cur sic vocatus.

32. Vers. 7. *Et imposuit eis præpositus Eunuchorum nomina; Danieli, Belthasar, &c.*] Vide quàm horreat in palatio suo Nabuchodonosor quod alienum est, ac peregrinum, quando antiqua Danielis, & aliorum nomina aboleri vult. Et aliud hinc documentum capiat vir religiosus, ne videlicet in domo Domini superbos appetat titulos, & in-

A flata nomina: hæc enim Dominus cum stomacho audit, atque fastidio. Cùm mutandorum nominum variæ sint causæ; illæ tamen solent esse præcipua, quæ nouum statum sequuntur, & indicant, quomodo Simon appellatur Cephas, seu Petrus; Iacobus, & Ioannes Boanerges; qui priùs Abram, postea dictus est Abraham. Ita Hieronymus in cap. 23. Ieremiæ. *Interpretatione,* inquit, *nominum sæpe res ostenduntur, vt Abraham, Sarah, & Petri, & filiorum Zebedæi vocabula commutata significent rerum mutationes.* Interdum verò ab aliquo effectu, sicut Iacob, quia fortis fuit in Deum, dictus est Israel; Esau ab edulio rufo dictus est Edom; & B Gedeon Ierobaal. Qua fortasse ratione ab iudicio, quod Deus per Prophetam manifestauit; aut quia ipse Dei aperuit occulta iudicia, appellatus est Daniel.

Religiosis abstinendi antiqui tituli, ac nomina.

Nomina cur mutentur.

Nomen porrò imponere maioris est potestatis. Quare Ægypti Rex nomen mutauit Ioseph; impofuitque aliud, quod in datum illi munus magis conueniebat. Idem facit alter Rex Ægypti lib. 4. Reg. cap. 23. qui Heliacimo Iosiæ filio, quem regno præposuit, Ioacimi nomen esse voluit; & Nabuchodonosor Mathaniæ nomen mutauit, & appellari iussit Sedeciam. Ille idem, vt opinor, Danielis, & aliorum iuuenum nomina mutauit; non Eunuchorum præfectus, nisi ad Regis imperium. Quod colligere mihi videor ex cap. 4. C v. 5. vbi Rex ipse rationem videtur ostendere, cur Belthasaris nomen impositum esse voluerit Danieli, quasi ipse illius nominis auctor extitisset. *Ingressus est,* (inquit Nabuchodonosor Daniel) *cui nomen Belthasar secundùm nomen Dei mei, qui habet spiritum Deorum sanctorum in semetipso.* Ex quo etiam colligo quid significet nomen illud à Rege Chaldæorum impositum. Neque enim apta videtur expositio, quam assignant alij, dum exponunt *occultè thesaurum recondentem.* aut *non portantem angustiam.* aut *in acumine thesauri.* aut alia plurima. Satis enim indicat Nabuchodonosor, qui nominis illius auctor esse creditur, quæ sit D nominis illius vera notatio. Habet enim nomen istud in se nomen Bel, siue Bal, qui maximus erat illorum Deorum, quos eo tempore colebant Babylonij; & ideo dixit Rex, *secundum nomen Dei mei.* Quare Belthasar idem est, quod Bel thesauri, aut Bel occulta, & arcana, quod explicuisse videtur idem nomenclator Rex, dum addidit, *qui habet spiritum Deorum sanctorum in semetipso.* 33.

Seruorum nomen à dominis mutari solitum.

Daniel cur vocatus Belthasar.

Ex quo ego videre mihi videor aliud maius arcanum; videlicet, à Rege non omnino mutatum esse Danielis nomen, sed idioma. Idem enim valet Hebraicè *Daniel*, & Chaldaicè Belthasar: vtrumque enim significat Dei iudicia, seu arcana, aut mysteria, sed in eo est discrimen quòd in E Hebraica voce absolutè ponitur nomen Dei; in Chaldaica verò peculiaris cuiusdam Dei, nempe Bel, seu Bal. In altera lingua significat *Dei arcana,* seu *iudicia*; in altera *occulta*, seu etiam (quia iudicia diuina occulta sunt) *Bel iudicia*, siue *arcana.* Quod verò Belthasar significet occultum aliquid, seu mysterium Bel, tenet Maldonatus in Prooemio commentariorum. Qui aliter exponunt, non videntur obseruasse quod Rex ipse Chaldæorum de Belthasaris nomine scribit cap. 4. v. 5. De aliis etiam socij fortasse eadem est ratio: sed quia res est obscura, neque aliquid habemus ad explorandam veritatem opportunum, ab hac quæstione nunc abstineamus. Origenes homil. 25. in Numer. imposita dicit esse nomina 34.

Eadem significatio Danielis, & Belthasaris.

iuxta

iuxta illorum conditionem, atque decorem; quomodo ob eximiam pulchritudinem filiæ Iob vocatæ sunt *dies, cassia, cornu stibij*.

35. Vers.8. *Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa Regis; neque de vino potus eius.*] Quod animo suo propositum concepit Daniel, id quoque sociis placuisse, satis ex hoc eodem capite perspicuum est. Sed cur pollui timeret, idque ne contingeret, tanto studio caueric Daniel, multæ ab interpretibus rationes adducuntur: & licèt earum aliquæ quibusdam non probentur, mihi omnes videntur aliquid habere ad id, quod Daniel horrebat opportunum. Prima est, quia Iudæis non licebat communem cum Gentibus habere mensam. Hinc illud Petri ad Cornelium Actor. cap.10. v.18. *Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam*; nempe mensæ, atque conuictus gratia: nam doctrinæ causâ & poterant, & faciebant sæpe. Vnde est illud Christi apud Matthæum cap.26. *Circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum.* Et clariùs cap.11.v.3. *Disceptabant cum eo,* (nempe Petro) *qui erant ex circumcisione, dicentes: Quare intrasti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis.* Quod vsque adeò ipsis etiam Gentibus notum erat, vt muliercula quædam Christum reprehenderet Ioan.4. quia ab alienigena potum petiisset. *Quomodo,* inquit, *tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Neque cibos ex mensa regia, seorsum ab aliis aulicis pueris capere poterant (ideo enim hæc ratio minus probatur alicui, quia pueris nulla imponebatur necessitas, vt cum aliis eidem mensæ simul accumberent) quia cum iisdem vescerentur edulíis, cur loco secernerétur, & mensa? Certè id difficile impetrarent ab Eunuchorum præposito, si legumina tãtùm adhiberet in cibum; ne tot testibus argueretur regium contempsisse mandatum.

Iudæis non licebat communem cum Gentilibus habere cibum.

36. Altera causa est, quam reddunt communiter interpretes, quia multi pueris ex regio penu proponerentur cibi, quos Lex à Iudæorum mensa remouebat, vt carnes suillæ, leporinæ; & multarum auium, quæ habentur in deliciis, vt quæ volant, & natant, quæ tamen damnat, & horret Iudæorum religio, Leuit.11. & Deut.c.14. Hæc verò quomodo sine offensione repellere possent illi pueri à communi mensa: aut quomodo in cibis variè ex coquorum arte conditis internoscere possent, quæ permittit, ab his, quæ prohibet religio; maximè cùm ex concessis à lege nefas sit attingere morticinum, & suffocatum, & id, à quo sanguis expressus non est.

37. Tertia ratio, quam etiam probant interpretum plerique, quia multa comedebant Gentes, quæ priùs fuerant Idolis immolata; aut super quæ idolorum implorabantur nomina; quomodo Christiani implorato Dei nomine mensæ benedicunt; quibus si vescerentur illi pueri, non obscuro signo se patriam religionem abiurasse profitebantur. Hoc idem præceptum in Ecclesiæ nascentis exordio impositum fuit fidelibus, ne apud Iudæos, qui sacra suscipiebant Christiana, essent in offensione, Actor.cap.15.

Idolothyta prohibita Iudæis.

38. Quartam ego ex his rationem addo, quia cùm iam pridem ab his cibis abstinuissent Iudæi, illósque tanquam aliquid immundum auersarentur; in illos sic afficiebantur, vt nec spectare quidem possent sine nausea: & quemadmodum ex multarum rerum attactu pollutos se arbitrabantur Iudæi: sic etiam puto si prohibita illa tetigissent obsonia.

A Sed dicet aliquis, cùm vinum Iudæis non fuerit à lege prohibitum, neque in eo, sicut in cibis, latere aliquid posset, quod salua religione libari non liceat, cur statuit apud se Daniel omnino abstinendum à vino, quod sibi foret ex regia mensa propinandum. Sanè si Nazaræi forent hi pueri, res esset soluta; neque enim his, quod inebriare potest, haurire permittitur. Sed neque si liberi essent à Nazaræorum lege, ratio defuit cur vinum quoque Babylonicum horreant; illud maximè, quod conditum esset in regia cella: aut certè quod propositum esset in Gentilium mensis, quod priùs ex more Gentilico ritu sacrum fiebat; aut potiùs execrabile. Ex profanis habes a- 39.

Cur Daniel abstinuit à vino.

B pud Virgilium lib.1. Æneid. quomodo non prius haustum esset vinum, quàm Deorum implorarentur nomina; & illis sacrarentur pocula.

Cibus, ac potus Gentilium diis prius libari, ac sacrari solita.

Hac Regina grauem gemmis, auróque poposcit;
Impleuitque mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo soliti. Tunc facta silentia tectis.
Iuppiter hospitibus, nam te dare iura loquuntur,
Hunc lætum Tyriísque diem, Troiáque profectis
Esse velis, nostrósque huius meminisse minores.
Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno.
Dixit, & in mensa laticum libauit honorem,
Primaque libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans; ille impiger hausit.
Post alij proceres.

C Et lib.4. in conuiuiis, Iarbæ nomine docet vinum Ioui libari, ac consecrari solitum.

Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem.

Hoc idem ex Scriptura sacra probare non est difficile. Vnum sit nobis pro multis testimonium ex cap.32. Deuter. v.38. *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam: de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* Neque alia fortasse causa Iudith de cibis ab Holopherne oblatis gustare noluit; nisi quia aliquid in eis existimabat esse Gentilicæ superstitionis. Cùm enim Holophernes iussisset, vt de conuiuio suo, id est, de mensa, aliquid illi mitteretur; &, vt addunt 40.

D Græca, etiam de vino: sic illa respondit, eodem propè modo, quo pueri. *Non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat super me offensio, Iudith 12.* Quod perinde est, ac si cum Daniele diceret, *ne polluar.*

Alia ratio sit sumpta ex instituto vitæ, quod sancti hi pueri studiosi complexi sunt. Amabant illi castitatem, & ex regio præcepto, natura etiam ipsa instimulante, ad sapientiæ studium aspirabant: his rebus crapulam, & ciborum intemperantiam incommodare nouerant, iuxta illud Prouerb.20. v.1. *Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens.* & Ecclesiastæ c.2.v.3. *Cogitaui in corde meo abstrahere* 41.

Vinum castitati sapientiæque contrarium.

E *à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam.* Ieiunio Danielem consecutum esse visionum intelligentiam, docet Basilius homil. de laudibus ieiunij. *Ac ne Daniel,* inquit, *ille sapiens visiones videre meruisset, nisi ieiunio reddidisset animam limpidiorem. Siquidem è copiosiore pastu ceu fumosi quidam vapores exhalantur, qui lucem sancti Spiritus in hominis mentem irradiantem quasi densæ nubes interueniens, intercipiunt.* Idem repetit oratione 5. de ieiunio. Idem Tertullianus de ieiunio aduersùs Psychicos, cap.9. & lib. de anima, cap.48. Quæ sententia apud alios etiam Patres non semel reperitur.

Et rogauit Eunuchorum præpositum, ne contaminaretur.] Ostendit, vt apparet, Daniel Eunuchorum 42.

præpo

præpoſito ſibi nefas eſſe cibis illis vti, quos regia liberalitas porrigebat; neque effugere poſſe quin cenſeretur contaminatus, & pollutus; quare orat ſibi vt liceat cum bona illius venia, quo culpam illam, atque immunditiam euitet, aliis vti cibis minùs quidem ad genium, magis tamen ad ipſius votum opportunis.

43. Verſ.9. *Dedit autem Deus Danieli gratiam, & miſericordiam in conſpectu Principis.*] Succenſere non immeritò potuiſſet Eunuchorum Princeps Danieli, quid regiam contemneret liberalitatem; & oblatos cibos iudicaret immundos. Sed ita moderatus fuerat Deus Principis animum, vt gratum habuerit Danielis votum, & vt oratio ad illius aures accederet non ingrata: quare non tam repellit ſupplicem, aut poſtulata negat, quàm rationem quærit, quomodo celare poſſit, quod fieri cupiebat; & Regis offenſionem, à qua ſibi quiduis timere poterat, declinaret. Ea ratione Deus illorum ſaluti, ac commoditati conſulit, quos fideles habet ſeruos; & quorum ſalutem certam eſſe vult. Sic Ioſephus gratiam inuenit coram Domino ſuo; & cùm ſeruus eſſet in aliena domo, non ſecus ac Dominus agebat Gen.39. v.4. *Inuenítque Ioſeph gratiam coram Domino ſuo, & miniſtrabat ei: à quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domum.* Et iterum eodem cap.v.21. cùm eſſet in vincula coniectus, agente Domino gratiam inuenit apud Principem carceris, à quo ſic eſt acceptus benignè, vt cuſtodem illum crederes carceris, non vnum è vinctis. *Fuit autem Dominus cum Ioſeph, & miſertus eſt illius: & dedit ei gratiam in conſpectu Principis carceris, qui tradidit in manu eius vniuerſos vinctos.* Hæc omnia à Dei liberalitate expertus eſt Daniel: in quo expreſſum apparet, ſi reliquum etiam vitæ curſum intuearis, antiqui illius Ioſeph viuum quoddam exemplar.

Deo curæ ſunt fideles ſerui.

44. Verſ.10. *Condemnabitis caput meum Regi.*] Satisfacere cupit Princeps Danielis voto; ſuo tamen capiti cauere vult. Timet enim ne ſi pueri regiis oculis macrum obiiciant, & pallentem vultum, in ſuſpicionem veniat & violati præcepti, & conſtituti alimenti defraudati, quod crimen omninò capitale fuit. Condemnare autem dicuntur pueri Principi caput, quia pallore, ac macie Principis prodent aut auaritiam, aut incuriam, quam non niſi capitali ſupplicio lueret.

45. Verſ.12. *Tenta nos obſecro ſeruos tuos diebus decem.*] Hæc verba non ſunt ad Eunuchorum Principem, à quo, vt apparet, nihil impetrarat Propheta; ſed ad Malaſar, quem quatuor hiſce pueris Eunuchorum Princeps præpoſuerat. Ab hoc igitur orat, & exorat Daniel quod ab alio extorquere non poterat; & ne quid ſibi, aut à Rege, aut ab Eunuchorum Principe timeret, explorare iubet per decem dies, an ex ieiunio, ac viliori cibo minus eſſet ſucculenta, ac decora facies.

46. *Dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum.*] Ex his quæ paulo antè à nobis dicta ſunt, intelligi facile poteſt, cur cùm multa poſſent ſibi poſtulare quæ magis eſſent alendis corporibus opportuna, neque à lege prohibita; legumina tamen, & aquam pro victu, ac potu ſibi dari voluerint. Neque enim cibi, vt eſt ars culinaria ſolers, ac lauta, puri videbantur eſſe futuri, ab eo quod lex execratur, & horret. Neque aqua conſecrabatur impia ſuperſtitione Gentilium idolis, ſicut frequenter vinum; à leguminibus tamen nihil videbatur eſſe timendum, quibus nihil admiſcetur quod improbet Iudæorum religio. Quandiu verò quatuor hi pueri à vino, & carnibus, lautioribúſque epulis abſtinuerint, mihi incertum eſt; aliquando tamen alios ad menſam adhibuiſſe cibos, ſatis indicat de ſeipſo Daniel cap.10.v.3. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum; ſed neque vnguento vnctus ſum, donec complerentur trium hebdomadarum dies.*

Daniel non ſemper vſus legumine, & aqua.

Verſ.13. *Et vultus puerorum, qui veſcuntur cibo regio.*] 47. Hinc conſtat eodem modo pueros aulicos paſtos fuiſſe quo quatuor iſti, cibo nempe regio, & vino de cella item regia: cúmque tanta eſſet ciborum differentia; non tamen dubitabat Daniel æqualem fore, aut certè maiorem & corporis firmitatem, & oris pulcritudinem. Neque enim verebatur ne Dominus illorum votis deeſſet, quorum ad eius gloriam conſilia ferebantur.

Verſ.17. *Pueris autem his dedit Deus ſcientiam in omni libro, & ſapientia.*] 48. Quæ ſit illa ſcientia, ſapientiáve, quam quatuor iſti pueri didicere, dictum eſt ſuprà num.21. quam fuiſſe literis traditam, ſatis indicat hic locus, qui tenuiſſe pueros affirmat diſciplinas; quæ mandatæ forent Chaldæis libris. Ex modo ipſo dicendi non obſcurè cognoſcitur vnde tam breui, tam exactè, ac plenè tot, támque varias, atque implexas diſciplinas conſecuti fuerint pueri iſti ſancti; non quidem induſtria, ac ſedulitate magiſtrorum, quos fuiſſe omnium ſapiétiſſimos oportet, cùm tantùm obirent munus in regia domo; non ingenij præſtantiam, licèt illam habuerint ſingularem; non aſſiduitate diſcendi, quam puto his adoleſcentibus non defuiſſe: ſed quia *his Deus ſcientiam dedit:* quia nimirum ipſi, ne quid admitterent contra leges patrias, à lautis epulis, & regalibus poculis ſeſe continuerunt. Eam adducit rationem ſuprà Baſilius, & Tertullianus, quibus adde Ambroſium epiſt.82.& lib. ad Virginem lapſam, c.3. & lib.de Elia, & ieiunio, cap.7. Illa planè vera, ac ſecura ſcientia eſt, quam Dominus aſpirat; alia verò, quam humanæ venantur excubiæ, neque ſemper vtilis; & interdum maximè noxia eſt. Quare qui veram, ſibíque ſalubrem ſapientiam deſiderat, poſtulet à Deo, & in animo ſuo purum illi, ac vacuum paret hoſpitium. Eccli.1.v.33. *Fili concupiſcens ſapientiam, conſerua iuſtitiam, & Deus præbebit illam tibi.*

Scientia non tam ab ingenio, & labore, quàm à Deo.

Danieli autem intelligentiam omnium viſionum, & 49.
ſomniorum.] Hinc ego colligo datam eſſe tribus aliis pueris ſcientiam rerum aliarum, quam homines aſſiduitate, atque ſtudio conſequuntur, quales erant illæ, quas à Chaldæorum magiſtris haurire potuerunt; aliquid tamen amplius, & maius inſpiratum eſſe Danieli, quod non aſſequitur humana ſolertia, interpretationem videlicet ſomniorum, atque viſionum, quod munus eſt, neque pars exigua ſpiritus prophetici. Quomodo verò, ac quoties ſomniorum ſenſa, & viſionum myſterium cognouerit Propheta, ſuis poſtea locis exponemus. Tunc verò Daniel diuinæ id eſſe facultatis confitetur; neque aliud ſibi attribuit, quàm quod rei obſcuræ à Domino cognitionem acceperit. Hîc alij de ſomniis multa, quæ ego conſultò prætereo, quia non admodum ad interpretis officium ſpectant. De ſomniis vide Auguſtinum de ciuitate, lib.8.c.20.& 21. Ariſtotelem in libro de diuinatione ex ſomniis, Gregorium lib.8.Moral.cap.13.

Daniel tribus aliis pueris ſapientior.

Illud hîc non omittendum, non hîc agi de 50.
ſomniorum omnium cognitione, ſed illorum

quæ

quæ Deus immittit, vt futurarum rerum euentus portendant; qualia fuerunt quæ obiecta sunt Pharaoni dormienti, quæ priùs septem annorum vbertatem; deinde totidem sterilitatem prædicebant, & quæ in toto hoc libro aliquoties exposuit Propheta. Aliorum autem somniorum, quæ

Somnia quæ vana.

per quietem quotidie dormientibus occurrunt, deliramenta; circa quæ Onirocritæ versantur, & delirant, & teipsa vigilantes somniant, alio studio, atque spiritu explicantur, quàm diuino, ac prophetico. De quibus Ecclesiastæ cap. 5. *Vbi multa sunt somnia. plurimæ sunt vanitates, & innumeri sermones.* Et Eccli. 34. *Somnia extollunt imprudentes: quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum; sic qui attendit ad insomnia. Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.*

51. Visiones sunt species vigilantibus obiectæ, aut

Visiones quæ veræ.

his qui in extasi à sensibus excedunt: quales oblatæ sunt Isaiæ cap. 6. & Ieremiæ cap. 12. in calathis, in quibus ficus vidit valde bonas, & valde malas; & Zachariæ sæpe, Ezechieli sæpissimè; & Danieli, & Ioanni in Apocalypsi, toto ferè libro. Habuit autem Daniel, vt docet ad hunc locum Hieronymus, *hoc extra tres pueros insigne, quòd visiones, & somnia, quibus per symbola quædam, & ænigmata futura monstrantur, sagaci mente cernebat: vt quod alij videbant in phantasmate, hic oculis cordis aspiceret.*

52. Cùm autem donum hoc visionis intelligendæ, vel somnij ad prophetiam spectat, non erit difficile statuere, an illud Danieli perpetuum fuerit, id est, per modum habitus, vel per modum motionis, atque illustrationis diuinæ, quæ citò transit, & ad res singulares, vt occasio ipsa postulat, inspiratur. Quod enim de Prophetia tradunt Doctores, id etiam de somniorum, visionúmque interpretatione dicendum est. Tenent enim non

Prophetia non est per modum habitum.

dari spiritum prophetiæ per modum habitus, quòd semper comitatur, & illustrat Prophetam, sicut ars artificem, & scientia nunquam deserit scientem: sed infundi à Deo pro huius, vel illius euentus, aut somnij cognitione; & statim abesse donec iterum Prophetæ mens communicato spiritu ad nouam cognitionem illustratur. Ita Gregorius homil. 1. in Ezechielem. *Aliquando*, inquit, *spiritus prophetiæ deest Prophetis, nec semper eorum animis præsto adest: vt videlicet cùm ipsum non habent, agnoscant se Dei dono habere cùm habent.* Quod probat ex libro 4. Reg. cap. 3. vbi Elisæus consultus à Regibus Israel, & Iuda de belli euentu, adduci iussit psaltem, quo canente afflatus est spiritu; & iterum cap. 4. dixit puero de Sulamitide, *Dimitte eam, quia anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit me, & non indicauit mihi.* De visionis, aut

Neque visionum cognitio.

somnij interpretatione eadem est ratio, & exempla plura; sæpe enim Prophetæ ignorare se dicunt, quid oblata species portendat, ac significet, vt Zacharias cùm vidit candelabrum, & amphoram, & equites in myrteto; vbi apertè dicit ignorare se quid species illæ oblatæ sibi velint. Neque pauciora sunt exempla apud Danielem: & illud illustrius, quo Propheta ignorans quid Nabuchodonosori oblatum esset dormienti, ad Dominum confugit, à quo somnium, & somnij interpretationem agnouit, cap. 2.

53. Vers. 19. *Cúmque eis locutus fuisset Rex.*] Loqui hoc loco, vt reor, nihil est aliud quàm explorare quantum in doctrina Chaldæorum profecissent; vt constat ex eo, quod mox subiicitur, *Non sunt inuenti tales de vniuersis*, &c. Rogauit, credo, de auguralibus, & Mathematicis disciplinis, quarum ipse Rex fortasse imperitus non erat.

Vers. 20. *Et omne verbum sapientiæ, & intellectus quod sciscitatus est ab eis Rex, inuenit in eis decuplum super cunctos Ariolos.*] Non solùm superarunt pueri, quos habuere in eodem literario studio concertatores, & condiscipulos; sed magistros etiam ipsos; ita vt sapientissimos quosque, quotquot erant in toto Chaldæorum imperio longo anteirent interuallo. Porrò illud *decuplum* non tam puto decies tanto superari magistros, & sapientes Chaldæos arithmeticè; quàm significari eo dicendi modo excessum non fuisse exiguum. Decas enim pro magno numero ponitur, significátque quod sæpe fit; & decupla proportio magnum aliquid, & inusitatum importat. Philo in libro de Decalogo, omnium numerorum perfectissimum dicit esse denarium, appellárique δεκάδα, id est, δεχάδα, *quòd capiat, comprehendátque omnia numerorum genera, atque etiam rationum, proportionúmque ad dimensionem corporum.* Vt autem *decem* magnum significat numerum, vt docet illud Numer. 14. *Tentauerunt iam me per decem vices*; id est, sæpè. & Gen. 31. Laban dicitur decies immutasse mercedem. Sic *decuplum* excessus importat immensi pondus.

54. *Tres pueri suis quoque magistris doctiores.*

Decem perfectus numerus, & pro magna sumitur multitudine.

Vers. 21. *Fuit autem Daniel vsque ad annum primum Cyri Regis.*] Variè locus iste à variis exponitur. Quidam existimant anno primo Cyri definiri vaticinij tempus, quasi vltra hoc tempus desierit Daniel esse Propheta. Sed hic, quicumque est, turpiter, atque infantiliter fallitur, cùm constet cap. 10. v. 1. anno Cyri 3. Danielem prophetasse: & multo magis errant, qui principium regni Cyri finem esse statuunt Danielis vitæ. Est ergo sensus, quem Theodoretus indicat, & sequitur Maldonatus, aut vidisse Danielem solutam captiuitatem post annum septuagesimum, anno nempe primo Persici imperij; aut quod verius cum Hieronymo sequuntur frequentes alij, in aula Regis Babylonij commoratum esse Danielem ex hoc tempore, quamdiu illius durauit imperium, id est, vsque ad annum Cyri primum. Pòst enim, quanuis cum captiuis aliis non remigrauerit in Patriam; non tamen Babylone fuit, sed translatus est ad Medos, & ibi honestum locum, & præfecturam obtinuit. Audi Hieronymum ad illud 6. cap. *Porrò Daniel perseuerauit vsque ad regnum Darij, vsque ad primum*, inquit, *annum Cyri, qui Chaldæorum destruxit imperium. Daniel potens fuit in Chaldæa; postea à Dario in Medos translatus est.* Hoc idem, quod Hieronymus, sentit Isidorus libro sæpe citato. Addendum tamen ad extremum, Danielem licèt ad Medos translatus fuerit, atque ibi aliquandiu vixerit; rediisse tamen Babylonem, atque ibi tandem nobili sepulcro conditum esse. Ita omnes penè auctores, quorum de Daniele aliquid scriptum extat; Epiphanius, Isidorus, Dorotheus, Chronicum Alexandrinum; &, quod apud me plurimum habet momenti, Romanum Martyrologium ad diem 22. Iulij.

55. *Daniel quã diu vixerit.*

IN

IN CAPVT SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

VIDIT Nabuchodonosor per quietem statuam Colossea molis, horribili aspectu, ex variis metallis ita compositam, vt caput esset aureum, argenteum pectus, inde ad genua vsque totum æreum. Quidquid inde ad pedes vsque producebatur, erat è ferro, vnde erumpebant digiti ex ferro partim, partim ex argilla. Turbauit quidem hoc spectrum Regem, timorémque concussit, sed cùm ex visione maneret horror; excessit tamen species è memoria, vocat Rex auidus cognoscendi mysterij, quotquot in tota Chaldæa diuinatricem profitebantur artem. Cùm res tamen supra Magorum & aruspicum facultatem esset, nemo illorum satisfacere potuit Regis desiderio. Quare Rex ardens furore ex mysterij cognoscendi desperatione concepto, sapientes omnes supplicio capitali condemnat. Neque illi paratam iam mortem effugissent, nisi doctus à Deo nocturna illustratione Daniel, & somnium, quod exciderat è memoria, & illius sensum Regi aperuisset. In illo autem spectro quatuor orbis imperia designabantur, quæ variis temporibus summum in orbe locum, ac dominatum tenuerunt; quæ tandem contriuit, atque dissoluit imperator Christus, quem lapis quidam exiguus adumbrabat, qui lapsus è monte sine cuiusquam opera, & pedibus illisus, totam illam vastam, atque proceram mollem momento temporis disiecit, ac perdidit. Qui deinde incremento subito, non solùm in montis magnitudinem abiit, sed etiam terram impleuit vniuersam. Admiratus Rex Danielis sapientiam, & id quod fieri posse non putabat, consecutus, verum Iudæorum Deum confessus est, & Danielem ipsum magnis cumulauit muneribus, & ad amplissimum magistratum promouit.

CAPVT II.

1. *IN anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo.*

2. *Præcepit autem rex vt conuocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldæi, vt indicarent regi somnia sua: qui cùm venissent, steterunt coram rege.*

3. *Et dixit ad eos rex: Vidi somnium; & mente confusus ignoro quid viderim.*

4. *Responderúntque Chaldæi regi Syriacè: Rex in sempiternum viue. dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus.*

PARAPHRASIS.

A 1. ANno secundo postquam subiugata Iudæa, viciníſque prouinciis Imperator Nabuchodonosor ac rerum dominus vocari potuit, oblata est illi dormienti eiusmodi species, vt illius animum graui terrore, atque stupore concusserit; ita tamen excidit ex memoria, vt nullâ sui vestigia reliquerit.

2. Cùm autem Rex nosse vehementer cuperet, quid spectrum illud horribile portenderet, iussit quamprimum aduocari, quotquot in tota Chaldæa diuinandi arte, aut auguratrice facultate præstarent: quo ab illis, & somnium, quod è memoria
B prorsus euanuerat, & eius interpretationem edisceret, magos, videlicet, ariolos, & maleficos, & qui artem didicere Genethliacam, quíque à prouincia, vbi illa in pretio, atque in honore est, Chaldæi nominantur; qui obsecuti Regis edicto, in eius se conspectum obtulerunt.

3. Ad quos ita Rex: Vidi somnium, ita tamen cohorrui, sic mihi confusus est, ac perturbatus animus, vt mihi illius neque pertenuis vmbra reliqua sit.

4. Tunc Chaldæi Syriaco sermone, qui Babyloniis magis erat familiaris, vsitata Chaldæorum forma salutarunt, dixerúntque

A que: Precamur, ô Rex, vt immortalis tibi vita contingat. Dic seruituris somnium, quod vidisti, & quid in illo mysterij lateat indicabimus.

5. Et respondens rex ait Chaldæis: Sermo recessit à me: nisi indicaueritis mihi somnium, & coniecturam eius, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur.

5. Ad quos iterum Rex: Species oblata mihi per quietem sic excessit, vt nec minimum quidem illius in memoria supersit. Vtrunque à vobis mihi præstari volo, & reuocari somnium, quod euanuit, & illius veram coniecturam adduci; vtrumlibet horum ignoraueritis, malum capiti vestro afferet ineluctabile; quin etiam do-B mus vestræ proscriptæ, ac publicatæ, in publicos ciuitatis, ac sordidos vsus conuertentur.

6. Si autem somnium, & coniecturam eius narraueritis, præmia, & dona, & honorem multum accipietis à me: somnium igitur, & interpretationem eius indicate mihi.

6. Sin autem ego à vobis & somnium, & eius coniecturam accepero; vestrum ego studium amplissimis donis, honoribusque eximiis compensabo. Quare excitate ingenium, & omnem diuinatricem artem aduocate; ac tandem facite, vt somnium meum, cui nullum apud me vestigium remanet, & eius interpretationem, & sensum, à vobis ediscam.

7. Responderunt secundò, atque dixerunt: Rex somnium dicat seruis suis, & interpretationem illius indicabimus.

8. Respondit rex, & ait: Certè noui quod tempus redimitis, scientes quòd recesserit à me sermo.

C 7. Chaldæi iterum ad Regem: Dic, ô Rex, quid in somnis oblatum tibi fuerit, & quid in illo sacraměti lateat ostēdemus.

8. Ad quos Rex subindignatus: Noui quid spectet hæc tergiuersatio, quò tendant cauilli, quos obtenditis, nempe vt vitæ vestræ aliquid accedat moræ, quam vestra ignoratione, & meo iudicio damnati perdidistis. Quid enim vsus habet importuna hæc, & toties iterata quæstio, cùm iam à me tertiò dictum sit, è mente prorsus abiisse somnium.

9. Si ergo somnium non indicaueritis mihi, vna est de vobis sententia, quòd interpretationem quoque fallacem & deceptione plenam composueritis, vt loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, vt sciam quòd interpretationem quoque eius veram loquamini.

D 9. Si ergo meum mihi somnium narrare vestræ facultatis non est, existimo, nec sine graui fundamento nugatores esse vos, & fumos vendere: & quam somnij interpretationem adducatis, esse omnino fallacem, & veteratorio quodam artificio compositam; vt extrahatis tempus decretum solutioni somnij, & producatis diem vestro supplicio definitum. Somnium igitur diuinate meum, vt hinc intelligam interpretationem non esse vanam. Alioqui quæ de vestro capite lata sententia est, cō-E stabit immota, quod semel est à me decretum ratum erit, & firmum.

10. Respondentes ergo Chaldæi coram rege, dixerunt: Non est homo super terram, qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neque regum quisquam magnus & potens verbum huiuscemodi sciscitatur ab omni ariolo, & mago, & Chaldæo.

10. Ad hæc rursus coram Rege Chaldæi: Non est vllus, ô Rex, in natura mortali, quique terram inter homines habitet, qui quod à nobis exigis præstare possit. Neque vllus quantolibet potens, & insignis imperio sciscitatus est vnquam à Mago, Ariolo, siue Chaldæo, quod à nobis in præsentia præstari vis.

11. Sermo enim, quem tu quæris, rex, grauis est: nec reperietur quisquam, qui indicet illum

11. Quod à nobis sciscitaris, ô Rex, alterius est, quàm vt illud assequi queat humana

illum in conspectum regis: exceptis diis, quorum non est cum hominibus conuersatio.

A humana facultas. Quare non est quod putes obtineri hæc posse à mortali studio, vel ingenio; Deus sit oportet, à quo hæc vno præstari possunt: sed quia longè abest ab hominum consortio, & suos sibi fines habet, vbi sempiterna fruitur quiete; neque ab illo ista aut petenda, aut expectanda sunt.

12. *Quo audito rex in furore & in ira magna præcepit, vt perirent omnes sapientes Babylonis.*

12. Cùm impostores putarat, & nugaces, Nabuchodonosor, quos vulgus Chaldæorum sapientes iudicabat, cùmque ad hãc cogitationem accederet dolor ex cognoscendi somnij desperatione cõceptus, B temperare sibi non potuit furore præceps, quin statim in illorum caput supplicium capitale decerneret: neque illos tantùm, qui suam inscitiam confessi sunt, sed omne prorsus sapientium genus, qui Babyloniã habitabant, aboleri voluit.

13. *Et egressa sententia, sapientes interficiebantur: quærebanturque Daniel & socij eius, vt perirent.*

13. Vbi autem primum hoc Regis edictum egressum est, sapientes omnes quærebantur & rapiebantur ad necem; cúmque eandem artem Daniel, & tres alij socij antè didicissent, eadem lege in illo- C rum etiam caput agendum fuit. Quare illis quoque idem supplicium capitis imminebat; & eo consilio iam cum aliis ex eodem ordine quærebantur ad mortem.

14. *Tunc Daniel requisiuit de lege atque sententia, ab Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis.*

14. Cognouit Daniel sapientibus omnibus paratum esse supplicium capitale, quam tamen ob causam, aut quo Regis edicto nesciebat. Id ergo percontatus est ab Arioch, cui illud datum est negotij, vt à sapientibus pœnam illam capitalem exigeret.

15. *Et interrogauit eum, qui à rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia à facie regis esset egressa. Cùm ergo rem indicasset Arioch Danieli,*

16. *Daniel ingressus rogauit regem, vt tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi.*

15. Interrogauit, inquam, ab eo, cui D exequendæ legis, facta fuerat à Rege potestas, ecqua foret tanta culpa, quæ à regio pectore tam atrox edictum extorsisset.

16. Cùm ergo ab Arioch illius edicti causam agnouisset, ingressus est statim ad Regem Daniel; rogauítque sibi vt liceret spatij aliquid assumere, vt de somno, eiúsque solutione secum aliquandiu commentatus, imperio Regis, ac voto satisfaceret.

17. *Et ingressus est domum suam, Ananiaque & Misaeli & Azariæ sociis suis indicauit negotium:*

17. Cùm à Rege Daniel consecutus E esset, quod optabat, regressus est domum, admonuítque socios Ananiam, Azariam, & Misael, quo in statu res esset, quomodo iam penè de ipsorum capite actum erat, neque adhuc rem esse solutam.

18. *Vt quærerent misericordiam à facie Dei cæli super sacramento isto, & non perirent Daniel & socij eius cum ceteris sapientibus Babylonis.*

18. Quare incumbendum esse diligenter in preces, orandúmque à Deo, vt somni interpretationẽ, & aliquam viam, ad salutem ostendat; ne commune cum aliis sapientibus subirent exitium.

19. *Tunc Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum est: & benedixit Daniel Deum cæli,*

19. Ea igitur nocte per visionem reuelatum est à Deo Danieli, quod cupiebat ipse, & quod solum poterat furorem seda-

20. Et locutus ait: Sit nomen Domini benedictum à sæculo & vsque in sæculum: quia sapientia fortitudo eius sunt.

21. Et ipse mutat tempora, & ætates: transfert regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam:

22. Ipse reuelat profunda, & abscondita, & nouit in tenebris constituta: & lux cum eo est.

23. Tibi Deus patrum nostrorum confiteor, téque laudo: quia sapientiam & fortitudinem dedisti mihi: & nunc ostendisti mihi quæ rogauimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis.

24. Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat rex vt perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est: Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me in conspectu regis, & solutionem regi narrabo.

25. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem, & dixit ei: Inueni hominem de filiis transmigrationis Iuda, qui solutionem regi annunciet.

26. Respondit rex, & dixit Danieli, cuius nomen erat Baltassar: Putásne verè potes mihi indicare somnium, quod vidi, & interpretationem eius?

27. Et respondens Daniel coram rege, ait: Mysterium, quod rex interrogat, sapientes, magi, arioli, & aruspices nequeũt indicare regi.

28. Sed

A re regium, & voto ipsius satisfacere. Noua igitur cognitione illustratur Daniel, hunc in modum gratulabundus locutus est:

20. Sit Dominus ab omni æternitate, in omnem æternitatem benedictus, cuius est infinita sapientia, quem nihil vnquam latere potest, qua aliorum mentes illustrat, & complet; infinita item fortitudo, cui nulla potest obsistere potentia, quo minus cogitata perficiat.

21. Ipse vt mutat tempora, facítque vt dies noctibus, & æstas hyemi succedat, B sic etiam dissoluit, atque constituit Regna, à quo sapientes habent vt sapiant, & intelligentes, vt scientiam habeant, & disciplinam.

22. Ipse reuelat, quæ sic sunt ab omni sensu, intelligentiáque recondita, vt ea nulla mortalium quantacumque solertia odorari queat. Nouit Deus, quæ in tenebris sunt; quin ipse secum affert quo tenebris illustret; imò ipse lux quædam est, quo cum nulla esse potest obscuritas.

C 23. Te igitur, ô parentum nostrorum Deus, laudo, veneror, atque confiteor, quia ex inexhausto sapientiæ tuæ fonte, atque omnipotente fortitudine, sapientiam mihi tribuisti, vt nouerim, & constantem, vt audeam, intellecta proferre. Annuisti etenim nostris precibus, & quod Regi exciderat è mente, nobis aperuisti.

24. Postquam ergo Daniel hanc à Deo illustrationem accepit, Arioch adiit, cui Rex sapientes occidendi negotium tradiderat. quem hunc in modum allocutus D est: Cohibe tantisper manum à sapientum cæde; & ad Regis me conspectum deducito, & quod illi tam est in votis, somnium, somniíque coniecturam exponam.

25. Tunc Arioch festinus, & alacer, introducto secum ad Regem Daniele, sic illum alloquitur: Inueni, ô Rex, hominem è Iudæorum Gente, qui huc è patriis finibus commigrarunt, qui somnium tibi, & illius solutionem expediet.

26. Rex tunc sic ad Danielem, cui E nomen antè Baltasaris indiderat: Ecquid, ô Baltasar, fieri posse speras, vt somnium quod vidi, & eius coniecturam non fallacem, & ambiguam, sed veram, & certam assequaris, & indices?

27. Ad hæc iterum Daniel: Mysterium, ô Rex, quod tantopere nosse desideras, altius est, quàm ab humana sapientia, aut tentari debeat, aut explorari posse. Neque ego tantum mihi tribuo vt ingenio meo, vel doctrina, id consequi me posse confidam, quod Arioli, Aruspices, & Magi consecuti non sunt.

28. Sed

28. Sed est Deus in cælo reuelans mysteria, qui indicauit tibi rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus. Somniū tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo huiuscemodi sunt:

A 28. Sed licèt neque meæ, neque humanæ facultatis sit, profunda hæc, & recondita cognosse, est tamen in cœlo Deus, cuius sapientiam nihil latet, & qui solus potest huiusmodi mysteria reuelare. Hic tibi, ô Rex, in spectro illo nocturno patefecit, quid longè post hæc tempora futurum sit. Aperiam igitur primum somnium tuum, visionem videlicet illam, quæ tuæ tibi cogitationi oblata fuit, cùm in lectulo tuo somnos, atque quietem caperes; deinde quid visio illa oblata portendat. Nunc B visionem audi, quæ in vno spectro, non vna fuit, aut simplex.

29. Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo quid esset futurum post hæc: & qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt.

29. Tibi, ô Rex, cùm quietis gratia stratum iniisses, subiit de futuro imperij Babylonici successu, rerúmque mutationibus cogitatio. Deus autem, qui obstrusa hæc mysteria solus, & potest, & solet reuelare: ostendit tibi, quæ futura sit post te regnorum iam antè definita conuersio.

30. Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plus quàm in cunctis viuentibus, sacramentum hoc reuelatum est: sed vt interpretatio regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires.

30. Hoc ipsum mihi quoque reuelatum est, non quòd maior mihi quàm aliis sapientia cōtigerit, sed vt tibi per me mani- C festum fiat obscurum hoc, atque illustre mysterium: & præterea cognosceres, quæ fuerit cogitationi tuæ species obiecta.

31. Tu rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis.

31. Tu Rex in somniis videre tibi videbare statuam vastæ molis, proceritatis eximiæ, & omni ex parte magnam, cuius ex ore species quædam horribilis emicabat.

32. Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære.

32. Caput eius erat ex auro splendenti, ac nobili, pectus, & brachia ex argento constabant. Venter, & quicquid ex eo ad genua vsque producitur, ex ære.

33. Tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.

33. Quidquid à genibus ad talos vsque D protenditur, ferreum erat. Pedum verò pars quædam erat è ferro, pars autem alia ex argilla conflata.

34. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos.

34. Hæc porrò statua tandiu stetit, & abs te videri potuit, donec lapis quidam è monte sine manibus, aut vllo fabrili ferramento excisus, ferreis, atque fictilibus pedibus impactus, illos in partes contriuit minutissimas.

35. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullúsque locus inuentus est eis: lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.

35. Ea fuit vis scrupi, seu lapilli, quæ nō fabrilis machina, sed tenuis quædam aura exoluit, ac excussit è monte, vt non lutum E solùm ex quo ficti pedes, sed etiam ferrū, æs, argentum, & aurum, duriora vtique metalla contuderit; eóque redegerit, quò stipulæ ab æstiua area rediguntur à flamma; quæ neque incendio resistunt, quo minus soluantur in fauillas, neque perflanti auræ, quominus vanescant in ventum; neque vllo iam amplius inuēta sunt in loco. Sed lapis ille exiguus in tantam molem abiit incremento subito, vt instar habuerit montis, imò & terram totam immensis exporrectam spatiis occupauerit.

36. Hoc est somnium: Interpretationem quoque eius dicemus coram te, rex.

37. Tu rex regum es: & Deus cæli, regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi:

38. Et omnia in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit: tu es ergo caput aureum.

39. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ.

40. Et regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc.

41. Porrò quia vidisti pedum & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream: regnum diuisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundùm quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto.

42. Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum.

43. Quòd autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ.

44. In

A 36. Hoc fuit somnium, ac spectrum, quod tibi, ô Rex, exciderat è mente, nunc audi illius solutionem, quam coram te iam explicare aggredior.

37. Tu Rex omnium es potentissimus, & qui verè possis Rex Regum appellari: qui à Deo cœli regnum, & imperium, potentiam, qua subiugasti omnia, & honorē, quem habes amplissimum, accepisti.

38. Quod si verum est, ô Rex, quod tute tibi arrogas, aut quod tibi attribuit blanda subditorum adulatio, quòd omnes
B bestiæ agri, omnes cœli volucres, atque vniuersa alia in tua sint potestate, id tibi à Dei liberali manu concessum est. Tu es ergo, ô Rex, caput aureum, quod per quietem in statua videre te putabas.

39. Et post te regnumque Babyloniū, aliud succedet regnum inferius Babylonico, quod ideo tibi visum est ex argento conflari. cui succedet regnum tertium, ex ære quod latè in vniuersam terram dominabitur.

C 40. Post hoc regnum sequetur quartum ferro quàm simillimum. Vt enim ferrum omnia contundit, emollit, & frangit, ex quo conflantur arma, ferramēta, & vectes, quibus cæduntur syluæ, lentescit aurum, & argentum, secantur, & conuelluntur saxa: sic regnum illud quartum imperia hæc omnia conuellet, & conteret.

41. Quod verò à pedibus, id est, pedum, digitisque, partem ex ferrea, partem ex fictili materia conflari vidisti, regnum illud quartum in plura regna diuidetur;
D non aliter atque ex pedibus oriuntur digiti, & ex plantario, seu stipite funduntur rami. Sicut de ferreis pedibus oriuntur illi digiti partim è ferro, partim ex argilla deducti; sic ex illo regno tanquam è plantario regna varia, & quasi imperij coloniæ deducentur.

42. Digiti verò qui ex ferreis pedibus erumpunt, & pullulant, partim testacei, partim ferrei futurum portendunt, vt illius imperij partes, seu coloniæ partim sint cōstantes, ac solidæ, partim imbelles, quæque domari facile, atque cōminui possint.

E 43. Illa verò ferri, lutique commixtio, quam in statuæ pedibus intuebare; hunc habent sensum. Licèt inter quartum illud regnum, & prouincias, quas repræsentant in statua argillacei digiti, communitas quædam sit, atque commixtio humanæ naturæ, sic tamen moribus, studiisque dissentient, vt non magis cum regno coalescant, cuius videntur membra, quàm illa, quæ maximè ingenio, atque natura distant, qualia sunt argilla mollis, atque friabilis, & ferrum inflexibile, ac durum.

44. In

44. *In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc; & ipsum stabit in æternum.*

A 44. In diebus autem vnius ex illis quatuor regnis, suscitabit Deus cœli Regnum, quod non dissoluetur sicut alia. Sed quia maius est, & longè dissimili potentia gubernatur, & regitur, sempiternum erit. Neque vis erit vlla, quæ omnipotentem virtutem ab illo deiiciat: atque ideo non alium experietur, atque patietur dominum; sicut alia regna, quæ in alios, atque alios dominos deuoluta sunt. Hoc itaque regnum regna comminuet, atque prosternet alia; ipsum verò nulla B consumet, aut infirmabit æternitas.

45. *Secundùm quòd vidisti, quòd de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurũ, Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt postea, & verum est somnium, & fidelis interpretatio eius.*

45. Deinde quod vidisti à lapide, qui sine manibus à monte decidit, contritum esse lutum, ferrum, æs, argentum, & aurum; symbolum est oblatum à Domino; quo tibi notum esse voluit, quid post hæc tempora futurum sit. Hoc verum est somnium, quod vidisti; hæc vera est, ac fidelis eius interpretatio.

46. *Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias & incensum præcepit vt sacrificarent ei.*

46. Tunc Rex Danielis admiratus sapientiam, & in eo ratus aliquid esse diuinum; ad eius pedes adorabundus pronus, suppléxque procubuit, iussítque in illius C honorem cremari aromata, & sacrificali ritu victimas offerri.

47. *Loquens ergo rex, ait Danieli: Verè Deus vester Deus deorum est, & Dominus regum, & reuelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum.*

47. Verè, inquit Rex ad Danielem, ex hoc tam occulto, támque apertè abs te reuelato mysterio cognosco, Deum vestrum Deum esse Deorum, & Regem Regum, quíque vnus possit arcana, atque profunda sacramenta detegere.

48. *Tunc rex Danielem in sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei: & constituit eũ principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis.*

48. Tunc Rex Danielem plurimis, maximísque muneribus cumulatum, in sublimem extulit dignitatis gradum: præfecit enim omnibus imperij Babylonici D. prouinciis, magistratibúsque omnibus, quos obire solebant qui inter Babylonios esse credebantur maiori ingenio, atque doctrina præstantes.

49. *Daniel autem postulauit à rege; & constituit super opera prouinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago: ipse autem Daniel erat in foribus regis.*

49. Quin etiam Daniel impetrauit à Rege, vt tres alios socios Sidrach, Misach, & Abdenago, operibus publicis, & prouincialibus curis magistros, curatorésque præponeret; ipse verò neque à foribus palatij, neque à regio latere vsquam aberat.

Vers. 1. *In anno secundo regni Nabuchodonosor.*]

1. HIc hærent interpretum plerique, discruciántque se, dum quærunt, quomodo, quæ hoc narrantur capite, cum aliis, quæ antedicta sunt, conuenire possint. Et primùm non vident qua ratione, cùm priùs dicantur quatuor adolescentes triennium posuisse in addiscendis Chaldæorum disciplinis, ad annum scilicet quartum Nabuchodonosor: nunc anno secundo tradantur, & primùm cum reliquis E sapientibus occidi iussi, quasi ipsi forent ex Magorum, & Aruspicum numero, & postea Daniel Nabuchodonosori de somnio satisfecerit. Adde quòd cùm Nabuchodonosor iam antè didicisset decuplo Hebræos illos adolescentes esse aliis omnibus superiores, non videbatur cùm accersisset alios hos fuisse prætermissurus.

Ad hæc multi multa dicunt, & sanè variè. 2.
Communis sententia est, secundum hunc annum non esse à Nabuchodonosoris imperio; sed à

 prouin

Daniel non à regno, sed à Monarchia Nabuchodonosoris annos numerat.

prouinciis subactis, puta Ammonitarum, Idumæorum, Tyriorum, &c. quibus maiorem in modum amplificatum est Chaldæorum regnum, cùm verè Monarcha dici potuit. Ita Hieronymus ex Iosepho lib. 10. Ant. cap. 11. quem omnes fermè alij sequuntur; & sanè verè. Quia licèt ante hæc tempora, id est, vno, aut altero anno ante captum Ioacimum, & actum Danielem Babylonem Assyriorum imperium ad Chaldæos transtulerit Nabuchodonosor; nondum tamen eò prouexerat dominatum, vt non fuerint reliquæ Chaldæorum finibus adiunctæ prouinciæ, quæ ipsius iugum non subiissent. Quare imperator omnino appellari non poterat, donec Syriam, & Ægyptum, & prouincias alias proximas sibi subiecit; quibus Babylonici fermè imperij fines duplicauit. Ex eo, vt apparet, tempore imperij sui initium sumi voluit, ab eóque duci annorum ordinem. Exemplum adducit accommodatum Pereira Augusti Cæsaris, cuius imperij anni cùm numerari potuerint ab eo tempore, quo imperium iniit; tamen multi annorum ordinem deducunt ab Actiaca victoria, quando superato Antonio Romano imperio Ægyptum adiunxit. Sic etiam videtur voluisse Nabuchodonosor, vt ab eadem Ægypto subiugata duceretur annorum series, quia tunc magnus accesserat imperio cumulus, & quoddam tanti nominis quasi complementum. Hinc suspicor Danielem in primo capite posuisse potius annos Ioacimi, quàm Nabuchodonosoris; quia cùm nondum esset Ægyptus subacta, nondum erat statutum Babylonici imperij plenum exordium. Hoc verò capite imperij meminit, & eius anno secundo oblatum dixit Nabuchodonosori somnium; quia iam Ægypti dominus rerum potitus censeri potuit.

Quando Nabuchodonosor imperator.

3\. *Augusti imperium quando cœpit.*

4\. Hinc constat quomodo tertio anno, postquam quatuor adolescentes traditi sunt doctrinæ gratia Chaldæorum magistris, tentati fuerint à Rege, & inuenti reliquis decuplo doctiores. Nam si secundo anno regni Nabuchodonosoris iam Daniel sapientiæ suæ illustre illud documentum dederat; & omnibus prouinciis à Rege præfectus; cur postea examen subeundum doctrinæ? Constat enim cur quatuor pueri occidendi essent cum aliis quoque Chaldæorum sapientibus; quia multi iam anni transierant, atque ideo iam pridem ex ephebis excesserant, cùm à captiuitate, id est, à tertio anno Ioacimi ad debellatam Ægyptum anni plus viginti essent interiecti. Vt enim Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. anno quinto ab excisa Hierosolyma, Ægyptus, aliæque prouinciæ Chaldæorum finibus accesserunt. *Quinto*, inquit, *post excidium Hierosolymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimus tertius, cum magnis copiis Celem Syriam, qua subactâ bellum gessit contra Ammonitas, & Moabitas, & his quoque perdomitis, Ægyptum hostiliter est ingressus.*

5\. *Vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo.*] Quomodo Deus per somnium etiam infideles, atque improbos admonere soleat, docent Scripturæ sacræ documenta plurima. Sic admonitus Abimelech, vt vxorem redderet Abrahamo: sic Laban ne quo modo genero suo Iacobo esset molestus, & iniurius: sic Pharao de vbertate, sterilitateque temporis, & iterum postea Nabuchodosor c. 4. Cohorruit autem Rex, quia species illa, vt dicit postea Daniel vers. 31. terribilis erat; expergefactus autem speciem amisit, quam dormiens acceperat, non tamen excidit pauor ex horribili

Deus etiam impios per somnium admonet.

A spectro antè conceptus. Quare sollicitus de illius significatione omnem adhibet modum, quo illud in memoriam reuocet; & quid rerum tandem portendat, agnoscat.

Vers. 2. *Præcepit autem Rex, vt conuocarentur Arioli, & Magi*, &c.] Quæ sint hæc coniectandi, aut diuinandi genera, diximus cap. 1. à num. 22. neque hîc aliquid est noui, quod addamus. Obseruat hic Hieronymus Dei benignitatem, qui cum ingratum, & rebellem populum egisset in exilium; non tamen illum voluit à patrono, vindice, atque consolatore destitui: ideo mittit horribile spectrum dormienti Regi, cuius in eo nullam relinquit vmbram, neque cæcum vestigium, B vt dum illud indagaret, & exponeret Daniel, in illum eueheretur locum, & ordinem, in quo miseris posset esse perfugio. Quod planè assecutus videtur, cùm & ipse eo perfungeretur magistratu, in quo facile se barbarorum hominum conatibus opponeret; & tanti ingenij, atque sapientiæ admiratione insolentis Regis, ac feri mitesceret ingenium. 6.

Dei prouidentia in suos.

Vers. 4. *Responderunt Chaldæi Regi Syriacè.*] Ex omnibus Babylonici imperij prouinciis ad Regis imperium conuenere sapientes; & quia Rex ipse cognoscendi somnij auiditate omnes vndecumque coëgerat, & ipsi non inuiti eò conuolarant, vt aucti à Rege opibus, atque honoribus C redirent; aut saltem coram Rege, totaque curia doctrinæ suæ specimen præberent. Fuisse autem in Regis imperio linguas varias, docet vox illa præconis Dan. 3. quæ Regis nomine edicit his, qui regio suberant dominatui. *Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis.* Sed cùm ex illis tot linguis plurimi ad regium edictum conuenissent; electus est ex omnibus vnus, qui omnium nomine lingua Syriaca, id est, Chaldaica Regem alloqueretur, quia alias fortasse linguas ignorabat. Porrò, quia caput fermè totum colloquia continet inter sapientes & Regem; aut etiam Danielis colloquia, & somnij expositionem ad Regem: quæ omnia Chaldaico idiomate dicta sunt, ideo ex D hoc loco, ad finem vsque capitis, immò magna ex parte ad caput vsque octauum Propheta sermone vtitur Chaldaico. Ex hoc porrò loco satis constat eandem esse linguam Syriacam, atque Chaldaicam, quandoquidem quæ hoc loco dicta esse traduntur Syriacè, Chaldaicè, vt constat, scripta sunt. Et quidem Rapsaces Isaiæ cap. 37. v. 11. vtpote Chaldæus locuturus erat Chaldaicè; at Ezechiæ legati orant vt loquatur non Hebraice, sed Syriacè, id est, propria, atque Chaldaica lingua. An verò eadem olim fuerit lingua Syriaca, quæ nunc, alia ratio est. Sanè, vt cuilibet videre promptum est, inter Chaldaicam, & Syriacam linguam, quas nunc habemus, siue in re Grammatica, siue in dictionum varietate, ac flexu, magnum est discrimen. Vide Bellarminum E 1. tom. lib. 2. cap. 4. 7.

Magnus sapientum concursus.

Chaldaica lingua eadē quæ Syriaca.

Statueram omnino prætermittere, quæ hîc ab aliis notantur, tametsi admodum strictim, & confuse, de trium linguarum proprietate, atque vsu; quibus Scriptura olim sacra primùm scripta est. Sed cùm hic audiamus Syriacum, Chaldaicum, & Hebraicum aliquid, idque non rarò, non satisfecisse meo mihi muneri videbar, nisi de harum linguarum aut vsu, aut differentia aliquid adiungerem. Curabo tamen ne longiùs trahatur disputatio, quàm aut res ipsa poscit; aut patitur interpretis institutum. 8.

Primò ergo quæritur, An Chaldaica, atque Hebrai- 9.

Hebrai

Hebraica lingua ita inter se consentiant, vt omninò sint idem? Philo Iudæus, vt Hieronymus docet in 1. cap. Danielis, putabat Chaldaicam linguam eandem esse cum Hebraica; quia Abraham, cuius lingua Hebraica fuit, Chaldæus fuisse dicitur, egressus nempe de Vr Chaldæorum. Quam sententiam suprà confutat Hieronymus, & ex eo Pereira; quia si eadem Hebraica cum Chaldaica lingua, cur Dan. 1. quatuor Hebræi pueri linguam iubentur doceri Chaldaicam? Adde, quòd vt paulo antè dicebamus, Rapsaces Hebraica loquebatur lingua, & tamen Ezechiæ legati orant, vt vtatur Syriaca, id est, Chaldaica. Deinde Ieremias cap. 5. v. 15. dum Iudæis, qui lingua tunc loquebantur Hebraica, exilium minatur apud Chaldæos, ait, *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, domus Israel, ait Dominus: gentem robustam, gentem antiquam, gentem cuius ignorabis linguam, neque intelliges quid loquatur.* Neque Philonis ratio quicquam in oppositum premit. Nam vt Chaldaica olim lingua familiaris, & vernacula fuerit Abrahamo; at cùm diu in regione Chanaanitide vixerit, in qua vulgaris erat Hebraica, quis dubitet prioris aut deposuisse, aut obscurasse memoriam, & alienam necessariò didicisse, quia non iam ampliùs cum Chaldæis; cum Chananæis verò agendum erat momentis propè singulis. Quod verò Chananæi Hebraico vterentur idiomate, liquet ex Isaiæ cap. 18. v. 15. *In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan, & iurantes per Dominum exercituum.* Vbi lingua Chanaan illorum dicitur esse vernacula, qui verum Deum colunt, quæ planè Hebraica est.

Chaldaica ab Hebraica lingua diuersa contra Philonem.

Abraham Hebraicè locutus.

10. Sed demus hoc Philoni, & sanè gratis, Abrahamum vtpote natum, & diu commoratum in Chaldæa, Chaldaicè, aut, quod idem est, Syriacè fuisse locutum: an idcirco Abrahami longa posteritas, quæ populum constituit Israeliticũ, quæ nata est, versataque tanquam in propria sede in terra Chanaan, lingua loqueretur Chaldaica, quam nunquam audiebat? Sanè Iacob Chaldaicè non loquebatur, quando Genes. cap. 31. tumulum erexit, quem esse voluit testem percussi fœderis cum Laban, quem vocauit Iacob גלעד, id est, *Galaad*, quod sonat *aceruum testimonij:* Laban verò, qui Syrus erat, aut Chaldæus iuxta linguam suam יגר שהדותא *iegar sahaduta*. id est, *tumulum testis.* & addit interpres sacer, non tam de textu, quàm de suo, *vterque iuxta proprietatem linguæ suæ.* Constat autem alterum nomen Chaldaicum, vel Syriacum; alterum Hebraicum esse.

Item Iacob.

11. Quæritur secundò, an eadem sit Chaldaica lingua, atque Syriaca? Duo hîc tempora distinguo, alterum est, quod Iudæorum ab exilio reditum antecessit; & in eo non dubium quin Syriaca, atque Chaldaica lingua eadem fuerit; sic sentit hic Hieronymus, & in præfatione ad libros Regum statim in principio, & ex eo plures alij. Ad rationes, quas ad huius confirmationem adduximus suprà num. 7. adde quòd eam linguam doceri iubentur adolescentes quatuor, cùm iubentur doceri Chaldaicam, qua tunc vterentur, cùm starent in conspectu Regis; at, vt constat ex hoc loco, Syriacè Rex loquentes audiebat: nam sapientes, iuxta aulicam consuetudinem, locuti sunt cum Rege Syriacè. Ex quo efficitur non obscurè Syriacum idioma non esse alienum à Chaldaico. De hoc itaque tempore non puto esse cuiquam dubitandum. Cur verò Chaldaica lingua

Ante exiliũ eadẽ Syriaca, atque Chaldaica lingua.

A Syriaca vocetur, ea ratio est, quia Chaldæa pars est Syriæ, vt docet Mela lib. 1. cap. 11. de Syria, & Plinius lib. 5. cap. 12. Quomodo si quis Lusitanicam, & Valentinam linguam Hispanicam vocaret; quia duæ illæ prouinciæ partes sunt Hispaniæ.

Alterum tempus post reditum ab exilio; in quo Iudæi in patriam post longa tempora reuersi, linguam retulere neque purè Hebraicam, neque Chaldaicam omninò; sed tertiam aliam ex vtriusque corruptione compositam. Quod contingere quotidie videmus his, qui procul à patria peregrinis sermonibus assuescunt; qui neque vernaculæ meminere linguæ, nisi admodum B obscurè, atque imperfectè; neque alienam ita didicerunt, vt non in illa infantilem in modum balbutiant. Sic planè contigit Iudæis, qui septuaginta annorum exilio linguæ obliti sunt propriæ; neque perfectè didicerunt alienam: quare dici potuerunt vtriusque participes; aut fortasse veriùs expertes vtriusque. De hac lingua nemo dubitabit, quin fuerit à Chaldaica diuersa. An verò hæc ex duarum admixtione composita Hebraica dicenda sit, vel Syriaca, quæstio est non vulgaris, & ad res plurimas expediendas opportuna. 12.

Ab exilio corrupta lingua.

Sed priùs explorandum, an hæc lingua eo modo, quem diximus, corrupta locuti sint Hebræi ad tempus vsque Christi; & Christus ipse Do- C minus, & Apostoli tunc cùm scriptis cum absentibus; & sermone cum præsentibus agerent. Mihi dubium non est Iudæis à reditu vulgarem fuisse linguam illam, quam multarum linguarum confusio conflarat; atque ideo nemini dubium esse debet Christum, & Apostolos cum aliis egisse illo idiomate, quod esset tunc vulgare. Vt quid enim lingua vterentur obscura, cùm popularem turbam, & Hebraici sermonis in sua puritate rudem informarent? Quare plurimæ occurrunt in Euangeliis, totóque Testamento nouo voces, quæ non sunt tam Hebraicæ, quàm Syriacæ, quarum meminit, & è Syro fonte profectas dicit D Hieronymus tractatu de nominibus Hebraicis in Matthæo. Quales sunt *Acheldema, Barionah, Bethphage, Magdalena, Racha, Maranatha, Boanerges,* & aliæ de quibus statim. Hinc multi putant Euangelium Matthæi, & Epistolam ad Hebræos Syriaco potius, quàm Hebraico sermone fuisse conscripta; id est, eo sermone, qui tunc vulgaris erat, & aliarum linguarum confusione corruptus. Vide Salmeronem Prolegomeno 35. & Bellarminum 1. tom. lib. 2. cap. 4. 13.

Ab exilio ad tempus vsque Christi corrupta lingua vsi Iudæi.

Multæ voces Syriacæ in Euangelio.

Neque solùm Chaldaicis, siue Syriacis vocibus corruptum est Hebraicum idioma; sed etiam aliis peregrinis, & barbaris, quas ab aliis prouinciis contraxere, qui ex Hebræorum genere exu- E labant à patria, Persicis puta, Medicis, Arabicis, Græcis, & Latinis. Obseruant autem Hebraici sermonis non imperiti voces omnes, quæ plures tribus habent radicales, non esse Hebraicas, sed barbaras, & ab aliis potius ascitas quàm à Chaldæis. 14.

Lingua Hebraica post exilium ex variis linguis conflata.

Licèt lingua ex multiplici idiomate conflata à nonnullis Syriaca vocetur; tamen iuxta Scripturæ sacræ morem Hebraica dicenda est, quia Hebraica suam habuit in ea regione primam, atque diuturnam sedem: quare dici potuit corrupta potiùs ab alio idiomate peregrino, & barbaro; quàm barbarum aliud, ac peregrinum idioma corrupisse. Quare sibi antiquum nomen retinere debuit, quomodo aurum alterius metalli confu- 15.

Iudæorũ lingua licèt corrupta, Hebraica tamen appellatur.

confusione corruptum aurum appellatur. Et quidem habemus exemplum valde accommodatum Hispani: cùm enim linguam habeamus ex multarum linguarum admixtione conflatam; quia tamen ex omnibus Latina lingua corruptionem, ac mutationem subiit, illam vulgo *Romance* nominamus, Romanam nempe, siue Latinam.

16. *Syriaca voces cur in Euangelio dicantur Hebraica.* Hoc planè docet Scripturæ sacræ vsus, quæ Hebraicas vocat interdũ illas voces, quæ Chaldaicæ sine controuersia, aut Syriacæ sunt. Ioannes cap. 19. v. 17. *Exiuit in eum, qui dicitur Caluaris, locum, Hebraicè Golgotha.* & idem v. 13. *In loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabata.* & cap. 5. v. 2. *Est Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida.* Priores duas voces Hieronymus Syras esse dicit in nominibus Hebraicis in Matthæo; postremam Pagninus, & Salmeron Prolegom. 35. Chaldaicam esse putant. Vox etiam Armagedon peregrina videtur; at illa Hebraica esse dicitur Apoc. cap. 16. v. 16. Quomodo si Hispanus diceret *mastin, malsin, mazmorra, Zamarra*, esse voces Hispanicas: quia licèt sint origine Hebraicæ; Hispanicis tamen adhæserunt.

Quæ sequuntur scripta sunt Chaldaicè.

17. *Salutationis forma.* *Rex in sempiternum viue.*] Hinc iam incipit sermo Syriacus à salutatione, quæ videtur vulgaris fuisse, & quasi legitima Chaldæis, qua Regem suum, & alios, vt puto, Principes salutabant. Eisdem vsi sunt verbis sapientes, & proceres iterum cùm primùm Regem compellarent, infrà cap. 3. v. 9. & cap. 5. v. 10. cap. 6. v. 6. Hæc verò salutatio licèt immortalem Regi vitam precari videatur, quia id sonat vox *sempiternum*, existimo tamen hoc loco, sicut alibi sæpe diuturnitatem significare, neque aliud sibi velle, quàm, *ô Rex quàm diutissimè viue.* Hanc porrò salutationem communem quoque fuisse Israelitico populo, probat cap. 1. lib. 3. Reg. vbi populus, vindicante sibi Regnum Adonia, clamauit v. 27. *Viuat Rex Adonias.* & iterum vers. 39. *Viuat Rex Salomon.* & clariùs vers. 31. Bersabee ad Dauid, *Viuat Dominus meus Dauid in æternum.*

18. *Regula. Actio pro materia, vel obiecto.* Vers. 5. *Sermo recessit à me.*] Vsitatum est in Scriptura, vt sumatur actio pro actionis materia; siue, vt logici dicunt, actionis obiecto; quomodo *laus* pro re laudabili, *auditio* pro re subiecta auribus, *timor* pro re horribili, *visio* pro spectro. Sic etiam *sermo* pro sermonis materia. Quasi diceret Rex, excidit mihi ex memoria, quid vobis explorandum, aut coniectandum proponam, somnium videlicet, quod mihi sermonis, vobis autem diuinationis debuit esse materia.

19. *Publicari quid.* *Et domus vestræ publicabuntur.*] Publicari aliquid est priuatis aliquorum vsibus eripere, & regio fisco, seu publicis commodis ascribere. Idem etiam præcipit Darius Esdræ cap. 6. v. 12. *A me ergo positum est decretum, vt omnis homo, qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo: domus autem eius publicetur.* Vtroque loco est verbum Chaldaicum נול *naual*, quod in materia simili vulgatus reddidit *vastari* Dan. 3. v. 96. *Omnis populus, &c. dispereat, & domus eius vastetur.* *Domum in sterquilinium redigi quid.* Quocunque accipias modo, aliquid Rex minatur ignominiosum, & triste; quia vastitas, aut proscriptio domus, aut sparsi salis ignominia, aut quæuis alia turpitudinis nota, peccatum aliquod graue præcessisse indicat, quod publico illo supplicio mulctari debuerit. Hebræi-Chaldaicam vocem aliquid censent significare sordidum, ac vile, *sterquilinium* nempe, aut *latrinam*, quos sequuntur ex Recentioribus Pagninus, & Vatablus, quasi domus in sterquilinium redigendæ sint, aut in publicas foricas conuertendæ, quod etiam probat Bibliorum Regiorum Latina interpretatio. Neque longè abit Tigurina, quæ reddit, *Domúsque vestræ detestabiles reddentur.*

Priorem explicationem, quod necesse est, magis probo, quia magis est ad rerum naturam, Regumque, atque fori consuetudinem, quæ non tam damnatorum bona contaminat, ac perdit; quàm ad suos conuertit, aut publicos vsus, sed præcipuè quia ita habemus à vulgata. Si tamen cum Hebræis, aut hebraizantibus aliter legas; verba sunt non tam à prudentia, vel consilio, quàm ab offensione atque odio insolentis, atque indignati Regis, qui nihil minatur vulgare, ac leue, quod præstare potest potestas minor; sed aliquid horribile, ac in suo genere extremum: quale est lautam, ac splendidam domum in sterquilinium ac publicas foricas esse conuersam. Qui dicendi modus aliquid proculdubio prouerbiale sonat. quale est Latinorum in contrario sensu, quo vsus Cicero pro Planco, *arcem ex cloaca fecere*; esset prouerbium idem cum hoc Chaldaico, si dixisset, *ex arce fecere cloacam.* Scio apud Tullium in alium vsum adhiberi prouerbium. 20. *Prouerb. Domus in sterquilinium redacta.*

Vers. 8. *Certè noui quod tempus redimitis.*] Rogabant sapientes illi Chaldæi, vrgebántque Regem vt somnium proponeret; neque dicebant quicquam eorum, quæ Rex nosse studebat. Quod Rex ita interpretabatur, quasi vellent astu tempus extrahere, & mortis aut quærere, aut obtendere moras. Amisisse videbantur sapientes illi ex regio decreto quod reliquum erat vitæ tempus, quod iam æstimari poterat abalienatum, & quasi addictum regiæ potestati. Illud ergo redimere volunt verbis, dubiísque promissis, & quasi iam effugisset reuocare: sed planè frustrà, quia Rex neque somnij recordatur; neque quicquam remittit de seueritate decreti. In hunc sensum cadit optimè significatio verbi *redimo.* Cur verò moras interponerent sapientes, rationem reddit S. Thomas, vt interim Rex memoriam excuteret, & somnij sui speciem aduocaret: seu fortasse potiùs, vt aliò cogitationem diuerteret, & quemadmodum somnij, sic etiam decreti obliuisceretur. Aut, quod potiùs reor, vt deferuescente furore mitiùs de causa iudicaret; suúmque nimium præceps, in capitali sententia iudicium cohiberet. Tempus porrò redimere apud Paulum ad Ephesios 5. alium habet sensum longè dissimilem. 21. *Tempus redimi, quid.*

Vers. 9. *Si ergo somnium non indicaueritis mihi, vna est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem, & deceptione plenam composueritis.*] Ex eo coniectat Rex, neque omnino temere, Aruspicum, Astrologorúmque responsa fore meras nugas, & vana figmenta, si de somnio diuinare non possint. Nam cùm Rex speciem illam accepisset dormiens, quam à sapientibus reuocari studebat, facile ex superiori memoria nosse poterat, an, quæ nunc adducerent sapientes illi, vera essent: aliàs verò, an essent nugatoria, an vera, qui nosse poterat, cùm haberet nihil antè conceptum, ex quo illorum posset fidem expendere. Quare nisi somnium inuenerint, supplicium dicit illis esse subeundum; quasi impostores omnino sint, & fumos vendant. Illud porrò, *Vna est de vobis sententia*, sic interpretor, vt dicat Rex se iam obstinasse animo, vt illos perderet; quasi dicat, 22.

eadem quæ de vestro capite lata sententia est, constabit immota; quod decretum est semel, ratum erit semper, & firmum. Arbitror autem vnum hoc loco idem esse quod *semel*. Semel porrò significare consilium obstinatum, & firmum, quod consumat, quod definitum est, docuimus ad illud Ezech. cap.7. *Afflictio vna*, num.7. Quare

Semel pro omnino, & funditus. vsitatum est *semel* sumi pro omnino, ita vt necesse non sit quicquam vlterius addere. Virgil. lib. 11. Æneid.

——— ——— qui nequid tale timeret
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.

Et alius (Ouidius opinor) in epistolis,

——— ——— nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

Et in sacris est illud illustre Psal.88. v.36. *Semel iuraui in Sancto meo*, id est, irreuocabili decreto. & 1. Reg. cap.26. ait Abisai de Saul, *Perfodiam eum lancea in terra semel, & secundo opus non erit.* Hoc idem omnino dixisse videtur Chaldæorum Rex, definitum iam esse semel de Aruspicum capite supplicium, neque secundo opus esse decreto.

23\. *Dei in suos prouidentia.* Vers.10. *Non est homo super terram, qui sermonem tuum, Rex, possit implere.*] Hoc Chaldæorum responso, vt notauit hîc Hieronymus, consultum est Danielis honori, ac vitæ. Dum enim fatentur sapientes illi supra humanam facultatem esse Regis interrogationi satisfacere, idque ab vno Deo cognosci posse, planè docent habere à Deo Danielem aliquid, quod humana facultas nullo studio, atque solertia consequitur. Aperuit namque Regi, quod ipsi Diis tantùm concessum esse dicunt; ipsos tamen abesse longè à conuictu, & consuetudine mortalium. Neque enim solùm exposuit quid oblata Regi somnia portendant; sed etiam quod vni Deo notum dicebatur, quæ fuerit dormienti Regi species oblata.

24\. Vers.12. *Rex in furore, & in ira magna præcepit, vt perirent omnes sapientes Babylonis.*] Impostores putabat, & nugaces Nabuchodonosor illos, quos vulgus hominum appellabat sapientes. Cùm ad hanc cogitationem accederet furor ex cognoscendi somnij desperatione conceptus, temperare sibi non potuit, quin statim in illorum caput supplicium capitale distringeret. Neque illos tantùm, qui confessi fuerant suam inscitiam; sed totum etiam illorum ordinem aboleri voluit. Statuit enim diuinæ legis ignarus id, quod ex Israelitico genere quamplurimi Reges, quibus id à lege impositum fuerat, facere neglexerunt. Scriptum namque est Leuit.20.v.27. *Vir, siue mulier in quibus Pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur.* & iterum Deut.18.v.10. *Nec inueniatur in te, &c. qui obseruat somnia, atque augurem, nec sit maleficus, &c.*

Malefici, atque augures non permittendi.

25\. *REGVLA. Id fieri dicitur, quod proximum est, vt fiat.* Vers.13. *Et egressa sententia sapientes interficiebantur.*] Fortasse his verbis non significatur neci datos esse sapientes, & verba ipsa videntur indicare propriè sumpta; sed damnatos esse mortis, & ad supplicium capitale conquiri. Damnati quippe, quia proximè absunt à morte, pro mortuis censentur. Augustinus ideo putat à Marco cap.15. dici Christum hora tertia fuisse crucifixum, quia illa hora damnatus, & traditus Iudæorum voluntati, vt crucifigeretur. Sanè apud hunc Prophetam cap.13. cùm Susanna vidit damnari se, & propè iam esse, vt moreretur, ait: *Ecce morior, cùm nihil horum fecerim.* Idem dixerat antè Ionathas 1. Reg. cap.14. cùm tantùm esset regio edicto damnatus. Hæc mihi magis videntur cum toto textu cohærere; neque tamen video in contraria sententia quicquam esse difficile; statuat lector, vt volet.

Quærebanturque Daniel, & socij eius, vt perirent.] 26.
Quia Daniel, & tres alij pueri Chaldæorum disciplinis operam dederant, & non sine magno illius operæ successu, ac pretio; ipsi quoque rei existimati sunt mortis, & eo nomine ab immanis illius sententiæ ministro quærebantur. En quò tandem Principum furor, & gratia defluxit!

Vers.15. *Et interrogauit eum, qui à Rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia à facie Regis esset egressa.*] Ex his cõstat nõ venisse cũ aliis sapientibus Danielem, & socios, quãdo capitalis edicti causam ignorat. Cur autem non venerit, ea videtur esse ratio, quia cùm ille diuinatricem illam scientiam non faceret magni, neque ad sapientis nomen, & opes, quæ sperari à Rege poterant, aspiraret, noluit ad Regis edictum cum aliis concurrere, qui magnum aliquid à regia liberalitate sibi pollicebantur. Huc facit quòd sapientes illi non cogebantur, neque euocabantur singulatim sua nota, ac nomine; sed propositis præmiis conuocabantur. Quare cùm Daniel & tres alij socij neque regio compellerentur mandato, neque tangerentur vllo honorum, præmiorúmque desiderio, manere maluerunt occulti domi, quàm artis ostentare præstantiam, & cum aliis sapientiæ opinione tumentibus regium vultum subire. Neque vocati sunt à Rege, licèt de illorum ingenio fecissent antè periculum, inuenisséntque reliquis sapientibus decuplo doctiores: quia longo iam tempore illorum memoriam abiecisse poterat; & abiecisse existimaret illos Chaldæorum doctrinam, quam antè didicerant, cùm nulla in eo genere documenta dedissent; neque postea, dum æstuaret animus furore, veniret in mentem quid olim in illis aut artis, aut ingenij deprehendisset. 27. *Cur Daniel cum aliis sapientibus non adfuit.*

Vers.16. *Daniel ingressus rogauit Regem, vt tempus daret sibi ad solutionem.*] Ex his constat Danielem non excessisse Babylone, neque ex aula regia, in quam iam olim fuerat admissus, quando accepta ab Arioch indignationis, ac capitalis decreti causa, è vestigio Regem adiit, spatiúmque quæsiuit neque ita longum, vt ipsius voto satisfaciat. Neque inde egressus est, vt vidimus cap.1. in fine, quandiu durauit Chaldæorum imperium, id est, ad tempus vsque Cyri. 28.

Vers.17. *Et ingressus est domum suam, Ananiæque, &c. indicauit negotium.*] Quam hîc appellat domum, fuisse suspicor intra regiæ basilicæ complexum: qui enim in conspectu sunt Principum, ab illius domo longiùs habitare non solent. Neque tamen durum videtur, aut insolens, si in domo Regiæ proxima habitasse dicantur; quia domus proximæ ad varia Regum, & Principum ministeria deseruiunt. Eò igitur ingressus Daniel admonuit socios, quo in statu res esset, quomodo iam penè actum erat de suo capite; neque adhuc res esset soluta. Quare incumbendum esse diligenter in preces, orandúmque à Deo vt somnij interpretationem, & aliquam viam ad salutem ostendat. 29.

Vers.18. *A facie Dei cœli super sacramento isto.*] 30.
A facie Dei, idem est, quod *à Deo*, ex Hebraico, atque Chaldaico idiomate: sicut etiam proximè sententia dicitur egressa à facie Regis, id est, à Rege. *Sacramentum* cùm multa alia significet, hîc tamen idem est, quod Græcè *μυστήριον*, aliquid nimirum occultum, & arcanum, quod ænigmatum, aut symbolorum integumentis inuoluitur. *Sacramentum quid.*

Sanè

Sanè quod hîc *Sacramentum*, statim v.19. mysterium appellatur: huius ergo sacramenti, seu mysterij offerri sibi illustrationem orat Propheta, & vt alij orent, instanter hortatur.

31. Vers.19. *Tunc Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum est.*] Non diu Dominus anxios esse voluit seruorum suorum animos, aut illorum expectationem diu teneri suspensam. Nocte etenim proxima, cùm illi, qui se prolixæ orationi dederant, somno se aliquantulum dedissent; aut fessis potiùs, & ex sollicitudine mœstis somnus obrepsisset, statim Deus ostendit Danieli, & quid per quietem oblatum est Regi, & quid species illa typica, atque arcana portenderet. Videtur autem non improbabile idem apparuisse spectrum Danieli, quod antea Regi; sed successu, ac modo longè diuerso. Neque enim species excessit ex animo, sed hæsit diuturna; & cum specie obscura, & vehementer implexa affulsit quoque lux quædam prophetica, quæ singula illustraret; & rerum euentus, quæ inuolutis tegebantur, & vmbris, aperiret. Illud enim est mysterium per visionem reuelatum esse; vtrumque videlicet, & quod esset somnium, & quæ somnij vera, ac certa solutio.

32. Vers.20. *Sit nomen Domini benedictum à sæculo, & vsque in sæcula, quia sapientia, & fortitudo eius sunt.*] Duo in spectro, & luce simul affulgente prophetica cognouerat Daniel; & Deum esse sapientissimum, qui futuras nosset Regnorum vicissitudines, & in spectro illo multiplici, ac vario illas designasset; & quod quæ futura significaret, potens esset implere. Atque ideo clamat laudandam esse Domini sapientiam, qui futura nosset; & fortitudinem, cui nulla posset resistere potentia, quo minus fieret tanta rerum, regnorúmque conuersio. Nisi mauis ideo laudari Dei potentiam, quia regna mutat, & imperia: & sapientia, quia ab illo habent sapientes, vt sapiant, & intelligentes, vt intelligant. Neque enim vlla scientia est à fallacia, seu errore libera, nisi quæ à Deo est, qualem tunc accepit Daniel in visione, neque vlla potentia, quando contra stat diuina manus, ac fortitudo. Et hæc mihi potiora sunt; quia, quæ sequuntur proximè, non obscurè docent.

33. *Deo omnia subiecta.* Vers.21. *Ipse mutat tempora, & ætates, transfert Regna, atque constituit.*] Hæc accipi figuratè possunt, ac propriè, & quocumque accipias modo quàm verissima sunt. Mutat enim Dominus tempora, quia facit vt nocti dies, & vt hyemi succedat æstas; & mutat ætates, quia interdum addit, interdum detrahit vitæ tempus; & alia aliis ætatibus rerum discrimina decernit. Sed credo hîc orationem esse figuratam, & per metonymiam *tempora*, & *ætates* sumi pro his, quæ variis ætatibus, ac temporibus fiunt. Qualia sunt, quæ in visione nocturna; & in statua ex tot metallorum confusione conflata cognouit Daniel, imperiorum nempe mutationes, rerum vicissitudines, & quæ deinde toto capite pluribus exponit. Hæc porrò Daniel aut meditatur tacitus, aut loquitur secum, quasi admirans Dei occulta consilia, & omnipotentem fortitudinem, propter quæ suprà diuini nominis laudes prædicabat.

34. *Deo nihil absconditũ.* Vers.22. *Ipse reuelat profunda, & abscondita.*] Hæc accomodatè ad præsens institutum, ad illa nimirum, quæ nocte illa Prophetæ reuelata sunt. Erant autem abscondita, atque profunda; quia illorum coniecturam, aut signum vllum certum habere potuit nemo mortalium; aut in illorum venire cognitionem; sicut neque illa, quæ ingens

A terræ profunditas celat, vlla potest scrutari, aut odorari hominum solertia. Vt enim homo in superiorum ætatum mutationes intentus, conicctat facile nihil esse tam firmum, quod non aliquando veterascat, & corruat; at quo successu, ac modo, quibus, vt ita dicam, momentis, circumstantiisque leuissimis; quales hoc loco Propheta proponit, res est omninò supra naturæ vires, & omnem humanam intelligentiam. Vnus est Deus qui profunda hæc, atque abscondita reuelare possit.

Et nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est.] 35.
Nulla est tanta moles, nulla tanta profunditas, quæ rerum prospectum diuinis oculis eripiat. B Non est vlla tam densa caligo, quam diuini luminis splendor non illustrat, & instar sit Deo fulgentissimæ lucis. De quo Psal.138. *Quia tenebræ non obscurabuntur à te; & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Ac si dicat, quæ in tenebris fiunt, ita clarè cernis, atque si in aperto fierent, & sub meridiana luce. Illud verò *&*, caussalis est potius, quàm copulatiua particula, & tunc hic est sensus: Nouit Deus quæ in tenebris sunt, quia ipse secum affert, quo tenebras illustrat; immò ipse lux quædam est, quo cum nullæ possunt esse tenebræ.

Vers.24. *Post hæc Daniel ingressus est ad Arioch, quem constituerat Rex, vt perderet sapientes.*] Arioch 36. *Militibus olim capitalis supplicij executio commissa.*
C iste videtur fuisse militiæ princeps, qui Chaldaicè Princeps interficientium appellatur. Executio verò capitalis supplicij militibus olim committebatur. Sic Salomon 3.Reg.cap.2. præcepit Bonaiæ, vt damnatum iam morte occideret Ioab, & eodem capite iterum Adoniam. Sic Saul emissariis suis, nempe militibus præcepit 1. Reg.22.v.27. vt Sacerdotes, quos morti destinarat, occiderent. Et est exemplum optimum in Christo Domino, quem Romani milites in crucem egerunt. Sic Achior, ciúsque cohortibus id datum est negotij quasi lictores essent, vt iuxta regium decretum sapientes illos Chaldæorum neci dederent.

D *Sapientes Babylonis ne perdas; introduc me in conspectum Regis.*] 37.
Non necesse habuit Daniel Achioris auctoritate, & gratia, vt ad Regis conspectum introduceretur, quando ipse solus, quo tempore Regis furor magis æstuabat, ingressus est. Neque enim timebat ne repelleretur, cùm somnij solutionem promisisset, quod Regi maximè erat in votis. Eo autem vsus videtur artificio, vt à cæde, quam iam sapientibus moliebatur, retardaret Achiorem, & aliquid moræ, dum introduceretur ad Regem, interponeret. Eo consilio orat, vt vindicem manum à cęde temperet; futurum sperans, vt placato Rege omne à sapientibus periculum auerteret.

Mysterium quod Rex interrogat sapientes, Magi, &c. nequeunt indicare Regi.] 38.
E Duo videtur hîc spectasse Daniel: alterum, vt ostendat Regi verum esse Deum, quem ipse colebat, vt ad eius religionem, & obseruantiam regium pectus inflecteret, cuius oculis nihil foret occultum; quod planè, vt ex fine capitis constat, consecutus est. Alterum, vt leniret Regem, & à consilio pleno barbaræ crudelitatis abduceret, cùm sciret se ab hominibus exquirere, quod humanæ solertiæ, atque sapientiæ negatum est; & vni tantùm vero Deo concessum. Porrò illud *Regi*, quod in fine ponitur pro *tibi*, adhibetur iuxta Scripturæ sacræ consuetudinem, quæ antecedens sæpe pro relatiuo vsurpat. Quomodo paulo antè dixit, *Daniel ingressus* REGVLA. *Antecedens pro relatiuo.*

sius rogauit Regem, vt tempus daret sibi ad solutionem indicandam Regi, id est, *illi*. Sexcenta huiusmodi occurrent exempla.

39. Vers.28. *Sed est Deus in cœlo reuelans mysteria.*] Quicquid in ea reuelatione honoris est, id eripit sibi, & vero Deo attribuit, qui in cœlis est, cui nihil est obscurum, & clausum; à quo ipse accepit, quod nullo modo nosse potuisset ab alio. Significat verò ad eam rem à Chaldæorum doctrina nihil se habuisse subsidij; cùm tamen in ipsis doctrinæ rudimentis, tertio nempe anno, postquam Mathematicis, atque Auguralibus studiis operam dedisset, ipsis etiam magistris foret decuplo sapientior.

Sapientia à Deo.

40. *Qui indicauit tibi Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus.*] Sensim Propheta in Nabuchodonosoris animum illabitur, vt antiquam religionem contemnat; & veram amplectatur, cùm à diis, quos colebant iam olim Babylonij, nihil obtinuerint, obtinuerive potuerint Arioli, Magi, Malefici, quibus cum diis illis, seu dæmonibus familiaritas fuit, & consuetudo. A quibus, quo tempore de ipsorum agebatur capite, nihil ad declinandam cædem habuere præsidij, & ab vno Deo, quem colebat, Daniel somnij interpretationem acceperit. Ita hîc Hieronymus cum Theodoreto.

41. Nouissima tempora illa putat in prima expositione Hieronymus, & cum eo Maldonatus, & Hugo quæ ad finem vsque sæculi producentur, ad quem nempe Christi extenditur imperium, de quo statim vers.44. Et hoc fortasse verius. Sed neque improbabile videtur, quod secundo loco censet Hieronymus, nouissimum nempe tempus illud esse, quod designat statuæ lapsus ab exiguo lapide contritæ. Neque enim semper ex Scripturæ vsu *illud nouissimum* appellatur, quod extremum est omnium; sed interdū quod post aliud aliquando futurum, vt pluribus ostēdimus in nostris commentariis super Acta c.2. v.36. vbi hunc Danielis locum explicuimus. Quomodo quod Ioel cap.2. v.28. *Et erit post hac effundam spiritum meum.* Petrus Actor.2.v.17. exponit, *Et erit in nouissimis diebus.* Quòd verò in hunc etiam sensum accipiendus hic locus, duo aut probant, aut indicant. Alterum, quia multa sunt ostensa Regi, quæ non contigere in extremo sæculorum, vt quæ de Persarum, ac Græcorum imperio prædicuntur. Deinde quia hoc videtur Propheta significasse, cùm dixit, *Tu Rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc.* id est, in nouissimis temporibus; id enim significatum est Regi, quod ipse cognoscere studebat. Et clariùs statim vers.30. *Vt interpretatio Regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires.*

REGVLA. *Nouissimum non semper illud, quod postremum, sed aliquando quod post aliud.*

42. *Et qui reuelat mysteria, ostendit tibi.*] Iterat Propheta, quod de Domino paulo antè dixerat, quòd ille solus & nosset occulta, & mysteria reuelaret; quo ad veri Dei obseruantiam, & religionem regium pectus afficeret. Videbat enim illi in votis esse aut præsagire, aut audire futura; quod cùm ab vno tantùm Deo impetrare posset, non erat à bona coniectura alienum, quin illi, Diis aliis repudiatis, diuinos honores esset habiturus. Atque ideo Regem admonet, vt acceptum referat Deo, quod futuros longa post tempora successus esset cogniturus. Quod statim eodem, credo, consilio adhuc magis explicare pergit, dum dicit sibi ideo inspiratum à Deo, & occultum, illud mysterium reseratum, vt, quod Regi tam erat in votis, assequeretur.

A *Sacramentum, inquit, hoc reuelatum est, vt interpretatio Regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires.*

43. Vers.29. *Tu Rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te.*] Incipit aperire somnium, quod ex Regis memoria prorsus exciderat, & describere statuam verbis vsque adeò apertis, rebúsque singulis, etiam minutissimis adeò expressis significater, ac planè; vt de narrationis fide Rex renouata memoria dubitare non debuerit. Neque nos aptiùs explicare possumus, quàm ab ipso Propheta res est exposita. Illud hîc obseruandum, quod Chaldæorum, credo, idiomati familiare est, immensam statuæ proceritatem, B repetita ter eadem voce; aut certè synonyma fuisse significatam. Neque tribus his vocibus, vt apparet, plus re tantùm vna subiectum est, *statua magna, statua grandis, statura sublimis.* Sic cùm amplissimum ostenditur hoc ipsum imperium, & multis prouinciis abundans Esther cap. 8. v.9. triplicato prouinciarum nomine significatur. Vbi enim vulgatus legit, centum viginti septem prouinciis, textus Hebraicus ter repetito nomine legit, *Prouinciam, prouinciā, prouinciam.* Et Apoc. cap.8. ter geminato *væ*, grauis significatur dolendi causa, *Væ, væ, væ habitantibus in terra.*

REGVLA. *Ternarius numerus est epitasis.*

44. Vers.31. *Et intuitus eius erat terribilis.*] *Terribilis, horribilis*, & similia non semper id valent, C quod timorem incutit, & malorum expectatione animum turbat, & ægrè afficit: sed interdum, idque non raro, quod stuporem affert, & admirationem propter pulcritudinem, artificiū, aut speciem aliquam inusitatam, & variam; qualis fuit hæc, quæ Nabuchodonosori per quietem oblata est. Et quidem quod *horror, timor, horrendum*, & similia, magnum aliquid sonet, & admirabile, non profanorum solùm, sed etiam sacrorum Scriptorum exempla confirmant. Id docet Seruius ad illud Virgilij Æneid.1.

—horrentique atro nemus imminet vmbra.

Et Lucanus,

Arboribus suus horror inest.

Terribile, horribile, & similia admirationem valent quacumque ex causa.

45. D E sacris est illud Lucæ 7. vbi suscitato filio viduæ, statim dicitur, *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum.* Et Lucæ 1. nato Ioanne, *Factus est timor super omnes vicinos.* & Matth.cap.9. sanato paralytico, *Videntes turbæ timuerunt.* Græcè est ἐθαύμασαν, id est, *admiratæ sunt.* Sed est mihi probabilius spectrum illud, non tam admirationem, quàm pauorem, & horripilationem attulisse Regi, quod statim in principio capitis satis ostenditur. Viso etenim somnio de Rege dicitur, *Conterritus est spiritus eius.* Nec poterat esse statua non horribilis, quæ tot regnorum casum, aut constitutionem ostenderet, cùm vtrumque fiat non sine sanguine, & armorum strepitu. Deinde E quia tanta moles exigui lapidis allisione collapsa, non poterat non speciem formidabilem obiicere, ad cuius adspectum regius animus tantopere cohorrescere potuerit. Ad hæc credo minacem fuisse spectri vultum quem in se intentum Rex ipse intueri videbatur.

46. Vers.33. *Pedum quædam pars erat ferrea; pars autem fictilis.*] Cætera, quæ ad statuæ formam spectant, obscura non sunt: hæc postrema aliquid habent, quod explorare oportet. Et primū dubiū est, vtrùm pedes, qui ferreis tibiis innitūtur, partim sint è ferro solido, ac puro; partim ex solido, ac puro luto: vel certè ex luti, ferríque commixtione, ita vt natura duæ tertiam aliquā massam componant, ex qua pedes, digitíque fiant.

47\. Iosephus apertè hîc errat, aut inconsideratè, aut consilio dum in componenda statua luteæ materiæ, seu testaceæ non meminit. Consultò dixi nullam factam luti à Iosepho mentionem; quia cùm Romanorum tempore historiam illam sacram conscripserit, quam non ignorabat venturam esse ad Romanorum manus, quorum imperium in tibiis, pedibúsque ferreis adumbratur: & à quibus aliquid mire cupiebat gratiæ; à ferro, quod non facilè domatur, lutum remouit, ne quid in Romanorum nomine audiretur aut infirmum, aut vile.

Iosephi error dū Romanis assētatur.

48\. Sunt qui putent lutum à ferro in pedum, digitorúmque compositione non esse diuisum; sed cum illo confusum, atque commixtum fingendis pedibus, ac formandis digitis præbuisse materiam. Ita indicant Theodoretus, & Maldonatus; reliqui interpretes obscurè loquuntur; neque ex illorum verbis potius hoc, quàm illud coniectare possis. Tantùm, quod ego viderim, Dionysius, & Lyra, & obscurè Pereira dum adducit, & probat Hieronymi sententiam, quam tamen ego apud Hieronymum non inuenio, dicunt ferreos esse pedes, & ex illis digitos erumpere partim ex ferri, partim ex luti solida materia. Quam ego sententiam omnino probo; quia & magis est ad textum, & rerum naturæ magis accommodata.

49\. Et in hanc sententiam pronior est textus, *Pedum quedam pars erat ferrea, pars autem fictilis.* Vbi partes duæ videntur esse diuersæ, quarum altera e ferro puro; altera è puro luto videtur esse formata. Deinde quia ex ferro, ac luto nulla fieri potest compositio, vt ipse Daniel docuit vers. 43. *Sicut ferrum misceri non potest testa.* Et id satis indicat *plantarij* nomen, quod habes versu 41. Vt enim de plantario erumpunt, aut plantæ, aut rami; sic etiā ex pede, qui quoddam quasi plantarium, aut stirps est, pullulant digiti tanquam rami, aut plantæ nouellæ, ac teneræ. Quod constabit magis, cùm ad pedum, digitorúmque interpretationem ventum fuerit.

50\. Vers. 34. *Videbas ita donec abscissus est lapis de monte sine manibus.*] Spectauit horribilem illam statuā Nabuchodonosor quandiu stare visa est. Stetit autem tandiu, donec exiguus quidam lapis sine vi cuiusquam, aut artificio; sed vltrò abscissus est, aut solutus è monte, & in testaceos pedes, tanquam in vastæ illius molis fundamentum impactus, sic illam dissoluit, atque comminuit, vt nihil ex illa reliquum fuerit. Quis sit ille lapis tam exiguus, vt sine alicuius manibus à mōte ceciderit, tam potens, vt tantam, támque duram molem temporis momento comminuerit, dicemus postea. Nunc illud necessariò dicendum, antequam ad mysticam explicationem, quæ hoc loco etiam literalis est, quid sit lapidem abscissum esse sine manibus. Auctores hic satis ieiuni, ac parci; ergo ne nihil dicam, existimo hoc dicendi modo significari pertenuem lapillum, qualis sine vlla vi, aut ferramento hominum à fastigio montis ad ima deuoluitur, quem è loco mouere solet vel ipsa aura si paulo sit incitatior. Nam saxa grandia grandi etiam indigent nixu, & latomorum vectibus, vt è lapidicinis excisa è sua sede longiùs impellantur. Porrò sine manibus id fieri dicitur, à quo omnis ars abest, & omnis industria. Sic Isaiæ cap. 45. v. 9. *Numquid dicit lutum figulo suo, quid facis? & opus tuum absque manibus est.* Quæ verba impolitum significant opus, cuíque nulla accessit artificis industria.

Lapis abscissus sine manibus exiguum aliquid sonat, atque despectum.

51\. *Et percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus.*] Pes dicitur quicquid ab ima tibia est ad digitos vsque summos: quare pedes vocari possunt fictiles, & ferrei, quia secundùm partem aliquam è ferro sunt, puro nempe ac solido; secundùm aliam è fictili materia. Quomodo aliquid argenteum dicimus, & aureum, quia partem habet auri, & partem argenti: & quidem per synecdochen argentum appellamus, in quo aliquid est argenti; sicut album, in quo candoris aliquid est, licèt alij etiam colores misceantur.

52\. Vers. 35. *Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, as, &c.*] Ea fuit vis scrupi, seu lapilli, quem aura tenuis excussit è monte, vt non lutum solùm; sed etiam metalla contuderit, eóque redegerit, quò stipulæ in æstiua area rediguntur à flamma, quæ neque incendio resistunt, quo minùs soluantur in fauillas; neque perflanti auræ, quo minùs vanescant in ventum.

53\. *Nullúsque locus inuentus est eis.*] Hypallage vsitata, pro illa nempe metalla à lapide contrita, nullo iam ampliùs inuenta sunt in loco. Simili dicendi modo, & in materia non admodum dissimili, dicitur Psal. 82. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani; transiui, & ecce non erat; quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.*

Hypallage in hoc dicendi modo. nō est inuentus locus eius.

54\. *Lapis autem qui percussit statuam, factus est mons magnus.*] Hoc planè admirabile, quòd scrupus ille tantulus in tantam molem excreuerit incremento subito; vt instar habuerit montis; immò & terram totam immensis exporrectam spatiis occupauerit: multo sanè latiùs dominatus, quàm imperia illa deiecta; quæ ingens illa, atque horribilis species adumbrabat. De hoc nos postea multa necessariò.

55\. Vers. 36. *Hoc est somnium.*] Excitauit Regis memoriam, vt somnium recognosceret, quod exciderat prorsus. Neque iam dubitare poterat, quin reliqua, quæ deinceps auditurus erat, pondus haberent indubitatæ fidei. Quare vbi iam Rex paratum habet, atque dispositum animum ad illa, quæ audire tantopere studebat, hieroglyphici somnij interpretationem aggreditur.

56\. Hic verò obseruandum antequam singulas statuæ partes exploremus, communem esse, ac veram interpretum sententiam; qui statuunt quatuor celeberrima totius orbis imperia in hac statua hieroglyphica portendi, ad tempus vsque Christi, cuius sempiternum imperium in lapide, qui ex tantula mole orbem totum impleuerat, expressum est. Quòd enim alia regna in ea statua comprehensa non sint, illud argumento est, quòd plura metalla non sunt, quæ varia Regum, ac regnorum ingenia, aut durationem ostendant. Neque illa aureo capiti succedant, imperio nempe Babylonico; sicut capiti pectus; & huic venter, & femora; & his tibiæ, ac pedes ordine succedunt. Adde quòd statua tunc est obiecta Regi, quando ille quid post se futurum esset, cogitabat, in suo videlicet imperio, illísque populis, quibus ipse latè dominabatur. Neque enim erat, cur esset de aliorum regnorum, ac gētium siue statu, siue mutatione sollicitus. Cuius Deus respondet votis, ostendítque illo obscuro, & prodigioso portento quinam post se & rerum potirentur; & in eisdem dominarētur locis, quæ tunc ipse occupabat imperio. Omnes verò quorum in spectro exprimebatur effigies, tam Babyloniam, quàm regiones ditioni subiectas Babylonicæ imperio tenuerunt. De Dario, ac Cyro, & deinde de Alexandro Macedone res est certa.

Imperia in statua adūbrata vsque ad Christū.

Babylon fatalis imperij sedes.

De Romanorum dominatu dicemus suo tempore pluribus. De Regno Christi, ad quod maxime pertinuit tota visio, impium est dubitare. Quare ad quatuor hæc capita conferenda sunt, quæcumque typica hæc imago portendit.

57. *Humana potentia instabilitas, & vanitas.* Neque credo id solum spectasse horribilem hanc statuam, & ex materia partim pretiosa, partim dura, atque indomita compositam, vt futuras imperij mutationes ostenderet: sed id etiam, vt quanta sit rerum humanarum futilitas, Rex ille arrogantissimus agnosceret; & in illo spem esse collocandam, cuius futurum esset sempiternum imperium. Ita Maldonatus. Sanè statua illa, si molem spectes, prodigiosè erat, ac colossæ magnitudinis; si materiam, aurea erat, & argentea, ex pretioso videlicet metallo; ærea item, & ferrea, quæ non facile domatur, ac frangitur. Sed huius tantæ molis, támque ad aspectum præclaræ, basis erat, seu fundamentum ex luto; quare exigui lapidis allisu comminuta est, & in fauillas redacta, non aliter atque æstiuæ stipulæ ab incendio. Est quidem humana gloria non solida, ac diuturna; sed omnino phantastica, quæ instar est vmbræ, cuius incrementum inclinationis est initium, & tanquam somnium, quod vanescit statim, neque vllum relinquit adhuc in hominis cogitatione vestigium. En tibi magnus, & ambitiosus imperator, qui cùm tam sibi in sui imperij magnitudine placeat; ipse tamen suiipsius imperij non recordatur. Quid speremus facturos esse alienos?

58. REGVLA. *Rex Regum, & similia supremum aliquid sonans.* Vers. 37. *Tu Rex Regum es.*] Rex Regum ille dicitur, qui Regum omnium potentissimus est, tam ex Hebraico, quàm Chaldaico idiomate: quomodo Canticum canticorum vocatur, quod canticorum omnium nobilissimum est; Sanctum Sanctorum, quæ res alias sanctas sanctitate, ac religione superant. Quomodo etiam Christus Apocalyps. cap. 19. vers. 16. inscriptum gerebat in femore, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Hoc, opinor, sensu dictus est Nabuchodonosor *Rex Regum*; & hoc fortasse nomine salutabatur tam à suis, quàm ab externis. Et quidem non sine causa, quia inter Reges nullus erat eo tempore potentior, maximè post subiugatam Syriam, deuictam Ægyptum, & prouincias alias Chaldæorum viribus adiunctas.

59. *Nabuchodonosor plures Reges habuit sibi subiectos.* Sed si Regem Regum ideo appellari putes, quia Reges habet alios suæ potestati subiectos, sanè non aberraueris à vero: habuit enim sub se Reges alios, aut qui confœderati essent, & tributa penderent; quales fuerunt, qui paulo antè regnarunt Hierosolymæ; aut qui eo tempore captiui Babylone tenebantur. Reges nempe Tyri, Ægypti, Idumææ, Moabitarum, & Ammonitarum, quorum regiones ante hoc tempus bello domuerat. Reges porrò regionum illarum fuisse captiuos, indicat Ieremias cap. 25. & 27. Quòd verò apud Regem Babylone fuerint Reges, siue captiui, siue subditi, aut fœderati, constat ex lib. 4. Reg. cap. 25. v. 28. vbi Euilmerodach, qui patri Nabuchodonosori successit, eduxisse traditur Iechoniam è carcere & posuisse thronum eius *super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone.*

60. *Et Deus cæli regnum, & fortitudinem, &c. dedit tibi.*] Illud & rationalem opinor esse particulam, qua vsus est Propheta, vt regios spiritus

A insanos, & insolentes deprimeret; cùm non suis viribus aut auspiciis latos imperij fines obtinuerit; sed à Deo acceperit. Norat, credo, Propheta quàm seipsum amaret; quantum suæ potentiæ, atque sapientiæ arrogaret Rex ille vs- *Nabuchodonosoris arrogantia.* que ad insaniam, & stuporem inflatus: quorum, non dubium, documentum dedit, cùm adorari se voluit in aurea statua tantæ magnitudinis, quantam inesse sibi aut meditabatur, aut optabat. Et cùm iterum cap. 4. v. 27. sibiipsi stultè blanditus dicebat, *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Vult itaque Propheta sanctus ab illa insana cogitatione Regem B reiicere, & acceptum referre Dei benignitati, quod splendeat, & imperet.

Vers. 38. *Et omnia, in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri, volucres quoque cæli dedit in manu tua.*] Aut hìc hyperbole est in Scriptura frequens; qualis illa est Gen. 22. cùm dicitur Abrahæ semen instar arenæ maris fore multiplicandum; & 3. Reg. cap. 10. tantum esse argenti, atque auri in Ierusalem Salomonis tempore, quantum lapidum, & hoc fortasse verius; aut certè insana Regum ambitio ea sibi tribuebat, quasi eo nomine diuinos sibi honores deposceret, aut nimium obsequentis adulatio vulgi id apertè de suo principe prædicabat. Neque sanè mirandum, si hæc de se Rex ille tam superbè sentiret, cùm in Deorum numero censeri voluerit; cóque studio auream excitauerit statuam, quam illustri loco populis adorandum proposuit. A quo idem didicit Balthasar nepos, qui vt imperium ab auo; sic etiam insanos illos spiritus accepit. De quo Isai. cap. 14. *Corruisti in terram qui vulnerabas Gentes, qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo.* Et alius Nabuchodonosor, quicumque ille fuit, Iudith c. 3. v. 13. præcepit Holopherni, *vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet, vt ipse solus diceretur Deus.* Ex hac ergo cogitatione sibi ambitiosus ille, & stolidus princeps persuaserat omnia potestati suæ fuisse subiecta. Neque est incredibile, aut alienum ab ambitiosa illa Principis insania, quod in mandatis, edictis, & epistolis hos sibi inanes titulos assumpserit. Quomodo nunc Principes regnorum, quibus dominantur, titulos præfigunt, & interdum alienos. Sic sanè Sapor Persarum Rex, vt auctor est Ammianus Marcellinus lib. 7. cùm ad Constantium Imperatorem scriberet, hæc præponit epistolæ, *Rex Regum Sapor, particeps syderum, & frater Solis, & Lunæ, Constantio fratri meo salutem.* Nisi mauis hoc dicendi modo ex Chaldæorum vsu summam significari potestatem, modo, vt suprà dicebamus, hyperbolico. Quò videtur allusum infrà cap. 4. dum sub arbore, in qua Nabuchodonosoris exprimebatur potestas, consedisse dicuntur omnes bestiæ agri, & in ramis eius commoratæ volucres, & ex ea carpi solitum, quo vesceretur omnis caro. Quod si ita est, hanc commodè videor instituere sententiam. Si verum est, quod tu tibi arrogas, ô Rex, aut quod tibi adscribit assentatoria subditorum salutatio; quòd omnes bestiæ, ac volucres, atque vniuersa alia in tua fuerint potestate; id tibi à Dei liberalitate concessum est, quæ in eius honorem, si sapis, referre debes.

61. REGVLA. *Hyperbole in Scriptura vsitata.*

Chaldæorum Reges diuinos sibi honores deposcebant.

62. *Saporis Regis insolentia, & stupor.*

C D E

Imperium Chaldæorũ cur in aureo capite significatum.

63. *Tu es ergo caput aureum.*] Iam singulatim explicare aggreditur singulas statuæ partes, easque imperiis, quæ ad tempus vsque Christi summam rerum tenuisse existimata sunt, accommodare. Cur in capite imperium intelligatur Babylonicum, non est coniectare difficile; quia aut illud idem fuit cum Assyrio, vt sentiunt plerique, & fortasse verè; Assyrium verò antiquissimum fuit: sed etiamsi Babylonicum diuersum statuamus ab Assyrio, nihilominus caput est, id est, primum, si cum aliis conferas, quæ deinde consecuta sunt. Cùm enim de futuris esset hoc statuæ portentum, ad vota Regis, qui cogitabat *quid esset futurum post hæc,* nihil intererat quæ, aut qualia antecessissent imperia; cùm de illis regius animus non laboraret.

64. Cur verò dicatur aureum, difficilius explicatu est. Ab auri nobilitate quicquid est pulchrum, honestum, nobile, aureum appellari nemo dubitat: quomodo aurei dicuntur mores, aurea simplicitas, aurea sæcula, quia pacata, quia in illis rerum ad vitam necessariarũ prompta subsidia. Nunc ergo exploremus propter quam harum causarum caput illud, id est, imperium Babylonicum aureum dici potuerit. Si de tempore Nabuchodonosoris sermo sit, planè aureum videtur eius imperium, cùm in subiugandis prouinciis, imperiique finibus dilatandis, cùm diu, multúmque pugnauerit; nihil tamen

Nabuchodonosoris imperium cur aureum.

65. illi aduersum acciderit. Quòd si in imperij, vitæque diuturnitate aliquid statuas aureum, & felix, aureum planè fuit illius regnum. Regnauit etenim annis quadraginta tribus, vt putat Iosephus ex Beroso lib. 1. contra Apionem ad medium; sed plerique alij quadraginta illius ætatis annos numerant. Nam cùm anno tertio Ioacimi regnare cœperit, vt constat Dan. c. 1. v. 1. ad annum primum transmigrationis Iechoniæ, anni nouem necessariò numerandi sunt, cùm annis vndecim Ioacimus regnauerit, & Iechonias ante transmigrationem mensibus tribus. Porrò, vt constat lib. 4. Reg. cap. 25. anno trigesimo septimo post transmigrationem illam decessit Nabuchodonosor, eo nempe anno, quo Euilmerodach Iechoniam eduxit è carcere. Ita Abul. in lib. 4. Reg. cap. 25. q. 35. & alij communiter, & docet textus ipse vers. 27. *Factum est verò in anno tricesimo septimo transmigrationis Ioachim Regis Iuda, mense duodecimo, vigesima septima die mensis, subleuauit Euilmerodach Rex Babylonis anno, quo regnare cœperat, caput Ioachin Regis Iuda de carcere.* Aureum itaque hoc tempus, & regnum videri potuit, quod tam fuit amplum, atque diuturnum.

Quandiu regnauerit.

Nabuchodonosor in debellãdis prouinciis fortunatus.

66. Si verò Regis huius felicitatẽ, secunda bella, & clarum, atque horribile nomen consideres, aureum omnino fuit caput istud, & regnum, cui cùm magnas non tam passibus, quàm victoriis lustrasset prouincias; nihil tamen illi in re vsque adeò ancipiti contigit aduersi. Audi quid de illo Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. scribit ex Megasthene. *Megasthenes,* inquit, *ostendere conatur, quòd hic Rex* (Nabuchodonosor) *virtute, & rerum gestarum magnitudine Herculem à tergo reliquerit. Subiugasse enim eum & vrbem Africæ primariam, & Hispaniam. Sed & Diocles in secundo rerum Persicarum libro eius Regis mentionem facit. Et Philostratus tam in Phœnicum, quàm in Indorum historiis, quòd hic Rex per tredecim annos Tyrum obsederit, regnante in ea vrbe Ithobale.* Hæc ferme eadem, & alia plura refert ex Beroso lib. 1. contra Apionem, ad medium.

A Si aureum dicas caput, quia auro, atque opibus abundat, sanè fuit regnum illud auri abundantissimum, cuius testimonium graue fuit, ac manifestum statua illa aurea, de qua proximo capite 3. quæ magnæ cuiusdam turris instar habuit. *Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex.* De thesauris, quæ fuerunt Babylone sub hoc Rege, diximus aliquid ad illud cap. 1. v. 2. *In domum thesauri Dei sui.* & pluribus ad illud Isai. 45. *Et dabo tibi thesauros absconditos.* 67.

Nabuchodonosor auro abundans.

Hæc de regno Nabuchodonosoris. Si verò non hoc tempus cum aliis imperiis; sed imperium conferas Babylonicum, aliæ dissimilitudinis causæ quærendæ sunt. B Sunt qui putent ideo Babylonicum imperium aureum vocari, quia quo tempore illud floruit, aurei erant mores, candidi nimirum, & simplices: pòst verò quo magis progrediebantur, eo etiam magis à priori candore, atque honestate declinabant tempora, iuxta illud Horatianum lib. 3. Carm. ode 6. 68.

Ætate omnia deteriora fiunt.

Ætas parentum peiòr auis, tulit
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Hinc illa toties repetita sæculorum discrimina, qui ætatum tempora ita distinguunt, vt primum vocent aureum, secundum argenteum, tertium æreum, aliud ferreum, propter ingenia, atque C studia varia, morésque semper à priori virtute, ac simplicitate degeneres. Sic Virgilius Eclog. 4. 69.

Sæculorum varia nomina pro morum varietate.

Tu modo nascenti puero quo ferrea primùm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

Quòd aureum sæculum ita vocetur, quòd ab eo fraus absit, & scelus, indicat statim cùm addit,

Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri
Irrita perpetua soluent formidine terras.

In hoc enim ferrea spectabatur ætas, & ferreum ingenium. Idem penè iterum lib. 8. Æneid. vbi in quo sæculum ferreum discernatur aureo significat.

Aureaque, vt perhibent, illo sub Rege fuere
Sæcula, sic placida populos in pace regebat.
D *Deterior donec paulatim, ac decolor ætas,*
Et belli rabies, & amor successit habendi.

Sed omnium optimè expressit Ouidius lib. 1. Metam. qui sibi omnino proposuisse videtur hunc Danielis locum, quem exprimeret: vbi quatuor descripsit ætates iisdem omnino metallis expressa, quæ oblata sunt Regi dormienti. De aurea primùm, 70.

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem, rectúmque colebat.

Et paulo pòst,

Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso
Sub Ioue mundus erat, subiitque argentea proles
Auro deterior, fuluo pretiosior ære.
E *Tertia post illum successit ahenea proles*
Sæuior ingeniis, & ad horrida promptior arma,
Non scelerata tamen: de duro est vltima ferro.

Sed hæc sententia illud habet incommodi, quòd Babylonij si mores spectes crudeles, aut ingenium durum, & ad rapinam intentum; nihilo videbuntur meliores illis, qui imperium postea alio, atque alio tempore tenuerunt. Fuisse etenim barbaro ingenio, satis docet Hierosolymæ strages, & durum captiuorum exilium. Lege quæ ab Isaia, Ieremia, & Ezechiele prædicta sunt contra Babylonios; & quæ postea ab hoc ipso Daniele dicentur, & inuenies illos Persis, Græcis, Romanis nihilo fuisse meliores. Fuerunt illa tempora, si cum temporibus aliis componantur, 71.

Superiora sæcula quomodo meliora.

nantur, meliora. Si, exempli gratia, Romanos aut Græcos cum Romanis, ac Græcis, qui longo pòst tempore vixerunt; vt enim Historici illarum prouinciarum produnt in quolibet regno superiora tempora meliora vocant, & vt in seminibus obseruant, quæ deinde succedunt deteriora fiunt. Quare antiqua tempora meliora putant; & illorum temporum mores, & ingenia magis abesse ab artificio, simulatione, & fraude. Ex hac opinione hominum, vt apparet, communi ortum illud prouerbium, aut prouerbialis sermo, Ecclef. 7. v. 11. *Ne dicas, quid putas causa est, quòd priora tempora meliora fuere, quàm nunc sunt.*

72. Theodoretus aliam adducit expositionem, censétque his metallis populorum, qui imperia deinceps tenuerunt, vires atque potentiam indicari. Vt enim magis durum est argentum auro, argento æs, & hoc ferrum: sic etiam Persicæ vires Babylonicis, Persicis Græcæ, Græcis deinde Romanæ magis fuere bellaces, ac robustæ. Cui sententiæ fauet illud, quod vers. 40. ideo quartum regnum ferreum esse dicitur, quia, *quomodo ferrum comminuit, & domat omnia; sic comminuet, & conteret omnia hæc.* Est quidem hoc probabile, sed planè non tam hic de robore videtur agi, quàm de pretio; aut de eo, quod pretiosum existimatur, & amabile: vt ostendit ordo ipse, ac dispositio metallorum; ab auro enim ad argentum, & inde ad æs, ac ferrum descenditur. Neque lutum, in quod desinet tota moles, eam habet firmitatem, & robur vt comminuere possit, ac domare superiora metalla.

73. Maldonatus putat his metallis, quæ à primo semper ad deteriora labuntur, significari potentiam humanam sensim collabi, & ad interitum continenter ruere, donec quæ magna visa sunt, & omni casu superiora, vanescant in nihilum. Quod tunc fiet, quando imperium Christi sempiternum aduenerit.

74. Hæc ego vt omnino reprobare non audeo; sic etiam omnino probare non possum, quia multa sunt postea, quæ non facile se cum hac expositione concilianr. Quare alia nobis ineunda est ratio; & primùm statuendum, in aliis regnis aliquid esse deterius, neque accedere ad id quod in Chaldæorum regno eximium videtur, aut optabile; quod probant communiter Patres, & ipsa natura metallorum ostendit. Sed quid illud sit inuestigandum est.

75. Mihi non displicet quod Isidorus indicat, ideo aureum esse Chaldæorum imperium, Persarum argenteum, æreum Græcorum, Romanorum ferreum, quia illud primum magis diuturnum fuit, magis pacatum, & vnitum; alia verò posteriora perturbationum plena, dissipata, neque adeò in regio splendore diuturna. Hæc verò omnia efficiunt, ne imperia alia à Chaldaico vocari possint aurea, quia multa intercessere, quæ non potuerunt esse non molesta, quare longè videntur ab auro recessisse.

76. *Persicũ imperium parũ quietum & pacificum.* Et quidem vt à Persico imperio, quod proximè successit Chaldaico, incipiamus, illud primum pacatum non fuit; nam vt prodit Herodotus lib. 3. sumpserunt iterum Chaldæi arma, & iterum à Dario domiti sunt, & magna ex parte deiecti Babylonici muri. Neque Cyrus post occupatum imperium, & ad Persas translatum, pacatam egit vitam, sed intentus amplificando imperio, subiugandísque bello finitimis populis, ignobilem tandem mortem obiit superatus à fœmina. Quid Cambysi filio, quid aliis imperij successoribus acciderit; quàm grauiter concisi, quàm ignominiosè fugati, norunt qui in humana historia mediocriter versati sunt. Quare ab auro, in quo quicquid pretiosum est, & optabile, significari solet, longè aberat Persarum imperium; neque male cum illo videtur actum, si argenti nomen obtinuerit.

De Græcorum imperio multo hæc melius existimari possunt, quod eodem penè tempore, quo natum, extinctum est. Mortuo quippe Alexandro, in cuius conspectu siluit terra, vt habes lib. 1. Machab. cap. 1. qui iure imperator vocari potuit, statim imperium euanuisse videri potuit, cùm dissipatum fuerit, atque diuisum in multa capita; atque ideo iure vocari potuerit, non imperium vnum, sed regna plurima. Quare illud æreum esse dicitur, quia æs licèt durius argento, est tamen illo longè ignobilius, & eo minus habet ex auro, quòd illi, qui regnum ab Alexandro quęsitum accepere, mutuis inter se odiis, atque armis dissederunt. Vide Paulum Orosium lib. 5. cap. 23. 77. *Græcorum imperium quã in re infelix.*

De Romanis eadem est ratio, quorum imperium neque magis pacatum fuit ad tempus vsque Christi, vltra quod nihil in statua portenditur; neque, quo sensu dicemus postea, iuxta hanc Danielis prophetiam, magis diuturnum. Quod videtur tunc inchoatum, quando primùm ab illis Babylon, quæ fatalis videbatur imperij sedes, à Romanis capta est. Certè de hoc tempore videtur loqui prophetia, quando Rex dubitabat de successu, atque exitu qui sedem illam manebat, vbi ipse tunc imperabat; cuius votis Deus in hieroglyphico spectro per Danielem respondit. Fuit autem Babylon à Romanis non multo ante Christi tempora subiugata, à Pompeio nempe, cùm Syriam addidit imperio Romano, Babyloniam autem ad Syriam pertinere docent Cosmographi. Ab hoc tempore vsque ad gloriosissimum Christi ortum, qui statuam illam ex tanta metallorum varietate compositam, & in ea quatuor imperia adumbrata prostrauit, omnia fuerunt insidiarum, seditionum, atque bellorum plena, vt pluribus ostendit Orosius. Quare imperium hoc aureum vocari non debuit, cùm pacatum non fuerit, & desideratis eorum multa, quæ nomen assumere potuerunt ab auro. 78. *Romanum imperium, quomodo cœpit.* *Babylõ quasi fatalis imperij sedes.*

Illud verò hîc obseruandum, commune fuisse quatuor hisce imperiis, vt qui illis præesset, Rex vocaretur Regum, quomodo à Daniele vocatur Nabuchodonosor, siue quia Regum esset potentissimus; aut quia Reges haberet sibi vectigales, & fœderatos; aut certè quia aliis regna dare possent, & adimere. Sic fecit Nabuchodonosor cùm regnum adueniit Iechoniæ, quod Sedeciæ tradidit; sic deinde Persas rerum potitos fecisse verisimile est, fecit sanè ex Græcis Alexander, qui Græcorum omnium Imperator solus dici potuit, qui Reges post se duodecim constituit; &, vt auctor est Iustinus lib. 10. victo Dario, quosdam è regno depulit, quosdam Reges constituit, *Tunc,* inquit, *in Syriã proficiscitur, vbi obuios cum infulis multos Reges Oriẽtis habuit,* [qui nomen illud, & ordinem forsitan acceperunt à Dario.] *Ex his promeritis singulorum, alios in societatem recepit, aliis regnum ademit, suffectis in loca eorum nouis Regibus.* 79. *Imperatores dicti Reges Regum.*

De Romanis minus est dubitandum; quia constat illos ius, & nomen regium concessisse quamplurimis; & vt omittam alios, certe constat 80. *Herodes primus Rex*

Iudæa post Sedeciam. Herodem à Senatu Regem esse constitutum Iudææ. Quare vt imperatores alij, sit etiam Senatus, aut etiam postea Augustus imperator, qui summam rerum obtinuit, Rex Regum appellari potuit. Ex quo intelligit quomodo primus post Sedeciam regnauerit Herodes in Iudæa, vt compleretur quod multo antè præuiderat iam morti proximus Iacob, cùm dixit Gen. c.49. *Non auferetur sceptrum de Iuda,*&c. *donec veniat, qui mittendus est.* Quia confirmatus est Rex priùs à Senatu, deinde ab Augusto Cæsare, vt tradit Iosephus. Alij verò qui sibi diademata posuerũt, Regúmque nomen vendicarunt, Hircanus scilicet, & Aristobulus, &c. neque ius habuerunt ad regnum, vtpote ex sacerdotali tribu; neque regiũ titulum ab vllo, qui cum imperio esset, acceperunt. Qua de re nos pluribus in cap.21. Ezechielis, vbi illos propriè Reges esse negauimus.

81. *Christus Rex Regũ.* De sempiterno verò Christi imperio, quod quintum locum tenet in Nabuchodonosoris mystico somnio, minus est dubitandum. Rex etenim Regum appellatur Apocal. cap.19. v.16. *Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium.* Ipse dat adimítque Regna; quod etiam faciunt, quos habet sui in Ecclesia vicarios, dum imperia confirmant, & regij nominis, ac tituli priuatione damnant, quos habent aut Ecclesiæ rebelles, aut rei Christianæ procurandæ contrarios. His vtcumque positis, non erit difficilis eorum, quæ de statua dicenda sunt, explicatio.

82. *Tu es Rex caput aureum.*] Imperium Chaldæorum caput dicitur, quia aliorum primum; sicut caput in animali mẽbrorum omnium caput est: aureum verò, quia pacatum, & splendens; & ad finem vsque fortunatum, & potens.

83. Vers.39. *Et post te consurget regnũ aliud minus te.*] Hoc Persarum est, in argenteo pectore, & brachiis adumbratum; quod quidem quoad amplitudinem minus non fuit, nam ad Babylonici imperij fines, Persicos etiam, ac Medicos adiunxit. Dicitur tamen minus, quia non ita longum fuit, quantum Babylonicum, si idem imperium esse dicas cum Assyrio; aut certè quòd minus habuit commoditatis, & pacis, adde etiam & gloriæ; cùm ab externis bello vexatum sit, & ignominiosè aliquando concisum, vt prodit Paulus Orosius lib.3. à capite septimo, vbi Persici imperij dominos & clades subiisse ingentes, & exitus habuisse miserabiles tradit.

84. *Et regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ.*] Accomodat se hoc loco Propheta, quod sæpe faciunt Scriptores sacri, hominum opinioni, qui postea Alexandrum vniuersæ terræ dominum aut existimabant, aut adulatorio, seu hyperbolico modo salutabant. Et reuera adeò Græcorum propagauit imperium, vt non temere ab aliis aut existimatus fuerit, aut appellatus vniuersæ terræ Dominus. Audi Pliniũ lib.4. c.10. de Alexãdro. *Hæc est,* inquit, *Macedonia terrarũ imperij potita quondam. Hæc Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum, Taurum, Caucasum transgressa. Hæc in Bactris, Medis, Persis dominata, toto Oriente possesso. Hæc etiam Indi victrix per vestigia Liberi patris, atque Herculis vagata.* Adde quòd plurimæ aliæ Gentes, quæ bello domitæ ab Alexandro non fuerant; secundis bellorum euentibus commotæ per Legatos illi seipsas aut tradiderunt, aut studuerunt illum habere pacatum. De quo Iustinus lib.12. *Ab vltimis littoribus Oceani Babyloniam reuertenti nuntiantur legationes*

Alexander [illegible] vniuersæ terræ Dominus.

Legationes ad Alexandrum ex toto orbe.

A *Carthaginensium, cæterarúmque Africæ ciuitatum; sed & Hispaniarum, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ, nonnullas quoque ex Italia eius aduentum Babyloniæ operiri. Adeò vniuersum terrarum orbem nominis eius terror inuaserat, vt cunctæ Gentes veluti destinato sibi Regi adularentur.* Hæc eadem propè Q. Curtius lib.10. & addit: *Igitur tanquam conuentum vniuersi orbis acturus Babyloniã peru..nire festinabat, quò cùm venisset, Legatos omnes benignè susceptos domum remisit.* Neque valde his dissimile legimus lib.1. Machab. cap.1. *Constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ, & pertransiit vsque ad fines terræ,* &c. *& siluit terra in conspectu eius.*

B Cur æreum dicatur Græcorũ imperium, variæ adducuntur causæ. Hieronymus ideo putat, quia cùm Græcia maximè sit vocalis, & loquax, conferri debuit cum eo metallo, quod canorum est maximè, & clariùs tinnit; in quo & natura significatur regionis, & illustris Alexandri fama, quæ tubas habuit scriptorum maximè sonantes. Iosephus nimis audacter suam cogitationem, quasi verba Danielis forent, ait in Danielis persona. *Illorum* (nempe Medorum, & Persarum) *imperium alius ab Occidente veniens tollet è medio amictus armis æreis.* Sed placet id, quod etiam visum est Maldonato, neque in ventre, ac femoribus, quæ ficta videbantur ex ære; neque in ærea materia aliud indicari, quàm imperium C istud futurum esse post Persicum, sicut venter etiam pectori subiicitur, & eodem vilius, sicut æs ad argenti notam, & pretium non ascendit. 85. *Græcia loquax.*

Vers.40. *Et regnum quartum erit velut ferrum.*] Hoc Romanorum est imperium, in quo duo nobis expendenda sunt, quæ inueniuntur in ferro. Est enim ferrum durum metallum, quod omnia contundit, & frangit, ex quo conflantur arma, ferramenta, & vectes, quibus cæduntur syluæ, secantur, & conuelluntur saxa. Sed etiam metallũ vile, quod neque habitum est in honore, neque ad elegantiam, & speciem adhibetur. Alterum fuisse in Romanorum imperio, clamant historiæ, & docet hîc omnium apertissimè Pro- D pheta, dum Romanos ferro duritie, ac fortitudine similes esse dicit. Vt enim ferrum emollit, & conterit aurum, argentum, & æs (ex eo enim mallei finguntur, & incudes, quibus instrumenta ex argento, & ære) sic Romana potentia vires confregit eorum, quos aurum, æs, argentum adumbrabant. Vilitas verò illius imperij in eo spectatur, quod suprà diximus; quia iuxta Prophetæ mentem, & statuæ portentum ad tempus tantùm Christi propagatum est. Nam cùm primùm ortus est Christus, exiguus nempe lapis abscissus è monte sine manibus, comminuta est statua, in qua expressum erat illud ferreum, id est, Romanum imperium. Quòd verò paulo an- E te Christum natum initium cœperit, coniectare licet ex loco, qui in augurandis imperiis, quasi fatalis fuit; ex Babylonia videlicet, ex cuius dominatu exordium sumpserunt, & auspicium aliorum imperia. De primo imperio, id est, Assyrio, à quo existimatur Chaldaicum non fuisse diuersum, liquet ex Scriptura Gen. cap.10. v.10. de Nembrod. *Fuit autem principium regni eius Babylon.* Et ita omnino dicendum videtur, quia Gen. cap.11. v.4. Babylon eo sumptu, ac mole statim à diluuio condita est, vt sicubi in ea imperij summi sedes esse debuerit. In ea certè fuit postea Chaldaici imperij prima sedes: deinde eodem in loco Persæ suum quoque imperium exorsi sunt; quod item fecit Alexander superato Dario.

86. *Imperium Romanum cur simile ferro.*

Duo in ferro, firmitas, & vilitas.

87. *Imperium Romanum quomodo Christi nato sanctum dici potuit.*

E Babylonia omnia imperia sumsere principiũ.

Assyrius in Babylone.

Dario. Sic fortasse Romani subacta Syria, & in ea capta Babylonia per Pompeium, imperio suo fecere principium. Huc valde inclinant & statuæ mysterium, & Danielis verba, quæ id videntur explicare, quod successu temporum futurum erat in eo imperio, ac loco, vbi tunc Nabuchodonosor dominabatur.

88. Sed verius est, longè pòst cœpisse Romanorum imperium, nempe vbi omnino extinctum imperium fuerat, quod obtinuerat priùs Alexander; & deinde moriens in duodecim capita distribuit. Reliqua regna iam antea Luculli, & Pompeij tempore redacta fuerant in prouinciam; Ægyptus restabat, quæ ad Græcorum imperium pertinebat, quam Ptolomæo testamento reliquit Alexander. Et Alexandro mortuo, adhuc tamen anni à Græcorum imperio numerabantur, licèt non ab Alexandri regno, sed à Seleucidarum, qui in Syriæ, ac Babyloniæ partes Alexandro successerunt, vt putat Hieronymus, in cap. 9. Dan. & cum eo alij penè omnes. Durabat autem Græcorum regnum quandiu stetit Ægyptus in Alexandri successorum potestate, ad tempus videlicet Cleopatræ, quam regno priuauit Augustus, Antonio Actiaca pugna superato. Eo prælio defecit Græcorum imperium, & incepit Romanorum, vt docet Eusebius in Chron. & latè Ribera in cap. 6. Zachariæ ex sententia Hieronymi, & aliorum in cap. 9. Danielis, apud quem ego non inuenio. Tenent tamen Chronologi penè omnes, Genebrardus, Ioannes Lucidus, Gordonius, tenet Orosius lib. 6. cap. 20. Atque ideo ab hoc tempore, vt nonnulli putant, de quo non ego nunc disputo, ducuntur anni imperij, quæ vulgo *æra* vocamus, cùm Augustus tanquam imperator, & monarcha edictum scripsit imperatorium, vt describeretur vniuersus orbis, de quo Lucas cap. 2. Quod non admittit communis sententia, quæ Christum natum esse dicit anno ab Actiaca pugna 28. aut 29. Sic Eusebius lib. 1. hist. cap. 2. Clemens Alexand. lib. 1. Strom.

Romana potentia quando propriè imperium dici potuit. Quando capta Ægyptus.

Anni Græcorum. Seleucidarum.

Edictum Augusti.

Anno 28. Augusti Christus natus.

89. Sanè anno Augusti vigesimooctauo natus dicitur Christus, id est, anno vigesimooctauo à subacta Ægypto, siue, quod idem est, ab Actiaca pugna. Nam si à regno Augusti anni ducerentur, natus diceretur pótiùs anno Augusti 42. Cœpit itaque Romanum imperium, quando Augustus primùm vocari potuit imperator, extincto iam prorsus Græcorum imperio, quod adhuc quasi scintilla ex magno incendio videbatur in Ægypto consedisse, vt indicat Danielis prophetia, quæ ferreas tibias æreis femoribus supponit. Cùm ergo cœpisset propriè Romanum imperium antequam Christus nasceretur annis vigintiocto; finitum est propriè anno, ex quo cœpit, vigesimooctauo, quia lapis abscissus sine manibus ferreos, ac fictiles concussit pedes, & molem illam in fauillam redegit, quæ imperia alia, & cum illis etiam Romanum sustinebat.

Augustus Cæsar quando vocatus imperator.

90. Id verò cógnouisse videtur Augustus ipse, qui sub id temporis vocari se Dominum noluit, vt tradit Dion Cassius lib. 55. & Suetonius in Augusto cap. 53. & ex eo Paulus Orosius lib. 6. cap. 22. *Domini*, inquit, *appellationem, vt homo declinauit. Nam cùm eodem spectante ludos pronunciatum esset à mimo, ò Dominum æquum, & bonum! vniuersique, quasi de ipso dictum esset, exultantes approbauissent, statim quidem manu, vultúque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimo corripuit edicto, Dominúmque se posthac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel serio, vel ioco passus est.* Qua id mente fecerit Augustus, explicat statim. *Eodem*, inquit, *tempore* (quo nempe Christus natus est) *hic, ad quem rerum omnium summa concesserat, dominum se hominum appellari non passus est, immò non ausus, quo verus dominus totius generis humani natus est.*

Augustus Christo nato imperatoris nomen recusauit.

91. Fuerunt verò causæ plurimæ, cur Augustus coniectare potuerit verum, & solum imperatorem esse natum. Prima, quia, vt refert Nizephorus lib. 1. hist. cap. 17. & Suidas v. *Augustus*, Cedrenus in compendio, rogatus Apollo, qui Christo nato, consultus vt ante non reddebat oracula, cur sileret, respondit:

Vnde Augustus cognouit Christũ imperatorẽ esse natum.

Me puer Hebræus Diuos Deus ipse gubernans
Cedere sede iubet, tristémque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

B Quo permotus responso Augustus reuersus Romam aram erexit in Capitolio hac inscriptione notatam: *Ara primogeniti Dei.* Alia adducit Paulus Orosius lib. 6. cap. 18. quæ Augusti tempore contigerunt, quæ Christi imperatoris summi aduentum, & Regnum portendebant. *Cùm ex Apollonia rediens vrbem ingrederetur, repente liquido, ac puro, serenóque die, circulus ad speciem cœlestis arcus orbem Solis ambiit; quasi vnum eum, ac potissimum in hoc mundo, solúmque clarissimum in orbe monstraret, cuius tempore venturus, qui ipsum Solem solum, mundúmque totum, & fecisset, & regeret.* Refert idem Iulius Obsequens. Et paulo pòst, *In diebus ipsius, fons olei largissimus de taberna meritoria, per totum diem fluxit. Quo signo quid euidentius, quàm in diebus Cæsaris toto orbe regnantis, Christi natiuitas declarata est?* Idem etiam Eusebius refert in Chronico. Aliud autem portentum illustrius habuisse dicitur Augustus, quo noui imperatoris magis sese ostentabat maiestas. Dicitur enim ab Augusta conspecta beata Virgo in vlnis habens infantem sublimis in aëre.

C

92. Quod si ita est, vt iam tandem eò, vnde defluximus, reuertamur, exiguum fuisse oportet illud imperium, quod paulo ante Christum natum exordium cœpit in Augusto, & Christo vero imperatore, atque monarcha nato, statim extinctum est. Quare nil mirum si cum vili metallo comparetur; & eo nomine quod momentaneum fuit, aliis existimetur esse vilius.

D

93. Hæc quidem vera sunt, si propriè sumas, & iuxta id, quod statua ex Danielis interpretatione portendit. Nihilominus si iuxta hominum sensum interpretere, diutius stetit, floruitque imperiũ, quod Christo nato defecisse diximus. Licèt enim imperante Christo, qui solus est Dominus, & solus altissimus, imperatores alij abiicere debeát coronas, vt fecere seniores in cõspectu agni Apoc. 4. v. 10. tamen viuunt imperatores, ac florent; idque interdum probante Domino; quibus debitum alij præstant vectigal, & obsequium. Immò ad finem vsque mundi duraturum Romanum imperium, docet ipse Daniel cap. 7. vbi nos ea de re pluribus. Ea tu vide, quæ huc maximè faciunt.

Quomodo Romanum imperium post Christum natum durare dicatur.

E

94. Deinde quanuis verè, ac propriè subiugata Ægypto, & sublato Græcorum imperio, incepisse Romanum dicendum sit; tamen multo antea imperatoriam potentiam, & quasi monarchicam obtinuit, ab eo maximè tempore, quod confecto secundo bello Punico consecutum est. Tunc enim non Italia solùm, atque Sicilia; sed etiam Hispania in prouinciam redactis, aucta vehementer est Romana potentia; & deinde ad tempus vsque Pompeij magna quotidie fiebat ad priorem maiestatem accessio. A tempore verò Pópeij sic sunt amplificati Romani fines, vt alia imperia

Romani quomodo imperatoriam potentiam obtinuerũt.

imperia non æquauerint modò: sed longè etiam superauerint. Atque ideo si magnitudo pensetur, atque potentia, ante Augustum vocari potuit, immò, vt dicemus statim, vocatum videtur à Daniele Romanum imperium. Neque inusitatum est in Scriptura, vt illa dicantur esse facta, quæ fieri cœpta sunt, vt pluribus ostendimus in nostris Commentariis in Ieremiam cap.34. n.19. Quomodo infrà Dan. cap.9. anno primo Darij compleri dicuntur anni septuaginta desolationis Ierusalem, cùm septuagesimo illo anno desolari sit cœpta: anno videlicet tertio Ioacimi, & ad desolationem, id est, vsque ad vndecimum annum Sedeciæ, & 19. Nabuchodonosor, decem & nouem interiecti sunt anni. Ierem. cap.34. cùm serui dimittendi essent anno sexto, Deut.cap.15. dimitti tamen iubentur, *cùm completi fuerint septem anni*, neque tamen completo, sed inchoato tantum anno illo septimo, libertatem consequebantur, plus ibi nos exemplorum adduximus.

Regvla. Illa dicuntur facta quæ fieri cœpta.

95. Cùm ergo iam pridem Romana virtus, atque felicitas ad imperium, quod Augusti sæculo consecuta est, non tam passibus quam victoriis properaret; & per strenuos duces prouincias ferme omnes subiugasset, quas imperatores alij suo quondam summisissent imperio, & præter illas complures alias, quæ nunquam in aliorum imperatorum potestatem venerunt; neque Augustus magni aliquid adiecisset, præter Ægyptum, in qua debellanda, Græci imperij reliquias oppressit; iure optimo imperium in Senatus Romani potestate situm censeri potuit, cùm & omnium latissimè dominaretur, & adimere regna, atque transferre, non minùs potuerit, effeceritque, quam alij, qui summam rerum obtinuisse dicuntur. Quare nonnulla, quæ de Romanorum imperio postea dicentur, ad illa etiam tempora referemus, quæ Augusti monarchiam præcesserunt, cùm penes Senatum potestas erat summa.

In Senatu Romano quomodo imperatoria potestas.

96. Vers.41. *Porrò quia vidisti pedum, & digitorum partem testeam figuli, & partem ferream: regnum diuisum erit.*] Locus hic complures implicat difficultates, quas expedire longi est, operosique negotij. Primùm litera obscura est, neque enim facilè statuas miscerine debeant ferrum, & lutum, ita vt ex vtraque materia aliquid componatur vnum; quemadmodum si ex diuersis metallis artificiosè confusis aliquod confletur opus; vel certè lutei digiti affixi sint ferro, vel inserti. De hac re diximus suprà num.46. quid putaremus magis tum ad textum, tum ad rerum naturam, quod nempe nihil vnum fieret ex metallo, ac luto; sed ex ferreo plantario, id est, ferreis pedibus, digiti pullularent partim ferrei, partim argillacei, quod etiam nunc opinamur. Quare superest exploremus quænam sint illius regni partes tam dissimiles; aut quæ sit illius regni tanta diuisio. Afferam priùs aliorum sententias; deinde quid mihi ad veritatem propiùs accedere videatur, expediam.

Qualis diuisio digitorũ in ferreos & fictiles.

97. Et primùm non curo quid sentiant Hebræi, & cum illis Galatinus lib.4. cap.25. qui duo regna ex luto, ferróque composita, ac deinde diuisa, Romanorum esse putant, & Hebræorum, qui fœdus inierunt Machabæorum tempore, vt constat lib.1. Machab.cap.8. & 14. Illud verò *commiscebuntur humano semine*, in Herode Ascalonita impletum esse volunt, qui à Romanis Iudææ Rex institutus est, & ex Iudæorum genere vxorem duxit Hircani Regis, & summi sacerdotis filiam, quo regnum haberet magis sociali sanguine confirmatum. Sed hic multa sunt, quæ cogitationem istam infirmant, & damnant. Primùm, quia non tam dicit Propheta ex duobus compositum iri regnum vnum, quam vnum, nempe Romanum in duo esse diuidendum. Neque præterea quo tempore fuit inter Iudæos, atque Romanos initum fœdus, stabilitum erat Romanum imperium, cùm adhuc in Antiocho, ac Ptolemæo Græcum extaret, immò & floreret.

Romani Herodes.

98. Neque plus habet momenti, ac fidei, quod putat Rab. Dauid in cap.6. Zachariæ, quod miror placere potuisse Montano eodem loco, qui quintum aliud regnum inueniunt, nempe Madianitarum, seu Turcarum, quod ferreum esse dicit, quia durum, & forte ad conterendas Gentes. Sed neque Daniel quinti regni meminit; neque vnquam regnum illud cum Romano coaluit, vt aliquando ab ipso diuelli potuerit. Hæ duæ sententiæ nihil habent, quod attento, atque prudenti lectori satisfaciat: quæ verò sequuntur magis faciunt ad veritatem, & textum.

Romani, Madianita.

99. Ex his prima sit Historiæ scholasticæ, Hugonis, Lyræ, Dionysij, & Pereiræ, qui diuisionem hanc ad seditiones, & factiones referunt, quæ populum Romanum ferreum quondam, & formidabile sic attriuerunt, vt fictile reddiderint, quod quasi cognatum fuit populo ipsi, si ab eius constitutione singula tempora dinumeres. Mitto antiquissima tempora, quæ fraterno sanguine contaminauit Romulus, mitto a Senatu, & Patribus populi dissidium; quia hæc illis contigere sæculis, in quibus longè ab imperij maiestate, atque amplitudine aberat populus Romanus. Sed fuere seditiones aliæ, & ciuilia, atque intestina bella, quo tempore aut imperium constitutum videri potuit, aut certè ad imperij culmen properabat populus, post bellum nempe Punicum secundum, quando prouincias alienas suis sibi finibus quoquò versus adiunxerat. Tunc enim hostilibus inter se non solùm odiis, sed etiam castris dissederunt, Marius à Sylla, Cæsar à Pompeio, Octauius & Antonius à Cassio, & Bruto; & iterum Octauius ab Antonio. Neque defuit sanguinis communitas, quæ sociaret non animos solum, sed etiam familias: nam Pompeius vxorem duxit Iuliam Cæsaris filiam, Antonius Octauij sororem. Sed non fuit satis conglutinata societas; quæ aut sublata coniuge dissecta fuit; aut aliæ intercesserunt causæ, quæ homines in officio, ac fide permanere non sinunt; quales sunt ambitio, cupiditas, inuidia perniciosissimæ fidei, atque amicitiæ pestes.

Populi Romani variæ seditiones.

100. Sed quominus ista sententia placeat, multa faciunt. Primùm, quia in ista imperij diuisione quædam pars futura dicitur ferrea, quædam testacea, id est, infirma, futilis, friabilis: at hi fortissimi fuerunt, & qui neque succubuerunt fortunæ quantumuis infensæ; neque mortem oppetierunt nisi post præclara suæ virtutis documenta. Deinde quia diuisio illa ferrei, & lutei in pedibus fuit, id est, in extrema parte imperij iam antè constituti; tunc enim lapillus à monte diuulsus in pedes impactus luteos molem totam euertit; at Christi tempore iam pridem illi esse desierant, quos hæc sententia luteos appellat, & ferreos pedes.

101. Secunda sententia est Maldonati, qui duos in hoc signo Romanæ Reipublicæ status considerat, alterum sub Aristocratia, quando penes Senatum summa erat auctoritas; alterum cùm vnius voluntate, atque iudicio res administrabatur

tur publica, quæ tyrannis, aut tyrannidis instar censeri potuit. Hi duo status non magis cohærere potuerunt, quàm ferrum testæ: licet enim quo tempore Iulius, atque Augustus siue imperio, seu tyrannide tenuere rempublicam, species esset aliqua Aristocratiæ, quia collegam sibi adhibebant imperatores, & ipsi sibi consulare potius nomen, quàm regium tribuebant, aut imperatorium (vnde Augustus, vt suprà diximus, num. 90, Dominum se appellari vetuit) tamen quia ibi non tam erat senatus, quàm inanis quædam senatus vmbra, cùm omnia vnius hominis parerent imperio, admixtum videbatur argillæ ferrum, res videlicet dura cum molli; quæ non facilè non dico coalescere, sed neque conglutinari, aut sociari possunt. Hæc sententia sanè acuta est, & eo nomine præponenda reliquis, quòd quo tempore Christus natus est, duo isti gubernandi modi vtcumque videbantur coniuncti. Nam anni Consulibus notabantur, sicut etiam Imperatorum; vnde Christus natus dicitur Augusto 13. & Marco Plautio Syluano Consulibus. Sed in eo laborat hæc sententia, quòd nihil addit de digitis, qui non exiguum aliquid habent in hac hieroglyphica statua.

102. Tertia sententia est Hieronymi hoc loco, qui duo tempora Imperij Romani considerat, primùm videlicet ferreum, quo Gentes domuit, & latè suos propagauit fines, in quo aliis præbere poterat auxilia; & illud quod nactus tunc erat Hieronymus imbecillum, & luteum, in quo externis indigebat auxiliis, & variis quotidie vexabatur incommodis, & afficiebatur detrimentis. Idem sentit hîc Theodoretus, & Hugo, & Iulianus Pomœrius lib. 1. contra Iudæos. Quod verè dici posse, nemo dubitat, cùm Romanam potentiam sic videat à priori gloria cecidisse, vt in ea nihil spectare possit in prouinciis, quas suo quondam premebat imperio, præter obscura quædam vestigia, & antiqua monumenta, quæ ibi floruisse aliquando Romanorum nomen profitentur. Sed hæc etiam sententia eo laborat incommodo, quòd de temporibus agit, quæ Christi natiuitatem consecuta sunt: Christus autem tam ferream, quàm testaceam partem suo exortu strauisse, & in puluerem, ac fauillam redegisse dicitur.

103. Alij hæc ad Theodosij tempora pertinere putant; quando Romanum imperium diuisum est in duas partes, Orientalem videlicet, & Occidentalem. Alij ad alia aliis atque aliis modis, quod in rebus dubiis, & implexis fieri necessarium est. Sed eo omnes incommodo laborant, quòd diuisionem hanc, & ferreos, aut luteos imperij pedes post Christi ortum statuunt; illos verò oriente Christo fuisse contritos, tum statua ipsa muta, tum viua Danielis vox testatur, & clamat.

104. Iam tandem ego quid censeam, aut quid putem minus improbabile, dicere aggrediar; neque si quid attulerim noui, improbandus sum, modò non abs re, quod vt mihi contingat, ab illo lucem imploro, qui natus ex Virgine, lapis nempe abscissus de monte sine manibus, allisit pedes illos, & strauit prodigiosam illam molem; & à Propheta ipso, in cuius nunc verbis commentandis laboro; cui lux à Deo ad cognoscendam obscuram illam veritatem affulsit.

105. In hac ego extrema parte statuæ, in qua Romani imperij effigies exprimitur, multa video, quæ accommodari debeant & imperio Romano, & illi tépori quo natus est Christus: alia nanque tépora à mystica statuæ significatione aliena puto. In statuæ ergo extrema parte inprimis tibias video, & pedes, quæ, vt suprà dixi, sunt à solido ferro; deinde digitos, qui è pedibus tanquam rami de plantario pullulant, quorum alij ferrei, alij testacei sunt; illi dicuntur solidi futuri; hi contriti, id est, regni pars quædam erit solida, pars contrita. Hæc nos explicare tentabimus, ac videre quomodo omnia in extremo imperij tempore, id est, paulo postquam omnino constitutum est, anno Augusti 42. & ab Actiaca pugna 29. quo tempore Christus natus est, deprehendi possint.

106. Imperium non tantùm puto significatum in statua obscurè, & à Propheta declaratum apertiùs, pro eo statu, in quo tum erat, quando ab exiguo lapide contritum est; sed etiam quale fuerat ante tépus illud, in quo cùm crescebat magis, magis erat ruinę propinquũ. In tibiis ferreis, quibus succedunt pedes, quæ è ferro erant solido, ac duro, prius illud significatur tempus, quod in Romano pectore in ferri similitudinem obduruit, quando gens erat laboris, & inediæ patiens, assueta & tractandis armis, & agris colendis; cùm gestare grauissima pondera iocus erat, & ludus. Tunc quia totum hoc hominum genere constabat imperium; neque in eo quicquam erat luteum, ac molle; tibiæ erant ferreæ, item pedes, idonei quicquid molis imponeres sustinere. De quibus habes plurima antiquorum testimonia. Accipe duo, alterum Virgil. lib. 9. Æneid. vbi in Numano antiquos Romani populi mores, atque studia describit. Sic ergo Numanus apud illum, *Romani gens olim dura, & patiens laboris.*

Durum à stirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, sæuoque gelu duramus, & vndis.
Venatu inuigilant pueri, syluásque fatigant.
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum, paruóque assueta iuuentus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur, versáque iuuencum
Terga fatigamus hasta; nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutátque vigorem.
Caniciem galea premimus, sempérque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

107. Nec dissimilia tradit Cicero tum de Romanorum exercitu, tum de tyronum ad durum belli negotium, & ad ferreum animum institutione lib. 2. Tusc. quæst. *Nostri exercitus primùm vnde nomen habeant vides; deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati mensis cibaria; ferre si quid ad vsum velint; ferre vallum, nam scutum, gladium, galeam in onere nostri militis non plus numerant quàm humeros, lacertos, manus; arma enim membra militis esse dicunt, quæ quidem ita geruntur aptè, vt si vsus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, vt membris pugnare possent. Quid exercitatio legionum, quid ille cursus, clamor; quanti laboris est? Ex hoc ille animus in prælus paratus ad vulnera,* &c. En disciplina vetus: ex his tu cætera coniccta. Hinc Romanus populus durus, & ferreus ad ardua bellorum molimina; neque minus ad recipiendam, quàm ad inferendam plagam fortis, ac paratus. Quare totus ad digitos vsque pedum è solido ferro. *Militum Romanorum labor.*

108. *Porrò quia vidisti pedum, & digitorum partem testeam figuli, & partem ferream, regnum diuisum erit.*] Ex ferreis pedibus digiti erumpebant fictiles, & ferrei; hîc opinor significantur varia regna próximè à Lucullo, Pompeio, & Cæsare, & aliis Romanorum imperatoribus, & nunc ad extremum *Imperium Romanum quando diuisum.*

ab

ab Augusto adiuncta Romano dominatui; quæ sic sunt à Romano imperio foras proiecta, & inter se diuisa, vt tamen ad imperium pertineant, & cum illo quodam modo cohæreant: sicut digiti erumpunt quidem, & prominent à pedibus; cum illis tamen coniunguntur. Et ideo suspicor, cùm de digitis agitur, regnum appellari *diuisum*, quia prius cùm ferreum tantùm erat, suis se cōtinebat finibus, & hominibus abundabat, qui cùm ad antiquam disciplinam essent instituti, facilè nationes alias domare potuerunt. Pòst verò è suis finibus egressum alias obtinuit prouincias; atque ideo diuisum est, atque dispersum, sicut nunc diuisum videri potest Hispaniæ regnum; quia dissitas vbicumque terrarum Regiones latè complectit, & dum latiùs porrigitur, magis vires suas, & consilia diuisit.

109. Dum dicitur *pedum, & digitorum partem testeam, & partem ferream*, illud *&*, expositiuè sumo, in hunc sensum. Quia vidisti pedum, id est, digitorum partem testeam, & partem ferream. Nam, vt vidimus, pedes erant è solido ferro; digiti verò partim ferrei, & partim fictiles.

110. *Quod tamen de plantario ferri orietur.*] Sicut è pedibus oriuntur digiti, & ex stipite diffunduntur rami; sic è ciuitate educuntur coloniæ, quæ sunt tanquam è magna planta grandes digiti, aut ex magno plantario grandes propagines. Dixit quidam metaphorâ non valde dissimili, *longas esse Regibus manus*; quia latè porrigunt imperium. Significasset prorsus idem si dixisset, *longos esse digitos*. Oriuntur autem de plantario ferreo, id est, de imperio, quod ferreum est propter antiquam disciplinam, & vitæ genus, licèt nonnulla regnorum illorum id solum habeant à ferro, quòd illi sint adglutinata. Porrò *plantarium* hoc loco nòn tam significat plantam pedis, quàm locum plantandis arboribus destinatum, quod nos seminarium appellamus, seu stirpem, quæ nouellas plantas fundit, & continet. Id planè significat נצבתא *nisbethà*, à radice Chaldaica נציב *nsib*, quæ plantare valet. Est autem plantarium, teste Plinio lib. 15. cap. 1. locus, vbi eo consilio seruntur plantæ, vt inde in aliud, atque aliud solum transferantur. Quare plantarium nouellas arbores, quas in sua antè potestate habuisse videbatur, aliò dimittit, & illas quodammodo vocare potest suas. Sed in eo est aliquid discriminis, quòd plantas, quas in suo complexu quondam habuit, à se dissociat: at populus Romanus prouincias, quas non tam disseminauit, quàm in illas suum disseminauit imperium, non disiungit à se, sed ita consociat, quemadmodum pes digitos, qui ex ipso funduntur. Si verò plantarium stirpem significat, quod fortasse verius, est optima similitudo ex plantario desumpta, ad significandas prouincias, quæ ab vno videntur imperio diffundi. Id enim valet, & magis fortasse propriè נצבתא, vt docent omnes penè translationes, quæ id pro Chaldaica voce reddunt, quod *fundamentum* valet, aut aliquid simile. Theodotio *radicem*, vertit, idem Irenæus lib. 5. cap. 26. Tigurina *firmitatem*, plerique alij *fundamentum*, & *robur*, vt habes in Lexicis.

Plantarium quid.

111. Hæc mihi non displicet; sed fortasse in digitis, qui extremi sunt in animalium pedibus, & numero decem intelliguntur decem illi postremi Reges, in quos Romanum diuidetur imperium, de quibus hîc nihil dico, quia de his pluribus agendum est cap. 7. Tantùm dico id visum fuisse Irenæo lib. 5. aduersùs Hæreses, cap. 25.

A & Hippolyto Martyri de consummatione mundi.

Secundùm quod vidisti ferrum mixtum testæ ex luto.] 112.
Explicat quod implicitum videbatur in plantarij metaphora. Nam quemadmodum stirpi coniunctæ sunt plantæ: sic etiam ferreis pedibus lutei associantur digiti, & ex eo symbolo docet Propheta quale futurum sit extremum tempus imperij quarti, Romani nempe, quale in specie admodum obscura obiectum fuerat Chaldæorum Regi.

Vers. 42. *Et digitos pedum ex parte ferreos, ex parte fictiles.*] 113.
Digiti, vt vidimus, prouinciæ sunt, quas suo imperio adiunxere Romani. Hæ verò quædam fuerunt ferreæ, fortes videlicet, & strenuæ, B & proferendis belli molestiis idoneæ; quales fuerunt Hispanicæ, & Gallicæ, Græcæ, & aliæ plures, quas non sine magno, diuturnóque labore subiugarunt Romani. Aliæ molles, & fictiles, vt Ægyptus, & aliæ Asiaticæ; tunc verò imperium illud totum antè ferreum, vt ostendunt tibiæ, & pedes, vbi in suum quasi corpus prouincias asciuit externas, ex parte ferreum fuit, & luteum ex parte; propter digitos nempe, qui è ferreo plantario pullularunt.

Ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum.] 114.
Solidum erat Romanum imperium ab ea parte, quæ Romano milite, & sanguine constabat: contritum autem ab ea, quæ ex quibusdam externis C nationibus sub illius potestatem venerat, quam fictiles adumbrabant digiti. Dicitur autem ex ea parte Romanum imperium contritum, non quia pars illa tantùm collapsa sit: nam etiam illud, quod solidum in imperio dicitur, contritum fuit ab exiguo lapide, qui statuam totam in fauillas conuertit; sed quia natura sua infirmum erat, & futile, facileque poterat ab hoste conuelli. Est enim vsitatum, vt participium præteriti passiuæ vocis vim habeat verbalium in *bilis*, quæ non tam actum, vt physici dicunt, secundum, quàm facultatem, dignitatem, aut potentiam operis faciendi significant. Sic locus inaccessus vocatur, qui adiri non potest; animus in- D fractus, aut inuictus, qui neque vinci potest, neque frangi; inuisus homo, quem nemo sine molestia, aut odio videt. Sic contritam appellari puto partem illam imperij, quia conteribilis est, vt reuera facile fuit ab exercitu Romano contrita.

REGVLA. Participium præteriti interdum valet id, quod verbalia in bilis.

Vers. 43. *Quod autem vidisti ferrum mixtum testa ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest testæ.*] 115.
Humanum semen nihil esse aliud videtur, quàm humanum genus: qui dicendi modus in Scriptura inusitatus non est. Ieremias cap. 31. v. 27. *Seminabo domum Israël, & domum Iuda semine hominum, & semine iumentorum*, id est, complebo regionem illam desertam à iumentis, & hominibus, quæ abstulerunt inde Chaldæi, iumentis rursus, & ho- E minibus implebo. Idem Zacharias cap. 2. v. 4. expressit clariùs respectans, vt apparet, ad hunc Ieremiæ locum. *Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius.* Tunc verò sensus erit; licèt inter Romanos, illásque prouincias, quas repræsentant in statua argillacei digiti, communitas sit, atque commixtio humanæ naturæ; sic tamen moribus studiísque dissentiunt, vt non magis cum Romanis coalescant, aut conglutinentur, quàm illa, quæ maximè ingenio, atque fortuna distant; qualia sunt argilla mollis, atque friabilis, & ferrum inflexibile, ac durum. Hæc mihi potiora sunt; neque improbo

116. improbo, si in semine connubiorũ societatem intelligas, quæ colligare solet dissidẽtes animos, nõ minus quàm diuersa coniungit corpora, & facit, vt vna sint, atque eadẽ caro. Neque dubium cuiquam esse debet, inter victos, victoresque populos intercessisse nuptias, quæ pignus esse solent confirmandæ pacis, atque seruandæ fidei. Quòd si ita statuas, sensus erit: intercedent quidem connubia, & aliæ societatis, & amicitiæ vincula; sed præstabunt nihil, cùm diuersi sint mores, vt ipsis non magis cum Romanis conueniat, quàm argillæ cum ferro. Notum est inter eos, qui natura distant, infidam esse societatem, & dubiam amicitiam: conuenit namque bene oui cum ouibus, & columbæ cum columbis; cum alterius verò generis animantibus non item. At homo interdum sic ab homine differt ingenio, ac moribus, vt habere cum alio neges commune genus. Quales fortasse iudicari poterant nationes illæ, quæ non magis cum Romanis in vnum coaluere corpus, quàm cum ferreis pedibus argillacei digiti.

Hominum infida societas.

117. Vers. 44. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur.*] Cætera regna quantumcumque hominum consilio, atque artificio firmata, euanuerunt tandem, & abierunt in nihilum; secus erit de quinto quodam Regno, quod quia maius est, & longè dissimili potentia conseruatur, & regitur, sempiternum erit. Hic occurrit examinandum, cur cùm Christi Regnum (de hoc enim hoc loco vaticinium est) tunc exordium cœperit, quando iam alia regna omnino perierunt, dicatur in illorum regnorum diebus esse suscitandum. Et quidem si pro *regnorum*, vt faciunt alij omnes à vulgato, *Regum* legas, res est obscura magis, & impedita. Neque enim cùm suscitatum est Christi Regnum, Reges illi erant inter viuos, qui imperiis illis, quæ adumbrabat statua, præfuerunt.

118. Quod attinet ad lectionem, vox Chaldaica מלכיא Reges potius significet, quàm regna, quomodo in quibusdam codicibus habet Theodotio, cuius, vt antea diximus, Ecclesia versionem amplexa est; & Irenæus lib. 5. cap. 26. & omnes denique Recentiores interpretes. Neque quoad sententiam, vt suo loco dicemus, valde refert hócne an illo modo legas; Vulgata tamen translatio retinenda. Et quidem si textum ipsum consideres, *regnorum* potiùs, quàm *Regum* legendum est; neque enim hîc Reges cum Regibus, sed cum regnis regna comparantur.

119. De sensu res est impedita magis. Nonnemo hîc, quia Christi Regnum æternum est, neque vnquam non fuit, fuisse quoque affirmat in diebus illorum siue Regnorum, siue Regum Christi Regnum. Sed non video quomodo cohærere possit cum sempiterno Regno esse aliquo tempore suscitatum. Et sanè illud Regnum principio exiguum esse dicitur, instar lapidis abscissi sine manibus; pòst verò in montis magnitudinem excreuisse, atque implesse terram. Hæc verò non video quomodo cum æternitate conciliari possint.

120. Theodoretus Reges illos intelligit, qui aut ipsi ferrei fuerunt, & fictiles, aut regnis fictilibus, & ferreis imperarunt, in quæ regna Romanorum imperium diuisum est. Sed ideo minus placet hæc sententia, quia non dicuntur esse plura regna è ferro, atque argilla, sed regnum vnum, quod in partes duas, seu duo hominum genera diuisum est.

Hieronymus hîc, & Iulianus Pomœrius, Hugo, & Maldonatus putant ideo in diebus regnorum illorum excitandum dici sempiternum Regnum Christi, quia peractis iam tribus illis regnis, quæ referebat, ac sustinebat statua, ortus est Christus sub finem quarti imperij, quod statim subuertit. Sed sanè verba difficilia sunt ad hanc sententiam; neque, quod ego viderim, exemplum aliud est aut in sacra, aut in profana literatura, quod ad cogitationem illam confirmandam adduci possit. Exempla, quæ adducit Hugo, non sunt ad rem. 121.

Magis ex vsu Scripturæ locutus est ibidem Hugo, cùm dicit in diebus illorum Regum suscitatum iri Christi Regnum, quia durante adhuc illorum quarto natus est Christus. Solet autem Scriptura numerum pluralem adhibere, cùm tamen res intelligatur singularis. Exempla adducit Pagninus lib. 4. Institut. cap. 15. Zachar. 9. vbi vulgatus, *super pullum filium asinæ*. Heb. *asinarum*. id est, vnius asinarum. & Iudic. 12. v. 7. Hebr. de Iephte, *sepultus est in vrbibus Galaad*. id est, *in vna ex vrbibus*. Sic hoc loco, *in diebus regnorum*, idem erit, quod *in diebus vnius ex illis quatuor regnis*. Et hæc sententia magis mihi videtur expedita, & facilis. 122.

REGVLA. Numerus singularis pro plurali.

Et regnum eius alteri populo non tradetur.] Chaldaicum, seu Babylonicum regnum traditum est Persis, Persicum Græcis, Græcum Romanis. Quare in eandem potestatem, ac nomen capita successerunt varia; quia regna ipsa in sede stabili non erant, atque ideo in alios, atque alios dominos deuoluta sunt. At Christi regnum quia sempiternum est, neque vis est vlla, quæ omnipotentem virtutem ab illo deiiciat; non alium experietur, aut patietur dominum: in illo Christus in æternum regnabit. 123.

Comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc.] Eô spectabat ingens illa, atque horribilis moles, vt Christi cognosceretur potestas, & humanæ potestatis infirmitas. Illa etenim regna, quæ propter suam amplitudinem, & potentiam omni fortuna, & casu superiora videbantur, leui quadam lapilli collisione perierunt; ita vt nihil ex illa tanta mole reliquum fuerit præter inane nomen. In quo mirè apparet & diuina virtus, & mortalis infirmitas: ex quo excitari potest prudentis animus, vt Deum solum amet, & quærat, & nihil expectet solidum ab humana potentia. Est tamen hîc aliquid, quod expensum hîc accuratè, atque examinatum oportet. 124.

Humana potestas infirma.

Primùm explorandum de quo regno accipiendum sit hoc vaticinium, de regnóne Messiæ, an de aliquo alio. Iosephus, vt optimè hîc obseruat Pereira, Iudæorum regnum significari putat in lapide qui statuam, & in ea tot imperia deleuit. Cùm enim exposuisset lib. 10. Ant. cap. 11. reliqua, quæ de imperiis à Daniele dicta fuerant; cùm ventum est ad lapidem, nihil addendum sibi existimauit; ne videlicet apud Cæsarem offenderet, à quo aliquid gratiæ inire studebat & sibi, & suis: offenderet autem grauissimè si Romanum imperium à Iudæorum regno extinguendum prædiceret. *Adiecit*, inquit, *& de saxo interpretationem Daniel; sed mihi hoc narrare non libuit, cuius propositum est preterita, non futura scribere. Quòd si quis veritatis auidus non desistit inquirere, futurorum quoque obscuros euentus cupiens discere, det operam vt Danielis librum perlegas, qui habetur inter sacras literas.* Hæc Iosephus, qui postea lib. 7. de bello, cap. 12. hanc prophetiam de Vespasiano iam Iudæorum 125. 126.

Iosephi turpis assentatio.

Falsò creditum Vespasiano imperium à Daniele prædici.

dæorum Rege post euersam Hierosolymam, interpretatus est. *Sed quod eos,*inquit, *maximè ad bellum excitauerat, responsum erat ambiguum itidem in sacris literis inuentum, quòd eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Hoc autem planè responso Vespasiani designabatur imperium, qui apud Iudæam creatus est imperator.* Ex Iosepho videntur accepisse quidam ex prophanis, qui fatis imperium orbis Vespasiano deberi prodiderunt. Ita Suetonius in Vespasiano cap.4. qui in fatis fuisse dicit, vt qui è Iudæa proficiscerentur eo tempore, rerum potirentur. Cornelius item Tacitus lib.21. Annal. in hanc sine dubio Iosephi interpretationem intuitus scripsit, *Pluribus persuasio inerat antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, vt valesceret oriens, profectique Iudæa rerum potirentur: quæ ambages Vespasianum,& Titum prædixerant.*Sed quàm vana,atque assentatoria hæc interpretatio fuerit, rerum euentus confirmauit.

127. Sed est omnium non Christianorum solùm, sed Hebræorum communis sententia,vaticinium hoc esse de Messia, seu,quod idem est,de Christi Regno; & speciatim quidam malè accipiunt Iosephum quòd tantam gloriam Vespasiano dederit, eripuerit Christo. Egesippus lib.5. excidij Hierosolymitani, cap.45. Eusebius lib.3. Histor. cap.8. Paulus Orosius lib.7. cap.9. Nizephorus lib.3.hist. cap.4. Iudæi, & cum illis Porphyrius, vt refert hic Hieronymus, hoc regnum esse putant Israelitarum, qui in fine sæculorum regnum obtinebunt fortissimum, quod omnia regna conteret, quódque in æternum duraturum est.

128. Secundò, videndum est, quando iam constat de Christi Regno vaticinium esse, an hoc regnum à Daniele prædictum ad priorem Christi aduentum,vel ad posteriorem pertineat. Non laboro quid hic delirent Chiliastæ de mille annis, quos post resurrectionem victuros esse dicunt cum Christo sanctos; quos in Danielis lapide è monte soluto sine manibus adumbrari putant. Ad illa venio, quæ graues habent auctores, neque rationum momentum leue.

129. Prima sententia est Irenæi lib.5. cap.26. Tertulliani lib.2. contra Iudæos, cap.14. Origenis dialogo 1.contra Megethium, Hippolyti oratione de consummatione mundi, Anastasij Episcopi Nizeni quæst.52.in sacram Scripturam, vbi Origenem citat,& Hippolytum, Theodoreti hic, & Ruperti lib.1. in Danielem cap.6. Neque ab his longè absunt Dionysius, & Lyra, qui existimant quæ de Christi Regno dicta sunt, in secundo Christi aduentu, & in extremo mundi iudicio fore complenda. Ratio est vnica, quam adducit Theodoretus;quia in priori Christi aduentu non est comminutum Romanum imperium, immò tunc maximè floruit per annos quamplurimos: aliud ergo tempus assignandum est, in quo abscindendus sit lapis sine manibus, à cuius concussu imperij Romani moles cadat. Adde quòd in fine dicitur conuellendum,quando lapis fictiles pedes,id est, extremum,& deterrimum imperij tempus percussit,ac dissoluit.

130. Sed est communis,& vera illa sententia, quæ docet,hæc omnia à Christo fuisse præstita in aduentu priori. Longum esset auctores recensere, cùm omnes ferme sint, tam antiqui, quàm recentes. Tenent Iustinus Martyr dialogo cum Triphone, Cyprianus lib.2. contra Iudæos,cap. 17. Cyrillus Alexand. lib.5. Strom.cap.8. Hie-

Hæc prophetia de priori Christi aduentu.

A ronymus hic, Augustinus tract.9.in Ioannem, & alibi sæpius. Burgensis in additionibus in Danielem, Abul.in prolog.in Gen. c.7.quæst.15. Galatinus lib.4. cap.25.26.27. Pereira, Maldonatus. Neque rationes sunt infirmæ. Prima,quia Christi Regnum eo tempore suscitabitur, cùm Romanorum extet adhuc imperium; dicit enim Daniel, *in diebus regnorum illorum*; in aduentu tamen Christi secundo nullus erit, qui imperet, omnes nudo procedent latere,trementésque stabunt ante tribunal Christi. Secunda, quia lapis de monte succisus, qui statuam percussit, atque dissoluit, exiguus erat, & in montem excreuit, & oppleuit terram: hoc optimè in primum aduentum cadit; nullo modo in secundum. In se-

B cundo namque iam erat mons, iam terram impleuerat, neque erat quo cresceret ampliùs; venit enim cum potestate magna, & maiestate, in quo nihil exiguum audis, aut infirmum. Neque tunc excitabitur à Deo quintum illud regnum, quod iam antè suscitatum fuerat; neque enim vllum tempus fuit, in quo Christus non fuerit Rex.

Neque admodum premit Theodoreti ratio, 131.
qui ideo notari hic putat secundum aduentum, quia in primo non statim cecidit Romanum imperium. Imperium enim qua ratione hic auro,

Imperium Romanum quando cecidit.

C argento,ære,ac ferro significetur, suprema quædam potestas est, cui reliquæ subsunt, & obtemperant. Hanc verò potestatem nemo præter Christum habuit, ex quo factus est homo. Alij enim ita rerum, regnorúmque potiuntur, vt Christo imperatori summo subiiciantur, cuius nunc imaginem in eius vicario summo Pontifice videmus; cuius potestas quoad spiritualem saltem œconomiam ad omnia regna,& regiones etiam inaccessas, & ignotas extenditur. Habuit itaque post Christum natum Romanus dominatus splendorem, & potestatem; non tamen summam, qualem habuerat antequam summus imperator Christus illam habuit in mundo;qualis nempe inesse putabatur imperiis. Quemad-

Christi imperio omnia subsunt imperia.

D modum astra splendent quidem, concepto tamen à sole lumine, vt docent frequentes Philosophi:at eorum splendor, si cum sole conferatur,exiguus est, & penè nullus;& totus præsente sole aut vanescit, aut videtur prorsus euanuisse. Sic planè fit in Christi, atque hominum dominatu; regnant etenim homines, & verè regnant, habent tamen à Christo quòd Reges sint, iuxta illud Prouerb.8. *Per me Reges regnant,& legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant*(quæ de incarnata sapientia accipiunt aliqui.) habent splendoris aliquid, sed illud est ad Christi splendorem penè nihil.

E An verò Christi Regnum spirituale fuerit, 132.
an temporale, disputant Scholastici, quorum hæ sunt partes; neque eodem omnes modo cogitant, & sentiunt: mihi sat sit ostendisse, quomodo cessasse sub Christi Regnum dicantur illa regna, quæ quia summa putabantur, neque alteri subiecta, dicebantur imperia. Quod ad moralem sensum pertinet, id est, ad spirituale Christi regnum, quod leges accepit ab Euangelio, & imperatori Christo in Ecclesia paret, est illud Isaiæ cap.49. v.2.3. *Et erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram dimisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* & iterum cap.6. v.12. *Gens enim, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit, & Gentes solitudine vastabuntur.*

Alia

133. *Christus nascens, & moriens pretiosa omnia, ac delicata condemnat.* Alio modo nascente Christo, & eius aduentu primo existimari possũt totius orbis imperia cecidisse; quia quæ grauia censebantur, pretiosa, illustria, damnauit omnia Christus nascens, & moriens; fecitque vt à prudẽtibus vilia putarentur, haberentúrque instar detrimenti, ac stercoris. In auro, atque argento, in quibus Babylonicum, ac Persicum exprimebatur imperium, diuitiæ sese obiiciunt, deliciæ ac gloria; illis tamen suum ademit splẽdorem, & dignitatem Christus pauper, nudus, vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Sanè Bernardus turpe putabat, & monstri simile cùm Christus coronam gestauerit spineam, quemquam auro, aut floribus coronari. Quòd verò imperia, quę ærea vocari possunt, aut ferrea, id est, crudelia, sanguinaria cessare omnino debeãt, & extingui fecit natus infans, in quo non fremitus; sed vagitus: non iræ, non bilis; sed pacis, & misericordiæ vox audiebatur. De quo Isaias cap. 9. cecinit, *Quia omnis violentia, prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. Paruulus enim natus est nobis.*

134. Tertiò explorandum est, quando constat lapidem esse Christum, quisnam sit mons ille, vnde sine manibus excisus est. Quidam in monte Patrem intelligunt. Ita Ambros. serm. 70. *Quid,* inquit, *aliud est de monte ad montem volare, nisi de saluatoris gratia ad Patris gloriam properare? Ipsi enim sunt montes, sicut dicit Propheta; mons de monte sine manibus concidentium, hoc est, filius de Patre absque vllius creationis accessu.* Hoc idem putat Cyrillus lib. 5. thesauri, cap. vltim. vbi obiter obserua hoc loco Ambrosium ad illud, *sine manibus,* addidisse *concidentium*, quod etiam fecit Augustinus oratione contra Iudæos, cap. 12. quod metaphoram excisi lapidis optimè explicat.

135. *Beata Virgo mons.* Vera, & cõmunis opinio est, montem illum esse B. Virginem, ex qua Christus natus est, & factus homo sempiternum illud imperium obtinuit, de quo proximè Daniel. Ita Iustinus Martyr dialogo cum Triphone, Irenæus lib. 3. aduersùs hæreses, cap. 28. Basilius de Christi natiuitate, Hieronymus hìc, Augustinus tract. 7. & 9. in Ioannem, & Recentiores omnes, quos hìc numerare longum esset. Quod etiam sentiunt, qui in monte genus Iudæorum intelligunt; neque enim aliter Christus de Iudæorum genere ortus est, quàm corpus assumens de purissimis Mariæ sanguinibus. Ita locutus est Augustinus tract. 9. in Ioannem. *De quo monte præciditur, nisi de Regno Iudæorum, vnde Christus Dominus secundùm carnem natus est?* Sed idem Augustinus montem illum de regno Iudæorum Virginem esse dicit, in oratione nempe contra Iudæos.

136. *Filius cur dici possit lapis.* Est autem hæc metaphora accõmodata valde Christi natiuitati. Nam primùm Hebræorum phrasi idem est de petra excindi, atque concipi, ac nasci, & hoc potiùs; suscipere namque filios, ædificare domum est: quare filius Heb. בן *ben,* ædificium est, seu lapis, qui ad domus constructionem adducitur: de monte verò, seu de petra excindi, nasci est. Isai. cap. 51. v. 1. *Attendite ad petram, vnde excisi estis; & ad cauernam laci, de qua præcisi estis attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Porrò lapis è latomiis ferramentis, exciditur, & vectibus; quod explicuerunt Ambrosius, & Augustinus nuper, cùm dixerunt, *sine manibus concidentium.* Vt autem nouum aliquid est, & miraculosum à lapidicinis saxum sine externa aliqua industria, siue conatu diuelli; sic planè miraculosum fuit; & nouum, lapidem illum mysticum è virgineo vtero sponte sine vlla virilis commercij opera prodire. Hic est communis Patrum, atque interpretum sensus, qui in eo dicendi modo ortum Christi significari dicunt, illibato, atque integro Virginis pudore.

Ex hac metaphora constat exiguum fuisse lapidem, à quo tanta moles collapsa corruit. nam cùm primùm infans excipitur in lucem, tametsi postea procero sit futurus corpore, exiguus est; sed lapis tunc dicitur in statuam incurrisse, cùm de monte primùm sine manibus excisus est, & ita putat Theodoretus. Quod textus ipse non obscurè docet; cùm dicat lapidem excreuisse, quasi priùs exiguæ molis fuerit, qualis nempe ab exili statu solui de monte, & ad inferiora deuolui solet. 137.

Vers. 45. *Et verum est somnium, & fidelis interpretatio eius.*] Hæc videtur ad extremum addidisse Daniel, ne putaretur locutus fuisse dubitanter, & timidè; vt ostendat, & probet Regi, quæ à vero Deo ostensa sunt, non esse fallacia, aut veteratoria responsa, qualia illorum sunt, quos pro Deo colebat delusa Gentilitas. Quare vt de somnij fide dubitare non poterat Nabuchodonosor, cuius vestigia quædam fuerant in memoria relicta; sic etiam neque de eius interpretatione dubitare debuit, cùm illud multo magis esset obscurum, cùm nullum esset omnino propositum fundamentum, aut signum ex quo capere coniecturam posset humana solertia. 138.

Vers. 46. *Tunc Rex cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit.*] Hic locus suadebat Porphyrio, vt testatur Hieronymus, hunc librum aut non esse à Daniele compositum, aut fidem non habere tãtam, vt à prudentibus magno in loco esse debeat: neq; enim putabat esse credibile superbissimum illum Regẽ eo loco habiturũ esse captiuum, & seruũ, vt ad eius pedes pronus accideret, & diuinos, aut diuinis similes honores exhiberet. Sed non considerabat Porphyrius quàm esset Nabuchodonosor à seipso mutatus, cùm in diuinando, & explicando somnio aliquid videret esse diuinum. Cùm certò cognouisset imperium, cui ipse tunc præerat, non fore perpetuum, neque vllum ex aliis tribus, quæ dissoluenda nouerat exigui lapidis allisu; credibile est spiritus abiecisse pristinos, & demissius de se quàm antea cogitasse. Accedebat ex re insperata admiratio, & stupor, quæ interdum prudentibus etiam hominibus consilium adimunt, & mentem turbant. 139.

Neque quòd homo aliena religione imbutus, homini mortali cultum præstiterit Deo soli debitum, mirandum est, cùm in illo diuinum esse aliquid suspicari potuerit: multo enim minora apud Gentes hominibus diuinam conciliarunt opinionem, & in Deorum numerum retulerunt; &, vt optimè notauit Hieronymus, is erat Gentilium error, vt omne quod supra se esse putarent, pro Deo haberent. Neque hi honores hoc tanto loco hominibus exhibiti; vt ait hìc Hieronymus. Hoc idem fecit Alexander magnus cum Iudæorum Pontifice Iaddo, quem, vt tradit Iosephus lib. Ant. 11. cap. 8. pronus adorauit, cùm tamen spiritus non minus haberet inflatos, quàm Nabuchodonosor. Hoc idem fecere Lycaones signorum magnitudine commoti, cùm Actor. cap. 14. Paulo, ac Barnabæ hostias immolare voluerunt. 140. *Hominibus vnde datus diuinus honor.*

141\. Sed diceret Porphyrius ferendum forsitan videri, quòd homo Gentilis diuinitatis opinione adorare voluerit Danielem, & oblatis honorare sacrificiis; at nullo esse ferendum modo, quòd homo pius, atque humilis Daniel offerri sibi sacrificia permiserit. Sed vnde colligeret Porphyrius illud honoris, ac sacrificij genus à Daniele permissum? Oblatum quidē legimus à Babylonio; acceptum à Daniele non legimus. Immò, credo, neque leuis è textu coniectura sumitur, reprehendisse Danielem præceps illud Regis consilium, & iterasse illud quod antè dixerat vers.28. *Est Deus in cælo reuelans mysteria.* Quibus verbis adductus Rex alio modo ornandum curauit Danielem; honores tamen illos, quos respuisset Daniel, ad Deum transtulit. Huius verò coniecturam ex eo sumo, quia Rex ad Danielem locutus esse dicitur, quasi verba repetens, quæ proximè audierat. *Verè Deus vester Deus deorum est & dominus Regum, & reuelans mysteria.* Hæc enim forsan omnia recens audierat à Daniele, & ideo decreta Danieli sacrificia transtulit ad Deum.

Daniel honorē respuit diuinum oblatum à Rege.

142\. Hic videre videor corruisse Chaldæorum imperium, neque minus subuersum oblata tantùm diuinæ maiestatis, atque potentiæ per quietem imagine, quàm postea Persicis armis miserè concisum. Quid enim potentiæ, quid maiestatis, & gloriæ in Chaldæorum Rege prono, prostrato, ac supplice? An non videtur quicquid antea stupebant tot prouinciæ, ac regna momento temporis abiisse in nihilum? Idem etiam fecit postea cum Alexandro, si Iosepho credimus, quem strauit, abiecitque ad pedes vsque diuina quædam species, quam videbat adesse Pontifici; & hic ipse locus Danielis, in quo Regnorum conuersio, & rerum vicissitudo notabatur. Quid ergo faceret Deus ipse, cùm factus homo in homines commoratus est. Ecqua tanta sublimitas, quæ non se ad terram vsque statim abiiciat? ecqua firmitas tanta, atque durities, quam non aspectus incarnati Verbi emolliat, ac frangat?

[illegible] Dei [illegible] prostrati.

143\. Vers.47. *Verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regum.*] Consecutus est Daniel id, quod optare visus est in principio, vt Nabuchodonosor in Gentilium diis nihil esse crederet rationis, ac mentis; & à vero Deo, quem colebant Iudæi, sperandum esse quicquid certum est, ac solidum. Eo etenim consilio dixerat ab Ariolis, & Diuinis, & Magis, qui cum dæmone familiariùs agunt, & ab eo futurarum, aut occultarum rerum euentus, aut cognitionem exquirunt, nihil esse sperandum; & vnum esse Deū, qui futurorum, atque occultorum cōscius sit. Id ergo fatetur nunc Rex, dum ait Deorum esse Deum, quē colebat Daniel, idque iuxta Hebraicam puto etiam & Chaldaicam phrasim, Deorū maximum; neque videtur omnino negare alios esse Deos, vt bene hîc coniectat Maldonatus. Deinde cùm iam de se minus, quàm antea, superbè sentiret, Deum appellat *Dominum Regum,* seu, quod idem est, *Regem Regum.* quasi à se superbum illum, & imperatoribus attributum titulum abdicaret. Audierat autem priùs vers.37. *Tu Rex Regum es:* nunc id videtur profiteri abesse longè à se inflatum illud nomen, & Iudæorum Deo tantùm deberi.

Nabuchodonosor Deum agnoscit, & confitetur.

144\. Vers.48. *Tunc Rex Danielem in sublime extulit.*] Cùm nihil Propheta diuinum admitteret, honores illi quærit humanos Chaldæorum Rex.

A Quare publicam illi auctoritatem, & magistratum confert; & multis præterea muneribus ornat, ea fortasse quæ vers.6. somnij coniectori promiserat. *Si autem, inquit, somnium, & coniecturam eius narraueritis, præmia, & dona, & honorem multum accipietis à me.* Fidem tunc datam liberat Rex; sed largitur sine dubio multa plura, quàm principio, cum accersiri iussit Chaldæorum sapientes, concedere statuisset.

Et constituit eum Principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum Magistratuum super omnes sapientes Babylonis.] Hæc dignitas magna fuit, & regiæ proxima, qualem obiit Iosephus apud Ægyptios; neque minùs leuauit Danielis au-
B ctoritas Iudæorum ærumnas in exilio, quàm olim Iosephi fratres suos in alieno solo peregrinos. Quanta porrò fuerit Danielis potestas, non solùm ex hoc loco constat, vbi cunctis tam magistratibus, quàm sapientibus Babylonis præpositus esse dicitur, nempe vt illis gubernationis modum, & formam præscriberet, ita vt summa rerum ex vnius Danielis iudicio penderet; sed etiam ex cap. 4. v.5. vbi illum Nabuchodonosor collegam appellat suum, quasi regium socium, quique parem cum ipso potestatem haberet: quomodo Consules, quibus æqua est in administranda republica facultas, vicissim se collegas appellant. 145.

Daniel Magistratu ornatus.

C Vers.49. *Daniel autem postulauit à Rege, & constituit super opera Babylonis Sidrac, &c.*] Vide Danielis modestiam; cùm enim ipse pro sua auctoritate munus illud graue contribulibus suis largiri potuisset; non tamen fecit inconsulto Rege, aut illo non annuente, vt Regis gratiam retineret, quam ad leuandam captiuorum miseriam necessariam putabat. Neque alio consilio ex eodem genere in administranda re Babylonica socios habere voluit, nisi vt peregrini, atque inopes plures haberent, ad quos in ea rerum orbitate confugerent. 146.

Ipse autem Daniel erat in foribus Regis.] Alij contribules, ac socij videntur ad alia opera curan- 147.
D da, siue ad suos magistratus obeundos fuisse à Babylonia, Danielisque societate distracti; quia illis mandatæ dicuntur prouinciales curæ. At Rex distrahere à se noluit Danielem quem sapientissimum nouerat; cuique consilia sua impertiri vellet: quare Daniel erat in foribus Regis. Vatablus secutus Rab. Saadiam ad fores Regis existimat stetisse Danielem, vt ius diceret, & causas iudicaret; quia iudicia, atque consessus instituebantur ad portas. Sed si statuamus apud Chaldæos eodem quo apud Hebræos modo, iudicia, & controuersias ad portas disceptari, quod fortasse verum est; at portæ illæ non erant regiæ domus, sed ciuitatis. Mihi non videtur im-
E probabile, quod suprà diximus, & indicat Hieronymus, à regio latere non recessisse Danielē, à quo quid facto opus esset, assiduè cognosceret. Aut, quod verius reor, hoc dicendi modo regia quædam potestas significatur; illi enim, penes quos sunt omnia, ingredi dicuntur, & egredi cùm libet, quod faciunt, qui clauem habent; vnde fit, vt clauis pro regia potestate sumatur, Isai.cap.22.v.22. sic Moyses Deut.31. de seipso dixit, *Centum viginti annorum sum, non possum vltrà egredi, & ingredi.* Et de Dauid 1.Reg. 18. *Qui ingrediebatur, & egrediebatur in conspectu populi.* Significatur igitur hoc dicendi modo ex Hebraico idiomate, aut magna quædam potestas, aut summa cum Rege familiaritas.

Danielis magna cum Rege familiaritas.

IN

IN CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM.



ABVCHODONOSOR, quo diuinos sibi apud homines honores accerseret, statuam auream ingentis, atque insanæ molis excitari iussit, cui ab omnibus religiosum ab adoratione cultum exhiberi voluit. Quod cùm alij ad primum buccinæ inflatum non inuiti facerent, tres tamen adolescentes Sidrach, Misach, & Abdenago, neque inuitati iterum à Rege præstare voluerunt. Quamobrem grauiter indignatus Rex accendi imperat fornacem septuplo quàm antea vehementiùs, in quam cùm coniecti forent adolescentes excussa ab Angelo flamma, quæ Chaldæorum plurimos interemit, liberati sunt, atque ita liberati à flammarum incendio, vt neque vestimenta, neque capilli attacti, aut afflati fuerint ab vstulante flamma. Immo sic sunt in eo rerum articulo recreati, vt inter flammas matutinæ auræ rorem experti fuerint; neque aliquid aliud ab incendio passi, quàm quod exustis vinculis libero inter flammas graderentur incessu. Habuit ibi priùs Azarias ad Deum orationem satis piam, ac longam; in qua religiosus orator orationis instituendæ inueniat documenta maxima; deinde omnes in diuinas laudes vno ore, atque animo conspirant. Quod admiratus Nabuchodonosor illos euocat è fornace, & maioribus, quàm antea honoribus amplectitur, in Deum tandem verum edicto cauet, ne quisquam deinceps verbum iactet contumeliosum, & impium.

CAPVT III.

1. *Nabuchodonosor rex fecit statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, & statuit eam in campo Dura prouinciæ Babylonis.*

2. *Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, & iudices, duces, & tyrannos, & præfectos, omnésque principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex.*

3. *Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus, & iudices, duces, & tyranni, & optimates qui erant in potestatibus constituti, & vniuersi principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex. stabant autem in conspectu statuæ, quam posuerat Nabuchodonosor rex:*

4. *Et præco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis:*

5. *In hora, qua audieritis sonitum tubæ, & fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniæ, & vniuersi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex.*

PARAPHRASIS.

A 1. Nabuchodonosor, quo sibi diuinũ conciliaret nomen, statuam conflauit colosseæ molis, & ex aurea materia; cuius sexaginta cubitorum erat altitudo, latitudo sex; quam in campo Dura, nobili, atque spatioso loco collocauit.

2. Eo ergo consilio accersiri iussit, & in locum illum conuenire omnes, quotquot aut magistratus, & præfecturæ, aut alij nobiles, & eximij tituli commendabant: quales erant satrapæ, iudices, prouinciarũ
B præfecti, duces, atque tyranni, aut denique omnes, qui in ipsius imperio principẽ locum obtinebant: vt interessent dedicationi statuæ, quam Rex ipse legitima quadã cæremonia, ac sacro ritu dedicari voluit.

3. Congregati igitur sunt ad Regis imperium Magistratus, & Principes, quique in sublimi dignitate, atque ordine à Rege constituti fuerant, & prouinciales præfecti, vt adessent dedicandæ statuæ, quã Rex ex immani auri pondere conflauerat, an-
C tequam quasi venerabundi astabant, intẽtis animis, & arrectis auribus, vt ad primũ tubarum inflatum prosternerent se, & in faciem proni supplices adorarent.

4. Tunc autem præco quàm poterat contenta clamabat voce, ad omnes populos, tribus, & linguas, illísque in hunc modum regium edictum euulgabat.

5. Cùm primùm insonuerit clangor buccinæ, & auditus fuerit citharæ sonitus, fistulæ, sambucæ, psalterij, atque symphoniæ; quodcumque denique musicorum organum concrepuerit, proni, ac supplices

6. Si quis autem non prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.

7. Post hæc igitur statim vt audierunt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniæ, & omnis generis musicorum: cadentes omnes populi, tribus, & linguæ, adorauerunt statuam auream, quam constituerat Nabuchodonosor rex.

8. Statímque in ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusauerunt Iudæos:

9. Dixerúntque Nabuchodonosor regi: Rex in æternum viue:

10. Tu rex posuisti decretum, vt omnis homo, qui audierit sonitum tubæ, fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniæ, & vniuersi generis musicorum, prosternat se, & adoret statuam auream:

11. Si quis autem non procidens, adorauerit; mittatur in fornacem ignis ardentis.

12. Sunt ergo viri Iudæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago: viri isti contempserunt rex, decretum tuum: deos tuos non colunt, & statuam auream, quam erexisti, non adorant.

13. Tunc Nabuchodonosor in furore, & in ira præcepit, vt adducerentur Sidrach, Misach, & Abdenago: qui confestim adducti sunt in conspectu regis.

14. Pronunciánsque Nabuchodonosor rex, ait eis; Verène, Sidrach, Misach, & Abdenago, deos meos non colitis, & statuam auream, quam constitui, non adoratis?

15. Nunc ergo si estis parati, quacumque hora audieritis sonitum tubæ, fistulæ, citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniæ, omnísque generis musicorum, prosternite vos, & adorate statuam quam feci: quòd si non adorauerítis, eadē hora mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?

16. Respon

A auream, adorate statuam, quam excitari iussit Nabuchodonosor.

6. Siquis verò contrà faxit, recusaueritque cernuus ante aureum simulacrum procumbere; è vestigio in ardentem fornacem includetur.

7. Statim igitur Regis imperio, ac præconis voci obsecuti populi, trib⁹, & linguę ad tubæ, fistulæque, atque aliorum instrumentorũ sonitũ proni ceciderunt, adorauerúntque statuã, quam Chaldæorũ Rex Nabuchodonosor sublimem excitauerat.

B 8. In ipso autem temporis vestigio, nihil cunctati viri Chaldæi aduolant ad Regem; apud quem Iudæos reos agunt violati præcepti.

9. Et priùs de more æternam vitam precati, dixerunt Regi.

10. Abs te, ô Rex, propositũ est generale mandatum, vt quicũque clangentis tubæ, & citharæ, fistulæ, sambucæ, symphoniæ, atque psalterij sonitum audierit; statim se ad adorandam statuã supplicē prosternat.

C 11. Si quis verò imperatorio decreto repugnauerit, indictúmque obsequium aureo simulacro non impenderit, sine vlla intercessione, ac mora in accensam fornacem includatur.

12. Ecce viri quidam Iudæi, quos tu ex seruili conditione, & ex puluere, ac sordibus ad amplissimos magistratus excitasti, & operibus publicis totius Babylonici tractus præfecisti, Sidrac nempe, Misac, & Abdenago, nihili omnino pendunt, quid ipse tam seuero decreto populis edixeris.
D Neque enim illi colũt Babylonicos Deos, neque statuam auream, quam erexisti supplices adorant.

13. Graui tunc furore correptus Rex, & impotens iræ præcepit, vt confestim tres illi viri in conspectum suum traherentur. Quod ita statim, sicut imperatum à Rege fuerat, factum est.

14. Ad quos tunc Rex, verúmne est, ô Sidrac, Misac, & Abdenago, quod de vobis multorum clamat rumor & querela, cõtemptui esse vobis Babylonicos Deos,
E & indignam videri statuam, quam erexi, vt illi vos in faciem proni suppliceris?

15. Æquum sanè fuerat, vt violati mãdati à vobis illico pœnas vindex flamma repeteret; agam tamen vobiscum mitiùs, si modò prompto estis, atque parato animo, vt ante auream statuã procumbatis; cùm primùm tubæ, symphoniæ, & aliorum instrumentorum sonitus increpuerit. Quod si nec tunc quidem præstare volueritis, sed adhuc in eodem consilio obstinatò mens hæserit, non est cur à mea benignitate veniam vlteriùs expectetis: statim enim in forna

16. Respondentes Sidrach, Misach, & Abdenago, dixerunt regi Nabuchodonosor: Non oportet nos de hac re respondere tibi.

17. Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare.

18. Quòd si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus.

19. Tunc Nabuchodonosor repletus est furore: & aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach & Abdenago, & præcepit vt succenderetur fornax septuplum quàm succendi consueuerat.

20. Et viris fortissimis de exercitu suo iussit, vt ligatis pedibus Sidrach, Misach, & Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardentis.

21. Et confestim viri illi vincti, cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis.

22. Nam iussio regis vrgebat: fornax autem succensa erat nimis. Porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.

23. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati.

24. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.

25. Stans autem Azarias orauit sic, aperiénsque os suum in medio ignis, ait:

A fornacem ardentis flammæ coniiciam vos. Et quis erit tunc Deus, qui vos à mea manu, atque ab incendio liberet?

16. Ad hæc responderunt tres illi adolescentes, dixerúntque Regi: Quod attinet ad Dei potentiam, qua tuam prædicas esse superiorem, non est cur à nobis responsionem expectes.

17. Ipse enim Deus, quem colimus, reipsa ostendet, quid possit, & pro seipso respōdebit: potest namque nos de manu tua atque ex ardenti fornace liberare.

B 18. Quod verò ad nos attinet, tibi omnino persuasum esse volumus, neque minis, neque flammis extorquendam esse nobis patriam religionem, etiamsi Deus, quod ipsi facillimum est, nolit tamen nos ab incendio, quod nobis minaris, liberare. Quare neque deos tuos religioso cultu, neque statuam tuam adoratione dignam esse profitemur.

19. Ad responsum hoc tam ingenuum, ac liberum, sic exarsit ira Nabuchodonosor, vt inflammato vultu, & scintillātibus C oculis latentis in animo furoris nō obscura documenta dederit. Quare præcepit vt statim fornax accenderetur excessu septuplo, quàm antea ardere consueuerat.

20. Et viris, qui in toto exercitu præter cæteros robore præstabant, mandauit, vt tres illos adolescentes constrictis pedibus in ardentis ignis fornacem mitterent.

21. Illico lictores illi, seu regij satellites, arripiunt iuuenes; neque expectant vt vestibus nudentur, & nudi coniiciantur in D flammas, sicut mos ferebat Babylonicus; sed cum braccis, calceamentis, atque adeò cum tiaris, ac reliquis ornamentis, ac magistratus insignibus cōiiciuntur in flāmas.

22. Vrgebat satellites regius furor vsq; adeo vehementer, vt non satis habuerint otij, vt tres illos iuuenes à suis vestibus, atque ornamentis exuerēt. In camino verò, incendiaria materia septuplo, quàm antè solitum, ingesta vehemens excitabatur incendium, quod nō in pueros intro coniectos, sed in viros, à quibus illuc contrusi E fuerant, sic exarsit, vt illos momento temporis extinxerit.

23. Viri porrò tres, Sidrac, Misac, & Abdenago in medio fornacis, vt erant constrictis pedibus, cecidere.

24. Sed mox à flamma combustis ac dissolutis vinculis surgunt, ambulántque, diuinas laudes cum confessione, & iubilo concinentes.

25. Stans igitur erecto corpore Azarias, qui & Abdenago, aperto ore, & libero spiritu, quod non nisi miraculosè inter flammas, & fumum fieri poterat, orauit in

26. *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in sæcula:*

27. *Quia iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & vniuersa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera.*

28. *Iudicia enim vera fecisti, iuxta omnia quæ induxisti super nos, & super ciuitatem sanctam patrum nostrorum Ierusalem: quia in veritate, & in iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra.*

29. *Peccauimus enim, & iniquè egimus recedentes à te: & deliquimus in omnibus:*

30. *Et præcepta tua non audiuimus, nec obseruauimus, nec fecimus sicut præceperas nobis vt bene nobis esset.*

31. *Omnia ergo quæ induxisti super nos, & vniuersa, quæ fecisti nobis, in vero iudicio fecisti:*

32. *Et tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, & pessimorum, præuaricatorúmque, & regi iniusto & pessimo vltra omnem terram.*

33. *Et nunc non possumus aperire os: confusio & opprobrium facti sumus seruis tuis, & his qui colunt te.*

34. Ne

A hunc modum ad Deum:

26. O parentum nostrorum sempiterne Deus. Benedictus es, dignúsque, quem laudet, & cuius illustre atque gloriosum nomen commendet æternitas.

27. Gratia quidem patimur, non tamē indebita, neque de tuis iudiciis querimur, quæ sanè sunt æquissima, iustus etenim es in omnibus, quæ in caput nostrum decreuisti; opera tua omnia, atque consilia vera sunt, & recta; & à iudiciis tuis quàm longissimè abest error, & iniquitas.

B 28. In malis omnibus, quæ nobis induxisti, & in exilio, aliísque infortuniis, quibus affecisti priùs, atque euertisti Hierosolymam, quam iam olim amplificarunt, habitarúntque parentes nostri, iustum te, & æquum præbuisti, id enim exigebant peccata nostra, quæ tu non indebito supplicio mulctasti.

29. Peccauimus, ô Domine, peccauimus, neque leue fuit delictū abs te recessisse, neque quicquam fuit in quo aliquid non inuenerit, quod damnare posset tua
C iustitia.

30. Tua etenim præcepta contempsimus, neque enim ad eam, quam nobis tradidisti viuendi normam, vitam nostram, & mores attemperauimus; neque denique illum seruauimus viuendi modum, qui à tua liberalitate ac mansuetudine beneficium aliquod promereret.

31. Verè igitur, & rectè de nobis iudicasti, Domine, dum omnia mala, quæ patimur, capitibus nostris inflixisti.

32. Tradidisti nos hominum potestati,
D qui hostili in nos animo sunt; quorum animos iniquos, & duros, nullæ lacrymæ, nullus squalor, nulla denique duræ seruitutis incommoda ad misericordiam inflecterent: tradidisti illius Regis potestati, quo in vniuersa terra nullus est iniustior, nemo crudelior, nemo qui magis humanitatis, ac fidei iura prodiderit.

33. Et nunc Domine si nos scelerum nostrorum conscientia pudefacit, atque confundit, vt liberam nobis querēdi, imò neque loquendi facultatē relinquat. Hinc
E ortum est, vt seruis tuis, viris nempe sanctis, qui à tuorum mandatorum obseruantia, nec lato quidem vngue recesserunt, opprobrio fuerimus, & pudori. Patribus nempe nostris, à quo genus, & familiā ducimus, quales fuerunt Abraham, & Isaac, & aliis qui nunc nobiscum in barbaro dominatu durè vexantur. Cùm enim ipsi sanctè vixerint; existimantur tamen scelerati, & impuri; quia idem cum flagitiosis exilium subeunt, eisdem inter barbaros dominos conflictantur incommodis.

34. Satis

34. *Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum;*

A 34. Satis iam sit, ô Domine, quòd diuturnum traximus exilium immanium dominorum imperio subiecti; statue tandem modum nostræ seruituti; neque patiaris, vt in æternum duret nostra calamitas. Tui quæsumus nominis recordare, à quo nihil sperari potest non benignum; cuius gloriæ tibi consulendum est; non scelerum nostrorum, quæ tuam potiùs iracundiam instimulant. Neque pactum illud antiquum disrumpas, & dissipes, quod cum parentibus nostris olim percussisti.

35. *Neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum:*

B 35. Ne quæso nos à tua misericordia tãquã alienos à tuo populo repellas, concede id nõ nostris, sed Abrahæ amici tui, & Isaac serui tui, & Israelis meritis, quorum olim fidem, & obedientiam probasti.

36. *Quibus locutus es pollicens quòd multiplicares semen eorum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris:*

36. Quibus antè cum iuramento promisisti, eam futuram Abrahamici generis multitudinẽ, vt æquaret stellas, quæ splendent in cælo, & arenã, quæ in littore maris præ multitudine numerari non potest.

37. *Quia Domine imminuti sumus plus quàm omnes gentes, sumúsque humiles in vniuersa terra hodie propter peccata nostra.*

37. Ast Domine hoc tempore eò redacti sumus, vt nullus inter gentes populus C sit aut magis conditione obiectus, & sordidus, aut magis numero minutus, & exiguus. Has nempe à nobis pœnas peccata nostra repetunt.

38. *Et non est in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te,*

38. Sic enim de nobis, réque Iudæorum publica actum est infeliciter, ac durè, vt nullum habeat caput, nullum Doctorem, aut Principem, quem sequatur, nullum sacrificium, neque vllum, vbi sacrificari possit, legitimum locum. Quare cessauit iam holocaustum, cessauit incensum, & oblatio; neque est vbi de more offerri possint, D aut seruari primitiæ.

39. *Vt possimus inuenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur.*

39. Quare hæc non adducimus, quibus tuam aut placemus iracundiam, aut flectamus clementiam; sed pro his animũ afferimus cõtritum, humiliatum, & compunctũ spiritum. Hæc quæso te nobis placent, atque concilient, efficiántque vt ad tuam misericordiam habeamus receptum.

40. *Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in milibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te.*

40. Præstet id quæso apud te compunctus pœnitẽdo animus, & humiliatus spiritus, quod olim, cùm extaret Hierosolymæ Templum, arietũ, ac vitulorum holo- E causta, & agnorum pinguium multæ myriades, nempe vt & tibi placeant, & te placatum reddant, & propitium; quod sperare nos iubet benignitas tua, & multorum annorum experientia, quæ non dubiis documentis ostendit, eos, qui spem suam in tua bonitate posuerunt; non repelli à sua petitione confusos.

41. *Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam.*

41. Et nunc, Domine, superiorẽ vitã detestati, te vnũ sequimur Deum toto cordis affectu; te vnũ obseruamus, & colimus, ad te vnum abiectis vanissimis Gentium idolis,

A lis, præsidij, atque tutelæ causa cõfugimus.

42. Ne confundas nos: sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam, & secundùm multitudinem misericordiæ tuæ.

42. Ne quæso confundas nos, ac dimittas à nostra petitione vacuos; sed fac quod animum tuum mitem, & maiorem in modum misericordem decet.

43. Et erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo Domine:

43. Aliis prodigiis, atque miraculis, quibus tuam hominibus potentiam ostendisti, hoc etiam adde, vt nos ab hoc duro conflictu tueare, tuóque nomini hinc apud homines honor maior accrescat.

44. Et confundantur omnes, qui ostendunt seruis tuis mala, confundantur in omni potentia tua, & robur eorum conteratur:

44. Confundãtur igitur quotquot seruis
B tuis perniciẽ moliuntur, confundantur, inquam, à fortitudine tua superati; & robur illorum à tua virtute fractum extabescat.

45. Et sciant quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum.

45. Et norint omnes te vnũ esse Deum: neque cum tua potentia, ac gloria quicquam in orbe terrarum posse conferri.

46. Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem, naphtha, & stuppa, & pice, & malleolis,

46. Interim dum sic Azarias loqueretur ad Dominũ, satellites Regis, à quibus tres adolescentes in ardentem fornacẽ coniecti fuerant, ardenti ipsi studio, vt ab ipso Rege mandatum acceperant, instabant operi, & aliis atque aliis fomentis, stupa videlicet, pice, ac naphtha, aridisque malleo-
C lis incendia nutriebant.

47. Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadragintanouem:

47. Porrò flamma quæ ex ore fornacis erumpebat, ad eius latus sic explicabatur, effundebatúrque, vt quadraginta nouem cubitorum spatium excurreret.

48. Et erupit, & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis.

48. Erumpens igitur circa latus flamma exussit ex Chaldæorum numero, qui iuxta fornacem, seu spectandi, seu fouendi incendij gratia constiterant.

49. Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem: & excussit flammam ignis de fornace,

49. Angelus autem Domini iam antè à principio descenderat cum Azaria, & sociis in fornacem, & è fornace flammas ex-
D cusserat, quæ in latus erumpentes Chaldæos extinxerunt.

50. Et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit.

50. In ea porrò parte fornacis, vbi erant pueri, à qua longè Angelus flãmas excusserat, ea erat ab Angelo inducta temperies, vt perflare videretur roscidus ventus, qualis matutino tempore aspirare solet à mari; pueros autem neque vllo modo tetigit ignis, neque quicquam doloris, aut molestiæ ceperunt ab incendio.

51. Tunc hi tres quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes:

51. Tunc tres illi pueri Dei verè paternum animum admirati, conspirant omnes in diuinas laudes, & quasi vno ore eisdem
E vocibus, ac numeris Deum hunc in modum in fornace laudabant:

52. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum: & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula: & benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum: & laudabile, & superexaltatum in omnibus sæculis.

52. Dignus es, ô Domine Deus patrum nostrorum, quem omnes celebrent, & laudent, quem gloriosum prędicent, & maiorẽ in modum in omnem æternitatem exaltent. Dignus, inquam, iterum, & millies, quem omnes in æternum sanctum esse, atque gloriosum fateantur, & prædicent.

53. Benedictus es in tẽplo sancto gloriæ tuæ: & superlaudabilis, & supergloriosus in sæcula.

53. Dignus es, qui in templo sancto, tuæque gloriæ consecrato gloriosè prædiceris, &

54. Bene

54. *Benedictus es in throno regni tui: & superlaudabilis, & superexaltatus in sæcula.*

55. *Benedictus es, qui intueris abyssos, & sedes super cherubim: & laudabilis, & superexaltatus in sæcula.*

56. *Benedictus es in firmamento cæli: & laudabilis & gloriosus in sæcula.*

57. *Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

58. *Benedicite Angeli Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

59. *Benedicite cæli Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

60. *Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

61. *Benedicite omnes virtutes Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

62. *Benedicite sol & luna Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

63. *Benedicite stellæ cæli Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

64. *Benedicite omnis imber & ros Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

65. *Benedicite omnes spiritus Dei Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

66. Bene

A & supra omne laudabile, atque exaltabile lauderis, & exalteris in sæcula.

54. Laudabilis es in throno, quē tibi tū in cœlo, tum in tēpli adytis, inter alas Cherubim constituisti, vbi tanquam in proprio domicilio regnas, & supra omne quod laudari, atque exaltari potest, exaltandus.

55. Dignus es, ô Domine, quem omnes æterna laude prosequantur, qui cùm in sūmo cœlo sedeas supra Cherubinos, nihilominus, quæ in abyssi profūditate latēt, sine vlla obscuritate, atq; cōfusione despectas.

B 56. Dignus est Deus, quē ipsum cœli firmamentū, quæque in ipso aut viuunt, aut splendent, æternis efferant præconiis.

57. Ergo quando dignus est Dominus, cuius laudi, ac gloriæ omnium rerū voces, atque præconia seruiant, agite iam opera omnia, quibus vt sint, viuant, ac durent à diuina manu concessum est, æternas illius bonitati, ac gloriæ laudes impendite.

58. Et primùm, ô Angeli, quibus ad magnorum operum effectionem administris vtitur Dominus, adeste nobiscum, & ad diuinas laudes æternùm celebrandas quicquid vobis datum est virium aduocate. C

59. Et vos, ô cœli, qui enarratis gloriam Dei, facite vt ista de diuina maiestate præconia, sempiterna sint.

60. Et vos aquæ, quæ in aëreo cœlo, è terrę vaporibus in nubes coactę cōstitistis, laudate Deum, & vestris vocibus exaltate.

61. Vos quoque, cœlestes virtutes, quarum variæ conuersiones, & aspectus miras terris inducunt rerum vicissitudines, illum D à quo vim illam admirabilem accepistis, immortalibus celebrate canticis.

62. Virtutes cœlorū, generatim ad diuina præconia prouocaui; nunc ad vos seorsum, ô sol, & luna, sermonem conuerto. Adesto igitur, ô sol, adesto tu quoque, ô luna, illustrissima cœli luminaria, & luce vestra, quæ vobis erit pro numeroso cantico, vestræ lucis auctorē æterna laude celebrate.

63. O reliqua cœlorum astra, quorum varius est splendor, & facultas, sempiternis Dominum extollite præconiis.

E 64. Aduocaui priùs aquas, quæ in aëreo firmamento sunt, ad diuinas laudes, in quibus intelligebam humidā, fluidámque naturam, quæ ex terræ vaporibus, in aëre cōcrescit, nunc autem singulas illius partes ad idē opus speciatim inuito. O igitur imber, qui è resolutis nubibus terrā rigas, ô ros, qui molliùs, atque sedatiùs, & herbis insides, & terræ faciem humectas; laudate vos quoque Dominum, & eius prouidentiam admirabilem in æternum cantate.

65. Vos quoque, ô venti, quorū aspiratione multiplici, multiplex etiam naturæ

mortali

A mortali cōmoditas inducitur, facite vt quouis Gentium diuinæ laudes sine vlla cessatione, vestro perflante spiritu perferantur.

66. Benedicite ignis & æstus Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

66. Neque vos, ô ignis, atque æstus, pij huius officij, ac debiti expertes esse volo. Quare efficite vt nunquam à vobis diuinæ maiestatis laudes intermittantur.

67. Benedicite frigus & æstus Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

67. Huc etiam aduoco cum æstu, atque igne, frigus quoque, atque iterum calorem, & æstum: licèt enim natura sint contraria, ad hanc tamen æternæ laudis operam conspirare cupio.

68. Benedicite rores & pruina Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

B 68. Nunc ad aquæ partes mea vota conuerto, ô igitur cœlestis humor, siue liquidus sis, & in aquā solutus, siue ab hiberno gelu concretus in pruinam, tu quoque, quo potueris modo, in auctoris tui assiduam commendationem incumbe.

69. Benedicite gelu & frigus Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

69. Huic vos, ô gelu, & frigus, in idē laudandi Deum studiū, socios adiungite, illius igitur in vobis audiatur sempiterna laus.

70. Benedicite glacies & niues Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

70. Laudate Deū, ô aquæ, siue in glaciē, cristallúmque concretæ, siue in candentiū
C niuiū mollitudinem coactæ, neque vnquā ab æterna laude silentium admittite.

71. Benedicite noctes & dies Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

71. Ipsa quoque noctium caligo, ipse dierum splendor sua constanti, ac rata vicissitudine quasi constanti quadam, & sempiterna harmonia diuinæ potentiæ opus admirabile prosequantur.

72. Benedicite lux & tenebræ Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

72. Benedicant igitur Dominū non tantùm diuturnus splendor, sed etiā nocturna caligo: & eius cantent in æternū magnalia.

73. Benedicite fulgura & nubes Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

73. Benedicant iterum nubes Dominū, & quæ è nubibus emicant, & vibrantur
D fulgura, & ab illis oriatur, & emicet immortale canticum.

74. Benedicat terra Dominum: laudet & superexaltet eum in sæcula.

74. Nunc à nubibus, regionéque meteora ad infimum elementum, quæque in illo habitant, aut ex illo nascuntur, canticum hoc prouocatorium conuerto, quod ab hoc communi, atque immortali laude expers esse non patiar.

75. Benedicite montes & colles Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

75. Primùm vos appello, ô mōtes, & colles, qui à terra sublimes cœlū versùs assurgitis, hortórque, ne quod in vobis vnquam sit in diuina bonitate celebranda silentiū.

76. Benedicite vniuersa germinantia in terra Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

E 76. Idem vobis edico, ô plantæ, ac germina, quæ ex suo gremio terra fœcundo partu, atque multiplici diffundit. Deum igitur vestrum & fructuum suauitate, & frondium viriditate, ac luxu perpetuis celebrate cantilenis.

77. Benedicite fontes Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

77. Et vos, ô fontes aquarum perennitate conspicui, susurro dulci perstrepentis, ac murmurantis aquæ, quasi continenti, ac perenni cantico diuinas laudes personare, & à vestro constanti, atque perenni cursu, perenne quoque, & constans, ad laudandum Deum argumentum assumite.

78. *Benedicite maria & flumina Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

A 78. O maria fluuiorum omnium cõmune diuerticulum; ô flumina, quæ fœcundã redditis, & speciosam terram, illámque vitreo quodam splendore distinguitis; inexhaustos sinus, & perenne profluuiũ in bonitatis diuinæ laudes inexhaustas cõferte.

79. *Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis, Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

79. Quæcumque in pelagi, fluuiorũque sinu aquatiles belluæ, vel ingenti mole sinus habitant profundos; vel exiguo corpore, aut fluitant in marinis, aut fluuialibus aquis, aut saxis adhærescunt, in omne sæculum Deum tam miræ varietatis opificem summum celebrate.

80. *Benedicite omnes volucres cæli Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

B 80. Quemadmodũ omnia quæ in aëreo cœlo è terræ vaporibus generãtur, ad laudes diuinas celebrandos inuitaui; sic etiam nunc, ô volucres, quę cœlum idem aëreum assiduo percurritis volatu, ad eosdem laudes in æternum celebrandas inuito.

81. *Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

81. Conferant huc suam quoque operã animantia omnia, quæ vagantur, & pascũtur in terris, tam indomita, ac fera, quæ in syluis agunt, quàm quæ cicurata & mitia ad hominum domesticum, ac familiarem vsum in agris pascuntur.

82. *Benedicite filij hominum Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

C 82. Adeste ad extremum, ô filij hominũ, ad quos diuinę liberalitatis pars maior spectat, & cum aliis omnibus, vestrũ quoque studium, & canticum conferte, cui diuina bonitas æternum exhibeat argumentum.

83. *Benedicat Israel Dominum: laudet & superexaltet eum in sæcula.*

83. Quia non fecit talia Deus omni nationi, qualia & olim parentum nostrorum, & nunc memoria nostra fecit Israelitidi genti; ideo tu Israel, omnium maximè cura, vt in ore tuo nunquam non resonet diuinum encomium.

84. *Benedicite sacerdotes Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

D 84. Inter omnes præcipuè, ô sacerdotes, quorum id est maximè proprium, vt ad sacrum ministerium, & diuinas laudes excubetis, eô, quam maximo potueritis studio, incumbite, ne vnquam ab ore vestro diuinum excidat, & cœleste præconium.

85. *Benedicite serui Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

85. Et vos, ô serui Domini, quorum in diuinis auribus grata est commendatio, laudate Dominum, & cœleste canticum in omnem æternitatem producite.

86. *Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino: laudate & superexaltate eũ in sæcula.*

86. Laudate, & vos iustorum animæ, & E spiritus religiosa ingenuitate nobiles Deũ vestrum; neque vllo tempore committite, vt pium hoc, & multis nominibus debitum officium deseratis.

87. *Benedicite sancti & humiles corde Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

87. Qui sancti estis, & corde sic affecto, vt de se nihil magnificè loquatur, aut cogitet, æternas conferte laudes in illum, quem bonorum omnium auctorem confitemini.

88. *Benedicite Anania, Asaria, Misaël, Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

Quia eruit nos de inferno, & saluos fecit de manu mortis, & liberauit nos de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos.

89. Con

88. Benedicite, ô tandem recentibus nunc cumulati beneficiis Dominum, ô Anania, Azaria, & Misael, & in eius sẽpiterna præconia totos animi neruos, & corporis intendite, eo vel maximè, quia de morte

nos,

89. Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in sæculum misericordia eius.

90. Benedicite omnes religiosi Domino Deo deorum: laudate & confitemini ei, quia in omnia sæcula misericordia eius.

91. Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, & surrexit propere, & ait optimatibus suis: Nónne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Qui respondentes regi, dixerunt: Verè rex.

92. Respondit, & ait: Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.

93. Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis, & ait: Sidrach, Misach, & Abdenago serui Dei excelsi egredimini, & venite. Statímque egressi sunt Sidrach, Misach, & Abdenago de medio ignis.

94. Et congregati satrapæ, & magistratus, & iudices, & potentes regis, contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & sarabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos.

95. Et erumpens Nabuchodonosor, ait: Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach, & Abdenago, qui misit angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum: & verbum regis immutauerunt, & tradiderunt corpora

A nos, atque sepulcro incolumes eripuit; quia de inflammata fornace, & de flammis supra modum ardentibus extraxit.

89. Laudate Dominum propter bonitatem eius inexhaustam, & quia in æuum eius misericordia durat; sic etiam vos curate, vt in æuum vestra commendatio perpetuò perseueret.

90. Omnes denique, quibus sanctitas, & pura religio curæ est, exaltate illũ, qui Rex Regum est, & Deorũ Deus, laudate illum tum ob alia multa, tum quia B sæculorum sæcula illius misericordiam nunquam exhaurient.

91. Eo verò tẽpore Nabuchodonosor cùm inter medias flãmas cãtantes audiret, & deambulãtes videret, quos cõstrictis pedibus in fornacem iniecerat, tũ etiam quia cùm tres ipse eo supplicio condemnasset, quatuor tamẽ inter flammas aspiceret, stupore correptus ingenti, exiliit confestim è throno, & conuersus ad viros optimates, & principes, qui ipsius lateri assistebant, ro- C gauit ab illis an tres tantùm viri constrictis pedibus essent in caminum iniecti, qui responderunt, ita esse prorsus, sicut Rex ipse cogitabat.

92. Tunc ad ipsos iterũ Rex: Ecquid est, quod ego nunc video viros quatuor ab omni vinculo solutos, & sine vllo impedimento liberè inter ipsa flammarum incendia deambulantes, qui nihil à flammis acceperunt incommodi: & quarti species diuinum aliquid præsefert, ita vt Dei ipsius prolem esse putes.

93. Accessit tunc propiùs ad fornacis o- D stium quod etiam tunc flammas euomebat, & pueròs hunc in modum allocutus est: Egredimini ô serui Dei excelsi, & veri, Sidrac, Misac, & Abdenago, egredimini, inquam, & adeste huc ocyus; cuius voci obsecuti pueri confestim ex mediis flammis exilierunt.

94. Conuenerunt cum Rege, quotquot in ea republica principem obtinuerãt magistratum, & locum. Cúmque accuratè, ac per otium explorassent, quid esset vis illa flammarum operata; neque minimum deprehendunt flammę vestigium. Sic illibati, E ac puri prodierunt ab igne, quasi ibi ignis fuisset nullus, aut nulla in igne vrẽdi foret, aut nocendi potestas. Neque enim adustus est capillus, neque ab incẽdio leuiter afflata vestimenta, neque vllus denique ab vstulante flamma ingratus odor.

95. Admirans Rex, cùm supra naturam, cogitationémque suam multa contigisse cerneret, in hæc verba confestim erupit: Benedictus sit Deus, quem Sidrac, Misac, & Abdenago venerantur, & colunt, qui Angeli

ra sua ne seruirent, & ne adorarent omnem deum, excepto Deo suo.

A Angeli sui ministerio liberauit eos, qui ipsius fidei, atque tutelæ omnia sua, atque adeò vitã ipsam crediderunt; feceruntque vt cõsiliũ ego, animũ, ac verba mutauerim, cùm ipsi contra faciunt, & dicunt, quàm, & ego cogitabam animo, & regio cauerã edicto, dum vitæ periculũ non horrẽt, imò lubẽtes adeunt spreta omni religione Gẽtilium; neque Deũ vllum colentes, præter verum, quẽ ipsorũ parentes, venerati sunt.

96. A me ergo positum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus & lingua, quacumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat, & domus eius vastetur: neque enim est alius Deus, qui possit ita saluare.

B 96. In posterum igitur decerno, edictóque seuero cautum esse volo, ne quis deinceps populus, tribus, & lingua verbũ iactet cõtumeliosum, & impium in Deum quem Sidrac, Misac, & Abdenago colunt, & adorant. Si quis contrà faxit, malus malè pereat, & illius domus à fundamentis excindatur. Neque enim Deus est alius, qui sic cultores suos præstet incolumes.

97. Tunc rex promouit Sidrach, Misach, & Abdenago in prouincia Babylonis.

97. Suum autem de Iudæorum Deo mutatum esse iudicium, neque verba ipsa habuisse simulationis aliquid reipsa probauit. Statim enim tres pueros Sidrac, Mi- C sac, & Abdenago in eadem prouincia Babylonis amplioribus auxit Magistratibus.

98. Nabuchodonosor rex, omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in vniuersa terra, pax vobis multiplicetur.

98. Hoc porrò fuit edictum, quod meliori iam mente scripsit Nabuchodonosor. Nabuchodonosor Rex omnibus populis, tribubus, & linguis quacumque terrarum regione degant, salutem, & felicitatem precatur.

99. Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare.

99. Deus excelsus, tum apud me, tum me præsente mirabilia, & prodigiosa dedit suæ potestatis documenta.

100. Signa eius, quia magna sunt; & mirabilia eius, quia fortia: & regnum eius regnum sempiternum, & potestas eius in generationem & generationem.

D 100. Visũ est ergo mihi nõ verbis solùm, sed etiã scripto prædicare, quàm ipse magna, quàm admirabilia ediderit signa, quã præclara exhibuerit infinitæ suæ potentiæ testimonia. Quemadmodũ ipse Rex Regũ sit, & illius sẽpiternũ imperiũ, cui in omnẽ æternitatẽ vis, & potestas defutura non sit.

Vers. 1. *Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream.*]

1. *Nabuchodonosor quãdo erexit statuam.*



NON constat quo tempore vanissimam hanc statuæ molem excitarit Nabuchodonosor; sed certum est erectam fuisse post somnium de altera statua, quod à Daniele solutum est. Nam tres adolescentes, qui illam adorare recusarunt, præfecti dicuntur prouinciis, aut constituti super opera Babyloniæ; quod munus non nisi post solutum somnium agente Daniele consecuti sunt.

Certum item est, quo tẽpore excitata fuit statua, funditus fuisse excisam ciuitatẽ, & euersum templum; id enim in sua oratione apertè dicit Azarias v. 38. *Non est*, inquit, *in tempore hoc Princeps, & Dux, & Propheta, neque holocaustum, neque sacrificiũ, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te.* Quod si verum est communis interpretum sensus, somnium illud oblatum esse Chaldæorum Regi post deuictam Syriam, & subactã Ægyptum, quo tempore rerum potitus, & Monarcha vocari potuit; constat multo post euer- E sam Hierosolymam tempore, elatum prospero rerum successu barbarum Regẽ, & inflatum imperatorio nomine, in statua aurea non solùm cõgnosci, sed etiã adorari voluisse. Chrysost. 1. tom. in serm. de tribus pueris, & Theodoretus hîc affirmant hæc contigisse anno Nabuchodonosoris 18. Sed quocumque modo consideres, non videtur in hoc tempus incurrere potuisse.

Vnde verò in illam cogitationem venerit, aut quid sibi in illo prodigioso cõmento proposuerit, incertum est. Aliqui putant non tam de sua gloria laborasse Regem, quàm de suorum Deorũ cultu, quem videbat ex pristino statu nonnihil cecidisse. Quare putant statuam illam colosseam non esse Regis; sed Deorum alicuius imaginẽ. Et quidem si textum consideres, non magis verba Regi, quàm idolis statuam dedicatam esse significant. Immò vers. 12. 14. 18. aliquid legimus, quod idolis magis, quàm Regi fauet. Nam dum pueri dicunt, *Deos tuos non colimus, & statuam au-* 2.

regem, quam erexisti, non adoramus. id videntur significare, ideo impium illud obsequium recusare, quod Deos non colerent, quorum illud videbatur esse simulacrum.

3. *Principes se pro Diis haberi student.* Veruntamē eò incumbunt omnes ferme Patres, & interpretes, vt putent sibi Regem erexisse statuam, & in ea voluisse coli se pro Deo. Ita Hieronymus, & Theodoretus hîc, Chrysostomus homil. 4. in Matth. Fuit hæc imperatorum insania, & stupor, vt quia alios potentia, atque opibus superabant, aliis se natura superiores existimarent: quare ab humano statu, terrenáque natura sublimes, ad diuinos honores aspirabant. Fecit hoc idem aliàs Nabuchodonosor, Iudith cap. 3. v. 13. *Præceperat enim illi* (Holopherni) *Nabuchodonosor Rex, vt omnes Deos exterminaret, videlicet, vt ipse solus diceretur Deus.* Idem rursus cogitabat, meditabatúrque secum Beltasar totius Chaldæorum imperator, de quo Isaias cap. 14. *Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Tentarunt id sæpe Reges alij, qui aut ipsi diuinos sibi honores impendi curabant, aut ab aliis oblatos admittebāt.

4. *Cur imperatoribus datum Diui nomen.* Vnde ortum est in imperatoribus *Diui* nomē; quod iam penè in ea potestate hæsit. Quod primùm ortū à timida, & assentatoria plebe; deinde increbescente vsu confirmatum est. Cùm verò potentia, & opes non solùm superbos faciant homines, sed stultos, & fatuos, credulos se præbent popularibus voculis, sibíque persuadēt aliquid sibi diuinum esse, & suprà naturam hominum. Putant, credo, homines amentissimi ex auro conflari Deos, ineſſéque plus diuinitatis illi, cui auri plus inesse contigerit. Sic Nabuchodonosor cùm tantum haberet auri, quantum ad statuam fingendam 6. cubitos latam, 60. sublimem satis esset, Deum se putauit, & proposito capitali supplicio adorari se iussit. O pudor! ô mens!

5. *Qui opibus, ac diuitiis superbiunt, vanissimi.* Optimè Chrysostomus suprà, hos homines, qui se supra homines esse somniarunt, homines esse desiisse indicat, & in ignobilem aliquam naturam degenerasse, in lignum videlicet, aut lapidem, quibus nisi extrinsecum, atque alienum addas ornamentum, vilissima sunt. Sic enim ille ad ambitiosum homil. 4. in Matth. *Id, inquit, pateris omnino, quod Nabuchodonosor legimus pertulisse: Nam ille statuam quondam erexit è ligno, & mortua corporis imagine, magnam scilicet famam aucupaturus, ac viuus à re non viua claritatem mutuaturus. O ingentem insaniam, quæ se honorare est visus, deridendum præbuit. Nam qui re mortua nixus, magis quàm seipso, & mentis suæ viribus lignum supra se dignatur, qui non sit ille obsecro, risu maximè dignus, non à moribus, sed à tabulis, & asseribus commendari volens? vt si aliquis de magnitudine, ac pulcritudine domus, de scalis potius, gradibúsque marmoreis se esse honorabiliorē putat, quàm quòd homo genitus, & rationis nobilitate donatus est. Hunc itaque plurimi etiam nunc inueniuntur imitari. Vt enim ille tunc de imagine aurea; sic modò alij de veste pretiosa; de equis alij, vel curribus; de amplitudine columnarum, quæ sunt in ædibus, & picturis parietum opinantur se esse meliores. Quia enim, quod erant, homines perdiderunt, sollicitè huc, illúcque circumeunt aliunde sibi gloriam colligentes omni sanè irrisione dignissimam.*

6. *Pœnitentia retractata.* Hæc fortasse potissima ratio fuit, cur simulacrum illud aureum excitare voluerit Nabuchodonosor; alij alias adducunt. Theodoretus, cui subscribit Maldonatus, putat excitata illa statua delere voluisse, aut vanas ostendere, ac nugaces

A prædictiones, quas ex statua alia, quæ in somniis fuerat oblata, à Daniele audierat. Cùm enim tunc admiratus pronum se ad Danielis pedes abiecisset, Iudæorúmque Deum Regum appellauisset Regem, & Deum Deorum; & ea confessione minori esset in pretio Chaldæorum religio; ferebant id grauiter Chaldæi, & in suo Principe constantiam desiderabant, & robur, quasi mutatio illa animi non foret ex iudicio, ac ratione; sed ex languore, ac timiditate profecta. Aliquorum ergo obtrectatione, & murmure, aliorum assentationibus, quibus se principes nimium credulos præbent, qui diuinum aliquid se videre dicebant in regiis moribus, ac vultu,

B adductus fatuus, & barbarus Princeps statuam opposuit statuæ, id est, sua consilia diuinis; in qua aut delere voluit, aut illudere quod in altera statua priùs horruerat. Audierat in priori statua se caput esse aureum; sed illud etiam audierat subesse statim argentum, deinde æs, ad extremum ferrum, & lutum, quibus significabatur regnorum successio, & extrema vastitas. Contra hæc omnia statuam erigit colosseam, eius fortasse magnitudinis, quam in altera in somnis obseruauerat. Fecit autem auream, quia pars alterius aurea Babylonici imperij signum erat. Vt verò ostenderet imperium illud fore perpetuum, neque peregrini capitis corona interrumpendum, *Statua cur ex auro.*

C nihil admiscuit peregrini metalli, totam ad pedes, summósque digitos conflauit ex auro.

Maldonatus aliam causam fuisse coniectat superbi illius simulacri conflandi, inuidiam nempe Chaldæorum Principum, qui iniquè ferebant tres adolescentes Danielis socios ex alieno genere magistratibus aliis esse præpositos: quare insidiati illorum vitæ, illud excogitauere consilium, vt illos perderent, si aliquid à Rege illis esset iniunctum, quod sciebant illos omnino recusaturos; quos patriæ religionis studiosissimos, ac tenacissimos esse cognouerant. Hoc verò facit non improbabile, quòd eodem consilio infrà cap. 6. persuaserunt Dario Medorum Satrapæ, 7.

D vt edicto caueret, ne quisquam ab alio, quàm à Rege aliquid oraret; vt ea ratione violatæ legis Danielem accusarent; quem suspicabantur non ideo omissurum quotidianam, & quasi legitimā orandi consuetudinem. Vtrauis ratio grauis est, & coniectura non leuis; vtraque fortasse Regem in illam stultam cogitationem induxit.

Fecit statuam auream.] An verò solida fuerit ex auro, an intus caua, qualis ex ære fuisse dicitur Rhodius colossus, incertum est. Hieronymus iudicat fuisse solidam ex auro, dum ait, *Quod autem sit aurea, & infiniti ponderis, illud in causa est, vt stuporem videntibus creet.* Pereira ex lamina putat formatam aurea, & intus esse vacuam: nam ad 8. *Statua non videtur esse solida ex auro.*

E speciem idem valet, atque si nihil in illa foret vacui; & alioqui vix ad molem illam suffecturum videbatur, quantum auri conuerti posset ex tota Babylonia. Hoc posterius videtur magis ad veritatem, quod etiam putat Lyra: & addit sibi non tam aureum videri, quàm inauratum simulacrum. Quod indicat Chrysostomus suprà, cùm dicit statuam illam erectam è ligno, nempe tecto auro. Sed hoc extremum planè difficile est, neque admodum aptum ad significandā superbissimi Regis amplitudinē; cùm illud vir quicumque non ad modum potens præstare potuisset.

Et statuit eam in campo Dura.] De hoc campo nihil habemus certi. Rab. Abenezra ex Hebræorum traditione docet Iudæorum vim magnam in eo campo fuisse trucidatam, eóque consilio 9. *Dura quis locus.*

eo

eo in loco positam imaginem, vt Iudæos magnæ illius cædis admoneret; cogerétque similis supplicij metu, vt supplices procumberent, & in statua Regem adorarent. Rab. Saadias in ea prouincia fuisse putat Sidrac, Misac, & Abdenago; & quia illis ab inuidis exitium parabatur, non alium locum ex multis erigendæ statuæ fuisse delectum. Petrus Comestor in Daniele cap. 3. Dura fluuium esse putat, iuxta quem ædificata turris dicitur à Gigantibus, & addit circumobductum esse peribolum, à quo campus esset vndecumque conclusus. ita vertunt L X X. Hieronymus autem περίβολον, quod addidere L X X. locum conclusum seu viuarium exponit. Obscura sunt omnia; sed non multum refert explorare, ac nosse minutias has.

10. Vers. 2. *Ad congregandos Satrapas, magistratus, iudices, & tyrannos.*] Hæc nomina, & quæ sequuntur, variè à variis redduntur, explicantúrque; neque vllus est, qui de illorum significatione, atque vsu certi aliquid affirmare audeat. Quia minuta hæc, quæ rarò audiuntur, idque in aliena, ac peregrina republica, non facile intelliguntur etiam à curiosis ingeniis. Nomen primum non semel reperitur in Scriptura אחשדרפניא *achasdarpenaiah* in lib. Esther, & Esdræ, quod Hieronymus per vocem Persicam reddit *Satrapam*. Est autem Satrapa sine dubio magistratus aut primus, aut certè qui non longè recedit à primo; quia, vt obseruare cuilibet promptum est, primo semper loco inter magistratus alios numeratur. Fortasse ille est, qui pro Rege prouinciam aliquã moderatur, quales sunt proreges, qui Regum tuentur nomen, & pro Regibus ipsi quodammodo regnant; aut consules, qui reipublicæ sustinent nomen, & vocem. Sanè ita interpretatus est Theodotion, qui reddit ὑπάτους. Fortasse hoc erat præcipuum Satraparum munus, vt regiam tuerentur dignitatem, curaréntque vt debitum regibus præstaretur obsequium: quare id videtur Satrapis negotij mandatum, vt curarent diligenter, ne quis in adoranda statua regium edictum contempsisse videretur. Nonnulla verò coniectura sumitur ex Philostrato lib. 1. de vita Apollonij, cap. 19. vbi docet illam fuisse Babylone consuetudinem, vt ne Satrapa, qui magnæ vrbis portæ præsidebat, quenquam peregrinum in vrbem admitteret, nisi priùs auream Regis statuam adoraret, quod fortasse ortum habuit ex hac Regis statua. Lyra Satrapæ eam esse putat etymologiam, quòd sat rapiat, quia qui præsunt auidas habent, & furaces manus, & ad prædam, & rapinam potentes: quasi Satrapa vox esset Latina, & non potiùs Persica, miror cuiquam docto rationem illam nominis in mentẽ venisse.

Satrapa quid.

Nemo Babylonem ingredi permissus, nisi prius adorata Regis statua.

11. De reliquis nihil dico, quia nihil dici posse video certum; aut quod nosse plurimi intersit: illud certum puto, nomina esse magistratuum, qui publicas curas sustinebant, quæ variè reddunt interpretes. Illud probare nõ possum, quod quidam Musicorum putant esse nomina, illorum nempe, qui aut inflandis tibiis, aut pulsandis instrumentis aliis populum illum ad imaginem illam adorandam incitabant.

12. Aduocatos esse Magistratus, ac Principes, & quotquot in prouinciis nobilem locum obtinebant; ideo putat Hieronymus, vt popularis alia turba illorum exemplo obsequium illud exhibere non horreat. Id enim habent magnorum hominum exempla, vt speciem addant, & quendam quasi fucum honestatis, rebus interdum sordi-

Potentiorũ exẽpla perniciosa.

A dis, & turpibus. Hinc magno reipublicæ malo experimur quotidie, dolemúsque quamplurima vitia à corruptis Principum moribus, erroréque vulgi pro virtutibus censeri. Quare optimè Cicero lib. 3. de legibus, perniciosiùs de republica mereri dicit Principes, quia non solùm ipsi vitia concipiunt, sed ea in ciuitatem infundunt: neque solùm obsunt quòd illi corrumpuntur; sed etiã quòd corrumpunt alios, plúsque exemplo, quàm peccato nocent. Quare sapienter Plutarchus libro de institutione Principis, ait non vno supplicio esse dignum, qui Principũ mores aut pessimo exemplo, aut praua institutione corrumpit; perinde enim facit atque ille, qui fontem publi-
B cum, vnde bibunt omnes, inficit veneno. Non dissimilia his Hieronymus hoc loco, vbi etiam causas addit, cur viri Principes, in quibus plus deberet esse consilij, atque constantiæ, facile decipiuntur, & cadunt. *Principes, inquit, congregantur ad adorandam statuam, vt per Principes seducantur & Gentes. Qui enim diuites sunt, & potentes, dum timent carere diuitiis, & potentia, faciliùs supplantantur; seductis autem magistratibus, subditi populi maiorum exemplo pereunt.*

13. Altera causa fuit, vt bene Maldonatus, ne Sidrach, Misach, & Abdenago, qui Principes erant, vlla se tergiuersatione à regio edicto subducerent, cùm se penè nominatim accersiri viderent.
C Quòd si inuidorum, & maleuolorum suasu regium hoc edictum institutum est, ita videtur omnino certum; sic enim suo voto satisfactum iri putabant viri maleuoli, cùm trium adolescẽtum animum constantem nossent; neque adduci posse vt muto simulacro illum impenderent honorem, qui soli Deo deberetur. Quocirca illos aut capite mulctandos putabant, aut ex illo deturbandos loco, in quo cum potestate præerant.

14. *Vt conuenirent ad dedicationem statuæ.*] Dedicatio dicitur, seu consecratio, cùm res aliqua ex profana fit sacra; seu cùm ex communi, atque vulgari vsu ad sacrum traducitur; quomodo templa dedicati, aut luci, aut altaria dicuntur, cùm
D religioni, aut operi sacro destinantur. In ea verò dedicatione actio aliqua religiosa, & sacra plerumque intercedit, quæ quoddam initium est & auspicium operis illius quod ad illum locum sæpius, & ex instituto obeundum est. Foculus adhiberi solet in sacris, quia in illo thura, & alia aromata cremantur. Illum cum tibicine in dedicanda domo adhibitum esse dicit Cicero pro domo sua. Et vt ad Hebræorum tempora veniamus, scimus in dedicatione templi à reducibus è Babylonia reædificati actionem aliquam sacram intercessisse. Esdras lib. 1. cap. 6. v. 17. *Et obtulerunt in dedicatione domus Dei vitulos centum, arietes ducentos,* &c. Quid sanctè, ac religiosè fieri debeat
E in dedicatione altaris, habes Num. cap. 7. quod longo pòst tempore fecerunt Machabæi, cùm nouum altare constructum est pro eo, quod profanatum fuerat à Gentibus 1. Machab. c. 4. v. 56. *Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo; & obtulerunt holocausta cum lætitia, & sacrificium salutaris, & laudis.* Idem credo Nabuchodonosor facere voluisse, vt statuæ suæ diuinum aliquid aut inesse ostenderet, aut noua dedicationis forma conciliaret, & sacram faceret, quod ab artificis manu, & vulgari materia profanum exierat.

In dedicatione opus interuenit sacrum.

15. Duobus autem modis arbitror sacratam fuisse statuam, & in illa Regem relatum esse in Deorum censum. Adoratione nempe Principum prouinciarum, in quorum ore loquebantur pro-

Sacratur res, aut dedicatur adoratione.

uinciæ, & quorum iudicio subscribebant suum & musicus sonus. Adoratio enim religiosa actio est; quæque Deos aut facit, aut esse profitetur, iuxta illud Martialis lib. 8. epigr. 24.

Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui rogat ille facit.

Quocirca aurum ab artifice in Principis effigiem efformatum nondum putabatur esse numen, donec illi hoc nomen, & titulum dederunt, adorantes homines & supplices aliquid ab illo postularunt.

16. *Item symphonia, & cantu.* Ad illam quasi [illegible] etiam pertinebant cantus musici, quorum varij describuntur numeri, ac soni: vt enim vidimus ex Cicerone suprà in dedicatione domus, non solùm adhibitus est ioculus, sed etiam tibicen. Neque leuis videtur esse coniectura, quòd eodem temporis articulo concrepant instrumenta musica; & homines proni, & supplices adorant.

17. *Vsus primus rerum dedicatio dicitur.* Alia dedicatio est non solùm apud profanos, sed etiam apud sacros Scriptores, quæ nihil habet sacrum; sed tantùm est auspicatio, & quasi initiatio vsus rei alicuius; quæque propriè initiatio dicitur, qui initium est eius vsus, cuius gratia aliquid factum est. Sic Nero Claudius dedicasse dicitur domum suam, cùm primùm illam habitare cœpit. Suetonius in Nerone cap. 31. & Vitellius ingentem patinam, vt tradit idem in Vitellio cap. 13. Quod etiam fecit Pompeius in theatri sui initiis, vbi primùm publicis ludis, & communibus vsibus seruire cœpit; & Domitianus cùm absolutum amphitheatrum publicis spectaculis aperuit. Hæc verò cum festiua solennitate fieri docuit Pompeius, de cuius in theatri dedicatione sumptibus Cicero lib. 7. epistola 1. & Domitianus, cuius insanos sumptus in primo libro, qui Cæsaris amphitheatrū inscribitur, latè Martialis. Sed apud Hebræos eiusmodi fieri dedicationes, & sine dubio cum plausu, ac iubilo, licèt hoc vltimum Scriptura sacra non tam affirmet, quàm cogitandum relinquat, constat ex Deut. cap. 20. vbi prima ædificatæ recenter domus habitatio, dedicatio vocatur. *Quis est homo, qui ædificauit domum nouā, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam.* Vtroque modo dedicata dici potuit statua aurea, quia tunc Regis opes & amplitudinem referre cœpit, quod fortasse princeps ille vanissimus sibi proposuerat. Sed prior expositio omnino verior, quam planè probat & tibicinū cantus, & adorationis nomen.

18. Vers. 3. *Stabant autem in conspectu statuæ, quam posuerat Nabuchodonosor Rex.*] Indicatur populorum studium, & Principum intentus animus ad complendum festinato obsequio regium edictū. Spectabant etenim non admirabundi modò, sed etiam venerabundi splendentem illam, licèt inanimatam molem, intentis animis, & arrectis auribus, vt ad primum tubarum inflatum prosternerent se, & in faciem proni supplices adorarēt: habitus autem ille spectantis alicuius imperium, & ab illius nutu dependentis, animi est sic instituti, vt alterius voluntati summiserit, atque alligarit suam.

19. Vers. 4. *Et præco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis.*] Singularis hîc videtur pro plurali positus; neque enim vnius præconis vox quantumcumque robusta, atque contenta, audiri posset à tanta multitudine, maximè in cāpo, vbi dissipatur magis, neque integra, ac plena ad aures perfertur. Fuerunt itaque præcones

A multi in diuersis campi partibus dispositi, qui eodem temporis articulo clamantes regij edicti vim, & minas euulgabant. Nisi dicamus eundem præconem huc, illucque vagum omnes illius conuentus angulos obire; quod minus videtur tanti principis maiestatem decere, eo præsertim tempore, in quo ipse suæ potentiæ, atque opum specimen in illa prodigiosa mole, nobilique materia exhibere voluit. Adde quòd, vt ex ipsius præconis voce constat, varij erant populi, variæ tribus, & linguæ: quare variis etiam linguis regium edictum euulgatum oportuit. Id verò ab vno præcone præstari difficile poterat; neque enim genus illud hominum sumptum plerùque

B ex ignobili turba, & è medio foro, vsque adeò excultum est, vt multarum linguarum peritū sit.

Inter *tribus, populos, & linguas* id videtur esse discriminis, vt populi dicantur, qui eandem incolunt prouinciam; sed quia edictum ad omnes prouincias regio subditas dominatui pertinebat, in tanta tot prouinciarum, seu populorum distantia necesse erat, vt variæ essent, eædémque inter se dissimillimæ linguæ; sicut in Hispania videmus, cui variunt in variis partibus idioma est. Sed cùm hoc tempore varias sibi nationes superbus ille Princeps subiugasset, illásque in alias, atque alias imperij sui partes distraxisset, Iudæas, Ægyptias, Tyrias, Ammonitidas, Idumæas, &c. necesse erat, vt in vna, atque eadem pro- 20. *Quid inter populos, tribus, & linguas.*

C uincia multę essent, eædémque dissimillimæ linguæ, quare prouinciis, & linguis edictum illud à præcone proponitur. *Tribus* autem esse puto peregrinas nationes, quæ permixta cum aliis in eisdem prouinciis exulabant. Dicuntur verò *tribus*, quia ab indigenis eiusdem Gentis, ac familiæ putabantur, quia ex eisdem omnes locis abductæ. Iubet igitur edictum, vt omnes prouinciæ cuiuscumque linguæ fuerint; & omnibus linguis, id est, nationibus in quacumque prouincia habitare contigerit, procumbant ante statuam, vbi primùm concrepuerit tuba.

Vers. 5. *In hora qua audieritis sonitum tubæ, & fi-* 21. *Instrumenta musica non eadem olim quæ nunc.*

D *stulæ, & citharæ, &c.*] Varia hîc numerantur musicorum instrumentorum genera; quorum obseruare discrimina, & naturam ostendere opus est difficile, & vt quod verè sentio, dicam, impossibile cognitu. Quia quæ nunc habemus instrumenta, longè ab illis figura, & numerorum ratione differunt; sicut ab antiquis, quæ tam Romanis olim, Græcis, & barbaris fuerunt. Quàm fuerit antiqua lyra nostræ dissimilis, argumento est lyra illa à Luciano descripta in dialogo quodam de Mercurio, à quo lyra dicitur inuenta, quæ cum nostra nihil ferme videtur habere cōmune, præter nomen. Quare statueram, cùm de hac re nihil putarem afferri posse certum, illud

E omittere, sicut etiam fecere alij omnes ante me. Dicam tamen non quod omnino probem, sed quod alij aut putant, aut coniectant. Egit de musicis instrumentis Cœlius Rhodiginus lib. 9. à cap. 6. egit item Hieronymus in epistola quadam ad Dardanum tom. 4. ex quo pleraque sumemus, ne nihil dixisse videamur, quæ si minus alicui probabuntur, habebunt tamen bonum auctorem, quem sequantur.

Tuba Chaldaicè קרנא *carna*, à cornu, ex quo olim primum fabrefacta, sicut etiam cornu appellatur à Latinis, & in Scriptura sæpe auditur tuba cornea. Dicitur autem cornu, seu קרנא à materia, tuba à figura, quia instar habet tubi, id est, perforati, aut caui cylindri, per quem aqua deriuatur. 22. *Tuba quid.*

deriuatur. Dicitur autem buccina à bucca, quia buccarum inflatu resonat. Tubarum varias esse figuras, docet Hieronymus, *Aliter*, inquit, *est tuba congregationis populi, aliter conductionis, aliter victoriæ, aliter persequendi inimicos, aliter concussionis ciuitatum, & reliqua. Tuba autem consuetudinis apud verum peritissimos hoc modo intelligitur. Tribus fistulis æreis in capite angusto inspiratur in capite per quatuor ductus æreos, qui per æreum fundamentum quaternas voces producunt, mugitúmque nimium, vehementissimúmque profert.* Talis videtur fuisse illa, qua in congregando, admonendóque populo vsus est Nabuchodonosor; hanc enim esse arbitror, quam hic Hieronymus vocat consuetudinis tubam.

23. *Fistula.* *Fistula*, sicut tuba inflatu resonat, quæ à materia varia, etiam varia vocabula sortitur. Dicitur enim tibia, calamus, harundo, cicuta, auena, quæ & simplex est, sicut nostro sæculo plerumque; & multiplex vsque ad septenos calamos, ex quibus vna fistula interdum compingitur. Sic certè de pastoritia fistula Virgil. Eclog. 2.

Est mihi dispar ibus septem compacta cicutis
Fistula.

Hieronymus supra duodecim calamos, & plures bombulos in vna fistula describit, ex quibus edi affirmat clamorem magnum, fragorémque nimium supra modum. Neque est improbabile talem esse fistulam, quam in statuæ dedicatione adhibuit Rex; quia illius sonitum exigebat tanta, támque latè dispersa multitudo.

24. *Cithara.* *Cithara*, alia instrumenta concaua sunt, & spiritum accipiũt ab hominum ore, reddúntque multiplicatum, latéque resonantem: iam de aliis instrumentis sermo est, quæ chordis instruuntur, ex quibus digiti, aut pectines sonos eliciunt. De citharæ forma Lucianus in dialogo quodam de Mercurio, quem facit citharæ, seu lyræ inuentorem. Sonat autem cithara mollius aliquid, sicut instrumenta alia, quæ fidibus constãt, & neruis; sicut quæ exiguo literarum mutatione ab Hispanis appellatur *Guitarra*. Hieronymus suprà citharam ita describit, vt similitudinem referat instrumenti trigoni, quod Hispani *Harpam* appellamus. Ait, enim habere similitudinem Δ, & vigintiquatuor fidibus intendi. Sed si auctores consulas antiquos, alterius esse formæ fatearis necesse est. Antiqui enim duo affingebant cornua, & lyram appellabant incuruam, neque aptè in formam illam triquetram cõuenit testudinis nomen. Fortasse Hieronymi tempore alia erat citharæ forma, quam eo loco descripsit.

25. *Sambuca.* *Sambuca.* Hoc musicum est organum, quod suaues è neruis elicit sonos, cuius, vt inquit Hieronymus, apud Hebræos vsus ignoratur; cùm tamen, vt ex hoc Danielis loco constat, familiare fuerit Chaldæis. Habet autem triangularem figuram, constátque inæqualibus neruis tam crassitudine, quàm longitudine. Quæ descriptio est illius organi, quod Hispani *harpam* appellamus. Quidam rusticanum instrumentum esse putant; ego in illo nihil aut rude, aut rusticum esse opinor. Neque enim si instrumentum esset, quod sine arte, atque ingenio tractari posset, illud per ironiam aptasset caloni Persius, tanquam rem maximè ab homine stolido, ac rustico alienam. Sicut cùm res duas dissimillimas significare volumus, prouerbiali forma dicimus, *Asinus ad lyram.* Sic autem Persius Satyra...

Sambucam citius caloni aptaueris alto.

Nempe qui vt Arcadicum habet, & longum corpus; sic etiam tardum habet, & subtilioris artis incapax ingenium.

26. *Psalterium.* *Psalterium.* Hieronymus putat appellari Nablum, seu nablium, haberéque quadratam formam, & decem chordis aptari; ex quo fit, vt decachordon, seu decem chordarum appelletur, quod Latinè vocare posses laudatorium. Inter citharam autem, & psalterium inter alia, hoc etiam putatur esse discrimen, quòd cithara chordas habet deorsum propendentes, psalterium verò in latus porrectas. Quòd si, teste Hieronymo, psalterium Hebræis nablum est, seu verius nablium, & à voce Hebraica נבל *nebel*, deriuatur, quod interdum *psalterium* ab interpretibus redditur, aliquid significat longè diuersum. נבל enim inter alia vtrem significat; ex vtre verò organum quoddam musicum fit, quod inflatum ab ore canentis spiritum per fistulam numerosè transmittit. Hispanè *Goyta*, Latini, vt puto, vtriculum, Græci ἀσκὸν appellant.

27. *Symphonia.* *Symphonia.* Commune nomen est, sonátque concentum harmonicum, numerosúmque, qui ex dissimilibus sonis in vnum ex arte attemperatis aliquid sonat varium, & dulce. Latini ad verbum dicerent consonantiam. Quidam instrumentum esse putant pastoritium, vtrem népe fistulatum, qualem modò nuper descripsimus; alij simpliciter organum appellant. Sanè apud Hispanos instrumentum quoddam est familiare cæcis, quod symphoniam vocant: si vtrem dicamus fistulatum, fortasse illud est, quod Hieronymus suprà multis describit. *De duabus*, inquit, *elephantorum pellibus concauum coniungitur; & per quindecim fabrorum sufflatoria comprensatur per duodecim cicutas æreas in sonitum nimium, quas in modum tonitrui concitat, ita vt per mille passuum spatia sine dubio sensibiliter vtique amplius audiatur: sicut apud Hebræos de organis vsque ad montem Oliueti, & amplius sonitu audiuntur, comprobetur.* Hoc videtur symphoniæ genus huic temporis articulo non ineptum; maximè quippe clamosum, aut canorum est, & admonendis hominibus opportunum, quod aures complet, & animos pulsat.

28. *Chaldæi à Græcis quædam instrumenta musica, & eorũ nomina sũpserunt.* Hic ad extremum obseruandum omnia hæc instrumenta à Græcis videri ad Chaldæos translata. Cuius rei apud me graue argumentum est, quòd illorum nomina origine Græca sunt, licèt Chaldaicis notata literis, & ad Chaldaicorum nominum formam redacta. Est autem vsitatum, vt res aliunde traductæ suum secum nomen etiam apportent, vt in Latina lingua nomina habemus peregrina, & barbara, quia res illis significatæ nominibus è peregrinis, barbarísque regionibus aduectæ. Sic Hispani cum rebus, quas ex vltramarinis regionibus aduexere, ipsarum quoque comportauere vocabula: & quid nouis quotidie rebus aliunde comportatis augetur, nouis etiam ipsorum lingua aut augetur, seu, vt veriùs loquar, contaminetur vocibus. In Testamento nouo Græcè scripto multa nomina reperiuntur Latina, quia res etiam multas à Romanis, qui eo tempore rerum potiebantur, nouas acceperunt; quales sunt *flagellum, tituli, census, numisma, colonia, macellum.* Sic ergo cùm instrumenta hæc musica à Græcis accepissent Chaldæi, eorum quoque nomina cum illis accepere. Nunc singula exploremus. Pro *tuba*, Chaldaicè est קרנא *carna*, Græcè κέρας, vnde κεραύλης, siue κερατaύλης, pro cornicine, licèt hoc primum vocabulum magis Hebraicum esse putem, quàm

REGVLA. Res peregrina suum secum fertant vocabulum.

Græcum, quia קרנא propiùs ad vocem Heb. קרן *keren*, quàm ad Græcam *κέρας* videtur accedere. De aliis vocibus alia ratio est.

29. Pro *fistula* Chaldaicè משרוקיתא *masrokita*. si tollas literam Hemanticam מ *mem*, accedit proxime ad vocem Græcam *σύριγξ*, quæ fistulam significat, aut calamum. Pro *cithara* Chaldaicè קיתרוס *cateros*, vbi eædem sunt consonantes, quæ vim totam, & naturam dictionis circumscribunt, & continent. Pro *sambuca* Chaldaicè סבכא *sabeca*. Pro *psalterio* Chaldaicè פסנתרין *psanterin*. Pro *symphonia* Chald. סומפניא *sumphonia*. Vide quàm modico flexu ad suum idioma Græcas voces transtulerint Chaldæi.

Adorationis notissimus modus, ante alium procumbere.

30. *Cadentes adorate statuam auream.*] Hæc est omnium, aut maxima, aut notissima adoratio, quæ in altero aliquid recognoscit sublime, aut amplum, quod ea corporis abiectione confitetur. Deinde in tanta multitudine non alio modo cognosci poterat, quis adorationem recusasset, nisi id ex erecto corporis habitu constaret. Facile autem cadentibus omnibus internosci posset qui emineret ex aliis, & regium edictum animo rebelli respueret. Neque est incredibile innumeram illam multitudinem sic fuisse prostratam, vt terram lingeret, quod esse temporibus illis vsitatum maximè inter Hebræos, multa docent Scripturæ sacræ testimonia. Notat hic Hieronymus vsitatum esse, vt homines adoraturi idola se prosternant, & cadant; quod Matth. cap.4. diabolus exigebat à Christo. *Hæc omnia*, inquit, *tibi dabo, si cadens adoraueris me.* In quo planè ostenditur quàm sit illa misera, atque ignominiosa seruitus, quam illi subeunt, qui se diaboli manciparunt obsequiis; qui se ad turpissimæ vitæ genus, & ad vilissimas quasque sordes abiiciunt. Sed in eo Hieronymum, quod ipse de se eo loco verebatur, fallit obliuio, quod neget illud adorationis genus sanctos viros exhibuisse Domino. Nam & Psal. 94. de his, qui Christum Regem agnouere, dicitur, *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Quod etiam fecere Magi Matth. cap.2. & cæcus à natiuitate Ioannis 9. & in Ecclesia quotidie audimus hortatorium illum Psalmum, *Venite adoremus, & procidamus.* Obseruauit hæc Pereira.

31. Ex hoc loco aliquid capit lucis illud 4. Reg. cap.5. v.18. in quo explicando laborant Doctores, & interpretes. Rogauit enim ibi Naaman ab Elisæo, an adorante Rege in templo Rammon, ipsi quoque cum Rege liceret adorare; cui Elisæus licere respondit; quod nullo modo videtur dici potuisse. Sic autem ego Elisæum ab errore libero; & locum expono. Sed duo priùs obseruo; alterum est prosterni, ac cadere significare quod propriè sonat, quod multas ob causas fieri posse, nemo ignorat: sed quia adorantes procumbere solent, & cadere, fit vt *cadere aut procidere* à frequentiori vsu pro *adorare* sumatur, licèt quis alias ob causas procumbat, aut cadat. Alterum est rebus illud accommodari nomen ex effectis, quæ communiter ab aliqua causa oriri solent, licèt causa sit omnino diuersa, immo & contraria. Quomodo Deus, in quem nulla cadit pœnitentia, pœnitere dicitur, cum diluuio mundum deleuit; quia illa nos plerumque destruimus, quæ nos fecisse pœnitet. Odisse dicimur patrem, & matrem, cùm illos relinquimus, licèt amemus plurimum; quia homines ex odio relinqui solent. Ex his patet quid in Naaman probet, & permittat Elisæus. Sole-

Cado idem quod adoro, adoro idem quod veneror.

REGVLA. *Rebus ex effectibus accommodatur nomē, licèt causa sit omnino diuersa.*

bat Rex cùm incederet, aut se prosterneret, inniti aut manibus, aut humeris Naaman; quare necesse erat, vt sese Naaman ad Regis motum, atque habitum accommodaret; ex quo fiebat, vt cum stante staret, cum incedente incederet, & cum procumbente ipse quoque procumberet. Quod opus ex natura sua adoratio non est, sed obsequium Regi debitum à seruo, atque ideo nulla lege prohibitum: & hoc Naaman audit ab Elisæo. Quòd verò inclinatio illa adoratio dicatur; & Naaman, cùm sese inclinat, dicatur adorare, ex eo nascitur, quia inclinationes illæ corporis tunc plerumque fiunt, quando excellentiam in aliis aut agnoscimus, aut eo corporis habitu profitemur. Quomodo Gen.23. v.7. Abraham adorasse dicitur populum terræ, & 2. Reg.c.9.v.6. Miphiboseth, & cap.14.v.3. mulier Thecuitis, & 3.Reg.1.v.16. Bethsabee adorauerat Dauid; quia se ante Reges inclinarunt, sicut etiam serui nunc ante principes faciunt; à quibus tamen quàm longissimè abest adorandi animus. Seruiebat itaque inclinatio Naaman potiùs domino suo Regi, quàm diuinum honorem, aut religiosum cultum impendebant Rammon.

Vers.6. *Eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.*] Erat, vt apparet, hoc supplicij genus familiare Chaldæis, quod, meo iudicio, non difficile probat, quod deinde versu 19. subiicitur, *Præcepit, vt succenderetur fornax septuplum, quàm succendi consueuerat.* Hæc enim verba planè significant fornacem illam in eundem vsum sæpius accendi consueuisse. Sanè cùm Abraham apud Chaldæos ageret, illorúmque Deos adorare nollet, in fornacem ardentem coniectus esse dicitur Esdræ lib.2.c.9.vers.7. *Tu ipse es Dominus Deus, qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne Chaldæorum.* Scio nonnullos hanc Hebræorum traditionem fabulosam putare, neque deesse quid Esdræ respondeant: qua de re multis Pereira tom.2. in Genesim lib.16.q.15. Sed non reiicit Hieronymus in traditionibus Hebraicis super Genesim. Quod etiam Ecclesia probat, quæ in commendatione animæ dum alia pericula, atque tormenta commemorat, ex quibus alij liberati sunt, addit, *Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Abraham de Vr Chaldæorum. Vr* autem ignem significare nemo dubitat. Quod si ita est, planè constat, antiquissimum esse apud Chaldæos in ardente fornace sontes torreri; quando Abraham, qui in ipso Chaldæorum exordio vixit, in accensam fornacē est iniectus. 32.

Fornax Chaldæorū familiare supplicium.

Vers.8. *Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusauerunt Iudæos.*] Spectabant, opinor, viri Chaldæi, qui trium adolescentium inuidebant gloriæ, illósque aut extinctos, aut exauctoratos esse cupiebant, oculis nullo magis in illos quàm in statuam intentis, an ad instrumentorum musicorum sonitum sese cum reliqua Chaldæorum turba prosternerent. Cùm verò aliis stratis humi ipsi erecto constitissent corpore, facile cognouerunt ab illis statuam contemni, & regium edictum, à quibus Chaldæorum Deos antè contemptos esse nouerant. Statim ergo nondum planè adoratione perfecta aduolant ad Regem, Iudæósque violati regij edicti, & temeratæ religionis accusant. Qui verò sint hi Iudæi, quorum ad Regem deferuntur nomina, statim ostenditur, dum præter quatuor adolescentes nullus nominatur, aut in ardentis fornacis incendia coniicitur. 33.

In tres pueros Chaldæorum inuidia.

Quæ

34. Quærit hic Pereira, an alij etiam Iudæorum aurcam illam molem adorare noluerint. Primùm scimus illos accusatos non esse imperij contempti, alioqui neque effugissent pœnam constitutam à lege; neque scriptor sacer omisisset illos aut liberatos à Deo cum quatuor aliis, aut ab igne consumptos. Responderi posset Iudæorum neminem conuenisse ad dedicationem statuæ; quia tantùm aduocati fuerant Principes, & Magistratus, quique cum imperio essent, ac potestate in Prouinciis Chaldæorum Principi subiectis. Quare inferiorem turbam ab hoc edicto non fuisse coactam, vt locum illum, & opus religiosum obirent. Aliam autem esse causam in quatuor adolescentibus, qui cùm publicis curis essent præpositi, & suis quasi nominibus accersiti, recusare non poterant, quominus Regis obsequerentur edicto. Sed non puto reliquam turbam ab hac adoratione publica fuisse exolutam. Neque enim tantùm Principes cecidisse dicuntur, adorasséque regium simulacrum, sed etiam populi: sic enim vers.7. *Cadentes omnes populi, tribus, & linguæ adorauerunt statuam.* Quare ego aliter putabam expediendam esse

Iudæi non videntur statuam adorasse.

35. quæstionem. Nempe Iudæos alios edicto paruisse adorata statua, vel quia eò illos adegit pœnæ metus, quam videbant sibi necessariò subeundam, si imperata recusent: vel quia ipsi instabili animo, & ad idololatriam supra modum procliui, facile ad nouam illam religionem accederent. Sanè idola coluisse alia apud Babylonios, docet Ieremias cap.16.v.13. *Eiiciam vos de terra hac in terram, quam ignoratis vos, & patres vestri: & seruietis ibi diis alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.*

Iudæi apud Babylonios adorauerunt Idola.

36. Sed mihi longè videtur verisimilius, non adorasse Iudæos statuam illam, non quia non facerent, quà erant animi leuitate; sed quia non fuit, qui ad adorandum compelleret post trium puerorum grande miraculum. Statuo autem primùm, quod nemo prudens negabit, non vno die, aut vno conuentu adorationem illam futuram fuisse; neque enim campus ille, maximè si peribolo conclusus, vt putabat ex LXX. lectione Petrus Comestor, frequentiam illam populorum caperet, quàm Regis imperium, & noua religio, & magnarum rerum admiratio coëgerant: quare necessarium erat, vt multis diebus dedicatio fieret statuæ, & alij aliis in adorando succederent. Id verò perspicuè docet Rex ipse Nabuchodonosor vers.15. dum monet tres adolescentes, qui mandata neglexerant, vt si salui esse velint, cùm iterum audierint sonitum tubæ, ac fistulæ, ante statuam procumbant; quasi aliis etiam diebus futura sit rursus adoratio. Porrò primus dies assignatus erat Satrapis, ducibus, & aliis magistratibus; quia vt ipsi inter alios primi, sic etiam in illa dedicatione primum tempus, & locum habere debuerunt. Alij verò dies reliquæ turbæ pro cuiusque dignitate, atque ordine destinati videntur. Cùm verò Iudæi omnium censerentur postremi, atque infimi, vtpote captiui; in postremum locum, & diem reseruatos esse verisimile est. At iam eo tempore nouo illo miraculo obstupefactus Rex animum mutauerat; Iudæorúmque Deum Regem prædicauerat Regum; edixerátque, proposita capitali pœna, ne quis contra illum quicquam loqueretur. Quare nihil postea fuit, cur adigerentur Iudæi adorare statuam, quam signum illud illustre damnauerat.

Iudæi non videntur adorasse statuam.

Statuæ adoratio non tantum in diem vnum indicta.

A Hæc verò ratio non valet in Daniele, qui cùm Princeps esset, primo illo die simulacrum illud adorare debuit. Quòd Daniel impiam illam adorationem non minus horruerit, quàm tres illi pueri, dubitare nefas. An verò illud adorare iussus fuerit, aliquid habet quæstionis. De re constat, ignoratur causa. Respondet glossa astitisse Regi eo die Danielem; sed cùm Rex non adorauerit, neque adorare fuisse compulsum. Alij dicunt, vel ægrotasse, vel abfuisse grauibus de causis Babylone; neque fuisse ex rerum publicarum vsu inchoata relinquere: diuinant omnes. Fortasse minus diuinaret abs re, qui diceret adesse noluisse Danielem, ne videretur aliqua ex parte B impio Regis imperio paruisse; neque tamen in illum à Rege fuisse sæuitum, quia nouo miraculo deferbuerat furor, & mutatus fuerat superbus animus. 37.

Daniel non adorauit statuam.

Vers.15. *Et quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?*] Hortatur Rex adolescentes, quorum in populum auctoritatem grauem esse nouerat, & à quibus suæ apotheosi momenti plurimum conciliatum iri putabat, vt cum reliquis sentiat, & statuam adorent, cùm iterum musicorum instrumentorum concrepuerit fragor; alioqui subituri flammas, à quibus sui Dei quantacumque potentia liberari non poterunt. Hic ego duo inuenio; alterum non vno die peragi illius adoC rationis solemne negotium, quando iterum audiendum esse dicit tubarum clangorem, & multiplicis instrumenti symphoniam. Alterum, tantum suæ potentiæ tribuere superbum illum Regem, qui iam ad diuinum nomen aspirabat, vt neque putauerit Deo esse cedendum, immò plus sibi virtutis esse prædicauerit. 38.

Vers.16. *Non oportet nos de hac re respondere tibi.*] Verborum horum non eandem sententiam afferunt interpretes. Hieronymus, quem Hugo, & Dionysius sequuntur, sic exponit. *Non debes audire verba, quorum iam rebus ipsis probabis fortitudinem, atque constantiam.* Ac si dicerent, eiusmodi res est, quam à nobis exigis, vt non tam verbis, quàm D factis probari debeat. Dionysius rursus, & Lyra. Hæc tua quæstio vsque adeò est absurda, vt responsione non egeat. Maldonatus *respondere* hoc loco idem esse putat, quod *deliberare*, quod etiam videtur Theodoretus sentire. Et quasi Rex spatij aliquid adolescentibus præbuerit; vt secum ipsi considerent, quid sibi tanta in re futurum esset ex vsu, ipsi respondeant id, quod olim Machabæi lib.2. cap.7. *Quid quæris, aut quid vis discere à nobis? parati sumus mori magis, quàm patrias leges Dei præuaricari.* Quòd item Basilius Iuliano respondit, cùm non dissimiles intentaret minas. *Fac*, inquit, *quod facturus es, nam cras idem ero, qui modo sum.* 39.

Admirabilis trium puerorum constantia.

E Placent quidem expositiones istæ; sed, credo, magis ad rem cogitaret, qui præcipuam responsionis partem eò contulerit, quod adolescentibus illis sanctis magis accidit graue: quòd nempe dixerit Rex impius non posse illos neque à diuina potentia ab ipsius furore liberari. Tunc verò ea sententia est: Quod attinet ad Dei potentiam, qua tuam esse dicis superiorem, non est quod à nobis responsionem expectes; ipse enim Deus, quem colimus, reipsa ostendet quid possit, & pro se ipse respondebit: quod verò ad nos attinet, tibi omnino persuasum esse volumus, neque minis, neque flammis extorquendam à nobis esse patriam religionem; etiamsi, quod ipsi facillimum est, nolit tamen nos ab in- 40.

 cendio,

cendio, quod nobis minatis, liberare. Ita penè Tertullianus in Scorpiaco, cap.8. *Itaque dixerunt à Deo concepta fiducia, quando vigore animi conditionales minas Regis excutiunt. Non habemus necessitatem respondendi huic tuo imperio; est enim Deus, quem colimus, potens eruere nos,&c.*

41. Vers.18. *Quod si nolueris, notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus.*] Sperabant, vt apparet, adolescentes isti, fore vt à Deo, cuius voluntatem rebus omnibus habuere priorem, liberarentur ab eo supplicio, quod in minis fuerat à Rege propositum, quæ spes illos faciebat audaces, & in suscepta deliberatione constantes. Parati tamen erant, etiamsi Deus regiæ indignationi permitteret quicquid vellet; non tamen à patria religione deficere, aut minima etiam in re conceptum inflectere propositum. Atque ideo audacter, libereque respondent, sperare se contra regium furorem tutum præsidium; quòd si illud in præsentia non suppetat; non tamen ideo aut colendos sibi esse Babylonicos Deos, aut statuam adorandam.

42. Vers.19. *Tunc Nabuchodonosor repletus est furore, & aspectus faciei illius immutatus est.*] Grauis solet esse motus, & affectus vehemens, qui faciem mutat, quocumque ille in genere sit. Sic Balthasari in metu vultus mutatur infrà cap.5. Sed maximè mutatur in furore vultus, ita vt alium pacatum, alium furentem hominem eundem putes. Sic de homine vehementer irato cecinit quidam ex Poetis,

Affectus apparens in vultu.

His agitur furiis, totóque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Talis fuit in Rege furor, atque ardor æstuantis animi, neque tanta diei celebritas, tanta hominum frequentia in regios oculos intenta, tanta denique maiestas, quæ indecorum putat ab irrationalibus hisce affectionibus vinci, efferuescentem impetum cohibere potuerint, aut efficere ne vultus mutaretur, ruberet, arderet, & speciem assumeret furentis ab insania.

43. *Præcepit, vt succenderetur fornax septuplum, quàm succendi consueuerat.*] Hinc ego colligo fornacem esse destinatam excruciandis, aut torrendis his, qui aliquid admisissent capitale; illúdque esse Chaldæis familiare suplicium, vt ostendimus suprà num.32. sicut in præcipuis quibusque ciuitatibus pro his, qui perfidiæ damnantur hæreticæ, prunarium, quod instar fornacis est, in loco statuitur frequenti, ac celebri. Fuisse autem in incendio modum certum, in materia videlicet, quæ ignem concipit, & nutrit, quantitate, ac natura, hic locus planè persuadet; docet enim septuplum arsisse magis accensam fornacem, quàm antea consuesset. An verò hic propriè sit accipiendus septuplus excessus; an verò magnus sit intelligendus, siue septuplum excedat, siue à septuplo deficiat, incertum est. Septenarius quippe numerus multitudinem magnam nullo definitam numero passim in Scriptura sacra significat, vt septem mulieres pro multis vsurpantur Isaiæ cap.4. & septies in die iustus dicitur cadere Prouerbior.24. & in hoc ipso nomine exemplum habemus Psal.11. *Argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum.* id est, sæpe. Licet hoc posterius verisimile sit, tamen puto augmentum hoc incendij in significatione sumendum esse propria.

Quid fornax septuplum accensa.

Septenarius numerus multitudinem indicat.

44. Sed illud hic aliquis non immeritò quærat, cur si tam erat incitatus, & ardens ad vindictam

A Regis animus, modum illum in capiendo supplicio sumi voluit, in quo minus esset acerbitatis. Notum est enim torqueri durius, qui lento cremantur igne, quàm qui vehementiùs ardenti: nam & diutius producitur pœna, & integri sensus multo afficiuntur grauius, vis namque flammarum maior, & acrior mentem interdum eripit, & temporis momento rem peragit totam. Quare in sacris annalibus sæpius audimus Tyrannos, cùm maximè sæuiunt, lentum adhibere ignem, non nimis vehementem, & acrem.

B Si Regem consideres, puto illi in eo consilio capiendo propter furorem excidisse mentem, & id præcepisse quod primum occurrit esse vehementius; neque enim credo ille tunc humanum aliquid cogitabat, ac mite. Si altiùs hæc consideres, diuinámque intueare prouidentiam, sublimius hic aliquid, & benignius inuenies. Statuerat Deus ita ex incendio liberare pueros, vt nullum in illis appareret flammæ vestigium: quod miraculum, quo suos commendare voluit, non tam foret illustre, si lentus esset ignis, quo alij fortasse cremari soliti, & non septuplo maior, cuius flamma nemini poterat esse occulta cùm extra fornacem sese quadraginta nouem cubitis effunderet. Non itaque Regi animus, atque studium defuit vindictæ capiendæ; sed suo nomini Deus, quod impio ore Rex ille violauerat, & suorum gloriæ, atque existimationi eo modo consuluit. 45.

Mira Dei in suos prouidentia.

C Vers.21. *Confestim viri illi vincti cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt.*] Præcipitis animi consilium hoc est, qui non tam à ratione ducitur, quàm à furore rapitur. Nudi, credo, in caminum ignis trudebantur sontes, sicut etiam nudi alia subire tormenta cogebantur, vt hic locus indicat non obscurè. Neque enim sine causa dicitur cum vestibus, & calceis hos adolescentes in ignem esse coniectos; significatur enim alios in ignem nudos solere coniici. Neque sine causa dicitur, *Nam iussio Regis vrgebat.* quasi diceret, nudarentur, nisi Regis instaret imperium. Consulebat, credo, Deus suorum pudori, ac honestati; neque enim poterat esse non indecorum modestos illos adolescentes, qui in magistratu, atque cum potestate fuerant, in illo totius imperij conuentu nudari: tum præterea, vt in vestibus intactis, atque integris magis appareret diuina in illos indulgentia, & prouidens amor. Vincti coniiciuntur in flammas, quia aut sic Rex imperarat; aut quia sic ferebat illorum, qui incendio cremabantur, consuetudo. Sed, credo, ideo manus, ac pedes constringi voluit Deus, vt alij cum maiori stupore viderent ambulantes postea inter ipsos flammarum globos; neque quicquam à flammis præter iniecta vincula comburi. 46.

Nudi sontes in fornacem mitti soliti.

D

E *Braccæ*, Chaldaicè סרבל *sarbal*, quam vocem Hieronymus modò Saraballa, modò braccas conuertit. *Lingua*, inquit, *Chaldæorum sarabella crura hominum vocantur, & tibiæ, & ἐμφανῶς braccæ eorum, quibus crura teguntur, & tibiæ.* Hanc vocem, teste Hieronymo*, Symmachus reddidit ἀναξυρίδας, quæ vox, vt putat Suidas, & Hesichius, braccas significat, & femoralia: & ne quis de significatione dubitaret, vocem adhibuit Latinam Græcus auctor; sic enim tria nomina synonyma coniunxit φεμινάλια, ἀναξυρίδας, βράκια, eodem penè modo Hesichius, & adhuc explicatiùs Suidas, qui dum explicat quæ sint 47.

Braccæ, & Saraballa quid.

sint *ἀναξυρίδας*, ait, *τὰ ἀμφὶ τὰ αἰδοῖα*, id est, A quæ tegunt illa, quæ non sine pudore nudari possunt. Isidorus eius etymologiam adducit. *Femoralia*, inquit, *appellata, eo quòd femora tegant ipsa: & braccæ, quòd sint breues, & verecunda hominis iis velentur.* A voce Chaldaica *sarbal* deducta videtur vox Hispanica *Zaraguelles*.

48. Sed dubitet hic aliquis, & quærat, cùm femoralia Iudæis in vsu non fuerint, nisi sacerdotibus, hisque tantùm dum rei sacrificali dant operam, vt diximus in nostris commentariis super Cantica cap.5. num.101. quomodo tres hi adolescentes habuisse dicuntur femoralia, seu braccas. Respondeo autem alium esse Chaldæorum vsum, quem tunc imitati sunt, sicut alia B multa, vtpote publicis Chaldæorum curis præfecti; vel quia cùm scirent sibi esse pereundum, quia iam apud se statuerant nullo modo obsequi Regis imperio, viderentque se ad illud supplicij genus ex regionis consuetudine fore nudandos, adhibitis sarabellis, seu braccis, pudori suo consuluerunt. Hæc ego cogito iuxta aliorum sententiam: existimo tamen *sarabella*, quæ hic etiam dicuntur braccæ, vestem esse extimam; neque enim imperij, aut lictorum celeritas satis significaretur, si dicerentur obscœnorum tegumenta, siue sarabella esse detracta; optimè verò si pueri cum extimis etiam vestibus dicantur esse coniecti. Neque aptè duo ista con- C iunguntur *braccæ*, & *tiara*; cùm tiaræ insigne sint dignitatis; braccæ autem velamentum turpitudinis. Puto ego braccas, seu sarabella insignia fuisse magistratus, quem tunc obibant tres illi adolescentes, & esse omnino id, quod in ornando corpore extimum est. Accedit quod infrà vers.94. cùm significaret Propheta pueros neque leuiter afflatos ab incendio, dixisseťque neque vstulatum esse capillum; addidit etiam sarabella eorum non fuisse immutata. Ac si dicat, illud etiam nihil esse passum, quod omnium facillimè cremari potuit; qualia sunt quæ propiùs attingit ignis: at subligaculis nihil aut occultum magis, aut magis tutum ab incendio. D

49. *Tiara quid.* *Tiara* vox est Græca, quam Hieronymus Latinè *pileum* exponit. puto autem hoc capitis integumentum non esse Chaldæis omnibus commune; sed his qui essent in Magistratu, aut aliquo alio ornamento, & nota inter reliquos, nobilitati. Sic videtur docuisse Ezechiel cap.23. num.13. qui cùm Chaldæorum duces, & Principes describeret, illis tiaras addidit. *Et auxit*, inquit de Ierusalem, *fornicationes suas. Cùm vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, & accinctos balibeis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum formam ducum omnium*, &c. Tiara Chaldaicè dicitur פטשיהון *pateschon*, vnde *Chaldæi à Græcis multa acceperunt nomina.* suspicor vocem esse Græcam, & illam pileorum E formam Chaldæos à Græcis accepisse; sicut acceperunt instrumenta quædam musica, & illorum nomina, vt paulo antè notauimus. Græci enim capitis integumentum *πέτασον* appellant. Quidam Hebræorum femoralia interpretantur; sed vulgatæ fauet vox ipsa Chaldaica, quæ Græcam, vt apparet, refert originem.

50. Vers.22. *Nam iussio Regis vrgebat.*] Causam ostendit, cur petasati, ac vestiti iuuenes in fornacem contrusi; contra quod lex, & consuetudo Chaldæorum ferebat: quia videlicet Rex instabat; neque satis otij datum est lictoribus, vt detracta veste nudos incendio dederent.

51. *Porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.*] Hoc deinde repetit vers.48. vnde constat non defuisse flammis vim vrendi, quando tam breui crudeles illos, barbari mandatij ministros combussit, & perdidit; sed ereptam esse igni vrendi facultatem in pueros, quos Deus in suam fidem, & tutelam receperat. Paruit itaque ignis eius imperio, à quo vim omnem ad vrendum, ac cruciandum habuit, quam cohibuit, ac perdidit puerorum attactu; auxit autem, & acuit acerrimè in eos, quos Dominus habuit inimicos.

Vers.23. *Ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati.*] Hæc cò spectare opinor, vt omnes 52. intelligerent illustre miraculum, & singularem Domini in suos prouidentiam. Neque enim cùm res vsque adeò festinatò fieret, omnes intelligerent ligatos esse iuuenes, nisi illos in flammarum medio cecidisse cernerent, mirarentúrque magis tam facile exolutos à vinculis, deambulare statim, rideréque omninò & Regis minas, & flammarum incendia.

Hucusque Hieronymus in Hebraicis reperit: 53. reliqua ad finem vsque hymni trium puerorum, *Hæc Græcè scripta.* tantùm Græcè ex editione Theodotionis. Quomodo pars hæc scripta sit a Daniele, auctoritatémque canonicam habeat, diximus in prolegomenis, maximè 7. & 9. quæ tu consule: neque enim aliquid occurrit noui, quod hic addere plurimum intersit.

Vers.24. *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.*] Constricti ceciderant in flamma- 54. rum medio; sed subitò dissolutis vinculis surgunt, ambulántque non quasi in fornace exagitati à flammis; sed quasi in horto amœnitatis eximiæ, quem perflat, atque refrigérat aura lenis. Quare non lugent, quasi ab incendio excruciati; sed exultant, laudántque Deum, à quo inter flammas vitalem hauriunt, & frigidum spiritum; & vbi mors proposita videbatur horribilis, à Domino mirificè recreantur.

Vers.25. *Stans autem Azarias orauit sic.*] Hic 55. Azarias est, cui postea impositum est nomen Abdenago, quod nomen tunc auditur, sicut & aliorum adolescentum, quando cum Nabuchodonosor, aut cum aliis è Chaldæorum genere sermo est. Vt enim captiuorum vilis putabatur conditio; sic etiam captiuorum nomina, antiqua videlicet, quæ in Hebraico idiomate attulerunt à patria, non putabant Chaldæi honestè sonare posse in his, qui Chaldaicum obiissent magistratum, aut inter regios pueros in aula morarentur. Vbi verò neque cum Chaldæis agitur, neque de illis loquuntur Chaldæi, antiqua repetunt nomina; quia non tam sibi de magistratibus, inflatisque nominibus, quàm de antiquis, ac de patria religione placent.

Aperiénsque os suum in medio ignis ait.] Non o- 56. *Os aperire epitasim habet.* tiosè dicitur *aperiens os suum*: nam licèt ore clauso nemo loquatur; at in eo temporis articulo os aperiri, & vocem fingi rationalem, & lætam, aliquid est quod viri prudentes admirari debeant. Includit fumus, non laxat, aut aperit fauces; spiritus, si tamen spiritus vllus est inter flammas, comburit, & contrahit linguam, non soluit, & explicat. Præterea nè quis interpretaretur Angeli esse vocem illam, non Azariæ, Azariæ os apertum esse dicitur. Deinde quia os aperiri eo tempore, in quo non vulgaria expectari solent, captatio quædam attentionis est (neque enim eo temporis articulo vulgaria dici solent)

solent)& futuræ orationis commendatio. Quomodo vulgaria non fuerunt quæ Iob cap.3. dixit, postquam se in sterquilinium abiecisset; tunc verò aperuisse dicitur os suum. Sunt sanè grauia, notatúque dignissima illa verba, quæ grauis exprimit affectus, quicumque ille sit.

57. Vers.26. *Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum.*] Laudat in primis Deum vir sanctus ab illis propter quæ minus ingenui, atque sapientes animi in Deo aut æquitatem, aut prouidentiam requirerent, cùm iactari ab hostibus cernerent Israeliticum genus, & eò adduci, vt in medias flammas coniiciantur ligati. At in eo quod videtur esse durum, Dei æquitatem, & benignitatem agnoscunt, suaque peccata calamitatis causam esse prædicant, non Dei furorem, aut studium vindictæ. Sic sanè viri pij meditantur, & cogitant quando vrgeri se vident grauibus, ac continentibus malis, vident in seipsis semper, quod accusent; & in Deo quid laudent, & cur illi gratias agere debeant immortales. Sic Ieremias Threnor.1. v.18. cùm grauia euersi populi proposuisset incommoda, Dei prædicat æquitatem, & populi peccata coarguit. *Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui.* Sic Tobiæ cap.3. cùm non leuiora pateretur in Niniue, quàm alij in Babylonia captiui; habebat tamen quid laudaret in Domino, & quid in suis contribulibus accusaret. *Iustus*, inquit, *es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt: & omnes viæ tuæ misericordia, & veritas. Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem.* Sic Daniel infrà cap.9.v.7. *Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Iuda, &c. His qui propè sunt, & his qui procul in vniuersis terris, ad quas eiecisti eos, propter iniquitates eorum, in quibus peccauerunt in te.* Eodem nunc spiritu, & Dei iustitiam, & æquitatem commendat, & populi improbitatem accusat. Quæ omnia ad versum vsque 33. latè persequitur, & amplificat, in quibus quid amplius dicamus nihil est; neque in eis aliquid obscurum.

Iustus dum orat sua peccata prius confitetur, & Deum laudat.

58. Vers.32. *Tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum iniquorum, & pessimorum.*] Reipsa experti fuerunt captiui durum, & intractabile Chaldæorum ingenium, quorum animos neque commouebat misera Iudæorum conditio, neque squalor, aut gemitus ad misericordiam inflectebat. Egit de hoc pluribus Ieremias in Threnis, maximè cap.5. vbi iniquissima, atque crudelissima illius populi consilia describit, quemadmodum sibi licuisse putauerit, quodcumque suæ siue libidini, siue auaritiæ collibuisset.

59. *Et Regi iniusto, & pessimo vltra omnem terram.*] Cùm priùs Nabuchodonosor crudelis fuerit, & iniquus; fuit tamen multo magis, cùm debellatis regnis olim potentissimis imperij sui fines amplificauit. Habet enim inter alia incommoda potestas, qualem sibi Chaldæus putabat esse summam, vt non tantùm superbum hominem reddat, sed etiam crudelem, inhumanum, & fatuum: quia cùm à maiore potestate nihil timeat, licere sibi putat facere, aut dicere quicquid furor obiecerit, aut ambitio. Quod obseruauerat in Nabuchodonosor Azarias interim dum versatus est in aula, & extremis maximè temporibus. Iniquitas maximè perspecta fuit in Iechonia, quem, cùm se vltrò tradidisset, contra fidem, & pactum in vincula conieceit, vbi in squalore vixit, & sordibus, donec ab eius

Potentia hominem non solum superbum, sed etiam crudelem, & fatuum reddit.

Nabuchodonosor impius, crudelis, & fatuus.

A filio Euilmerodach post parentis obitum extractus est è vinculis. Crudelitas tunc apparuit stupori coniuncta, cùm sapientes omnes vndecunque accersitos obtruncari iussit; quia quid ipse somniarat, diuinare non poterant. Nunc verò impietatis, atque dementiæ cumulus accessit vltimus, cùm colui se pro Deo edicto imperauit, & fornacis incendium minatus est his, qui tam impium, atque væsanum imperium recusarent. Hæc omnia quæ præsens viderat Azarias, illi iure optimo persuaserunt iniustissimum esse, ac pessimum omnium hominum, quos terra sustineret. Neque vir sanctus queritur, B quòd in illius hominis, siue immanis belluæ potestatem fuerit à Domino traditus, quia id exigebant assidua populi peccata, quæ iam dudum diuinum instimulauerant furorem. Quare ab iniquissimo homine nihil se pati arbitrabatur iniustum.

Vers.33. *Et nunc non possumus aperire os.*] Obturat, & claudit os alicuius, id est, adimit loquendi facultatem pudor, aut metus. De metu maximè in his, qui aliorum voluntati parent, res est certa, & in Scriptura sacra sæpius repetita. Nam qui duram subeunt seruitutem, etiamsi indigna patiantur, & indecora; mutire tamen coram dominis non audent; neque suam deplorare fortunam: quare gemitus suos, & questus C in tenebras, ac solitudinem coniiciunt, vbi à nemine videri, aut audiri possint. Dixit hoc optime Cicero in Pisonem, qui quos malis affecisset, suam tamen calamitatem lugere prohibebat. Et apud Senecam in Octauia, in eius nominis tragœdia Act.1. 60.

Metus, & pudor elingues facit.

Me crudele forte parentes
Raptos prohibet lugere timor:
Fratrisque necem deflere vetat,
In quo fuerat spes vna mihi.

Et iterum Seneca lib.4. Controu.1. *Nulla flendi maior est causa, quàm flere non posse. Est quædam in ipsis malis miserorum voluptas: & omnis aduersa fortuna habet in querelis leuamentum, ibi me flere prohibes, vbi crudeliter ipse non fleres, cùm miserrimum sit flere, quàm infelix sum, cui neque hoc quidem licet.* D

Hoc accidisse Iudæis, qui captiui apud Babylonios tenebantur, probabile dicebamus in nostris commentariis in Ieremiam ad illud Thren. cap.1. *Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius.* vbi diximus ærumnosam illam Gentem captare nocturnas tenebras, vt miseram vitam, & quotidianas iniurias deplorarent.

Sed credo hoc loco non tam à metu, quàm à pudore, & confusione os captiuorum obturari, vt docent quæ proximè sequuntur: quæ verba sunt eius, qui peccatum agnoscit suum, & eius recordatione confunditur; non eius, qui supplicium impositum sibi aut queritur, aut dolet. Quod autem pudor non minus quàm ti- E mor linguam constringat, & vocem includat, probat natura ipsa rerum, & experientia; qui enim in scelere deprehensi sunt, muti fiunt, & scelerum conscientia, si modò aliquid mentis, aut pudoris reliquum sit, elingues homines reddit, ad formandam vocem spiritu præcluso. Euthymius in expositione Cantici trium puerorum, ideo putat obstrui captiuorum ora; quia non habent quid respondere possint hostibus, à quibus verba quotidie audiant contumeliosa. Addo & ego, cùm obiiciunt infidelem, aut infirmum esse Deum, à quo à tam ærumnoso, ac sordido statu liberari non possunt. Quòd autem 61.

tem pudor, aut conscius sceleris animus non possit os aperire, indicat illud Psal. 106. *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* & illud Micheæ 7. v. 16. *Videbunt Gentes, & confundentur super omni fortitudine sua: ponent manum super eos.* Hæc verò confusio os conclusit Azariæ, & illorum, qui eodem cum Azaria spiritu, ac sensu in amaritudine animæ peccatorum memoriam refricabant. Et ideo ad hanc cogitationem opportunè subiicitur.

Peccatorum conscientia os secludit.

62. *Confusio, & opprobrium facti sumus seruis tuis, & his qui colunt te.*] Hæc est ratio cur sileant, pudore nempe suffusi; non hostium metu, quia illud vitæ genus secuti sunt, propter quod iure optimo pudefieri debeant. Illud porrò, *Opprobrium facti sumus seruis tuis*, dupliciter explicari potest, vel quòd opprobrium sustineant, & pudorem coram viris religiosis, & sanctis, quibus peccata non possunt non esse fastidio, & quorum subire oculos viro peccatori instar mortis sit; vel quòd viris sanctis pudori fuerint, & ignominiæ, quorum nomini, cùm nihil egissent reprehensione, atque pudore dignum; aliquid tamen ex contribulium sordibus impurum adhæsit; vnde ipsi quoque scelerati, atque impij iudicati sunt. Prior explicatio ex eo videtur habere similitudinis aliquid, quia impuri, ac scelerati verecundari non solent coram aliis, qui iisdem se contaminauere flagitiis; immò potiùs sua apud illos scelera commendant, adeò non damnant. At coram iustis pauet, & verecundatur iniustus, coram castis libidinosus, coram religioso, ac pio desertæ, ac proditæ religionis reus. Sic coram Iob religioso, ac sancto erubescebant non solùm adolescentes leuiculi; sed viri etiam graues, quorum linguam tanti viri obseruantia, & sanctitas ligabat. Iob 19. v. 8. *Videbant me iuuenes & abscondebantur; & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces; & lingua eorum gutturi suo adhærebat.*

Iniustus coram iusto cõfunditur.

63. Veruntamen mihi potior est posterior explicatio, quæ putat ideo dolere Azariam, & qui eodem cum Azaria sensu sunt; quia sine causa iustorum, & innocentium opinio laborat, qui cùm nihil flagitiosè peccauerint, propter aliorum impuros mores scelerati existimentur, & impuri, quia idem cum flagitiosis exilium subeunt; eisdem inter barbaros dominos conflictantur incommodis. Est quidem ingenui animi proprium dolere grauiter, si quid sua causa alter religiosus, & innocens indignè patiatur. Quare qui ex nobili familia sunt, si quid peccauerint, quod horrent nobiles; qui fœdam nobilitati maculam aspergunt, non tam dolent quòd agantur in crucem, aut in vltrices peccatorum flammas coniiciantur, quàm quòd suo flagitio generis alioqui clarissimi splendor obscuretur. Sic religiosus, si quo in scelere deprehensus sit, non tam suam dolet, aut horret ignominiam, quàm quod ex illa aliquid ignominiosum in familiam redundat, cuius ipse & nomen sustinet, & institutum profitetur. Id ergo dolet Azarias, & eo maximè nomine suam, suorúmque culpam accusat, dum ait, *Confusio, & opprobrium facti sumus seruis tuis.*

Iniusti dolere debent, quòd iustis ignominia sint.

64. Sed quærendum adhuc quódnam hoc opprobrij genus, quod propter impij populi culpam, cuius nunc personam sustinet Azarias, adhæsit innocentibus, & his qui religioso, ac syncero cultu Deum venerantur. Hoc ab interpretibus communiter affertur, & meo iudicio verè, quia

A Chaldæi & ingenio suo contumeliosi, & barbari, & tot iam victoriis insolentes exprobrabant Iudæis, quòd in eligendo Deo, quem colerent, vehementer errassent; quando neque antè à Chaldæorum armis ipsos liberauit; neque nunc à fortuna misera, qualis exulum est, neque à quotidianis iniuriis, atque ludibriis eximit. Ex quo etiam fiebat, vt nomen etiam Dei malè audiret inter Gentes: quasi Deus aut nolit seruare fidem, quam antea dederat cultoribus suis, quòd infidelis est; aut quòd non posset, quod infirmi. Vtrumque dixit Ezechiel cap. 36. v. 20. *Ingressi sunt ad Gentes, ad quas introierunt (nempe captiui) & polluerunt nomen sanctum meum, cùm diceretur de eis:*
B *Populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt.* Quasi dicat, populus hic in Dei tutela erat, & de terra, vbi colebatur, abductus est, ab eius nempe sinu, ac cultu; videte quàm ille sit infirmus; qui Gentem suo nomini, ac religioni deuotam deuorari patitur ab externis. Quare duo etiam orat Propheta, vt populum ab hostium eximat iniuriis, atque ludibriis; & vt nomen suum, quod ideò contumeliosè laceratur, ab iniuria vendicet. *Ne quæsumus*, inquit, *tradas nos in perpetuum propter nomen tuum.* Et quidem Dominus ipse per Ezechielem non semel dixerat habere se rationem nominis sui, quòd ne contumeliosè vexaretur à Gentibus, libertatem, fortunæque conuersio-
C nem populo promiserat. Vide quæ nos diximus in Ezechielis locum proximè citatum. Quæ item sententia apud Isaiam, & Ieremiam frequens est. Quare cùm illam audiisset non semel Azarias, grauémque putaret in conspectu Domini, illam hîc repetit; & statim iterum vers. 43. Videtur autem hæc verba sumpsisse ex Psal. 113. vbi Dauid videtur non tam de sua, populique commoditate, quàm diuina gloria laborare. *Non nobis*, inquit, *Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam, super misericordia tua, & veritate tua; ne quando dicant Gentes: Vbi est Deus eorum.*

Quomodo impius diuino nomini apud alienos maculam aspergat.

Sed adhuc dubium qui sint illi serui Domini, quibus opprobrium, atque confusio fuit po- 65.
D puli vita inquinata flagitiis. Sustinebat hoc loco Azarias peccantis populi personam; in quo nonnulli erant, vt vsu in magna multitudine euenire solet, à communi illa populi contagione liberi. Quales erant Daniel, Ezechiel, Esdras, Aggæus, Zacharias, Malachias: nam & hos hoc tempore fuisse Babylone non est improbabile. Hos dolebat, & meritò Azarias, sine vllo suo merito alienis sordibus aspergi. Sed est fortasse verius in sanctis hisce viris, intelligi primos Israelitici populi parentes Abraham, Isaac, & Iacob, quos pudere potuit degeneris prolis, & in omnia impietatis genera proiectæ. Quare quasi pudibundi oculos auertebant ab illis, quos
E à se prognatos non agnoscebant. Ita putat Euthymius in explicatione Cantici trium puerorum. Ad quam explicationem forrasse allusum est ab Angelo Lucæ cap. 1. cùm de Ioanne dixit ad Zachariam, *vt conuertat corda Patrum in filios.* & de Helia Malachiæ c. 4. id est, vt nonnemo putat, vt Patres amare incipiant; & habere pro suis illos, quos propter vitæ sordes auersabantur, & quos aliquando genuisse suppudebat.

Filij improbi dedecori sunt parentibus.

Vers. 34. *Ne dissipes testamentum tuum.*] Testamentum Hebr. ברית *berith.* modò à Latino interprete *fœdus*, modò *testamentum* vertitur: sicut à Græco modò συνθήκη, modò διαθήκη, quorum illud *pactum*; hoc verò *testamentum* est. Vtrumque sanguine confirmari dicitur, non tamen 66.

Testam inter fœdu let.

men eodem vtrobique sensu. Nam pactum sanguine in significatione propria confirmari magis est notum, quam vt probari debeat; idque non solùm inter sacros, sed inter profanos etiam scriptores. Cùm verò sanguine confirmari dicitur testamentum, sanguis tunc sine dubio pro morte sumitur, quia non aliter nisi à testatoris morte vim accipit testamentum, vt docet Paulus ad Hebr. cap. 9. v. 16. *Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Quare cùm testamentum sanguine dedicari, aut confirmari dicitur, figuratè sanguis pro morte ponitur, quia sanguis in significatione propria nihil facit ad testamenti vim.

Testamentū quo sensu dicatur sanguine confirmari.

67. In hoc sensu sumpsit Zacharias cap. 9. v. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu*, id est, cùm moriens testamentum confirmasti. Neque enim ante Christi mortem educti sunt vincti de lacu, vbi non erat aqua. In eodem accepit Paulus ad Heb. cap. 9. v. 7. Nam cùm dixisset, *Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioqui nondum valet, dum viuit, qui testatus est.* Addidit, *vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est*, id est, vt sentiunt frequenter interpretes, *confirmatum est.* En quomodo sanguis signum est mortis, siquidem ille testamentum confirmat. Et iterum versu 20. *Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus*, quod eodem modo S. Thomas exponit, adducitque in eundem sensum illud Matthæi 26. *Hic est sanguis meus noui testamenti*, & vtriusque loci hunc docet esse sensum, dum ait, *Vnde dicit, quòd testamentum confirmatum est in mortuis, id est, per mortem: & isto modo confirmatum est nouum Testamentum per mortem Christi.* Matth. c. 26. *Hic est sanguis meus noui Testamenti, scilicet confirmator, & dedicator.* Et idem repetit paulo pòst. Immo vbicumque Paulus sanguinem cum testamento coniungit ex sententia S. Thomæ testamentum sanguine confirmari significatur, quare nemo dubitabit ibi sanguinem pro morte sumi. Sic epist. ad Heb. c. 9. & c. 10. ad illud, *sanguinem testamenti pollutum duxerit*: & cap. 13. *in sanguine testamenti æterni.* & 1. Cor. cap. 11. illud, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.* Sic explicat, *Per id quod in hoc calice continetur, commemoratur nouum testamentum per Christi sanguinem confirmatum*, neque hoc dicendi modo negatur verum Christi sanguinem esse in calice; sed ibi separato sanguine significari mortem, qua testamentum confirmatur, & quidem in separato sanguine sacrificium significari, & Christi mortē, docēt communiter Scholastici. Ex quo nemo, credo, dubitabit in testamenti confirmatione, seu dedicatione, *sanguinem*, sicut alibi sæpe, vsurpari pro morte. Hæc eadem nos pluribus docuimus in nostris commentariis in Zachariam ad illud cap. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui.*

68. Sed hîc videndum an testamentum pro fœdere sumatur; aut pro eo, quod propriè testamentum dicitur, & vim accipit à morte testatoris. Nam quòd testamentum pro fœdere sumatur aliquando, nemo nescit, & hoc satis probat, quod sæpe audimus in Scriptura *arcam testamenti*, quæ idem est omnino atque illa, quæ arca millies appellatur fœderis. Quid sit discriminis inter testamentum, & pactum, ex dictis videtur aliqua ex parte fuisse demonstratum, & in summa hoc est, aut penè solum, aut maximè præcipuum, quod pactum vbi ratum est, dissolui non potest, nisi ab alterutra parte in conditione seruanda peccatum sit, & vtraque pars aliquid promittit,

Pacti, ac testamenti discrimen.

A aut obligat, & aliquid ab altera exigit, aut sperat; neque vt vim habeat necesse est, vt alterutrius mors intercedat. In testamento testator nihil ab hærede accipit, aut exigit, nisi in fœderis naturam aliquo modo testamentum degeneret; neque ante mortem quicquam ex testamento debet.

Hæc strictim, ac ruditer: nunc videndum an hîc *testamentum* propriè sumatur, aut verò figuratè pro fœdere. Cur verò dubitare quis posset, ea ratio est, quia fœdus dissipare, aut frangere nemo potest, nisi ille simul fidem frangat, aut dissipet: quod de Deo sentire nefas est. Neque rursus testamentum, vbi testatoris morte confirmatum est. Hoc verò testamentum, quia de terrena hæreditate scriptum est, quæ typus erat hæreditatis æternæ, ita etiam victimarum morte confirmatum fuit, quæ Christi mortem adumbrabat. Quare vt Christo testatore mortuo dissipari non potuit testamentum nouum, quod æternam possessionem diuidebat: sic etiam neque dissipari poterat vetus, in quo typica quædam erat possessio, quæ veram figurabat; quia victimarum morte confirmatum est, in quo Christi mortis typus apparebat. Hoc verò loco non petebat Azarias possessionem æternam, quam continebat testamentum nouum; sed terrenam, à qua Iudæi extorres exciderant, quanque ex testamento typica morte confirmato iam antè receperant, vt ex verbis Azariæ promptum est videre. 69.

B

C

Ego hîc non dubito sermonem esse de temporaria hæreditate, vt planè docent quæ proximè succedunt; atque ideo agi de Testamento veteri: sed, vt pluribus dixi ad illud Zachariæ 9. *Tu quoque in sanguine testamenti.* Testamentum vetus pactum quoddam erat victimarum sanguine, ac morte confirmatum, quo Deus Israelitico populo terræ fœcundissimæ possessionem promisit. Dicebatur testamentum, quia illius promissionis complementum, æterna videlicet possessio, qua temporaria, atque terrestris figurabatur, ex Christi sanguine, ac morte sumendum fuit. Hoc verò pactum, seu, vt ita loquar, conditionatum testamentum, in hærede requirebat constantiam, & fidem in testatoris voluntate præstanda, de qua Exod. c. 19. Nam cùm Dominus dixisset Moysi, vt hæc mandata suo nomine ad populum referret, *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meū, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est enim omnis terra.* Cùm hæc per Moysem mandata accepisset populus à Deo, respondit vers. 8. *Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus.* En pactum, quod testamentum conditionatum appellari potuit, quod Deus antea sæpe inierat cum Abraham, vbi possessionem illam promiserat, à qua sub hæc tempora populus excesserat, & de qua nunc laborat Azarias: promisit autē occisis victimis Gen. c. 15. 70.

D

E

Cùm populus acceptam à Domino legem nō impleret, sine vlla Deus iniuria eripere poterat, quod antè concesserat; & dissipare pactum, seu testamentum iam olim sub ea conditione confirmatum. Id ergo nūc Azarias orat, vt, licèt millies rebellis ille populus exilium meruerit, & ludibrium, quod ab insolenti, & barbaro Babylonio patitur; misereatur tamen illius, & antiqui pacti memor in patriam iam olim promissam postliminio restituat. Nisi mauis, quòd mihi videtur non difficile, id orari ab Azaria; vt quod Deus sæpe per Prophetas alios pollicitus est, de restituendo populo captiuo, compleat, licèt in exilio consenescere, immò & extabescere propter continentia penè peccata dignus sit. Promiserat autem 71. 72.

Cur Deus promissam terram populo suo eripuit.

Pactum domini cum populo.

autem hoc ipsum Deus Deut. cap.29. vbi docuit paucis ea, quæ nos hoc loco pluribus persecuti sumus. Primùm vers. 14. *Dicent omnes Gentes: Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est ira furoris eius immensa? Et respondebunt, quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum Patribus eorum, quando eduxit eos de terra Ægypti, & seruierunt Diis alienis*, &c. *& eiecit eos de terra sua in ira, & in furore, & in indignatione maxima, proiecitque in terram alienam.* En minæ! Sed audi de libertate, melioríque statu promissionem, statim cap. 30. à principio, *Si reuersus fueris ad eum* (nempe Deum) *& obedieris eius imperiis*, &c. *Reducet te Dominus Deus tuus de captiuitate tua, ac miserebitur tui, ac rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te dispersit. Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, & assumet, atque introducet in terram, quam possederunt patres tui, & obtinebis eam.* Hoc pactum, opinor, proponit Azarias, & ostendit populum iam execrari vitam sceleratè transactam, melioraque quàm antea meditari. Atque ideo orat, vt promissa compleat, neque testamentum, seu pactum dissipet, quod cum populo, quem peccati pœnitet, iam olim inierat. Hæc eadem orasse videtur Nehemias non longè post hæc tempora in eodem loco lib.2. Esdræ cap.1. v.8. *Memento verbi, quod mandasti Moysi seruo tuo, dicens: Cùm transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos, & si reuertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea, etiamsi abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, & reducam vos in locum, quem elegi.* Postrema hæc explicatio solutior est, & textum totum magis implet.

73. Vers.35. *Neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.*] Non agnoscit in se, populóque captiuo sanctus hic orator, quid Domino proponat, vt eius in se misericordiam inflectat: quare ad parentes confugit, quorum vitam à Deo commendatam sciebat; & quibus antea promisisset id, quod nunc ab ipso exorare studet. Est autem in Scriptura familiaris hæc orandi, &, penè dicam, legitima forma, quæ sanctorum Patriarcharum merita proponit, quæ exorent à Deo, quod conscius peccatorum animus obtinere non sperat. Hic oportet tantisper hæreamus, exploremúsque cur tribus hisce Patriarchis diuersa attribuantur epitheta. Vocatur enim Abraham *dilectus Dei*, Isaac *seruus Dei*, Iacob *sanctus Dei*. Neque enim Azarias temerè loquitur; neque, vt suspicor, sine aliorum exemplo. Scio epitheta hæc tribus hisce viris assignari promiscuè; & serui nomen Abrahæ aliquando, vt Deuteron.9.v.27. & Iacob sæpius esse datum apud Isaiam cap. 41. 42. At cùm de his seorsum agitur, diuersis solent no-

74. tari nominibus. Sic Isai. cap. 41. v. 18. Iacob vocatur *seruus*, Abraham *amicus*. Huius ergo discriminis causam diuinando potius, quàm affirmando adducere tentabo. Amicitia tum in aliis plurimis, tum maximè in manifestandis cordis arcanis cognosci solet. Hæc verò manifestauit Dominus Abrahæ, & verbis vsque adeò significantibus, & mollibus, vt nullum ab amicis expectari potuerit beneuolentiæ maius argumentum. Gen.18. cùm ad euertẽdam Sodomam properaret, dixit Dominus, *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Hæc autem ver-

Abraham cur dicatur dilectus Dei.

A ba, vtpote à Deo, & hoc illustre eximiæ beneuolentiæ testimonium, nemini, credo, fuerunt ignota, & satis præterea grauia, vt *dilecti*, seu *amici* nomen conciliarent Patriarchæ. De Isaac illud habemus illustrissimum obedientiæ documentum, quòd cùm ab illo Dominus vitam exigeret, tanquam à victima, libenter imperium, quo nullum videbatur horribilius, admisit, vt testis est Iosephus lib. 1. Antiq. c. 14. séque ne quid contra parentis cogitata auderet, aut posset, ligari passus est. Ita cum Iosepho tenet Augustinus serm. 46. de tempore, vbi mirè amplificat obedientiam Isaac. & Ambrosius lib.2. de Cain, & Abel, cap.10. Ab hoc illustri obe-

75. *Isaac cur dictus seruus Dei.*

B dientis animi testimonio nemini posterorum ignoto, appellari potuit *seruus* cognomento proprio. Iacob ideo puto nominari *sanctum*, quia sancto Dei nomine consignatus est, quando post luctam vocatus est Israel Gen. cap.32. Est autem in Israel nomen Domini, quod idem valet, atque *potens contra Deum*, aut *præualens Deo*. Vt autem illa sancta dicuntur, quæ sacra aliqua actione aut signo notata, aut sanctificata sunt: sic Iacob insignitus Dei nomine sancto, quod auditur in *Israel*, sanctus vocari potuit. Accedit alia quoque ratio ex Hebraici nominis proprietate, quæ sanctum appellat quod electum est, & segregatum ab aliis, quomodo

76. *Iacob cur dictus sanctus Dei.*

C sanctificata dicuntur primogenita boum Deut. 15. & locus, & dies quos Deus sibi, suóque cultui destinauit: sic sanctus appellari potuit Iacob, quia illum elegit Deus, repudiato Esau, & sicut Esau profanus est appellatus; sic etiam Iacob, quem illi Paulus opposuit, sanctus vocari potuit.

Sanctū, seu sanctificatū dicitur, quod electum, seu destinatum operi sacro.

Vers.36. *Pollicens quòd multiplicares semen eorum, sicut stellas cœli.*] Hoc ad pactum, seu testamentum pertinet, quod ne dissipetur, orat Azarias: nam inter alia plurima, quæ Deus antiquis promisit, & largitus est Patriarchis, hoc erat vnum, neque repetitum semel, tantam fore Israelitidis Gentis multitudinem, vt cum cœli syderibus, & arena maris comparari potuerint; 77.

D Gen.cap.13.v.16. & c.22.v.17.

Vers.37. *Imminuti sumus plus quàm omnes Gentes, sumúsque humiles in vniuersa terra.*] Pathos mouet ex rerum dissimilitudine. Tam enim longè est, vt Gens Israelitica adæquet numero littoris arenas; vt bello, fame, & labore consumpta vix vsquam appareat; ex infinito namque numero tantum decessit, vt Gens alia nulla ad tantam paucitatem redacta sit. Neque ita cum Iudæorum reliquiis actum est, vt vitæ qualiscumque vsura expetenda fuerit; vbicumque enim Gentium consederunt, abiecti sunt & sordidi, vitámque trahunt omnium ludibriis, iniuriísque propositam. 78.

Vers.38. *Et non est in tempore hoc Princeps, & dux, 79.*

E *& Propheta.*] Sic extabit respublica, populúsque Israeliticus, vt nullum habeat caput, nullum ductorem, aut Principem quem sequatur. Loquitur autem iuxta Scripturæ morem, quæ id dicit abesse, quod otiosum est, aut inutile, aut denique sine honore, ac dignitate existimatur. Quomodo dicimus, si Rex infans fuerit, aut sine illa prudentia, atque consilio, quod arduum regni pondus exigit, non esse Regem; si concionator leuiculus sit, quærátque magis inane nomen, quàm Dei maiorem gloriam, & animarum salutem; aut si medicina nullum ægro corpori leuamentum attulerit, abfuisse

Id abesse dicitur, quod otiosum, aut inutile est.

dicimus Regem, Doctorem, & medicinam. Si Consul, Sacerdos, Propheta vili habeantur loco; aut non audiantur, defuisse dicimus Consulem, Sacerdotem, & Prophetam. Quales videri potuere Sacerdotes tempore Saul, & Prophetæ tempore Manassæ. Erant quidem sacerdotes in exilio, & in his sacerdos magnus Iosedech, aut Iesus eius filius; erat Rex Sedecias, aut si is fortè eo tempore decesserat, erat Iechonias, qui Nabuchodonosori superstes fuit, & è vinculis extractus ab eius filio Euilmerodac. Erant Prophetæ Daniel, & Ezechiel, Zacharias, Aggæus, & Malachias; sed quia illis non habebatur fides, aut honor; aut quia certè non ita liberè, atque cum dignitate loquebantur, sicut antè florente Iudæorum republica, fuisse eo tempore negantur ab Azaria.

80. *Neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, &c.*] Sicut extra Solymitanum templum excitari non poterat altare; sic neque extra templum illud offerri holocausta poterant, aut illa sacrificia, oblationes, & libamenta, quæ hîc commemorantur. Quare & nunc à Iudæis, qui toto orbe dispersi vagantur, & olim in captiuitate illa sacrificia cessauerunt, quæ in vno templo à Domino in illum vsum excitato offerri poterant. Non nego euerso templo, in ipsius loco, & quasi busto immolatas victimas, & oblata sacrificia, vt constat Ierem. cap. 41. vbi viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria venisse dicuntur, vt in euerso templo quædam offerrent thura; quia non iusserat Deus, vt tantùm offerrentur in constructo templo, sed in loco, quem sibi pro templi fabrica designaret. Atque idem in illo Dauid ante constructum templum, excitauit aram, & obtulit pacificas victimas, 2. Reg. cap. 24. & post euersum in eodem situ excitatum fuit altare, vt in eo offerrentur holocausta, Esdræ lib. 1. c. 3. sed quia id perquam rarò fiebat, si modò aliquando factum tempore captiuitatis, & vrbs, immo & regio tota vastata penè esset ab his, qui legitimè, & sanctè offerre sacrificia poterant, ideo absolutè dicit Azarias, neque holocaustum esse, neque sacrificium; neque locum, vbi legitimè primitiæ tam pecorum, quàm frugum offerrentur.

In euerso templo aliqua offerri sacrificia poterant.

Cur captiuitatis tempore cessare dicatur oblatio.

81. Vers. 39. *Vt possimus inuenire misericordiam.*] Quædam erant sacrificia ad placandum offensum Deum instituta, qualia erant pro ignorantiis, pro peccato, & pro delicto. Hæc, vt diximus, offerri non poterant extra templum, aut extra locum, vt nuper diximus, destinatum à Deo. Cùm verò hæc ad expiandam culpam adhiberi non possent, in alieno solo pro sacrificiis lacrymas, compunctionem, & pœnitentis animi cruciamenta, & quasi libamenta offert, orátque vt instar obtineant sacrificij, quod quotidie stante re Iudaica suscipiebat è templo.

82. *Et nunc sequimur te toto corde; & timemus te, & quærimus faciem tuam.*] Rationem adducit, cur quod orat, exorare debeat; vt enim proximè diximus ex lib. Deuteron. cap. 30. & ex lib. 2. Esdræ cap. 2. libertatem Dominus promiserat, & facilem in patriam reditum filiis Israel, etiamsi ad vltimos terræ fines essent dispersi, si modò illos anteactæ vitæ pœniteret, & ad Deum à quo perfidiosè defecerant, reuerterentur. Id verò sibi nunc esse in votis, & conatu, indicat Azarias, suóque iure à Domino videtur exigere, vt ad patriam exules, & ad libertatem seruos, hoste domito, ac pudefacto restituat. Orauit hæc Azarias, cùm adhuc esset in fornace, neque tamen pro seipso, ac sociis tantùm orabat; sed pro toto genere Israelitico, quod iactari videbat, atque concidi quotidianis iniuriis: neque enim minus æstuabat animus contribulium amore, quàm fornax ab igne, quem naphtha, & stupa, pix, & malleolus accendebant.

Azarias in fornace de toto populo sollicitus erat.

Vers. 46. *Et non cessabant qui miserant eos ministri Regis accendere fornacem naphtha, stupa, pice, & malleolis.*] Interim dum Azarias vrgebat Dominum orando, vrgebant regij lictores, ac satellites sanctos illos iuuenes alia, atque alia incendij nutrimenta suggerendo. Neque vllum intermittebant tempus, quin & nouam materiam in fornacem iniicerent, & ignis fomenta; vt vis esset acrior, & maius incendium. 83.

Quæ sint ista fomenta, aut irritamenta ignis, quæ sæui illi regij furoris satellites parant, docet hîc pluribus Pereira. Stupam non puto à pice fuisse separatam; quòd enim stupa imbuatur, aut illinatur pice, quo ponderis aliquid habeat, vt longè possit adigi à iaculante, satis est notum, & docent illi dicendi modi qui in re bellica frequentes occurrunt; cùm stupæ dicuntur coniici, spargíque, quod non patitur stupæ leuissima natura, quæ vix iactu passum superare potest. Sic credo, in nauali pugna Actiaca, imbuta pice iaciebatur stupa, aut sola, aut alligata iaculo, de qua Virgilius lib. 8. Æneid. 84.

Stupa est piceæ incendij nutrimentū.

Stupea flamma manu, telísque volatile ferrum
Spargitur.

Et Liuius circumligatum stupa dixit fuisse palum, & litum pice. Pice quoque malleolos imbutos puto, tametsi sine pice, aut alio ignis allectamento coniici & possint, & soleant. Sunt autem malleoli sarmenta quædam, quæ partem aliquam vitis secum asportarunt, ex quo malleoli vocati, quia mallei figuram referunt; sed iam malleoli vocati sunt fasces ex quacumque materia, quia facile concipiunt, & diffundunt ignem: vnde Nonius Marcellus ait, *malleolos esse manipulos sparteos pice contectos, qui incensi aut in muros, aut in testudinem iaciuntur.*

De naphtha admirabilia tradunt scriptores antiqui. Hieronymus hîc ex sententia Salustij tradit, *quòd naphtha sit genus fomitis apud Persas, quo vel maximè nutriantur incendia. Alij ossa oliuarum, quæ proiiciuntur cum amurca arefacta, naphtham appellari putant: vnde & Græcè* πυρῆνα *dicitur, eo quòd* πῦρ, *id est, ignem nutriat.* Egerunt de naphtha Dioscorides lib. 1. cap. 81. Plinius lib. 2. cap. 105. Strabo lib. 15. Plutarchus in vita Alexandri. Audi quid de naphtha Plinius suprà: nam ad eius sententiam, & mentem reliqui videntur fuisse locuti. *Nascitur*, inquit, *naphtha circa Babylonem, & in Austragenis Parthia, bituminis liquidi modo profluens. Huic magna cognatio ignium, transiliúntque protinus in eam vndecumque visam.* Addit Plutarchus hanc vim admirabilem naphthæ ex natura Babylonici soli prouenire, in quo pingue est aliquid instar olei, & igneæ naturæ. Est enim Babylonica regio vsque adeò ab ignea quadam virtute æstuans, vt hordeum ex humo subsultet, & ipsa terra quasi nimia inflammatione palpitet; habeántque homines 85. 86.

Naphtha vis admirabilis.

Babylon calidissima regio.

homines contra immodicum feruorem in vtribus aqua plenis diſtenta cubilia. Hinc fortaſſe montes Babylonici caliginoſi dicti Iſai. cap. 13. & Ierem. cap. 13. quia ex terræ aſſiduis æſtuariis, ſiue ſpiraculis igneis halitus quidam fumeus erumpit, qui aërem reddit turbidum, & craſſum.

87. Verſ. 47. *Effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta nouem.*] Hic ego aliquid videre videor nouum, & admirabile, vtinam verè. Quod priuſquam explico obſeruo, *ſuper* interdum idem valere quod *iuxta*; quare quod ad latus, ſeu propè eſt, ſuper eſſe dicitur. Quo modo captiui Pſ. 136. ſediſſe dicũtur *ſuper flumina Babylonis*, id eſt, iuxtà in littore. & Exod. 16. Hebræi *ſuper ollas carniũ*. Sic ergo nunc flamma, quæ ex ore fornacis erumpebat, ad eius latus ſic explicabatur, vt 49. cubitorum ſpatium excurreret; non quidem ſupra fornacem, ſed circum. Alioquin ſi ſurſum tantùm attolleretur flamma, & non effunderetur in latus, non occidiſſet eos qui iuxta fornacem erant è Chaldæis. Quare, vt verba ipſa non obſcurè indicant, in fornacis medio, vbi pueri erant, flamma non fuit; ſed tota ſimul foras erupit. Hæc eſt expreſſa Theodoreti ſententia, cuius ſtatim verba producemus; & Euthymij in explicatione cantici trium puerorum. Item Baſilij oratione 5. de ieiunio. *Nihil*, inquit, *aliud ingentem illam flammam ſuſtinebat, quàm naphtha, pix, & ſarmenta: quæ ita eam alebant, vt ad quadraginta cubitos diffunderetur, & circumcirca omnia depaſcendo, multos etiam ex ipſis Chaldæis conſumeret.* vide plura infrà num. 90. Ad hanc explicationem quæ reliqua ſunt attemperabo; neque, vt ſpero, difficile.

Super, idem interdum quod iuxta.

Flamma ex fornace Babylonica non attollebatur ſursũ, ſed in latus diffũdebatur.

88. Verſ. 48. *Et incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis.*] Suprà verſ. 22. à flamma dicuntur extincti, qui tres iuuenes in fornacem colligatos protruſerant: quod dictum videtur anticipata narratione per prolepſim, quod verius puto; quia illi iidem qui in fornacem priùs incluſerant, nunc verſ. 46. dicuntur viuere, & naphtha, ac pice, aliáque incendiaria materia incendium fouere; niſi dicas plures fuiſſe miniſtros, qui impiam operam nauarunt furenti Regi, & ex illis aliquos primùm, nunc verò reliquos fuiſſe peremptos. Illud videtur certum plures alios è Chaldæis qui miniſtri non erant, ſed curioſis, & fortaſſe libentibus oculis pueros ſpectabant, correptos fuiſſe, & extinctos à flamma. Hi verò fuiſſe dicuntur *iuxta fornacem*, Græcè περὶ, id eſt, *circum*, quod me magis in priori cogitatione confirmat, quæ dicebat flammam 49. cubitis excurriſſe ad latus, non ſurſum aſcendiſſe: alioqui non incurriſſet in eos, qui circum ad fornacis latera conſtitiſſent. Niſi dicas tunc 49. cubitis aſcendiſſe ſurſum, poſtquam latè ſe explicuiſſet ad latera.

89. Verſ. 49. *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace.*] Non, credo, dubitabit quiſquam ſimul cum Azaria, & ſociis Angelum iniiſſe fornacem, cuius miniſterio factum eſt, vt flamma excuteretur foras, & omnino puerorum aliquid non attingeret. Quod ſi ita eſt, vt planè videtur eſſe dicendum, longe pueri abfuerunt à flamma, quæ in eo loco nunquam fuit, vbi pueri primùm cecidere colligati; & deinde ſoluti ambulabant illæſi. Neque quicquam incommodat, quod hoc loco deſcendiſſe dicitur, & ex-

Flãma excuſſa à fornace ne pueros attingeret.

A cuſſiſſe flammas. Nam, vt dixi, per prolepſim illa ſuperiùs dicta ſunt de immunitate à flamma, & de Azariæ precibus; ſeu potiùs illa eadem, quæ tunc hoc loco à Propheta per ἀνακεφαλαιώσεως repetuntur; quod in Scriptura frequens. Tunc autem præteritum perfectum pro pluſquamperfecto ſumitur, quod item in Scriptura ſacra non infrequens. Gen. 2. *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum viſu.* & ibid. cap. 21. *Viſitauit autem Dominus Saram.* Exod. 4. *Dixit Dominus ad Moyſem, vade, & reuertere in Ægyptum.* Matthæi cap. vltimo. *Et ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem.* In omnibus his locis, ſi
B capitis filum attentè conſideres, legendum eſt; *produxerat, viſitauerat, dixerat, factus fuerat, deſcenderat, reuoluerat.* Sic ergo dicendum arbitror, *Angelus deſcenderat, & excuſſerat flammam.* nempe cùm primum in fornacem pueri coniecti ſunt, quod apertè colligitur ex textu Græco, vbi ſimul cum pueris dicitur Angelus in fornacem ingreſſus. συγκατέβη ἅμα *condeſcendit ſimul.* & Comeſtor in lib. Danielis cap. 3. ante orationem Azariæ ſtatuit Angeli deſcenſum.

REGVLA. *Præteritum perfectum pro pluſquã perfecto.*

Quod verò de fornace diximus, in illo nempe loco vbi pueri fuerunt, non fuiſſe flammam, neque illam erupiſſe ſurſum, ſed in latus longè fuiſſe diffuſam, ſentit Theodoretus, cuius hîc 90.
C verba referre libuit. *Illi qui foris erant flammam incendebant; ſed ſanctus Angelus flammam diſſipabat; & mediam fornacis partem ignitis carbonibus nudans auram quamdam frigidam, & humidam, quæ ſanctis multam afferret voluptatem, in eorum corpora immittebat. Ex hac autem diſſipatione flammarum, & depulſione à corporibus illorum iuuenum miniſterio Angeli facta, in tantum ignis è fornace effuſus eſt, vt ad 49. cubitos extra fornacem ſparſus omnes, quos in eo ſpatio Chaldæos reperit, ad vnum combuſſerit.* Idem multo clariùs Euthymius in expoſitione Cantici trium puerorum. *Cùm effuſa eſſet*, inquit, *flamma per terram, & repertos ibi Chaldæos incenderet, ſigna huius flammæ impreſſa in terra, in quam effuſa eſt, ad*
D *totidem cubitos commenſurata ſunt.* Ex his verbis Euthymij coniectura ſumitur bona ad confirmationem huius ſententiæ; neque enim definitè cognoſci poſſit 49. eſſe cubitos, niſi tantum ſpatij ignis deſignaſſet in terra combuſta: nam adhibita eſſe Mathematica inſtrumenta in ea confuſione, ac turba, non adeò veriſimile eſt.

Flamma non erupit ſurſum.

Verſ. 50. *Et fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem.*] Media pars fornacis vacua erat à flammis, vbi erant pueri: nam partem aliam, quæ ad fornacis oſtium pertinebat, occupabat ignis, quem latè ad 49. cubitos euomebat fornax, quod magis ſententiam, quam nuper probabamus, confirmat. In ea porrò parte,
E quam Angelus vacuam reddiderat à flammis, ea erat temperies, vt perflare videretur roſcidus ventus, qualis matutino tempore aſpirare ſolet à mari, qui gratiſſimus eſt, maximè in æſtate; & in rerum, quæ maximè refrigerant, ac reficiunt animam, comparationem adducitur. Prouerb. 25. v. 13. *Sicut frigus niuis in die meſſis; ita legatus fidelis ei, qui miſit eum, animam ipſius requieſcere facit.* 91.

Et non tetigit eos omnino ignis.] Hæc verba ſic accipio, vt propriè ſonant, nimirum pueros non modò nihil eſſe paſſos; ſed neque fuiſſe tactos ab igne, quia fornax totum incen- 92.

Flamma nõ attigit pueros in fornace.

G 2 dium

dium foras euomuit, & ad locum vbi pueri erant, non peruasit. Id verbis penè disertis explicat textus ipse, qui hæc omnia à pueris expressè remouet. *Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quicquam molestia intulit.* Negat primùm attactos esse; sed ignis licèt non tangat, afflare tamen solet absentes, & molestiam afferre. Tam ergo molestiam, & dolorem submouet, quàm afflatum. Eô tantùm peruenit ardor ignis, & vrendi vis, vt vincula dissolueret, quod etiam absens modico interiecto spatio præstare potuit; non tamen vt vestimenta læderet, aut aliquid acerrimæ suæ virtutis vestigium relinqueret. De hoc miraculo, réque tota sæpe loquuntur Patres, vbi ad mores plurima. Lege Basilium in illud Psal.28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Gregorium lib. 3. Dialog. cap.18. Chrysostomum hom.4. ad populum, latè atque optimè & Tom. 1. homil. de tribus pueris. Rupertum lib.6. de victor. Verbi, cap.16.

Angelorum bonorum ministerio aliquando vtitur Deus ad puniendum malos.

Hoc loco non erit abs re obseruare (contrà quàm quidam opinati sunt, & in his Isidorus
93. lib.... Burchardus lib.20. c.52.) aliquando Deum Angelorum bonorum vti ministerio ad sumendum de peccatore supplicium. Nam licèt id sæpe faciat per spiritus malos, quod nemo negat; at sæpe idem per bonos fieri, certissimum est. Tractauit hanc quæstionem Augustinus ad illud Psal.77. *Immissiones per Angelos malos.* vbi docet tam malorum, quàm bonorum Deum vti ministerio ad hominum supplicia; & censet ibi prima duo Moysis signa sanguinis, & ranarum edita fuisse per Angelos bonos; & quod Angeli à quibus est euersa Sodoma, boni fuerint, non putat à quoquam piè posse negari, quia Scriptura sacra dubitare non sinit. Dixit idem propè lib.9. de ciuitate, cap.5. *Sancti*, inquit, *Angeli sine ira puniunt eos, quos accipiũt æterna Dei lege puniendos.* Idé docet Hieronymus ad illud Iob cap.22. *Diuitias quas deuorauit, euomet.* Vbi ait Angelos esse messores, qui zizaniam demetunt in æternum cremanda; vbi etiam docet Angelum esse bonum, qui strauit, deleuitque exercitum Senacherib. Idem Beda in illud Psal.77. *immissiones per Angelos malos. Boni*, inquit, *Angeli potestatem habent corporaliter etiã nocendi malis hominibus. Tres enim Angeli, quos Lot in hospitio recepit, boni fuerunt, per quos tamen Sodomæ subuersio facta est.* Idem etiam putat Theodoretus qui sex viros, qui Ezech. cap.9. viros occiderunt, quorum frontes non erant consignatæ Tau; & virum lineis vestitum, Angelos bonos esse dicit, tum alibi, tum apertè ad illud cap.10. v.7. *stetit iuxta rotam.* Idem Abulensis docuit in cap. 19. lib. 4. Reg. q. 28. vbi præter alia exempla cô magis inclinat ad finem quæstionis, vt Angelum putet esse bonum, qui illa tot Assyriorum millia confecit. Et in cap. 12. Exod. q.48. vbi bonum vocat Angelum, qui plurimorum cæde vltus est Dauidis peccatum in numerando populum. Hoc idem ex recentioribus docet Ribera in cap.7. Apoc. vbi Angelum, qui 2. Reg. cap.24. populum percussit, & illum, qui Isai. cap. 37. Assyriorum castra deleuit, bonos esse dicit. Tenet Pereira in cap. 7. Apoc. num. 12. & iterum in cap.7. Exod. num. 71. vbi putat omnes plagas, quæ afflixerunt Ægyptios, fuisse ab Angelis bonis illatas. Tenet Lorinus in cap. 12. Actor. ad illud versus 25. *Percussit eum Angelus Domini.* Vbi plures adducit aucto-

A res, quibus idem placet. Quòd si recentioribus exemplis vti licet, Angelus malus non erat, quæ Agnetem in lupanar inclusam ab intemperantia lasciuorum adolescentium eripuit; at ille nimis audacem præfecti filium interemit. Neque Angelus, qui Gregorij magni tempore populum Romanum afflixit, quíque visus est cum nudato gladio supra Adriani molem malus erat, alioqui cum tot Pontificum approbatione non assumpsisset moles illa nomen ab Angelo sancto, diceretúrque *Castellum sancti Angeli.* quod argumentum apud me multorum instar est. Quid verò sibi Hieronymus velit, dum in lib.6. super Isaiam contrarium videtur indicasse, ipse ostendit postea loco suprà citato, dum
B ait Angelos bonos diuinæ iustitiæ fuisse ministros. Neque in contrariam sententiam illud Psalm.77. *Immissiones per Angelos malos*, nimis vrget, vt enim ibi Theodoretus, & Euthymius, & sanctus Augustinus, & alij plures, ibi Angeli non dicuntur mali, à natura, seu electione; sed quia mala, & dura hominibus infligunt. Quasi dicas Angeli malorum inuectores, seu quos Deus, vt vltores assumat. Et fauet vox Hebraica, quæ in statu regiminis est; nec enim scribitur מלכים *malachim*, sed מלאכי *malache*, id est, non Angeli, seu ministri mali; sed malorum.

C Vt autem ad institutum redeamus, Angelum hunc Deus non solùm administrum assumpsit, 94.
vt pueros ab incendio fornacis eximeret; sed etiam vt dissipatis flammis, & extrorsus diffusis Chaldæos qui proximi aderant, & auidiùs innocentum cruciatum intuebantur, occideret: sicut vir linteatus, cui Dominus Ezechielis cap. 9. præcepit, vt Tau lugentium frontibus imprimeret, (quem Angelum esse bonum nemo dubitat, neque Hieronymus ipse, qui in illo Christum seruatorem adumbrari putat,) flammas sumpsit è curru, vt ciuitatem inflammaret, & perderet, cap. 10. v.2. & v.7. Cui dixit Deus idem propè, quod huic videtur esse præceptum: *Imple manum tuam prunis ignis,*
D *quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatem.*

Vers.51. *Tunc hi tres, quasi ex vno ore laudabant.*] Cùm viderent adolescentes illi sancti 95.
flammas extrorsus dissipari & inuolare in illos, qui incendiariam materiam supponebant, & qui ipsorum interitu exultabant; neque sibi quicquam ab illo incendio accidere molestum, admirati Dei animum verè paternum, & fidelem, conspirant omnes in diuinas laudes, & quasi vno ore eisdem vocibus, & eisdem numeris, & laudant ipsi Deum, & vt idem faciant, res omnes creatas incredibili studio, & admirabili artificio sollicitant.

E Hîc primùm explorare libet, an celeberrimum hoc canticum nunc primum compositum 96.
fuerit à tribus pueris; vel certè ab aliis antè compositum, ab ipsis cum iubilo, & plausu recitatum. Quæstionem hanc non video à quoquam fuisse tentatam, quæ tamen mihi visa est non indigna, quæ examinetur hoc loco non indiligenter. Ego sic arbitror Canticum istud iam antè à Iudæis cantari solitum, in gratiarum actionibus, sicut à nobis plerumque fit, cùm re feliciter gesta quasi legitimè cantamus illud Augustini, atque Ambrosij canticum, *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.* In

Canticum trium puerorum ipsis videtur antiquius.

REGVLA. *Plurima excidisset de Scriptura, nisi ab aliis forent repetita.* In quam cogitationem ideo deducor; quia multa video apud Hebræos antiquos carmina, quæ tamen in ordinem redacta non sunt, quæ planè iacerent nunc in obliuione, nisi à quibusdam certis in locis essent repetita. Duo Cantica videmus ab Esaia repetita; quæ tamen ab eo
97. compofita non sunt; seu potius vnius cantici duas partes, alterum cap. 5. vbi ipse docet alienum esse canticum. *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ suæ*, &c. quod canticum est contra vineam infidelem, & ingratam. Alterum de grata, atque fideli vinea cap. 27. v. 2. *In die illa vinea meri cantabit ei, ego Dominus, qui seruo eam.* Neque est incredibile canticum illud, quod legis Isaiæ cap. 12. ab alio, quàm ab Isaia fuisse compositum ad laudandum Deum pro singulari aliquo beneficio. Esse solenne aliquod, & quasi legitimum canticum ad agendas gratias, argumēto est Psalmus 117. seu Psalmus 136. aut alij qui idem habent initium, quem cecinerunt captiui Esdræ lib. 1. cap. 3. v. 11. *Et concinebant in hymnis, & confessione Domino; quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Et clariùs 2. Paralip. 5. v. 13. *ita vt cùm Deum laudare cœpissent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius, impleretur domus Dei nube.* quod etiam fecere tres hi pueri, vt habes in fine cantici. Sic credo habuisse olim alia cantica Hebræos, quæ in agendis gratiis in templo concinerent: quale videtur esse quod nunc in fornace pueri modulati sunt, quod quia Hebræis fuerat familiare, memoriter ab his saltem, qui bono essent ingenio, & ad pietatem exculto, tenebatur.

Cantica aliqua Hebrais communia in gratiarū actionibus.

98. Id ego ex eo coniecto, quia quasi ex vno ore cecinisse dicuntur carmen hoc eucharisticum tres adolescentes, id est, iisdem verbis, iisdem numeris, eodem concentu. Quod sanè sine miraculo non videtur fieri potuisse: miraculum verò, vbi res ipsa non vrget, ponere necesse non est. Cur autem hîc debeant multiplicari miracula, non video, quando ad laudandum Dominum satis est vnum ex antiquis canticis adhibere.

99. Sed est coniectura meo iudicio non leuis, quia eodem filo, & eodem, vt apparet, concentu cecinerunt pueri quosdam alios versus, qui in Ecclesia à trium puerorum hymno distrahuntur, quorum aliqui illi tempori, atque statui, in quo tunc erat res Iudaica, opportuni non erant. Nam cùm loca numerarentur, vbi diuinæ personabant laudes, numeratur templum, quod tunc euersum erat; neque in eo audiri poterant exultantium, atque laudantium voces: deinde quia sedere dicitur super Cherubim, quod simili dicendi genere sæpius arcam indicat, propitiatorium, & duos Cherubim, inter quos sedere dicitur Deus, & reddere responsa. Ita putat Theodoretus, & Dionysius dicit ita aliquibus placuisse. Quòd verò eo in loco templum Solymitanum sit, docet Euthymius hîc, & Theodoretus; & Dionysius, ex aliorum sententia.

100. REGVLA. *Quædam ascribuntur illis, qui non ea cōposuerunt, quia illis vsi sūt.* Hæc mihi veri magis videntur esse similia. Neque officere puto huic sententiæ, quod canticum hoc ab Ecclesia fuisse dicatur trium puerorum; satis enim est ab illis in eo rerum articulo fuisse cantatum, & ab illis pueris acceptum esse, & conseruatum canticum: non enim ad nos illius peruenisset vlla notitia, nisi & repetitum esset à pueris; & illorum causa à Daniele sacris mandatum monumentis. Sicut etiam

A canticum esse dicimus Isaiæ, quod est apud ipsum cap. 5. cùm tamen constet ab ipsius patrueli priùs esse cantatum. Et verba capitis vltimi Prouerbiorum nemo negat esse Salomonis, quia à Salomone conscripta; cùm tamen præcepta quædam sint à matre Salomoni tradita, vt titulus ipse capitis non obscurè docet, *Verba Lamuelis Regis visio, qua erudiuit eum mater sua.*

Illud tamen obseruandum plurima eorum, 101.
quæ in hoc cantico scripta sunt in Dauidicis Psalmis, licèt alio ordine, ac modo, variè esse dispersa, & eo fortasse ordine ab his adolescentibus captim esse collecta, quo deinde à
B Daniele prodita sunt. Quod si ita est, illud etiam videtur non improbabile ab aliis etiam tam in templo, quàm extrà in agendis gratiis solere cantari. Hæc in re dubia, & à nemine quod sciam hucusque tentata, verisimiliter videntur dici posse; si quis aliter statuat, aut sentiat, non repugno.

CANTICVM TRIVM puerorum.

Vers. 52. *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum.*] Interim dum populus assentator, 102.
& timidus pronus adorabat auream effigiem
C Regis impij, & campus totus instrumentis musicis perstrepebat; laudabant pueri verum Deum, quem ipsorum coluere maiores, & sacrilego clangori tubarum, atque symphoniæ piis vocibus, & harmonia cœlesti obloquebantur. Quia vox *benedictus*, in toto hoc capite sæpius occurrit; ideo de illa antequam progrediamur ad alia nonnihil obseruandum.

Benedicere, licèt vox sit magis ab scriptoribus sacris vsurpata pro laude, aut fausta aliqua precatione; tamen aliquando in eundem vsum vsurpant profani, apud quos bona verba dicere, & similia aut laudem, aut secunda, & amica vota significant. Hæc obscura non sunt: il-
D lud minus ab aliis aut cognitum, aut obseruatum, *Benedictum*, licèt actum secundum sæpius significet, id est, laudatum esse, siue laudari; aliquando tamen actum primum importare, vt Physici dicunt, id est, non laudari Deum, seu benedici, sed esse laudabilem, & dignum qui benedicatur. Et hoc postremum videtur huic loco magis consentaneum, quod declarat vox, quæ subiicitur statim in eadem sine dubio significatione, *& laudabilis.* Neque id in Scriptura nouum est, aut insolitum; in qua sæpe participium præteriti significationem obtinet verbalium in *bilis*, quod etiam non infrequens apud profanos. Sic *inaccessus* idem est quod
E inaccessibilis, *inexhaustus* fons qui exhauriri non potest, *inuictus* pro inuincibili: sic etiam nunc, & alibi millies, *benedictus* pro benedicibili, id est, pro eo qui benedici, ac laudari dignus est.

Benedicere, bona verba dicere, *& similia pro laudare.*

Benedictus idem quod laudabilis.

REGVLA. *Participium præteriti pro verbali in* bilis.

Et superexaltatus in sæcula.] Idem dicendum de 103.
superexaltato, quod idem valet quod *superexaltabile. Super* autem hoc loco idem est, quod valdè, aut certè aliquid excelsum significat, ad quod nemo aut potest, aut debet aspirare. Quod videtur spectare ad cantus illos ventosos, & fatuos, qui auream Nabuchodonosoris statuam superextollebant, & superextabant, dum illi honorem qui vni debebatur Deo, largiebantur. Sic statim Dominus eodem sensu dicitur

Super, *idem quod* valde.

superlaudabilis, & supergloriosus. Super præterea aliquid valet, quod modum legitimum, & mensuram excedit: quomodo dixit Paulus de innupta virgine, quæ iam non implesse solùm, sed etiam excessisse videbatur nubilem ætatem, 1. Cor.7.v.36. *Si quis autem turpem se videre putat super virgine sua, quod sit superadulta,* &c.

104. Vers.53. *Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ.*] Templum gloriæ dicitur, vbi Deus gloriosus apparet, & gloriosè, id est, splendidè colitur. Loquuntur autem pueri de templo à Salomone constructo, vt putant Theodoretus, & Euthymius, quod sanè, siue artem, siue materiam spectes, gloriosum fuit. Vnde suprà coniectabamus hoc Canticum antiquius fuisse, & in templo Salomonis olim cantari solitum.

105. *Quis thronus Dei.* Vers.54. *Benedictus es in throno Regni tui.*] Non, credo, longè aberraret à vero, qui thronum appellaret, quem Dominus habuit inter Sancta Sanctorum, inter alas Cherubin, de quibus statim. Vtrumque affirmat Theodoretus; cuius ego sententiam lubens amplector, quia aptè cum superiori consentit. Scio apud Isaiam thronum Dei appellari cœlum, & terram scabellum pedum eius, sed quia statim de sede Dei, id est, de Cherubinis agitur, non videtur hæc expositio contemnenda, ne duas in cœlo sedes statuamus.

106. Vers.55. *Benedictus es qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim.*] Sedere dicitur Deus super Cherubim, vt putat Theodoretus, & Pereira, quia Cherubim erant super arcam, vbi Deus sedere putabatur. Sed, credo, hîc non tam arcam, & oraculum spectari, quàm cœlum ipsum, vbi Deus sedere, seu equitare dicitur super Cherubim, quia illi longè sunt diuina natura inferiores. Cur verò ita sentiam duplex est ratio, & neutra, meo iudicio, ad rem coniecturalem infirma. Prior, quia intueri dicitur abyssos, hoc verò non tam magnum iuxta hominum iudicia videretur, si ex templo spectaret Salomonio, à quo non longè abyssi aberant, id est, sinus maris profundissimi; at illas è cœlis prospectare, & abditissima quæque videre, è loco nimirum maximè distante; id verò magnum est, & diuinorum oculorum proprium opus. Deinde quia statim ad firmamẽtum cœli descendit, quod aptè fit ex ea sede, quæ in empyreo cœlo est super Cherubim; non verò ex templo, ex quo ad firmamentum descensus non est. Adde quòd his verbis contineri videntur illa loca, in quibus creaturæ sint omnes, quæ deinde singulatim nominantur in Cantico: quare cùm illa, quæ in cœlis sunt, ad diuinas laudes aduocentur, in hac breui comprehensione cœlum etiam nominatum oportuit, in quo cœlestes sunt spiritus, & mentes immortales.

107. *Abyssus quid.* Abyssus profunditas impermeabilis, sed iam obtinuit Scripturæ sacræ vsus, vt sumatur pro maris inaccesso gurgite, aut aquarum profũditate nimia, vt docet Damascenus lib.2. de fide, cap. 9. Vnde Gen.1. *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Exod.15. *Abyssi operuerunt eos: descenderunt in profundum quasi lapis.* Quia ergo marinas belluas ad benedicendum Deum socias est aduocaturus postea; ideo abyssi meminit, id est, maris, cuius inscrutabilis est gurgitis altitudo.

108. *Firmamentum quid.* Vers.56. *Benedictus es in firmamento cœli.*] Firmamentum Heb. רקיע *rakiahh*, expansum sonat, accommodatúrque tam cœlo, quod sicut pellis expansum est; quàm aëri, qui item super aquam extenditur, & spatium illud diaphanum implet, & in quo ludunt, & vagantur aues, & meteoræ impressiones aut conflantur, aut concrescunt. Alij pro cœlo capiunt, alij pro aëre, id est, aspirabili natura: & hoc posterius mihi probatur magis, quia deinde acturus est de his, quæ vel in aëre fiunt, vel in aëre vagantur. Vt enim cœli meminit abyssi, & terræ, quia quæ in illis sunt, deinde ad diuinas laudes aduocantur: sic etiam quia quæ in aëre fiunt, omnia ad idem negotium inuitantur, aëris mentionem factam oportuit.

Vers.57. *Benedicite omnia opera Domini Domino.*] Totum hoc Canticum apertum est, neque est cur in eo explicando longam ponamus operam, nisi velimus rerum omnium, quas natura gignit, aut conflat causam, originem, & proprietatem scrutari: quod sanè non solùm longum, sed etiam alienum opus est. Hic verò notandum quo artificio factum istud poëma concinnatum sit; cùm enim hoc sit Cantici institutum, vt omnium creaturarum ad laudandum Deum voces aduocet, loca omnia scrutatur, aut peragrat, in quibus aut gignuntur, aut viuunt. Quare primum cœlestes inuitãtur spiritus, & stellæ ac lumina quæ in cœlis lucent: deinde quæ in firmamento, id est, in aëre aut gignuntur, aut volant, qualia sunt volucres quæque ex terræ halitu in igneam naturam obdurantur; aut ex vapore humido in nubes grandinémque concrescunt. Pòst ex aquis euocat genus natatile; & è terra, quæ ex ea pullulat, gradiuntur, & reptant: deinde homines, eos maximè quorum opera sacrario seruit; quales sunt sacerdotes: & deinde seipsos exhortantur pueri, vt benedicant, & superexaltent Dominum, id est, quantum poterunt voce contendant, ac spiritu vt in diuinas laudes totis neruis, ac viribus incumbant. Eundem penè ordinem secutus est Dauid Psal.148. Porrò vniuersalis illa prouocatio, *Benedicite omnia opera Domini Domino.* per omnes creaturas deinde distribuitur, cœlestes, aëreas, meteoras, aquatiles, terrestres. His positis, reliqua nobis aut nihil, aut parum exhibebunt negotij. Quomodo creaturæ, aut sensus, aut rationis expertes laudare possint Deum, explicuit hîc Hieronymus. *Omnis creatura*, inquit, *non voce, sed opere laudat Deum, quia ex creaturis consequenter creator intelligitur, & in singulis operibus, atque effectibus Dei magnificentia demonstratur.* Quod si ita est, non tam irrationales naturæ ad laudandum Deum incitantur, quàm admonentur homines, vt creaturarum excitati aspectu, ad diuinas laudes exardescant. Qua de re optimè Patres, quorum hic aliquot adducam testimonia. 109. *Cantici trium puerorum artificium.* *Irrationalis natura quomodo Deum laudet.*

Basilius homil.26. quæ est de laudibus S. Mamantis, cùm se imparem laudando tanto viro cognosceret, omnes hortatur, vt quid quisque nouerit, in eius commendationem tanquam symbolum conferat, vt omnium animis in illud opus plenum pietatis intentis, consequatur Martyr ille, quod vnius opera præstare non potuit. *Cuiusque*, inquit, *animum adhortabimur, vt quem cogitatione habet ad mentem reuocans ex seipso sibi alimoniam paret, collectis in vnum his omnibus (nempe quæ audistis, & vidistis) ex communi symbolo Martyri encomium constituite; conferte inter vos mutuo, quæ quisq; nouit, illa subministret ignorãti: quæ ignorat, illa accipiat ab eo, qui nouit. Atque ita quasi ad conuiuium quod quisq; habet conferẽtes nostræ ignoscite imbecillitati.* Augustinus item tractatu in Psal. 144. super his verbis, *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.* ait: 110.

Illa

Ista contextio creatura, ista ordinatissima pulchritudo, ab imis ad summa conscendens, à summis ad ima descendens, nusquam interrupta, sed dissimilibus temperata, tota laudat Deum. Quare tota laudat Deum? Quia cum eam consideras, & pulcram vides, tu in illa laudas Deum. Vox certè quadam est muta terra, species terra. Attendis eius speciem, vides eius fœcunditatem, vides eius vires, quomodo cōcipiat semen, quomodo plerumque afferat quod non est seminatum: vides, & consideratione tua tanquam interrogas eam, & ipsa inquisitio interrogatio est. Cùm autem inquisieris admirans, & perscrutatus fueris, & magnam vim, magnam pulchritudinem, praclarámque virtutem inueneris, quoniam apud se, & à se habere hanc virtutem non posset, continuò tibi venit in mentem, quia non potuit à se esse, non potuit esse nisi ab illo creatore. Et hoc quod in illa inuenisti, vox confessionis ipsius est, vt laudes creatorem. Nónne considerata vniuersa pulchritudine mundi huius, tanquam vna voce tibi species ipsa respōdet: Non me ego feci, sed Deus. Ergo confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant te. Vt in confessione operum tuorum Sancti tui te benedicant, ipsi Sancti tui inspiciant creaturam confitentem, & illorum vocem tu audi benedicentem. Isidorus lib. 1. Sententiarum de summo bono, cap. 4. *Sæpe*, inquit, *ad incorpoream creatoris magnitudinem, creaturarum corporea magnitudo comparatur: vt magna considerentur ex paruis, & ex visibilibus inuisibilia æstimentur: atque ex pulchritudine factorum, effector operum agnoscatur: non tamen parilitati consimili; sed ex quadam subdita, & creata specie boni. Sicut opus, vel ars in artificem retorquet laudem: ita rerum Creator per creaturam suam laudatur: & quanto sit excellentior, ex ipsa operis conditione monstratur. Ex pulchritudine circumscripta creatura pulchritudinem suam, qua circumscribi nequit, facit Deus intelligi: vt ipsis vestigiis reuertatur homo ad Deum, quibus auersus est: vt quia per amorem pulchritudinis creatura à creatoris forma se abstulit: rursum per creatura decorem, ad Creatoris reuertatur pulcritudinem. Quibusdam gradibus intelligentia per creaturam, progreditur homo ad intelligendum Deum creatorem: id est, ab insensibilibus surgens ad sensibilia: à sensibilibus surgens ad rationabilia: à rationabilibus surgens ad creatorem. Intelligibilia per se collaudant Deum: irrationabilia, & insensibilia, non per se, sed per nos, dum ea considerantes Deum laudamus. Sed ideo dicuntur laudare, & ipsa quia eandem laudem earum parturit causa.* Sic modò Azarias ad diuinas laudes, quas ipse enumerare non potest, omnes creaturas aduocat, sociásque habere studet tanti negotij.

111. *Canticum trium puerorum variè à variis digeritur.* Addo ad extremum non eodem modo apud omnes hoc canticum legi. Aliter enim est apud Danielem, aliter apud Latinos, apud Græcos aliter cantatur. Nam apud Latinos, & Græcos illi omittuntur versus, qui sunt ante *Benedicite omnia opera.* Et voces illæ, *laudate, & superexaltate eum in sæcula,* quæ toties apud Danielem occurrunt, à Latinis omittuntur; & duo versus sæpè in vnum coniunguntur: & aliquid præterea ad finem additur, quod apud Danielem non est. Græci aliter à Daniele variant: nam creaturas, quæ in duobus versibus continebantur, ad vnum cogunt, cui præponunt verbum *benedicite*, subiiciunt, *laudate, & superexaltate eum in sæcula.* Licèt non eadem, quæ Latini. Consuluerunt, credo, vtrique breuitati: cùm enim sæpius canticum hoc illustre cantetur, quod satis est longum, aliqua resecanda putauerunt, quæ cùm nihil mutarent de sententia, non existimarunt interesse plurimi illa eum in modum fuisse mutata, quod frequenter in officio sacro facit Ecclesia.

A Vers. 61. *Benedicite omnes virtutes Domini Domino.*] Quidam virtutes esse putant spiritus illos, qui in hierarchia cœlesti secundum tenent ordinem: alij eos intelligunt Angelos, qui cœlos stabili, ac rata conuersione moderantur; quod ideo mihi non placet, quia non videbantur ab Angelis separandi qui primo loco positi sunt. Et cùm Angeli nomen commune sit incorporeis omnibus, & cœlestibus substantiis, vt probat hic ipse locus, de quo proximè, vbi sine dubio alij etiam ordines comprehenduntur Angelorum compellatione: (alioqui Angeli non essent in illa prouocatione primi, qui infimum in ordine hierarchico obtinent locum) non erat B cur virtutes, id est, superiores spiritus inuitarentur, cùm iam essent superiori nomine comprehensi. 112.

Quare potiùs existimo virtutes Domini vocari, ea quæ in cœlis vim habere potentissimam existimantur, ad sublunares effectus, & motus admirabiles: quales sunt sol, & luna, & reliqui planetæ, quorum variæ concursationes, & aspectus miras terris inducunt rerum vicissitudines. Vt autem in homine facultates quædam potentiæ dicūtur, siue virtutes; quia illarum homo ad varias functiones vtitur ministerio: sic cœlestes illæ naturæ, quarum motu, ac vi Dominus ad rerum administrationem vtitur, potentiæ vocari C possunt, atque virtutes Dei. Hanc mihi sententiam persuadet; quia, vt Psal. 148. ex quo multa in hoc canticum videntur esse translata; post virtutes cœlorum, statim subiiciuntur sol, luna, stellæ, quasi illæ essent cœlestes virtutes: sic etiā hoc loco multo magis, qui Psalmo illi plurimū affert lucis, virtutes non possunt esse cœlestes spiritus, quia post cœlos, & cœlestes aquas nominantur. Immò vt tam ex Psalmo, quàm ex hoc cantico spectare licet, priùs in genere dicuntur *cœli virtutes.* deinde speciatim explicatur, quæ sint illæ virtutes, *nempe sol, luna, &c.* 113. *Virtutes cæli quæ.*

Vers. 62. *Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Domino.*] Hic variè laborāt interpretes, dum D quærunt, quænam hæ sint aquæ, quæ super cœlos sunt. Ego ab hac quæstione ideo abstinere posse videor, quia longus esse nolo, aut in rebus parum necessariis vagari, & quia quid sibi velit locus iste, difficile cognitu non est. Aspirabilem istam naturam, & inter cœlum, terrámque diffusam, quam aërem vocamus, firmamentum interdum etiam, & multo frequentiùs, cœlum appellari, & aquas cœli frequenter dici, quæ ex nubibus, quæ concrescūt in aëre in terram defluunt, sæpe in Scriptura sacra verbis quàm apertissimis audimus. Gen. cap. 8. Deus dicitur aperuisse cataractas cœli. idem Malach. cap. 3. Ieremiæ cap. 51. v. 16. *Dante eo vocem multiplicantur aquæ in* E *cœlo, qui leuat nubes ab extremo terra.* Psal. 146. v. 8. *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam.* Quare aquæ, quæ super cœlos sunt, illæ intelliguntur, quæ ex vaporibus in aëreo cœlo coactis in nubes, in terram postmodum eliquantur, & cadunt. Quod verò de his aquis sermo sit, graue argumentum sumitur ex Psal. 148. vnde hæc verba sine dubio expressa sunt, vbi post solem, lunam, & stellas aquæ istæ cœlestes nominātur. Quòd verò in hoc cantico non idem seruatus sit ordo, nō multum refert, quia auctores etiam sacri, atque canonici non semper laborant de verbis, aut ordine quo scripta sunt, quæ ab ipsis ex aliis locis allegantur, dummodo eadem seruetur vtrobique sententia. Et sanè, quod notauit 114. *Aër vocatur cœlum.* *Aquæ cœli pluuiæ sunt, & nubes.*

tauit Euthymius in hoc cantico, tres hi pueri in creaturarum enumeratione non semper seruant ordinem naturæ, vt apparet vers. 68. nam cùm vers. 64. posuisset *imber, & ros*, & post hæc alia longè diuersa; versu tamen 68. subdidit, *Benedicite rores, & pruina*.

115 Neque huic cogitationi quicquam incommodat, quod deinde iterum redit *imber, & ros, rores, & pruina*, quæ non videntur ab aquis, quæ super cœlos sunt, esse diuersa: nam aquæ eo loco vniuersæ positæ sunt, pro humida, fluidáque natura, quæ ex terræ vaporibus cogitur; deinde speciatim, & quasi per partes ea, quibus nomen illud conuenire potest, numerantur: sicut priùs posita sunt, *omnia opera Domini*, & *virtutes Domini*. quæ deinde in partes omnes, in quas se nomen illud explicat, distribuuntur.

116 Vers. 65. *Benedicite omnes spiritus Dei Domino.*] Spiritus hoc loco, vt ordo ipse, ac situs ostendunt, non sunt Angelicæ mentes, aut hominum animi; sed venti, qui aërem, quem cœlum appellari diximus, difflant, ac commouent, qui nubes cogunt, dissipant, & impellunt: qui mille hominibus commoditates important. Vide hac de re Senecam lib. 5. natural. q. cap. 18. Neque nouum est vt *spiritus* sumatur pro *vento*, quando ea illius propria vis est. Psal. 106. *Dixit, & stetit spiritus procellæ*, id est, ventus procellosus, &c. Psal. 147. *Flabit spiritus eius, & fluent aquæ*. Psal. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum*. Mille possent in eam significationem adduci testimonia, quod apud profanos non minus frequens est. In hunc sensum accipiunt frequentes interpretes Theodoretus, Euthymius, Lyra, Dionysius, Maldonatus, Pereira: neque vllum esse arbitror, qui contrà sentiat. Reliqua ad versum vsque 88. interprete non egent.

Spiritus Dei aliquando venti.

117 Vers. 88. *Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino.*] Licèt tres hi pueri multis in locis suprà comprehensi fuerint, multis titulis, quia *serui Domini*, quia *animæ iustorum*, quia *sancti*, & *humiles corde*; non tamen solùm à communibus illis titulis imponi sibi necessitatem putat Deũ in æternum laudandi; sed ab aliis etiã propriis, atque recentibus, quibus adhuc in ipso canendi conatu fruebantur. Amplificant autem illud recens beneficium eo dicẽdi modo, quo res maximè ornari, atque augeri solẽt, dum eadem sententia aliis, atque aliis modis exprimitur: quo studium ostenditur grati animi, qui in commemoratione beneficij sic efferuescit, vt in alia, atque alia verba totus ebulliat. *Quia eruit*, inquiũt, 118
nos de inferno: de manu inferi: de medio ardentis flammæ: de medio ignis. Hîc obserua, quod alibi à nobis notatum est in lib. 1. Actuum, num. 28. nominari interdũ seorsum aliquem, etiamsi communi nota comprehensus sit, quando aut ille inter alios, in eo genere princeps est, aut aliqua in eo præter cæteros grauis apparet, aut noua ratio, cur nominari debeat. Docet ex profanis Virgilius lib. 1. Æneid. dum Achillem seorsum nominat post notam vniuersalem, & cõmunem,

Seorsum ab aliis nominatur ille, in quo præcipua aliqua ratio est.

Troas relliquias Danaum, atque immitis Achillis.

Ex Scriptura sacra optimum sumitur exemplum ex titulo Psalmi 17. *In die, qua eripuit de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul.* Vterque comprehensus erat in communi nota, ille in Danais, hic in omnibus inimicis Dauid: seorsum tamen numerantur, quia aliquid habuere supra inimicos alios. Sic etiã seorsum videntur fuisse nominandi tres pueri, quia eo ipso tempore, quo carmen istud cecinere, beneficium accepere illustrissimum, in quo maxima continebantur beneficia, & miracula plurima.

A

Potuit etiam alia assignati ratio, quamobrem seorsum, & postremo loco nominentur, quam Chrysostomus indicat homil. 19. in epist. 1. ad Corinth. cap. 6. vbi docet multo magis ab anima sanctâ glorificari Deum, quàm à cœlo, & die, &c. quia magis homines in admirationem excitat, quàm res aliæ, quarum meminere cantantes, euitari. *Quis, inquit, non admirabitur, cum homo quisquam eiusdem naturæ particeps, & in mediis hominibus versatus adamantis more ab affectuum examine non frangatur?* Et paulo pòst adducit exemplum trium puerorum, docétque longè maius esse miraculum datam esse audaciã, atque constantiam pueris, vt fornacis incendium nõ horrerent, quã ereptam esse vim incendio, ne quam molestiam pueris afferret. Lege reliqua. Cùm ergo hæc maxima sit laus, nil mirum si extremo ponatur loco, quasi totius cantici complementum.

B

Vers. 86. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*] Hæc verba cantari solita in agendis gratiis, probant quæ paulo antè adduximus num. 97. vbi Psalmos aliquos notauimus orsos ab hoc principio, nempe 105. 106. 107. Sed præcipuè 135. qui singulos versus hac clausula concludit, *Quoniam in æternum misericordia eius.* 119

C

Vers. 90. *Benedicite omnes religiosi Domini Domino.*] Religiosi hoc loco dicũtur, qui religionem veram amplexi sunt, quia ad actum veræ religionis inuitantur. Opponuntur credo his hominibus, quorum infinita multitudo ad adorãdam statuam falsa religione decepta eum in locum conuenerat, vbi Deus singulare hoc suæ potentiæ documentũ ediderat, & tunc prona, ac supplex aut inanimatæ materiæ, aut homini mortali honorem impendebat diuinum. Inuitantur ergo religiosi viri, vt quo tempore alij væsano consilio statuam adorant; ipsi religioso, ac meliori animo Deum venerentur, & in eius nominis gloriam alacres incumbant. Postrema hæc non canit Ecclesia, quia, vt dixi, ex longo cantico nonnulla resecuit. 120

Religiosi qui.

D

Hucusque, inquit Hieronymus, in Hebræo non haberi; sed ex Theodotionis editione fuisse translata. Quare superiora hæc Græcè tantùm habentur: quæ verò sequuntur Chaldaicè scripta sunt.

Vers. 91. *Tunc Nabuchodonosor Rex obstupuit, & surrexit properè.*] Non cõstat quo tempore obstupuerit Rex; fecerítque ea, quæ nunc à Daniele facta traduntur. S. Gregorius lib. 3. Dialogi, cap. 18. die altera surrexisse dicit Regem. *Tunc*, inquit, *tres pueri ligati pedibus, ac manibus in ignem proiecti sunt, quos die altera Rex requirens in camino illæsis vestibus deambulantes reperit.* Sed sanè id durum est; neque enim ab stupore diu Rex accessum distulit ad fornacem: surrexisse namque dicitur properè, nempe cùm primùm videre aliquid potuit, quod admirationem, ac stuporem afferret. Illud verò proculdubio fuit, cùm vidit subitò euomuisse fornacem flammas, quæ extrorsus effusæ ad 49. cubitos Chaldæos extinxerunt; quos fuisse plurimos verisimile est, cùm essent conserti, maximè prope fornacis ostium, quò videndi studio, vt visu fit, plurimi certatim conuolarent. Statim ergo atque flammarũ globi consederunt; consederunt autẽ cùm primùm 121

E

incendiaria materia defecit, id est, statim, atque qui propè aderant sublati sunt ab incendio: tunc verò surrexit de throno, vbi suæ apotheosis spectator insederat, & quasi Deum se spectandum præbuerat plus satis obsequiosæ multitudini. Ex quo si saperet, & nisi reliqui tantopere desipe-rent, cognoscere omnes potuerunt, quàm longè ille foret à numine, quem tam citò stupor deiecit à throno, quem sibi tanquam Deo in publico, atque sublimi loco parari iusserat.

122. *Et ait Optimatibus suis: Nónne tres viros misimus?*] Accesserat, vt apparet, prope fornacem Rex, ita vt videre potuerit quòd intus rerum fieret. Fornacis enim illius publicæ, ad quam cùm similes à sontibus exigerentur pœnæ, magnus erat populi cõcursus, amplum fuisse ostium necesse est. Cùm ergo videret tribus pueris additum esse quartum; neque illos quicquam esse passos ab incendio, admirans ait Optimatibus, quos habebat secum aut consilij socios, aut quo magis aliis Babylonicæ gloriæ maiestatem ostenderet: *Nónne tres viros misimus?* Hi porrò Optimates illi iidem esse videntur, qui auctores Regi fuerãt crudelis, ac barbari consilij; quique apud Regem tres hosce pueros accusarant violati decreti, vt putat sanctus Thomas, & verba ipsa textus subobscurè indicant. Quare eosdem, quos accusatores, & iudices habuerũt priùs; nacti sunt postea, licèt inuitos, suæ sanctitatis, atque innocentię testes. Et qui superbè iactaret nullam esse potentiam, quæ tres pueros è sua manu liberari posset, ille idem eo ipso die fateri coactus est; nihil se contra Dei virtutem, & puerorum innocentiam habuisse potentiæ.

123. Vers. 92. *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis.*] Indicat Rex se nihil crudeli suo consilio perfecisse, cùm neque vincula adolescentibus illis impedimento fuerint, quo minùs liberi, atque soluti incedant, & ignis tantus nihil attulerit non corporibus solùm; sed etiam vestibus nocumenti. Quare fatetur omnes suos conatus excidisse irritos.

In hac fornace, in qua soluta sunt ab igne adolescentum vincula, considerat Basilius orat. de laudibus eremi, religionis, eremíque præstantiam; in quibus exuruntur illa vincula, quæ sæcularium vestigia retardant, ne cœlestem ingrediantur viam; aut certè illa debilitant, & morantur. *O eremus*, inquit, *sanctarum mentium delectatio, & intimi gustus inexhausta dulcedo. Tu caminus ille Chaldaicus, vbi sancti pueri feruentis incẽdij vires orationibus reprimunt, & ardore fidei crepitantium circa se flammarum globos extinguunt; vbi scilicet nexus vruntur, & ardorem membra non sentiunt, quia & peccata soluuntur, & ad hymnum diuinæ laudis anima prouocatur, dicens: Dirupisti vincula mea, tu fornax, vbi supremi Regis vasa formantur.*

124. *Christum fuisse in fornace cũ pueris nonnulli sentiunt.*

Et species quarti similis filio Dei.] Hîc interpretes quærunt, cur filio Dei similis vocetur quartus ille adolescentum socius; aut cur Nabuchodonosor similem vocauerit filio Dei, cùm filium Dei nunquàm antea nouisset: similitudo verò cognosci nullo modo potest, nisi vtrumque simul extremum cognoscatur. Quidam ex antiquis, vt docet hîc Hieronymus, Christum seruatorem esse censuerunt, quod tamen improbat Hieronymus. Qui verò fuerint auctores isti, Hieronymus non dicit; sunt tamen neque pauci, neque ignobiles. Sic Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 10. & 21. & libro aduersùs Praxeam, cap. 16. Irenæus lib. 4. cap. 37. & lib. 5. cap. 5. Hippolytus Martyr, oratione de consummatione mundi. Augustinus in concione ad Catechumenos. Rupertus lib. 6. de victoria Verbi, cap. 21. neque improbat Maldonatus. Hanc sententiam, vt dixi, reiicit Hieronymus, & alij communiter interpretes. Neque verba Nabuchodonosoris nimis in illam cogitationem premunt: nam quòd Rex barbarus, & idololatra filium appellet Dei, rationes aliæ adduci possunt illi hominum conditioni idoneæ, de quibus nos statim. Quòd si Angeli, vt est communis Theologorum sententia, Dei interdum similitudinem apud homines repræsentarunt; non videtur vsque adeò reiicienda illa veterum Patrum cogitatio. Angelus enim Christi personam referre potuit, qui & tunc cum suis, & pro suis pugnauit contra flammarum vires, & hominis barbari consilia, & eo facto docuit, quid alio tempore facturus esset in causa non admodum dissimili, cùm è limbo Patres, sicut nunc è fornace pueros exemit. Hoc Hieronymus putat significatum esse typicè: Rupertus suprà signum hoc esse interpretatur illius curæ, quam Dominus pro suis suscipiet, cùm ipsius causa in simile discrimen, atque certamen adducti sint; quod experti sunt Martyres in flammis, in cruce, in membrorum omnium luxatione.

125. *Nabuchodonosor Deum esse credidit illũ, qui fuit cum pueris in fornace.*

REGVLA. *Filius alicuius idem est quod aliquis.*

Alij in eo iudicio accommodatè magis Nabuchodonosoris ingenio opinantur quartum illum puerorum socium existimatum esse Deum. Cùm enim Gentes plures esse Deos arbitrarentur, & nouos quotidie fieri, qualis erecta statua eo rerum articulo studebat Rex ipse videri, non est incredibile ex ea opinione cogitasse illũ esse Deum, in quo supra hominem aliquid esse intuebatur. *Filium autem Dei* pro *Deo* sumi non Hebraicum solùm; sed etiam Chaldaicum idioma docet. Vt enim *filius hominis* idem est quod *homo*, *filij taurorum*, *filij arietum* pro *tauris*, & *arietibus*; sic etiam *Dei filius*, idem existimari potuit, quod *Deus*. Quam etiam phrasim expresserint Græci, apud quos auditur non infrequenter υἷες Ἀχαιῶν, *filij Achiuorum*, id est, Achiui, & παῖδες ἰατρῶν, *filij medicorum*, id est, medici, & similia.

Gentiles illos Deos esse putabant, in quibus aliquid esset eximium.

Porrò delusi olim Gentiles illos Deos esse opinabantur, in quibus aliquid esset eximium: quomodo Samaritæ Simonem Magum, & deinde Romani Deum esse credebant; & viri Lycaones Actor. cap. 14. Paulo, & Barnabæ diuinos honores impendere parabant. Sanè apud Virgilium Æneas iuxta communem, vt arbitror, sensum eximiæ formæ, atque augustæ fœminam ex specie ipsa Deam esse suspicatus. Sic enim ille lib. 1. Æneid.

O quàm te memorem Virgo! namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat: ô Dea certè.

Eodem libro cùm aliquid splendoris additum est Æneæ, Deo indicatur esse similis.

Restitit Æneas, claráque in luce refulsit
Os, humerósque Deo similis: namque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, luménque iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

126. *Deorum filios Gentiles pulcros, aut eximios fingunt.*

His exemplis occurrent passim non dissimilia complura alia. Neque si dicas id, quod verba magis propriè sonant, videri filium Dei; non est alienum à sensu, opinionéque Gentilium. Ipsi enim Deorum filios decoros esse fingunt, & in illis diuinum aliquid emicare: quales sunt qui apud eos vocantur Heroës, id est, semidei, ex humano,

humano,diuinóque concubitu suscepti. Sic puto vocatum esse Actor.13. Barieu magum, quod sonat *filium Iouis*, aut filium Iehouæ. Idem docuit Aristoteles lib.Ethicor.7.cap.1, vbi adducit versus quosdam Homericos, in quibus Priamus laudat Hectorem filium; dicitque illius eos esse mores,& ingenium, vt Deorum filius appellari potuerit,

——— non hominis mortalis filius ille
Esse videbatur; sed magna è stirpe Deorum.

127. *Verisimilius est illum esse Angelū, qui in fornace cum pueris fuit Angeli dicti filij Dei.* Hæc mihi maximè probantur; inclino tamen magis in Hieronymi sententiam, quæ *filium Dei* Angelum esse statuit. Quod ideo mihi persuadeo, quia quem hoc loco filium Dei appellat Nabuchodonosor, eundem postea vers.95. Angelum appellat Dei. Neque vox ipsa repugnat; Angeli namque filij dicuntur Dei: Iob cap.1.v.6. *Cùm venissent filij Dei vt assisterent coram Domino.* idem cap.2.v.1.& cap.38.v.7 *Vbi eras cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Septuaginta, *omnes Angeli Dei.* Et Psal.88. v.7.

128. *Domini à seruis vocātur Patres, & serui à dominis filij.* *Similis erit Deo in filiis Dei.* Hæc porrò compellatio inde nata est; quia ex vsu Scripturæ, domini à seruis *Patres* salutantur; ex quo etiam fit, vt serui à dominis possint, & soleant appellari filij. De prioribus est illud 4.Reg.5. v.13. vbi sic serui ad dominum suum Naaman, *Pater & si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras.* De posterioribus Psalmo 28. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum*: id est, serui Dei. Sed vnde, dices, Rex ille barbarus, & idololatra nouit esse Angelum, aut vbi Angeli nomen audiuit? Respondeo in sua theologia, qualiscumque fuit persuasum esse Gentilibus Deos suos habuisse nuncios: quare Mercurium non Iouis solùm; sed aliorum etiam Deorum nuncium esse finxerunt, de quo Horat.lib.1.carm. Ode 10.

Te canam magni Iouis, & Deorum
Nuntium.

Et Irim nunciam esse Iunonis,& Deorum fabulati sunt: cùm verò Angelus idem sit quod nuncius, dum Angelum Domini appellat, nuncium ab illo missum videtur ostendere. Sed credo à Daniele, seu ab aliis ex Hebræorum gente, quā apud se captiuā retinebat, didicisse Regem idololatram esse Angelos, quorum in rebus constituendis, aut euertendis ministerio Dominus vtetur. Certè non videtur ignorasse Sennacherib Assyriorum Regem, quorum ipse imperium occupauerat, ab Angelo fuisse deletum, cùm exemplum esset illustre, ac recens; neque illud Iudæi cùm in alieno solo captiui morarentur, siluisse videntur.

129. Vers.93. *Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis.*] Spectabat procul Rex solutos, & deambulantes pueros in fornacis medio: nunc autem accedit propiùs, vt illos alloquatur, & foras euocet; quo suum ipse cōsilium & væsaniam damnat. Erat, credo, tunc ad fornacis ostium flammarum aliquid, exiguum tamen, quia qui fouere poterant incendium, iam fuerūt ab igne consumpti; quod indicat illud, *ostium fornacis ignis ardentis*: intus verò nihil ignis tunc esse, aut antea fuisse, suprà à nobis ostensum est, num.89. Quòd verò statim egressi dicuntur pueri de medio ignis, nō videtur cogitationem nostram infirmare. Cùm enim Scriptura sæpe iuxta hominum consuetudinem loquatur, exiisse dicit pueros de medio ignis; quia homines cùm viderent in ore fornacis ignem esse, neque de interiore fornacis parte iudicare possent, totam esse incensam arbitrabantur. Atque ideo pueri suprà vers.92. dicuntur in medio ignis ambulare; & nunc de medio ignis exiisse, quia sic Rex priùs, deinde tota multitudo cogitabat.

Vers.94. *Et congregati sunt Satrapæ, & Magistratus, & iudices, & potentes Regis, contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis.*] Conuenerunt cum Rege quotquot Principem obtinuerant locum in ea republica, quo testatior esset & adolescentium sanctitas, & vera religio, & veri Dei fidelitas, & virtus. Contemplati sunt accuratè, & per otium quid vis acrior incendij tanti in pueris esset operata; neque vllum inueniunt flammæ vestigium. Sic puri, atque intacti prodierunt ab igne, quasi ibi ignis fuisset nullus, aut nulla in igne foret vrendi, aut nocendi potestas. Neque enim capillus adustus est, neque vestimenta leuiter afflata, neque vllus denique ab vstulante igne ingratus odor. Hoc Deus per Isaiam promiserat cap.48. v.2. spectans fortasse ad tres hosce viros, *Cùm ambulaueris in igne non combureris, & flamma non nocebit tibi.* Huc sine dubio spectauit Paulus ad Hebr.cap.11.cùm dixit, *Extinxerunt impetum ignis.* Sed hîc nonnulla obseruanda. 130. *Pueri ab igne prorsus intacti.*

Primùm odorem ignis, & similia, sumi pro re admodum leui; cùm enim aliquid nullo negotio fieri posse dicimus, eo significamus nomine. Sic stupa odore ignis consumi dicitur, Iudic.cap.15. v.15. *Sicut solent ad odorem ignis ligna consumi; ita vincula quibus ligatus erat, dissipata sunt, & soluta.* Et iterum cap.16.v.9. *Rupit vincula, quomodo si quis rumpat filum de stupa tortum putamine, cùm odorem ignis acceperit.* Sic Iob 14.v.9. de trunco dicitur, *Ad odorem aquæ germinabit.* Sic ergo hoc loco significatur, opinor, neque id quod in igne minimum, ac leuissimum est, in tribus pueris fuisse repertum. 131. *Prouerb. Odor pro re leui.*

Secundò notandum *pilum*, seu capillum apud Hebræos prouerbiali specie sumi pro re leuissima. Quare cùm rem omnino integram significamus, neque capillum ex illa periisse dicimus. Exempla occurrunt in Scriptura passim. 1.Reg. cap.14.v.44. dixit de Ionatha populus, *Viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram.* & Christus Lucæ 21. v.28. *Capillus de capite vestro non peribit.* Paulus Actor.27.v.34. *Quia nullius vestrùm capillus de capite peribit.* Dicitur tamen hîc peculiari de causa capillus nō esse adustus, quia in homine nihil citiùs aduritur capillo, cùm leuissimus sit, & humoris nihil habeat, quod ab incendio vendicet. 132.

Tertiò, de *Saraballis* dictum est ad illud vers. 21. *Cum bracciis suis, & thiaris*, significare tegumenta illa, quæ tegendis obscœnis à pudicis, & modestis adhiberi solent: quod fortasse verum est; saltem id multi verum esse putant. Sed quid nos veriùs putaremus, diximus eo loco; scilicet vestem esse extimam, immò & videri insigne fuisse magistratus, qualem tunc obibant tres illi adolescentes. Neque enim cùm significare Propheta vellet, nullum ab igne acceptum esse detrimentum, neque in re, quam facillimè posset ignis attingere, exemplum adduceret eius tegumentum, quod magis esset absconditum, & tutum magis ab incendio; quale subligaculum est, quod alicuius tegumento supponitur. 133. *Sabaralla vestis videtur extima, & magistratus insigne.*

Lubet huc adscribere, quod eleganter Basilius tradit oratione 5. de ieiunio, de igne hoc Babylonico, ex quo pueri non tam contaminati, ac læsi, quàm purificati prodierunt. *Est*, inquit, 134.

quadam

Amianti natura.

quadam corporis natura, quam Amiantum nominant, ex eo quòd igne consumi nequeat, qua quidem in flammam iniecta, videtur in prunas redigi; at cùm ex igne exempta fuerit, ac si aqua esset illustrata lucidior multo euadit. *Ieiunij laus.* *Talia erant illorum trium puerorum corpora, quæ ieiunio naturam illam amianti induerant: in magna enim fornacis flamma videbantur veluti aurei esse, sic omnem ignis noxam superabant; immo auro ipso validiores apparebant. Non enim consumpsit eos ignis, sed integros seruauit. Ac sanè nihil aliud ingentem illam flammam sustinebat, quàm naphtha, pix, ac sarmenta, quæ ita eam alebant, vt ad quadraginta cubitos diffunderetur, & circum circa omnia depascendo multos etiam ex ipsis Chaldæis consumeret. Illam vehementem flammam facile pueri inedia deleuerunt tenuem instar roris aërem in tam ardenti igne spirantes. Ignis enim ne pilos quidem eorum contingere ausus fuit, eo quòd ipsi ieiunio corpus macerassent suũ.* Hæc Basilius de Amianto lapide, plura scriptores de re naturali: est autem lapis ita lentus, ac ductilis, vt ex eo nendo fila torqueantur, & texatur tela, quem linum alij *ἄσβεστον* appellant, quia ab igne non læditur. Ego apud me habeo lapidem hunc contusum, ex quo non aliter, quàm ex lino, aut lana duci possunt stamina, qui candidissimi coloris est, & nitoris gratissimi.

Tres pueri existimati Martyres.

135. Quæri hîc posset, an tres hi pueri, quibus neque voluntas defuit pro religione moriendi; neque causa mortis acerbissimæ cùm in fornacem vehementer ardentem coniecti fuerint, martyres existimari debeant. Theologi statuunt illum propriè vocari martyrem, qui vitam in tormentis profundit. Illi tamen quibus in tormentis vitam non eripi contigerit; sed illam licèt miraculosè seruauerint, in Ecclesia olim Confessores dicebantur: *Qui propriè Martyres.* quales fuerunt Episcopi illi, qui Concilio interfuerunt Nizeno, quorum aliqui effossis oculis, aliqui luxatis membris, alij vulnerum notati vestigiis gloriosum, & gratũ tum Ecclesiæ, tum etiam cœlo spectaculum præbuerunt. De his Cyprianus epist.69. *Tot Confessores quæstionati, & torti, & insignium vulnerum, & cicatricum memoria gloriosi.* & epist.819. *Quale Ananias, Azarias, Misael illustres pueri aliquando fecerunt, quibus inclusis in caminum cesserunt ignes, & refrigerij locum flamma dederunt, præsente cum illis Domino, & probante, quod in Confessores, & martyres eius nihil posset gehennæ ardor operari.* Vbi tres hos pueros ita Confessores appellat, vt nõ omnino neget martyris nomen. Secutus, credo, communem hominum loquendi modum, qui non solent semper ad amussim explorare rerum naturam; sed rebus sæpe nõ propria, sed similia, ac proxima accommodant vocabula. Sic Sancti sæpe martyrem appellant Ioannem, quia in feruentis olei dolium coniectus fuit. Sanè ita illi confessoris gloriam tribuit Hieronymus, vt etiam martyrem appellet, sicut & tres pueros, quia vtrisque animus martyrio non defuit, licèt martyrium animo defuerit. Sic ille in Matth. cap. 20. ad illud, *Calicem quidem meum bibetis. Si legamus, inquit, Ecclesiasticas historias, in quibus fertur, quòd & ipse propter martyrium sit missus in feruentis olei dolium; & inde ad suscipiendum coronam Christi Athleta processerit, statimque relegatus in Patmos insulam sit, videbimus martyrio animum non defuisse, & bibisse Ioannem calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licèt persecutor non fuderit sanguinem.* Ambrosius Ioseph propter castitatis custodiam in carcerem inclusum martyrem vocat. Sic enim ad illud Genes. 39. *Tradiditque Ioseph in carcerem. Quàm beatum ego dixerim eum, cùm in carcerem mitteretur; quia subibat pro castitate martyrium.* Sic tres pueros martyres vocat Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 10. Athanasius in synopsi in Daniele; neque alij ab hac compellatione nimis abhorrent, quia suæ fidei cum certo vitæ periculo illustre dedere testimonium.

Mortificatio Martyrij genus.

136. Quòd si Patres martyrij genus esse putant, à quo ferrum abest, & tyrannorum sæuitia, si modò adsit affectuum, carnisque mortificatio, quia hoc durum est, longúmque certamen, multo sanè melius martyr ille vocari potest, qui tormentum adit, morte ipsa longè horribilius. De illo martyrij genere, quod à mortificatione est, & à seuero viuendi modo multa Patres, & grauiter Augustinus sermone 4. de Martyribus. *Non martyrium sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat palma exustio illa flammarum: peruenitur non solùm occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam. Absque iniuria sanctorum in persecutionibus defunctorum dicere liceat, carnem afflixisse, libidinem superasse, auaritiæ restitisse, de mundo triumphasse pars magna martyrij est.* Et de paupertate Bernardus serm. 1. in festo omnium Sanctorum. *Verè martyrij genus est voluntaria paupertas.* 137.

Paupertas voluntaria Martyrium dicitur.

Quid enim mirabilius, aut quod martyrium grauius esse potest, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas, & pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ipse appetitus! An non meritò coronabitur, qui sic certauerit? De pudicitia seruata Hieronymus epist. ad Demetriadem. *Habet pudicitia seruata martyrium suum.* Denique ab eodem immaculata vita, qualis vocari potest vita Christiana, martyrium dicitur in epitaphio Paulæ, vbi sic ad Eustochium: *Quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. Non solùm enim effusio sanguinis in confessione reputatur; sed deuotæ quoque mentis seruitus immaculata quotidianum martyrium est.*

Immaculata vita, seu pudicitia Martyrium.

Si rem ex consuetudine hominum metiatis, qui martyres vocant, vt vides, qui gratia patiuntur, aut qui sibiipsis duram viuendi formam indixerunt, martyres appelles licèt hos tres adolescentes: si verò ad scholasticam amussim examines, quæ mortem in martyre requirit, aliter tibi iudicandum est. Vide plura ad finem cap. 14. vbi de Danielis martyrio.

Vers. 95. *Et erumpens Nabuchodonosor ait: Benedictus Deus eorum, &c. qui misit Angelum suum.*] 138. Cùm rem supra naturam, & cogitationem suam contigisse cerneret Nabuchodonosor, erupit, vel à se, sicut exire à seipsis solent homines propter stuporem, aut grauem aliquem affectum, & ecstasim pati: vel, quod potiùs reor, erupit in illa verba quæ subiiciuntur statim, *Benedictus Deus, &c.* Appellat *Angelum*, quem paulo antè vocarat *filium Dei*; vel quia, vt diximus, filij Dei appellantur Angeli; vel quia rogati pueri à Rege de quarto alio viro, qui aliquid præ se ferebat supra hominem, docuerunt illum esse Angelum ad ipsorũ tutelam è cœlo missum. Et hoc videtur potius, vt putant Maldonatus, & Dionysius.

Et verbum Regis immutauerunt.] Immutare verbum, est aut aliter accipere Regis verba, quàm 139. ipse volebat: studebat enim, edictóque seuerissimo cauerat, ne quis decretum contemneret; aut in aurea imagine negaret, aut exhibita adoratione non fateretur diuinum esse aliquid. Immutarunt pueri regium decretum, & edicti verba, cùm illud impium esse dicunt, aut ostendunt; dum offirmato consilio asseuerant illi non esse parendum, neque genu ante auream statuam esse

curuan

curuandum: quare contrà omnino senserunt, A
fecerúntve, quàm Regi ipsi erat in consilio, ac votis: hoc verò est immutare aut inuertere Regis verba. Hæc explicatio magis mihi videtur expedita, & vera.

140. Sed neque improbarem si quis dicat, in verbo *immutauerunt*, duas esse actiones, & idem valere quod, fecerunt pueri vt Rex suum mutaret animum, decretum, & verba. Nam priùs se Deum fingebat, & quo talis haberetur ab omnibus, erecto statua conuentus illos hominum vndecunque terrarum aduocauerat: contempserat Iudæorum Deum, à quo tres pueros è suis manibus eripiendos esse non putabat, & id apertè pro se paulo antè tulerat. Fecerunt autem pueri è fornace incolumes egressi, vt Rex animum, verba, atque consilia mutaret. Iam enim laudat Deũ verum, quem antè contempserat, edicto cauet, ne quis aliquid in illum cōtumeliosè dicat: quos flammis perdere statuerat, iam auget honoribus, & amplioribus ornat magistratibus. Hæc posteriora, vt dixi, ita non improbo, vt magis priora probem, & amplectar.

141. *Et tradiderunt corpora sua ne seruirent, & ne adorarent.*] Explicat Rex quomodo verbum suum illi adolescentes immutauerint, nempe contemnendo regium edictum, & tradẽdo corpus suum flammis, ne à patria religione deficerent, & mutis simulacris diuinos impenderent honores. Ex quo conicctare potuit magnum esse, & verum Deum, quem sic fideliter, atque constanter venerabantur pueri, vt à vita mallent per summos cruciatus, quàm ab eius religione depelli. Hac, credo, de causa, & propter miracula, quæ paulo antè viderat, decretum fecit, de quo statim.

142. *Nabuchodonosoris edictum de colendo Deo.* Vers. 96. *A me ergo positum est hoc decretum.*] Hæc verba sunt Regis, qui verbis edicit suis id, quod statim literis notatum esse vult publicis, & solenni forma populis, & Gentibus denunciatum. Prohibet autem ne quisquam verbum iactet cōtumeliosum, & iniquum in Deum, quem tres illi iuuenes venerantur, quem ipse Deorum maximum vocat, cuíque ad salutem præstãdam Deorum nullum similem esse prædicat.

143. *Dispereat, & domus eius vastetur.*] Hoc supplicium proponitur illi, qui contra faxit. Est autem grauissimum, quando non solùm mortis obtenditur metus, iísque verbis valde significantibus, neque enim genus mortis leue est; sed durum, quale eis, quos odio prosequimur hostili, infligendum curamus. *Ignominia durum genus.* Chaldaicè est *in frusta discerpatur.* Sed additur quod magno hominibus dolori, atque ignominiæ ducitur, vt vastetur domus illius, ne quod maneat eius, qui peccauit, vllum apud posteros monumentum. Chaldaicè domus eius sterquilinium fiat commune, aut latrinæ publicæ.

144. *Tres pueri ad dignitatem promoti.* Vers. 97. *Tunc Rex promouit Sidrach.*] Huc tandem agente Deo regius euasit furor, vt non solùm non exciderint è Regis gratia, sed etiam aucti fuerint pluribus honoribus, & meliori habitu, quàm antea loco. Quomodo à Rege fuerint promoti pueri, non habemus à textu; sed est verisimile illos, qui operibus præfecti tantùm erãt, vt constat ex cap. 2. v. 49. præpositos esse prouinciis. Aliqui putant præpositos fuisse omnibus Iudæis, qui Babylone morabantur; sed certi nihil est.

145. Vers. 98. *Nabuchodonosor Rex omnibus populis.*] Hæc aliqui principium esse putant sequentis capitis: alij caput hoc tertium ad vers. vsque 26. producunt quarti capitis. Ego non video cur hoc loco de diuisione capitis, aut verborum accommodatione possit esse controuersia. Neque puto hîc significari, aut contineri aliud, quam scripto populis esse denũtiatum, & publica forma; quod paulo antè Rex sua ipsius voce astantibus edixerat. Est autem hæc concepta forma, vt apparet, qua regia voluntas subiectis populis proponitur, quod ostendit tritum illud, & solenne; *Pax vobis multiplicetur.* In hoc porrò edicto causæ ostenduntur cur Iudæorum Deum magnum esse putet, & regnum eius sempiternum.

B Hæc aperta sunt; sed illud hîc explorandum subest, cur cùm priùs graues illis pœnas obtenderet, qui contra Dei maiestatem quicquam mutirent, nunc de pœnis nihil, quando maximè scripto denunciatas oportuit. Ego id totum natum esse puto ex facili, atque inconstanti Regis ingenio, qui vbi primum ad subitum, & insperatum miraculum obstupuit, non adhibita vlla deliberatione pœnas illas indixit, quibus nulla fortasse fuit in Babylonia grauior. At vbi consedit stupor, & admiratio refrixit, moderatus est edicti acerbitatem, satísque habuit commendasse Iudæorum Deum, nulla facta interea mentione supplicij. Quod, credo, sibi persuadebit facile, qui superiora legerit. Quis non crederet Regem illum, qui post solutum, & reuelatum somnium, sic est effatus; vt nō minora de Deo tunc, quàm modò prædicauerit; & Dei amicum Danielem adorare voluerit; sic esse mutandum, vt coli postea studuerit, & haberi pro Deo; & Iudæorum Deum sic esse putauerit infirmum, vt audacter dixerit superiorum immemor, *Quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Sic ergo cùm aliquid intercessisset moræ, & accessissent præterea alij, qui minus erant æqui in Iudæorum nomen, illorũ suasu remisit aliquid, immo multum de seueritate decreti. Hæc mihi ratio satis est visa idonea, neque ab animo inconstanti, ac vario aliquam aliam quærendam puto. 146.

Nabuchodonosoris inconstantia, & lenitas. C

D Ad extremum vt ex hoc capite tam longo, quàm difficili tandem enatemus, quærunt nonnulli, An Nabuchodonosoris vera fuerit ad Deũ, vel simulata cōuersio. Mihi certum est id, quod alij frequentes arbitrantur, hanc conuersionem fuisse ex animo natam: videlicet ex admiratione, cognitionéque talis potentiæ, qualẽ in Gentium Diis nunquam antè cognouerat, quod ipse apertè vers. 96. confessus est. Ita putant hîc Hieronymus, Theodoretus, Augustinus tract. 10. super Ioannem, & è recentioribus plerique; & quę aut ipse statim fecit, & ab aliis seruari iussit, non obscurè docent. 147.

E Dico tamen secundò, hanc conuersionem licèt non simulatam; fuisse tamen imperfectam valde, quod putat Rupertus de victoria Verbi, cap. 23. & probat Maldonatus. Quod ego verum esse puto etiam in priori confessione, quando verbo edixit id, quod scripto postea populis euulgari iussit, vbi minus integra fuit, ac syncera confessio. Neque enim tunc solùm esse Deum fatetur; sed Deorum maximum, & ad saluandum potentissimum. Neque enim videtur abiecisse Gentilicam mentem, quæ turbam Deorum esse putat, & in his supremum aliquod, & maximum numen: quomodo Iouem Deorum Regem, atque parentem somniarunt Poëtæ. Deinde quia ibi non iubet, vt illum colant populi suæ ditioni subiecti; sed ne quid contra illius dignitatem 148. *Imperfecta Nabuchodonosoris conuersio.*

impiè,

impiè, atque indecorè loquantur. Quare non videtur abolere voluisse religionem antiquam; sed patriis Diis Iudæorum Deum annumerare, A cuius potentiam & ipse experimento nouerat, & omnibus esse notam cum sua ipsius voce; tum edicto publico volebat.

IN CAPVT QVARTVM.

ARGVMENTVM.

PER quietem Nabuchodonosori oblatum est somnium, & in eo arbor procera, atque robusta patulis explicata ramis, & ad vltimos vsque terræ terminos diffusa, quæ & omnes belluas ad vmbras, & volucres omnes ad ramos admittebat, à quibus vtraque commodum sibi capiebant alimentum. Hæc Angelorum decreto, atque opera succisa est, & variè dissipata; relicto tamen stipite, cuius germen obligatum est agrestibus herbis, & cœlesti rore spatio respersum septennali. Hæc Daniel de Rege ipso interpretatus est, qui iuxta Angelorum vigilum decretum, & Danielis coniecturam belluinum in morem inter feras egit, fœno pastus in syluestri loco, & ibi subdiali rore perfusus, donec tandem & regno, & sibi restitutus, & ad maiorem, quàm antea, gloriam euectus, publica, atque legitima forma laudauit Deum, eúmque in iudicando iustum, & in faciendo potentem prædicauit.

CAPVT IV.

1. *EGo Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo:*

2. *Somnium vidi, quod perterruit me: & cogitationes meæ in strato meo, & visiones capitis mei conturbauerunt me.*

3. *Et per me propositum est decretum vt introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, & vt solutionem somnij indicarent mihi.*

4. *Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi, & aruspices, & somnium narraui in conspectu eorum: & solutionem eius non indicauerunt mihi:*

5. *Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar secundùm nomen Dei mei, qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso: & somnium coram ipso locutus sum.*

6. *Baltassar princeps ariolorum, quoniam ego scio quòd spiritum sanctorum deorum habeas in te, & omne sacramentum non est impossibile tibi: visiones somniorum meorum, quas vidi, & solutionem earum narra:*

PARAPHRASIS.

B 1. CVm ego Nabuchodonosor quietus essem in aula regia, & rebus omnibus ad votum fluentibus, iucundus, & florens.

2. Oblatum est mihi in strato meo dormienti spectrum horribile, quod me maximopere terruit, & obiectæ species, cogitationi vigilanti, à quibus ego vehementer cohorrui.

3. Quare statui, edictóque proposui, vt quotquot essent Babylone sapientes, & diuinatricis artis non imperiti, introducerentur ad me, vt meum somnium exponerent. C

4. Cúmque certatim ad regium edictum conuenissent plurimi, qui augurandi, aut coniectandi facultatem se tenere profiterentur, quales sunt, arioli, magi, aruspices, atque Chaldæi, proposuissémque, quid mihi oblatum esset in quiete, nullam tamen ab illis solutionem accepi.

5. Hæsi itaque dudum perplexus, & dubius, donec assiduus mihi socius, & collega, cui ego occulta consilia, & publicas D regni curas impertior, Daniel, cui ego à nomine Dei mei Baltassarem appellari iussi, quem diuinus afflat, & illustrat spiritus, ingressus est ad me, quem ego in hunc modum allocutus sum:

6. Scio, ô Balthassar, augurali scientia te Chaldæorum sapientibus longè præstare; & adesse tibi à Diis sanctis, qui meliora, atque veriora hominibus inspirant, diuinos afflatus; quibus edoctus, quæ abdita sunt, & arcana rerum sacramenta non ignoras. Quare somniorum, quæ mihi

7. *Visio capitis mei in cubili meo: Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia.*

8. *Magna arbor, & fortis: & proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ.*

9. *Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & esca vniuersorum in ea: subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli, & ex ea vescebatur omnis caro.*

10. *Videbam in visione capitis mei super stratum meum, & ecce vigil, & sanctus de cælo descendit.*

11. *Clamauit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius.*

12. *Verumtamen germen radicum eius in terra sinite, & alligetur vinculo ferreo & æreo, in herbis quæ foris sunt, & rore cæli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ:*

13. *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei: & septem tempora mutentur super eum.*

14. *In sententia vigilum decretum est, & sermo sanctorum, & petitio: donec cognoscant viuentes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum; & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem constituet super eum.*

15. Hoc

A non potuerunt explicare Chaldæi coniecturam mihi, ac solutionem quamprimum edissere.

7. Hoc autem fuit somnium, quod in cubili meo mihi oblatum est: Videre me putabam in medio terræ arborem, cuius erat supra modum sublimis altitudo.

8. Ingens erat arbor, atque robusta, cuius cacumen ad cœlum vsque attollebatur, & rami quoquoversus diffusi totius terræ latitudinem implebant.

B 9. Speciosa erat, ac densa foliorum luxuries, ea baccarum vbertas, vt illarum pondere incuruescerent rami, quarum vsqueadeo erat varietas multiplex, vt inde opportunam escam vniuersa carperent animantia. Subter eam quodlibet animantium genus commodum habebat diuerticulum, in ramis eius cantillabant volucres, & nidos pro pullorum fœtura construebant. Denique illius fructibus omnium viuentium genus vescebatur.

C 10. Dum in hæc ego in lectulo meo cogitans intueor, ecce sanctus, & excubitor spiritus de cœlo se in terram festinus demittit.

11. Ille verò spiritus, vigil, Deíque nuncius clamauit acri, atque robusta voce, ad vigiles alios spiritus, dixitque: Arborem à stirpe succidite, defringite, atque excindite ramos, ac foliorum illam vestitu nudate: disperdite, ac dissipate fructus, ab illius vmbra diffugiant belluæ, & volucres euolent à ramorum hospitio.

D 12. Ita tamen arborem succidite, ne quid extet à terra; relinquite tamen in terra stirpem, vnde pullulet germen. Illud verò sic assuescat herbis, quæ foris sunt in agro, vt illis vinculo ferreo alligatus videri possit: & quod accidere solet his, qui sub cœlo degunt in syluis, cœlesti spargatur rore, & cum feris in agris communi pabulo pascatur.

13. Sic illius mutetur animus, vt in illo nihil appareat, aut versetur humanum, sed quæ ferarum sunt, amet, & cogitet, neque statum aut mentem pristinam resu-E mat, donec septem annis vitam instituat ferinam, & agrestem.

14. In vigilum consessu decretum est, quod à vigili, qui de cœlo descenderat, petebatur, vt ex deiecta, atque succisa arbore, quæ paulo antè proceritatis erat, & vbertatis eximiæ, omnes cognoscerent, vnum esse Deum excelsum, & vniuersorum Dominum; quique cuicumque voluerit; quantumcumque sit abiectus, & ignobilis, regnum attribuet, & honoribus ornabit exquisitis.

15. Hoc

15. *Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor rex: tu ergo Baltassar interpretationem narra festinus: quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi: tu autem potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est.*

16. *Tunc Daniel, cuius nomen Baltassar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi vna hora: & cogitationes eius conturbabant eum. Respondens autem rex ait: Baltassar, somnium & interpretatio eius non conturbent te. Respondit Baltassar, & dixit: Domine mi, somnium his, qui te oderunt, & interpretatio eius hostibus tuis sit.*

17. *Arborem quam vidisti sublimem, atque robustam, cuius altitudo pertingit ad cælum, & aspectus illius in omnem terram:*

18. *Et rami eius pulcherrimi, & fructus eius nimius, & esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, & in ramis eius commorantes aues cæli:*

19. *Tu es rex, qui magnificatus es & inualuisti: & magnitudo tua creuit, & peruenit vsque ad cælum, & potestas tua in terminos vniuersæ terræ.*

20. *Quòd autem vidit rex vigilem, & sanctum descendere de cælo, & dicere: Succidite arborem, & dissipate illam, attamen germen radicum eius in terra dimittite, & vinciatur ferro & ære in herbis foris; & rore cæli conspergatur, & cum feris sit pabulum eius, donec septem tempora mutentur super eum:*

21. *Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ peruenit super dominum meum regem:*

22. *Eiicient te ab hominibus, & cum bestiis ferísque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cæli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud.*

A 15. Hoc somnium ego Nabuchodonosor in lectulo meo cubans intuebar, cuius tu mihi ô Baltassar, quamprimum coniecturam edissere. Neque enim omnes quotquot in regno meo sapientes sunt collatis inter se studiis, atque vigiliis aliquid sanum, aut vtile coniectant. Erit autem, vt reor, tibi non difficile, quem sanctorum Deorum spiritus afflauit.

16. Tunc Daniel, qui & Baltassar, hæsit per horam vnam tacitus, vario cogitationum æstu perturbatus, ex quo silentio,
B ac conturbatione, cuius in vultu signum apparebat non obscurum, Rex id, quod erat, suspicatus bono animo Danielem esse iubet, & audacter proferre, quidquid durum ex illo spectro coniectaret. Ad quem Baltassar: Somnium istud, ô Rex, & eius coniecturam auertat vtinam Deus à tuo, & in hostium tuorum capita conuertat.

17. Tu es, ô Rex, arbor illa sublimis, atque robusta, cuius ad cœlum vsque cacumen attollitur, quæque sic se in omnem
C partem latè diffundit, vt omnes occupet terrarum terminos.

18. Videbas ramos frondium, ac florum varietate, ac nitore pulcherrimos, quibus accedebat mira fructuum vbertas, quæ omnibus quod satis erat alimenti præbebat; in cuius vmbra diuerticulum terrestrium animantium vniuersum genus, & in ramis suos sibi nidos, & hospitia volucres habebant.

19. Tu es ille, ô Rex, qui amplissimum
D tibi imperium, potentiam, & vires in vniuersa terra comparasti: cuius magnitudo ad cœlorum vsque celsitudinem ascendit, & potestas ad vltimos terræ terminos porrecta est.

20. Vidisti deinde vigilem è cœlo delapsum audistíque clamantem, vt succideretur arbor, dissiparetúrque, ita tamen vt stirps illius maneret in terra defossa, cuius germen vinciretur ferreo, atque æreo vinculo herbis, quæ foris crescerent in pascuis, ita vt cœlesti conspergeretur,
E ac madesceret rore; neque aliud haberet, quàm armentorum pabulum, quæ ferina viuendi ratio ad septimum vsque produceretur annum.

21. Huius igitur somnij hæc est coniectatio, hæc sententia, quam Deus altissimus in Domini mei caput intorsit.

22. Eiicieris ab hominum conuictu, & ferino magis delectaberis; atque ideo relictis hominibus belluis assuesces. Quocirca fœno pasceris in armentorũ pascuis, rore sicut belluæ subdiali madidus, quæ vitæ ratio durabit donec septennos sol

A anfractus, reditúsque conuerterit, vt tandem hinc intelligas in manu Dei altissimi ius esse, potestatémque regnorum, qui suo arbitratu quos vult ad regnum eleuat, & quos vult à regia sede, & maiestate deturbat.

23. Quòd autem praecepit vt relinqueretur germen radicum eius, id est, arboris, regnum tuum tibi manebit, postquam cognoueris potestatem esse caelestem.

23. Illud verò, quod accepisse te dicis è vigilum decreto, vt arbore succisa, maneret tamen stirps suis nixa radicibus, vnde postea quasi rediuiua germina succrescerent, spem tibi relinquit, obtinendi iterum regni, ex cuius possessione depul-
B sus es; postquam vita illa ferina septennali spatio ignominiosè peracta, cognoueris in cœlis esse potestatem, cui potestas omnis creata subesse debeat.

24. Quam ob rem rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime: & iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis.

24. Quare, ô Rex, hoc meum consilium probari tibi velim, quo tuis tibi rebus optimè consulueris; pœnas, quas pro peccatis tibi iam proximè impendere denuncio, maturo remedio quasi repræsentato pretio declina, ac redime: hoc verò erit ab eleemosynis, quibus pauperum subleuabis inopiam; forsitan his Dei mi-
C sericordiam inclinabis ad veniam.

25. Omnia haec venerunt super Nabuchodonosor regem.

25. Hæc omnia ad vnum, sicut fuerant à Daniele prædicta, Regi contigerunt.

26. Post finem mensium duodecim, in aula Babylonis deambulabat.

26. Transacto etenim ab hoc somnio, Danielísque coniectura anno vno; duodecim nempe mensibus, in palatio, quòd Babylone splendidissimum erat, deambulabat Rex super tecta vbi ciuitatis amplitudinem videre posset.

27. Respondítque rex, & ait: Nónne haec est Babylon magna, quam ego aedificaui in domum regni, in robore fortitudinis meae, & in gloria decoris mei?

27. Cúmque ad illud vsque tempus, & horribili spectro, & Danielis interpre-
D tatione spiritus cohibuisset insolentes, pòst verò ad aspectum amplissimæ, ac munitissimæ ciuitatis, rediit ad ingenium, dixítque sibi tacitè ac superbè blanditus: Nónne hæc est Babylon, quam ego meis opibus, atque potentia ad miraculum vsque construxi, & illam regiam vrbem, Regúmque domicilium esse volui?

28. Cúmque sermo adhuc esset in ore regis, vox de caelo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit à te,

28. Vix dum hæc secum Rex locutus fuerat; imò & adhuc verbum erat in ore, cùm è cœlo vox repentè ruit, vtique instar tonitrui, cum quo simul vibratur, &
E excutitur fulmen; quæ hunc in modum in regiis auribus insonuit: tecum mihi res est ô Rex. Te appellat, & increpat hæc vox. Quando in regno tibi tantopere places, à regno deturbaberis.

29. Et ab hominibus eiicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud.

29. Eiicieris ab humano consortio, & assuesces bellino, cōmune habebis cum bobus alimentum, quod præbebit ex agris syluestre fœnum; septennale spatium perages inter feras, donec scias à Deo dispensari regna; & eius arbitratu aliis eripi, aliis sine vlla difficultate concedi.

30. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est: donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.

A 30. Dictum factum. Eadem hora consecutus est exitus cœlestes minas; relictus est enim ab hominum conuictu Nabuchodonosor; in agris agit, locísque syluestribus inter feras; quasi vnus esset ex illarum grege, fœnum illi pabulum fuit, & sub aperto cœlo pernoctans imbre, ac rore cœlesti commaduit. Sic autem ille in belluinam speciem degenerasse visus est, vt capilli non aliter corpus operirent, quàm plumis vestitur aquilarum corpus, & vngues sic excreuerunt vehementer, vt auium diceres non hominum vngues.

31. Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui: quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generationem & generationem.

B 31. Exacto igitur septennio in syluestri illo, ac belluino habitu, quo tempore vultu in terram prono, & ad pastum abiecto, nihil meditabar, aut esse existimabam excelsius; leuaui tandem oculos in cœlum, & pristinus mihi sensus restitutus est. Ac longo illo habitu, atque ignominia edoctus, cœlestem aliquam potestatem agnoui; quæ humana omnia regit, atque dispensat. Tunc laudaui, gloriosúmque prædicaui Deum altissimũ, cuius est immortalis, ac sempiterna vita. Cuius potentia
C nullo sæculorum spatio definitur, & regnum in omnem æternitatem productũ, nullum vnquam decrementum subibit.

32. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt. iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli quàm in habitatoribus terræ: & non est qui resistat manui eius, & dicat ei: Quare fecisti?

32. Cuius comparatione, quotquot terram incolunt eo habentur loco, quasi non sint: qui vt sibi libuerit sine alicuius resistentia tam cœlestes virtutes, per quas humanis, ac inferioribus rebus sapienter prouidet, quàm inferiora, atque terrestria omnia moderatur. Neque est, qui contra ipsius voluntatem mutire, aut sui consilij
D exigere rationem audeat.

33. In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei decorémque perueni: & figura mea reuersa est ad me: & optimates mei, & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum & magnificentia amplior addita est mihi.

33. Post tempus autem illud septennale, quod in vigilum decreto definitum, & à Daniele mihi prædictum fuit; humana mens, quæ mihi excessisse videbatur, restituta est, & ad regiam dignitatem, à qua meo magno merito depulsus fueram, reuocatus sum; & speciem assumpsi, quam videbar deposuisse. Et optimates, ac Magistratus, quæsierunt me, & illorum studio ad regnum inuitatus, & reuocatus sum; &
E fui postliminio restitutus multo magis, quàm antea gloriosus.

34. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.

34. Nunc igitur ego Nabuchodonosor publicè, atque legitima forma, laudo cœlestem Regem, illúmque magnum atque gloriosum esse profiteor. Quia ipsius opera vera sunt, & non fucata, & inania commenta iudicia ipsius iusta; quíque facile potest illorum spiritus, qui superbè sapiunt, humiliare, & ad ignominiam vsque deprimere.

Vers.1. Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo.]

1. ALIVD somnium oblatum est à Deo Nabuchodonosori, in quo specimen quoddam vidit tam sui, quàm Reipublicæ status, cuius somnium inter sapiêtes omnes vnus Daniel coniectare potuit. Quo verò anno species illa Regi sit obiecta, incertū est. Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. non longè post historiam trium puerorum hæc contigisse dicit. Mihi valdè videtur verisimile, quod Pereiræ quoque visum est, hoc somnium accidisse sub annū 34. regni Nabuchodonosoris. Quod ita persuadet, quia vno anno post somnium à Daniele solutum, mutatus est in bestiam, in eoque statu, seu metamorphosi ad septennium vsque permansit. Hoc verò spatio transacto cùm mente quam amiserat, regni (B) quoque gubernacula iterum recepit. Id verò sub vitæ tempus accidisse, illud argumento est; quòd nihil magnum statuerit, effecerit ve siue ad Iudæorum commoditatem, siue ad Dei cultum, quem tam in fine capitis laudat, glorificat, & commendat. Quod non videbatur esse facturus, si longior illi vita contigisset.

2. *Videtur hæc epistola à Nabuchodonosor conscripta.* Hoc caput epistolam quandam esse putat auctor historiæ Scholasticæ, quam scripsit Nabuchodonosor subditis sibi prouinciis, postquā sibi, ac regno restitutus est. Cuius sententiam non improbat Pereira; & fauet huic cogitationi plu- (C) rimum modus ipse dicendi, qui non videtur à Rege commodè posse separari. Quod si esset, nō videtur improbabile partem illam, quam extremo loco capitis tertij legimus, huius quarti capitis esse principium, quod nonnulli putant. Et quidem Theodoretus, & Lyra ab illis verbis quartum hoc caput exordiuntur. Sed quia alio modo tam à Latinis, quam à Græcis, immò & à Chaldaico textu digeruntur, pars illa extrema ascribenda est capiti tertio; neque difficilis est expositio, quam ad illum locum adhibuimus. Quod ad auctorem huius siue epistolæ, siue capitis attinet, non puto interesse plurimum scripta primùm à Daniele fuerit; vel à Daniele ex (D) literis Nabuchodonosoris expressa. Nam quod ad fidem spectat, propheticæ auctoritatis pondus habet, cùm à Daniele ideo prodita sit, & sacris addita monumentis; vt Dei ostendatur potentia, & oraculorum certa fides. Immò non sine diuino consilio id factum videtur, vt Rex ipse ignominiæ suæ historiam reliquerit regia consignatam manu, ne si ab alio solùm foret conscripta, non tam videretur veram continere narrationem, quàm ad ignominiā Chaldaicæ gentis fabulosa portenta, & meras nugas. Fecit autem hoc loco Daniel, quod Isaias cap. 38. qui quod Ezechias cecinit recreatus à mor- (E) bo, & quasi rediuiuus à morte, ipse suis inseruit prophetiis. Et Esdras lib. 1. cap. 1. & latiùs cap. 6. inter sua scripta retulit edictum Cyri.

3. *Neque in somnio peccatori quies.* *Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea.*] Tempus indicatur, in quo somnium istud oblatum est Regi; cùm videlicet consedissent bella, & subiecti circumfusi populi, nihil contra Regem molirentur hostile. Quod planè docet nihil hominibus esse pacatum, nihil a perturbatione vacuum: quando enim cessat armorum strepitus, neque tubarum auditur clangor, qui (A) pacem turbet, & somnium interpellet; at non deerunt nocturnæ species, & horribiles vmbræ, quæ sollicitent animos, & pauore concutiant. Sic Iob cap. 7. vers. 13. *Si dixero, consolabitur me lectulus meus, & reuelabor loquens mecum in stratu meo: terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.* Hoc sæpe clamant profani. Ex omnibus accipe vnum Ouidium lib. 1. de Ponto, eleg. 2.

At puto cùm requies, medicinaque publica curæ
Somnus adest, solitis nox venit orba malis,
Somnia me terrent veros imitantia casus,
Et vigilant sensus in mea damna mei.
(B) *Nam modò Sarmaticas videor vitare sagittas,*
Aut dare captiuas in fera vincla manus.

Porrò pacificū esse nihil est aliud, quàm quod 4.
statim in altero hemistichio dicitur, *& florens in palatio meo.* Nam vt *pax* iuxta Hebraicum, atque Chaldaicum idioma abundantiam significat rerum omnium, & successu ex voto: sic etiam pacificus ille dicitur, qui rebus abundat, & cui optata omnia succedunt ex votis.

Vers. 2. *Somnium vidi, quod perterruit me, & cogitationes meæ in stratu meo, & visiones capitis mei conturbauerunt me.*] Hæc tria, *somnium, cogitationes, visitationes*, idem sunt, vt opinor, forma tantum dicendi diuersa est. Quid sit somnium, nemo (C) dubitat; cogitationes actus quidam sunt phantasiæ, seu imaginatiuæ potentiæ, cùm species reuocat antiquas, & nouas accipit, & illis excitatis, & actibus aliquid secum voluit, atque retractat; neque refert hoc dormiendo, seu vigilando faciat, cùm animalis illa potentia tam in dormientibus, quàm in vigilantibus operetur. *Visiones capitis* magis explicant somniorum naturam, quæ capitis dicuntur, quia imaginatiuæ facultati, quæ in cerebro residet, imprimuntur. Visiones verò idem hoc loco sunt, quod imagines, aut species rerum, ea figura, qua actio pro ipsius terminis, aut obiectis, vt Physici loquun- (D) tur, vsurpatur: quomodo *timor* pro re timenda, *laus* pro re laudabili, *auditio* pro sono, seu sermone ponitur. Hæc mihi difficilia non sunt; sed credo expeditum esse magis, si dicas Regem à cogitationibus, seu visionibus, conturbari, quia horribile illud spectrum fecit, vt solutus à somno Rex tristia quædam secum meditaretur, & volueret. Et illud, *in stratu meo* huic cogitationi non parum fauet; neque enim si cogitationes idem essent omninò quod somniū, necesse foret addere *in stratu*; neque enim alibi capi solent plerúque somni. Porrò visiones ducuntur, cùm vna tantùm visio, id est, vnum tantùm fuerit somnium; quia in illo somnio multa simul fue- (E) runt obiecta, arbor, belluæ, vigiles, qui de excidenda arbore deliberant; & alia, de quibus nos suo loco posteà.

5. *Somnium quid.* — *Regvla. Actio pro termine seu obiecto.*

Vers. 4. *Tunc ingrediebantur Arioli, Magi.*] De his satis multa capite primo num. 22. inde pete, neque enim aliquid est noui, quod illis addere plurimi intersit.

Vers. 5. *Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel.*] Hinc cōstat quo in loco fuerit apud Regem Daniel, quādoquidem illum collegā vocat suum, quasi eiusdē nominis & dignitatis sociū; 6.

nempe

nempe non sibi superiorem, sed æqualem: quemadmodum duo consules æquali sunt conditione, & loco, & se mutuò collegas salutant. Aderat, opinor, Daniel in consiliis Regi, illique in rebus quibusque grauibus erat assiduus, iam inde ab eo tempore, quo somnium illius reuelauit, ac soluit; sed multo deinde familiariùs post trium puerorum grande miraculum, adeò vt reuera socium habuerit, in administrando regno; & nunc honoris gratia suum appellat consortem, & collegam.

7. *Daniel tam Chaldaicè, quàm Hebraicè in vtroque nomine Dei continebat nomen.*

Cui nomen Beltsasar secundùm nomen Dei mei.] Diximus suprà cap. 1. non omnino mutatum esse Danielis nomen; sed mutatam esse nominis figuram. Vt enim nomen Hebraicum Daniel nomen in se Dei amplectebatur אל el; sic Beltasar nomen Chaldaicum nomen in se continet illius Dei, qui apud Chaldæos censebatur esse maximus, nempe Bel: dicitur namque Chaldaicè, non Baltasar, sed Beltasar, & ideo Rex ait Beltasarem fuisse vocatum ex nomine, aut secundùm nomen Dei sui.

8. *Falsa de Danielis nomine sententia.*

Huius nominis causam tradunt Epiphanius in Danielis vita, & ex illo Dorotheus in Synopsi. Ait enim Regem voluisse Danieli, & suo filio nomen esse commune, quia regni vtrumque hæredem esse voluit. Sed multa sententiam hanc oppugnant, primùm, quia hoc nomen tunc impositum fuit, quando neque Regi, nec vlli ex eius aula nota erant Danielis ingenium, & sapientia, cùm primùm nempe de media turba captiuorum assumptus fuit; & aulicis pueris annumeratus. Neque, vt ex ipso textu non obscurè constat, nomen illud nouum accepit Daniel à Rege; sed ab Eunuchorum præfecto cap. 1. v. 7. *Et imposuit eis præpositus Eunuchorum nomina, Danieli, Beltasar,* &c. Quæ ratio etiam euertit, quod Suidas putat v. *Daniel*, & Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. tunc Danieli à Regi impositum esse nomen Dei sui, quando alterum somnium, de quo 2. cap. reuelauit, & illius solutionem adhibuit. Deinde quia Chaldaicè aliud est nomen Danieli, aliud filio Regis impositum: Daniel enim dictus est בלטשאצר *Beltesasar*; filius autem Regis בלשאצר *Belsasar*.

9. *Qui habet spiritum Deorum sanctorum in semetipso.*] Hinc constat Regem antiquam, & patriam religionem non eiurasse, vt putat Hieronymus; sed adhuc venerari plures Deos, & in his illum qui apud Babylonios primo colebatur loco. Nam proximè B.l suum appellauit Deum, cùm dixit in Beltasaris nomine nomen includi Dei sui; & Deorum sanctorum spiritu siue afflatum, siue præditum esse Danielem. Quid sit habere in se diuinum spiritum facile intelligit, explicátque Theologus, seu Philosophus Christianus; nempe afflari diuino Spiritu, & ab illo regi, doceri, impelli: quomodo viri sancti agi dicuntur à diuino Spiritu, quia non à carnis affectu, sed à maiori alia, atque sublimiori virtute ducuntur. Et reuera eo spiritu intus operante agebatur Daniel, & ab eo edoctus loquebatur, eo modo, quo multis pòst sæculis Stephanus Actor. cap. 6. & 7. qui plenus esse dicitur Spiritu sancto, qui loquebatur in ipso, cap. 6. v. 10.

10. *Spiritus pythonicus quis.*

Quo verò sensu hæc acceperit homo impius, & barbarus, & Gentilica imbutus superstitione, iam exploremus. Erat hoc Gentilibus nimis familiare, vt instincti, atque agitati spiritu pythonico aut futura prædicerent; aut exponerent, & manifestarent obscura, qui ideo dicebantur ἐγγαστρίμυθοι, quasi qui à ventre verba promant, quæ spiritus suggerit, qui intra viscera clauditur. Talis erat spiritus ille, qui impleuit, exagitauítque Sibyllam apud Virgilium lib. 6. Æneid.

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum. Tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

11. Hic porrò spiritus, qui Diuinorum, atque Ariolorum, seu Magorum pectus implebat, Pytho dicebatur, seu spiritus fatidicus; à quo Apollo, qui talia præstare credebatur, vocatus est Pythius, in cuius templo apud Delphos puella erat vocata Pytho, quæ instincta, atque exagitata a dæmone, oracula interrogantibus edebat. Horum in Scriptura mentio non infrequens. Eiusmodi fuit illa puella, à qua Paulus Actor. c. 16. spiritum expulit Pythonicum. Quomodo verò spiritus iste diabolicus, seu Pythonicus Diuinos, ac Magos impleat, ac subeat, docet OEcumenius in locum nuper citatum ex Actis, & Scholiastes Aristophanis in Pluto. Talia fortasse de Daniele cogitabat Nabuchodonosor, aut non multo puriora, aut saltem non illa, quæ nos tùm in Daniele, tum in Prophetis aliis, Deum operatum esse cognouimus. Quid enim aduocasset Magos, Ariolos, & Aruspices, nisi à Diis suis, quorum spiritu illos afflatos esse arbitrabatur, aliquid obscuri somni lucis speraret? Cùm autem à Gentilibus duo Deorum genera statuerentur, alterum bonorum, à quibus vera spectabantur, & commoda, quales erant, qui ab ipsis dicebantur magni: alij mali, qui aut mendaces erant, neque tum ab hominibus colebantur vt bona præstarent, quàm ne inferrent noxia, de quibus Augustinus lib. 9. de ciuitate. Rex videtur existimasse in aliis Magis, & Ariolis esse spiritum malorum Deorum, à quibus potius essent delusi, quàm docti; Danielem verò habuisse spiritum bonorum Deorum, à quibus diuinitus afflatus obscura cognosceret, & futura prædiceret, atque ideo dicit habuisse *spiritum Deorum sanctorum in semetipso.* Putabat autem eum esse Ariolum, & Ariolorum more diuinare. Vnde versu 6. principem vocat Ariolorum.

Duo apud Gentes genera Deorum.

Vers. 7. *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia.*] Propositio somnij sic est aperta, vt nullam interpretis operam requirat, si quid in illa obscurum occurrerit, dum allatam à Daniele coniecturam adduxerimus, exponemus. 12.

Vers. 10. *Et ecce vigil, & sanctus de cælo descendit.*] Vbi vulgatus *Vigil*, Chaldaicè est עיר *ir.* sic Theodotio nomen Chaldaicum reliquit, quod nomen vigilem significat, & nuncium, quæ Angeli propria significatio est, vt reddidere Septuaginta. Dicitur autem Angelus excubitor, & vigil, vt putat Theodoretus, & quidam Hebræorum magistri, quia vt corporis, sic etiam somni, & corporearum affectionum expers est, atque ideo perpetuas agit, & fideles excubias. Aut certè veriùs, vt cum Hieronymo putant frequentes alij, vigiles appellantur Angeli, quia intento sunt animo, vt ad Dei exequendum mandatum quamprimum aduolent. De Angelis quidam accipiunt illud Psal. 120. *Non dormitabis,* 13.

Angelus cur vocatur vigil.

tabit, neque dormiet, qui custodit Israel. & illud Isai.62. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.*

14. Quidam Hebræorum *Echo* interpretantur, qui sonus est ab opposita mole repercussus; qui sane optime vigilantis, atque obsequentis animi studium, atque naturam repræsentat: nam vt illa, cùm primùm acceperit vocem, illam refert quàm maximè potest similem, immo interdum ita perfectam, & integram vt difficile omnino à priori distinguas; sic verus obediens vocem quamprimum accipit imperantis, cui sic obsequitur accuratè, vt ex te perfecta, facile quid fuerit imperatum agnoscas. Vocauit optimè Cicero Echo vocis imaginem: sic nos optime obedientiam imperij imaginem viuam appellare possumus; nihil enim superioris voluntatem melius exprimit, aut repræsentat, quàm inferioris opus ex obedientia susceptum.

Echo obedientiæ typus.

Obedientia perfecta.

15. Addam ad extremum quod hoc loco meditatur Hieronymus, à Chaldaica voce עיר *ir*, Græcam vocem *irim*, quam etiam acceperunt Latini, esse deriuatam. Est autem *Iris*, vt fabulantur Gentiles, Deorum nuncia: quomodo nos verè Angelos veri Dei nuncios appellamus. Neque hæc Hieronymi cogitatio suo caret fundamento: nam, vt diximus cap.3. num. 18. multas voces origine Græcas in Chaldaica forma in suam linguam transtulere Chaldæi. Quales sunt *Cithara, sambuca, Psalterium, symphonia.* & nomen ipsum ἄγγελος sæpe in sua significatione inter Chaldaica nomina reperitur, vt Iob 15.& Psal.49.& 67.

Iris Angelorum symbolum.

16. Quæret hic aliquis quomodo vigilem, seu Angelum de cœlo descendentem videre, aut illum esse vigilem cognoscere potuerit Nabuchodonosor. Hic nobis diuinandum est, vtinam non abs re. Nouerat, credo, Rex hic Barbarus, & Idololatra Irim Deorum nunciam, atque ideo fortasse, vt coniectat Hieronymus עיר, id est, *Irim* appellauit. Iris autem arcus est cœlestis sua specie, ac colorum varietate mirabilis, in cuius splendore describendo mirè luxuriant Poetarum ingenia. Credo igitur splendidum aliquid oblatum esse Regi è cælo dimissum; cúmque quid esset ignoraret, existimasse fuisse Irim Deorum nunciam. Neque enim species illa splendens, & varia quam intuebatur, aliquid aliud illi maiorum consiliorum ignaro repræsentare poterat. Hæc mea cogitatio est; alij meliora deinde, quæ lubens accipiam.

17. Vers.11. *Clamauit fortiter, & sic ait.*] Cùm Irim Deorum nunciam esse credidisset Nabuchodonosor, vt modò fortasse non ineptè coniectamus, non mirum est, si illi vocem esse crederet, illámque robustam, & fortem; neque enim aliter fungi poterat dato sibi legationis munere. Quare Poëtæ sæpe illam loquentem inducunt, vt Virgilius lib.9. Æneid. illique dat vocem, vt ex materia ipsa constat, seueram, acrem, & eiusmodi, vt desidem, & ignauum ad arma vocet, & bellicum illi furorem inspiret.

Ad quem sic roseo Thaumantias ore loquuta est.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe moras omnes, & turbata arripe castra.

Vocem autem vigilis, seu Angeli fortem fuisse, & vehementem oportuit, quando horribile aliquid, & triste denunciat. De quo

A statim cùm ad expositionem somnij ventum fuerit.

In sententia vigilum decretum est.] De hoc postea pluribus in expositione somnij.

Vers.15. *Tu ergo Baltasar interpretationem narra* 18.
festinus.] Torquebat Regis animum & scelerum conscientia, & visio dura, ex qua nihil promittere sibi poterat opportunum, aut gratum. Quare vrget Danielem, vt quamprimum de somno coniecturam proferat: plus enim ait sperare se ab illius sapientia, quàm in coniectoribus aliis fuerat expertus, cùm hi à malis, ac fallacibus; ille verò à bonis, & veracibus Diis erudiatur, & affletur. Quibus B verbis satis ostendit Rex, quemadmodum patrium, at Gentilicum errorem non eiurauerit.

Vers.16. *Tunc Daniel, cuius nomen Baltasar,* 19.
cœpit intra semetipsum tacitus cogitare, quasi vna hora; & cogitationes eius conturbabant eum.] Chaldaicè tantùm est אשתומם *estomam*, id est, vt vertunt frequentes alij à vulgato, *obstupuit*, seu *attonitus hæsit.* vnde verò ille vnius horæ stupor, seu silentium prouenerit, quærunt interpretes. Quidam id tribuunt spiritui prophetico, qui interdum Prophetas sternit, & exanimat, vt contigit non semel Ezechieli, vt constat ex capite secundo, vers.1.& cap.3.vers.13.& 44.v.4. C & huic ipsi Danieli sæpius. Hieronymus ideo putat obstupuisse Danielem, & per vnam horam hæsisse tacitum, quia cùm nosset quid species illa dura portenderet, grauéque existimaret Regis animum ægrè afficere, à quo tot esset cumulatus beneficiis, tot ornatus honoribus, differebat responsum; neque dubiis signis ostendebat, quàm ægro esset animo. Quod cùm ex pallore vultus Rex ipse foret odoratus, bono iubet esse animo, neque dubitare quid sibi esset exploratum edicere. *Somnium*, inquit, *& interpretatio eius non conturbent te.* Hæc mihi explicatio potior, quàm cum Hieronymo plures alij sequuntur.

Et licèt stupor iste, & longum silentium ex 20.
D amore studióque prouenerint in beneficum Regem; tamen artificium nullum adhiberi potuit maius ad temperandam responsi acerbitatem, & declinandam Regis offensionem, quàm quod amor, & pietas inuenit. Neque enim includi aut dolore, aut perturbatione vocem, cùm aliquid dicendum quod alteri offensioni, ac molestiæ futurum est; vulgare est eximij amoris argumentum. Illo verò tempore quod tacitus secum exegit Propheta, cogitauit, opinor, quomodo temperaret sermonis, quem declinare non poterat, acerbitatem; & suum in Regem studium, & beneuolentiam ostenderet: quod ita fecit attemperatè, & prudenter, vt nihil videatur ab humana facundia excogitari posse commodiùs. E Quod illi ideo maiori studio curandum fuit, ne regium animum abalienaret à Iudæorum genere, in quod intererat plurimum omnino esse pacatum.

Ad temperandam sermonis acerbitatem artificium.

Domine mi, somnium his, qui te oderunt; & inter- 21.
pretatio eius hostibus tuis sit.] Admirabilis captandæ beneuolentiæ forma: longè erat vt malè Regi cuperet, qui graue hoc infortunium illius hostibus precabatur. Significat autem Propheta iucundum sibi fore, si hæc essent in illorum caput intorquenda, qui aut armis, aut studiis à Rege dissiderent: id enim valet *interpretatio eius hostibus tuis sit.*

Vers.17.

22. Vers. 17. *Arborem, quam vidisti sublimem, atque robustam, &c. tu es Rex.*] Postquam omnem à se abalienati animi suspicionem depulit, somnij audaciùs expositionem aggreditur: & totam illam visionem de Rege ipso, cui oblata fuerat, interpretatur. In arbore sublimi, aut humili, florenti, aut arida, varij hominum status explicari solent. Viri fortunati, potentes, ac diuites cedris Libani, & quercubus Basan assimilantur. Psal. 36. v. 35. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani.* Et Ioacim cum cedro Libani comparatur Ieremiæ cap. 22. v. 15. sicut etiam illius filius Iechonias Ezech. cap. 17. cum cedri medulla, seu cacumine. At contrà qui tenui sunt fortuna, & conditione despicabili, ac sordida cum gracili nuda, atque arenti planta conferuntur. Sic Ierem. cap. 17. v. 6. & iterum cap. 48. v. 6. infelices, & inopes myricis dicuntur esse similes, quæ in deserto nascuntur. Et Christus Dominus, quo tempore vixit inter homines humilis, pauper, &, vt Propheta dixit, virorum nouissimus. Talis futurus esse dicitur ab Isaia cap. 53. *Quasi virgultum, & quasi radix de terra sitienti.*

In plantis varij hominum status, & fortuna significatur.

23. Cùm tam latè se diffunderet superbi Regis ambitiosa potentia, multósque latis imperij finibus amplecteretur, optimè explicatur arboris illius similitudine; quam antè Rex ipse ita descripsit eleganter, & clarè, vt nostra expositione non indigeat. Totam illam speciem Regi accommodat Propheta. Quid sit foliorum species, & fructus, non est difficile coniectare. Folia sunt ornamenta, siue quæ à regio luxu, siue quæ à lauto, ac numeroso satellitio aduenire solent: fructus regia gaza, quæ ex vbere solo, variisque ex imperio latissimo exigendi rationibus colligitur.

24. Quòd verò in arbore illa nidos construere dicantur volucres; & subter bestiæ habitaturæ cubilia: denique omni animantium generi ex ea paratum esse cibum, dupliciter expono, aut reuera ita contigisse, vt omne hominum genus ad regias opes, & tutelam receptum habuerint, quod à magnorum Principum liberali manu præstari solet, aut eam esse rerum omnium abundantia in regio penu, aut fisco, vt ex eo infinita Gentium multitudo sustentari queat, iuxta regulam illam sæpius à nobis traditam, quæ id dicit fieri, quod aptum est, vt fiat. Quomodo dicimus, medicus curat, doctor docet, iudex iudicat, cùm tamen aut dormiant, aut nihil tunc curent minus, quàm de iudicando, aut docendo; quia aut apti sunt vt iudicent, & curent; aut quia illorum ars eò præcipuè destinata est. Sic fortasse Rex ille cùm pro suis facultatibus posset, & pro regio instituto deberet aliis esse præsidio, atque illa præstare, quæ in illo arboris spectro cognouerat: atque ideo ex Scripturæ, immo & communi consuetudine dicatur aliis præbuisse cibos, aliis vmbram, aliis cubilia; re tamen ipsa nihil horum fecit, sed potiùs aliorum opes eripuit, vt augeret suas. Et hoc videtur significasse Propheta statim cap. 5. cùm dixit ad nepotem ipsius Beltasarem vers. 19. *Propter magnificentiam, quam dederant ei* (nempe Nabuchodonosori;) *vniuersi populi, tribus, & linguæ tremebant, & metuebant eum. Quos volebat, interficiebat, & quos volebat, percutiebat, & quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat.* Quæ omnia magis sunt eius qui repellit, & vexat, quàm eius qui fouet, & amplectitur.

Regum qualis esse debeat in suos liberalitas.

Veruntamen in priorem sententiam magis inclinat animus, quæ vmbram, perfugium, & alimentum in arbore illa procera, & lata omni generi animantium attribuit. Id colligo ex verbis ipsius Regis, qui cùm quid à se visum esset in specie referret, dixit, *Succidite arborem, &c. fugiant bestiæ quæ subter eam sunt: & volucres de ramis eius.* Verba verò cap. 5. iuxta regulam illam explico nuper à me traditam. Exaltabat enim Rex, humiliabat, occidebat, & percutiebat, quos vellet, quia vt illud faceret, vires habuit, potestatem, & audaciam. 25.

Vers. 20. *Quòd autem vidit Rex vigilem, & sanctum descendere de cœlo, & dicere: Succidite arborem.*] De vigili, seu Angelo, qui Chaldaicè vocatur עיר *ir*, diximus paulo antè: hic iuxta Hebraicæ radicis significationem, à qua modicè deflectit Chaldaica, *excitatorem* sonat, cui proprium est excubias agere perpetuas. Hic ergo ad vigiles alios clamat, tanquam ad Senatum, seu concilium ex illis congregatum, qui publicis curis, & commoditatibus præsunt; rogátque vt de arbore illa legitimè statuant, quæ ita se in altum sustulit, vt cœlum attingat; sic latè quoquò versus explicuit ramos, vt totius orbis terminos impleuerit. Neque aliud rogat, quàm vt excindatur arbor, & spolietur foliorum ambitiosa luxurie; ramorum amplitudine, & fructu ne belluis præbere possit perfugium, & vmbram; neque cœli volucribus nidorum opportunitatem. Hoc planè indicat, quod se Rex ipse audiisse ait vers. 14. *In sententia vigilum decretum est, & sermo sanctorum, & petitio.* Quasi dicat, communi vigilum consulto decretum esse, vt quod rogarat vigil, seu Angelus actor, exitum haberet, & successum intentum. 26.

Hîc nobis videndum, quænam sit hæc sententia, seu decretum, quod in regia causa latum est à vigilum consessu. Primùm existimo Scripturam sacram, seu Spiritum sanctum, qui illius auctor est, ad hominum vsum, & sensum tam somnium, quàm vigilum decretum accommodasse. Cùm enim hoc iustissimum Dei decretum fuerit, eam seruari voluit in inferendo supplicio formam, à qua fraus omnis, & iniquitas abesse solet, certè qua nullam deliberandi rationem meliorem, & æquiorem homines inuenerunt. Vocatur enim res ad iudicium, in quo vigiles, id est, iudices sedent, qui ideo à profanis vigiles, seu vigilantissimi dicuntur, quia diligenter excubant, ne quid iniustè, aut irreligiosè fiat: proponitur actor, seu accusator, qui alterius deferat nomen, & iudicum fidem, & legum seueritatem imploret. Id totum hîc habemus, vt vides in Regis causa. 27.

Legitimum Dei iudiciũ.

Porrò esse vigilum consessum in cœlo, accommodatè, vt dixi, ad hominum sensum, (cùm tamen vigiles non tam ipsi, quàm Dei explorent voluntatem, & ab illa expectent quid faciendum sit) ex multis aliis Scripturæ sacræ locis obseruari licet. Iob cap. 1. v. 6. Concilium videtur aduocatum Angelorum. *Quadam autem die cùm venissent filij Dei* (quos esse Angelos communis est sententia) *vt assisterent coram Domino: affuit inter eos etiam Satan.* Quem verò hîc Scriptura *Dominum* appellat, Athanasius Angelum esse putat, qui concilio præerat, & per quem Dominus ipse loquebatur 28.

Angelorum in cœlo consessus, & concilium.

Diabolus quomodo astat Deo.

tur. Ipsum audi, ad Antiochum quæstion.8. *Cùm ex cœlò diabolus prolapsus sit, quomodo scriptum est in libro Iob, quod ingressi sunt Angeli Dei, vt starent in conspectu Dei, & in medio eorum diabolus? Responsio. Non dicit Scriptura quòd in cœlos Angelus venerit in medium Angelorum. Manifestum igitur est quòd in terra. Etenim vbicumque sunt Angeli, astant Deo. Verùm sciendum est, quòd per sanctum aliquem Angelum diabolo est Deus locutus. Quemadmodum etiam Reges per hominem aliquem intermedium.* Idem in hunc locum Iob, tenent Olympiodorus, & Hugo. Idem etiam dicendum de illo Angelorum concilio, quod lib. 3. cap.22. coactum est contra Achab. *Vidi*, inquit Micheas, *Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris, & a sinistris. & ait Dominus, quis decipiet Achab, vt ascendat, & cadat in Ramoth Galaad? & dixit vnus verba huiuscemodi, & alius aliter.* Sic ergo nunc concilium Angelorum coactum est contra Nabuchodonosor, & contra illum senatusconsultum graue scriptum est, sicut aliquot antè sæculis contra Regem Achab.

30. Secundò videndum quámnam causam vigil ille spiritus proposuerit vigilum consilio cur arbor illa sublimis excindi debuerit. Non, credo, admodum errauerit, qui tam hunc vigilem, quem clamantem audiuit Nabuchodonosor, quàm vigiles alios, quorum decreto damnata est securibus arbor illa sublimis, Angelos esse custodes; sic sanè putat hîc S.Thomas. Quòd si ita est grauis est sententia pro moribus. Inuigilant Angeli, ne quid animæ suo patrocinio, ac fidei commendatæ ab improborum exemplo detrimenti capiant. Cùm autem virorum illustrium, atque potentium perniciosa sint exempla, quia non solùm ipsi pereunt; sed quasi spiritum inhalant pestilentem, in idem alios exitum trahunt; clamant contra illos Angeli de animabus suæ tutelæ creditis solliciti, dicúntque, *succidite arborem.* Vt enim belluæ sub ramis illius arboris vmbram habent, & commoda latibula, vbi exercere possint impunè prædas, & infirmiorum exaturari sanguine: sic scelerati homines malo Principum exemplo muniti quidlibet audent, cùm id à Principe punitum iri non metuant; neque sibi dedecori futurum putent, quod vident à Principibus esse susceptum. Quare optimè, & ad hanc sententiam opportunè subiicitur, *Fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius.*

Angelorum custodum contra scandalosos oratio.

Potentium hominum scelera noxia aliis.

31. Illud etiam pro moribus valde facit, quòd in ramis huius arboris conuersari dicuntur volucres cœli, & suos ibi nidos construere, vbi & oua pariant, deinde incubitu foueant, & tandem pullos excludant, & nutriant. Id planè quotidie faciunt viri quos malorum Principum nutrit aula, & fouet auctoritas; hi enim pariunt cogitationes & sibi, & infirmiori populo noxias, illis incubant, fouéntque calore ex Principum gratia, atque auctoritate concepto: ac tandem quicquid mente conceperant, & assiduitate fouerant, excludunt, id est, oua rumpunt aspidis, ex quibus id assequuntur, vt occidat eos lingua viperæ, Isai.cap.59. vbi verò excisa fuerit hæc arbor, aufugiunt volucres, & feræ; id est, eripitur aliis aut materies, aut fomenta libidinis.

In principum fauore, atque aula fomenta peccatorum.

32. Hæc mihi non omnino displicent, suspicor tamen magis ad textum, filúmque totius histo- A riæ facere; si dicas eo nomine accusari Regem à vigili siue Angelo, quòd de se nimis sentiat, & loquatur superbè, & quòd talem se putet, qualis exprimitur in arbore, nempe quòd potens sit, qui latè toto dominetur orbe, quod indicant rami ad extremos vsque terræ fines diffusi; & quòd diuinum in se aliquid habeat, immò & quòd sit quod indicat cacumen ad cœlorum vsque conçaua sublatum. Neque enim abiurat cogitationem priorem, quando aurea excitata statua in Deorum numerum referri voluit; aut illam postquam abiecisse videbatur homo inconstans, & varius, stultè reuocauerat. Id verò duo mihi persuadent: B primùm, quia id non obscurè docet ipse Daniel cap.5. v.20. Cùm enim Baltasaris Regis filij superbiam argueret, sic ad illum loquitur: *Quando eleuatum est cor eius* (Nabuchodonosoris) *& spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est, & à filiis hominum eiectus est: sed & cor eius cum bestiis positum est.* Deinde quia decretum iuxta actoris petitionem ferri debuit: at hoc eò spectat, vt superbi hominis spiritus deiiciat, & Deo cui seipsum æquarat, aut superiorem fortasse censebat, ceruicem summitteret, illíque laudes, honorésque diuinos impenderet. Hoc verò fuit vigilum decretum. C *Vt cor feræ detur ei, & septem tempora mutentur super eum. In sententia vigilum decretum est, & sermo sanctorum, & petitio: donec cognoscant viuentes, quoniam dominatur excelsus in regno hominum.* Et quidem supplicium, quo homines ad bellvarum naturam, & ingenium abiiciuntur, illi sceleri imponi debuit, quo homo aliquid se habere putat supra homines; neque de se quicquam cogitat nisi diuinum, aut diuino proximum.

Nabuchodonosorù castigata, & humiliata superbia.

Supplicium quod debitũ superbis.

Vers.20. *Attamen germen radicum eius in terra dimittite.*] Pro germine Chaldaicè est עקר *ikar*, quod *stirpem* seu *fundamentum* valet: hoc verò loco, vt opinor, germen actiuè ponitur, pro D eo quod germina ex se fundit, quod stipitis proprium est. Dicitur verò stirps, seu germen radicum, quia radicibus nititur, & nihil ferme præter radices habet. Aliæ translationes *fundamentum*, seu *stipitem* conuertunt. Erit ergo sensus, arborem ita succidite, ne quid extet à terra; sed tantùm ex ea stirpem relinquite, eámque in terram dimissam; ex qua postea definito tempore germen effundat. 33.

Et vinciatur ferro, & ære in herbis foris.] Dubium est, an inducta seruetur allegoria de arbore florenti priùs, atque procera; deinde succisa, atque deformi: vel certè ab allegoria traducatur oratio ad illud quod allegoricus sermo designabat. Si allegoriam pertexi, atque con- E tinuari putes (quod fortasse à rerum natura alienum non est) obserua ferrum, & æs valde esse omnibus ferme plantis inimica; vsqueadeo, vt si ferrum infigi arboris trunco, aut eò distringi, ac scindi arborem contingat, senescat aliquando, ac pereat, vt sæpe experti sunt, qui rem hortensem, atque arborariam tractant, à quibus ego didici: Qui alieno trunco alterius generis surculum inserunt, diligenter sibi cauent à ferro; quia noxium agnouere plantis, & alterius generis vtuntur instrumento in arboribus incidendis. Sanè arbor illa quæ in Iudæa sudat balsamo, si à ferro aliqua ratione vulneretur, breui pòst moritur, vt docet Plinius lib.12. c.25. 34.

Ferrum inimicum arboribus.

&

& ex eo Solinus in Polyhistoria cap.38. qui sic de arboribus, quarum Balsamum est nobilis prouentus. *Similes*, inquit, *vitibus stirpes habent: malleolis digeruntur, rastris nitescunt, aquis gaudent, amant amputari, tenacibus foliis sempiterno inumbrant. Lignum caudicis attrectatum ferro sine mora moritur: ea propter aut vitro, aut cultellis osseis, sed in solo cortice artifici plaga vulneratur, ex qua eximiæ suauitatis gutta manat.* Sic fortasse alligari iubetur ferro stipes iste, in terram demissus, vsque ad definitum tempus à vigilum decreto, ne germinet, nempe regnum, aut aliquid aliud, quod exauctorato Regi futurum sit gloriæ.

Balsami arbor ferro non tangenda.

35. Sed sine dubio hîc allegoria deseritur, & ad veritatem sermo traducitur historicus, vt est communis interpretum sensus. Et quidem reliqua ægrè admodum trahi possent ad institutam allegoriam, quæ nullo modo in arboris naturam conueniunt. Tunc autem varius est sensus, & explicatio multiplex. Quidam in vinculo ferreo vim duram, atque constantem significari putant, quæ aliquem ab eo loco, cui alligatus est, excedere non sinit; sicut leo à columna, cui ferrea catena alligatur, renitens licèt non abscedit; & qui in custodia constrictus est ferro, claustra seruat inuitus. Sic Nabuchodonosor alligatus dicitur ferreo vinculo in herbis, & iumentorum pabulo, quia ab illo non recedet; & herbis pecorum more vitam aliquando propagabit; & in agris non aliter, atque syluestres feræ stabulabitur. Tunc verò nota subauditur similitudinis in hunc sensum: Sic ille morabitur in ferarum pascuis assiduè, sic erit affixus fœno, quod foris est, id est, in agris, quasi eo in loco constrictus esset vinculis ferreis.

36. Ego hîc aliquid aliud videre mihi videor superbissimi hominis accommodatum ingenio, cuius stupori cæcus quoque furor adiungitur. Quod docuit Chrysostomus homil.39. ad populum. *Magnum est*, inquit, *elationis malum: stultum esse melius est, quàm insolentem. Illic enim stultitia tantùm est, mentisque tarditas; hic autem stultitia quadam est, & fatuitas cum furore. Stultus sibimetipsi malum est; elatus & aliis pestis. Ex amentia hoc vitium nascitur: non potest esse superbus, qui fatuus non sit.* Et paulo inferiùs, *Necesse est superbum, & contumeliosum esse, percussorem, & iracundum, & amarum, & tristem, magis feram, quam hominem.* Cùm ergo Rex iste superbissimus esset, necesse est ex sententia Chrysostomi, vt stultissimus esset, & furiosissimus. Quare vt stultus belluarum more fœno pascitur; vt furiosus ferreo constringitur vinculo, quod faciunt qui belluas tractant præferoces, quibus belluinum curant pabulum, & funes iniiciunt, & vincula ferrea.

Superbus, furiosus, & fatuus.

37. *In herbis foris.*] Ostendit quo in loco vinciendus sit ferro, id est, alligandus belluino pabulo, nempe in pratis, locisque syluestribus; non in stabulis, aut præsepibus, vbi domestica aluntur iumenta, à nocturno, aut matutino rore, & cœlorum inclementia secura; id enim valet, *in herbis foris*, id est, in herboso prato, quod extrà est, & ad suburbana pertinet ciuitatis; inter alia nimirum pecora, pro quorum pabulo suburbana illa pascua destinata sunt. Quod statim explicat magis cùm dicit, *Et cum feris sit pabulum eius:*

38. *Et rore cœli conspergatur.*] Hæc magis superiora confirmant. Rore cœli spargi dicitur, qui subdiu cubat, aut pernoctat, aut quoquomodo sub aperto cœlo noctem agit. Sic sponsus qui noctu ad sponsam venerat, à rore quem à nocturna pruina collegerat, suum studium, ac sollicitudinem commendat. Cant.5. *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Sic Anacreon ode 3. inducit adolescentem rore madidum, & illum è cincinnorum fimbriis detergentem, quo significat illum sub diuo pernoctasse. Nihil ergo aliud est spargi rore, quàm in agris, locisque syluestribus vagari sub cœlo, siue, vt dixit ille, *sub Ioue frigido.* Græcus vno verbo explicat, *αἰθριοκοιτεῖ*, id est, *cubat sub æthere.*

Rore aspergi quid.

39. *Donec septem tempora mutentur super eum.*] Quidam, vt hîc Theodoretus docet, tres annos hîc numerant cum dimidio; quia ex solari curriculo duos conficiunt annos, alterum hyeme; alterum æstate definiunt. Hæc nos pluribus in nostris commentariis super Zachariam ad illud cap.14. *In æstate, & hyeme erunt.* Sanè Plinius lib.7. cap.78. à quibusdam populis annum nostrum in duos annos diuisum esse tradit. *Annum*, inquit, *alij æstate vnum determinabant, & alterum hyeme.* Iuxta horum sententiam septem tempora tres annos efficiunt cum dimidio.

Annus noster olim in duos diuisus.

40. Sed est omnino vera, communisque sententia in septem temporibus totidem annis numerari. Quòd enim tempus in Scriptura idem sit, quod annus, multa probant, & nos plus satis super Ezechielem cap.39. num.35. & docent communiter Patres, & interpretes ad illud Danielis cap.12. v.7. *In tempus, & tempora, & dimidium temporis*, quod statim magis explicuit, cùm dixit, *Dies mille ducenti nonaginta.* qui tres annos cum dimidio complent. Neque est verisimile eundem Prophetam aliter hîc, quàm illic significationem temporis accepisse. Mutari autem septem tempora nil aliud est, quàm septem esse temporum, id est, annorum conuersiones; id est, reditus, atque anfractus illius orbis, qui per zodiacum, id est, signiferum circulum solem circumfert.

Tempus idē quod annus.

41. Vers.22. *Eiiciem te ex hominibus, & cum feris, bestiisque erit habitatio tua.*] A quo eiectus fuerit, & ab hominum conuictu separatus Nabuchodonosor, non significat Propheta; neque ab aliis aliquid adducitur, quod curiosi lectoris studio satisfaciat. Theodoretus ab hominibus ideo dicit eiectum, quia furore quodam, & rabie correptus, infinita aliis intulisset mala, si inter homines cum potestate moraretur. Item quia odiosus erat omnibus, & illum si non omnino de medio, at de suo conuictu sublatum esse cupiebant. Sed quàm sit infirma hæc ratio, quis non videt? Si furore ille, ac rabie correptus, insanus bacchabatur, & timendus omnibus, satius erat multo domi continere constrictum vinculis, quàm liberum, & solutum per syluas vagari, vbi libertas maior, & minus perfugij, ac defensionis illis, qui rabido in syluis, & ferocienti obuiam occurrissent. Deinde quia si animo essent in Regem hostili, multo satisfecissent magis odio suo: si constrictum illum vinculis tenerent, quàm si solutum, ac liberum, quocumque vellet, vagari permitterent.

Nabuchodonosor cur, & à quibus è regno expulsus.

Ego

42. Ego ex dicendi modo non colligo ab hominibus vi, aut imperio fuisse in syluas eiectum, aut eô, vbi nihil cum hominibus posset habere commercij. Illud enim *eiicient* iuxta Hebraicum, atque Chaldaicum idioma, nihil est aliud, quàm *eiectus est*. Quod imitatus est Hispanus, qui eodem modo diceret, *echarte han*, quod nihil est aliud quàm *eiicieris*. Eiectus est igitur in syluas Rex, non ab alio, quàm à furore suo, & amentia, quæ neque pati potuit hominum commercia, neque in eo viuere loco, quem suæ naturæ deberi non putabat. Mutatum est enim illi cor ab humano, vt habes suprà vers. 13. & statim vers. 31. ipse fatetur redditum sibi fuisse cor antè sublatum. Quòd si sensus, & cor mutatum est ab humano, id est, si se hominem esse non putabat, sed belluam, quid mirum si domos horreret hominum, & ferarum expeteret latibula, & illarum delectaretur pabulo. A nullo itaque alio, quàm à sua cogitatione eiectus; sicut fera tunc bene secum actum putat, si ruptis vinculis, ad solitudinem redeat; & auis è cauea ad syluas euolet læta, licèt in cauea hominum beneficio rebus abundet necessariis. Sic de philomela, & progne Ouidius,

Nabuchodonosor se ferã putabat.

Cùm bene sint clausæ caueæ Pandione natæ,
Nititur in syluas quæque redire suas.

Sic Nabuchodonosor licèt rebus omnibus, non solùm ad necessarios vsus, sed etiam ad delicias abundaret; quia tamen se ferum esse, & in syluis natum existimabat, ad syluas, & ferarum pastum, atque conuictum toto animo, ac studio rapiebatur.

43. *Fœnum vt bos comedes.*] Ex eadem cogitatione natum est, vt fœnum expeteret, & pecorum pascua; quæ licèt stomacho lautiùs, & delicatiùs instituto minus esset grata, aut parum ad vitam retinendam opportuna; tamen vbi ferinus esset inditus spiritus, ferinum pabulum neque horrori erat, neque admodum valetudini contrarium. Qua de re postea pluribus, vbi ad ea quæ contra huius historiæ fidem ab aliquibus obiiciuntur, respondebimus.

44. *Donec scias quòd dominetur Excelsus.*] Huc spectabat tota hæc rerum vicissitudo, vt regius animus plus satis inflatus humilius de se, quàm antea sentiret: & Deum summum, vnúmque imperatorem esse cognosceret, qui & regna dare potest, & adimere. Quod ipse tandem Rex post illa septem annorum infortunia confessus est, vt ex fine huius capitis abundè constat.

45. Vers. 23. *Quod autem præcepit, vt relinqueretur germen radicum eius, id est, arboris, regnum tuum tibi manebit.*] Quid sit *germen radicum*, explicuimus suprà, id est, stirpem imam, seu fundamentum arboris, ex qua pullulant germina. Quid verò significet *stirps relicta*, obscurum non est, nempe non omnino excisam esse arborem, quæ Regis amplitudinem, & maiestatem exprimebat; quia futurum erat, vt sibi post septennale spatium redditus, regno quoque restitueretur, ex quo exciderat: vbi tamen priùs cognouisset, essétque publico testimonio testatus Deum esse Regem, & ab illo regnum obtinere quoscumque inter homines dominari contigerit.

46. Vers. 24. *Peccata tua eleemosynis redime.*] Magnum planè medicamentum est à misericordia, de qua multa Scriptura prædicat, quæ tu vide apud alios, neque enim res est vsque adeò ab aliis aut omissa, aut contempta, vt non mille in locis occurset non quæsita. Illud hîc obseruandum præcipuè eleemosynam Regi à Daniele commendari; quia ille multa contra humanitatem, & misericordiam peccauerat, percutiebat enim, & occidebat, atque etiam humiliabat, quos sibi collibuisset, vt habes cap. 5. v. 19. quæ omnia ab animo sunt inclemente, quia, vt hic ausus est, contrà quod clementiæ, atque humanitatis ratio exigebat à Principe; sic etiam alia & cogitasse animo, & reipsa præstitisse, quæ barbariem quandam, & inclementiam olent, non est incredibile. Qualia sunt alienas eripuisse facultates, & commoda, & quo ipse magis adolesceret, aliorum exhausisse, atque bibisse sanguinem. Quare contraria iubet contrariis obtendi, vt sua largiatur, qui aliena rapuerat, & illos suo foueat in sinu, quos priùs à sua humanitate repulerat. In hac penè sententia Theodoretus.

Eleemosynis illi maximè peccata redimũt, qui raptores fuerunt, & inclementes.

47. Porrò peccata, sicut alibi centies, pro peccatorum supplicio posita sunt. Ita indicant Hieronymus, & Theodoretus, & cum illis è Recentioribus frequentes alij. Redimere autem peccata, id est, pœnas ab offensione diuina iam impendentes, nihil est aliud, quàm opposito maturè remedio, quasi interposito pretio illas declinare. In hunc sensum accipit Augustinus illud ad Ephesios 5. *Redimentes tempus.* serm. 24. de verb. Apostol. & S. Thomas in illum locum; ait enim à litigantibus sumptam esse metaphoram, qui impenso pretio dicuntur vexationem redimere, id est, molestiam, dedecus, aut supplicium effugere alicuius lucri, seu commodi iactura. Qua ratione qui dedecus timet à iudicibus, qui plagas, aut laqueum pecuniis rem aggreditur, profusísque largitionibus aditum sibi paret ad veniam. Qui loquendi modus à Latinorum consuetudine alienus non est. Sic Tullius velle se dicit calamitatem publicam priuatis incommodis redimere. Sic quidam ex Poëtis,

Redimere peccata quid.

Pro anima quid vis subeundum.

Vt corpus redimas ferrum patieris, & ignes
Arida nec sitiens ora lauabis aqua.

Ac si dicat, vt corpus à tabe, atque putredine liberes, & declines illud, quod malorum omnium summum existimatur, nempe mortem, ferrum subis ab igne candens, & duram tormentorum excarnificinam. Sic ergo monet nunc Propheta Regem, cui iam longum à Deo, & ignominiosum impendebat supplicium, vt pecuniarum largitione illud redimat, atque declinet. Quia vt inclementia, & durities animi iudicis acuit, & accendit iram: sic misericordia, & lenitas eundem ad misericordiam, & lenitatem inflectit.

48. *Forsitan ignoscet delictis tuis.*] *Delictum* hoc etiam loco supplicium videtur significare, sicut *peccatum*, & *iniquitas* proximè: tunc verò sensus erit, ostendet Dominus dimissa tibi fuisse peccata cohibendo vltricem manum ab inferendo supplicio, quod tibi comminatus est. Est autem in Scriptura frequens, vt id facere dicamur, quod aliquo signo factum esse ostendimus. Sic Deus recordatus dicitur alicuius, cùm tamen in illum obliuio cadere non possit; quando

REGVLA. *Id fecisse dicimur, quod aliquo signo factum esse ostendimus.*

do illum aut castigat, aut à vexatione liberat; quia illud signum est diuinæ memoriæ. & Isaiæ capite 49. Christus exauditus dicitur a Patre in tempore placito, cùm tamen semper illum audierit, vt Christus ipse docuit Ioan. 11. vers. 42. quia ostendit Dominus eo tempore signo manifesto exauditum esse Christum. Sic Dominus auertendo supplicium, quod in spectro cognouerat Nabuchodonosor, ostendet ignouisse se illius peccatis propter eleemosynas, quas admonitus à Daniele largè profudisset. Tunc verò supplicium hoc sic est prædictum, vt tamen in eo sit subintelligenda conditio, quæ in aliis quoque minis necessariò subaudienda, vt in denunciato Niniues exitio, Ezechiæ morte. Ita putat Hieronymus; quod fortasse non ignorabat Propheta cùm dixit, *Forsitan ignoscet.* vt etiam putat Hieronymus. Sed fortasse delicta hoc loco simpliciter significant culpam: tunc autem quia ignorabat Propheta, an satis se Rex ad veniam disponeret, dubitantem illam particulam adhibuit, *Forsitan ignoscet*; aut certè de venia certus, de remissione supplicij dubitat; neque enim semper cum culpa, supplicia quoque culpæ debita remittuntur.

REGVLA. *In minis sæpe intelligitur cōditio.*

49. Vers. 26. *Post finem mensium duodecim in aula Babylonis deambulabat.*] Vide quàm sit Deus ad vindictam tardus; qui tam est ad misericordiam festinus, & pronus. Satis laxum spatium dederat, vt Danielis obsecutus consilio intentum in se furorem auerteret: iam enim à supplicio proposito duodecimus fuerat exactus mensis; neque tamen in regium caput ab intento brachio inflicta fuerat plaga. Sed ille sui semper similis aut parere noluit Prophetæ consiliis; aut cùm timore perterritus, de meliori fruge cogitasset, paulo pòst à noua viuendi ratione defecit.

Deus ad vindictam tardus.

50. Hieronymus hîc, & habetur de pœnit. d. 1. quem sequuntur S. Thomas, Hugo, Dionysius, & Lyra, putat principio Regem distribuendis eleemosynis tandiu distulisse supplicium; pòst verò elatum superbia fructum amisisse misericordiæ. *Fecit*, inquit, *Nabuchodonosor iuxta Danielis consilium misericordias in pauperes, & idcirco vsque ad mensem duodecimum in eum est dilata sententia. Sed quia postea ambulans in aula Babylonis gloriatur, & dicit, nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui, bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ. Ideo igitur differtur sententia, ne videatur misericordia in pauperes minimè profuisse; sed statim vt locutus est per superbiam perdidit regnum, quod per eleemosynas conseruatum fuerat.*

Quomodo virtutum fructus superbia dissipet.

Misericordia laus.

51. Alij fortasse veriùs spatium hoc annuum Dei tantum humanitati, ac longanimitati attribuūt, qui expectare voluit Regem, quem priùs tam grauis supplicij terrore concusserat, vt culpam, quam in illo punire voluit, pœnitentia deleret: ipse tamen definitum pœnitentiæ tempus malè consumpsit. Cum Theodoreto etiam consentit Chrysostomus in Psalm. 95. & Cyprianus libro de opere, & eleemosynis, & Concilium Aquisgranense libro 2. capite 20. Adducit autem Theodoretus satis ad rem attemperatè illud ad Romanos 2. vers. 4. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiem tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Notandum hîc valde pro moribus, quod hîc docet Theodoretus, indicari à Propheta tempus diuinæ longanimitatis, quandiu videlicet expectandum esset tempus pœnitentiæ, vt eo transacto imponeretur destinatum antè supplicium. *Et cùm tantum*, inquit, *temporis ad resipiscendum datum fuisset, malè definitum pœnitentiæ tempus consumpsit.* Egimus ea de re in nostris commentariis super Zachariam ad illud capitis quarti, *Et misit massam plumbeam in os eius.* Vbi diximus ex Augustini, Chrysostomi & Cyrilli, & iterum ex Theodoreti sententia, expectare Deum peccatorem, differréque supplicium, donec certam, atque ipsi peccatori ignotam compleat scelerum mensuram. Quod etiam docuit Basilius ad illud capitis primi Isaiæ, *Populo graui iniquitate.*

Definitum à Deo pœnitentiæ tempus.

52. *In aula Babylonis.*] Chaldaice עלהיכל *aluechal*, id est, *super Palatium*, & ita conuertunt alij ferme omnes à vulgato. Ambulabat, opinor, Rex super tectum domus regiæ: erant enim apud Chaldæos, sicut etiam apud Hebræos tecta non fastigiata, sed plana; inde spectare poterat ciuitatem illam, ædificiis illustrem, multitudine infinitam, quæ prouinciæ cuiusdam instar obtinebat. Ex cuius contemplatione id consecutus est, vt inflaretur spiritu, & antiquas cogitationes repeteret: quibus aliquid sibi diuinum tribuebat, aut aliquid inesse sibi supra reliquos homines existimabat.

53. Vers. 27. *Respónditque Rex, & ait.*] Respondeo ex vsu Scripturæ adhiberi solet etiam dum alterius non præcessit interrogatio: quare sæpe sermonem orditur, sicut Matthæi capite 11. vers. 25. *Respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi Pater.* & capite 17. *Respondens autem Petrus dixit ad Iesum: Domine bonum est nos hîc esse.* Neque aliud puto hîc à Propheta significari. Sunt qui dicant respondisse Regem tacitè alicui cogitationi, quam ipse secum versabat. Cogitabat enim tacitus, quod duodecim antè mensibus & audiisset ipse per quietem, & à Daniele diuinorum consiliorum interprete didicisset. Cúmque ante illum fortasse rerum articulum in metu fuisset, exspectans horribile illud fulmen aliquando in suum caput vibratum iri; tunc autem ingentem illam, & pulcherrimam molem contemplatus negligere cœpit cœlestes minas, sibíque ad resistendum satis esse virium, atque præsidij arbitratus est. Prospectabat autem è sublimi loco quemadmodum ipse acceptam à parentibus vrbem nobilitasset, & ornasset operibus, vt supra ingentes moles, quas ipse immanibus sumptibus excitarat, hortos conseuerit pensiles, immò & syluas: ita vt qui procul spectarent vrbem illam regiam, syluam se potiùs videre crederent, & ferarum lustra, quàm hominum domicilia. Sic autem hæc secum reputans, vehementer intumuit, vt animos assumeret antiquos; & ex insana illa constructione eò eruperit insaniæ, vt dixerit: *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?*

Respondeo idem sæpe quod dico.

54. Hîc dubitare quis posset, an verè dixerit Nabuchodonosor ædificatam à se fuisse Babylonem. Nam si antiquas consulas historias, multò ante Nabuchodonosoris ætatem ædificatam, & amplificatam inuenies. Sanè Moyses Genesis cap. 10. ædificatam indicat à Nembrot. *Fuit autem*

Babylon à quo cōdita.

principium regni eius Babylon. & Paulus Orosius lib.2.cap.6. tradit eam fuisse multorum sententiam. Græci sanè illius vrbis auctorem Semiramidem putant, & fatetur Hieronymus in cap.2. Oseæ, vbi adducit illud Ouidij Metamorphos. lib.4.

——— vbi dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem.

Et hoc videtur magis ad veritatem. Quòd au-
55. tem Rex ædificatam à se superbè prædicet, duas ego causas inuenio, altera est ipsius Regis inflatus animus, cui adiunctus est plerumque stupor, quo sibi aliorum labores, & sumptus tribuebat; neque verecundabatur adscribere sibi ingens illud opus, & toto mūdo celeberrimum; quod omnibus ante illius ortum ædificatum, ac celebratum esse constabat. Altera causa est, quia ipse multis ornauit modis, atque amplificauit ciuitatem, vt docet Berosus apud Iosephum libro 10. Antiq. cap.11. & lib.1. contra Appionem, vbi præter alia publica, & sacra ædificia, hortos numerat pensiles eius magnitudinis, vt pro miraculo meritò habeantur. Hæc ratio satis videri potuit grauis, vt ædificata dici potuerit ciuitas à Nabuchodonosor. Sic sanè videtur indicare Hieronymus in illud Isaiæ cap.47. *Non est solium filia Chaldæorum.* Neque inusitatum est, vt aliquid factum dicatur ab eo, à quo instauratum, seu amplificatum est. Roma primùm ædificata fuit ab Euandro, de quo Virgilius lib.8. Æneid.

A Nabuchodonosor amplificata, & ornata Babylon.

Regvla. Aliquid factū dicitur ab eo, à quo amplificatū, seu instauratum est.

Tunc Rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

Sed quia illam rudem priùs, & exiguam muniuit, & auxit Romulus, communiter ab omnibus auctor illius existimatur. Neque in Scriptura sacra desunt exempla: nam Ramesses ædificata dicitur à filiis Israël Exod. cap.1. cùm tamen eius mentio fiat Genes.47. Et iuxta translationem L X X. etiam Heliopolis, cùm tamen ante aduentum Iacob illius sit auditum nomen Genes.41. Hæc ratio liberare posse videtur Nabuchodonosor ab ambitioso mendacio; licèt non admodum laborandum sit interpreti, vt ab eius supplicio vendicet hominem stupidum, insolentem, & barbarum.

56. Vers.28. *Cúmque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit.*] Insolentem fuisse oportet vocem illam, quæ tam citò in eius auctorem fulmen illud extorsit: nondum enim ventosus Regis animus efflarat, quod ab inani cogitatione conceperat; adhuc erat in ore ambitiosus ille sermo, qui spiritus expromebat arrogantis, & desipientis animi, cùm vox alia auditur de cœlo, quæ voci illi superbæ, ac fatuæ quàm aptissimè, & meritissimè ex aduerso respondet. Hæc porrò vox ruere dicitur potius quàm sonare, aut audiri de cœlo, quia tonitrui instar fuit, cum quo simul vibratur, & excutitur fulmen. Ex voce hac videtur coniectura sumi non leuis, cogitasse tunc apud se Regem illum, nihil iam esse curandum de superioribus minis, salua esse omnia ei, qui tantam molem aut construere, aut ornare, & amplificare potuit. Atque ideo opportunè subiicitur:

57. *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex.*] Dixerat fortasse Rex ille insanus tacitus apud se, cùm molem illam ingentem, & speciosam è sublimi loco despectaret. *Nónne ego sum Nabuchodonosor Rex, cuius imperio ciuitas hæc, & totius orbis pars nobilissima subiecta est: quis mihi aduersum aliquid, aut ignominiosum obnunciare, aut audebit, aut poterit? Aut quid ego passus sum à Daniele impune mihi aliquid aduersum fuisse prædictum, quasi tanta potentia aliquid accidere potuerit aduersum? Enimuero si quis deinceps aliquid mihi obtruderet eiusmodi, non feret impunitum.* Hæc aut similia meditabatur secum Rex ille superbus, & fatuus, cùm totidem verba occini sibi audit à maiori potentia à vigilibus credo, à quibus, vt suprà vidimus, decretum exierat, vt priuaretur regno, & inter feras ageret, neque alio sustentaretur pabulo, quàm quo pascuntur boues. Quare in singulis verbis aliquid est, quod ἐμφατικῶς singulatim expendi, atque examinari debeat. Illud *tibi* respondet, opinor, illi voci, qua dixerat, mihíne vt quisquam aduersi aliquid obnunciare audeat? Illud *Nabuchodonosor Rex*, illi, *Nónne ego sum Nabuchodonosor Rex?* Et quæ sequuntur, quæ etiam ille cum stomacho repetebat, iterum iisdem verbis aggeruntur, quasi res dicatur certissimè successum illum habitura, quem ex arboris spectro, & postea ex Danielis interpretatione antea cognouerat.

Supplicium meritis attemperatū.

Vers.29. *Regnum transibit à te, & ex hominibus eiicient te,* &c.] Enumerat verba, quæ à vigilibus audierat priùs, & iterum à Daniele, & ita docet statim omnia fuisse completa. Quæ quia iam à nobis exposita sunt, hîc nihil addemus ad superiora. 58.

Vers.30. *Donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.*] Quia Aquila auium Regina est, & maximè nota, ideo puto hoc loco illam omnium maximè fuisse nominatam. Neque enim video cur ab Aquila potiùs, quàm à multis aliis auibus duci similitudo debeat, cùm omnes tegantur plumis, illisque pro corporum mensura, non minus quàm aquila, prolixis. Comparatur igitur Rex maximus, cum Regina item maxima volucrum: vt enim illa plumis tegitur longis; sic ille longo illo tempore crescentibus, ac defluentibus capillis tegebatur. Sed credo cum aquila comparari Regem; quia aliis etiam in locis similitudinem dicitur habuisse aquilæ. Neque id, credo, Rex ignorabat, sic Ieremias cap. 48. v.4. & cap.49. v.22. illum appellat aquilam; sic Ezechiel cap. 17. aquilam vocat. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate.* Hùc videtur spectasse Propheta, dum ait illum verè tunc habuisse aquilæ similitudinem; non quidem vt Ezechiel antè docuerat, instructum exercitum, & eximia varietate cōspicuum, sed capillis deformem, immo ferinum in modum ita fluentibus, sicut vastè demittuntur, & fluunt aquilinæ plumæ. Neque est incredibile verba Ezechielis, vtpote illustria, crebrò à Nabuchodonosore inter suos vsurpari solita: quare vt sibi aquilarum pennas tribuebat ad speciem, & gloriam; sic modò illi attributæ dicuntur ad deformitatem, & ignominiam. Vnde apparet quàm Regis illius cogitationibus attemperatum fuerit à Domino supplicium. Docet autem hîc sanctus Thomas non solùm in capite capillos; sed toto corpore pilos in aquilarum similitudinem excreuisse, idem etiam tenet Hugo. 59.

Aquila in multis similis Nabuchodonosor.

Et vngues eius quasi auium.] Sicut neglectus, & intonsus capillus in aquilarum similitudinem diffusus est; sic etiam septennali spatio vngues nunquam resecti sic excreuerunt, vt volucris putares, 60.

putares, non hominis vngues. Dignum sanè supplicium, vt qui vngues habuerant olim, & expeditas ad prædandum manus; inutiles haberet postea etiam ad corporis vsus necessarios. Prælongi etenim vngues, qui manus contrahi non sinunt, impedimento potius sunt homini, quàm

Sinarũ vngues longi. vsui. Cui. rei argumento sunt apud Sinas nonnulli, qui manus habent ad plurimas functiones inutiles, quia vngues non resecant, atque ideo in pugnum manus complicari non possunt.

61. Vers. 31. *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi.*] Septem annos belluarum more in syluas egerat Nabuchodonosor, in quibus non altiora, quàm expers rationis pecus cogitabat, vt qui se belluam existimaret, & belluinas omnino cogitationes haberet; neque enim aliud aut cogitabat secum, aut quærebat aliud, quàm quod naturæ seruiret sentienti, quasi abiectum haberet vultum ad pastum, & ventri se totum addixisset. Exacto verò septẽnio humana mens, quæ ab illo excessisse videbatur, restituta est, & qui priùs ab homine degenerarat in belluam; à bellua rursus restitutus est sibi, & quasi iterum conuersus in hominem.

62. Leuasse dicitur oculos in cœlum, quia priùs illos quasi pecus esset mutum in terram, & in pastum abiecerat. Hinc aliqui putant pedibus, & manibus quadrupedum more toto septennij tempore reptasse Nabuchodonosorem; quod probari mihi nunquam potuit. Sanè locus iste non admodum cogitationem illam confirmat.

Cœlum spectare quid sit. Nam spectare cœlum dicitur, non qui cœlestem intuetur machinam syderibus illustrem, & quæ licèt nolis, tuis tamen oculis occurset penè necessariò: hoc enim modo belluæ etiam ipsæ, quantumuis hebetes, ac pronæ cœlos sæpe suspiciunt. Sed spectare cœlum est, in illo aliquid excelsum cognoscere, & ab illo aliquid aut timere aduersum; aut sperare opportunum, &
63. prosperum. Hoc sensu dicuntur homines non videre cœlum, licèt millies illud, & assiduè conspiciant; quia inde ad amanda cœlestia, & spernenda terrena non excitantur. Quomodo infrà cap. 13. vers. 8. de sceleratis senibus, qui Susannæ pudori insidiati sunt, scriptum est, *Declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Et Psal. 16. v. 11. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Quasi dicas, nihil de Deo colendo, ac metuendo cogitabant; aut nihil timebant, aut sperabant è cœlo. Hoc sensu homines dicuntur intueri cœlum, & ideo vultum habere sublimem, & erectum, quia cœlestia meditantur: belluas verò prono ad terram vultu fuisse formatas, quia nihil aliud amant, aut quærunt, quàm quod terra gignit ventri, cui vni seruiunt, opportunum. Sic Ouid. lib. 1. Metamor.

Pronaque cùm spectant animantia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlúmque videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Homo ad cœlestium contemplationẽ creatus. Quid verò Deus spectarit cùm sublimes homini oculos affixit, nempe vt ad cœlestia aspiraret, inferiora hæc & vilia contemneret; explicuit alius ex eodem Poëtarum grege, Claudian. lib. 3. de raptu,

Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum
Erexisse caput, pecudum si more pererrat
Auia?

Hoc, credo, modo leuauit oculos in cœlum

A Nabuchodonosor, humano nempe modo, vt ibi aliquid sublimius agnosceret, quod magnificeret, & coleret: nam belluino more millies quotidie viderat. Neque illi negatum esse credendum est, quod tardissimis etiam belluarum concessum esse nemo dubitat, modò oculos habeat, & videndi facultatem non impeditam.

Et sensus meus redditus est mihi.] Humanus nempe, qui ablatus fuerat, & pro illo belluinus additus. 64. Illud & rationalem arbitror esse particulam, quasi rationem reddat Rex, cur tunc primum cœlum aspexerit, humano nempe modo, quia nimirum tũc humanus sensus ipsi primùm redditus est. Quasi dicat, leuauit tunc oculos in cœlum, quia mihi sensus est restitutus, quem

B amiseram.

Et Altissimo benedixi.] Explicat quid sit eleuasse oculos, nempe ad benedicendum Domino: nam 65. alias ob causas millies antea quotidio leuauerat. Hoc verò est leuare oculos, dum secum oculi pariter spiritum leuant, & aliquid in cœlo, aut mirantur; aut amant quod nõ inueniunt in terra. Quæ verò sit illa benedictio, ipse Rex satis ostendit manifestè, quæ sanè eiusmodi est, vt in ea Christiana pietas nihil aut damnet, aut requirat; & ita verbis expressa dilucidis, vt nostra explicatione non indigeat.

Vers. 33. *In ipso tempore sensus meus reuersus est* 66.
ad me.] In illo nempe tempore, cùm illustrem illam confessionem edidit; neque enim in priori

C mente, seu potiùs amentia quicquã posset eiusmodi aut cogitare, aut loqui. Iam antea dixerat sensum sibi humanum fuisse restitutum; quod ideo dixit, vt omnes nossent veras fuisse minas, quandoquidem non priùs inter belluas esse desiit, quàm septem super ipsum tempora mutata sunt. Nunc verò iterum repetit; quia cùm numerat quæ ipsi bona post illam catastrophen restitutæ sunt, ne quid omitteret, ait sibi mentem esse restitutam, quod primò posuit loco: neque enim si mens abesset, ad regnum iterum rediisset, aut gratus esset suis, aut aliquo apud illos in pretio. Quòd si peccator amens est; neque enim si sanæ mentis esset, aliquid contra diuinam vo-

D luntatem, aut designaret animo, aut opere compleret; primùm optandum, vt quod fecit cum demente Rege, mentem auferat belluinam, & inserat humanam.

Et figura mea reuersa est ad me.] Hinc alij quidam colligũt mutatam esse Regis humanam 67. mentem cum forma; & talem aliorum oculis speciem obtulisse, qualem sibi amens inesse cogitabat. Qua de re postea peculiaris instituetur quæstio.

Et magistratus mei requisierunt me.] De hoc postea breuis erit quæstio, quomodo optimates illum in regnum vocauerint.

Vers. 34. *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo.*] 68.

E Hæc est solennis, & publica confessio, quam Deus ab ambitioso Rege exprimere illa septem annorum vexatione voluit. Principium valde consentaneum est fini; tam enim illic, quàm hic Rex ipse Nabuchodonosor loquens inducitur, & quid sibi prodigiosum acciderit, historico prorsus ordine persequitur. Scripsit autem restitutus iam menti, & regno, vt exploratum esset omnibus, & in regio capite compertum, Deo parere omnia, & penes ipsum solum esse potentiam, qua superbos deprimat spiritus, & cogat de seipsis minus altè sentire, & idipsum

 apertè

A apertè coram omnibus, & publica forma profiteri. Hæc de toto capite commentati sumus; plura hic occurrunt sanè difficilia, in quibus alij discutiendis neque leuem, neque inutilem operam posuerunt, illa nos inductis scholastico more quæstionibus exploremus.

69. Quæstio prima, an hæc historia vera sit, an fictio quædam allegorica, aut parabola. Non defuere, qui nihil hic agnoscerent historicum; sed tantùm confictam quandam parabolam ad explicandum animi superbi statum, & supplicium. Quomodo alij in Scriptura sacra reperiuntur allegorici sermones; in quibus cùm nihil audiatur historicum, admirabilis tamen ad mores doctrina continetur. Ita sensit Origenes, & qui illius placitis adhæscere, vt testatur hoc loco, & alibi Hieronymus, quos eo nomine duriùs accipit. Sentiunt enim in Nabuchodonosore casum describi Angeli, qui de cœlo, quasi de imperio lapsus, in belluinam degenerasse naturam visus est. Sicut in Rege Tyri ab Ezechiele cap. 28. & sub Rege Babylonis, qui fortasse fuit Nabuchodonosor ab Isaia cap. 14. descriptus est: & qualis à multis existimatur liber Iob, in quo descriptum esse voluit patientis hominis ingenium, & patientiæ mercedem, & præconia.

Nabuchodonosoris historia parabola à nonnullis fuisse creditur.

B

70. Neque rationes pro hac cogitatione videntur infirmæ. Primò, quia res tanta, támque prodigiosa, qualem fortasse nulla vidit ætas, non videbatur omittenda ab historicis, qui de rebus scripsere Chaldaicis. Deinde quia multa hic supra naturæ vires, multa contra fidem historicam dicta sunt, quæ nisi figmenta putes, & metamorphoses poëticas, intelligi non possunt. Vt quòd mutatus dicatur in belluam; quòd septem annos homo priùs in regiis deliciis enutritus nudus hyemes, æstatésque transegerit, pastus fœno, & cœlesti rore madidus. Quòd post statum illum ignobilem, & sordidum non solùm admissus fuerit; sed etiam quæsitus ab optimatibus in regnum, & mille alia eiusmodi, quæ non facile prudens animus, & curiosus admittet.

C

D

71. Sed nihilominus constans est, communísque sententia historiam hanc esse, non parabolam. Sanè vt aliquid historicum accipiunt antiqui Patres, & interpretes omnes tam nostri, quàm Hebræi. Tertullianus libro de pœnitentia, cap. 12. & libro de patientia, cap. 13. Cyprianus libro de opere, & eleemosynis, Chrysostomus in Psal. 95. Gregorius lib. 5. Moralium, cap. 6. & plures alij. Probat autem Hieronymus, quia eodem filo, ac modo hæc sunt à Daniele descripta, quo superiora; atque ideo si illa fidem habent historicam, non est cur his historicæ fidei pondus adimas. Deinde quia cap. 5. Daniel ipse Balthasari Nabuchodonosoris filio hæc eadem parenti ipsius contigisse dicit, & hæc omnia singulatim dinumerat: quod sanè non ageret nisi inutiliter, & otiosè, si non hoc verum esset, & notum. Et concludit vers. 22. *Tu quoque filius eius Balthasar non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia; sed aduersùs dominatorem cœli eleuatus es.* Nunc ad rationes breuiter.

Vera historia Nabuchodonosor.

E

72. Ad primam, multa sunt, quæ in Luciferi casum conuenire non possunt, vt acta septem annorum pœnitentia, reuersus sit sensus, quòd Deum laudauerit, quòd ad regnum post ignominiosum, ac sordidum statum reuocatus sit, quòd Danielem suum appellauerit collegam: quòd quo modo, aut sensu a dæmone dici potuerit, non apparet. Quòd Daniel hostibus Nabuchodonosoris optauerit accidere, quod somnium portendebat, quod de hostibus dæmonis, nemo sanus accipiet. Neque exempla Regis Tyri, ac Babylonis accommodata: nam reuera historicè tam quæ de Tyrio, quàm quæ de Babylonio narrantur, contigerunt; per accommodationem tamen sunt ad Luciferum translata, vt eo loco docent interpretum plerique. At quomodo quæ hic de Nabuchodonosore dicuntur, ad Luciferum accommodari possint, nemo, vt credo, videt.

Nabuchodonoser nō typus Luciferi.

73. Quòd verò res tanta à nullo ex profanis scriptoribus prodita sit annalibus, non vna ratio est. Prima, quia illa sæcula fuerunt illiterata: vnde pauca admodum, quæ Cyri ætatem antecessere, in antiquis habemus monumentis. Deinde quia licèt illa scripta fuerint, iniuria longissimi temporis, & artis typographicæ defectu perierunt. Habemus quidem fragmenta quædam scriptorum, qui res olim Chaldaicas historia persecuti sunt, apud Iosephum, & Eusebium, quæ & ipsa quoque interiissent, nisi essent posteriorum industria renouata. Sanè, vt auctor est Iosephus lib. 10. Ant. cap. 11. & lib. 1. contra Appionem, Berosus, & Megasthenes non pauca de Nabuchodonosoris prodiderunt historiis; sed illa omnia præter admodum pauca interciderunt, in quibus fortasse scriptum erat id, quod hic apud Danielem sacra prodit historia. Multi Hieronymi ætate scriptores legebantur, ex quibus Hieronymus docet illa esse sumenda, quæ aliquid lucis Danielis prophetiæ sunt allatura, in præfatione commentariorum in Danielem: at illorum nihil reliquum præter obscuram memoriam, Quis modò legit Suctorium, Hieronymum historicum externum, Callinicum, Possidonium, Theonem, Andronicum, & alios eiusdem ordinis historicos: at horum lectionem commendat Hieronymus illi, qui abdita Danielis arcana tentare voluerit. Sic puto illorum scripta, si qua fuerunt, interiisse, in quibus olim admirabilis hæc Regis tragœdia legebatur. Neque omnino deest aliquod illius vestigium apud profanum scriptorem in fragmento quodam, quod ex historia fortasse longa relictum est. Hic est Alphæus, de quo Eusebius lib. 9. de præparatione Euangelica, cap. vltimo. *Alphæus, inquit, de Assyriis, & Nabuchodonosor hoc modo scribit. Megasthenes, inquit, vir priscus Nabuchodonosorem Hercule robustiorem dicit fuisse, vniuersámque Libyam, caterámque Asiam vsque ad Armenios domuisse, quem Chaldæi dicunt, cùm in regnum suum rediisset, furore diuinitus captum magna exclamasse voce: Futuram, ô Babylonij, vobis ego calamitatem pranuntio, quam nec Belus ipse, nec vlla vis Deorum auertet. Veniet Persa semiasinus, qui vobis afferet seruitutem. His, aliisque huiusmodi dictis subitò euanuit.* Hæc Alphæus ex Megasthene.

Historia antiqua perierunt.

74. *Quis historiæ Nabuchodonosoris scriptor.*

75. Quod verò incredibile putant hominem regio educatum luxu sustentari posse ferino pabulo, & nudo corpore æstiui, atque hyberni temporis inclementiam ferre, non est adeò creditu difficile, vt ideo credendum sit historiæ sacræ deesse fidem. Cùm enim Deus sensum mutasset, & cor humanum in belluinum, aut belluino proximum conuertisset, illi etiam indidit, quibus minus fieret molestus status ille nouus,

Nabuchodonosori quomodo non difficilis ferinus victus.

nouus, in quem degenerasse videbatur: quare
quodam quasi naturali instinctu, ad ea fereba-
tur pabula, quibus nihil inesset naturæ noxium.
Quo autem illa minus essent austera, faciebat
additus appetitus ad illa, quæ magis erant bel-
76. luarum naturæ consentanea. Accedebat præ-
terea furor, & imaginatio, quæ in amentibus
esse solet acerrima, quæ, vt quotidiana probant
experimenta, facit vt illa sine molestia, immò
& cum voluptate fiant; à quibus antea maximè
hominum sensus abhorrebat. Videmus autem
inter sanos, & amentes magnum esse discrimen;
multa enim amentibus optabilia sunt, quæ sa-
na mente præditi auersantur, & horrent: & in
angusta fortuna illa sunt maximè ad palatum,
quæ in abundante, & prospera erant vehemen-
ter insulsa. Id sanè experimento didicit Iob cap.
6. vers. 7. vbi ex molli, delicatáque fortuna ad
sterquilinium deiectus est. *Quæ prius nolebat tan-
gere anima mea; nunc præ angustia cibi mei sunt.* Ne-
que nouum est homines herbis tantùm agresti-
bus famem, & vitam sustentare, quod fecere
nostro sæculo plurimi, & superiori plures, &
nationes etiam integræ, vt docet Plinius lib. 6.
cap. 30.

Furor, & imaginatio tolerabile facit, quod ante durũ.

77. Illud de nudo corpore, difficultatis nihil ha-
bet, si consideres & cœli naturam, & loci pro-
prietatem. Est enim locus ille calidissimus, &
eiusmodi vt mirari quis debeat potiùs, cur ho-
mines vestiti, quàm cur incedant nudi. Ibi enim
naphtha gignitur, cui magna cum igne cogna-
tio est. Vide Plinium lib. 2. cap. 105. Strabonem
lib. 16. Plutarchum in vita Alexandri ad me-
dium, vbi inter alia de Babylonicæ regionis
temperamento, ait: *Est Babylonia vaporibus vehe-
menter obnoxia, ita vt posita humi sæpe hordea in sub-
lime prosiliant, quasi ea loca languere quodam tumen-
tia salientem pulsum habeant. Incolæ quoque per æstus
immensos super plenis aqua vtribus somnos capiunt.
Harpalus cui eius vrbis expolianda cura relicta fue-
rat, regias deambulationes Græcis ornarat arbusculis:
cùm cætera adoleuissent, solam hederam nunquam tel-
lus adoptauit, ac continuò necauit, quòd illam minimè
ferret temperiem. Illa namque feruida Regio est: hæc
verò locis amica frigidis.* Sanè æstus Babylonicus
in prouerbium abierat; saltem impossibile iu-
dicabatur æstum Babyloni defuturum. Sic Oui-
dius hoc inter impossibilia posuit libro secun-
do de Ponto,

Babylonicũ cœlum calidissimum.

Longa dies citior brumali tempore, noxque
Tardior hyberna solstitialis erit.
Nec Babylon æstum, nec frigora Pontus habebit, &c.

In tali regionis temperamento, quid miremur
Regem vixisse nudum? Vixere in aliis regioni-
bus, in quibus minus est benigna cœli tempe-
ries, complures alij nudi, vt Gymnosophistæ; &
quotidie in regionibus trans Oceanum nunc
primùm ab Hispanis apertis populi reperiuntur
frequentes, & læti, qui nudi viuunt; neque ta-
men ideo minus est diuturna, atque robusta
vita.

78. Secundò quæritur, an naturalem formam
mutauerit Nabuchodonosor, & belluinam in-
duerit. Sunt qui putent Regem non solùm fi-
guram sumpsisse belluinam, sed etiam humana
relicta forma in belluam verè fuisse mutatum.
Ita dicunt, aut dixisse videntur Epiphanius lib.
de vita, & interitu Prophetarum in Daniele,
Dorothæus in synopsi, qui dicunt Danielem
orasse pro Nabuchodonosor verso in iumen-

Nabuchodonosor non mutauit hominis figuram.

A tum; qui parte anteriore, & capite bouem præ-
ferebat; posteriore cum pedibus leonem; quod
in priori ætate ventri fuerit, libidinique dedi-
tus; posteriore cædibus, & rapinis. Idem putat
Chronicum Alexandrinum, quod etiam addit
vinctam eo tempore fuisse Regis linguam; ita
vt verba formare non potuerit. Quare dæmo-
nem quoque dicit ignorasse illum aliquando
fuisse hominem: illud de ligata lingua tenent
etiam Epiphanius, & Dorothæus suprà. Inclinat
in hanc sententiam Augustinus epist. 187. ad
Bonifacium. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 6. & 1.
p. Pastor. cap. 4.

B Sed est communis, & constans opinio nun- 79.
quam Regem hominem esse desiisse, sed tantùm
sensus, & mores habuisse belluinos: neque for-
tasse aliud sibi voluerunt illi, quorum modò
sententias in contrarium adduximus, qui existi-
masse videri possunt talem Regem sumpsisse
formam, qualem priùs in statu florenti moribus
expresserat. Quod an verum sit, mox videbimus.

Hæc itaque non obscura sunt: tota quæstio 80.
in eo versatur, an in Rege externa figura muta-
ta fuerit; cùm tamen interna relicta fuerit for-
ma. Huius sententiæ, vt minimum sunt, quos
modò produximus, qui censuisse videbantur in
belluam omnino Regem fuisse conuersum. Sed
C præter hos tenent Iustinus Martyr q. 44. ad Or-
thodoxos, vbi dicit illum habuisse quadrifor-
mem speciem, sicut illa animalia, quæ vidit Eze-
chiel ad fluuium Chobar cap. 1. nempe ex ho-
mine, leone, aquila, & vitulo fuisse compositum.
Michaël Medina lib. 2. de recta in Deum fide,
cap. 7. visum esse dicit Regem intuentibus quasi
belluam, vel quia Deus sic immutabat, afficie-
bátque sensus hominum, vt in Rege aliquid se
videre crederent belluinum. Quomodo in Hi-
larionis vita narrat Hieronymus mulierẽ quam-
dam per magicas præstigias aliis videri equam,
Hilarioni verò, sicut erat, visam esse mulierem,
seu quia Deus figuram quamdam illi circumde-
D dit belluinam, quæ humanam confunderet, &
tegeret.

Sed est etiam communis opinio antiquam 81.
Regi speciem, atque figuram non esse mutatam.
Ita putant omnes pene interpretes cum Hiero-
nymo, Theodoreto, & S. Thoma tam hoc loco,
quàm lib. 2. de regimine Principis, cap. vltimo.
Neque id obscurè colligitur ex ipso Daniele:
nam vigilum sententia non decreuit, vt Regi
sublata humana irrationalis succederet natura,
aut in externa specie aliqua fieret mutatio; sed
vt læsa, ac perturbata phantasia, sensus quoque
mutaretur, & cor, ita vt quæ belluarum sunt
propria cogitaret, illa amaret, & quæreret; &
E quæ belluæ horrent, ipse quoque respueret, te-
cta videlicet, & humana consortia. Id videtur si-
gnificare vigilum decretum vers. 13. *Cor eius ab
humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Adde quòd
si qua Regi data est aliena figura, non certè alia
fuit, quàm bouis, asini, equi, aut eius certè ani-
malis, quod fœno vescitur, aut herbas ruminat.
At horum figuram habuisse negat quod scribi-
tur, *donec capilli eius in similitudinem aquilarum cre-
scerent, & vngues eius quasi auium.* Hæc magis in
leones conueniunt, carniuoràsque belluas, quàm
in illas, quibus fœnum est pabulum, & syluc-
stris herba.

In Nabuchodonosore læsa phantasia, & mutatus sensus.

At dices vers. 33. dixisse Regem, *Et figura mea 82.
reuersa est ad me*, quæ verba indicant priùs alie-
nam

Figuram mutari quid. nam ab humana figura habuisse. Respondeo figuram omnium Gentium consensu significare multa: & primum mutationes, quę in vultu fiũt. Quomodo si quis iratum se fingat, aut tristem, figuram dicitur assumpsisse nouam, aut alienam; & cùm ad statum priorem redierit, rediisse quoque ad figuram priorem. Sed id maximè obseruatur, cùm propter morbum, & inediam, aut vitam rusticam in eo, qui vrbanam priùs, & delicatam egerat, vultus mutatur, macilentus, & luridus; niger, aut horridus; impexus, intonsus, &c. tum mutasse dicitur figuram priorem; & cùm forma iam receperit vires, & priorem cultum, figuram quoque, quam amiserat, recepisse dicitur. Figuram amisisse dici poterant illi, de quibus Ierem. Thren. cap. 4. v. 7. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulcriores. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est quasi lignum.* Facies illa longè à priore diuersa, quę facit ne Nazaræi cognoscantur in plateis. Sanè mutatio figuræ est, ex qua quis aliquis fit, aut quo statu cognosci solet; sicut insignia magistratus vocari suo modo figura possunt, quia si illa adsunt, magistratum agnoscimus; si sublata sint, aliquid esse priuatum, & vulgare coniectamus. Sanè qui dixit ita se esse mutatum, languore, & inedia aut etiam mœrore graui, & longo, vt etiam à familiarissimis non cognosceretur, ille etiam quàm verissimè diceret figuram sibi fuisse mutatam. Sic sanè ad vxorem Ouidius,

Iam mihi deterior canis aspergitur ætas,
Iámque meos vultus ruga senilis arat.
Nec me si subitò videas cognoscere possis,
Ætatis facta est tanta ruina meæ.

Hunc. Hispanus *desfigurado* vocat; qui tamen non figuram mutauit, sed figuræ modum.

83. *Nabuchodonosor quomodo figurã mutauerit.* Cùm ergo Nabuchodonosor regia deposuisset insignia; nempe figuram Regis; & promissa, atque neglecta coma, & excrescentibus deformiter vnguibus, & toto corpore æstu, ac rore deformato nihil retineret dignitatis antiquæ; neque illum vllus cognosceret, qui priùs in lauta, atque eleganti forma, & in regio splendore cognouisset, verè dici potuit amisisse priorem figuram, & tunc resumpsisse nouam, quando iterum in antiquam munditiem, regníque dignitatem restitutus est. Quod ipse videtur significasse: tunc enim dixit, *& figura mea reuersa est ad me*, cùm dixisset proximè, *& ad honorem regni mei, decorémque perueni.*

84. Tertiò quæritur, quid septennij spatio actum sit de Chaldæorum imperio. Magno his, qui contrà sentiunt, putántque hanc allegoriam esse, non historiam, argumento est, quod videtur creditu difficile, aut tandiu tantum imperium caruisse capite; aut post ignominiosum statum admissum esse ab optimatibus; & ab illo maximè qui iam rerum Chaldaicarum esset potitus; cui non potuit non esse graue ab imperio depelli, quod iam per septem annos obtinuerat.

85. Hanc quæstionem facilem reddit Danielis prophetia, toti vt apparet imperio nota: neque enim verisimile est rem tantam, cuius gratia ex tota Chaldæa euocati fuerant sapientes, celari potuisse; neque Rex ipse siluit, qui, vt suprà diximus, mense saltem duodecimo postquam à Daniele expositionem audierat, fabulam putauit, & meras nugas, vt diximus suprà vers. 57. Cùm ergo nollent optimates à Daniele post septem annos ad pristinum locum, & ordinem rediturum esse Regem, de quo dubitare non poterant; cùm alia omnia exitus ipse probauisset, expectarent septem annos, donec restitutum menti Regem à Deo, ipsi quoque in regnum restituerent. Quare, vt Rex ipse scripsit vers. 33. Optimates, & Magistratus requisierunt illum, & in regnum, vnde ceciderat, euocarunt.

Interim verò verisimile est parentis loco ab optimatibus suffectum esse Euilmerodach, qui patri postea in imperio successit. De quo suo more multa fabulantur Rabbini, vt diximus in commentariis nostris super Ieremiam ad finem cap. 52. Dicunt autem Hebræorum magistri, cum quibus ex nostris aliqui sentiunt, ideo Iechoniam Regem olim Iuda ab Euilmerodach eductum esse de carcere, in quo toto Nabuchodonosoris tempore fuerat; qui cum illo diu vixit in vinculis, & amicitiam contraxit, quæ infirma non est, cùm illam miseriarum communitas conciliauit. Cur autem in vincula coniectus à parente fuerit, ea communitèr ratio redditur: quia cùm exacto septennio Nabuchodonosor sibiipsi, ac regno foret restitutus, audiisśetque filium aut in administrando regno multa peccasse; aut, sicut alij volunt, de parentis insania magnam cœpisse voluptatem, illum coniecit in custodiam illam, in quam multis antè annis Iechoniam incluserat. Hæc vtcumque ferenda, quæ etiam ex nostris aliqui nó respuunt, vt Lyra in cap. 52. Ieremiæ. Abul. in cap. 25. lib. 4. Reg. quæst. 37. Hoc verò quod sequitur, cerebrum olet planè Rabbinicum: dicunt enim, vt refert Hieronymus ad illud Isaiæ cap. 14. *Tu autem proiectus es de sepulcro.* Consilio Iechoniæ exhumatum esse paternum cadauer ab Euilmerodach, &, vt dicit Abul. suprà, & histor. Schol. in cap. 5. Danielis, eiusdem consilio diuisum esse cadauer in trecentas partes, & in totidem vultures distributas, ne crederetur esse victurus, reuersurúsque in regnum, sicut paulo antè ex statu quasi belluino, non admodum diuerso redierat. Hæc, vt dixi, fabulam olent; illud verò non improbabile rem Chaldaicam ab Euilmerodach pro patre fuisse susceptam. An verò optimates in syluas ab hominum conuictu Regem expulerint; & quo sensu dicendus sit ab hominibus eiectus, diximus suprà num. 41. Item quomodo ferro dicatur fuisse ligatus, num. 34. inde pete.

86. *Hebræorum fabula de Ioacim, & Euilmerodach.*

87. *Fabula de Nabuchodonosor exhumato.*

Quartò quæritur, vtrùm Nabuchodonosor sic mente excesserit toto septennio, vt nunquam habuerit rationis vsum? Variè ea de re interpretes, & Patres. Dorothæus in synopsi, Epiphanius in vita Danielis, Histor. Scholast. cap. 4. in Daniele, & Chronicon Alexandrinum affirmant septem annos Regis supplicio definitos sic fuisse ad Danielis preces temperatos à Deo, vt septem tantùm menses vitam egerit belluinam; reliquum verò temporis ita transegerit, vt cùm restitutus menti fuisset; regno tamen, ac regio splendore caruerit. Quo tempore viuendi modum tenuit seuerum, & parcum, non tam vt genio, voluptatíque seruiret, quàm vt attenuaret carnem, & à seipso graues, & indecoras pœnas expeteret; neque per sex annos, & menses quinque post restitutam mentem 88.

Nabuchodonosori non esse mentem mutatã aliquorum sententia est.

tem

tem à Deo, panem ampliùs, aut carnem gustauit; abstinuit à vino ex Danielis præscripto, qui illi legumina tantùm, & terrâ nata permisit, vt ea ratione diuinum à se furorem auerteret. In hanc sententiam inclinat Tertullianus lib. de pœnitentia, cap. 12. vbi sic de Nabuchodonosor, *Pœnitentia Babyloniam Regem in regna restituit, diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septennij squalore exhomologesim operatus, unguium aquilinum in morem efferatione: & capilli incuria horrorem leoninum præferente.* Et lib. de patientia, cap. 13. *Sic ille Rex Babylonis offenso Deo cum squalore, & pædore septennij ab humana forma exulasset, immolata patientia corporis sui & regnum recuperauit, & quod optabilius homini est, satis Deo fecit.* Ex quibus colligere licet sensisse Tertullianum toto septennio Regem rationis esse compotem, quando aliter neque immolare pœnitentiam, neque Deo satisfacere potuisset. Eô etiam Maldonatus inclinat, qui censet non ita fuisse à mente commotum, vt non aliquem rationis, & pristinæ dignitatis sensum habuerit.

89. *Toto septennio Nabuchodonosor alienatus mente.* Sed est omninò vera communisque sententia, toto septennio abalienatum esse Regem à rationali sensu, quam cum Hieronymo tenent è Recentioribus plerique. Neque leuis est ratio ex ipso textu sumpta: cùm enim Nabuchodonosor ex decreto vigilum audisset, *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* statim etiã audiuit, *Et septem tempora mutentur super eum,* id est, septem anni, quod sæpius audiuit postea primùm à Daniele, deinde à vigilum senatu. *Eiicient te,* inquit Daniel, *ab hominibus, & cum bestiis, ferisque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cœli infunderis; septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus.* Hæc omnia planè mentem significant excidisse, quod Rex ipse non obscurè confessus est vers. 33. *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlos leuaui, & sensus meus redditus est mihi,* (id est, quia sensus redditus) *& Altissimo benedixi.* Quæ verba vsqueadeo clara sunt, vt neque vi ab illis contraria sententia extorqueri possit.

90. *Nabuchodonosor æternã vitam cõsecutu: à nõnullis creditur.* Vltimò quæritur, an Nabuchodosor æternam salutem consecutus sit? Plerique sentire existimantur ad salutem viam sibi Regem aperuisse pœnitendo, illámque tandem fuisse consecutum. Citatur Epiphanius in Daniele, Dorothæus in Synopsi, qui etiam addunt habuisse apud se familiarem, quem vsqueadeo dilexit, vt illum simul cum filio tanti imperij hæredem scribere voluerit, quod etiam tradit Chronicum Alexandrinum; quòd si illi semper adhæsit Daniel, verisimile est ex illius præscripto quicquid reliquum esset vitæ moderatum fuisse. In idem Iosephus citatur lib. 10. Ant. cap. 11. vbi prodidisse dicitur Nabuchodonosorem ad finem vsque vitæ egisse pœnitentiam; & Deum Iudæorum verum, & solum Deum agnouisse. In eam quoque sententiam adducitur Hieronymus ad Lætam, & Augustinus epist. 122. ad Victorinũ, & lib. de prædestinatione, & gratia, cap. 15. & habetur 23. q. 4. cap. *Nabuchodonosor.* citatur quoque in eandem sententiam Theodoretus in cap. 5. Danielis sub finem, vbi rationem reddit cur Deus Nabuchodonosori tempus pœnitentiæ concesserit; Baltasarem autem eius nepotem repentè sustulerit.

91. Ego hîc primùm non video Sanctos, qui in illam sententiam aduocari solent, ita sensisse; quod facile credet, qui fontes ipsos adire, rémque attentiùs expendere voluerit. Et primùm Epiphanius, & Dorothæus non dicunt aliquid de æterna Nabuchodonosoris salute; sed tantùm propter pœnitentiam remissa illi superiora peccata, & restitutum regnum. Ab illo autem tempore ad mortem vsque multa peccare potuit Rex, qui ad dilicias rediit antiquas, & in vitiis iam ante dudum callos obduxerat. Hieronymus nihil dicit ad Lætam, quod æternam Regis salutem oleat: tantùm dicit id Regem pœnitendo consecutum, vt ad mentem reuocaretur humanam. *Nunquam,* inquit, *est sera conuersio. Latro de cruce transiit in paradisum: Nabuchodonosor Rex Babylonis post efferationem corporis, & cordis, & belluarum in eremo conuictum mentem recepit humanam.* *Quid Hieronymus de salute Nabuchodonosoris sẽtiat.* Neque Theodoretus de æterna salute cap. illo 5. quicquam definit. Nihilo plus dicit Augustinus, & quidem in epist. 122. ad Victorinum nihil inuenio. 92. In lib. de prædestinatione, & gratia, cap. 25. tantùm docet propter pœnitentiam regnum accepisse tẽporale; de æterno neque verbum vllũ. Et in hanc sententiam accipit S. Th. in hoc Danielis caput, Augustini verba, quod etiam aliis docet esse visum. Audi Augustinum. *Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam: nam post innumeras impietates flagellatus pœnituit; & regnum quod perdiderat, rursus accepit: Pharao verò ipsis flagellis durior effectus est.* *Quid Augustinus.* Hæc Augustinus. tu vide an aliquid hîc legas, quod vitam æternam oleat. Nunc audi quid de his verbis S. Thomas ad finem cap. 4. Danielis, vbi postquam hæc Augustini verba numerasset, addidit: *Quidam dicunt Augustinum intellexisse, quòd meruit pœnitentiam fructuosam, quo ad terreni regni restitutionem: quod litera Augustini videtur sonare.* Vbi non obscurè docet, quid ipse sentiat, & de Augustini verbis, & de re tota. Nam cùm 93. in eo loco quæreret, an æternam Nabuchodonosor salutem obtinuerit, nihil ipse definit; sed *Quid S. Thomas.* tantùm dicit nihil pro Nabuchodonosor colligi posse ex Augustini verbis. Quid verò ipse sentiat, docent in cap. 14. Isaiæ ad illud, *Infernus subter te conturbatus est.* & deinde, vbi docet apertè damnatum esse Nabuchodonosorem, in quo adumbrari docet Angelum apostatam, quod item eo loco sentit Hieronymus. In eam sententiam aduocatur Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. quasi dicat toto vitæ tẽmpore pœnitentiam egisse Nabuchodonosorem, quod in illo ego non inuenio. Tantùm reperio ex Recentioribus Lyram, & Dionysium; qui tamen maximè nituntur Augustini testimonio: quod si nihil agitur de æterna salute, sed de temporario regno restituto, hi quoque Nabuchodonosori nihil fauent. Vnus est Pereira, qui acerrimè contendit saluum fuisse Regem à Gehenna.

Ego hac in re definitò asseri posse nihil puto; 94. *Verisimilius est damnatũ esse Nabuchodonosor.* neque aliquid ex Scriptura habemus, quod nos in benigniorem explicationem deducat. Tantùm habemus redditum esse Regi sensum, & cognouisse potestatem eius esse sempiternam, & summam, qua potentes deprimit, & cui mortalium nemo potest resistere; ac demum ab illo laudatum, magnificatum, & glorificatum esse Deum. At hæc confessio multis annis ante mortem fuit: vt autem iam bis illud idem fecerat, aut certè non admodum diuersum cap. 2. v. 47. vbi post reuelatum, & expositum somnium à Daniele dixit, *Verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regum;* & tamen statim Deus haberi voluit, & in aurea statua ab omnibus adorari; & cùm ereptis è fornace pueris confessus esset Deum talem, qualem nunc audis; rediit tamen ad

 insaniam,

insaniam, propter quam à Deo sic est ignominiosè mulctatus, vt ferinam in modum vitam propagaret. Quod ingenium varium, & inconstans Regis fecisse existimandum est, post hanc vexationem, & confessionem non dissimilem. Adde quòd contra datam fidem Iechoniam in carcerem concluserat, vt Iosephus tradit lib. 10. Ant. cap. 9. quem tamen postquam ad regnum redit, è vinculis non exemit, à filio namque Euilmerodach, post parentis mortem trigesimo septimo anno postquam in vincula coniectus fuerat, liberatus est. Neque vasorum, quę ex templo sustulerat, rationem videtur vllam habuisse, quando illis postea Beltasar in ebriosorum conuiuiis abusus. Hæc mihi coniecturam faciunt, aut non omnino Regem fuisse conuersum, aut certè post pœnitentiam rediisse ad vomitam. Et hoc planè indicant, qui in cap. Isai. 14. Nabu- A chodonosorem esse putant illum, qui in infernum deturbatus esse dicitur; & infernum sumunt pro gehenna. In his sunt S.Thomas, S. Hieronymus, Haymo, & Hugo, & plures alij. Idem etiam tenet Ribera ad finem cap. 1. Habacuc, vbi eodem, quo S.Thomas modo Augustinum exponit. Sentiunt item Theodoretus, & Theophylactus in cap. 1. Habacuc ad finem, qui & locum Isaiæ de Nabuchodonosor interpretantur, neque obscurè indicant, quid de proposita quæstione sentiant. Quare, vt dixi, nihil inuenio, quod in tam graui re admodum faueat Na- B buchodonosoris saluti. Neque est cur Lyra tantum tribuat Augustini verbis, cùm, vt optimè S.Thomas suprà, nihil sonent æternum. Si quis plura, & maiora firmamenta inuenerit, libens accipiam; quia duriùs in tanta causa sentire, ac iudicare molestum est.

IN CAPVT QVINTVM.

ARGVMENTVM.

CONVIVIVM instruxit Baltassar splendidum, ad quod regni mille proceres, & vxores, & concubinas adhibuit. Cùm autem iam incaluisset vino, afferri iussit vasa, quæ ministerio olim sacro seruierant, vt illis in profana mensa concubinæ etiam, id est, ignobile, ac turpe muliercularum genus abuteretur. Quo autem tempore in Deorum suorum laudes intenti essent, qui regiæ accubuerant mensæ, digiti apparuerunt, qui in aduerso pariete notas exararunt, ad quarum aspectum cohorruit Baltassar, & expalluit. Quare ad legendam Scripturam, & eius mysterium explicandum honoribus propositis, & donis, sapientissimos quosque Chaldæorum inuitat. Sed planè frustrà; tam enim illi aberant, vt literarum sacramenta cognoscerent, vt neque programma illud legere potuerint. Aduocatur ad extremum Daniel, qui exprobrata priùs Nabuchodonosoris exemplo, nepotis ipsius Baltassaris stulta planè, ac stolida superbia, docet obscuris illis literis, & Regis interitum, & regni vastitatem portendi. Explicationi repentinus euentus fecit fidem, è vestigio enim, ea ipsa nocte, & Rex occisus, & Babylon à Medis, & Persis occupata est.

CAPVT V.

1. *Baltassar rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille: & vnusquisque secundùm suam bibebat ætatem.*

2. *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem, vt biberent in eis rex & optimates eius, vxorésque eius, & concubinæ.*

3. *Tunc*

PARAPHRASIS.

C 1. Baltassar tertius Chaldæorum imperator mille suis optimatibus, qui aut rei bellicæ, aut publicæ præerant, aut quos Rex ipse in rebus quibuscũque arduis ad consilium vocabat, splendidissimũ conuiuium instruxit, vbi quisque sicut ætate alios, sic etiam sedendi ordine antecedebat, epulabatúrque non à præbibentibus, aut à reliqua turba lacessitus supra stomachi, atque ætatis vires, sed quantum vellet, aut ætas, seu corporis constitutio pateD retur.

2. Cùm verò iam Rex incaluisset vino, eò progressus est insaniæ, vt afferri præceperit sacra vasa, quorum quædam aurea, quædam erant argentea; quæ auus ipsius Nabuchodonosor è Solymitano tẽplo quondam abstulerat, adhibuítque incestæ, atque profanæ mensæ, vt non solùm ipse ac regni proceres, sed etiam regiæ

A giæ vxores, imò & concubinæ illis ad flagitiosos haustus vterentur.

3. Tunc allata sunt vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat de templo, quod fuerat in Ierusalem: & biberunt in eis rex & optimates eius, vxores, & concubinæ illius.

3. Confestim ad Regis imperium adducta sunt vasa argentea, atque aurea, quæ sacro olim ministerio in Salomonis templo seruiebant; vnde antea Nabuchodonosor Babylonem abduxerat. Quibus ad potum vsi sunt Rex, & optimates, & è muliebri sexu, non solùm, quæ honestæ censebantur Regis vxores, sed quæ illegitimè seruiebant libidini regiæ concubinæ.

4. Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneósque & lapideos:

4. Bibebãt igitur in sacris poculis pro-
B fanum vinum, laudabántque Deos, quos in mẽsa de more Rex ipse locauerat, quorum non vna erat, aut similis materia. Quidam enim aurei, quidam argẽtei, alij ærei, ac ferrei, alij lignei, lapideique inter conuiuas visebantur.

5. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & rex aspiciebat articulos manus scribentis.

5. In eadem hora, qua productis in conuiuium vasis, aula regia idolorum laudibus percrepuit; in aduerso pariete, quem candelabri oppositus splendor illustrabat, apparuerunt articuli; qui certas quasdam, & obscuras notas efformabant, quod
C Rex attentis intuebatur oculis.

6. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua ad se inuicem collidebantur.

6. Tunc Rex subito metu consternatus expalluit, & sic est in aliam speciem vultus eius mutatus; vt alius videretur à seipso, & eius animus tristium cogitationum æstu iactabatur. Neque leuiùs afficiebatur, inopinato illo perculsus spectro, quàm fœmina in dubio, ac periculoso puerperio; compages enim lumborum soluebantur, & toto tremente corpore genua, quæ corporis sustentant molem, mu-
D tua collisione vacillabant.

7. Exclamauit itaque rex fortiter, vt introducerent magos, Chaldæos, & aruspices. Et proloquens rex ait sapientibus Babylonis: Quicumque legerit scripturam hanc, & interpretationem eius manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit.

7. Rex igitur acuta, atque contenta voce acciri iubet, qui scripturam euoluãt, aruspices, & magos, ad quos in hunc modum apertè loquitur: Quicunque scripturam hanc legere, & quid illa obscurè inuoluat, explicare potuerit, magnis à me honoribus ac donis ornabitur, incedet enim purpuratus, & aureum torquem de collo suspendet, & quod à Rege summum optari potest beneficium, in regno meo tertium obtinebit locum.

8. Tunc ingressi omnes sapientes regis non potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem indicare regi:

8. Ingressi igitur Chaldæorum Sapien-
E tes, tam longè fuerunt, vt scripturæ mysterium intellexerint, indicarintque Regi, vt neque notas ipsas compendio formatas, legere potuerint.

9. Vnde rex Baltassar satis conturbatus est, & vultus illius immutatus est: sed & optimates eius turbabantur.

9. Cùm magnũ aliquid in ea scriptura contineri, & sibi omnino formidabile arbitraretur Rex, neque quid illud esset, cõiectare possent Chaldæorũ sapientes, conturbari omnino cœpit vehementer, & vultus pallore, ac mutatione varia, quo affectus esset intus modò, nõ obscurè prodere. Regis etiam pauorem, atque æstum

10. Regina imitati

A imitati proceres, eodem quo ille spiritu turbabantur.

10. *Regina autem, pro re quæ acciderat regi, & optimatibus eius, domum conuiuij ingressa est: & proloquens, ait: Rex in æternum viue: non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur.*

10. Regina verò Baltassaris mater, cùm in suo gynecæo fuisset edocta, quid Regi regníque proceribus accidisset, inde statim egressa, ad locum vbi virorum conuiuium erat instructum introiuit, & in hunc modum vitam priùs de more, & pacem precata Regẽ affata est: Ne quæso, ô Rex, tristibus te cogitationibus excrucies, neque regium vultum ignobili pallore deformes.

11. *Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum sanctorum habet in se: & in diebus patris tui scientia & sapientia inuentæ sunt in eo: nam & rex Nabuchodonosor pater tuus principem magorum, incantatorum, Chaldæorum, & aruspicum constituit eum, pater, inquam, tuus, ô rex:*

B 11. Habes in regno tuo virum, cuius animum sanctorum Deorum spiritus informat, & implet. Qui sub parentis tui, atque aui Nabuchodonosoris imperiũ, quãtum sapientia inter cæteros præstet, non obscura documẽta præbuit. Cuius rei gratia Nabuchodonosor pater tuus (nam patres etiam dicuntur aui, immo, & omnes progenitores) pater, inquam, tuus, ô Rex, qui illum Magorum omnium, augurũ, & aruspicum sapientissimum expertus est, ideo illum inter alios omnes principem esse voluit.

12. *Quia spiritus amplior, & prudentia, intelligentiáque & interpretatio somniorum, & ostensio secretorum, ac solutio ligatorum inuentæ sunt in eo, hoc est, in Daniele: cui rex posuit nomen Baltassar: nunc itaque Daniel vocetur, & interpretationem narrabit.*

C 12. Neque id mirum, cùm spiritus in illo, & diuinatrix facultas à Diis sanctis amplior illi contigerit. Cui data est prudẽtia, atque intelligentia ad exponenda somnia, & eruenda quæ secreta sunt, & arcana, & ad dissoluenda, quæ impediti difficultatum nexus implicuerunt: qui olim patrio, atque antiquo nomine dicebatur Daniel, pater tamen tuus nouum imposuit nomẽ, vocarique iussit Baltassarem. Hunc igitur quamprimum accerse, & ab illo certam ænigmatis solutionem accipies.

13. *Igitur introductus est Daniel coram rege. Ad quem præfatus rex ait: Tu es Daniel de filiis captiuitatis Iudæ, quem adduxit pater meus rex de Iudæa?*

D 13. Aduocatus est igitur ad Regẽ Daniel; ad quem Rex illico: Túne es Daniel ille è captiuorum numero, quem pater meus huc traduxit è Iudæa?

14. *Audiui de te, quoniam spiritum deorum habeas: & scientia, intelligentiáque ac sapientia ampliores inuentæ sunt in te.*

14. Audiui in te aliquid esse diuinum, quod tibi Deorum sanctorum Spiritus afflauit, maiorémque quàm sapientes alij consecutum esse sapientiam.

15. *Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, vt scripturam hanc legerẽt, & interpretationem eius indicarent mihi: & nequiuerunt sensum huius sermonis edicere.*

15. Euocaui sapientes omnes, quorum maior est apud Babylonios doctrinæ præsertim diuinatricis opinio, neque tamẽ ab illis, quod maximè mihi erat in votis, assecutus sum. Neque enim quid obscuræ illæ E notæ portenderent explicare potuerunt.

16. *Porrò ego audiui de te, quòd possis obscura interpretari, & ligata dissoluere: si ergo vales scripturam legere, & interpretationem eius indicare mihi, purpura vestieris, & torquem auream circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris.*

16. Maius aliquid à te expecto, cui tãtum audiui inesse sapientiæ, vt quæ in tenebris videntur esse, in lucem producas, & reddas manifesta; & quæ implexa sunt, & impedita inextricabili nexu, expedias, & exoluas, adeò vt sapientiæ tuæ, atque intelligentiæ nihil sit inexploratum, & clausum. Si ergo scripturam hanc legere, & quid in illa sacramenti lateat, explicare

17. *Ad* poteris

17. Ad quæ respondens Daniel, ait coram rege: Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, rex, & interpretationem eius ostendam tibi.

18. O rex, Deus altißimus regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo.

19. Et propter magnificentiam, quam dederat ei, vniuersi populi, tribus, & linguæ tremebant, & metuebant eum: quos volebat, interficiebat: & quos volebat, percutiebat: & quos volebat, exaltabat: & quos volebat, humiliabat.

20. Quando autem eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est:

21. Et à filiis hominum eiectus est, sed & cor eius cum bestiis positum est, & cum onagris erat habitatio eius: fœnum quoque vt bos comedebat, & rore cœli corpus eius infectum est, donec cognosceret quòd potestatem haberet Altissimus in regno hominum: & quemcumque voluerit, suscitabit super illud.

22. Tu quoque filius eius Baltassar, non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia:

23. Sed

A poteris, non exiguum ex hac intelligentia, atque expositione compendium referes: incedes enim inter Principes purpuratus, torque ornaberis aureo, & in toto regno tertius à Rege nominaberis.

17. Ad quem illico Daniel: Munera, quæ mihi polliceris, ô Rex, tibi ipsi reserua, quòd si largiri aliquid animus est tibi, ex his quibus regia domus splendet, & abundat, alteri da. Neque enim ego ad hęc oculos, aut animum adieci, neque sapientiam, quam in me tantoperę commendas, vena-
B lem habeo. Nihilo tamen minus, quod scriptum est in pariete legam, & eius tibi sacramentum exponam.

18. Sed antequam legere, ac quid in scriptura mysterij lateat, explicare aggrediar, ostendam tibi, ô Rex, quàm iusta sint in te diuina iudicia, quæ in harum literarum symbolis obscurè continentur. Deus altissimus auo tuo Nabuchodonosori regnum dedit amplissimum, illúmque sic extulit, ornauítque magnificè, vt nulla ad maiestatem, & gloriam videretur accessio
C fieri potuisse.

19. Propter hæc autem diuinæ largitatis beneficia, & illustria ornamentorum maximorum insignia vniuersi populi, tribus & linguæ obseruabant, & metuebant illum. Qui tantum sibi iuris assumpsit, vt quicquid liberet, id sibi licere arbitraretur. Pro suo etenim arbitratu occidebat quosdam, percutiebat alios, hos ex humili loco ad cœlum exaltabat, illos è cœlo ad infimum vsque deprimebat.

20. Quando autem sic illius animus
D eleuatus est, vt diuinum sibi nomen arrogaret, eóque affirmasset, obstinasséque nimis inflatum, & insolentem animum, deturbatus est è regali solio, & regias dotes, & maiestatem amisit.

21. Repulsus enim est ab hominũ conuictu, & sensus vsque adeò ab humano mutatus, vt nihil belluinum cogitaret, quasi ferinũ illi à natura datum foret ingeniũ. Quare cum onagris, ac muto pecore commercium habebat, cõmune cum illis erat agreste pabulum; fœno pascebatur, vt boues assolent; sub cœlo degebat aperto, &
E puro; rore perfusus & nocturna pruina. Donec tãdẽ cognouit, Altissimum Deum inter homines verum, & stabile Regnum obtinere, & ab illo habere Reges, quòd viuant, & regnent.

22. Neque tu, ô Baltassar, neq; meliori, neque saniori mente fuisti, quàm pater tuus. Cùm enim paternum haberes, & recens exemplum, à quo discere facile potueris, à quo detur, aut auferatur imperium, & quàm grauiter Deus animos deprimat

23. Sed aduersum Dominatorem cæli eleuatus es: & vasa domus eius allata sunt coram te: & tu, & optimates tui, & vxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibistis in eis: deos quoque argenteos, & æreos, ferreos, ligneósque & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti: porrò Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti.

24. Idcirco ab eo missus est articulus manus, quæ scripsit hoc, quod exaratum est.

25. Hæc est autem scriptura, quæ digesta est: Mane, Thecel, Phares.

26. Et hæc est interpretatio sermonis. Mane: numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud.

27. Thecel: appensus es in statera, & inuentus es minus habens.

28. Phares: diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.

29. Tunc iubente rege indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo eius: & prædicatum est de eo quòd haberet potestatem tertius in regno suo.

30. Eadem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus.

A primæ insolentes. Non tamen apud animum tuum humilem illam cogitationem admisisti, quàm de misera, atque instabili conditione mortalium, superbarúmque mentium insania concipere, debueras.

23. Sed ad honores, titulósque diuinos aspirasti; immo, & tibi meliorē, quàm altissimo Deo, locum deberi blasphema, atque impura lingua prædicabas. Exprōpsisti vasa illius ministerio consecrata, & in prophanos, atque incestos vsus transtulisti. Hæc tibi in profana mensa pocula B fuerunt, neque tibi solùm, sed etiam optimatibus, immo & vxoribus tuis, adde etiam, quod in extremæ ignominiæ loco pono, & concubinis; quæ per summum ludibrium illis abutebantur, dum labia, & verbis delibuta procacibus, & attactu spurcata peculanti, & fœdo illis admouerunt. Accessit deinde illud ad hoc ludibrij genus nefarium, vt Deos inter vinum, & epulas laudaretis ex ære, ligno, & marmore dolatos, in quibus nullus est sensus, nulla mens; illum tamen, à quo halitum, & C vitam accepisti, & cuius beneficio viuis, non honorasti.

24. Eam ob rem, vt debitas arrogantia tua pœnas dependat, missa est ad te manus; quæ decretum tibi à vindice iustitia supplicium denunciet, ídque contentum his literis, quas in aduerso pariete exaratas vides.

25. Hæc est autem scriptura, his notis decurtatis obscurè digesta, *Mane Thecel Phares.*

D 26. Audiisti lectionem, nunc explicationem, & sacramentum audi. Vox illa *Mane*, numerum significat & assignatum priùs à Deo imperij tui tempus; & iam tandem illud esse completum.

27. *Thecel* indicat exploratā esse à Deo examine seuero vitam tuam, quemadmodum adhibita statera, & trutina rerū momenta, & pondera examinari solent. Et minus inuentum esse in te quàm regium nomen, & pondus postulabant.

28. *Phares* docet, quia minus, quàm fas erat, quod tuarum erat partium ex- E pleuisti, diuidendum esse statim regnum tuum, & ad Medos, & Persas transferendum.

29. Cùm primùm Rex expositionem illarum literarum accepit, expleri promissa iubet. Quare ornatur amictu purpureo, & torque aureo, & publica, atque legitima voce tertius à Rege pronunciatur Daniel.

30. Neque diu moratum est suppliciū, eadem quippe nocte, qua indicta, executioni quoque pœna mandata est. Occisus quippe

A quippe fuit Baltassar Chaldæorum imperator, & eodem quo Rex ipse vulnere extinctum est Chaldæorum imperium.

31. *Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.*

31. Cui successit Darius Medus, Cyri auunculus, vir iam ætate grauis, vtpote natus annos sexaginta duos.

---

1. ANTEQVAM huius capitis explicationem aggrediamur obseruare oportet, & explicare aliqua, quæ tā huic capiti, quam reliquæ prophetiæ lucis aliquid allatura sunt. Primùm non videri egisse Prophetā ordine præpostero: nā licèt quæ hoc traduntur capite, aliquādiu pòst acciderint; narrātur tamē priusquā illa, quæ deinde capite scribūtur 7. & 8. Illa enim anno primo, & tertio Baltasaris contigere, hæc eo ipso anno, quo occisus fuit Baltasar, & capta Babylō à Chaldæis. Quod ideo factum est, quia primo loco Daniel historiam proposuit; & si qua interea prophetia fuit, ea ex historiæ ordine, & narratione pendet. At quæ post sextum caput dicuntur, nihil habent cum historia coniunctum, quia omnia tempus futurum intuentur; & si qua præterea historicè narrantur, illa seorsum à prophetia in libri finem reiecta sunt.

Daniel cur ordinem temporum non sequatur.

2. Secundò obseruandum, Baltassarem hunc non esse Nabuchodonosoris filium, sed nepotem, licèt filius illius à Daniele vocetur; est enim Hebræorum consuetudo, vt omnes posteri quocūque sint gradu, dicantur filij, & maiores, quantocumque distent spatio, vocentur parentes, quod Scriptura sacra manifestè docet, quæ Iudæorum exilium trium tantùm Regum definit. Ierem. c. 27. v. 7. *Et seruient ei* (Nabuchodonosori) *omnes Gentes, & filio eius, & filio filij eius: donec veniet tempus terræ eius.* Hi verò duo posteriores sunt, Euilmerodach, & Baltasar, quo extincto extinctum etiam fuit Chaldæorum imperium.

Baltassar Nabuchodonosoris nepos, non filius.

3. Tertiò obseruandum multinomium fuisse hunc Baltasarem, quem Ieremias cap. 50. videtur appellasse Merodach. *Capta est Babylon, victus est Merodach.* vbi in *Merodach* sine dubio Baltasar intelligitùr. Sed, vt eo loco diximus, Merodach non tam est nomen propriū extremi Chaldæorum Regis, quam omnium Regum Babylonis commune. Sed vocatur etiam Naboandel apud Iosephum lib. 10. Antiq. c. 12. & auctores alij profani alia, atque alia nomina illi attribuunt: ex quo fortasse natum est, vt plures existimentur Nabuchodonosoris in regno successores, quia multa in Regum catalogo nomina leguntur. Et quidem Gentibus familiare fuit multa sibi assumere vocabula; quia cùm de se altè sentirent, neque vno verbo suæ dignitatis ornamenta explicari posse existimarent, multis notabantur. Sanè Iosephus lib. 1. contra Apionem, refert Berosum, quem sequi videtur lib. 10. Antiq. cap. 12. qui plures Reges inter Nabuchodonosorem, & Baltasarem interiectos dicit, non longè hinc abit Eusebius de præparat. lib. 9. cap. vltimo, quorum sententiam hoc loco retulit Hieronymus, vbi satis reliquit incertum quid in illis aut probet, aut improbet; sed satis explicuit quid ipse sentiret in hoc capite, vbi Nabuchodonosorem proauum esse dicit Baltasaris, & in cap. 27. Ieremiæ, de quo suprà idem manifestiùs ostendit. Quid alij dicant, (neque enim ex profanis desunt, qui contrà sentiant) curan-

Baltassar multinomius.

B dum non est, cùm contrà diuina stat auctoritas, quæ tres Reges nominat Nabuchodonosorem, & filium Euilmerodach, & huius item filium, & Nabuchodonosoris nepotem Baltasarem.

4. Quoto anno Baltasaris historia, quæ hoc cōtinetur capite, contigerit, incertum est: neque enim ex Scriptura constat quot annis aut pater eius Euilmerodach, aut ipse regnauerit. Tres annos fuisse cum potestate regia, constat ex capite 8. v. 1. an postea aliquandiu vixerit incertum. Hoc certum historiam hanc contigisse extremo anno vitæ ipsius, & septuagesimo à captiuitate; quia eo anno excisum est à Persis Chaldæorum imperium, & à Cyro soluta captiuitas, vt suprà Ieremias apertè prædixerat.

C Vers. 1. *Baltasar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis.*] Hic nobis paulisper immorandum in Regis nomine, quod variè à variis notari solet, Chaldaicè בלשאצר *Belesatsar*, & qui ex Græco transferunt, communiter reddunt *Belsasar*, alij *Balsassar*. Græci ש, in ט, conuerso legunt *Baltasar*, quos sequuntur Latini; quo etiam modo nos legemus deinceps, sicut hactenus fecimus. Illud hic obseruandum, quod suprà etiam diximus, nomen quod Danieli impositum est, longè ab hoc fuisse diuersum: dicitur enim Chaldaicè בלטשאצר *Beltesatsar*, communiter tamen Latini legunt Baltasar. 5.

Hic igitur *Rex fecit grande conuiuium*. Chaldaicè *panem multum*, sed est omnino idē, panis enim nomine quicumque cibus intelligitur ab Hebræis pariter, ac Chaldæis. Pro *conuiuio* Theodotio reddidit δεῖπνον, quod cœnā valet. Sed nō sine causa cœnam vocat; quia, vt apud populos alios præcipua semper fuit vespertina refectio, vt de Romanis constat: sic etiam apud Hebræos, apud quos celebre cœnæ nomen, quale plerumque fuit nuptiale cōuiuium, quod lautum erat ac geniale. Hoc verò conuiuium initum fuit sub vesperum, & ad multam noctē fuisse productum, multa persuadent. Primùm historia tota, quæ in nocte videtur fuisse peracta, vt ex vltimis verbis liquet. *Eadem*, inquit, *nocte interfectus est Baltasar*, eadem nempe qua instructum est conuiuium. Deinde quia lucernæ tunc accensæ sunt, quæ nocturnas exigerent tenebras vers. 5. *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum.* 6.

Conuiuia splendidiora noctu peragi solita.

D

E *Optimatibus suis mille.*] Sicut aliquot pòst annis Assuerus cōuiuium adornauit planè regium, inuitauitque prouinciarum Principes, tum alias ob causas, tum maximè vt illis suam ostenderet potentiam: sic puto modò Baltasar ob causas etiam alias, de quibus statim, conuiuium instruxit, asciuitque ad illud Optimates mille, aut vt illis diuitias suas, & gloriam ostentaret; aut pro re bene, ac fideliter gesta gratum se illis, & memorem ostenderet. Optimates verò hoc loco sunt aut qui rei bellicæ, ac publicæ præsunt; aut quos ipse Rex in rebus quibuscumque arduis ad consilium vocabat. 7.

Mirabitur hic lector, nec sine causa, cur ob- 8.

Cur à Baltassare conuiuium institutum.

sessa vrbe, atque ita angustè, vt eadem nocte capta fuerit à Persis, in mentem venerit Baltasari, vt lætam habere voluerit, & genialem noctem, quam extremam vidit imperij, & vitæ. Id ergo nunc à nobis primùm inuestigandum est; neque de re vllo modo dubitare licet, cùm adeò distinctè, & clarè Daniel tradiderit. Quod etiam multo antè prædictũ fuerat ab Isaia c. 21. *Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me. Babylon dilecta mea posita es mihi in miraculum. Pone mensam; contemplare in specula: comedẽtes, & bibentes surgite Principes, arripite clypeum.* quod scriptores tradunt externi: Herodotus enim lib. 1. & Xenophon lib. 7. Cyropædiæ tradunt quo die Babylon in Persarum potestatem venit, ludis, saltationibus, conuiuiis immoderatis deditam esse ciuitatem. Causæ adducuntur plurimæ, cur in eo rerum articulo tam priuatim, quàm publicè agitarentur conuiuia; & ciuitas tota nimio luxu difflueret.

9. Prima causa sit, quam ex Hebræorum sententia tradit hîc Hieronymus, quam tamẽ ipse non probat. Cùm enim, inquiunt Hebræi, audiisset Baltasar à captiuis septuagesimo anno, & suæ captiuitati, & Chaldæorum imperio venturum esse finem, illúdque definitum à prophetia tempus transactum putaret; séque censeret ab obsidione tutum; & exulibus omnino reditum interclusum, exultans animo, & spe noua erectus lætitiam suam, atque securitatem publico luxu, & festis ludis significare voluit. Hanc Hebræorum cogitationem adeò non probat Hieronymus, vt etiam fabulam appellet.

10. Neque plus habet probabilitatis illa ratio, quã adducit Iosephus Gorionis filius lib. 1. hist. c. 1. à qua non multũ Dionysius abhorret. Ait enim ideo tunc conuiuium illud splendidum instructum à Rege, vt mille optimatibus, siue Ducibus gratificaretur, quòd Persicum exercitum repulissent ab vrbe, & clade attriuissẽt ingenti. Quam cogitationem euertit non difficile successus ille nocturnus, quod eo ipso tẽpore, quo fugati Persę dicuntur, capta dicitur Babylon. Minus videtur improbabile, quod alij putant, simulasse quidem fugam Persas, vt deinde Chaldæos incautos opprimerent, & eam ob rem Baltasarem, quasi iam securus esset à periculo, gratulatorium illud instituisse conuiuium. Aliqua hîc apparet verisimilitudo, licèt paulo videatur durius, aut illam speciem libertatis dedisse Persas Babyloniis, vt timere deberint, nisi longiùs à ciuitatis mœnibus abscessissent; aut si longiùs essent profecti, redire potuisse, ita festinatò vt ciuitatem tantam eadem nocte in suam potestatem redegerint.

11. Alij putant diem illum anniuersariis ludis celebrem esse, ac religiosum; aut quia alicui Deorum esset sacer; aut quia alicuius beneficij magni memoriam renouaret. Solere autem genialibus epulis, & ludis eiusmodi tempora celebrari maximè apud Gentiles, & barbaros, ex solennibus Gentilium fastis plus satis constat. Fortasse natalem diem suum publico epulo celebrari iussit Baltasar, ne in summo etiam metu videretur illius diei immemor, in quo primũ in lucem hanc
12. communem susceptus est. Quæcumque tamen causa fuerit illius lætitiæ publicæ, & immoderati, atque importuni cõuiuij, illam tamen notam fuisse Persis, tradunt Herodotus lib. 1. & Xenophon lib. 7. qui etiam addit electum esse diem illum à Cyro; quia sciebat esse festum, & homines epulis indulgere liberiùs & à vini immoderatis poculis inebriari, ac solui; & tractandis armis

A esse aut ineptos prorsus, aut certè minus aptos. Hæc postrema ratio videtur esse commodior; neque enim aliter nosse potuisset Cyrus illum diem in epulis, ac ludis esse ponendum, nisi id ex superiorum temporũ consuetudine didicisset.

Et vnusquisque secundùm suam bibebat ætatem.] 13.

Propinationes olim vsitatæ.

Chaldaicè, vt alij ferme omnes tam antiqui, vt ait Hieronymus, quàm recentes, sic transferunt, *Et è regione mille vinum bibens.* In qua translatione, vt inquit hîc Hieronymus, verbum *bibẽs* cum præcedentibus nectitur: *Bibebat, ait, ipse Rex vinum coram cunctis Principibus, quos vocauerat.* Iuxta hanc lectionem, vt putat Abenezra, Rex cum aliis simul discumbebat in eadem mensa
B contra Regum consuetudinem, qui licèt alios ad idem conuiuium, non tamen ad eandem mensam semper accersunt, quod si quando faciunt, magnum exhibent aliis suæ beneuolentiæ, atque humanitatis argumentum. Ita putat Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 12. *Discumbebat cœnans in ampla quadam aula magno apparatu vasorum argenteorum, quæ regia mensæ adhiberi solent, accumbentibus etiam concubinis, & purpuratorum præcipuis.* Fieri tamen potest, vt iuxta hanc etiam lectionem eidem cum conuiuis mensæ Rex non assederit; sed in diuersa mensa, in eadem tamen aula recubuerit; in loco tamen magis sublimi, vbi ab omnibus spectari, & vnde spectare ipse reliquos
C posset. Atque ideo dicitur, *E regione mille vinum bibens.* Sicut etiam fecisse dicitur Ioseph Genes. cap. 43. v. 33. vbi in conuiuio seorsum dicitur sedisse Ioseph, & seorsum coram ipso fratres.
Sunt qui putent, bibisse Regem coram mille, ni- 14.
hil aliud esse, quàm præbibisse, eóque modo planè irrationali, & barbaro alios ad bibẽdum prouocasse. Quod faciunt hoc tempore qui principes in conuiuiis videri volunt; cùm tamen sui ventris, ac gulæ sint sordidissima, ac vilissima mancipia. Id certè indicat Augustinus serm. 232. de tempore, vbi ait, eam excusationem nonnullos adducere, quod intemperantiùs biberint, quia
D non potuerunt nõ obsequi potentiorũ imperio.
Iuxta vulgatam alius est sensus, nempe vnũ- 15.
quemque pro sua ætate, aut pro ætatis viribus bibere, quantum vellet, aut posset, vbi ætas pro robore, aut facultate ponitur. Vires enim comitantur ætatem, & vt illa varia est, sic etiam est varius corporis vigor, & constitutio: quare vna ætas appetit, quod alia horret; vna facilè fert, & iocundè id, quo lassatur, & opprimitur altera: sic vna ætas edacior est, & bibosior altera. Cautum igitur videtur in conuiuio regio, ne ætas senilis, aut languida cogeretur edere, aut potare largius, quàm ferre posset, & concoquere stomachus; aut iuueni, & cui maior esset ad potandum, aut comedendum appetitus, & virtus,
E deesset, quod aut genius, aut appetitus requireret. Tam enim est molestum, & durum cogi quemquam comedere, quod non ferat, aut sustinere possit oneratus stomachus, quàm esurienti stomacho negare quod petat, aut cuius indigeat.
Id in conuiuio omnium lautissimo, quod Assue- 16.
rus non longè post hæc tempora sui quoque imperij Principibus adornauit, cautum est. Esther cap. 1. *Bibebant, qui inuitati fuerant, aureis poculis, & aliis, atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur. Neque erat qui nolentes cogeret ad bibendum: sed sicut Rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, vt sumeret vnusquisque quod vellet.* Idẽ videtur obseruatũ à Rege Chaldæorũ.

Tam

Tam verò id apud Assuerum, quàm apud Baltasarem obseruatum esse argumento est communiter eo tempore in lautis quibusque conuiuiis ad bibendum homines cogi solitos propinationibus, aut prælibatis poculis, aut aliis modis, quos inuenit immoderata, & barbara luxuries. Sanè hoc tempore faciunt cum fœda sui nominis nota nationes aliquæ Boreales, quæ prouocatione bibunt, neque dedecori habent dummodo prouocatori, seu præbibenti satis fecerint, è conuiuio domum alienis humeris reduci, vt elegáter Ambros.lib.de Helia & ieiunio, cap.13. Auertat vtinam Deus ab Hispanis nostris hoc tantum scelus, ne sicut alia plurima hoc etiã vitium peregrini populi in Hispaniam importent.

Prælibationes, & prouocationes ad bibẽdum indignæ, ac turpes.

Non omnino caruerunt antiqui sordidissima hac nota, qui maioribus poculis, & pluribus cyathis bibebant, attemperátes haustus ad illius nomen, cui gratificari studebant; vnde apud illos conuiuiale verbum, *nomen bibere*. Sanè hoc vitium iam antè inoleuerat, infeceratque Ambrosij, & Augustini sæcula, qui aut in honorem Sanctorum bibere se profitebantur, aut pro parentum, Principum, amicorum salute. Audi Ambrosium supra cap.17. *Quid autem obtestationes potantium loquar? quid memorem sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum, & qui non biberit sit reus in deuotione: videtur enim non amare imperatorem, qui pro eius salute nõ biberit. O pia deuotionis obsequium! bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum. Et hæc vota ad Deum pertinere iudicant, sicut illi, qui calices ad sepulcra Martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, atque aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant; qui æstimant illos ebrietate placari, qui ieiunio passiones sustinere didicerunt.* Non dissimilia Augustinus serm. 231. de tempore. *Cùm ebrietatis malum sit graue vitium, & Deo odibile, ita per vniuersum mundum à pluribus in consuetudinem missum est, vt ab illis, qui Dei præcepta cognoscere volunt, iam nec putetur, nec credatur esse peccatum: in tantum vt in conuiuiis suis irrideant eos, qui minus bibere possunt, & per inimicam amicitiam adiurare homines non erubescunt, vt potius amplius accipiat, quàm oportet. Qui enim alterum cogit, vt se plus quàm satis est, bibendo inebriet; minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio, quàm animam eius per ebrietatem necaret. Certa bibendi lege cõtenditur: qui poterit vincere laudẽ meretur ex crimine.*

Turpis honor à poculis & magnum dedecus ab ebrietate.

Stulta vota, quæ à poculis sunt.

18. Sed iuxta vulgatam translationem aliam ego arbitror esse sententiam, nempe Optimates illos eo consedisse ordine, quem cuiusque sibi ætatis ratio postulabat. Nam vt quisque ætate alios, sic etiam sedendi ordine antecedebat, quod ipsa rerum natura videtur præscripsisse. Ita sanè fecit Ioseph Gen.43. v.33. qui cùm fratres ad conuiuium vocasset, quorum ætatẽ, & ordinem in nascendo nouerat, sic illos in sedẽdo disposuit, vt maior semper minorem antecederet. Cùm enim ille seorsum ab aliis in separata mensa recumberet, licèt in eadẽ aula (quod fecisse quoque Baltasarem suprà dicebamus esse probabile) *Sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam.* Quam legem seruatam olim à Romanis; vt seniores in triclinio præcederent, docet Valerius lib.2.c.1. *Senectuti, inquit, iunctus ita cumulatum, & circumspectum honorem reddebant, tanquam maiores natu adolescentium communes Patres essent. Inuitati ad cœnam diligenter quærebant quinam ei conuiuio essent interfuturi; ne senioris cuiuspiam aduentum discubitu præcurrerent; sublataque*

Vt quisque ætate, sic etiam in conuiuiis sedẽdi ordine præcedebãt.

A *mensa priores consurgere, & abire patiebantur.*

Porrò hic *bibere* Synecdochicõs, pro *conuiuari* sumitur, id est, poculis, atque epulis, indulgere; quod dicendi genus tam Hebræis, quàm Græcis, & Chaldæis familiare puto. Sanè Græci conuiuia sympósia vocauerunt, quæ vox comporationem potius sonat, quàm comessationem; & lex conuiuialis erat. ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι, id est, *aut bibe, aut abi.* Illud autem *bibe* cætera omnia complectitur quæ aut sumere, aut facere conuiuæ solet. De Hebræis satis argumento est, quod in conuiuiis splendidis interdum tantùm *vinum*, aut quod eodem spectat, *ebrietas* nominatur. Sic Isaias cap.5. n.11. & 12. *Væ qui consurgitis mane ad e-* 19.

Bibere idem quod conuiuari.

B *brietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis, cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris.* De Chaldæis satis docet illud, quod paulo antè adduximus de conuiuio Assueri, vbi dicitur neminem ad bibendum cogi, in quo etiam intelligitur ne quis cogeretur iis vesci, aut ea quantitate, qua nollet, quod non obscurè indicat textus ipse. *Neque erat, inquit, qui nolentes cogeret ad bibendum; sed sicut statuerat præponens mensis singulos de principibus suis, vt sumeret vnusquisque quod vellet:* nempe ex eo quod esculentum esset, aut poculentum. Sic ergo nunc dum dicitur quilibet secundùm suam ætatem bibere; id videtur significari nullam

C cuique bibendi, aut comedendi legem, seu necessitatem imponi.

Vers.2. *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea.*] Cùm iam vino Rex incaluisset, eò progressus est insaniæ, vt afferri iusserit sacra vasa, quæ ex templo Solymitano auus antè transtulerat, quæ sic habuit vilia, vt non optimatibus solùm, sed etiam vxoribus, & concubinis copiam faceret, vt illis ad impuros haustus abuterentur. Vbi vulgatus *iam temulentus*, Chaldaicè, *Bibens Baltasar dixit in gustu vini.* Vox Heb. טעם *taam*, & Chaldaica טעם *teem* gustum sonat, quòd si ille propriè sumatur, quatenus palatum mulcet, & oblectat, sensus est faci- 20.

Ebrietas cõsily expers, & malesuada.

D lis, si dicamus, cùm auidè, & iucundè biberet, & vini succubuisset potentiæ, iussisse vt vasa religiosis vsibus destinata incestis contaminarentur, & profanarentur ministeriis. Neque enim videbatur ab alio, nisi à temulento, aut cui mens excidisset, & ratio, tale consilium exire potuisse. Sed metaphoricè טעם ad animum transfertur, & id significat quod animo placuit, aut quod animo probatum est, quale est *consilium, decretum*, & quod magis ad nominis notationem facit, *placitum*. Tunc autem licèt eadem sit sententia; dicendi tamen figura eadem non est: nec enim tam significatur Regem in vini siue gustu, siue æstu decreuisse, vt sacra vasa ad impiam ad-

E ducerentur mensam, quàm illud fuisse vini decretum. Neque enim tunc Rex quid factum vellet decernebat; sed ore potiùs regio vinum quid à se decerni voluerit, significabat. Porrò טעם significare consilium, & decretum, habemus ab hoc Propheta cap.2. v.14. nam ibi vulgatus habet, *Tunc Daniel requisiuit de lege, atque sententia.* Chaldaicè est, *de lege, ac gustu.* Et cap.3. v.9. vbi vulgatus, *Tu Rex posuisti decretum*, Chald. *gustum*.

Obseruat autem hic Hieronymus grauiter Deum ferre si quod sacrum est, & suum, ad profanos vsus transferatur, & iam quodammodo alienum, atque prophanum fiat. *Quandiu*, inquit, *vasa fuerunt in idolio Babylonii, non est iratus Dominus: videbantur enim rem Dei secundùm præ-* 21.

Grauiter fert Deus quæ sacra sunt ad profanos vsus adhiberi.

nam quidem opinionem, tamen diuino cultui consecrasse. Postquam autem profanis vsibus diuina contaminans, statim pœna sequitur post sacrilegium.

22. Vers. 4. *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, argenteos, &c.*] Hoc puto factum est Gentium consuetudine, quæ Deos statuebant in mensa, & ad illorum honorem pocula siccabant. De priore, i. de Deorum simulacris statuendis in mensa Arnobius ad Gentiles, *Sacras facitis mensas, salinorum apposita, & simulacris Deorum.* Athenæus lib. 8. cap. 13. ait apud veteres Deos inter conuiuas fuisse dispositos; & de Hercule res est notissima, cuius ideo simulacrum in mensa videtur fuisse positum, vt ab Hercule vorace, & helluone admonerentur non esse ducendum dedecori, quod Deorum quoque nomini non censeretur indecorum. De Hercule est illud Statij in syluis,

Deorum simulacra in Gentilium mensis.

Hercules mensarum Deus.

——Pellens habebat
Regnator lætis numen venerabile mensis.

23. In mensis verò ille adhibebatur modus, vt illarum primitiæ libarentur diis, qua libatione antè præmissa, religiosum putabatur conuiuium, & sacrata mensa. Ex hac consuetudine dixit apud Virgilium Dido lib. 1. Æneid. postquam religionis, & obseruantiæ ergò indictum esset omnibus silentium,

Mensarum quodque primũ Diis libatum.

Hic Regina grauem gemmis, auróque poposcit,
Impleuitque mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo soliti. Tunc facta silentia tectis
Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc lætum Tyriísque diem, Troiáque profectis
Esse velis, nostrósque huius meminisse priores,
Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno
Dixit, & in mensa laticum libauit honorem.

Scholiastes Aristophanis in Irene docet solitam esse libationem fieri Bonæ fortunæ in mensarum principio: in fine verò seruatori Ioui. Et Horatius lib. 4. ode 5. cùm ad Augustum tanquam de Deo loqueretur, ait quid Romanus de Cæsare meditetur, & faciat.

Te mensis adhibet Deum,
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris.

Quòd verò Dij inter libationes, & preces laudarentur, res est non obscura, & docet ex veterum ritu Virgilius lib. 8. Æneid. vbi conuiuium Euandri personuisse dicitur Herculis laudibus.

Dij à Gentibus in cõuiuiis laudati.

24. Ex his videtur intelligi posse, vnde Deorum in conuiuio Baltasaris ortæ laudes; neque enim ibi aliquid inusitatum fuisse puto, sed quod in Gentilium conuiuiis fieri solitum. Quare existimo priùs cùm Deorum libatione sacraretur mensa, factum esse silentium. Deinde ad Deorum Gentilium errore concepta merita institutas esse laudes, quorum imagines aureæ, argenteæ, & ligneæ aut in mensa, aut in conuiuiali aula proponebantur. Quo habitu, ac cultu dij apud Babylonios colerentur, vide Baruch cap. 6. Laudes verò illæ esse videntur, quòd illorum potentiæ aliarum Gẽtium idola succubuerint: quòd à Iudæorum Deo ipsorum virtute superato spolia detraxerint, & domum exciderint. Cuius rei argumentum coràm prostabat; vasa nempe sacra, quæ quondam è Solymitano templo transtulerat Nabuchodonosor, & ex idolio ad conuiuium illud inauspicatum, & impium produci iusserat.

25. Vers. 5. *In eadem hora apparuerunt digiti.*] Satis peccarat grauiter Baltasar, cùm impuris concubinarum labris sacra admouit vasa; eóque nomine dignissimus erat, vt subitò regno priuaretur, & vita. Sed, credo, verba etiam adhibuit cõtumeliosa, dum ligneos deos, atque marmoreos vero præponit Deo, illúmque sacrilegis, ac impiis sermonibus exagitat. Ergo in eadem hora, qua productis in cõuiuium vasis, aula regia idolorum laudibus perstrepuit, apparuerunt digiti scribentes in pariete, qui obscurè Regi, & imminentem cædem, & regni priuationem indicarẽt. Sicut pater cùm adhuc ambitiosus sermo esset in ore, statim audiuit cap. 4. v. 28. *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, regnum tuum transibit à te.* & Psal. 77. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Illi autem digiti non vni Baltasari visi sunt, sed omnibus quotquot conuiuio aderant: quod ex eo fit verisimile, quod postea aduocati sapientes legere non potuerunt, illud videlicet, quod scriptum in pariete cernebant; sanè vidit, & legit Daniel. Expediebat autem, vt omnes ex literis postea à Daniele expositis, non casu Regem vita, ac regno priuatum, sed iusto Dei consilio, cui ipse temulentus insultarat.

Digiti scribẽtes omnibus visi.

Contra candelabrum.] Eo nimirum loco, vbi cõmodiùs videri ab omnibus posset, & legi. Hinc constat noctu peractum esse inauspicatum hoc, & ferale conuiuium, quando necesse fuit in conuiuialem aulam candelabrum inferri. Quod verò noctu lauta, ac genialia conuiuia celebrentur, docet tum alia, tum etiam quod in conuiuiis lucernarum, ac lychnorum frequens mentio. Sic Plutarchus in vita Antonij Cleopatræ conuiuium nocturnum fuisse dicit, illúdque à lucernarum numero, atque ordine commendat. Et Didonis conuiuio Virgilius Æneid. lib. 1. noctem, & lucernas addit, 26.

Noctu præsertim celebrata cœnitia.

——dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.

Cur noctu genialia, & opipera conuiuia celebrantur, vide Athenæum lib. 7.

Vers. 6. *Tunc facies Regis commutata est.*] Quid sit commutari, aut immutari faciem, intelligi potest ex eo, quod capite præcedenti diximus vers. 33. *Et figura mea reuersa est ad me.* Mutari enim facies dicitur, cùm eadem sit species, quando aut splendet, cùm priùs lurida fuerit, & macilenta; aut pallet, & macrescit, cùm priùs fuisset pinguis, & nitita. Sic mutari dicitur Nazaræorum species Thren. cap. 4. nam cùm candida illorum esset facies, sicut nix, & rubicundior ebore antiquo; pòst verò fuit supra carbones denigrata. Et Christi facies in transfiguratione sic est mutata, vt transfiguratus, id est, in aliam speciem, & figuram mutatus fuisse dicatur. Hoc fuit primum pauoris, ac perturbationis argumentum, mutasse faciem, quod non credo tantùm in vultus pallore contigisse; sed in his etiam, quæ in vultu produnt, affectum pauidi, atque æstuantis animi. Huius verò præcipui indices oculi sunt, quorum mutatione facies quoque mutata dici potest. 27.

Quid sit figuram in aliqua mutari.

Et compages renum eius soluebantur.] In lumbis, vt alia, sic etiam virorum significatur robur, vnde à Latinis clumbes illi dicuntur, seu delumbati, qui debiles sunt, & fracto corpore. Sed fortasse dissolui renum compages aliquid aliud indicat, quod pauoris maximi, atque languoris argumentum est. Aristoteles sect. 4. problem. 8. semen effluere testatur moribundis, ac timidis, à quo statu non longè aberat Baltasar, cùm digitorum articulos scribentes vidit in pariete. Quod optimè significant compages renum dissolutæ; ex illis enim humor deciditur spermaticus, 28.

Pauidis, ac morientibus fœturare quiddam.

ticus, qui, vt ex Aristotele vidimus, & vsus docet, pauorem nimium, & languorem sequitur. In hunc sensum explicat Hieronymus, aut ab aliis explicari dicit illud Ezech.cap.7.v.17. *Omnia genua fluent aquis.* Sed clariùs ad illud cap.21. v.7. *Per cuncta genua fluant aqua.* Cui in morali sensu subscribit Hugo, quasi tantus sit futurus pauor Iudæis cùm illud tempus aduenerit, quale sibi imminere existimabat Baltasar, vt genua, seu, vt verterunt Septuaginta, femora humore polluantur spermatico. Hanc ego explicationem neque probaui in commentariis super Ezechielem; neque hîc probo: sed propono tantùm, quia alicui fortasse videbitur non improbabilis; illud significari potiùs puto aut elanguisse Regem tam animo, quàm corpore inopinato illo spectro consternatum, aut illud esse passum, quod minatus est Dominus sæpe, dum apud Prophetas audis, *contritionem lumborum*, aut renum dissolutionem. Vide quæ diximus ad illud Ezechielis cap. 29. *Et dissoluisti omnes renes eorum.* Hæc tria, quæ nunc coniungit in Baltasare Daniel, cóiunxit Nahum in Assyriis cap.2. vbi in facie, renibus, & genibus tria ostendit pauoris, & languoris indicia. *Dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus: & facies omnium sicut nigredo ollæ.*

29. *Genua in pauore vacillant.* *Et genua eius ad se inuicem collidebantur.*] In genibus robur indicantur, & firmitas, quæ totam corporis molem sustentant: quare non apud sacros solùm; sed etiam apud profanos Scriptores in dissolutis, aut vacillantibus genibus aut corporis languor, aut lassitudo significatur. Ex sacris est illud Nahum, de quo proximè Isai.cap. 35. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* Iob cap. 4. *Vacillantes confirmauerunt sermones tui: & genua trementia confortasti.* Ex profanis apud Homerum occurret γοῦνα λύειν *genua soluere*, id est, vires, & animos frangere. Ad cuius imitationem Virgilius in genibus labentibus, ac trementibus ægri, ac lassi corporis difficultatem explicat Æneid.5.

——————sed tarda trementi
Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.

& paulo pòst,

Ast illi fidi æquales genua ægra trahentem.

Genuũ tremor pauoris signum. Tremor genuum inter pauoris signa numeratur. Senec.lib.2.de ira, cap.3. *Fortissimus plerumque vir, dum armatur expalluit; & signo pugnæ dato ferocissimo militi paululum genua tremuerunt: & magno Imperatori, antequam inter se acies arietarent, cor exiluit.* Et epist. 11. *Quibusdam etiam constantissimis in conspectu populi sudor erumpit, non aliter quàm fatigantibus, & æstuantibus solet: quibusdam tremunt genua dicturis, quorundam dentes colliduntur.* Idem accidit Baltasari, cui ex pauore, atque horrore subitò contremuere genua, & ex tremore ad se inuicem collisa sunt.

30. *Purpura, & torques Magistratus, & nobilitatis insigne.* Vers.7. *Purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo.*] Hinc constat quàm desiderarit Rex ardenter illarum literarum expositionem, quas in pariete scripserant digitorum articuli, quando & fortiter clamat, & Magos aduocat, & Aruspices illósque magnis præmiis ad scripturæ illius interpretationem inuitat. Offert primùm purpuram, magni nimirum alicuius magistratus insigne. Sed quid, dices, magnum Baltasar offert Chaldæorum sapientibus, cùm omnes Chaldæi coccineis vtantur indumentis, quod sumo ex Nahum cap. *Clypeus fortium eius ignitus: viri exercitus eius in coccineis.* Respondeo magnum nihilominus aliquid Chaldæorum sapientibus pro-

A mitti: seu quia duo erant purpurarum genera; alterum plebeium, & vilius, cuius Cicero meminit oratione pro Sextio; alterum magis illustre, ac nitidum, quo Consules vtebantur, & Reges. Vnde natum est, vt in purpura regius intelligatur, & consularis honor. Hac purpura vtebantur qui publicum obibant magistratum; hanc, vt ait Iosephus, promisit Beltasar, illam nimirum, quam Reges gestare consueuerant. Huiusmodi purpura data est Mardochæo Esther cap. 6. & lib.3. Esdræ cap. 3. Darius sapientiori iuuenum purpuram promisit. Et 1. Machab.cap. 10. Alexander misit Ionathæ purpuram, & coronam auream. & cap. 11. eidem Ionathæ potestatem fecit Antiochus, vt purpuram indueret. *Purpuræ duo genera.*

B Et quidem si non esset nobilis illa, ac regia purpura, non aptè cum illa conueniret torquis aureus, qui non nisi iis, qui in magno sunt ordine, conceditur.

Sed alio modo occurri posset, neque, meo iudicio, parum aptè, si dicas Chaldæos in vrbe pacis tempore vti, aut tinctis alio colore vestibus à purpureo, aut certè naturali, ac simplici. In castris autem coccineis, neque enim eodem vtuntur aut vestium, aut colorum genere ciues in vrbe, atque dum in acie sub signis agunt. Sic Cicero de leg. tinctas vestes abesse iubet à Romanis, nisi in acie. Militibus in vsu fuisse colorem rufum, seu purpureum, docet Martialis lib. 14. disticho 129. cuius titulus est *Canusina rufa.* 31. *Tincta vestes magis in acie, quã in vrbe vsitata.*

C

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis,
Et placet hic pueris, militibúsque color.

Lacedæmones ad aciẽ, atque conflictum puniceis vti siue russatis vestibus, testis est Plutarchus in institutis antiquis Lacedæmonum, & Ælianus lib.6. variæ histor.cap.6. Et quidem Artaxerxem suis militibus purpureum sagulum dedisse, testis est Plutarchus in Artaxerxe, & Xenophon lib.6. Cyropædiæ. Neque ratio deest cur puniceus color magis visus fuerit pugnantibus opportunus: nam cùm vulneratus miles frangere soleat commilitonum animos, & audaciam debilitare, optimum consilium visum est, si amiculum miles gestaret purpureum, quòd colore suo concolorem sanguinẽ vulnerati militis commilitonum oculis celaret. Vt autem his nationibus in bellis alius color fuit, alius in vrbe: sic etiam Chaldæis arbitror coccineum colorem familiarem fuisse in castris; alium verò domi, & dum pacificè agerent apud suos.

D

Et torquem auream habebit in collo.] Torquis insigne olim erat regium, quo Reges ornabant eos à quibus insigne aliquod accepisset beneficium; aut quos aliis maximè studebant esse cõmendatos. Sic Pharao Gen.41. cum Iosepho locũ regio proximum traderet, *tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.* Et lib. 1. Machab. c. 13. v. 37. vbi cum aurea corona *Bahem* coniungitur, quidam illud torquem esse putant, & in his Lyra. 32. *Torquis aureus honoris insigne.*

E

Tertius in regno meo erit.] Obscurum est, an hîc dicatur futurus esse tertius à Rege, qui scripturam fuerit interpretatus; vel certè magistratum aliquem obiturus, qui nomen habet à ternario numero, sicut qui à Latinis Triumuir appellatur, à Græcis τριστάτης. In hanc posteriorem sententiam inclinant Hieronymus, Historia Scholastica, Dionysius, Hugo. Sed est verisimilius tertium futurum post Regem, nempe post 33.

K 3 Regem

Regem ipsum, & Reginam, & filium, si quem haberet. A qua sententia non abhorret Hieronymus, tenet Theodoretus, S.Thomas, & Lyra, & è recentioribus plerique. Neque obscurè indicat textus ipse, quam in fine capitis, postquam Scripturam interpretatus est Daniel, *prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in regno.*

34. Vers.8. *Non potuere neque Scripturam legere.*] Mirum est, quòd Chaldæorum sapientes interpretari; sed mirandum magis quòd neque scripturam legere potuerint. Quidam Hebraicè scripta putant verba illa, aut certè literis Hebraicis, atque ideo mirandum non esse si sapientes illi, vtpote Chaldæi, verba nō legerint alienis notata characteribus. Sed est hæc ratio omnino debilis: nam vt lingua Hebraica vulgo etiam Chaldæorum non ignota; sic etiam verisimile est, sapientibus præcipuè Hebræorum literas occultas non esse. Sanè lib.4. Reg. cap.18. v.26. & Isaiæ cap.36. v.13. Assyriorum duces & legati locuti dicuntur Iudaico sermone. Quare aliter respondendum, aut Deum hæc obscurare voluisse, vt magis commendaretur, ornareturque Danielis sapientia. Aut sententiam illam initialibus tantùm literis esse comprehensam: quomodo in crucis titulo quatuor initialibus literis comprehensa est sententia, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* qua de re nos suo loco pluribus.

Regina quæ consilium dedit Baltassari, quæ.

35. Vers.10. *Regina autem.*] Hic interpretes laborant quænam fuerit hæc Regina. Sed hi planè diuinant, cùm nullam Scriptura sacra coniecturam ostēdat, vnde certi aliquid sumi possit. Hieronymus hanc ex Iosephi sententia auiam esse putat Baltasaris; ex sententia verò Origenis illius matrem. Et vellicat Porphyrium, quòd illius vxorem esse dixerit. Quod sanè cum eo nullo potest conuenire modo, quod statim subiicitur, illam ingressam esse conuiuij locum: cùm tamen vxores, & concubinæ Regis cum illo mensæ accubuisse dicantur. Theodoretus Baltasaris matrem esse putat, & eo adducitur argumento, quia verisimile est illam confectam fuisse senio; quæque vidisset quemadmodū ante Daniel Nabuchodonosori, & somnium, & somnij explicationem aperuisset. Hæc ego potiora puto: sed illud argumentum, quod Theodoretum adduxit, & alios, ne crederent Reginam hanc vxorem esse Baltasaris, quia nimirum cum illo accubuisse dicuntur vxores, & concubinæ, non nimis premit. Vxor enim, quæ Regina dicitur, interesse nō debuit cum aliis vxoribus, & concubinis, quas necessariò oderat sicut pellices; neque posset conuiuium illud lætum, ac geniale non habere admixtum aliquid molestiæ, si Reginæ pellices adiungeret, inter quas odium est prorsus implacabile. Neque credo Regem tam fuisse futurum amentem, vt hanc iniuriam irrogaret Reginæ, & eius dolore, ac zelotypia conuiuas suos contristare vellet. Huc facit, quod Macrobius tradit lib.7. Saturn. cap.1. de Parthorum conuiuiis, quibus puto Chaldæorum fuisse similia. *Docent nos,* inquit, *vel peregrina institutio, & disciplina a Parthis petita, qui solent cum concubinis, non cum coniugibus inire conuiuia; tanquam has, & in vulgus produci, & lasciuire quoque illas non nisi abditas tueri deceat tectum pudorem.* Nihilominus eò inclinat animus vt auiam, aut matrem Regis esse credā potius quam vxorem, quia in illis plus esset notitiæ rerum antiquarum, & auctoritatis apud Regem, vt illum de sapientia Danielis admoneret.

Vxores honestæ cum viris non inibant conuiuia.

36. *Domum conuiuij ingressa est.*] Non erat Regina in virorum conuiuio, vt apparet ex dictis, quando in illa Regis, atque optimatum perturbatione ingressa esse dicitur domum conuiuij, ex alia nempe aula, vbi ipsa cum aliis honestis fœminis conuiuabatur. Neque enim olim in omni, vt opinor, gente, fœminæ cum viris promiscuè dabant operam genialibus epulis. Immò honestæ instar mortis ducebant, si quando cum viris simul cogerentur inire symposia. Cicero Actione 3. in Verrem, negat moris esse Græcorum accūbere fœminas in virorum conuiuiis. De conuiuiis Romanorum tradit Macrobius lib.3. Saturnal. cap. 15. De Persarum docet Vasti Regina, quæ Esther c.1. pro fœminarum conuiuio parauit locum diuersum ab eo, quem pro viris instruxerat Assuerus, quæ ne virorum conspectum subiret, excidere maluit ab imperio. Quod Hebræis quoque fuisse familiare, suadet cōuiuium illud natalitium, quod Herodes instruxit, ex Hebræorum, sine dubio, more Matth. cap.14. vbi Herodiadem seorsum a viris cum fœminis aliis epulatam fuisse, indicat puellæ egressus ad matrē, vt ab illa disceret, quid pro saltationis præmio posceret ab Herode. Quod ita Gentibus olim probatum est, vt in domibus paulo splendidioribus locus esset destinatus pro viris, qui ἀνδρωνῖτις, & locus pro fœminis, qui γυναικωνῖτις dicebatur. Sic puto hic accidisse, erat enim Regina in suo Gynæceo, quod in virorum conuentu deserere turpe existimabat; inde illam euocauit tumultuantium virorum perturbatio; aliter credo si quid esset pudoris, & modestiæ, nunquam esset egressa. Quod quia parum curabant vxores aliæ, proletariæ videlicet, & concubinæ, non Reginæ virorum se conuentibus miscuerunt, audieruntque, aut etiā passæ sunt ab ebria, & petulante turba, quod ingenuas, & pudicas non decebat.

Fœmina seorsum à viris habens sua conuiuia.

Quæ sequuntur ad versum vsque 22. obscura non sunt, & iam a nobis pluribus explicata. 37.
Illud hic quoque notandum Baltasarem sæpè vocari filium Nabuchodonosoris, cùm tamen illius nepos fuerit. Rationem suprà attulimus, quia ex Hebræorum & eodem, opinor, modo, Chaldæorum idiomate omnes posteri quātumcumque à stirpe recesserint, appellari filios; & omnes maiores quantocumque spatio a posteris altè se sustulerint patres appellari.

Vers.20. *Et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam.*] Obfirmatum vocamus illum, qui animum induxit suum aliquid omnino esse faciendum, quem aliter vocamus obstinatum; sicut qui statuit aut honorem obtinere, aut vindictā sumere, aut indulgere voluptati; si neque minæ, neque plagæ ab instituto deterreāt, offirmatus vocatur. Quomodo Nabuchodonosor ad immortale, atque diuinum nomen aspirabat; neque tamen illum Deus plagis, quæ regio capiti erant grauissimæ, ab illa ambitiosa cogitatione compescuit. 38.

Vers.22. *Tu quoque filius eius Baltasar non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia.*] Cur Baltasar cùm nepos fuerit, dicatur Nabuchodonosoris filius, nuper à nobis dictum est. Debuit autem Rex hic superbissimus in alieno capite doceri, quid timere debuerit, si auitos retineret spiritus, & diuinum in se aliquid agnosci vellet. Quando eò redactus est, qui ad honorem, & nomen diuinum aspirabat, vt ad belluinam speciem, aut belluinæ proximam abiectus fuerit. Quàm fuerit Baltasar animo insolente, & fatuo, docuit Isaias cap. 14. De illo enim accipio verba illa, 39.

Baltassar Deus haberi voluit.

Quomodo

Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris? quod omnino videtur esse dicendū, vt vult eo loco Dionysius, & Pereira cap. præcedenti ad illud, *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo.* Ibi verò talia de se prædicat Rex hic æque ventosus, ac fatuus, qualia de se fortasse nunquam animus ipsius cogitarat. Quia locus iste Isaiæ mirè facit ad intelligentiam eius quem nunc versamus, & nos illum in nostris commentariis super Isaiam paulo accuratiùs explicuimus: non, credo, lector molestè feret, si inde huc aliqua transcribamus, quandoquidem non minus huc, quàm illuc faciunt. Sic autem nos ibi ad illud, *Quomodo cecidisti Lucifer.*

40. Hoc loco mirè variant interpretes dum quærunt, quisnam sit iste lucifer antea splendidus, ac pulcher, postea verò tam teter, & obscurus. Leo Castrus putat ex sententia Eusebij illud superius, *Infernus subter te conturbatus,* ad Christum crucifixum, & mortuum pertinere, cui Principes, & potestates tenebrarum, quæ versantur in hoc aere; & qui torquentur in tartaro, occurrerunt, Christo iam mortuo, ac insultantes obiecerunt, quòd ipse quoque sicut cæteri alij mortis necessitatem non effugerit. Cùm autem ille idem sit, qui à mortuis irridetur, & qui modò Lucifer appellatur, planè, iuxta explicationem illam, Christus est Lucifer, de quo nunc Isaias. Sed omnino Eusebius loco à Leone Castro citato nihil minus cogitauit: cùm enim dixisset orasse Christum à Patre, vt sibi adesset morienti. *Ne recedas*, inquit, *à me, quoniam afflictio propè adest; quoniam non est, qui adiuuet,* addit statim, *Credibile autem est, vidisse infernas quoque, ac tartareas belluas, agrestes atque formidabiles, de quibus Isaias ad eum, qui de cælo ceciderat, Luciferum sermonem intendens ita loquebatur: Infernus subter te conturbatus est, in occursum aduentus tui suscitata sunt tibi omnes gentes.* Hæc Eusebius. Quæ quis non videt distare quàm longissimè ab eo quod Leo Castrus putat. Neque maiori fide citat hic autor multa antiquorum Patrum testimonia.

Quis lucifer apud Isai. c. 14.

41. Communiter Patres in *Lucifero* intelligunt Satanam, quem de cœlo præcipitem superbia in tartarum deiecit. Neque necesse est auctores huius sententiæ commemorare, cùm omnes fermè antiqui sint. Origenes lib. 1. periarchon, cap. 5. & lib. 4. cap. 2. Eusebius suprà, Athanasius de passione, & cruce Domini, Tertullianus lib. 5. aduersùs Marcionem, cap. 11. & cap. 17. Ambrosius in Psal. 118. serm. 3. Cyprianus epist. 55. ad Cornelium de Antichristo accipit.

42. Communiter interpretes hæc de Rege Babylonis accipiunt historico sensu; allegorico tamen de diabolo, quod, credo, etiam dicerent auctoris superioris sententiā, si de ea re plura, aut non casu in illum locum incurrentes pauca dixissent. Verùm excipio Origenem, qui id omnino negat. Ita Hieronymus, Cyrillus, S. Thomas, Haymo, Dionysius, & cum his etiam Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 37. & Gabriel Vazquez in 1. part. S. Thomæ disput. 132. cap. 4. Et quidem, quòd de Rege Babylonis sermo fiat, expressè est in textu, & suadet totius capitis continens filum. Sed est adhuc obscurum, quis sit iste Rex Babylonis, cui tam durum Propheta vaticinium denunciat. Communiter omnes cum Hieronymo censent esse Nabuchodonosor, de cuius superbia, stultáque cogitatione, qua sibi erecta aurea statua diuinos honores à suis deposcebat, agit Daniel cap. 3. Quare quæ statim dicuntur de affectata diuinitate, optimè quadrant in Nabuchonosor.

Ieremias cap. 50. vbi de hac Babylonici imperij ruina, Regisque interitu loquitur eodem penè modo, quo Isaias (à quo videtur expressisse, quæ in eo tradit capite) Regem illum appellat Merodach. Sic enim de illo vers. 2. *Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach.* Vbi licèt aliqui putent Merodach nomen esse idoli, in quibus sunt Hebræorum magistri, cum quibus etiam sentiunt Dionysius, Vatablus, & Maldonatus; sed est longè verisimilius esse non idolum, sed Regem Babylonis, vt putant Theodoretus, Hugo, & inclinant Dionysius, & Lyra; qui etiam addunt hunc esse Baltasarem, seu, quod idem est, extremum Chaldæorum Regem. 43.

Merodach apud Ieremiam Baltasar.

Mihi omnino videtur hunc Regem esse Baltasarem, quia quæ toto dicuntur capite aut nullo modo, aut non nisi admodum contortè ad Nabuchodonosor accommodari possunt; vt quòd sine prole discesserit, quæ pro illo regnet; quòd honore, ac religione sepulturæ careat: &, quod caput est, quia de illo Isaias loquitur, qui à Persis, & Medis subiugandus est. Neque nomen *Merodach* huic explicationi quicquam incommodat. Nam sicut *Pharao* nomen erat olim commune Ægypti Regibus. Deinde post Alexandrum *Ptolemæus*; & *Cæsar*. Romanis imperatoribus: sic etiam *Merodach*, commune videtur nomen Regibus Babylonis. Quod nomen sicut regnis aliis ille primus dedit, qui primus etiam in illis regium nomen obtinuit. At Merodach primum in Babylone regnasse tradit Theodoretus in cap. 50. Ieremiæ. Quare alij quoque Reges sic appellati sunt, vt qui legatos hoc ipso tempore, quo hæc scribuntur, misit ad Ezechiam gratulatum de recuperata valetudine 4. Reg. 20. & Isai. 39. quem Hebræi, vt dicit Hieronymus cap. 39. Isaiæ, patrem esse putat Nabuchodonosor, sed falsò, vt nos ibi probamus. Et rursus 4. Reg. c. 25. v. 27. legitur, *Rex Babylonis Euilmerodach*, quod omnino idem nomen est quod superior, quasi *Euil* nomen sit proprium hominis, *Merodach* commune Regum; sicut dicitur *Tiberius Cæsar, Darius Histaspis, Ptolemæus Philadelphus,* &c. Quare omninò *Merodach* appellari Baltasarem communi omnium Regum nomine. 44.

Baltasar est qui apud Isaiam dicitur Lucifer.

Merodach commune nomen Regibus Babylonis.

Nunc videndum quo sensu, aut figura orationis dicatur Lucifer iste, seu Rex Babylonis cecidisse de cœlo. Mihi certum est supplendum esse similitudinis notam, hoc modo: Quomodo cecidisti de cœlo, ó Rex Babylonis, qui quasi lucifer splendidus matutinus oritur, tu quoque oriebaris. Sed est dubium an cum Angelo, qui de cœlo cecidit, qui ex hoc Isaiæ loco communiter appellatur *Lucifer*, comparetur, an cum stella matutina, quæ lucidissima est, & à Latinis *Lucifer*, à Græcis *Phosphorus* dicitur? Videtur sanè cum Angelo comparari posse non incongruè, ita vt sit argumentum ab exemplo. Nam cùm Rex iste Babylonis superbissimus esset, sibique putaret nihil non deberi; adducit exemplum superbissimi spiritus, qui cùm sibi nimium de sua pulchritudine placeret, & honores appeteret sibi non debitos, in barathrum demersus æternam sustinet ignominiam; vt qui illius imitabatur arrogantiam, eiusdem casum, & exitum perhorresceret. Quomodo Christus ad discipulos Lucæ cap. 10. qui cùm de fugatis à se dæmonibus gloriari, aut certè plus satis exultare viderentur, illos Satanæ exemplo, ab illa inani, 45.

Baltasar cum Angelo Apostata comparatus.

atque superba cogitatione compescuit. *Videbam*, inquit, *Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* Quasi diceret; In vobis nunc intueri videor casum illum horribilem, cùm Angelus speciosus antea, & naturæ nobilitate, eximiísque dotibus illustris, quia sibi aut plus tribuit, quàm habebat; aut plus appetiit, quàm ipsi deberetur, in statum miserrimum, carcerémque æternum contrusus est. Quem locum in eum sensum exponit Hieronymus in hunc locum. Cyprianus tractatu de tentationibus, & ieiunio Christi, & Gregorius lib.23.Moral.cap.4.

46. *Baltasar cū sole, aut astro matutino confertur.* Sed placet mihi magis sententia illorum, qui cum sole, aut stella matutina conferri putant Babylonij Regis gloriam. Ita Cyrillus, S.Thomas, Haymo, Adamus Pintus, Emmanuel Sà, & Chaldæus. Et est pulchra, & ab omnibus ferme scriptoribus in eam sententiam vsitata comparatio; qui à Solis, aut Luciferi splendore, ac radiis lucem assumunt ad explicandam, & ornandam rei longè pulcherrimæ dignitatem. Longum esset cuncta percensere: nunc pauca accipe. Virgilius lib.8. de Pallante,

——— ——— ipse agmine Pallas
In medio chlamyde, & pictus conspectus in armis:
Qualis vbi Oceani perfusus lucifer vnda
Extulit os sacrum cœlo.

Quæ sumpsit ex Homero lib.5. Iliad. vbi hæc eadem de Diomede. Similiter Theocritus Idyl. 18. de Helena,

——— nam sicut vbi nox alma recessit
Os croceum cœlo profert aurora renascens.

47. Sed hoc non minus vsitatum in Scriptura sacra: nam Cant.6. (vnde sine dubio superiora sumpsit Theocritus, vt nos in nostris commentariis super Cantica diximus) sponsæ pulchritudo auroræ nascenti comparatur, astrísque micantibus. *Quæ est ista, quæ quasi aurora progreditur, pulchra vt luna*, &c. & Ecclesiasticus cap.50. de Simone Oniæ filio, *Quasi stella matutina in medio nebulæ.*

48. *Lucifer auroræ filius.* Pro *Lucifero*, Heb. est הילל בן שחר *helel ben sachar, Lucifer filius auroræ.* Cur filius dicatur auroræ, non est difficile coniectare iuxta Hebraicum idioma, quo filius vocatur quicquid in alicuius sinu, atque complexu est, aut esse ab hominibus existimatur. Quare *filia maris* dicuntur insulæ; *filia pharetræ* sagittæ. Cùm igitur matutina illa stella cum aurora nascatur, & penè in ipsius sinu, *filius auroræ* dicitur. Pro הילל *helel*, quod noster reddidit *Lucifer*, quidam transtulerunt *vlula*, vt Aquila, quod Hieronymus non improbat. Neque sensus est diuersus, cùm statim addatur id, quod necessariò Lucifero tribuendum sit, vt quòd filius sit auroræ, aut quòd oriatur manè. Hîc ergo Auroræ filius vlulare iubetur.

49. Cùm comparatio hæc satis exprimat regiam, & excellentem dignitatem; tamen hæc multo magis quadrat in Reges Babylonis: nam, vt pluribus docuimus ad illud cap.7. Act. *Sydus Dei vestri Rempham.* Persæ, Assyrij, atque Chaldæi, qui summum Deorum ignem arbitrabantur, quæ ignis propria sunt, aut affinia, sibi arrogantissimè vendicabant. *Chaldæi coronam gestabant radiis illustrē.* Quare Solis nomine salutabantur; & Asiæ Solis nomen sibi tribuebant. Et eo consilio primi omnium coronam capiti suo imposuerunt radiis distinctam, vt speciem ferrent præ se radiantis Solis. Et in acie, aut cùm foris egrediendum esset, lux præferebatur, vt quasi Lucifer matutinus solem præcederet subsequentem. Quod fecit Holophernes dux Assyrij exercitus, quem, vt habet Septuaginta trāslatio Iudith cap.10. cùm egressus fuit è tabernaculo, vt Iudith aduenientem acciperet, lampades præcedebant. 50. *Reges Assyriorum faces ardentes præcedebāt.* Quod non esse ad exigendas tenebras, sed ad Assyrium fastum ex patria consuetudine, hinc fit planum: quia quo tempore egressus esse dicitur Holophernes, non erant vllæ tenebræ. Quia Iudith ad ortum diei exiit è Bethulia, prius autem quàm ad imperatoris tabernaculum euaderet, non parum moræ interpositum fuisse oportet. Tunc autem egressus esse dicitur Holophernes prælucente lampade. Accommodatè ad hanc consuetudinem explico illud Ieremiæ cap.1. vbi sermo est de exercitu Chaldæorum, *Ollam succensam ego video.* Antecedebat enim Regem radiata corona ad Solis similitudinem splendentem collucens ignis, quémadmodum Lucifer Solem antegreditur. Quibus omnibus satis bellè consonat quod statim additur, *Sed aduersùm Dominatorem cœli eleuatus es.* Ea etenim Isaiæ verba eius sunt animi, qui velit Deum è suo deturbare solio, atque ordine; & eius loco se aliis suspiciendum, atque adorandum præbere.

Vers.23. *Et vasa domus eius allata sunt coram te.*] 51. Hîc iam videre videor speciem aliquam ad diuinitatem aspirantis animi: quando vasa, quæ Dei mensæ priùs in templo seruierant, suæ quoque mensæ, quasi diuina ipsa quoque foret, seruire fecit. Quæ res satis aptè conuenit cum eo, quod paulo antea audiuimus ab Isaia, & quod proximè à Daniele, *Aduersùm Dominatorem cœli eleuatus es*, quasi à Deo abstulerit vasa, idóque cultui deberi magis ostenderit, quàm Dei.

Deum, qui habet flatum suum in manu sua, & omnes vias tuas non glorificasti.] 52. Opponit verum Deum, cui non hominum tantùm vita; sed omnes illorum rationes atque consilia subdita sunt, cùm tamen à Diis aliis nihil magis sperari, aut timeri possit, quàm è ligno, & marmore, ex quo ficta, atque dolata sunt. Pro flatu Chaldaicè est נשמה *nesamah*, quæ vox spiritum significat, & animam; neque malè à nostro redditur per flatum, quia flatus indicium est latentis, & spirantis animæ. Sicut etiam Isaiæ cap.42. dicitur, *Hæc dicit Dominus Deus dans flatum populo*, id est, qui tribuit populo halitum, & vitam.

Vers.25. *Mane, Thekel, Phares.*] 53. Hæc erat scriptura, quam neque intelligere, neque legere potuerunt Chaldæorum sapientes, quod sanè mirabile fuit; cùm voces essent Chaldaicæ, hoc est, sapientibus ipsis familiares, & vernaculæ. Quæ res hærere nos hic paulisper cogit, & inuestigare, quónam modo fuerit hæc scriptura digesta: nam multis modis notari potuisse obscurè, & ænigmaticè nemo, credo, paulo doctior ignorat. *Notis olim obscuris scribi solitum.* Multis olim modis non tam literis legitimè, quàm signis & notis res consignabantur, & tegebantur obscurè; quæ non nisi sapientes, & in illa compendiaria, aut mystica scribendi ratione nosse poterant. Quod munus fortasse scribarum olim apud Hebræos proprium fuit; quibus tamen interdum ita scriptura tradebatur occultis, ac dubiis obscurata notis; vt illius non solùm non assequerentur interpretando sententiam; sed neque legendo vocem, & sonum. In hunc sensum accipit Origenes illud Isaiæ cap.29. v.12. *Sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas, respondebit, non possum, signatus est enim.*

enim. Sic autem Origenes homil.13. in Numer. A *Signatus liber dicitur, pro eo quòd figuris perplexus est, & ænigmatibus inuolutus.* id est, cuius sententia obscuris tegitur inuolucris, & ignotis latet implexa characteribus. Neque fortasse erraret, qui vocem Hispanicam *cifra* ab Hebraica שופרים *sopherim*, quæ *scribas* significat, deriuatam putaret.

Cifra Hispan. vnde dicta.

54. Hæ porrò notæ, seu signa aut propria erant, qualia amici excogitare solent, & per illa vicissim inter se impertire consilia; de quibus apud profanos multa. Alia sunt vsitata magis, & in ipsa rerum natura fundata, quando aut literæ, ex quibus dictio constat, ordine alphabeti, aut dictionis collocantur inuerso; aut ex di- B ctionibus detrahuntur literæ; aut pro oratione tota vox vna tantùm illius adhibetur, in qua virtute tota continetur sententia. De prioribus est illud Ieremiæ cap.25. *Rex Sesac bibet post eos.* vbi *Sesac* positum est pro *Babel*, vt cum Hieronymo communiter sentiunt interpretes. Mutatur autem in hac voce non quidem literarum ordo, sed alphabeti, ita vt pro litera, quæ ex principio sumi debuit, sumatur ex fine alphabeti ea quæ illi ex aduerso respondet. Quare cùm ב *beth* sit in alphabeto secunda, eius loco ponitur ש *sin*, quæ si à fine numerare incipias, est etiam inuerso ordine secunda. Et cùm in Babel geminetur in principio ב, sic etiam in C Sesac geminatur in principio ש. Pro ea autem, quæ est in recta serie decimatertia litera, ponitur כ *caph*, quæ ordine inuerso litera est etiam decimatertia. Sic Hebræi impediunt, & obscurant, quæ vulgo hominum, aut etiam hostibus celari volunt.

Varij modi scribendi per obscuras notas.

55. Qua literarum commutatione vsi sunt antiqui, licèt non eodem omnes ordine. Iulius Cæsar, vt auctor est Suetonius, & Dio Cassius in illius vterque vita, sic commutabat literas, vt quartam quamque sumeret pro ea, quæ in alphabetico ordine quarto præcederet loco. De quo ita Suetonius. *Extant*, (nempe Iulij epistolæ) *ad Ciceronem, item ad familiares domesticis de* D *rebus: in quibus si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit, id est, sic structo literarum ordine, vt nullum verbum effici posset. Quæ si quis inuestigare, & persequi vellet, quartam elementorum literam, id est, D, pro A, & perinde reliquas commutet.* Augustus

Iulius Cæsar quibus notis in scribendo vsus.

56. aliter sua tegebat consilia, vt auctor est Suetonius, & Dio in eius vita, & Isidorus lib.1. etymol. cap.25. cuius hîc verba referam, quæ sumpsisse videtur ex Suetonio. Sic itaque Isidorus, *Cæsar quoque Augustus ad filium: Cùm, inquit, innumerabilia incidunt, assiduè, quæ scribi ad alterutrum oportet, & esse secreta: habeamus ergo inter nos notas, si vis, tales, vt cùm aliquid notis scribendum erit, pro vnaquaque litera scribamus sequentem,* E *hoc modo: Pro A B. pro B C. deinceps eadem ratione cæteras. Pro Z. autem litera redeundum erit ad duplex aa.* Hæc Augustus ex Isidoro.

Quid Augustus.

57. Aliæ sunt scribendi formæ, quæ inuoluunt obscurántque sententiam, quando è tota dictione vna tantùm adhibetur litera, eaque plerumque prima; qualis est familiaris illa Romanorum inscriptio S. P. Q. R. quæ illo breuissimo compendio idem valet, quod *Senatus populúsque Romanus.* Et titulus, qui nunc communiter inscribitur cruci, quatuor continetur initialibus literis I. N. R. I. sicut & totus versus 11. ex cap.15. Exod. in quatuor has literas contractus est, מכבי. est autem versus ille מי כמוך באלים יהוה *mi kamocha baelim Iehouah.* Cùm autem quatuor illas literas Asamonæi in militari vexillo circumtulissent, Machabæorum cognomentum nacti sunt, מכבי enim Machabæum sonat.

Literæ primæ pro tota dictione.

Hunc porrò scribendi modum etiam in obscuranda sententia adhibuerunt profani. Notum est illud Æsopi, qui cùm inter veterum ædificiorum ruinas columnam quandam inuenisset, his notatam literis, A. B. Δ. E. Θ. X. ex illis coniectauit Æsopus latere ibi thesaurum auri. Sic enim legit, ἀποβὰς βήματα τέσσαρα ὀρύξας εὑρήσεις θησαυρὸν χρυσίου. De notariis, qui dictantium verba velociter excipiunt, dixit Manilius B lib.4. Astronom. cùm ageret de his, qui sub virgine nascuntur. 58.

Hic & scriptor erit felix, cui litera verbum est.

id est, qui vna tantùm litera, eáque prima dictionem aliquam totam comprehendit.

Est alia etiam scribendi forma, vt obscura, sic etiam compendiosa vehementer: quando singulæ literæ, ex quibus vox aliqua conflatur & constat, pro dictione aliqua integra supponuntur. Quomodo quatuor literæ, quæ componunt nomen *Adam* totidem voces indicant, quæ quatuor mundi plagas ostendunt. Ita Augustinus in tract.9. super Ioannem. Cyprianus in tractatu de Sina, & Sion. Beda in commen- C tariis super Ioannem. A, namque Orientem valet, Græcè ἀνατολή. D, Occasum, Græcè δύσις. A, secundum Septemtrionem, Græcè ἄρκτος. M, meridiem, Græcè μεσημβρία. Hanc nominis interpretationem multis antè sæculis expressit Sibylla secundo oraculorum libro, 59.

Singulis literis dictionis singulæ continentur dictiones.

Adam quid significet.

Αὐτὸς δὴ θεός ἐσθ' ὁ πλάσας τετραγράμματον Ἀδάμ.
Τὸν πρῶτον πλασθέντα, καὶ οὔνομα πληρώσαντα.
Ἀνατολὴν, δύσιν, μεσημβρίαν, καὶ ἄρκτον.

Quorum hic est sensus,

Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam,
D *Qui primus fictus est, & qui nomine complet*
Ortumque, Occasúmque, Austrum, Boreámque rigentem.

Est optimum exemplum illud, quod adducit, & explicat Hieronymus in quæstionibus Hebr. in lib.3. Reg. expendens illud Dauidis morientis ad Salomonem filium, *Habes quoque apud te Semei filium Gera, filij Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima.* Vbi explicat quid in particula illa *pessima* contineatur opprobrij, & in singulis literis contumeliosum aliquid deprehendit. Vbi vulgatus *pessima*, Heb. est נמרצת *nimreset.* In נ *nun,* continetur נאף *noeph*, id est, *adulter*, qua voce obiectum est Dauidi adulte- E rium cum Bersabee, in מ Moabita, quo nomine exprobratum est Dauidi, quòd genus duceret ex Ruth, id est, ex alieno, atque ignobili Moabitarum genere. In ר *res* intelligitur vox רוצח, quæ *homicidam* sonat. In צ *sade* צרוע *sarnah*, id est, *leprosus*, quia non aliter Dauid eiectus videbatur ab vrbe, quàm leprosus, cuius consortium horrent, atque auersantur alij. In ת *tau* comprehenditur תועבה *toenah*, quod *abominabile* significat. 60.

Maledictio pessima quid.

Alia est scribendi forma minus quidem obscura, quàm hæc; obscura tamen, quando sententiæ prima adhibetur vox, reliquæ omittuntur. Quomodo in Bibliis quibusdam multorum capitum argumenta paucissimis dictionibus 61.

Vna vox pro tota sententia.

ctionibus coarctantur. Accipe pauca ex Geneſi,

Sex, prohibet, peccant, Abel, Enoch, arca ſit, intrat.
In *ſex* continetur hoc totum: Sex diebus creauit Deus cælum, & terram, elementa omnia, & varias rerum formas. *Prohibet*, nempe Deus ne homines ligno ſcientiæ boni, & mali veſcantur. *Peccant*, ſcilicet primi parentes comedentes è ligno, à ſerpente deluſi. *Abel* occiditur propter inuidiam à fratre Cain, & ſic de aliis.

62. Nunc videndum ad quodnam genus horum referri debeat obſcura illa, & ænigmatica ſcribendi ratio, quam neque intelligere, neque legere potuere Chaldæorum ſapientes. Qua in re quid dicam nihil habeo definitum, & certum. Communis eſt opinio, quam cum Hieronymo tenent frequentes alij, primas hîc voces adhiberi, pro tota ſententia, iuxta modum illum obſcuri compendij, de quo nos vltimo loco. Quæ mihi ſententia probaretur omnium maximè, niſi viderem dictiones illas integras, potuiſſe facile à ſapientibus legi; quod tamen Propheta negat verſ.8. *Tunc ingreſſi omnes ſapientes Regis non potuerunt nec ſcripturam legere; neque interpretationem indicare Regi.*

63. Quare placent magis ſecundus, ac tertius modus; quando videlicet vna litera pro tota dictione ponitur; aut certè ſi tota dictio ſcripta eſt, quamlibet literam alterius dictionis eſſe principium, vt diximus de voce נמצרת *nimſeret*, in qua multa continentur opprobrij genera. Quare aut ſcriptæ ſunt tantùm tres iſtæ literæ, vt Maldonatus putat, פ. ת. מ. quibus alias addidit ſpiritu prophetico illuſtratus Daniel; aut dictiones illas integras hoc modo ש. ר. פ. ל.ק.ת. א. נ. מ. ita vt in qualibet dictione tota conticeatur ſententia, quam Daniel expreſſit. Nihil hîc, vt dixi, certum aſſero; ſed hæc poſteriora minus mihi difficultatis habere videntur.

Qualis ſcriptura viſa Baltaſſari.

64. *Manè numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud.*] Totam hanc ſententiam continent tres literæ, ſiue illæ dictionem vnam componant; ſiue plurium vocum initia ſint. Quæ verba indicant definitum tempus, ad quod Deus produci voluit Baltaſaris, atque adeo Chaldæorum imperium: vt enim Reges à Deo imperium, ſic etiam imperij terminum accipiunt. Terminum autem illum iam Deus antè numerare cœperat, quando per Ieremiam ſeptuaginta annorum ſpatium definiuit. Rationem autem oſtendit, cur non iam ampliùs propagandus ſit imperij terminus, quia nempe Baltaſar indignus viſus eſt, cui aut regni vſura prorogetur, aut vitæ.

65. Verſ.27. *Thecel, appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.*] Conſtituit Dominus omnia in numero, pondere, & menſura, Sap.cap.11.& ad pondus menſuram, & numerum cuncta examinat, & explorat. Sic & tempus numerauit, quod Chaldæorum imperio definierat, & merita Baltaſaris expendit, vt pro illorum ratione, ac pondere iuſtum attemperaret ſupplicij modum. Metaphora hæc à mercatoribus ducitur, qui ſtatera, & trutina metallorum, & mercium explorant momenta, quæ ſi minus habeant ponderis, quàm aut iubet legitima ratio, aut contrahentium inſtituta conuentio, abiiciuntur, & reprobantur. Conuenit inter Reges, ac Deum, vt Reges à Deo potentiam, & regnum; & pro dato regno Deus à Regibus compenſationem aliquam, & pretium accipiat, iuſtitiam puta in iudicando, religionem, & fidem; & virtutes alias, quas regias appellamus, quæ patriæ parentem, & miſerorum, ac pauperum patronum Regem efficiunt. Harum momenta ponderauit Dominus in vita Baltaſaris; quæ cùm multo haberet minus, quàm regium nomen, & pondus poſtulabant, non è regno ſolùm; ſed etiam è vita depulſus eſt.

Regum partes, & officium.

66. Verſ.28. *Phares, diuiſum eſt regnum tuum: & datum eſt Medis, & Perſis.*] Ex illo ſeuero examine id ortum eſt vt ex eo Baltaſar deturbaretur regno, quod ad vim, libidinem, & prædam potius, quàm ad æquitatem, & ciuium ſocietatem fidelem accepiſſe videbatur. Quare cùm minus haberet, quam in illo ordine præſtare debuiſſet; immò cùm præſtitiſſet nihil, quorum cauſa Regibus potentia traditur, & imperium; ablatum eſt illi regnum, & ad Medos, Perſáſque translatum. Hæc aperta ſunt: illud notandum, præteritum pro futuro frequenter vſurpari, quando proximum eſt, vt aliquid fiat. Quomodo Chriſtus iamiam in cruce moriturus dixit, *Conſummatum eſt*, quia non longè aberat, vt opus illud conſummaretur, & de puella, quam ſtatim ſuſcitauit à morte, dixit, *non eſt mortua puella*, quia mox ad viuos erat reuocanda. Sic etiam nunc diuiſum dicitur, atque tranſlatum regnum, quia iam illius finis inſtabat.

REGVLA. Præteritum pro futuro, quando prope eſt vt res fiat.

67. Verbum *Phares* diuiſionem potius, quàm ablationem, ſeu direptionem indicat. Quare non ſolùm docet ereptum eſſe Baltaſari regnum; ſed etiam diuiſum. Diuiſum autem fuit, vt putat Hieronymus, S.Thomas, & indicat Ioſephus, probant Maldonatus, & Hugo, inter Darium auunculum, & Cyrum ſororis filium, qui ad euertendam Babylonem Medicæ potentiæ, quam Darius coëgerat, Perſicas adiunxerat vires. Quam ſententiam aliquantulum firmant, quæ mox ſuccedunt, *Et datum eſt Perſis, & Medis.*

68. Verſ.29. *Tunc iubente Rege.*] Licèt graui denuntiatione perculſus Rex, iuſſit tamen impleri, quæ obſcuri ænigmatis interpreti promiſerat. An hæc iuſſerit, vt regiam præſtaret fidem; vel vt viri ſancti precibus paratum ſibi periculum auerteret, incertum: vtrumque fortaſſe regium animum impulit, vt muneribus illis honeſtatum Danielem dimitteret. Sed vtcumque ſe res habet, nil magnum Rex ille feciſſe exiſtimandus eſt, quandoquidem ea Danieli tradidit, quæ ſtatim ipſe cum vita relicturus erat; quod ſibi omnino perſuaſiſſe veriſimile eſt. Neque enim ſi falſum exiſtimaſſet, illa impendiſſet dona, quæ non niſi vero ænigmatis interpreti promiſſa fuerant.

69. Verſ.30. *Eadem nocte interfectus eſt Baltaſar Rex Chaldæorum.*] Non diu diſtulit Dominus nocturnas minas, quando nox ipſa, quæ conuiuium illud impium inſtruxerat, Regem oppreſſit, & Babylonicum ſplendorē extinxit. Idem multo antè cecinerat Iſaias cap.21.v.5. *Pone menſam, contemplare in ſpecula: comedentes, & bibentes ſurgite Principes, arripite clypeum.* Quomodo capta fuerit Babylon, nihil à Scriptura ſacra certum habemus: oppreſſam eſſe inopinato Perſarum ingreſſu, habemus hîc à Daniele, qui eadem nocte, in qua rei conuiuiali, & intemperantiæ, quæ eſt à vino; immò fortaſſe illi etiam, quæ eſt à Venere, dabatur opera, captam eſſe dicit. Quis autem credat inter geniales, & ebriorum cantus fuiſſe aut mortis, aut direptionis ciuitatis ſubitæ memoriam?

Babylon quando capta.

riam? Idem etiam indicat modus ille loquendi, quem in explicanda ciuitatis strage adhibuit Isaias cap. 21. v. 9. *Ecce iste venit ascensor vir biga equitum, & respondit, & dixit: Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum eius contrita sunt in terra.* Auctores externi multa dicunt, quæ hîc omnia commemorare necessarium non est. Sed illa non omittenda, quæ cum Danielis verbis aliqua ratione colludunt. Herodotus in Clio, ait, inopinatò captam esse vrbem, & eo tempore quo Babylon choreis esset, & aliis oblectationibus intenta. Idem docet Xenophon lib. 7. Cyrop. qui addit eodem esse tempore Regem occisum, quo ciuitas capta est, inter epulas scilicet, & fatales ludos.

70. *Cyrus cur Babylonis Rex post Darium.* Vers. 31. *Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.*] Quæret hîc aliquis, quomodo si Babyloni direptio, ac subiugatio Cyro promissa, Isai. cap. 45. successisse dicatur occiso Baltasari non Cyrus, sed Darius. Curius rei duæ possunt exhiberi rationes: altera est Hieronymi. *Quid autem*, inquit, *vincente Cyro Rege persarum, & Dario Rege Medorum, solus Darius successisse in regno scribitur, ordo ætatis, & propinquitatis, & regni seruatus est. Darius enim sexaginta duorum annorum erat, & maius regnum Medorum, quam Persarum legimus; & auunculus erat. Quare qui prior erat iure naturæ successor regni debuit numerari. Vnde & in visione, qua contra Babylonem legitur tam in Isaia cap. 18. quàm in Ieremia cap. 15. animaduertere licet eos, qui Babylonem, & regnum Chaldæorum euersuri erant,* A *solos Medos, nulla Persarum facta mentione nominari.* Hæc Hieronymus.

Ex his Hieronymi verbis aliam ego rationem inuenio. Vt enim, ait Herodotus, bellum principio non tam inter Babylonios, & Medos commotum est, in quo non tam Cyrus auctorem se, quàm adiutorem præbuit: adfuit enim auunculo, cuius studio strenuam nauauit, atque potentem operam, cùm Persicas vires cum Medicis coniunxerit. Quare cum præcipuas partes in expugnanda Babylone Cyrus obierit, illi tribuitur tam à sacris, quàm à profanis scriptoribus ciuitatis direptio: cùm autem Darij auunculi studio obsecutus fuerit, qui bello primum Babylonem designauit; Darius Primus post Chaldæos tenuisse dicitur Babylonis imperium. 71. *Cyrus ad oppugnandã Babyloniam Dary socius.*

Multa hîc multi tradunt de expeditione hac 72.
B Cyri, atque Darij: multa de Baltasare; multa & varia de ciuitatis strage, déque ipsius vastationis strategemate, ac modo, quæ videre promptum est apud Herodotum in Clio, Xenophontem lib. præcipuè 7. Cyropædiæ. Apud Eusebium lib. 9. de Præparatione Euangel. cap. 4. ex Alexandro Polyhist. & Alphæo, apud Iosephum lib. 10. Antiq. cap. 12. & 13. & lib. 1. contra Apionem ex Beroso, & Megastene; apud Paulum Orosium lib. 2. cap. 6. Hi multa dicunt, quæ non facile cum Danielis narratione componas; atque adeò non possunt à veritate non abesse. Ideo nos illa ab hac commentatione reiecimus.

IN CAPVT SEXTVM.

ARGVMENTVM.

CONSTITVTVS est Daniel à Dario triumuir, vt cum aliis duobus sociis centum ac viginti satrapis præesset, quibus totidem prouinciarum curam, & gubernacula tradiderat. Cùm autem experientia didicisset plus esse in Daniele prudentiæ, ac fidei, meditabatur secum, vt vnum Danieli toti regno præponeret. Res accidit satrapis, ac Principibus aliis permolesta, quare eò conspirant vt Danielem inuisum reddant Regi, & ab eius latere, regnique administratione deturbent. Opportuna ratio visa est, si insidias in religione parent, cuius sciebant obseruantissimum esse. Suadent ergo Regi vt edicto caueat, ne quis aliquid ab vllo siue homine, siue numine petat, nisi à se per tricenale dierum spatium: quorum votis annuit Darius, illius consilij callidi prorsus ignarus. Illi verò, qui contrà faxit, illud imposuit supplicium, vt coniectus in lacum præda foret, & cibus Leonibus, qui ibi ad eiusmodi vsus alebantur. Nihilo tamen secius orabat Daniel, vt antea solitus, ter in die ad Hierosolymam conuersus; apertis fenestris, ne cuiusquam oculos illa orationis assiduitas lateret, igitur coram Rege violati præcepti reus; qui licèt inuitus, obnitentibus tamen aduersariis, in lacum demittit Danielem, obsignato suo, ac satraparum annulo saxo, quo foueæ ostium priùs obstruxerat. Redit Rex domum mœstus, & de Danielis periculo sollicitus: neque nocte illa cibum capit, aut somnium. Multo verò manè lacum repetit, vbi Danielem comperit sanum, & integrum: à quo discit ab Angelo obstructas Leonum fuisse fauces, & illis nocendi facultatem, aut auiditatem ereptam. Tunc Rex & Dei virtutem, & Danielis innocentiam intelligens, accusatores cum vxoribus, ac filij in lacum protrudit, vbi à Leonibus in ipso descensu, antequam pauimentum attingerent, dilacerati sunt. Deinde edicto cauet, vt quotquot sub ipsius

ipsius potestate degunt, Deum viuentem, quem adorat Daniel, ipsi quoque venerentur, & colant.

CAPVT VI.

1. Placuit Dario, & constituit super regnum satrapas centum viginti, vt essent in toto regno suo.

2. Et super eos principes tres, ex quibus Daniel vnus erat: vt satrapæ illis redderent rationem, & rex non sustineret molestiam.

3. Igitur Daniel superabat omnes principes & satrapas: quia spiritus Dei amplior erat in illo.

4. Porrò rex cogitabat constituere eum super omne regnum: vnde principes & satrapæ quærebant occasionem vt inuenirent Danieli ex latere regis: nullámque causam & suspicionem reperire potuerunt, eo quòd fidelis esset, & omnis culpa & suspicio non inueniretur in eo.

5. Dixerunt ergo viri illi: Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi fortè in lege Dei sui.

PARAPHRASIS.

A 1. CVm imperium Darius Medus obtinuisset Babyloniců, & post bellicos tumultus pax iam, & publica quies successisset, ad componendam, & constituendam rempublicam, animum adiecit. Quare visum est illi, ex vsu fore tam ampli, atque felicis imperij, si centum, ac viginti prouinciis totidem præfectos ac satrapas præponerent.

2. Ne verò publica administratio à tot capitum consiliis varia, atque confusa laboraret, centum illos ac viginti satrapas trium principum imperio, ac voluntati subesse voluit, vt certis anni temporibus suorum consiliorum, atque functionum rationem reddant: vt deriuata in alios publica cura, ipse molestiam, quæ pro tanta regni mole non poterat esse non grauissima, declinaret. Ex hoc verò Triumuiratu vnus erat Daniel. B

3. Cùm verò non tam ab humano, quàm à diuino consilio regeretur Daniel, vtpote diuino instinctus, atque illustratus spiritu, facile Principes omnes & satrapas data sibi diuinitus sapientia superabat.

4. Expertus Darius in Daniele singularem in gubernando prudentiam, & fidem, optimè publicis rationibus consultum putabat, si sublatis aliis in regni administratione sociis, summum in regno toto magistratum teneret, quæ res magnam apud satrapas, & Principes aduersùs Danielem excitauit inuidiam. Quare omni sibi studio enitendum putant vt omnino à regio latere, & beneuolentia cadat. Nihil tamen inuenerunt, aut in vitæ modo, aut in regni administratione verisimile, quo aut à Regis gratia & latere, aut à regni administratione depellerent. Neque enim eiusmodi erat illius viuendi consuetudo, vt in illam caderet violatæ fidei, aut malè administratæ prouinciæ vlla suspicio. C D

5. Cùm viri illi versuti, atque inuidi desperarent inuenire se posse speciem aliquam turpitudinis, quæ Danielis vitam ac mores obscuraret, tandem cùm patriæ religionis ita videretur studiosus, & custos, vt à vita potius, quàm à paternæ legis obseruantia deficeret, in religione & pietate parandas esse statuunt insidias, à quibus illum expediri posse non arbitrabantur.

6. Tunc principes & Satrapæ surripuerunt regi, & sic locuti sunt ei: Dari rex in æternum viue.

A 6. Adierunt itaque Regem cum tumultu, & strepitu veteratores illi Principes, & Satrapæ, & precati de more sempiternam vitam, in hunc modum loquuntur.

7. Consilium inierunt omnes principes regni tui, magistratus, & Satrapæ, senatores, & iudices, vt decretum imperatorium exeat, & edictum: Vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocumque Deo & homine, vsque ad triginta dies, nisi à te rex, mittatur in lacũ leonum.

7. Omnes Principes, magistratus, & iudices, quorum consilio, ac fide Reipublicæ causam credidisti, de tua dignitate, atque immortalitate solliciti statuerunt ex vsu tuo, & publico futurum esse, ô Rex, si edicto caueas imperatorio, ne quis triginta dierum spatio ab aliquo Deorum
B quicquam petat, nisi abs te, & qui contrà fecisse coarguatur, coniiciatur illico in leonum lacum.

8. Nunc itaque rex confirma sententiam, & scribe decretum: vt non immutetur quod statutum est à Medis & Persis, nec præuaricari cuiquam liceat.

8. Ergo quando id visum est iis, quorum maturum est, & graue iudicium, tuum est, ô Rex, vt quod futurum nobis videtur ex vsu, id tua etiam auctoritate confirmes. Edicto igitur imperatorio caue, ratum vt sit, quod Persarum, ac Medorum Principibus visum est, neque vt deinde liceat illud à quoquam violari.

9. Porrò rex Darius proposuit edictum, & statuit.

C 9. Tunc autem Darius illorum consiliis ac votis obsecutus decretũ edidit iuxta postulata; illúdque quamprimum euulgari iussit.

10. Quod cùm Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam: & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo suo, sicut & antè facere consueuerat.

10. Non ignorabat Daniel quid esset à Rege constitutum, non tamen illum ab instituta orandi consuetudine propositum vitæ periculũ retardauit. Quare ingressus domum, eodem, quo antea loco, in cœnaculo nempe, id est, in parte domus, maximè sublimi, & apertis fenestris, flexísque genibus ne quis dubitaret illum intentum esse precibus, consuetum otium impende-
D bat orationi, ter nimirum in die conuersus ad Ierusalem, laudans, & adorans nihilo quàm antea segniùs.

11. Viri ergo illi curiosiùs inquirentes, inuenerunt Danielem orantem & obsecrantem Deum suum.

11. Viri autem illi quorum consilio decretum illud iniquum exierat, ne paratæ insidiæ suo carerent effectu; curiosis oculis, quid rerum Daniel moliretur, scrutabantur. Ac tandem inuenerunt illum orantem, & supplices Deo preces offerentem.

12. Et accedentes locuti sunt regi super edicto: Rex, numquid non constituisti, vt omnis homo, qui rogaret quemquam de diis & hominibus, vsque ad dies triginta, nisi te, rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex, ait: Verus est sermo, iuxta decretum Medorum atque Persarum, quod præuaricari non licet.

12. Accesserunt igitur ad Regem, & illum hunc in modum allocuti sunt: Nónne
E constitutum est, ô Rex, abs te, vt quicũque tricenali dierum spatio ab aliquo Deorũ, siue hominum quicquam oraret nisi abs te, in foueam mitteretur leonum, vbi pœnas daret violati præcepti? Ad quos Rex, ita prorsus esse, dixit, sicut ipsi referebant, & insuper addidit iuxta decretum Persarum & Medorum præceptum illud nullo modo violari fas esse.

13. Tunc respondentes dixerunt coram rege: Daniel de filiis captiuitatis Iuda, non curauit

13. Illi sub hæc ad Regẽ: Daniel homo Iudæus, de captiuorum genere, & ipse captiuus

nit de lege tua, & de edicto quod constituisti: sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua.

14. *Quod verbum cùm audisset rex, satis contristatus est: & pro Daniele posuit cor vt liberaret eum, & vsque ad occasum Solis laborabat vt erueret illum.*

15. *Viri autem illi intelligentes regem, dixerunt ei: Scito rex, quia lex Medorum atque Persarum est, vt omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari.*

16. *Tunc rex præcepit; & adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum. Dixítque rex Danieli: Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te.*

17. *Allatúsque est lapis vnus, & positus est super os laci: quem obsignauit rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.*

18. *Et abiit rex in domum suam, & dormiuit incœnatus, cibíque non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo.*

19. *Tunc rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit:*

20. *Appropinquánsque lacui, Danielem voce lacrymabili inclamauit, & affatus est eum: Daniel serue Dei viuentis, Deus tuus, cui tu seruis sẽper, putásne valuit te liberare à leonibus?*

21. *Et Daniel regi respondens ait: Rex in æternum viue:*

22. Deus

A prius nihil prorsus duxit, quid lege, siue edicto cautum esse volueris; sed nõ secus, atque antea ter in die in orationem, atque obsecrationem incumbit.

14. Ad hæc verba grauiter condoluit Rex non malè in Danielem animatus, & eò intendit animum, vt à leonum faucibus eriperet, quem videbat nullo suo merito callidis veteratorum insidiis ad exitium trahi, & contrà aliis obnitentibus, ad occasum vsque Solis pro Danielis libertate certauit.

B 15. Cùm verò Satrapæ illi, ac Principes quo animo esset Rex in Danielem intelligerent, vrgent Regem, & patriæ legis religionem obtendunt, dicúntque Persarum, atque Medorum decretis Regi in suas ipsius leges potestatem nullam esse relictam.

16. Coactus Rex tum improbis Satraparum vocibus, tum Persicarum legum seueritate, iussit agi lege in Danielis caput. Adductus est igitur Daniel coram Rege capitalis supplicij reus, quò statim in lacum leonum demissus est, C quem Rex his votis abeuntem prosequitur: Deus tuus ô Daniel, quem semper coluisti, & cuius causa in hunc rerum articulum deductus es, ipse te à leonum faucibus præstabit incolumem.

17. Obstructum est autem os laci imposito saxo, quod Rex obsignari, atque muniri iussit, tum annulo suo, nequid à Satraparum insidiis aliquid aduersùm Daniel pateretur, tum Satraparum, & Principum, ne quis noctu à Rege illum existimaret, aut suspicaretur extractum.

D 18. Inde Rex domum repetit mœstus, & de suo Daniele sollicitus; neque ipse cibos sumpsit, neque sibi cibos afferri passus est; quare incœnatus ea nocte cubuit, quam ad summum vsque manè traduxit insomnem.

19. Vbi autem primùm illuxit, exiliit festinus è lectulo, & progressus est ad lacum, in quo Danielem hesterno vespere condiderat.

20. Cúmque accessisset propè, sic flebili voce Danielem alloquitur: Veréne, ô Daniel, Deus viuus, quem obseruas, & co- E lis, & à cuius mandatis nunquam recessisti, suæ nobis potentiæ documenta præbuit, te ex hiantibus leonum faucibus liberando? Veréne te in hoc angusto rerum periculo liberauit?

21. Tunc Daniel ad lugubrem Regis clamorem, vt solaretur mœrentem animum, & sollicitum liberaret à metu; vsitato salutationis more respondit, dixitque: Opto tibi, ô Rex, precórque felicẽ, atque

que

A que immortalem vitam.

22. *Deus meus misit angelum suum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo iustitia inuenta est in me: sed & coram te, rex, delictum non feci.*

22. Non malè coniectas, ô Rex, Deus enim, quem colo, fidelem sese præbuit in liberando me. Misit enim Angelum suum, qui obturatis Leonum rictibus, & à naturali rabie, atque furore circuratis, omnem illis nocendi facultatem eripuit. Quare nihil ab illis molestiæ, aut nocumenti passus sum. Quare neque contra Deum iniustum aliquid admisi, neque quicquam contra fidem, aut maiestatem tuam à me peccatum est.

23. *Tunc vehementer rex gauisus est super eo, & Danielem præcepit educi de lacu: eductúsque est Daniel de lacu, & nulla læsio inuenta est in eo, quia credidit Deo suo.*

B 23. Exiliit tunc Rex vehementi gaudio, iussítque, vt quamprimum è lacu extraheretur Daniel, neque in illo vlla, aut à Leonum dentibus, aut à loci incommoditate apparuere vestigia, quia, & Deo se fidelem præbuit, & se totum diuinæ voluntati, ac prouidentiæ permisit.

24. *Iubente autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem: & in lacum leonum missi sunt, ipsi, & filij, & vxores eorum: & non peruenerunt vsque ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.*

24. Iubente igitur Rege adducti sunt, qui Danieli violati præcepti crimen ostẽderant, & in foueam, vnde modò extractus fuerat Daniel, cum vxoribus, ac filiis subitò coniecti; successu tamen longè dissi-
C mili; vix enim coniecti erant in lacum in ipso descensu, antequam ad foueæ pauimentum peruenirent, comprehensi sunt à leonibus, & ita lacerati, vt ipsa etiam ossa comminuta fuerint.

25. *Tunc Darius rex scripsit vniuersis populis, tribubus, & linguis, habitantibus in vniuersa terra: Pax vobis multiplicetur.*

25. Cùm Darius potentiam, æquaque iudicia Dei viuentis in Danielis libertate, & Satraparum supplicio cognouisset. Vniuersis populis, tribubus, & linguis, qui Regiones ipsius imperio subditas habitabant; scripto significauit suum de
D viuente Iudæorum Deo iudicium, cui legitimum illud, quod regiis edictis præfigi solet, de more præposuit. Pacem vobis opto, ac dico, & fortunam bonam.

26. *A me constitutum est decretum, vt in vniuerso imperio & regno meo tremiscant & paueant Deum Danielis. Ipse est enim Deus viuens, & æternus in sæcula: & regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsque in æternum.*

26. Hoc à me constitutum est decretum, quod omnibus exploratum esse volo, & omnes quotquot in Regionibus mihi subiectis habitare contigerit, Deum quem colit, & obseruat Daniel, ipsi quoque venerentur, & colant. Ipse etenim viuus est Deus, neque ex eius vita, ac statu quicquam mutabit, aut auferet
E æternitas. in cuius regnum nihil vis vlla poterit, aut machinatio mortalium: quod neque dissipabitur vnquam, neque vllus efficiet, vt potestas illius sempiterna non sit.

27. *Ipse liberator, atque saluator, faciens signa, & mirabilia in cœlo & in terra: qui liberauit Danielem de lacu leonum.*

27. Ipse id habet à natura mitissima, velit, & ab omni potente virtute vt possit saluare suos, & ab omni periculo incolumes præstare: ipse tam in terris, quàm in cœlis signa edit, atque prodigia, quibus suæ virtutis non obscura documenta dat. ipse sanum, & in-

28. *Porrò Daniel perseuerauit vsque ad regnum Darij, regnúmque Cyri Persæ.*

A tegrum è leonum lacu Danielem extraxit.

28. Porrò Daniel perseuerauit in magistratu, & gratia, tum apud omnes, tum maximè apud Reges quandiu regnauit Darius, ad tempus vsque Cyri Persæ, ad quem Dario vita, atque imperio defuncto, imperium peruenit.

Vers.1. *Placuit Dario, & constituit super regnum Satrapas centum viginti.*]

1. *Satrapa quid.* NON constat quo tempore Magistratus hosce creauerit Darius imperij potitus Babylonici; sed est verisimile id tentasse, cùm primùm tumultus siluerunt bellici; & leges post armorum strepitum induci, ac vigere potuerunt. Pro tot autem prouinciis, quas paterno imperio nuper adiecerat, centum ac viginti Satrapas constituit, qui Magistratus apud Persas, & Assyrios aut summi sunt, aut summis proximi; quíque non tantùm rebus præsunt ciuilibus, & pacatis; sed etiam turbulentis, & bellicis. Sunt autem apud Babylonios, & Persas *Satrapiæ* eædem, quæ *prouinciæ*; & qui prouinciæ præsunt, Satrapæ vocantur. Herodotus quidem lib.3. qui inscribitur *Thalia*, à Dario filio Histaspis Persicum regnum in viginti Satrapias diuisum esse tradit; quarum singulis præsides præposuit. Quod nomen, vtpote Persicum, aut primùm in Chaldæorum fines induxerunt Persæ; aut cùm iam antè ibi notum, fecerunt vt magis deinde foret familiare.

2. *Daniel Satrapis præpositus.* Vers.2. *Et super eos Principes tres, ex quibus Daniel vnus erat, vt Satrapæ illis redderent rationem.*] Non poterat non esse perturbata publica ratio, si tot prouinciarum multitudo, & tot Satraparum, ac præfectorum capita non subessent aut vnius, aut certè paucorum imperio, qui de publica, atque communi re maiori alia potestate statuerent. Quod optimè nouit Darius, dum iubet vt centum & viginti Satrapæ trium Principum imperio, ac voluntati subsint; quibus certis anni temporibus suorum consiliorum, functionúmque rationem reddant; ab hísque quid facto opus sit, legitima aliqua ratione doceantur. Quod eo consilio fecit Darius, vt minus prouinciarum administratio esset diuersa; & vt deriuata in alios cura ipse molestiam declinaret assiduam, quæ in tam lata, atque multiplici administratione non poterat esse non molesta. Quod consilium accepit olim Moyses à socero suo Exod. 18. ne si ipse vnus totum populi pondus sustineret, moli tantæ succumberet.

3. *Cur Daniel à Dario ornatus.* Cur verò in hoc Triumuiratu Danielem esse voluerit, multæ rationes sunt. Prima explorata iam antea Danielis prudentia, quæ non solùm Chaldæorum, sed aliarum etiam Gentium fines impleuerat. Neque enim occulta esse poterant, quæ in rebus vsque adeò grauibus, & implexis, adde & in regia causa tam certò prædixisset. Sanè Rex Tyri non ignorabat, quanta esset Danielis sapientia, eo etiam tempore cùm pauca edidisset illius documenta; cùm audiuit ab Ezechiele cap. 28. v. 3. *Danielis sapientia eximia.* *Ecce sapientior es tu Daniele, omne secretum non est absconditum à te!* Quòd si Rex Tyri quanta esset

B Danielis sapientia non agnosceret, non satis aptè illius eo rerum articulo meminisset Ezechiel. Hoc ipsum prædicabat tota Chaldæa, quæ suis sapientibus magno suo merito videbat Danielem fuisse prælatum. Secunda ratio fuit, quia antequam ipse, & Cyrus ex sorore filius Babyloniam intraret, iam illud fuerat à Daniele prædictum, quæ nonnulla gratia fuit apud Principem neque obliuiosum, neque ingratum. Adde quòd in eodem Magistratu, atque ordine Danielem inuenit, à Baltasare, cui aduersa nunciauerat, constitutum: neque putabat decere regium animum, vt cùm Baltasar duro percussus vaticinio, tam fuisset in Danielem liberalis; ipse cui grata essent ab eodem prædicta, tam esset ingratus, vt non solùm ornaret donis, sed etiam quæ ab aliis accepisset, adimeret.

C Quæri hîc solet, vbinam hæc historia contigerit, in Chaldæáne, & in eius capite Babylone; an in Media, aut Perside? Sunt qui hæc Babylone contigisse putant; neque sua deest huic opinioni fides, quia Darius præsens videtur fuisse, dum caperetur Babylon; & Danielem non abfuisse ex capite præcedenti constat, ea quippe nocte, qua Scripturam in pariete notatam exposuit, capta dicitur Babylon, & Darius Medus Baltasari inopinata morte sublato successisse. Sed est communis omnium ferme interpretum sententia, hæc extra Babylonem, in regione Medica contigisse. Eô enim abductum esse Danielem à Dario, re Babylonica constituta, tradit Iosephus, & ex eo Hieronymus, & auctor hist. Scholasticæ in Danielem cap.9. & omnes deinde Recentiores. Neque video, quid huic cogitationi à Scriptura sacra possit opponi, & in re coniecturali, ac dubia, non parum habet momenti communis auctoritas. 4. *Daniel in Media missus in lacũ.*

D *Porro Rex cogitabat constituere eum super omne regnum.*] Expertus fuerat Rex in Daniele singularem in gubernando prudentiam, & fidem: quare optimè rei communi, ac publicæ consultum putabat, si summum ipse Magistratum obtineret, & sublatis aliis, quos habuit in triumuiratu socios, solus aut centum viginti Satrapiis præesset; aut illis, quibus illarum prouinciarum credita esset administratio. 5.

E Vers.4. *Vnde Principes, & Satrapæ quærebant occasionem, vt inuenirent Danieli ex latere Regis.*] Locus hic impeditus est, & difficilis. Ægrè tulerunt Principes, & Satrapæ tam qui socij erant in Triumuiratu Danielis, quàm alij quorum fidei Persici imperij Satrapias Darius crediderat, præponi sibi Principem vnum, eúmque peregrinum, & ex eo genere, quod tunc ignobile putabatur, & sordidum. Quare omni sibi studio enitendum 6. *In Danielem conspiratio.*

enitendum putant, vt à regio latere, & gratia cadat: neque quicquam omittunt, quod in illud consilium pessimum conferre posse existimant: Illud obscurum, *Vt inuenirent Danieli ex latere Regis.*

Latus Regis quid. Vbi vulgatus *ex latere Regis*, Chaldaicè est מצד-מלכותא *misfad malcutha.* quod alij fermè omnes interpretes à vulgato reddunt, *ex parte regni.* & Tigurina, *in regiis negotiis.* quòd si nos eam lectionem sequeremur, haberemus hunc locum magis expeditum. Neque enim aliud, aut hoc certè maximè sonant hæc verba, quàm quæsiisse Satrapas, aut confingere voluisse aliquid, quod Danielem in peculatus, aut læsæ maiestatis, aut rei malè, ac perfidiosè administratæ suspicionem vocaret. Sed quia aliter vulgatus legit, & eius omnino translatio nobis tenenda est; aliter omnino rem aggrediamur necesse est.

7. Quidam sic exponunt. Quærebant viri illi cauillosi, atque inuidi speciem aliquam suspicionis, ac criminis, vt à Regis gratia, ac latere Danielem depellerent: neque enim ille à regio latere recedebat. Ita Petrus Comestor, Lyra, Dionysius, & Hugo. quæ explicatio mihi valde probatur. Hebræi, vt notat hîc Hieronymus, in *latere Regis* Reginam intelligunt; aut alias Regis concubinas, & vxores, quæ latus dicuntur Regis, quia Regi assident, & in eius sinu, ac latere dormiunt. *Hebræorum fabula de Daniele.* Fabulantur igitur suo more Hebræorum magistri, voluisse Satrapas obiicere Danieli regij thalami violati crimen; quod tamen cùm probari posse desperarent, cùm eunuchum esse comperissent, aliò cauillatorias, ac fraudulentas machinas transtulerunt. Hæc Hebræi, quorum cogitationem, magno suo merito, deridet Hieronymus, & cum eo frequentes alij. An verò Daniel eunuchus fuerit, diximus in principio prolegom. 2. vbi hanc Hebræorum sententiam confutauimus.

8. Fortasse in Regis latere genus quoddam æqualitatis ostenditur, latus in eo loco situm est, vt maximè sit aptum ad amicitiam significandam, vt quotidie videmus, amici etenim simul assident, simul ambulant, & latera vicissim lateribus associant; & ad exprimendam æqualitatem, quia neuter alteri inferior est, aut superior. Si enim quis claudat, aut contingat latus, neque caput illius supra, neque pedes habere potest infra se. *Legatus à latere.* Adde quòd legatus, qui alteri esse dicitur à latere, plus aliquid habet, quàm qui aliquo alio modo vicariam ab alio potestatem accipit, quam multis modis videtur habere cum Principe communem. Iuxta hæc id videntur Satrapæ iniisse consilij, vt de latere Regis Danielem deturbarent, id est, ab ea dignitate, atque ordine, qui non procul abesset à regio. Quid enim tantum à Rege distaret, qui supra totum regnum esset constitutus! Sed cùm in omnem se cogitationem, consiliúmque versarent; nihil tamen inuenere aut in vitæ modo, aut in regni administratione verisimile, quo à Regis gratia, & latere, aut à designato magistratu depellerent.

9. *Danielis religio, & in administrādo integritas.* Vers. 5. *Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem nisi fortè in lege Dei sui.*] Eximia est hæc Danielis commendatio, quando homines vsque adeò callidi, & inuidi post cogitationes multas, variasque consilia desperant se aliquid inuenire posse verisimile, quod Danielis vitam, & mores obscuret; cùm tamen ipse non vixisset in secessu, & tenebris; sed in publica

A luce, in conspectu videlicet tot prouinciarum, quas cum regia penè potestate moderabatur. Illorum autem, qui cum potestate sunt, vt maximè cupiant, studeántve si quid ab ipsis peccatum sit, nunquam, aut non nisi perrarò celare possunt. Neque minor est Danielis commendatio, quòd iisdem testibus vsque adeò visus est paternæ legis studiosus, & custos, vt lubens videretur amissurus honorem, & vitam ne quid contra patriam legem alienum, aut contrarium admitteret. Atque ideo in religione de pietate insidias parant, à quibus illum expediri posse non putant.

Vers. 6. *Tunc Principes, & Satrapæ surripuerunt* 10.
B *Regi.*] Conspirarunt in Danielis interitum tam Principes qui erant in Triumuiratu socij, quàm qui centum & viginti prouinciis præerant. Qui tamen omnes instruendas existimauerunt insidias Danielis orationi, quem statis horis aut ipsi viderant; aut ab aliis acceperant orationi vacare, quam non putabant amissurum proposito honoris, capitisque periculo. Sed vide quanto furoris iactarentur æstu, qui domum suam, iurisdictionémque relinquunt, vt innocentem opprimant; neque quicquam curant, ne datæ sibi prouinciæ aliquid detrimenti capiant, dum ipsi absunt. Digni sanè qui ideo ex eo magistratu caderent, quem tam ipsi segniter, & infi-
C deliter obeunt. *Gubernatores infideles, & improbi proprium opus.*

Surripuerunt Regi.] Chaldaicè הרגשו *harguisu.* 11.
quæ vox tumultum, vim, & fremitum sonat, qualia afferre solet seditiosa, & concitata turba. Eodem vsus est verbo Dauid Psal. 2. quando significare voluit quo fremitu Principes in Christi Domini exitium exarserint. *Quare,* inquit, *fremuerunt gentes.* Heb. למה רגשו *lama raguesu.* Surripuerunt itaque Regi, quia omnes simul cum strepitu Regi proposuerunt, quod optabant, & illud tandem importunis precibus extorserunt. Paulo aliter legit Rupertus lib. 1. in Danielem, nempe *surrepserunt.* id est, latenter, & insidiosè suggesserunt, & insinuarunt Regi, vt artificiosè captus illa concederet, quæ ipsi ma-
D ximè cuperent, & quæ regius animus maximè horreret, vt ostendit non obscurè postea, cùm inductum in laqueum Danielem aspexit.

Vers. 7. *Decretum imperatorium exeat, & edi-* 12.
ctum, vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocumque Deo, & homine vsque ad triginta dies, nisi à te, Rex, mittatur in lacum leonum.] Hic multa admirari licet, quæ meditatur liuor, & ambitio, quæ vt affectiones sunt insanæ; sic etiam insana pariunt, & stolida consilia. Satrapas hîc, & Principes video, penes quos erat summa rerum administratio, in quibus prima erat ingenij, atque prudentiæ laus; illorum tamen *Consiliatores mali maximè rei publicæ perniciosi.*
E oculos sic obscurarunt inuidiæ tenebræ, vt illud excogitarint consilium, quo nullum esse poterat magis saluti publicæ perniciosum; ne videlicet in toto imperio, quod centum & viginti prouinciis constabat, vllus à Deo quicquam peteret, sed à Rege: sin aliter quisquam faxit, leonum subeat & cruentos vngues, & famelicas fauces. Decretum planè crudele, atque impium, & à quo nullum vsum expectare possent supplices, & miseri. Vt enim Rex vbicumque locorum præsens esset, ita vt adiri ab omnibus commodè posset; quomodo si quis aut laboraret morbo, aut premeretur ab instāte morte, aut egeret pluuia, à Rege supplex obtineret id,

quo egebat maximè in illo angusto rerum articulo? Id ergo agit stolidum hoc, ac crudele decretum, vt ab aliorum misericordia excludatur miser, neque hiscere audeat, & suum dolorem aperire, cùm maximis vrgetur incommodis.

13. Hæc meditata est Satrapatum inuidia: sed vide quò progressa sit Principis, & noui imperatoris ambitio. Vt priùs Nabuchodonosor excitata statua Deus haberi voluit, inclinato ad illam adorandam toto Chaldæorum imperio; & quod tentasse Baltasarem probabiliter censebamus: id quoque cogitasse videtur Darius Satraparum consiliis callidè traductus. Qui enim à Diis, hominibúsque ad se subditorum preces, & supplicem cæremoniam auertit, ille planè significat aut Deum esse se, aut ad diuinitatis opinionem aspirare. Dixit acutè ex profanis Martialis lib. 8. epigr. 24. non tam ab artifice, qui simulacra conflat è metallo, quàm ab eo qui supplex orat, Deos fieri.

Darius diuinitatis auidus fuisse videtur.

Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui rogat, ille facit.

Ista diuinitatis ambitio adducere potuit Regem non omnino malum, vt consilium admitteret, quod suggerebat Satraparum inuidia, quibus ideo credendum esse duxit; quia cùm prouinciarum mores, atque studia nossent, quid ab illis obtineri posset, quidque ex vsu futurum videretur, non ignoraturi existimabantur.

Vt mittatur in lacum leonum.] Supplicium videtur vsitatum tam apud Persas, & Medos, vbi hæc agebantur, quàm apud Babylonios, vt ex cap. 14. planè liquet, vbi iterum Daniel in lacum leonum missus esse traditur.

14. Vers. 10. *Ingressus est domũ suam, & fenestris apertis in cænaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua.*] Non retardant pium Danielis animum ab instituta orandi consuetudine, aut magistratus amplissimi, aut vitæ periculũ. Neque enim teneri se putabat ea lege, quæ ipsum repellebat ab eo consortio, quod homo in terris habere cum Deo potest, per quod mille quotidie capit à diuina liberalitate beneficia. Neque præterea fas esse ducebat, omissa oratione, quam habebat ad Deum familiarem, licèt obscurè profiteri in Dario aliquid esse diuinum. Quare nihilo quàm antea segniùs, aut occultiùs orationi vacabat. Eodem igitur loco, in cœnaculo nempe, id est, in parte domus maximè sublimi, & apertis fenestris, flexisque genibus, ne quis dubitaret illum intentum esse precibus, consuetum otium impendebat orationi; & vsque adeò non vitabat maleuolos, & curiosos oculos; vt illis se potiùs spectandum offerret.

Daniel quomodo ad orationem affectus.

15. In hac Danielis oratione aliqua nobis obseruanda sunt. Primũ, habitam fuisse in cœnaculo Hebræorum more, qui partem domus superiorem orationi destinarant; aut quia inde meliùs spectari cœlum posset; aut quia domesticorum strepitus minus ibi interpellaret orantem. Sanè Apostoli Actor. c. 1. in cœnaculo orarunt, & in illos eo loco Spiritus sanctus illapsus est. In cœnaculo item orauit Petrus Actor. c. 10. qui ad superiora domus oraturus ascendit. Idem fecit, cùm adhuc captiua teneretur in Niniue Sara Raguelis filia Tob. c. 3. v. 10. *Ad hanc vocem perrexit ad superius cubiculum domus suæ, & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit; sed in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum.* Iudith item, vt ex eius historia constat, cap. 8. & 9. in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, & oratorium. Communem igitur Hebræorum consuetudinem secutus Daniel in cœnaculo domus suum quoque sibi oratorium parauerat; vnde commodiùs spectare cœlum posset, & regionem illam, vbi Hierosolymæ supererant ruinæ.

Locus sublimis orationi accõmodatus.

16. Secundò obseruandum, orationem factam esse contra Ierusalem; quod, credo, idem fecisse Iudæos, quocumque loco ipsos Hierosolymis abesse contigisset. Sic enim acceperant à Salomone lib. 3. Reg. c. 8. v. 44. *Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam quocumque miseris eos, orabunt te contra viam ciuitatis quam elegisti, & contra domum, quam ædificaui nomini tuo: & exaudies in cœlo orationes eorum.* & vers. 48. *Si reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo, & tota anima sua in terra inimicorum suorum, ad quam captiui ducti fuerint: & orauerint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & ciuitatis, quam elegisti, & templi, quod ædificaui nomini tuo, exaudies in cœlo,* &c.

Absentes Iudæi conuersi ad Hierosolymam orabant.

17. Vt Iudæi, cùm orarent, certum habebant locum, quo venerabundos oculos, & supplices intenderent manus: sic etiam Christiani ab Ecclesiæ primis incunabulis suum quoque locum habuere, quem orando spectarent. Ad Orientem namque conuersi suas ad Deum preces effundebant. Sic Tertullianus in Apologetico aduersùs Gentes, Origenes homil. 5. in Numer. Athanasius homil. 14. ad Antiochum, Iustinus q. 18. ad Orthodoxos, Epiphanius hæres. 19. quæ est Ossenorum. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 27. Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 9. Damasc. lib. 4. de fide, cap. 13; & plures alij, qui docent templa ad Orientem spectare, vt qui orant, ad Orientem quoque conuertantur. Quam esse traditionem Apostolicam docent Origenes, Iustinus, & Basilius suprà. Huius rei causæ variæ à variis producuntur. Vide Baronium tom. 1. Annal. anno 58. & Bellarminum tomo 1. de cultu Sanctorum, lib. 3. c. 3. Ex illis duas tantùm producam. Altera est, quam inter alias plures adducit Damascenus lib. 4. de fide, cap. 13. ex quo sumpserunt alij, quia Christus ad Occasum spectans mortuus est; & ideo necesse est, vt Christiani ad Christum adorantes conuersi ad orientem solem conuertantur. Sicut de Gentilium templis docet Vitruuius, qui iubet vt ædis signum, id est, Dei simulacrum sit ad Occasum, vt qui conuersi ad signum, contrario videlicet aspectu adoraturi sunt, regionem spectent orientalem. Altera est, quam adducit Pammelius in citatum Tertulliani locum; quia cùm Iudæi ad occidentem solem orare iubeantur, conuersi nimirum ad religiosissimum sanctuarij secessum, Christiani ad Orientem conuertuntur, ne cum illis in externa illa cæremonia consentire videantur, sicut etiam faciunt in celebrando Paschate.

Christiani olim cõuersi ad orientem orabant.

Templa cur ad orientem conuersa.

Moriens Christus ad occasum cõuersus.

18. Tertiò expendendum cur tribus temporibus dicatur orasse Daniel. Ego tres præcipuas horas existimo apud Hebræos orationi destinatas, inter quas constat fuisse nonam: nam ad illam ad templum conuenisse dicuntur Petrus, & Ioannes Actor. cap. 3. *Petrus autem, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Fuisse autem inter Hebræos tria tempora sacratiora & religioni, ac precibus seu lege, seu consuetudine destinata, docet Tertullianus aduersùs Psychicos cap. 10. horam nempe tertiam, sextam, & nonam.

Tres horæ Iudæis ad orationem destinatæ.

nam. *Porro,* inquit, *cùm in eodem commentario Lucæ & tertia hora orationis demonstretur, sub qua Spiritu sancto initiati* (Apostoli) *pro ebriis habebantur: & sexta qua Petrus ascendit in superiora; & nona qua templum sunt ingressi, cur non intelligamus salua planè indifferentia semper, & vbique, & omni tempore orandum: tamen tres istas horas, vt insigniores in rebus humanis quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publicè resonant; ita & solenniores fuisse in orationibus diuinis. Quod etiam suadet Danielis quoque argumentum ter die orantis, vtique per aliquarum horarum exceptionem, non aliarum autem, quàm insigniorum exinde Apostolicarum tertiæ, sextæ, nonæ. Hinc itaque & Petrum dicam ex veteri potiùs vsu nonam obseruasse tertio orantem supremæ orationis munere*, &c. Hæc Tertullianus. Vide etiam Cyprianum lib. de oratione Dominica ad finem, vbi tres illas horas orationi ab Ecclesia destinatas ortum habuisse existimat ex hac tripartita Danielis oratione, quod item putat hoc loco Hieronymus,
19. & cum eo ex interpretibus plerique. Addam ad extremum quod auctor histor. scholast. refert in Daniele cap. 9. qua fide ipse viderit, vellem probasset.

Cur ter in die orauerint Iudæi ex historia scholastica.

Tribus, inquit, *horis orabant Iudæi in die, scilicet hora tertia, sexta, & nona: sicut legitur de Apostolo, quòd tribus vicibus orabat in die, & de Petro, & Ioanne quòd ascendebant ad horam orationis nonam. In tertia orabant quia tunc datus est eis Decalogus in Sina. In eadem orat Ecclesia, quia tunc est datus Spiritus sanctus super Apostolos. In sexta orabant, quia tunc erectus est serpens æneus in deserto: in eadem orat Ecclesia, quia tūc est Christus suspensus in ligno. In nona orabant, quia tunc dedit petra aquam in Cades: in eadem orat Ecclesia, quia tunc de Christo lanceato exiuit sanguis, & aqua.* Hæc Comestor.

Genua in oratione cur flectantur.

20. Quartò addidit Daniel ex more vt genua in orando flecteret; quod in vsu fuit Iudæis iam olim ab antiquissimis sæculis, & in Euangelij tempore sæpius vsurpatum; vtrumque facilè obseruabit attentus lector. Vnum, aut alterum exemplum cape. 3. Reg. cap. 8. v. 54. *Factum est autem cùm complesset Salomon orans Dominum omnem orationem, & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini, vtrumque enim genu in terram fixerat.* Isaias cap. 45. v. 23. *Mihi curuabitur omne genu.* Ex nouo, Matth. cap. 27. v. 29. milites illudentes veros adoratores imitati. *Genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum.* Et Actor. cap. 7. v. 60. Stephanus iamiam moriturus: *positis genibus clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.*

Cur diebus Dominicis, & à resurrectione ad Pentecosten genua non flectantur.

21. Illud hìc non omittendum, licèt aliis diebus flexis genibus orent Christiani; diebus tamen Dominicis, & eo toto tempore quod à resurrectione ad festum vsque Pentecostes intercedit, non genuflexos, sed stantes orare, idque ex antiquissima Ecclesiæ traditione. Ita Tertullianus de corona militis, cap. 3. *Die Dominico, & per omnem Pentecostem, nec de geniculis adorare, & ieiunium soluere.* Idem Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, Ambrosius homil. 61. Iustinus q. 115. ad Orthodoxos: cuius hìc verba referam, quia ille eius institutionis causam tradit; & in eo alij etiam omnes videntur locuti. Proponitur Iustino ab Orthodoxis hæc quæstio.

QVÆSTIO.

22. *Si genuum inclinatio in precationibus magis precatores Deo commendat, quàm si stantes orent, magisque ea res diuinam permouet commiserationem: quapropter diebus Dominicis, & à Pascha feriis ad Pentecostem vsque precantes genua non flectunt? Vnde autem talis etiam in Ecclesias peruenit consuetudo?*

RESPONSIO.

Quia vtriusque nos oportuit ingem obtinere memo- 23.
riam, & ipsius per peccata lapsus nostri, & gratiam Christi nostri, per quam à lapsu resurreximus. Eapropter genuum per sex dies inclinatio symbolum, & nota est lapsus per peccata nostri. Quòd verò die Dominico genua non inflectimus, signum est, & designatio resurrectionis, per quam gratia Christi, & à peccatis, & à mortificata in eis morte liberati sumus. A temporibus autem Apostolorum consuetudo talis accepit initium, prout ait beatus Irenæus Martyr, & Episcopus Lugdunensis in libro de Paschate: vbi quoque mentionem fecit Pentecostes, in qua genua non inflectimus, quoniam pari est cum die Dominico potestate, iuxta illam quæ de ea est dicta causam. Hæc Iustinus.

Confitebatúrque coram Deo suo, sicut & antè facere 24.
consueuerat.] Duo apud Hebræos significat *confessio*, & peccatorum manifestationem cum animi dolore; & diuinas laudes. Vtrumque adhiberi solitum in orando multa Scripturæ sacræ loca testantur. Vide quæ diximus suprà cap. 3. vbi Azarias in oratione ad Deum duo præstat orantibus penè legitima. Laudat etenim Deum; & seipsum accusat, & populum, in quem Deus sæuiisse videbatur. Idem fecit Ieremias Thren. 1. v. 18. & Tobias cap. 3. & ipse Daniel cap. 9. in oratione, quam ibi ad Deum longā habuit, seipsum accusat; & Deum ab æquitate, & misericordia commendat. Neque aliter hoc loco precationē suam instituisse arbitror. Hinc ortum est, vt oratio in Scriptura dicatur laus. vide quæ nos pluribus ad illud Ierem. cap. 7. v. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc; nec assumas pro eis laudem.* & Thren. cap. 2. v. 19. *Consurge, lauda in nocte.* Ad accusationem sui in orationis ingressu, quasi aliquid esset legitimum, adduci posset illud Prouerb. 18. v. 17. *Iustus prius est accusator sui.*

In oratione homo Deum laudat, & seipsum accusat.

Vers. 13. *De filiis captiuitatis Iuda.*] Filij captiui- 25.
tatis captiui sunt tam ex Chaldaica, quàm ex Hebraica proprietate. Addiderunt autem accusatores illi Satrapæ *Iuda*, vt inuidiam, credo, conflarent Iudæorū nomini, in quod videbant propensum esse Regem. Erant autem plurimi ex aliis etiā nationibus captiui; quos quinto postquam Hierosolymam debellasset anno, subiugauit Nabuchodonosor, vt prædixerat antè Ieremias cap. 25. & cap. 27. & contigisse eo, quem diximus, anno, refert Iosephus lib. 10. cap. 11. *Quinto,* inquit, *post excidium Solymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimustertius, cum magnis copiis inuasit Cœlem-Syriam: qua subacta bellum gessit contra Ammonitas, & Moabitas: & his quoque perdomitis, Ægyptum hostiliter est ingressus; occisóque qui tunc regnabat, & alio Rege constituto, repertos ibi Iudæos rursus captiuos Babylonem abduxit.* In eo verò, *de filiis captiuitatis*, magnum aliquid latet ad exaggerandum crimen, inflammandúmque regium animum contra Danielem. Qui filius est captiuitatis, id est, captiuus, & seruus, ille multo magis subesse debet, parēreque legibus à Domino præscriptis. Ea vilis seruulorum, miseraque conditio nihil debuit cogitare, nedum moliri contra Regis imperium; maximè cùm à seruilibus, sordidísque ministeriis, quibus propter seruile nomen alligari debuit, ad sublimem locum, & splendidum nomen regia benignitate sublatus fuerit.

Vers. 14. *Vsque ad occasum solis laborabat, vt erue-* 26.

ret illum.] Summo, vt arbitror, mane aduolarunt callidi illi sycophantæ, vt Danielem apud Regem accusarent violatæ legis. Quare vt primùm potestas facta est adeundi Regis, nomen deferũt Prophetæ magnis, vt ipsi aut credebãt, aut optabant oneratum criminibus. Toto autem die videtur Rex eorum consiliis obluctatus: dicitur enim ad occasum vsque Solis laborasse, vt è leonum faucibus extraheret illum, quem videbat sine vllo suo merito, callidis veteratorum insidiis ad exitium trahi. Cui ipsi contrà obtendũt; latam esse legem, neque vllo licere modo illius transgressionem impunitam abire.

27. *Scito, Rex, quia lex Medorum, atque Persarum est, vt omne decretum, quod constituerit Rex, non liceat immutari.*] Verè hoc dicunt Satrapæ, quos Persicarum legũ peritos fuisse oportet. Verum est Persarum, Medorúmque Regibus nullam in leges à se latas facultatem esse. Id constat ex Diodoro Siculo lib. 14. vbi cùm Persarum Rex maximè cuperet reuocare decretum, quod in Charidemi caput tulerat, illúmque à morte liberare; non tamen quicquam potuit contra legem, qua iubente, licèt dolente, ac repugnante Rege, capitale subiit à lege supplicium.

Persæ leges à se latas mutare non possunt.

28. Vers. 16. *Tunc Rex præcepit.*] Nempe lege agi in Danielem, quam ipse iuxta Persicos mores neque laxare, neque moderari poterat. Quare adductus est Daniel coram Rege; vbi cùm audiisset, quid ex Persarum lege subire deberet, neque ille se defendere, aut vellet, aut posset, in lacum leonum demissus est.

29. *Dixitque Rex Danieli: Deus tuus quem colis semper ipse liberabit te.*] Hinc apparet non improbari Regi, quod illo tempore, etiamsi contra staret regium edictum, Daniel Deum suum adorarit, supplicaritque, sicut aliis antè diebus facere consueuerat, quando in vltimo digressu bene de ipsius salute, & prudenter ominatus, libertatem promittit ab eo, quem ille semper etiam decreto prohibente regio, coluisset. Neque modus ipse dicendi ostendit Regem in illo augusto rerum articulo fuisse de Prophetæ libertate dubium. Ita putat hîc Hieronymus, & Theodoretus, & Iosephus lib. 10. cap. 12. Tertullianus libro aduersùs Gnosticos, cap. 8. vocans dignam Darij præsumptionem. Quod etiam tenent è Recentioribus plerique, probátque aut certè non leuiter suadet, quod statim subditur. Quòd verò id Rex de Danielis libertate sperare potuerit, faciebat & opinio iam antè concepta de Danielis sanctitate; & quòd non multo antea tres alij pueri de flammarum incendio, maiori nempe periculo incolumes euaserant; qui tamẽ nihilo existimabantur Daniele meliores.

Darius an Danielis libertate certus.

30. Vers. 17. *Allatúsque est lapis vnus, & positus super os laci, quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.*] In lacu, qui propriè carcer est, saxum reperitur, quod ori imponitur lacus, siue putei; vtroque enim nomine in Scriptura vocatur. Sic Thren. cap. 3. v. 53. *Lapsa est in lacum vita mea, posuisti lapidem super me.* Et idem videtur significasse Dauid, cùm dixit Psalmo 68. *Neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum:* id est, ne obstruatur opposito nimirum lapide os putei, siue lacus. Hic verò lacus cùm potiùs esset leonum stabulatio, vbi nutrirentur, & seruarentur ad illos ludos circenses, qui à Latinis vocantur venationes; seu ad sontium supplicium, quod videtur esse verisimile magis; credibile est nullum habuisse saxeum operculum, sed ferreos clathros, per quos intro ab externis iacula mitti possent, quibus confici Daniel ab inuidis, & maleuolis accusatoribus posset, si mites habuisset, atque innoxias belluas: sed allatus est lapis, aut qui proximè esset ad illũ vsum, aut aliunde aduectus, vt os clauderet lacus. Quod eo consilio videtur Rex fecisse, vt à maleuolorum iniuria præstaret Danielem incolumem; docet quod statim additur, *Ne quid fieret contra Danielem.*

Addit præterea Rex, quo magis à Propheta vim omnem arceret, & iniuriã vt tam suo, quàm optimatum annulo saxum obsignaret; suo quidem, ne optimates auulso saxo quidquam hostile in Danielem molirentur; optimatum verò, ne suspicarentur à Rege noctu eductum esse Danielem. Cùm autẽ annulus vsus habeat plurimos (de signatorio loquor) ille maximus est, quo à fraude vendicet, & furacibus manibus, quod maximè seruatum esse volumus. Sanè antiqui, quod intactum esse, atque integrum studebant, sigillo signabant. Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 11. matrifamilias annulum attribuit, non tam ad ornatum, quàm ad custodiam, vt consignet, vendicétque à fraude, vel furto, quod ad penum pertinet, & domesticos vsus. Quare apud Plautum in Casina Act. 2. Scen. 1. sic materfamilias ad seruos, 31.

Annuli signatorij varij vsus.

Obsignate cellas, referte annulum ad me.

Et de sua matre Cicero lib. epist. famil. 16. epist. 26. obsignare solitam lagenas, etiam vacuas, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exiccatæ. Eo consilio lapidi, qui obiectus est Christi sepulcro, impressum est sigillum Matth. cap. 27. v. 66. *Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum signantes lapidem cum custodibus.* Et infrà cap. 14. ne quia fraus esset clausa sunt, & obsignata annulo templi ostia; & altero die ante ingressum in templum, impressa antea signacula recognita.

Vers. 18. *Et abiit Rex in domum suam, & dormiuit incœnatus, cibique non sunt allati coram eo; insuper & somnus recessit ab eo.*] Multa hic apparent documenta amoris eximij, & doloris ingentis, quo Rex Danielem prosequebatur. Primum quòd ad ostium vsque lacus progressus est, ne eius quem amabat conuictu exigua illa mora priuaretur: vnde domum rediit post Solis occasum, immò, vt reor, multa iam nocte. Vt enim vidimus vers. 14. ad occasum vsque Solis laborauit, vt ab eo periculo Danielem eriperet: postquã autem cessit importunis Satraparum calumniis, & statuit Danielem iuxta edicti seueritatem leonibus lacerandum obiicere, ad supplicij vsque executionem non parum temporis consumtum oportuit. Rediit ergo Rex multa iam nocte domum, sic ægrè affectus Danielis causa, vt prohibuerit sibi cibos afferri: quare incœnatus cubuit, noctémque totam sollicitus, & mœstus traduxit insomnem. Quæ omnia & amantis animi, & amarè dolentis argumenta sunt: neque enim Pater suum in filium amorem, & studium, si quid pateretur eiusmodi, pluribus significaret indiciis. 32.

Magnus Darij in Daniel amor.

Illud hîc explorandum, quomodo Rex dicatur incœnatus dormiisse, cùm tamen omnino dormiisse negetur. Id enim valet, *Et somnus recessit ab eo.* Responsio difficilis non est. Est enim in omni literatura frequens vt res actionis illius sibi nomen vsurpent, cuius gratia plerumque fiunt. Vnde fit, vt odisse quis dicatur illum à quo recedit, 33.

REGVLA. *Aliquando res eius actionis sibi nomen assumunt, cuius gratia plerumque fiunt.*

recedit, licet non oderit; immò vehementer amet, quia recessus ille plerumque ab odio, atque offensione nascitur. Sic filius odisse dicitur patrem, & matrem, & homo animam suam; licet vtraque amet, quia vbi contrà stat diuina voluntas, ab illis recedit, neque quid petant, aut velint curat, aut laborat. Sic adorare dicitur qui genua flectit, aut in faciem cadit, licèt alias ob causas aut stet a geniculis, aut pronus se sternat, quia plerumque aut curuantur genua, aut vultus in terram cernuus cadit, quādo quis aliquid supplex adorat. Sic Naaman 4. Reg. cap. 6. cùm longè abesset vt adorare vellet Remmon, adorare tamen dicitur cùm sese incuruat, & inclinat, vt dominus adoraturus ipsius humeris innitatur. Cùm ergo homines plerumque cubent, & iaceant, vt somnos capiant, fit vt omnes, qui quamcumque ob causam cubāt, aut iacent, dormire dicantur. Sic qui cum vxore cubat, dormire cum vxore, & qui in sepulcro iacet, dormire dicitur in sepulcro; vnde lucus sepeliendis mortuis destinatus κοιμητήριον vocatur, quod Latinè *dormitorium* sonat. Dormiisse itaque Rex dicitur insomnis, quia licèt in lecto iacuisset; somnum tamen oculis non vidit suis.

Adorare dicitur qui inclinat se quocumque vel animo faciat.

34.

Dormio idē quod cubo.

35. Vers. 19. *Tunc Rex primo diluculo consurgens festinus ad lacum leonum perrexit.*] En aliud eximij amoris graue testimonium! nondum exortus fuerat sol, in ipso matutino crepusculo exilit è lecto, aduolat ad lacum, & antequam ad eius ostium perueniat, clamat flebili voce, quæ neque senilem ætatem, neque regiam maiestatem decere videbantur. Sed nihil est amanti difficile, nullum importunum tempus; neque si verus est amor, admodum curat quid maiestas, quid ætas, quid affecti corporis valetudo requirat. Dixit sanè optimè quicumque dixit,

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur
Maiestas, & amor.

Amor verus propriā commoditatem aut maiestatem non curat.

36. Vers. 20. *Deus, cui tu seruis semper, putásne valuit te liberare?*] Hieronymus, & Theodoretus, & cum eis Hugo, Dionysius, & Lyra nullam hîc Regis de diuina ad liberandum virtute dubitationem agnoscunt; sed hoc dicendi modo significasse rem esse magnam, ac si diceret: Numquid, ô Daniel, Deus, quem colis, ostendit dum te à tanto periculo lacerandum eximit, quid valeat, & possit. Quam esse Regis mentem probat tam matutinus, & celer ad lacū progressus; neque enim si mortuum Danielem putasset, Solem præuertisset, & Danielis nomen inclamasset. Sed placet quod hoc loco censet Maldonatus, bene quidem Regem, & magnificè sentire de Deo, sed cùm nondum esset in vera religione institutus, sed cogitationem illam ex prodigiis tantùm, quæ paulo antè contigerāt, imbibisset, non erat adeò in sana mente confirmatus, vt omnem omnino dubitationem excluserit. Quare fluctuabat animus, quia nondum antiquam religionem abiecerat, & modò in hanc, modò in illam cogitationem ferebatur. E cogitatione sacra ortus est egressus ille matutinus; ex infideli, & barbara, vox illa, *putásne valuit te liberare?* Vt autem egrederetur domo festinus & tristis, dubitatio ipsa facere potuit, quæ nondum ipsum certum reddidisset aut liberatum esse Danielem, aut à Deo liberari potuisse.

Darius sperabat Danielē à leonibus esse liberandum.

37. Vers. 22. *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum.*] Audierat, credo, Darius, quod in tota Chaldæa notissimum fuerat, Angelorum ministerio tres adolescentes puros exiisse, atque intactos ab igne Babylonico. Quare facile Regi persuaderi potuit, ab Angelo in articulo non admodum dissimili, Danielem fuisse liberatum. Quomodo verò Angelus à Daniele contra leones steterit, nil habemus certum, tantùm audiuimus ab eo, qui præsens adfuit, ora leonum ab Angelo fuisse conclusa. Quot modis leonum 38.
vis, ac furor cohiberi possint, siue ab Angelo, siue etiam ab homine, docet multis hoc loco Pererra, quem tu vide. Hieronymus indicat leonū rictus obstructos ab Angelo, & compressam rabiem, quo autem modo non indicat. Potuit hoc fieri præclusis faucibus, aut ori iniectis ad deuorandū obstaculis; quomodo de Cerbero nugatur Poëta lib. 6. Æneid. cui obiecta offa compressit rabiem, & vires ademit, & infrà cap. 14. draconem medicata quædam offa interfecit. Alij modi excogitari possunt varij, & reuera excogitantur ab aliis, vt quòd ludificati fuerint leonū oculi, & aliud se videre putauerint, quàm hominem, in quem sæuirent; aut id quo suam rabiem & esuriem explerent; aut certè aliquid intuerentur horribile, quod ipsi maximè pauent, quales sunt flammæ: sed hoc loco omnes planè diuinant, non tamen sine aliquo fundamento. Ego in occlusis leonum faucibus nihil aliud inuenio, quàm leones ab Angelo fuisse prohibitos, ne Danieli vllo modo nocerent: neque hoc aut obstructo rictu, aut resectis vnguibus; sed cicuratis eo tempore, aut domitis à maiori potentia. Dicitur tamen os occlusum, quia permissi leones non sunt dentibus lacerare, aut deuorare Danielem: quomodo dicimus alicui confractum esse brachium, quia pugnare vtiliter cum hoste non potest, quantumuis brachium sanum sit, & robustum, quia copiæ absunt auxiliares, & belli firmamenta sublata. Et illi neruos incisos esse dicimus, cui pecuniæ desunt ad conscribendos milites, quæ bellorum putantur esse nerui.

Leones quomodo ab Angelo impediti ne Danieli nocerent.

Paulus ad Hebr. cap. 11. à Daniele dicit ora 39.
leonum obturata. *Obturauerunt*, inquit, *ora leonum*, quæ verba tam Patres quàm interpretes omnes de Daniele capiunt; aut certè de aliis cum Daniele simul. Sed non est Paulus Danieli contrarius, id enim aliquis fecisse dicitur, quod vt fieret suis meritis, aut precibus obtinuit. Quomodo statim dicit idem Paulus, *extinxerunt impetum ignis*, cùm tamen non à tribus pueris (de illis enim agit eo loco Paulus) sed ab Angelo extinctus fuisse dicatur ignis Babylonicus supra cap. 3. v. 49. & Elias Eccli. 48. v. 2. induxisse dicitur famem, & cœlum continuisse ne plueret, quia illud à Deo suis precibus obtinuit. *Induxit in illos famem; verbo Domini continuit cœlum.* Et idem dedisse pluuiam dicitur, quia illam à Deo suis obtinuit precibus. Iacob epist. cap. 5. v. 17. *Elias homo erat similis nobis, passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam.* Sic quod ab Angelo factū dicit Daniel, id Paulus ascribit Danieli, quia id Danielis merita consecuta sunt.

Et non nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inuenta est in me.] Explicat Propheta id, quod mo- 40.
dò ex Paulo obseruabamus, obturatos à Daniele leonum rictus; quia suis meritis id, vt ab Angelo fieret, obtinuit. Inuenit enim Deus in illo iustitiam, quam commendare voluit aut cicuratis, aut domitis, & compensare tum producta in annos aliquot vita; tum amplioribus quàm antea à regia liberalitate, atque amore beneficiis.

Iustitia

Iustitia autem cùm multa significet, hoc loco arbitror pro ea iustitiæ parte sumi quæ respicit Deum: pro religione videlicet, & obseruantia, quam Daniel honori, ac vitæ, & rebus omnibus anteposuit. Maluit enim à Regis excidere gratia, & in leonum fauces incurrere, quam à Dei studio, atque obseruantia deficere. Quòd si iustitiam pro omnium virtutum complexione sumas, non pugnauerim, licèt quod statim subditur non admodum huic cogitationi faueat, cùm seorsum ab hac iustitia, ponatur illa, quam aduersùs Regem obseruare debuit.

41. *Sed coram te Rex delictum non feci.*] Hìc nonnulli non minus ignoranter, quàm impiè veritatem in Daniele requirunt, cùm transgressus fuerit regium edictum oratione quotidie tertiò repetita, eóque nomine eadem cogente lege in lacum leonum coniectus sit. Sed illi omnino errant: neque vno modo Daniel ab hac calumnia liberari potest. Primùm, quia nó delinquit contra Regis imperium, cùm iniqua imperat, & supra quàm illi à natura, iure, ac Deo concessum est. Quale esset cùm inferior potestas iubet, ne quis superiori pareat; aut quod natura æterna lege prohibet. Quale erat hoc Regis edictum, quæ fundi ad Deum preces vetabat, & mortalem hominem coli pro Deo. Et hoc modo nemo condemnabit Danielem, quasi delictum fecerit coram Rege, cùm nullum edictum quod obseruari debuerit, violauerit: delictum enim nullum est, nisi cùm quis ab eo deficit, quod præstare legitimè debuit.

Hominum imperium quando non obligat.

42. Aliter etiam excusari Daniel potuit à mendacio, si illud *coram te*, sic interpretere, quasi dicat, teipso teste, ac iudice, ô Rex, nihil contra voluntatem tuam, aut imperiū admisi. Tu enim hoc ipsum significasti, cùm te in mea causa insidiatoribus patronum obiecisti. Tu me egisse præclarè docuisti, cùm eo me nomine incolumem futurum prædixisti, quòd Deum viuentem, & verum perpetuò coluerim: quare quod maleuoli, & inuidi in me accusant, id tu probas, & laudas, atque ideo coram te, id est, iudicio tuo nihil à me commissum est mali.

43. Vers.23. *Et nulla læsio inuenta est in eo, quia credidit Deo suo.*] Causa redditur alia cur Daniel è lacu leonum incolumis emerserit; quia nempe credidit Deo, credidit nempe illius verbis, quæ fidelibus in eo præstando quod lex, & religio postulat, incolumitatem promittunt; eáque spe totum se diuinæ voluntati, ac prouidentiæ permittit. Qui fidem habet diuinis promissis & oraculis, non quidem languentem, & otiosam; sed viuam, actuosam, & acrem, quæ facit vt homo quiduis pro religione audeat, neque vllo frangatur, aut debilitetur metu. Ita penè S. Thomas hic. Huc, credo, spectauit Paulus ad Hebræos 11. vbi fidei multa tribuit, eaque magnorum virorum exemplo confirmat, vbi etiam hoc adducit Danielis exemplum, à quo leonum ora obturata sunt; & trium puerorum, in quos nihil virtutis habuit Babylonicæ fornacis incēdium. *Sancti*, inquit, *per fidem vicerunt regna*, &c. *obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis.*

Fiducia in Deo qualis.

44. Vers.24. *Et non peruenerunt vsque ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones.*] Vbi Rex Satraparum insidiosa consilia cognouit, furore accensus, & quod ab ipsis in illius decreti cogitationem esset inductus; & quod virum optimū, reique Persicæ maximè necessarium perdere statuissent, in illud idem suppliciū, & locum conijci iubet: vnde paulo antè Daniel incolumis emerserat, successu tamen longè dissimili. Neque enim habuere aut obstructas leonum fauces, aut obtusos vngues, aut cicuratum furorem, & rabiem, vix coniecti fuerant, in ipso descensu, antequam ad foueæ pauimentum peruenissent, comprehensi sunt a leonibus ac fœdè lacerati. Et ne qua ex scelerata stirpe maneret soboles, cum ipsis filij quoque & vxores in eandem supplicij societatem compacti sunt; in quos eadem quoque ferarum rabies grassata est.

Addit Iosephus lib.10. Antiq.cap.12. accusatores 45. cùm viderent nihil Danieli à leonum congressu, & quasi contubernio accidisse mali, excogitasse rationes nouas, quibus Danielem adhuc in culpa fuisse persuaderent, & vim extenuarent miraculi. Dixerunt enim saturos fuisse leones, atque breui illi spatio abstinuisse à præda; quod sanè non fecissent si vrgeret fames, & rabies illa, quæ plerumque famem assectatur. Ad hæc Rex, vt nouas fraudes, atque consilia nouis etiā rationibus euerteret, iubet vt carnium plurimū conijciatur in lacū, & accusatores tunc eò contrudi, cùm iam famem feræ copioso saturassent pabulo. Qui cùm ea auiditate illos apprehendissent, lacerasséntque, ac si nullum habuissent alimentum, & rabidam famem explere cuperent; cognitum est innocentem Prophetam miraculosè fuisse seruatum, & Satrapas illos veteratores, & inuidos diuino consilio fuisse mulctatos. Hæc Iosephus, quæ nescio vnde sumere potuerit, nisi ex antiqua aliqua traditione. Quæ sumpsit ex Iosepho Petrus Comestor, & è Recentioribus nonnulli, quibus miror tantopere hanc Iosephi cogitationem sine vllo Scripturæ sacræ fundamento placuisse.

De leonibus fabulosum aliquid ex Iosepho.

Vers.25. *Tunc Darius Rex scripsit vniuersis populis, tribubus, & linguis habitantibus in vniuersa terra.*] 46. Miracula non tantùm fiunt ad eius vtilitatem, qui beneficium accipit, aut qui à diuino furore exquisita aliqua, atque mirabili ratione mulctatur; sed etiam vt alij aut venerentur, aut timeant illius potentiam, à qua admirabiles illi, atque horribiles effectus prodierunt. Quare vt Deus ereptis ab incendio pueris Nabuchodonosoris animum perpulit, vt populis, & linguis diuinam manifestaret potentiā, quod fecit idem, cùm exacto septennio, quo vitam belluinam in morem propagarat, ad mentem pristinam reuocatus est: sic etiam nunc Darium adduxit, vt verum viuentémque Deū populis, & linguis commendaret, cuius potentiam, æquaque iudicia cognouerat in Danielis libertate, & in Satraparum horribili supplicio. Vniuersam terram appellat 47. illam, quæ suo suberat dominatui, iuxta illam regulam, quam tradit Hieronymus ad illud Isai. cap.13. *Et disperdam omnem terram. Non inquit, totum orbem, sed omnem terram Babylonis, & Chaldæorum. Idioma est enim Scripturæ, vt omnem terram illius significet prouinciæ, de qua sermo est.* Sic Lucæ cap.2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Romanorum videlicet imperio subiectus.* Et Esdræ lib.1.cap.1. exemplum est aut idem, aut omnino simile. Cyrus enim qui eisdem, quibus Darius, finibus dominatus est, sic de suo loquitur imperio. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli.* In latis autem imperij finibus varias fuisse linguas, nemo dubitabit. Sanè antequam Persica, ac Medica regna ad Babylonicum imperium accederent, plures erant in eo linguæ, vt docet edictum illud, quo Nabuchodo

Qua miraculorum vis, & effectus.

Vniuersa terra in scriptura quid.

chodonosor subditos sibi populos ad adorandam statuam euocauit. Præco clamabat valenter, *Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis.*

48. *Pax vobis multiplicetur.*] Hanc credo tam Hebræis, quàm Chaldæis, immò & nationibus aliis communem esse salutandi formam. Ea vsus est Nabuchodonosor supra cap. 3. v. 98. & lõgè pòst Petrus epist. 1. cap. 1. *Gratia vobis, & pax multiplicetur.* Græcè tamen idem est verbum πληθυνθείη. Sanè Hebræorum familiaris erat salutatio per *pacem*: vnde frequens in accessu *pax vobis*, in digressu, *vade in pace.* Cur verò in amica compellatione aut salutatione, aut etiam precatione pacis nomen sæpius audiatur, ea ratio est, quia pax apud Hebræos affinésque linguas, id sonat quod cuilibet esse potest in votis. Quare pax opes significat, victoriam, honorem, valetudinem: vnde ortum est vt sacrificia eo animo oblata, vt impetrentur bona, aut pro oblatis bonis agantur gratiæ, appellentur pacifica.

Familiaris Hebræorum salutatio.

49. Vers. 26. *A me constitutum est decretum, vt in vniuerso imperio, & regno meo tremiscãt, & paueant Deum Danielis.*] Hinc constat quid significet illud, de quo nuper, *in vniuersa terra*: nempe imperium, & regnum Darij subiectũ dominatui. Dum autem Rex in hac decretali epistola suis edicit, vt Deũ Danielis tremiscant, & paueant, id planè iubet vt illum venerentur, & colant. Notum est enim tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores *timorem, horrorem*, & similia pro veneratione, ac cultu sæpius vsurpari. Vnde *reuereor*, quod, si originem spectes, metum significat, pro reuerentia atque obseruantia ponitur. *Timoratus* in Scriptura *religiosum* valet Lucæ cap. 2. v. 25. & Act. 8. v. 2. Et Genes. 31. v. 42. & 53. Deus appellatur timor Abraham, & Isaac, quia ab his Patriarchis religiosè cultus. Seruius in illud Virgilij Æneid. libro primo, *Horrentique atro nemus imminet vmbra*, docet horrorem, ac metum pro religione sumi. Pro religione sanè sumpsit Lucanus cùm dixit,

Timor, & similia pro honore, & obseruantia.

Arboribus suus horror inest.

Vers. 28. *Porrò Daniel perseuerauit vsque ad regnum Darij, regnúmque Cyri Persæ.*] nempe in Regum gratia, & in honore apud omnes. Chaldaicè est הַצְלַח *haslach*: id est, prosperè egit, vsque ad regnum nempe finitum Darij, & quamdiu, eo vita functo, sub Cyro illius successore vixit: quamdiu autem vixerit sub Tyro incertum est. Sanè ad annum eius tertium vitam produxisse ipse testatur Daniel cap. 10. statim in principio. Hanc puto veram, & expeditam expositionem: alij aliter fortasse verè, sed meo iudicio nonnihil implexè. 50.

Hieronymus putat floruisse quidem Danielem sub Dario in Chaldæa ad regnum vsque Cyri: tunc autem à Dario fuisse translatum ad Medos. Hieronymo subscribunt Isidorus, & Hugo. Sed huic explicationi officit, quòd hæc postrema, vt paulo antè diximus, non in Babylonia, sed in Media, aut Perside contigerunt. Alij putant ad tempus vsque Cyri magno in honore fuisse Danielem Dario superstite, quia sub Cyro grauia passus est incommoda: missus est etenim rursus in lacum leonum, vt habes cap. 14. ita videtur sentire Maldonatus. Sed placet magis sententia prima, quæ placuit Theodoreto Hugoni, Dionysio, neque improbat Maldonatus. Nam licèt iubente Cyro in lacum leonũ demissus fuerit Daniel; tempus tamen illud perbreue fuit; & postquam iterum emersit è lacu, eodem loco fuit apud Cyrum, quo apud Darium antea fuerat. Videtur autem Propheta, quod extremum ad se pertinebat, addere hoc loco voluisse, quia statim non iam historicum agit, sed Prophetam; aggreditur enim visiones, quę posteriorum temporum successus continent, quas à capite septimo ad caput vsque duodecimum persequitur. Quid verò de duobus extremis capitibus, quæ historica sunt, & quid de reliqua vita Danielis dici possit, postea ad finem duorum illorum capitum attexemus. Hæc de capite sexto. 51.

Daniel apud Darium, & Cyrum in gratia.

IN CAPVT SEPTIMVM.

ARGVMENTVM.

OBLATVM est in nocturna quiete Danieli horribile spectrum, in quo quatuor orbis imperia, quæ diuerso tempore floruerunt, signabantur. Deinde verò Antichristi regnum, quod cùm aliquandiu foret superbum, & potens, breui tamen euanuit, & Christi Domini, qui à Deo, qui senilem grauitatem, & ætatem, præ se ferebat, imperium accepit sempiternum. Hæc porrò imperia quatuor, in totidem adumbrabantur belluis, quæ ex mari magno ventis antè turbato prodierunt. Magna verò pars capitis in describenda quarta bellua consumitur, quæ symbolum erat Romanæ potentiæ. Ex cuius capite inter decem cornua, quæ totidem significabant Reges, qui imperij Romani reliquias occuparunt, cornu videbatur principio exiguum, deinde verò eius fortitudinis, ac molis, vt decem alios Reges subiugarit. Hic verò erat Antichristus, ob cuius sermones insolentes, minaces, & blasphemos, à iudice Deo, qui multis Angelorum millibus stipatus in solio consederat, damnatus est, & eius imperium ad sanctos, quos ipse priùs crudeliter afflixerat, translatum. Hæc omnia Daniel sigillatim accepit ab Angelo; qui Deo, qui hoc loco antiquus temporum esse dicitur, dum iudicaturus sederet, assistebat.

CAPVT

CAPVT VII.

1. *ANno primo Balthasar Regis Babylonis, Daniel somnium vidit: visio autem capitis eius in cubili suo: & somnium scribens, breui sermone comprehendit: summatímque perstringens, ait:*

2. *Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.*

3. *Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se.*

4. *Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.*

5. *Et ecce bestia alia similis vrso in parte stetit: & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.*

6. *Post hæc aspiciebam: & ecce alia quasi pardus, & alas habebat quasi auis, quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei.*

7. *Post hæc aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque cōminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat cæteris bestiis, quas videram ante eam, & habebat cornua decem.*

8. *Consi*

PARAPHRASIS.

A 1. ANnus agebatur primus, ex quo Balthasar regnum iniit Babylonis, quando obiectum est diuinitus Danieli somnium in lectulo, quod non tam oculis, quàm cogitationi, siue imaginationi propositum fuit. Et ne quid excideret è memoria in commentarios retulit, summatim perstringens, & per capita, vt exigebat nocturna illa, atque festina commentatio.

2. Eo igitur anno in nocturna quiete videre mihi videbar ventos quatuor è totidem mundi plagis ex aduerso congredi,
B & ex citatis illorum concursatione fluctibus mare magnum, id est, Mediterraneum vastè turbari.

3. Ex mari ea ratione turbato prodierunt quatuor belluæ, non quidem eodem omnes tempore, sed sibiipsis vicissim succedentes, inter quas siue figuram spectes, siue spiritus, maxima videbatur esse diuersitas.

4. Prima bellua leoninam referebat speciem, aquilinis tamen pennis instructam. Quam tandiu spectare visus sum,
C donec ipsa florens esse, ac strenua videbatur: videlicet donec aquilinæ defluxerunt plumæ, & funditus interiit. Tum quæ super nubes, & cœlos ascendere se posse arbitrabatur, stetit in terra super pedes suos, non aliter, atque quadrupedes aliæ, atque syluestres feræ, & quæ Spiritus sibi diuinos assumpserat, intellexit sibi supra humanum nihil esse concessum.

5. Tunc autem quando cecidit leæna, in eius loco stetit alia bellua, quæ vrso videbatur non absimilis, & in illius ore
D dentium triplex ordo visebatur, qui trium prouinciarum potentiam exprimebant, quam belluam, sic ad lacerandum, ac vorandum instructam spiritus incitabat interiùs, dicebátque: Surge agedum, & comede, quando paratæ sunt carnes plurimæ, quibus famem tuam explere possis.

6. Vbi autem illa vrsi species euanuit, oblata est mihi alia quasi pardi, quatuor pennata alis, quasi auium: quadriceps, & fortis, cui nempe datum est robur, ac potestas à Deo.

E 7. Vix hæc species abierat, cùm in illa nocturna quiete bestia alia mihi se videndam contulit, cuius ea erat forma, vt nulla mihi appareret in natura similis. Erat tamen horribilis, stupenda, & supra modum, vt videbatur, præstans robore. Dentibus horrebat os illius, & magnis, & ferreis, alia comedebat, lacerabat alia, & quæ vorare non poterat, ne aliis essent vsui, sternebat, concul

8. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius: & ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.

9. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus.

10. Fluuius igneus, rapidúsque egrediebatur à facie eius, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, iudicium sedit, & libri aperti sunt.

11. Aspiciebam propter vocẽ sermonum grãdiũ, quos cornu illud loquebatur: & vidi quoniam interfecta esset bestia, & perisset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni:

12. Aliarum quoque bestiarũ ablata esset potestas, & tempora vitæ constituta essent eis vsque ad tempus & tempus.

13. Aspiciebã ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum.

A cõculcabátque. Erat autem à belluis, quas antè videram, longè diuersa; habebátque caput decem instructum cornibus.

8. Cùm in hæc ego intuerer attentiùs, vidi inter hæc cornua exiguũ aliud cornu succrescere, à quo è decem prioribus tria contrita sunt, & euulsa de capite. Habebat autem oculos humanis similes, & os item quasi hominis, ex quo inflati exibant, & à superbo spiritu ingentes atque ambitiosi sermones.

B 9. Aspiciebam autem oculatum illud & ambitiosum cornu, quod sibi nihil non arrogabat, inflatũ, & potens; donec in thronis, qui pro disceptandis causis erant compositi, ætate iã matura, & graui consedisse senex visus est, cuius amictus cum niue de candore certabat; capilli item albi erãt, & mundi, qualis est lana candẽs ab omni humore, quẽ traxit ab animali purgata. Thronus verò inflãmari, ac scintillare videbatur ab igne; & rotę quę throni molẽ agere, ac sustinere existimabãtur, speciem habebant nõ minus illustrẽ, & ardentẽ à flãma.

C 10. Ex throno vbi iudex consederat, fluuius egrediebatur igneos voluens, & præcipites fluctus. Multæ Angelorum myriades astabant illi ad eius præceptum, immo ad eius nutum semper intenti. Tunc cum antiquo dierum consederunt alij futuri iudices; & aperti sunt libri, in quibus causæ continebantur, ac merita, quæ in illius seueri iudicij examen adducebantur.

11. Postquã audire cœpi sermones illos grãdes inflatos, & minaces, quos cornu il-
D lud exiguum loquebatur, expectabam finem illius, cuius tam esset impudens, & effrænata lingua. Tandẽ sicut viderã alias bestias interiisse, sic etiam quartæ, atque extremæ belluæ interitũ aspexi. Sed illud prætere a vidi, quod in aliis belluis ostensum non fuerat, belluam illam, vt combureretur, vltricibus flammis esse traditam.

12. Videram antea, quomodo aliarum bestiarum imperia cecidissent; eo nempe ordine, quo egressæ fuerant è mari, & potestatem accepissent à Deo, à quo vt im-
E perij, sic etiam, & vitæ modum ad certum aliquod tempus acceperunt.

13. Hactenus de imperiis, quæ emergentes è mari belluæ figurabant; quæ dissoluta sunt, & quasi in fumos, & fauillas abierunt. Nunc de Christi regno dicendũ, quod à Deo stabile, & sempiternum accepit. Antequam extremam hanc belluam periisse, & flammis esse traditam agnoscerem, iam antè videram, in illa nocturna visione speciem hominis in nubibus è cœlo descendẽtis, qui sicut imperatores alij, ipse quoque ad antiquum dierũ deductus est.

14. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.

A 14. A quo accepit cum honore, ac potestate regnum longè quàm imperatoribus aliis amplius, & illustrius. Cuius imperio linguæ omnes, populi, ac tribus obsequantur, illa porrò potestas eiusmodi est, vt auferri possit à nemine, & quam nulla corrumpat, aut infirmet æternitas.

15. Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbauerunt me.

15. Tunc ego Daniel cohorrui totus, & graui quodam stupore contremui; conturbarunt quippe spiritum meum vehementer, oblatæ cogitationi meæ visiones illæ, quarum ego sensum non assequebar.

16. Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me:

B 16. Accessi igitur ad vnum ex illis qui assistebant antiquo dierum, qui sedebat in throno; & ab illo quæsiui quid tot illæ rerum species designarent, à quo visionum omnium significationem edoctus sum.

17. Hæ quattuor bestiæ magnæ: quattuor sunt regna, quæ consurgent de terra.

17. Hæ quatuor, inquit, bestiæ, quæ è mari exagitato vẽtis prodierunt, quatuor sunt imperia, quæ vt è terra consurgant, sic etiam erunt omnino terrena.

18. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi: & obtinebunt regnum vsque in sæculum, & sæculum sæculorum.

18. Vbi verò belluæ istæ quatuor perierint, & imperia quatuor sublata fuerint è terra, in eadem loca succedent, sancti qui
C Deo Deorum altissimo seruierunt; quibus nullo tempore deficiet potestas: & ipsorum regnum in æternum durabit.

19. Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valdè ab omnibus & terribilis nimis: dentes & vngues eius ferrei: comedebat, & comminuebat, & reliqua pedibus suis conculcabat,

19. Postquam de quatuor bestiis generatim audiui, volui de bestia quarta accuratiùs doceri, in qua plura existimabam contineri mysteria, & futurorum euentuum arcana prognostica. Erat supra modũ horribilis, neque inerat illi cum aliis vlla similitudo, quam armabant, reddebántque terribilem vngues, ac dentes ferrei, quæ vorabat, ac lacerabat omnia, & quæ
D sibi esse non poterant, ne aliis vsui forent calcabat, atque perdebat pedibus.

20. Et de cornibus decem, quæ habebat in capite: & de alio, quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua: & de cornu illo, quod habebat oculos, & os loquens grandia, & maius erat cæteris.

20. Studebam præterea seorsum cognoscere, quid decem illa cornua portenderent, quæ gestabat in capite, & quid illud maximè postremum, & exiguũ, à quo tria alia cornua contrita sunt, & euulsa; in quo oculos obseruaram humanis non absimiles: & os, à quo magnifica, inflata, atque minacia verba resonabãt. Quod cùm pertenue esset ab initio, illud tamen postea incrementum accepit, vt alia longè
E magnitudine superauerit.

21. Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos, & præualebat eis,

21. Aspexeram ego in visione priùs (quod in superiore narratione omiseram) quemadmodum exiguũ illud cornu bellum intulisset sanctis crudele, & in eo congressu victoriam reportasset.

22. Donec venit antiquus dierum, & iudicium dedit sanctis Excelsi, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt sancti.

22. Tãdiu in certamine cũ sanctis inito in superiori, ac meliori loco videram esse cornu illud quõdam exiguum, & imbelle; donec Antiquus ille dierum in solio iudicaturus consedit, vt sanctorũ causam susciperet, atque defenderet. Ac tandẽ tẽpus

23. *Et sic ait: Bestia quarta regnũ quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuersam terram, & conculcabit, & comminuet eam.*

24. *Porrò cornua decem ipsius regni, decem reges erunt: & alius consurget post eos, & ipse potẽtior erit prioribus, & tres reges humiliabit.*

25. *Et sermones contra Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret: & putabit quòd possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.*

26. *Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat vsque in finem.*

27. *Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi: cuius regnum sempiternum est, & omnes reges seruient ei, & obedient.*

28. *Hucusque finis verbi. Ego Daniel multùm cogitationibus meis conturbabar, & facies mea mutata est in me: verbum autem in corde meo conseruaui.*

A aduenit, in quo illud cornu cõfractũ est, & regnũ vnde illud excidit, sancti tenuerũt.

23. Ad hæc Angelus: Bestia quarta, ô Daniel, quam vidisti, & de qua edoceri tãtopere studes, regnum erit, quod tribus aliis succedet in terra, & illis erit multo potentius; quod orbem subiugabit, atque opprimet, quem deuorabit auidè, cõminuet vehementer, & ignominiosè calcabit.

24. Porrò decem cornua totidem erunt Reges, in quos imperij quarti reliquiæ diuidentur, post quos cõsurget alius, qui illis longè viribus, atque calliditate præstabit, quorum de numero tres armis subiugabit.

B

25. Arrogabit sibi grandia, & qua erit impudentia, quo sibi diuinitatem assumet, Deo vero, atque altissimo detrahet, persequetur, atque vexabit sanctos, quo à vera religione deducat. Tantum verò homo superbissimus sibi potestatis arrogabit, vt diuinas leges mutaturum se prædicet, facturúmque vt alius sit sacrorum, alius naturæ cursus; alius rerum omnium, & temporum ordo. Bacchabitur autem crudeliter, atque insolenter in sanctos tribus tẽporibus, & temporis dimidio, id est, tribus annis cum dimidio, quos variis modis tormentorum affliget.

C

26. Iudicium porrò quod ab antiquo dierum exerceri contemplatus es, eò spectat, vt à cornu illo postremo potestatem auferat, & imperium, & illud conteratur omnino, & dispereat in finem.

27. Regnum autem quod ille sub omni cœlorum plaga tenere videbatur, tradetur populo sancto, qui Dei altissimi suscepit, & impleuit imperium, cuius regnum sempiternũ erit, & cui Reges omnes seruitutẽ, & obsequium prȩstabunt, qui Antichristo priùs, aut domiti, aut delusi serui erant.

D

28. Hæc est visionis summa, & eius explicatio, quæ sic conturbauit animum meum (inquit Daniel) vt mentis angorem vultus mutatione prodiderim. Quia verò res erat grauissima, cõseruaui illam in animo, ne ex visione tota quicquã excideret.

---

1. HACTENVS Daniel historicũ videtur egisse potius quàm Prophetam; licèt enim de futuris antea nõnihil vaticinatus sit, vt cap. 2. in statua ex variis conflata metallis, multa de regnorum vicissitudine, ac statu; illa tamen sic erant præsentiũ rerum narratione permixta, vt caput illud magis historicè, quàm propheticè videatur esse contextum. Hinc constat quare in hoc libro ordo temporum nõ videtur fuisse seruatus; quia cùm prophetia discreta sit ab historia, quæ posterius gesta priùs narrari debuerunt, quàm quæ priùs per visionem oblata. Argumento est hoc ipsum cap. septimũ, si cum quinto conferatur, in quo de Baltasaris conuiuio, atque interitu actum est;

E illud enim anno contigit extremo vitæ, ac regni Baltasaris, hoc primo.

Vers. 1. *Anno primo Baltasar Regis Babylonis Daniel somniũ vidit.*] Illustrari per somnia, in quiete Prophetas, satis est in Scriptura repetitũ, & frequens; & docet Deus ipse Num. cap. 12. v. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei; aut per somnium loquar ad illum.* Plura nos de somnio, atque visione ad illud Actor. c. 2. *Prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ.* Sunt autẽ propriȩ visiones siue illæ vigilantibus, siue dormientibus occurrant, quæ mentes mouẽt, & illustrant imaginibus interdũ menti, idque multo frequentiùs, interdum etiam oculis oblatæ. Menti quidem, vt quæ Isaiæ, & Ieremiæ minus sæpe, Ezechieli, Da- 2. *Visionum quot modi.*

nieli, & Zachariæ, item in Apocalypſi Ioanni ſæpius oblatæ ſunt: oculis verò vt literæ illæ, quæ ſuprà cap. 5. deſcriptæ ſunt in aduerſo pariete, quas Rex vidit, & Chaldæorum ſapientes; quas demum interpretatus eſt Daniel. Ex priori illo genere ſunt viſiones omnes, quæ ſex continentur capitibus; illæ enim modò vigilantis Prophetæ menti; modò dormiẽtis obiectæ ſunt.

3\. *Viſio autem capitis eius in cubili ſuo.*] Hanc viſionem accepit Daniel, dum in cubili ſuo ſomnum caperet, quo tempore ſenſibus à rerum externarũ pulſu auocatis, magis ſunt cogitatio, & animus rebus ſpectandis, ac contemplandis idonea. Dicitur autem viſio capitis, aut quia hæc fuit prima viſio, & quaſi caput, & principium aliarũ; aut, quod verius puto, vt etiam indicat Theodoretus, quia viſio hæc non fuit tam oculis, quàm cogitationi, ſeu imaginationi propoſita, cuius ſedes, & officina in capite eſt; & ideo commodè ſtatim ſubditur, *in cubili ſuo.* id eſt, dum in lectulo dormiret. In ſomno autem oculi nihil vident.

Daniel ſtrictim, & per capita propheti à ſcripſit.

4\. *Et ſomniũ ſcribens breui ſermone cõprehendit.*] Hinc illorũ cogitatio refellitur, qui hæc ab alio, quàm à Daniele ſcriptis putant eſſe mandata. Ille enim idem qui vidit ſomnium, atque viſionẽ memoriæ illa, & monumentis prodidiſſe traditur. Videtur autem exiliiſſe ſtatim è lecto, & ne quid excideret è memoria, quæ viderat omnia in cõmentarios retuliſſe, ſummatim perſtringens, & per capita, vt exigebat nocturna illa, ac feſtinata commentatio. An verò quæ tunc ſummatim memoriæ gratia, illa eadem poſtea fuſiùs ſcripſerit; aut illa tantũ rerũ capita in ſcriptis tãtùm habeamus, incertum eſt. Mihi illud prius videtur eſſe vero magis ſimile, tales videlicet nos habere viſiones à Daniele, quales ille ſtrictim, & per capita prodidit, has ſaltem, quæ in hoc primo capite continentur: neque enim ex his aliquid tunc videtur præteriiſſe Propheta, quia magna ſunt omnia, & magnis plena myſteriis; neque illa ſcribi potuiſſe videntur maiori coanguſtata cõpendio.

5\. Vbi vulgatus *ſcribens breui ſermone, & ſummatim perſtringens*, quæ breuem quandam ſummam, & compendium indicant, Chaldaicè eſt ראש מלין *res milin*, id eſt, *caput ſermonum.* Quæ ſic quidam exponunt, quomodo nos proximè capita nempe rerum, id eſt, puncta fuiſſe in commentarios, id eſt, memoriale relata. Alij ſcripſiſſe putant capita, id eſt, primas dictionum ſingularum literas, quod ſcribẽdi genus diximus ad caput quintum ſuprà non eſſe Hebræis inuſitatum. Quomodo in מכבי totus continetur verſus Exod. 15. v. 7. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* Et titulus crucis his quatuor comprehenditur literis. I.N.R.I. ex his duabus ſentẽtiis prior mihi probatur magis.

6\. Verſ. 2. *Ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.*] Hæc prima pars viſionis. Mare magnum mediterraneũ intelligo, quod Hebræi, quia Oceanum nunquam viderant, magnum appellabãt cõparatione maris mortui, aut maris Tiberiadis, quæ licèt ſinus potiùs, aut ſtagna appellari potuerint; maria tamen Hebræorum idiomate vocantur, quia ſunt aquarum congregatio, quomodo vas latum quod ad tẽpli ſacrorúmque munditiã conflatum à Salomone fuit, mare dicitur æneũ.

In ventis res violenta & turbida ſignificata.

7\. In eo igitur mari quatuor venti pugnabant, ſibi viciſſim ex aduerſo congreſſi, quomodo in tempeſtate hinc inde concurſantibus ventis turbatur mare, & excitatis fluctibus cæli maria cõmiſceri videntur. Has vẽtorum pugnas ſæpe adducunt, deſcribúntque profani, aut cùm tempeſtatem ipſi depingunt; aut cùm ſumpta ab illis ſimilitudine res explicare ſtudent violentas, & turbidas. Sic Virgilius lib. 1. Æneidos,

——————venti velut agmine facto
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant,
Incubuere mari, totúmque a ſedibus imis
Vna Eurúſque, Notúſque ruunt, crebérque procellis
Africus, & vaſtos voluunt ad littora fluctus.

Et iterum lib. 2. ex hac ventorum pugna ſumpta ſimilitudine Græcorum ſignificatur ſtudiũ, & ardor in pugnando,

Aduerſi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt Zephyrúſque, Notus, & lætus Eois
Eurus equis ſtridunt ſyluæ, ſæuitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.

Ouidius lib. 1. Triſt. eleg. 2.

Inter vtrumque fremunt immani murmure venti,
Neſcit cui domino pareat vnda maris.
Nam modò purpureo vires capit Eurus ab ortu,
Nunc Zephyrus, ſero veſpere miſſus adeſt.
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto,
Nunc Notus aduerſa prælia fronte gerit.

Hæc tot carmina præter meam conſuetudinem adduxi, quia non videbam quomodo melius pugnantium in mari ventorum conflictum deſcriberem: nunc quid quatuor illi venti portendant exploremus.

In ventis ſignificati Angeli.

Hieronymus, & S. Thomas, & cum eis plures alij è recentioribus Petrus Comeſtor in hiſtor. Dan. c. 6. Hugo, Lyra, Dionyſius, in quatuor ventis totidem agnoſcunt Angelos regnorũ cuſtodes, qui pro tuenda ſua quique prouincia in mari, id eſt, in hoc mundo, (qui non minus à variis motibus, atque ſtudiis turbatur, quàm à ventis mare) inter ſe dimicant. Qua ratione Daniel cap. 10. Angelus, cuius tutelæ credita fuerat Perſarũ cuſtodia, reſiſtebat Gabrieli; de quo ſuo loco pluribus. Adducit autẽ Hieronymus illud Deut. 32. iuxta verſionẽ LXX. *Quando diuidebat Altiſſimus Gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei.* 8.

In ventis Angeli mali expreſſi.

Alij quatuor Angelos eſſe putant; non tamen bonos, regnorũque tutelares, ſed malos, qui commouent mare, id eſt, mundũ; & ad pugnas excitant quieta regna; quia in ſeditione, ac bello magnam fieri vident peccatorum ſementem. Hanc ſententiam tenuit, &, vt credo, primus omnium excogitauit Albertus, qui etiã addit pro regnorum meritis poteſtates bonas, & tutelares, aut malas, & aduerſas eſſe præpoſitas. Cuius ſententiam non improbant, immò amplecti videntur Lyra, Hugo, Dionyſius, & Gloſſa. 9.

Venti ſeditionum, & motuum ſymbolum.

Aliter Theodoretus putat, cui ſubſcribũt Vatablus, & Pereira, qui in ventis ſignificari putãt motus illos varios, & tumultus, quæ quatuor beſtias, id eſt, quatuor orbis imperia præcellerunt: vt enim non niſi priùs turbato mari, emerſerunt belluæ, in quibus adumbrari imperia ab Angelo didicit Daniel; ſic etiã nõ niſi exagitato prius bellicis tumultibus mundo, orbis obtinuerunt imperia illi, quos varia belluarum natura ſignificabat. Quæ ſententia minus mihi videtur aliena, quàm ſuperior: optimè enim ſeditiones, & motus cum regnorum acquiſitione conueniunt; quæ non niſi cum ſtrepitu, atque fragore, cum cæde, ac ſanguine comparantur. 10.

Verùm placet magis, quod etiã hic viſum eſt Maldonato, & Ruperto lib. 1. in Dan. cap. 12. qui idem ſignificari putant in quatuor cæli ventis, quot in totidem belluis, quæ ex illo maris æſtu prodierunt; quatuor nimirum imperia, quorum 11.

ingenium

ingenium varium,& mores diuersi. Huius sentētiæ duæ à Maldonato rationes adducuntur. Altera est, quia cùm de rebus, quas in somnio viderat Daniel, ab Angelo rogaret; de imperiis tantùm egit, quia nimirum tota illa visio ad illa orbis imperia tantùm pertinebat; alioqui aliquid

REGVLA. *Rerum certitudo, & firmitas duplici spectro, aut similitudine declaratur.*

etiam aliud de ventis addidisset. Altera ratio est, quia vsitatum est in Scriptura, vt rerum certitudo, & firmitas duplici spectro, aut similitudine declaretur: vt constat in septē vaccis pinguibus, ac nitidis; & totidem macilentis,& horridis; & rursus in septem spicis plenis, & totidē vredine percussis, quæ oblatæ fuerunt Pharaoni dormiēti, quibus septem anni vberes, & pleni; & totidem infelices, & steriles portendebantur. Quod Iosephus ipse somniorum interpres declarauit Gen.41.v.32. *Quod autem vidisti secundò ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est.*

12. Ego rationem addam aliam, quæ mihi multarum instar est, quā pluribus explicui meis commentariis super Zachariā ad illud cap. 6. *Isti sunt quatuor venti cœli.* Viderat eo loco Zacharias quatuor quadrigas; ignorabat tamen quid ille quadrigarum cursus portenderet, cúmque ea de re Angelum rogaret: respondit, *Isti sunt quatuor venti cœli.* Quæ responsio nihil dubitanti Prophetę lucis afferret; nisi allusū esset ad aliquid, quod sub eo nomine notum esset omnibus, quódque cum quadrigarum spectro significatione conueniret. Certum est obiectis Zachariæ quadrigis adumbrari Gentiū imperia: quare dum quadrigæ quatuor cœli venti fuisse dicuntur, id planè dicuntur portēdere, quod venti quatuor, de quorū significatione nō dubitabat Zacharias; quia id sępe aut legerat, aut ab ipso acceperat Daniele, quo cum vixisse extremo captiuitatis tēpore verisimile est.

13. Sed dices, quid habent venti, qui mare cóturbant,& exagitant, cum imperio commune? Eodē modo ego quoque rogarē quid cū quadrigis habeāt cōmune imperia; neque enim alia his, atque illis ratio est. Respōdeo tam in quadrigis, quàm in vētis imperia designari, ea figura, qua ex caussis effecta, aut ex antecedentibus consequētia intelliguntur. Imperium antecedunt bella, & varij motus, quę optimè exprimūt quadrigæ, quæ maxima sunt, atque præcipua bellorū instrumenta.

Venti, & quadrigæ pro imperiis.

Mutationes etiam, & rerū vicissitudines optimè significātur à ventis, qui in mare incūbunt, illúdque turbant, & magnis ac crebris æstibus exagitant, ac modò huc, modò illuc incitati marinos fluctus in diuersa propellunt. Et sicut quadrigæ imperia non sunt, sed comparādi imperij instrumenta, in quibus ipsa significantur imperia: sic etiam venti bestiæ non sunt, aut imperatores, seu imperia in bestiis expressa, sed id quod turbato mari deinde ad imperium emersit. Huc spectat Theodoreti sententia, quæ facilè ad nostram accommodari potest.

14. Vers.3. *Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se.*] Non ascenderunt belluæ de mari prius, quàm turbata esset, & à ventis hinc inde concursantibus sublata tranquillitas. Neque belluæ simul è mari prodierunt sibiipsis associatæ, atque permixtæ; sed vna post aliam: sicut etiam imperia non conuenerunt in idem tēpus omnia, sed sibiipsis vicissim successere. Id indicat Propheta ipse non obscurè, dū in belluarū progressu locum aliquē, & ordinē distinguit.

De prima bestia.

15. Vers.4. *Prima quasi leæna.*] Chaldaicè כאריה *ke arieh*, quæ vox, vt ex aliis locis pluribus constat,

A *leonem* significat in virili genere, & ita vertunt alij ferme omnes à vulgato. Hieronymus tamen Theodotionem secutus *leænam* reddidit in fœminneo sexu propter adiectiuum fortasse quod præcessit: tametsi hæc ratio momenti parū habeat, cùm tam *prima*, quàm *illi*, quæ fœmineæ terminationes sunt, *belluæ* conuenire possint, & non leænæ: tamen non dubito, quin rectè conuersum fuerit à vulgato. Communis est omnium sententia in *leæna* Chaldæorum imperium significari; in quo intelligi etiam existimatur Assyrium, tāquam eius optima,& maxima pars. Neque ratio deest,& imperiorum ordini,& Chaldæorum ingeniis accommodata. Nam vt belluarum prima

Leæna Assyry, atque Chaldaici imperij symbolum.

B prodiit è mari ventorum congressione ante turbato; sic in mundo, quem mare exagitatum, & varium adumbrat,& exprimit, primum omnium imperatorium caput extulit Assyrium, quódque cum Assyrio coniunctum fuit, Chaldæorum imperiū. Neque alio ordine numerantur hîc à Daniele quatuor imperia quàm cap.2. suprà numerarat in statua ex variis conflata metallis, in qua aureum caput datum est Chaldæorum regno.

Cur leæna Babylonici, seu Assyrij imperij symbolūsit, varij varia dicunt. Hieronymus similitudinē in eo statuit, quia sicut leæna crudelis est, & ad libidinē vehementer ardens: sic Assyrij, atque Chaldæi praeferoces fuerūt,& sanguinarij; & 16.

Cur leæna symbolum imperij Chaldæorum.

C in omnē Veneris intemperantiā effrænes. Cum Hieronymo sentiunt S. Thomas, & alij plures è recentioribus. Et quidem crudeles esse Chaldæos, historiæ testantur non profanæ solū, sed etiam sacræ. Quanta fuerit Chaldæorum crudelitas, quàm barbarus furor, docet multis in locis Ieremias in Threnis, vbi neque ætatis, neque sexus vllā habitā esse rationem lamentatur. Atque ideo sæpe leones appellantur Chaldæi, quorum ingeniū optimè Isaias expressit cap.5. v.29. *Rugitus eius vt leonis rugiet, vt catuli leonum, & frendet, & tenebit prædam: & amplexabitur, & non erit, qui eruat.* Et Ierem. 4.v.7. *Ascendet leo de cubili suo, & prædo Gentium se leuabit.* Quanta verò apud Chaldæos

Chaldæi libidinosi, & crudeles.

D fuerit Veneris licentia, ex eo patet, quia, vt inquit Baruch c.6. v.43. honori esse ducunt Babyloniæ fœminæ cum pluribus concubuisse: imnò & pecuniam ex meretricio quæstu, aut ex prostituto pudore coactam sacram esse putant & illius oblatione placari Deos,& eorum conciliari gratiam. Vide Herodotum in Clio, & Q. Curtium lib.5. Huius verò intemperātiæ accommodatum est symbolum in leæna, quæ, vt docet hîc Hieronymus, semper gestit ad coitum, cuius verba repetit, ac probat S. Thomas. Et quidem si Pierio Valeriano credimus, lęæna meretricis est symbolum, & ita fingitur monstrum quoddam leonino corpore cum fœminea facie: & Laidis scor-

E ti à corporis quæstu nobilitati sepulcro insculptam leænam fuisse, vulgatum est.

Alij neque à robore, neque ab intemperantia habuisse Chaldæos existimāt, vt leonis, siue leænæ symbolo significentur; sed quia vt leo belluarum est princeps, & caput, & eo nomine aliqua ratione primus; sic etiam Chaldæorum imperium primum fuit, natum videlicet non longè post mundum communi inundatione deletum. Quomodo in aureo capite statuæ idem imperiū significatum est, non quia magis pretiosum, ac nobile; sed quia primum, sicuti etiam caput in animali primum est. Ita Theodoretus, & Maldonatus, quorum ego sententiam non improbo; licèt magis superiorem probem, eo præsertim 17.

nomine quod pluribus placet.

18. *Et alas habebat aquilæ.*] Sicut quadrupedum princeps est leo; sic etiam inter volucres primũ locum obtinet aquila. Quare ex leone, aquilaque composita dicitur Chaldæorum potentia, illius maxima significatur virtus, & in rebus suscipiẽdis audacia, & in conficiendis celeritas. In aquila enim robur significatur sicut in leone, & in volatu præterea celeritas, & indefessa constantia. Quare cum iustis, quique in Domino sperant, fortitudo promittitur, & in volando pernicitas, habituri dicuntur aquilarum pennas. Isaiæ c. 40. v. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Porrò Chaldæorum in subiugandis prouinciis admiranda celeritas non semel aquilarum similitudine declaratur. Ierem. cap. 4. v. 13. *Ecce quasi nubes ascendet; & quasi tempestas currus eius, velociores aquilis equi illius.* Et cap. 48. v. 40. *Ecce quasi aquila volabit, & extendet alas suas ad Moab.* Eadem item verba repetit cap. 49. v. 22. cùm loquitur de Bosra, & Thren. cap. 4. v. 19. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis.* Habacuc cap. 1. v. 6. *Ecce ego suscitabo Chaldæos, &c. leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis, &c. volabunt sicut aquila festinans ad comedẽdum.*

Aquila, & leo fortitudinis, & celeritatis symbolum.

19. *Aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius.*] Quo tẽpore hæc species oblata Danieli, nondum erat sublatum Chaldæorum imperium. Nam, vt principio vidimus, annus tunc agebatur primus regni Baltasaris. Quare nondum tunc euulsæ pẽnæ fuerant, quas habuisse diximus belluam hanc primam. Sed cui exciderint, aut euulsæ fuerint aquilinæ pennæ incertũ. Quidam de Nabuchodonosore hunc locum accipiunt, quia paulo pòst de illo, cui detractæ sunt pennæ, dicitur, *Et cor hominis datum est ei.* quod cap. 4. dictum antè fuerat de Nabuchodonosor, qui post septennale spatium à bellvino statu ad humanum, à quo excidisse videbatur, reuocatus est. A qua sententia non est alienus Hieronymus; tametsi aliam, de qua postea, libentiùs amplectatur. Iudicant alij plures, vt Comestor, Pereira, & recentiores alij, sed iidem in aliam sententiam proniores sunt, de qua nos statim. Cur verò hæc de Nabuchodonosore cogitatio minus placeat, ea ratio est, quia Propheta non tam hic historicè loquitur, quàm propheticè, id est, de rebus agit futuris, magis quàm de præteritis: neque spectaret Daniel donec euellerentur pennæ, si iã antè forent à bellua sublatæ. Adde quòd vaticinia hæc imperiorum continent ortum, & interitum; sed neque in Nabuchodonosor extincta est Chaldæorum potentia, cùm post illum rei Babylonicæ potiti fuerint duo Reges Euilmerodach, & Baltasar: neque Persicum imperium exordium habuerit, nisi multis pòst annis à Nabuchodonosoris obitu. Deinde quia non hîc de aliquo Rege, aut de eius moribus, & ingenio sermo est; sed de imperiorum aut statu, duratione, aut ordine, aut gubernandi modo, vt caput hoc totum non obscurè docet.

20. Quare placet magis illorũ sententia, qui non de aliqua singulari persona, sed de imperio toto partem hanc visionis esse putant. Ita cum Hieronymo, Theodoreto, & S. Thoma tenent frequentes alij. Quomodo verò ex imperio toto pennæ defluxerint, explorandum est. Alæ imperiorum exercitus sunt, quibus imperium latè, & festinato progressu regiones non tam passibus, quàm victoriis lustrant. Sic Ezechiel cũ de hoc

Alæ exercitus.

A ipso imperio ageret, eius exercitus alas appellauit. cap. 17. v. 3. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum.*

Alæ item prouinciæ dicuntur, quæ imperatoribus ad res breuiter expediendas, ac feliciter præstò adsunt, viribúsque suis & regnum amplificant, & regiam tuentur dignitatem. In quem sensum locum modò ex Ezechiele citatum in nostris commentariis explicuimus. Iuxta hæc tunc alæ euelluntur, ac defluunt, quando ciuitates, aut prouinciæ, aut vltrò deficiunt; aut ab hoste subactæ alienæ subduntur potestati. In hunc sensum accipiunt Hieronymus, qui in alis regna, B atque prouincias intelligit, & clariùs Theodoretus, & S. Thomas, tunc defluxisse alas putant ex Chaldæorum imperio, cùm Persæ, & Medi Chaldæi antè subiecti defecerunt. Atque ita defecerunt, vt animos contra illos assumpserint hostiles; ac tandem potentia imperióque nudauerint. Sanè fuisse Persas in Chaldæorum castris quando subacta fuit, & euersa Hierosolyma, docet Isaias cap. 22. v. 6. *Et Ælam sumpsit pharetram, currum hominis equitis; & parietem nudauit clypeus.* Quibus verbis ostendit Propheta quanto studio bellicam operã nauaturi sint Persæ Babyloniis, cùm omnes adhibituri sint apparatus, & instrumenta belli. Quod autem Ælam Persia sit, aut C Persa, & Ælamitæ Persæ, communis est sensus: & probat quod Isai. cap. 21. v. 4. Ælam cum Medo coniungitur ad obsidendam, expugnandámque Babyloniam. *Ascende,* inquit, *Ælam, obside Mede.* Quòd verò ipse quoque Medus Nabuchodonosori seruierit, argumento est, quòd Iudith cap. 1. Medi dicuntur à Nabuchodonosore subiugati: quare verisimile est Medos aut subditos aut fœderatos fuisse Babyloniis. Scio dubitasse multos de isto Nabuchodonosor; sed mihi verisimile est, quod multis probat noster Serarius in cap. 1. Iudith, historiam Iudith & Medici imperij subiectionem ante captam Hierosolymam contigisse, atque ideo Medos huic D Nabuchodonosori vectigales fuisse, aut certè fœderatos. Cùm ergo Medicæ vires, ac Persicæ à Babylone defecerunt, euulsæ sunt pennæ, quibus Chaldæorum imperium non tam passibus, quàm victoriis prouincias alias incredibili pernicitate lustrabat. Defecerunt item sub eadem tempestate Lydij, quibus dominabatur Crœsus, qui fœderatus erat Babyloniis, à quibus, vt tradit Herodotus in Clio, tanquam à fœderatis auxilium contra Cyrum petere statuerat. Et iidem vtpote iam à Cyro subiugati bellicã illi operam contra Babylonios præstitere. Adde quòd ex ipso quasi Regis Babylonici complexu duces quidem ad Cyrum, cùm Babylonem obsideret, transfu- E gerunt. Vt enim tradit Xenophon lib. 7. Cyropædiæ, Gadaras, & Gobrias deserto, ac penè prodito suo Rege transierunt ad Persarum castra, magnóque vsui fuerũt patriæ suæ hostibus. Cùm enim essent vrbis, viarúmque periti, omniũ primi in vrbem, & in regiam domum irrepsere, oppresséréque Regem securum, & incautum. Hæc mihi sententia omnium videtur expedita magis. Neque dura est, aut inusitata translatio: Latinus enim additas alas alicui dicit, cùm animos assumit, & vires; & incidi pennas, cùm vires adduntur, & auctoritas; & easdem renasci, cùm quis reuocatis viribus ad illum locum, statúmque reuertitur, vnde exciderat. Sic sanè Cicero lib. 4. epist. ad Atticum, *Qui mihi pennas inciderant, nolunt easdem*

21. *Item prouinciæ.*

22. *Ælam Persia.*

Medi, ac Persæ olim cum Babyloniis fœderati.

23. *Prouerb. Alas frãgi, aut addi.*

easdem renasci. Hispani certè fractas dicunt pennas illius, cui vires, & auxilia desunt.

24. *Et sublata est de terra.*] Tolli de terra perire significat, idque cum ignominia, qualem subeunt qui tolluntur in crucem, seu attolluntur; vnde fortasse natus est hic dicendi modus. Sublata est igitur bellua de terra, quia periit, aut eò redacta est, vt periisse videri possit: qui enim de statu magno cadit, maximè si ignobilis, atque ærumnosa conditio succedat; periisse censetur, & in statu infelici, quasi in sepulchro quodam tumulatus. Quomodo Iudæi extorres à patria, & Chaldæorum addicti seruituti, mortui dicuntur, & Babylonicum solum exilium vocatur Ezechiel. cap.37.v.12. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris populus meus, & inducam vos in terram Israel.* Cùm autem eadem, aut nõ admodũ dissimilia passi Babylonij fuerint à Persis, optimè mortui, aut de terra sublati vocari possunt. Alij sublatam de terra belluam esse dicunt, quia regnare desiit in terra, nempe Babylonica, vbi ante floruerat. Ita Theodoretus, & indicat Hieronymus, & S.Thomas. Sed est eadem, aut nõ admodum dissimilis sententia. Nam qui regnare desiit è solio depulsus, & in aliorum ordinem redactus, censeri debet omnino pro mortuo.

25. *Et super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.*] Ex his verbis multi putant, quos suprà retulimus, in prima hac bellua Nabuchodonosorem esse descriptum, qui cùm priùs belluarum in modum pronus, & quadrupes fœnum comederit; neque altiora quàm bellua cogitaret, stetit postea super pedes, erecto videlicet ad cælũ vultu; & cor hominis accepit, quod antè perdiderat. Sed hanc explicationem iam ante respuimus.

26. Quare hæc quoque sicut alia ad totum imperium, Gentémque Babylonicam referenda sunt. Leoninos spiritus, superbos nimirum, & feroces assumpserant sibi Babylonij; neque enim putabant à quoquam sibi esse metuendum; neque à Deo quidem cùm suum sibi Regem Deum esse crederent, illúmque publicè in aurea statua supplices adorassent. Sanè ita existimabat illorum Princeps Nabuchodonosor suprà c.3.v.15. *Quis est*, inquit, *Deus qui eripiet vos de manu mea.* Cor itaque habebat Gens illa non hominis, qui rerum vicissitudines, & fortunæ mutationes metuit; & in statu sublimi ruinam timet, & si sapit, semper est pauidus; sed leonis qui ad nullius pauebit occursum, immò & Dei, qui nulli paret, & omnia suo sibi subiecit imperio. Assumpsit quoque pennas aquilinas, quibus sese altè supra homines extulit, quia supra homines aliquid habere se putabat eximium. Sanè Rex Babylonis, quo extincto, ipsius quoque imperium extinctum est, pennis se cogitabat aquilinis instructum, immò aquilas sibi inferiores arbitrabatur, cùm dicebat Isai.c.14. v.13. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Similes spiritus habebat gens Babylonica, qui mores suos, & ingenium, quod aliis etiam nationibus commune est, ad Regis sui mores, & ingenium informabat.

Babylonij superbi.

27. Hæc ergo gens spiritus deprimet insolentes, & cor sumet humanũ, idest, nihil se habere cognoscet supra humanas vires. Abiiciet pennas, quas habere se putabat instar aquilæ, quibus se longè supra nubes extollebat, & sicut hominum cæteri, stabit non eleuata alis supra terram; sed incedet humi. Id enim est, *stabit super pedes suos quasi homo*, quia nihil habebit omnino supra hominẽ, immò eo magis homine iudicari poterit inferior, quo se magis hominem putat à tergo reliquisse.

De secunda bestia.

Vers.5. *Et ecce bestia alia similis vrso in parte stetit.*] 28.
Communis est interpretum sententia in vrso exprimi Persicum imperium. Cur verò vrsus mores exprimat Persicos, non omnes eandẽ causam adducunt. Hieronymus conferri putat Persas cum vrso propter ferocitatem, & duritiem. Idem putant Theodoretus, & S.Thomas, & cum illis plerique alij. Quòd autem vrsi crudeles sint, ipsa docet Scriptura, quæ in rei crudelis, ac sanguinariæ comparationem vrsi crudelitatem adducit, & vrso plerumque leonem adiungit, Oseæ c.13. *Occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum, & consumã eos ibi quasi leo.* Prouerb.28. *Leo rugiens, & vrsus esuriens Princeps impius super populum pauperem.* Amos c.15. *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat illi vrsus.* Thren.3. *Vrsus insidiãs factus est mihi leo in absconditis.* Hæc omnia vrsi crudelem esse naturam ostendunt. Porrò Persarum crudele ingenium esse, multis probat Theodoretus. Et quidem si tempora Euangelij spectes Persicæ potentiæ reliquias Christianorum sanguine redundasse intuebere, & miris crudelitatis exemplis efferatas. Vide quid de Sapore Persarum Rege, & de Bararane tradunt annales sacri, & inuenies nihil magis crudele, ac barbarum. Audi quid de Persis Rhodiginius ex lib.18.c.19. *Callidi sunt, superbi, crudeles; viuis hominibus cutes detrahunt per partes, sed & integras quandoque. Ministris inter epulas nec hiscere licet, nec spuere.*

Vrsi crudeles.

Persæ crudeles.

De duritia, id est, de tolerantia, ac parsimonia 29.
mira habemus documenta tam in vrso, quàm in Persa. De vrso Plinius lib.8.c.36. affirmat per plures dies priorum pedum suctu viuere. Idem tradit Ælianus de histor. animal. lib.6. cap.3. Quanta fuerit Persarum abstinentia, & in ferenda media tolerantia, docet Xenophon lib.7. vt tradit illos continentissimos fuisse, & victu simplicissimo, atque vilissimo fuisse contentos. De eisdem ait hoc loco Hieronymus, parciorem amasse victum Lacedæmoniorũ in morem, ita vt pro pulmento nihil adhiberent ad panem præter salem, & cardamum. Idem penè ex Trogo Põpeio adducit S. Thomas, *Adeò*, inquit, *parci in victu sunt, vt penè sicco pane semper vtantur, nisi gratia hospitum, vel festi causa.* De Persarum parsimonia, atque abstinentia, sic Herodotus lib.1. *E coriis reliquam vestem ferunt, qui non quibus volunt cibis vescuntur, sed quos habent, vtpote regionem asperam incolentes. Ad hæc potu non vini vtuntur, sed aquæ.* Idẽ penè Xenoph. lib.1. Cyropædiæ.

Vrsorum abstinentia.

Persæ abstinentissimi, & parcissimi.

Hæc sunt quæ in vrso præcipuè mores Persa- 30.
rum, & ingenium adumbrant: sunt alia leuiora, quæ tamen nonnihil etiam faciunt ad perfectam illorum similitudinem. Cùm tam sit vrsus robustus, & ferus, caput tamẽ vsque adeò habet infirmum, & molle, vt minimum vulnus exceptum in capite lethale, aut certe graue admodum sit. Plinius suprà, *Inualidissimum vrso caput, quod leoni fortissimum: ideo vrgenti vi præcipitaturi se ex aliqua rupe, manibus eo cooperto iaciuntur, ac sæpe in arena colapho infracto exanimantur.* Qua in re illis etiam quàm simillimi Persæ sunt, quibus caput mollissimum est, & si carnem detrahas cranium facile friabile. Audi Herodotum in Thalia, vbi cùm pugnam inter Persas, Ægyptiósque commissam descripsisset ait, *Ibi ego rem mirandam vidi, ab indigenis edoctus. Ossa eorum, qui in acie ciderunt, cùm iacerent fusa, vt ab* initio

Vrsorum, & Persarum mollissimum caput.

initio distincta fuerant, seorsum erant Persarum, seorsum Ægyptiorum. Sed Persarum capita adeò fragilia sunt, vt si velis ferire vel solo calculo perforare possis: Ægyptiorum autem ita firma, vt ea vix ictu lapidis elidas.

31. Adde quòd vt ortus vrsi sic est informis, & miser, vt mortuam carnē potius arbitrere, quàm tantæ belluæ, atque horribilis monstri fundamētum. Sic Persici regni principium vsque adeò exiguum fuit, vt neque vitæ in eo spem, aut argumentum aspiceres. De vrso Plinius suprà, *Pariunt vrsæ trigesimo die plerumque quinos. Hi sunt candida, informisque caro, paulo muribus maior, sine oculis, sine pilo, vngues tantum promonent; hanc lambendo paulatim figurant.* Eadem explicatiùs Ælianus lib. 2. hist. animal. c. 19. Imperij Persici principium non admodum dissimile: vt enim Herodotus, & Iustinus produnt, vterque lib. 1. iussus est Cyrus, qui Persici imperij Princeps, & auctor fuit, cùm primùm in lucem susceptus fuit, in syluis exponi, vt ibi aut fame, aut à feris laceratus interiret; qui status non procul aberat à morte. Inde tamen in tantum imperatorem euasit, sicut vrsus ex informi, & penè mortua carne in horribilem feram.

Vrsorum informis fœtus.

Persici imperij tenue principium.

32. Addo ad extremum rationem aliam, cur in vrso Persicum exprimatur imperium: Persica enim prouincia confragosa, ac sterilis vrsos alit magis, quam alibi feroces. Qua de re vide Cœlium Rhodiginium lib. 18. c. 19. Cùm autem prouinciæ alicuius stemma sit, & symbolum id, quod in ea prouincia præcipuum est, aut nobilitatum magis, optimum regionis Persicæ symbolum est vrsus, cuius in Perside, & ingens copia, & nota crudelitas.

Stemma Regnorum id, quod in eo familiare magis, aut præcipuum.

33. *In parte stetit.*] Variè hic locus à variis accipitur. Hebræi, vt ait Hieronymus, ideo putant Persicam crudelitatem stetisse in parte; quia cùm in alias nationes sæuiret, latéque concideret; mitius tamen se gessit cum Hebræis, quos ex Babylonico iugo in patriam libertatem exoluit. Quæ explicatio ideo non probatur frequentibus aliis, quia nimis coarctat vaticinium, quod cùm exordium, atque occasum spectet Monarchiæ Persicæ, nihil pro re tanta habuisse videbatur momēti Iudæorum libertas. Theodoretus in parte stetisse putat Persarum imperium, quia non omnino videtur fuisse sublatum. Licet enim Alexander Macedo illud omnino delesse visus fuerit; postea tamen sub Romanorum tempora excitatum videri potuit in Perside, in qua regnauit Sapor, & Cosdroas, &c. Sed hæc expositio eodem quo superior modo laborat. Neque enim hìc agitur de excitata, ac restituta, sed de exorta, atque finita Monarchia. Aliæ plurimæ explicationes sunt, à quibus commemorandis abstineo, ne longus sim, & quid mihi magis videatur expeditum paucis expono.

34. *Pars, possessio, & hæreditas* in Scriptura sacra, aut idem sunt, aut certe non rarò voces adhibentur synonymæ. Sic impij Sap. cap. 2. v. 9. *Hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* Mille occurrent exempla similia. Hinc ego ex his verbis, hanc sententiam informo. Hæc bellua, in qua Gens significatur Persica, stetit in parte, id est, in hæreditate, & regno vbi leæna fuerat, gens nimirum Chaldæa, quia illi in imperio, seu monarchico dominatu successit. Hanc sententiam indicare, seu probare videntur Vatablus, & Maldonatus, neque improbat Pereira. Et sanè cùm Babylonem occupauit Cyrus Persici imperij auctor; id est, in parte stetit, quæ prima erat, & regia sedes; Imperator, & Monarcha vocari potuit, sicut aliquot pòst sæ- A culis Alexander, cum Dario domito eandem sedem occupauit, quod fecere itidem Romani, vt pluribus ostendimus cap. 2. v. 40. ad illud, *Et regnum quartum erit velut ferrum.*

Et tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius.] 35. Vbi vulgatus *& tres ordines*, Chaldaicè עלעין *bilhin*, quod varij variè accipiunt. Hieronymus etiam *versus* exponit. Theodotion. τρία πλευρά, id est, *tria latera.* Alij, *tres molares dentes*, alij *tres bolos*, qui inter dentes teruntur, comminuuntúrque; & iuxta has translationes variæ ab interpretibus excogitatæ sententiæ. Placet quod Hieronymo visum est, quod probat, & sequitur S. Thomas, & è B Recentioribus alij, nempe aut in tribus dentium ordinibus, seu molaribus, quibus instructum erat os illius belluæ, esse tres Principes, qui centum ac viginti satrapis præpositi sunt, Dan. cap. 6. per quos imperij summa administrabatur, quique locum obtinebant regio proximum. Aut certè tres dentium ordines esse tria regna, quæ fuerunt quasi aliorum fundamenta, & semina regnorum, Medicum videlicet, & Persicum, & quod tunc proximè adiectum est, Babylonicum. Hæc porrò tria regna dentes dicuntur immanis illius belluæ, quia horum opibus, & copiis instructa lacerauit, vorauítque regiones alias, quas suo deinde subiugauit imperio. Et si pro tribus dentium C ordinibus *bolos* interpretere inter belluæ dentes, tria illa regna boli fuere, quæ deuorauit, id est, ex quibus fructus, & vectigalia collegit ad regium fiscum Persarum imperator. Hæc explicatio de tribus regnis primùm à Persarum principe subactis, vt Hieronymo, & aliis, & cum his Hippolyto; sic etiam mihi omnium probatur maximè, in qua nihil video contortum esse, aut difficile.

Et sic dicebant ei: Surge, & comede carnes plurimas.] 36. Cùm os haberet tot instructum dentibus horribilis illa bellua, consequens erat, vt id ageret, quod dentium est opus, & labor, nempe vt laceraret, voraretque carnes plurimas. Id igitur audit bellua; sed à quo id audiat, incertum est. Et D primùm obseruo in illo, *& sic dicebant.* esse Chaldaicum, atque etiam Hebraicum idioma, qui numero vtuntur plurali in actiua voce, pro singulari in passiua: quod etiam in suo idiomate facit Hispanus. Quare illud *dicebant ei*, nihil est aliud quàm *dicebatur ei.* Qui dicendi modus nullam designat personam, à qua vox illa hortatoria sit profecta. Quidam vocem illam, aut trium regnorum esse putant, aut Principum, qui centum & viginti satrapiis præerant, qui cùm audaces viderent Regis spiritus, & ad militarem gloriam aspirantes, illum instimulabant assiduè, dicebántque: vt sicut tria illa regna; sic etiam prouincias alias, ac regna deuoraret, id est, subigeret sibi, & hostilem in modum popularetur. *Vorare* autem E metaphora est à bellua petita, quæ non aliam ob causam insectatur prædam, quàm vt ex illa sibi paret alimentum. Sed vorare, ac comedere Hebraico idiomate ad plures alios vsus extenditur. Quomodo dicimus, *vorat gladius, flamma, sylua.* Quare vorare carnes plurimas idem est, quod sternere, subiugareque prouincias.

REGVLA. *Numerus pluralis in actiua voce pro singulari in passiua.*

Voro in sacris pluralitas varià sumitur.

Alij vocem hanc profectam esse putant ab Aman, cùm Assuero suasit, vt Iudæorum genus funditus extingueret: atque ideo hìc solùm ponitur suasio, dum dicitur, *surge, & comede*: non tamen Iudæorum cædes consecuta est. Apparuit autem innatam esse Persicis ingeniis crudelitatē belluinam, & consilium in deliberando præceps, quādo neque adhibita rationis, aut legis trutina, 37.

vna

vna voce totum Iudæorum genus laqueo addixit, & ferro. Dixitque Aman illius Gentis inimico: *De populo age quod tibi placet.* In hanc sententiam inclinat Hieronymus, & cum eo S. Thomas, auctor histor. Scholast. Hugo, Lyra, Dionysius. Hæc sententia ideo placet minus, quia hæc eò videntur spectare, vt ostendatur quàm latè se Persicum imperium diffuderit: quam ad rem parum faciebat, quod esset ab Assuero, seu Artaxerxe in Iudæorum capita decretum.

38. Alij hanc vocem esse putant à regio animo, seu spiritu, qui non patiebatur Regem, nempe Cyrum, aut eos qui in Persico dominatu Cyro successere, quietos esse, vtpote gloriæ auidos, & amplificandi imperij sitientissimos. Hic verò spiritus siue ardor instimulat homines, vrítque, neque dormire sinit, aut otiũ habere vllo in loco quietum. Hoc sensu profani sæpe à suo animo, ardore, seu spiritu instigari se, atque inflammari dicunt. Sic Homerus Iliad. lib. 10. de Dolone,

Spiritus pro interno motu.

Ἕκτορ ἐμ' ὀτρύνει κραδίη, καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
Νηῶν ἀιαυτόμεν χίδ' ον ἐν. θεμεν.

O Hector cor me hortatur, & incitat, & spiritus elatus, & acer, vt ad naues eam. Ex hoc videtur sumpsisse Vergilius lib. 9. Æneid. vbi Nisus ab animo suo, seu spiritu incitari se dicat, & vrgeri vt magnum aliquid aggrediatur, & arduum, quale Cyrus, & Persarum Reges apud seipsos videntur sæpe meditati; quasi vocem audiant, quæ intus resonat, & nouum semper spiritum, & ardorem inspirat. Sic autem eo loco Virgilius,

——— dine hunc ardorem mentibus addunt
Euriale? An sua cuique Deus fit dira Cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iam dudũ inuadere magnũ
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.

Sic puto à suo spiritu incitari Persarum Reges, vt in alias, & alias prouincias armatas inueherẽt, & tot iam victoriis insolẽtes acies; vt illas lacerarent, vorarẽntque, id est, debellarent priùs armis, deinde ex illis quicquid esset ad vsum, & speciẽ, ad sua commoda transferrent. In hanc sententiã inclinat Maldonatus, & hæc mihi præter cæteras placet. Fortasse vox hæc à Deo fuit, & ab iis qui cum illo sedebant ad iudicandum in thronis, ad quos hæ belluę deductę sunt, & imperij modum, & tempus nactæ, de quibus postea ad vers. 12.

39. Huic verò voci, à quocumque illa profecta fuerit, obsecutus est Cyrus, qui non contentus tã latis imperij finibus, alias quoque prouincias debellare statuit, quẽ tradit Herodotus in Clio ingenti dominandi flagrasse desiderio; & populos omnes suo sibi imperio subiugandi. Quòd verò belluinam habuerit crudelitatem, indicat illud quod Iustinus scribit lib. 1. Nam cùm à Thomiri Scytharum Regina victus esset, ac cæsus, caput illius in vtrem plenum sanguine coniectum est cũ hac exprobratione, quæ illius crudele, ac sanguinarium ingenium testabatur, *Satia te sanguine, quem sitisti; cuiusque insatiabilis semper fuisti.*

De tertia bestia.

40. Vers. 6. *Post hæc aspiciebã, & ecce alia quasi Pardus.*] Nemo dubitat in hac tertia bellua Græcorũ, seu Macedonum imperium significari, quòd deuicto Dario Persis eripuit Alexander. Tantum ex Hebræis quidã opinantur in Pardo duo regna coniungi, Græcorum scilicet, & Romanorum; quod ideo faciunt, vt quartam belluam pro Turcarum imperio reseruent. Sed illorum cogitationem improbant communiter alij, & textus ipse per se satis cõfutat, & euertit. De Pardo vide Pliniũ lib. 8. c. 17. vbi maculosus esse dicitur, & velox, quique saltu ruit in prædam. Addit præterea innatum huic feræ odorem esse, quo mirè alia capiuntur animalia. Addit verò ad hæc Ælianus de histor. animal. lib. 5. cap. 40. à pardo artificio quodam ad hunc odorem allectas Dorcadas, capras, ceruos, & alias eiusmodi animãtes capi, ac lacerari. Veloces esse pardos, ac maculis distinctos versicoloribus, etiã habemus à sacra pagina. De maculis est illud Ieremiæ c. 13. v. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas?* De velocitate est illud Habac. c. 1. *Leuiores pardis equi eius.* Quàm verò fortes sint & sæui, docuit Ieremias c. 5. *Pardus vigilans super ciuitates eorum; omnis qui egressus fuerit ex eis capietur.* Oseæ c. 13. *Ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum, occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum.* Vide quomodo tres hîc coniunxit bellúas Oseas, quibus totidem exprimuntur imperia à Daniele. Id habet præterea pardus, seu panthera, quæ in eo genere fœmina est, quod miram habet calliditatem ad capiendam prædam, & quod viribus nequit, id fraude assequitur, & artificio. Nunc iam hæc ad Alexandri, Græcorúmque mores, & ingenium conferamus; expendamúsque quomodo illorum pardus, seu panthera symbolum esse possit.

Pardus maculosus, & gratum ex se odorem exhalans.

Pardus velox, & sæuus.

Pardus maculosus est, neque vnum habet simplicem colorem, sed varium, quod argumentum est animi fallacis, & varij, qui simulare possit, & dissimulare. Tale est Græcorum ingeniũ, quod in Vlysse Homerus, & in Sinone Virgili[9] expressit, quem Græcorum omnium exemplar esse voluit. 41.

Græcorum imperium versipelle.

Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab vno
Disce omnes.

Ac si diceret, tales sũt Græci omnes, quales in Sinone describi vides. Neque à Græcis minus calliditate, atque astu, quàm virtute & res magnæ cõfectæ, aut vrbes captæ sũt. Exẽplo sunt & ante Alexandrũ Philippus pater; & post illũ, qui statim in eius regna successere, quique cum Machabæis sæpe congressi sunt fraudulenter, & callidè.

Quòd si innatus est pãtheræ, seu pardo gratus odor, quod nulli aliorum animalium concessum dicit Plinius lib. 21. c. 7. id quoque in Græci, seu Macedonici imperij auctore reperimus. Alexander enim, vt ex Ioanne Monacho refert Rhodiginius lib. 22. c. 20. & iterum lib. 29. c. 17. odorem ex se vsque adeò gratum aspirabat, vt eius vestes viderentur aut delibutæ aromate, aut vnguentis aspersæ. Quod item Plutarchus docet lib. 1. quæst. conuiuia. q. 6. 42.

Alexander gratum ex se odorem exhalabat.

Et alas habebat quasi auis quatuor super se.] In velocitate Pardi, velocitas exprimitur Alexandri, quæ vsque adeò incitata fuit, ac felix, vt fulminis instar momento temporis immensa confecerit spatia. *Nihil*, inquit Hieronymus, *Alexãdri victoria velocius fuit, qui ab Illyrico, & Adriatico mari vsque ad Indicum Oceanum, & Gangem fluuium, non tam præliis, quàm victoriis percurrit, & in sex annis partem Europæ, & omnẽ sibi Asiam subiugauit.* Plura legis lib. 1. Machabęorum c. 1. v. 3. *Et pertransiit vsque ad fines terræ.* Huic pardo adde alas, id est, velocitati velocitatem, & celeritatem adhuc maiorem expresseris. Hanc tantam velocitatem in alis quatuor significari putat Hieronymus, & cum eo S. Thomas, Petrus Comestor, Hugo, Dionysius, & Vatablus: quibus cum ego omnino sentio. 43.

Alexandri mira velocitas in agendo.

Sunt qui in alis quatuor totidẽ Alexandri virtutes adumbrari putãt, quæ illi conciliarunt hominum etiam inimicorum animos, & bellicã laudem, & continentes penè victorias pepererunt. 44.

Prima

Alexandri virtutes.

Prima fuit eximia laborum tolerantia. Secunda, animi fortitudo,& in adeūdis rebus arduis inuicta constantia. Tertia,ingenium volucre,& in re tā constituenda,quàm acquirenda prudentia singularis. Quarta profusa liberalitas, quæ maiora interdum largiebatur,quàm amicus, aut supplex ausus esset optare. Ita putant Lyra,Dionysius,& Pereira. Theodoretus in quatuor alis, quatuor mundi partes intelligit,quas Alexāder incredibili celeritate peruasit,& obtinuit.Alij in aliis nihil aliud significari putāt,quàm quod statim in quatuor capitibus, nēpe quatuor Principes,ad quos Alexādro mortuo imperiū peruenit; & per quos aut viuēte priùs Alexādro, aut eo postea mortuo imperij fines amplificati sunt.Ita putat Hippolytus,& Hugo. Sed quod visum est Hieronymo de velocitate,magis videtur expeditum,& obuium.

45. *Et quatuor capita erant in bestia.*] Communis hæc est,& vera sententia, in quadricipite bellua quatuor Reges portendi, qui Alexandro in acquisito paulo antè imperio successere.Ita Hieronymus,Hippolytus,Theodoretus, S.Thomas, & è Recentioribus alij frequentes.

Successores Alexandri mutuis se bellis confecerunt.

46. Sed quærat aliquis quomodo quatuor Principes obtinuisse dicantur Alexādri imperium,cùm in duodecim capita dicatur distributū. Vide Paulum Orosiū lib.3.c.23.& alios qui de rebus gestis Alexandri scripserunt.Rationem reddit Orosius, quia tot illi Principes qui in prædam à magno leone prostratam irruperunt, mutuis se bellis confecere;résque tota ad quatuor principum capita redacta est. Regnauit Seleucus, qui & Nicanor in Syria, & Babylonia: Ptolomæus in Ægypto:Philippus,qui & Aridæus,in Macedonia:Antigonus in Asia. Aliorum capita non apparuerunt in bellua;quia breui contrita:neque tam occupasse videntur,quàm ambiisse regna.

47. Quæret iterū aliquis, quomodo mortuo Alexādro tot illi Principes regna sibi assumsisse, aut vendicasse dicantur à profanis,& nullum ab Alexādro designatum,qui regno succederet,cùm lib. 1.c.1.Mach.de Alexādro dicatur, *Et post hæc decidit in lectum,& cognouit, quia moreretur. Et vocauit pueros suos nobiles, qui secum erāt nutriti à iuuentute,& diuisit illis regnum suum,cùm adhuc viueret.* Solutio difficilis non est, si historias consulas eorum, qui contrà sentire videbantur, vt docent Iustinus lib.3. Q. Curtius lib.10.Diodorus lib.8.cùm iam moreretur Perdicæ prædixit,quomodo regnū esset diuidendū. Tradidit enim illi annulū suū, quo regius mandabatur honor: quærētibúsque his qui propè aderant,cui relinqueret regnum,respondit, *Ei qui esset optimus.* Ita Curtius lib.10.Quare dū adhuc viueret,regna distribuit, quia amico dixit, quis in distribuēdo seruādus esset modus,atque ordo.

Quomodo ab Alexandro distributa regna.

48. *Et potestas data est ei.*] Ostendit hìc Hieronymus, Theodoretus,& S.Thomas,& cum ipsis plerique alij interpretū,non tam prodigiosa illa,quæ Alexāder incredibili celeritate patrasse traditur illius virtute,atque prudentia fuisse perfecta, qua illi à diuina voluntate concessa;quæ illū ad admirabilem illam rerum conuersionē destinarat.Sed cùm hoc Alexandro commune fuerit cum Nabuchodonosor,quem etiam elegit Dominus,séque ipsū Babylonici exercitus ducem præbuit,Ierem.c.27. v.5. & 6.& cū Cyro Isai.c.45. aliquid hìc in Alexandro peculiare Theodoretus agnoscit, nempe datam fuisse Alexandro maiorem,quàm aliis potestatem,in eas videlicet regiones, quas imperatores alij subiugare sibi non potuerūt. Quòd verò non tam Alexandro, quàm Deo euentus illi

Deus imperatoribus adfuit in acquirendo imperio.

A tanti tribuendi sint,ipsi quoque scriptores profani censuerunt.Sic enim Curtius lib.10.Perdiccam loquentem inducit, *Quamquā nulla clades huic,qua affecti sumus* (agebat autem de Alexandro immaturè sublato) *par ab iratis Diis excogitari potest;tamen magnitudinem rerum, quas egit,intuentibus credere licet, tantum virum Deos accommodasse rebus humanis, quarum sorte completa,citò repeterent eum suæ stirpi.* Neque 49. ipse negauit Alexander: vt enim Iosephus refert lib.11. c.8.cùm summum Iudæorum Pontificem supplex adorasset; Regésque Syriæ, & alij viri Principes,qui illic aderant, & regium animū superbum agnouerant,abiectum illud obsequij genus mirarentur,ipsúmque Regem excidisse B mente arbitrarentur,respondit ea de re à Parmenione rogatus, *Non Pontificem se adorasse,sed Deo,cuius Pontifex esset,honorem illum exhibuisse. Hunc enim,*inquit, *vidi & antea hoc ipso habitu, cùm adhuc essem in Dio Macedoniæ,qui me deliberantem,quomodo Asiam possem subigere,hortatus est forti esse animo, & sine mora exercitum traiicere:nam suo ductu potiturum me Persarum imperio.Quapropter quia nunc primùm talem habitum vidi,agnoscens hunc,& visionis memor,quæ me ad hanc expeditionem impulit, puto me non sine numine in Darium exercitum ducere,& breui fore victoria compotem:& sublato Persarum imperio cessura mihi omnia ex sententia.* Hæc Iosephus,qui etiam statim addit, *Ostensóque sibi Danielis libro, in quo Græcum quendam debellaturum* C *significat, hunc ipsum se esse interpretatus lætus dimisit multitudinem.*

Alexander à Deo datum sibi regnum agnouit.

De quarta bestia.

Vers.7. *Post hæc aspiciebam in visione noctis:& ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis.*] 50. Postrema bestia,vt magis est,quàm aliæ terribilis, & mirabilis;sic etiam plures in se implicat nexus, atque difficultates,quas expedire magni est laboris,& ingenij.Sanè cùm de aliis minus Propheta laboraret,quia res videbatur minus obscura; tamen de quarta bestia consulendum existimauit Angelum,vt constat ex vers.19.Aliæ belluæ nihil habebant, quod ipsorum generi non esset datū à D natura; habebant enim leænæ, vrsi,atque pardi speciē,nisi quòd pardus alatus apparebat,& quadriceps.At postrema hæc neque nomē habet,neque cuius sit generis ex eius descriptione cognoscitur. Monstrum enim est multicorne, cum alio præterea oculato cornu,quod ore loquebatur ingentia.Quare hìc nobis diutius hærendum est;& euoluenda quæ ænigma hoc multiplex,& obscurū inuoluit. Et quia multa ab auctoribus adducuntur partim aliena, partim contorta; illa nos ne longiùs progrediatur commentatio, omittemus;adducemúsque tantum, quæ si forent à nobis prætermissa, desiderare posset lector aut lucem,aut officium.

Hieronymus,& cum eo S.Thomas ideo putat 51. illi bestiæ nullum esse datum nomen; quia nul- E lius belluæ ferocitate,ac viribus Romanæ potentiæ magnitudo, ac feritas explicari posset; satis autem expressum videri, si quæ in aliis belluis, quæ horribilia sint,in hanc vnam belluam innominatam conferas. Sed satis videtur hìc indicari Romana potentia,dum illi tribuuntur quæ suprà c.2.in statua ex variis coagmentata metallis,Romanorū imperio data sunt. Illic enim quartū regnum, Romanorū nempe,quod quartū ibi, sicut nunc etiā quartum nominatur, ferreum dicitur, quod omnino comminuit, & domat: sic etiam nunc ferreos dicitur habere dentes: *comedens, atque comminuens,& reliqua pedibus suis conculcans.*

In

52. In hac bellua Porphyrius, & superiore simul vnum tantùm regnum designari putat, Græcorum nempe, quod dum ab Alexandro administratum est, Pardo simile fuit; dum verò ab aliis, qui ipsius loco suffecti sunt, huic horribili, atque innominatæ belluæ. Huius sententiam impugnat Hieronymus; miror quod non vehementius, cùm aperte ab ipso sacro textu dissentiat. Rogatus enim Angelus vers. 17. respondit, *Hæ quatuor bestiæ magnæ quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra.* Et vers. 23. *Bestia quarta regnum quartum in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuersam terram, & conculcabit, & comminuet eam.* Vide Porphyrij stuporem, & oscitantiā, in cuius mentem venire potuit, vt existimauerit regnum eorū, qui Alexandro successere, omnium esse maximū, quódque omnem terrā sibi subiecerit, conculcauerítque; cùm reliquis regnis longè fuerit infirmius, & ab omnibus concisum, aut malè vexatum.

53. Hebræi belluam hanc quartam Turcicum imperium esse somniarunt: & sicut Porphyrius vnum Græcorum regnum in duas belluas ineptè distraxit; ii ita non minus ineptè in vna bellua duo regna diuersa coniungunt, Romanum videlicet, & Græcum. Sed hanc Hebræorum cogitationem multa conuellunt. Primum quòd non vsque adeò similes fuerunt Romanorum, ac Græcorum mores, & ab vna bellua quadricipite, & alata exprimi debuerint. Deinde quia quarta hæc bellua Christi regnum antecessit; & Turcarum imperium multis pòst sæculis erupit. licèt hæc ratio parum apud Iudæos valeat, qui Christum venisse non putant. Adde quòd omnium consensu in statua, quæ dormienti Nabuchodonosori obiecta est, quarto loco Romanum locatur imperium ante Christi Regnum, quod exiguus lapis, & sine manibus excisus adumbrabat, quæ molem illam ingentem, & prodigiosam deiecit: neque alius hic proponitur aut situs, aut ordo.

Hebræorum error de bellua quarta.

54. Est ergo omnium sententia, innominata hæc, atque horribilis bellua Romanum imperium; neque necesse est quenquam nominare, cùm nemo non dicat. Tantum dicam eos qui cùm in exponendo Daniele operam nullam posuerint; oblata tamen occasione aliquid in eam sententiam attulere. Sic sanè sentit Hippolytus in oratione de consummatione mūdi. Tertullianus de resurrectione carnis, cap. 24. Cyrillus Hierosf. catechesi 15. Augustinus lib. 20. de ciuitate, c. 23. Lactantius lib. 7. de præmio, cap. 15. & 16. Cui planè conueniunt omnia, quæ hîc à Daniele notantur. Primum specialis quædam ratio apparet in Romani imperij administratione multiplici, cur nulli bestiæ assimilari debuerit. Alia etenim imperia vnum habuere, illúmque constantem gubernandi modum: at Romani rem communem, & publicam non vno semper modo, atque ordine moderati sunt; modò enim per Reges, modò per Consules, per dictatores aliquando, ad extremum per imperatores illam administrarunt. In quibus monarchiam variam, variam etiam Aristocratiam agnoscas. Quare modus ille multiplex, & varius, neque vna bellua; neque vno symbolo significari potuit. Quàm verò nationibus aliis horribile fuerit Romanorum nomen, notius est, quàm vt hîc à nobis probari debeat. Vt comminuerit, ac vorarit omnia, probant ornaméta omnia, ac spolia, quæ diripuerunt Romani duces, & ad ornandam patriam, insanásque moles construendas conuexere. Sed antequam ad explicandam minutiùs literam accedamus, aliquid à nobis priùs explorandum est.

Romanum imperium cur nulli certa bestia assimilatū.

55. Primò dubitatur, an quarta bestia imperium exprimat Romanum, quod Christi primum aduentum antecessit; an etiam quod ab illo ad suum vsque occasum propagatum est. Hæretici quidā, vt tradit Maldonatus, a quo nos in hac quæstione pleraque desumpsimus, de illo Romanorum tépore institutum esse putát hoc vaticinium, quod Christum natū antegressum est. Quod ideo sibi persuadent, aut ideo se persuaderi simulant, quia eodem videtur spectare hæc visio, quò illa quæ oblata fuit suprà c. 2. Chaldæorum Regi. At ibi in statuæ parte ferrea Romanorum imperium notabatur, quod Christi antecessit augustissimum ortū. Quod ex eo videtur verisimile, quia lapis excisus sine manibus statuā illam variam, quæ quatuor sustinebat imperia, ita deiecit, vt ex ea pars nulla reliqua fuerit. Quare vt tria alia imperia strauit, & in fauillam redegit, sic etiam Romanū. Argumenta hæc nos eo loco proposuimus, infirmauimúsque, vbi docuimus quo sensu imperiū illud quartū deiectum dici, & conseruatū possit.

56. Sed quòd hæc visio ad extrema tempora Romani imperij se etiam extendat, multa probant. Primum quòd non apparet, quínam illi sint decem Reges in decem cornibus expressi: aut exiguū illud cornu, de quo tam mira à Daniele prædicuntur, nisi postremum imperij tempus intueamur. Et quidé Ioan. Apoc. c. 17. in decem bestiæ capitibus idem cernit, quod Daniel in totidé bestiæ cornibus, decé nempe Reges: at Ioannes annis à Christi exortu pluribus hæc prædixit, tanquam futura: quare hæc visio ad tempus Romani imperij conferendū est, tá quod antecessit, quod quàm consecutum est aduentum Christi primū.

57. *Dentes ferreos habebat magnos comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus conculcans.*] His verbis non admodum obscurè significatur fames, & ingluuies populi Romani, qui nihil videbat pulcrū, & eximium quod non appeteret, nihil quod non tentaret; & quod auehere secum non posset ex præda, id conculcaret, ac perderet, ne qué ex illo alieni caperent vsum, aut non nisi vilem, & exiguū. Testes sunt ciuitates plurimæ æquatæ solo, olim frequétissimæ; nunc verò eò redactæ, vt vix appareat vllum nobilitatis tantæ vestigium. *Ferreū* pro re dura sumitur, & immiti: quomodo fornax dicitur ferrea, & ferreū iugum, ceruix, virga, murus, & similia. Quare ferrei dentes duri sunt, quique facile atterere omnia quantumcumque dura, & attenuare possint. Hic dentes pro viribus sumo, & armis quibus instructus ille populus vastauit, & subiugauit omnia. Hi verò longi dicuntur; quia vt Regum longæ dicuntur esse manus, quia vbique suorum consiliorum, atque studiorum, administros habent; sic etiam quia populus ille in prouinciis etiam lōgè dissitis duces habebat, & exercitus, qui aut illas subigerent, aut in officio, & fide retinerent, quíque aliena commoda, & opes exhaurirent, dentes dicitur habuisse ferreos, & magnos, id est, longos, quibus ea quæ longiùs abessent, lacerarent.

Romani imperij vis, & potentia.

58. *Dissimilis autem erat cæteris bestiis, quas videram.*] Erant quidem aliæ bestiæ crudeles, robustæ, sanguinariæ; hoc idem habuit quarta hæc horribilis & innominata bellua; alio tamen modo, sicut aliter, atque aliter belluæ noxiæ sūt, & robustæ. Noxia quidem est vipera, noxius scorpio, noxius basiliscus; at illi non nisi morsu nocent, aut aculeo: at basiliscus etiam afflatu, aut etiam aspectu quæ procul

Populi Romani varij nocendi modi.

procul recesserunt, extinguit. Cruentus est vrsus, atque terribilis; cruentus etiam, atque horribilis leo; sed hic non solùm vnguibus sicut vrsus, sed etiam rugitu terret, & exanimat. Sic etiam populus Romanus licèt crudelitate, ac viribus cum aliis imperiis conueniret; aliquid tamen habuit præcipuum, ac proprium, quo in eo etiam genere à quatuor illis imperiis dissideret. Aliam nimirum disciplinam militarem, alia instrumenta bellica, alias leges: propter quæ neque cum vna aliqua bellua comparari, neque cum aliis imperiis conferri debuit: quia sicut alius leoni, alius vrso, alius pardo pugnandi modus est; sic non idem fuit Romanis, atque imperiis aliis pugnandi, atque prædandi modus.

59. *Et habebat cornua decē.*] Hæc à nobis postea fusiùs explicanda sunt, vbi ventum fuerit ad v. 24. illud tamen hîc obseruandum, cornua hæc quæcúnque fuerint, ex imperij Romani, dissipati reliquiis, id est, è regionibus aut eo tēpore subiectis; aut quæ alio quondam tempore illi paruerunt, eruptura non secùs atque ex animalis capite pullulant cornua. Quod idem etiam dicendum de cornu paruulo, quod præualebit aliis, & magna orbis terrarum parte latè dominabitur. Sed de his, vt dixi, suo loco pluribus.

60. Vers. 8. *Et ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum. Et tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius.*] Inter alia cornua pullulauit aliud paruulū, à quo tria ex eo numero contrita sunt, & euulsa de capite; quod sic perculit, exanimauitque reliqua, quæ supererant, vt omnia se vltro cornui paruo submiserint. Hîc ego duos Hebraismos, seu mauis, duos Chaldaismos agnosco. Alter est, *de medio eorum*, qui nō significat ortum esse cornu ex eo, quod propriè dicitur medium, id est, à quo æquali spatio distāt extrema: sed inter illa decem cornua apparuisse etiā cornu aliud exiguum. *Medium* etenim maximè si præpositio antecedat, nihil præpositioni addit præter ornatum: quare *de medio* idem est, quod *de*; *ad medium*, siue *iuxta medium* idem quod *ad*, & *iuxta*. Quare cùm dicitur 1. Reg. 17. v. 34. *Veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis*. id est, de grege. Et *in medio populi habito*, idem est, quod *in populo*. Sic ergo cùm de medio cornuum ortum esse dicitur exiguum illud cornu, inter alia cornua erupisse dicitur. Alter Hebraismus est in illo *à facie eius*. Hebræi etenim, quod etiam Chaldæi faciunt, per *faciem* illud circumscribunt, cuius dicitur esse facies. Quare idē est, *à facie gladij*, quod à gladio; *à facie vrsi, à facie famis*, quod a fame, vel vrso. Quare dum tria cornua euulsa dicuntur, à facie cornu exigui; non significatur ad aspectum illius excidisse cornua; sed ab illo vi, & armis esse comminuta.

Medium nihil interdum addit orationi præter ornatum.

61. *Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto.*] Cornui paruo oculos attribuit, & os, in quo multa Patres, & interpretes considerāt, de quibus nos infrà plura, cùm iterum de cornu significatione commentatio recurret. Nunc tantùm dico quod hoc loco Hieronymus, & S. Thomas docent; emicare in illo cornu oculos humanis similes, ne quis putaret Antichristū, cuius illud cornu symbolum erat naturæ futurum alterius ab humana, Angelicæ videlicet; fuit enim verus homo, cuius postea genus, & patriam assignabimus.

62. *Et os loquens ingentia.*] De ore, sermonibúsque superbis, & ingentibus, dicemus statim vers. 11. & 25 Hucusque productum imperium quartum, quod illa quarta bellua figurabat, quod tunc est extinctum, quando in decem cornua, id est, toti-

A dem Reges diuisum, ac demum ab vndecimo cornu, paruo nempe, atque oculato, sublatum est.

Vers. 9. *Aspiciebam donec throni positi sunt.*] Intuebatur Propheta quomodo quarta bellua longis, ac ferreis dentibus laceraret, ac conculcaret omnia, quomodo cornu illud è decē Regibus strauisse tres, & è capite, in quo regium obtinebant dominatum, & nomen, depulisset, quomodo sermones loqueretur insolētes, & impios: statim verò obiecta est species alia, quæ de insolēte cornu supplicium sumpsit, & potentiam illam amplā, & insolentem, quam celeritate pararat incredibili, momēto temporis extinxit. Ideo verò de hoc iudicio agitur ante Christi Regnū, de quo statim; 63.

B cùm tamen Christus Rex multo antè præcesserit; quia cùm cœptum esset agi de Romana potētia, atque dominatu, & eò deducta visio, vt eius quoque interitus appareret, quem Antichristus inuexit ex decem Regibus aliis stratis ferro, aliis ad deditionem coactis, consequens erat, vt tota illa historia eodem absolueretur loco; ne res distracta à continenti narrationis filo fieret obscurior. Quare commodè Antichristi potentiæ, atque sæuitiæ, illius extrema plaga subtexitur. Et quidem hic anticipandæ narrationis modus, qui à Latinis anticipatio, à Græcis πρόληψις appellatur, in Scriptura frequentissimus est, vt nos in disputatione de aduentu S. Iacobi in Hispaniam pluribus tract. 1. cap. 10. n. 1.

C *Donec throni positi sunt.*] Hoc non est extremum, neque finale iudicium, quod Antichristo sublato peragendum est: in hoc verò iudicio damnatur Antichristus, & moritur. Præterea iudicium extremum exercebit Christus iudex mortuorum, ac viuorum: hic verò Deus secundùm diuinitatem oblatus est Prophetæ cum eo apparatu, qui diuinam maiestatem decet. Puto autē spectasse Prophetam in ea visione tū ventos quatuor, & mare exagitatum ab illis; tum bestias quatuor, quóque modo illæ orirentur, crescerent, & tādem interirent; tum etiam Deum in sua maiestate, qui rerum, regnorúmque vicissitudines tēperaret. Cu- 64.

Imperiis à Deo definitum tempus.

D ius decreto vidit orta primùm, deinde sublata quatuor orbis imperia, & quodlibet eorum meritò esse extincta: vt denique Rex omnium vltimus, vtpote omnium sceleratissimus, omniū etiam miserrimè, atque ignominiosissimè perierit. Quare adductæ videbantur ad solium illud diuinum suo ordine belluæ, eo nēpe quo egrediebātur è mari ventis antè turbato, & à Deo accipere definitū imperij tēpus, & illius fines, & amplitudinem, quod constabit magis, vbi ad singularum partium explicationem commētatio peruenerit.

Hanc verò sententiā omnino mihi persuadet locus alius non dissimilis apud Zachariam c. 6. vbi illa eadem imperia oblata dicuntur dominatori terræ, & ab eo accepisse, quo illorum quod- 65.

E que loco, ac tempore imperium exerceret. Qui autem hi belluarum specie, ac nomine, illic quadrigarum significantur symbolo, Zachariam audi à vers. 1. *Vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium; & montes montes ærei. In quadriga prima equi rufi; & in quadriga secunda equi nigri: & in quadriga tertia equi albi; & in quadriga quarta equi varij, & fortes. Et respōdi, & dixi ad Angelū qui loquebatur in me: Quid sunt Domine mi? Et respondit Angelus, & ait ad me: Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur, vt stent corā dominatore omnis terræ.* Quo loco meo iudicio, Angelus in hunc Danielis locū intuebatur, vt pluribus in nostris commentariis in Zachariā ostendimus; ibi enim ventorū quatuor meminit,

Imperatores Dei ministri.

meminit, qui hoc capite ante singularū belluarū egresū mare turbarunt, ibi quadrigę ad terrę dominatorē, qui sine dubio sedebat in solio eo apparatu, qualis hic à Daniele describitur, deducūtur. Quæ & locū acceperunt à dominatore, & rerū, ac temporum dispensatore Deo, vbi dominarentur; &, vt est ex hac Danielis visione verisimile, tēpus imperio, quod tūc primū inibant, definitū.

66. Adde quòd fili⁹ hominis, qui sine dubio Christus est, ad illud iudiciū delatus esse dicitur, vbi ipse quoq; imperiū accepit, & potestatē æternā. At quis dicet ad iudiciū finale delatū esse Christū, cùm ipse potiùs in eo extremo mūdi iudicio futurus sit iudex. In hāc igitur sentētiā, quę reliqua sunt ex hac visione conferemus: ita tamē vt quid alij sentiāt interim adducamus; id, inquam, quod Patr. nobilioribúsque interpretibus magis probatur: alia breuitatis gratia prætermittemus.

67. *Donec throni positi sunt.*] Pro *positi sunt*, Chaldaicè רמין *remin*, quod Hebræi, & cum his è Recentioribus nōnulli reddūt *sublati sunt*. ita Vatablus, & Isidorus, in hunc sensum. Aspexi, in cáque visione spectanda perseueraui, donec illarū belluarum throni, in quibus tanquā rerū dominæ sedebant, sublati sunt; aut ipsæ potiùs exturbatæ de sedibus. Sed est omnino magis ex ipsa Chaldaicæ vocis proprietate, & totius capitis filo translatio vulgati; quæ constitutū docet esse tribunal, & in eo decretum de quatuor orbis imperiis, de illorū exordio, & fine, ac tandē de Christi regno, quod etiā sequuntur Patres, & interpretes, qui in illis thronis consedisse Dominū dicunt, & illos qui cum ipso ad iudicandum aduocati sunt.

68. Illud *donec*, non significat stetisse Prophetā ad illud vsque tēpus, quo throni positi sunt, quasi statim abierit; neq; aliquid spectarit vlteriùs, sed aspexisse quoque quod in iudicio peractum sit, quod statim ipse minutè satis, & accuratè describit. Vox etenim, *donec, vsque*, & similes aliæ licèt plerumque ita aliquid de vno tēpore affirment, vt aliud excludant; illud tamē perpetuū non est: sed idcirco nonnunquā adhibentur, vt quod difficilius esse videbatur, minus certè verisimile factum esse doceant. Exempla occurrēt in Scriptura multa; ex illis tu hæc pauca accipe Reg.2.c.6. *Michol filia Saul non est natus filius vsque ad diē mortis suæ.* Non exclusit tempus post mortē, sed ideo videtur nō inclusisse, quia nemini dubiū esse poterat Michol post mortem nō suscepisse prolem. Matth.c.28. *Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*: id est, antequā consummetur sæculum: nam consummato sęculo, nō erat dubitandū. Sic Psal. 109. explicandū illud, *Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos.* Affirmat enim Psaltes futurum Christum à dextris Patris, etiam dum hostes eius omnino profligati nō sunt, de quo tempore aliquis dubitare posset, cùm nō videretur totā gloriam cōsecutus. Vt igitur dubitationē illam adimeret, tūc etiā sedisse Christū dicit ad dexteram Dei: nam de alio tempore, in quo profligati iam erant hostes, dubitare poterat nemo. Sic ergo Daniel aspexisse se dicit thronos, vbi antiquus dierum sedit; cùm visio illa multo esset aliis horribilior, cùm ignis emicaret è throno, & fluuius à facie iudicis igneus egrederetur, & rapidus, qualia non videbantur ab humana infirmitate spectari, & sustineri posse.

Donec, & similia non semper tempus excludunt.

69. *Et antiquus dierum sedit.*] Quis sit hîc antiquus dierum, variant interpretes. Quidam Christum esse putāt, cui iudicandi munus datū est. Ita indicat Hieronymus, licèt in aliam sententiā magis videatur pronus; tenet apertè S.Thom. in hunc

A locū: Isidorus, qui dicit antiquū hunc esse Christum, agnum nempe illū qui occisus est ab origine mundi. Sed omnes fermè alij Deū esse putāt, quā Deus est, trinum videlicet, & vnū; licèt secundùm aliquā proprietatem Patrē esse statuāt. Quòd Deus sit secūdùm diuinitatē, & nō Christum hominem Deū, tenēt Dionysius de diuinis nominibus c.10. Hieronymus, Theodoretus, Petrus Comestor, Albertus Magnus, Frācis cus Suarez tom.2.in 3.p.S.Thom.disp.57.sect.3. & alij. Quòd Deus Pater, ex interpretibus Hugo, Lyra, Dionysius, Pereira, Maldonatus, Vatablus, adde etiam August.de trinit. lib.2.c.18. Rationes adducit Maldonatus, quia licèt personæ aliæ beatissimæ Trinitatis æquè sint antiquæ, vtpote cū Patre coæternæ; tamē secundùm id quod humana cogitatio in rebus humanis deprehendit, Patri datur senectus, seu dierū antiquitas, quia Patris nomen senectutem præ se fert, atque adeò senilem speciē offert Prophetæ, caput nēpe obsitum æuo, respersum nempe capillis instar lanæ mūdæ cādidis. Adde quòd filius hominis, id est, Christus ad antiquum dierū delatus esse dicitur, vbi qui in solio sedet, diuersus significatur à filio. In visione non admodum dissimili Apoc.c.5. agnus occisus ab eo, qui in throno simili sedebat, apertè distinguitur.

C *Vestimentum autē eius candidū quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda.*] In vestimento candido duo agnoscūt Patres, & interpretes, gloriā nempe Dei, & diuinæ naturæ puritatē, & munditiem, cuius symbolum, inter colores candidus. Quare Deus dicitur vestitus lumine Psal. 103: *Amictus lumine sicut vestimēto.* & Christus in trāsfiguratione speciem adsumpsit non dissimilem Matth.c.17.v.3. *Resplenduit facies eius sicut Sol; vestimēta autē eius facta sunt alba sicut nix.* Sanè cādidus color aliquid indicat cœleste, ac purum. Angeli enim in candidis vestibus apparent. Matth.c.28. v.3. sic de Angelo, *Erat autem aspectus eius sicut fulgur; & vestimentū eius sicut nix.* Et Act.c.1.v.10. *Ecce duo viri astiterunt in vestibus albis, qui & dixerunt.* Apoc.cap.7.v.13. qui in cœlo sunt, & agnum sequuntur, stolis albis amicti esse dicuntur. 70.

Cādidus color gloriam, & puritatē indicat.

Secundò candor simplicitatem, & puritatem indicat, quæ iudici maximè ad iudiciū incorruptum, & integrū necessaria sunt. Vt enim candor purus est color, neque aliena infectus, aut violatus fuco; sic etiā iudicis animus neutrā in partē affectus, aut infectus esse debet, sed ęquus omnibus, quíque in rebus nihil intueatur præter legē, & fas. Sic qui olim magistratū ambibant, quibus aliorum plerumque causæ aut iudicādæ, aut curandæ tradebātur, in petitione vestibus vtebantur candidis, à quibus Candidatorū nomen habuerunt; quibus significabant candidos se, ac puros afferre animos ad publicam causam, neque tam suis esse, quàm publicis cōmodis inuigilandum. Eam ob causam, vt inquit Hieronymus, & S.Thomas, & cum illis cōplures alij, Deus hoc loco candidū assumpsit indumentū, qui iudicaturus venerat, & causas cogniturus tam amicorum, quàm inimicorū; tam filij, quàm illorū qui filij sui consiliis aduersabātur. Capillus instar dicitur esse lanæ mundæ ob candē, opinor, causam; quia iudicium quod procedit ex capite, sicut capillus candidum esse debet, & purum: & quia in senibus est adiudicandū multis annis cōparata maturitas; ideo in iudice Deo, in cano capite species obiicitur senilis, quæ maturum indicat, & prudens: non præceps, ac temerariū iudicium. Porrò caput respersum canis antiquum dierum 71.

Cādida vestis apta iudicibus.

Qui magistratum ambiunt: cur candidati.

Deus iustus iudex.

 ostendit

ostendit esse iudicem, & esse æternum patrem, A
quem è tribus personis maximè designat senilis
auctoritas, qualis à pictoribus plerūq; tribuitur.

72. *Thronus eius flamma ignis: rotæ eius ignis accensus.*] Similis species, sanè non valde dissimilis oblata fuit Ezechieli cap.1.& cap.10.& Apoc.c.1.Ioanni, thronus Dei impositus videtur fuisse currui, sicut etiam habes apud Ezechielem: neque enim rotæ separatæ erant, & à throno seorsum mouebantur; quem enim vsum haberent, nisi solio, aut currui essent affixæ? Sanè apud Ezechielem, vbi rotarum, ignis, & solij crebra mentio, nihil audis de curru; sed planè fuisse currū, & ipsa quatuor rotarum natura docet, & Ecclesiasticus cap.49. v.10. *Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ quam ostendit illi in curru Cherubim.* Sic etiam puto, licèt hîc B currus non audiatur nomen; fuisse tamen currū, & illi subiectas rotas cui impositus esset thronus Dei, & illorum, qui cum Deo simul iudicaturi consederant. In rotis autem, & curru velocitas significatur, qua Deus lustrare videtur omnia; & illa celeri, licèt nō præcipiti, aut immaturo consilio iudicare. Et quia secum ignem, & omne forense ministeriū circumfert, indicatur facile esse iusto, atque seuero iudici suppliciū irrogare his, quos in illo tribunali dānasset. Vt enim in igne velocitas; sic etiam significatur acerbitas, quæ cum impetu ruit, & obuium quodque sternit, & vorat. Atque ideo commodè subiicitur statim. C

Deus iudex iustus, & velox.

73. Vers.10. *Fluuius igneus, rapidúsque egrediebatur à facie eius.*] Egreditur fluuius igneus exundās fluctibus, & præcipiti lapsu; quia festina venit vltio à diuino iudice decreta. Ita Hieronymus, & S. Thomas hîc, sic Lyranus, & Hugo. Quod etiam dixit priùs Origenes hom.9.in Leuit. Hic porrò ignis non solùm impios punit, & excruciat; sed etiam operum naturam, & momentum explorat: non aliter ac ignis in fornace metalla eliquat, & probat; & quod alienum est, ac vile, à nobili metallo secernit. Huc spectare videtur illud Pauli 1.Cor.3.v.12. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit.* D *Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit.*

74. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.*] Descriptus fuerat horror, quem seuera iudicis species tonitibus denuntiat, quem ignis circumfundit, & igneus fluuius præcurrens antecedit, quod significasse videtur Dauid Psal.96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Nūc iudicis maiestas & gloria describitur. Primùm, quia cum regio, ac supremo throno, alij etiam statuuntur throni, in quo alij quoq; sedeant, quasi cum Deo de Gentibus, atque de orbis imperiis laturi iudicium. Sicut Apoc.4. v.4. cùm de summo Rege actum E esset, qui sedebat in solio huic valde simili, addidit, *Et in circuitu sedis sedilia vigintiquatuor, & super thronos vigintiquatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.* Talis fortasse fuit consessus vigilū, qui clamarūt succidendam esse arborem suprà cap.4.& ille, de quo 3.Reg.c.22.v.19. *Vidi Dominū sedentem super solium, & omnem exercitum cœli assistentem ei.*

Angeli quo numero assistunt Deo.

75. Deinde regium comitatū describit, cuius ingens numerus ab humano ingenio iniri non potest; ponitur tamen definitus, & certus, sed quàm maximus ab hominibus concipi potest: pro indefinito, & incerto, quasi diceret Propheta assistentium iudici eam esse multitudinem, vt nullo numero definiri, ac cōprehendi queat. Sic in hūc locū Hieron. *Hunc adhibuit numerum Propheta, non quo iste ministrorū numerus definitus sit; sed quo maiorem multitudinem humanus sermo explicare nequiuerit.*

Ex hoc loco quidam scholastici duo constituunt Angelorum munera, assistentium videlicet, id est, qui Deo semper astant, quasi apparitores, & asseclæ: & ministrantium, qui à Deo missi varias obeunt legationes, & munera. Prioris ordinis sunt Seraphim, Cherubim, Throni, ac Dominationes; posterioris, Angeli, Archangeli, Virtus, Potestates, Principatus. Ita S.Th.1.p.q.112. per aliquot articulos. Greg.lib.17.Mor.c.7. Rupertus in Danielem cap.13. Lyra, Dionysius, & Pereira. Alij nullum hîc discrimen inter assistentes, & ministrantes inueniunt. In quibus est Hieronymus, Theodoretus, Petrus Comestor, Hugo, Vatablus, Maldonatus. Sanè quicquid de hac quæstione sit (neque enim hoc loco quod scholastici negotij est, disputare est animus) ex hoc Danielis testimonio aliquod graue fundamentū non sumitur, quod ad distinctionē illam magni referat. Omnes enim quos in ea visione Daniel aspexit, assistebant Domino, aliter non cum Domino simul apparuissent. Et qui assistunt, nō sanè alio animo assistunt, quàm vt à Deo accipiāt mandata, quæ perferant ad homines: sicut in humanis faciūt atrienses pueri, qui ab dominorum oculis nunquam suos dimouent oculos, pendentes ex illorū nutu; & toti in eorū vel minimam significationem intenti. Ita, & meo iudicio optimè visum est Maldonato. Hieronymus assistētes 77.
omnes etiam ministrantes esse putat; non tamen idem omnibus esse ministerium. *Duplex*, inquit, *Angelorum officiū est: aliorū, qui iustis præmia tribuunt: aliorum, qui singulis præsunt cruciatibus.* Vbi docet quod c.3. num.93. verisimilius putabamus, Deū interdum ad malos puniendos bonorū Angelorum vti ministerio. Neque improbabile est pœnam, quæ de quatuor belluis sumpta fuisse dicitur, per hos assistentes Angelos inflictam fuisse. Neque alij Danieli oblati sunt in ea visione, à quibus damnatæ punirentur belluæ; neque alio modo videtur fuisse puniendæ, quàm qui in visione obiectus est. Accedit quòd ex vsu Scripturæ idem est, *astare*, seu *assistere*, quod *ministrare*. Sic 78.
Ierem.c.35. *Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus*, id est, ministrans in templo. Deut.c.1.v.38. vbi vulgatus de Iosue dicit, *minister tuus*. Hebr. *qui stet corā te*, seu *in conspectu tuo*. Et 3.Reg.c.1.de Abisag Sunamitide, *Quæramus Domino nostro Regi adolescentulā virginē, quæ stet coram Rege.* quæ tamen postea v.4. dicitur eidē ministrasse. Et Raphaël Tob.c.12. Vnus erat ex his qui assistebant Domino; & tamen Tobiæ, si quis alius maximè ministrasse scribitur.

Ex his verbis nonnulli colligūt maiorem esse 79.
astantium, quàm ministrantium numerum, cùm millia milliū ministrasse, & decies millies centena millia astitisse dicuntur. Sed hi, vt optimè hoc loco Maldonatus, nō bene norunt Scripturæ sacræ consuetudinem, quæ cum certo, ac definito numero, indefinitū eūmque grandem significare vult, duos adhibere solet numeros, qui idē omnino connotant, licèt ipsi inter se valde diuersi. Exemplum ipse adducit ex Matth. cap.18.v.21. Nam cùm ibi dixisset Petrus, *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittā ei? vsque septies? Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Cùm enim, inquit Maldonatus, *septies pro incerto infinitoq; numero ponatur, idem est septies, & septuagies septies. quod pro infinito etiam numero ponitur, sed cōfirmandi*

causa

76. *Qualis Angelorum distinctio in assistentes, & ministrantes.*

Idē Angeli astant, & ministrant.

Non colligitur ex Daniele maior astantium, quàm ministrantium numerus.

causa numerum auget. Doctrinam hanc veram esse puto, & in adiecto numero esse potius epitasim, quàm augmentū rei significatæ. Verùm, Maldonati exemplū non omnino placet; in eo enim laborat, quod Petrus de certo aliquo numero rogat, quasi dicat, an definitus sit iniuriarū numerus, quem inimicis remittere debeamus, v.g. ad
80. numerum vsque septenarium. Exemplum est accommodatum magis ex illo Psal.90.v.8. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis:* id est, cadent hinc inde à dexteris, & sinistris innumerabiles; neque interea tu sub adiutorio Altissimi aliquid patieris mali. Sic ergo nunc idem omnino valent millia milliū, & decies millies centena millia; significat enim vterq; numerus innumerabiles esse spiritus, qui assistebāt, ministrabántque Deo. Sic Hispani cùm infinitā multitudinē significare volunt, hoc ferme modo explicant, *millares de millares, & cuentos de cuentos*, vel *millones de millones*, quod omninò valent hæc Danielis verba; neque plus vna significatur voce, quàm altera. Id mihi omnino persuadet illud Apoc.5. v.11. *Audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animaliū, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium.* Neque enim credibile est maiorem astantium numerum oblatum esse Danieli quàm Ioanni; sed vtrumque vidisse eam magnitudinē, quæ nullo comprehendi numero posset. Quare idem est in Ioāne *millia millium*, quod in Daniele *millia milliū, & decies millies centena millia.* nisi quòd hic magis explicatè, & apertè innumerabilem illam multitudinem ostendit. Adde huc, quòd hic iidem sunt ministrantes, & assistentes Angeli, omnes enim, vt apparet, astabant. Et qui Deo assistebant Apoc.5. eodem notantur numero, quo qui ministrabant apud Danielem, nempe *millia millium.* Sanè Raphaël Tob.c.12. vnus erat ex his, qui astabant coram Deo, vt ipse fatetur vers.15. *Ego sum Raphaël Angelus vnus è septem qui astamus ante Dominum.* Et tamen, vt constat, ille ministrabat, quia varia Tobiæ ministeria præbuit.

81. *Iudicium sedit.*] Vsitatum est in sacris literis, vt abstracta vox adhibeatur pro cōcreta; quod cùm alibi sæpe, in congregatione, & cœtu, quàm sæpissimè fit. Vnde frequēs tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores, *Congregatio, Ecclesia, concio, consessus*, & similia, pro his qui congregati, aut euocati sunt, aut in vnū aliquem locū cōuenere. Sed in materia nō dissimili occurrunt exempla, quæ dignitatem, aut opus adhibent, pro his qui in ea dignitate sunt, aut opus exercent dignitati

REGVLA. *Dignitas pro his qui in dignitate sunt.*

alicui, aut muneri legitimū. Hoc modo magistratum vocamus eum, qui magistratū obit, potestatem eum, qui præest. Quo dicendi genere Paulus vtitur ad Roman.c.13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Et nostro etiam tempore alicubi Præfectus vrbis Potestas appellatur; & qui iudiciis præsunt, & causis, ac foro vacant, vulgo Hispanorū dicuntur *la iustitia.* Ad eum ergo modū iudicium sedisse dicitur, quia sederūt iudices, illi nempe, quorū iudicium propriū est, & legitimū opus, quiq; approbaturi sunt ac laudaturi, quod à Deo supremo iudice decretum fuerit; dicturique illud Psal.118. v.137. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

82. *Et libri aperti sunt.*] Licèt iudicium hoc non sit vniuersale, & extremū, vt ostēdimus suprà num. 64. & docet Maldonatus ad illud vers.9. *Aspiciebam donec*, tamen iudicandi forma non erit longè ab illa diuersa, quam in extremo, ac generali iudicio Dominus seruabit. Vt enim ibi proponēdi sunt, atque aperiendi libri, qui causam totā, me-

A ritáque contineant; sic etiam in hoc, & in aliis priuatis singularibúsque iudiciis. Cùm omnia æque iusta futura sint; neque si ad rationem referas humanā, aliter esse futura iusta videantur. Neque enim humanus iudex, nisi causæ momēta, & merita cognoscat, quæ in iudiciariis literis digesta sunt, integrum ferre posset, æquúmque iudicium. Sic Ioan. Apoc.c.20.v.12. iuxta id, quod in singulis libris scriptū esset, supremū iudicem singulorum causas iudicantem inducit. *Vidi thronum magnum, & candidum, & super eo sedentem. Et omnes mortuos stantes in conspectu throni. Et vidi libros apertos; & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum.*

B Qui verò sint hi libri, obscurum est. August. 83.

Qui sint libri in diuino iudicio producendi.

lib.20. de ciuit.c.14. & 15. in libris qui in iudicio aperiūtur, Sanctos intelligit, in quorū mentibus expressa videtur diuina lex. Iustus enim viua quędam lex est, qui vita ad diuinā legem attemperata, suo exemplo quid facere debeant, aliis edicit. Ex eo igitur quod Sancti diuinæ legis vigilantissimi custodes fecere, quorū vita norma fuit sanctitatis illius, quam diuina homini præcepta præscribunt, iudicabuntur impij, quorū fuit dissimilis vita, & studia diuersa.

Sanctorum exempla cōdemnabunt impios.

Sicut Niniuitæ pœnitentes iudicaturi dicuntur, & condemnaturi Iudæos, quos peccatorū suorum non pœnituit, & Regina Saba, de quibus Matth.c.12. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam,* C *quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquàm Ionas hic.* Non longè 84.
abeunt ab Augustini sententia Greg.lib.33.Mor. c.6. Ricardus Victo.lib. de iudiciaria Christi potestate, Anselmus in elucidario; qui tamen addit librum vitæ esse Christum, qui se aliis viuendi normam, & exemplū proposuit. *Ego,* inquit, *sum via, veritas, & vita.* & alibi, *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Iuxta id, quod ipse suo nobis exēplo pręscripsit, iudicandos homines existimat Anselmus.

Liber per quē iudicabimur Christus, & Sancti, qui omnibus exemplo sunt.

Anselmum audi. *Libri sunt Prophetæ, sunt Apostoli sancti, aliique perfecti. Qui libri aperti erunt, quando doctrina, & exempla eorū omnibus patebunt. In quibus omnibus, quasi in libris videbunt, quid facere, aut* D *quid vitare debuerunt. Liber vitæ est vita Iesu, in qua omnes quasi in libro legūt, quid de præceptis eius vel fecerunt, vel neglexerunt.* Dixit hoc idē eleganter Petrus Damia.tom.3. Biblioth. epist. ad Blācam.c.7. vbi cùm Danielis locū attulisset, ait: *Qui nimirum libri ipsi intelligēdi sunt Sancti, quorū nunc meritum ab eis per custodiam humilitatis absconditur, & tanquam volumen codicis ne legatur inuoluitur: tunc autē ad eorū gloriā, vniuersorū oculis aperitur, vt in eis præuaricatores tanquā per digestæ scriptionis articulū, legāt diuinæ legis mādata, quæ dum adhuc viuerent seruare contempserūt. Illic cōpelluntur, & legere, qui hîc per arrogantiæ fastum, verba Dei dedignātur audire. Illic iugum Domini leue, & onus eius suaue mitibus & patientibus esse cōsiderāt,* E *quod hîc superbia sua ceruicibus intolerabile iudicabant.* Beda per libros apertos scripturas intelligit, in quibus diuina cōtinentur præcepta. Theodoret. omnium memorias putat, quæ omnibus peccata suggerent, quæcumque in tota cōmiserunt vita.

Communior est, & verior sentētia, libros vitæ 85.
esse singulorū conscientias, quas scrutabitur iudex, in quibus apparebit, quicquid toto vitæ tēpore à quoque honestè gestū est, aut turpiter. Id planè vult Theodoretus, qui tamē pro cōscientia memoriā adhibuit: planè sentit Hieronymus hîc, Iustinus cōtra Triphonē, Hugo, Lyra, Dionysius, & frequētes alij. In cōsciētiis enim hominū scripta lex est, quæ homini quid facere, quidve de-

Libri sunt conscientiæ.

clinare debeat, præscribit. In eis præterea scriptũ quid quisque honestũ, seu secus admiserit, quid iuxta regulã insculptam cordi rectè fecerit, & in quo ab illa aliorsum aberrauerit. Vtriusque rei plurimũ habemus a sacra Scriptura firmamenti, ac lucis. Isai. 51. *Lex mea in corde eorũ.* Psal. 36. *Lex Dei eius in corde ipsius.* Quòd scribantur in corde peccata iuxta cõmunem sententiã, dixit Ierem. c. 17. *Peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.* Vtrumque coniunxit Paulus ad Rom. c. 2. v. 14. *Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex; qui ostendũt opus legis scriptũ in cordibus suis, testimoniũ reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationũ accusantium, aut etiã defendentium in die cùm iudicabit Dominus occulta hominum.*

86. Iuxta hanc sententiam multa dicunt Patres sanè auditu dignissima. Basilius de vera virginit. *Nullius vel defensioni, vel negationi erit locus, quando ipsa cernentur opera in suo auctore conspicua. Non enim confuse, aut summatim & indigestè res ipsæ cernẽtur; sed singula per partes, vt sese habeant, velut in pictura noscentur. Exempli causa, quomodo ad patrandum quisque adulteriũ, properans e lecto surrexit; quibus passibus incedens vsus est; quo motu corporis lentiore, aut concitatiore; quem habitũ dum progrederetur assumpsit; & qua ex parte erumpens vxorem alienam violauit, quo item ordine huic mulier ad nefariũ opus sese prostrauit. Hæc, inquam, omnia velutι in tabula, per partes diligenter expressa cernentur, nec ea solùm, quæ in apertũ opus proruperẽ; verùm & quæ sine effectu operis in animæ tabula*

87. *inscripta fuerunt cogitationes.* Hæc Basil. Bernardus item de conuersione ad clericos, cap. 2. *Aperitur conscientiæ liber, reuoluitur misera vitæ series, tristis quædã historia replicatur, illuminatur ratio, & euoluta memoria velut quibusdam eius oculis exhibetur. Vtraque verò non tam ipsius est animæ, quàm anima ipsa, vt eadẽ sit & inspiciens, & inspecta contra suã statuta faciem, & à violentis quibusdam apparitoribus immissarum vsque cogitationũ coacta proprio interim iudicãda assistere tribunali. Quis sanè iudiciũ hoc sine tribulatione sustineat? Ad meipsum anima mea turbata est, ait Propheta Domini; & tu contra faciem tuã sine argutione, sine turbatione, seu confusione statui nõ posse miraris!* Allusit hoc loco Bernardus sine dubio ad illud Psal. 49. v. 21.

88. *Arguam te, & statuã contra faciem tuam.* Ambrosius in Apologia Dauid: *Sunt profectò altè impressa quædam conscientiæ nostræ vlcera delictorũ, & quædã mentium nostrarũ, animorumq́; vibices, quæ errorum nostrorum obducũtur vlceribus. Habet ergo culpa characteres suos, & apices, quibus proditur quod non ingenio nostro affingimus; sed prophetica auctoritate signamus. Scripta est ergo, & vbi scripta sit vide. In pectore, inquit, cordis sui; hoc est, ibi scripta est culpæ series, vbi etiã forma virtutis; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Sed quæ bona sunt non atramento scribũtur, sed spiritu Dei viui; quæ autem vitiosa sunt, graphio ferreo, & vngue adamantino.* Et paulo pòst, *Væ mihi quia latere cupio, & latere non possum. Quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero meorum iudicia peccatorum.* Multa his similia adduci possent ex Patribus, ex quibus nos hæc pauca libauimus; tu plura, si voles, pete ex interpretibus in cap. 20. Apocal. ad illud, *Et libri aperti sunt.*

Seuerũ examen in iudicio etiã rerum minimarum ex Basilio.

Idem ex Bernardo.

Idem ex Ambrosio.

89. Ego hæc quàm verissima puto; quia verò iudicium hoc diuinũ ad humani similitudinem ab homine concipitur, & exercetur, vt docet S. Th. 4. d. 43. art. 5. & 6. ac accommodatè ad hominum sensus in Scriptura sacra multa dicũtur; ideo in libris, qui aperiendi dicũtur, plura scribenda puto, quàm quæ hæc sententia postrema cõplectitur. Quia in humano iudicio non solùm peccata proponuntur, aut merita; sed etiam quæ contrà patronus, aut actor in causam afferre consueuerunt. Tum præterea leges quas seruasse, aut violasse aliquis laudatur, aut arguitur, vt ex multarũ rerum contentione verum feratur, legitimúmq; iudicium. Atque ideo scriptæ proferentur leges, quas seruarunt iusti, temerarunt, & neglexerunt impij: id constat ex locis, quæ nuper adduximus, quæ inscriptas leges hominum mentibus osten-
dunt, quod planè docuit Beda in cap. 21. Apocal. 90.
vbi in libris apertis intelligit Scripturas, in quibus diuina continentur præcepta: cui etiam aliqua ex parte astipulari videntur, qui cum Augustino in libris, Sanctorum agnoscunt exempla, aut etiam Christi, vt putat Anselmus; hi enim quasi leges sunt, qui in seipsis quemadmodũ viuendum esset aliis, expresserũt exempla. De meritis, ac peccatis, quæ in hominum conscientiis insculpta sunt, satis multa diximus, quòd hæc bonus, aut malus spiritus in iudicis aspectũ producant; alter, vt accumulatis sceleribus causam vrgeat, & iudicem ad iracundiam instimulet; alter vt benefactis præmium deberi contendat, ac iudicem ipsum ad misericordiam inflectat, indicat hoc loco Hieronymus, dum ait malũ librum esse in dæmonis manu; *Qui est,* inquit, *inimicus, & vindex, de quo in Apocal. cap. 12. legitur, Accusator fratrum nostrorum.*

In libris non solùm producentur peccata, sed leges violatæ.

Malus, & bonus spiritus libros proferent.

91. Deinde quia ex meritorũ magnitudine, atque frequentia augetur ingrati animi malitia, & peccati pondus: scribuntur etiam & quot à Domino accepta beneficia, & quæ illis ab homine relata gratia; sicut in bene constituta familia libri esse solent rationum, in quibus accepti, & expensi summa digeritur, vt qui tunc testes aderunt, & iudicis assessores meliùs de hominum meritis, ac sceleribus iudicent; & de illorũ capitibus magis cum aliarũ satisfactione statuãt, quod ius ipsum postulet, & fas. Dixit hoc optime, & eleganter Augustinus serm. 67. de tempore, vbi Christum agentẽ quasi de scripto cum homine, & in hunc modum accusantem inducit. *Ego,* inquit, *te, ô homo, de limo manibus meis feci. Ego terrenis artubus,* &c. *Irridentium palmas, & sputa suscepi: acetum cum felle bibi; flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, vt tu eriperemis morti, animã in tormentis dimisi. En clauorum vestigia, quibus affixus pependi! en perfossum vulneribus latus! Suscepi dolores tuos, vt tibi gloriã darem; suscepi mortem tuã, vt in æternum viueres. Conditus iacui in sepulcro, vt tu regnares in cœlo. Cur, quod pro te pertuli, perdidisti? Cur, ingrate, redemptionis tuæ munera renuisti?* &c. Hæc Augustinus.

In libris accepta à Domino beneficia scripta.

92. Adde ad extremum quod de hoc libro, peccatorúmque memoria tradit Origenes homil. 3. in cap. 16. Genes. vbi peccatoris manu scribi tradit delicta, quorum se reum publico, & quasi legitimo testimonio profitetur: & hoc est illud chirographum, de quo Paulus ad Coloss. 2. vers. 14. Sic ergo Origenes: *Sunt quædam literæ, quas Deus scribit; quædam literæ, quas nos scribimus. Peccati literas nos scribimus. Audi Apostolum dicentem, delens quod aduersum nos erat chirographum. Vnusquisque enim nostrùm in his, quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati sui literas scribit.* Qui etiam communem sequitur sententiam de conscientia peccatorũ notata characteribus homil. 12. in Ierem. *Nudabitur,* inquit, *pectoris mei conscientia, & aperto corde videbuntur literæ peccatorum, quæ stylo ferreo in vngue adamantino sculptæ sunt. Atque ita vniuersa peccatorum multitudo leges in pectore meo signatas imagines peccatorum.*

Tam Deus, quàm homo peccata scribunt.

Vers.

93. Vers. 11. *Aspiciebam propter vocem sermonum grandiū, quos cornu illud loquebatur.*] Suprà diximus nullum hîc esse sermonem de extremo, generalique iudicio; sed tantùm de imperiis, quorum in ea visione species oblatæ, quod putat S.Thomas, & cum eo Maldonatus, vterque in hunc locum. Sic autem S.Thomas: *Libri aperti sunt, quia peccata prædictorum regnorum, quæ iudicanda sunt, omnibus reuelanda erunt.* Aspexerat in ea visione Daniel, quemadmodū ortæ fuissent è mari belluæ, in quibus regnorum status, & tempora notabātur; & suo ordine spectarat attentè, quemadmodum quælibet esset, ante iudicem oblata, & definitum imperij finem, & modum accepisset; vt denique quælibet in suo se gessisset imperio; & tandem esset à potentiori bellua superata. Itaque primùm in illa nocturna visione spectauit florens priùs Chaldæorum imperium, deinde à Persarum viribus extinctum; & hoc rursus sublatum à Græcis; & ab his tandem translatum ad Romanos. Neque enim hęc imperia simul à Propheta conspecta videntur, quando illa simul in rerum natura non extiterunt. Sed cùm attentè considerasset omnia; nihil tamen spectabat auidiùs, aut considerabat attentiùs, quàm quid de quarta bellua decerneretur à iudice; neque vulgare fore arbitrabatur, quicquid illud esset, quādo vitæ, atque imperij modus tam esset diuersus ab aliarū instituto, ac moribus, quas stratas esse antè cognouerat. Spectabat autē auidè propter sermones illos grandes, quos personabat, ac loquebatur cornu illud exiguum, quod inter alia decē cornua in quartæ belluæ capite pullulasse viderat. Existimabat enim superbam illam, & impiam linguam loquacitatis suæ non leue, aut vulgare laturam esse supplicium, cùm non solùm contra homines contumeliosè, ac barbarè, sed etiam contra Deum ipsum superbè loqueretur, vt constat infrà vers.25.

Summa visionis Danielis.

Imperia in visione non simul visa, & iudicata, sed cum successione.

94. *Propter vocem sermonum grandium.*] Vbi vulgatus *propter*, Chaldaicè est מן *min*, quæ communiter valet idem quod *ab*, & ita vertunt è Recentioribus nonnulli: tunc autem hanc putant esse sententiam. A voce sermonum, id est, postquam audire cœpi sermones illos grandes, expectabam finem illius, cuius tam esset impudens, & effrænata lingua.

95. Porrò *sermones grādes* non tantùm inflati sunt, & insolentes; sed etiā minaces, & contumeliosi; quales in Sanctos exiguum illud cornu loquebatur. Psal.11.v.4. *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.* Et Psal.54.v.13. *Si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset.* Et 1.Reg.c.2.v.3. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.* Quod Isai.c.37. cùm de superbo, atque impio Sennacherib verba faceret, tribus expressit verbis vers.23. *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem, & eleuasti altitudinem oculorum tuorum.*

96. *Quod cornu illud loquebatur.*] Non ideo euentū, & finem postremę belluæ expectabat auidè Propheta, quia in illa aliquid vidisset, quod esset ab aliarum belluarum instituto, atque ordine diuersum; sed quia in illo vndecimo, ac pusillo cornu, quod in belluæ capite succrescere viderat, aliquid obseruaret, quod aliorū, aut vim, aut cōtumeliam, aut omne impietatis, ac crudelitatis genus longè superabat. Illud porrò ad belluā quartam, id est, ad quartum imperium pertinere inde coniectabat, quia non ex alio, quàm ex illius belluæ capite prodierat.

A *Et vidi quoniam interfecta esset bestia.*] Consecutus est Propheta id, quod in votis habuit; vidit enim finem quartæ belluæ; sicut aliarū quoque belluarum interitum viderat: sed longè fuit duriori, quàm aliæ supplicio mulctata, æternis nēpe tradita flāmis; quod aliis belluis accidisse non viderat. Quomodo verò hęc acciderint, dicemus postea pluribus, cùm de cornu parui significatione sermo redierit. 97.

Vers.12. *Aliarum quoque bestiarū ablata esset potestas.*] 98. Vidit Daniel aliis quoque bestiis potestatem nempe imperatoriā esse sublatā; & ipsas suo etiā modo periisse: quia imperia, quorū illæ speciem referebāt, interierant; B non tamē eodē tempore quo quarta bestia periit, & paruū illius cornu igni traditum est. Quare sensus est: Vidi quomodo priùs aliarū quoque bestiarū imperia cecidissent; eo nempe ordine, quo rerū sunt potitæ. Ita putant Theodoretus, Vatablus, Isidorus, & Maldonatus. Ideo verò de quartæ bestię interitu meminit priùs, quia in illā toto animo videbatur intentus; non quia illa aut regnasset priùs, aut priùs è regno, & vita decessisset.

Et tempora vitæ constituta essent eis ad tempus, & tempus.] 99. Vbi primùm ex mari ventis antè turbato bellua prodibat, ad Deum deducebatur, qui sedebat in throno, multis Angelorū millibus circumfuso, C à quo accipiebat & imperij potestatē, & vitæ modū; id enim esse puto *tempora vitæ constitui*: nempe definiri & vitæ, & regno certum aliquod tempus. Quod varium fuit, quia alij lōgo, alij breui spatio cum potestate imperatoria floruerunt. Illud enim indicat, *ad tempus, & tempus*: quasi dicat, aliis aliud esse regnandi spatiū assignatum à Deo, qui vt imperiū hominibus attribuit, vtpote summus ipse imperator: sic etiā imperij fines, & imperandi tempus circumscribit; vltra quod mortaliū nemo aut vitā, aut imperiū producet, vt maximè cupiat, atque contendat.

Vers.13. *Et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat.*] 100. Hactenus de imperiis, quibus pręfuerūt belluæ emergentes de mari, D quæ euanuerunt facile; non aliter atque elementum ipsum, ex quo prodiisse contemplabatur Propheta. Vt enim aqua commouetur facilè, & turbatur à vento, & varias in singula momenta mutationes subit; sic imperia nostris quotidie agitantur motibus, ac tandem aut suo sibi ponderi, aut aliorum oppugnationi succumbunt. Neque qui imperio præsunt, qui ex mari æstuosiùs feruente exurgunt, non aliter atque spuma, quę tunc conflatur, atque innatat summa aqua, quando maior est æstas, & agitatio aquarum, non magis durant quàm spuma, aut bulla, quæ ex eadem, qua ipsi aqua formata sunt. Quare dum ex aqua turbata E imperia dicuntur emersisse, quomodo spuma, aut bullæ, eadem significatur futilitas, quæ in bulla, aut spuma reperitur; quibus imperia videntur esse cognata; immò ex eodem nata conceptu, atque vtero, ex mari videlicet à vento turbato. Quare impij, & eorum qui imperio præsunt, idem est pater, nempe ventus, qui turbat; eadem mater, quæ à vento turbata, & quasi grauidata spumam generat, & bullam. Sanè Sap.cap.5. Spes hominis spumæ comparatur gracili, quæ vt à vento gignitur, sic etiam dissipatur à vento. Spes autem homini faciunt opes, & potentia, à quibus nihilo plus firmitatis habet homo, quàm à spuma. Notum est hominem cum bulla comparari, vnde prouerbiali figura dicitur *homo bulla*. Optimum nobis symbolum regnorum omnium

Imperia hominum fugacia, & futilia sicut spuma.

Spes hominis futilis.

ostendit Propheta, dum illa dicit apparuisse ex aquis à vento collisis, atque turbatis.

101. Sed longè aliud habuit principium, & ortum Christi regnum, de quo nunc agit Propheta; neque enim Rex Christus egressus est de mari sicut Reges alij; sed ex cœlo. Venit enim in nubibus, aut supra nubes, quod regium existimatur esse vehiculum, quæ licèt è cœlo non sint; è cœlo tamen esse, aut in cœlo, vulgus hominum putat. Sanè nubes sæpè pro cœlo ponitur. Psal. 88. v. 7. *Quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei.* & Psal. 107. v. 5. *Quia magna est super cœlos misericordia tua: & vsque ad nubes veritas tua.* Baruch cap. 3. v. 29. *Quis ascendit in cœlum, & accepit eam; & eduxit eam de nubibus?* In nubibus porrò diuina significatur maiestas; quia Deus ex illis tanquam è throno sæpe hominibus apparuit. Vide Exodi complura capita, 16. 19. 24. 33. 34. 40. Et Psal. 103. nubes thronus dicitur esse Dei. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Et in transfiguratione à nube lucida vox diuina personuit; & filius hominis venturus esse dicitur in nubibus cœli. Chrysostomus homil. 2. in Acta. ad illud, *Et nubes suscepit eum.* ait nubem symbolum esse cœli, & diuinæ potétiæ signum, & ad Christum missum fuisse à Patre quoddam regium vehiculum è cœlo, vt ostenderet illum cœlorum esse Regem.

Nubes pro cœlo.

Nubes Dei thronus.

102. Vbi vulgatus *cum nubibus*, Hebr. est עם *hhim*, quæ præpositio licèt plerumque valeat *cum*, interdum tamen adhibetur pro ב *beth*, quæ valet *in*. Genes. 25. v. 11. & 35. v. 4. & 2. Reg. 19. v. 37. Quare idem est, filium hominis cum nubibus, atque in nubibus cœli descendisse.

REGVLA. Cum, *aliquando pro* in.

103. Quærunt hîc ex interpretibus aliqui, cur ille qui in nubibus apparuit, quem esse Christum fatentur, dicatur non simpliciter *filius hominis*, sed *quasi filius hominis*. Iustinus dialogo cum Triphone, Theodoretus, Lyra, & Maldonatus particulam *quasi* in propria significatione sumunt, quasi nota sit similitudinis ideo adhibita, vt præter id, quod nomen ipsum præferebat, aliquid aliud in eo fuisse significaret. Quasi dicat, erat quasi filius hominis, ita vt à quolibet ex specie, ac vultu purus existimaretur homo; cùm tamen aliquid haberet supra hominem; cùm esset Dei filius. Hæc mihi expositio plurimum placet; sed non displicet quod Dionysius putat, quasi filium hominis Christum vocari; quia non Christum; sed eius speciem, & imaginem in ea nocturna visione intuebatur. Imagines autem, aut quæ ab artifice finguntur, aut quæ dormientibus apparent, non sunt, v.g. homines; sed quasi homines, quod in aliis imperij symbolis expressit Propheta. Non enim belluam, quæ Chaldæorum referebat imperium, leænam vocat; sed quasi leænam: neque pardum vocat; sed quasi pardum Græci imperij symbolum. Sic ergo non videtur abs re, si dicas non apparuisse propriè filium hominis, sed quasi filium hominis, quia illius tantùm visebatur species. Neque sine causa præmisit Propheta, postremam hanc speciem oblatam esse in visione noctis, vt ostenderet rerum esse imagines, quales dormientibus occurrunt. Hæc sententia ita mihi probatur, vt in priorem magis propendeat animus.

Quasi quid valeat.

104. *Et vsque ad antiquum dierum peruenit; & in conspectu eius obtulerunt eum.*] Hîc multa interpretes, & Patres; quidam hunc locum de Christi in cœlos ascensu interpretantur, qui nubibus venisse dicitur. Alij de secundo aduentu, vbi etiam in nubibus Christi iudicis thronus collocatur; & vbi illi plena traditur, & quieta potestas; cùm nemo iam inimicorū aut splendet in terris, aut quicquā aduersum Christi nomen molitur, cùm à vindice Christi potestate ad inferna loca sit demersus. Ego hæc aliter accipio consentaneè ad ea, quæ suprà dixi num. 64. vbi omnes belluas ad Deum, ad antiquum nempe dierum deductas esse dixi, vt quid de illis, id est, de imperiis futurum esset, & de illorū duratione pro sua sapientia, ac potestate decerneret. Has autem belluas ab Angelis, qui antiquo dierum adstabant, ministrabántque, deductas esse, satis est verisimile. Vt ergo ille, qui visus est Prophetæ quasi filius hominis, imperium, & potestatem acciperet ab antiquo dierum, ad illum quoque deductus est ab Angelis, longè tamen alio apparatu, atque habitu: non è mari æstuante, ac turbido, sicut imperia alia; sed è cœlo in nubibus, id est, in regio vehiculo. Hunc sensum planè confirmant, quæ deinde sequuntur, quæ ad alias explicationes duriora sunt, & non nisi contortè, ac violenter trahuntur.

Vers. 14. *Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum.*] Hoc regnū illud esse videtur, quod Christus habuit in terris, sicut imperia alia terrena fuerunt, licèt sublimius sit, & aliquid altius, & cœleste spectet. Salutem nimirum spiritualem hominum, vt constabit magis infrà v. 27. Hoc videtur esse regnum, & potestas, quam à Patre, id est, ab antiquo dierum Christus accepisse se dicit Matth. cap. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas à Patre meo.* De qua potestate multo antè Dauid Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuā terminos terræ.* Hæc verò de temporaria Christi natiuitate plerique è Patribus intelligunt; & adiuncta omnia non obscurè probant. 105.

Christi regnum in terris.

Sed occurret his aliquis, & dicet non aptè hæc de Christi imperio dici posse, quod in terra Christus per se, ac suos, nomine tamé ipsius administrauit; quandoquidem tunc datum esse dicitur à Patre, cùm Antichristus in æternū ignem deturbatus est. Quare non videtur de alio tempore, quàm de extremo, finalique iudicio intelligi posse. Huius rei non est difficilis solutio: est enim vsitatum valde, idque non apud profanos solùm; sed etiam sacros Scriptores, vt multa narrentur ante suum tempus; aut quia sic erit magis aperta narratio; aut quia non est commodū aliud narrandi tempus. Oblata est Danieli Antichristi species, quomodo accepisset, administrasset, & finiisset imperium; sed est oblata in capite belluæ quartæ, in cuius capite inter decem cornua, cornu aliud exiguum vndecimum apparuit. Quare Antichristi extremum illud regnum, quod fuit quàm breuissimum, in Romani imperij iam dissoluti reliquiis pars extrema fuit. Cùm ergo Romani regni exordiū, & progressum aliquem vidisset Propheta, quę Christi felicissimum ortum præcessere, vt tandem quicquid ad illud imperiū pertinebat, semel absolueret ad Antichristi vsq; interitū, quem Romani imperij fines paulo antè præcesserat, historiā cōtexuit, eo ordine quo ipsi in nocturna visione esset oblatum. Cùm autem imperium, de quo modò Propheta, post Romani imperij aliquot dies sumpsisset exordium, de illo etiam posteriori loco actum oportuit. 106.

REGVLA. *Prolepsis in Scriptura familiaris.*

Potestas

107. *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur.*] Vbi vulgatus *potestas*, Chaldaicè est שלטן *saltan.* quæ vox regiam significat potentiam: vnde Persarum,& orientalium aliquarum regionum Principes vocantur *Sultani*,Hispanicè *Soldanes.* Ablatam viderat Propheta imperiis aliis potestatem, & gloriam; quia illorum vires erant infirmæ, & quia illis maior se potentia, & virtus opposuit. Non sic autem accidit, aut accidere potuit in Christi regno, cui nulla occurrere potestas, aut virtus potuit, quæ illud debilitare, nedum sternere sufficeret. Si de terreno imperio sermo sit, quo sensu nuper explicuimus, æternum vocari potuit Christi regnum, quia quatenus à Christo administratum,& possessum,à nulla potentia deleri potuit. Sicut etiam Christus Lucæ cap. 1. regnaturus dicitur in domo Iacob in æternum: & Abrahæ æterna promittitur possessio terræ promissionis; licèt aliquando ab ea deturbatus sit; quia si posteri in datâ fide perstitissent, nulla foret aduersariorum potestas, quæ fauente, ac protegente Domino, illam ab Abrahamidum genere sustulisset. Est autem in Scriptura frequens, vt tale dicatur aliquid, quale ipsius postulat natura; aut quod esse debuit, licèt aliter interdum contingat: quomodo in Ecclesiæ exordio omnes fideles vocabantur *sancti*; & qui sacro destinabantur ministerio Presbyteri,id est, senes; quia illos Euangelica doctrina ad sanctitatem instituebat;in his ordo sacer mores exigebat seniles. Quod etiam seruauere profani, qui Senatores vocabant, qui in senatu, id est, in senum consessu deliberabant; cùm tamen illorum multi longè abessent à senilibus rugis. Et apud Hebræos concilium vocabatur seniorum; in quo tamen multi consederant non senes. Sic etiam æternum vocari potest Christi regnum; etiamsi supra terrenum nihil spectaret, quia si Christi potentiam consideres, illius esse debuit æterna possessio. Quod indicare videtur Propheta,cùm statim subdit, *quæ non auferetur*, nempe ab alio.&,*Regnum quod non corrumpetur*, id est, quod non excindetur, atque euertetur à potentiori manu.

Cur principes orientales dicti Sultanes.

Christi regnum in terris quo sensu æternum.

REGVLA. *Tale aliquid dicitur, quale ipsius natura postulat.*

108. Vers.15. *Horruit spiritus meus.*] Spectarat hactenus Propheta quid rerum fieret;neque tamen quid tot spectra, támque varia portenderent, agnoscebat. Quare cohorruit totus, antequam quid sibi vellet illa visio cognosceret. Ad illum, credo, modum,quo suprà Balthasar cap.5. horrore contremuit, cùm digitos vidit scribentes in pariete; neque tamen quis esset scripturæ sensus, intelligebat.

109. Vers.16. *Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo.*] Hinc fit verisimile quod dicebamus suprà, eosdem esse assistentes, & ministrantes Angelos: docere enim alios, ab errore, ac metu liberare ministrantium est, non assistentium Angelorum negotium: sed ab vno, vt vides, ex assistentibus edoctus est Propheta, quid multiplex illa, atque horribilis visio portenderet. Et quidem Paulus ad Heb. c. 1. v. 14. omnes Angelos (de omnibus enim eo loco loquitur) administratorios vocat spiritus. *Omnes*, inquit,*sunt administratorij spiritus in ministerium missi.* Scio huius loci varias à Theologis explicationes adduci; sed sanè ad illam sententiam ex hoc Pauli testimonio non leuis sumitur coniectura.

Angeli omnes assistunt & ministrant.

110. *Hæ quatuor bestiæ magnæ quatuor sunt regna.*] Hæc à nobis suprà explicata sunt; neque est aliquid quod illis adiicere magnum sit aliquod operæpretium. Dicuntur autem de terra consurgere, vt discrimen statuat inter imperia hæc quatuor, quæ mortales homines, & de terra nati moderabuntur; & inter Christi regnum, quod de cœlo descendens in nubibus cœli Christus administrabit.

Vers.18. *Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi.*] Hic locus difficilis est,& variè à variis expositus, atque conuersus: cuius duas adducam explicationes, communem alteram, quam magis probo: alteram tantùm lectori propono, vt illam expendat, & si minus probauerit, quod fortasse faciet, reiiciat, & de hac posteriori priùs. Christus in Scripturis sæpe *sanctus* appellatur *Domini*; seu absolutè *sanctus*. Psal.15. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Sanctum* ibi in genere est masculino.Habacuc 3. *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan.*Quem locum Patres de Christo communiter accipiunt. Et Lucas cap.1. *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Quare qui hoc loco sanctus vocatur Dei altissimi, Christus videtur esse; vt postea constabit multo magis. 111.

Christi nomen Sanctus.

Chaldaica verba sic habent קדישי עליונים *cadise elionim.* quæ voces in plurali sunt numero; atque ita quidam in plurali statuunt, licèt non eodem omnes modo: quidam in nominatiuo, hoc sensu, *Sancti Altissimi suscipient regnum, ex quo quatuor depellentur bestiæ.* Alij, quia prius nomen in statu regiminis, sic reddunt, & interpretantur. *Sancti Altissimorum* (nempe Deorum, sic enim Deus dignitatis gratia in plurali ponitur) *obtinebunt regna.*Cui explicationi non parum fauent, quæ dicuntur infrà vers.22. & 27. Alij illud *suscipient*, belluis potius, quàm sanctis accommodant; & sic partem hanc obscuri vaticinij interpretantur. *Suscipient bellua tempore ab imperatore summo definito imperia, quæ sanctis altissimis debebantur.* 112.

Verùm translatio vulgata in aliam nos sententiam deducit, quæ sic legit: *Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi.* vbi vulgatus explicationis gratia *Dei* addidit, quod in textu Chaldaico non est. Indicat autem vulgata hæc omnia nomina singularis esse numeri. Et ita ego dicendum omninò puto; quòd bene sint hæc à vulgato in singulari numero conuersa, non est difficilis, aut obscura probatio. Cui fauet primùm translatio Theodotionis,& Vatabli: quod etiam sentit Abenezra Christo vbique hostis infensissimus. Notum est pluralem numerum pro singulari sæpe dignitatis gratia vsurpari solitum. Sic sanè loquuntur viri, qui in grauissimo quoque ordine primum obtinent locum, vt Pontifex, Rex, Imperator, quibus familiare est, cùm de se loquantur,*nos Rex.*e.g.*visum est nobis.* Apud Hebræos id vsitatum etiam, dum alij de his, qui sunt in dignitate, verba faciunt. Sic אדונים *adonim*, siue in regimine אדוני *adone*, & אלוהים *elohim*, cùm sint formæ plurales, singulare aliquid significant, & adiectiuis, seu verbis adiunguntur singularibus. Sic Gen.42.v.30. vbi vulgatus de Ioseph, *Locutus est nobis Dominus terræ*, Hebraicè est אדוני הארץ *adone ha arez.* id est, *Domini terræ.* & hoc ipsum iterum cap. 39. v. 20. Psal.149. v.2. vbi noster, *lætetur Israel in eo, qui fecit eum*, Heb. בעושיו *be osau*, in his qui fecerunt, id est, in Deo. De Deo item loquebatur Isaias cap.42.v.5. cùm dicebat,*extendens eos*,nempe cœlos; & tamen participium adhibuit plurale 113.

REGVLA. *Pluralis numerus pro singulari honoris gratia ponitur.*

rale [illegible] *noteham*,& Iosue cap.24.v.19.vbi vulgatus, *Deus enim sanctus*, Heb. est. אלהים קדשים הוא *elohim kedosim hu.* id est, *ipse dij sancti.* Plura nos exempla adducere possemus, his similia; tu vide Pagninum lib.2.Institut.cap.4.

114. Ex his constat quàm aptè, cùm de Deo loquatur Daniel, illud עליונים per singulare vulgatus conuerterit, *Altissimi*, in genitiuo; non *Altissimorum*; sicut aliis in locis sæpe fecit necessariò. Tunc verò duplex potest esse sententia: altera est, suscepturos esse sanctos Altissimi, id est, qui Altissimo seruiunt, regna, quæ belluæ quatuor obtinuerunt, vbi ipsæ ab diuina potentia fuerint sublatæ. Quæ communior est sententia, & eo nomine mihi valde probabilis. Altera, suscepturas esse belluas regnum, quod vni debebatur Christo, cui à Patre data fuit, vt proximè vidimus, omnium tribuum, populorum, atque linguarum generalis, & æterna potestas. Quam ego sententiam ita propono, vt non omninò probem; sed vt Lector examinet, videátque an aliquid ex ea lucis assumi possit ad alia, quæ sequentur.

115. Sicut עליונים singulariter exposuimus, quia nomen est Dei: sic etiam quia קדוש *cados*, vt paulo antè diximus, nomen est Christi, in singulari explicari non incommodè potest, etiamsi in plurali repèriatur numero. Sic igitur accipio vulgati translationem, quæ קדישי עליונים *cadise elionim*, sic vertit *sancti Dei altissimi*, vt *sancti* sit in genitiuo singularis numeri, & Christum referat, cuius proximè nomen, & regnum antecesserat. Hæc verò cogitatio, verbum *suscipient* belluis attribuit, quod alij quoque sentiunt, & omnino indicat Pagninus, qui sic vertit, *Et suscipient regnum sanctorum altissimorum, & possidebunt regnum vsque in sæculum.* Sed hæc sententia ab aliis in eo differt, quòd illæ regnum ab aliis occupatum Sanctorum esse dicunt; hæc verò Christi, cui multo, vt apparet, æquius regnum illud debebatur; immò qui & illud obtinuit, cùm Sancti neque obtinuerint, dum quatuor illæ belluæ vixerunt, neque illis extinctis obtinere potuerint, cùm ab extincto Antichristo, ad finem vsque sæculi perbreue fuerit tempus, illúdque non à metu, atque angoribus vacuum.

116. *Et obtinebunt regnum vsque in sæculum, & sæculum sæculorum.*] Hæc verba nonnihil videntur incommodare huic sententiæ; quia illæ belluæ non videntur regnum illud in sæculum sæculorum obtinere potuisse. Sed huic obiectioni satis, supérque facit Scripturæ consuetudo, in qua *æternum*, *sempiternum*, *sæculum*, & similia aliquid significant diuturnum, non quòd fine careat, aliter omnino atque Philosophorum scholæ statuunt. Exempla sunt obuia, pauca hæc accipe. Genes.17.v.18. *Dabo tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam*, id est, diuturnam; neque enim fuit, aut esse potuit æterna possessio. Et Exod.21. de seruo, qui oblatam à Domino libertatem respuit. *Perforabit aurem eius subula, eritque seruus in æternum.* Et de Tyro, quæ aliquot pòst annis ab excidio restituta est, dicitur Ezechiel. cap.26. *Non inuenieris vltrà in sempiternum.* Ad hunc ergo modum belluæ Christi regnum occupaturæ dicuntur in sæculum sæculorum, id est, quàm diutissimè, ad finem videlicet vsque mundi.

REGVLA. *Æternum, sempiternũ & similia, aliquando idem sunt quod diuturnum.*

117. Sed quomodo ad extremos vsque mundi dies quatuor illæ belluæ regnum obtinuerint, exploratio opus est. Ad quartam vsque belluam, id

A est, ad imperium vsque Romanorum dominati sunt per multa sæcula primùm Chaldæi; deinde Persæ; postea Macedones, & Græci, quibus successere Romani, qui ad finem vsque sæculorum, ad tempus videlicet Antichristi imperium producent. Id non obscurè docet hoc loco Daniel; sed quia hæc res à multis sæpe tentata est, & ipsa cognitu dignissima, pluribus à nobis confirmari, atque explicari oportet.

Communis est traditio ab antiquissimis vsque temporibus Romanum imperium ad finem vsque mundi duraturum, & illius exitium vnum esse ex signis, quæ generalem mundi vastitatem, & finale iudicium antecedent. Sic plurimi tam antiqui, quàm noui interpretes Pauli ad illud 2.ad Thessal. cap.2. v.6. *Tantum vt qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus.* Vbi omnes Romanum intelligunt imperium, quod quandiu durauerit, communem mundi vastitatem impediet. Possem hoc loco multorum interpretum verba producere, quæ in eam explicationem conspirant: abstinebo tamen ab aliis ne longus sim, & antiquorum tantùm testimonia recitabo; ex quibus quid alij dixerint, coniectare difficile non erit. Tertullianus de resurrectione carnis, cap.24. *Quis nisi Romanus status, cuius abscessio in decem Reges dispersa Antichristum superinducet? Et tunc reuelabitur iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Ambrosius, *Quandiu steterit regnum Romanum (hoc est quod dixit, donec de medio fiat) & tunc reuelabitur ille iniquus.* Hieronymus in cap.25. Ierem. Eum, qui tenet Romanum imperium, ostendit. *Nisi enim hoc destructum fuerit, sublatúmque de medio iuxta prophetiam Danielis, Antichristus antea non veniet.* Hæc eadem pluribus, & apertiùs q.11. ad Algasiam. Idem putat Chrysostomus in eundem locum, idem S. Thomas, OEcumenius, Anselmus, & complures alij ex interpretibus, quod etiam docuit Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi. 15. 118.

Romanum imperium ad finem mundi duraturum.

Romani imperij finis signum Antichristi aduentus.

Quam cogitationem vsque adeò à primis vsque temporibus fuisse omnium animis inustam indicat Tertullianus in Apologet. cap.32. vt omnes ideo pro imperij Romani incolumitate preces effuderint frequentes. *Est, inquit, alia maior necessitas orandi pro imperatoribus, etiam pro omni statu imperij, rebúsque Romanis, quod vim maximam, ipsámque clausulam sæculi acerbitates horrendas communitatem Romani imperij commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romana diuturnitati fauemus.* Et idem ad Scapulam, cap.2. *Ex quibus verbis palàm cernere licet, iam ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio in more apud Christianos positum fuisse, vt publicè funderentur ad Deum preces pro diuturnitate, & conseruatione imperij Romani, quantumuis tunc ethnicum, & paganum esset, quod certa traditione acceptum & persuasum haberent, quandiu staret Romanum imperium non venturum Antichristum, & subsistente imperio differri interim interitum mundi.* 119.

Hoc porrò quod ex Paulo habemus, & Daniele, sacrísque doctoribus, alias sibi ob causas Gentiles, qui æternum putabant, certè æternum canebant Romanum imperium, iuxta quorum sensum Virgilius cecinit lib.1. Æneid. 120.

Romulus excipiet gentem, & Mauortia condet
Mœnia, Romanósque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Imperium sine fine dedi.

Et iterum dum æternam vult significare memoriam lib.9.

Dum

Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumq; Pater Romanus habebit.

Claudianus de bello Getico,

Vrbs æquæua polo tunc demum ferrea sumet
Ius in te Lachesis, cum sic mutauerit axem
Fœderibus natura nouis, vt flumine verso
Irriget Ægyptum Tanais, Mæotida Nilus
Eurus ab Occasu, Zephyrus se promat ab Indis.

Nota est fabula de termino, quam non Poëtæ solùm, sed etiam historici Romani suis scriptis mandauere, quæ illis æternum imperium promittebat. Sed est planè fabula, atque adeò illam leniter tetigisse sat fuerit.

121. Sed, vt vera sint omnia, non tamen sic expedita, vt attẽtus, & studiosus animus illis acquiescat; quæ enim à versu 21. succedunt, superiorem cogitationem aut turbant, aut impediunt. Quare placet magis communior sententia, quæ regnum dicit à sanctis Dei altissimi fuisse susceptum, postquam in bestiam illam quartam, aut in vndecimum illius cornu iudicium à summo iudice seuerũ latum est. Priùs enim adiunctis ad potentiã fraudibus sancti Dei, id est, electi, & ad æternum regnum destinati, in fraudem inducti, aut tormentis abducti ab illa semita, quæ ducit ad regnum, regnum amisisse videbantur. Abbreuiauit tamen Deus Antichristi dies propter electos illos ne in errorem impulsi, pellerentur à regno: & hoc est regnum obtinuisse sanctos Altissimi vsque in sæculum sæculorum. Hæc porrò explicabuntur multo magis, vbi ventum fuerit ad versum 21. & 27. vbi constabit magis, quàm fuerint potiora posterioris huius sententiæ firmamenta.

122. Vers. 19. *Post hoc voluit diligenter discere de bestia quarta.*] Hactenus confusè, atque permixtè de quatuor belluis docuerat Angelus Prophetam; tantúmque dixerat in illis totidem imperia designari, quæ, quo sensu nuper explicuimus, ad finem vsque mundi erant duratura. Sed nondum Prophetæ studio satisfactum erat ab Angelo, quia multa viderat horribilia in quarta bellua, quæ magnum aliquid, ac prodigiosum aut portendebant, aut minabantur vniuerso; de quibus doceri vehementer optabat. Quæ verò sint illa rerum prognostica, siue portenta, iterum numerat, eodem pene modo quo suprà vers. 7. & 8. Quare cùm ibi explicata fuerint, non est cur hic iterum eandem operam sumamus.

123. Vers. 21. *Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos, & præualebat eis.*] Spectarat hæc in nocturna visione Propheta; neque suprà se vidisse narrauerat: nunc verò illa addit, dum narrationem iterat ante propositam. De cornu tantùm dixerat, quod esset oculatum, & paruulum; quod e decem tria contriuisset cornua; quod denique loqueretur ingentia: nihil verò de bello quod intulit sanctis, & quo illis præualere visum est. Illi Sancti, vt paulo antè dicebamus, sunt, qui in Euangelio vocantur electi, quorum causa abbreuiati sunt Antichristi dies. Matth. cap. 24. v. 24. quàm crudele, ac sanguinarium futurum sit bellum illud, Christus ipse docuit suprà 21. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo; neque fiet.* Et Apocal. 13. v. 7. *Est datum illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos.*

124. Vers. 22. *Donec venit antiquus dierum, & iudicium dedit sanctis excelsi.*] Hoc suprà iam viderat Propheta florruisse, aut sæuiisse potiùs Antichristi regnum, donec positi sunt throni, & ab antiquo dierum latum esse iudicium; sed de sanctorum causa suscepta, atque defensa nihil dixerat. Id igitur nunc addit, *Dare iudicium sanctis*, idem esse puto, quod *iudicare sanctis*, id est, in sanctorum fauorem ferre iudicium. Sic sæpe in Scriptura, *Iudicare pupillo, & viduæ*; quod nihil est aliud, quàm pupillorum, ac viduarum causis in iudicio fauere.

Quidam ideo datum esse iudicium Sanctis 125.
arbitrantur, quia cum Christo Sancti etiam iudicaturi sunt. Iuxta illud Pauli 1. Cor. 6. v. 3. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus*; & Christus Matth. cap. 19. v. 28. *Sedebitis & vos super sedes iudicantes duodecim tribus Israel.* Sic Lyra, Dionysius, & Vatablus. Verùm hîc, vt vides, potiùs agitur de obtinendo regno, quàm de iudiciaria potestate. Quare placet magis, quod dicebamus priùs de Sanctorum causa in iudicio defensa, & obtinendo regno, quod cum Theodoreto sequuntur frequentes alij, è Recentioribus.

Vers. 23. *Bestia quarta regnum quartum erit in ter-* 126.
ra, quod maius erit omnibus regnis.] Hæc iam sunt Angeli verba, qui votis respondet Prophetæ, illique de quarta bestia, id est, de Romano imperio edocet, de cuius potentia, ac duratione iam à nobis suprà pluribus actum est, & quomodo occupauerit, deuorauerit, ac contriuerit vniuersam terram; neque succurrit aliud, cuius accessio magnum operæpretium allatura sit.

Vers. 24. *Porrò cornua decem ipsius regni, decem* 127.
Reges erunt.] Hic mire variant, & laborant interpretes, déque Regibus his, aut illorum numero non omninò consentiunt. Omissis autem aliis, quæ aut parum ad institutum faciunt, aut non ita ad capitis filum videntur idonea: dicam quod Patres, atque interpretes communiter sentiunt, quódque ipsa litera non solùm admittit; sed etiam cogit. In statua Nabuchodonosori per quietem oblata, Romanum imperium in cruribus ferreis exprimebatur; & ad extremum, in pedibus, qui in digitos partim ferreos, & partim fictiles desinebant, id est, qui partim infirmi, partim essent robusti. Hi verò, vt ipsa fert rerum natura, decem sunt: quapropter idem videtur in decem digitis, qui ex pedum plantario pullulant, significari, quod modò in decem Regibus, in quos diuisum est Romanum imperium, quique imperium illud post sæcula terminarunt: sicut decem digiti totam statuæ molem definiunt, & absoluunt. Ita Irenæus lib. 5. c. 26. *Decem*, inquit, *digiti pedum hi sunt decem Reges, in quibus diuidetur regnum. Ex quibus quidam quidem fortes, & agiles, siue efficaces; alij pigri, atque inutiles erunt.* Idem Hippolytus de consummatione mundi, *Decem digitus pedum imaginis mysticè significauit decem Reges inde,* (id est, ex imperio Romano) *exortos.* Quod idem vidit Ioannes Apocal. cap. 17. *Decem*, inquit, *cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt,* &c.

Imperium Romanum in decē Reges ad extremum diuidendum.

An Reges hi futuri sint, vel totidem regna, 128.
non laboro; quia si septem Reges sunt, sint etiam oportet septem regna. Sanè Patres variè loquuntur, alij Reges, alij regna vocant; alij modò regna, modò Reges appellant. Neque in re ipsa aliquid momenti est, modò in decem partes Romanũ imperium diuisum esse fateamur, quod tenent antiqui Patres, si modò vnum, aut alterum excipias. Ita Tertullianus lib. de resurrectione, cap. 24. & 25. Lactantius lib. 7. c. 16. Cyrillus catech. 15. Hieronymus suprà ad illud, *Habebat cornua decem.* vbi docet hanc scriptorum omnium

Ecclesiasti

Ecclesiasticorum communem sententiam. Theodoretus hîc, Gregorius lib.32. Moral. cap.15. & ne diutius in commemorandis auctoribus morer, nemo fermè est, qui aliter sentiat.

129. Excipiunt quidam Augustinum, qui lib. 20. de ciuit. cap.23. denarium numerum, pro indefinito positum esse, existimat, id est, pro multis regnis. Cui subscribere videtur Prosper in dimidio temporis cap.8. dum ait per illos Reges intelligi *truculentiores Reges, qui fuerunt in religione Christiana.* Inclinat in hanc sententiam Pereira, tenet Cantapetrensis lib. 1. hypotyposeon, cap.1. Feuardentius super lib.5. c.26. Irenæus, vbi hac de re plus satis. Quod verò denarius numerus multitudinem significet, multa probant. Gen.31.v.7. *Pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meã septem vicibus.* id est, sæpe. Leuit. cap.26.v.26. *Decem mulieres in vno clibano coquent panes*, id est, multæ. Iob 19.v.3. *En decies confunditis me.* Sed sanè hæc sententia minus habet ponderis, quia minus est ab auctoribus firma, & quia nihil definit certum, quod sit futurum signum Antichristi; iam enim in multa regna dissectum est Romanum imperium; multi quippe Reges prouincias varias occupant, in quibus Romani quondam dominati sunt. Atque ideo Antichristum iam venisse coniectare quis non ineptè posset, iuxta hanc sententiam. Adde quòd si in denario Regum numero multitudinem agnoscimus; & aliquid indefinitum, & incertum, idem etiam in ternario numero eorum, quos Antichristus strauit, aliquid indefinitum fateare necesse est; sanè non est vlla grauior causa, cur illic definitum aliquid neges, quàm hîc; tunc autem omnia nobis essent incerta.

Denarius numerus multitudinem significat.

Reges verò fuerunt decem qui in imperij reliquiis regnarunt.

130. Et quidem negari non potest, vt modò dicebamus, numerum certum pro incerto, atque indefinito sumi. Sed hoc loco planè incredibile est in denario numero indefinitum intelligi, cùm sæpius, cùm de his Regibus in hoc rerum articulo sermo sit, *decem* audiamus; non alium numerum, qui indefinitum aliquid significat, aut nomen *multitudinis*, aut quid simile, quod non optimè cum denario numero conueniat. Nam primò cap.2. in digitos pedum definit Romanum imperium, & hi decem sunt, &, vt explicuit Hippolytus, & Irenæus, decem vltimi Reges. Et hoc capite bis Daniel, & Apoc. c.13. cùm de hoc ipso tempore sermo esset, vt constat, bellua quædam proponitur decem instructa cornibus: vbi etiam, licèt subobscurè, tres significantur superati; septem enim dicuntur esse coronata capita, quia septem se Reges subdiderunt Antichristo; decem verò, quia tres ab illo superati sunt, quos si aliis septem coronatis addas, decem efficies. Idem clariùs cap. 17. v. 12. vbi Angelus decem cornua bestiæ decem Reges vocat, qui tradituri sunt potestatem suam bestiæ, & aduersùs agnum pugnaturi.

131. Tantum nobis posset officere Augustini auctoritas, quæ, vt omnibus meritò, sic etiam mihi grauissima est. Sed ille non tam negat, quàm dubitat de Regum numero: tantùm enim dicit, *Vereri me fateor ne in decem Regibus, quos tanquam decem homines videtur inuenturus Antichristus, fortè fallamur; atque ita ille inopinatus adueniat, non existentibus tot Regibus in orbe Romano. Quid enim si numero isto denario vniuersitas Regum significata est, post quos ille venturus est, sicut millenario, septenario, centenario significatur plerumque vniuersitas, & aliis, atque aliis numeris, quos nunc commemorare non est necesse.* Hæc Augustinus. ex quibus non obscurè constat, quomodo contra communem sententiam nihil affirmet, sed tantùm dubitet.

Quæ Augustini sententia de decẽ Regibus.

Et alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus.] Ex belluæ quartæ capite, id est, ex Romano imperio iam dissecto ac dissoluto, exurgent decem Reges, in quos Romana diuidetur potestas. Postquam regium obtinuerint nomen, & diuitias, orietur ex eodem capite Rex alius in exiguo cornu figuratus, principio paruus, & exilis; qui tamen postea sic adolebit, confirmabitúrque, vt decem priores longo superet interuallo, siue potentiam spectes; siue calliditatem & audaciam. Hic Reges alios aut subiugabit ferro; aut cô adiget desperationis, vt vltrò se illius potestati subiiciant, de quibus postea. 132.

Hic nobis paululum immorandum est, quia de hoc vndecimo, atque pusillo cornu multa dicta sunt, dicuntúrque quotidie partim vera, aut certè veri quàm simillima, partim eiusmodi, vt nugas esse putes, aut deliria. Quidam nostri temporis hæretici Pontificem summum significatum esse putant in hoc cornu; & cum esse Antichristum. Contra quos scripsere satis luculenter, ac piè è Catholicis plurimi, quorum scripta omnium teruntur manibus: lege ex omnibus Cardinalem Bellarminum tom.1. lib.3. à cap.1. & Franciscum Suarez toto lib. 1. ad Regem Angliæ, & Leonardum Lessium in disputatione de Antichristo, omnes ex nostra Societate, qui optimè probant Antichristi nomen, & proprietatem abesse quàm longissimè à Pontifice summo. Rationes omitto, quia & multæ sunt, & optimè à suis auctoribus explicatæ. nos hîc summatim aliquot referamus capita tantùm ostendere contenti. 133.

Hæretici Pontificem esse somniant.

Prima ratio est, quia cùm de Antichristo loquitur Scriptura, non agit de certo aliquo ordine, aut gradu hominum, qui per successionem propagatur, quia quæ de Antichristo dicuntur, neque ordini conueniunt omnia; neque de singulis, qui magistratum, aut locum tenuerunt, verè dici possunt. Est autem Antichristus singularis aliquis homo, vt constãnter ab Ecclesiæ primis incunabulis, teste Hieronymo hoc loco, vbi sic de cornu paruulo. *Ergo, inquit, dicamus, quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuidant, & vndecimum surrecturum Regem paruulum, &c.* Quod autem communiter tradunt Ecclesiastici Doctores, id non obscurè Scriptura sacra docet, multis in locis, dum ea de Antichristo tradit, quæ nullo modo in certum aliquem ordinem; necessariò verò in singularem aliquem, & vnicum hominem conueniunt. Vnus modò sufficiat Paulus 2. ad Thessal. c.2. vbi vt maximè velis contorquere verba, non tamen efficies, vt in ordinem aliquem, seu magistratũ trahas. *Nisi reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, &c.* & infra, *Tũc reuelabitur iniquus, quẽ Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Probat hoc ipsum locus Danielis, in quo modò explorando versamur. Nam cornu paruum vnum est, neque successorem habuit in regno, aut habere potuit cùm statim orbis cõsummatio consecuta sit, qui decẽ Reges superaturus dicitur, aut suæ potentiæ subditurus, quod sanè si successores haberet in imperio; non tamen de successoribus, quicumque forent, affirmasse quis posset, nisi admodum 134.

Hæretici Papam Antichristum esse dicunt, sed falsò.

Antichristus homo vnicus.

modum temerariè,ac liberè; quomodo quilibet illorum decem haberet Reges, in quos subinde Romanum dissecaretur imperium, quos eo modo subiugaret,ac sterneret, quo primùm à cornu paruulo subiugati sunt.

135. *Quandiu Antichristi regnum duraturum.*

Secunda ratio est sumpta ex tempore, quo Antichristi regnum duraturum est, quod tempus notat hoc loco Daniel, dum Rex ille vndecimus, cuius exiguum cornu symbolum est, regnaturus dicitur, *vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*, id est, tribus annis cum dimidio, vt est communis Patrum, interpretúmque sententia; & ne alicui liceret alium hîc numerum excogitare, explicuit apertè Ioannes Apoc. c.11.*Calcabunt Gentes ciuitatem sanctã per menses quadraginta duos*, qui superiorem numerum perfectè cõplent. Et adhuc minutiùs per dies hæc tempora digerunt Daniel,& Ioannes; alter cap.12. vbi ante diem, quo Antichristus imperium obtinebit, duodecimum cessaturum dicitur iuge sacrificium (id verò contigisse videtur non longè ab imperio primùm comparato) & futurum esse superstitem non amplius mille ducentis nonaginta diebus. *A tempore*, inquit, *cùm allatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta.* A quibus si duodecim adimas, qui ante imperij summam abominationem illam præcessere, tres annos, & dimidium implebis. De his duodecim diebus, ac tota annorum summa dicemus pluribus ad illud cap. 12. v.12. *dies mille ducenti nonaginta.* Quomodo igitur Antichristus Pontifex ab homine sani cerebri existimari poterit, cùm iam pridem Christi vicarius in Petri sede per multa sæcula sedeat.

136. *Antichristus non in alio nomine, sed in suo venturus.*

Tertia ratio est,quia Antichristus non in alieno nomine veniet, sed suo. Ioann.5. *Ego veni in nomine patris mei,& non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* id est, veniet non tanquam ab alio missus, sed tanquam Deus, quod expressit Daniel cap.11. *Et eleuabitur, & magnificabitur aduersùs omnem Deum; & aduersùs Deum Deorum loquetur magnifica.* & infrà,*Et Deum patrum suorum non reputabit.* Eadem propè Paulus 2. ad Thess.cap.1. *Qui aduersatur, & extollitur supra omne,quod dicitur Deus, aut quod colitur. Ita vt in templo Dei sedeat,ostendens se tanquam sit Deus.* At Pontifex non venit suo nomine, sed seipsum putat, sicut alij cum colunt, & appellant, Christi vicarium, qui Dei nomine,& eius auctoritate decreta cõsignat.Neque ex tot Pontificibus quisquam fuit aut tam furiosus,& amens;aut tam eo titulo arroganter inflatus, qui se Deum esse non modò dixerit;sed neque somniarit.

137. *Antichristo adhærebunt Iudæi.*

Quarta ratio sumitur ex verbis proximè citatis ex Ioann.cap.5.*Ego veni in nomine Patris,& non accepistis me; si alius venerit in nomine suo,illum accipietis.* Quæ verba omnes fermè Patres antiqui sic exponunt, vt dicant Antichristo adhæsuros esse Iudæos circumcisos scilicet circumciso. Ita Irenæus lib. 5. c. 25. Hippolytus de consummatione sæculi.August.tract.29. in Ioannem;Cyrillus catechesi 15. Gregorius lib.11.epist.3. Et alter Gregorius Nazianzenus oratione 47. Damascenus lib.4.de fide,cap.28. & alij plures. Quod etiam Paulus docuit epist.2. ad Thess. c.2. Nam cùm dixisset, *Et tunc reuelabitur ille iniquus*, &c. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur, qui non crediderunt veritati.* Quem locum sic exponit Hieronymus ad Algasiam. Nunc autem ideo iudicandi sunt (nempe Iudæi) immò proculdubio condemnandi, quia

A Christi veritate contempta; postea mendacium id est,Antichristũ suscepturi sunt. Idem in eundem locum Ambrosius.Quàm longe hinc efficitur vt Pontifex Antichristus sit, cùm illum Iudæi auersentur, & horreant, adeò non ament; neque mirum, cùm illum vicarium esse Christi audiant, cuius nomini ipsi hostes sint infensissimi. Rationes aliæ adducuntur, sanè quàm grauissimæ, quas ego nunc omitto, qui a interpretem ago, quas tu vide apud eos; qui hac de re ex instituto longas ineunt disputationes.

Quinta ratio est; quia nemo excogitare potest, quomodo affirmari posset de Pontifice, 138. quod decem Reges superarit,sibíque vectigales, B auxiliarésque reddiderit ad nationes alias bello subiugandas. Sed priusquam hanc rationem informo, explicabo quid de Regibus his, aut bello contritis, aut ad deditionem redactis, dicendum sit.

139. *Non veniet Antichristus donec decem Reges Romani imperij reliquias occuparint.*

Et tres Reges humiliabit.] Ex decem cornibus quibus belluæ caput instructum erat;tria ab exiguo cornu confracta sunt, id est, vt exponit Angelus,tres Reges superati sunt. Qui verò hi fuerint,incertum est, sicut etiam de aliis Regibus affirmari nihil potest, nisi diuinando: illud certum inter illos Romani imperij diuidendas esse reliquias, & imperij ipsius aliquo modo futura membra,quia è Romano capite pullulant. Hip- C polytus Martyr de consummatione sæculi: *Tria*, inquit, *cornua quæ ab eo* (Antichristo) *radicitus euellentur,tres Reges indicant Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ,quos deleturus est acie bellica, quibus omnibus potitus iam Tyrannus formidabilis sanctos affliget.* Ex eo sumpsit Hieronymus in cap.hoc 7.Danielis, vbi sic de cornu,seu Rege vndecimo.*Tres Reges de decem Regibus superaturus sit,id est, Ægyptiorum Regem, & Africæ, & Æthiopiæ,quibus interfectis etiam septem alij Reges victori colla summittent.* Idem Theodoretus, quos sequuntur Petrus Comestor, Hugo, Dionysius, & Pereira, quod sumpserunt ex Daniele cap.11.v.42.*Et mittet manum suam in terras;& terra Ægypti non effugiet,per Libyam quoque, & Æ-* D *thiopiam transibit.* Quantum verò firmitatis locus ille addat huic cogitationi, suo loco videbimus.

140. Tres hosce Reges bello septem alios metu, & astu in regni sui principio cornu illud exiguum, id est,homo principio debilis,contemptus,& infirmus suæ sibi potestati subiiciet. Quorum victoria auctus viribus, & copiis ad summam vsque potestatem perueniat. Nunc rogo quando Pontifex in principio decem debellatis Regibus ferro, atque astu, aut alio quouis modo summam imperij aut Romani, aut totius orbis potestatem obtinuit? Sanè vt variè se hæretici conuertant, numquam speciem vllam verisimilem inuenient.

141. E Dicunt primùm in denario numero incertam, atque indefinitam multitudinem indicari: neque aliud sibi velle locum istum quàm multos Reges superandos, aut subdendos Antichristo; sed hoc iam à nobis suprà n.124. confutatũ est. Et quod mirere magis, decem Regibus significari dicunt Reges omnes Christianos, vbicumque fuerint, qui Pontifici parent, illúmque quasi suum sibi caput venerantur, & colunt. Multa in hac impia cogitatione peccant:primùm quia grauem inurunt contumeliam Christianis Principibus, dum eos nequissimæ belluæ, & omnium, quas terra genuit,genituráve est ad finem vsque sæculorum truculentissimæ administros

Hæreticorũ impudens error, qui Reges Christianos ministros faciunt Antichristi.

stros

ftros faciunt; cùm tamen inter illos multi fuerint viri sanctissimi, quorum Deus vitam nobilitauit olim clarissimis signis, & nunc etiam spectantibus ipsis gratam sibi fuisse multis modis significat. Deinde quia hi postremi esse dicuntur Regum omnium, sicut pedum digiti postremi sunt in homine; ac quomodo dicet, nisi qui cum religione, ac fide mentem etiam amisit, extremos esse Reges, qui iam pridem ante multas ætates præcesserunt? Aut quomodo quis dicat, aut cogitare possit, nisi delirans, & somnians in omnes Reges, atque Christianos Principes diuisum esse Romanum imperium? Plura sunt, quæ contra hanc hæreticorum insaniam dici possent, & plurima dicuntur ab his, qui cum hæreticis stylo pugnaci, & controuerso disputant; nobis qui interpretes agimus, & mentem exploramus Prophetæ, satis nostro instituto fecisse videmur, dum capita disputationum ostendimus; neque excessisse modum, dum longius, quàm interpretis ratio exigit, progredimur; quia quæstio grauis est, & his temporibus impiè, ac pertinaciter à fidei orthodoxæ oppugnatoribus tentata. Quare hoc à nobis exigebat pietas, cui repugnare nefas duximus; pòst in aliis erroribus commemorandis, seu refellendis erimus breuiores.

142. Porphyrius in vndecimo, atque pusillo cornu Antiochum Epiphanem adumbrari putat. Cuius sententiam impugnant Hieronymus, Theodoretus; & plures alij Danielis interpretes explodunt. Quia neque ostendi possunt decem illi Reges, qui Antiochi se potestati subdiderunt; neque ex illorum numero, quínam fuerint tres illi, qui primùm ab eo fracti, ac superati sunt. Quos enim ipse numerat, Hieronymus negat, aut subactos fuisse aut potuisse subigi. Sed est grauis ratio, quia cornu illud pullulasse dicitur ex capite quartæ belluæ, id est, ex Romano capite. At Antiochus ad Romanum imperium nullo modo pertinuit, sed potiùs ad Græcorum imperium, cùm ab illis esset exortus, qui Magno Alexandro successerunt. Deinde, quia eo tempore nondum videbatur emersisse de mari quarta illa bestia, quæ Romanum imperium adumbrabat; quare ex illius capite natus videri non potuit. Deinde quia in fine imperij nasciturus esse traditur, id est, cùm in decem capita dissectum fuerit, regnaturúsque non minus tribus annis, atque dimidio. At Antiochus & diutius regnauit, & ante ipsum imperij exordium, aut certe cùm longè distaret ab exordio.

Cornu paruum non fuit Antiochus.

143. Alij in paruo cornu Mahumetem impiæ sectæ Principem, & auctorem considerant, aut, quod idem fermè est, Turcarum imperium, quod initium habuit ab ignobili, & obscuro Mahumete. Huius sententiæ non pauci sunt, &, quod mirere magis, viri non indocti. Ita Ioannes Annius quæstionibus in Apocal. ad Sixtum quartum, Vatablus, Isidorus, & Pintus hîc, Catapetrensis lib. 1. hypot. Ioannes Langius super Iustinum dialogo cum Triphone, versùs finem, vbi in hâc sententiam quædam Sibyllæ carmina interpretatur. Fenardentius super Irenæum lib. 5. c. 26. Clictouæus in lib. 4. Damasceni de fide orthodoxa, cap. 27. & 28. Genebrardus in Chronologia ad annos Christi 590. Sed hanc sententiam esse falsam probant omnia, quæ contra proximam de Antiocho cogitationem adduximus. Neque enim Mahumetes cũ decem Regibus simul ortus est, neque eo tempore cùm iam Romani imperij finis aduenisset; neque Mahumetis, aut

In paruo cornu non intelligitur Mahometes.

A Turcarum imperium ad tempus & tempora, & dimidium temporis durauit; sed per multa tempora iam durat, & floret.

Quare superest, vt cornu hoc pusillum Antichristum esse dicamus, cui veræ, communíque sententiæ plurimum addit ponderis antiquissima sanctorum Patrum, & communis auctoritas, quos hîc commemorare necessarium non est, cùm iam sæpe retulerimus suprà; & quæ deinceps à nobis adducentur, apertè confirment. Satis sit hoc loco Hieronymi testari fidem, qui omnium scriptorum Ecclesiasticorum hanc affirmat communem esse sententiam, qui omnes cô conspirant, vt cornu paruulum Antichristum esse dicant. 144.

B *Et tres Reges humiliabit.*] Quid de tribus hisce Regibus sentiendum, diximus suprà num. 124. neque aliquid aliud occurrit verisimilius. 145.

Vers. 25. *Et sermones contra excelsum loquetur.*] Hæc à nobis partim explicata sunt suprà num. 88. vbi de inflatis, minacibúsque Antichristi verbis explicuimus illud v. 11. *propter vocem sermonum grandium, quos cornu loquebatur.* Hoc idem significasse videtur Paulus, cùm ait 2. ad Thessal. 2. v. 4. *Quod extollet se supra omne, quod dicitur Deus, aut colitur.* Hieronymus, *Et sermones contra excelsum loquetur*; siue, vt interpretatus est Symmachus, *sermones quasi Deus loquetur, vt qui Dei assumpsit potentiam, verba quoque diuinæ sibi vendicet maiestatis.* In hanc sententiam reliqui fermè omnes conC spirant: quòd si Antichristus Deum se faciet, neque præter se alium esse Deum superbè iactabit (vt constat ex illo Daniel. cap. 11. v. 37. *Et Deum Patrum suorum non reputabit.*) Sanè improbabile non est dicturum de se grandia, & de aliorum potentia, & maiestate detracturum, quo & sibi diuinitatem vendicet, & adimat aliis. Sed loquetur præcipuè contra verum Deum, qui frequenti Iudæorum sermone Altissimus vocatur; quia illum maximè laudari audiebat, quémque ex hominum mentibus extorquere moliebatur. 146.

Antichristus sibi diuinitatem assumet.

Et sanctos Altissimi conteret.] Non, credo, multum laborabit Antichristus, vt illos qui Gentilicæ religioni alligati sunt, ab illa ad seipsum colendum, diuinósque impendendos honores abD ducat; quia non eo loco habita etiam apud suos Gentilica religio, & propter illam subeundos sibi esse cruciatus existiment, quos minabitur, & infliget Antichristus. At Christianorum, qui hoc loco sancti dicũtur Altissimi, aliqui neq; muneribus, neque doloribus succumbent; alij verò, qui pauci non erunt, nó nisi vi, aut muneribus adacti patriam, ac veram religionem abiurabunt. Quos Antichristus conteret aut tormentis, aut, quod grauius est, efficiendo insidiosis muneribus, vt à fide deficiant. 147.

Et putabit quòd possit mutare tempora, & leges.] Allusum, credo, ad cap. primum Genesis, vbi tempora videntur à Deo constituta, & leges imposiE tæ vniuerso, quando creati sunt cœli; & in illis astra, quæ tempora distinguant, solem videlicet, & lunam, quorum ille diei, illa verò præesset nocti, quæque discessu suo, vel appulsu hyemes, ac æstates, & stato, atque naturali curriculo annos componeret, & menses. 1. Genes. v. 14. *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Aut ad alia Scripturæ sacræ loca, vbi diuinis legibus, suis quæque locis, atque momentis dicuntur contineri. Vt Prouer. cap. 8. v. 25. vbi abysso, & aquis, cæterísque rebus termini dicuntur 148.

Mira Antichristi arrogantia.

dicuntur esse descripti, quos prætererire nullo modo liceat. Hæc itaque omnia homo ille superbissimus, æquè atque stolidissimus mutaturū se iactabit, quia Deum se faciet; immò & præter
149. se nullum arbitrabitur Deum. Putabit primùm leges, quas Deus rerum vniuersitati præscripsit, à se posse antiquari, ac tolli, & nouas induci; quod videlicet elementa alio disponantur ordine, quam nunc sunt à Deo, naturáque disposita; ita vt terræ moles innatet aquis, & delphini in montibus, apri pascantur, & vagentur in fluctibus, & similia. Et de temporibus similiter, ita vt luna, v. g. præsit diei, & sol nocti; & alio tempore æstas ferueat, alio rigeat hiems: quo dicendi modo nihil sibi prædicabat factu difficile. Similia profitebatur Simon Magus, vt refert Clemens Romanus lib. 2. recognitionum, qui, vt refert Hieronymus in cap. 24. Matthæi, scripta sua his obsignabat titulis, *Ego sum sermo Dei, ego speciosus, ego Paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei.* Porrò ab antiquis cum quid existimabatur supra omnem facultatem, atque virtutem esse, iis ferme rebus explicare solebant, quas modò dicebamus Antichristum suæ arrogasse potentiæ. Sic Ouidius ab impossibili sumpsit argumentum, seu comparationem, vt probet æternam futuram esse memoriam. lib. 2. de Ponto,

Simonis Magi superbia, & prestigia.

Longa dies citior brumali tempore, noxque
Tardior hyberna solstitialis erit,
Nec Babylon æstum, nec frigora Pontus habebit,
Calthaque Pæstanas vincet odore rosas:
Quàm tibi nostrarum veniant obliuia rerum.

Idem iterum in Ibim,

Desinet esse prius contrarius ignibus humor,
Iunctaque cum Luna lumina Solis erunt,
Pársque eadem cæli Zephyros emittet & Euros,
Et tepidus gelido flabit ab axe Notus.
Et Ver Autumno, Bruma miscebitur æstas,
Atque eadem regio vesper, & ortus erit.

Quòd si hæc fieri contingeret, mutatum iri naturæ leges, dixit in Thebaide Seneca,

————— *ipsa se in leges nouas*
Natura vertet: referet in fontem citas
Reuolutus vndas amnis: & noctem afferet
Phœbæa lampas, hesperus faciet diem.

150. Hæc explicatio neque difficilis est; neque aliena à textu, aut Antichristi moribus; eo tamen nomine probatur minus, quòd auctore caret, nisi velis in hanc sententiam patronum aduocare Iustinum Martyrem, qui in dialogo cum Triphone sic vertit hunc locum. *Et sum & sibi, vt alteret dies, & tempora.* Alij aliter accipiunt, & sanè variè, qui in legum, temporúmque mutatione viuendi modum, & morum disciplinam etiam intelligunt, quasi futurus sit Legislator, & nouam reipublicæ formā inducturus. Ita fermè cum Theodoreto Lyra, Dionysius, & Hugo. Quidam renouandam esse dicunt legem antiquam iam pridem abolitam in odium Christi; cuius consiliis, & legibus noua consilia, & leges omnino contrarias opponet, & in gratiam Iudæorum, ex quorum genere nasciturus est. Ita Hugo. Sed hi iidem auctores cum Hieronymo putant leges, & tēpora ideo fore mutanda, quia nouum Antichristus cultum, nouas solēnitates, & nouam religionē inducet. In tēporibus autem per metonymiam significari illa, quæ fiunt in tempore, satis est notum, quomodo Kalendas,

Antichristus quas leges mutaturus.

A & Neomenias vocamus illa sacra, quæ principio mensis obeunt Iudæi. Et hæc explicatio mihi apparet omnium maximè germana. Quod fecisse dicitur Antichristus à Daniele, cùm consueta sustulit sacrificia; & imaginem suam in templo constituit, & diuinos iussit sibi honores impendi. Neque est improbabile sicut variis temporibus, variæ etiam solebant mactari victimæ, aut offerri munera: sic etiam sibi constituisse tempora, in quibus certo sacrificiorum genere ab omnibus agnosceretur Deus, eò enim insolentissimis Antichristi spiritus aspirabant.

Maldonatus non malè coniectat tempora 151.
hoc loco sumi pro regnorum terminis, seu pe-
B riodis, quibus esse definita quatuor orbis imperia, suprà vidimus ad illud vers. 11. *tempora vitæ constituta essent eis.* de his enim terminis actum erat proximè. Neque fortasse Antichristus ignorabat, quòd de sui regni duratione scripsisset hoc loco Daniel, & aliis locis Ioannes in Apocalyps. vterque enim breuem illius regni futuram esse morā verbis minimè obscuris significarant. Quasi ergo his oraculis abesse pondus crederet Antichristus, & propheticas minas nugas esse diceret, mutaturum se dicebat decreta illa, seu tempora fatalia, & quod breue dictum olim fuerat imperij sui tempus, effecturum se vt quàm diutissimum foret.
C Cui rei bellè assonat, quod proximè subditur, *Vsque ad tempus, & tempora, &c.* Quasi dicat Propheta, vtcumque ille de se magnificè, ac superbè loquatur, regnúmque suum æternum esse prædicet; non tamen excedet tempus, & tempora, & dimidium temporis, sic enim in antiqui dierum, & summi imperatoris consessu decretum est. Acutè hæc Maldonatus; sed magis propendet animus in Hieronymi sententiam, cui etiam subscribit S. Thomas.

Et tradentur in manu eius vsque ad tempus, & 152.
tempora.] Permittet Deus Antichristi furorem aliquandiu in sanctos impunè grassari; non tamen diu, neque enim excedet illius impera-
D toria potestas, & tyrannicus furor vltra tempus & tempora, & dimidium temporis, id est, vt à nobis explicatum est suprà, tres annos cum dimidio. Quod Christus ipse docuit Matth. cap. 24. v. 21. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo neque fiet, & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Magna hic indicatur suppliciorum acerbitas, magna Dei in suos prouidentia, ac studium, qui ne sui fraudibus abducantur, aut terroribus depellantur à religione, & fide ad breuissimum tempus tyrannicum crudelissimi hominis imperium arctabit.

E *Vsque ad tempus, & tempora, & dimidium tem-* 153.
poris.] Hæc à nobis pluribus postea explicanda sunt cap. 12. vers. 7. vbi hæc eadem iterantur verba.

Vers. 26. *Et iudicium sedit, vt auferatur poten-* 154.
tia.] Studebat, vt vidimus, Daniel audire ab Angelo, quorsum tot illa, quæ in visione ipsi fuerant oblata, de Regibus, quos cornua belluarum adumbrabant, audierat; de iudicio, iudicúmque cōsessu nihil. Nunc addit Angelus eō spectare, vt de regnorum termino, seu interitu discernat, quo auferatur potentia, atque ita auferatur, vt non instauretur in æternum. Hieronymus, cui è recentioribus aliqui subscribunt, existimat hìc tantùm agi de Antichristi

O regno,

regno, & ita omnino dicendum; quia hic extremus sermo totus est de quarta bestia, vt constat: de aliis enim, licèt paucis, actum antea fuerat.

155. Verſ.27. *Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum.*] Actum iam fuerat de regnis aliis, siue imperiis quatuor, quæ sibi inuicem successere. Nunc agit de vltimo, de regno videlicet Antichristi, qui durè afflixit, & iactauit sanctos; cui Dominus potestatem, & amplitudinem eripiet, quæ latè se in omnes cœli plagas effundet, & tradet Sanctis, quibus ablatæ res omnes, & nihil reliquum factum præter vitam. Hîc nobis aliquid accuratiùs expendendum. Et primùm quare Antichristi regnum dicatur esse subter omne cœlum: deinde quomodo tradendum esse dicatur Sanctorum populo.

156. Regnum subter omne cœlum vocari posset illud, quod aliis debellatis Regibus Antichristus obtinuit, quia saltem iuxta hominum opinionem, cui se Scriptura sacra interdum accommodat, vbique terrarum, seu sub omni cœli plaga latè patebat. Id verò significari hoc dicendi modo, non est probatu difficile. Si pro *omni* interpres adhibuisset *totum*, res esset minus obscura. Sed si *omne* multitudinem valeat, sensus est idem, & dicendi modus non inusitatus. Ita vt sensus sit, *sub omni cœli parte, siue plaga.* Quomodo dicimus in omni regno, Regem timeri, aut coli, id est, in omni regni parte. Sic dicimus hoc cœlum esse æstuosum, frigidum, sanum, aut pestilens, id est, hanc cœli partem. Erit itaque omne cœlum, idem quod omnia climata, siue inclinationes cœli: quarum nullum Antichristi regnum non spectabat. Quicquid ergo suberat priùs Antichristi potentiæ, dabitur Dei populo, Ecclesiæ videlicet, cui ita suberunt omnes cœli partes; seu omnes terræ fines, qui ad quatuor mundi cardines pertinent; vt vnum omnium ouile fiat, & vnus pastor. Populus autem Sanctorum Ecclesia est, quæ tunc fuit ab Antichristo vexata, cùm sancti vexati sunt; neque enim aliud est Ecclesia, quàm fidelium, qui in Scriptura sæpius appellantur Sancti, congregatio, seu populus. Dabitur ergo Ecclesiæ, quicquid latè imperio suo Antichristus occuparat; quicquid nimirum cœlorum ambitus amplectitur. Hoc indicat S.Thomas, & Maldonatus.

157. Sententia altera est Hieronymi, quam Theodoretus, & quidam alij è iunioribus aut sequuntur, aut indicant, qui nihil hîc agi putant de terrestri regno, sed tantùm de cœlesti; quia regnum vocatur sempiternum, quale esse non potest, quod sub cœlis est. Ego hanc improbare non possum; sed neque superior potest mihi non probari, quia facilis est; neque regnum Antichristi aliud erat, quàm terrenum, quod tamen hoc loco Sanctorum populo dicitur esse tribuendum. Neque incommodat quod regnum illud futurum esse dicitur sempiternum: nam vt his, qui mediocriter in Scriptura sacra versati sunt, compertum est, *sempiternum, æternum*, & similia patere multo magis, quàm à Philosophis, aut Scholasticis doctoribus capiuntur. Hîc significat ad finem vsque sæculorum duraturum illud regnum, ad sanctorum populum, seu congregationem ab Antichristo translatum; licèt diu durare non possit, cùm proximè post Antichristi interitum, aduenturus sit vniuerso finis. Et sanè dum hoc regnum sempiternum vocatur, illis opponitur regnis, quæ dissipata sunt à potentiori manu, & aliorum potestati subiecta. Id verò futurum negatur Sanctorum populo, cui regnum terrenum, quod obtinuit, non tam ablatum, aut obscuratum dici potest, quàm amplificatum & ornatum magis, cùm morali consideratione regnum illud Sanctorum in terra vnum, atque idem cum cœlesti existimari possit.

Et omnes Reges seruient ei, & obedient.] Hæc plurimum fauent illi sententiæ, quæ locum istum accipit de terreno regno, licèt spirituali, quod Antichristo sublato obtinebit Ecclesia. 158.
Vt enim Reges summisere collum Antichristi iugo, quia maiori potentiæ repugnare non poterant: sic iidem meliori iam fortuna, & meliori mente idem collum à priori vinculo solutum sãctorum populo, id est, Ecclesiæ subiicient. Hæc de spirituali Ecclesiæ regno quiuis facilè intelliget, cui restituenda omnia collapsa, atque sublata per Eliam. Christus ipse docuit, Matth. cap. 17. v. 10. Nam cùm Apostoli post transfigurationem dixissent, *Quid ergo scribæ dicunt, quòd Eliam oportet primùm venire*; sic ille respondens ait eis; *Elias quidem venturus est primùm, & restituet omnia.* Quod etiam dixerat antè Malachias cap. 4. v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniet dies Domini magnus, & horribilis.* Ille ergo restituet, quæ tyrannica vis, & sæuitia concusserat, & qui priùs coacti Antichristo seruierunt, illi iam Sanctorum congregationi vltro colla subiicient. Quòd si de cœlestis regni possessione hæc capias, non video quomodo hæc quadrare possint in illud tempus, ac locum. Nam in cœlesti regno Reges illi sanctis annumerandi sunt, atque ideo e sanctorum populo censendi: quare non magis aliis sanctis, quàm sibimetipsis seruient, & obedient. Quod sanè neque litera sonat, neque rerum natura videtur postulare; seruitutem enim, atque obedientiam non nobis, sed aliis præstare solemus, nisi metaphoricam. Eo igitur modo Reges isti seruient Ecclesiæ, quo Reges alij plurimi antiquissimis Ecclesiæ temporibus, de quibus Isaias cap. 60. v.10. *Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos: & Reges eorum ministrabunt tibi.* Et infrà verſ. 14. *Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te: & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi.* Oppugnarant autem Reges illi Ecclesiam, quia vires suas cum eo coniunxerant, qui contra Ecclesiam, & sanctorum populum bellum mouit implacabile; incurui tamen postea illius imperium subierunt.

Quæ Antichristus euertit quomodo restituenda.

Verſ.28. *Hucusque finis verbi.*] Hæc est visionis summa, & eius explicatio, quæ sic conturbauit animum Prophetæ, vt mentis angorem vultus mutatione prodiderit. Quia verò res erat grauissima, conseruauit in animo ne ex visione tota quicquam excideret; quam deinde, vt vides, scriptis mandauit. 159.

IN

IN CAPVT OCTAVVM.

ARGVMENTVM.

AD Eulæum fluuium, qui Susianos muros alluit, oblata est Danieli species, in qua varij casus Persici imperij, ac Græci portendebantur, visus est primus bicornis aries, qui aduersa fronte varias mundi regiones impetere videbatur; quem bicornis hircus magna celeritate delatus appetiit toto nixu, & confractis cornibus exanimem strauit, in ariete Persicum, in hirco Græcum exprimebatur imperium; cuius auctor, & Princeps Alexander fuit. Sed fracto cornu, quod hircus in media fronte insigne gestabat, id est, Alexandro mortuo, quatuor eodem loco cornua pullularunt, quæ totidem Reges, qui in regno successerunt, designabant. Ad extremum visum est cornu quoddam exiguum, quod tamen breui in magnum robur & potentiam excreuit, quod bellum populis mouit ita feliciter, vt quicquid tentaret studio ipsius, ac voto responderet. Neque tantum felicem habuit successum, quando cum hominibus congressus est, sed etiam cum iniquas manus contra sanctuarium, & Iudæorum sacra, atque religionem armauit. Vidit hæc Daniel, eorúmque intelligentiam à Gabriele didicit, atque etiam tempus, in quo hæc spectra suos sibi successus habuere. Quia verò ad postremos huius visionis exitus longum erat temporum interuallum, iubetur Daniel scriptis mandare, atque obsignare prophetiam.

CAPVT VIII.

1. *ANno tertio regni Baltassar regis, visio apparuit mihi. Ego Daniel, post id quod videram in principio,* A

2. *Vidi in visione mea, cùm essem in Susis castro, quod est in Aelam regione: vidi autem in visione esse me super portam Vlai.* B

3. *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce aries vnus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, & vnum excelsius altero atque succrescens.* C

4. *Postea vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu eius: fecítque secundùm voluntatem suam, & magnificatus est.*

PARAPHRASIS.

1. CVm in superiori visione de quarta bellua, id est, de Romano imperio multa didicissem ab Angelo, de aliis verò non nisi pauca, eaque ad modum strictim atque confusè; hîc iam rursus ab Angelo de vrso, ac pardo, de imperio, videlicet Persarum, atque Græcorum edoctus sum. Anno igitur tertio Baltasaris, obiecta mihi species est post illam, quam de quatuor belluarum ortu, atque interitu priùs acceperam.

2. Videbar autem mihi esse Susis, quæ caput est Persidis, & imperij sedes, & vrbs ciuitatum omnium illius prouinciæ munitissima, iuxta illam portam, quæ Eulæum fluuium respicit, qui ciuitatis muros proximè lambit.

3. In illam fluminis partem intuitus arietem vidi, qui è regione portæ, & ante paludem stabat; duobus instructus cornibus, quorum alterum altero erat excelsius, crescebátque nouo paulatim incremento.

4. Pòst verò vidi, quomodo obuersa, atque minace fronte, & infensis cornibus impeteret regiones, quæ ad Aquilonem, & Occasum, atque meridiem spectant, cui bestiarum nulla resistere, aut de illius potestate liberari potuit, quibus suo abusus arbitratu, & rebus omnibus ad votum fluentibus maiorem

A iorem in modum corroboratus est.

5. *Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram: porrò hircus habebat cornu insigne inter oculos suos.*

5. Ego verò cupiebam valde, & laborabam, vt quid rerum illa visio portenderet, intelligerem. Cùm in illud studium essem intentus, ecce ab Occidente aduentare video hircum nouellum adhuc, & tenerum, qui totam terram peruagari, atque occupare ea celeritate videbatur, vt pennis potius volucrum, quàm hominum passibus vti crederetur; neque enim terram attingebat, illúdque erat in hirco singula-
B re, vt cornu haberet insigne ex ea parte frontis erumpens, quæ media est inter oculos.

6. *Et venit vsque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ.*

6. Eo igitur quasi pennato, atque triumphante incessu peruenit hircus, ad illum vsque fluuialem locum, vbi cornutus aries antè constiterat, & totum virium conatum, & corporis contentionem adhibuit.

7. *Cúmque appropinquasset prope arietem: efferatus est in eum, & percussit arietem: & comminuit duo cornua eius, & non poterat aries resistere ei: cúmque eum misisset in terram, conculcauit, & nemo quibat liberare arietẽ de manu eius.*

7. Cúmque iam propè haberet arietem duobus insignem cornibus, exarsit in iram, & tanto in illum impetu delatus
C est, vt graui illum vulnere percusserit: & duobus conuulsis, atque contritis cornibus ita fregerit, vt nihil haberet ad resistendum virium. Quare abiecit in terram, conculcauítque, neque vllus fuit, qui arietem illum ab hirci furore eximere potuerit.

8. *Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cúmque creuisset, fractum est cornu magnum, & orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cœli.*

8. Hircus porrò ille exiguus, & tener, in magnam continuò molem excreuit. Vix suum illud incrementum acceperat, cùm insigne cornu, fronti præfixum me-
D diæ confractum est. Tunc verò ex illius quasi stirpe prodierunt quatuor alia cornua, quæ in totidem cœli ventos porrigebantur.

9. *De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum: & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem.*

9. Ex vno porrò illorum succreuit aliud principio quidem paruum, & infirmum, qui tamen breui robur, & magnitudinem assumpsit, quam totam conuertit in Orientalem, ac meridianam plagam, & tandem in terram promissionis vim totam, & bellicum furorem effudit.

10. *Et magnificatum est vsque ad fortitudinem cæli: & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas.*

E 10. Et eo vsque insolentes sibi spiritus arrogauit, vt contra cœlum ipsum suscipiendum sibi bellum existimauerit, religionem nempe, & sanctitatem impudenter oppugnans; deiiciens atque conculcans eos, qui in religionis cultu, templíque ministeriis principem obtinuerint locum. Quod perinde est, atque si à cœlo stellas detrahat, eásque profanis pedibus conculcet.

11. *Et vsque ad principẽ fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius.*

11. Neque hic constitit impudens, & væsanus furor, & audacia; nam aliquid se posse arbitratus est contra Deum, qui illius

12. Robur

A lius gentis, & loci princeps erat, & Dux; domum enim illius vilem habuit, & profanam, & sacrificium iuge, quod in eius honorem mactabatur quotidie, de templo sustulit.

12. Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata: & prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur.

12. Cùm prohibere Deus facile posset audaces conatus, atque impios Antiochi, qui in exiguo cornu designabatur, dabit tamen ille robur, permittétque (quia id exigebant, clamabántque populi peccata) vt sacrificium auferat quotidianum, & iuge, B sublatáque vera religione, simul cum legitimo sacrificandi ritu, falsa inducatur, & multis modis damnata superstitio. Deo autem non prohibente, quicquid tentauerit prosperè succedet.

13. Et audiui vnum de sanctis loquentem: & dixit vnus sanctus alteri cui nesciο loquẽti: Vsquequò visio, & iuge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est: & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur?

13. Aderant in ea visione non belluæ solùm, in quibus varia notabantur imperia, & illorum ortus, & intentus, sed etiam viri sancti, Angeli nempe, qui obscura illa symbola declararent. Illi ergo cùm stragem illam ab exiguo cornu editam aspicerent, de profanato templo, & sacrificio C sublato loquebantur inter se; quorum vnus sic ad alterum inquit: Quandiù durabit id quod nobis hæc visio portendit? quandiu iugis sacrificij triste silentium? quandiu hæc templi, sacrorúmque vastitas propter peccatum inducta permanebit? Quousque tandem sanctuarium quod quædam erat arx religionis à profano cõculcabitur pede?

14. Et dixit ei: Vsque ad vesperam & manè, dies duo millia trecenti: & mundabitur sanctuarium.

14. Ad quem alter illuminator, videlicet Angelus: Postquam nox, ac dies bismille ac tercentos reditus, conuersionésve D confecerint, restituetur templo sanctitas ac sacrificium iuge.

15. Factum est autem cùm viderem ego Daniel visionem, & quærerem intelligentiam, ecce stetit in conspectu meo quasi species viri.

15. Spectabam ego Daniel spectra illa varia, studebámque nosse, quænam illorum esset intelligentia. Cùm autem cadere laborarem, astitit mihi species quædam, quæ virum referre videbatur.

16. Et audiui vocem viri inter Vlai: & clamauit, & ait: Gabriel fac intelligere istum visionem.

16. Tunc verò audiui vocem illius viri, qui steterat ad Eulæum fluuium, quæ sic cum Gabriele loquebatur: Fac ô Gabriel vt vir iste, quid rerum hæc visio significet, intelligat.

17. Et venit, & stetit iuxtà vbi ego stabam: cúmque venisset, pauens corrui in faciem meam, & ait ad me: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio.

E 17. Vbi verò Gabriel ad illius imperium, qui ex Eulæo fluuio loquebatur, propiùs accessit, cohorrui totus, & de statu deiectus pronus in terram decidi. Tunc ille ad me: Aduerte, ô Daniel, animum, & aures, & scito hanc visionem non nisi post longa tempora successus habituram.

18. Cúmque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram: & tetigit me, & statuit me in gradu meo.

18. Ad eius sermonem iterum corrui, prono in terram vultu; sed eius attactu excitatus sum, & in gradum meum rursus erectus.

19. Dixitque mihi: Ego ostendam tibi quæ futura sunt in nouissimo maledictionis, quoniam

19. Et iterum ad me: Ostendam tibi, ô Daniel, quid sit illud, quóve futurum tempo

niam habet tempus finem suum:

A tempore, quod maledictio, seu execrabilis illa vexatio designet, quæ in nocturna visione postremo tibi loco oblata est. Est enim huic calamitoso tempori suus à Domino modus definitus.

20. *Aries, quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum.*

20. Aries ille, cuius caput duobus cornibus instructum, intuebare, Regem Persarum, ac Medorum adumbrat.

21. *Porrò hircus caprarum, rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus.*

21. Hircus autem ille tener adhuc, qui arietem bicornem oppressit, Rex est Græcorum, cornu verò prægrande, quod medium inter oculos erumpit, est Rex ille, B qui ex Græcis primus totius orbis obtinebit imperium.

22. *Quòd autē fracto illo surrexerūt quattuor pro eo: quattuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius.*

22. Quatuor verò cornua, quæ primo confracto cornu, quasi ex eius radice pullularunt, totidem sunt Reges, qui ex eadem Græcorum origine consurgent: qui tamen à prioris virtute quàm longissimè aberunt.

23. *Et post regnum eorum, cùm creuerint iniquitates, consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones.*

23. Postquam autem Reges isti quatuor diu dominati fuerint; & suum Iudæorum peccata culmum nacta sint, excitabitur Rex ille, cuius erat symbolum par- C uulum cornu, qui sic pudorem omnem, sic frontem perfricabit, vt paratus sit quiduis in aliorum oculis, & facere, & pati. Neque curabit, quid alij de se, aut sentiant, aut loquantur. Erit porrò ingenij vsque adeò sagacis, & callidi, vt & suis versutis consiliis, speciosum honestatis fucum inducere, & astutas aliorum cogitationes euoluere, & occultos euentus multo antè præsagire queat.

24. *Et roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis: & suprà quàm credi potest, vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet. Et interficiet robustos, & populum sanctorum.*

24. Hic principio infirmus viribus, ab D opibus, & auctoritate nudus, veniet tamen in opum, ac virium incrementum maximum, neque tamen id à sua vel industria, vel virtute habebit, sed à Deo, qui per ipsū Iudæorum peccata punire voluit. Quare obuium quodque vastabit, ac sternet, & quicquid successum habebit, qualem ipse suis sibi votis proposuerat. Interficiet autem robustos nòn solùm è Gentili populo, sed etiam è Iudaico; cuius leges cultores suos ad veram sanctitatem informant, quod sanè non faceret nisi ab irato E Deo contra populum illum audaciam accepisset, & robur.

25. *Secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius: & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur.*

25. Aget ille fraudulenter, & callidè; & quicquid insidiis aggredietur, & fraudibus, succedet ex voto. Quæ res homini secundis rerum successibus inflato spiritus afferet arrogantes, & auctus nouis viribus, atque opibus, in plurimorum cædem ferrum distringet. Et contra Deum Principē Principum, & Regem Regum bellum meditabitur, & arma capiet. Ac tandem tristē subibit, atque ignominiosam mortem, non ferro, aut hominum insidiis extinctus; sed

26. *Et visio vespere & manè, quæ dicta est, vera est: tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit.*

A à diuino iudicio cœlitus, insanabili percussus plaga,& fœda tabe consumptus.

26. De hac Iudaici populi, ac Sanctuarij contaminatione,ac cæde,quæ post dies bismille,atque trecentos accident,certum te esse iubeo; re enim vera sic accident; sicut à me dictum est. Tu ergo, ô Daniel, visionem hanc scriptis manda,eaque consigna, quia multi adhuc dies ante illius euentum intercedent.

27. *Et ego Daniel langui, & ægrotaui per dies: cúmque surrexissem, faciebam opera regis, & stupebam ad visionem, & non erat qui interpretaretur.*

27. Ex hac rerum tristissimarum prædictione sic affectus sum, vt longum ex B dolore, ac consternatione morbum contraxerim.Cúmque iam essem recreatus ex morbo, redij ad opus,quod meæ fidei, ac curæ Rex ipse tradiderat. Neque tamen inter prouinciales, atque forenses curas stupor ille excesserat ab animo. Cúmque alij de morbi causa quærerent, neque ego possem aperire, cùm iussus essem ab Angelo obsignare visionem;nemo erat,qui interrogantibus posset stuporis, ac morbi causam ostendere.

Vers.1. *Anno tertio regni Balthasar Regis visio apparuit mihi.*]

1. EGERAT Daniel priori visione de quatuor imperiis,quæ totidem belluæ erumpentes è mari referebant, sed admodum obscurè, ita vt doctore Daniel ad eius intelligentiam indiguerit. Sed cùm de quarta bellua præcipuè sollicitus esset Propheta,cuius admirāda viderat, ac horribilia portenta,de illa pluribus edoctus est ab Angelo: de aliis verò perpauca accepit, illaque subobscura. Quæ igitur tunc modicè,ea nunc fusiùs,& apertè accipit de Persarum, atque Græcorum imperiis. De Chaldæorum Monarchia nihil hìc auditur, quia cùm hoc ipso anno suam periodum absoluerit, anno videlicet tertio Balthasaris, vt cap.5. dictum est, quo anno, vt vides,visionem hanc accepit Daniel; iam pro extincto censeri D potuit Chaldæorum imperium. Quare non erat, cur aliquid diceret de illius siue interitu, siue translatione,cùm paucis pòst diebus,quibus modò à Propheta prædicendum fuit, suis ipsi oculis essent aspecturi.Cùm autem de Persis rerum dominis, à quibus Græci imperatorium nomen ademerunt, huius vaticinij pars non exigua loquatur, significatur obliquè Chaldæorum imperium excisum,& translatum ad Persas.

2. Hæc porrò visio, quæ tunc est oblata,quando iam Chaldæorum dominatui supremum, & ineluctabile tempus impendebat, cùm multis modis accidere potuerit: in somno accidisse verisimilius est, quia pars videtur superioris visionis, quam esse obiectam dormienti Prophetæ, ipse docet,neque obscurè,neque semel.

3. Vers.2. *Cùm essem in Susis castro, quod est in Ælam regione.*] Susa ciuitas est in Perside, & illius imperij regia quondam sedes, vt docet Iosephus lib.10. cap. vltimo *μητρόπολιν* vocat *τῶν περσῶν*. Hebræi Susan nominatam esse putant à liliorum multitudine; Susan enim lilium est: vnde Hispa- *Susa Persici imperij caput.*

C nis *Azuzena* vocatur. Plinius à Dario Histaspis ædificatam esse dicit; sed fallitur, quia ante huius Darij ætatem iam fuerat ædificata, vt planè locus iste conuincit. Fortasse amplificatam esse, atque ornatam ab hoc Dario significare voluit Plinius, quod nouum non est apud auctores tam sacros, quàm prophanos, qui constructam ab illo ciuitatem scribunt, qui illam aut accessione aliqua, aut ornamento splendidam reddiderunt, aut amplam. Quomodo suprà cap.4. Nabuchodonosor ædificasse dicitur Babylonem; cùm tamen illa illustris antea foret, & ornata;quoniam magna antiquæ Babyloni addidit ornamenta. Sic autem ibi Nabuchodonosor vers.27. *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni.* Fuit autem hæc ciuitas à Memnone quodam primùm ædificata, sub tempus Troianum, vt tradit Diodorus lib.3. cap.6. à quo diu vocata fuit Memnonia. *Azuzena Hispanis vulgo dicta.*

4. Hæc porrò ciuitas fortissima fuit, &, vt apparet, arx quædam, & propugnaculum Persici regni. Quare Esther cap.1. & hoc loco dicitur שושן הבירה *Susan ha birah.* quasi dicas Susan arx, seu castrum; aut certè regia domus. In hac ciuitate, quæ fortè arx est appellata, ab arce, quæ munitissima erat, regiæ asseruabantur gazæ, vtpote in loco, ad quem aspirare minus poterant aut auari spiritus, aut inimicorum vires. E Vtrumque coniunxit Curtius lib.5. cuius hæc verba transcribere aliquod erit operæpretium, quia aliquid lucis afferre poterunt his, quæ mox à nobis explicanda sunt. *Vbi verò vrbem* Susan (videlicet Alexander) *intrauit, incredibilem ex thesauris summam pecuniæ egessit, quinquaginta millia talentorum argenti non signati forma, sed rudi pondere. Multi Reges tantas opes longa ætate cumulauerant liberis, posterisque vt arbitrabantur: quas vna hora in externi Regis manus intulit. Consedit deinde in regia* *Susis regia seruata gaza.*

sella multo excelsiori, quàm pro habitu corporis. Itaque pedes cùm imum gradum non contingerent, vnus ex regiis pueris mensam subdidit pedibus; & cùm spadonem, qui Darij fuerat, ingemiscentem conspexisset Rex, causam mæstitiæ requisiuit. Ille indicat Darium vesci in ea solitum, seque sacram eius mensam ad ludibrium recidentem sine lacrymis conspicere non posse. Subiit ergo Regem verecundia violandi hospitales Deos, iamque subduci iubebat; cùm Philotas, minimè verò hæc feceris Rex, sed omen quoque accipe mensam, ex qua libauit hostis epulas, tuis pedibus esse subiectam. Rex Persidis fines aditurus, Susan vrbem Archilao, & præsidium trium millium tradidit: Xenophilo arcis cura mandata est: Macedonum ætate graues præsidere arcis custodiæ iussit. Hæc Curtius. Quàm verò fuerit arx illa Susiana munita, docet Polybius lib.5. vbi tradit Molonem cùm multas Antiocho magno vrbes abstulisset, venisse Susan, & vrbem quidem cepisse non magno negotio; arcem verò diu, multúmque tentatam expugnatione capere non potuisse.

5. *Cum essem in Susis castro.*] Ex dictis constat, cur castrum dicatur ciuitas hæc, quia munitissima, & castrum habuit expugnatu difficile, à quo nomen illud sortita est, in quo Persicæ seruabantur gazæ. Hæc verò ciuitas esse dicitur in regione Ælam, id est, in Perside, vt est communis interpretum sensus.

6. Sed occurrit hîc primùm difficultas, quæ eiusmodi Dionysio visa est, vt explicari non possit. Nam cùm hoc tempore Babylone fuerit Daniel, vtpote Chaldæorum Regi subiectus; non apparet quomodo Susis, id est, in Persica, & aliena prouincia, hac visione illustrari potuerit. Sed est solutio facilis, & ea duplex. Altera fieri potuisse vt Susis in aliena prouincia tunc esset Daniel, quia fortasse tunc ad Chaldæorum ditionem pertinebat, cuius tunc erant latissimi fines. Et quidem Ælamitas in castris fuisse Chaldæorum cùm oppugnaretur Hierosolyma, docet Isaias cap.22. v.6. *Et Ælam sumpsit pharetram, currum hominis equitis, & parietem nudauit clypeus.* Aut certè licèt tunc ad Persas pertineret; quia tamen proxima erat Chaldæorum finibus, immò, vt scribit Strabo lib.15. in ipso Persidis, Babylonísque confinio, facile eò diuertere potuit Daniel, cùm esset ditioni Babylonicæ præpositus: sæpe enim incidunt causæ, quæ prouinciarum præfectos ad alienas prouincias digredi compellunt; quod accidisse eo tempore Prophetæ non est improbabile.

7. Sed est expedita magis, atque obuia solutio, quam cum Theodoreto adhibent complures alij. Fuisse quidem Prophetam corpore in Chaldæa; spiritu verò Susis, quia in ea visione videbatur sibi alieno in loco esse, sicut in somnis nobis frequenter occurrit. Neque similia desunt exempla in aliis Prophetis, qui procul ab eo loco, in quo tunc aderant, ad regiones quàm longissimas cogitatione, ac spiritu rapiebantur. In eodem quo Daniel loco erat Ezechiel, & tamen auehi sibi videbatur Hierosolymam, vbi statum ciuitatis præsentem, & illius vastitatem futuram intellexit cap.8. & iterum cap.40. vbi instaurandi templi formam accepit. Et cùm Hierosolymis esset Zacharias; in Babylonia tamen intèr myrteta equites spectabat.

8. Cur in Susis potius, quàm in alia ciuitate Persidis visa Prophetæ fuerint, quæ mox explicabuntur; finis videlicet imperij Persici, & exordium Macedonici, ostendunt illa, quæ nuper adducebamus ex Q. Curtio. Illa etenim ciuitas caput erat, & prima sedes illius imperij, vt docet in ipso statim principio liber Esther: in eum etenim locum euocati sunt Principes, vbi ad regiæ maiestatis specimen instructum conuiuium. Ibi regia gaza, & Regum familiare domicilium, & arx, qua in tota Perside nihil erat fortius, nihil illustrius. Quare totius imperij quoddam erat symbolum: vnde nullo loco commodius de imperij summa à Græcis, & Persis certari potuit.

Vidi autem in visione esse me super portam Vlai.] 9.
Hic locus nostram confirmat cogitationem de loco, vbi Propheta fuit, cùm species illi talis oblata est. Satis enim ipse declarat Propheta, dum dicit vidisse se in visione, in repræsentatione videlicet, quòd esset Susis ad portam Vlai. Hîc nobis explorandum quid sit Vlai; aut cur ad hanc portam potius stetisse sibi videatur Propheta. Variæ translationes, variè reddunt hunc locum: vulgata reddidit, vt hîc habes, *super portam Vlai.* Aquila, *super Vbal Vlai.* Theodotio tantùm *super Vbal.* Ita legit Theodoretus, licèt in commentariis alios dicat transtulisse portam. Symmachus *super paludem Vlai.* Pagninus, *super flumen Vlai.* Tigurina, *super flumen Eulæum.* quod etiam faciunt quidam ex Hebræis. Sanè vox אובל *vbal, fluuium* significat, & *paludem*, & ita statim reddit Hieronymus. Sed est idem omnino sensus: nam si Susis erat Daniel (in spiritu puta) & fluuium spectabat, absque dubio erat in porta ciuitatis, quæ fluuium illum intuebatur. Dicebatur verò *porta Vlai*, quia ad fluuium ferebat, sicut ciuitatum plerumque portæ ex eo sibi loco nomen assumunt, ad quem ciues emittunt.

Porrò fluuius ille, quem Eulæum vocari diximus, ciuitatem circumfluit, vt Geographi communiter. Audi Plinium lib.6. cap.27. *Susianam ab Elimaide disterminat amnis Eulæus ortus in Medis, modicóque spatio cuniculo conditus, ac rursus exortus, & per Mesobatenem lapsus circuit arcem Susorum, ac Dianæ templum augustissimum illis Gentibus. Et ipse amnis in magna est cæremonia; siquidem Reges non ex alio bibunt, & ob id in longinqua portant.* 10.
Legisse me memini, neque auctoris nunc succurrit nomen, ideo Persarum Reges ex illo flumine aquam secum portasse, vt secum etiam Persicum portare viderentur imperium. In aqua enim quæ Susianos muros alluebat, Susan secum portasse videbantur, in qua Persici imperij sedes erat, & fatum. Sicut etiam è prouinciis omnibus secum habuere glebam, vt in sua sibi potestate esse prouincias illas ostenderent, quas illa pars exigua terræ repræsentabat. Sanè Plutarchus in vita Alexandri refert ex Dione Persarum Reges aduectam ex Nilo, atque Istro aquam solitos in thesauris recondere quasi vindicias, vt eo pacto imperij sui magnitudinem ostenderent, quasi vtriusque fluminis essent domini. Ex quo etiam intelligitur, cur Susis potius, quàm in alio loco obiecta Danieli fuerit species illa; cùm ibi fatum esse putaretur, & sedes. Hunc fluuium credo binomium fuisse, atque etiam appellatum Choaspem, de quo sic Herodotus lib.5. *Iuxta fluuium Choaspem sita sunt hæc Susa, vbi Rex magnus domicilium habet, atque hîc pecuniarum thesauri sunt.* Accedit, quòd quemadmodum Reges,

Persæ à patrijs fluminibus aquã secum portabant.

ges, ex Eulæo, quocumque pergunt, aquam portant: sic auctore eodem Plinio lib.31. cap.3. aqua ex Choaspe fluuio comitatur; quamuis ibi Plinius Parthorum Reges potius, quàm Persarum nominet, in quo fortasse error aliquis est. Nam Herodotus lib.1. Reges Persarum ex Choaspe fluuio aquam portare dicit, illámque secum, quocumque iter faciant, circumferre. *Ducit*, inquit, *Rex Cyrus magnum exercitum; portatur aqua ex flumine Choaspe Susa praeterfluente, quo vno ex omnibus fluuiis Rex potat.*

11. *In terra, & aqua significata prouincia.* Huc facit, quod Persarum præsertim Reges in terra, & aqua prouinciam aliquam & contineri & significari existimabant. Quare cùm tradi sibi ciuitatem aut prouinciam vellent, terram sibi, & aquam præberi iubebant. Sic sanè Darius, vt tradit Herodotus lib.4. Scytharum Regi dixit, vt ad colloquium veniret; ita tamen, vt secum afferret terram, & aquam. Idem Athenas, & Spartam misit legatos, qui aquam, & terram peterent, quorum illi aliquos in barathrum, alios in puteum deiecerunt, iubentes vt inde terram, & aquam sumerent, & ad Regem deferrent. ita Herodotus lib.7. Qui etiam tradit à Xerxe in varias prouincias missos esse legatos eodem consilio, & alios quidem rediisse vacuos, alios secum terram, & aquam retulisse.

12. *Fluuiorum varia nomina.* Est autem frequens vt fluuij multis notentur nominibus, vt docet idem, de quo modò, Plinius. Danubius vsque ad Illyrium suum seruat nomen; inde ad Ostium Ister appellatur. Plinius lib.4. cap.12. Tigris, qua tardior fluit Diglito; qua concitatior Tigris est. idem lib. 7. cap. 24. Euphrates proximus suo fonti Pyxiratus; deinde per Taurum erumpens Omira; ad extremum suum accipit, atque conseruat nomen. Fluuius, qui ad Cælenas vsque Marsias; idem ab eodoco egressus Lycus dicitur. Sic credo Choaspem, & Eulæum idem esse flumen; vocari tamen variis pro regionum varietate nominibus.

13. *Ecce aries vnus stabat ante paludem habens cornua excelsa.*] Hinc oritur visio, quæ Persarum, atque Græcorum imperium, & ortum, & exitum portendit. Vocem אובל *vbal*, quam proximè *portam*, nunc *paludem* reddit vulgatus. Visio hæc duas continet partes: in altera visio nuda, id est, hieroglyphica species; in altera visionis explicatio, & quasi medulla, quæ latebat in cortice conclusa. De visione priùs, & cortice; mox de significatione agemus, & medulla.

14. Aries hîc duo habebat cornua: hîc nihil præter rerum naturam video, nisi quòd cornua illa duo excelsa sunt; cùm tamen flexuosa habeat aries, & incurua. Iosephus lib. 10. Antiq. cap. vltimo tradit hunc arietem habuisse caput multis instructum cornibus: sed vt alibi *Iosephi error.* sæpe; sic etiam hoc loco fallitur Iosephus, & planè contra Scripturam. Lectio enim Hebraica habet קרנים *keranaim* in duali numero, & statim apparet hoc manifestius, cùm dicitur, *Et vnum excelsius altero.* Et adhuc clariùs vers.7. *Percussit autem, & comminuit duo cornua eius.* Heb. שתי קרניו *sete keranau*, vbi expresse duo nominantur cornua.

15. Vers.3. *Et vnum excelsius altero, atque succrescens.*] Tigurina, *Fuit alterum altero longius, & procerius creuit nouissimè.* Eodem fermè modo Pagninus, *vnum excelsius altero: & excelsius ascendebat in nouissimo.* Eadem omnium translationum sententia est, nempe alterum cornu, quod fuerat excelsius, paruum fuisse in principio; & deinde paulatim excreuisse, ita vt altero fuerit longè procerius. Hoc autem totum videtur aspexisse Propheta; quomodo nempe exiguum esset alterum cornu, deinde succresceret, quomodo ex trunco exurgunt, & adolescunt germina, quæ multo postea trunco ipso, ac stirpe altiora, atque superiora sunt.

Vers.4. *Postea vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem.*] Tota arietis vis, & ad pugnandum facultas in cornibus est, & in capite. Quare accommodatè ad illius naturam, ventilantem illum, & lacessentem cornibus inducit Propheta: quasi obuersam frontem intentaret regionibus illis, de quibus hoc loco, aut etiam infensis impeteret cornibus, & obuium quodque superior sterneret. 16.

Et omnes bestiæ non poterant resistere ei: neque liberari de manu eius.] Vt capite præcedenti in bestiarum natura, ac nomine quatuor regnorum maiestatem, & potentiam inuoluit; sic etiam nunc variorum regnorum bella variarum etiam bestiarum congressibus accommodat. Ventilabat, vt proximè dictum est, aries fortis, & ferus duo cornua, quæ aliis bestiis ita fuerunt horribilia, ac dura, vt neque stare contrà potuerint, aut de illius superiori potentia laborari. Hic porrò aliquis fortasse miretur institutam allegoriam non esse seruatam. Quis enim arietem vidit pugnantem manu; aut quid tantum in ea virtutis est, vt ab ea bestiarum nulla liberari posset? A leone sanè, cuius cruenti sunt, & rapaces vngues, translatio esset facilis: at ab arietis non video quid magis timendum sit, quàm ab agni manu. Sed est quid respondeam: primùm non esse hanc metaphoram peculiarem ab ariete; sed communem, manus enim pro potentia sumitur, maximè apud Hebræos, in quorum idiomate יד *iad*, id est, *manus*, multo plura significat, quàm *manus* apud Latinos. Significat enim non solùm potentiam, sed etiam plagam. Cùm verò vox aliqua communem habet, atque familiarem translationem, in omni allegoria locum habet. Nihil communius, quàm manus pro instrumento: hinc fit, vt rebus attribuatur omnibus, quibus aut homo, aut quodlibet aliud animal ad agendum vtitur. Hinc serui vocati dominorum manus: hinc harpagones manus vocantur ferreæ; hinc elephanti proboscis; hinc vitium claniculæ dictæ manus. 17. *Manus pro potentia, & pro omni instrumento.*

Et magnificatus est.] Exturbatis nempe aliis è suis stabulationibus, ac pabulis; aut cornuum appetitione prostratis.

Vers.5. *Et ego intelligebam.*] Hieronymus & cum eo S.Thomas, & è Recentioribus nonnulli putant intellexisse Danielem, quæ in specie illa hieroglyphica viderat; quod non difficile potuit, cùm visionem aliam non admodum diuersam de eodem argumento iam antè vidisset. Sed intellexisse obscurè, non tamen cognitione clara, atque distincta, donec Angelum habuit ducem, & magistrum. Hæc sanè probabilia; sed placet magis quod alij cum Theodoreto sentiunt, nempe hæc non intellexisse Danielem; animum tamen habuisse intentum, vt illa cognosceret, & de ea cognitione secum laborasse, 18.

Intelligo idē quod operam do. rasse. Verbum autem *intelligo* studium, & conatum significare in sacris literis inusitatum non est: quare in aliqua re *intelligere*, idem est quod alicui rei operam dare. Sic Psal. 118. v. 95. *Testimonia tua intellexi.* Et Psal. 40. *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem*, id est, sollicitè pro pauperum commoditate laborat. Certè id Hispanis familiare est, qui cùm ab aliis rogant, quid rerum fiat, his fermè vtuntur verbis, *En que se entiende, o en que entendeys.* Neque fortasse aliud sibi vult illud Psal. 77. *intellectus manuum*, quàm *opera manuum.*

19. *Ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ.*] Vbi vulgatus hircus, Heb. est צפיר *sephir* dictus, credo, à celeritate, à quo etiam auis צפר *sipor* dicitur. Est autem צפר *maturare*, seu festinatò aliquid agere. Quàm auautem hircus velox sit, vt ardua superet, ac prærupta montium, ac illa voret, quæ montium scopuli prærupti, atque inaccessi tutari à quadrupedum morsu videbantur, res est nota pastoribus, & à scriptoribus sæpius repetita. Sanè capræ pendentes vocantur, quia vestigio pendulo suspendi potiùs videntur è rupibus, quàm illis insistere. De his Virgilius Eclog. 1. *Capræ audaces, & veloces.*

——— ———*ite capellæ,*
Non ego vos posthac viridi proiectus in antro
Dumosa pendere procul de rupe videbo.

Martialis lib. 13. epig. 99.

Pendentem summa capream de rupe videbis,
Casuram spectes, decipit illa canes.

Hæc maximè notata oportuit pro his, quæ postea de Alexandri celeritate, atque in arduis confidentia dicenda sunt.

20. Cur verò non simpliciter hircus, sed hircus caprarum dicatur, varij varia dicunt. Pereira ideo putat, quia sicut hircus dux est caprarum; sic etiam Alexander, quem hircus iste significabat, dux erat Græcorum. Pro qua sententia facit, quòd hirci in Scriptura sacra illi dicuntur, qui ciuitati præsunt, aut quoquo modo aliis duces sunt, & magistri. Zachar. cap. 10. v. 3. *Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo.* Et Isai. cap. 10. v. 13. vbi vulgatus *Principes*, & cap. 14. v. 9. vbi idem *Gigantes*, Heb. est עתודים *atudim*, quæ vox hircum valet. Sed hæc sententia, licèt improbabilis non sit, minus tamen mihi probatur; quia, vt statim dicemus, modus iste loquendi *hircus caprarum*, & *agnus ouium*, & similia aliquid aliud significant. Neque exempla, quæ proximè adduximus, quicquam ad eam sententiam faciunt. Duo enim sunt Hebraica nomina, quæ hircum significant: alterum est עתוד *atud*, quod non omnem hircum; sed illum significat, qui adultus est, & gregem antegreditur, illúmque tanquam pastor & educit ad pabulum, & ad caulas reducit. Et de hoc loquuntur Prophetæ nuper citatis locis, cùm Principes appellant hircos. Alterum est צפיר *saphir*, quod hircum significat aut celerem, vt modò dicebamus, quales sunt hæduli, inquietissimum ea ætate animalium genus; aut certè non ducem, quales sunt illi, quorum ætati parum accessit firmitatis, ac roboris. Hoc verò nomen nunquam, quod ego viderim, ducem significat, aut aliquid in grege præcipuum. Quare placet magis hîc hircum significare non ita adultum, vt vocari possit עתוד; sed in ætate quasi iuuenili, lasciuienti, inquieta, & vaga. Quod duabus mihi rationibus persuadeo. Altera est, quia hic *Hirci pro ducibus atque rectoribus.*

A dicendi modus aliquid significat tenerum, & molle, in quocumque animantium genere: sic millies audis *hircum caprarum agnum ouium, pullum asinarum, pullos camelorum.* qui omnium consensu ætatem indicant teneram adhuc, quæque à matrum latere discedere non soleat. Sed probat non leui coniectura, quod quo tempore Alexander Macedo ab Occidente venire visus est, id est, cùm aciem ducere, & castris præesse cœpit, adhuc erat iuuenis; & iuuenili spiritu, id est, æstuante, atque alacri res moderabatur bellicas; & imperium mundi spe, atque cogitatione deuorabat. Sanè viginti erat annorum, cùm regnum suscepit: nec multo pòst rem Persicam B tentauit, de qua nunc Propheta. Quare optimè ante primum congressum cum Persis, hircus caprarum vocari potuit, id est, iuuenis, ardens nimirum, alacer, & velox, & spiritus alens militares, & regios. 21. REGVLA. *Animal matri, aut gregi adiūctum aliquid tenerū significat. Alexander iuuenis gradia meditatur.*

Ab Occidente super faciem terræ.] Macedonia, & Græcia, vnde egressus est Alexander, comparatione Persidis, quo festinabat hircus, occidentalis erat: sicut Persis orientalis esse significatur vers. 4. Aries etenim, in quo Persicum imperium exprimitur, ventilasse dicitur cornua in Occidentem, Aquilonem, & Meridiem; non verò contra Orientem, quia ipse regionem occuparat orientalem. Gradiebatur autem *super* C *faciem terræ*, aut quia totam terram peruagatus est non tam passibus, quàm victoriis; aut quia magis videbatur super terram, id est, eleuatus à terra instar volantis aquilæ, quàm in terra suum instituere volatum, aut cursum, quod eximiam illius velocitatem indicat. Neque hæc posterior explicatio displicet, cui fauet id, quod proximè succedit. 22.

Et non tangebat terram.] Illud *&*, hoc loco particulam esse arbitror exponentem, quæ idem valet, quod *id est*, in hanc sententiam. *Veniebat super faciem terræ, id est, non tangebat terram.* Qui dicendi modus prouerbiali, vt reor, specie summam indicat celeritatem. Ita sanè profani cele-D ritatem maximam explicare solent. Sic Isaias cap. 41. v. 3. *Semita in pedibus eius non apparebit.* Summa hic Abrahami, siue Cyri in victoriarum cursu celeritas significatur, qui non videntur vllum, cùm incederent, in terra reliquisse vestigium. Virgilius lib. 7. Æneid. de Camilla, 23. *Velocitas summa quomodo explicata.*

——— *cursúque pedum prauertere ventos.*
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset Aristas.
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingere æquore plantas.

quem imitatus est Claudianus panegyr. 3. in con-E sulatu Honorij.

Nobis Ionia virides Neptunus in alga
Pascit equos: qui summa freti per cærula possent
Ferre viam, segetémque leui percurrere motu
Nesciat, vt spumas, nec proterat vngula culmos.

Hæc eadem, aut non valde diuersa Homerus lib. 10. Iliad. de quibusdam equabus Erichthonij: nec dissimilia Ouidius de Atalanta,

Signa tubæ dederant, cum carcere pronus vterque
Emicat, & summam celeri pede libat arenam.

Qui modus aliis etiam nationibus, ac linguis familiaris est. Hispanus sanè cùm hominem velocissimum significare vult, aut equum, hoc explicat modo, *No asienta el pie en el suelo.* Quanta fuerit

fuerit Alexandri celeritas in acquirendo, amplificandóque Græcorum imperio, dicemus postea, vbi hieroglyphicam speciem descripserimus.

24. *Porrò hircus habebat cornu insigne inter oculos suos.*] Hîc aliquid videmus alienum ab hircorum natura: neque enim hircina frons ab ea parte cornuta est, quæ media est inter oculos; neque id alicui animali contigit, nisi monoceroti. Sed quia hîc multa explicantur, quæ nisi aliquid affingas naturæ, exprimi non possunt; aliquid monstri obiectum est Prophetæ: neque id nunc primùm, quando antè bellua multicornis apparuit, & alatus pardus. Sic ergo hircus primùm vnicornis; deinde quinquecornis visus est, quia illam vmbram, & typum exigebat rerum varius euentus. An sit hircus alicubi vnicornis, non lego; habere tamen aliquod hircorum genus apud Libycos cornua à pectore pendentia, tradit Ælianus ex Aristotele lib.6. de histor. animal.c.31. quod æquè rarum, atque monstrosum est, atque mediam frontem habere cornu præferocem.

Hircorum genus monstrosum.

25. Vers.6. *Et venit vsque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam.*] Viderat, opinor, Propheta festinantem hircum, & prouincias alias lustrantem non magis passibus, quàm victoriis, ea celeritate, vt nulla terræ videretur impressisse vestigia. Eo ergo festinato, atque triumphanti cursu peruenit ad locum, vbi sese cornutus aries oculis propheticis obiecerat, ante portam videlicet illam, quæ spectabat Eulæum fluuium. Ad regiam nempe vrbem, vbi regia gaza, & sedes regia; & propè dixerim Persici imperij fatum situm erat. Ibi verò congressus est cum ariete toto conatu, quem ita strauit, conculcauítque confractis duobus cornibus, quibus instructam habebat, & efferatam frontem, vt neque ipse erigere se à lapsu potuerit; neque vllus illi in eo rerum discrimine esse subsidio.

26. Vers.8. *Hircus autem caprarum magnus factus est nimis.*] Hircus hîc non tam Alexandrum portendit imperij Græcorum auctorem, & Principem, quàm imperium ipsum Græcorum, licèt hæc priora Alexander impleuerit, vt docent verba, quæ proximè succedunt. Quomodo hircus ille creuerit, cùm ventum est Susa, dicemus postea.

27. *Cúmque creuisset fractum est cornu magnum.*] Vnum tantùm hircus cornu habuit, ídque fronti præfixum; quia principio Græcorum imperium vnum tantùm imperatorem agnouit. Vbi autem cornu illud fractum est, quod accidit statim atque suum habuit incrementum, ex eodem capite, id est, ex eodem imperio quatuor pullularunt cornua, de quibus suo loco.

28. *Et orta sunt quatuor cornua subter illud, per quatuor ventos cæli.*] Vbi primùm fractum est cornu, quod habebat inter oculos, ex eius quasi stirpe prodierunt quatuor, quæ in totidem cæli ventos porrigebantur. Quare caput illud, quod magno priùs cornu potens erat, quatuor exertis cornibus non tam confirmatum, quàm infirmatum est: de quibus statim in explicatione visionis.

29. Vers.9. *De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum, & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem.*] Ex vno cornu ex quatuor, quæ fracto cornu magno repentè apparuerunt in hirco, ortum est aliud exiguum; in quo adumbrabatur Antiochus Epiphanes, qui ex Seleuco, cui Syria contigit, & Babylon, origi-

A nem duxit, qui bellum intulit meridianæ, ac Orientali plagæ. Nil dicit de Aquilonari: cùm enim illi sors obtigisset Aquilonaris, Syria videlicet, & Babylon, non erat cur in regiones sibi iam antea subiectas exercitum moueret.

Et contra fortitudinem.] Heb. אל הצבי *el hasebi*: 30.
quam vocem Theodotion vertit πρὸς τὴν δύσιν, id est, *ad Occasum*. Verùm vox hæc Palæstinam indicat, seu veriùs Iudæam, quam bello tentauit, & multis incommodis affecit Antiochus. צבי, aliquid significat pulcrum, speciosum, illustre, quódque mille votis expetendum sit; quod terræ promissionis nomen, aut epitheton est. Sic sanè vocatur 2.lib. Reg.cap.1. v.19. &
B infrà cap.11.v.16. Hieronymus *fortitudinem* reddidit, quia illud idem quod speciosam, & vberem reddit terram promissionis, facit etiam vt fortis sit. Sanè de eodem Antiocho loquebatur Daniel loco nuper citato, & de hac ipsa terra promissionis, vbi eandem etiam Hebraicam vocem adhibuit צבי, quam ibi aliter reddidit Hieronymus. *Et stabit in terra inclyta.* Multa hîc de Antiocho dicit Propheta, quæ nos deinde pluribus, vbi ab vmbra, & cortice exoluta fuerit commentatio.

Terra promissionis speciosa, & fortis.

Et magnificatum est vsque ad fortitudinem cæli.] 31.
Hæc sine dubio Deum respiciunt, contra quem armasse, & sustulisse superbos spiritus videtur
C Antiochus, quando bellum indixit religioni, ac templo, quod cœli fortitudo vocari potuit; quia illud erat in Dei protectione, ac fide; & cœli quodammodo instar obtinebat, quia in illo sedes erat, & quasi stabile domicilium Dei, vbi licebat speciem aliquam, licèt obscuram, intueri eius obsequij, quod in cœlis quotidie impendebatur ab Angelis.

Antiochi audacia contra templũ, & sanctos, & Deum.

Vers.10. *Et deiecit de fortitudine, & stellas, & conculcauit eas.*] Bis hoc loco Propheta *fortitudinem* posuit: priori loco intelligebatur terra promissionis, Heb. צבי. posteriori Deus, & eius templum, & quicquid Deo seruit, & templo, & hæc vocatur צבא *saba*. Vsque cô verò progres- 32.
D sa est potentia, audacia, atque impudentia Antiochi, vt hanc etiam fortitudinem impiis armis aggressus sit, illámque afflixerit, grauitérque concusserit; & de hac etiam fortitudine, siue militia, atque exercitu cælesti (id enim magis propriè significat צבא) stellas deiecit; id nimirum quod in templo instar erat stellarum; eásque conculcauit, quasi suis sibi pedibus cælum subdidisset. S.Hieronymus, Theodoretus, & Gregorius explicans hunc locum Danielis lib.32. Moral. cap.12. stellas cœli viros magnos esse putant, quibus tormentorum metu, aliísque artificiis Antiochus patriam religionem extorsit: quod perinde est, atque stellas è cœlo
E fuisse deiectas. Nam, vt ipse Daniel docet cap. 12.v.3. qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Neque displicet, si dicas eos ab Antiocho quasi stellas è cœlo fuisse deiectos, quibus ab ipso vita erepta est: neque enim ille nisi iustos occidit, qui ipsius mandatis impiis parere noluerunt; qualis fuit Eleazarus senex, & septem filij cum matre generosa, de quorum constantia in perferendis, & despiciendis cruciatibus præclara narrantur secundo Machabæorum libro. Et hæc mihi maximè probantur.

Vers.11. *Et vsque ad Principem fortitudinis magnificatum est.*] Pro *fortitudine* est iterum צבא. Qua- 33.
re princeps fortitudinis, idem est quod dux exercitus

citus; nempe illius, qui Deo ministrabat in templo ad eius similitudinem, qui eidem ministrat in cælo. Quomodo verò cornu illud magnificatum fuerit contra Deum, id est, spiritus in Deum assumpserit hostiles, dicemus suo loco pluribus; explicatúrque statim non obscurè. Quod cùm optimè quadret in Antiochum; multo tamen magis in Antichristum, cuius ille vivum est simulacrum.

34. *Et ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis.*] In hoc magnificatus est Antiochus contra Principem exercitus; quia illius domum contaminauit, & deiecit, id est, vilem habuit, & profanam; & sacrificium iuge, quod quotidie in Dei honorem mactabatur, de templo sustulit. Id verò passus est Deus, non quia prohibere non posset; sed quia eo incommodo punire voluit populum rebellem, quique diuinis abutebatur beneficiis. Atque ideo additur propterea additum esse robur Antiocho contra iuge sacrificium, quia sic exigebant, clamabántque quotidie populi peccata. *Robur,* inquit, *datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata.*

35. Vers. 12. *Et prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur.*] Eò incumbent Antiochi conatus, vt sublata cum sacrificio diuina lege, & impia illius loco inducta religione, veritatem tolleret, & sanctitatem de terra. Quod sanè magna ex parte consecutus est, vt ex Machabæorum libris abundè constat.

36. *Et faciet, & prosperabitur.*] Quicquid tentauerit, prosperè succedet. Est autem vsitatum apud Hebræos, vt verba interdum adhibeantur pro aduerbiis; certè explicari debeant per aduerbia. Isai. cap. 6. *Conuertetur, & erit in ostensionem,* id est, iterum erit in ostensionem. Psal. 73. *Conuersi sunt, & tentauerunt,* id est, iterum tentauerunt. Deuter. 12. *Lætaberis, & reficieris,* id est, lætanter, & iucundè reficieris. Psal. 59. *Lætabor, & partibor,* id est, iucundè partibor. Sic modò *faciet, & prosperabitur,* id est, prosperè aget.

REGVLA. *Verba quadam explicanda per aduerbia.*

37. Hæc duo verba *faciet,* & *prosperabitur,* generis sunt fœminei עשתה והצליחה *asetbah ve asteliah.* quæ verba Maldonatus non putat ad Antiochum referri posse, cùm alterius sint generis. Refert autem ad אמת *emeth.* id est, ad veritatem, quæ generis est fœminei, in hunc sensum. Veritas ab Antiocho in terram deiecta, ibique conculcata, maiorem faciet fructum, magisque multiplicabitur: sicut de Martyrum sanguine dixit Tertullianus in Apologetico ad Gentes, cap. 49. ad finem. *Nec quicquam,* inquit, *proficit exquisitior quaque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum.* Quod item optima similitudine Theodoretus explicuit serm. 9. de Græcarum affect. curatione. *Martyrum interfectores similes sunt his, qui flammam quidem extinguere petunt, oleum pro aqua instillantes ardentiorem illam efficiunt. Quin potius sicut lignatoribus syluam cadentibus, multo plures pullulant propagines, à radicibus, quàm sint rami, qui inciduntur: ita tunc quoque piis compluribus interfectis, multo plures quotidie ad doctrinam Euangelicam accedebant.* Est sanè pia hæc cogitatio; sed, vt reor, minus vera. quod idem Propheta satis indicat statim vers. 24. vbi cùm eadem verba repeteret accommodata Antiocho, in genere posuit masculino: quare de eodem videtur explicandus vterque locus.

Martyrum sanguis quasi semen germinans martyres.

38. Alicui fortasse alia placeret explicatio, quæ aliquid habet firmamenti in Scripturæ sacræ consuetudine. Quæ masculino generi nomen adiectiuum, aut verbum accommodat fœmineum, cùm aliquid puerile, aut quod muliebrem infirmitatem olet, significare vult; aut illos, qui molli sunt animo, & parum strenuo ad virile opus, fœminas appellat. Quomodo Isai. cap. 3. de Principibus ignauis dicitur, *Mulieres dominatæ sunt eis.* Quod apud Latinos, & Græcos vsitatum. De his Homerus lib. 2. & iterum lib. 7. Æneid. Ἀχαιΐδας vocat, οὐκ Ἀχαιοὺς, id est, *Achiuas, non Achiuos.* Ex quo expressit Maro lib. 9. dum Troianis exprobrat languorem, & fœmineum metum. *O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.* Sic ergo Antiochus, vel Antichristus facere dicuntur, & prosperari, dum suis se motibus, & affectibus potius quàm recta ratione, atque consilio regunt, muliebri potius imbecillitate languent, quàm virili confirmantur constantia, aut opus aggrediuntur viro dignum. Neque enim viri dici debent, qui immoderatis animi motibus non resistunt, quantumuis in aliis rebus vel suscipiendis, vel superandis strenui esse videantur, si sibiipsis imperare, aut ab irrationali affectu erumpentes impetus cohibere non possunt.

Non est fatis qui alios sed qui seipsum vincit.

Viri imbelles fœminarum nomine notantur.

Hæc fortasse alicui non displicebunt; sed alia videtur mihi propria, atque germana ratio. Cornu, cui sine dubio conuenit illud, *faciet, & prosperabitur,* generis est fœminei apud Hebræos. Hebr. קרן *keren:* hoc verò nomen paulo antè præcesserat. Quare omnia verba ad hunc vsque locum generis sunt fœminei, quia cornu respiciunt, vt *magnificatum est, deiecit, conculcauit,* &c. Quia verò vers. 24. cornu positum non est; sed simpliciter Rex, ideo, *prosperabitur, & faciet,* in genere ponuntur masculino. 39.

Vers. 13. *Et audiui vnum de sanctis loquentem, & dixit vnus sanctus alteri nescio cui loquenti.*] In ea visione non solùm apparuere belluæ ad fluuium Vlai congressæ de summa imperij; sed etiam Angeli, à quibus Propheta didicit quid portenderet illa rerum species, sicut etiam capite præcedenti didicerat de quatuor belluis, in quibus totidem exprimebantur imperia. Pro *alteri nescio cui,* Heb. est פלמוני *palmoni,* quæ vox tunc vsurpari solet, quando sic de aliquo singulari loquimur, vt illius nomen proprium sileamus; quod Latinus diceret *talis, & talis,* Græci ὁ δεῖνα, Hispani *fulano, ozutano.* Iurisconsulti aliquid simile faciunt, dum, e.g. dicunt, *Titius, & Sempronius.* Pro *palmoni* frequenter adhibentur duæ aliæ voces פלני אלמוני *peloni almoni,* vt Ruth, cap. 4. vers. 1. & 1. Reg. 21. vers. 3. & 4. Reg. 6. vers. 8. Ex duabus autem hisce vocibus compositum videtur פלמוני, quod eundem habet vsum. Hîc porrò obseruandum Hispanicum nomen *fulano* deduci ab Hebraico פלני, sicut plurimæ aliæ voces ex Hebraico deriuantur fonte. Hieronymus in illud Matthæi cap. 26. *Ite in ciuitatem ad quendam, morem,* ait, *veteris Testamenti noua scriptura conseruat. Frequenter legimus, dixit ille illi (Hispanus diceret, dixo fulano a çutano) & in loco illo, & illo (Hispanus en tal o tal lugar) quod Hebraicè dicitur Peloni, & Almoni; & tamen personarum, locorúmque non ponitur nomen.* 40.

Fulano ab Hispanicum. de dictum.

Qui verò fuerint hi Angeli, obscurum est, Hebræi priorem Angelum, qui *alteri, nescio cui,* loquebatur, Gabrielē esse putant; quia cùm esset ex inferiori ordine, doceri à Michaele voluit, qui fuit ille alter, quo cum sermonem habuisse traditur. 41.

Nam

Nam Gabrielis opera doctum esse Prophetam, statim dicitur vers. 16. sed id est omnino incertum; illud verò certius receptum esse inter doctores Scholasticos ex Dionysio inferiores Angelos à superioribus illuminari, ac doceri. Quicquid tamen sit; neque enim quicquam auctores, hac de re definiunt, aut affirmant; certum est ex horum locutione hausisse Prophetam veram obscuræ huiusce visionis interpretationem.

42. *Vsque quo visio, & iuge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est?*] Hæc verba sunt inferioris Angeli, qui de futuro rerum statu, visionisque intelligentia à superiori illuminari studet. Cúmque alia omnia, quæ visio inuoluebat obscuriùs, nosse vellet; studiosiùs tamen scire cupiebat de iugi sacrificio sublato, & de profanato, ac conculcato templo. Ex quo coniectari licet Angelum illum esse, cui aut Iudaici populi, aut vrbis Solymitanæ, templique custodia commissa est: sicut in causa non admodum diuersa apud Zachariam cap. 1. v. 11. Angelus pro Iudaici populi salute laborabat.

43. Porrò *visio* hoc loco pro his quæ in visione sese Prophetæ obiecerant, vsurpatur, iuxta Scripturæ morem, quæ actionem frequenter adhibet pro actionis obiecto, siue termino, vt Physici loquuntur, quomodo *auditio* pro sermone, *laudatio*, seu *laus* pro re laudabili, *terror*, aut *timor* pro re timenda, sæpius occurrunt. Sic ergo hoc loco *visio* non significat propriè species illas, seu spectrum oblatum Prophetæ dormienti; sed interitus imperij Persici in ariete; & Græci exordium in hirco; & in cornu exiguo tum alia Antiochi opera, tum iuge sacrificium ablatum. Quare non dubitat, aut quærit Angelus, quandiu duratura repræsentatio, ac species; sed quandiu duratura cessatio sacrificij iugis, & templi deformati calamitas.

REGVLA. Actio pro obiecto, seu termino actionis.

44. De iugi sacrificio, quod sublatum est, & cur dicatur iuge, vide quæ diximus in nostris commentariis in Ezechielem cap. 46. num. 16. De hoc Numer. cap 28. *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: vnum offeretis manè, & alterum ad vesperam: decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, & habeat quartam partem hin. Holocaustum iuge est, quod obtulistis in monte Sinai in odorem suauissimum incensi Domino. Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in sanctuario Domini. Alterúmque agnum similiter offeretis ad vesperam iuxta omnem ritum sacrificij matutini, & libamentorum eius oblationem suauissimi odoris Domino.* Idem penè Exodi 29. dicebatur autem iuge sacrificium, quia singulis diebus offerebatur quod à tempore, in quo sacrificandi mos erat, sacrificium dicebatur matutinum, & vespertinum. Hoc ergo sacrificium simul cum aliis è templo sustulit Antiochus, de quo postea.

Iuge sacrificium quid.

45. *Et peccatum desolationis.*] Heb. *Et præuaricatio desolationis*, iuxta quam lectionem hæc videtur esse sententia. Vsquequo durabit peccatum, propter quod secuta est desolatio; aut certè desolatio propter peccatum inducta. Quod videtur ex eo confirmari posse quod suprà dictum est vers. 12. *Robur datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata.* Eò inclinant S. Thomas, Dionysius, Lyra, Maldonatus, Vatablus, sanctus Hieronymus, Theodoretus, & è Recentioribus Hugo, peccatum desolationis esse pu-

Desolationis peccatum quid.

A tant statuam Iouis Olympici, seu Græcanici, quam Antiochus in templo collocauit, lib. 1. Machab. cap. 1. v. 57. *Ædificauit Rex Antiochus abominandum Idolum desolationis super altare Dei.* Hoc autem idolum statuam esse Iouis docet Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 7. Idolum autem appellari *peccatum*, seu *delictum* satis constat. Vnde vituli aurei à Ieroboam excitati vocati sunt delictum Samariæ: & idola, quæ Iudæi excitarunt Ierem. cap. 17. peccati nomine notantur. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino.* Peccatum igitur desolationis vocari potuit idolum in templo desolato, atque nudato Antiochi tempore non tantùm à religione

B antiqua; sed etiam ab omnibus ornamentis, vt constat Machab. cap. 1. Hæc Hieronymi sententia vel propter auctoritatem patronorum, vel quia non aliena est ab historia, mihi valde probatur, licèt eo laboret incommodo, quòd statuæ illius nomen non præcesserit, neque videatur in oblata visione apparuisse. Quare non videbatur cur illius hoc loco aut reddenda ratio, aut facienda mentio. Et ob hanc causam explicatio prior mihi non displicebat.

Sanctuarium, & fortitudo conculcabitur.] Hæc à nobis explicata sunt vers. 9. & 10.

Vers. 14. *Et dixit ei, vsque ad vesperam, & manè dies duo millia trecenti, & mundabitur Sanctuarium.*] Respondet interrogatis superior, & 46.

C illuminator Angelus, tempúsque præfinit desolato sanctuario, & ablato iugi sacrificio. Hoc verò tempus est dierum bis mille, & trecentorum, id est, septem annorum, & dimidij. Non disputo, an hic anni solares dicendi sint, an lunares; neque multum refert hoc ne, an illo modo computes, cùm dierum numerus satis expressè ab Angelo notatus fuerit. Idem tempus habes lib. 1. Machab. expressum, licèt ibi exactè dies hi numerari, ac comprehendi non possit; quia in computandis annis pauci dies, immo & interdum aliquot menses præteriri solent. Sanè hoc tempus plus minus deprehenditur durasse templi abo-

Quandiu durauit templi abominatio ab Antiocho inducta.

D minatio Machab. lib. 1. cap. 1. v. 21. 22. 24. & cap. 4. v. 43. & 52. Priori namque loco Antiochus contaminasse dicitur templum anno Regni Græcorum, id est, Seleucidarum 143. posteriori verò purgatum esse templum, & suæ religioni, atque splendori restitutum à Machabæis anno 148. Cur verò tempus hoc non impleat totum illud 2300. dierum spatium, ea ratio videtur esse, quia plures fortasse fuere dies, quæ in computandis annis præteriri solent; aut quia tempus illud ad mortem vsque Antiochi producitur, quo viuo non videbatur restituta pax rebus, atque ideo nondum in templo profanato pacata religionis

E restitutæ possessio. Sic visum est Serario in Harmonia, cap. 1. Machab. cap. 6. v. 95. vbi de hac computatione latissimè. Quam sententiam indicant, qui in *vespere* tribulationis initium; in *manè* primam pacis, & libertatis lucem intelligunt. Tenebras autem pro afflictione sumi; & lucem pro tranquillitate, ac felice sorte, nemo est qui ignorat: quod expressit Dauid Psalm. 29. *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Huius sententiæ est Theodoretus. Tunc verò dies comprehensi sunt inter illud tempus quo cœpit, & illud quo desint Antiochi vexatio. Accipe verba Hieronymi in hunc locum. *Legamus*

gamus, inquit, *Machabaeorum libros*, & *Iosephi historiam*, *ibique scriptum reperiemus centesimo quadragesimo tertio anno a Seleuco, (qui primus regnauit in Syria post Alexandrum) ingressum Antiochum Hierosolymam vniuersa vastasse, reuersúmque anno tertio in templo posuisse statuam Iouis. Et vsque ad Iudam Machabaeum, id est, vsque ad annum centesimum quadragesimum octauum per annos vastitatis Ierusalem sex; contaminationis autem templi tres, duo millia trecentos dies completos, post quos templum purgatum est.*

47. *Vsque ad vesperum, & manè dies*, &c.] In Hebraeo non est *dies*, neque in quibusdam Latinis editionibus; sed optimè vulgatus adhibuit, vt explicaret quid sit *vesper*, & *mane*, spatium videlicet illud viginti quatuor horarum, quod manè & vesper, id est, dies, nóxque conficiunt. Hic porrò dicendi modus naturalis diei optima circumscriptio est, quam iam antea indicarat Moyses Gen. 1. cùm dixit, *Factum est vespere, & manè dies vnus.* Quare sensus est; postquam nox, ac dies bis mille, & trecentos reditus, conuersionésve confecerint, restituetur templo sanctitas, ac sacrificium iuge. Ponitur autem *vesper* ante *diem*, quia eo ordine Gen. 1. in sua constitutione locata sunt: neque id sine causa, cùm nox, & tenebrae lucem & diem antecesserint. Quidam ideo putant vesperum numerari priùs, quia Hebraeorum dies ab ineunte nocte, seu à vespere incipiunt, quae optima videretur ratio, si vera. Ego probabilius censeo cum sole apud Hebraeos oriri diem, quod pluribus ostendi in commentariis super Acta cap. 12. num. 10.

Dies apud Hebraeos ab ortu incipiunt.

48. Vers. 15. *Ecce stetit in conspectu meo quasi species viri.*] Cùm speciem videret, & in eius contemplatione defixus intelligentiá captaret Propheta, astitit species quaedam, quae virum referebat, quae sese opportunè propheticis oculis opposuit. Ex Hebraeorum sententia vir iste, aut qui viri praeseferebat speciem, Gabriel fuit, cuius nomen statim auditur versu sequente: sicut alius qui statim apparuisse dicitur in flumine Vlai, ex Hebraeorum sententia Michael fuisse existimatur. Ita vt Gabriel in humana specie coram Daniele constiterit, & ad eum clamauerit Michael è flumine, iusseritque vt Danielem de rerum, quas in visione conspexerat, portento doceret. Cur verò hoc loco Gabriel appareat, séque Danieli doctorem praebeat, docet hîc Hieronymus. *Quoniam*, inquit, *de praeliis, regnique certaminibus, & regnorum successionibus haec erat visio, Gabriel, qui praepositus est praeliis, officio interpretandi visionem destinatur. Gabriel enim in linguam nostram vertitur fortitudo, vel robustus Dei. Vnde quo tempore nasciturus erat Dominus, & indicturus bellum daemonibus, ac de mundo triumphaturus, mittitur Gabriel ad Zachariam, & Mariam.* Sunt qui illum Angelum, qui virum referebat, quíque ante oculos constitit Danielis, Michaelem fuisse credunt. Ita Lyra, & interlinealis. Neque desunt, qui Christum esse dicant illum, qui in flumine apparuit; quíque Gabrieli iussit, vt Prophetae obscurum illud aenigma manifestaret; quasi iam praeluderet ad sumendam postea humanam naturam, in qua suas deinde inter homines delicias haberet. Ita Theodoretus, & Isidorus. Et vt Apostolos missurus erat postea ad euangelizandum, sic tunc Gabrielem ad reuelanda mysteria mitteret ad Prophetam. Postremum hoc Maldonatus negat. Sanè res est obscura, & admodum incertae coniecturae.

Gabriel cur Daniel apparuerit.

Vers. 16. *Et audiui vocem viri inter Vlai.*] Vir dicitur, quia speciem praeseferebat viri: neque infrequens est vt species, & signum nomen sibi vendicet rei, cuius est signum: neque semel Angeli vocantur viri. Quis sit iste vir, seu Angelus, diximus nuper. 49.

Gabriel fac intelligere istam visionem.] Ex hoc loco, aliisque similibus statuunt Theologi diuersos esse Angelorum ordines, quando aliis imperant alij; & mutuos esse inter se Angelorum sermones, quod sumpserunt ex Dionysio. 50.

Vers. 17. *Et venit, & stetit iuxta, vbi ego stabam; cúmque venisset pauens corrui.*] Viderat paulo antè Daniel speciem viri; procul tamen, atque ideo neque tam est turbatus, aut horrore concussus; vbi verò ad illius imperium, qui visus est in Eulaeo flumine, propiùs accessit, cohorruit Propheta, & è statu deiectus, decidit in terram pronus. 51.

In tempore finis complebitur visio.] Hebraicè לעת קץ החזון *le eth kes hechazon.* quod variè à variis vertitur. Ad verbum ex Hebraeo, *Ad tempus finis visionis.* Theodotio. *Adhuc autem in temporis finem visio.* quod nonnulli sic explicant, quod in visione oblatum est Danieli, id tempore à Deo definito fore complendum. Sic quidam ex Hebraeis quîbuscum Theodoretus ex parte consentit. Maldonatus hoc dicendi modo perbreue tempus indicari putat; frustrà enim adderetur illud *intellige*, si aliquid proponeretur quod longam exigeret moram, id enim non tam captaret, quàm remoueret intentionem. Ego his verbis longum existimo tempus significari: quasi Angelus sollicitum Prophetam, & tristem, rerum successum metuentem à metu, ac perturbatione liberet, quae communis est interpretum sententia. Ita Theodoretus, sanctus Thomas, Hugo, & Lyra cum interlineari. Et probat quod vers. 26. dicitur, *Tu autem visionem signa, quia post multos dies erit.* Et sanè ita accidit; quia quae in hac visione oblata sunt Prophetae, multis post illius mortem saeculis impleta sunt. Actum est enim de imperij Persici interitu, & Macedonici exordio, & tandem de Antiochi impietate, atque superbia; & praecipuè de Antiocho, cuius crudelitas, & ambitio, & in templum, & Sanctos intolerabilis audacia Danielis animum religiosum, & pium graui metu, atque dolore concusserat. A quo illum liberat Gabriel, dum longa post tempora complenda praedicit, quae tunc in imagine contemplabatur Daniel. Quare non sine causa illum attentum esse iubet, cùm suis ipsa oculis visurus non sit horribile illud spectaculum, cuius ipse in somnis imaginem viderat. 52.

Vers. 18. *Tetigit me, & statuit me in gradu meo.*] Cùm Angelus iam propior cum Daniele sermonem haberet, iterum stupefactus in terram cecidit (nam iam sese ex priori lapsu, ac stupore receperat) quem tetigit Angelus, prehensúmque manu, in statum, ex quo exanimatus ceciderat, illico restituit. Illud, *in gradu meo*, idem est quod supra pedes meos; nam stratus iacebat, sicut accidit Ezechieli cap. 2. v. 2. quem simili modo exanimem erexit, statuítque super pedes suos. 53.

Vers. 19.

54. Verſ. 19. *Ego oſtendam tibi, quæ futura ſunt in nouiſſimo maledictionis.*] Perturbarent Prophetæ animum non tam regnorum conuerſiones, & rerum viciſſitudines, quàm quod à cornu exiguo ſanctis, ac templo, iugíque ſacrificio proponebatur incommodum. Cùm ergo hac de re præcipuè laboraret Daniel, ab hoc angore, & metu illum eximit Angelus; & cùm vnum, aut alterum verbum fecerit de Perſarum, & Græcorum imperio, quod reliquum eſt capitis in cornu exigui, id eſt, Antiochi incredibili arrogantia, atque impietate declaranda conſumit. Illud enim eſt *nouiſſimum maledictionis*, id eſt, maledictio, ſeu execrabilis vexatio, quæ poſtremo loco in nocturna viſione oblata eſt. Pro *maledictione*, Heb. eſt. זעם *zaam*. quod iram ſignificat. Fuit autem extrema illa plaga à Domino Iudæorum populo inflicta per Antiochum.

Quoniam habet tempus finem ſuum.] Heb. *Quoniam tempori finis eſt.* Ac ſi dicat: huic tempori, ſeu huic calamitati ſuus à Domino præfinitus eſt modus.

55. Verſ. 20. *Aries, quem vidiſti habere cornua, Rex Medorum eſt, atque Perſarum.*] Iam incipit Gabriel explicare quid ſpecies illa nocturna portendat; & quo obiecta ſunt ordine, eodem prorſus ſingula declarat. In ariete ſignificari Perſicum imperium, cui etiam adiunctum eſt Medicum, docet hîc Angelus verbis expreſſis. Porrò non hîc tam Rex, aut imperator, quàm regnum, & imperium intelliguntur; vt eſt communis, & vera interpretum ſententia; & cùm ventum fuerit ad Græcorum imperium, id omnino neceſſariò dicendum eſt. Porrò duo cornua, quorum alterum altero robuſtius, Hieronymus, S. Thomas, & Rupertus lib. 8. de victoria verbi Dei, cap. 31. Comeſtor, Hugo, Lyra, Dionyſius, Maldonatus duos Reges eſſe putant, qui Principes fuerunt, & auctores Perſicæ Monarchiæ, Darius videlicet, & Cyrus, quorum alter altero fortior fuit, quia latiùs ſuum propagauit imperium; cùm tamen illius minus fuerit forte, atque illuſtre principium. Cùm autem plures alij fuerint imperij Perſici moderatores, & Reges, hi tamen duo propoſiti ſunt Prophetæ aut quia non longè pòſt futurus erat illis familiaris, & charus, aut quia, vt modò dicebamus, auctores futuri erant tantæ molis, & illis aſcribenda imperij tanti magnitudo. Non longè abit ab hac ſententia Theodoretus, qui in duobus cornibus duas familias intelligit: alteram Medicam à Dario; alteram Perſicam à Cyro propagatam. Hæc tamen Theodoreti cogitatio eo laborat incommodo, quòd quando Perſicum imperium ab Alexandro ſublatum, & extinctum eſt, ſublata quoque fuerat, & extincta Cyri familia. Neque præterea vllus ex Darij progenie in regno ſucceſſit: Darius enim Hiſtaſpes, qui poſt Cambyſem, & Magos regnum occupauit, ab vtriuſque familia alienus fuit. Et Darius, qui fuit ab Alexandro ſuperatus, ex antiqua imperatorum familia deriuatus non eſt, vt tradit Iuſtinus lib. 10. & Strabo lib. 10.

56. Alij duo cornua duo regna ſtatuunt Perſicum, & Medicum, quorum prius excelſius fuit, quia Cyrus Perſa longè, latéque diffudit imperij fines. Ita indicat Theodoretus, aA pertè Vatablus, & Pereira. Quæ ſententia mihi magis videtur cum hiſtorica narratione: nam, vt verſ. 7. vidimus, hircus; qui aut Alexandrum, aut Macedonicum referebat imperium, duo arietis cornua confregit: ſed tunc duo illi Principes in viuis non erant; immo nemo ex illorum poſteris obtinebat imperium: quare aliquid aliud ſpectabatur in cornibus, quod Græcorum potentia confringendum fuit. Fuerunt autem duo regna, quæ Perſici imperij fuerunt fundamenta, Perſicum videlicet, & Medicum; quæ fregit Alexander cum Dario congreſſus, qui vtrumque regnum, magnis tamen auctum incrementis moderabatur. Hæc mihi ſententia ita probatur, vt tamen ſuperior, quæ magis eſt communis, non improbetur.

57. Hic porrò aries ventilabat cornua contra Occidentem, Aquilonem, & Meridiem, quia in has partes victrices Perſarum acies irruperunt. Erupit enim aries ille typicus ex Perſide, id eſt, ex Orientali plaga, & conuerſus ad Meridiem Ægyptum, Æthiopiam, & Libyam aggreſſus eſt; versùs Septemtrionem Pontum, Scythiam, & Cappadociam bello tentauit: ad Occaſum Aſſyrios, Babylonios, & mediterranei maris inſulas obtinuit. Vbi Vulgatus *contra Occidentem*, Heb. eſt ימה *iamah*. id eſt, *contra mare*, quod nempe Græciam reſpicit, vbi Perſæ aliquot ſibi ſubiugarunt inſulas.

58. C Hîc ad extremum videndum, cur Perſicum imperium, quod capite præcedenti in vrſo, nunc in ariete deſcriptum ſit? De vrſo nihil hîc dico, quia ſatis dictum exiſtimo ſuo loco. De ariete ſic putat Theodoretus. Vt aries lana cornibúſque grauatus aliis præda eſt, & ad macellum rapitur, quaſi non ſibi, ſed aliis carnes, & lanam nutriat: ſic Perſæ ſuis grauati copiis, atque diuitiis neci dati ſunt. Rupertus ſuprà, Lyra, Dionyſius, & Pereira inde ſumptam eſſe ſimilitudinem arbitrantur, quia Perſæ benefici fuerunt, & mites in Iudæos, quos dimiſerunt in patriam non ſolùm liberos e iugo Babylonio, ſed multis ornatos beneficiis; qui pro templi fabrica, ſacrificio-D rum, ſacerdotúmque ſumptibus contulerunt plurima, cauerúntque ſedulò, ne quid à vicinis populis detrimenti caperent. Vide Eſdram lib. 1. cap. 1. & cap. 6. & 7. vbi apparet Perſarum in Iudæos ſtudium, & ad rem illorum ſacram eximia liberalitas. Quàm autem liberaliter, atque amanter Aſſuerus ſub Eſtheris, & Mardochæi tempus, Iudæos ſit amplexus, ſatis eſt compertum. Hæc mihi ratio probabilior eſt; & eo magis, quòd reſpectu ad rem Iudaicam quatuor orbis imperia varias aſſumpſerunt ſpecies, & figuras, vt diximus in noſtris commentariis ſuper Zachar. cap. 6. vbi pro eo quod variè imperia in Iudæorum genus affecta ſunt, variis etiam equi, qui im-E periorum mores, & ingenium referebant, notabantur coloribus.

Perſicū imperium in vrſo, & ariete expreſſum.

Perſæ in Iudæos benefici.

59. Verſ. 21. *Porrò hircus caprarum Rex Græcorum eſt.*] Hoc etiam loco non tam de Græcorum Rege, quàm regno præcipuus ſermo eſt vt conſtat; quia in hirco, qui ſemper idem eſt, modò vnum apparet cornu, modò quatuor, & tandem cornu quoddam exiguum: quæ quidem in regnum optimè, in Regem vnum nullo modo conueniunt. Tametſi nonnulla præcipuè dicta de

de Alexandro, quia auctor ille, & conditor imperij Græcorum.

60. In hirco verò Græcum significatur imperium; tum quia hircus ariete fortior, eóque multo velocior, & sagacioris ingenij, acutiorísque visus, vnde Dorcades dicuntur capræ ab acie oculorum perspicaci: quibus rebus Persis longè præstant Græci. Tum quia hircus fœtidus est, adeò vt prouerbiali forma hircus pro graui odore frequenter vsurpetur. Neque aliud significat vox Hebraica, quæ Græcos, & Græciam afficit, quam hoc loco, & aliis adhibuit Daniel. יון *Iauen* enim quæ Græciam, lutum etiam, cœnúmque significat, quod non minus grauem, & molestum odorem, quàm hircus aspirat. Est item hircus libidinosus, & salax, quo vitio laborat, & audit pessimè Græcorum genus.

Cur hircus Græcorum symbolum.

61. Quæ primo loco dicuntur de Græcorum imperio, Alexandrum spectant, quòd scilicet hircus dicatur caprarum, id est, adhuc tener (id enim significat illud dicendi genus, vt paulo antè diximus.) Ille enim cùm adhuc esset iuuenis, bellũ Persicum & tentauit audacter, & absoluit feliciter. Ille non tangebat terram, quia incredibili celeritate ferebatur: ille tunc in vno cornu significatur, quod hircus inter oculos insigne gerebat, neque enim vnquam, nisi sub Alexandro Græcia vnum tantùm habuit imperatorem: ille denique arietem strauit, conculcauítque, & geminum illius cornu confregit. Et hoc ipsum docet Angelus, cùm dixit cornu illud grande, illum esse Regem, qui primus omnium imperij Græci potitus est. Et quidem si vllus fuit inter Græcos, qui audaciam, & pernicitatem hircorum imitaretur, sanè Alexander fuit. Vt enim hircus ad ardua nititur montium, & prærupta fastigia; neque casum timet, modò idonei pabuli aliqua se ostentet commoditas; quare nonnunquam pendere videtur ex rupibus; neque vestigio niti: sic Alexander neque prærupta horruit saxa, modò ad rem gerendam illinc se afferret opportuna commoditas; & viam interdum tentauit, & aperuit, quam hircus fortasse haberet inaccessam. Multa in eam sententiam adduci possent exempla, à quibus abstineo: satis ea de re qui de rebus gestis Alexandri historiam texuerunt. Illud hic non omittendum hanc Danielis prophetiam oblatam esse à Iaddo Pontifice Alexandro, cùm ingressus esset Hierosolymam, biennio antequam superato Dario imperium ad Persas transtulisset; quæ spiritus magnos addidit Alexandro: & ideo Pontificem, & templum magnis ornauit beneficiis. Vide Iosephum lib. 11. Antiq. cap. 8.

Alexander hirco simillimus.

Neque prætereа silentio prætereundum ex huius, vt credo, loci ignoratione Alexandrum à quibusdam, qui parum in lectione sacra versati sunt, appellatum esse *Alcarnaim*, id est, arietem bicornem; quod nomen magis in Persicum imperium, aut Persarum Reges conueniebat. Cùm enim quidam Græci imperij annos non à Seleuco Syriæ Rege; sed ab Alexandro ducerent (contrà quàm in Machabæorum libris fecerunt Hebræi) in quibus sunt Syro-Græci, atque Antiocheni, & Arabes, æra illa, aut annorum series Alexandri vocatur *Ailcarnaim*; immò ipse Alexander, vt ex Alphragano, & Hassa Sarraceno constat, vocatus est *Dilcarnaim*, id est, bicornis, seu habens duo cornua. Qua illi ratione ducantur non laboro; ego ex ignoratione puto hoc nomen datum Alexandro.

Alexander cur dictus Ailcarnaim.

Vers. 22. *Quòd autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo, quatuor Reges de Gente eius consurgent.*] 62.
Mortuus est Alexander ætate adhuc florente, cùm nondum annos impleuisset 33. Ita Cicero Philippica 5. *Alexander Macedo, cùm ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, tertio ac trigesimo anno mortem obiit.* Hieronymus in caput 11. Danielis triginta duos annos illi tribuit; omisit tamen aliquot menses, qui tamen trigesimum tertium annum non implebant. En quot spes præcidit, quos spiritus extinxit tam immatura, atque inopinata mors. Post debellatos Reges, lustratum orbem non tam passibus, quàm victoriis; post silentium inductum orbi toti; post bellicos strepitus; post diuinam appellationem in medio ætatis ac victoriarum cursu mortuus est; & eo mortis genere, quod maximè insidiatur potentiorum vitæ, & à quo sibi Reges magnopere cauendum putant; sublatus enim est veneno, vt est omnium penè scriptorum testata memoria. De quo est illud Iuuenalis Satyr. 10.

Alexander qua ætate mortuus.

Principum vita insidiis proposita.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis,
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Vt Gyaræ clausus scopulis, paruáq; Seripho.
Cùm tamen à figulis munitam intrauerit vrbem,
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula!

Libet hîc adscribere Tullianum illud de Crasso lib. 3. de oratore. *O fallacem hominum spem, fragilémque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt: & ante in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt.*

Cornu illo insigni confracto, surrexerunt eius loco quatuor; non quòd illi solum imperium susceperint ab Alexandro relictum, nam in duodecim Reges, seu duces distributum est, vt docent, qui Alexandri gesta scriptis prodiderunt. Vide Paulum Orosium lib. 3. cap. 23. & Iustinum lib. 3. Dicuntur tamen quatuor fuisse Alexandri successores, quia octo alij breui fuerunt à regio gradu, ac nomine depulsi, aut eò redacti, vt illorum nomen in posterorum memoria conseruatum cum dignitate non fuerit. De quibus nos statim nonnihil afferemus. Illi verò quatuor, quorum nomen illustrius, & animi constantia imperio visa non indigna, fuerunt Seleucus Nicanor, qui Syriam, Babylonem, ac Persidem, Philippus Aridæus qui Macedoniam, Antigonus qui Asiam, Ptolomæus qui Ægyptum occuparunt. Hi porrò, vt habes suprà vers. 8. per quatuor ventos distributi sunt, quia regnum in quatuor orbis plagas diuiserunt. Seleucus enim in Oriente; in Occidente Philippus; in Aquilone Antigonus; Ptolomæus in Meridie regnarunt. Hi verò de Gente eius, id est, Alexandri, surrecturi dicuntur, quia Græci fuerunt omnes, & fortasse genere coniuncti. Sanè illi familiariter cum ipso vixerant, iisdem assuefacti studiis, eisdem disciplinis instituti. Sic enim de illis lib. 1. Machab. cap. 1. *Vocauit (Alexander) pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuuentute, & diuisit illis regnum suum.* 63.

Alexandro qui successerunt.

Sed non in fortitudine eius.] Id est, non fuerunt Alexandro fortitudine pares, licèt illi in rebus 64.

rebus bellicis tractandis strenui. Illud *in*, sicut alibi in Scriptura sæpe, hoc loco idem est quod *secundum*, vel *iuxta*, quomodo quidam, & meo iudicio optimè, exponunt illud Psal. 110. v.2. *Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates eius.* id est, iuxta omnia quæ voluit. Ioan.3. v.21: *Vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Sic illa familiaria, *Dilectus in Domino*, *gratiarum actiones in Domino*, & similia. Quare *non in fortitudine eius*, idem est quod non secundùm illius fortitudinem.

65. Vers.23. *Et post regnum eorum cùm creuerint iniquitates, consurget Rex impudens facie.*] Agit iam de cornu paruo, de quo vers. 9. in quo exprimebatur Antiochus, qui res Iudaicas vehementer afflixit; de quo multa postea. Postquam ergo Reges isti quatuor diu dominati fuerint, centum videlicet, ac triginta septem annos (nam vt habes lib. 1. Machab. cap. 1. regnauit Antiochus in anno centesimo trigesimo septimo Græcorum) *consurget Rex impudens*, &c. Successit hic Antiochus Seleuco, quem diximus nuper, Alexandro sublato, tenuisse Syriam, Babylonem, & Persidem, postquam sex alij Reges interiecti eidem regno præfuerunt. Ab hoc porrò Seleuco, qui ab Alexandro primus accepit imperium, numerantur in Machabæorum libris anni Græcorum, qui etiam dicuntur Seleucidarum anni. Ita Iosephus lib.12. cap.7. lib.13. cap.10. Hieronymus in Dan. cap. 9. Eusebius in Chronico. Obtinuit autem Seleucus suum in Asia regnum anno post Alexandri mortem duodecimo, vt docet Eusebius de demonstr. lib.8. cap. 2. Obtinuit ergo Antiochus Epiphanes regnum anno Seleucidarum 137. anno verò ab Alexandro mortuo, id est, ab eo tempore, quo Reges illi quatuor regnum inierunt 149. De his porrò Regibus, qui successerunt Alexandro ad tempus vsque Antiochi, nihil præterea oblatum est Prophetæ, quia ab illis neque vexata valde fuit, aut ornata res Iudaica.

Anni Seleucidarũ.

66. *Cùm creuerint iniquitates*] Quia tota hæc prophetia de Antiocho eò spectat, vt Iudaici populi ostendatur futura calamitas; illius causa nunc ab Angelo Danieli proponitur. Ea verò fuit peccatorum magnitudo, quæ diuinam instimularunt iram, vt pestem, seu flagellum illud grassari pateretur atrociter in genus, populúmque Iudaicum. Sunt ergo peccata Iudæorum, quæ in libris Machabæorum audimus, libro præsertim primo, cap. 1. & lib. 2. cap. 4. Audi quid de peccatis Iudæorum, antequam ad Iudæorum fines appelleret Antiochus, sacra narret historia, lib. 1. Machab. cap. 1. *In diebus illis* (quando nempe anno Græcorum 137. regnum iniit Antiochus) *exierunt ex Israel filij iniqui, & suaserunt multis, dicentes: Eamus, & disponamus testamentum cum Gentibus, quæ circa nos sunt; quia ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. Et destinauerunt aliqui de populo, & abierunt ad Regem; & dedit illis potestatem, vt facerent iustitiam Gentium. Et ædificarunt Gymnasium in Hierosolymis secundùm leges nationum: & fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt nationibus, & venundati sunt, vt facerent malum.* Hæc porrò peccata populi Antiochi præcesserunt appulsum. Cùm enim regnare cœpisset anno Seleucidarum, seu Græcorum centesimo trigesimo septimo, 1. Machab.

Iudæorum peccata, quæ Deus per Antiochum punivit.

A 11. v. 11. non tamen venit in Iudæi fines, nisi postquam percussit Ægyptum, anno videlicet Græcorum 143. ibid. vers. 13.

Vbi vulgatus *cum creuerint iniquitates*, Theodotion vertit πληρουμένων τῶν ἁμαρτιῶν, id est, *impletis iam peccatis*, seu *impleta peccatorum mensura*. Quasi Deus se ab inferenda illa plaga sustinuerit, donec ad certum cumulum Iudæorum peccata peruenirent, quomodo non priùs ex suis finibus Amorrhæus exegit, quàm ad cumulum ante præuisum illorum peccata forent progressa. Gen. 15. v. 16. *Generatione quarta reuertentur huc: necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.* In B quam sententiam multa, & grauiter Patres. Vide Cyrillum Alexandrinum in illud Zachar. 5. *Et misit massam plumbeam in os eius.* Et iterum in illud Isai. cap.1. *Populo graui iniquitate.* vbi etiam Basilius; sed omnium clarissimè, ac grauissimè Augustinus de vita Christiana, cap.4. *Esse*, inquit, *certum peccatorum modum, atque mensuram Dei ipsius testimonio comprobatur: & quia vnusquisque celerius, vel tardiùs, prout peccatorum suorum modum expleuerit, iudicetur, euidentissimè demonstratur.* Quod postquam aliquot Scripturæ testimoniis, & exemplis confirmauit, subiicit, *Quo exemplo manifestissimè instruimur, & docemur singulos secundùm* C *peccatorum suorum plenitudinem consummari, & tamdiu vt conuertantur sustineri, quamdiu cumulum suorum non habuerint delictorum consummatum.* In hunc sensum accipit Theodoretus. *Quando*, inquit, *ad summam impietatem peruenerint, & vltra meæ diutinæ lenitatis terminos deliquerint.* Quæ explicatio grauis, neque, credo, aliena.

67. *Deus expectat, vt puniat certam peccatorum mensuram.*

Consurget Rex impudens.] Heb. עז פנים *az panim*, id est, *fortis faciei*, quod Latinus explicare solet per *os durum*. Vocat autem hominem *oris duri* illum qui omnino frontem perfricuit, & pudorem abiecit, qui neque Deum timet, neque homines reueretur, qui paratus est quidvis in aliorum oculis turpe aut facere, aut pa- D ti, neque curat quid alij de se aut sentiant, aut loquantur. Quàm fuerit Antiochus iste audaci animo, aut impudente vultu, docuit Hieronymus in Dan. cap.11. *Luxuriosus*, inquit, *fuisse dicitur, & in tantum dedecus per stupra, & corruptelas venisse regiæ dignitatis, vt mimis quoque, & scortis publicè iungeretur, & libidinem suam populo præsente compleret.*

68. *Antiochus impudens.*

Et intelligens propositiones.] Vbi vulgatus *propositiones*, Heb. est חידות *chidoth*, quæ vox parabolas, ænigmata, & verborum quædam implexa integumenta significat, quicquid denique aliquo artificio celatum est. Et quidem prudentis est, ac sagacis ingenij ea penetra- E re, atque introspicere, quæ callida ab aliis, atque astuta simulatione teguntur. De sapiente dicitur Prouerb.1. v. 6. *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam, & interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum.* His igitur verbis callidum Antiochi, & solers indicatur ingenium, quo sua tegere consilia, eísque inducere speciosum honestatis fucum possit, & versutas aliorum cogitationes euoluere, & occultos euentus multo antè præsagire. Quod si impudens est, & callidus, ita vt ad quæcunque patranda consilia fraudulenta non desint; & ab his suscipiendis non retardet ingenuus pudor,

69. *Antiochus astutus, & callidus.*

dor, neque præterea desit ad nocẽdum potestas; quid inhonesti, ac barbari à tam crudeli, ac effrenata bellua non metuas? Quid non credas ab illa aut agitari mente, aut tentari viribus?

70. Alij illud *intelligens* cum duplici actione interpretantur, qualem habent communiter actiua verba in coniugatione hiphil. In hunc sensum. Quia hic ad vniuersa, quæ de illo prædicta sunt, ad vnum implebit, efficiet, vt omnes euentu cognito, propositiones has obscuras, & implexas hasce parabolas intelligant. Ita putat Hugo, & Lyra; sed solutio minus est expedita; & prior magis communis, & soluta.

71. Vers. 28. *Et roborabitur fortitudo eius.*] Antiochus hic Epiphanes exiguus antè fuit, & sine vlla spe patrij regni possidendi, cùm fratrem haberet Seleucum ætate maiorem, cui patriæ leges, & antiquì mores regnum adiudicabant. Præterea obses fuit apud Romanos præstandæ fidei, quam pater eius magnus Antiochus à Romanis superatus obligarat: pòst verò regnum adeptus est, & adiunctis patrio regno prouinciis vehementer auctus. De his nunc parcè, quia postea cap. 11. plura necessariò dicenda sunt.

72. *Sed non in viribus suis.*] Addidit Deus vires Assyriis, & audaciam, vt Gentem Israelitidem in exilium abducerent, & populum Iudaicum magnis afficerent detrimentis, qui res præclaras, & arduas non suis viribus, sed alienis, nempe diuinis præstiterunt. Quare cùm suæ sibi potentiæ felices rerum euentus ascriberent, exprobrauit illis Deus stultam arrogantiam, dixitque illos instrumentum esse iners, & infirmum in potenti manu, à qua præclarum opus magis profectum est, quàm ab instrumento, à serra puta, vel securi. Isai. 10. v. 15. sic increpat Senacherib, qui elatus victoriis, quæ à Domino susceperat arma, in ipsum conuertere parabat. *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est.* Eodem modo Nabuchodonosor Dei confirmatus viribus, quem habuit inferendi belli auctorem, & ducem, rem strauit, atque concidit Solymitanam: sic etiam, quia id exigebant grauia Iudæorum peccata, vires addidit, & ingenium, permisitque vt pro sua voluntate res versaret Iudaicas, tanquam diuinæ seueritatis administer. Hæc est communis interpretum sententia, Theodoreti, S. Thomæ, Lyræ, Maldonati, & aliorum fermè omnium.

Deus hominibus etiam malis quasi instrumentis vtitur, ad punienda peccata.

Et suprà quàm credi potest vniuersa vastabat.] De his nobis cap. 11. agendum est pluribus, vbi de rebus Antiochi fusiùs agit, & explicatiùs Propheta.

73. *Et interficiet robustos.*] Robustos hic esse puto tum alios, quos superauit, ac subdidit Antiochus, quorum opibus, atque prouinciis suum propagauit, ac ornauit imperium, tum maximè Iudæos gentem robustam, quique post exilium suam iterum instaurarant rempublicam; & contrà nitentibus finitimis populis res arduas conatu perfecerant felici. Quam gentem Antiochus superare non posset, nisi ab irato Deo vires accepisset: & contrà Iudæi iam magis, quàm antea debiles forent ipsius potestati permissi.

74. Vers. 25. *Secundùm voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius.*] Hieronymus, Theodoretus, & plures alij interpretes, quibus subscribit Gregorius lib. 32. Moral. cap. 14. illud *secundùm voluntatem suam*, cum illo coniungunt, *interficiet robustos*, in hunc sensum: occidet pro suo arbitratu, ac voluntate robustissimum quemque, neque vllus erit, qui studium ipsius impediat, aut retardet. Alij ad sequentia referunt, nempe ad *dolum* in hanc sententiam: Aget ille fraudulenter, & dolosè, & quicquid insidiis aggredietur, & fraudibus succedet ex voto. Sic Hebræi, quæ sententia non improbatur Hugoni, Dionysio, & Lyræ, & tunc illud *&* ante *dirigetur* otiosum est; neque alium habet vsum, quam vt præteritum, cui adiungitur, in futurum conuertat. Sanè, vtcumque legas, nihil momenti est; est enim aut eadem, aut certè non admodum diuersa sententia.

Et cor suum magnificabit.] Non est cuiusuis prosperam ferre fortunam, quæ non minus hominum animos afficit, ac commouet, quàm aduersa; neque minus periculosè, ac stultè attollit spiritus, quàm aduersa debilitat, ac frangit. Successus continenter prosperi sic extulerunt spiritus Antiochi, vt cæteros præ se homines contemneret; immò vt Deo paria cogitaret, vt ipse fœda plaga percussus, & iamiam moriturus confessus est. *Iustum est*, inquit, *subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Sanè cùm illius ingenium nossent Samaritani, & aliorum acclamationibus edocti, Deum illum, & Saluatorem appellabant. Ita Iosephus lib. 12. cap. 7. Hoc est magnificare cor suum, & sibiipsi arrogare, aut oblata ab aliis non respuere, quæ in animum mortalem nullo modo conueniunt. 75.

Et in copia rerum omnium occidet plurimos.] Quàm impium, atque cruentum fuerit Antiochi regnum, habes ex libro 1. Machab. cap. 1. & lib. 2. à cap. 5. Quod facilè, ac tutò facere potuit, cùm rebus omnibus abundaret ad vim inferendam necessariis, neque mens deesset ad omne crudelitatis genus procliuis, neque consilium ad ea præstanda, quæ animo crudeli, ac barbaro designasset. Vbi vulgatus *in copia rerum*, Heb. est בשלוה *be salueh.* id est, *in pace.* Quod ex Hebræis quidam sic exponunt: *Multos insontes, & pacificos opprimes*: quod item putat Vatablus; sed prior expositio communior. 76.

Et contra Principem Principum consurget.] Contra Deum videlicet, quem suprà vers. 21. vocauit *Principem fortitudinis.* Id verò tunc fecit Antiochus cùm templum inuasit, & illius vasa, atque ornamenta diripuit, & sacris profanauit nefariis, ac sordidis; ac demum pro Deo se haberi, ac salutari voluit, vt nuper dicebamus. Ac tandem abominationem desolationis, & statuam Iouis Olympij in loco templi religiosissimo constituet. 77.

Et sine manu conteretur.] Quid sit sine manu conteri, non est difficile cognitu, nempe facile aliquem, ac sine alicuius opera perire. Sanè manum pro labore, atque negotio sumi, quia manus sunt operum, ac negotiorum administræ, res est satis aperta. Vnde sicut aliquid facili, aut nullo negotio; sic etiam facili, leui, aut nulla manu fieri dicitur. Vnde suprà cap. 2. lapis, qui statuam oblatam Nabuchodonosori deiecit, atque comminuit, abscissus esse dicitur sine manibus, id est, nullius opera è monte solutus. 78.

Sine manu fieri dicitur, quod à Deo fit, aut facili negotio.

De morte Antiochi habes 1. lib. Machab. c. 6. & lib. 2. cap. 9. vbi aliquot adducuntur causæ, quæ Regi videntur moriendi necessitatem attulisse 79.

Antiochi qualis mors.

lisse; sed non illæ satis essent graues, nisi ad extremum accessisset illa plaga, quæ fœdè illum, & miserè sine externa plaga, atque alieno vulnere confecit. Causæ verò hæ fuerunt: quia grauiter affectus est, cùm non illi successit ex voto profectio ad vrbem Elimaidem, quam spoliare maximis opibus, atque ornamentis studebat. Deinde multo grauiùs cùm accepit sua castra duce Lysia à Machabæis fuisse fugata. Item quia cùm ex Perside vindictę appetens Hierosolymam versùs currum agitaret, ex curru excussus, graui membrorũ collisione vexatus est. Deinde in languorem incidit, cœlesti illũ iudicio perurgente, hic illum morbus immissus à Domino confecit, non hominũ armata manus. Intus enim habuit vim quandam diram, & pestilentem, qua horrendum in modum miser extabuit. De quo sic lib. 2. Machab. cap. 9. *Qui vniuersa conspicit Dominus Deus Israël, percussit eum insanabili, & inuisibili plaga, &c. Apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta.* & paulo pòst, *Ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent: odore etiam illius, & fœtore exercitus grauaretur.*

80. Quæ sic à Deo sine externo, atque aspectabili hominum ministerio fiũt, sine manu fieri dicuntur. Quomodo Thren. cap. 4. v. 6. dicitur de Sodoma à Deo cœlesti incendio subuersa, *Et non ceperunt in ea manus.* Et probat lapis, de quo suprà, qui sine manibus dicitur excisus, vbi nihil ab hominum industria; sed à Dei omnipotenti manu facta sunt omnia.

Quæ dicantur sine manu fieri.

81. Editio Græca aliter legit, & applicat hunc locum; legit enim pro *conteretur* passiuè, actiuè *conteret*, ita vt quod de Antiochi sæuitia, & in agendo felicitate dixerat, nunc etiam continenti narratione pertexat in hunc modum: *Occidet plurimos, & facillimo negotio conteret.* Est tamen lectio valde diuersa. *Quasi oua manu ipsos conteret.* Qui dicendi modus planè prouerbialis, quo significamus summã in agendo facilitatem. Quæ fuerit huius translationis occasio, non video nisi admodum alienã: verba Hebraica omnino vulgati sensum continent.

Prouerb. Quasi oua conterere.

82. Hic obiter notandum, quod etiam obseruauimus in nostris commentariis super illud Zachariæ cap. 14. *Tabescet caro vniuscuiusque stantis super pedes suos.* Eos qui contra Deum, aut Ecclesiam aliquid audacter, atque impiè moliti sunt, hoc fermè morbi, atque mortis genere periisse. Computruerunt enim viuentes adhuc, & stantes super pedes, antè videlicet, quàm corpus exanime in sepulcro soluatur in saniem. Docuit hoc primus Ecclesiæ persecutor Herodes Agrippa, qui Actor. 12. expirasse traditur à vermibus cõsumptus, qui diuinos honores oblatos à timido, atque assentatore populo non repulit, sicut neque Antiochus; immò vt regius inflauerat fastus, expetiuit. Docuit item alter Herodes eodẽ morbi genere consumptus; de quo eadem propè, quæ de Antiocho Iosephus lib. 17. cap. 8. Quomodo Maximianus, & Maximinus à vermibus corrosi ignominiosam mortem obierunt, vide Eusebium de vita Constantini lib. 1. cap. 51. Nestorio impiam linguam ebullientibus extabuisse vermiculis, testis est Euagrius lib. 1. Histor. c. 7. Neque dissimilem habuit exitum Caluinus, vt in eius vita tradit Hieronymus Bolsecus cap. 22.

Qui contra Ecclesiã aliquid moliti, aut vermibus, aut fœda tabe consumpti.

83. Hic nobis paucis explorandum est, an locus iste de cornu modico, in quo Antiochum Epiphanem significari diximus, de Antichristo explicari aut debeat, aut possit, sicut capite præcedenti in alio cornu exiguo significatus est. Sanè ita putat Irenæus lib. 5. aduersùs Hæres. cap. 25. *Gabriel,* inquit, *Angelus exoluens eius* (nempe Danielis) *visionem, de hoc ipso Antichristo dicebat: Et in nouissimo regni ipsorũ exurget Rex improbus facie valde, & intelligens quæstiones.* Idem Origenes lib. 6. contra Celsum, *Quod autem,* ait, *Daniel de Antichristo vaticinatus est, diximus. Licebit autem volenti cuique prophetiam illam perlegere. Sic se habentem. Consurget Rex impudens facie, & intelligens propositiones.* Gregorius item lib. 26. Moral. cap. 15. *Hinc etiam de ipso eorum capite scriptum est, faciet & prosperabitur. Hinc rursus de eodem dicitur: Et dolus in manu eius dirigetur. In manu quippe Antichristi dolus dirigitur, quia hoc quod contra bonos proposuerit, implere temporaliter nulla aduersitate præpeditur.*

In hoc c. 8. nullus de Antichristo proprius sermo.

Alij de Antiocho simpliciter intelligunt. Hieronymus quorundam opinionem refert, qui quę hoc loco de Antiocho dicta sunt, illa de Antichristo typicè interpretantur, quorum ipse sententiam improbare videtur, & simpliciter putat de Antiocho fore interpretãda. Cui subscribunt Theodoretus, Anselmus, Laudunẽsis, Lyra, Dionysius, Hugo, Maldonatus, & plures alij. Sunt quidam qui hęc historicè de Antiocho capiunt; de Antichristo typicè, & in his sunt Gregorius lib. 32. Moral. cap. 14. Vatablus, Pereira. Et quidem Antiochus viua quædam imago fuit Antichristi: quare, vt cap. 11. dicemus, ab eius historia Daniel ad Antichristum transtulit vaticinium; & nos in nostris commentariis super Ezechielem cap. 38. & 39. Gog Antiochum esse diximus, & in eo Antichristi propositam imaginem. 84.

Ego cùm in Antiocho expressam videam effigiem Antichristi; tamen cum Hieronymo, & aliis quos nuper citauimus, nihil in hoc capite arbitror de illo à Daniele prædictum: neque spectasse aliquid præter imperiorum mutationem, & quæ contra Dei populum, templique religionem molitus est Antiochus. Neque video quid eorum, quæ hoc narrantur capite, in Antiochi mores, aut gesta non conueniant: aut quid nos debeat, aut possit cogere, vt hæc quæ optimè quadrant in Antiochum, ad Antichristi tempora, aut mores torqueamus. Si quis tamen aliter opinetur, non me ad suam cogitationem difficilem habebit propter magnorum Patrum auctoritatem; licèt existimem non tam historicum, quàm accommodatum adhibuisse sensum, dum in hoc capite Antichristum agnoscunt. 85.

Vers. 26. *Et visio vesperè, & manè quæ dicta est, vera est.*] Laborabat Propheta maximè in cognoscendo exiguo cornu, quod post alia quatuor in hircino capite pullulauit, quia vsque ad vesperam & manè per bis mille ac trecentos dies religioni, ac templo graue erat bellum, & detrimentum allaturum. De hoc igitur damno, eiúsque duratione, iterum Angelus Prophetam docet; déque rerum euentu securum, & certum esse iubet. De parte hac, quæ postrema fuit in nocturna visione, actum est suprà vers. 14. De hac solùm penè doctus est Propheta; & his postremis verbis omnino solùm, vt cum Theodoreto Vatablus, & Maldonatus putant. 86.

Tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit.] Signatum aliquid, & clausum dicimus, quod obscurum est, sicut Isaiæ cap. 29. vers. 11. obscura verba eo significandi modo significantur. *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas, dicent: Lege istum; & respõdebit:* 87.

Non possum, signatus est enim. Dum ergo iubetur Propheta obsignare visionem, id omnino indicat Angelus illam esse obscuram, perinde atque obscura sunt, quæ in obsignato continentur libro. Cur verò illa obsignata, id est, obscura sint, ea ratio redditur, quia præter obscura signa, quæ in illo spectro nocturno visa sunt, illud præterea accidit incommodi, quòd illorum euentus in longum tempus differútur. Quare, quia res ipsa, quæ quod obscurum, & implexum est, aperire, & explicare solet; non faciet oraculis fidem, nisi euentu ipso confirmetur, quod non fiet nisi longo iam exacto tempore: hinc fit vt ad longum vsque signanda sit, id est, non intelligenda visio. Ita penè Hieronymus, cuius alij sententiam aut sequuntur, aut indicant, dum dicunt aliis futuram visionem obscuram; vni verò Danieli cognitam, vtpote ab Angelo reuelatam.

Signantur aliqua, vt maiorē habeāt auctoritatem, & fidem.

88. Fortasse ideo signari iubetur visio, quia fides nullo modo deerit illius siue promissis, siue minis. Sigillum enim scriptis, aut promissis fidem conciliat, & quæ eo auctoramento, seu firmamento munita sunt, firma, atque indubitata existimantur. Quemadmodum quæ Rex suo signauit annulo, aut manu, regiæ auctoritatis nomen, & pondus habent. Et hæc cogitatio mihi ideo minus displicet, quòd cum his quæ proximè dicta sunt, aptè bellèque conueniūt. Dixerat enim Angelus, Dei sine dubio nomine, *visio vesperè, & manè quæ dicta est, vera est.* Consentaneè ad hanc veritatem, & fidem iubetur Propheta, vt quæ ad veritatem, & fidem confirmandam adhiberi solent, ipse quoque adducat, nempe vt sigillū addat, quasi diuinæ auctoramentum fidei. Et quia fides illa diuina est, quæ fallere non potest, ideo opinor, iuberi Prophetam diuinum adhibere sigillum; neque enim aliud incócussæ fidei pondus haberet vllum. Quod autem sit illud diuinum sigillum quasi futuri sine dubio successus firmamentum, & pignus, non est exploratu difficile. Ego verba illa puto, quibus Prophetæ significant diuinum esse oraculum; qualia sunt, *hoc est verbum Domini, hæc dicit Dominus*, & similia. Aut certè ea quibus Dominus sua præcepta consignat; vt est illud, *Ego Dominus*, quod sæpius diuino præcepto subscribitur, tum alibi sæpe, tum Leuit. cap. 19. sæpissimè. Nomen autem Dei sigillum est, & quasi firmamentum mandati, seu promissi. Sic Manasses in sua oratione, quæ est post lib. 2. Paralip. *Conclusisti abyssum, & signasti eam terribili, & laudabili nomine tuo.* Signat autem visionem suam Propheta, cùm illi subscribit, *Dicit Dominus*, aut præscribit, *Hæc dicit Dominus*, aut *Hoc est verbum Domini.*

Quod diuinum sigillū.

89. Hæc mihi neque inepta videntur, neque aliena; sed credo aliam esse sententiam, quam familiaris apud hunc Prophetam dicendi modus aut probat, aut indicat. Ita vt iubeat Dominus Prophetæ, vt scribat hæc, vt literis mandata, & consignata seruentur; non verò sua voce ad populum euulget; quia cùm populus, qui tunc erat in viuis, visurus non esset, non admodum intererat, illa vel signata esse, vel resignata, & aperta. Atque ideo addidit: *Quia post multos dies erit.* Neque tamen illa ita signata sunt, aut sacris mandata monumentis, vt ab his, penes quos sacri seruarentur annales, aut Prophetarum verba legi non possent. Hæc certè oracula legerat Iaddus Pontifex, qui, vt refert Iosephus lib. 11. Ant. cap. 8. ostendit Alexandro hoc Danielis oraculum, quo prædicebatur Persarum Regem ab

A Alexandro fore superandum.

Hanc porrò sententiam ideo mihi persuadeo; 90.
quia multa in Scriptura video signari iuberi, quia in dies plurimos rerū executio, & præsens fidei testimonium producitur: multa contra non signari; quia breui futurum est rerum prædictarum complementū; ita vt qui audituri sunt, ipsi etiam rerum euentum sint visuri. Sic Angelus ad Ioannem Apocal. cap. 22. *Ne signaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim propè est.* De his quæ longo pòst tempore futura, est illud item Danielis cap. 12. v. 4. cùm sermo esset de extremis sæculi temporibus. *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutū, plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.* Et ibid. vers. 9.
B *Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones vsque ad præfinitum tempus.* Hæc mihi expositio magis videtur soluta, quam ita probo, amplectórque, vt alias neque improbādas, neque respuendas putem.

Signātur illa, quæ longa post tempora futura.

Vers. 27. *Et ego Daniel lāgui, & ægrotaui per dies.*] 91.
Idem contigit Danieli, cùm similis illi obiiceretur species cap. 10. v. 8. *Non remansit*, inquit, *in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me: & emarcui, nec habui quicquam virium.* Sanè magnum est vidisse Angelos, & cum illis egisse familiariter; magnum spectare, licèt in vmbra, pati aliquid horribile, quos amamus; magnum conculcari sacra, profanari templa, & bellum religioni cruentum indici. Hæc omnia sic affecerūt pium
C Danielis animum, vt morbum inde per dies, vt ipse loquendi modus indicat, nōn paucos contraxerit.

Zelus morbum induxit.

Cùmque surrexissem, faciebam opera Regis.] Decubuerat in lecto Daniel, in lecto, inquam, eodem in quo dormiens speciem variam, & horribilem acceperat; neque ex eo tempore, quo hæc est intuitus, è lecto surrexit, donec se ex morbo, atque stupore recepit. Ex quo vbi primùm conualuit, ad illam occupationem rediit, quam ægrè à morbo affectus intermisit. Ex quo fit plusquam verisimile obijsse Danielem toto Euilmerodach, & Balthasaris tempore munus illud administrationis publicæ, cui à Nabuchodonosor præpositus fuerat supra cap. 2. v. 48. *Tunc Rex Danielem* 92.
D *in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei: & cōstituit eum Principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum Magistratuum super cunctos sapientes Babylonis.* Bonus igitur præfectus, vt fidelem suo muneri, ac Regi operam præstaret, simul atque ex morbo confirmatus est, nōn se otio tradidit inerti; sed labori se, ac curæ prouinciali restituit. Optimum sanè documentum iis, qui in magistratu sunt, rémque curant communem, ac publicam, quibus prior est publica, quàm priuata salus; grauior publica, quàm priuata commoditas.

Daniel vsque ad finē imperij Chaldaici in magistratu fuit.

Et stupebam ad visionem.] Sic erat graue, sic 93.
E horribile spectrum, vt inter publicas curas, quibus animus ad diuersa distractus, magnarū etiam perturbationum, ac sollicitudinum obliuisci solet; illius tamen memoriam non deponeret; in illo hæreret defixus: atque ille idem stupor, qui ægrum, atque sollicitum animum occupauerat, inter forenses strepitus permaneret. Neque perturbatio illa sic erat occulta, aut stupor in intimo animo repressus, vt non erūperet foras; adeò vt alij illum notare, atque obseruare potuerint.

Et nō erat qui interpretaretur.] Hic auctores hæ- 94.
rent, mirantúrque, & quærunt quomodo Propheta dicere potuerit verè non fuisse qui visio-

nem

nem interpretaretur, cùm iam hoc ipsum fecisset Gabriel, vt vidimus. Quidam hic multa considerant, & quæ significata sunt ab Angelo obscurè, vt vides, & inuolutè, & quæ adhuc implexa manent, & obscura; nomina videlicet illorum Regum, qui aut vincent, aut vincentur; aut qui ex hircino capite pullulabunt; quo tempore, ac loco illa gerentur, quæ in spectro viderat, & alia quæ has rerum vicissitudines comitatur. Et ideo putant dolere Prophetam, quòd hæc posteriora non intellexerit. Ita Hieronymus, Albertus, Hugo, Lyra, Dionysius, & glossa.

95. Alij hæc referunt ad languorem, & maciem, quam ex nocturna visione Propheta contraxerat; quæ videbant quidem alij, nemo tamen nouerat; neque vllus erat, qui stuporis, & morbi causam redderet. Ita Theodoretus & Maldonatus. Mihi posterior hæc sententia potior est, tum quia illa, quæ in illa visione explicata non fue-

A rant ab Angelo, non erant eiusmodi, vt magnopere commouere, ac perturbare debuerint animum Prophetæ; neque erat cur de illarum rerum cognitione laboraret: tum quia mirè quadrat cum explicatione, quam suprà adduxi prophetiæ signatæ. Diximus enim signari prophetiam tunc, cùm literis mandari iubetur, non ore proferri, quod Daniel à Domino per Angelum proximè mandatum acceperat. Cùm ergo explicare verbis non posset Daniel, quæ viderat; neque celare posset stuporem, qui apparebat in vultu, rogabant alij quid ægrè pateretur in animo, quod vultus præ se ferret; aut quid incederet attonito similis? Neque tamen erat qui in-
B terpretaretur occultam illam affectationem animi, cùm nemo, præter ipsum Danielem, nosset: neque ipsi Danieli integrum esset, ac liberum, prohibente Domino, illam doloris, aut stuporis causam aperire.

IN CAPVT NONVM.

ARGVMENTVM.

ANNO Darij primo, qui Persici Imperij primus auctor, & moderator fuit; memor Daniel illius Ieremiæ vaticinij, quod captiuo Iudæorum populo libertatem, & in patriam reditum promittebat; orat Dominum vt promissi memor, & sui nominis gloriæ, & populi sui commoditati prouideat. Instruit autem orationem eo artificio, ac religiosa eloquentia, vt ad flectendam Dei misericordiam, nihil videatur excogitari posse commodius. Agnoscit enim sua, populique peccata, eaque apertè, & ingenuè confitetur, affirmátque nihil se pati ita acerbum, & ignominiosum, vt non multo maiora subire debuerit: & quòd grauia, & nunc populus ferat, & antea pertulerit incommoda, non tam Dei indignationi, quàm peccatorum multitudini esse tribuendum. Hæc verò tam ardens, atque humilis oratio, tam fuit apud Dominum potens, vt statim ad illum legatus fuerit Gabriel, qui consolaretur ægrum Danielis animum, & de Christi seruatoris euentu, obitúque doceret. Addit ad extremum, quid pœnarum exigendum sit à Iudæorum Gente, quæ seruatori Christo impias manus, & cruentas iniecit.

CAPVT IX.

1. *IN anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum, qui imperauit super regnum Chaldæorum:*

2. *Anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam Prophetam, vt complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni.*

3. *Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis, sacco, & cinere.*

4. *Et oraui Dominum Deum meum, & confessus sum, & dixi: Obsecro Domine Deus magne*

PARAPHRASIS.

C 1. ANno primo Darij filij Astyagis, qui communi Medorum Regibus nomine Assuerus etiam vocabatur, primo, inquam, anno Darij, qui primus è suo genere Chaldæorum imperium occupauit.

2. Illo, inquam, anno, cùm ego Daniel in Hebræorum monumentis impletũ esse tempus comperissem Iudæorum captiuitati, & ciuitatis, ac templi desolationi definitum à Domino, & iam antè à Iere-
D mia Propheta prænunciatum.

3. Tunc verò studiosè, ac seriò in preces incubui, vt ea præstaret Dominus, quæ per Ieremiam antè promiserat; quam ad rem ad orationis contentionem, ieiunium quoque, saccum, & cinerem adhibui.

4. Oraturus igitur ad Dominum: & à diuinis laudibus auspicatus, sic exorsus sum:

magne & terribilis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua.

A sum: Obsecro Domine, quem omnis homo suspicere, ac venerari debet propter maiestatem, à cuius misericordia, & fidelitate sperare potest omnia, qui te diligit, quíque quod abs te præceptum est, obseruat, & amplectitur, nostris obsecro precibus, ac votis annue.

5. Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus: & declinauimus à mandatis tuis, ac iudiciis.

5. Si peccatorum humilis, dolénsque confessio offensum animũ ad lenitatem, & misericordiam inflectit, millies apud te peccata nostra confitemur. Peccauimus, ô
B Domine, iniquè viximus, ac flagitiosè, & longè ab omni pietate recessimus: quæ nobis præcepta tradidisti transgressi sumus: leges tuas, atque iudicia sceleratè prodidimus.

6. Non obediuimus seruis tuis Prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo Regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris, omníque populo terræ.

6. Contempsimus assiduas Prophetarum voces, per quas tu, ô Domine, ad Reges, & Principes nostros, & reliquum vulgus quotidie loquebaris; neque illorum oraculis, quæ tuo proponebantur nomine, obsecuti sumus.

7. Tibi Domine iustitia: nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Iuda, & habitatoribus Ierusalem, & omni Israël, his qui propè sunt, & his qui procul, in vniuersis terris ad quas eiecisti eos, propter iniquitates eorum, in quibus peccauerunt in te.

7. Omnia, Domine, consilia tua atque
C iudicia iustissima sunt, quare tibi ab omnibus vbicumque terrarum, siue, qui propè, siue longè, à Ierusalem habitare contigerit; propter peccata, quæ contra te legémque tuam admisimus, talis debetur ignominia, & pudor, qualem in præsentia patiuntur viri omnes de tribu Iuda, & de omni Israëlitica stirpe, quos variè in omnes mundi plagas dissipasti.

8. Domine nobis confusio faciei, Regibus nostris, Principibus nostris, & patribus nostris, qui peccauerunt.

8. Nobis iterum, ac sæpius, ô Domine, Regibus, Principibus, ac parentibus nostris, qui abs te peccando recesserũt, igno-
D minia debetur, & dedecus, quæ inuerecundam frontem pudefaciant, quod nunc ego coràm apertè profiteor.

9. Tibi autem Domino Deo nostro misericordia, & propitiatio, quia recessimus à te:

9. Tibi autem, ô Domine, summa debetur à misericordia, & propriatione laus. Si quid enim duriùs, aut ignominiosiùs à barbaro dominatu patimur, id non tam furori tuo, quàm peccatis nostris ascribimus; propter quæ supplicium longè grauius subeundum fuit.

10. Et non audiuimus vocem Domini Dei nostri, vt ambularemus in lege eius, quam posuit nobis per seruos suos Prophetas.

10. Aures etenim nostræ ad illius voces obduruerunt, neque ad legem, quam
E sæpe à Deo Prophetæ nobis proposuerunt, vitam nostram infirmare voluimus.

11. Et omnis Israël præuaricati sunt legem tuam, & declinauerunt ne audirent vocem tuã, & stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi serui Dei, quia peccauimus ei.

11. Omnis Israël impositã sibi legem violauit, & vocem tuam, neque ad aures quidem malè sanus admisit. Quare in seipsum aduocauit, quasi rupto aggere, aut sublato cataracte indignationis fluuium; aut execrabile maledictum, quod antè per Moysem peccatori populo minatus fueras. Quod magno nostro merito sustinemus, quia legem tuam præuaricando contempsimus.

12. Et statuit sermones suos, quos locutus est

12. Minas autem, & terrores, quos per Moysem

est super nos, & super principes nostros, qui iudicauerunt nos, vt superinduceret in nos magnum malum, quale nunquam fuit sub omni cælo, secundùm quòd factum est in Ierusalem.

A Moysem olim nobis denunciarat, quósque quasi in armamentario illuc vsque seruauerat, produxit in aciem, vt magnum illud malum antè prædictum in nos, Principésque nostros, inueheret. Talia infortunia, talem stragem subiit Hierosolyma; qualia nullum vidit tempus, neque vlla vnquam regio experta est.

13. *Sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum hoc venit super nos: & non rogauimus faciem tuam Domine Deus noster, vt reuerteremur ab iniquitatibus nostris, & cogitaremus veritatem tuam.*

13. Perfuncti omnino sumus omnibus detrimentis, ac plagis, quæ in lege nobis per Moysem imposita digesta sunt, cúmque tot essemus infortuniis attriti, tot cō- B cisi flagellis, non tamen ad te reuersi sumus, supplicésque vt nostra nobis peccata dimitteres, manus expandimus, neque mente induximus, vt in tuis siue promissis, siue minis veritatem, ac pondus esse putaremus.

14. *Et vigilauit Dominus super malitiam, & adduxit eā super nos: iustus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis, quæ fecit: non enim audiuimus vocem eius.*

14 Interim dum nos vanas esse credimus Domini minas, & dormire illum, neque nostra curare existimamus, ipse vigilabat, obseruabátque quid rerum à nobis fieret: & certum malitiæ nostræ supplicij pondus attemperabat. In decernendo ve- C rò, atque imponendo supplicio; atque in his omnibus, quæ in nostra causa cogitauit, & fecit, iustissimum se præbuit; æquissimè enim tot peccata nostra diuini iudicij seueritas mulctabat.

15. *Et nunc Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti in manu forti, & fecisti tibi nomen secundùm diem hāc: peccauimus, iniquitatem fecimus.*

15. Nunc ergo Deus talem te nobis exhibe, qualem olim in parentes nostros, quos ab Ægyptia seruitute liberasti, vbi tuæ virtutis illustrissimum dedisti documentum, & illud nomen consecutus es, quale nunc etiam, post tot hominum ætates admiramur. Peccauimus, fateor, ô D Domine, peccauimus.

16. *Domine in omnem iustitiam tuam: auertatur obsecro ira tua, & furor tuus, à ciuitate tua Ierusalem, & monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, & iniquitates patrum nostrorum, Ierusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum.*

16. Tu tamen, Domine, iuxta misericordiæ tuæ vim inexhaustam auerte quæso offensi animi iustissimas flammas à ciuitate tua Ierusalem, & à monte sancto, quem in tuum tibi domicilium elegisti. Nostra etenim, & parentum nostrorum iniquitas effecit, vt tam ciuitas, quàm populus tuus, à vicinis Gentibus contumeliis vexetur quotidianis, & assiduis laceretur opprobriis.

17. *Nunc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui, & preces eius: & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est propter temetipsum.*

17. Nunc ego, ô Domine, preces hasce E supplices, quas seruus tuus effundit, beneuolus exaudi, & faciem tuam quam à sanctuario indignatus auerteras, fac vt iam placatus, & benignus ad illud conuertas. Vide vt ille locus olim sanctus, & omni opere, atque studio hominum excultus desertus sit iam, & syluatum in modum efferatus, quod vt exorem abs te, Domine, non mea aut populi merita propono; sed mitissimam naturam tuam, & clemētiam infinitam obtestor; propter temetipsum igitur, ô Domine, hanc nobis indulgentiam impertire.

18. *In* 18. Ad

18. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi, aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & ciuitatem, super quam inuocatum est nomen tuum: neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuã, sed in miserationibus tuis multis.

A 18 Adhibe iam, Domine, clementes aures ad gementem, & supplicantem populum: aduerte oculos, & quo sit loco populi tui status, intuere. Respice Hierosolymæ ruinas, quas frutices efferant, & syluestres plantæ, vbi nomen tuum olim sæpe iteratis canticis audiebatur, vbi laus tua assiduè, ac religiosè personuit. Neque precibus nostris nostra merita ac sanctitas, sed tua clementia spiritum, atque fiduciam præbet.

19. Exaudi Domine, placare Domine: attende & fac: ne moreris propter temetipsum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem, & super populum tuum.

B 19. Ergo Domine, aures adhibe mites, & placatum animum. Fac vt abs te preces nostræ quod orant exorent, ne quæso spem nostram, & vota, diuturna mora, atque expectatione fatiges. Neque aliud obtendimus, dum tuam sollicitamus misericordiam, nisi teipsum, cuius est ad miserendum natura procliuis. Illud tamẽ oramus, subeat animum tuum, pro ea ciuitate, ac loco nos esse sollicitos, vbi nomen tuum communi hominum, ac religioso plausu celebratum est.

20. Cúmque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israël, & prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei.

C 20. Cúmque adhuc intẽtus essem orationi, ad Deúmque supplices, atque humiles effunderem preces: & mea, atque populi mei peccata cõfiterer, & pro monte sancto, euersóque templo apud Deum laborarem.

21. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini.

21. In ipso orationis ardore pernici quodam volatu astitit mihi Gabriel, quem in principio visionum meatum magistrum habuit sub noctis crepusculum, quo tempore vespertinus agnus immolari solet. Cuius attactu, quasi è profundo somno euigilare visus sum; & ad nouam aliquam illustrationem excitari.

22. Et docuit me, & locutus est mihi, dixítque: Daniel nunc egressus sum vt docerem te, & intelligeres.

D 22. Ille quod priùs antè fecerat, docuit me, & hunc in modum est affatus: Hoc ipso temporis momento egressus sum, ô Daniel, ad te, vt à me doctore maximarum rerum obscuros euentus intelligeres.

23. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animaduerte sermonem, & intellige visionem.

23. Licèt ex quo primùm orationem exorsus es, decretum esset à Deo, vt sermonem audires, quem ad te nunc legatus profero; nunc tamen à Deo cum his mandatis primùm egredior; tuam enim orationem, & ardens desideriũ ab effectu Deus vacuum esse noluit. Tu ergo animum ad E sermones meos aduerte; & visionis seu ænigmatis huius intelligentiam cape.

24. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur sanctus Sanctorum.

24. Intra septuaginta annorum hebdomadas, quę annos solares efficiunt quatercentum, & nonaginta: quod tẽpus pro rerum magnitudine breue est, instaurabitur ciuitas, & templũ; & adueniens Christus efficiet vt præuaricatio dissoluatur, exulet procul ab hominibus iniquitas, & quod diu dominatum est, peccatum intereat. Adducet autem legem, cui nulla deinde lex silentium indicet, & cum illa

25. Scito iusti

A iustitiam, quæ vt vera est, atque interna, sic etiam in æternum durabit. Hic implebit, quæ aut in visionibus oblata, aut alia quauis illustratione accepta, Prophetæ prædixerunt. Hic erit Messias, id est, vnctus inter sanctos sanctissimus, & sanctorum caput.

25. Scito ergo: & animaduerte: Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.

25. Hoc itaque tibi certò persuade, & septuaginta hebdomadum tempora, de quibus nuper, hunc in modum partire. Ab eo tempore, quo primùm facultas erit instaurandæ ciuitatis, & templi; ad templi ciuitatísque consummatam fabricam B septem erunt hebdomades; inde verò ad Christum doctorem, & ducem, id est, ad tempus vsque Baptismatis sexaginta duæ intercedent annorum hebdomades. Ædificabuntur autem muri ciuitatis, & quæ in illorum complexu continentur, plateæ videlicet, & ciuium habitacula, cum magna perturbatione, ac metu obstrepentibus vndique, & vrgentibus hostibus.

26. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.

26. Ab vrbe porrò iam instaurata, id C est, per annos quadraginta nouem, ex quo facta est ædificandi potestas; cùm aliæ sexaginta duæ hebdomades exactæ fuerint, occidetur, quem multa sæcula iam pridem expectant, Christus Dominus. Neque cladem effugiet populus, qui cùm ipsius sit, illum tamen sceleratè negaturus est. Neque enim execrabile facinus impunitum oportuit. Aderit autem, post completas hebdomadas septuaginta dux Romanus cum exercitu numeroso, ac forti, qui ciuitatem, & templum à fundamentis eruet, quorum talis erit desolatio, & D vastitas, vt nullum supersit superioris molis, aut gloriæ vestigium. Neque absoluto bello instaurabuntur ciuitatis ruinæ: nam eo finito perseuerabit tamen perpetua desolatio.

27. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis: & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.

27. In vltima autem hebdomada ex septuaginta, & in eius dimidio moriens Christus testamentum statuet, confirmabitque nouum, & abrogabit antiquum; deficient enim sacrificia, atque hostiæ. Erit autem in templo execrabilis abominatio, neque vllo tempore illius instaurabuntur ruinæ, aut cessabit vastitas.

Vers. 1. *In anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum.*]

1. HIc hærent interpretes, dum vident Darium istum Assueri filium appellari; cùm tamen Assuero fuerit antiquior; atque ideo variè nodum istum exoluunt. Plerique Assuerum nomen putant, esse commune Regum Medorum, quod mihi videtur omnino esse dicendum. Obseruo autem, REGVLA.

E quod ad rem propositam maximè facit, vsitatum esse, vt qui aut primi regnum condiderunt, aut illud reddiderunt illustrius, suum nomen posteris reliquisse; ita vt qui deinde successerint Reges, superiorum nominibus appellentur: sic Babylonij Reges appellati sunt Merodach; quia qui primus illud imperium aut tenuit,

Reges ab illis nomē sumunt, qui primi regna runt.

Merodach commune nomen Regibus Babylonis.

tenuit, aut amplificauit, sic est appellatus, vt pluribus ostendimus ad illud Isaiæ cap. 39. *Mi-*
2. *sit Merodach Baladam, filius Balada.* Vbi Merodach nomen diximus esse commune; Baladam proprium. Sicut lib. 4. Reg. filius Nabuchodonosor, nominatur Euilmerodach: vbi Euil proprium, Merodach commune diximus esse nomen. Sic quia ij, qui primùm ex Græcis post Alexandrum Syriæ regnum obtinuerunt, vocati sunt *Seleucus*, & *Antiochus*, iisdem nominibus deinde notati sunt, qui idem postea imperium tenuere; aliis tamen nominibus distincti, vt Seleucus Nicanor, Seleucus Philopater, Seleucus Callinicus, Seleucus Ceraunus; Antiochus Soter, Antiochus Theos, Antiochus Magnus, Antiochus Epiphanes. Sic primi Ægypti Reges ex Græcorum genere Ptolemæi vocati, aliis tamen notis inter se diuersi: alius enim dicebatur Lagi filius, alius Philadelphus, alius Euergetes, alius Philopater. Idem dicendum de Arabiæ Regibus, qui vocabantur Aretæ; & qui imperium tenuere Romanum, omnes à Cæsare Augusto vocati sunt Cæsares. Sic à Syluio qui Albam condidit, & in ea regnauit primus, omnes Albani Reges vocati sunt Syluij. Ita Liuius lib. 1. Decad. 1. *Syluius deinde regnat Ascanij filius casu quodam in syluis natus. Is Æneam Syluium creat: is deinde Latinum Syluium. Mansit Syluius postea omnibus cognomen, qui Alba regnarunt.* Parthorum Reges omnes à primo Rege vocati sunt *Arsaces*. Ita Iustinus lib. 41. ad finem, *Cuius memoriæ* (Arsacis) *hunc honorem Parthi tribuerunt, vt omnes exinde Reges suos Arsacis nomine nuncupent.* Armeniorum Reges Tigranes esse vocatos, tradit Alexander Neapolitanus: & omnes Reginæ Æthiopiæ vocatæ sunt Candacæ, vt tradit Strabo lib. 17. & Plin. lib. 6 cap. 29 Vide Seruium ad illud Virgilij lib. 6.

Ille (vides) pura iuuenis qui nititur hasta.

Et in illud lib. 12.

Murrhanum hic atauos, & auorum antiqua sonantem
Nomina.

Vbi multos nominat, qui nomen suis posterioribus Regibus fecere commune.

3. Sic puto eum qui primus omnium apud Medos dominatus est, vocatum esse Assuerum; seu, quod idem est, Artaxerxem. Quod mihi nominis ipsius etymologia persuadet; vbi enim vulgatus transfert *Assuerus, vel Artaxerxes*, Heb. seu veriùs Chaldaicè dicitur אחשורוש *Achasueros*, quod magnum caput, seu principem significat. Quod verò idem sit Assuerus, quod Artaxerxes, constat ex lib. 1. Esdræ cap. 4. & in historia Esther c. 11. c. 13. c. 16. Artaxerxem verò nomen esse commune, nemo, credo, inficiabitur, qui nouerit sic esse vocatos plurimos Persici imperij dominos, & peculiari aliqua notatione distinctos. Hinc dictus Artaxerxes Longimanus, Mnemon, Ochus. Et quod de *Artaxerxe* dictum, id etiam verum esse puto in *Xerxis* appellatione, quod item nomen commune fuisse arbitror; immò & idem esse nomen
4. quod *Artaxerxis*. Est enim vsitatum valde, vt è compositis nominibus, maxime cùm nomina sunt augusta, & nota, tollatur prior pars compositionis: quomodo qui est de tribu Beniamin, qui Beniaminita dici debuit, vir appellatur, seu filius Iemini: & qui millies dicitur Iechonias Ierem. cap. 22. in textu Hebraico, vt legit in commentariis Hieronymus, Chonias appellatur. Et Sacerdos magnus, qui Heliachim dicitur Iudith cap. 4. v. 5. & 11. idem cap. 15. v. 9. vocatur Ioachim: est autem Ioachim idem qui Iachim, vt indicat Iosephus lib. 12. Ant. c. 15. vbi Pontificem quendam maximum *Iacim* appellat. Sic Ram, & Salem dicuntur, quæ compositis nominibus dicuntur Abram, & Ierusalem. Sic ergo puto Xerxem idem esse quod Artaxerxem sublata priori parte compositionis. Plura nos hac de re in nostris commentariis in Ieremiam primo capite parum à principio. Adde quòd sicut Assuerus magnum Principem, seu magnum caput sonat, quod nomen magnis Principibus accommodatum est: sic etiam *Xerxes Artaxerxes*, & *Darius* aliquid simile significant; quare communia quoque nomina existimari possunt. De his Herodotus lib. 6. post medium. *Nostra*, inquit, *lingua pollent hæc nomina Darius, quod coërcitor: Xerxes quod bellator: Artaxerxes quod magnus bellator.* An Darius fuerit commune Regum nomen, dicemus postea.

Quare nihil aliud hîc à Propheta significari 5.
puto, quàm Darium hunc filium esse Regis Medorum, qui nomine communi, ac patrio dicebatur Artaxerxes, vt vocant Græci, seu Assuerus, vt vocatur a Chaldæis. Sed diceret aliquis, cur si Assuerus proprium nomen non est, hîc tanquã propria ponitur nota, vt ab aliis Regibus, qui idẽ postea nomen habuere, distingatur? Sed non est difficilis responsio. Nam, vt constat, alij qui Darij postea vocati sunt, aut nõ fuerunt Regis Medorum filij, aut eorum parentes, non tam Medorum dicebantur quàm Persarũ Reges. Quare non malè Darius iste ab aliis eiusdem nominis secernitur, dum vocatur *filius Assueri de semine Medorum.* Aut certè id dictum est iuxta Hebræorum idioma, qui cùm aliquem nominãt, eorum etiam parentes adscribunt, vt in Iudith, & Mardocheo, & omnibus ferme Prophetis apparet, quorum parentes in ipsorum librorum principiis audimus.

Maldonatus Assuerum nomen esse putat pro- 6.
prium, & Astyagem communem parentis Darij; & ex eo apparet aliqua veri species, quòd Darius hic in fine cap. 13. Astyages vocatur: quod perinde esse videtur, atque illum Regem esse Medorum. Sic autem Daniel v. 65. *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos: & suscepit Cyrus Perses regnum eius.* Sed huic coniecturæ sic videtur occurri posse non incommodè, ita vt statuamus Astyagẽ ibi sumi patronymicè pro Astyagis filio, quasi dicas *Astyagidem*, quod apud Hebræos millies occurrit. Sic Dauid ponitur pro ipsius nepote Roboã 3. Reg. c. 12. *Quæ nobis pars in Dauid? aut quæ hæreditas in filio Isai? vide domum tuam Dauid.* Sed tamẽ ibi sermo est de Roboã. Item Roboam ipse ponitur pro filio Abia 3. Reg. 15. Iterum Dauid pro Christo eius successore. Ieremias cap. 30. *Seruient Dauid Regi suo, quem suscitabo eis.* Eadem propè verba repetit Ezechiel cap. 34. Et apud profanos sunt exempla non pauca: plurima nobis suppeditat vnum Troianorum genus. Tros dicebatur, Teucer, & Dardanus Troiani generis parentes. illorum nepotes sine vlla mutatione dicuntur *Troes, Teucri*, *Dardani* patronymicè pro *Dardanidæ, Teucridæ, Troadæ.* Qua de re nos pluribus in nostris commentariis super Acta, cap. 7. Quare Astyages hoc loco non pro Darij parente, sed pro Dario ipso sumitur, quasi nomen sit patronymicum Astyagides.

Quod

Marginal notes: *Seleucus, & Antiochus Syriæ.* — *Ptolemæi Ægypti.* — *Arabiæ Aretæ.* — *Syluij Albæ.* — *Parthorum Arsaces.* — *Æthiopiæ Reginæ Cãdacæ.* — *Medorum Xerxes Artaxerxes Assuerus.* — *Artaxerxes idem qui Assuerus.* — REGVLA. *E nominibus compositis sæpe pars prior aufertur.* — *Artaxerxes & Darius quid significent.* — REGVLA. *Parentum nomina sine vlla mutatione patronymicè posita.*

Quod de *Xerxe*, atque *Artaxerxe* diximus, id quoque dici posse videbatur de *Dario*, quod nomen videtur esse Persarum Regibus commune: ex quo ab hoc Dario debellatum est Chaldæorum imperium, & translatum ad Persas. Hoc tamen longè minus verisimile, quia licèt alij vocati sint Darij, vt filius Histaspis, & Darius, qui vocatus est Melas, quem vicit Alexander Macedo, & in quo Persicum imperium extinctum est; tamen hi antequam summum illud nomen, & imperium inirent, Darij vocabantur. Illud certum plerosque Persarum imperatores vocatos esse *Xerxes, Artaxerxes*, & *Darios*, sicut Syriæ Reges vocati sunt *Seleuci, Antiochi*, atque *Demetrij*.

8. Huius sententiæ, quæ Assueri nomen, &, quod idem est, Artaxerxis Astyagi accommodant Medorum Regi, patroni sunt viri omnino magni. Sanè sic appellatum esse Astyagem, Darij Medi parentem, tenent cum Hieronymo Theodoretus, Iosephus; historia Scholastica, Lyra, Dionysius, & Beda. Huius rei duo habemus exempla in eadem propè regione, vbi Assuerus, id est, magnus Princeps, seu magnum caput obtinebat imperium. Nam licèt qui apud Medos dominabatur אחשורוש *Achasueros*, id ést, magnum dicebatur caput: sic etiam qui in Oriente regnat, Turcarum Princeps, *Magnus* dicitur *Dux* & qui nunc apud Persas שלטן *sultan*, quem nos vulgo *Soldan* dicimus, quæ vox Chaldaicè *principem*, aut *Dominum* valet: vnde dicitur *Soldan Sophi*, *Soldan Ismael*, id est, Princeps vocatus Ismael, vel Sophi. Sic etiam arbitror patrem Darij vocatum esse *Assuerum Astyagem*; & auum *Assuerum Cyaxarem*, & Cyri filium Cambysem apud Esdram lib. 1. cap. 4. *Assuerum Cambyssem*: nam de Cambysse eo loco sermonem esse communis est sententia. Hæc mihi in re adeò obscura dici posse videntur non improbabiliter; neque alia occurrit ratio, aut solutio commodior. Si quis aliud attulerit, quod magis studioso lectori satisfaciat, accipiemus libenter.

Assuerus cõmune nomẽ.

9. Vers. 2. *Anno vno regni eius.*] Cardinalia nomina sæpe apud Hebræos, pro ordinalibus adhiberi frequenter, nemo est qui nesciat: quomodo Genes. 1. dicitur, *Factúmque est manè, & vesperè dies vnus*. & Ioan. 2. *Vna Sabbatorum*, vbi vnus pro primo sumitur. Quare hoc loco Daniel nihil significat aliud, quàm quod antè dixerat, ac si diceret, *Anno primo Darij, anno, inquam, primo Regni eius*.

REGVLA. *Cardinalis numerus pro ordinali.*

10. *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam Prophetam, vt complerentur desolationis Ierusalem 70. anni.*] Audierãt, legerántque Iudæi apud Babylonios exules Ieremiæ verba, quibus illis post annos 70. salus à Deo promittebatur, & libertas; illaque vtpote communis voti prænuncia, & quasi libertatis interpositum pignus subinde apud se, & publicè in circulis, atque conuentibus vsurpabant: cúmque temporum momenta numerarét assiduè, quod faciunt, quibus res aliqua in votis, atque amoribus est, adesse tempus deprehendebant, quo ipsis esset laxanda captiuitas, & patria repetenda. Atque ideo cùm septuaginta annos à captiuitate exactos esse conspicerent; neque tamen patere sibi reditum in patriam, alij precibus agebant cum Deo, vt promissa compleret; alij fortasse, vt in numerosa plebe plerumque euenit, quòd non essent in patriam reuocati, querebantur. Studium quippe vehemens, & spes dilata plerumque in metum, & querelam erumpit. Ostendit hoc quidam ex prophanis in affectu simili, licèt in argumẽto maximè diuerso, secutus vt apparet, naturæ ipsius ductum, & imperium.

Tempora si numeres bene quæ numeramus amantes,
Non venit ante suum nostra querela diem.

Cùm ergo versaret sæpe Daniel Ieremiæ prophetias, quas Dei iussu scriptis mandarat, vt constat Ierem. cap. 30. inuenit impletum esse tempus à Deo captiuitati definitum. Illa porrò verba habemus cap. 25. vbi sic Ieremias, *Et erit vniuersa terra hæc in solitudinem, & in stuporem: & seruient omnes Gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis. Cúmque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super Regem Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus*, &c. Et cap. 29. *Cùm cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum.*

Hîc Talmudistæ errasse putant Danielem, cùm septuaginta annos impletos esse dicit, anno primo Darij, quasi numerari debuerint à tempore Ioacim, cùm affligi Iudæi cœperunt à Chaldæis, & inchoata captiuitas; & non potiùs à Sedeciæ anno vndecimo, quando omnino excisa fuit ciuitas, & templũ; & Iudaicæ Gentis cõpleta transmigratio. Item quia septuagesimo anno non tam dicuntur visitandi captiui, & in patriam reuocandi; quàm visitandi, id est, delendi Babylonij. Hoc verò cùm iam euentus ipse probauisset; illud tamen impletum non fuit, cùm Chaldæorum imperium deletum videamus à Persis; non tamen Iudaicum genus à seruitute liberum. Neque enim nunc oraret pro suorum libertate Propheta sub Dario iam rerum Chaldaicarum potito, si idem esset & Babylonis excidio, & Iudæorum libertati definitus dies. 11.

Hebræorum error de annis captiuitatis.

Sed hi multa, vt solent, & infantiliter peccant. Nõ enim vident in Scriptura sæpe ea dici facta, quæ cœpta sunt fieri, vt docuimus nos in cap. 1. Zachariæ, n. 68. & docet pluribus Ribera in cap. 2. Micheæ n. 60. Sanè Esdræ lib. 1. c. 1. & lib. 2. Paralip. cap. vltimo, impletus esse dicitur Ieremiæ sermo de septuaginta annorum captiuitate, quod tamen nullo modo verum esset, si ille annorum numerus à consummato vrbis excidio, id est, ab anno vndecimo Sedeciæ duceretur. Primus enim annus Cyri aut idem est qui Darij, aut certè primus post Darium. Nam, vt constans est omnium existimatio, post victos Babylonios vno tantùm anno Darius vixit, cui successit in imperio Cyrus. Cum Esdra igitur, & cum loco ex Paralipomeno citato pugnat apertè illa Hebræorum computatio. Cùm verò anno tertio, seu quarto Ioacim cœperit Iudæorum seruitus, & captiuitas, ab illa duci commodè potuit eiusdem captiuitatis ordo, & numerus. Vt enim diximus suprà, quæ incepta sunt, pro completis habentur, immò & completa esse dicuntur. Præter exempla, quæ Ribera adducit suprà, & nos in Zachariæ commentariis, adde illud Isaiæ cap. 8. vbi antequam puer sciat vocare patrem, & matrem, auferenda dicitur fortitudo Damasci & spolia Samariæ; cùm tamen illa eo tempore cœpta sint auferri; & Act. 2. completa dicitur dies quinquagesima, vt Græcus habet textus, nempe Pentecoste; cùm tamen dies ille foret inceptus: multo enim ante horam tertiã Spiritus sanctus descenderat, cùm hora tertia, quando obiecta est Apostolis ebrietas, iam illi foras prodiissent, & spectante atque admirante populo variis essent linguis concionati. Et Ieremiæ cap. 34. cùm sermo esset de anno septimo seruitutis inchoato; 12.

REGVLA. *Facta dicũtur, quæ fieri cœpta.*

tamẽ septimus ille annus completus esse dicitur. Vide quæ diximus in nostris cõmentariis in Ieremiã ad illud c.34. *Cùm cõpleti fuerint septem anni.*

13. Neque plus habet difficultatis, quod etiã opponunt, non esse idem tempus definitum Babylonis exitio, & Iudæorum libertati: quando extincto imperio Babylonico, adhuc tamen non erat laxata captiuitas. Laxata enim dici potuit iuxta ea, quæ proximè dicta sunt, cùm laxari cœpit; cùm nempe imperium translatum est ad Persas, à quibus facta est Iudæis redeundi potestas. Neque si vim verborum accuratiùs expendas, dicuntur captiui exactis septuaginta annis statim redituri; sed non plus septuaginta annis seruituri Regi Babylonis, nempe Nabuchodonosor, & eius posteris; quia post tempus illud definitum, non amplius illi futuri erãt in Babylonis dominatu. Aut post illud tempus fore visitandi: sunt autem visitati, cùm extincti sunt seueri domini, à quibus duriùs affecti fuerant Iudæi; & res ad illos translata, apud quos ipsi tranquillius agerent, & qui ad libertatem illorum propiùs, & clementer incumberent. Hoc verò visitari est à clementi Domino, & exulibus reditum, & captiuis libertatem ostendi. Cùm eò res spectaret tota, & impedimenta omnia ita tollerentur, vt res omnino videri potuerit ad exitum adducta.

Septuaginta anni captiuitatis quomodo intelligendi.

14. Maior videri posset difficultas ex illo Zachariæ cap.1. *Hic iam septuagesimus annus est.* Cùm enim hæc dicta fuerint à Zacharia anno secundo Darij filij Histaspis, id est, anno decimo nono post hoc tempus, quod à Daniele notatum est, videri alicui posset, annos decem, & nouem desiderari, donec septuaginta annorum spatium compleretur. Tractauimus nos hæc pluribus ad citatum Zachariæ locum in nostris Commentariis. Vbi diximus nouemdecim annos intercessisse inter captiuitatem primam sub Ioacim, & vltimam sub Sedecia, vbi excisa fuit ciuitas, & templum euersum. De priori egit hoc loco Daniel, à qua ad annum Darij Medi, siue Cyri interiecti fuerunt anni septuaginta: de posteriori Zacharias, quod ipse satis docet apertè, dum ait vers.12. *Vsquequo tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est.* Id est, ex quo euersa est ciuitas, & templum exustum iam septuaginta fluxerunt anni. Primo autem Nabuchodonosoris appulsu integra adhuc manserat ciuitas; neque quicquam fuerat detrimenti passa, præter hominum spoliorúmque iacturam, de quibus statim in principio Daniel. At pòst, sub Sedecia sic est vastata, vt nihil fuerit ex tam illustri mole reliquum præter vrbis, ac templi horribile quoddam, & immane bustum.

15. Vers.3. *Et posui faciem meam ad Dominũ Deum meum rogare, & deprecari in ieiuniis sacco, & cinere.*] Non dubitabat Propheta de oraculi diuini fide; sciebátque designato à Ieremia tempore futuram esse populi libertatem: orat nihilóminus, quod Sancti faciunt, & ab aliis faciendum esse docent; quia nesciunt, an absoluta sit, vel conditionata promissio; atque ideo impediri, retardarive possit hominum peccatis. Ita hîc Hieronymus, & Theodoretus. Adde quòd quædam à Deo sic prædestinantur, vt tamen hominum preces intercedant, quæ eadem exorent. Sic Gregorius lib.1. dialogi c.8. *Ea*, inquit, *quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur.* Idem penè Augustinus de Ecclesiasticis dogmatibus, c.56. & hîc Hieronymus.

Quædam à Domino sub ea conditione prædestinata, si intercedat oratio.

16. *Ponere faciem ad orandum*, nihil est aliud, quàm

A dare se in preces, & eò seriò & constanter incúbere. Quæ phrasis Hebræis familiaris est. Sic Ieremias cap. 42. *Si posueritis facies vestras, vt ingrediamini Ægyptum.* Quod aliter explicare solet Scriptura, dum dicit *firmare*, seu *offirmare faciem*; quod Hispanus ab Hebræis expressisse videtur, qui dum aliquem significat in aliquam curam, seu negotium intentum, hoc ferme explicat modo: *Puso en esto los ojos, o la mira.* Nisi mauis, quod mihi videtur non improbabile, *ponere faciem*, indicare consuetum, & quasi legitimum orandi modum, quem habuit Daniel, Vt enim vidimus cap.6. v.10. *Fenestris apertis in cœnaculo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, &*
B *adorabat, confitebatúrque coram Domino.* Posuit itaque faciem ad orandum, nempe conuersam in Ierusalem, vt antea solitus.

In ieiuniis, sacco, & cinere.] Est quidem oratio iustorum potentissima ad impetrandum, immò & extorquendum à Deo non inuito, quod ex ipsorum vsu futurum sit: & vbi ieiunium, saccus, & cinis, & alia corporum siue cruciamenta, siue detrimenta, ac sordes accesserint, multo potentior: tunc enim non sola, aut inermis; sed armata, ac stipata auxiliaribus copiis pugnat oratio. Quàm sit oratio fortis quam armat ieiuniũ, docuit Chrysost.homil.15.in Matth. *Oratio illa est fortis, quæ fit in spiritu humili, & corde tribulato. Spiri-* 17.
C *tum autem humilem, & cor tribulatum habere nõ potest, qui manducat, & bibit, & deliciis fruitur. Sicut neque miles sine armis est aliquid; neque arma sine milite: sic neque oratio sine ieiunio; nec ieiunium sine oratione.* Et idem hom.58.in cap.17.Mat. & iterum hom.71. ad populum, *Qui orans ieiunat binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando præteruehitur. Non enim oscitat, nec extenditur, nec torpet orando; sed igne ardentior, & terra superior, quare terribilis hostibus redditur.* Idem penè Basilius in orat.de ieiunio. Quare cùm res esset tãta populi, támque expetita libertas, quam impediri recentibus culpis metuebat Propheta, ad orationem saccum, & ieiunium adhibuit.

Oratio fortis si ieiunium adsit, & pœnitentia.

Vers.4. *Et confessus sum, & dixi.*] Proprium est 18.
D virorum sanctorum, orationem, & preces auspicari à laudibus, quæ beneuolentiæ captãdæ apud Deum opportuna ratio. Hinc fit, vt laus pro oratione sumatur sæpius, quia illa ab oratione abesse neque debet, neque solet. Hinc fit, vt orationes Ecclesiasticæ à diuinis laudibus sumãt exordium. Sanè apud Ieremiam *laus* idem est quod oratio, cap.7.v.16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem.* quæ verba etiam adhibuit cap.11. v.14. Item Thren. cap.2. *Consurge in nocte, in principio vigiliarum, &c.* Sic idem Ieremias Thren.3.v.22. *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.* Sic Dauid millies; sic modò Daniel à confessione, id est, à laude precationem instituit.

Oratio à laude, & confessione incipit.

Laus pro oratione.

E Antequam Danielis orationem aggredior, nõ 19.
erit abs re, quæ de instruenda oratione Basilius dederit præcepta, quæ sumpsisse videtur ab hac oratione, in qua explicanda nostra versatur commentatio. Is namque de Constitut.Monastic.cap. 2. sic spiritualem oratorem informat. *Quandocumque instituis orare coningem, liberos, téque adeò ipsum relinquito, à terráque procul abscedito, cœlúmque superato: & naturas omnes tam quæ cernis, quam quæ cerni non possunt, relinquito.* Hoc fecit Daniel, cùm faciem posuisse dicitur, vt oraret; quod nihil esse arbitror aliud, quàm seclusis aliis curis intentum in vnum Deum animum habere.

Orationis præcepta.

Oratio abnegationem desiderat.

Deinde subdit, *ab eius glorificatione exorditor, qui* 20.
omnia condidit, quod fecit Daniel, vt ex ipsius oratione

tione cognoscere promptum est; & id se egisse manifeste docet, cùm ait, *& confessus sum.* Addit deinde, *vbi verò iam satis gratias egeris, Deúmque petitis è diuina Scriptura laudibus glorificaueris, tum iterum adhibita humilitate ordire, ac dic: Equidem non sum dignus Domine, qui coram te verbum faciam, quoniam vehementer peccator sum,* &c. Hoc fecit Daniel satis diligenter, & fusè, vt constat; fecit item Azarias suprà cap.3. & Tobias cap.3. Et eo spiritu nos tam Missæ sacrificium, quàm matutinas, ac vespertinas horas à confessione peccatorum nostrorum ordimur. Concludit denique post pauca, *Simul ac verò ambabus his partibus, gratiarum actionis videlicet, & humilitatis, tunc demum quod petere debes petito.* Hæc Basilius tradit orandi præcepta, quæ, vt dixi, sumpsisse videtur à Daniele, qui suo exemplo non minus apertè docuit, quàm calamo Basilius.

Orationis exordium ab humilitate.

21. Et vt ab eodem Basilio doceamur, quod Danielis exemplo docti sumus, quantum ieiunium orationi virium addat, vt ad cœlum vsque penetret, pulchra quadã similitudine expressit in homilia de laudibus Ieiunij. *Ieiunium, inquit, preces nostras subuehit in cœlum, dum illis alarum vice fit, quo sursum ferantur.* Quòd si his addas sacci asperitatem, & cineris squalorem, vt fecit Daniel, quid non, ab offenso etiam pectore exorabit oratio?

Obsecro Domine Deus magne, & terribilis.] Hîc laudat Deum, & orationem instruit iuxta ea, quæ nuper ex Basilio didicimus.

22. *Custodiens pactum, & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua.*] Hinc fit verisimile, quod antea dicebamus, existimasse Danielem iuxta Hieronymi, Theodoretíque sententiam, aut suspicatum esse pactum illud, seu promissionem de restituendo populo post annum septuagesimum, conditionatum esse; (neque enim Prophetis omnia reuelantur à Domino, vt constat;) quando pactum, & misericordiam seruari dicit, his qui diuinis fuerant præceptis obsecuti. Cùm autem peccasse fateatur populum, esséque indignum, cui promissa præstentur; orat nunc Deum, vt faciem à populi peccatis auertat, & sicut superioribus antea sæculis in populum, sic nunc beneficus esse pergat.

23. Vers.5. *Peccauimus, iniquitatem fecimus,* &c.] Si in geminatione vocis synonymæ epitasis est; & multo maior in repetitione tergemina; quantam esse epitasim oportet, cùm res eadem quina geminatione repetitur. Sanè affectus hic pœnitentis animi magnus est, qui toties in peccati confessionem erumpit, in quo diuini pectoris clementiam commendat inexhaustam, dum orat, & sperat illam à tot peccatorum magnitudine non fore superandam.

24. Vers.6. *Non obediuimus seruis tuis Prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo Regibus nostris,* &c.] Quia totius populi personam sustinet Propheta, ideo sibi cum populo peccata dicit esse communia. Longè aberat Daniel, vt Prophetarum non audiret oracula, qui se diuinæ voluntati, ac legi adeò studiosè, ac constanter addixerat, vt reliqua contemneret. Neque præterea eo loco fuit, vt audire potuerit Prophetarũ voces, cùm puer admodum abductus fuerit Babylonem, vbi voces illas, quas contempsere Reges, & Principes, accipere non potuit. Sibi tamen cum populo commune dicit scelus contemptæ prophetiæ; quia tanquam Princeps loquitur populi, aut saltem tanquam vnus è populo.

25. Vers.7. *Tibi Domine iustitia, nobis verò confusio faciei.*] Hæc, credo, familiaris erat precandi forma, qua vsus est Baruch cap.1.v.15. *Et dicetis Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ, sicut est dies hæc.* vbi certus exulibus præscribi videtur orandi modus. Et cap. 2. v. 6. eadem propè repetuntur verba. Est autem hic exordiendæ orationis modus ad diuinam beneuolentiam captandam potentissimus, cùm nobis nihil deberi præter ignominiam, & pudorem fatemur, atque ideo si quid à Deo bonorum omniũ fonte haurimus, id non meritis nostris, sed diuinæ misericordiæ esse tribuendum. Deinde quia vtcumque se Deus nobiscum gerat, iustum confitemur, tum quia illi adhærere nihil iniustum potest; tum quia vt seuerè de hominum rationibus statuat, illorum instimulatur flagitiis, ad quæ mulctanda penè coactus rapitur, & dolens; cùm animum habeat non tam ad puniendum, quàm ad miserendum pronum. Laudatur igitur à iustitia Dominus, etiam ab his, qui dura patiuntur ab hoste infideli, & barbaro, quorum nomine Daniel loquitur, & orat; quia nihil sustinent, cuius non antea patres, & nunc ipsi dignissimi non sint. Confusio faciei pro re ponitur ignominiosa, & turpi, qualis est seruilis, & abiecta conditio, à qua neque sordes abesse solent, neque ignominia, quæ vultum miserorum pudore suffundit. Sumitur autem effectus pro causa, pudor videlicet, aut verecundata facies, pro ignominia, à qua genus illud verecundiæ contrahitur.

Familiaris precandi formula.

Sicut est hodie viro Iuda, & habitatoribus Ierusalem, & omni Israël.] Hebraismus vsitatus, quo vsus est Baruch cap.1.v.15. & 20. & cap. 2.v.6.11. 26. Ieremias cap.44. v. 6. 22. 24. Heb. כיום הזה *caiom hazeeh,* id est, *iuxta diem hunc,* seu quemadmodum præsens rerum status docet. Docet autem status non solùm eorum, qui ex toto Iuda funiculo abducti sunt Babylonem extorres, sed etiam qui vrbem regiam Hierosolymam habitarunt: atque adeò totum genus Israëliticum admonet, quod variè, longè, latéque dispersum procul errat à patria. 26.

His qui propè sunt, & his qui procul.] Quo in loco hanc orationem habuerit, & illustrationem à Domino acceperit Daniel, nihil est certum: certum tamen est multos esse in ea regione, vbi tunc Daniel morabatur, siue Babylon fuerit, siue Susa; & plurimos abesse quàm longissimè siue qui ex gente Israëlitide capti sunt ab Assyriis longè ante Iudæorum transmigrationem, siue qui à cæde, atque exilio reliqui ad vicinas se regiones recepere: illi etenim omnes, vbicumque Gentium sedes posuere, diuinam manum experti sunt seueram, & grauem. 27.

Vers.9. *Domine nobis confusio faciei,* &c. *tibi autem Domino Deo nostro misericordia, & propitiatio: quia recessimus à te.*] Misericors ille vocari, atque propitius potest, qui leuius ab eo supplicium sumit, à quo longè grauius non solùm permittente, sed etiam cogente lege sumere potuisset: vt qui exilio damnat, quem damnare posset capite; aut æternis adducere carceribus; quod facit quotidie Dominus, cùm opibus, viribus, aut magistratu priuat, quos posset æternis alligare suppliciis. Id fatetur hoc loco Propheta, cùm Deum misericordem, & propitium vocat, quantumcumque populus imperio longo, ac barbaro subesse, & in alieno solo quotidianis incommodis vrgeri videatur. Illam autem rationem reddit; *quia recessimus à te.* Quasi dicat in rebellem, & ingratum populum, qui fidem prodidit antè datam; satis se 28.

Deus in puniendo propitius, & misericors.

se Deum gessisse clementer, cùm non statim extinxerit, & de tam scelerato capite actum esse voluerit. Dixit hoc idem Ieremias Thren. c. 3. *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti*, vbi eodem spiritu non tam cum Deo expostulat, quòd populum in illas compegerit angustias, quàm illius commendat misericordiam, quòd non omnino cæde, tabéque consumpserit.

29. Vers. 11. *Et declinauerunt, ne audirent vocem tuã.*] Hebraismus hic est, qui idem valet, ac si diceret: Noluerunt audire, aut aures ne audirent, auerterunt. Eodem modo cap. 13. v. 8. de senibus, qui Susannæ pudori insidiati sunt. *Declinauerunt oculos suos, ne viderent cœlum.* Prouerb. c. 28. v. 9. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem.* id est, qui legem audire non vult.

30. *Et stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi.*] *Stillo* verbum est ambiguum, quod interdum aliquid benignum à Dei clementia; interdum aliquid durum ab eius offensione significat: quod ex diuersis pluuiarum, seu stillationum generibus ortum est. Est enim pluuia quædam sedata, & mollis quæ terram rigat, fœcundat, & exhilarat: alia vehemens, inimica, horribilis, quæ populatur, ac perdit sata læta, boúmque labores. Qualis erat illa, de qua Exod. c. 5. v. 23. *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti, & grando, & ignis mixta pariter ferebantur.* De priori pluuia est illud Deut. 32. *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum: quasi imber super herbam; quasi stillæ super gramina.* & illud Amos 9. & Ioel. 3. *Stillabunt montes dulcedinem.* De posteriori est illud 2. Paralip. cap. 12. *Non stillabit furor meus super Ierusalem.* & Ezechiel cap. 20. *Stilla ad Austrum.* vbi nos ea de re pluribus. Stillare hoc loco in priori significatione sumitur; neque enim maledictio, ac detestatio ab alio potest, quàm ab offenso animo vibrari. Hieronymus hîc diuinam agnoscit clementiam; ait enim non totum indignationis torrentem; sed stillam tantùm cecidisse, non quæ obrueret; sed quæ sanaret, & ad meliorem mentem errantes reuocaret. Idem etiam docet S. Thomas in hunc locum. Vbi tu considera, quantus futurus sit indignationis torrens, si tam grande malum, quale nullo siue tempore, siue loco visum est, stilla vocatur.

Stillo vox ambigua.

Pluuiarum duo genera.

Horribile supplicium à Deo.

31. Hæc mihi magis videntur propria, & omnino vera. Addam tamen quod ab hoc loco videtur mihi non alienum. Videbatur Dominus onerasse saxis, ac fulminibus nubes, quæ arma sunt bellica, quæ Deus in diem pugnæ, & belli præparauit Iob cap. 38. Onerauit autem Leuit. c. 26. Deut. 27. & 28. dum varia supplicia legum transgressori denunciat. His verò maledictionibus aggerẽ videbatur, & molem opposuisse, ne in peccatorẽ, cùm primùm deliquisset, erumperent: non secus atque is, qui oppositis molibus torrentem cohibet, aut fluuium ne ex alueo sese violenter effundens aut hortos, aut agros populetur, ac sternat. Qui verò obstinato, ac pertinaci studio molem perrumperet, id suo magno malo consequeretur, vt vim illam inimicam meliori consilio, ac clementi prouidentia repressam, in seipsum effunderet. Neque vt obuium quodque sterneret; necessarium erat, vt alius a quoquam adhiberetur conatus. Sic peccator homo, dum assiduè, ac pertinaciter peccat, molem diruit, & viam aperit maledictioni, atque iræ antè repressæ, & in seipsum cohibitum illatenus furorem deriuat. Vnde à Propheta dicitur, *Stillauit super nos maledictio*, vltrò videlicet, vt vox ipsa sonat, non immissa ab alio; sed ab ipso euocata, cuius in caput influit. Cur verò stilauerit, id est, sua quasi sponte defluxerit, ratio redditur. *Quia peccauimus ei.* peccatum enim aut nubem discidit, vt stillaret inimica pluuia; aut rupit molem, vt igneus fluuius diuinæ indignationis exundaret.

Peccator sibi ipsi mala aduocat.

32. Vers. 12. *Et statuit sermones suos.*] Sermones isti minæ sunt illæ, quas Dominus tam principibus, quàm reliquæ turbæ è populo Iudaico per Prophetas suos antè prædixerat. Quæ videbantur latere, & quasi in armamentariis esse repositæ, donec tempus aduenit, sic vrgentibus Iudæorum peccatis; vt inde expromerentur arma, quæ ad suas vlciscendas iniurias Dominus in illum rerum articulum incluserat. Est autem, vt reor, *statuo*, hoc loco, vt alibi sæpe, verbum militare: quomodo Actor. cap. 7. dum sic Stephanus orat, *Ne statuas illis hoc peccatum*, Græcè μὴ στήσῃς, id est, *ne stare facias*: stant nimirum contra nos peccata nostra in die belli. Et Deut. 32. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Hebraicè est אערכה *egbercah*, quæ vox *ordinare* significat: sicut milites, aut militaria tormenta ordinantur in acie. Sic ergo statuit, seu produxit in aciem Deus sermones suos, id est, minas, quas rebelli, atque ingrato populo denunciarat, & quæ priùs stetisse videbantur in vmbra, atque otio, stetere postea in acie; & repugnantem, atque obsistentem populum terruerunt, fugarunt, conciderunt. Hîc porrò notandum sermones hîc sumi pro suppliciis, quibus affecti, immò & confecti fuerunt Iudæi ab vltore Deo. Est enim in Scriptura vsitatum valde, vt vox aliqua, seu actio pro ipsius sumatur obiecto: quomodo *visio* pro spectro, *laus* pro re laudabili, *timor* pro re horribili, *auditio* pro re audita. Sic etiam *sermones* pro re, quæ sermonibus subiecta est; nempe pro exilio, cæde, aliisque infortuniis, quæ Deus Iudæorum populo propheticis verbis minatus est.

Statuo vox militaris.

33. *Vt superinduceret in nos magnum malum, quale nunquam fuit sub omni cœlo.*] Hæc sunt quæ sonabant quotidie propheticæ voces, magnum nempe malum, quale nullum vidit tempus; neque vlla vnquam regio experta fuit. Tale quippe fuit, quo perfuncta est sub Chaldæorum tempus Hierosolyma. Cœlum autem pro regione sumi terrestri cœlorum climati subiecta, valde vsitatum est. Vnde frequens apud profanos *mutare cœlum*, prò in aliam regionem transmigrare. Sub omni itaque cœlo nihil est aliud, quàm si dicas in omni regione, aut vbiuis Gentium.

34. *Secundum quod factum est in Ierusalem.*] Quàm grauibus affecti fuerint incommodis Solymitani ciues, expressit satis dolenter, & grauiter Ieremias in Threnis sæpe, vbi leuiorem esse dicit Sodomæ, quàm Hierosolymæ plagam. Et quidẽ filios pastos esse parentum carnibus, & filiorum parentes (quod accidisse in obsessa Hierosolyma docet Ezechiel) extremam significat fortunam. Hoc idẽ, quod hoc loco Daniel, tradit Ezechiel cap. 5. vbi sic Deus contra Ierusalem, *Faciam in te quod non feci; & quibus similia vltrà non faciam propter omnes abominationes tuas. Ideo patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos.* Quàm verò dura fuerit apud Babylonios Iudæorum seruitus, deplorat Thren. cap. 5. Ieremias.

Grauissima Iudæorum clades.

Vers. 13. *Sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum hoc venit super nos.*] Vide Leuit. cap. 26. & Deut. 27. & 28. vbi vt magna promittuntur seruanti

uantibus legem: sic etiam acerba denunciantur his, qui proposita à Deo mandata violarint.

35. *Et non rogauimus faciem tuam, Domine Deus noster, vt reuerteremur ab iniquitatibus nostris.*] Hic locus variè à variis redditur, & exponitur; sed explicationes omnes facile ad vnam cogi, ac conciliari possunt. Sed priùs obseruo, rogare alicuius faciem, seu deprecari vultum, siue, quod idem fortasse est, præoccupare faciem Domini, signum esse animi demissi, ac supplicis, qui alteri se quasi superiori, ac domino summittit. Quare hoc loco, rogare Dei faciem, idem erit, quod velle diuinæ voluntati parere, & alia siue lenocinia sensuum, siue vanæ religionis deliramenta respuere. Iuxta hæc erit sensus, quem aut tenent, aut indicant Theodoretus, Hieronymus, & S. Thomas, quos è Recentioribus sequuntur frequentes alij. Cùm tot, ac tam grauibus essemus infortuniis vexati, tot concisi flagellis; non tamen ad te, vt par erat, reuersi sumus superiorem vitam detestati: qui enim ad Deum deprecandum accedit, Deum illemuneratorem, & vltorem agnoscit: atque ideo si non simulatè, sed verè, ac seriò ad Deum orat, ille & mentem mutat antè deceptam, & illi seruire studet, ad cuius vultum supplex accedit.

Rogare faciem quid.

36. Hoc loco meminisse oportet, quod cap. 3. suprà obseruauimus. Sicut qui per alium iurat, illum Deum esse quasi legitima forma confitetur: sic qui alium, quem neque videt, neque vllo sensu præsentem esse cognoscit, orat, Deum illum esse, aut illi diuinum esse aliquid arbitratur. Id docuit Nabuchodonosor, qui in aurea statua adoranda id egit, vt diuinos sibi apud facilem, & obsequentem populum honores accisceret. Id item Darius cap. 6. dum vetat ne diebus triginta præter se vllus alium roget. Quare acutè dixit Martialis lib. 8. epig. 24.

Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit.

37. *Vt cogitaremus veritatem tuam.*] Hæc satis cogitationem superiorem confirmant: si enim rogarent faciem Domini, id est, illum Deum esse cognoscerent, profiterentúrque; aut illius excitarentur promissis; aut obtentis suppliciorum minis terrerentur: vtrumque enim veritas significat, quæ euentu confirmatur, siue cùm quis cumulatur bonis antè promissis; siue cùm flagellorum acerbitate conciditur. Erit ergo sensus: non ita te Deum verum esse cognouimus, vt vel promissa eius esse fidei putaremus, vt certò speraremus; aut minæ sic certum essent euentum habituræ, vt declinari non possint. Huc inclinat S. Thomas, dum ait, *Non sumus conuersi ab iniquitate nostra, quod fit cogitando veritatem tuam.*

38. Hoc mihi non improbabile; tu vide an meliùs Hieronymus, cui subscribere videtur Theodoretus; veritatem pro diuina voluntate sumpserit, cui qui non sensus, & cogitationes accommodat suas, ille longè est, vt Deum verè, & vt res ipsa postulat, orauerit. *Grandis*, inquit, *duruia, vt in plagis positi Deum non rogarent: quod etsi rogarunt, ideo non rogarunt, quia non sunt reuersi ab iniquitatibus suis: reuersio autem ab iniquitate est cogitare veritatem Dei.* Documentum planè tanto Doctore dignum, quódque spiritualem oratorem excitare debet, vt si animum velit ad orationem instituere, curet etiam illum eo afficere studio, vt mores corrigat, séque totum ad diuinæ voluntatis obsequium informet. Alioqui ludet, otiosus ante Deum, & non tam orator existimabitur, quàm oratoris inane simulacrum.

Non orat qui vitam non emendat.

Vers. 14. *Et vigilauit Dominus super malitiam, & adduxit eam super nos.*] *Malitia* duo significat, sicut *iniquitas*, & *peccatum*; & quod propriè sonat, & malitiæ seu peccati pœnam. In sua proprietate sumunt nonnulli, in quibus est Hieronymus, S. Thomas, & Lyra. Tunc verò sic alij cum Hieronymo exponunt, vigilare quidem Deum super peccata, vt illa debito supplicio corripiat; tametsi peccator dormire Deum existimet, neque nostra curare. Adducit autem Hieronymus illud Psal. 77. *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos.* 39.

Alij hîc malitiam pro malitiæ supplicio sumunt. Ita videtur sumpsisse Theodoretus, sequitur apertè Maldonatus, & inclinat magis Dionysius, & Hugo. Quæ mihi sententia ideo probatur magis, quia apud Prophetas, qui sub hæc posteriora sæcula floruerunt, verbum *vigile* cum peccatorum supplicio sæpe coniungitur. Ierem. 1. v. 11. *Virgam vigilantem ego video.* Vigilantem autem virgam pro supplicio sumi, & res ipsa docet, & quod statim sequitur planè confirmat. *Vigilabo*, inquit Dominus, *super verbo meo, vt faciam illud*: & idem cap. 13. v. 28. *Sicut vigilaui super eos, vt euellerem, & demolirer, & dissiparem.* & cap. 44. v. 27. *Ecce ego vigilabo super eos in malum, & non in bonum.* Et Thren. 1. v. 14. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum.* Ad quem loquendi modum allusisse videtur Petrus epistol. 2. cap. 2. dum ait, *Quibus iudicium iam olim non cessat: & perditio eorum non dormitat.* Et fortasse hoc idem est, quod paulo antè dixerat vers. 12. *Statuit sermones suos*; id est, minas, quarum sepultus somno oblitus videbatur, excitauit; fecitque vt ipsæ quoque minæ quasi solutæ à somno, in peccatorum caput irruerent. Quod autem malitia supplicium significet, multa probant Scripturæ loca: tu vnum, aut alterum cape. Ionæ cap. 3. v. 10. *Misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis*, (Niniuitis) *& non fecit.* Eccli. 11. v. 29. *Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ.* Existimabat autem peccator dormire Deum, & neque ipsius peccata videre, aut certè non curare, quod accidit his, quibus sopor & hebetat sensus, & mentem adimit. Sed reuera neque dormiebat, neque dormitabat Israelis custos, sed perpetuas agebat, neque ignauas, aut otiosas excubias. Quare obseruabat quid rerum fieret, & certum hominum malitiæ supplicij pondus attemperabat, quod suo tempore peccatorum humeris imponeret. 40.

Malitia pro supplicio, aut afflictione.

Deus quomodo super malitiam vigilet.

Vers. 15. *Et nunc Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti.*] Ad hunc vsque locum in diuinas laudes, & in peccatorum confessionem intentus, petitionem distulerat, quam locum habere non putabat, nisi Deum priùs ad beneuolentiam eo artificio sibi conciliaret: sed neque omninò etiam nunc diuinæ laudis, & peccatorum commemorationis obliuiscitur. Renouat enim antiqua beneficia, quibus eundem populum prosecutus est olim, cùm eduxit liberum ab Ægyptio iugo; & populi iterum peccata refricat, quæ promptam olim abalienarunt clementiam, & diuinam in illum iram instimularunt. Est autem hîc suum quoque artificium, quod in simili precandi genere adhibere quoque solet Ecclesia. Cùm enim aliquid à Deo postulat, simile aliquod in eo com- 41.

mendat beneficium, aut opus. Quia ergo libertatem optat, petitque, captiui, atque afflicti populi libertatis meminit, quam idem quondam populus è conditione ſimili conſecutus eſt. Quod fecerunt alij Prophetæ, vt Ierem.c.31.v.20. Baruch cap.2.v.11. dum in cauſa ſimili laborant.

42. Verſ.16. *Domine in omnem iuſtitiam tuam auertatur ira tua.*] Hîc duæ nobis explicandæ voces. *In* inter alia multa idem valet quod *propter*, aut *iuxta*. *Iuſtitia* ſæpe pro miſericordia ſumitur. Matth.6. c.1. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* 2.Cor.9.v.10. *Augebit incrementa frugum iuſtitia veſtra.* Pſal.111. *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet.* Et ſanè hoc loco Græca Theodotionis tranſlatio miſericordiam vertit, *ἐν πάσῃ ἐλεημοσύνῃ σου*. Iuxta hoc non eſt difficilis huius loci ſententia: orat enim Propheta vt ſecundùm ſuam miſericordiam, qua in omnibus fermè ſæculis in Gentem ſuam, & electum populum vſus eſt, iram ſuam auertat, flectâtque animum ad familiarem antè miſericordiam. Quod ſi pro בכל *becal*, legas cum aliis ככל *kecol*, quod facile propter literarum ſimilitudinem fieri potuit, multo magis eſt explicatio commoda: כ enim, pro qua ב ſuppoſita eſt, idem valet quod *ſecundum*, aut *iuxta*. Sed, vt diximus, ב ſæpe ponitur pro כ, id eſt, *in* pro *iuxta*.

Iuſtitia pro miſericordia.

43. Verſ.17. *Oſtende faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum.*] Hebraiſmus eſt, ſumptus tamen ex hominum conſuetudine, qui ab eo quod oderunt, atque execrantur, oculos auertunt, qui illud ſine offenſione ſpectare non poſſunt. Sic Virgilius lib.4. cùm ſignificaret, quàm grauiter in Æneam eſſet animata Dido, id auerſis, & obliquis oculis expreſſit.

Oſtendere faciem quid.

Talia dicentem iam dudum auerſa tuetur,
Huc illuc voluens oculos, totúmque pererrat
Luminibus tacitis.

Et eadem lib.6. item in Æneam,

Talibus Æneas ardentem, & torua tuentem
Lenibat dictis animum, lacrymáſque ciebat.
Illa ſolo fixos oculos auerſa tenebat.

Deus igitur iuxta hominum ſenſum, cui ſeſe frequenter accommodat Scriptura, offenſos oculos, & faciem auerterat à populo, quem tanquam hoſtem intuebatur, dum ab ſua abdicatum aliorum ſeruituti ſubmittit. Id ergo nunc orat Propheta, vt oculos ad ſanctuarium conuertat, quod iam ſentes occupant, & ſqualentes frutices, quod pro ſacerdotibus vulpes habitant, & ſylueſtres feræ. Eſt autem hæc ingenua petitio, quæ non tã de eius, qui petit, commoditate, & gloria, quam de illius, à quo petitur, honore, atque ornamentis laborat. Sanctuarium domus erat Dei, quo ſublato, ſublatum quoque videbatur illud quaſi theatrum, vbi diuinæ laudes quotidie perſonabant. Neque merita proponit populi, à quo magno ſuo merito illud maximum ornamentum, & magnorum maximum miraculum ereptum eſt, ſed Dei gloriam, cui aliquid videtur eſſe detractum, exuſto templo, ſublatis ſacrificiis, & cantoribus, muſicíſque inſtrumentis aut extinctis omniuò, aut procul ab Hieroſolymis abductis. Id enim valet *propter temetipſum*: niſi mauis, propter tuam clementiam, naturámque ad benemerendum pronam; non propter populi merita, hæc enim eiuſmodi ſunt, vt diuinum animum ad furorem inflamment potius, quàm ad miſericordiam inflectant.

A Verſ.18. *Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram.*] Sicut 44. Deus oculos auertiſſe videbatur ne populum ſpectaret inimicum: ſic etiam obſtruxiſſe aures, ne illius preces, & clamores audiret. Id enim eſt illius proprium, qui alienum habet animum ab aliis, vt neque facies illorum cernere; neque voces audire vllo modo velit. Orat ergo nunc Propheta, vt mitioribus oculis attritum aſpiciat populum, & vrbem, templúmque ſubuerſum, & ſub ferreo iugo gementes audiat.

Et ciuitatem, ſuper quam inuocatum eſt nomen 45. *tuum.*] Hîc etiam Propheta ita de ſuo populo laborat, vt non minus de diuini nominis maieſta- B te ſollicitus ſit. Non enim ideo petit vt inſtauretur ciuitas, vt in ea homines commodam habeant habitationem, & in ſuo habitent, non in alieno ſolo; ſed ne quid apud Gentes propter euerſam vrbem diuini nominis maieſtati detrahatur. Cùm enim in ea ciuitate diuinum nomen ſæpius eſſet auditum, & à Dei nomine compellationem ſuam accepiſſet (Vocabatur enim ciuitas Dei, & templum, ſiue domus Dei) non videbatur diuini nominis maieſtatem decere, ſi locus ille ſacer ſqualeret ſentibus, & habitaretur à feris.

Porrò inuocari nomen alicuius ſuper aliquem 46. ſuperiorem, indicat dignitatem, & ordinem; ſu- C perior enim à ſuo nomine aliis nomẽ imponit, & vir vxori, quomodo à viro Caio vxor vocatur *Caia*, & à Salomone *Sulamitis*, ſiue, quod idem eſt, *Salomitis*, & Publij ſeruus *Publipor*, & Marci *Marcipor* nominatur. Sic mulieres ſeptem, quæ virorum thalamum, & nuptias ambiunt, dicunt apud Iſaiam cap.4. *Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos.* Quia ergo Iudæi ſiue nomen habeant ſponſæ quale à primis ſuæ reipublicæ temporibus habuerunt; ſiue ſeruorum, quales ſe olim profitebantur, ſuper illos nomen inuocabatur Dei, quia ſerui dicebantur, ſiue cultores Dei. Eccli.36. *Miſerere plebis tuæ, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum.* κεκλημένον ἐπ᾽ ὀνόματί σου, id D eſt, *vocatum nomine tuo.* Hanc porrò vim expreſſit Iſaias optimè cap.63. *Facti ſumus ſicut in principio, cùm non dominareris noſtri; neque inuocatum eſſet nomen tuum ſuper nos.*

Inuocari nomen ſuper aliquid quid.

Proſternimus preces.] Modus hic loquendi fa- 47. miliaris eſt Hebræis, quo deprecatio ſignificatur humilis, & ſupplex. Proſternit namque preces, qui ſe ad alicuius pedes precaturus aduoluit; qui ponit in puluere os ſuum, quiſque de terra loqui videtur, quia ſeſe in terram ſupplicem abiecit. Hoc dicendi modo vſus eſt Ieremias cap.38. *Proſtraui ego preces meas coram Rege.* Et paulo aliter, eodem tamen ſenſu, cap.37.v.7. *Si fortè cadat oratio eorum in conſpectu Domini.* Hic E porrò orantis habitus pudorem oſtendit eius, qui ſe alium offendiſſe cognoſcit, & cuius oculos, præ confuſione ſubire non audet. Qua de re apud profanos exemplorum ſatis; ex ſacris vnum, aut alterum cape. 2. Reg.2. Abner ad Aſael. *Recede, & noli me ſequi, ne compellar confodere te in terram; & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.* lib.1. Eſdræ cap.9. v.6. *Deus meus confundor, & erubeſco leuare faciem meam ad te: quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt.* Lucas cap.8. de publicano, *Nolebat nec oculos ad cœlum leuare.*

Preces proſternere quid.

Pudibundi habitus.

Verſ.21. *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir* 48. *Gabriel, quem videram in viſione à principio, citò volans tetigit me.*] Oratio Prophetæ tam ardens, & in

insuper ieiunio, sacco, & cineris squalore armata exorare potuit, quod orabat. Quare cùm nondum ab oratione recessisset, aduolauit Gabriel, quem in superiori visione magistrum habuerat, à quo didicit quid illæ portenderent belluæ, quæ ex mari prodierant, quod ventorum flatus antè turbauerant. Illa verò visio dicitur in principio facta, anno videlicet tertio Balthasaris, vno nempe anno ante hanc: quia licèt aliæ visiones antecederent, quas exposuit Daniel, vt de statua ex variis conflata metallis; de arbore succisa, & germine alligato ferro; de digitis scribentibus in pariete; illæ tamen non tam apparuerunt Danieli, quàm aliis, qui illarum significationem docti sunt ab illo. At visio, quam Gabriel explicuit Danieli, nulli præter ipsum oblata est: atque ideo vocari potuit visio à principio, siue prima visio.

49. *Citò volans tetigit me.*] Significatur velocitas summa, qua Gabriel à Deo legatus ad solandum, docendúmque Prophetam profectus est. Vbi vulgatus *citò volans*, Heb. est מֻעָף בִּיעָף *muaph, biaph*, quod si vtrumque est ab eadem radice עוּף, sensus est, volando volauit, aut volatu volauit. Qui dicendi modus volatum sonat pernicissimum. Sin verò à יָעֵף *iaeph*, quod lassari, seu fatigari valet, eadem est significatio, sed cum maximo velocitatis signo. Vt enim qui veloci cursu mandatum exequitur, anhelans properat, & laboranti spiritu, & lassus denique datum sibi mandatum perfert; sic Angelus Gabriel vt ostenderet quanta velocitate, ac studio datum sibi mandatum peregisset, quasi lassi de via, & anhelantis viri speciem assumpsit. Tunc autem Propheta supplex procumbebat, & pronus prosternens preces, confessus sua populique peccata; quem Gabriel tetigit, excitauitque, & ad nouam & lætam illustrationem erexit, de qua mox.

Temporum certa quædam nota.

50. *In tempore sacrificij vespertini.*] Vt in ætate certæ adhibentur notæ, quæ ætatum discrimina consignant, & distinguunt, vt *dentitio, cani, pubertas*: sic etiam temporum signa quædam sunt, quæ dierum, horarúmque momenta discriminant, vt *gallicantus, conticinium, prima fax*, & similia. Et in Palæstina *aura post meridiem*, quæ quia à meridiano tempore perflabat, pro tempore pomeridiano ponitur Gen. cap. 3. Cùm ergo sacrificium vespertinum quotidie ad vesperum offerretur in templo, factum est, vt quotidiana illa, & iugis oblatio pro aliqua temporis differentia sumeretur. Sicut Ecclesiastici dicunt, *ad horam completerij, ad vesperas*, & similia.

Sacrificium matutinum, & vespertinum.

51. Erat autem sacrificium apud Hebræos quotidianum, quod ideo vocabatur iuge, de quo Numer. cap. 28. *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis: agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum. Vnum offeretis manè, & alterum ad vesperum.* Eadem Exod. cap. 29. à duobus temporibus, duobus etiam nominibus sacrificium hoc iuge notabatur. Dicebatur enim sacrificium matutinum agnus ille, qui manè mactabatur: vespertinum autem qui vesperè. Quo verò temporis momento vterque immolaretur agnus, non habemus ab Scriptura aliud, quàm vespere, & manè. Quare verisimile est matutinum agnum, tunc immolari, cùm primùm illucescit; vespertinum cùm primùm sol occubuit, id enim propriè sonant vesper, & manè. Tempore igitur sacrificij vespertini Gabriel apparuit, ad Solis videlicet occasum, postquam fortasse totum

A diem ab ortu vsque Solis in oratione posuisset, vt putant Hieronymus, & Lyra. Est autem, vt reor, prouerbialis forma, sacrificium vespertinum pro Solis occasu, aut nocturno crepusculo, quandoquidem Babylonius captiuus multa post tempora, postquam sacrificium illud iuge cessauerat, tempus illud vocauit sacrificij vespertini. Tertullianus ad Psychicos cap. 10. pinguem illam vocat orationem, quæ ad vesperum vsque sacrificium producitur, quia illam ieiunium comitatum est, à quo flaccescente carne, vim, & pinguedinem assumpsit oratio.

Sacrificium vespertinũ pro Solis occasu.

Oratio vnde vires assumit.

Vers. 22. *Nunc egressus sum, vt docerem te.*] Hic 52.
fructus est orationis humiliantis se, quique ad
B vota, & preces ieiunium, & saccum adiunxit. Euocauit enim è cœlo Angelum, qui mœrentem Danielis animum solaretur, & de futura hominum salute per Christum, ac tempore illi definito doceret. Egressus est autem sub diei finem; neque enim voluit Deus, qua est in fideles seruos humanitate, vt sicut diem totum orando, ac lacrymando consumpsit: sic etiam quod reliquum erat nocturni temporis in lacrymis, & squalore transigeret.

Vers. 23. *Ab exordio precum tuarum egressus est.*] 53.
Sanè quàm verissimum est illud Eccli. cap. 35. v. 20. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur: & non discedet, donec Al-*
C *tissimus aspiciat.* In ipso precationis exordio iam Dominus Danieli concesserat, quod habebat in votis; commouit enim diuinum pectus ardens, ieiunans, & humilis orator. Sed cùm à principio egressus esset, id est, decretus sermo, quem à Deo pertulit cælestis nuncius, sub vesperum tamen delatus est, ea fortasse de causa; quia Deus se Prophetæ precibus, ac lacrymis oblectabat, quas ad nocturnum vsque tempus produci voluit. Quare noluit ante illius diei extremum articulum Angelum emittere, vt noua rerum illustratione cohiberet preces, discinderet saccum, & lacrymis tergeret; quod ipse significauit, cùm dixit, *nunc egressus sum.* Ac si diceret,
D licèt ab initio precum decretum esset, vt sermonem audires, quem ad te perfero; nunc tamen à Deo cum his mandatis primùm egredior.

Deus ideo postulata differt, quia oratione delectatur, & lacrymis.

Quia vir desideriorum es.] Heb. חֲמוּדוֹת *chamu-* 54.
doth. quæ vox actiuè potest, & passiuè sumi. Neque desunt, qui vtrouis modo sumant. Si passiuè capias, hic erit sensus: quia gratus es, & amabilis Deo. Ita putat Hieronymus; qui tamen significationem aliam actiuam non respuit. *Quia vir*, inquit, *desideriorum es, siue amabilis, & Dei amore dignus (vt Salomon appellatus est Idida) siue vir desideriorum, quod pro desiderio tuo Dei secreta audire merearis.* Hæc Hieronymus, cum quo sentiunt in vtramque expositionem Theodoretus, Lyra,
E Maldonatus, & plures alij. Neque ratio deest; vox enim חֲמוּדוֹת non semper actiuè sumitur; sed aliquando, immò & frequentiùs passiuè. Sic apud hunc Prophetam cap. 10. v. 3. *Panem desiderabilem non comedi.* Et cap. 11. v. 38. pro pretiosis, & desiderabilibus vocem eamdem adhibuit. Idem vers. 43. Propter hæc mihi satis est explicatio ista verisimilis.

Alia explicatio, quæ desiderium agnoscit in 55.
Propheta, aut cognoscendi futura, aut suorum libertatis, probatur iisdem quibus superior, quam etiam sequitur S. Thomas, quasi Deus non tam velit meritis Prophetæ, quæ illum gratum, & amabilem faciunt, quàm eius desiderio satisfacere. Et hæc mihi probatur magis, quia

quia magis videtur temporis articulo consentanea, in quo Daniel magno æstuabat desiderio, ex quo orta est tam ardens, atque prolixa precatio, quam esse vacuam ab effectu Deus non est passus: tum quia Angelus ipse, licèt obscuriùs, indicat, dum ait ab exordio precum, quæ plenæ erant desiderij, egressum esse sermonem.

56. Tertullianus aduersùs Psychicos cap.7. aliam rationem adducit, vnde tamen illam sumpserit, obscurum est. *Anno,* inquit, *primo Regis Darij, cùm ex recogitatu prædictorum temporum à Ieremia, dedit faciem suam Deo in ieiuniis, & sacco, & cinere. Nam & Angelus missus ad eum hanc statim professus est causam diuinæ dignationis. Veni, inquit, demonstrare tibi, quatenus miserabilis es, ieiunando scilicet. Si Deo miserabilis, leonibus in lacu fuerat horribilis.* Vox חמודות, nullo modo miserabilem sonat; nisi fortasse miserabilem illum vocemus, qui in desideriis est, carétque illis, quæ vehementer appetit, & quibus indiget quasi miseratione dignus. Sanè miserabilis hoc sensu vocari potuit Daniel, quia se orando, ieiunando, opertus sacco, & cinere cruciabat; tamen vox illa, qua Gabriel est vsus, affectum illum corporis, & animi non significat.

57. *Tu autem animaduerte sermonem, & intellige visionem.*] Captatio est attentionis à rei magnitudine, neque enim vulgare aliquid est, quod talem attentionem desiderat, & excitatam intelligendi vim, qualem Dominus exigit à Propheta: seu quia hæc obscura sunt, & eo dicendi genere proposita, quod non longè abest ab ænigmate. Ita Theodoretus. *Tu autem diligenter attende quæ dicuntur: quæ enim dicentur, reconditiora sunt, quàm vt ab homine percipi queat: hoc enim significat. Intellige in visione, id est, per ænigmata hæc dicentur, & accurata tibi opus est intelligentia, vt hæc ipsa comprehendas.* Hinc Hieronymus coniectat, quàm sit obscura prophetia, ad quam intelligendam attentio excitatur prophetica. *Si Danieli,* inquit, *dicitur, diligenter attende, vt audias, & intelligas quod vides, quid nos facere oportet, quorum oculi ignorantiæ tenebris, & caligine vitiorum obcæcati sunt?* Addo ego, si tunc visus est idoneus Daniel, vt hanc tantam illustrationem acciperet, cùm ad orationem inflammatam, & longam ieiunium, saccum, & cinerem adhibuit; quid nobis subsidij adhiberi oportet, vt nos ad illam intelligendam idoneè comparemus?

58. Vers.24. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum.*] Opus aggredimur arduum, prolixum, & implexum, in quo magna continentur rerum momenta, vaticinium videlicet illustrissimum de Messia, quod quia graue est, & suæ perfidiæ aduersari vehementer vident, illud nobis, si minus eripere, certè obscurare, atque eludere nituntur Iudæi. Adsit, oro, nobis spiritus, qui Danielis mentem afflauit, illuminauítque, vt quæ ille prodidit intelligere, atque ea sine errore ad aliorum vsum scriptis tradere possimus!

59. Sed antequam commentationem instituo, obseruandum censeo, quid præcipuè desiderarit, precatúsque fuerit Propheta; & quòd illius votum præcipuè spectarit Angelica responsio. Nemo, credo, dubitabit orasse Danielem pro libertate populi, qui procul à patriis finibus captiuus apud Babylonios tenebatur. Eò namque spectant septuaginta anni, quos Iudæorum exilio præfiniuit Ieremias, quorum hoc loco meminit Daniel. Et pro instauratione ciuitatis, & templi,

A pli, qua de re non pauca sunt verba in Danielis oratione.

Petrus Comestor in Danielem cap.10. putat respondisse quidem Angelum ad Danielis vota, non tamen in hoc capite; sed in decimo. Nam caput istud de spirituali libertate per Christum, & spiritualis etiam templi constructione institutum existimat. Rupertus in Danielem cap.16. nihil accepisse dicit Prophetam ab Angelo de populi reditu, de vrbis templique instauratione; immò de his Prophetam non esse sollicitum, sed tantùm de spirituali suorum libertate à dæmonis iugo, & metaphoricè id in reditu captiuorum, & ciuitatis rediuiua fabrica significare

B voluisse. Sed sanè, vt diximus, Danielis verba à corporali, ac proprio reditu, & propria materialis templi fabrica separari non possunt. 60.

Sed est communis sententia petiisse Prophetam terrenum aliquid, & iuxta ipsius votum datum esse ab Angelo responsum. Ita Hieronymus, Theodoretus, S.Thomas, & frequentes alij. Sed fecit Deus, qua est in suos humanitate, vt non solùm ad præsens Danielis votum, & precationem responderit; sed alia etiam longè maioris libertatis promissa detulerit, ostenderítque quo Christus tempore venturus, & quæ ab illo populus beneficia accepturus esset. Sicuti antea fecerat cum Achaz, apud Isaiam 61.

Maiora Deus concedit, quàm petuntur.

C cap.7. quem cùm ab omni metu liberum esse iuberet, etiamsi contrà starent duo potentissimi Reges, à quibus antea non semel male iactata fuerat res Iudaica; postea tamen aliud beneficium promisit longè sublimius, hoc nempe ipsum, quod Danieli per Angelum prædicit. *Ecce,* inquit, *virgo concipiet, & pariet filium,* &c. Dicendum igitur temporale aliquid, & terrenum continere Gabrielis responsum iuxta Prophetæ desiderium. Insuper cœleste quoddam oraculum de Christi aduentu, de quo rerum articulo fortasse non cogitabat Propheta.

Septuaginta hebdomades.] Tam Hebraicum nomen שבוע *sabuahh*, quàm Græcum ἑβδομὰς numerum significant septenarium: ex adiuncto verò cognoscitur, an hebdomas, seu septenarius numerus sit horarum, dierum, mensium, vel annorum. In Scriptura sacra duæ hebdomadum inueniuntur species, dierum videlicet, & annorum. De diebus sunt plura exempla. Leuit.23. v.15. *Numerabitis ab altero die Sabbati septem hebdomadas plenas, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadis septimæ, id est, quinquaginta dies.* Et Dan.cap. sequenti v.2. *Ego lugebam trium hebdomadarum diebus.* Hic numerandi modus omnibus fermè linguis communis est. Est item hebdomas annorum rarior quidem, verumtamen vsitata aliquando non solùm apud sacros; sed etiam apud prophanos scriptores. Nam Marcus Varro auctore Gellio lib.3. cap.10. in primo librorum, 62.

D

Hebdomades annorū, & dierum.

E qui inscribuntur Hebdomades, scribit, *se iam vndecimam annorum hebdomadam ingressum esse, & ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse.* Apud sacros est illud Leuit.25. v.8. vbi de Iubilæo sermo est, quod in quinquagesimum quemque annum incurrit; quódque anno præcedenti, id est, quadragesimo nono clangentibus tubis indicitur. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem, & clanges buccina.*

De his hebdomadibus annorum sine dubio hæc intelligenda sunt: hebdomades namque 63.

dierum

dierum nullo modo in res, quæ in hoc vaticinio prædicuntur, conuenire possunt. Destruenda namque dicitur ciuitas, & populus qui illam instaurauit periturus: at post septuaginta hebdomadas dierum vix dum ædificari cœpta fuerat ciuitas. Eadem valet ratio si hebdomades, vt nonnulli volunt, mensium fuisse dicantur. Quòd verò alij hebdomadas esse putant non annorum, sed Iubilæorum, vt tradit Galatinus lib. 4. cap. 14. nihilo magis probabilitatis habet. Cùm enim Iubilæum quinquaginta annos contineat, septuaginta hebdomades Iubilæorum viginti quatuor implent annorum millia, & annos insuper quingentos. At iam videmus dudum impleta esse quamplurima, quæ Gabriel prædixit; neque Iudæi negant, certè nisi frontem, quod sæpe faciunt, perfricuerint, negare non possunt, vt quòd sit euersa ciuitas, dissipatus populus, & destructo templo ipsa quoque sacrificia cessent. Aliter Iudæi has hebdomadas annorum computant; sed planè ridiculè, & sine vllo omnino fundamento; quorum cogitationes varias, illud idem, quod modò produximus, argumentum conuellit.

64\. Quærunt hoc loco interpretes, & inter hos accuratissimè Franciscus Suarez 1. tom. in 3. p. S. Thomæ disputat. 1. section. 2. An anni hi, quos septuaginta hebdomades definiunt, solares fuerint, an lunares, seu alio aliquo modo numerentur, qui sanè apud varios multiplex est. Vide Plinium lib. 7. cap. 49. *Alij*, inquit, *æstate annum vnum determinabant, & alterum hieme: alij quadripartitis temporibus sicut Arcades, quorum anni trimestres fuere: quidam lunæ senio, vt Ægyptij.* Et Plutarchus in Numa. *Ægyptiis menstruus annus fuit, deinde quadrimestris.* Alia apud alios temporum mensura est. Vide August. lib. 15. de ciuitat. cap. 12. Bedam lib. de temporum ratione, cap. 7. De his tamen annis nihil ad præsens institutum pertinet; de annis tantùm lunaribus, qui diebus constant 354. tantum enim temporis luna consumit, dum cursum suum menstruum duodecies peragit; ac solaribus, qui supra hos vndecim numerant dies, quæstio est.

Annus variè à variis definitus.

65\. Et quidem menses à lunæ cursu definiri certum est, ab illo videlicet tempore, quo recedit à sole, ad illud, in quo rursus cum sole congreditur. Vnde lunæ, ac mensibus commune nomen, apud Hebræos maximè, qui quo ordine luna in sua ætate progreditur, eodem mensium numerat dies. Quare primum mensis diem Neomeniam appellat, id est, nouam, seu primam Lunam: secundam lunam diem item secundum mensis: & millies audimus *decimam quartam lunam*, quando immolatur Phase, pro decimaquarta die mensis primi. Sed quia duodecimo suo curriculo menstruo solarem cursum luna non adæquat, quia adhuc vndecim diebus Solem anteuertit: ideo interdum tertio, interdum secundo quoque anno mensis intercalatur vnus: at tunc annus ille terdecim constat mensibus. Vnde fit vt lunaris annus tertio saltem anno solarem assequatur, æquétque; quia quantum præcurrebat Solem duodena periodo, tantum à suo curriculo reuocatur. Hæc alij pluribus; nobis pro nostro instituto plus fortasse satis.

Mensis Hebræis intercalaris in anno lunari.

66\. De annorum igitur quantitate dubitant interpretes, solares ne sint, id est, 365. dierum, quos in lustrando Zodiaco, consumit Sol: vel 354. quos duodena cum Sole congressione numerat Luna. Sunt qui lunares esse putent, in quibus videtur esse Ambrosius lib. 4. Hexaëmeron, cap. 4. Basilius homil. 6. Hexaëmeron ad finem, vbi docent Hebræos annos potius lunaribus, quàm solaribus vsos. Sentiunt de his hebdomadibus Iulius Africanus lib. 5. de temporibus, vt refert hîc Hieronymus, S. Thomas, Beda lib. 3. in Esdram cap. 16. & lib. de ratione temporum, cap. 17. Rupertus in Danielem, cap. 16. Zonaras lib. 1. Annal. Petrus Comestor in Daniele cap. 10. Dionysius, & Hugo; neque improbat Pereira. Quorum hæc est ratio, quia Gabriel iuxta Hebræorum consuetudinem locutus est, qui lunaribus annis suam numerat ætatem, & gesta consignat non solaribus.

Sed quòd anni isti sint solares, tenent frequentes alij. In primis illi, qui per Græcorum, ac Persarum annos hæc septuaginta hebdomadum tempora dinumerant. Tertullianus aduersùs Iudæos cap. 8. Eusebius lib. 8. Demonstr. cap. 2. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. & quotquot per alienorum Principum ætates impletas esse annorum hebdomadas contendunt, qui sanè pauci non sunt. Nationes autem alias Solis cursum duodecimque signa Zodiaci annuum spatium metiri, non obscurum est. Sed dicunt expresse Lyra, Galatinus lib. 4. de arcanis, cap. 14. Salmeron prolegomeno 43. Franciscus Suarez disput. 1. contra Iudæos sectione 2. Ioannes Lucidus lib. 7. Genebrardus lib. 2. Chronologiæ in fine. Rationes verò non leuis sunt momenti; quia reuera cum addito tertio quoque anno, aut etiam aliquando secundo, vno intercalari mense lunaris annus ad solarem reuocatur: atque ideo non plures sint anni, quos duodenæ Lunæ periodi, quàm quos Sol Zodiaci lustratione complexerit, parum refert in hoc annorum numero, siue lunares numeres, siue solares annos. Rationes afferunt, cur ad solares annos reuocari debeant Hebræorum tempora Galatinus, Genebrardus, & Suarez suprà: illas ego in præsentia omitto, quia ad institutum parum sunt necessariæ, modò statuamus intercalarem esse mensem. Illud dico, si non esset mensis hic Embolimæus, 490. lunares annos, quos septuaginta efficerent hebdomades, ad 475. solares esse contrahendos. 67.

Abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super ciuitatem sanctam tuam Ierusalem, &c.] Ostendit Gabriel quænam 70. hebdomadum spatio euentura sint, quorum aliqua ad libertatem captiui populi, vrbísque, ac templi instaurationem; aliqua ad Christi aduentum, ciuitatis exitium, & Iudaicæ Gentis dissipationem, & interitum spectant. Quid hebdomadum tempus abbreuiatum, seu hebdomades abbreuiatæ significent, obscurum est, & variè à variis redditur, & exponitur. 68.

Augustinus epistola 80. ad Hesychium refert, improbátque quorundam sententiam, qui aiebant statuisse Deum seriùs per Christum salutem afferre, ac libertatem oppresso, ac laboranti mundo; & propter Danielis, atque aliorum iustorum preces tempus abbreuiasse, atque ad spatium non ita longum contraxisse. Quam sententiam acutè vexat, & expugnat Augustinus. 69.

gustinus. Quòd si Deum statuisse dicamus longius tempus tam Iudæorum exilio, quàm aduentui Christi, nisi iustorum intercedant preces, ita vt decretum esset non absolutum, & simplex; sed cum adiunctione aliqua conditionatum: quemadmodum Deus Genes. 6. statuit hominibus, vt à peccato resipiscerent centum, ac viginti annos: verumtamen quia neque homines, quem instituerant vitæ modum aut corrigebant, aut temperabant; neque spes erat vlla melioris vitæ, ex illa centum, & viginti annorum summa viginti detraxit, quia prius illud decretum absolutum non erat; sed conditione aliqua temperatum. Verùm, vt optimè Augustinus, nullum hîc eiusmodi conditionis in Scriptura sacra vestigium apparet.

70. Alij ideo abbreuiatas esse putant hebdomadas; quia cùm solarium annorum esse deberent, ad lunares coacti sunt; ita vt ex definito priùs numero quindecim anni detracti fuerint. Hi verò sunt illi fermè, quos antè docuimus in ea fuisse sententia, vt putauerint lunares esse, id est, breuiores annos. His adde Glossam interlinearem, & Iacobum Gordonium ex nostra Societate, qui cap. 15. ad periodum 7. cum his sentit, qui à Luna metiuntur hos annos, non à Sole. Ratio verò illa est, quia si vim spectes Latini vocabuli *abbreuiare*, nihil est aliud, quàm ex definita, aut naturali mensura aliquid detrahere; quomodo si ex tripedali ligno pedem adimas, & bipedale maneat; aut si ex triennali præfectura, vno sublato anno, biennalis fiat. Sic ergo cùm Deus conditionato decreto statuisset septuaginta hebdomadas annorum solarium, abbreuiauit illas, annis ad lunarem rationem contractis. Deinde quia Gabriel eo loquendi modo vti debuit, qui Hebræis esset familiaris: at Hebræi lunari periodo suos numerabant annos: à luna igitur sumere debuit annorum hebdomadas.

71. Sed est communior, minúsque difficilis illa sententia, quæ in hebdomadum abbreuiatione, definitionem, seu decretum breuis spatij considerat. Ita Theodoretus, & Galatinus lib. 4. cap. 14. & Suarez suprà, & Dionysius hîc, Vatablus, & Lyra. Definitio verò hæc, seu, vt Galatinus vertit, præcisio, seu prædestinatio, per abbreuiationem significetur, seu quia spatium illud speciatim definitum est; seu quia ex definitis antea annis, cùm plures transacti fuerint, pauci supersunt. Solemus autem vulgo hoc eodem dicendi genere explicare exiguum aliquod tempus, quod ex longo spatio reliquum est: quomodo senex, qui diu vixit, iam morti proximus verè diceret, abbreuiatum sibi esse vitæ tempus, quia breuis superest vitæ vsura; cùm tamen de spatio vitæ antè definito nihil detractum fuerit. Sic Iob cap. 17. *Dies mei breuiabuntur, & solum mihi superest sepulcrum*, id est, peracto iam vitæ curriculo, mors imminet. Et Ezechias Isai. cap. 38. cùm nihil esset decisum de vitæ spatio, quod illi conditionali decreto præstitueret, vt constat, quia adiecti sunt vitæ illius quindecim anni, vitæ, inquam, eo quem dixi modo definitæ; dixit tamen præcisam esse, id est, abbreuiatam, quia raptus videbatur in dimidio dierum suorum. *Præcisa est*, inquit, *velut à texente vita mea; dum adhuc ordirer succidit me*. Sic Mat. 24. dixit Christus breuiandos esse dies propter electos, id est, non futuros esse multos. Non itaque de prædestinato numero decisum est aliquid; sed longum tribulationis tempus decretum non est.

A

Adde his non magnum videri beneficium, si nihil aliud concessum esset Danielis precibus quàm quindecim annos ex tam longo spatio fuisse detractos: vt enim minus habent anni 490. si lunares sint. In vita quidem vnius hominis, quæ breuior est; aut in minori numero, non solet exiguum beneficium, aut leue computari detrimentum, si hic numerus quindecim annorum aut addatur vitæ, aut detrahatur: quale accepit Ezechias Isai. 48. cùm ad quindecim annos vsura vitæ producta est; aut cùm Gen. 6. è centum, & viginti annis ablati sunt viginti hominum vitæ; at in hac tanta summa quid in quindecim annorum accessione momenti est? 72.

B

Vbi vulgatus *abbreuiatæ sunt*, Heb. נחתך *nechtac*, in singulari numero. Neque tamen ideo alius est sensus, quàm à vulgato redditus. Aut enim singulare pro plurali ponitur, quod in lingua sancta frequens est; aut si singulariter accipias, definitum esse dicitur, quod 70. hebdomadum spatio futurum esse prædicitur hoc sensu. Hoc definitum est, vt in patria sua fiat per hoc 70. hebdomadarum tempus. Sic sanè hîc Hieronymus, *Audi quid in 70. annorum hebdomadis futurum sit populo tuo, & vrbi tua.* 73.

C

Rationes pro secunda sententia satis sunt infirmæ, & iam fermè à nobis dissolutæ. Neque enim verbum חתך *chatac*, aut Latinum *abbreuiare*, semper significat decidere aliquid à solido; aut detrahere è numero, vt diximus nuper: neque magis vsitatum est Hebræis à Lunæ, quàm à Solis curriculo tempora metiri. Immò, vt mihi verisimilè est, aut nunquam, aut perrarò lunaribus annis vsi sunt. Cúmque aliæ sint coniecturæ plurimæ, illa est non infirma, quæ ex hoc ipso Propheta sumitur. Nam cùm dixisset cap. 12. vers. 7. regnaturum Antichristum per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, per tres annos, & dimidium: deinde vers. 11. idem spatium temporis dierum computatione complexus, mille ducentos, & nonaginta numerauit. Tres autem anni cum dimidio lunares, dies tantùm continent mille ducentos, & triginta nouem, id est, minus quinquaginta, & vno die. Si verò solares anni fuerint, licèt non omnino illum dierum numerum adæquent; sunt tamen multo pauciores, nimirum duodecim: numeri autem exigui, qualis hic est, in magna aliqua summa ratio haberi non solet. 74.

Anni lunares rari apud Hebræos.

D

Super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, &c.] Summam priùs proponit Angelus eorum, quæ in hac visione, seu illustratione continentur, quæ deinde singulatim digerit. Quædam autem pertinent ad ciuitatem, populúmque Solymitanum, & Iudaicum, siue ad eius instaurationem statim ab exilio; siue ad euersionem post longa sæcula post Christi mortem: quædam ad spiritualem libertatem, & salutem per Christum, de quibus nos suo ordine. Obseruant hoc loco Theodoretus, Hieronymus, S. Thomas, Chrysostomus oratione 2. contra Iudæos, Eusebius lib. 8. Demonstr. c. 2. non dixisse Gabrielem Dei nomine *populum meum*, & *vrbem meam*; sed 75.

E

Quæ Deus non probat, aliorum esse dicit, non sua.

sed *populum tuum*, & *vrbem tuam*, quia quæ Dominus despicit, aut auersatur, non suo, sed alieno nomine compellat. Sicut Exodi capite 32. post adoratum vitulum dixit ad Moysem: *Vade, descende, peccauit populus tuus*, quasi dicat *non meus*; neque enim ego tali me dignor populo. Quod ideo dixisse videtur Angelus, quia in sua oratione Daniel, cùm diuinam sollicitaret clementiam ad ornandum, seu liberandum populum, vt ait Eusebius, populum appellarit Dei, montem Dei, ciuitatem, & sanctuarium Dei: nunc verò quasi nomen illud repellat, tanquam alienum, Danielis dicit hæc omnia, non sua.

76. Ad hæc ego nescio quomodo durior sum, & alias ob causas mutata puto fuisse pronomina, non propter odium, aut offensionem populi, iam enim ab illo satis fuerat pœnarum exhaustum; iam statuerat illum ornare, & habere pro suo; iam millies cùm de hoc extremo captiuitatis articulo, & in patriam reditu loqueretur, suum appellaret, & molliori etiam nomine sæpius affecerat Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, & Prophetas alios: quare non videtur, cur seuera hac appellatione notare debuerit. Ego ideo potiùs existimo, populum vocatum esse Danielis, vt ostendatur singularis Dei in Danielem beneuolentia, cùm in eius gratiam, tam esse velit in illum populum munificus. Quæ autem alteri propter nostri studium, vel amorem datum est, id nobis ipsis censetur esse concessum: quod si id, quod aliquo ornatur beneficio, nostrum est, nostrum quoque beneficium illud interpretamur. Quicquid ergo populo diuina liberalitas largita est, id totum Deus ascribit Danieli, quem tanto ardore precantem audierat, quémque virum desideriorum appellarat. Deinde quia non bene conueniunt & ciuitatem esse despectam, atque repulsam; & eandem à Deo vocatam esse Sanctam. Verba quæ nunc sequuntur grauia sunt, & magni cuiusdam beneficij pondus habent: quare in singulis explicandis plusculum nobis operæ ponendum est.

REGVLA. *Illi aliqua data existimantur, qua aliis ipsius gratia concessa sunt.*

77. *Vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas.*] Hæc iam beneficium continent illustre, ac multiplex, quod à Christi aduentu, ac singulari largitate mundus accepit, quod nobilissimam huius prophetiæ partem sibi vendicat. Neque enim vllo modo audiendi sunt, qui hæc à Christo summouent, & quàm longissimè statuunt à veritate. Hi verò sunt Iudæi, qui vt illustrissimum Christi testimonium eludant, aut obscurent, mille se versant modis, sed omnino frustrà. Catholici in huius loci explicatione non omnes conueniunt; licèt illorum nemo à Christo Domino hoc illustre vaticinium auertat. Quidam enim præuaricationis consummationem sic accipiũt, vt cumulum hîc peccatorum agnoscant, quæ extremam afferent Iudæorum populo vastitatem. Ita Eusebius libro octauo demonstrationum, capite secundo, Theodoretus hoc loco, Chrysostomus oratione secunda contra Iudæos, quasi ad finem hebdomadum occiso Christo implenda sit mensura peccatorum; & tantum Iudæorum scelus exilio perpetuo, & inexpiabili quadam ignominia mulctandum. Quibus dixit Christus, cùm in hæc intueretur tempora: *Implete mensuram Patrum vestrorum*, & Paulus primo ad Thessalon. capite secundo,

Peccatorum expectatur à Deo certa mensura.

A *Ipsi Dominum occiderunt, & Prophetas: & nos persecuti sunt, vt impleant peccata sua.* Quemadmodum verò Deus ad certum vsque peccatorum cumulum expectet, vt suum in peccatorem furorem vindicem effundat, docent multi ex Patribus: qua de re nos pluribus in illud Zachariæ capite quinto, *Et misit massam plumbeam in os eius.* Vbi hoc grauissimorum Patrum testimonio probauimus, Augustini, Basilij, Chrysostomi, Cyrilli, ac Theodoreti: quæ res pro moribus concionatori sacro grauissima est.

Frequentes alij consummationem pro fine sumunt; quasi delendum sit Christo aduenien- 78.
B te peccatum, ne iam videlicet amplius regnet in mundo: quomodo Isaias dixit capite quadragesimo; *Consolamini, consolamini popule meus, loquimini ad cor Ierusalem, quia completa est malitia eius: dimissa est iniquitas ipsius.* licèt alio fortasse sensu, vt nos in hunc Isaiæ locum putabamus. Quam sententiam satis, quæ proximè sequuntur, ostendunt.

Et finem accipiat peccatum.] Eadem est, quæ su- 79.
perioris clausulæ sententia, quæ tertio etiam iteratur, vt maior ostendatur illius certitudo, ac firmitas. Hebraicè pro *finem accipiat*, in quibusdam codicibus est להתם *lehatem*, à radice תמם *temam*, quæ significat *perficere*, seu *finem im-*
C *ponere*, quomodo sine dubio legit vulgatus. Ita est in editione Complutensi; & eodem modo atque vulgatus reliqui reddiderunt interpretes. In pluribus Hebræorum codicibus est לחתם *lechatem*, quæ vox sigillare, aut obsignare valet: & eodem modo legit Tertullianus libro aduersùs Iudæos, capite octauo; *Quoadusque inueterentur delictum, & obsignentur peccata*: eodem fermè modo Theodoretus. Sed est aut eadem, aut non admodum diuersa sententia. Nam quæ iam finita sunt, neque vlterius manum artificis desiderant, sigillari solent, & aliquo certo notari charactere. Aut certè quæ sic abscondita, aut suppressa volumus, vt nunquam emergant, aut
D in lucem, & libertatem prodeant, signatorio imprimimus annulo: quomodo Christi sepulcrum signatum est, ne quis conditum inde cadauer extraheret: & apud hunc Prophetam capite sexto lapis, quo obstruebatur lacus, Regis Darij & Optimatum annulo obsignatus est. Sic etiam obsignata dicuntur peccata, quasi iam compressa, atque eo in loco vt excitari non possint. In hunc sensum, opinor, accipiendum est illud impiorum Sapient. 2. vers. 5. *Nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Vmbra transitus est tempus nostrum: & non est reuersio finis nostri; quoniam consignata est, & nemo reuertitur.* Dicuntur
E autem finem accepisse peccata, aut esse deleta, licèt post Christi mortem adhuc viuant, & plusquam vellemus multiplicentur, & valeant; quia Christus ita perfectè pro hominum peccatis satisfecit, vt nihil sit reliquum quod non exoluerit; aut exigere possit summus iustitiæ rigor. Sic Isaias capite quadragesimoquarto, *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: reuertere ad me, quoniam redemi te.* Paulus ad Colossenses secundo, versiculo decimotertio, *Donans vobis omnia, delicta delens, quod aduersus vos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.* De hac re multa Scholastici Doctores.

Consignantur quæ absoluta sunt, aut quæ clauduntur.

Et adducatur iustitia sempiterna.] Vbi finem ac- 80.
cepit peccatum, & deleta est iniquitas; consequens est, vt illius loco sempiterna succedat iustitia,

ſtitia, quam adducet ille idem ſeruator Chriſtus, qui peccatum deleuit. Adduxit, inquam, quia iuſtitiæ noſtræ auctor; quia nobis meruit; quia Deum nobis conciliauit. Quidam hîc iuſtitiam intelligunt vindicatiuam: cùm enim nos pro delictis noſtris ſupplicium ſubire deberemus, illud in ſe Chriſtus pro nobis aſſumpſit; & ideo factus eſt iuſtitia noſtra, ſeu, quod idem eſt, noſtra ſolutio, iuxta illud Iſaiæ 53. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* Ita Hugo, & Dionyſius; licèt in aliam etiam ſententiam inclinent. Sed verior eſt illa, quæ accipit hîc iuſtitiam pro vera, atque interna, quæ homines conciliat Deo, & quæ Euangelica vocatur: quæ à Moſaica in eo maximè diſtinguitur quòd Moſaica, atque legalis externa eſt, quæ non tam emundat animam ab interna labe, quàm hominem externa aliqua cæremonia ad opus aliquod externum diſponit. At Euangelica internam intuetur, & quærit ſanctitatem. Hanc tamen variè varij explicant, ita tamen vt omnes eandem intueantur iuſtitiam, à qua Sancti ſumus, & grati Deo; non tamen omnes eodem reſpectu. Quidam in iuſtitia Chriſtiana intelligunt, qui noſtræ iuſtitiæ cauſa eſt, iuxta figuram illam, quæ cauſam adhibet pro effectu, quia nobis iuſtitiam meruit; & noſter iuſtificator eſt. Adducetur igitur iuſtitia, quia Chriſtus iuſtificator adueniet, qui illam adducet. In hunc ſenſum Paulus iuſtitiam noſtram appellauit Chriſtum 1. Corinth. 1. verſ. 30. *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Ita accipiunt Hebræi, vt refert hîc Hieronymus; inclinant in hanc ſententiam S. Thomas, & Hugo; dicunt expreſſè Theodoretus, & Vatablus, nec improbat Pereira.

Chriſtus iuſtitiæ noſtræ auctor.

Chriſtus quomodo iuſtitia noſtra.

81. Alij in *ſempiterna iuſtitia*, legem intelligunt Euangelicam; *iuſtitia* enim legem ſignificat apud Hebræos, vt millies audis Pſal. 118. Dicitur autem Euágelium iuſtitia per metonymiam, quia veram docet, proponítque iuſtitiam. Appellatur autem *ſempiterna*, quia non ſuccedet lex alia, quæ ipſam abroget, aut antiquet: ſicut legem veterem, & Moſaicam antiquauit Euangelica forma. Hoc indicat ſanctus Thomas dum explicans cur iuſtitia dicatur ſempiterna, ait: *Quia Chriſtus naſcetur, qui vincet iuſtitiam legis.* Eandem ſententiam amplectitur Hugo, & Pereira. Et quidem cùm conſtet agi hîc de vera, Euangelicáque iuſtitia, quam Chriſtus, & Euangelium induxere; licèt diuerſo modo, non multum refert hócne, an illo modo capies.

82. *Et impleatur viſio, & prophetia.*] Pro *impleatur*, Hebraicè eſt לחתם *lachtom*, quod, vt paulo antè diximus, *ſignare*, aut *ſigillare* valet, & ita legunt Theodoretus hîc, Tertullianus contra Iudæos, capite octauo, Chryſoſtomus oratione ſecunda contra Iudæos. Varia verò tranſlatio ex literarum ſimilitudine nata eſt. Vulgatus לחתם *lahatom*, quod *finire*, ſeu *implere*: alij, vt nunc habemus, in plerîſque Hebræorum codicibus לחתם, quod *ſigillare* valet. Sed, ſi rectè expendas, idem eſt in vtraque tranſlatione ſenſus. Sigillamus enim quæ perfecta ſunt, & plena quaſi iam aliena manu, aut complemento non indigeat. Sic ergo Chriſtus ſigillauit viſiones, & prophetias, quia imperfectum aliquid erant, & tanquam vmbræ, donec veniret Chriſtus: & quaſi vacua vaſa quæ Chriſtus impleuit; quæ verò plena ſunt, ſigillari ſolent, & imprimi dominorum annulo; vacua non item. Sic docuit ex prophanis Cicero, qui ſigillari dixit a matre lagenas vacuas, vt plenæ viderentur. *Mater*, inquit, *lagenas etiam inanes obſignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuiſſe, quæ furtim eſſent exſiccatæ.* Et vulgus Hiſpanorum ſigillatos vocat fauos in alueolis, qui ſic perfecti ſunt, vt nihil deſiderent; immò vt nihil iam illis addi poſſit. Hoc verò ſæpe ſignificatur in Teſtamento nouo, vbi Chriſtus dicitur impleuiſſe quæ ſcripta ſunt; & ideo ſæpè Euangeliſtæ dicunt, hoc aut illud factum à Chriſto, vt impleretur quod ſcriptum eſt per Prophetas.

Chriſtus prophetiarum complementum.

Sigillantur quæ plena ſunt, aut perfecta.

83. Aut certè quia illa ſigillamus, quibus addere volumus publicam, & indubitatam fidem, cuius rei cauſa geſtantur annuli ſignatorij: Videri alicui poſſent maximè ſi alienæ religioni eſſet addictus, nugatoria, & vacua aut inſtituta ſacrificia, & antiquæ vmbræ, quæ Chriſti paſſionem, atque virtutem portendebant, & Prophetarum oracula, quæ mira de Chriſto prædicabant: at poſtquam aduenit Chriſtus, & reipſa docuit propheticis verbis, aut antiquis vmbris non defuiſſe pondus, cùm nullum neque verbum, neque ſignum exciderit inane, illa ſua auctoritate confirmauit, & impreſſo ſigillo diuinam illis fidem adfuiſſe docuit. Sicut Rex annulo ſuo ſcriptis regiam conciliat fidem; de qua nemini deinceps dubitare licet.

Sigillantur aliqua, vt publicâ habeant fidem.

84. Sed eſt magis ſoluta, ac facilis vulgata tranſlatio: *Vt impleatur viſio, & prophetia*; quæ hanc ſententiam clariùs proponit, & aliam indicat magis fortaſſe propriam: quod nempe vbi Chriſtus aduenerit, ceſſatura ſit prophetia, & viſio, ſcilicet de Chriſto. Quia cùm frequentes de Chriſto venturo viſiones, ac prophetiæ fuerint, cùm iam aduenerit, otioſæ omnino forent, & mendaces ſi venturum prædicerent, quem veniſſe conſtabat. Quo argumento Tertullianus vtitur aduersùs Iudæos, capite octauo: *Quid eſt*, inquit, *quod dicit Angelus ſignari viſum, & prophetiam? quoniam omnes Prophetæ nunciabant de illo, quod eſſet venturus, & pati haberet: igitur quoniam adimpleta eſt prophetia per aduentum eius, propterea ſignari viſionem, & prophetiam dicebat. Ipſe enim ſignaculum eſt omnium Prophetarum, adimplens omnia, quæ retro de eo Prophetæ nunciauerunt. Poſt aduentum enim Chriſti, & paſſionem ipſius, iam non viſio, neque Propheta eſt, qui Chriſtum nunciet venturum.* Idem penè Chryſoſtomus oratione ſecunda aduersùs Iudæos. *Signare*, inquit, *viſionem, eſt ſiſtere viſionem. Vnde Chriſtus dixit Matthæi cap. 11. Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Idem Theodoretus hîc; & Suarez diſputatione prima contra Iudæos ſectione ſecunda. Et quidem hoc argumentum eſt contra Iudæos graue, qui Meſſiam aduenisse negant, cùm ante Chriſtum ſeruatorem frequentes fuerint de Chriſto prophetiæ; nunc neque vnam poſſint ab illo tempore nouam producere.

Chriſtus prophetias ſigillauit.

85. *Et vngatur ſanctus Sanctorum.*] Hebraicè קדש קדשים *Kodes, Kodaſim*, quas voces Recentiorum plerique vertunt *ſanctitatem ſanctitatum*. Ita Paginus, Iſidorus, & Vatablus: Tigurina *ſupremam ſanctitatem*: alij *ſanctum Sanctorum*. Hæc tanta varietas ex punctorum varietate prouenire potuit: eædem enim conſonantes literæ variis punctis notari potuerunt, quæ quia cum Hebraicis literis nata non ſunt, ſed multis pòſt ſæculis inuenta; poſteriorum quilibet ſuo arbitratu puncta

cta suppofuit. Sed vtcumque legant tam antiqui, quàm recentes interpretes, omnes hic neminem præter Christum agnoscunt, qui sanctus Sanctorum dicitur Hebraico idiomate; quia Sanctorum omnium sanctissimus; & *sanctitas sanctitatum.* Quæ dicendi forma hoc idem, sed dicendi modo magis significante valet: abstracta enim maius aliquid sonant, quàm concreta. Et nos cùm salutamus aliquem, cui aliquid honoris deferre volumus, abstractis vtimur titulis pro concretis: quare sanctitatem vocamus, & beatitudinem Pontificem summum; celsitudinem Principem; maiestatem Imperatorem. Sic ergo Christum sanctitatem vocamus sanctitatum, quia & ipse sanctissimus est omnium, & ab ipso ad alios deriuatur sanctitas; sicut de eius plenitudine omnes accepimus gratiam tanquam è capite in sua membra copiosè distillantem.

REGVLA. *Abstracta nomina pro cõcretis aliquid habent dignitatis.*

86. Hunc autem sanctum Sanctorum esse Christum, qui vnctus est à diuinitate vnctione à Deo excellenti, ac nobili, vt ἀντονομαστικῶς Messias, id est, Christus, seu vnctus appelletur, vt dixi, fatentur omnes pij, immò & impij Iudæi, nisi qui planè amentes, ac fatui videri volunt. In quem enim alium præclara hæc ornamenta, ac tituli conuenire possunt? Quis imponere finem peccatis, delere iniquitatem, iustitiam sempiternam addúcere, implere, seu sigillare prophetias potuit, nisi Christus? Addam hîc, quod optimè in hanc sententiam lib. 8. demonstrat. cap. 2. adducit Eusebius, vt illorum cogitationibus occurrat, qui hunc sanctum Sanctorum ex summis sacerdotibus aliquem esse crederent. Cùm enim sacerdotes essent plurimi, illique à ministerio sacrosancti dicerentur, non videbatur absurdum, si qui illorum esset maximus, & omnino Princeps, sanctus Sanctorum diceretur: Sacerdotem autem summum vngi solitum nemo nescit.

87. Sic autem Eusebius: *Cùm ego quidem nusquam in sacris literis inuenerim Iudæorum Pontificem sanctum Sanctorum nominari, arbitror in vnicum duntaxat Dei filium Verbum & propriè designari, & verè dignum tali appellatione constitui. His enim qui ex hominibus profecti sint, & ad eum virtutis gradum peruenerint, quem natura mortalis contingere potest, satis superque fuerit, si quando in partem, & communicationem quandam assumpti eius, qui dixit: Sancti eritis, quoniam sanctus ego Dominus, sancti appellentur. Sanctus autem Sanctorum quis tandem sit apud homines nominandus, præter vnum sancti dilectum puerum, qui vt Rex Regum, & Dominorum Dominus; ita etiam Sanctorum sanctus est appellatus. Vt igitur ei, vtpote qui præstantiori quodam modo sit vnctus, quàm omnes, qui vnquam terreno illo, atque elaborato Moysis oleo vncti fuerint, dictum est illud Psal. 45. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Quo quidem oleo vnctus ex propria persona apud Isaiam 61. ipse ait: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me. Quoniam igitur excellenti spirituali, ac potius diuinitatis vnguento solus præter omnes qui vnquam fuerint, Saluator noster vnctus esse perhibetur, meritò sanctus Sanctorum, tanquam si diceretur Pontifex Pontificum est nominatus. Aut etiam sanctificatus sanctificatorum, vt est in Gabrielis oraculo.* Hæc Eusebius.

Christus sanctus Sanctorum.

88. Verf. 25. *Scito ergo, & animaduerte, ab exitu sermonis, vt ædificetur Ierusalem vsque ad Christum ducem hebdomadès septem, & hebdomades sexaginta dua erunt.*] Rem aggredimur obscuram: quam tentarunt plures alij in exoluendis nodis multum, diúque versati, & in eo studio non infelices: neque omnino aliis, neque sibi vt arbitror satisfecere. Neque sanè mirum, cùm ab hoc tempore, in quo Daniel hunc hebdomadum numerum accepit ab Angelo, ad Christum vsque, qui harum hebdomadum finem obsignat, parum habeamus lucis à sacra historia, quæ à soluta captiuitate ad tempus vsque Euangelij, si non omnino, magna tamen ex parte interrupta est. Id verò quod profani tradunt Scriptores valde incertum est, qui interdum in rebus maximè notis sic inter se dissident; vt dum rem declarare student, & expedire, potiùs obscurent, & impediant. Adde quòd non apud profanos modò; sed apud sacros etiam scriptores imperfecti anni sæpe numerantur pro integris; interdum omittuntur, vt diximus suprà initio primi capitis. Ex quo fit, vt in magna summa, qualis est quatuor centum, & nonaginta annorum; (tot enim numerant septuaginta hebdomades) viginti annorum ratio habenda non sit, cùm plures esse possint, dimidiatos Regum annos numerando pro integris; aut certè pauciores eosdem omittendo, quòd integri non sint.

Porrò hebdomades istæ in tres partes videntur ab Angelo distribui, in hebdomades septem, in quibus ædificanda dicitur ciuitas: & in hebdomadas sexaginta duas, quæ ab eo ædificatæ ciuitatis tempore ad Christum vsque interiectæ sunt: & in hebdomadam vnam, candémque postremam, in qua Christus occisus, & inducta iustitia. De quibus postea suo loco pluribus. 89.

Duos hîc hebdomadum terminos definit Angelus: alterum à quo incipiant; alterum in quem desinant hebdomades. De fine nemo fere dubitat; de principio magna inter auctores controuersia est. Numerandas esse hebdomadas dixit Gabriel ab exitu sermonis, vt ædificetur Ierusalem. Videri autem potest multiplex hic sermonis exitus. Primus propheticus, id est, cùm per aliquem Prophetarum prædictus, atque promissus est: quomodo ab Isaia exiit cap. 45. vbi promisit Dominus se per Cyrum Regem erepturum Iudæos è Babylonio iugo, & ciuitatem antea subuersam reædificaturum. Sic ille vers. 13. *Ego suscitaui eum* (nempe Cyrum) *ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam: ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet.* Egressus item idem sermo à Domino per Ieremiam cap. 25. & c. 29. 90.

Exiit præterea primùm à Deo hoc ipso die, quo hac noua visione illustratus est Daniel, vt testis est Gabriel, à quo audiuit Propheta: *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo.* Aut exiit ab Angelo cùm hoc ipsum mandatum ad Danielem pertulit. Exiit præterea à Cyro, qui primo anno regni sui potestatem fecit Iudæis redeundi in patriam suam. Esdræ cap. 1. & 2. Paralip. cap. vltimo, & instaurandę sine dubio ciuitatis, vt constat ex loco nuper ex Isaia citato. Exiit item sermo ab ore Darij filij Histaspis anno regni secundo, vt habes Esdræ cap. 6. Tandem ab ore Artaxerxis, qui Longimanus esse creditur, qui, vt habes lib. 2. Esdræ cap. 2. permisit Nehemiæ, vt in patriam rediret, & Hierosolymam à Chaldæis excisam reædificaret. Hæc præcipua sunt capita, vnde egredi potuit ille sermo, qui aditum Iudæis ad excitandam vrbem, & ad optatam libertatem aperuit. Hinc ortum de hebdomadum 91.

domadum exordio inter auctores grande dissidium.

92. Quidam existimāt exitum sermonis esse promissionem illam per Ieremiam cap.29. de soluenda captiuitate post annum 70.& rursus ædificandam Ierusalem; quod planè in promissione de reditu intelligendum est. Neque enim exules in patriam restituti belluarum more in agris, locisque syluestribus degere debuerant: quod magis ipse statim explicuit cap.30. v.18. Hoc verò promissum à Ieremiæ ore audierunt Iudæi anno Sedeciæ quarto. Cùm ergo Daniel illius Ieremiæ verbi memor in preces se pro libertate populi, & ciuitatis constructione daret, aptè Gabriel eòdem spectās illius sermonis exitum hebdomadum initium videtur statuere voluisse. Ita Lyra hîc, qui tamen prius ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani hebdomadum duxerat exordium, Porchetus 1.p.victoriæ contra Iudæos, cap.11. Vatablus, Galatinus lib.4. cap.15. Burgensis. Sed sanè hanc cogitationem multa conturbant: primùm, quia ab illo Ieremiæ sermone ad Christum vsque passum, qui illam hebdomadum periodum absoluit, multo plures anni numerantur, vt postea ex annorum calculo magis apparebit. Deinde quia non bene cum promissione conuenit exitus sermonis de reædificanda Ierusalem, cùm illa nondum esset excisa: at excisam illam dolebat Propheta, cuius dolorem lenire voluit Angelus promittens breui factum iri facultatem captiuis vrbis instaurandæ. Maximè, quia multo etiam antè per Isaiam capite 45. sermo etiam egressus fuerat à Domino de reædificanda Ierusalem. Neque grauis apparet vlla ratio cur in illo sermonis exitu notari magis debuerit Ieremiæ, quàm Isaiæ vaticinium.

93. Hebræi veteres, vt docet hîc Hieronymus, has hebdomadas numerant à verbis Angeli, à quo sermo exiit, qui Danieli instauratione promittit Hierosolymæ, quod etiam tenet Tertullianus libro aduersùs Iudæos, cap.8. quod perinde est, ac si dicas: *Anno primo Darij Medi*, hoc enim anno, vt vidimus in principio, hunc à Deo sermonem accepit Propheta. Sed sanè Gabriel alium diuersum sermonem videtur indicare, ad quem attentionem excitat in animo Prophetæ. Neque satis, vt videbimus suo loco, congruit annorum computatio.

94. Cùm inter auctores fermè omnes conueniat inchoari hebdomadas à facultate, quam Persarum Reges fecerunt instaurandæ Hierosolymæ, & illam à variis factam esse constet; non tamen omnes in tempore, aut in facta facultate cōsentiunt. Quidam ab ea facultate hebdomadas ineunt, qua Cyrus & laxauit captiuitatem, & excitari templi ruinas non solùm permisit; sed etiam ex Regiis opibus subsidia præstitit non exigua, vt ex Esdræ liquet cap.1. & ex lib.2. Paralip.cap. vltimo. Ita putat Clemens Alexandrinus lib.1. Strom. Eusebius lib.8.demonstrat. cap.2. in prima expositione, Genebrardus lib.2. Chronologiç in principio, Maldonatus in cap.2. Ioan.v.20. Neque incommodat huic sententiæ, quod in edicto Cyri non continetur de ædificanda vrbe; sed de templo cōstruendo facultas: quia ex aliis locis non obscurè sumitur in eodem edicto tam vrbis, quàm templi fabricam esse consignatam. Sic Deus per Isaiam cap.44. *Qui dico Cyro: Pastor meus es; & omnem voluntatem meam complebis: qui dico Ierusalem: Ædificaberis, & templo, fundaberis.*

Cyrus facultatem fecit construendæ ciuitatis, ac templi.

Et de eodem cap. 45. *Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam: ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet.* Hoc ipsum 95. docet Iosephus lib.11. cap.1. vbi cùm referret epistolam ad Syriæ Satrapas in illa contineri tradit facultatem factam à Cyro vrbis excitandæ. Quod etiam tradit Iulius Africanus de temporibus, lib.5. & Eusebius lib.8. cap.2. Neque aliquid aliud cogitari prudenter potest de Rege neque imprudente, neque illiberali, quique non malè in Iudæorum genus erat animatus. Cùm enim eodem, quo antea, situ excitanda foret templi moles, non pateretur religiosam domum esse nudam à ciuibus: iis verò quis credat ad habitandum commodè negatam esse facultatem. Quòd verò sub tempore Cyri ædificari cœpta sit Hierosolyma, docent illi, qui de Iudæorum studiis sic ad Artaxerxem (qui Cambyses esse creditur Cyri filius) *Notum sit Regi, quia Iudæi, qui ascenderunt à te ad nos, venerunt in Ierusalem ciuitatem rebellem, & pessimam, quam ædificant extruentes muros eius, & parietes componentes.* Adde quòd nimium obscurè egisse videretur Angelus, si in sermonis exitu, cùm tot essent de libertate, atque vrbis constructione sermones, nihil statuisset certum, nisi primus locus, aut facultas prima, de qua acturus videbatur, definiisset rem obscuram, & incertam.

Alij hunc annorum numerum ab anno secundo Darij Histaspis ducendum putant. Ita 96. Eusebius lib.8.demonstrat.cap.2. in expositione secunda, & in Chronico, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 12. vbi tamen illum Darium Medum appellat; sed in eo fallitur, quia non fuit Darius Medus, cuius anno octauo, vt ait ille, (cùm tamen dicturus esset sexto, iuxta Esdræ caput sextum) perfecta fuit templi fabrica; sed filius Histaspis. Tenet Driedo libro tertio de sacris Scripturis, cap.5.p.4. Iansenius cap.122. concordiæ. Quòd verò Darius iste facultatem fecerit vrbis, ac templi construendi, non leuis coniectura est, quia anno secundo Darij apud Zachariam capite primo, & anno quarto apud eundem capite septimo Zacharias, & Aggæus prophetabant in Ierusalem, & in templi, ciuitatisque fabricam sub Zorobabele incumbebant Iudæi ab exilio reduces, vt liquet ex Aggæo capite primo, vbi ideo Iudæi corripiuntur à Propheta, quòd studiosiùs in suarum domorum, quàm in templi constructionem essent intenti. Sed habemus id expressè magis apud Esdram lib.3. cap.41. vbi cùm Artaxerxes prohibuisset Iudæos à templi, ciuitatisque fabrica, abrogato Xerxis edicto, facultatem renouauit Darius, misitque Zorobabelem, & Iesum filium Iosedech, & alios Principes, qui opus iam dudum interruptum vrgerent. *Omnibus*, inquit, *præfectis qui erant in Syria, & Phœnice, & Libano scripsit epistolas, vt traherent ligna Cedrina è Libano in Ierusalem, vt ædificarent cum eis ciuitatem.* Vide totum caput; vide item Iosephum libro vndecimo, capite quarto & quinto.

Bis Artaxerxes, qui communiter existimatur 97. fuisse Longimanus, Iudæis, qui adhuc Babylone morabantur, facultatem fecit ædificandi templi; neque leue ad opus illud subsidium impertiit: semel anno septimo regni sui, vt habes Esdræ libro primo, capite septimo, & iterum anno vigesimo, vt liquet Nehemiæ capite secundo. Quidam igitur hebdomadas inchoari putant ab anno septimo, quidam ab anno Xerxis

xis vigesimo. A septimo putat Cedrenus in compendio historiæ, & alij è Recentioribus. Sed est communior opinio illorum, qui anno Xerxis vigesimo auspicantur hebdomadas. Hanc tenuit Iulius Africanus, vt docet hoc loco Hieronymus, sanctus Thomas hîc, Chrysostomus oratione secunda contra Iudæos, Theodoretus, Beda libro de ratione temporum, capite septimo, Rupertus libr. in Danielem capite 15. Petrus Comestor in Danielem capite decimo, Zonaras tomo primo Annalium, Galatinus libro quarto, capite 16. Dionysius, & Hugo, & latè Pereira, Suarez tom. 1. in 3. p. S. Thomæ disputatione prima, sectione secunda, & latissimè, atque optimè Salmeron prolegom. 43. & nouissimè Iacobus Gordonius in suo Chronico cap. 15. ad periodum septimam.

98. Antequam quicquam de hebdomadarum exordio definiam, obseruandum est primò annorum computationem sub hæc tempora esse indagatu difficillimam: quia à sacra historia vix aliquid habemus subsidij, cùm à reditu ab exilio ad Christum vsque, quo dierum interuallo septuaginta clauduntur hebdomades, temporum ordo aut obscurè notatus fuerit, aut sæpius interruptus; cùm etiam sacra historia sæpe sit interrupta. Et ab Esdra ad Machabæos, & inde ad Christum prorsus omissa. A profanis autem quid certò definiri possit, nihil habemus. Neque verò mirum si in computandis annis tanta sit inter illos, támque frequens dissensio, cùm neque de Regum numero, per quorum ætates, vel imperia tempora digesserint, vbique conueniant. Accedit, quòd sæpe occurrunt interregna; interdùm qui tyrannicè imperium aut occuparunt, aut moderati sunt à Regum excluduntur ordine. Deinde quòd anni interdum imperfecti omittuntur; interdum pro integris habentur, qui numerandi modus in grandiori aliqua summa aut multos addat; aut multos annos detrahat necesse est. Qua de re optimè Pereira hoc loco.

99. Secundò obseruandum nullam inter profanos commodiorem visam esse rationem numerandi tempora, quàm eam, quæ fit per Olympiades, de quibus pluribus hîc Pereira. Constat autem quælibet Olympias quadriennali spatio; quia post quartum quemque annum ludi instaurabâtur Olympici, sic appellati, quia Olympio Ioui consecrati. Cùm autem ad illos è tota Græcia, immò & toto fermè mundo maximi fierent conuentus, annus ille toti fermè mundo notissimus erat, qui Olympiadem quamque inchoaret, vel finiret. Hinc factum est, vt ante institutas Olympiadas profani Annales multis essent consuti mendaciis; quia nullum habuerunt notum, & ratum tempus, quod profanam consignaret historiam. Quare, vt Clemens libro primo Stromat. ex Sosibio refert: ex eo tempore fidem habere cœperunt fabulosa priùs Græcorum monumenta; quia notatum habuere certum tempus, ad quod rerum gestarum ordinem referrent. Idem ex Varrone Censorinus libro de die natali, qui duo constituit tempora: alterum quod Olympiadum constitutionem antecessit, quod vocauit μυθικὸν, id est, *fabulosum*: alterum post Olympiadas, quod ἱστορικὸν vocat, id est, *historicum*, quasi certum, & verum, quæ temporum notatio Scriptorem aliquid affingere veritati non finit. Idem Iulius Africanus apud Eusebium libro decimo

Olympias quot annos contineat.

Historia quando cœpit habere fidem.

A de præparatione, capite vltimo, & Eusebius ipse in Chronico ad primam Olympiadem. Quam numerandi rationem per Olympiadas plurimum probat Augustinus libro secundo de doctrina Christiana, capite 28. licèt in hac etiam numerandi ratione auctores neque rarò inter se, neque leuiter dissentiant. Quare Olympiadum quoque interdum laborat fides.

Ad hanc igitur rationem & regulam explorabimus hoc hebdomadum tempus quàm potuerimus exactissimè, quando vlla commodior ratio iniri non potest. Et primùm quando iam definitum est hunc septuaginta hebdomadum B numerum in Christi passione terminari; statuamus oportet qua Olympiade Christus obierit, & ab eo tempore retrò reuocemus rationem, & calculum, donec 490. annorum numerum compleamus; & eo tempore egressum esse sermonem de reædificanda Hierosolyma, verisimili coniectura dicamus. 100.

Obiisse Christum anno quarto Olympiadis 202. docet in Chronicis Eusebius, quod probat ex Phlegonte antiquissimo Scriptore, qui mirabilem illam eclipsim, quæ moriente Christo contigit, in illam Olympiadem incurrisse dicit: & probat communis illa sententia, quæ Christum passum esse dicit anno Tiberij 18. C seu 17. qui anni in tertium, seu quartum Olympiadis illius annum incurrunt. Et facit huc, quòd constanti omnium penè sententia Christus natus est Olympiade 194. Quod item docet Kalendarium Romanum ad diem 25. Decembris: quòd si Christus trigesimo ætatis anno mortuus est; consequens est vt Olympiadis 202. obierit: atque ideo tunc fuerit hebdomadum septuaginta absoluta periodus. Decurrantur ergo retrorsum centum ac viginti duæ Olympiades; tot enim in septuaginta annorum hebdomadibus continentur; & eo tempore egressus est sermo, vbi annorum ille numerus fuerit expletus: explebitur autè Olympiade 80. aut eo circiter. D 101.

Christus quota Olympiade natus, & mortuus.

Hinc primùm colligo sermonem, à quo hebdomades illæ septuaginta ducuntur, non esse Isaiæ; quia cum ipso penè ortæ sunt Olympiades, & quarta fortassis, aut quinta Olympiade verbum fecit propheticum de Cyro instauratore templi, atque vrbis, de quo cap. 44. & 45. Hinc etiam fit neque de sermonibus Ieremiæ cap. 25. & cap. 27. quia annus Sedeciæ quartus, quo tempore habiti existimantur, in Olympiadem incidit 45. Idem etiam dicendum de edicto Cyri, aut de verbis Gabrielis, quæ eodem penè tempore libertatem populi, & vrbis instaurationem promiserunt, Olympiade nempe 55. Idem dicamus necesse est de Darij filij Histaspis decreto, E quo Iudæis renouauit facultatem, quam priùs obtinuerant à Cyro; annus quippe hic secundus in Olympiadem 64. incurrit. 102.

Reliquum est igitur, vt ortas Artaxerxis Longimani ætate dicamus hebdomadas; quando à nullo alio legimus factam esse Iudæis copiam ciuitatis reædificandæ. Sed cùm bis ab Artaxerxe permissa fuerit hæc facultas: primùm Esdræ anno 7. vt constat Esdræ lib. 1. cap. 6. iterum anno 20. Nehemiæ, vt habes in eius lib. cap. 2. De secunda facultate intelligunt plerique hunc sermonis exitum; non de prima. Neque rationes illius cogitationis infirmæ. Prima, quia à septimo anno non est data ciuitatis construendæ; sed tantùm templi reædificandi co- 103.

pia: secus autem cap.7. vbi expressè in edicto regio facultas datur Nehemiæ vrbis instaurandæ. Secunda, quia si Esdræ concessum esset à Rege, vt vrbem excitaret; non erat quod illam iterum Nehemias oraret, quam sciebat ante annos tredecim Esdræ fuisse concessam; sed tantùm quòd renouaret, confirmarétque quod antè concesserat, quod poterat & cum minori verecundia postulare, & impetrare faciliùs. Tertia, quia Eccli. cap.49. vni tribuitur Nehemiæ rediuiua ciuitas & instaurati muri. *Et Nehemias in memoria multi temporis: qui erexit nobis muros euersos, ac stare fecit portas, & seras; qui erexit domus nostras.*

104. Hæc mihi sententia ideo maximè placet, quia pluribus placet; & quia fundamentis nititur non infirmis. Neque tamen improbatur illa, quæ ab anno Artaxerxis septimo hebdomadum deducit exordium. Quod ideo mihi videtur non difficile; quia ab anno illo septimo ad Olympiadem ducentesimam secundam, in qua passus est Christus, septuaginta annorum continentur hebdomades. Incidit annus ille septimus in Olympiadem 80. aut eo circiter. Computationem autem per Olympiades, vbi rationem temporum Scriptura non suggerit, omnium certissimam esse diximus. At si ab anno vigesimo Artaxerxis numerare incipias, tredecim annos minus inuenies, quantum videlicet spatij est inter septimum ac vigesimum annum. Viderunt hæc quidam ex illis, qui annum vigesimum hebdomadum exordium esse voluerunt; & quo spatium illud totum implerent, annos illos solares esse negant, & lunares faciunt, qui nimirum vndecim dies minus habent, quàm solares: quare toto illo hebdomadum decursu quindecim annorum accessio fit. Sed iam à nobis satis, vt arbitror: suprà, illa lunarium annorum computatio confutata est. Neque enim video quo loco anni inter Hebræos numerentur lunares, id est, vndecim diebus solaribus breuiores. Nam etsi id aliquando contingat, quod iuxta Hebræorum Neomenias, & mensium initia necessarium est: at intercalaris mensis, qui iuxta dierum incrementa frequenter adiicitur, lunares annos solaribus adæquat. Et quidem si cùm solares anni, eo intercalaris mensis adminiculo Hebræis fiunt in vsu; etiam lunarium, id est, lunarum duodecim haberetur ratio, siue in Olympiadibus, seu hebdomadibus annorum numerandis, magna in rebus omnibus orietur confusio, essétque annorum, ac temporum series vehementer implexa.

105. Neque rationes, quæ ab aliis afferuntur, nimis vrgent, atque debilitant cogitationem hãc. Neque enim, vt puto, minor est anno septimo Esdræ concessa facultas reædificandæ ciuitatis, quam anno vigesimo Nehemiæ: quod etiam puto dicendum de edicto Cyri, & Darij filij Histaspis. Neque enim ausi fuissent Iudæi in ciuitatis fabricam incumbere, nisi per regia edicta fieri liceret. Quod autem Cyri edicto permissum fuerit ciuitatem instaurare, satis ex Isaiæ vaticinio constat tunc cap.44. vers.28. *Qui dico Cyro, pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis: qui dico Ierusalem, ædificaberis.* Et cap. 45. vers.13. ita Deus de Cyro, *Ego suscitabo eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam: ipse ædificabit ciuitatem meam.* Qua de re nos pluribus paulo antè. Et idem, credo, permissum à Dario. Sanè cùm constaret ædificari ciuitatem, vt nos suprà diximus cùm de Cyri edicto loqueremur, non prohibuit illam ædificari: neque est verisimile cùm tam se in Iudæos, ac templi fabricam studiosum, ac liberalem ostenderet, vt ex 1.lib. Esdræ, cap.6. liquet, non etiam permissurum, vt commoda etiam ciuibus esset habitatio, quod ad templi quoque dignitatem pertinebat.

Quòd verò Artaxerxes anno septimo instaurandæ etiam vrbis facultatem dederit Esdræ, persuadet non difficile, quod lib.1.cap.7.vers.6. nihil Esdræ dicitur esse negatum. *Dedit ei Rex secundùm manum Domini Dei eius super eum, omnem petitionem eius.* Quod autem concessum tunc Esdræ fuerit, vt ciuitatem constitueret, ab ipso docemur Esdra statim cap.9. vers.9. *Inclinauit* (Deus) *super nos misericordiam coram Rege Persarum, vt daret nobis vitam, & sublimaret domum Dei nostri, & extrueret solitudines eius.* Pondero illud *solitudines*, quod non videtur ad templum pertinere, quod perfectum fuerat anno Darij sexto, vt constat lib.1.Esdræ, cap.6. vers.15. *Compleuerunt domum Dei istam vsque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus Darij Regis.* Quòd si de templo tantùm, & non etiam de ciuitate cogitationem suscepisset Artaxerxes, non dedisset amplissimam redeundi facultatem laicæ, atque profanæ; sed tantùm sacerdotali, ac Leuiticæ turbæ, quia hæc altari seruiebat, & templo: laicæ verò multitudini extra septa templi viuendum fuit. Audi decretum Artaxerxis Esdræ 1. cap.7.v.13. *A me decretum est, vt cuicumque placuerit in regno meo de populo Israël, & de sacerdotibus eius, & de Leuitis ire in Ierusalem, tecum vadat.* 106.

Neque incommodat, credo, huic cogitationi, quod Nehemias postea cap.20. ab hoc eodem Artaxerxe petierit ædificandæ ciuitatis copiam. Nam etiamsi ab aliis accuratè construeretur, & liberè; opus tamen illud prolixum, & arduum plures exigebat manus, & sumptus magnos, quales fortasse qui tunc publicis, atque priuatis ædificiis sedulam nauabant operam, præstare non poterant: quare auxilio illis optabat esse Nehemias, vt & operas adderet, & iuuaret expensis. Quod enim eodem tempore in construenda ciuitate laborarent Iudæi, ipse docet Nehemias cap.2.v.16. vbi Magistratus, & Optimates intentos esse dicit operi faciendo, non quidem ædificando templo, quod iam antea dudum absolutum fuerat, anno videlicet sexto Darij filij Histaspis. 107.

Ego quidem sic opinor non tam Nehemiam à Persarum Rege postulasse facultatem instaurandæ vrbis, quam haberet iam ab ipso Rege; quàm sibi vt liceret aliquandiu abesse ab aula regia, in qua Regi minister erat à poculis, vt habes Nehemiæ cap.2.v.1. Erat autem, vt apparet, Regi gratissimus; quare cùm ægrè ferret à se diuelli Nehemiam, non sine causa verebatur orare à Rege, sibi vt cum bona ipsius gratia liceret in patriam secedere, & procul abire à regio conspectu. Quod autem hoc vnum exoratum esse voluerit à Rege ipse docet vers. 4. Cùm enim Rex dixisset: *Pro qua re postulas?* ipse subdit, *Oraui Deum cœli, & dixi ad Regem: Si videtur Regi bonum, & si placet, seruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudæam ad ciuitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam.* Quàm verò Rex grauiter ferret abesse Nehemiam ab aula, suadet id quod additur mox, *Dixitque mihi Rex, & Regina, quæ sedebat iuxta eum: Vsque ad quod tempus erit iter tuum? &* 108.

quando

quando reuerteris? Et placuit ante vultum Regis,& misit me,& constitui ei tempus. Cùm autem hoc vnum peteret à Rege Nehemias; Rex tamen noluit illum nudum ab opibus, aut à regia fide, atque auctoritate dimittere; sed instruxit opibus, & ea auctoritate muniuit, quæ apud omnes, qui Persico suberant imperio, grauis esset futura.

109. Locus porrò Ecclesiastici, non valde facit contra hanc sententiam, ita enim affirmat Nehemiam erexisse muros, statuisse portas, & construxisse domos, vt non neget in illis iisdem ab aliis operam esse positam. Dicitur autem hæc præcipuè fecisse Nehemias, quia quæ ab aliis inchoata fuerant, absoluit: opus autem plerumque quocumque in genere, illius fortunæ, vel industriæ adscribitur, non qui supposuit operi fundamentum; sed qui rei ab altero fundatæ fastigium imposuit. Quare optimè Tullius lib. epist. 10. ex Homero non Aiacem, aut Achillem, sed Vlyssé πτολίπορθον appellat, id est, *euastatis vallatorem*. quia bello Troiano astutia sua capto, atque incenso Ilio finem imposuit; cùm tamen aliorum in eodem conatu neque exigua, neque inutilis opera posita fuisset. Adde quòd, vt docuimus suprà cap. 4. num. 55. ille dicitur ædificasse aliquid, aut fecisse opus, qui rem ab aliis inchoatam, immò & absolutam ornauit, & auxit: qualiter se gessisse videtur hoc loco Nehemias.

Regula. Opus illi sæpius tribuitur, qui illud absoluit.

110. In hanc ego sententiam libentiùs discederem, quia magis quàm aliæ videtur expedita: neque rationes in oppositum vehementer vrgent, vt vides. Tenet hanc Cedrenus in compendio historiarum; in eo tamen errat, quòd hanc Artaxerxis annum octauum esse dicit: & Salmeron, licèt omnium studiosissimè superiorem sententiam tueatur; hanc tamen censet non improbabilem. Sed sanè quocumque has hebdomadas considerers, quocumque modo accipias, à quocumque ex supradictis temporibus ordiare, constat iam sæpius esse transactas. Quare Iudæis ab hoc Danielis vaticinio acutum intorquetur telum, quod illi, vt maximè declinare studeant, nunquam effugient. Hæc à me dicta sunt pro rei magnitudine strictim, & breuiter; pro meo instituto satis longè. Plura vide apud Salmeronem prolegom. 43. & Suarez disp. 1. contra Iudæos, & Pereiram: ex Antiquis vnus pro multis est Hieronymus, qui accuratè Antiquorum sententias potius adduxit, quàm induxit suam. Nûc reliqua persequemur e textu, ex quo necessariò, neque arbitror sine operæpretio digressi sumus.

111. *Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem.*] De sermonis exitu satis à nobis, supérque dictum. Pro *vt iterum ædificetur*, Heb. est לְהָשִׁיב *lehasib.* id est, *ad reuerti faciendum*. Est autem apud Hebræos familiare maximè huiusmodi verbis, quæ rerum iterationem significant: qualia sunt *conuerto, reuerto, addo, adiicio*, & similia, vt verba pro cognatis aduerbiis vsurpentur, aut eo cõstituantur modo, vt per aduerbia explicari debeãt, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Isaiam cap. 6. num. 45. Iob cap. 7. *Non reuertetur oculus meus videre bonum*, id est, non iterum videbit. Psal. 85. *Conuersus viuificabis nos*, id est, iterum viuificabis. Gen. 38. *Addidit loqui*, id est, iterum locutus est. Quem loquendi modum expressit Hispanus ab Hebræis, dum dicit, *Voluio à decir, Torno à leer.* Quare quod Hebræus iuxta sermonis sui proprietatem redderet, *vt reuertere tur ædificari*, optimè vulgatus reddidit, *vt iterum ædificetur.*

Regula. Verba per aduerbia explicata explicari solita.

A *Vsque ad Christum ducem.*] Hunc Christum quidam Cyrum esse putant, quem Deus ipse Isaiæ cap. 45. Christum suum appellat. Alij Zorobabelem: alij Iesum filium Iosedech, qui in reducendo ab exilio populo Principes extiterunt, & duces: alij alios. Vide Galatinum lib. 4. cap. 17. vbi varia refert Hebræorum deliramenta. Sed horum errorem Gabrielis verba apertè confutant. Quomodo enim stare potest, vt à sermonis exitu septuaginta hebdomades transierint ante hos duces, cùm penè ipsorum imperio seu principatu natum sit regnum illud decretum de instauranda vrbe, immò, vt suprà ostendimus, multo antè. 112.

Christus, & dux non Zorobabel, neque Cyrus.

B Illud verò minus quidem improbabile; improbabile tamen, in quo male penè interpretes omnes accipiunt Eusebium, quod in hoc duce Hircanum Pontificem intelligat, in quo defecit & genus sacerdotale deductum ad illud vsque tempus ab Aaron; & tempus Sacerdotio à Moyse definitum. Occiso quippe Hircano, qui ex genere erat Aaron, vtpote ortus à Machabæis, Herodes, qui illius cædis auctor fuit, peregrinis hominibus, saltem alienis ab eo genere, sacerdotium detulit: ex quo tempore neque perpetuum fuit, neque legitimum; sed venale potiùs, & eo nomine quasi profanum, & vile. Fuit autem illud tempus notatum, aut certè notabile C Iudæis, quo tanta, támque grauis facta est in tam illustri, ac sacrosancto ordine mutatio. Atque ideo non immeritò putat Eusebius illo hebdomadarum spatio legitimum Hebræorum sacerdotium definiri. Hircanum verò optimè vocari posse dicit Christum, & Ducem: Christum quidem, quoniam vnctione sacra initiabatur, constituebatúrque Sacerdos, vt constat: Ducem autem, quia post reditum è Babylone res Iudaica per sacerdotes administrata fuit, qui etiam Principes fuerunt, & duces, & eam apud omnes auctoritatem nacti, vt ausi fuerint regium sibi nomen assumere; sed frustrà, vt inquit Hieronymus in cap. 21. Ezechielis, quia non erant è D regia tribu, sed Leuitica. Qua de re nos in cap. illud Ezechielis quæstionem instituimus. 113.

Sed, vt dixi, malè ab aliis eo nomine accipitur Eusebius; tum quia rem tantam Christo eripit seruatori, attribuítque rei, de qua non admodum laborandum videbatur, eo maximè tempore, in quo iamiam antiquo sacerdotio finis instabat: deinde quia à Cyro, à cuius anno primo hebdomadas hasce deduci putat, ad tempus Hircani, plures sunt anni quam qui illa hebdomadum periodo continentur. Primus namque annus imperij Cyri, vt ipse in Chronico, & hoc ipso in loco disertè docet, in 55. Olympiadem incidit; Hircani mors, & sacerdotalis ordinis E tanta mutatio, cuius ratio obseruari debuit, si quid in Hircano obseruatione dignum, in Olympiadem incidit 186. Quare anni interesserunt inter vtrumque terminum plusquam quingenti. De ortu verò, aut regno Hircani cur tam illustre vaticinium explicari debuerit, non video. 114.

Maneat igitur, quod communis sententia probat; neque negant Hebræi, vt dicit hîc Hieronymus, illum ducem, de quo nunc Daniel esse Christum seruatorem, qui in Scriptura sæpe Dux appellatur. Isaias cap. 55. *Ecce dedi eum testem Gentibus, Ducem, & præceptorem populis.* & Micheas cap. 5. vt à Matthæo cap. 2. citatur, *Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël.* Et 115.

Christus dux.

 sanè

ſanè,vt cuilibet promptum eſt videre, ille idem dicitur Dux, ille poſt hebdomadas 69. moriturus, qui ſuprà vocatus eſt ſanctus Sanctorum, qui iuſtitiam adducet, qui finem imponet prophetiæ, qui iniquitatem delebit: at quis alteri quàm Chriſto, ſeu Meſſiæ tribuendum putet? Pluribus hanc Euſebij ſententiam exagitat Salmeron prolegom.45.& Pereira hic; illos tu vide.

116. *Hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt.*] Hic nobis expendendum, cur nouus hic numerandi modus adhibitus à Propheta; ſolet enim numerus maior præcedere, ſubſequi minor: deinde cur ſeptem à ſexaginta duabus ſeparantur hebdomadibus? Hieronymus hoc loco. *Non,* inquit, *monemur, quod primum numerentur ſeptem hebdomadæ, & poſtea ſexaginta duæ, & rurſum vna quæ in duas partes diuiditur. Eſt enim idioma ſermonis Hebraici, & antiquorum ſermonis Latini, vt ante minorem numerum ſupputent, & poſtea maiorem. Verbi gratia, nos iuxta proprietatem linguæ noſtræ nunc dicimus, Abraham vixit annos centum ſeptuaginta quinque, illi è contrario loquuntur, vixit Abraham quinque & ſeptuaginta, & centum. Non igitur vt legitur ita impletur; ſed vt totum pariter ſupputetur, ita finem accepit.* Et iterum lib.2. contra Iouinianum: *Omnis ſcriptura maximè vetus minorem præponit numerum, & ſic ad maiorem gradatim conſcendit. Hinc dictum eſt, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt.*

REGVLA. *Numerus minor maiorem præcedit.*

117. Eſt quidem Hieronymi regula certiſſima, quã nemo, qui in Hebraicis mediocriter verſatus eſt, ignorat. Sed hîc alij nonnihil deprehendunt, quod hanc computandi rationem præſertim induxit. Cùm enim, vt putant Africanus, & Euſebius, & cum illis è Recentioribus alij, & Salmeron citato ſæpe prolegomeno, Pereira, & quidam alij hoc ſeptuaginta hebdomadum ſpatio multa fiant, quæ vel optabat Daniel, vel optare poterat, certè quæ Danieli non poterant eſſe non gratiſſima, illa tribus poſuit diſtincta temporibus. Erat ſollicitus Daniel de ciuitate ſua, quæ Iudaici imperij ſedes, & quaſi fundamentum erat; quam videbat ſic eſſe vaſtatam, vt in ea potius ferarum latibula, quàm euerſæ ciuitatis ſpectari poſſent obſcura veſtigia. Huius igitur inſtaurationi priores, ex illo numero ſeptuaginta hebdomadum, ſeptem aſſignat, quæ incipient ab eo tempore, in quo reædificandæ ciuitatis copia fiet: & ideo rerum ordinem ſecutus Gabriel priùs ſeptem meminit hebdomadum. Ab eo ruſus tempore, quo illis tranſactis hebdomadibus, abſoluta iam erat ciuitatis conſtructio, aliæ ſuccedent ſexaginta duæ ad illud vſque tempus, in quo Chriſtus ſe terris ducem, atque magiſtrum oſtendet; quando videlicet qui antea latuerat, docere cœpit, & Euangelicis legibus mundum informare. Sed quia poſtrema, id eſt, ſeptuageſima hebdomas multis erat nobilitata myſteriis; ideo illam ab aliis ſeorſum numerauit. Hæc ſatis videtur grauis eſſe cauſa, cur Angelus hanc adhibuerit numerandi formam, qua vſus eſſet, opinor, etiam ſi contrà ſtaret Hebræorum idioma.

Septuaginta hebdomades trifariã diſtributæ.

118. Hæc eſt communior interpretum ſententia, &, meo iudicio, magis expedita; non tamen ex antiquis defuerunt, qui contrà ſenſerint, voluerintque hebdomadas ſeptem ab aliis diuulſas poſteriores eſſe; atque ideo ſexaginta duabus ſubiiciendas. Ita Tertullianus, & veteres Hebræi, vt refert Hieronymus, quod etiam putauit Theodoretus, qui tamen variè ſuam cogitationem explicant, & probant. Quidam ad Chriſtum natum ſexaginta duas hebdomadas deducunt: inde ad templum euerſum à Veſpaſiano reliquas ſeptem. Alij Chriſti paſſione ſexaginta duas hebdomadas definiunt; reliquas ea ciuitatis vaſtatione, quam induxit Ælius Hadrianus. Neque deeſt qui hebdomadas illas ſeptem templo illi aſcribendas putet, quod excitàuit Herodes paulo ante Chriſti ortum, eo opere ac ſumptu, vt non multo videretur inferius Salomonio. Sed hæc temporum ratio, atque hebdomadum diſtributio conturbat computationem illam, quam antè per Olympiadas ducebamus. Id neceſſariò ſentire debent, qui ſexaginta duas hebdomades Chriſti Baptiſmo claudunt: de quibus ſtatim. Neque id obſcurè docet Gabriel, cùm poſt hebdomadas 62. occidendum dicit eſſe Chriſtum.

119. Antequam ex his hebdomadũ ſexaginta duarum ſalebris emergamus; explorato opus eſt, quo Chriſti tempore finiantur, hinc enim ad reliqua minus erit difficilis via. Quidam Chriſti natiuitate definiunt, ita Hippolytus Martyr, vt refert hic Hieronymus, & Cyrillus catecheſi 12. Tertullianus contra Iudæos cap.2. Sed eſt penè communis illa interpretum cogitatio, quæ finem illarum ſtatuit in Chriſti baptiſmo, quo tempore cœpit manifeſtius, & quaſi ex inſtituto agere magiſtrum, & ducem. Ita Euſebius lib.8. demonſtr.cap.2. in expoſitione ſecunda. Theodoretus in hunc locum, Zonaras tom.1. Annal. Albertus, Dionyſius, Ioannes Lucidus, Salmeron prolegom.45. Pereira, & complures alij. Quam ſententiam Angelus ipſe non obſcurè confirmat, dum poſt hebdomadas illas, in vna hebdomade, nempe illa, quæ ſeptuageſima eſt, occidendum dicit eſſe Chriſtum; idque in dimidio illius: dimidium verò hebdomadis tres continet annos cum dimidio, quantum nempe ſpatij eſt à baptizato, vſque ad occiſum Chriſtum.

Hebdomades quo Chriſti tẽpore finiãtur.

120. Sed hîc etiam neceſſariò inueſtigandum, quoto ætatis anno Chriſtus fuerit à Ioanne baptizatus, & quoto à Baptiſmo interfectus. De Baptiſmo habemus expreſſum teſtimonium cap. 3. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta.* Egerat autem proximũ de Baptiſmo. Quòd verò ex eo tempore agere cœperit ducem, & magiſtrum, & docet teſtimonium de cœlo, quod Chriſtum, eiúſque doctrinam commendauit; & quia inde ſe manifeſtauit magis hominibus, illóſque doctrina, & moribus inſtituit Euangelicis. Sic enim apertè Petrus Act. cap. 1. verſ.21. *Oportet,* inquit, *ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à Baptiſmate Ioannis, vſque in diem, qua aſſumptus eſt.* Cur verò ab ea ætate cœperit Magiſtrum agere, & quærere, atque habere diſcipulos, quos cœleſti imbueret diſciplina, eam rationem adducit Irenæus lib.2.cap. 39. quia ætas illa apta erat illi magiſterio. Hinc habemus & quoto ætatis anno Chriſtus baptizatus fuerit, & quando cœperit, quaſi ex inſtituto, magiſter eſſe, & dux. Sed quia non abſolutè dixit Lucas triginta tunc Chriſtum annorum fuiſſe, ſed quaſi triginta; dubitant hîc Doctores, an inclinato iam anno vigeſimo nono; vel ineunte trigeſimo Baptiſmum obierit. Diſputat hac de re latè, & optimè, vt de aliis omnibus, Franciſcus Suarez tom.2. in 3. p. S.Thomæ diſput.26. ſectione 2. Salmeron prolegom.38. & probant quod communiter Patres, iniiſſe iam annum trigeſimum: & hoc ego quoque libentiùs

Chriſtus quoto ætatis anno baptizatus.

Chriſtus quoto anno docere cœpit.

tiùs amplector. Neque quod ad nostrum institutum pertinet, admodum refert aut desinente anno vigesimo nono, aut inchoato trigesimo fuisse baptizatum, dum constet ab illo Baptismo, siue à docendi ministerio in dimidio septuagesimæ hebdomadis neci deditum.

121. Videndum hîc etiam quot anni inter Christi necem, atque Baptismum interiecti fuerint; seu, quod idem, quandiu Christus inter homines ducis obierit, atque Magistri munus. Egit hac de re quàm latissimè Franciscus Suarez tom.2. in 3. p. S.Thom.disp.30.sect.3.& disp.4. sect.1. Baronius tom. 1. Annal. anno Christi 34. Salmeron prolog.38.& plures alij, qui ex aliorum communi sententia docent obiisse Christum trigesimo tertio ætatis suæ anno, & aliquot præterea mensibus exactis, tribus videlicet, aut, vt alij volunt, pluribus. Qua de re pluribus disputare & lõgi esset, & forsitan alieni negotij. Nobis satis sit ostendisse optimè in Christi morte hebdomadas fuisse completas; & in medio septuagesimæ Christum occisum. Medium porrò septennij tres anni sunt cum dimidio; verùm ex vsu Scripturæ *medium* dicitur, quod par est alterius, aut quod inter alia numeratur, licèt non æqualiter distet ab extremis: quomodo Tyrus Ezechiel. cap.27. cùm esset in introitu maris, vt dicitur vers.3. pòst verò vers.32. in medio maris fuisse traditur: sic aliquis in medio populi habitare dicitur, quia inter suos populares habitat. Sic ergo ab Scripturæ consuetudine non discedit, qui tres menses anni dimidium vocat; cùm etiam Scriptura ipsa sacra imperfectum sæpe numerum aut omittat, aut pro integro, atque perfecto numeret.

Christus quoto anno mortuus.

122. *Et rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.*] Iam incipit septuaginta hebdomadum tempora diuidere, suísque singula negotiis, ac studiis adscribere. Septem primas vendicat sibi ciuitatis iterata fabrica, quod docet Angelus his verbis. Ciuitatem præterea totam in duas præcipuè partes diuidit: in muros videlicet, qui ciuitatem muniunt, & ambiunt; & in reliquam molem, & multitudinem, quæ murorum complexus circumscribit, & continet. Hanc vocat *plateam*, quia latè patet, & sua amplitudine commoda ciuibus domicilia præbet; illam verò *muros*. Vtraque verò ædificanda dicuntur *in angustia temporum*. Quid verò illud sit, iam exploremus.

Septem hebdomades in ædificanda Ierusalem consumptæ.

Angustia temporum duo significare potest hoc loco: alterum breui tempore pro rei magnitudine excitandos muros, & vrbem extruendam. Alterum molitionem murorum, & vrbis futuram esse cum magna perturbatione, ab metu obstrepentibus vndique, & vrgentibus hostibus, ita vt angustia non tam significet temporis breuitatem, quàm afflictionem; ita vt coarctatio seu angustia non sit temporis, sed animorum, quos aut domesticus dolor, & inopia; aut hostilis, & externa molestia conturbant. In priori significatione sumpsere Hugo, & Vatablus. Et reuera si murorum ambitum, & firmitatem, & ciuitatis ipsius latitudinem consideres, exiguum videbitur, & angustum tempus, quo res illa tanta perfecta. Quid enim est tantùm septem hebdomadum, id est, annorum quadraginta nouem spatium, pro ædificanda vrbe, quæ vicinis populis terrori, atque admirationi fuit.

123. *Ierusalem cum magna perturbatione instaurata.*

In posteriori significatione sumpsere itẽ Hugo, & Vatablus, S.Thomas, Lyra, Dionysius, Petrus Comestor, Salmeron suprà, & hoc mihi videtur probabilis; quia reuera angustè à vicinis Gentibus premebantur Iudæi, cum in ciuitatis fabricam incumberent, & statim à principio renascentem vrbem noua quotidie impedimenta tardabant. Vide lib. 2. Esdræ, cap. 4. vbi quidam erant cum armis vt hostem summouerent, dum alij tectonicam operam construendis mœnibus impenderent; immò & qui moliebantur opus sic erant instructi, vt vna manu facerent opus, altera tenerent gladium.

Vers.26. *Et post hebdomadas 62. occidetur Christus.*] Adde septem hebdomadibus, quas consumpsit ciuitatis, murorúmque molitio, id est, 49.annis, sexaginta duas alias, id est, annos 434. & post hebdomadas hasce, quæ numero sunt 69.occidetur Christus, hebdomade nimirum septuagesima, & in eius dimidio, vt pluribus ostẽdimus paulo antè. Quare hæc est pars tertia illarũ, in quas septuaginta diuiduntur hebdomades, quæ iure optimo separatur ab aliis, quia ipsa mysteriis abundat augustissimis; & ideo quæ in Ecclesiæ sacris cæremoniis, atque temporibus illi respondet, *maior* appellatur hebdomada, quæ Christi renouat passionem, & pactum Christi sanguine confirmatum. 124.

Ab vrbe instaurata ad Christi necẽ hebdomades sexaginta duæ.

Vbi vulgatus *Christus*, Heb.est משיח *masiach*. quod quidam in abstracta forma *vnctionem* reddiderunt. Ita Theodotio, Tertullianus contra Iudæos cap.2. & Theodoretus hîc. Ex his quidam in vnctione Pontificiam dignitatem intelligunt, quam illo tempore sublatam esse dicunt. Sacerdotem verò vnctione consecrari, eadémque Pontificio designari ministerio, nemo nescit. Tunc autem occisum esse dicunt Christum, id est, sacerdotem, quando occisus est Hircanus ab Herode, & in eo succisa sacerdotum ex tribu Leuitica, & ex semine Aaron legitima successio. Ita Eusebius lib. 8. demonstr.c.2.& in Chronico ad Olympiada 186. Theodoretus hîc. Rabbi Salomon, vt refert Galatinus lib. 4.cap. 17. hunc Christum Herodem Agrippam esse putant, quẽ interfectum dicunt à Romanis; sed hi planè delirant. Herodes enim iste magis fuit à Romanis ornatus honoribus, quàm vexatus iniuriis, vt docet Iosephus lib.2.de bello.cap.16. Sed neque quod alij de Hircano affirmant verum esse potest; quia ille septuagesima hebdomada occidi non potuit, à quocumque sermonis exitu hebdomadum exordium auspicère. Occisus enim fuit Hyrcanus, vt ipse docet Eusebius in Chronico ad Olympiada 186. à qua ad edictum Cyri plures sunt anni supra hebdomadas septuaginta: si verò ad edicta referas Artaxerxis, pauciores sunt. A primo enim edicto, anno nempe septimo illius, quod scriptum fuit Olympiade 95. ad Olympiadam 186. trecenti sexaginta quatuor anni sunt: secundùm verò edictum in Olympiadem 98. Minus esset computatio difficilis, si à secundo anno Darij spatium ordiare: verùm ille inchoandi modus aut nullum habet, aut leuissimum fundamentum. Sed est grauissima ratio, quia quæ hîc dicuntur, maiora sunt, quàm quæ conuenire possint in Hyrcanum, aut in quemlibet alium è sacerdotibus, quos ex Leuitico ordine habuit Iudæorum Gens, vt paulo antè docuimus ex ipso Eusebio, & nuper, vbi Hyrcani quoque nomen, & personam exclusimus ab eo loco, vbi Hyrcanum designari putabat Eusebius. 125.

Christus nullo modo Herodes, aut Hircanus.

Sed meliùs cum vulgato transtulerunt alij 126.

Christus,

Christus, & accommodatiùs ad vocem Hebraicam משיח *masiach*, quæ in concreta forma *Christum*, id est, vnctum sonat. Hæc est omnium illorum etiam (modò vnum, & alterum excipias) qui *vnctionem* legunt, indubitata sententia, quos hîc singulatim commemorare longũ esset opus. Tenent tamen præter Commentatores, & interpretes, primùm Hebræi veteres, vt docet hîc Hieronymus, & Tertullianus contra Iudæos, cap. 8. & 15. Africanus lib. 5. de temporibus, Origenes in 29. tractatu Matthæi, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 12. Comestor historia Danielis cap. 10. Rupertus in Danielem cap. 15. Galatinus, Driedo lib. 3. de sacris Scripturis, cap. 5. & Salmeron, Franciscus Suarez, & Iansenius locis antè citatis. Neque vllus pius dubitare posset, si accuratè singula meditetur: sic enim omnia in Christum seruatorem conueniunt, vt in eis illius quædam effigies videatur expressa. Adde quòd propter nobilissimam vnguendi formam Christus seruato ἀντονομαστικῶς Christus, id est Messias appellatur, quod nomen hîc expressum sine vlla alia notatione vides: neque video quo alio exemplo משחה *vnctio* in abstracta forma conuerti possit.

127. *Et non erit eius populus, qui eum negaturus est.*] Hic locus in varias patet explicationes, atque sententias; atque ita varij variè interpretantur. Hebr. pro *eius* habet לו *lo.* quæ vox modò *ei* valet, modò *sibi*, quia Hebræorum affixa pronomina modò vim habent absolutam, modò reciprocam. Qui in *Christo* Hyrcanum expressum esse censent, sic accipiunt hunc locum, quasi non sit iam amplius post Hyrcani Pontificis mortem futura talis vnctio, qualis legitimam formam tradidit Moyses, nempe vt ex Genere Aaron sacerdos fieret; neque prius à sacerdotio, quàm à vita discederet. Alienus tamen populus antiquissimum hunc ordinem euertit; quia ex alia tribu, quàm Leuitica illos assumpsit, quibus venale sacerdotium decerneret; illúdque ad breuissimum tempus coarctauit, vsque adeò instabili conditione; vt annuum esset interdum, atque ideo nullo, aut exiguo haberetur in pretio. Alienus autem ille populus aut Idumæus fuit, ex quo Herodes ortus, qui occiso Hyrcano alienos sacerdotes induxit; aut Romanus, cuius auctoritate designabantur, creabantúrque Pontifices. Sed nimium hi auctores Hyrcani cædi tribuunt, aut abrogato, seu violato antiquo sacerdotio; cui aut prædictum esse volunt hoc tam illustri vaticinio: aut eo supplicio mulctatum, quod statim à Daniele subiicitur, nempe ciuitatis, templíque desolatione. Neque verò æquum erat, vt lueret Iudæorum populus, si ipse Christum non occidisset, quod populus admisisset alienus: neque si peccasset populus Romanus, Sacerdotij legibus violatis, erat cur ipse victor, & potens innocentum Iudæorum ornaretur exuuiis.

128. Quare alij populum hunc Iudaicum esse putant, idque meritissimò; sed in explicatione dissentiunt. Quidam hîc peccatum proponi censent populi Iudaici, quasi dicat Christum ad se non pertinere, neque velle illum sibi Regem esse, cùm Regem habeant Cæsarem. Sic autem populus ille apud Ioannem cap. 19. *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* & cap. 9. *Hunc autem nescimus vnde sit.* Id verò significari credunt illis verbis, *Et non erit eius populus*, id est, populus non adhærebit ei; aut non erit illius sectator; aut illum

Iudæi Christum negauerunt.

A non admittet, quod explicatur magis illis verbis, quæ succedũt proximè: *qui eum negaturus est.* quia apertè negabit illum suum sibi esse Regem, Dominum, & Messiam. Ita censent ex interpretibus, aut indicant S. Thomas, Lyra, Dionysius, Hugo, Interlinearis, Salmeron, & plures alij. Sed hîc obseruandum illud: *populus, qui eum negaturus est*, non esse de textu Hebraico; sed additum ab interprete explicationis gratia. Hebr. enim tantùm est, *occidetur Christus, & non eius*; siue, vt Recentiores vertunt, *& non ei.*

Qui pro *eius* legunt *ei*, quia id magis congruere putant cum Heb. לו *lo.* ita exponunt, *Non erit ei auxiliator.* ita indicant Aquilæ, & Symachi
B translationes, quorum ille reddidit: *Peribit vnctus, & non est ei*; hic verò, *Excidetur Christus, & non aderit ei.* Hæc ex Eusebio suprà, ita hîc Vatablus, nec improbat Salmeron suprà. Vnde Christus dixit: *Deus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Alij iuxta hanc lectionem, sic exponunt, *non erit ei* (nẽpe Christo) quod suis consiliis proposuerunt Iudæi, nempe vt illius nomen, & gloriam aut extinguerent, aut obscurarent. Nam post mortem Christus glorificatus est, & mors ipsa illi magis fuit ad gloriam, quàm ad ignominiam. Ita Galatinus. Tertullianus paulo aliter: sic enim legit, *Exterminabitur vnctio, & non erit.* Ex quibus verbis hic videtur exprimi sen-
C sus: *Occidetur Christus, & non erit in viuis.* Græcus textus sic legit, καὶ κρίμα οὐκ ἔσται ἐν αὐτῷ, quod ad verbum valet, *& iudicium in ipso non est.* eodem credo sensu, quo dictum est ab Isaia 55. *De angustia, & de iudicio sublatus est.* quod ita legimus iuxta Septuaginta Actor. c. 8. *In humilitate iudicium eius sublatum est.* quasi dicat: nullam in Christi morte interuenisse æquitatem iudicij; sed turbulentè, & seditiosè iniquo iudicio non tam expensam, quàm exagitatam, & proditam Christi causam.

Ego hîc quia, quod additum est ab interprete explicationis gratia, canonicæ veritatis esse puto, aliter puto explicandum esse locum: neque improbo expositionem illam, quam primo 129.
D loco adduxi, quia illa cum vulgato textu, & illa interpretis additione consentit: neque præterea quidquam habet durum, aut violentum à textu. Verumtamen placet magis, quod indicat Pereira, propter ingens illud peccatum, quod in occidendo Christo sacrilegus ille populus admisit, repudiandum esse, ac repellendum populum electum priùs, & dilectum à Domino, & non iam amplius futurum Dei populum. Ego hîc aliquid amplius, neque minus expeditum intueor, significari nimirum ab Angelo populum illum Romanorum armis periturum, ita vt iam amplius non sit futurus populus; sed dissipati populi ignobiles ruinæ, & triste vestigium.
E Quod optimè consentit cum eo, quod proximè subiicitur, quod nihil aliud videtur continere, quàm supplicij pondus, quod propter Christi mortem subiere Iudæi. Quam sententiam nos antea probauimus in nostris commentariis super Ezechielem ad illud cap. 7. *Non ex eis, & non ex populo*, vbi obseruauimus, *non esse*, aut *non ipse*, & similia idem valere quod *perire*, aut *occidi.* Sic Psal. 37 *Noluit consolari, quia non sunt.* iuxta quam regulam hunc Danielis locum ibi explicabimus, quod etiam modò nobis probatur.

Deletus populus qui Christum occidit.

REGVLA. Non esse, & non ipse idem quod, perire.

Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo.] Hæc omnia, quæ ad populi sacrilegi supplicium, & vastitatem spectant, extra numerum 130.

numerum sunt hebdomadum septuaginta; illas enim terminauit Christi mors, & pacti seu testamenti confirmatio. Hic tamen per anticipationem Iudæorum statuitur exitium, & vastitas post Christi cædem, vt quiuis intelligat, quam ob causam grauis illa calamitas inflicta sit, quæ includi parenthesi debet: statim enim ad intermissum reditur hebdomadum tempus, id est, ad fœdus Christi sanguine confirmatum. Qui in Christo occiso Hyrcanum ab Herode sublatum accepere, iidem nunc in populo, ducéque venturo; & in sanctuario, ac ciuitate dissipatis mala intelligunt omnia, quæ in rempublicam, religionémque Iudaicam inuexerunt Pontifices, ac duces, qui Hyrcani, legitimorúmque Pontificum loco suffecti sunt. Sed hæc expositio iam à nobis suprà reiecta fuit.

Quare dicendum est populum cum duce venturo esse Romanos homines, qui sub Vespasiani, ac Titi signis meruerunt, qui vt ex historiis satis abunde liquet, ciuitatem, ac templum à fundamentis vsque demoliti sunt. Neque est cur huius sententiæ auctores producamus, cùm omnes ferme sint, quotquot huius Danielis vaticinij meminerunt: quod tandem Eusebius docuit, qui superiorem de Hyrcano sententiam probarat, &, teste Hieronymo, Hebræorum antiqui magistri.

131. *Ierusalem quanta vastitas.* *Et finis eius vastitas.*] Aliter alij. Heb. *Finis eius in inundatione.* Theodotio, vt est apud Eusebium, & Tertullianum. *Excidentur velut in cataclysmo, vel diluuio.* Sed est sensus idem quocunque accipias modo, nisi quòd vulgatus propriè, alij prouerbiali metaphora subitam, atque immanem ciuitatis, ac templi stragem expressêrunt. Theodoretus sub illa metaphora in hunc modum: *Perniciem talem sustinebunt, qualem olim sustinuerunt homines, cùm omnem terram diluuium contexit.* Sed vt pluribus docui super Ieremiam ad illud cap. 12. *In superbia Iordanis.* In exundante flumine sæpe in Scriptura sacra describitur exercitus copiosus, & fortis qui obuium quodque facilè populatur, & sternit. Sic Ieremias cap. 46. v. 7. de Ægyptiorum exercitu. *Quis est iste, qui quasi flumen ascendit, & velut fluuiorum intumescentes eius? Ægyptus fluminis instar ascendit.* Isai. cap. 8. *Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum, & omnem gloriam eius.* & iterum cap. 59. *Cùm venerit quasi fluuius violentus.* Quæ metaphora profanis etiam vsitata est. Virgilius lib. 2. Æneid. hostilem impetum cum torrente comparat, qui obuium quodque sternit, & inundat.

In segetes veluti, cum flamma furentibus Austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boúmque labóres:
Præcipitésque trahit syluas.

Hæc similitudo valde est Homero familiaris, à quo sumpsit Virgilius, & ab hoc plures alij. Et quidem apta est comparatio, dignaque quæ tam à profanis, quàm à sacris scriptoribus sæpius vsurpetur.

132. *Et post finem belli statuta desolatio.*] Vbi vulgatus *post*, Heb. est עד *hhad*, quod plerumque valet *vsque*; quæ vox varias explicationes traxit interpretes. Plerique sic accipiunt, vt à principio belli, quod Hierosolymitanis Vespasianus intulit, ad finem vsque variis esse ciuitatem afficiendam incommodis, & ita concidendam, vt si extrema non admoueretur manus ab hoste victore, desolata tamen, & euersa videri potuerit. Et sanè ita accidit; ea etenim multitudo domesticis seditionibus hausta est; tanta extitit clades a peste, & fame; tanta ab hostili ferro, vt pene orbata sit ciuibus, & eo redacta, vt sepulchrum potiùs diceres mortuorum, quam viuentium domum. Huc spectat veterum lectio, & nouæ translationes. Hæc indicant ex Antiquis Patribus Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. *Excindentur inundatione, & vsque ad finem belli abbreuiati deletionibus.* Tertullianus, *Vsque ad finem belli, quod concidetur vsque ad interitum.* Eusebius eodem pene modo, & id maximè indicant Hebraicus textus, qui sic à Recentioribus conuertitur, *Vsque ad finem belli excidetur desolationibus.*

Vulgatus aliter legit: *Post finem belli statuta desolatio.* qui non negat, quod cum Hebraico textu illa aut docent, aut indicant; sed addit aliquid aliud verum sanè, quia iterum expressè ad finem capitis affirmatur: sed neque alienum ab Hebraico textu, si modò ille omnino integer est, quod facile sibi persuadebit, qui illud *belli* statuerit non a *fine* regi, sed a *desolatio*; quod neque difficile est, vt vides; neque respuunt Grammaticæ leges, ita vt hic sit sensus: Vsque ad finem sæculi statuta, atque stabilis erit desolatio belli, id est, ab illo illata, quod Romanus populus inuexit. In hunc sensum accipiunt etiam, qui vulgati translationem non sequuntur Theodoretus, *Funditus delebuntur bello illo, veluti quodam diluuio oppressi: & in perpetuum his malis succumbent: neque vllam vnquam, vt ab ipsis vendicentur, veniam consequentur.* Eodem modo Hebræi veteres apud Hieronymum. *Vsque ad consummationem mundi, & finem perseuerabit desolatio.* Item Iuniores, vt refert hic Lyra, & Galatinus lib. 4. cap. 18. qui tamen bellum illud non putant esse Romanorum, sed Gog, & Magog, id est, Antichristi, cuius paulo antè Propheta meminerat. *Vsque ad finem,* inquiunt, *belli præcisi, id est, statuti, vel prædestinati Gog, & Magog scilicet, hoc est, Antichristi desolationes perdurabunt.* Non itaque quod ad durationem attinet, tam antiqui, quàm recentes Hebræorum magistri à vulgato dissentiunt; licèt in multis aliis nullo modo conueniant. Nostri hoc modo accipiunt Danielis verba: *Post finem belli, id est, absoluto bello, non finietur Iudæorum malum: nam eo finito, manebit tamen perpetua, & irreparabilis desolatio.* Ita Theodoretus, vt proximè citauimus, S. Thomas, Hugo, & Pereira. 133.

Lyra aliter cum Hebraico textu vulgati translationem conciliat: & docet עד dupliciter notari posse, & pro ratione punctorum sonare interdum *vsque*, interdum *adhuc*: cum autem olim puncta non essent, alij aliter notabant, ac legebant Hebraicas voces. Noster autem interpres punctum addidit, cum quo עד *adhuc* significat, quæ vox interdum idem est quod *postea*, vt docet illud Ionæ cap. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* & putat tunc Lyra nihil ex Hebraico textu à nostro interprete fuisse mutatum. Placet quidem hæc Lyræ cogitatio; sed mihi illa, quam superiùs adduxi, magis est expedita. 134.

Vers. 27. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna.*] Postquam egit Angelus de Iudæorum supplicio, refert se rursus ad interrupta, ad ea videlicet, quæ de seruatore Christo dicere instituerat. Cúmque egisset primùm de septem hebdomadibus, deinde de sexaginta duabus; nunc de vltima, quæ omnium angustissima est, vaticinium aggreditur. Quam bifariam diuidit, 135. *In postrema hebdomada constituetur nouum, & antiquabitur vetus testamentū.*

aut

aut certè si literam intueare simpliciter, diuidere videtur. In dimidio enim hebdomadis videtur confirmari pactum, moriente videlicet Christo, in altera verò parte hostia deficere.

136. Fortasse hic non designantur partes duæ hebdomadis vnius; sed vna simpliciter hebdomada sine vlla partium diuisione. Quasi dicas, in vna hebdomada, quæ erit omniũ postrema, duo contingẽt admiranda: confirmabitur enim pactũ, seu testamentum Christi ipsius sanguine, & morte; & testamentum antiquum, quod vitulorum, aut arietum sanguine stabilitum erat, cum suis sacrificiis, & hostiis interibit. Quòd verò hic sit proprius, & germanus sensus, duobus modis persuaderi alicui posset. Altero, quia non apparet, quomodo alio tempore testamentum nouũ confirmatum sit; & altero abrogatum, & extinctum vetus. Seu, quod idem ferme, alio tempore noua instituatur hostia; & alio deficiat, & moriatur vetus. Neque quicquam efficies si dicas, abrogari quidem antiqua sacrificia, & esse mortua; non tamen per multos annos cessatura, aut fore mortifera. Nam reuera tunc aliquid mori, aut cessare dicitur, quando non potest exerceri legitimè. Quod si de propria cessatione capias, in illa hebdomada non cessarunt Testamenti veteris sacrificia, & hostiæ; cùm durauerint multos annos postea ad tempus vsque Romanorum donec templum stetit. Et quidem hæc expositio facilis est; neque in ea aliquid apparet quod aut rem obscuret, aut literam contorqueat.

137. Alterum est, quia *medium* additum præpositioni, seu, quod idem est, dimidium nihil addere solet significationi. Quare idem est *in medio populi, maris, gregis*, atque in populo, in mari, in grege, vt suprà docuimus. Quod si ita statuas, hic erit sensus: in hebdomade vltima, quæ hebdomadum 70. periodum absoluet, instituetur, stabilietúrque pactum nouum; & desinet, atque antiquabitur vetus.

138. Si cui tamen hoc minus placebit, illorum sequatur expositionem, qui in dimidio hebdomadis moriente Christo confirmatum esse putant testamentum, & pactum; & in altero dimidio antiquæ legis sacrificium cessasse.

139. *Confirmabit autem pactum.*] Heb. ברית *berith* modò *pactum* reddit noster interpres, modò *testamentum*, sicut Græcus aliquando διαθήκην, aliquando συνθήκην. Vtrumque verò confirmatur sanguine; sed non in eadem semper significatione. Testamentum enim ita confirmatur sanguine, vt tamen in sanguine per metonymiam tanquam in signo mors intelligatur: pactum verò, seu fœdus sanguine stabilitur in significatione propria; vt pluribus ostendimus suprà cap. 3. & in nostris commentariis in Zachariam cap. 9. num. 52. Illud verò pactum, seu testamentum ad statum pertinet, & tempus Euangelij, quod Deus per Prophetas aliis sæpè prædixit, promisítque quidquid optare poterat bene institutus animus. De quo Isaias sæpe, & expressiùs Ieremias cap. 31. (vbi nos de nouo pacto aut testamento plura in nostris Commentariis) qui pactum hoc nouum Christi sanguine, ac morte confirmatum optimè declarant. Sic verò Ieremias cap. 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iacob fœdus nouum.* Hæc nemo dubitat, quin ad tempus pertineant Euangelicũ, quod Christi sanguine confirmatum est, & sic stabilitum,

Testamenti significatio duplex.

Fœdus confirmatum sanguine.

A vt nulla rerum, aut temporum vicissitudine infirmari possit. Dixit autem Propheta, *feriam pactum*, respiciens credo ad genus illud confirmationis, quod adhibuit Deus percusso Christo in septuagesima hebdomada, de qua Daniel hoc loco, de qua dixerat paulo antè. *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus.* Solebant autem tam externi populi, quàm Iudaicus effuso sanguine religiosum facere, atque perpetuum fœdus. De externis multa inuenies apud Alexandrum Neapolitanum lib. 5. Genialium, cap. 3. & apud Brissonium lib. 4. formularum, vbi exemplorum satis. De sacris pauca hæc accipe.

Genes. 15. v. 9. sic Dominus ad Abraham: *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium*, &c. *Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium.* Hæc verò ad ineundi fœderis ritum pertinere indicat, quod statim subditur vers. 18. In illo die pepigit Deus fœdus cum Abraham, dicens: *Semini tuo dabo terram hanc.* Ita putat Chrysostomus homil. 56. in Genes. & ibi reddit causam cur in sanciendo fœdere ritus ille sacer adhibeatur. Quod item docet Theodoretus in citatum Ieremiæ locum. Hanc porrò consuetudinem in percutiendo fœdere solennem esse, atque legitimam indicat Ieremias cap. 34. v. 18. Nam cùm pacti meminisset, quod paulo antè inierant Iudæi, illósque violati fœderis accusasset, ait Dei nomine: *Dabo viros, qui præuaricantur fœdus meum, & non obseruarunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo; vitulum, quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius.* Fœdus autem tam antiquum, quàm nouum, vt inquit Paulus ad Hebræos cap. 9. sanguine confirmatum est: illud victimarum; hoc Christi. Plura nos suprà ad illud cap. 3. v. 34. *Ne dissipes testamentum tuum.* 140.

Multis hebdomada vna.] Pactum illud à Christo confirmatum ita se latè in omnia tempora & hominum genera diffudit, vt nullum omnino tempus, aut hominem exemerit. Pro omnibus enim passus est Christus, omnium saluti sempiternæ prouidit: dicitur tamen pactum confirmasse multis, quia non omnes singulari illo beneficio vsi sunt; atque ideo pactum illud non videtur ad eos pertinuisse. Vt enim ex vsu familiari dicendi, omnibus, vt opinor, linguis communi constat, id factum negatur, quod otiosum, atque inutile fuit: quomodo dicimus, *non audio, quæ dicis*, id est, non obediam: quia si operis executio absit, perinde est audiisse præceptum atque si nunquam foret auditum. Eodem sensu dicitur in consecratione calicis, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.* quod dixit etiam Christus Matth. cap. 26. v. 26. & Marci cap. 14. v. 24. *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur.* Scio esse qui in *multis* Apostolos intelligant, cui sententiæ argumento est illud Lucæ cap. 22. v. 20. vbi videtur interpretari, quod in *multis* alij significarunt Euangelistæ. *Hic*, inquit, *est calix nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur.* Sed in huius mysterij explicatione immorari diutius, non est nostri negotij. Agunt hac de re Doctores Scholastici, quos tu consule. Fortasse hoc loco *multi* iidem sunt, qui *omnes*. Multi enim reuera fuerunt omnes homines, quibus moriens Christus sanguinis sui medicinam impertiit. 141.

REGVLA. *Id factum negatur quod est otiosum, & inutile.*

Hebdomada vna.] Communiter Patres, & interpretes *hebdomadâ vnâ* in ablatiuo statuunt: 142.

ita

ita vt Christus dicatur in hebdomada vna confirmasse pactum, & antiquis hostiis indixisse silentium: & hoc, vt puto, certũ. Alij in recto ponunt, suppositúmque faciunt verbi *confirmabit*. Ex textu Hebraico nihil potest in eam quæstionem lucis assumi. Græca nominatiuum adhibet *ἑβδομὰς μία*, & ita legit Theodoretus, & ex Latinis Rupertus, & Hugo. *Confirmabit pactum multis hebdomas vna.* Quocumque tamen modo capias, eadem est sententia. Cùm enim Christus in vna hebdomade pactum confirmârit, ab hebdomade vna confirmatum dici potuit, ea figura quæ neque insolens est, neque infrequens in sacris literis: quæ continens pro contento sumit, siue illud tempus sit, siue locus: quomodo dicimus, *hic dies de nostra causa iudicabit*, id est, hodie de nostra causa feretur iudicium: & *hac hora fregit hostes*, id est, hac hora hostes à nobis superati sunt.

143. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium.*] Defecisse dicũtur, aut dici posse videntur hostiæ, quando sanctè, atque legitimè obiri non possunt. Cùm autem sacrificia, & hostiæ Christũ venturũ significarent, cuius erant obscuræ quædam vmbræ; neque iam id præstare possent, cuius præsertim gratia erant instituta, cessatura dicuntur, aut, quod idem est, non ampliùs futura. Id enim, vt paulo antè dicebamus, non esse existimatur, cùm inutile est, neque vsum habet vllum, quem exercere potuit, aut debuit. Quare si medicus non adhibet medicinã; aut illa eiusmodi est, vt affecto corpori nihil ad sanitatem conferat, medicum abesse dicimus: aut Regem, cùm aut de republica administranda nõ curat; aut illam, dum suis commodis inuigilat, populatur, ac perdit. Sic planè cessaturæ dicuntur hostiæ, quãdo iam præstare nihil possunt; cùm & ipsæ iã inutiles sint, neque de vẽturo Messia monere possint, vtpote qui iam venerit.

144. Quod si ita est, vt planè videtur non improbabile; non est necesse vt post Christi mortẽ tempus statuamus aliquod, in quo antiquæ hostiæ, ac sacrificia deficiãt. Quia sicut vetus homo noster cũ Christo simul crucifixus est, sic cũ Christo moriente sacrificia antiqua mortua sunt. Et quòd *in dimidio hebdomade*, idem sit quod in hebdomada, aut in aliqua parte illius hebdomadæ, iam nobis paulo antè probatum est. Et ita putat S. Thomas in hunc locum, vbi Christum in fine hebdomadis occisum dicit: & statim addit, *In vltima medietate circa finem deficiet hostia, quia adueniente veritate cessabunt verba.* Sed dicamus cum pluribus, in dimidio hebdomadæ defecisse hostiam; quia tribus posterioribus annis cum semisse hebdomadis septimæ, in qua passus est Christus, lex Euangelica prædicata est ab Apostolis, quæ cùm vires assumeret, magísque quotidie, ac magis adolesceret, lex antiqua cum suis hostiis, ac sacrificiis interiit.

145. *Et erit in templo abominatio desolationis.*] Est quidem locus iste vehementer implexus, ad cuius intelligentiam, attentionem, & studium esse necessaria, ipse docet Christus Mat. 24. cùm de hac Danielis prophetia loqueretur. *Qui legit intelligat.* Hîc nobis duo præstanda, in quibus aliquid studij, ac temporis ponendum. Explicandus primùm locus: deinde cum Christi expositione componendus, ac conciliandus.

146. Textus Hebr. obscuriùs inuoluit allegorica (vt reor) locutione sententiam illam, quam vulgatus expressit. Vbi enim ille, *& erit in templo*, Heb. est אל כנף *al kenaph*, id est, *super alam*. Quæ dicendi forma aliquid ostendit occultæ, & arcanæ eruditionis. Ala propter similitudinem vocari potest, non inuitã metaphorã, militare vexillum, quod in alarum modum expanditur, & agitatur à ventis. Porrò in Romanorum, & Gentium aliarum vexillis gestari patrios Deos, quasi tutelares, ac duces, res est omnibus nota: & de Romanis, quorum hæc creditur esse abominatio, indicat Virgilius lib. 8. Æneid. vbi Ægyptios Deos cum Romanis in Actiaca pugna congressos esse dicit, quia fortasse naues Deorum notabantur imaginibus. Sic autem ille,

Ala pro exercitu, & protectione.

In vexillis Deorũ imagines.

Omnigenûmque Deûm monstra, & latrator Anubis
Contra Neptunum, Venerem, contráque Mineruam
Tela tenent.

Sanè in militaribus signis gestasse lupos, aquilas, apros, Minotauros, Romanæ produnt historiæ. Vide Plinium lib. 10. cap. 4. Tam verò idola, id est, Deorum imagines quàm belluas illas syluestres, & immundas abominationem vocari in Scriptura sacra, satis compertum est. Iuxta hæc, sensus erit, *veniet exercitus cum militaribus signis abominabili aliqua imagine notatis.*

Significat præterea ala protectionem, atque perfugium: vnde frequens in omni literatura *esse sub alis.* Psal. 16. *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Et Psal. 35. *In tegmine alarum tuarum sperabunt.* & alibi, *Sub pennis eius sperabis.* Hæc videtur magis accommodata metaphora, & magis cum vulgata translatione consentiens. Tẽplum enim protectio erat Iudæorum, in quo sibi tãtum statuerant præsidij, vt eo stante non putarent casuram, immò neque grauiùs afficiendam suam rẽpublicam. Vnde apud illos multum erat in ore templi nomen; quos ab ea spe Ieremias cap. 7. depellit. *Nolite*, inquit, *confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini.* Hæc verò tanta Iudæorum confidentia nasci potuit ex illo Leuit. cap. 26. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri; & non abijciet vos vltrà anima mea.* Supra illam igitur alam, seu protectionem, & commune Iudaici populi præsidium veniet abominatio desolationis. 147.

In templo Iudæorum fiducia.

Significat item *ala* id, quod est extremum in re expansa, vt in veste, in acie: quare in ciuitate alæ vocari possũt, quæ in illius complexu extrema sunt, vt muri; vel adiuncta mœnibus, quæ aliquo modo vocari possunt ciuitatis alæ, seu extrema membra. Sed dicitur etiam ala Græcè *πτερύγιον* pars extrema domus, quã Latini pinnaculum appellant. Sic certè vocat Matthæus cap. 4. quia in eo pleromque vela quædam alarum instar erigũtur, quæ suo circumactu, ac pulsu à perflante aura, vnde aspirent venti, edocent: has Hispani *veletas* appellant. Ab hac ala, seu pinnaculo per Synecdochem vocari templum potuit, quia illius præaltum fuit, atque illustre pinnaculum. Sanè in codice Vaticano apud Septuaginta in editione Græca ad hunc locum notatũ est in margine, *καταπαύσει θυσιαστήριον καὶ θυσίας πτέρυξ ἐν ἀφανισμῷ*, id est, *cessare faciet altare, & sacrificia desolatione, & vsque ad ipsum pinnaculũ.* Ex quo sumpsisse videtur Tertullianus, dum legit; *Destruet pinnaculum vsque ad interitum.* Hæc de voce כנף, & textu Hebraico: nunc ad vulgatum venio. 148.

Ala pro extremitate.

Et erit in templo abominatio desolationis.] Abominatio dicitur quicquid exccramur, & horremus, siue ad mores, siue ad sanctitatem pertineat. Hinc fit, vt idola, & quicquid idololatriam olet, abominationes dicantur: hinc cædes, strages, 149.

Abominatio desolationis quid.

ges, fœdi, atque horribiles morbi abominationis appellatione notantur. Vnde nomen hoc auctores in plures sententias variè distraxit.

150. Prima sententia est quorumdam, qui abominationem hanc Antiochi esse putãt, quam Christus ipse satis euertit dum intentus in hunc Danielis locũ prætériisse negat hanc abominationem, dum ait, *Cùm videritis abominationem prædictam à Daniele.* At iam pridem excesserat abominatio illa, quæ in templum, seu locum sacrum induci potuit ab Antiocho. Quomodo templũ polluerit, & profanauerit Antiochus, ex lib. 2. Machab. abundè constat. Sed collegit paucis Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 7. *In templo quoque ara posita porcos mactauit, & cogebat omnes abrogato vero Dei cultu, ipsius venerari numina; & oppidatim extructis templis, atque altaribus porcinas in eis quotidiè immolari victimas.* Quin & sanctissimum templum vni, veróque sacratum Deo deinceps Iouis Olympij cognominari iussit, vt habes eodem capite ad finem.

151. Alij abominationem hanc aut esse credunt Antichristum; aut ab eo in fine sæculorum inuectam. Ita Irenæus lib. 5. cap. 25. Hilarius, & auctor imperfect. in cap. 24. Matthæi, quam Hieronymus eo etiam in loco non improbat, & clariùs ad Algasiã q.4. tom.3. licèt alias, (de quibus statim) præferre videatur. Idem Ambros. lib. 10. in Lucam. Quòd verò hæc cogitatio minus placeat, facit quòd hîc de Solymitani templi desolatione sermo est, vt apparet, quæ propter Christi cædem infligetur à Duce venturo, qualis vocari non solet, neque potest Antichristus. Deinde, quia si Antichristi tempore futura esset templi desolatio; non erat cur quasi magni aliquid proponeretur ab Angelo, duraturam stragem illam ad finem vsque sæculorum, cùm id, quod ad tempus illud extremum erat reliqui, sic esset exiguum, vt etiamsi quis maximè conaretur, non possit exiguam eius partẽ instaurare.

152. Sunt qui abominationẽ esse credunt sacrificia antiqua, quæ post Christi mortem in templo immolauere Iudæi; cùm illa defecissent iam, vt proximè dictum est ab Angelo. Defecisse verò tunc existimari potuerũt hostiæ, & abominabiles censeri, quando Legis nouæ sacrificiũ verum, & iuge institutum est. Sed quocumque modo de his sacrificiis loquaris, ac censeas, certè non potuit illorũ antiquatio omnibus esse nota, ita vt ex illa omnes intelligerent instare iam tẽpli, ac ciuitatis exitiũ; cùm nemo ferme Iudæorũ id sibi persuaderet, nisi qui sub id tẽpus Christiana sacra suscepissent. Deinde quia statim post abominationem illam futura dicitur templi ruina: at post illarum victimarum cessationem, non statim consecuta est, cùm ad tempus vsque Vespasiani dilata sit; id est, à cessatione legalium ad templum excisum, annis videlicet non minus quadraginta.

153. Alij abominationis appellatione significari credunt sacerdotum peccata, quæ fiebãt in tẽplo, & eius sanctitatẽ sacrilega turpitudine fœdabãt, qualia fuerunt illa, quæ ab Ezechiele cap. 8. describuntur. Ita Abulensis in cap. 24. Matthæi q. 98. Sed hæc sentẽtia ideo improbatur aliis, quòd in templo longè ante desolationem grauia fuerunt tam sacerdotum, quam aliorum è laica, seu populari turba peccata: ita vt domus illa Dei, & orationis in speluncam latronum conuersa fuerit, sicut ab ipso Christo aliquando audierunt Iudæi. Si ergo hæc abominatio signũ erat impen-

A dentis exitij, multo ante Vespasiani appulsum euertendum fuit templum, & excidenda ciuitas.

Illa verò sententia magis est nobilitata auctoribus, quæ abominationẽ, aut idolum putat, aut certè statuam in templo collocatam. Hanc Hieronymus præsertim amplectitur; cùm tamen nõ se præbuerit ad alias difficilem. Sic enim ille apud Matthæum cap. 24. *Potest,* inquit, *quod dicitur abominatio desolationis stans in loco sancto simpliciter intelligi aut de Antichristo; aut de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo; aut de Adriani equestri statua, quæ in ipso sancto sanctorum loco vsque in præsentem diem stetit. Abominatio quoque secundùm veterem scripturam idolum nuncupatur: & idcirco additur desolationis, quod in desolato tẽplo, atque destructo idolum positum sit.* Quæ sententia de Pilati studio probatur quoque Theodoreto in hũc locum Danielis: & illa de Adriani statua S. Thomæ, Hugoni, & Lyræ. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius in cap. 24. Matth. statuam esse putant Titi, quã in desolato templo excitari iussit. Alij de statua Iouis interpretãtur quã Caius Caligula Petronio Duci, quem cum exercitu copiosissimo misit eius rei gratia, in loco tẽpli sacratissimo locandã præcepit, de quã Iosephus lib. 2. de bello, cap. 9. & Philo lib. 2. de legatione ad Caium, ex quo hîc Eusebius transtulit lib. 2 hist. cap. 6. *Multa,* inquit, *erat in Caio ingenij prauitas, quã erga omnes homines, tum præcipuè in Romanorum Gentem ferebatur: & speciali quadam sæuitia loca eorum, quæ in diuinis habent supplicationibus consecrata incipiens ab Alexandria diripi, & contra religionem moremque Gentis profanari iubet, statuis suis ea, atque imaginibus replens. Templũ quoque sanctæ ciuitatis, quod solum manebat totius profanæ contagionis intactum, & à maioribus perdurauerat asylum, commutare in templum proprij nominis ausus est, vt ædes Iouis nobilissimi, noui Dei Caij vocaretur.* Hæc ex Philone Eusebius.

154. *Statua profana in templo locata.*

B C

Hæc tamen sentẽtia multa habet, quæ neque cũ hoc Danielis loco, neque cum Christi interpretatione conueniunt, tum apud Matthæũ c. 28. & Marcum c. 13. & maximè apud Lucam c. 21. de quibus nos postea pluribus. Confutãt hanc sententiã optimè Salmerõ, & Maldonatus, vterque in c. 24. Matthæi, & Pereira in Danielẽ. Hoc verò constabit non obscurè dum singula percurrimus. Et vt ab eorũ statuis ordiamur, quorum superiùs meminit Hieronymus, nõ videtur hoc vllo modo in imaginem Cæsaris posse conuenire, quam Hierosolymæ Pilatus collocare studuit; tũ quia licèt, vt gratiam sibi conciliaret à Cæsare, in eam curam non indiligenter incubuerit; illud tamen contrà nitentibus Iudæis obtinere non potuit. Neque Cæsaris statuam in templo, sed ciuitate honesto loco constituere voluit, vtrumque habes ex Iosepho lib. 18. Antiq. cap. 4. & lib. 2. de bello, c. 8. Sed vt in templo statua Cæsaris locata fuerit; tamẽ de illa Christus omnino locutus non est, hæc enim iã antè constituta fuerat, anno videlicet à Christi natiuitate 25. cùm primùm Pilatus præturam iniit: Christus verò de statua constituenda locutus est. *Cùm videritis,* inquit, *abominationẽ desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta.* Abominatio autem illa, de qua Daniel, in templo futura erat post Christi mortem.

155.

D

Pilatus prohibitus statuam in templo locare.

E

Quod verò dicitur de Hadriani equestri simulacro, minus habet probabilitatis. Abominatio enim, de qua Christus, & Daniel, signum erat euertendæ ciuitatis, & templi: at Hadriani statua non est excitata in templo, quod iam erat euersum; sed in templi ruinis, in quibus illam Hiero

156. *Hadriani statua non fuit in templo.*

Hieronymus se vidisse ait, longè post Christi mortem, anno nimirum Christi 137. vt docet Eusebius in chronico.

156. *Neque Titi.* De Titi imagine nihilo probabilius. Neque enim verisimile est Titum in templo posuisse aliquod suiipsius monumentum, cùm statim sit euersum: neque hoc, credo, siluisset Iosephus, qui Titi omnia gesta accuratè persecutus est. Deinde in Titum quoque valet illa ratio, quam nuper de Hadriani statua produximus; quæ nullo modo signum esse potuit euertendi templi, cùm iam esset euersum: neque Christi admonitio de matura fuga locum haberet vllum, cùm occupatâ à Romanis Hierosolymâ nullus esset effugiendi locus.

157. *Neque Caligulæ.* Ad extremum quod de Caij Caligulæ statua dictum est, nullum habet locum; cùm nunquam neque in templo, neque in vrbe erecta fuerit illius statua. Voluit quidem ille per Petronium hunc sibi honorem a libentibus obtineri Iudæis, vel etiam à repugnantibus extorqueri: tamen ab illis neque volentibus, neque inuitis obtinuit. Repulsus enim est ignominiosè Petronius; & ipse occupatus morte voto simul, & vita priuatus est. Vide Iosephum lib.2.de bel.cap.9.

158. Altera sententia est Maldonati in cap.Mat.24. qui abominationem desolationis desolationem ipsam abominabilem,& horribilem putat:quam esse dicit Hebræis familiarē dicendi formam.Sed hæc explicatio quomodo illi satisfacere possit, non video, qui nouerit admoneri homines à Christo, vt cùm illam abominationem viderint, matura se fuga ab impendente iam exitio proripiant. At quomodo ab horribili desolatione liberari possunt, qui iam sunt ab illa desolatione horribili comprehensi.

159. *Abominatio desolationis Romanus exercitus.* Alia denique sentētia est,quam plerique probant, quæque plus videtur habere verisimilitudinis,quæ in abominatione desolationis Romanorum exercitum intelligit, qui duce Vespasiano non solùm ciuitatem,& templum; sed etiam Iudæorum Gentem,& penè nomen extinxit. Ita putat August.lib.2.de consensu Euang.cap.77.& epist.80.ad Hesichiū Eusebius lib.3.hist. Origen. tract.29.in Matthæum,Pereira, & ex recentioribus plures alij. Quod mihi planè persuadet Lucas c.21.vbi explicuisse videtur,quod Matthæus, & Marcus dixisse videbantur obscuriùs. Pro eo enim quod Matthæus dixit, *Abominationem stantem in loco sancto.* & Marcus, *Abominationem desolationis stantem vbi non debet,* Lucas scribit, *Cùm videritis circundari ab exercitu Ierusalem.* Sed cùm Romanus exercitus sæpe bello tentauerit, vexaueritque Hierosolymam; adhuc incertum est, de quo bello hic à Daniele, & postea à Christo institutus sit sermo.

160. *Quis Romanorum exercitus in abominatione intelligendus.* In quæstione hac valde controuersa, & varia aliquid statuamus oportet, de quo nemo nisi temerè, atque impiè dubitare possit, in quod semper intenti rectum in veritate inuestiganda cursum teneamus. Primum sit ad hunc Danielis locum spectasse Christum, quod ipse, vt vides, manifestè docuit. Deinde in templo futuram esse abominationem desolationis. Tum præterea ciuitatem obsidendam ab hostibus. Ad extremum abominationem illam, aut obsidionem eo futuram esse tempore, vt opportuna fuga possint hi, quibus à Romanorum armis impendebat exitium, saluti suæ, ac libertati cauere.

161. Ex his ego primùm efficio non esse abominationem illam exercitum illum, quem adduxit

A Vespasianus, ac Titus; neque enim illa abominatio in templo fuit, aut in loco sancto: & quādo ab illo obsessa fuit ciuitas, non erat obsessis fugiendi facultas: Christus verò tunc cùm cingeretur ab exercitu Ierusalem, fugiendum esse dixit illis, qui saluti, ac vitæ consultum esse vellent. Nihilominus puto ad bellum illud absolutum à Tito, & inchoatum ab aliis, abominationem illam pertinere. Quod vt ostendam, paulo altiùs illius belli initium, atque progressus, & finis ad extremum miserabilis exponenda sunt. *Sæpe Iudæi à Romanis oppugnati.*

Quàm grauis fuerit orta seditio inter Iudæos, ac Romanos, qui rerum tunc in Palæstina, ac Syria potiebātur; quámque vtrinque res fuerit lu- 162.
B ctuosa, ac turbata, docet multis Iosephus lib.2. à c.13. vbi à Cæstio obsessa dicitur Hierosolyma. Illa fuit prima fax illius incēdij, quo sub Vespasiano,& Tito conflagrauit Hierosolyma, quia vel ad subiugandam regionem, quæ sub id tempus Romanum iugum excutere velle videbatur; vel ad vindicandam cladem, quam sub Cæstio duce acceperant Romani, missi sunt cum exercitu duo illi magni Imperatores, qui rem Solymitanam, immò & Iudaicam victrici manu confecerunt. Quare vnum, idémque bellum dici potuit, quod à Cæstio priùs inchoatum, & à Tito deinde cōsummatum est. In hoc bello obsessa fuit ciuitas, & paulo pòst à zelotis, hominibus nempe auda- *Bellum Iudæorum inchoatum à Cæstio perfectum à Tito.*
C cibus,& impiis occupatum templum, munitúmque, quod instar habuit arcis; vbi effusus sanguis, patratæ cædes,& alia (vt est militū vita ad quoduis audendum proiecta) ibidem admissa, à quibus templum abominabili desolatione pollutum vocari potuit. Hæc omnia ex Iosepho constant,& Egesippo lib.2. à cap.8. Quare in hoc tempore duo vides, quæ à Christo prædicta, & fuisse in loco sancto abominationē desolationis, cùm zelotæ, viri nempe sanguinarij, atque impij effuso sanguine templum fœdauerunt,& templum esse à Romano exercitu circumfusum eo tēpore, quo fuga esse posset matura, ac salutaris; cùm ab obsidione à Cæstio facta satis intercessisset spatij,
D vsque ad obsidionem aliam angustiorem à Tito, quæ omnes Iudæis aditum ad fugam, & salutem præclusit. Hęc sentētia placuit Salmeroni,& Frācisco Lucæ Brugensi, vtrique in cap.24.Matthæi. Et quo ad abominationē à seditiosis hominibus, qui templum habuerunt pro castris, placuit Abulensi in cap. citatum Matthæi, & Iansenio c.122. Concordiæ. Neque mihi displicet, quia nihil videtur ab illa desiderare textus, aut veritas:& quia si res attentiùs expendatur, vnum atque idem bellum censeri potest, quod à Floro, & Cæstio, & quod ab Imperatore Tito gestum est: illi etenim exorsi sunt; hic verò, licèt post moram aliquam temporis, absoluit.

E Sed vt verum fatear aliquid hìc inuenio, quod 163.
minus in hanc cogitationem conuenit. Nam inter obsidionem Cæstij,& aliam Titi, quæ vias omnes ad fugam interclusit, plus intercessit spatij, quàm quod illo loquēdi modo forsan hyperbolico significari debuerit: vt quod apud Matthæū legimus. *Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes: & qui in tecto non descendat, tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suā.* Hæc ego hyperbolica esse arbitror, quibus festinata significatur fuga: sicut illa, *neminem per viam salutaueritis.* At hyperbole etiamsi vltra veritatem; non tamen esse debet vltra modum.

Quare vtrumque esse arbitror in obsidione 164.
Titi, qui vt ferebat loci natura, non parum tem- *Abominatio*

poris

desolationis sub tempus Titi. poris posuit in vrbe circundanda, quo tempore multi ex ciuitate egressi sunt, vt opus impedirent. Vide Iosephum lib.6. de bello, a cap.2. Eo igitur tempore, quo à Tito ciuitas vallari cœpit, non fuit difficile excedere ex vrbe in montes, aut tutiora loca, quo hostile ferrum, aut solertia penetrare non posset. Eodem porrò tempore locus sacer olim, & religiosus plenus erat abominationibus, cum illum occuparent crudeles, & auari homines, quorum studium erat præcipuum & furorem aliorum sanguine, & cupiditatem satiare rapinis. Quos ab hac intemperie barbara, neque humanitatis ratio, neque loci religio temperabat. En duo proxima desolationis signa; & abominatio stans in loco sãcto; & ciuitas a Romano exercitu circumfusa; & aliquid interpositum temporis antequam ciuitas a Deo premeretur anguste, vt nullum ex ea pateret effugium, & quomodo necessarium fuerit euolare quamprimum ex vrbe veloci fuga, cùm statim omnis euadendi spes ab oppositis Romanorum castris esset præcidenda! Accedit quòd si rectè consideres, illa quæ à Cæstio facta est, non potuit omnino vocari obsidio, aut, vt verbo vtar Lucæ, circundatio; cùm exiguis copiis, quas secum Cæstius afferebat, tam lata ciuitas circumfundi non posset. Potuit autem optimè appellari circundata, cùm ad illam Titus ingẽtem hominum multitudinem applicuit.

165. Nunc superest, vt, quod antè promisimus, prophetiam Danielis cum Christi expositione componamus. Et primùm arbitror verum esse, quod Augustinus docuit lib. 2. de consensu Euangelist. cap.77. & Euthymius in cap.24. Matth. quod item ibidem tenet Maldonatus, dedisse Christum vtrumque signum, nempe abominationem futuram in templo; & vrbem à Romanorum exercitu circundandam, quorum alterum sumpserunt Matthæus, & Marcus; alterum Lucas. Neque enim necesse est, vt omnes Euangelistæ omnia scripserint quæ dicta, vel facta sunt à Christo. Vtrumque verò significatum arbitror à Daniele; aut certè si minus expressum, aliquo tamen modo connotatũ. Abominatio namque desolationis duo secum importat, & execrabile aliquid quod sit contra religionem, aut honestã aliquam consuetudinem, & bellum, a quo plerumque solet oriri desolatio.

166. *Abominatio desolationis aliquid indicat execrandum, & horribile.* Secundò arbitror hac voce, *abominatio desolationis*, significari aut prouerbiali specie; aut Hebraica phrasi horribilem aliquam stragem, seu exitũ, aut casum rei honestæ, ac pulchræ, quæ aut stetit antea, aut antiquo ritu splendidè fieri consueuit. Id probat illud lib. 1. Machab. cap.1. v. 57. Vbi cùm præcessisset Antiochi belluina crudelitas, quæ fecit vt templi pauimentum innocentum sanguine nataret; & fœdaret, spoliarétque templum direptis illius ornamentis, additur, *Ædificauit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis.* Quod idem est, atque si diceret, *abominationem desolationis.* Et sanè Græcè eadem vox est illa quæ apud Danielem hic, nempe βδέλυγμα ἐρημώσεως. Et rursus Daniel cap. 12. v. 11. cùm ageret de Antichristo, qui non minus sacris omnibus, quàm Antiochus bellum indixit, ait: *Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem.* Qui dicendi modus, vt exempla docent, aliquid indicat execrandum, & horribile.

167. Nunc iam explorandum quem Danielis locũ Christus allegârit. Caput octauum dicerent, qui de Antiocho putant hunc esse sermonem; sed cũ diu abominatio illa Antiochi præcesserit, nõ est cur de illa locutum esse Christum existimemus. Illud hîc notandũ malè omnino ad cap. 24. Matth. putasse Caietanum ad hunc Danielis locum spectasse id, quod modò ex lib. 1. Machabæorum adduximus, vbi minus modestè de auctore illius libri loquitur; neque id mirum cùm Machabæorum libros in canonem referendos esse non putauerit. Sanè liber ille neque Danielis meminit, neque asserit tũc impletum esse vaticinium. Caluinus, vt referunt Maldonatus, & Salmeron, in Matthæum de Antiocho putat locutum esse Danielem, cap. 9. atque ideo malè accipit illos, qui in caput hoc dicunt spectasse Christum.

Cap. 12. Daniel de Antichristo manifestè loquitur, atque ideo qui de Antichristo censent locutum esse Christum; iidem etiam existimare debent ad cap. 12. potius, quàm ad nonum illum respexisse, & in his est Caluinus. Quòd verò de Antichristo institutus fuerit à Christo sermo, argumentum est, vt Caluinus putat, non infirmũ; quia statim Christus ad finale de mundo iudicium sermonem deduxit, vt constat. 168.

Sed est omnino dicendum citatũ esse à Christo ex Danielis cap. 9. testimoniũ, & vtrumque egisse de vrbe obsessa primùm; pòst verò de desolatione à Romanorũ exercitu. Id verò manifestè sumitur ex verbis Lucæ cap.21. vbi quis sit futurus exercitus ille, qui à Christo dicitur desolatio, quia videlicet desolationem inducet ciuitati, his verbis ostendit: *Cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes Gentes: & Ierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum.* Quæ hoc loco dicũtur a Luca nullo omninò modo in Antichristi tempora conueniunt. Neque enim ille victos Iudæos captiuos quouis Gẽtium abducet; neque si id facere conaretur, posset perficere, cùm post abominationem illam desolationis, quæ ad ipsum pertinet, non diu sit vita producenda. Et cum multa à multis de Antichristo sint tradita, nemo de hominum captiuitate vnquam affirmauit. De Iudæis verò, qui debellati sunt a Tito, alia ratio est, quos dissipatos esse audiuimus ab aliis, & nunc etiam videmus; qui olim capti, & venditi, & in omnes mundi partes disseminati sunt. Vaticinium autem hoc Danielis, & perinde Christi, ad Titi tempora pertinere non Iudæis solùm eo tempore; sed etiam Gentibus compertum erat. Norant sanè homines, preferoces, & barbari, qui templum occupauerant, quique tota vrbe belluarum in modum grassabantur, ad quos iubente Tito hanc habuit orationem Iosephus, vt refert Egesippus lib.5. cap.31. sed præcipuè ad Ioannem illorum ducem. *Sed mirum quod perituram non credis* (nempe vrbem) *cùm legeris propheticos libros, quibus excidia patriæ nobis annunciata sunt, & reparata culmina rursus à Romano diruenda exercitu. Quid enim aliud clamat Daniel? Non enim quod iam factum erat, sed quod pòst futurum prophetabat. Quæ est abominatio desolationis, quam vociferatus est venientibus Romanis fore, nisi ista quæ imminet?* 169.

Neque ratio, quæ suprà videbatur aliquo modo suadere Christum de abominabili Antichristi desolatione fuisse locutum, admodum vrget; quia videlicet statim postquam egit de abominatione desolationis subtexuit sermonem de finali iudicio. Est enim valde inter Prophetas vsitatum, vt cùm in historia aliquis apparet typus, & exemplar rei alicuius magis arcanæ, quámque præ oculis habere plurimum intersit, ad illã statim 170. REGVLA. *Cum in historia vestigium apparet, & typus*

ter aliquim, ad illam interdum gradus fit.

cim gradus fiat. Sic hic ipse Daniel, cùm de Antiocho egisset cap. 11. quia in illius impietate, ac sæuitia aliqua sese ostētabat Antichristi species, ad Antichristum statim cap. 12. vaticinium traduxit. Sic Isaias cap. 24. cùm proximè de Tyri vastatione, atque interitu planè miserabili multa dixisset, quæ erat quoddam quasi totius mundi breue compēdium; quia in illa strage apparebat species aliqua mundi in fine sæculorū perituri; ideo ad communem totius mundi cladem vaticinium transtulit. Vide Commentarios nostros in Isaiam cap. 45. num. 21. vbi hanc regulam tradidimus, illámque multis exemplis confirmauimus.

171. Quàm autem aptè cum Danielis verbis Christi verba consentiant, iam examinemus. Quod Daniel futuram esse desolationem illam dixit *in templo*; Christus *per locum sanctum* expressit apud Matthæum, & apud Marcum, *vbi non debet*, quod idem est re, licèt sermone diuersum. Non dixit quidem Daniel quicquā expressè de ciuitate ab hostili exercitu vallanda; dixit tamen obscurè in verbo *desolationis*. Exercitus eò plerumque incūbit, vt contrariam potentiam debilitet, munimēta hostium sternat, & euertat. Quod autem prophetico, id est, obscuro modo significauit Daniel, id expressè docuit non interpres solùm; sed Prophetarum inspirator Christus. Id verò quod ad extremum addidit Daniel, *Vsque ad consummationem, & finē perseuerabit desolatio*; significauit Christus per Lucam, dum ait, cap. 21. v. 24. *Donec impleantur tempora nationum*; quod nihil est aliud quàm *vsque ad finem mundi*.

172. *Et vsque ad consummationem, & finem.*] Exciderunt Chaldæi ante hæc Danielis tempora ciuitatem, & templum; non tamen vsque in finem, consummationémque mundi. Nam exacto septuagesimo anno à captiuitate rediit ab exilio populus, & fauētibus Persarum Regibus instaurata fuit ciuitas, excitatum templum, & res Iudaica, quæ antè ceciderat, in suum locum, atque ordinem restituta. Longè tamen accidit in strage per Romanos illata, quam nulla Iudæorum reparabit posteritas, nulla Regum industria, aut potentia restituet. Curarunt quidem sæpe Iudæi, patriæ sedis, atque paternæ religionis amantes, templi ciuitatísque ruinas excitare; quorum studiis adfuerunt aliquando Principes, dū Christianam religionem obscurare, aut in inuidiam trahere conantur; sed infelici prorsus, & irrito conatu. Lege Nicephorum Calistum lib. 10. cap. 32. & 33. inuenies quanto studio Iudæi, & Principes Christianæ pietatis inimici in Solymitani templi fabricam incubuerint, quámque seueris, atque vltricibus flammis ab impio conatu sint depulsi, & mulctati morte, aut grauibus incommodis affecti. Omitto alios, qui pauci non sunt, qui ea de re multa, atque præclara. Vnum adducam Chrysostomum, qui instar erit omnium in oratione 2. contra Iudæos. *Post deuastationem*, inquit, *quæ facta fuit a Vespasiano, ac Tito sub Hadriano mota seditione, conati sunt pristinam rempublicam instaurare, haudquaquam intelligentes, quod arbitrio Dei bellum gereretur iubentis in perpetuum eam ciuitatem deuastari. Porrò Deo bellante, superare impossibile est. Impetu igitur facto in Cæsarem rursus eum adegerunt, vt funditus deleret ciuitatem, deuictis, ac subactis illis: omnibusque reliquiis abolitis, ne impostèrum possent impudenter agere, statuam suam in loco collocauit. Deinde sciens futurum, vt illo tempore collaberetur, quo illius victoria notam immedicabilem inureret, & illius impuden-*

Templum sæpe instaurari cœptū, frustra tamen.

Templi reædificatio impedita diuinitus.

A *tiæ monumentum, nomen suum ciuitatis ruinis imposuit. Quoniam enim ipse dicebatur Ælius Adrianus; ideo & ciuitati nomen Æliæ iussit imponi: inde & Ælia dicitur in hodiernum vsque diem. Post hunc sub Constantino rursus eadem aggressi sunt. At ille amputatis illorum auriculis, & rebellionis signo impresso corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, seu fugitiua mancipia, ac verberones, corporibus mutilatis conspicuos illos faciens omnibus, ac eos qui per omnes regiones erant sparsi, erudiens, ne impostèrum eadem conarentur.* Deinde 173.
rem narrat recentem, cuius ipse testis fuit: cùm enim Iulianus Imperator acerrimus Christiani nominis inimicus, templum Iudæis eodem in loco, vbi priùs olim erat extructum, excitare voB luisset, rémque magno studio, ac sumptu foret aggressus, expertus fuit non dubio signo tentare se rem inuito Deo; neque tutum esse illo repugnante quicquam moliri. *Nam simul* (inquit Chrysostomus) *atque tentassent hunc impium conatum, cœpisséntque nudare fundamenta, multámque terram exhausissent, restarétque iam, vt structuram aggrederentur: protinus ignis exiliens à fundamentis exussit multos, & intempestiuam pertinaciam interrupit. Hæc vbi rescivit Imperator, quanquam tanta vesania deditus illi negotio; veritus tamen ne vlterà progressus, in suum ipsius caput ignem accerseret, destitit extinctus cum tota Gente. Et nunc si redeas Hierosolymam, conspicies nuda fundamenta. Huius rei nos quidem omnes testes* C *sumus: nostra enim ætate hæc non ita pridem acciderunt.* Hæc Chrysostomus.

Sed dicet aliquis non in æternum excisam: nam & nunc extructam esse videmus, & à Sarracenis habitari: & nō multo pòst habitatam audimus sub Hadriano, qui abrogato nomine quod olim habuit, cùm res staret Iudaica, de suo nomine nomen imposuit, Æliámque vocari iussit àb Ælio, hoc enim ipse habuit. Verùm si quis maiestatem, atque amplitudinem antiquam cum illius postea tenuitate, ac vilitate conferat, euersam putabit; vsque adeò magna facta est superioris status, ac fortunæ mutatio. Quid quòd templo sublato, ac regio solio, cuius gratia freD quentes erant in vrbe è tota terra Israëlitide cōuentus, ipsa quoque ciuitas sublata videtur, quæ id habuit præcipuum, vt esset inter Hebræos religionis quasi fundamentum, & sedes; & id ex quo totius ordinis Iudaici administratio penderet. Adde quòd locus ille non Iudaico, sed alterius Gentis ordini, ac commodo seruiebat: quare quod ad Iudæos spectabat, perinde erat, atque si ruinæ tantùm ciuitatis, & informe bustum foret relictum. Tam autem erat longè vt Iudæis in Solymitano solo, patriæque ruinis habitare liceret, vt neque illas spectare possent, aut illius exitium horribile lugere, neque soluto pretio. Tradit hoc testis oculatus Hieronymus ad illud E Sophoniæ cap. 1. *Et erit fortitudo eorum in direptionem. Probibentur*, inquit, *ingredi Ierusalem, & vt ruinam suæ eis flere liceat ciuitatis pretio redimunt. Videas in die quo capta est à Romanis, & diruta Ierusalem venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis, annisque obsitos, in corporibus, & habitu suo iram Domini demonstrantes. Ad hoc fletus in genis, & liuida brachia, & sparsi crines, & miles mercedem postulat, vt illis flere plus liceat.* Hæc carptim ex Hieronymo. Quare si non omnino aliis pertenuis illa ciuitatis vmbra periit; periit tamen Iudæis, &, quod ad illos pertinet, æterna fuit illius desolatio. Hæc de cap. 9.

174. *Quomodo dici possit Hierosolyma nunquam reædificata.*

IN CAPVT DECIMVM.

ARGVMENTVM.

TRANSEGIT trium hebdomadum spatium Daniel ita seuerè, ac parcè, vt ab escis abstineret delicatis, & lautis; & luctui se, atque orationi traderet, ac illa respueret, quæ censeri solent genij, atque naturæ blandimenta. Posthæc verò ad fluminis ripam augusta, atque horrifica specie occurrit illi Gabriel, vt illius satisfaceret votis, & de rerum quarundam euentu doceret, quæ vel ad statum pertinerent rei Iudaicæ, vel ad Vniuersi œconomiam summam, atque multiplicem. Corruit ad visionem stupefactus Daniel, confortatus tamen ab Angeli attactu, erexit se paululum, ita tamen, vt reptantis in modum genibus tantùm niteretur, & manibus: pòst tamen altiùs eleuatus in ipso stetit pedum vestigio, ita tamen vt corpore toto contremisceret. Cùm tamen bono animo esse iussisset Angelus ait, statim à principio illius esse à Deo preces exauditas; sèque tunc legatum esse missum, legationis autem, ad illius vsque tempus dilatæ causam fuisse Angelum, qui Persicis rebus erat præpositus: qui se Gabrielis consiliis aduersarium opposuit. Cùm hæc ab Angelo accepisset Daniel deiecit in terram oculos, & dissolutis renibus, corporis vires, & linguæ facultatem amisit: quæ tamen rursus Angeli ministerio recuperauit, à quo didicit quemadmodum ex summis negotiis aliquid temporis eripuerit, vt ipsum de maximorum rerum euentu doceret; cùm tamen solum Michaëlem in duro conflictu adiutorem haberet contra Persarum Principem; eo tempore, quo illi Græcorum Princeps socium se, & commilitonem adiunxerat.

CAPVT X.

1. *ANno tertio Cyri regis Persarum, verbum reuelatum est Danieli cognomento Baltasar, & verbum verum, & fortitudo magna: intellexítque sermonem: intelligentia enim est opus in visione.* A

PARAPHRASIS.

1. ANno tertio, ex quo primùm iniit Cyrus Persarum imperium, oblatum est Danieli, quem Babylonij Chaldaico vocabulo dixere Balthasarem, verbum, tum verum, quia exitum habebit, quem designat, tum etiam efficax, & forte, quia præstabit, quod promittit, aut minatur. Intellexit autem hæc Daniel edoctus ab Angelo; res enim vsque adeò obscura doctoris lucem, atque doctrinam exigebat.

2. *In diebus illis ego Daniel lugebam triū hebdomadarum diebus,* B

2. Eo verò tempore per tres hebdomadas, id est, per dies vnum & viginti vitam egit seueram, & tristem, in ieiunio videlicet, & luctu.

3. *Panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum: donec complerentur trium hebdomadarum dies.*

3. Toto illo spatio, neque panem gustaui delicatum, qualis ad lautas, & splendidas mensas adhiberi solet; abstinui prorsus à carnibus, & vino; neque caput meum vnguento commaduit: donec trium hebdomadum curriculum peractum fuit.

4. *Die autem vigesima & quarta mensis primi, eram iuxta fluuium magnum, qui est Tigris,* C

4. Die porrò vigesima quarta finitis iam hebdomadibus, quas à tertio die mensis primi Nisan, auspicatus fueram, contigit, vt ad fluuium magnum, qui dicitur Tigris, progrederer, & ad illius littora consisterem.

5. *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo:*

5. Cúmque oculos ad cœlum eleuassem, descendentem è loco superiore conspexi linteatum virum, cuius lumbos zona ex auro purissimo cingebat.

6. Et corpus eius quasi chrysolithus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens: & brachia eius, & quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species æris candentis: & vox sermonum eius vt vox multitudinis. A

6. Corpus illius non aliter lucebat, quàm Chrysolithus solet, fulgurabat facies, scintillabant oculi, non secus ac lampas. Porrò brachia, & quæ deinde ad pedes vsque defluunt, ab aurichalco candenti splendorem, & speciem sumebant. Quod ad vocem attinet, non exilis erat, aut infirma, aut qualis ab vno homine, sed plena, & fortis, qualis ab exercitu, seu ingente hominum turba excitari solet.

7. Vidi autem ego Daniel solus visionem: porrò viri, qui erant mecum, non viderunt: sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum. B

7. Spectrum illud vni mihi visum est, sociorum autem nemo videre potuit; omnes autem subito quodam horrore concussi, in abditum se locum contulerunt.

8. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc: & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium.

8. Cùm alij ab eo loco se corripuissent aliô, ego solus visionem illam grandem, & illustrem aspexi. Tunc autem destitutus à viribus exanimis corrui, & exanguis à metu totus expallui; talémque ex ea visione speciem retuli quasi ex longo morbo maciem, & tabem contraxissem.

9. Et audiui vocem sermonum eius: & audiens iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. C

9. Audiui grandem illam, atque horribilem vocem, quam cùm sustinere non possem, pronus cecidi, ita vt vultus apprimeretur terræ, & consternatus animo, & prostratus corpore iacerem.

10. Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum.

10. Cùm humi exanimatus iacerem, neque pedibus niti, immo neque commouere me possem, tetigit me manus eius, qui sua me voce concusserat, fecítque vt genibus, & digitorum articulis eleuatum modicè corpus sustentarem.

11. Et dixit ad me: Daniel vir desideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cúmque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens. D

11. Et dixit ad me: O Daniel, cuius animus multis exæstuat desideriis, ex genibus, ac digitorum articulis in pedes te rectum, atque sublimem eriges adhibe aures, & aduerte animum, & quæ ad te verba legatus affero, quàm potueris studiosè audi: & vt perfectè intelligas, labora. Ad eius verba surrexi protinus, stetíque pedibus innixus; ita tamen vt toto corpore contremiscerem.

12. Et ait ad me: Noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos. E

12. Et rursus ad me: Procul esto metus omnis, ô Daniel. Nam ex quo primùm applicuisti animum, vt intelligeres, & vt eius rei gratia ieiuniis te, atque aliis corporis molestiis affligeres, in conspectu Dei, exauditæ sunt preces tuæ, quæ obtinuerunt à Deo, vt ego ad te legatus descenderem.

13. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus: & ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta regem Persarum.

13. Restitit autem mihi, tribus hebdomadibus, quas tu in oratione, & luctu posuisti, aduersaria potestas, quæ Persarum imperio præest, quíque ideo Persarum Princeps appellatur (neque ego

A solus cum Persarum Principe congressus sum, adfuit etenim Michael mecum vnus è septem Principibus, qui primum apud Deum obtinent locum) & quia mihi cum Rege Persarum, nequid grauius statueret, vrgente dæmone contra Iudæos commorandum fuit, ideo officium istud consolationis,& humanitatis necessariò distuli.

14. *Veni autem vt docerem te quæ ventura sunt populo tuo in nouissimis diebus, quoniam adhuc visio in dies.*

14. Veni autem vt à me disceres, quid post hæc tempora populum tuum, B aut commoda, aut infortunia maneant; quarum aliqua non nisi post multa tempora contingent.

15. *Cúmque loqueretur mihi huiuscemodi verbis, deieci vultum meũ ad terram,& tacui.*

15. Interim dum his me verbis alloqueretur Angelus, deieci in terram oculos, & tacui; quia mihi nulla fuit reliqua respondendi facultas.

16. *Et ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea: & aperiens os meum locutus sum,& dixi ad eum qui stabat contra me, Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ,& nihil in me remansit virium.*

16. Non tamen diu aut interclusus fuit spiritus, aut impedita lingua ad formandam vocem. Nam ille idem Angelus sub humana specie, tactis labiis, quæ stupor, aut admiratio compresserat, loquendi facultatem restituit; quare C cùm expeditum os esset ad sermonis vsum; sic ad eum qui proximus mihi aderat, aio: Domine ad tuum aspectum obstructis faucibus, & laxatis corporis compagibus, & vires corporis, & formandi sermonis potestatem amisi.

17. *Et quomodo poterit seruus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim in me remansit virium, sed & halitus meus intercluditur.*

17. Quomodo igitur coram te, ô Domine mi, cuius ego seruus sum abiectus & humilis, hiscere audebo, aut voces vtcumque formare; cùm vires me, ac spiritus ipse destituat.

18. *Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis,& confortauit me,*

18. Cùm adhuc timidus essem, & languidus, tetigit me rursus illa hominis D species, de qua nuper, & vires mihi, & animum adiecit.

19. *Et dixit: Noli timere vir desideriorum: pax tibi: confortare,& esto robustus. Cúmque loqueretur mecum, conualui,& dixi: Loquere Domine mi, quia confortasti me.*

19. Et insuper addidit: Bono esto, ac forti animo, ô vir, quem multa desideria sollicitant, ac pulsant, metus omnis abest, peccata sunt omnia, fac bono sis, atque constanti pectore. Neque dum verba finierat, cùm pristinas mihi vires, ac spiritus integrari sentio. Quare cùm iam viderer satis ad audiendum idoneus, aio, loquere Domine, quia verbis tuis ab omni languore, ac metu re- E creatus sum.

20. *Et ait: Numquid scis quare venerim ad te? & nunc reuertar vt prælier aduersum principem Persarum, cùm ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens.*

20. Tunc ille rursus ad me: Numquid scis cuiusnam rei gratia ad te legatus venerim? & quidem nunc raptim, & à graui me tantisper negotio subducens; neque enim Princeps, qui Iudæorum causam oppugnat, in data sibi prouincia cessat, aut languet; quare statim reuersurus sum, vt certamen renouem, & eius me conatibus opponam, & eo studiosiùs, atque vehementiùs, quòd

A quòd aduersaria potestas, quæ Græciæ præsidet, sociam se ad repugnandum, & contradicendum adiunxit.

21. *Verumtamen annunciabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis: & nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester.*

21. Veruntamen, licèt aduersariæ multiplicentur vires, intersitque plurimum illorum Principum insidiis, atque conatibus occurrere; neque adsit mihi in illo conflictu nisi Michael, qui vestræ synagogæ Princeps est, aliquid tamen à summis occupationibus decerpsi, vt ad te perferrem quid à Deo in mandatis accepissem; id nempe quod Deus de re Iudaica, diebúsque nouissimis statuisset. Quæ omnia quàm verissima sunt, & suam sibi fidem euentu ipso facient.

Vers.1. *Anno tertio Cyri Regis Persarum verbum reuelatum est Danieli.*]

1. DVBITANT hoc loco interpretum nonnulli, quærúntque quomodo Daniel anno Cyri tertio dicatur visionem accepisse, de qua nobis futura commentatio, cùm capite primo dicatur ad annum Cyri primum vitam produxisse: sic enim exponunt illud vers.21. *Fuit autem Daniel vsque ad annum primum Cyri Regis.* Sed quis sit illius loci sensus, ibi nos latiùs exposuimus. Adi locum, & intelliges quàm nulla sit ex eo dubitandi causa. Sed est adhuc obscurum, an primus hic annus sit primus imperij Persici, quando exiit primum edictum à Cyro Esdræ lib.1. cap.1. id est, quando simul cum auunculo suo Dario dominabatur: an cum Dario vita, atque imperio defuncto solus imperauit? Mihi hoc posterius maximè probatur: nam licèt Esdræ 1.cap.1. & Paralip.2. cap. vltimo primus annus imperij Persici primus annus dicatur Cyri; tamen Daniel, vt vides, sic de Cyro, atque Dario loquitur, vt illorum tempora diuersa constituat, vt patet ex capite præcedenti, ac sequenti in vtriusque principio. Verbum autem esse reuelatum nihil est aliud, quàm rem esse oblatam Danieli: *verbum* enim tam latè patet apud Hebræos, quàm *res* apud Latinos.

2. *Et verbum verum, & fortitudo magna.*] Vt verba hæc sunt à Daniele proposita in varias assumi possunt expositiones; quarum vna est. Verbum illud esse certissimum, quod ideo dixisse videtur Propheta, vt attentum reddat auditorem tunc, & postea lectorem huius vaticinij. Aut certè se illud planè intellexisse, cùm de aliis nonnihil ignorauerit, & ad illius intelligentiam, alterius indiguerit luce, atque doctrina, vt constat ex cap.7.v.16. *Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonis, & docuit me.* Vbi, vt vides, veritas pro cognitione sumitur, quam in illa visione Daniel accepit ab Angelo. Et iterum cap.8. quia quod viderat, non intelligebat; edoctus est ab Angelo. Et hæc mihi explicatio valde placet, quæ verum dicit esse sermonem, id est, Prophetæ primum sic exploratum, vt alia noua luce non indiguerit. Sed ex-
3. plicatio alia fortasse vera, certè non aliena ab hoc loco, si cum quibusdam aliis Prophetæ va-

B ticiniis conferatur. Certum est occulta quædam mysteria in somniis Danieli fuisse reuelata, vt quod statua ex variis metallis conflata, & obiecta Chaldæorum Regi portendebat, vt constat ex cap.2. v.19. & quod accepit cap.7. de quatuor imperiis. In his porrò quæ dormientibus occurrunt, nihil est solidum, sed inane, quod teneri manu non potest; quia expers corporis nihil verum, sed veritatis species & imago, licèt veros rerum euentus aliquando portendant, vt contingit in visione prophetica, in qua corpus non est; sed corporis imago: non vox, sed imago quædam sonantis vocis. Vidit autem hîc Daniel spectrum vigilans, audiuitque veram, veróque sonantem vocem: qualia plurima vidit, audiuitque paulo ante hæc tempora Ezechiel, & non longè postea Zacharias, & in Apocalypsi frequenter Ioannes.

In quo differat visio, vna dormienti, ab ea qua vigilanti oblata est.

C Nunc ergo Daniel verum dicit esse verbum; quia non hæc dormienti oblata fuit species, vt aliquando priùs; sed vigilanti. Vigilans ergo veras audiuit voces; non verò dormiens tantùm vocum imagines. Huc inclinat Maldonatus. Quod alij dicunt verbum hoc verum à falsis Prophetarum verbis distingui, non adeò placet; quia hoc idem de aliis verbis dicecere potuisset, quorum nullum erat non verum, veram autem huius loci sententiam statim ostendam; neque enim quæ huc vsque traditæ solutæ sunt. Porrò vbi vulgatus *verum*, Heb. est אמת *emeth*, id est, veritas neque diuersa ideo significatio. Sed reddit hic dicendi modus facilem magis expeditámque sententiam eorum, quæ proximè sequuntur, quæ etiam abstractum habent genus orationis.

D *Et fortitudo magna.*] Sicut veritas inerat visioni, ac verbo: sic etiam eidem magna inerat fortitudo. Quæ tamen illa sit dubitant, & inter se magnopere dissentiunt interpretes. Pro fortitudine Heb. est צבא *saba*. quæ exercitum significat, & virtutem: vnde quidam cum Angelo, qui Danieli apparuit, adfuisse putant Angelorum multitudinem magnam. Alij aliter, quorum ego sententiis commemorandis, aut refutandis supersedeo; tantùm dico probari mihi magis quod visum est Hieronymo, inesse nimirum Dei verbo veritatem, quia exitum habebit, quem designat; & fortitudinem, quæ præsta 4.

præstabit quicquid diuinum hoc verbum promittit, aut minatur. Quare in hac visione Deus, sicut in aliis verum se exhibebit, & fortem. Idem S. Thomas, & è Recentioribus Hugo, Lyra, Pereira.

5. *Intellexitque sermonem, intelligentia enim opus est in visione.*] Intellexit Propheta visionem, exponente videlicet Angelo, vt satis constat ex cap. 11. & 12. quorum hoc caput quasi proœmium est, quod textus Hebraicus planè docet, qui vbi vulgatus habet, *Intelligentia opus est in visione*, ipse habet בינהלו *binahlo*, id est, intelligentia illi, nempe Danieli data est, in ea visione. Quare non tradit hoc loco Propheta generalem regulam, quæ doceat illum esse Prophetam, qui quod ipsi quoquo modo reuelatum est, manifestè cognoscit, de quo nobis statim, sed tantùm dicit traditam sibi esse à Domino per Angelum visionis illius, & verbi fortis, & veri plenam intelligentiam. Ita putat Maldonatus, & Vatablus, indicat Theodoretus, & probat Theodotionis translatio, quæ sic vertit, *Intelligentia data est.* & huic affines sunt translationes aliæ tam Recentiorum, quàm Septuaginta. Neque huic expositioni valde incommodat vulgata translatio, quam sic licebit interpretere. Intellexit Daniel verbum illud ab Angelo, quia cùm esset vehementer obscurum, necessaria fuit illi intelligentia.

6. Hæc puto magis ad literam, quod etiam tenent interpretum plerique; sed quia aliter quidam interpretantur, vt S. Thomas, Pereira, & ex hoc loco nonnulli colligunt Prophetam non esse, qui licèt futura præuideat, siue hoc in visione contingat, siue auditu, siue aliquo alio modo; illa tamen clara non assequantur quia, vt inquit hoc loco Daniel, intelligentia opus est in visione: ideo ea de re pauca hic nostro more libabimus.

7. *Error Montani de cognitione prophetarũ.* Error fuit Montani, quem ideo varijs locis exagitat Hieronymus, Patriarchas, & Prophetas locutos in ecstasi, id est, mentis alienatione, atque ideo non intellexisse quid dicerent. Ita refert Epiphanius hæresi 48. contra Montanistas, à quo ex Patribus nonnulli non valde abhorrent. Sic Cyrillus lib. 8. in Ioannem, cap. 3. vbi exemplum adducit Caiphæ, qui quod propheticè dixit, non intelligebat; & Danielis, qui vt ex hoc libro non semel didicimus, multa non intellexit, donec illustratus est ab Angelo; & tamen ante Angeli magisterium Propheta fuit. Quod etiam sentire videtur Augustinus lib. 7. de ciuitate, cap. 35. & lib. 2. ad Simplicianum, q. 1. adducítque sicut Cyrillus proximè, Caiphæ vaticinium.

8. *Propheta intelligit quæ dicit.* Sed est communis Patrum sententia alienatos à mente non fuisse Prophetas, cùm vaticinia funderent, & quæ præuiderent, aut prædicerent omnia intellexisse. Origenes lib. 3. periarchon cap. 3. & alibi sæpius, Basilius in proœmio Isaiæ, & iterum in cap. 13. Isaiæ, Hieronymus item in Isaiæ proœmio, quod aliis locis quàm sæpissimè repetit Chrysostomus homil. 29. in 1. Corinth. cap. 12. inter vatem, (qualis est qui à profanis dicitur fatidicus, aut instinctus à pythonico spiritu) & Prophetam hoc statuit discrimen. *Quia vatis*, inquit, *proprium est mente commoueri, & necessario compelli, & trahi tanquam furiis percitum. Propheta autem non eiusmodi est; sed sobria mente, & modesta, & firma quæ loquitur omnia, vt decet, nouit.* Gregorius lib. 11. c. 14. Moral. *Cùm aliquid vel ostenditur, vel auditur, si intellectus non tribuitur, Propheta minimè est.*

9. Dixit hoc sæpe, & omnium clarissimè Magnus Augustinus, cuius hîc verba libenter producam; quia, vt nuper vidimus, existimari potest sensisse contrarium. Sic autem ille lib. 12. de Genes. ad literam, cap. 9. *Quibus*, inquit, *signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, vt etiam intelligerentur, nondum erant Prophetæ; magisque Propheta erat, qui interpretabatur quod alius vidisset, quàm alius qui vidisset. Vnde apparet magis ad mentem pertinere prophetiam, quam ad hunc spiritum, qui est vis animæ quædam mente inferior, vbi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Itaque magis Ioseph propheta fuit, qui intellexit quid significaret visum Pharaonis, quàm Pharao, qui illud in somno habuit. Huius enim spiritus informatus est, vt videret, illius mens illuminata est, vt intelligeret.* vide reliqua. *Non qui somnia viderunt prophetæ, sed qui illa interpretati sunt.* Eadem penè epist. 112. cap. 2. & libro contra Adimantium Manichæum, cap. 28. vbi ideo negat Pharaonem, Nabuchodonosorem, & Caipham fuisse Prophetas; quia illorum mens impulsa fuit diuinitus, vt rem apprehenderet; non vt apprehensam intelligeret. Vbi obserua negasse hîc Augustinum, quod suprà cum Cyrillo confessus videbatur, Caipham spiritum habuisse propheticum. Quæ ratio tam ipsum, quàm Cyrillum impulerat, vt intelligentiam in Propheta non esse necessariam existimarent. Idem sentit hoc loco S. Thomas, & 2. 2. q. 173. art. 4. vbi tamen paulo aliter loquitur. Affirmat tamen illum, qui visa non intelligit habere quidem propheticum instinctum; non tamen perfectum esse Prophetam.

10. *An propheta sit dicendus aliquis antequam audita seu oblata cognoscat.* Dubitare hîc aliquis non immeritò posset, an Daniel, v. g. & Zacharias, qui non statim intellexerunt quid sibi oblatum esset in visione, donec ab Angelis eis fuit oblata lux, antequam cognoscerent quid species illa, visióque portenderet, vocari potuerint Prophetæ? Iuxta Patrum sententiam, de quibus proximè, non dubium, quin illis prophetica compellatio tribuenda non sit, cùm nondum accesserit illa lux, quam ad prophetiam existimabant esse necessariam, nisi ex aliis propheticis intelligentiis illud sibi nomen comparassent. Nihilominus quia exigua præcessit mora antequam illorum mens obscuræ visionis illustraretur intelligentia; & quia ideo species offerebatur propheticis oculis, aut mentibus, vt illius cognitio statim accederet; ideo ante hanc illustrationem, prophetici nominis honorem non negarem. Quod enim breui fit ex Scripturæ sacræ consuetudine factum iam existimatur, & præsens: quomodo Matthæi cap. 9. viua dicitur puella, quia breui erat à mortuis excitanda. *Non est*, inquit Christus, *mortua puella.* Qua de re nos pluribus in cap. 1. Cant. num. 25. Seu certè responderi potest, quod in casu non dissimili respondit S. Thomas 2. 2. q. 173. art. 4. illum qui mouetur à Spiritu sancto oblata visione habere quidem instinctum propheticum; non tamen perfectè esse Prophetam.

Vers. 2. *Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus.*] Quærunt hîc quidam ex interpretibus à quo tempore orsus fuerit Daniel ieiunium, & orationem. Quidam cum mense, immo cum anno (nam statim mensis ille vers. 4. vocatur primus, & hic est Nisan) putans cœpisse ieiunium. 11.

nium. Mihi magis est probabile à die mensis tertio pium illud opus ieiunandi, atque orandi iniisse Prophetam, quod visum est Hieronymo hoc loco, & Recentiorum plerisque. Ex antiquis tenet Tertullianus libro de ieiunio aduersùs Psychicos, c.9. & Chrysostomus oratione prima contra Iudæos. Sic verò Tertullianus, *Donec consummarentur tres hebdomades, quibus transactis mittitur Angelus.* Missus est autem die vigesima quarta; atque ita ieiunium die tertio inchoatum oportuit. Sed clariùs Chrysostomus. *Nam cùm cœpisset à die tertio primi mensis, ac deinde dies viginti vnum continuasset.* Venisse porrò Angelum, cùm primùm exactum est illud trium hebdomadarum ieiunium non obscurè ex ipso sacro textu colligitur vers.3. & 4. donec complerentur trium hebdomadarum dies. *Die autem vigesima quarta mensis primi vidi, & ecce vir vnus.* neque prætereà differenda videbatur vltra ieiunij tempus tam pia, tam ardénsque Danielis oratio.

12. *Azyma extra Ierusalem non celebrantur.* Obseruant Chrysostomus suprà, & Theodoretus hîc, Maldonatus, & Pereira in has tres hebdomadas incurrisse necessariò septem illos dies, qui dicuntur Azymi, in quorum principio decimaquarta luna, id est, die decima quarta mensis Nisan immolabatur agnus. Cùm ergo Daniel festum illud Iudæorum obire non posset in Perside legitimè, quia extra Ierusalem pagi seuerè prohibetur. Deut.16.v.2.& 5. *Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi; sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi;* voluit qua ratione sanctè, atque legitimè potuit, non tam celebrare, quam pia renouare memoria. Azymis quidem ex Hebraico ritu vesci, & Phase comedere extra Hierosolymam non licebat; licebat tamen sine dubio aliquid aliud obire, quod festum illud sacrum, & toti Iudæorum generi venerabile aliqua ratione repræsentaret. *Azymus panis afflictionis.* Dies etenim Azymorum, dies erant afflictionis, atque ideo panis sumebatur insipidus, ea priuatus suauitate, & gustu quem panis habere solet à fermento. Sic sanè colligitur ex Deut. suprà, vers.3. *Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pauore egressus es de Ægypto, vt memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ.* Hæc videtur non inepta ratio, cur Daniel eos sibi præcipuè dies elegerit ad fletum, & ieiunium: voluit enim, quando sibi Hierosolymæ adesse non licebat, id præstare quod potuit in peregrino solo. Afflixit enim animam suam ieiuniis, & licèt ad cibum panem adhibuerit fermentatum; ille tamen longè aberat à mensarum deliciis, vtpote, aridus & insulsus, quique optimè vocari posset non desiderabilis, ad sustentationem potius, quàm ad blandimenta naturæ.

13. Quæret hîc aliquis, qualis fuerit luctus ille, seu lugendi forma, quam trium hebdomadum spatio adhibuit Propheta. Luxisse credo, & illacrymasse Danielem neque semel, neque leuiter in longò illo tempore, quod sibi ad affligendam animam elegerat. Neque enim videtur verisimile, cùm videret quid quotidie paterentur captiui, qui eo rerum articulo nouis decretis impediti in Perside, aut Babylonia morabantur: quid etiam illi, qui Patriæ restituti variis quotidie vicinorum assultibus tentati, inchoatam templi, ac ciuitatis fabricam promouere non poterant. Has itaque ob res plorasse illum arbitror propriè, & vim profudisse lacrymarum ingentem. Nihilo

A tamen minus existimo luctum aliquid hîc significare diuersum, modum nimirum affligendi se aliqua solemni, & consueta forma, qua animi sui dolorem, aut sollicitudinem declarabant Hebræi. Id mihi persuadet primum quòd luctus vocatur honor ille, quem mortuo cognati, aut familiares præbent, qui funus appellatur: & tunc amici lugere dicuntur, etiamsi vox ab ore lugubris; & lacrymæ procul absint ab oculis. Sic Hieronymus epist.25. ad Paulam, vbi docet fletum, aut planctum in mortuorum inferiis non tam esse gemitus, aut lacrymarum profusionem, quàm magnificentiam, aut splendorem funeris, qualem exhibent, qui atrati, sordidatíque raso *Luctus pro quauis caeremonia, qua se homines affligunt, aut mœrorē ostendunt.*

B capite cum facibus feretrum prosequuntur; aut alio quouis iuxta populorum consuetudinem ritu sacra ad mortuorum cineres obeunt parentalia. Sic autem ibi de planctu magno, quem viri timorati fecerunt super Stephanum. *Planctus, inquit, magnus non in plangentium exanimatione, vt tu putas, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus est.* Et statim de Iacob, cui Ægyptij magno rerum apparatu, ac pompa parentarunt Gen.50. *Et planxerunt eum planctu magno, & forti nimis. Planctus, inquit, iste solennis non longas Ægyptiis imperat lacrymas, sed funeris monstrat ornatum. Iuxta quemmodum Aaron quoque, & Moysem fletos esse manifestum est.* Hæc Hieronymus.

C Deinde quia qui vitam aliquandiu tristem agit, aut austeram, & horridam; quia videlicet neque lautis, vt antè, cibis, neque splendidis ornatur vestimentis, is lugere dicitur, licèt silenti ore, & siccis oculis. Sic Iudæi cùm mœsto essent, & sollicito animo, vellént que impendens aliquod infortunium auertere, saccum assumebant, & cinerem, à delicato pane, vino, atque vnguentis abstinebant, addebántque preces: id verò totum luctus significabatur nomine, & qui sic erant sordidati, atque in seipsos seueri, ac duri lugere dicebantur. Sic Dauid 2.Reg.12. luxisse dicitur puerum, quid verò sit lugere, explicatur vers.16. 14. *Lugere dicitur, qui in sordibus est, aut ieiunat.*

D *Deprecatus est Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus seorsum iacuit super terram.* Eo autem habitu fleuisse dicitur Dauid, vt constat vers.21. & v.22. Vbi ostendit quid sit lugere. Nam cùm lugere desiisset, *surrexit Dauid de terra, & lotus, vnctúsque est, cùmque mutasset vestem, ingressus est domum Domini.* Quare nihil aliud puto fecisse Danielem, cùm luxisse dicitur, quàm quod fecit Dauid, nempe deposuisse vestem, & insigne magistratus illius, quem tunc obibat apud Persas, & vestem sumpsisse cilicinam, abstinuisse à lautis, ac delicatis epulis, & cibum habuisse insulsum, & parcum, qualem videlicet exigebat & animi mœror, & cultus horridus. Porrò Hebraico idiomate illa

E lugere dicuntur quæ deserta sunt, & squalida, & illis ornamentis priuata, quæ priùs habuerunt. Quomodo lugere dicuntur viæ Sion Thren.1. & vineæ quæ aruere siti, & à suis fructibus spoliatæ sunt Isaiæ 24.

Vers.3. *Panem desiderabilem non comedi.*] Hinc constat aliquando Danielem cibis vsum fuisse lautioribus, bibisse vinum, & panem comedisse desiderabilem, id est, delicatum, qualis expeti solet ab his, quibus vita est à sordibus, & vulgaribus epulis aliena: id enim ipse non obscurè docet, cùm hæc trium hebdomadum ieiunio respuisse dicit. Quare quod principio fecit cap.1. vt tantùm legumina, & aquam ad mensam adhiberet, id illi perpetuum non fuit, 15. *Daniel non semper leguminibus vsus, aut à cibo delicato, & mensæ deliciis abstinens.*

quando

quando hic & vinum se bibisse ostendit, & delicatum habuisse panem. In pane verò, vt putat Hieronymus, omne ciborum genus intelligitur, vulgato Hebræorum more, qui hac voce לחם *lechem* significari putant esculenta omnia. Quare ex omnibus, quæ sibi in cibis pararat Daniel, nihil erat desiderabile, nihil quod irritaret gulam, nihil quod stomacho blandiretur. Heb. est *panis desideriorum*, qui dicendi modus aliquid explicat quod magno studio a delicatis, & lautis exquiri solet. Sunt qui in pane desiderabili panem intelligant eximium, aut noua aliqua ratione conditum, qualia multa sunt opere pistorio. Ita Maldonatus, & fortasse ita est. Nam si *panis* omne, edulij genus amplecteretur, non erat, cur statim negaret Propheta carnem in os suum introiisse: & huc magis inclinat animus.

Vnguenta inter mensarum delicias.

16. *Sed neque vnguento vnctus sum.*] Inter alias conuiuiorum delicias fuerunt etiam vnguenta pro varietate temporum varia: neque id solum apud Gentiles, qui eam in rem fuerunt vehementer profusi, vt constat ex Athenæo lib.15. sed etiam apud Hebræos. Sap.2. Inducuntur homines suo genio, ac ventri intemperanter addicti, qui his se verbis ad omne voluptatis genus inuitant. *Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus.* Amos 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti.* & Dauid lib.2.Reg.c.12. de quo nuper, dicitur ad mensam vnctus, & lotus consedisse. De vnguento ad nuptiales delicias multa habes in Canticis. Quare si hoc ab Hebræorum mensis non erat alienum, & in Gentilium conuiuiis familiare fuit, quid mirum si homo potens Daniel, quo tempore nihil erat periculi ab impia idolothytorum consuetudine, vnguentis vteretur in conuiuiis, maximè cùm honestos viros officij, ac beneuolentiæ causa ad mensam inuitaret. Sed quo tempore se luctui, atque orationi dedit, ab his omnibus munditiis, & aliis altioris fortunæ ornamentis abstinuit.

Tygris fluuius à celeritate dictus.

17. Vers.4. *Eram iuxta fluuium magnum, qui est Tygris.*] Magnus appellatur fluuius comparatione illorum, qui Mediam præterfluunt, & Persidem: hoc tamen nomen Euphrates sibi vendicauit, qui multo quàm Tigris abundantior est. Vnde verò Tigris dictus sit, dubium est. Omnes penè à celeritate dictum arbitrantur, qua magnos aquarum vortices præcipites voluit, origine, ac notatione dissentiunt. Quidam à bellua Tigride, quæ velocissima est, nomen sumpsisse autumant. Est tamen longè verisimilius nomen sumpsisse à sagitta, quam Medi tigrim appellant. Ita censet Plinius lib.7. & Q. Curtius lib.4. ab eadem translatione tigrim dicit nuncupatum à Persis, quem ita describit. *Nec alius ad Orientis plagam tam violentus inuehitur, multorum torrentium non aquas solum, sed etiam saxa secum trahens. Itaque à celeritate, qua defluit, tigri nomen est inditum, quia*

Multa reuelationes iuxta flumina.

18. *Persica lingua tigrim sagittam appellant.* Illud hîc non omittendum, quod in hunc locum obseruat Hieronymus, multas reuelationes iuxta fluuios factas esse Prophetis, vt suprà Danieli cap.8. ad fluuium Ulæum, & Ezechieli cap.1.ad fluuium Chobar, id est, Euphratem. Adde huc visum esse Iudæis olim iuxta flumina aptum orationi locum, quod mihi facit verisimile illud Actor. cap.16. Cùm enim Paulus ibi iuxta flumen domum esset intuitus, suspicatus est oratorium esse, quod sanè cur ita cogitaret non

A esset, nisi vsu id esse Iudæis familiare didicisset.

Vers.5. *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obryzo.*] 19.
Egressus, credo, fuerat post longas trium hebdomadum preces, & ieiunium aut animi laxandi gratia, aut quia, vt diximus, opportunus erat in fluminis ripa orationi locus. Certè eo tempore aut cælestium rerum contemplationi animum suum, aut institutis antea precibus habebat intentum. Tunc autem eleuatis oculis Angelum vidit; ex quo apparet, eam præse tulisse speciem, quasi de superiori loco, de cælesti B nempe regione descendisset. Appellatur autem vir sicut frequenter alibi, tum apud hunc Prophetam, tum apud alios, quia cùm formam assumpturus esset aspectabilem, quam propheticis oculis obiiceret, nulla videbatur virili commodior. Symmachus, Hieronymo teste, ne quis hominem esse putaret, non absolutè *virum*, sed cum adiectione *quasi virum* reddidit.

Quis Angelus hic fuerit, non docet hoc loco Propheta; sed est valde probabile illum esse, 20.
quem cap.8.& 9. magistrum habuit, qui ipsum de rebus magnis, & occultis instrueret. Illa verò fuit Gabriel, vt constat: ita putant Cassianus coll.7. cap.13.& Theodoretus hîc, quod etiam tenent Recentiorum plerique. Cur verò C hic Danieli præter cæteros apparuerit, eam rationem esse indicant Cassianus suprà, & Gregorius lib.17. Moral. cap.7. quia Gabrieli data cura fuit populi apud Chaldæos exulantis, vt illius gereret curam, sicut Michaeli Synagogæ totius tutela mandata est; quod optimè hoc loco probat, & tractat Gregorius. Qua de re aliquid nobis postea dicendum est.

Gabriel Iudæorum exulum custos.

Porrò vestitus totus, & species valde erant & 21.
naturæ Angelicæ repræsentandæ, & tutelari ministerio exprimendo accommodata. Erat enim indutus lineis, Heb. בדים *badim*, quod in suo originali idiomate reliquit Theodotio, Symmachus *præcipuis*, Septuaginta *byssinis*; Aquila, quem D noster interpres est secutus, *linteis*. Vtcumque tamen accipias, aliquid significat mundum, & candidum, immo, vt statim dicemus, pellucidum, & tenue. Neque hoc tantùm loco Angeli in vestibus apparuere candidis: nam apud Ezechielem cap.9. Angelus apparuit linteatus: item ad Christi sepulcrum duo alij, vt ait Marcus cap.16. *in stola candida*, &, vt ait Lucas cap.24. *in veste fulgenti*, Actorum quoque cap.1. duo viri, qui sanè Angeli erant, astitisse dicuntur in vestibus albis. Illam autem vestem candidam, & byssinam fulgentem esse, sicut illam, de qua proximè Lucas, nemini credo dubium est: & quod *candor*, & *candidum* in se fulgoris, ac splendoris aliquid contineant, satis est notum. Candor autem iste puritatem indicat, & felicitatem sancta- E rum illarum mentium, quæ temporibus variis hominum oculis oblatæ sunt.

Angeli cum vestibus candidis.

Candor puritatis signum.

Et renes eius accincti auro obryzo.] Habitus hic 22.
promptum indicat, & ardentem animum, & opus aliquod aggredi gestientē. Accincti enim in Scriptura dicuntur illi, qui expediti sunt ad opus. Et quidem ita necesse est, quando Hebræorum vestes seu stolæ ad talos vsque defluunt. Accincti verò dicuntur renes auro, nempe textili, vt est verisimilius, aut ductili, omnium pretiosissimo, quod obryzum vocant. Quid tamen illud sit, aut cur sic appelletur, non facile cognitu est. Quòd nobilissimum sit, & primæ notæ, nemo dubitat:

Aurum obryzū quid.

vnde

vnde verò nomen hoc nactum fuerit, dubitant omnes, Heb. אופז *ophaz*, quomodo reddiderunt antiqui interpretes. Ophaz autem non esse propriè aurum, sed regionem, vnde nobile illud aurum aduehitur, probat Ieremias cap. 10. v. 9. Argentum inuolutum de Tharsis affertur, & aurum de Ophaz. vbi eadem præpositio præfigitur Ophaz, quæ præfixa fuerat ante Tharsis: Tharsis autem esse regionem, vnde comportatur argentum, ipse dicendi modus apertè docet. Sed quæ regio sit Ophaz, incertum est: quidam Ophir esse existimant, vnde aurum Salomoni comportabatur, & Iosadaphath lib. 3. Reg. cap. 9. & 10. Hoc porrò aurum obryzū dicitur à Græcis; vel quia, vt ait Isidorus lib. 16. etymol. c. 17. obradiat splēdore suo: vel à regione vnde aduectum est, nempe ex Ophir, quasi Ophiryzum. De ratione nominis nihil exploratum; illud omnium opinione receptum, obryzum esse aurum purum omnino, & putum sine vlla admixtione, aut concretione vilioris metalli; quod durum subiit, & longum ignis examen, & instar ignis splendescit, & rubet. Audi Plinium lib. 33. c. 3. *Aurum quo magis arsit, eo magis proficit ad bonitatem, aurique experimentum ignis est, vt simili colore rubeat, vt ignis; atque ipsum obryzum vocatur.* Ab hoc fortasse dicta *obrusa*, quæ vltimū in metallis examen est, quando eò redigitur adhibitio sæpe igne expiatorio, vt ad eam bonitatem, & puritatem adducatur, quam obryzum habet.

Ophaz. quid.

Obrusa quid.

23. Vers. 6. *Et corpus eius quasi Chrysolithus.*] Hinc collige tenuissimam esse lineam, seu byssina stolam, qua amictus videbatur Angelus, quando inter pellucida stamina corpus apparebat Chrysolitho simile. Quid sit chrysolithus non minus est obscurum, quàm quod de obryzo non tam definiunt, quàm diuinant antiqui. Heb. est תרשיש *tharsis*, quæ vox *mare* significat, vt transtulere plerumque Septuaginta; & regionem aliquam certam; vnde vt habes ex Ieremia cap. 10. argentum afferebatur inuolutum: sed est etiam pretiosus lapis, quem aliis in locis noster interpres hyacinthum vertit, seu Carbunculum. Mihi hîc duo ex voce originali videntur conie ctari probabiliter. Nam si Tharsis pro regione sumas, Angeli corpus candidissimum appelles licebit, quod vsque adeò candicabat, splendebátque vt inter candidissimam stolam ex materia byssina interluceret. Id autem ideo existimare videor nō abs re, quia, vt vidimus suprà ex Ieremia cap. 10. Sicut ex Ophaz aurum, sic etiam ex Tharsis comportabatur argentum, quod & ipsum candidissimum est, & si manus accedat artificis politum, & tersum multo candidius. Si verò Tharsis mare significet, corpus Angeli simile vocari potest colori, qui est à mari, nempe cæruleo; qui color planè portendit id quod oculis oblatum est prophe ticis esse cœleste. Sanè lapis quidam est, qui maris refert colorem, quem Hispani à voce fortasse Hebraica tarsis *turquesam* appellant. Hæc ego ex nominis notatione coniectabam: sed dicendum est cum vulgato Angeli corpus speciem referre Chrysolithi. Sed quid sit Chrysolithus, nihil afferre possum, nisi diuinando. Auctores multa dicunt, quos conciliare magnus, & inutilis labor; & ex sententiarum varietate maior obscuritas. Quidam lapidem esse dicunt marini coloris nitellas habens scintillantes ex auro. Isidorus nasci tradit in Æthiopia, esseque aureo, & trāslucente colore. Alij viridis coloris esse existimant, & percussum à sole eos ex se vibrare radios, quos

Chrysolithus quid.

mare à Solis splendore collucens.

De Chrysolitho lege Plinium lib. 37. cap. 9. 24.
Maldonatus tam hîc, quàm super c. 10. Ezechielis ad versum 16. cum Rab. Salomone Crystallum esse credit: nam Tharsis mare sonat; & crystallus quia aqueum habet colorem sicut mare; & ab aquis, vt docet Plinius lib. 37. c. 2. originem, & nomen trahit. De huius lapidis colore, ac proprietatibus agit Mardobæus de lapidibus, cap. 11. vbi multa tradit, quæ planè anilem olent superstitionem, & non à veritate solùm, sed à mente vacuam, quæ hîc apponam, vt illius temporis facilitatem, aut ignorantiam admirere. Sic autem ille metricè,

Auro Chrysolithus micat, & scintillat vt ignis,
Iste mari similis quiddam viroris adumbrans
Esse phylacterium fixus perhibetur in auro
Contra nocturnos fortis tutela timores
Pertusus setis si traiiciatur aselli
Dæmones exterret, &c.

De chrysolitho latissimè, & accuratissimè Alcasar in cap. 21. Apocal. vers. 2. notatione 21.

Et facies eius velut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens.] In fulgure splendorem videmus, 25.
qui cùm pulcher sit, aliquid tamen habet terroris admixtum, quia abesse non solet ab illo tonitru; & fulmē non raro cū fulgure vibratur: atque ideo scintillantes oculi indignationem ostendūt, & pro animo ad furorem, & cædem anhelante sæpius adhibentur. Hîc tamen nihil horribile ostendi opinor ab Angelo in hoc, splendenti vultu, & oculis instar lampadis collucentibus: sed tantùm credo significatam esse pulchritudinem, qualis ab humanis oculis conspici potest in Angelica natura. Neque enim erat cur Angelus Danieli se horribilem obiiceret, qui solam speciem illam intueri posset, cùm ad eum eo consilio descendisset, vt mœrorem ab animo, & lacrymas ab oculis detergeret.

Nisi fortasse quis dicat eum habitum præ se tulisse Angelum, qualem habere solet, qui se ad 26.
pugnam cū hoste conserendam instruit. Fuit autem Angelo congrediendū cum illis, qui Iudæos exules inclementiùs vexabant, & illorum remigrationem aut armis, aut calumniis morabantur. Quare illum vultum exhibuit Prophetæ, ex quo ipse coniectaret quiduis sperari posse, qui tam se offensum in hostem, & tam in bellando strenuū ostentabat. In ardentibus autem oculis, & fulgurāte facie vim bellicam furiis armatam significari, tā est apud sacros, quàm apud prophanos scriptores vsitatū. Sic de Christo Apoc. c. 1. v. 14. cùm indignatus inducitur, & ad vindictam intentus, dicitur: *Et oculi eius velut flamma ignis.* Et idem repetitur c. 17. Et Sap. 11. vers. 19. de belluis terrificis, quas Deus peccatorum vltrices esse voluit, dicitur: *Ignotas bestias aut vaporem igneum spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes.* Ex profanis plurima suppetunt exempla, tu ex multis pauca hæc accipe. Virgilius lib. 12. Æneid. de Turno,

In flamma, ac fulgure furor exprimitur.

His igitur furiis, totóque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Et Cicero his verbis ingentem Verris furorem expressit: *Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.* Accedit ad hæc cogitationum quod Danielis socij, cùm visionem non vidissent, sic tamen horrore sunt perculsi; vt celeri se inde fuga subduxerint: ipse verò Propheta sic est affectus,

vt vultu exangui, & pallido, ac penè exanimatus A collapsus sit. Hæc verò omnia non tam beneuoli animi, ac grati oris, quàm hostilis, atque ardentis furore pectoris argumenta sunt.

27. Verùm mihi prior cogitatio probabilior est: neque illa quę contrà videtur adduci posse quicquam efficiunt. Splendens quippe vultus, & oculi lampadis instar micantes non solùm ad furorem exprimendum; sed interdum etiam ad gloriam, & venustatem significandam assumuntur. Et quidem à profanis, & sacris splendor oris, & oculi igneum aliquid vibrantes non minus sæpe ad hoc, quàm ad illud explicandum adhiberi solet. Sanè cùm Christus Mat. 17. & Marc. 9. splendentem ostendit faciem in Thabor instar Solis, qui lampas quædam est, nihil præ se tulit horribile; sed aliquod potiùs gloriæ, ac maiestatis argumentum. Neque horribilem se Christus obiecit Paulo, cùm occurrit splendore circumfusus: vox enim ipsa, & ad præclarum opus Pauli destinatio amoris erat potius, quàm furoris indicium. Certè Angelus, qui Christi iam à mortuis rediuiui astabat monumento, nihil aut ostendebat, aut nunciabat horribile; immò potiùs lætus ipse lætum aliis nuncium afferebat, dicitur tamē Matth. cap. 28. habuisse aspectum sicut fulgur. vtroque tamen loco ad cœlestis illius fulgoris intuitum, tam Apostoli in transfiguratione (vt Marcus indicat, qui ante vocem de cœlo lapsam perterrito dicit fuisse discipulos) quàm Paulus cùm tantæ lucis splendorem ferre non posset, aut collapsi sunt, aut graui quodam horrore perculsi. Quod etiam accidit sepulcri custodibus, & sanctis mulieribus, cùm tamen illarum dolorem Angelus leuare vellet. Illæ enim ad Angeli aspectum obstupuisse dicuntur Marc. cap. 16. v. 5. sicut hoc loco Daniel. Contingit namque non rarò, vt quæ magna sunt, & insueta incautos animos vehementer afficiant. Vnde vt experientia constat, non solùm grauis dolor è tristi nuncio; sed ingens ex læto gaudium exanimat.

Splendor, & fulguris species aliquādo beneuolētia signum.

28. Quòd verò fulgentes oculi, & lucida species pulcritudinis, atque beneuolentiæ sint, probant illa omnia Latinorum testimonia, quæ oculos appellant sydera, aut micare dicunt, aut vibrare radios ad Solis similitudinem. Ne multa persequar, vnum adducam ex primo libro Metamorph. vbi Daphnes pulcritudo inter alia multa hoc modo describitur.

Spectat (Apollo) *inornatos collo pendere capillos,*
Et quid, si comantur ait! vidit igne micantes
Syderibus similes oculos.

Nihil hîc amplius in Angeli facie Propheta videt, quare in eius vultu magis quod laudes, atque ames, quàm quod horreas apparet.

29. *Et brachia eius, & quæ deorsum sunt vsque ad pedes quasi species æris candentis.*] Egerat suprà de corporis colore, id est, de parte illa corporis, quæ à collo est vsque ad femora, quam Græci thoracem, nos verò truncum appellamus, quia ex illa crura, caput, & brachia, tanquam ex arboris trunco rami funduntur. Egit proximè de facie, quæ aliquid videtur alienum à trunco; nunc de ramis aliis, de brachiis nempe & cruribus agere aggreditur, quibus candentis æris speciem attribuit. In ære candenti non tam materiæ duritiem, & in ea bellicum aliquid, & horribile intueor, quàm speciosum, & illustre. Etenim æs, quod aurichalcon esse puto, (quia aurichalco ardenti similes putat esse pedes Ioannes Apoc. 1. respectās, credo, ad Danielem) & per se pulcrum, & candens ab igne multo pulcrius. Quod si vocem Heb. קלל *calal*, pro qua vulgatus *candentis* reddidit, *tersum*, seu *politum* interpretare, quod vox illa significat, multo erit explicatio facilior. Et quidē quod mundum est, politum, & ideo splendens, & lucidum, ardere dicitur, & flammas ex se diffundere. Quod quoniam alicui fortasse insusitatum videbitur, & durum, id iam aliquot exemplis exploremus. Virgilius lib. 4. de Tyria purpura, quæ infecta succo nobili splendescit, & radiat, ait,

Quod lucidum est, ac splendēs ardere dicitur.

———*Tyrióque ardebat murice læna*
Demissa ex humeris.

Et lib. 4. Georgic. de apum Regibus,

Vt binæ Regum facies, ita corpora Gentis.
Namque aliæ turpes horrent, ceu puluere ab alto
Cùm venit, & sicc terram spuit ore viator
Aridus; elucent aliæ, & fulgore coruscant
Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.

Et aptiùs ad rem propositam lib. 10. Æneid. ardere dicit clypeum, & galeam Æneæ propter splendorem quem ex aurea, ac tersa lamina vibrabant.

Stans celsa in puppi, clypeum tum deinde sinistra
Extulit ardentem.

Et paulo pòst,

Ardet apex capiti, cristisq; ac vertice flamma
Funditur, & vastos vmbo vomit aureus ignes.

Non ergo videtur alienum aliquid, atque insusitatum dicturus, qui in brachiis, ac cruribus putaret esse potiùs colorem splendentis, & tersi quàm ardentis æris; cùm *ardere* idem interdum sit, neque id rarò, quod *nitere*. Et huc ego potiùs inclino.

Et vox sermonum eius, vt vox multitudinis.] Sicut 30. aliquid eximium, & illustre, & humano maius apparuit in specie Angeli, vt vidimus, sic etiam in sermone; neque enim exili, atque infirma voce loquebatur, sed plena, & forti, qualis à turba magna, seu exercitu, aut à torrentibus è loco præcipiti delapsis excitari solet. Ita sanè diuina vox cum multitudine confertur siue hominum, siue aquarum in pluribus aliis Scripturæ locis. Ezechiel cap. 1. v. 24. *Audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei, cùm ambularent, quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorum.* Et cap. 43. v. 2. *Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, & vox erat ei quasi vox aquarum multarum.* Sic Apocal. cap. 1. v. 15. vox Angeli esse dicitur *tanquàm vox aquarum multarum.* Vide quæ nos pluribus in nostris commentariis in cap. primum Ezechielis.

Vox magna qua similitudine explicatur.

Quemadmodum diximus in habitu, atque 31. specie Gabrielis nihil fuisse horribile; sed omnia ad ostendendam Angelicæ naturæ maiestatem, & gloriam: sic etiam puto in hoc sono maiori quàm edi posset ab humano spiritu, significatum esse sublimius aliquid, atque potentius, quod assequi non posset humana conditio: quo Propheta Angelicæ voci maiorem haberet fidem, quàm humanæ, & ab eius virtute spes excitaretur magis firma. Hæc mihi videtur expedita magis explicatio: aliæ ita placent, vt in illis animus non prorsus acquiescat. Quòd expauit Daniel ad vocem illam grandem, & speciem illustrē, non ideo contigit, quia aliquid audiuit durum, & minax, aut aliquid vidit toruum ab Angelo; sed quia, vt docet hoc loco S. Thomas: *Ex naturæ cœlestis præsentia natura fragilis concutitur.*

Vers. 7. *Vidi autem ego Daniel solus.*] Vt Ange- 32. lus illuminare potest vnum Angelum, quin aliis suas

suas cogitationes aperiat; sic multo magis vnum hominem, negata aliis illuminante cogitatione, sicut Actor. 9. & 22. Paulus lucem vidit, qua circumfusus est, & vocem audiuit loquentis Christi; cùm tamen sociis, qui aderant, nihil horum esset concessum. Sic hoc loco Danieli datum est, vt audiret vocem tam illam magnam, quæ instar esset multitudinis, quàm aliam ab Angeli humanitate temperatam, qua de rerum euentibus instructus est, videretque spectrum illud, quod Angelicæ naturæ gloriam referebat aliis alia omnia negata sunt, & id concessum vnum, vt vocem illam grandem, & confusam audirent, à qua perterrefacti quàm primùm se in obscurum locum abdiderunt. Theodoretus illos percussos esse putat ea cæcitatis specie, quam Græci *ἀορασίαν* vocant: qualiter affecti sunt Sodomitæ, qui limen domus non inuenerunt; & qui à Rege Syriæ missi sunt, vt Elisæum comprehenderent. Sed facilior est ille modus, magisque Theologorum doctrinæ consentaneus, qui docent Angelos illis tantùm in specie visibili apparere posse, ac solere, quibus ipsi voluerint, aliis ad visionis illius societatem non admissis.

33. *Sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum.*] Cur fugerint Danielis socij, cùm nihil viderint, incertum est. Quidam audiisse putant illos strepitum illum ingentem, & vocem instar multitudinis, quæ aut antecedebat, aut comitabatur appropinquantem Angelum, cuiuscumque illa fuerit; quam cùm sustinere non possent, aut aliquid inde horribile metuerent, quicquid esset periculi fuga declinare voluerunt. Mihi verisimilius est, quod nuper ex S. Thoma dixeram ex naturæ cœlestis præsentia naturam hominum inferiorem, ac fragilem fuisse concussam: aut certè quod alibi sæpe in Scriptura sacra contigisse legimus, iniectus fuit illis timor diuinitus, etiamsi nihil vidissent audiissentve, quia solum Danielem Angelus alloqui voluit, & illi rerum futurarum exitus impartiri. Neque enim fas esse videbatur, vt viri impij, quales erant fortasse, qui Danielis (qui tunc erat Princeps apud Persas) latus stipabant è natione Persica, cœlestem audirent vocem, & futuræ ætatis arcana prænoscerent. Quòd verò sæpe sine vlla causa homines metu concussi fuerint, & eo instimulante in fugam conuersi, & docet Scriptura non obscurè, & exemplis probat abundanter. Prouerb. 28. v. 1. *Fugit impius nemine persequente.* Sic 4. Reg. 7. Syri persequente nemine, quasi mors vrgeret à tergo, in fugam effusi. Sic Gen. 35. consuluit Dominus incolumitati Iacob incusso populis metu. *Cùmque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes.* Plura hac de re diximus in nostris commentariis in Isaiam ad illud cap. 37. *Ecce ego dabo ei spiritum.* Hic metus, cuius ignoratur causa, à Græcis dicitur *πανικὸς*, de quo vide Angelum Politianum in Miscellaneis annotatione 28. & prouerbium, *Panicus casus.*

34. *Timor aliquando iniectus sine causa.*

35. *Et fugerunt in absconditum.*] Aut in aduentu Angeli aliquid audierant bellico simile, aut ipsi aliquid suspicabantur bellicum, & hostile: quare locum quærunt absconditum, cui suam fugam, incolumitatémque committant. Quod non fecissent nisi aliquid essent odorati eiusmodi, cui suas vires impares esse existimarent. Pro *abscondito* aut syluam aliquam intelligo obscu-

A ram, & densam, qualem verisimile est fuisse ad ripam Tigris, vbi oblata fuit Danieli visio; aut certè latebras, & speluncas in montibus, quo hostilis furor penetrare non solet. Persidem verò syluestrem esse, atque montosam, docet Iosephus lib. 10. cap. 11. vbi ideo hortos pensiles extructos dicit Babylone à Nabuchodonosor, vt vxori petenti gratum faceret, quæ in patrio solo, nempe apud Medos assueta esset montes, & syluas intueri, quales in plano Babylonis solo non inueniebantur.

Persia confragosa regio.

Vers. 18. *Et non remansit in me fortitudo, &c.*] 36.
Omnia dedit Propheta signa languentis, & deficientis animi. Corruit enim in terram destitutus à viribus, & exanguis à metu totus expalluit; &
B talis denique in eo rerum articulo visus est, quasi ex longo morbo maciem, & tabem contraxisset: id enim valet illud *emarcui.* Hæc verò aliis etiam locis non semel acciderunt Prophetæ, cùm similis obiiceretur visio, qui de seipso ait cap. 7. *Horruit spiritus meus. Ego Daniel territus sum: & visiones capitis mei conturbarunt; & facies mea mutata est in me.* Et iterum, *Ego Daniel langui, & ægrotaui per dies, & stupebam ad visionem.* Idem accidit Ieremiæ cap. 23. & Habacuc cap. 3.

Vers. 9. *Et audiens iacebam consternatus super faciem meam.*] Solebant supplices ante faciem cadere & terræ os osculantium in modum apprimere: quæ consuetudo non Hebræis solùm, sed etiam Gentibus familiaris fuit. De Hebræis est 37.
C illud Psal. 71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Isaias c. 29. *Humiliaberis, de terra loqueris.* Ieremias Thren. 3. *Ponet in puluere os suum si fortè sit spes.* Qua de re nos pluribus ad hunc locum citatum ex Ieremia, & ad illud Isaiæ 49. *Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* De Gentibus est illustre illud Lucij Pisonis apud Valerium lib. 8. cap. 1. qui iniuriarum reus eo artificio quod impendebat iudicium declinauit. *Nam per idipsum tempus* (Valerij verba sunt) *quo tristes de eo sententia ferebantur, repentina vis nimbi incidit: cúmque prostratus humi pedes iudicum oscularetur, os suum cœno repleuit.* Apud Persas autem in adoratione, seu veneratione Regum puluerem exosculari,
D vbi Reges posuissent vestigia, docet Martialis lib. 10. epig. 71.

Et turpes, humilésque, supplicésque
Pictorum sola basiate Regum.

Quod autem Persarum Reges stratis corporibus 38.
adorari sint soliti, docet Herodotus lib. 7. ad quorum cõsuetudinem videri Propheta potuit procubuisse in faciem suam, vt adoraret Angelum. Sed planè dicendum est cecidisse illum exanimatum, quasi stare non posset, etiamsi vellet, coram nobiliori natura; ea præsertim specie, quæ nec vsitata esset, nec facile ab humana infirmitate tolerabilis. Id verò probat, quod statim subditur, erectum fuisse ab Angelo, & vox *consternatus,* id est, exanimatus, non obscurè docet.

E Vbi vulgatus *consternatus,* Heb. est נרדם *nirdam,* 39.
quod soporatum significat; sopor autem qui ab ea radice deducitur, grauem significat alienationem à mente, qualem habuit Adam, cùm ab illo detracta costa est, ex qua formata mulier; & Ionas qui graui tũc somno demersus tenebatur, cũ alij iactati fluctibus de vita desperabãt, & vlulatu, ac gemitu nauem, & mare latè complebant. Hunc somnum Latinus poëta mortis consanguineum appellat, quia morti quàm simillimus est, quia mentem eripit, & sensus consopit.

Potuit itaque Daniel appellare se ad Angeli conspectum soporatum, quia mortuo similis à seipso excidisse videbatur. Neque id tribuendum imbecillitati, aut languori Prophetæ; sed magnitudini, & maiestati illius, qui in tanto splendore propheticis oculis apparuit. Audi Gregorium
40. homil. 6. in Ezechielem. *Hi qui in virtutibus fortes sunt, cùm altiora Dei conspiciunt, in sua sibimet æstimatione infirmi, atque imbecilles sunt.* Et lib. 3. dialogi, cap. 24. *Cùm mens humana vltra se ad videndum ducitur, necesse est vt hoc carneum vasculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur.* Vide eundem lib. 4. Moral. cap. 30. Eadem latè, vt solet elegantèr Chrysostomus homil. 3. de incomprehensibili Dei natura, vbi post alia multa concludit. *Audiant qui Principem Angelorum perpensant, & examinant. Daniel quem venerati leonum oculi sunt belluarum ferocissimarum, Daniel qui plusquam natura pateretur humana, efficere potuit, præsentiam Angeli sui conserui ferre nequiuit, sed defectissimus viribus, atque exanimatus iacuit: isti qui tam longè ab illius iustissimi hominis virtute absunt, & iacent, & sordent, ipsam substantiam Dei sese diligentissimè nosse profitentur, quæ suprema, & prima est, quæ millia Angelorum creauit, quorum vnum Daniel videre non potuit.*

Ex consideratione altioris naturæ humilitas nascitur.

41. Vers. 10. *Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua, & super articulos manuum mearum.*] Iacebat Propheta exanimatus, & exanguis humi, neque se commouere poterat ab Angelica specie, & maiestate deiectus; sed qui splendore suo, & inusitata specie in terram deiecerat expiranti similem, idem eundem molli atque indulgēti manu suauiter attactum excitauit è puluere. Cùm autem Angelus brachia haberet instar æris ardentis, quo tempore tangere Prophetam voluit, & è terra leuare, speciem sumpsit aliam, & manū molliorem, vt metum adimeret Prophetæ, & exanimato similem recrearet. Ita putat Hieronymus, qui talem dicit speciem tunc assumpsisse, qualem homines habent. *In hominis*, inquit, *figura videtur Angelus, & humanam ad Prophetam iacentem mittit manum, vt sui generis corpus aspiciens nequaquam paueat.* Ita hîc quoque S. Thomas, quod mihi facit valde probabile, quia iterum eodem cap. v. 16. & 18. vt languenti, atque exanimato Prophetæ animum reuocaret, & vires speciem dicitur humanam habuisse.

Angeli variè se ad hominum cōmoditatem attemperāt.

42. *Et erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum.*] Ita deiectus fuit Propheta, vt strato humi corpore totus iaceret exporrectus; Angeli autem attactu paulatim collectis viribus excitari cœpit, ad eum omnino modum, quo qui expanso iacent corpore, sensim se ab ea positione eleuant: nituntur enim primùm genibus, & manibus, & sic eleuati modicè de terra assurgūt, & stant habitu recto. Videtur autem aliquandiu stetisse Daniel in genua, & manuum articulos incumbens, quia aut vires illum destituerant, aut certè reuerentia, & stupor stare coram Angelo rectum prohibebat. Quare illum Angelus stare iubet statim, dum ait, *sta in gradu tuo*, id est, super pedes, quomodo Ezechiel. cap. 2. cùm eodem quo Daniel modo in faciem cecidisset, stare iubetur super pedes suos. Sunt qui putent iussum esse Prophetam pedibus, manibúsque in quadrupedum similitudinem reptare, & in his est Vatablus; ea fortasse cogitatione adductus, quamuis ipse non explicet; quia vbi vulgatus *erexit me*, vox Hebraica sonat, *moueri fecit me.* Sed hæc ratio non admodum vrget in oppositum: nam qui immobilis iacebat, quasi sopore graui depressus, ille moueri cœpit, non quidem vt incederet; sed vt stare si posset, aut saltem palmis niteretur, & genibus. Exporrectum enim in terra iacere, neque patiebatur religionis, neque vrbanitatis ratio. Quare Propheta vbi se parum ex pauore recepit, & paululum ex Angelico attactu confirmatus est, conatus est surgere; sed quia non potuit in medio conatu deficiens, stetit in genibus, & manuum articulis. Non itaque se mouet ex vno loco in alium reptando; sed ex vna positione in aliam, sublimioris naturæ speciem obseruando. Ita S. Thomas, & Theodoretus, & è Recentioribus alij. Audi Theodoretum. *Sensi veluti quandam manum me tangentem, & erigentem: & ego genibus, manibúsque innixus resurgere conabar.*

Vers. 11. *Daniel vir desideriorum.*] Iam antea iterum vocatus fuerat Daniel *vir desideriorum*, cap. 9. v. 23. explicationem eo loco produximus: inde pete.

Intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo.] Audire Daniel, atque intelligere poterat quid loqueretur Angelus, etiamsi stratus iaceret humi; nihilominus iubetur stare, vel quia noluit Angelus virum tantùm prono vultu, & hærenti pulueri prosterni coram se, & hoc potiùs, vel quia verba Dei afferebat è cœlo, quæ non decebat ex Hebræorum more nisi à stantibus audiri. Qua de re nos plura in nostris commentariis in Ieremiam ad illud cap. 1. *Accinge lumbos tuos, & surge.* vbi id non solùm apud Hebræos, & postea apud Christianos in Ecclesia; sed etiam apud profanos fuisse olim in vsu, multis exemplis confirmauimus. 43.

Verba Dei magna reuerentia audienda.

Nunc enim sum missus ad te.] Verba hæc eò spectant, vt metum adimant, & fugientem animum Prophetæ reuocent, & instaurent: ait enim non se illuc appulsum esse casu; sed ad ipsum à Deo profectionem suam esse destinatam, vt illum solaretur, déque rerum futurarum exitu doceret. Aut fortasse vt rationem reddat, cur stare in gradu iusserit, id est, cum reuerentia, atque attentione verbum audiret, cùm ipse legatus sit à Deo, cuius perfert mandata, quæ à stantibus, vt diximus, audiri solent. 44.

Cùmque dixisset mihi sermonem istum: steti tremens.] Erexit deficientem animum Prophetæ mollior Angeli, atque benignior sermo: quare sustulit se paulatim è terra, & stetit in gradu, id est, super pedes suos; tremens tamen, & vacillante gressu, quia nondum omnino ex infirmitate, atque pallore confirmatus fuerat. Quod vsu illis venit; qui exhausto ex graui infirmitate corpusculo, ita surgunt à lecto, vt tamen labascant genua, neque ipsis valeant pedibus insistere. 45.

Vers. 12. *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.*] *Intelligere* aliquid interdum significat aliud, quàm quod propriè sonat, nimirum curare aliquid, & in eo aliquid operæ, atque studij ponere. Quomodo Psalm. 118. v. 95. dicitur, *Testimonia tua intellexi*, id est, obseruaui; & Psalm. 40. *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem.* & eo fortasse sensu in Scriptura sæpius occurrit, *Intellectus manuum*, pro opere manuum. Sanè Hispanus cùm significare vult alterius occupationem, & operam, his ferme verbis explicat, *en esto entiendo.* Si in hunc sensum accipias, optimè, vt 46.

Intelligere id quod curare, aut laborare.

vt arbitror, sic interpretabere. *Posuisti cor tuum ad intelligendum,* id est, animum applicuisti, vt operam, & studium impenderes ieiuniis, ac precibus. Libentiùs tamen *intelligo* in propria significatione sumo, & ita interpretor. Ex quo primùm applicuisti animum, vt intelligeres, & vt eius rei gratia ieiuniis te, atque aliis corporis molestiis affligeres, exauditæ sunt preces. Vt autem alibi sæpissimè in omni literatura tam sacra, quàm profana coniunctio *&*, suppleri solet; sic etiam hoc loco supplendam esse reor; neque vlla apparet explicatio commodior.

Coram Deo dicitur esse quod præclarum est.

47. Illud *in conspectu Domini*, dupliciter potest explicari. Aut enim significat à Deo voluisse Prophetam rerum, quas animo destinarat, obtinere notitiam, atque ideo non ad alium proposuisse vota, aut effudisse preces: aut certè magnum adhibuisse studium, vt ad obtinendum quod optabat, & ieiuniis vacaret longis, & in orationem incumberet assiduè. Quod enim magnum est, id *coram Deo*, aut quod idem est, *in Dei conspectu* factum esse dicitur. Gen 10. Nemrod robustus coram Deo venator appellatur, nẽpe quia eximius est, & talis vt ipse etiam Deus talem esse iudicet. Ita Chrysostomus in hunc locum, & auctor Catenæ apud Lipomanum modum esse dicit hyperbolicũ: tenent hoc alij ad illud Lucæ 1. de Ioanne, *Erit magnus coram Domino.* Sed in priorem sententiam magis inclinat animus.

48. *Exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos.*] Cùm primùm se Daniel in preces dedit, exauditus est, & Gabriel à Deo missus vt illius solaretur luctum, & de rerum occultarum exitu doceret, quæ ad Iudæorum rempublicam pertinerent. Hieronymus aliter interdum in cõmentariis legit atque nos habemus in vulgata, immò & ipse vulgatam translationem allegat à sua discrepantem, & multa corrigit in commentariis, quæ priùs ipse Latinè ex Hebræo reddiderat. Qua de re vide Bellarminum lib. 2. de verbo Dei, cap. 9. vbi plurima adducit exempla. Transtulerat ille Ezech. 12. *in humeris portabis*, vt ipse in commentariis explicat; vulgata tamen translatio *portaberis* legit. Sic hoc loco, vbi vulgatus, *Ego veni propter sermones tuos.* Hieronymus habet, *Ingressus sum ad verba tua.* quæ in hunc modum interpretatur. *Quod autem ait, & ego ingressus sum ad verba tua, hunc habet sensum: postquam tu cœpisti bonis operibus, & lacrymis, atque ieiunio Dei inuocare misericordiam, & ego accepi occasionem, vt ingrederer in conspectu Dei, & orarem pro te.* Hæc Hieronymus.

REGVLA. *Aliter sæpe Hieronymus legit in commentariis quàm nos habemus in vulgata.*

49. Sed quæret hîc aliquis, cur Gabriel iuxta hanc Hieronymi sententiam, potius quàm alij cœlestes spiritus occasionem captauit, vt Danielis causam in conspectu Domini tractaret. Rationem huius indicat Gregorius lib. 17. Moral. cap. 7. Quia sicut Michael Synagogæ fuit Princeps, ac custos; sic Gabriel eorũ, qui apud Babylonios captiui tenebantur. Vbi spectare licet altissimam, suauissimámque Dei prouidentiam, qui sic percutit, vt plagæ commodum medicamentum admoueat; sic premit, vt rationem ineat, quomodo qui premitur non opprimatur; sic vulnerat, vt fasciis obliget vulnus, & doloris acerbitatem vnguentorum mollitudine leniat, quod sanè non hostis est, sed medici negotium, & labor. Expulit Deus propter peccata ex patriis finibus populum suum, & barbarorum hominum dominatui subdidit, vbi necessariò plurima subeunda fuerunt, & valetudinis incommoda, & fortunæ ludibria. Quare Deus duræ illius conditionis misertus, contra immitem, atque procacem turbam custodem, & patronũ præposuit Gabrielem, fortissimum nempe spiritum, vt nominis ipsius notatio præ se fert, Gabriel namque fortitudo dicitur Dei. Hic se Principi Persarum, ac Græcorum opponit, hic cadentem erigit, mœrentem consolatur, ignorantem instruit; neque quicquam omittit, quod à custode, atque parente exigit aut paterna sedulitas, aut cura tutelaris.

Gabriel de captiuo populo sollicitus.

Quærit hîc Hieronymus cur, si à primo die exaudita fuit Danielis oratio, id est, si Daniel exorauit, quod orabat, tamdiu Deus passus est in squalore esse, & duro se ieiunio macerare? Cui quæstioni his verbis satisfacit, *Data est ei per moram occasio ampliùs Deum deprecandi, vt ex eo quod plus desiderat, per laborem plus audire mereatur.* Quæ doctrina non solùm est Hieronymi, sed aliorum multorum Patrum, qui ideo dicunt à Deo postulata differri, vt plus homini donet, cuius preces acuit dilatio, & spiritus excitat, vrgétque bonorum, ad quæ aspirat animus, expectatio longior. Cur Deus habere se simulet à nostris precibus alienas aures, aut postulata respuere, aut certè non curare, diximus in nostris Commentariis in Cantica ad illud cap. 5. *At ille declinarat.* Vide August. de scala Paradisi cap. 8. & Laurentium Iustinianum de Connubio Verbi, cap. 15. Hanc quam diximus rationem adducit Hieronymus; sed aliam adducit Gabriel, de qua mox. 50.

Deus cur differat, quæ largiturus.

Quærunt hoc loco interpretes, cuius rei gratia instituta fuerit à Daniele tam ardens, & constans oratio, tam grauis afflictio, & ad obtinendum quod habebat in votis tanta contentio; seu quid intelligere voluerit, quod tam suis, aùt publicis commodis expedire putauerit? Quot attinet ad rerũ futurarum intelligentiam, nihil opinor neque coniectando afferri posse certum. Et si verum est, quod verisimile suprà censebamus, verbum *intelligo* non tam cognitionem eo loco importare, quàm operam, & studium alicui rei diligenter impensum: quomodo beatus ille dicitur, *qui intelligit super egenum, & pauperem*; non est cur de studio, quod habuit Propheta, rei alicuius cognoscendæ laboremus. 51.

Certè non puto sollicitum fuisse Prophetam de rebus illis cognoscendis, quas audiuit ab Angelo, contra quàm opinati sunt Vatablus, & Lyra. Quia neque hoc ad modum Danielis intererat, etiam octauo capite ab eodem Angelo didicerat quicquid ea de re nosse cupiebat. Audiuit tamen ab Angelo arcanos illos temporum euentus, quorum illi nihil fortasse in mentem venerat, sicut alia suprà ostensa sunt, de quibus ipse nunquam cogitauerat. Neque res eiusmodi erant, vt propter illos tamdiu se & oratione fatigaret, & luctu, & multorum dierum inedia conficeret. Placet quod visum est Maldonato, sollicitum fuisse Danielem de populi sui libertate, quem vbiuis Gentium videbat malè fuisse vexatum, neque tunc esset eo in statu, vt à pristina fortuna respirare liceret. Hoc enim ipso in tempore, nempe vt principio vidimus, anno Cyri tertio, cùm abesset Cyrus in Scythicam expeditionem intentus (qui fauere cœperat Iudæis, quos in patriam liberos redire permisit, & copiam fecit instaurandi ciuitatem, & templum) res Iudæorum in eundem penè statuam redierat, in quo fuerat, quando rerum potiebantur Chaldæi, neque dũ laxata populi captiuitas. Artaxerxes enim, qui Cambyses 52.

esse creditur Cyri filius, vrgentibus Samaritis, A qui ægrè ferebant Iudæorum fortunam integrari,& templi,& ciuitatis restaurationem inhibuit, vt habes lib. 1. Esdræ cap. 6. neque toto Artaxerxis imperio inchoatum opus incrementum accepit: & qui tunc agebant Hierosolymis non minus à vicinis populis, quàm qui in exilio adhuc reliqui erant, à barbaro dominatu vexabantur. Hoc ergo pium Danielis animum ægrè habebat; pro suorum salute, reique Iudaicæ libertate laborabat; & si quid nosse cupiebat, id totum ad illius pacem, & otium conferebatur. Id verò post illud trium hebdomadum ieiunium didicit ab Angelo, & quid videlicet pro populi salute decretum sit à Domino, à quo ipsius preces benignè, atque humaniter acceptæ sunt; & quid præterea ab ipso in illam curam fuerit impensum. Ac tandem qui post longa tempora casus maneant populum in priorem fortunam reuocatum; & vrbem iam florentem, latéque dominantem sub Antiocho Epiphane, de quo capite sequenti non pauca. Hæc mihi videntur expedita magis; neque video quid huic cogitationi possit obtendi, quod illam aut vehementer premat, aut leuiter infirmet.

53\. Vers. 13. *Princeps autem Regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus.*] Ex his verbis orta quæstio est, variéque ab auctoribus disceptata, an inter Angelos bonos, qualis esse à multis Persarum iste Princeps existimatur, posset esse pugna. Quam ego hic omittere non debeo, nisi velim quod meum à me institutum exigit, omnino prodere. Hic verò duo nobis expendenda. Alterum, an bonus Angelus sit tam hìc Persarum, quàm Græcorum Princeps, cuius meminit Propheta vers. 20. aut certè malus? Alterum, qualis inter hos spiritus pugna, seu controuersia fuerit?

54\. *Qui putent principes Græcorũ,& Persarum esse Cacodæmones.* Quòd Principes Græcorum,& Persarum Cacodæmones fuerint, id est, Angeli mali, seu aduersariæ potestates, tenet Rupertus lib. 9. de victoria Verbi, vbi hanc sententiam ascribit Hieronymo, & addit, *Profectò etsi huius doctoris auctoritas deesset, prudens tamen auditor principes illos Angelos malos intelligere non dubitaret; scilicet contra quos bonis Principibus præliandum erat, qui contrà dicebant precibus sanctorum hominum, & legationi sanctorum Angelorum.* Hoc idem tenuit Cassianus collat. 8. cap. 13. *Principem*, inquit, *Regni Persarum aduersariam potestatem esse, quæ fauebat Genti Persarum, inimicam populo Dei, minimè dubitandum est.* Et idem statim affirmat de Principe Græcorum. Tenet hoc, meo iudicio, apertè Hieronymus in hunc locum, licèt nonnulli in contrariam sententiam contorquere studeant; sed, meo iudicio, frustrà. Neque enim aliqua, quæ ibi de Persarum Principe dicit Hieronymus, in bonos Angelos conuenire possunt. Illi enim accommodat illud Pauli 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus Principum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Alia ibi Hieronymus adducit, quæ non magis in bonum, quàm in malum Angelum conueniunt: de quibus postea. Et quidem si vnum, aut alterum è Recentioribus excipias, omnes hanc Hieronymo sententiam adscribunt. In primis S. Thomas 1. p. q. 113. art. 8. Rupertus, Hugo, Dionysius, Petrus Comestor, & plerique alij. Hanc videntur amplecti Comestor, & Hugo; aut saltem in hac disceptatione dubij sunt, dum enumeratis aliorum sententiis, nihil ipsi definiunt. Indicat Athanasius non obscurè, qui in suis quæstionibus. q. 30. *Nec ipsi quidem Angeli inter se vnquam digladiantur cognoscentes mutua dilectionis spiritualis vinculum. Nec exaudiretur quidem, etiamsi per deprecationem suam alterius sancti preces aliquis irritas reddere vellet.* Dixit apertè Hieronymus ad illud cap. 12. *Ecce quasi duo alij stabant*, & apertè ibid. S. Thomas.

55\. *Diabolus müdi Princeps, & diuersarum prouinciarum.* Neque rationes pro hac sententia paucæ sunt, aut infirmæ. Has ex Ruperto accipe. Prima est, quia optimè spiritus malus Persarum princeps appellari potuit. *Si enim*, inquit, *totius princeps mundi diabolus est; nónne consequenter partium mundi, scilicet Persarum, atque Græcorum principes?* Sanè Christus Ioannes 14. B diabolum principem appellauit huius mundi. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Et Paulus ad Ephes. 6. v. 11. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ.* Et quidem si cuilibet à natiuitate à dæmonum principe addictus est dæmon, qui vt illum subuertat perpetuas agat excubias: sicuti tutelaris Angelus assignatur à Deo, qui illius inuigilat custodiæ, & paratas à diabolo insidias aut soluat, aut detegat & si bonus Angelus prouinciarum custodiæ a Domino C præponitur; nónne etiam malus prouinciis præficitur, & regnis quorum Rex dicatur, aut Princeps?

56\. *Sicut singulis Angelus bonus, sic etiam malus Angelus assistit.* Quod de Angelo malo cuilibet hominum adscripto, & quasi alligato dicebamus, communis est sententia. Ita tenent ex Antiquis Origenes homil. 35. in Lucam. Tertullianus in lib. de anima, cap. 33. Athanasius lib. de diuersis qq. q. 3. Indicat Augustinus sermone 69. ad fratres in heremo, dum narrat exemplum, quòd nisi ita se res haberet, cõstare non posset. Tenet Hermas Pauli discipulus lib. 2. Mandato 6. vt est in Bibliotheca veterum Patrum, Magister sententiarum 2. d. 11. Cassianus collat. 8. cap. 17. Beda in cap. 12. Actuum Apostol. Gregorius Nissenus in vita Moysis. Auctor imperfecti, homil. D 5. in Matth. & ex Recentioribus non pauci. Vide Maldonatum in illud Matth. 18. *Angeli eorum.* Quid ergo negemus præcipuos quosdam ex malorum Angelorum ordine præpositos esse prouinciis, qui illas aut seditionibus turbent, aut adductis hinc inde, aut excitatis scandalis illas fœdè contaminent, & peccatorum vinculis, ne quando illinc emergant, constringant, & impediant?

Secunda ratio est, quia non videtur decere 57. Angelos inter se vllo modo neque in studio, atque conatu, neque volũtate dissentire, cùm idem velint, idem nolint, & sit omnino summa animorum, studiorúmque consensio, vt ex Athanasio modò dicebamus. Sed respondent qui contrà E sentiunt cum S. Thoma q. 113. art. 8. cuius hæc verba, *In suis actionibus Angeli per diuinam sententiam regulantur. Contingit autem quandoque quòd in diuersis regnis, vel diuersis hominibus contraria merita, vel demerita inueniuntur, vt vnus alteri subdatur, aut præsit. Quid autem super hoc ordo diuinæ sapientiæ habeat, cognoscere non possunt nisi Deo consulere. Sic igitur inquantum de contrariis meritis, & sibi repugnantibus diuinam consulunt voluntatem, resistere sibi inuicem dicuntur.* Hæc S. Thomas, cui assentiunt alij, qui tamen infrà cap. 12. contrà sentit,

vt

vt dicemus statim num.68. Sed hæc ratio non satis videtur habere firmitatis, ac momenti. Nam cùm primùm se Daniel in preces dedit, exaudita fuit à Deo eius oratio vers.12. & Angelus ad illum à Domino legatus vt nunciaret vtique quid Deus de Iudæorum populo decreuisset, iuxta Danielis preces, & vota. Exaudiri autem à Deo preces nihil est aliud, quàm id esse concessum, quod à Deo Propheta exorare voluit. Itaque iam diuina voluntas explorata erat Gabrieli, qui illius ad Danielem nuncius veniebat, & interpres. Neque est verisimile, si bonus esset Angelus Persarum Princeps, quid Deus statuisset, illi fuisse celatum à Gabriele, si hæc vna res Gabrielis studium morabatur. At durasse pugnã illam tribus hebdomadibus, id est, viginti & vno diebus, ab Angelo docemur vers.13. quo tempore incredibile est ignorasse Persarum Principem quódnam de Iudæorum statu Deus consilium suscepisset: & multo incredibilius si pugna aliquot durauit annos, vt dicemus postea ad v.20. Neque enim cùm Angelus Danieli apparuit, pugna erat exacta, cùm dicat ibi Gabriel rediturum se, vt iterum cum Persarum Principe præliaretur.

58. Deinde quia Gabriele tacente non erat nescius Princeps ille Persarum quantum temporis Iudæorum exilio foret à Deo definitum, quod iam omnino sciebat esse transactum, cùm Ieremiæ vaticiniũ non ignoraret, in quo iisdem verbis essent consignata & populi libertas, & Babylonici imperij extrema clades; quæ millies familiaribus colloquiis iterabant Iudæi: atque ideo non videtur, si bonus esset Angelus, qui nunquã à diuina voluntate recedit, tamdiu contra Dei nuncium, diuinúmque consilium repugnaturus.

59. Adde quòd non videtur quænam esse possit inter bonos Angelos dissensionis causa. Duas ab auctoribus afferri video: alteram adducit hîc Theodoretus, & S.Gregorius lib.17. Moral.c.8. Quia Iudęi propter peccata, quibus in exilio intemperanter indulserant, indigni erant quibus Deus patriam, libertatémque concederet; immò D expedire valde, vt diutiùs à peregrino domino vexati, vitam agerent ærumnosam, & sordidam; cùm honestiùs viuant inter angustias, & sordes, quàm inter patriç luxũ, atque delicias. Sed quàm sit hæc ratio infirma, hinc licebit intelligere. Nõ minus de spirituali exulum salute laborabat Gabriel, cui illorum cura mandata fuerat, vt suprà dicebamus ex Gregorio; quàm Persarum Princeps, cui ea de re specialis cura commissa non fuerat; & tamen pugnat, vt ab ærumnoso illo statu liberentur; quod sanè non faceret, si quod ad voluptatem, & otium esset Iudæis opportunum, illorum religioni, ac moribus officeret.

60. Quòd si hæc ratio de Iudæorum peccatis, E propter quæ libertate, atque otio frui non merentur, grauis videtur, aut habere saltem speciẽ aliquam honestatis, illam proponere potuit malus Angelus coram Deo, & Iudæorum causam exagitare obnitente Gabriele; & scelerum grauitatem eleuante. Nam quòd id fecerat aliquando dæmon, vt cum bonis Angelis iuxta suum nomen aduersaturus, coram Deo constiterit, ex ipsa Scriptura sacra cognoscimus. Lib.3.Regum cap.vltimo diabolus coram Deo stetisse dicitur. Audi eo in loco Michæam, *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris, & à sinistris & ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem Israel, vt ascendat, & cadat in*

Diabolus coram Deo homines accusat.

Quomodo coram Deo loquatur.

A *Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba huiuscemodi, & alius aliter. Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus, in quo? Et ille ait, egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Hunc autem spiritum esse malum, docent communiter interpretes, & res ipsa indicat: neque enim spiritus bonus mentiri potest, & fallere. Item Iob cap.1. vers.6. & iterum cap.2. vers.1. venisse dicitur Satan, & inter Angelos stetisse coram Deo, & apud illum de sanctitate Iob nonnihil detrahere voluisse. Sed est exemplum huic quàm simillimum apud Zachariam cap.3. vbi coram Deo proponitur Satan, qui Iesum sacerdotem filium Iosedech B accusaret contranitente Angelo. Si ergo hæc causa honestam aliquam speciem habuit, ea ab Angelo malo proponi potuit, vt populi reditum, & ciuitatis, & templi fabricam impediret: quod in accusatione Iesu Sacerdotis diabolus obtinere velle videbatur. Audi quid in hanc sententiam dicat Ruper.lib.9.de victoria Verbi, c.8. *Cùm inuocamus, & Dominus non exaudit, scire debemus sanctis Angelis orationes, & clamores nostros offerentibus resistere. & contrà dicere malos Angelos habentes in manibus accusationum iacula, quæ sunt peccata nostra, &c.*

Peccata faciunt, ne exaudiatur oratio.

Alia ratio communiter adducitur, propter 61. quam honesta videri possit, & sancta hæc duo- C rum Angelorum concertatio. Videbat Gabriel ex Gentilicis moribus aliquid quotidie Iudæorum Gentilicæ impietatis adhærere, & sensim dediscere, quod iam olim à paterna doctrina didicissent. Quare studebat, vt quàm primùm in patriam reuerterentur, vbi constructo templo, & instauratis sacrificiis, aliam instituerent viuendi viam, & de repetenda auita religione cogitarent. Videbat item Persarum Princeps populum suæ commissum fidei ex Iudæorum familiari congressu Persarum aliquos veri Dei cognitionem habere; fierique posse, vt nefariis relictis sacris, veram religionem plures amplecterentur: atque ideo cõtendebat, quàm acerrimè poterat, vt in Perside hærerent diutiùs, immò vt ibidem esset æterna commoratio. Quod item optabat, curabátque vehementer Græcorum Princeps; quia norat Regionem illam, vbi exules morabantur Iudæi, in Græcorum potestatem aliquando venturam, quibus ad veri Dei notitiam, & veræ religionis studium magno videbantur adiumento futuri captiui.

Hæc tamen ratio non admodum vrget. Nam 62. licèt Iudæis magna ex parte, cùm templo caruissent, & sacrificiis, paterna exoleuisset religio, & timeri non immeritò posset, ne pauxillum, quod videbatur esse reliquum, extingueretur omnino: tamen quod illorũ consortio Persæ, ac Græci videbantur emolumenti capturi, non videbatur esse magnum. Tum quia homines insolentes, & barbari non facile se miserorum, ac vilium moribus accommodant, quales sunt qui seruilem agunt vitam, maximè cùm illorum genus existimatur ignobile. Deinde quia qui post edictum Cyri in Perside, atque Chaldæa remanserunt, non videbantur aut amantes patriæ, aut auitæ religionis, quando pluris fecerunt compendiola quædam, quæ suo labore in aliena regione quæsierant, quàm patrium solum, vbi tantùm sacrificare, & alia obire sacra ministeria legitimè poterant. Hi autem sic viuebant à legibus, & ab omni ratione rectà soluti, vt potiùs dedecus, & ignominiam Deo, quàm honorem, &

Iudæorũ in exilio corrupti mores.

& gloriam apud Gentes conciliarent. Quare de illis non semel Deus per Prophetas queritur, quod propter eos nomen suum odiosum habeatur,& vile. Vnde quis existimare potiùs posset Persarum Principem Angelum esse malum, qui Iudæorum moribus illi Deo conflare inuidiam voluit,quem ipsi colerent; quem censeri,ac iudicari studebat ex illorum ingenio,quos sui cultores habuit. Quorum vitam nihilo magis erat incorrupta, ac sancta, quàm eorum quos Gentilica imbuisset,ac corrupisset impietas. Huc facit Theodoreti,atque Gregorij magni sententia, qui, vt suprà vidimus, ideo coram Deo iudice contendebant, non oportere ab exilio liberari captiuos, quia illorum profligatissimi mores nō tam erant digni quiete, atque otio,quàm flagellis,ac stimulo,& expiatoria fornace,qualē apud Persas essent habituri.

63. Sed obiiciet aliquis, quomodo tamdiu spiritus malus obsistere potuit spiritui bono,ac tandem efficere, vt non nisi post tres hebdomadas, ex quo missus fuerat, ad Danielem accederet? Multo ego mirarer magis cur tamdiu inter Angelos bonos conueniri non potuerit,cùm de diuino consilio,ac voluntate constaret. Ideo tamdiu durasse inter vtrumque spiritum bonum, & malum concertationem illā arbitror; quia multa Gabrieli ex diuino imperio præstari debuerunt. Neque tantùm illi res Babylonica,ac Persica;sed etiam Iudaica,ac Solymitana cōstituenda fuit.Hæc porrò omnia turbabat,ac impediebat malus ille spiritus, qui Princeps hîc Persarum appellatur. Cùm enim hæc ab Artaxerxis Persarum Regis arbitrio penderent,illum sic afficere studebat, ne vllo modo fineret è Persicis, aut Babylonicis finibus Iudæos excedere: sicut spiritus etiam malus suadebat Pharaoni,ne eundem populum ab Ægypto exire pateretur.Deinde per Samaritas agebat,ne ciuitatis, ac templi inchoata molitio exitum haberet, quem optabant viri religiosi, qui in patriam remigrarant, & quem Cyrus antè suo decreto permisisset. Quàm vicini populi ardenter, & obstinatò sese Iudæorum consiliis opposuerint,vt Artaxerxem eò perpulerint, vt parentis sui edictum reuoca-

Angelus malus cur tamdiu bono repugnauerit.

64. ret,habes apud Esdram lib.1.cap.4. Cùm autem hæc ita præstanda fuerint ab Angelo,vt moueret potiùs Regem,vt liberè faceret,quod ab illo obtinere studebat,quàm vt regiæ voluntati vim afferret vllā,longi negotij fuit; cùm contrà staret malus angelus, qui plurima suggereret Regi auaro, ac stolido, quæ praué institutus animus plurimi facit.quare diu cum illo luctandū fuit, non solùm tribus hebdomadibus;sed etiam aliis pluribus. Neque enim cùm Danielem allocutus est Gabriel, finita erat cum Persarum Principe inchoata contentio: nam,vt habes vers.20. pòst rediit rursus cum illo certamen habiturus. *Et nunc*, inquit, *reuertar,vt prælier aduersùm Principem Persarum.* Quamdiu verò durauerit hæc pugna, dicemus postea. Durauit autem, vt opinor, ad

Longa pugna inter Angelos bonum, & malum.

65. multos annos, ad tempus nempe Darij filij Histaspis; aut etiam fortasse ad annum vigesimum alterius Artaxerxis, qui ad instaurandam ciuitatem Nehemiam dimisit, Esdr.lib.2.cap.2.Neque id cuiquam mirum videri debet, cùm tota hominis vita durare videamus certamen inter custodem Angelum à Deo præpositum, & inter malum,quem suprà iuxta communem sententiā diximus à dæmonum Principe ad subuertēdam animam fuisse præfectum. Et quod mirère magis, in ea contentione spiritum malum sæpius, quàm vellemus,esse superiorem:quod non ideo contingit, quòd plus habeat virium; sed quia voluntas hominum ad malum est pronior, cui tamen vim inferri, id est, nolentem trahi Deus non vult.

Sed dices, quid hic Persarum Princeps,si malus est angelus,in Iudæis habuit peculiare,quod ex illorum diuturna mora captare tanta cōtentione studuerit? Respondeo illud videri maximè illius studio, ac voto esse propositum,vt diuinum nomen malè apud Persas, & Babylonios audiret,cùm Iudæorum sordes tam quæ corpus captiuum, quàm impurum animum fœdabant, eam instigante dæmone cogitationem iniiceret, vt vile aliquid esse in illo Deo suspicarentur, cuius se cultores Iudæi prædicabāt. Id verò spectare potuit ex sua contentione dæmon diuinæ gloriæ,ac nominis infensissimus hostis. 66.

Spectare secundò potuit, vt immersos vitiorum cœno Iudæorum animos suæ sibi potestati subiiceret. Licèt enim gaudeat Gentiles populos suæ voluntati habere subiectos, Persas puta, ac Babylonios;multo tamen magis Israëliticum genus, quod Dominus tanquam suum circumcisionis charactere consignarat. In hac ille præda triumphat maximè, quam extorsisse videtur ex diuina manu:quemadmodum si quispiam, vt est in prouerbio, aut à Ioue fulmen, aut clauam extorsisset ab Hercule. Sanè,vt ex historiis annalibúsque sacris liquet, delectantur vehementer, triumphántque dæmones, cùm virum religiosum, ac Deo dicatum in peccatum aliquod, maximè quod à libidine nascitur,abiiciunt. Lege Cassianum collat.8. cap.16. Illud putat Gregorius lib.36.Moral.cap.7. significari à Iob cap. 40. dum ait: *Absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* Vbi in Iordane viros significat Deo cōsecratos, quia terram promissionis interluit, quam habitarunt Israëlitæ: in illos enim optimè eo tempore cadebat, quod ibi de Christianis dicit Gregorius: *Non*, inquit, *pro magno diabolus habuit quod infideles tulit, sed toto nunc annisu in illorum mortem se erigit,quos contra se regeneratos tabescit.* & paulo pòst: *Iam quidem fluuium absorbuit; sed adhuc Iordanem sitit:& toties in os illius Iordanis fluit,quoties Christianus quisque ad iniquitatem defluit.* 67.

Diabolus re ligiosorum lapsu plurimum gaudet.

Hæc mihi sententia videtur admodum probabilis; ne tamen in illam omnino abeam, facit multorum Patrum grauis auctoritas, qui cōtrà putant. Qualis est Gregorius magnus, Basilius lib.3. contra Eunomium in principio, & Theodoretus,& Theologorum Princeps sanctus Thomas,quem ex Scholasticis Doctoribus multi sequuntur, in quibus sunt ex nostris Franciscus Suarez tom.2.de relig.lib.1.cap.11. & Gregorius de Valentia 1.tom.disput.8.q.6. punct.3. à quibus ego in opinando diuelli fero quàm ægerrimè, licèt contrariam sententiam amplexi fuerint Hieronymus, Athanasius, Cassianus, & Rupertus, quorum neque leuis est ratio, neque vulgaris auctoritas.Rationes vide apud S.Thomam 1.p.q.113.art.8. & apud Pereiram in hunc locum, vbi Hieronymum in suam sententiam trahit, sed planè reluctantem. Sed interim aduerto S.Thomam tam Persarum,quàm Græcorum Angelos existimasse malos esse infrà c.12. ad illud, *Ecce quasi duo alij stabant*, vbi duos illos Angelos, aut indignos iudicatos à Daniele à quibus aliquid disceret:quod sanè non diceret si bonos 68.

bonos esse crederet. Et idem ibi putat Hieronymus. Quare non est, quod Pereira de Hieronymi sententia dubitet.

69. Dubitare hic aliquis non immeritò posset, cur non statim Gabriel diuinum mandatum ad Prophetam pertulerit; aut certè tunc cùm illius votis non esset omnino satisfactum, cùm adhuc post trium hebdomadum continentem pugnam Persarum Princeps staret in acie, ad quem rursus Gabriel certaturus redit. Sed est aliqua ratio, neque illa, vt apparet, infirma. Cur non statim venerit, cùm à primo die exaudita fuerit Danielis oratio, docuit suprà Hieronymus, & nos ex illo num. 56. Cur modò re nondum, obsistente Persarum Principe, absoluta, ea causa videtur esse non aliena, vt doceret videlicet Angelus, non esse apud Deum vilem, aut datam obliuioni Iudæorum causam, quando ipse tamdiu pugnauit, ac cum ipso Michaël, vt res Iudæorum tam in Perside, quàm Hierosolymæ constitueretur: vt bene speraret de felici rerum Iudaicarum euentu, cùm magnorum Principum in illam curam incumberet sedulitas; & vt mœrentem Prophetæ animum proposita rerum vicissitudine solaretur.

70. Non defuerunt, qui hunc Persarum Principem Artaxerxem, qui tunc absente Cyro rem administrabat Persicam, arbitrarentur; qui dum priuatis commodis studet, aut maleuolorũ consiliis abducitur, non sinit aut redire Iudæos in patriam, aut in Iudæa promoueri ciuitatis, ac templi opus iuxta patris edictum ædificari cœptũ. Ita ex Hebræis nonnulli, in quibus est Rab. Saadias. Sed huic cogitationi refragatur & communis opinio, & quod statim aduenisse etiam dicitur Græcorum Princeps, quo cum Gabrieli congrediendum fuit. Cùm autem ille Græcorum Princeps Rex Græcorum non fuerit, quia nullus ex ea natione Rex erat in Perside, neque aliter de Persarum, quàm de Græcorum Principe, loquatur Propheta: efficitur omnino illum Persarum Principem non esse eum, qui eo tempore Persici imperij sceptrum moderabatur.

71. *Et ecce Michaël vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum.*] Hæc, vt credo, dicta sunt ab Angelo, vt metum à Danielis animo, & mœrorem abstergat, cùm videat in eam curam secum Michaëlis quoque sedulitatem incumbere. Est autem Michaël vnus de primis Principibus, quibus non vnius singularis animæ, sed alicuius prouinciæ ac generis tutela credita est: quare ille quondam Iudæorum Synagogæ præpositus est; nunc autem Ecclesiæ, quæ illius loco suffecta est. Ex qua Hierarchia fuerit Michaël, incertum est. Archangelum vocat Iudas in sua epistola canonica; & hîc Hieronymus; quod illi nomen in eius officio attribuit Ecclesia. Quem esse vnum ex septem illis Principibus, qui à Raphaële dicuntur astare coram Deo Tob. cap. 12. nonnulli existimant, in quibus est Gabriel Vazquez in 1. p. S. Thomæ quæst. 68. artic. 4. disputat. 244. Quod satis indicat hoc loco Gabriel, dum ait illum esse vnum de Principibus primis. Cùm autem Michaël ex illorum numero censeatur, per quos Deus res humanas moderatur, & curat, vt in illud Apocal. cap. 1. *Et à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt*, docent è Patribus multi. Optimè in adiutorium Gabrielis venisse dicitur, vt datas sibi à Domino partes impleret. Quod ideo ille magis præstare debuit, quòd illorum Princeps esse existimetur, quos Deus hominum custodiæ destinauit; & cui cum dæmone assidua est, & acris concertatio. Sicque ideo ab Ecclesia in hymno quodam militiæ cœlestis Primas appellatur.

Collaudamus venerantes
Omnes cœli milites,
Sed præcipuè Primatem
Cœlestis exercitus
Michaëlem in virtute
Conterentem Zabulon.

Michaël Archangelus, & vnus è septem Principibus.

Michaël Princeps, & quasi dux Angelorum custodum.

Sanè ducem se præbuit illius cœlestis agminis, qui cum dracone bellũ gessit plusquam cruentum, illúmque, ab excelso loco, vbi superbo inflabatur spiritu, deiecit Apocal. 12. vbi Angelorum dicitur habuisse agmen, cui ipse præerat quasi imperator, & dux. *Et factum est prælium magnum in cœlo: Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum ampliùs in cœlo.*

Et ego remansi ibi iuxta Regem Persarum.] Rationem reddit Gabriel, cur ad illud vsque tempus officium illud consolationis, atque humanitatis distulerit; quia nempe ipsi necessariò cum Persarum Principe congrediendum fuit. Illud porrò, quod ad Michaëlis subsidium pertinet, parenthesi censeo concludendum esse, & hoc quod modò explicare aggredimur, cum illo quod proximè antecesserat, contexendum hoc modo: *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus; & ego remansi ibi iuxta Regem Persarum.* 72.

Quis sit Rex iste Persarum, obscurum est. Hieronymus, Lyra, Dionysius, & Maldonatus Angelum esse putant, qui Iudæorum rebus aduersabatur: negat Rupertus; quia cùm bellum gereret Gabriel cum illo Angelo, seu Persarum Principe, non dicturus fuit *iuxta Regem*, sed *contra Regem*. Hæc tamen ratio leuis est: nam qui cum alio pugnat, maximè si res gladiis agatur, aut lacertis, non potest non esse iuxta illum. Iuxtà autem esse, sicut etiam *proximum esse*, aut *adesse alicui*, non solùm auxilium, aut congressum familiarem, & amicum, sed etiam infensum, & hostilem significat. Aderat Deus Dauidi à dextris, vt illum defenderet; aderant Ægyptij præfecti filiis Israël, vt illos affligerent, neque relinquerent illis aliquid temporis à labore, siue dolore vacuum. Illud Psal. 94. quod vulgatus transtulit: *Proximus fui generationi huic*, Paulus ad Heb. 3. reddidit, *infensus fui*. Deus enim ita erat populo illi proximus, vt corriperet, ac flagellaret errantem. Fuisse itaque Gabriel iuxta Persarum Principem potuit, vt illum à suo consilio moraretur, & si qua retiá ad suas cogitationes explẽdas expanderet, illa retexeret. 73.

Proximè, & iuxta interdum defensionem, interdum oppugnationē valent.

74. Licèt hæc mihi Ruperti ratio non placeat; placet tamen sententia, quæ statuit illum hîc vocari Regem Persarum, qui verè, ac propriè vulgari modo Rex est, quod tenet etiam Isidorus. Licèt enim Angeli dicantur Principes, quia *Principatus, potestas, & dominatio* nomina sunt Angelorum: at Regis nomen non inuenitur, quod ego viderim, Angelis adiunctum. Deinde quia cùm res tota à regia voluntate penderet, quam varij conatus, & rationes non tam veræ, quàm callidæ in varias cogitationes inflecterent, ac raperent; cum Rege necessariò commorandum fuit, ne sua potentia abusus, quam esse summam arbitrabatur, grauiùs statueret de Iudæorum rebus, & cursum, quem tenere cœperant, impediret. Adde quod in Hebraico textu vox ponitur in

in plurali numero מלכי פרס *malke paras*, id est, A *Regum Persarum*; quæ vox Angelo conuenire non potuit, cùm vnus esset Princeps; Regibus autem perquam aptè. Eo enim tempore, quo hæc agebantur, duo erant Persarum Reges, ex quorum arbitratu res administrabatur tam Persica, quàm Iudaica. Nempe Cyrus, qui propriè imperator erat; aberat autem sub hoc tempus amplificandis imperij finibus, & bello Scythico præsertim impeditus; & sui loco filium reliquerat Cambysem, quem fuisse Artaxerxem, de quo Esdræ lib. 1. cap. 4. communis est sententia. Cum his igitur Regibus agendum fuit, cum Cyro videlicet, vt suum edictum tueretur, quódque facere inchoauerat, ad exitum vsque perduceret, ac modum B filio præscriberet, quem in Iudæorũ rebus promouẽdis teneret: cum Artaxerxe verò, seu Cambyse, ne quid admitteret, aut pateretur noui cõtra paternum studium, atque decretũ. Hæc mihi sententia facilis est; altera non item.

75. Vers. 14. *Veni autem vt docerem te, quæ ventura sunt populo tuo in nouissimis diebus.*] Vbi vulgatus *nouissimis*; Hebraicè est באחרית *beacharith*, quæ vox variè à variis explicatur. Aliqui nouissimos

Nouissima tempora quæ dicantur.

dies, aut nouissimum tempus, ad finem sæculorum: alij ad Euangelij tempus referunt, quod licèt aliquando verũ sit; non tamen semper. Multa enim hac voce significantur, quæ longè ante C aduẽtum Christi impleta sunt. Iacob multa iam moriturus filiis prædixit, quæ cùm dicantur nouissimis diebus euentura; Christi tamen aduentum longè antecesserunt. Genes. 49. *Vocauit Iacob filios suos, & dixit eis: Congregamini vt annunciem quæ ventura sunt vobis in nouissimis temporibus.* Singula considera, & videbis ferè omnia ante Euangelij tempus fuisse completa. Et ne plura repetamus, idem nobis Daniel exemplo erit cap. 2. vbi cùm exponeret quid statua ex variis conflata metallis Chaldæorum Regi portenderet, ait: *Est Deus in cœlo reuelans mysteria, qui reuelauit tibi quæ ventura sunt in nouissimis temporibus.* Horum autem pleraque antequam lux affulgeret Euangelica, D contigerunt; vt quæ ibi de Persarum, Medorum, atque Græcorum imperio prædicuntur.

76. Est ergo nouissimum tempus aliquid aliud, quod quidem non refertur superlatiuè ad futurum tempus, quasi sit omnium temporum extremum; sed ad præteritum, quasi post illud futurum sit, siue diu, siue proximè tempus antecesserit. Ita vt אחרית, nihil significet aliud, quàm *postea.* Sic sanè docuit ipse Daniel cap. 2. nam quod priùs per *nouissima tempora,* idem statim explicuit per *quid esset futurum post hæc.* Et Actor. c. 2. quod apud Ioel cap. 2. v. 28. Vulgatus transtulit, *Et erit post hæc, effundam spiritum meum,* eodem omnino sensu legitur, *Et erit in nouissimis diebus, dicit* E *Dominus, effundam de spiritu meo.* In hunc ego sensum accipio hìc dies nouissimos; & sanè ita interpretemur necesse est. Nam licèt, vt ex cap. 11. constabit magis, aliqua quæ prædicuntur à Propheta longiusculè ab eo tempore contigerint (mitto modò illa, de quibus cap. 12.) at aliqua sunt, quæ proximè contigerunt, vt de tribus Regibus, qui dominati sunt in Perside, quorum aliquos Daniel ipse cognouit. Nihil ergo aliud existimo audiisse Danielem ab Angelo, quàm quod post illum temporis articulum futurum esset siue proximè, siue longiùs abesset.

Nouissimum aliquando id, quod post aliud sequitur.

77. *Quoniam adhuc visio in dies.*] Narrauit Gabriel quid post illud tempus euenturum esset annalibus, atque memoria dignum, non modò quod proximè, sed etiam quod ab illis diebus quàm longissimè fidem esset, atque exitum habiturum. Illud *adhuc* ita hoc loco aliquid affirmat lõgum post tempus euenturum, vt tamen indicet aliquid aliud antecessisse proximè: quomodo dicimus de discipulo, qui iam mediocriter est à Doctore formatus, *Adhuc aliquid superest quod ediscat*: & de imagine, quæ nondum absoluta, *Adhuc aliquid ars habet, quod elimet, & poliat.* Qui dicendi modus sic aliquid imposterum superesse affirmat, vt tamen ostendat aliquid operis antecessisse. Sic ergo Angelus nunc ad Danielem: Audies ô Daniel à me quid proximè futurum sit erga populum tuum, quod scire desideras; sed est adhuc aliquid aliud longè pòst futurũ, quod à me docearis. Hæc sententia nihil habere videtur durum, aut difficile. Neque enim est verisimile cùm Propheta de suo populo restituendo, instaurandáque Iudæorum republica laboraret; déque ea re ad Deum longam, eandémque armatam ieiunio orationem habuisset, quæ à prima die exaudita dicitur, nihil de his audiisse ab Angelo, etiamsi expressè apud Prophetam non legamus. Non etenim omnia, quæ dicta, gestáve sunt, à sacris scriptoribus mandata sunt literis. Quomodo *dies* in plurali tempus significet longum, vide infrà cap. 11. num. 124.

78. Sunt qui hæc referenda putent ad visionem de hirco, & ariete, de qua cap. 8. Quæ visio magis explicatè, & expressè ponitur cap. 11. quæ in dies futura dicitur; quia quod ad regnum Græcorum attinet, producta est ad tempus vsque Machabæorum: & quod de Antichristo, cuius barbaram, atque impiam crudelitatem tanquam in imagine expressit Antiochus, in alia visione obscurius dictum est, illud nunc cap. 12. quod eiusdem visionis pars quædam est, illustrius explicatur. Ita putat S. Thomas, neque mihi displicet. Sed plerique alij nihil addunt de præcedenti visione.

79. Vers. 15. *Cúmque loqueretur mihi huiuscemodi verbis, deieci vultum meum ad terram, & tacui.*] Iam Angelus collapsum in terram Prophetam excitarat è puluere, iam confirmarat verbis, & in suo statu constituerat: nunc planè mirabile est post tãtam humanitatem obstupuisse iterum, & deiecto in terram vultu obmutuisse. Suspicari aliquis posset, deiectionis illius, atque silentij causam fuisse pudorem quod aliqua aut dixisset, aut cogitasset, quæ minus diuinam Maiestatem decerent, & amantem, ac sedulam in Iudæorum populũ prouidentiam, quo tempore trium hebdomadũ spatio lacrymis se dedit, & macerauit inedia. Nam cùm postea videret qualia de populi libertate cogitasset Deus; & quanto studio duo magni Principes Michaël, & Gabriel datum sibi negotium suscepissent, ingenuo quodam pudore perfusus deiecit vultum, amisitque loquendi facultatem. Sed sanè de Propheta tanto hæc nullo modo existimari possunt, qui longissima oratione, quam habuit suprà cap. 9. cùm doleret, quòd populus grauibus quotidie vexaretur incommodis, iustissimum semper appellauit Deum; & suæ Gentis peccatis attribuit quod exul, & tristis vitam ageret ærumnosam, & duram.

80. Quare ego potiùs reor perturbationem hanc ortam esse tunc ex conspectu Angeli, cuius est natura nobilior, &, vt diximus paulo antè ad illud vers. 6. *Et vox sermonum eius, vt vox multitudinis,* ex sententia S. Thomæ: ex naturæ cœlestis præsentia natura fragilis concutitur. Seu certè

ex

ex admiratione quadam, aut stupore, cùm videret quàm amanter Deus, ac prouidè populi saluti consuluerit; quanto studio duo magni Principes de liberando, atque ornando populo laborarent. Cogitatio hæc sic affecit prudentem, atque ingenuum animum, vt deiecerit vultum, & intercluso spiritu neque fingere potuerit, neque fundere sermonem. Aut certè ideo demisit in terram oculos homo, verè prudens, & humilis, quia longè supra sua merita putabat tantũ Angelum sui mœroris leuandi gratia ad se fuisse delapsum; sibíque id à Dei benignitate concessum, vt res nouissimo etiam tempore futuras intelligeret. Magna etenim Dei beneficia bene institutum animũ, & suæ conscium tenuitatis non tam inflant, atque efferunt; quàm deiiciunt, faciúntque vt de se modicè, atque humiliter sentiant.

Magna beneficia pudorem, & modestiam generant.

81. *Et tacui.*] An hoc loco *tacere*, sit abstinere se à loquendo, & cùm loqui posset; sermonem tamen, cuius erat compos, cohibere: seu certè fingendi sermonis, & proferendi facultatem amisisse, dubium est. Ego eò magis inclino, vt credam ereptum esse Prophetæ sermonis vsum; ita vt sermones formandi, licèt maximè cuperet, eo temporis articulo facultas non esset. Quod eo mihi persuadeo, quia quicumque affectus grauis, ac subitus, aut spiritum intercludit, aut stuporem inducit, aut sic afficit perculsum animũ, vt sermonis, ac vocis organa conturbet, atque debilitet; qualis est pudor, metus, dolor, admiratio, gaudium. Quòd metus vocem adimat, docuit Aristoteles sect.27.problem.q.9. Sanè ex eo quod passim videbant accidere eiusmodi affectibus silentium attribuunt Poëtæ, id est, sermonis impotentiam. De stupore est illud aliquoties vsurpatum à Marone,

Stupor vocem adimit.

Obstupui, steterúntque comæ, & vox faucibus hæsit.

Herodotus lib.1.de Astiage, *His perculsus aliquandiu sine voce mansit.* De metu, ac mœrore Philo in lib.de Ioseph, *Hæserunt obstupefactis verba præ mœrore, ac metu grauissimorum malorum, vt solent inopinati casus vocem adimere.* De metu, ac pudore est illud Ouidij in epistola Canaces,

Ipsa nihil præter lacrymas pudibunda profudi,
Torpuerat gelido lingua retenta metu.

82. Deinde quia non legitur Daniel, ex quo hæc apparuit visio, quicquam locutus, vt ideo siluisse, id est, sermonem cohibuisse dici potuerit; maximè cùm eo tempore locutus dicatur, cùm tactis labiis ab Angelica manu restituta, videtur loquendi facultas. Tacuisse igitur dicendus est Propheta non tam voluntate cùm posset, quàm necessitate cùm nõ posset, laborantem spiritum in verba formare, quod ipse indicat statim vers. 17. *Et quomodo poterit seruus Domini mei loqui cum Domino meo? Nihil in me remansit virium, sed & halitus meus intercluditur.*

83. Vers.16. *Et ecce quasi similitudo filij tetigit labia mea.*] Iam videtur Angelus aliquid de splendore remisisse, remouisséque id, quod Danieli priùs aliquid horroris incusserat. Iam enim similis vocatur filio hominis, id est, homini, iuxta sermonis Hebraici proprietatem, qui tactis labiis, quæ stupor, seu admiratio compresserat, loquendi facultatem restituit. Fuisse autem eundem illum, qui modò sub humana specie labia tangit Prophetæ; & qui priùs speciem horribilem, seu admirabilem obiecerat, ipse docet Daniel, dum ait:

84. *Et dixi ad eum qui stabat contra me: Domine in visione tua dissolutæ sunt compages meæ.*] Quasi dicat

A illum aperuisse os, & expediisse linguam ad sermonis vsum, cuius aspectu constrictis fibris, & laxatis compagibus corporis vires, & loquendi facultatem amiserat. Compages hoc loco non solùm illæ sunt, quæ sermonis vsui seruiunt; sed etiam quæ humani corporis partes constringũt, & firmant. Quare consentaneè ad hæc subdit, *& nihil in me remansit virium*, quia nempe firmitas illa tota periit, quæ ex membrorum apta colligatione constabat. Idem penè passus est Balthasar Chaldæorum Rex cap.5. cùm digitos in pariete scribentes aspexit; compages etenim renum eius solutæ sunt.

B Vers.17. *Sed & halitus meus intercluditur.*] Loqui iam cœperat Propheta postquam ipsius labia ab Angelica manu tacta sunt; non tamen expeditè ac facilè, sed oppresso, ac singultanti spiritu, sicut solent illi qui thoracis laborant angustiis, aut proximi sunt, vt animam exhalent. Quare rursus ab Angelo confirmandus fuit, & ad statum, ex quo depulsus fuerat, reuocandus. Et ideo additur statim, *Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis, & confortauit me*; & deinde conualuisse se dicit, & confortatum ab Angelica voce. Lubet huc adscribere quod ex verbis Antonij magni docet Athanasius in eius vita. *Cùm bonus Angelus*, inquit, *bonis hominibus apparet, etiamsi initio inusitato aspectu timorem iniiciat, ad extremum con-* C *solationem, & animi tranquillitatem relinquit.* & non longè pòst, *Angelorum tanta benignitas est, vt si quis pro conditione fragilitatis humanæ miro fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuò ex corde auferat metum. Ita Gabriel cùm Zacharia loqueretur in templo, & Angeli cùm diuinum Virginis partum pastoribus nunciarent, & qui Dominici corporis agebant excubias, securis se videntium mentibus ostendentes, ne metuerent, imperabant. Metus enim non tantum ex pauore animi, quantum ex magnarum rerum sæpe incutitur aspectu.* Quare sæpe qui primo Angelorum aspectu turbati sunt, sæpe ab illis audiunt hæc, & similia, *Nolite terreri*, sicut modò Daniel. 85.

Angelus cũ apparet, licet principio terreat, postea tamen confortat.

86. In hac Danielis confortatione per partes in- D telligitur quasi in vmbra quadam quis sit hominum ad virtutem gradus, quódnam in spirituali robore incrementum. Quod optimè persequitur Gregorius lib.22. Moral.cap.20. & 21. vbi cùm adduxisset illud Marci cap.4.v.28. *Vltrò enim terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Vbi qualis in virtute progressus fiat significatur. Addit & amplificat hunc Danielis locum in hunc modum. *Bene autem Daniel Propheta loquente ad se Domino, dum positionem nobis sui corporis insinuari studuit, hæc meritorum incrementa signauit. Ait enim: Audiui vocem verborum eius, &c.* & subdit, *In Scriptura enim sacra iusti viri non solùm quod dicunt, prophetia est, sed etiam* E *plerumque quod agunt. Vir itaque sanctus internis mysteriis plenus, per positionem quoque corporis exprimit virtutem vocis: & per hoc quod primùm in terra prostratus iacuit, ac per hoc quòd se postmodũ in manuum suarum articulis, & in genibus erexit; per hoc quod ad extremum erectus quidem, sed tremens consistit, in semetipso nobis omnem ordinem nostri profectus innotescit. Verba enim Dei in terra iacentes audimus, cùm in peccatis positi terrenæ pollutioni coniuncti, sanctorum voce spiritalia præcepta cognoscimus. Ad quæ præcepta, quasi super genua, & super manuum nostrarum articulos erigimur, quia à terrenis contagiis recedentes, quasi iam ab infimis ventrem leuamus. Sicut enim totus terræ inhæret, qui consternatus iacet: ita qui in genibus, & manuum suarũ articulis incuruatur, inchoante profectu ex magna* iam

Qualis fiat in virtutibus gradus.

iam parte à terra suspenditur. Ad extremum verò voce Dominica erecti quidem, sed trementes assistimus, dum à terrenis desideriis perfectè subleuati; verba Dei, quo plenius cognoscimus, plus timemus. Adhuc enim quasi in terra iacet, qui ad cœlestia erigi terrenorum desiderio negligit. Quasi subleuatus autem adhuc manibus, & genibus incumbit: qui quadam iam contagia deserit, sed quibusdam adhuc terrenis operibus non contradicit. Iam verò ad verba Dei erectus assistit qui perfectè mentem ad sublimia erigit, & per immunda desideria incuruari contendit. Benè autem trementem se stetisse indicat, qui examen subtilitatis internæ, quo plus ad illud proficitur, amplius formidatur.

87. Vers. 20. *Et nunc reuertar, vt prælier aduersus Principem Persarum.*] Nec dum finita pugna, seu disceptatio fuerat inter Gabrielem, Principémque Persarum, quando Gabriel ab illa se tantisper subduxit, donec quæ habebat à Domino mandata ad Prophetam perferret: peracta verò hac sua legatione ait se reuersurum quàm primùm, vt redintegret bellum ad exiguam illam moram intermissum. Quantum verò temporis in illa pugna postea positum fuerit, incertum est; neque video quicquam esse ab auctoribus definitum. Ego credo tamdiu durasse, quamdiu Iudæorum res pacata non fuit: nam ea de re fuerat inter Gabrielem, Principémque Persarum suscepta contentio. Quod si ita est, vt planè videtur esse dicendum, efficitur, meo iudicio, plusquam probabile Angelum illum non esse bonum, qui Gabrielis studiis aduersatur. Tanto enim tempore ignorare non potuit, quid esset à Deo constitutum, cùm Gabriel tanquam patronus Iudaicæ causæ missus esset à Deo, quod sanè in longa pugna Principi illi Persarum, si bonus Angelus fuit, exploratum oportuit. Angelus verò malus non curaret quid gratum esset Deo, cùm eam ob causam aduersaretur obstinatius his, qui Dei, Iudæorúmque causam procurabant.

Longum inter Gabrielem, & Principem Persarum certamen.

88. *Cum ergo egrederer, apparuit Princeps Græcorum veniens.*] Hîc nobis aliquantulum moræ ponendum est, atque inuestigandum quis sit iste Græcorum Princeps, aut quid habeat disceptationis, aut negotij cum Gabriele; aut cum eo, quisquis sit, qui Persarum appellatur Princeps. Communis est opinio hunc Græcorum Principem Angelum esse bonum, qui res Græcorũ curat, sicut alius, de quo priùs Rex Persarum, virum excipe Rupertum suprà. Hieronymus obscurè loquitur, sed apertè indicat Angelum esse malum infrà ad illud cap. 12. *Et ecce quasi duo alij stabant.* Vbi duos Angelos, qui ad vtramque fluminis ripam steterant, Principes esse dicit Persarum, & Græcorum, à quibus nil rogauit Daniel, quia indignos putabat, à quibus aliquid disceret. Quod sanè neque putaret Daniel, neque dixisset Hieronymus, si bonos esse Angelos existimaret. Idem omnino putat S. Thomas, & eadem de vtroque Angelo dicit, quæ hîc Hieronymus. Comestor in Ruperti sententiam inclinat: sanè illam non improbat. Si Persarum Princeps malus est Angelus, vt valde probabile suprà putabamus, mihi quoque dicendum videbatur, hunc etiam spiritum esse malum. Neque enim ille pugnaturus descéderet cum malo angelo, qui peruertere conabatur res Persicas, cùm causa vtrique, & fructus esset communis. Et docet hoc loco non obscurè Gabriel, dum ait, neminem sibi in eo certamine adiutorem esse præter Michaëlem; esset tamen proculdubio Græcorum ille Princeps, si bonus esset Angelus. Deinde quia

Princeps Græcorum malus videtur Angelus.

A eam causam adducere videtur Gabriel, cur redire velit quamprimum pugnaturus; quia cùm egrederetur e pugna, vt Danielem de rebus futuris admoneret, apparuit Princeps ille Græcorum; neque erat cur propter illius aduentum festinandum sibi esse diceret, nisi videret coniunctis illorum Principum viribus difficiliùs expediri Iudæorum causam. Et ipsa militaris ratio id videtur exigere, quæ non alia ratione videtur ab Angelis, quàm ab hominibus institui. Vt enim Principes, qui inter se gerunt inimicitias, & bella, auxilia sibi ab amicis, & fœderatis postulant, aut etiam alienum militem mercede conducunt, cùm hostiles acies augeri, & corroborari vident: sic etiam Angeli, si contrariis viribus B aliquam videant accessionem fieri, sibi etiam auxiliares copias è suo sibi ordine conquirunt. Venerat Michaël, vt habes suprà vers. 13. Gabrieli subsidio: quare contrariæ potestatis causa, ac spes erat deteriori loco, quare auxilio sibi esse curauit Græcorum Principem quo adnitente turbari posset magis res Iudaica, & impediri quod tam studiosè, ac seriò Gabriel moliebatur. Quod verò dæmones mutuas sibi præstent operas, docent exempla plurima, quæ in Ecclesiasticis annalibus sunt obuia, & indicat illud Matth. cap. 12. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine*, &c. *assumit septem alios spiritus nequiores se.*

Angeli mali mutuò sibi auxilio sunt.

Adde quòd Principi illi Græcorum voluptatem, atque vsum afferre poterat illa Iudæorum 89.
C in Perside commoratio; sicut etiam Persarum Principi, vt diximus suprà num. 72. Cùm enim regio illa futura esset, aliquando sub Græcorum imperio, non defuisset illi noua quotidie triumphandi materia. Putaret autem sibi gloriosum maximè, si populum, quem suo Dominus charactere signauerat, suo sibi subiugaret imperio: quare non minus illi, ne inde discederet populus captiuus, quàm Persarum Principi laborandum fuit. Ad extremum quicquid probat Persarum Principem Angelum esse malum, id omnino suadet de Græcorum Principe idem esse censendum. Neque enim, si bonus, pugnaret cum Gabriele, cùm iam illi de Domini volunD tate constabat.

Iam nobis explorandum est, quid sibi nego- 90.
tij Princeps ille Græcorum habuit cum Gabriele, aut Persarum Principe, de hoc enim non leuis apud auctores controuersia est. Si Angelus est malus, quod putarunt aliqui, non est difficile statuere, quid spectaret illius, vt videtur, inopinatus appulsus: id nempe quod modò dicebamus, quod vt magis videtur verisimile, sic etiam apparet non improbabile Angelum esse malum. Sed quia eò incumbunt frequentes alij, vt bonum esse credant, (quod est fortasse verum, licèt grauis aliqua ratio non appareat) dicemus quid alij de ipsius aduentu E iuxta illam cogitationem suspicantur.

Communis est sententia Angelum Græco- 91.
rum in Persidem eo consilio venisse, vt contra Persarum Principem de illius prouinciæ possessione contenderet, quam Genti sibi in custodiam datæ subiectam esse cupiebat. Ita Hieronymus, sanctus Thomas, & cum his è Recentioribus aliqui, Hugo, Dionysius. Et ex his quidam huic Principi Græcorum auxilio venisse Michaëlem opinantur, qui studebat quoque vt imperium, quod obtinebatur à Persis transferretur ad Græcos, quod aliquot post tempora Alexandro euenit. Ita Hieronymus, & Hugo.

Quid alij putent de Angeli Græcorum Principis aduentu.

Hugo. Sunt qui dicant Gabrielem ideo rediisse, vt cum Græcorum Principe aduersùs Principem Persarum disceptaret; & ideo tunc intermisisse prælium, quia satis illum Michaelis auxilio videbat habuisse virium. Neque deest qui contrà putet Gabrielem voluisse in eo conflictu adesse Persarum Principi contra Principem Græcorum, quia videbat magis beneuolos esse Persas, quàm futuri essent in Iudæos Græci: atque ideo maluit illos Persarum subesse, quàm Græcorum imperio. Neque mirum in re adeò obscura tam esse diuersas interpretum sententias. Ego primùm non puto Gabrielem stetisse pro Persarum Principe; quia ipse apertè docet eo consilio se vnde discesserat reuersurum, vt contra Persarum Principem dimicaret, *Reuertar*, inquit, *vt prælier aduersùs Principem Persarum.*

92. Ego si statuam Angelum esse bonum hunc Græcorum Principem, nil aliud crediderim habuisse causæ, quàm quod habere diximus Persarum Principem, si tamen est bonus. Cùm enim sciret ex verbis ipsius Danielis futurum aliquando, vt regio illa Græco pareret imperio (quomodo enim ignoraret, quod Nabuchodonosor in statua diuersorum metallorum agnouerat, quod non potuit non esse longè disseminatum) optare potuit, ne inde captiui discederent Iudæi, vt Græci postea, cuius ipse Princeps erat, & custos, aliquam haurirent de rebus cælestibus cognitionem, & Gentilicos ritus, ac mores ex Iudæorum consuetudine mutarent. Quantum tamen hæc ratio firmitatis habeat, paulo antè diximus, cùm de Persarum Principe loqueremur. Sanè res est implexa, quæque incertas habet coniecturas, & variis est cogitationibus exposita. Si Angelum dicamus esse malum, res videtur expedita, & facilis, cùm idonea appareat profectionis causa. Si dicamus subsidio venisse Persarum Principi, quem etiam malum esse spiritum verisimile censebamus, cùm illum à duobus Principibus magnis Gabriele, & Michaele oppugnari, atque vrgeri cognosceret. Sed sanè licèt nulla me ratio cogat, immò neque suadeat vehementer, vt vtrumque spiritum bonum esse iudicem; tamen habet momenti plurimum communis auctoritas, quæ facit, ne quid ego in hac disputatione definiam, sed liberum cuique relinquam, & de re tota, & de mea cogitatione iudicium.

93. Porrò illud *ergo* aut est illatiua particula, vt alibi plerumque, quasi ex Gabrielis absentia occasionem accepisset Græcorum Princeps, vt relictum à pastore gregem laceraret si malus; aut defenderet si bonus esset spiritus: quæ sanè expositio, ac ratio non omnino reiicienda est. Sed credo hoc loco habere nullam inferendi vim, sed tantùm inchoatam narrationem pertexere, & esse idem omnino quod *autem*. quod aliquando in Scriptura sacra reperitur. Sap. cap. 17. v. 21. *Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.* & Matth. cap. 10. v. 31. *Omnis ergo qui consolabitur me*, id est, autem. Hæc iuxta lectionem antiquam; sed neque in contextu Græco, neque in codicibus Sixtianis est *ergo*, aut vox vlla quæ illi in Hebraico textu respondeat. In codice nuper correcto à Sixto est, *cùm ego egrederer.*

Ergo, idem aliquando quod autē.

94. Vers. 21. *Verumtamen annunciabo tibi, quod expressum est in scriptura veritatis.*] Illud *verumtamen* fauet aliquantulum cogitationi nostræ, quæ suspicabatur duos illos Principes Græcorum atque Persarum malos esse spiritus, quibuscum Gabrieli congrediendum fuit. Indicat enim Danieli Gabriel multiplicatas esse illorum vires, qui rebus aduersabantur Iudaicis, cùm Græcorum Princeps adiunxisset manus suas. Nihilominus ait, licèt interesset plurimi, se quamprimum illorum conatibus opponere, aliquid sibi temporis è summis occupationibus decerpsisse, vt illi annunciaret quid esset sibi datum in mandatis, id nempe quod Deus de re Iudaica, diebúsque nouissimis statuisset. Scriptura autem idem est quod decretum, quod nomen ex eo decretis, atque consultis impositum est; quia quæ decreta sunt, vt rata habeantur, & de illorum fide, ac firmitate constet, scriptis plerumque mandari solent. Hinc apud Græcos χάρω, quod propriè scripturam indicat, non rarò decernere, atque statuere significat. Scriptura igitur veritatis, idem est quod decretum verum.

Scriptura idem quod decretum.

Et nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps vester.] Hoc planè mirandum ex tot cœlestium spirituum numero vnum fuisse Michaelem, qui Gabrieli manus præstaret auxiliares. An Iudæorum cuilibet non erat à Deo præpositus tutelaris Angelus? illi ne tot custodes tunc essent otiosi, quando suorum clientum causa tam angustè, ac grauiter ab aduersaria potestate promeretur? sanè credibile non videtur. Multo mihi difficilius est, quod putat Theodoretus, non solùm Persarum, Græcorúmque Principes, sed cœlestes omnes spiritus in Iudæorum causa Gabrielis, ac Michaelis studiis aduersari. Ad hæc enim verba sic Gabrielem loquentem inducit, *Non solùm Persarum, ac Græcorum Principes vobis aduersantur, quinimo nulla earum virtutum, quæ super cælos sunt, vult populum vestrum boni alicuius compotem fieri, propter multa videlicet scelera, nisi solus Michael, cui vestra tutela credita est.* 95.

Quod custodes Angeli aliquando sibi aduersētur Theodoreti sententia.

Ego quidem primùm obseruo, probóque quod Dionysius docet de cœlesti Hierarchia cap. 4. Angelorum nullum circa res humanas obire ministerium, nisi ad illud destinetur à Deo. Deinde existimo hîc sermonem esse tantùm de principibus, qui aliis spiritibus, tanquam imperatores in acie, militibus præsunt. Quare dum tantùm vnus Michael subsidio venisse dicitur, qui Princeps est, non negatur adfuisse quoque alios, qui Principes non sunt. Tertiò verum esse puto id, quod ex Alberto magno probat Dionysius Carthusianus, non solùm venisse Michaelem, sed cum Angelorum agmine, cui ipse præest; qui vt cum Michaele aduersùs Draconem pugnauere Apocalyps. cap. 9. Sic etiam iidem Michaele duce aduersùs Persarum, Græcorúmque Principes dimicarunt. Neque credo Græcorum Principem, vt suppetias ferret Persarum Principi, venisse solùm, sed instructum ea spirituum manu, quorum Princeps erat, & dux. Nam & Principes malos suum quoque ductare agmen certum est. Vtrumque constat ex Apoc. cap. 12. *Et factum est prælium magnum in cælo. Michael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone: & Draco pugnabat, & Angeli eius.* 96.

Angeli Principes suum habent Angelorum exercitum.

97\. Ex his, meo iudicio, sententia sumitur non difficilis, quæque nihil absurdi, aut indecori contineat. Nam si alij Angeli subsidio Gabrieli non fuerunt, non ideo est, quia mali aliquid Iudæis optent; aut quòd non etiam illorum causa libentes, atque alacres fauerent; sed quia ad illud opus à Deo destinati non sunt. Deinde quia hîc de Principibus tantùm sermo est, qui nunquam incomitati veniunt: dum Princeps Michael venisse dicitur Gabrieli subsidio, venisse quoque dicuntur Angelorum agmina, quorum ipse dux est, & imperator. Cùm autem Synagogæ Michael Princeps sit, vt dicit hoc loco Gabrieli, *Nisi Michael Princeps vester*; consequens est, vt Angeli omnes Iudæorum tutelares, qui ad castra pertinent Michaelis, in Iudæorum salutem contra aduersariam potestatem incubuerint. Sicut si quis dicat Hispaniarum Regem alicui contra potentem hostem auxilio venire, non significat Regem adesse nudum à milite, & apparatu bellico; sed ferre secum aciem Hispano instructam milite, & totis regni viribus adornatam. Itaque neque tutelares Angeli defuerunt Iudæorum causæ; neque leue fuit præsidium additum Gabrieli, cùm Princeps Michael in eius adiutorium aduenisse traditur.

Michael Synag. & olim Princeps.

IN CAPVT VNDECIMVM.

ARGVMENTVM.

PRÆSTAT Gabriel, quod in præcedenti capite Danieli promiserat, & Principum illorum exordium, atque interitum prædicit, qui variè rem Judaicam aut ornarunt magnificè, aut vexarunt hostiliter. Et primùm agit de Persarum Principibus ad Xerxem vsque, qui bello tentauit Græciam, successu tamen infelici: deinde quomodo ab Alexandro Macedone à Persis ad Græcos translatum sit imperium, & illo immatura morte sublato, in plura capita; sed præsertim in quatuor regnum illius amplissimum distributum sit. Omissis tamen aliis de Regibus Ægypti, ac Syriæ longo sermone, ac vario quid in posterum fieri debeat docetur Daniel. De his autem præcipuè locutus est Angelus, quia cùm media esset Judæa inter Ægyptum, & Syriam, dum duris, ac frequentibus præliis mutuo se duo illa regna concutiunt, necesse est, vt Judæa per quam vtrinque commeandum est, ab vtroque exercitu grauibus afficiatur detrimentis. Ad extremum multa dicuntur de Antiocho Epiphane homine sceleratissimo, qui contra Religionem, & templum impiè, & cum magno rei sacræ detrimento bacchatus est. Cuius vita tam fuit turpissimis nobilitata flagitiis, vt in eo Antichristi viuum quoddam simulacrum appareat.

CAPVT XI.

1\. *EGo autem ab anno primo Darij Medi stabam vt confortaretur, & roboraretur.*

2\. *Et nunc veritatem annunciabo tibi. Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimiis super omnes: & cùm inualuerit diuitiis suis, concitabit omnes aduersum regnum Græciæ.*

3\. *Surget*

PARAPHRASIS.

1\. AVdi (inquit Angelus) ô Daniel, & vide quàm ego studiosè, ac seriò in Iudæorum causa laborauerim. Cùm multa occurrerent, quæ in suscepto consilio de populi Iudaici libertate Persarum Regis vacillare cogerent; ne aliquid decernerent, contra quàm initio facere statuissent, ego astiti Dario Regi, vt in suscepta sententia illius animum confirmarem.

2\. Nunc autem quod tibi proximè promiseram, quid in verissimo suo decreto temporibus nouissimis futurum constituerit Dominus, edisseram. Post Regem Cyrum, cuius nunc annus agitur tertius, inter plures alios, tres adhuc Reges erunt in Perside, à quibus variæ

accipia

A accipiatur res Iudaica. Post illos autem quartus erit aliis omnibus longè opibus, & auctoritate potentior; cùm tamen ad summum diuitiarum cumulum, ac potentiæ peruenerit, copiosissimos in Græciam è tota Perside exercitus armabit.

3. Surget verò rex fortis, & dominabitur potestate multa, & faciet quod placuerit ei.

3. Surget deinde è Græcorum genere Alexander Rex, vsque adeò fortunatus, & fortis, vt latè suum porrigat imperium; neque quidquam aggrediatur, aut optet; arduum licèt, & supra homi- B num spem, quod non pro votis domet, & obtineat.

4. Et cùm steterit, conteretur regnum eius, & diuidetur in quattuor ventos cæli: sed non in posteros eius, neque secundùm potentiam illius, qua dominatus est. lacerabitur enim regnum eius etiam in externos, exceptis his.

4. Cùm autem ille ad culmem videatur peruenisse, neque ex eius voto defuisse quicquam, conteretur regnum illius, & in quatuor regna, quæ ad totidem spectant mundi plagas, diuidetur: neque tamen illius posteri, in relicta ab ipso regia hæreditate succedent. Porrò alieni illi, ad quos dissectum illud imperium pertinebit, longo interuallo aberunt à prioris potentia. Neque tantum C amplum illud imperium in quatuor diuidetur capita; sed præter hæc in alia plura lacerabitur.

5. Et confortabitur rex Austri: & de principibus eius præualebit super eum, & dominabitur ditione: multa enim dominatio eius.

5. Ille verò Rex, qui Ægyptum prouinciam Australem obtinebit, fortis erit, ac strenuus. Sed erit ex Alexandri successoribus, qui longè illi viribus, opibus, atque solertia præstet, & latiore multo ditione dominetur.

6. Et post finem annorum fœderabuntur: filiaque regis Austri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinẽ brachij, nec stabit semen eius: & tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam, adolescentes eius, & qui confortabant eam in temporibus.

6. Postquam diu inter hos duos vario bellorum euentu certatum fuerit, inter D duos hosce Reges, Austri videlicet, & Aquilonis, fœdus tamen inter se interposito affinitatis vinculo component. Rex enim Austri Ptolomæus, Berenicem filiam Antiocho Aquilonis Regi matrimonio locabit. Nihil tamen legitimus ille nexus proficiet, neque vim obtinebit magnam, vt diu duo illa regna in fœdere, aut societate contineat; neque enim vllus supererit ex eo matrimonio filius, & tam ipsa Berenice, quàm qui illam adduxerunt ex Australi prouincia; E quíque illam auxilio, atque consilio iuuabant, hostili, atque infideli gladio conficientur.

7. Et stabit de germine radicum eius plantatio: & veniet cum exercitu, & ingredietur prouinciam regis Aquilonis: & abutetur eis, & obtinebit.

7. Ex iisdem parentibus, quasi ex eadem radice orietur Ptolomæus Euergetes, qui sororis suæ Berenices vlciscatur iniurias. Quare numerosum conflabit exercitum, & ingressus Aquilonare regnũ pro suo arbitratu, atque libidine cuncta vastabit.

8. Insuper & deus eorum, & sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti & auri, captiua ducet in Aegyptum: ipse præualebit aduer- sus

8. Inde secum in Ægyptum auehet Babylonicos, ac Syrios Deos, & quicquid opere sculptorio fabrefactum est, vasa quoque

sus regem Aquilonis.

9. Et intrabit in regnum rex Austri, & reuertetur ad terram suam.

10. Filij autem eius prouocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum: & veniet properans, & inundans: & reuertetur, & cōcitabitur, & congredietur cum robore eius.

11. Et prouocatus rex Austri egredietur, & pugnabit aduersus regem Aquilonis, & præparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo in manu eius.

12. Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor eius, & deiiciet multa millia, sed non præualebit.

13. Conuertetur enim rex Aquilonis, & præparabit multitudinem multò maiorem quā prius: & in fine temporum annorúmque, veniet properans cum exercitu magno, & opibus nimiis

14. Et in temporibus illis multi consurgent aduersus regem Austri: filij quoque præuaricatorum populi tui extollentur vt impleant visionem, & corruent.

15. Et veniet rex Aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet vrbes munitissimas: &

A quoque pretiosa, ex auro, argentóve conflata secum abducet, tanquam victor, prædatórque Aquilonaris prouinciæ.

9. Vbi autem regionem illam Aquilonarem intrauerit, in eáque fuerit pro suo arbitratu liberè grassatus, in terram suam onustus præda reuertetur.

10. Duo verò filij Seleuci Regis, quem sublata Syria, & spoliis inde opimis ereptis, malè mulctauerat Euergetes, magno inflammati studio, & recuperandæ Syriæ, & paternæ ignominiæ propulsandæ, quàm
B maximas poterunt copias conscribent, & contra Ptolomæum Philopatorem Euergetæ filium effundent: mortuo autem Seleuco Antiochus frater cognomento Magnus non minori studio inchoatum à fratre bellum persequetur: irruet enim incredibili velocitate, & instar exundantis fluminis rapidus, & præceps ingredietur Syriam, & cum illis, qui ibi præsidij gratia relicti fuerant ab Ægyptio, concurret.

C 11. Tunc verò Rex Ægypti Ptolomæus, contra copiosas Antiochi acies, acies item ipse copiosas instruet, & in ipsis Syriæ finibus cum hoste congressus, victoriam ex ipso conflictu reportabit, fugato hoste, & à suo exercitu nudato.

12. Capiet autem ingentem illam multitudinem, quam antè conscripserat Antiochus; & multa militum millia ferro conficiet; vnde spiritus sibi magnos assumet, neque tamen omnino præualebit: licèt enim ingenti clade concisus fuerit
D exercitus Antiochi, ipse tamen elapsus fuga in Ptolomæi potestatem non venit.

13. Iterum maiores quàm antea copias coget Antiochus, & post aliquot annos captata occasione festinus irruet in Ægyptios, præualido exercitu, & opibus ingentibus instructus.

14. Accidet præterea hoc opportunum Antiocho, quòd hoc ipso tempore plurimi ex domesticis intestinum, ac ciuile contra Regem Ægypti bellum excitabunt; & Principes externi copias suas cum
E Antiocho iungent, & bellum suscipient sociale: è populo etiam tuo, ô Daniel Iudæorum plurimi, quasi eo modo implenda esse putent Prophetarum oracula de Ægypto ad piam Religionem adducenda; sed re vera ab auita religione præuaricantes, illis quoque se bellis implicabunt; & ædificato in Ægypto templo pro Ptolomæo, contra Aquilonis Regem arma sument, quæ res illis non leue pariet infortunium.

15. Aderit Rex Aquilonis Antiochus diuitiis, viribúsque potens, comportabit aggerem,

& brachia Austri non sustinebunt, & consurgent electi eius ad resistendum, & non erit fortitudo.

A aggerem,& alia machinamenta bellica,& è tota Syria, atque Iudææ vrbes capiet, tũ ab arte tum etiam à natura munitas. Cui omnis, quæ veniet ab australi regione potentia,repugnare non poterit. Occurrent quidem, qui maximè inter Ægyptios præstant militari gloria; sed illius impetum non modò non frangent, sed neque retardare,ac sustinere poterunt.

16. *Et faciet veniens super eum iuxta placitum suum, & non erit qui stet contra faciem eius: & stabit in terra inclyta, & consumetur in manu eius.*

16. Vbi autem contra Regem Austri numerosas secum acies inuexerit, suo arbitratu liberè, atque impunè grassabitur;
B neque erit vllus, qui cum aliquo operæ atque industriæ pretio illius se conatibus opponat. Perueniet tandem ad terram promissionis,terram videlicet electam, & inclytam, & vrbem sanctam Ierusalem: quam tandem ornabit, atque perficiet liberali manu.

17. *Et ponet faciem suam vt veniat ad tenendum vniuersum regnum eius,& recta faciet cum eo: & filiam feminarum dabit ei, vt euertat illud: & non stabit, nec illius erit.*

17. Neque contentus ablatas à parente prouincias recuperasse,adiiciet quoque animum vt Regem Austri à suo regno depellat. Quare ad vires, & arma fraudem
C quoque atque solertiam adiunget. Componet enim cum illo sociale fœdus, quod licèt rectum videatur, & sanctum, doli erit,atque perfidiæ plenum. Atque eo consilio Cleopatram filiarum pulcherrimam illi coniugali nexu sociabit, vt illum ad ruinam, & exitium impellat. Non tamen illi res succedet ex voto, neque enim tam Cleopatra parentis consiliis fraudulentis, quàm coniugis honori, atque rationibus studebit.

18. *Et conuertet faciem suam ad insulas,& capiet multas:& cessare faciet principem opprobrij sui, & opprobrium eius conuertetur in eum.*

18. Cùm effectum nullum haberet in-
D tenta fallacia; & de capienda Ægypto spẽ abiecisset, animum ad insulas conuertet, quarum multas ad paterni regni terminos adiunget. Quod ignominiosum accidet Romanis, quibus cum insulæ fœderatæ fuerunt: illam tamen ignominiam depellent à suo nomine Romani, cùm opprobrium tandem in Antiochi iam victi caput infidele conuertent.

19. *Et conuertet faciem suam ad imperium terræ suæ,& impinget, & corruet, & non inuenietur.*

19. Hoc ergo modo acceptus à Romanis Antiochus, mutato iam animo,atque consilio de patria repetenda cogita-
E bit, vbi tamen non magis facilem, atque benignam experietur fortunam: offendet enim ibi miserabiliter, & corruet, ac tandem interibit ignobilis.

20. *Et stabit in loco eius vilißimus, & indignus decore regio:& in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio.*

20. Huic succedet Seleucus Philopator, qui spiritus alet abiectos,& ignobiles, indignus planè regio nomine; qui longè aberit, vt regiam personam sustinere, & publicas curas administrare possit; qui tamen non longè post initum regnum mortem oppetet, vt ignauus, ac timidus, non vt strenui solent in acie, aliorum ferro, ac furore sublatus.

21. Et stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor regius: & veniet clàm, & obtinebit regnum in fraudulentia.

A 21. Cui succedet frater Antiochus Epiphanes principio despectus, cui neque ius, neque regni proceres imperium attribuent; ipse tamen astu per insidias, & fraudes aditum sibi ad regium nomen, & potentiam aperiet.

22. Et brachia pugnantis, expugnabuntur à facie eius, & conterentur: insuper & dux fœderis.

22. Illi porrò duces, qui callidis Antiochi consiliis occurrent, opprimentur in prælio; & cum illis quoque malè mulctabitur Ptolomæus Philometor, qui inter Antiochum, & Demetrium, ad quem iure Syriæ pertinebat imperium, componendæ B pacis auctor, & Princeps esse voluit.

23. Et post amicitias, cum eo faciet dolum: & ascendet, & superabit in modico populo.

23. Post simulatas autem amicitias, & fraudulentum fœdus, dolosè aget, & ingredietur Ægyptum, & licèt cum exercitu non adeò magno incautam, & securam prouinciam superabit.

24. Et abundantes & vberes vrbes ingredietur: & faciet quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum eius: rapinas, & prædam, & diuitias coràm dissipabit, & contra firmissimas cogitationes inibit: & hoc vsque ad tempus.

24. Et in Ægypto optimas, & vberrimas quoque ciuitates occupabit; & talia audebit, & faciet, qualia pater, ac maiores ipsius, qui Ægyptum sæpe bello tentarunt, aut non potuerunt, aut non sunt ausi. Rapiet etenim spolia, prædas aget opimas, C & quæ auferre nequierit, dissipabit, ac perdet. Sed cùm non satis haberet virium vt Ægyptij regnum occupare, ac conseruare posset, cogitationes suas de occupando regno in aliud tempus magis opportunum reseruauit.

25. Et concitabitur fortitudo eius, & cor eius aduersum regem Austri in exercitu magno: & rex Austri prouocabitur ad bellum multis auxiliis, & fortibus nimis: & non stabunt, quia inibunt aduersus eum consilia.

25. Rursus contra Regem Ægypti adiiciet animum, & comparabit copias, cõtra quẽ Ægyptius magnum etiam adornabit exercitum. Non tamen stare contrà poterit, quia domestici illum peruersis consiliis, & occultis insidiis in fraudẽ inducent.

26. Et comedentes panem cum eo, conterent illum, exercitúsque eius opprimetur: & cadent interfecti plurimi.

D 26. Qui enim communibus cum Rege cibis alebantur, aut ab illius liberalitate quotidianos habebunt, & legitimos sumptus, contra illum cum hoste coniurabũt, cuius potentiam graui afficient detrimento disiecto exercitu, & plurimis in aciem gladio sublatis.

27. Duorum quoque regum cor erit vt malefaciant, & ad mensam vnam mendacium loquentur, & non proficient: quia adhuc finis in aliud tempus.

27. Duo tamen Reges, Ptolomæus videlicet Epiphanes, & eius frater, ad quem graui ab Antiocho accepta plaga, confugiet, consilia de illius cæde meditabuntur; E & in eodem conuictu, ac mensa callidis, mendacibúsque rationibus, artes illius, atque conatus eludere tentabunt, successu tamen nullo: quia illius discessus in aliud tempus reseruatus est, quando nimirum Romanorum legatus ex Ægyptiis finibus excedere iubebit Antiochum.

28. Et reuertetur in terrã suam cum opibus multis: & cor eius aduersum testamentum sanctum, & faciet, & reuertetur in terram suam.

28. Reuertetur igitur rursus Antiochus in terram suam; oneratus spoliis, quæ in magno numero, ac pretio ex Ægypto sustulerat. Et cor impium, crudele, atque auarum ad templum sanctum, & Hierosolymam adiiciet, quæ in patriam ex Æ-

29. Statuto gypto

A gypto reuertenti occurrit media: & ibi pro suo arbitratu faciet, & prædabitur, vt volet; ac tandem in patriam victor, & opulentus reuertetur.

29. Statuto tempore reuertetur, & veniet ad Austrum: & non erit priori simile nouissimum.

29. Redibit, vt antè constituerat, in Ægyptum Antiochus; sed nouissimus ille progressus longè erit priori dissimilis.

30. Et venient super eum Trieres & Romani: & percutietur, & reuertetur, & indignabitur contra testamentum sanctuarij, & faciet: reuertetúrque & cogitabit aduersum eos, qui dereliquerunt testamentum sanctuarij:

30. Cùm enim ille iamiam futurus fuerit Ægypti compos, venient à Romanis triremes, à quibus ille graui pauore, & seuera denunciatione perculsus, omissa Æ- B gypti oppugnatione, reuertetur in patriam: cùm autem depulsus esset ab ea prouincia quam iam spe non dubia deuorarat; indignatus grauiter, & mœstus, quicquid odij conceperat, in Hierosolymam, & sanctuarium euomet. Et faciet quod designarat animo: nam spoliabit, contaminabitque templum; & in patriam redibit oneratus, & sacra gaza, & ciuium ornamentis. Neque tantùm in illos Antiochi furor inflammabitur, qui fuerint in patria religione constantes; sed etiam plurimos ex illis C spoliabit, & perimet, qui patria religione prodita ad Gentilicos Deos, & Antiochi ipsius religionem, & sacra transfugient.

31. Et brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium: & dabunt abominationem in desolationem.

31. Ab ipso autem aut mittentur duces, aut orientur filij, sicut à corpore brachia, aut à stipite oriuntur rami; qui sanctuarium (quod fortissimum est, aut quia propter molem instar obtinet arcis, aut quia in eo Deus quasi suum sibi domicilium habet, qui ciuitatis propugnaculum est) contaminabunt & profano pede, & Gentilium sacrificiorum sordibus. Et ab D illo auferent sacrificium quotidianum, & iuge, & idolum statuent abominabile in desolato templo; id est, à religioso cultu, ad impium, atque profanum vsum translato.

32. Et impij in testamentum simulabunt fraudulenter: populus autem sciens Deum suum obtinebit, & faciet.

32. Erunt autem viri tunc impij, qui simulata religione alios aut impellent in fraudem, aut in exitium trahent, fœdere priùs simulatè, ac fraudulenter inito. Neque tamen deerunt viri sancti in populo, qui verum Deum agnoscant, & colant; qui omni barbarorum hominum artificio, atque tormento superiores erunt; neque vi, E ac metu à patria religione depellentur.

33. Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate; & in rapina dierum.

33. Et qui veram, & practicam legis doctrinam acceperunt; docebunt alios, & in legis amore, atque obseruantia confirmabunt. Qui tamen à vita libentius, quàm à paterna religione cadent. Quare recipient iugulo ferrum; intrepidè se conicient in flammas, exilium subibunt non inuiti, & bonorum suorum diuturnam rapinam patientur.

34. Cúmque corruerint, subleuabuntur auxilio paruulo: & applicabuntur eis plurimi fraudulenter.

34. Cúmque principio corruerint plurimi, ac spoliati bonis fuerint, & nihil mali non timerent ab Antiocho insolenti, ac forti,

35. *Et de eruditis ruent, vt conflentur, & eligantur, & dealbentur vsque ad tempus præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit:*

36. *Et faciet iuxta voluntatem suam rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem deum: & aduersus Deum deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe est definitio.*

37. *Et Deum patrum suorum non reputabit: & erit in concupiscentiis feminarum, nec quemquam deorum curabit: quia aduersum vniuersa consurget.*

38. *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur: & Deum, quem ignorauerunt patres eius, colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebúsque pretiosis.*

39. *Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuitò.*

40. *Et in tempore præfinito præliabitur aduersus eum rex Austri, & quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis, in curribus, & in equitibus, & in classe magna, & ingredietur terras,*

A forti, respirabunt tamen, & excitabuntur languentes spiritus, ab auxilio, quod licèt exiguum, attulerunt tandem Machabæi. Neque deerunt alij, qui beneuolentiæ, ac pietatis specie religiosos viros adhortentur, vt obsecuti tantisper Antiochi mandatis, & vitam, & opes tueantur.

35. Ex eruditis porrò, id est, viris, quibus charior quàm vita legis obseruantia, multi grauia patientur incommoda; quæ tamen illis erunt pro fornace, in qua expiatoriis flammis purgatur, & conflatur argentum;
B aut pro nitro, & herba, borithque à labe vestem mundat, & emaculat; quæ tamen fornax, atque vexatio tempus à Deo præfinitum non excedet, succedent autem mitiora tempora duris, & aduersis, & rerum omnium sua quoque erit vicissitudo.

36. Erit tempus quando nihil cupiat, aut designet animo, quod non illi succedat ex voto, quæ res sic inflabit Regis vanissimos spiritus, vt ipsis etiã diis, quos gentilitas colit, seipsum non putet inferiorem. Imò & contra Deorum Deum, qui solus Deus est,
C impiè, & de seipso magnificè, ac superbe loquetur. Neque tamen diu stabit, quæ futura ipsi videbatur æterna felicitas: florebit enim donec exigat Deus supplicium, quod de suo populo sumere decreuit. Illud verò tempus iam à Deo vindice definitum est.

37. Vsque adeò ei viles erunt dij omnes, quos varij religiosè suspiciunt, vt neque domesticũ Deum, quem ipsius coluerunt parentes, aliquo in numero habendum esse putet. Nihil respuet illorum, ad quæ ani-
D males, ac voluptarij sensus rapiuntur; effrænata libidine exardescet in fœminas: neque quicquam illum retardabit, quominus sitim omnem, aut opum, aut potentiæ, libidinis, ac sanguinis, omni genere turpitudinis expleat.

38. Ex omnibus diis, homo auarus, & furax vnum Deum colet Maozim, id est, diuitias, præ quibus omnia apud illum numina vilescent; & Deum alium, quẽ ignorauerunt parentes, aut eo habuerunt loco, vt pro Deo nõ coluerint. Illud verò diuitiarũ
E numen, in argento, auro, lapide pretioso; pretiosisque rebus aliis situm esse cẽsetur.

39. Curabit autẽ, vt tam Deus Maozim, quàm alius, quẽ simul cum illo venerabitur, muniti sint, & egregio in loco; tunc verò illorum gloriam, & splẽdorem augebit. Quibus oppida, ciuitatésque subiiciet, & terram gratuito obsequio in illorum gratiam, & obsequium destribuet.

40. Quàm ille fuerit auaritiæ deditus, Deo videlicet Maozim, satis docuit illa bellorum indefessa contentio: tot bella, tot pericula toties repetita: tẽpore enim præfinito,

terras, & conteret & pertransiet.

A finito, vt priùs à me pluribus audiisti, ô Daniel, cum Rege Austri in Syria quam prius à parente sustulerat, signa conferet; deinde in Ægyptum copiosum exercitum, classe, equitibus, & curribus instructum, tanquam diram tempestatem immittet. Ingredietur prædabundus terras, percurret, & tandem euertet.

41. *Et introibit in terram gloriosam, & multæ corruent: hæ autem solæ saluabuntur de manu eius, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon.*

41. Ingredietur Iudæam, regionésque vicinas, terram nimirum gloriosam, & inclytam, vbi multas ciuitates capiet exuuiásque efferet opimas; cuius manus seueras, atque prædatrices soli non experiantur, B Idumæi, Moabitæ, & qui ex Ammonitide gente propagati sunt.

42. *Et mittet manum suam in terras: & Terra Aegypti non effugiet.*

42. In alias quoque prouincias exercitus dimittet, sic autem illi res succedent ex voto, vt neque Ægyptus regio inclyta, ac potens illius manus, & vim hostilem possit declinare.

43. *Et dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Aegypti: per Libyam quoque & Aethiopiam transibit:*

43. Compos igitur desiderij sui, & thesaurorum dominus, quidquid in auro, atque argento, rebúsque aliis pretiosum est, auferet ex Ægypto; neque minore studio, C atque successu Libycos peruagabitur, atque Athiopicos fines.

44. *Et fama turbabit eum ab Oriente & ab Aquilone: & veniet in multitudine magna vt conterat & interficiat plurimos.*

44. Huc vsque fortunatus esse videbatur Antiochi progressus, sed audi fortunæ conuersionem. In hoc rerũ facili, atque felici cursu cùm in Oriente Aquilonari sit, nuncium accipiet triste, quod illius animum grauiter afficiet, de re à suis infeliciter gesta. Vt autem acceptam plagam, & grandia exercitus detrimenta resarciat, ingentes conflabit copias; & iter magno studio, ac celeritate suscipiet, vt vlciscatur in- D iuriam, & plurimorum contritione, ac cæde suum sibi dolorem consoletur.

45. *Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum & sanctum: & veniet vsque ad summitatem eius; & nemo auxiliabitur ei.*

45. Et quasi iam spe certa victoriam de Iudæis deuorasset, actúmque putaret de Hierosolyma, réque tota Iudaica, dicet apud se verbis planè maiorem in modum arrogantibus: Figam tabernaculum meum in Ierusalem, quæ inter duo maria sita est. Veniam ad montem inclytum, & ad summum illius verticem ascendam. Cùm hæc ille apud animum suum superbè iactauerit, nemo illi suppetias feret, immo omnia illi aduersa contingent.

Vers. 1. *Ego autem ab anno primo Darij Medi, stabã vt confortaretur, & roboraretur.*]

1. HOc caput cum præcedenti coniungendum est: docet enim Angelus id cuius gratia venisse se dixerat. Docet autem illa, quæ ad Iudaici populi siue libertatem, & salutem, siue calamitatem, & infortunium pertinent. Et cùm multorum annorum spatia complectatur; multa tamen intercedunt, quæ ad rem Iudaicam nihil, aut parum faciunt. Quare cùm à Dario Medo, cuius tempore noua lux Iudæis cum libertate oriri visa est, narrationem esset exorsus, omisit plurima ad tẽpus vsque Antiochi Epiphanis; quia illa ad alia omnia magis, quàm ad Iudæorũ rempublicã attinebant. Variè hic locus à variis explicatur: dicam quod mihi magis videtur ad veritatem, & textum.

2. His, credo, verbis Angelus ostendit Prophetæ, quàm ille seriò Iudaici populi patrociniũ susceperit, quámque sedulò apud Persarum Reges, qui

non

non eodem omnes modo in genus Israeliticum erunt animati, Iudæorũ causas tractaturus sit. Id verò probat exemplo: cùm enim primùm ad Persas transiit Chaldæorum imperium, qui omniũ primi illius habenas tenuerunt, Darius Medus, & Cyrus Persa edicto proposito permiserũt Iudæis, vt in patriam redirent, & beneficiis plurimis prosecuti sunt, quo via minus esset impedita, & grauis; & insuper sacra vasa, quæ ex templo sustulerat Nabuchodonosor, suo loco, atque vsui restituenda curarunt. Eo verò tempore non dubium, quin variæ cogitationes nouorum imperatorum animos inuaserint, illósque in suscepto consilio nutare, atque languere fecerint. Cùm ergo Reges illi variis agitarentur motibus, & circumflantibus hinc inde ventis fluctuarẽt; cùm nõ deessent, qui fore ex vsu rei Persicæ negarent tot captiuos dimittere; neque leuis ex eorum operâ sese commoditas offerret: adfuit tunc Gabriel, labantésque Regum animos in priori cogitatione cõfirmauit, effecitque vt regium decretum, contranitentibus aliorum studiis, exitum haberet. Id, credo, est confortatum esse Darium Medum, & corroboratum ab Angelo. Vnde verisimile facit Gabriel ab exemplo, sibi maximæ curæ futurum apud Reges alios quicquid ex vsu rei Iudaicæ fore cognosceret. Nominauit autẽ Darium potius Medum, quàm Cyrum; quia, vt alio loco diximus, hunc honorem Dario auunculo deferre voluit, vt Rex vocaretur; cùm tamen cum illo simul & Babylonicam potentiam fregerit, & nouum administrarit imperium.

Gabrielis in Iudæorum libertatem studium.

3. Hæc verba Hieronymus Danieli potius, quàm Gabrieli attribuit, & quæ hîc narrantur ab his, quæ proximè præcesserunt, secernit, Cuius auctoritatem secutus est Petrus Comestor, & Dionysius. Sed sanè textus ipse satis docet Angeli esse, non Danielis verba. Quæ verò sequuntur liberant Angeli fidem, qui promiserat se annunciaturum quæ diebus nouissimis essent euentura, ciúsque rei gratia profectionem illam suscepisse. Est ergo vna tantùm visio, quæ à capite decimo inclusiuè, ad caput vsque duodecimum etiam inclusiuè producitur.

4. *Et nunc veritatem annunciabo tibi.*] In *veritate* intelligo illud quod proximè dictum fuerat in fine præcedentis capitis: *Annunciabo tibi, quod expressum est in scriptura veritatis.* Ex quo Propheta intelliget quantum Gabrielis studio, ac sedulitati debeat, cùm tot non à Persis solùm, qui tunc dominabuntur; sed etiam à Græcis postea Iudæorum Genti impenderent incommoda.

5. Vers. 2. *Ecce adhuc tres Reges stabunt in Perside.*] Hîc variè interpretes loquuntur. Quidam ex hoc numero Cyrum eximunt, cuius anno tertio hæc obiecta, atque exposita Danieli fuerũt: alij in his Cyrum numerant. Alij numerari hîc putãt Reges omnes, qui regnárũt in Perside, quasi illi tantùm quatuor fuerint. Alij etiamsi in numero, ordinéque conueniant, in personis dissentiunt. Dicam ego paucis quid hac de re magis videatur verisimile.

6. Et primùm statuo de illis tantùm Persarũ Regibus hunc esse sermonẽ institutum ab Angelo, qui Iudæorũ rebus aduersati, seu suffragati sunt. Nam cùm plurimi fuerint Reges apud Persas, ad quatuordecim nempe, vt docet hîc Hieronymus, & communiter Chronologi, apud quos videre promptum est; quatuor tamen soli numerantur, quia hi aut molliter, & officiosè; aut iniquè, & durè Iudæos prosecuti sunt, aut saltem quia ad

A quartum vsque Regem variè à Persis res Iudaica tractata est. Nam à Rege quarto nihil à Persis in Iudæos, in alterutram partem comparatum, aut cogitatum audimus.

Secundò mihi placet quod visum est aliis, ab 7.
his quatuor Regibus Cyrum, qui tunc rerum potiebatur, excludi, quia licèt tunc in viuis esset, ac imperij dominus; aberat tamen bellis impeditus aut propulsandis, aut inferendis: neque in Iudæos post edictum primum de libertate, quicquam instituit, quod illorũ studiis aut incommodaret, aut seruiret. Maximè cùm eius loco rẽ curaret Persicam filius Cambyses, à quo sperare multa, multa

B timere poterant Iudæi. A Cyro igitur quatuor Reges numerandi, quod etiam indicat vox Hebraica עוד *od*, & Latina *adhuc*, quæ interdum idẽ valent quod *postea*. Vnde in Scriptura sacra frequens; *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, Ionas cap. 3. n. 4. & Genes. c. 4. v. 12. *Tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao.* & iterum vers. 18. & millies alibi. Quare sensus erit: post Regem hunc, nempe Cyrum, cuius hic est annus tertius, erunt quatuor Reges.

Primus horum est, qui tunc pro absente Cyro 8.
paternum imperium moderabatur Cambyses, qui Artaxerxes dicitur lib. 4. Esdræ cap. 4. quique Assuerus fuisse creditur, cui nupsit Esther, qui vetuit ne inchoata ciuitatis, ac templi fabrica pro-

C moueretur. Secundus fuit Smerdes Magus, qui astu post Cambysem occupauit imperium, quem septem menses imperium tenuisse tradit Herodotus. Hunc occidit Darius Histaspis, quo sublato ipse imperator appellatus est. Smerdes de Iudæis aut nullam in partem meritus est, quia breui illo tempore nihil perficere nedum tentare potuit; aut certè, si quid rerum tentauit, illud in sacris literis non habemus. Darius Histaspis meliùs fuit in Iudæos animatus, cuius benignitate renouatum est edictum Cyri, quod Cambyses, seu Artaxerxes antè sustulerat, rémque Iudaicam valde promouit, de quo Esdras sæpe lib. 1. & Aggæus, & Zacharias. Quartus fuit Artaxerxes alius Darij filius, quo adiuuante Nehemias, atque Esdras

D opus imperfectum, & intermissum aliquoties promouerunt. De aliis nihil hîc notandum superest, quod ad institutum faciat. De quarto verò Rege nonnihil dicendum, de quo statim ad Danielem Angelus.

Reges Persarum, à quibus aliquod meritum in Iudæos.

Et quartus ditabitur opibus nimiis super omnes.] 9.
Hic fuit, vt mihi est valde probabile, licèt nonnemo contrà sentiat, de quo lib. 1. Esdræ, cap. 7. & Nehemiæ cap. 2. Quàm verò hic opibus abundauerit, ex instructu, atque apparatu exercitus, quẽ in Græciam traiecit, cognosci potest. Mira narrant Historici, & penè incredibilia: verùm illis aliquã facit fidem hic Prophetę locus, dum eius opes nimias, & supra aliorũ facultates appellat. De Xerxe, siue Artaxerxe (neque enim de nomine la-

E boro, cùm aut vtrũque idem sit nomen, & potens hic Princeps à quibusdam Xerxes, ab aliis Artaxerxes vocetur) de hoc, inquã, audi quid Iustinus dicat lib. 2. *Iam Xerxes septuaginta millia de regno armauerat, & trecenta millia de auxiliis parauerat, vt non immeritò proditum sit flumina ab eius exercitu siccata; Græciámque omnem vix capere eius exercitum potuisse. Naues quoque decies centum millia numero habuisse dicuntur. Huic tanto agmini Dux defuit. Cæterùm si Regem spectes, diuitias, non ducem laudes, quarum tanta copia in regno eius fuit, vt cùm flumina multitudine consumerentur, opes tamen regiæ superessent.* Hæc Iustinus.

Xerxis potentia, & opes.

Vnde verò has opes acquisierit Rex iste Persa- 10.
rum,

Babylonis opes. rum, non difficile est coniectare. Primùm, quia ad Persicam gazam opes quoque accesserunt Babylonicæ, quæ quàm fuerint ingentes, docuimus suprà cap.1. num.11. Vbi ex templorum opibus facile quiuis intelliget, quantæ futuræ fuerint regiæ facultates. De quibus nonnihil diximus in nostris commentariis super Isaiam ad illud cap. 45. Vbi sic Deus de Cyro: *Et dabo tibi thesauros absconditos.* Sed præter hæc opes magnas collegisse verisimile est ex Ægypto, quam, vt auctor est Herodotus lib.7. secundo anno imperij sui bello subiugauit.

11. *Concitabit omnes aduersum Regnum Graciæ.*] De hac Xerxis in Græciam traiectione multa Historici. Vide Herodotum, Iustinum, Diodorum Siculum, Paulum Orosium, Plutarchum; neque fortasse bellum aliud cantatum magis à Græcis, quàm hoc Persicum, ex quo magna accessit gloria Græcorum nomini. Neque est cur ego in his commemorandis, quæ Græci scriptores pleno ore commendant, aliquid consumam temporis, cùm ex multis historicis peti possint: illud dicam quod omnibus sæculis visum admirabile, supráque humanam non modò facultatem; sed etiam cogitationem. Dicitur enim tantum conscripsisse exercitum, vt neque flumina ad potum, neque terra ad ingressum, aut ad nauigationem mare suffecerit. Ita Orosius lib.2. cap.9. Quæ omnia præter alios, quasi rem omnino notam, & celebrem, prædicat Iuuenalis Satyra 10. vbi sic de Xerxe, — *Flumina à Xerxis exercitu siccata.*

——— creditur olim
Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax
Audet in historia, constratum classibus iisdem
Suppositúmque rotis solidum mare, credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente.

12. Mira planè ista, sed neque minus admiranda, quæ de eodem Xerxe narrant historici, quæ hîc strictim attingam, tametsi nonnihil ab instituto aliena, vt hinc discat lector diuitiis homines non solùm insolentes, sed fatuos fieri. Audi Herodotum lib.7. vbi quomodo maris littora ponte coniungere studuerit, refert: *Ad hanc oram ex Abydo iungere pontem inchoauere ij, quibus hoc munus erat delegatum. Est autem ex Abydo ad vlteriorem continentem septem stadiorum traiectus, quem pontibus iunctum ingens adorta tempestas ea omnia dirupit, atque dissoluit. Quod cùm audiisset Xerxes indignè ferens, iussit trecenta Hellesponto verbera infligi, & in eius pelagus par compedum dimitti. Iam audiui misisse quoque cum his etiam, qui stigmata Hellesponto inurerent. certè mandauit, vt colaphos Hellesponto incuterent, dicentes barbara verba, ac vesana: O aqua amara, Dominus hanc tibi irrogat pœnam, quod eum læsisti.* Idem refert Valerius lib.3. cap.2. & addit ad hæc minatum esse cœlo tenebras, quòd sibi inimicus fuisset, & iniurius. Ecquid magis barbarum, ac stolidum! quasi mare à colaphis, verberibúsque acciperet dolorem, aut iniuriam; aut vinciri compedibus posset natura liquida, aut notari stigmate à candente ferro.? Idem Iuuenalis eadem Satyra 10. qui etiam addit in ventos quoque flagellis sæuiisse, quòd acriore spiritu turbassent mare, & sæuiori procella disiecissent pontem, & naues obruissent.

Maris littora à Xerxe nauibus coniuncta. *Xerxis stolidus stupor.*

In Corum, atque Eurum solitus sæuire flagellis
Barbarus Æolio nunquam hoc in carcere passos.
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum.
Mitius id sanè quod non & stigmate dignum
Credidit.

A Audi aliud non minoris stuporis indicium. Fuit hic voluptatibus vsque adeò deditus, vt proposito edicto promiserit præmium illi, qui nouum aliquod voluptatis genus inuenisset. Ita Valerius lib.9. cap.1. & Cicero lib.5. Tusculan. quæst. *Xerxes*, inquit, *refertus omnibus præmiis, donisque fortunæ non equitatu, non pedestribus copiis, non nauium multitudine, non infinito pondere auri contentus, præmium proposuit, qui inuenisset nouam voluptatem, qua ipse inuenta non fuit contentus. Neque enim vnquam finem inueniret libido.* Vide quò se hominis stupor proiecerit, aut libido. Cùm non satis habuisset amasse alia, quæ minus regiam dignitatem, aut pudorem decerent; amauit, vt B auctor est Ælianus de varia historia lib.2. ad medium, Platanum Xerxes, cui sic indulgebat amanter, & molliter sic ornabat regiis deliciis, sicut qui sui generis fœminam depereunt. Nihil meo iudicio excogitari posset magis absurdum, magis fatuum. Quid quod vt sponsus zelotypus, custodem illi, atque procuratorem præposuit, tanquam amasiæ? 13. *Xerxes voluptuarius, & mollis.*

Vers.3. *Surget verò Rex fortis.*] Omisit Gabriel reliquos Reges Persarum ad tempus vsque Alexandri magni, quia ab illis nihil passi sunt, aut aliquo ornati beneficio Iudæi. Et transiit ad Alexandrum; tum quia ille, vt auctor C est Iosephus lib. Antiq.11. cap.8. primum terrorem incussit Iudæis; deinde illos honoribus, ac donis prosecutus est: tum præterea quia ex illius imperio, tanquam ex trunco rami, emerserunt, qui rem turbarent, affligeréntque Iudaicam, vt ostendemus postea pluribus. Vt autem primus Machabæorum liber, in quo de Iudæorum grauissima persecutione sermo est, ab Alexandro, à quo Iudæis nihil accidit graue, sumpsit exordium, quia ab eius regno vires sumpsit, & spiritus Antiochus, qui durum Iudæis bellum indixit, & barbarum planè, atque tyrannicum imperium imposuit. Sic etiam nunc, quia ab Alexandro vires sumpsit Antiochus, Alexandri D quoque meminit Gabriel, eodem prorsus modo, quo primus Machabæorum liber, qui, vt suspicor, in hunc Danielis locum intuebatur. Vocatur autem Rex fortis, quia nulla fuit potentia, quam timuerit, nulla tanta gloria in re militari, quá non obscurauerit, imò quam nó oppresserit. 14. *Alexandri potentia, & fortuna.*

Et faciet quod placuerit ei.] Ipsa fortuna sic videbatur in Alexandrum affecta, vt Gentilico loquar more, vt non solùm eius conatibus, ac laboribus; sed etiam studiis, ac votis obsecundata videatur. Nihil enim tentauit, arduum licèt, & supra hominum spem, quod non siue consilio, atque solertia; siue virtute, atque armis assecutus non sit. Quare optimè dici potuit obtinuisse quicquid liberet, & non tam subiisse fortunæ E imperium, quàm illud imposuisse fortunæ. Sic de illo Curtius lib.10. *Fatendum est tamen, cùm plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit.* De Alexandro nos plura cap.8. 15.

Vers.4. *Et cùm steterit conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cæli.*] Quomodo Alexander, paulo postquam summam adeptus est imperij, immatura morte sublatus sit, & regnum ipsius in quatuor capita diuisum, diximus c.8. ad illud v.21. *Porrò hircus caprarum Rex Græcorum est*, & deinceps vbi satis multa de Alexandro, & de his Regibus, ad quos dissectum iam imperium deriuatum est. Quare hac de re parcè nobis hîc agendum est. 16.

Sed

17. *Sed non in posteros eius.*] Hæc aperta sunt: non enim Alexandri imperium ad ipsius posteros deriuatum est, quia filios non habuit; atque ideo necesse fuit, vt ad alienos perueniret, id est, ad eos, qui genus haberent, & familiam diuersam. Successit quidem illi Aridæus frater in Macedoniæ regno; sed quia breui tempore illud obtinuit, dici etiam posset neminem ex illius genere in Alexandri regno fuisse dominatum. In vtero habebat Roxane ex Alexandro fœtum, quo tempore Babylone decessit, vt tradit Q. Curtius lib. 10. sed quicquid ex eo partu natum est, regij status, ac nominis exors fuit.

18. *Neque secundùm potentiam illius, qua dominatus est.*] Emarcuit, tanquam flos à vento vrente percussus, aut succisus ab aratro, tanta imperij viriditas, atque profusa luxuries, & illa tam breui comparata potentia, & amplitudo, qua nulla ad illud tempus maior, & illustrior momento temporis, Alexandro sublato, ipsa quoque, si non omnino sublata, magna tamen ex parte fracta, atque debilitata est: tum quia in plures partes dissectum imperium necessariò plurimum firmitatis amisit: tũ deinde, quia fortuna defuit Alexandri, & solertia in rebus siue quærendis, siue conseruãdis admirabilis. Quare imperij status sub aliis Regibus multo fuit infirmior, & obscurior.

19. *Lacerabitur enim regnum eius in externos, exceptis his.*] Laceratum fuit Alexandri regnum in quatuor ventos, in quatuor videlicet capita, quæ totidem præfuere prouinciis, quæ ad quatuor orbis plagas spectant. In Ægypto regnauit Ptolomæus Lagi filius, id est, ad Meridiem: in Macedonia Philippus, qui & Aridæus frater Alexandri, id est, ad Occidentem: Syriæ, & Babylonis, & superiorum locorum Seleucus Nicanor, id est, ad Orientem: Asiæ, & Ponti cæterarúmque in ipsa plaga prouinciarum Antigonus, id est, ad Septemtrionem. Hæc Hieronymus cum aliis fermè omnibus, qui tamen addit, hoc nomen datum esse prouinciis, non vt frequenter alibi respectu Hierosolymæ; sed qua ratione mundi plagas considerant, ac distinguunt Cosmographi. Nam qui in Iudæa sunt, Aquilonarem regionem appellant Babyloniam, & Syriam.

20. *Exceptis his.*] Non negat Angelus quatuor illa regna, quæ quatuor spectant ventos fore lacceranda: nam reuera illa etiam variè dissecta sunt; sed dicit præter diuisionem illam in quatuor ventos, quæ futura erat præcipua imperij diuisio, futuras esse complures alias, ita vt laceratum dici possit vix dum natum Græcorum imperium. Quòd verò illud *exceptis his*, & similia non excludat alia, sed includat potiùs, & cum aliis annumeret, satis exploratum est his, qui Hebraicè mediocriter sciunt. Vbi vulgatus, *Exceptis his*, Heb. est מלבד *milebad*. quam vocem modò *præter*, modò *absque* conuertunt interpretes. Iosue 17. *Ceciderunt funiculi Manasse absque terra Galaad.* Iudic. 8. *Fuit pondus postulatarum inaurium mille septingenti auri sicli absque ornamentis, & monilibus, & præter torques aureas.* Vbi neque terra Galaad, neque torques aureæ excluduntur; sed potiùs includuntur in numerum. Quare sensus erit, non solùm futuram illam imperij dissectionem in quatuor ventos; sed etiam alias plurimas.

Absque, & similia non semper negant, aut excludunt.

21. *Et confortabitur Rex Austri.*] Hactenus plurimum habemus lucis à profana historia; quæ supersunt obscuriora, neque maiorem inueniemus lucem ea, quam offert textus ipse, quia de his saltem temporibus primis silent historiæ, aut loquantur strictim admodum, atque confusè. Docet quidem Hieronymus ad postremam hanc visionem intelligendam necessarium esse adire quosdam historicos, quos ipse consuluit, quorum tamen ad nos nihil peruenit præter nomen. Sic autem ille in præfatione super commentarios suos in Danielem. *Ad intelligendas extremas partes Danielis, multiplex Græcorum historia necessaria est: Suctorij videlicet, Callinici, Diodori, Hieronymi, Polybij, Possidonij, Claudi, Theonis, & Andronici cognomento Alipij*, &c. Hi, credo, accuratè, & minutim res Syriacas, & Ægyptias persecuti sunt; in quibus tractandis bona pars huius capitis ab Angelo consumitur. De postrema parte, quæ tempus Romanorum attingit, plus habemus lucis ab his historicis, quæ Romanorum gesta scriptis prodiderunt; atque ideo in illis minus erit nobis laborandum. De priori verò habemus à Iosepho, atque Iustino nonnulla, aliquid à Pausania, atque Diodoro; plura à Hieronymo, qui ex antiquis scriptoribus, quorum iam olim exciderunt nomina, multa videtur collegisse.

Et primùm videndum cur, cùm bella fuerint 22.
inter Reges alios, qui magno successerunt Alexandro, assidua, & grauia, illorum tantùm Angelus meminerat, quæ gesta sunt inter Reges Aquilonis, & Austri, id est, inter Regem Ægypti, & Babylonis, ac Syriæ. Rationem reddit hîc Hieronymus: *quia in medio Iudæa posita nunc ab istis, nunc ab illis Regibus tenebatur, & Scripturæ sanctæ propositum est, non externam absque Iudæis historiam texere; sed eam, quæ Israelis populo copulata est.* Ex eo verò Prouinciæ situ factum est, vt cùm sæpe hinc inde copiosi commearent exercitus, malè tam ab his, quàm ab illis in transcursu vexaretur: sicut tempestas quacumque peruadit, sternit agros; & locustarum agmina, licèt aliò conuolent, tamen fruges, quæ in medio cursu occurrunt, populantur; & torrentes, qui ex altis, præruptísque montibus lapsu feruntur incitato, obuium quodque sternunt, & oblimant. Exercitus verò sæpè in Scriptura sacra comparantur fluminibus, vt diximus in nostris commentariis super Ieremiam cap. 12. num. 19. Hoc idem explicuit Iosephus non admodum diuersa similitudine lib. 12. Antiq. cap. 3. *Antiocho, inquit, Magno in Asia regnante in continua vexatione Iudæa fuit, & Celosyria; quòd eo bellum gerente cum Philopatore Ptolomæo, huiúsque filio Epiphane, siue vinceret, siue vinceretur, malè mulctarentur; non aliter quàm nauis fluctibus vtrinque oppugnata, inter prosperam, & aduersam Antiochi fortunam iactata.*

Vers. 5. *Et confortabitur Rex Austri.*] Hic est Ptole- 23.
mæus Lagi filius Ægypti Rex, qui aliis eiusdem prouinciæ Regibus nomen reliquit hæreditariũ, hic, vt inquit Pausanias in Atticis, non tam Lagi, quàm Philippi filius, & Alexandri magni frater. *Ptolomæum, inquit, Macedones reuera Philippi, qui pater fuit Alexandri, verbo Lagi filium fuisse existimant. Eius enim matrem, cùm gereret vterum à Philippo, vxorem Lago esse datam ferunt.* Quàm verò hic fortis fuerit, quàm strenuus, docet hoc eodem loco Pausanias, & ex eo, vt arbitror, Hieronymus, quos tu vide. Porrò, vt auctor est Iosephus lib. 12. cap. 1. hic omnium primus, qui Alexandro in imperij partem successere, seu vi, seu dolo victos, aut deceptos malè vexarunt, *Ptolomæus*, inquit, *Hierosolyma occupauit, dolo tamen circumuenta. Ingressus enim vrbem Sabbato velut sacrorum gratia, Iudæis neque arcentibus, quod nihil hostile suspicarentur, & alioquin eum* diem

Ptolomæi Lagi filij potentia, & genus.

diem in otio, atque quiete agentibus, sine difficultate potius dominio acerbè eam, & inclementer tractauit. Et post pauca, *Caeterùm Ptolomaeus multos captiuos ex montano Iudaeae tractu, & Hierosolymorum vicinia, Samariáque, & Garizim monte in Ægyptum traductos iussit sedes ibi figere.*

24. *Ptolomaei Philadelphi opes, & ingenium.* *Et de Principibus eius praualebit super eum.*] Hic est Ptolomaeus Philadelphus, qui multo fuit Ptolomaeo superiore potentior viribus, & ingenio, atque solertia praestantior. De illis opibus hîc Hieronymus ex illis, opinor, scriptoribus, quos ipse commendat iis, qui hanc Danielis prophetiam commentatione illustrare student, haec adducit. *Narrant historiae habuisse eum ducenta millia peditum, equitum viginti millia, curruum duo millia, elephantes, quos primùm eduxit ex Æthiopia quadringentos, naues longas, quas nunc liburnas vocant, mille quingentas, alias ad cibaria militum deportanda mille: auri quoque, & argenti grande pondus, ita vt de Ægypto per singulos annos quatuordecim millia, & octingenta talenta argenti acceperit: & frumenti artabas, quae mensura tres modios, & tertiam modij partem habet, quinquies, & decies centena millia.* Haec Hieronymus ex optimis, vt credibile est, auctoribus.

25. *Literarum studiosissimus.* Quod verò ad ingenij laudem, rerúmque nouarum, atque occultarum studium spectat, quae in hoc Rege summa esse existimantur, facit illud Strabonis libro 17. vbi curam commendat huius Ptolomaei in exploranda causa, cur alieno, vt videbatur, tempore ex suo alueo tam latè Nilus exundaret; & cûm dixisset illud Reges Ægypti aliquando curasse addit; *Is praecipuè, cui cognomento fuit Philadelphus cognoscendarum rerum studiosus, qui propter corporis imbecillitatem semper noui aliquid inquirebat, in quo sese traduceret, atque oblectaret.* Quàm autem cognoscendarum rerum studio caperetur, & bonarum disciplinarum amator, seu patronus videri voluerit, probat sollicitudo illa, qua vndecumque sapientium scriptis *Librorũ infinitam multitudinem collegit.* summo impendio collectis ornauit bibliothecam eo librorum ornamento, ac numero, vt non minus esset admirabilis, quàm alia, quae in eo regno inter orbis miracula numerantur. Vide Iosephum lib. 12. cap. 2. vbi dicit à Rege id esse negotij datum Demetrio Phalereo, vt omnes totius mundi libros aggregaret, quod vsque adeò diligenter fecit, vt cùm ducenta librorum millia collegisset, diceret ad quingenta millia librorum numerum esse producendum. Hic curauit, vt sacra Biblia in Graecum sermonem conuerterentur, quod à Pontifice maximo, qui tunc erat Eleazar, tandem impetrauit, qui mittens ex singulis tribubus senos, qui ad illud opus maximè videbantur idonei, sacra Biblia *Biblia sacra in Graecum transferri curauit.* Gentibus impertitus est. Haec sunt illa Biblia, quae Septuaginta interpretum appellamus, cùm tamen illi fuerint septuaginta duo.

26. Addam hîc, quod ad hanc ingenij, aut nobilis studij laudem facit, hunc Ptolomaeum non literarum solùm, sed etiã literatorum fuisse amatorem, atque patronum; & quod aliquot annis postea Moecenas, id suo tempore fecisse Ptolomaeum. Quod ideo mihi persuadeo, quia Demetrium Phalerium nobilem Athenis oratorem apud se habuit, illúmque, vt modò dicebamus ex Iosepho, regiae bibliothecae praefecit. E Sicilia euocauit Theocritum Graecorum omnium in bucolico carmine facilè Principe, quod ex Idyllio 7. & 15. promptum est videre, ex quibus cõstat illum fuisse Alexandriae, aut paulo postquam ibi diuina oracula ex Hebraico à septuaginta

A duobus in idioma Graecum conuersa sunt; aut eodem fortasse tempore, quo illi conuertendis sacris literis fidelem operam, & assiduam nauabant. Quod ideo mihi persuadeo, quia ad epithalamia componenda legem sumpsit ex Canticis Salomonis, ex quibus expressit non pauca in genialem pompam, qua Arsinoë Ptolomaei filia in nuptiali curru Adonidem cum Venere traduxit, quae Idyllium est 15. & in Epithalamium Menelai, atque Helenae Idyl. 18. Qua de re nos pluribus in nostris commentariis super Cantica prolegom. 5. vbi quid Theocritus ex Salomonis Canticis penè ad verbum transcripserit, ostenB dimus. Inde pete. *Theocritus ex Canticis Salomonis multa depeculatus.*

Hic porrò Ptolomaeus in Iudaeorum populum beneficus fuit, à quo, vt auctor est Iosephus lib. 2. redempta sunt multa Iudaeorum millia, qui à parente abducti fuerant in Ægyptum; & templum Solymitanum amplissimis muneribus ornatum: atque ideo verisimile est huius mentionem, licèt obscurè, factam ab Angelo, qui spectasse videtur, vt suprà dicebat Hieronymus, rem Iudaicam vel ornatam, vel aliquo modo vexatum ab externis. 27.

Haec ego vera existimo, quia ita sentiunt cõmuniter alij cum Hieronymo, & S. Thoma: atque eorum gratia in explicanda sententia lonC gior fui. Verùm est aliquid, quod minus aptè cum hac explicatione consentit: quare aliter ego hunc locum exponere tentabo, vt ex duabus explicationibus lector quam maluerit eligat. Ego ita vtramque propono, vt neutram persuadeam. Cùm primùm inter Reges Austri, & Reges Aquilonis bellum exarsit, victoria per aliquot annos stetit ab Ægyptio, ad Antiochum vsque Theon, qui tertius à Nicanore, seu Seleuco imperium tenuit Babylonis, & Syriae: hic verò attigit extremum tempus Ptolomaei Philadelphi. Ad hoc tempus superiores fuerunt Ægyptij: sed cùm primus Antiochus hic Theos regnum iniit collectis totis Babylonicis, atque D Orientis viribus afflixit Ægyptum, eóque adduxit Philadelphum, vt de ineundo foedere cogitarit, de quo statim. Cùm ergo, vt Hieronymus docet hîc (cui in hac praecipuè re maior quàm aliis habenda est fides, cùm illos auctores euoluerit, qui ad nostras manus non peruenere, de quibus ipse praefatione in suos commentarios super Danielem) foedus Ptolomaeus cum hoc Antiocho pepigerit, data Berenice filia quasi obside componendae pacis; sit valde verisimile nomen huius ante pacti nomen, licèt obscurè, fuisse aut positum, aut insinuatum ab Angelo. Iuxta haec alteram huic loco explicationem addo. 28.

E Vers. 5. *Et cõfortabitur Rex Austri: & de Principibus eius praualebit super eum.*] In Principe Austri, aut Ptolomaeus Philadelphus intelligitur, quo cum Reges Syrię diu bella gesserunt, quod magis videtur expeditum; aut certè vterque Ptolomaeus, tam Lagi filius, quàm Philadelphus, qui haeres fuit non regni solùm, sed etiam paternae inimicitiae, quam ad aetatem iam grauem persecutus est. Ponitur autem per Synecdochen singularis numerus pro plurali: quare idem est, *confortabitur Rex Austri*, atque Reges Austri confortabuntur; quia fortes erunt terra, maríque, & aliorum regnis siue subactis, siue direptis rem Ægyptiam amplificabunt vehementer. Sed libentiùs haec de vno Philadelpho accipio, qui, vt paulo antè diximus, potentissimus fuit. 29.

Et de Principibus eius praualebit super eum.] Duo A Syriæ Reges à Regibus Ægypti superati sunt; tertius tamen, qui vocatus est Antiochus Theos, maiorum suorum vltus siue plagas, siue iniurias, viribus ex toto Oriente collectis, eò adduxit Philadelphum, vt siue desperatione, siue longo iam tædio fractus, de ineundo fœdere cogitauerit. Illud verò *de Principibus eius*, ad eos refero, non qui ex Ptolomæo Lagi filio; sed qui ex Alexandro Macedone regnum accepere, ita vt illud *eius* Alexandrum referat, cuius proximè, licèt obscurè, Angelus meminerat. Ex illis igitur Principibus, qui Magno successerunt Alexandro, vnus, nempe qui tertius Syriæ suscepit dominatum, præualebit super eum. Hic verò B fuit Antiochus Theos, vt docet hîc Hieronymus. Vatablus hanc cogitationem probat, & in pronomine *eius* referri putat Alexandrum; idem quoque Maldonato visum est, sed in eo Principe Antiochum Epiphanem agnoscit, quod mihi videtur paulo durius, & ab historia, quam hoc loco refert Hieronymus, alienum; maximè quia de hoc Epiphane postea multus sermo.

31. Vers. 6. *Et post finem annorum fœderabuntur.*] Affectus iam tædio tot bellorum molestiis Philadelphus, maximè cùm senilis ætas non tam bellorum strepitu, quàm pace delectaretur, & otio post multos annos, quos in bellis, vel adornandis, vel administrandis consumpserat, pa- C cem & amicitiam cum Rege Syriæ, ac Babylonis Antiocho certo fœdere, & arctissimo quodam nexu copulauit; quo nihil futurum videbatur firmius, nisi contrà stetisset ex temerata coniugij fide dolor, & ex illo fraudes, & insidiæ. Quomodo verò animi priùs hostilem in modum differentes amicitiam, genúsque coniunxerint; & nexus, qui firmus videbatur, non solutus modò, sed etiam impiè ac sceleratè discissus, refert hîc Hieronymus, cui maximè in historia hac Ægyptia, ac Syriaca habenda est fides, quando plurimos ea de re consuluit historicos, quos aliis, vt apparet, videre non licuit: eius igitur hîc referemus verba. Neque aliud, opinor, neces- D sarium erit, vt locus hic obscurus satis lucis accipiat.

32. *Filiaque Regis Austri veniet ad Regem Aquilonis facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinem brachij.*] Audi hîc Hieronymum. *Primus Syriæ regnauit Seleucus cognomento Nicanor, secundus Antiochus, qui appellatus est Soter, tertius Antiochus, qui vocabatur* Θεός, *id est, Deus. Iste aduersus Ptolomeum Philadelphum, qui secundus imperabat Aegyptiis, gessit bella quamplurima: & totis Babylonis, atque orientis viribus dimicauit. Volens itaque Ptolomæus Philadelphus post multos annos molestum finire certamen, filiam suam nomine Berenicem Antiocho vxorem dedit; qui de priori vxore nomine Laodice habebat duos filios Seleucum, qui* E *cognominatus est Callinicus, & alterum Antiochum. Deduxitque eam vsque Pelusium, & infinita auri, atque argenti millia dotis nomine dedit, vnde* φερνόφορος, *id est, dotalis appellatus est. Antiochus autem Berenicem consortem regni habere se dicens, & Laodicem in concubinæ locum, post multum temporis amore superatus Laodicem vnà cum liberis suis reduxit in regiã. Quæ metuens ambigui viri animum, ne Berenicem reduceret, virum per ministros veneno interfecit: Berenicem autem cum filio qui ex Antiocho natus erat, Icadioni, & Genneo Antiochiæ Principibus occidendam tradidit: filiúmque suum maiorem Seleucum Callinicum in patris loco Regem constituit. Et hoc est, quod nunc dicitur: Post multos annos Ptolomeus Philadelphus, & Antiochus* Θεός *facient amicitias, & filia Austri Regis, hoc est, Ptolemæi, veniet ad Regem Aquilonis, id est, ad Antiochum, vt impleat patrem, ac virum iungat amicitias. Et non poterit, inquit, obtinere, nec semen illius stare in regno Syriæ: sed & ipsa Berenice, & qui eam adduxerunt, interficientur. Rex quoque Antiochus qui confortabat eam, hoc est, per quem poterat præualere, veneno vxoris occisus est.* Hæc importuna Berenices cædes multorum deinde bellorum seminarium fuit. Pio etenim dolore frater eius Ptolomæus Euergetes affectus, & vicini Principes quasi communem causam arbitrati, vltrices manus cum Ptolomæo fratre coniunxerunt. De hac Berenices cæde, exercitúque contra Seleucum Callinicum, & Laodicem matrem coacto, vide Iustinum lib. 27. & Appianum in Syriacis. Ex hoc bello ortum est figmentum illud Poëtarum de coma Berenices inter sydereos ignes collocata. Hæc enim Veneri vouisse dicitur detonsam ex capite cæsariem, si Ptolomæus Euergetes victor ex Syriaco bello rediisset. Qua de re hæc strictim attigisse sat fuerit; immò pro nostro instituto plus satis.

Berenice Antiocho in matrimoniũ data.

Et non obtinebit fortitudinem brachij.] Nemo nescit in Scriptura sacra brachium pro viribus vsurpari. Exempla sunt obuia, & hoc ipso capite vers. 22. habemus perquam aptum. *Et brachia pugnantis expugnabuntur.* In fortitudine autẽ brachij, magnam ego fortitudinem intelligo, quod mihi frequens Scripturæ consuetudo persuadet, quæ dum vim rebus, & Epitasim adhibere vult, duo nomina synonyma coniungit, & alterum in secundo casu aliquando constituit: quomodo Zacharias capite decimo dicitur *pluuia imbris*, & Iob 37. *imbres pluuiæ*, Genes. 2. de *limo terræ*, & in titulis Psalmorum sæpè ponitur aut *Psalmus cantici*, aut *canticum Psalmi*. Quo dicendi modo pluuia significatur magna, lutum purissimum, præstantissimus Psalmus. Sic ergo nunc fortitudo brachij fortitudinem significat eximiam, qualem videlicet Philadelphus optabat, vt dissidentia regna pacis constanti vinculo sociaret. Ideo verò fortitudinem non obtinuit aut Ptolomæi consilium, aut tradita ad nuptialem torum Antiocho Berenice, quia vir eius Antiochus Θεός qui pacem illam stabilire poterat, porrecto à Laodice veneno, sublatus est; extincta Berenice, & cum ea filius, ad quem venturum erat Syriæ regnum. Quare nouis potiùs odiorum facibus excitatum est quàm extinctum imperium. 33.

REGVLA. Nomina synonyma cum Epitasi.

Nec stabit semen eius.] Explicatio est præcedentis clausulæ: occiso enim filio, quem Antiochus ex Berenice susceperat, vis tota periit, quæ in fœdere, ac pace duo illa regna continere poterat.

Et tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam.] Non 34. dubium quin puella regia magni Principis filia ex Ægyptia Gente aliquos habuerit, quibus & suam auctoritatem tueretur, & patriæ desideriũ in alieno solo sustentaret, quod fecerunt olim, & faciunt modò, quæ ex regio genere externorum Principum ineunt connubia. Hi ergo omnes idem quod Berenice exitium subiisse verisimile est. Hi porrò fœminam amantem patris, & patriæ, & corũ solitudine mœrentem, quo tempore apud alienos agebat, solabantur.

Vers. 7. *Et stabit de germine radicum eius plantatio.*] Hic ego hypallagen esse puto in sacra pagi- 35. na non infrequentem. Tunc verò sic lego, atque ordino: *De radicibus illius germinis stabit plantatio.* Cuius hæc est sententia iuxta Hieronymi explicationem, quam frequentes alij meritò sequuntur.

tur. Ex eadem radice, ex iisdem nempe parentibus, quibus orta fuit Berenice, stabit, atque orietur quoque germen aliud: erit, ac si diceret frater, qui bello sororis vlciscatur iniurias. Et sanè ita fuit: nam Ptolomæus Euergetes Philadelphi filius, & ex eadem, ex qua Berenice stirpe prognatus, causam illam acerrimè persecutus est. Porrò plantatio idem est quod germen, sicut Sapient.4. *adulterinæ plantationes.*

Ptolomaus Euergetes Berenices iniuriam vlciscitur.

36. *Et veniet cum exercitu, & ingredietur prouinciam Regis Aquilonis, & abutetur eis.*] Permouit grauiter finitimos Principes Berenices casus: quare vt illam eriperent ab illo periculo, ac vi, quam regiæ puellæ parari audierant, quamprimum se, ac suas copias ad illius defensionem accingunt. Qua de re Iustinus lib.27. *Frater Ptolomaus periculo sororis excitus relicto regno cum omnibus viribus aduolat. Sed Berenice ante aduentum auxiliorum, cùm vi expugnari non posset, dolo circumuenta trucidatur. Indigna res omnibus visa: itaque cùm vniuersæ ciuitates, quæ defecerant, ingentem classem comparassent, repentè exemplo crudelitatis exterrita, simul & in vltionem eius, quam defensuri erant, Ptolomao se tradunt, qui nisi in Aegyptum domestica seditione reuocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset.* Hoc idem Polybius indicat libro quinto, & Iosephus libro secundo contra Apionem. Ex quibus videtur sumpsisse Hieronymus, qui hac de re pluribus, & apertiùs.

37. Vbi vulgatus *abutetur eis*, Hebraicè est ועשה בהם *vehaseh bahem*, id est, faciet in eis, supple, quicquid volet, pro suo arbitratu: sicut de Alexandro suprà dictum est vers. 3. *vt faciat quod placuerit ei.* Vsus est autem eo verbo vulgatus, quia victores in subditorum corpora quiduis sibi licere arbitrantur: quare neque ab eo vsu corporum se continent, qui maximè abesse debet à pudicis. Qui dicendi modus, vt opinor, ad explicandam summam potentiorum insolentiã, aut miserorum extremam ignominiam prouerbiali forma adhiberi solet. Iisdem verbis vsus est Ieremias cap. 18. vers.23. *Fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis*: id est, fac in eos, quod facere solet in hostes animus indignatus, & offensus.

Abutor idē quod pro arbitratu liberè facio.

38. Vers.8. *Insuper & Deos eorum, & sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti, & auri captiua ducet in Aegyptum.*] *Obtinuit*, inquit Hieronymus, *tantum Ptolomæus, vt Syriam caperet, & Ciliciam, superioresque partes trans Euphratem, & propemodum vniuersam Asiam. Cùmque audiuisset in Aegypto seditionem moueri diripiens regnum Seleuci, quadraginta millia talentorum argenti tulit, simulacraque Deorum duo millia quingenta; in quibus erant illa quæ Cambyses capta Aegypto in Persas asportauerat. Denique Gens Aegyptiorum idololatria dedita, quia post multos annos Deos eorum retulerat, Euergetem appellauit.* Hæc Hieronymus, quæ proculdubio ab illis scriptoribus accepit, qui ad nostram memoriam non peruenere: neque enim aliter minutissima hæc cognosse potuit, nisi ab his accepta, qui sub illa Ptolomæi tempora vixerunt.

Ptolomaus Euergetes Syriam expugnat.

39. Vers.9. *Et intrabit in regnum Rex Austri, & reuertetur in terram suam.*] Hoc, opinor, dicendi modo significatur quàm facilè Rex Ægypti peruaserit totum Seleuci regnum, nullo accepto copiarum suarum detrimento; & quomodo eadem facilitate, ac securitate redierit, quasi qui suo sibi imperio subiecisset. Huic non est admodum dissimilis ille dicendi modus, quo summa significatur potestas. Is enim, qui pro suo arbitratu moderatur omnia, vulgari Hebræorum idiomate ingredi dicitur, & egredi. Quomodo de seipso dixit Moyses Deuteronom. 31. cùm iam longo esset æuo grauis, & debilis; *Centum viginti annorum sum, non possum vltrà egredi, & ingredi.* & de Dauid 1.Reg. cap.18. *Ingrediebatur, & egrediebatur in conspectu populi.* Quòd ideo facile fuit Euergeti; quia ipse tam suis, quàm externis copiis optimè venerat instructus: Seleucus verò neque accersere posset in auxilium extraneos; & à se propter turpe illud parricidij facinus alienauerat suos.

Vers.10. *Filij autem eius prouocabuntur, & congregabunt multitudinem.*] Seleucus Callinicus, quē malè, & ignominiosè mulctauit Euergetes, duos suscepit filios, quorum alter cum regno paternum nomen hæreditauit: (dictus est enim Seleucus Ceraunus) alter vocatus est Antiochus, qui postea Magni cognomentum consequutus est. Hi ergo duo vt illa reciperent, quæ sublata fuerant à parente, quàm maximas possunt copias armant, effundúntque in Ptolomæum Philopatorem, qui iam rerum Ægyptiarum potiebatur, à quo primùm grauiter cæsi, atque fugati sunt. Ita Hieronymus hîc, & Iustinus libro 27. Mortuo Seleuco in regno successit Antiochus frater natu minor, qui ardens studio recuperandæ Syriæ, quam ægrè ferebat in Ægyptiorum esse potestate, eò omnes imperij sui vires intendit. Quam tandem obtinuit; proditione tamen Theodoti, qui à Ptolomæo prouinciæ illi præpositus fuerat, vt docet hîc Hieronymus, & pluribus Polybius libro quinto, & hoc est, quod mox subditur; *Et exaltabitur cor eius.* Loquitur autem hîc de Antiocho magno, nam frater Seleucus, vt dicit hîc Hieronymus, tertio, postquã regnum inierat, anno occisus est. Exaltatus fuit illius animus, id est, spiritus assumpsit ingentes, tum accessione Syriæ, quæ bona pars erat paterni regni; tum quia, vt ait Iustinus lib.30. dissoluti hominem ingenij, & luxuriæ deditum Ptolomæum audierat, & à quo nihil eximium sperari posset. Quare non contentus recuperasse Syriam, extra illius fines egredi statuit, bellóque illum in suo regno petere. 40.

Antiochus Magnus recuperat Syriam.

Et veniet properans, & inundans.] Hoc dicendi modo explicari solet concitati exercitus, & omnia latè sternentis impetus, sumpta metaphora à flumine, qui collecta ab imbribus aquarum magna vi, excedens ex alueo præceps rapitur, & obuium quodque sternit, ac dissipat. Eodem modo Isaias cap.8. de Sennacherib, *Ibit per Iudam inundans, & transiens vsque ad collum veniet.* 41.

Vers.11. *Et prouocatus Rex Austri egredietur, & pugnabit aduersus Regem Aquilonis.*] Contra cōpiosas Antiochi acies, acies etiam copiosas instruxit Ptolomæus tum ex Ægyptio, tum ex externo, atque conducto milite, & in ipsis Syriæ finibus cum hoste congressus, illum nudauit exercitu, cepissétque, nisi fuga suæ libertati, ac vitæ consuluisset. Ita hîc Hieronymus; eadem penè Iustinus lib.30. & Polybius lib.5. & lib.3. Machab.cap.1. cuius hîc addam verba, quia paucis verbis complectitur, quæ alij explicuere pluribus; cuius licèt canonica non sit, est tamen non leuis auctoritas. *Cùm Philopator* (hoc erat Ptolomæi nomen) *è reuersis intellexisset erepta sibi esse ab Antiocho loca, quæ tenebat, excitis omnibus copiis tam pedestribus suis, quàm equestribus, assumptáque secum Arsinoë sorore excurrit ad vicinas vsque Paphiæ regiones, vbi castra habebant copiæ Antiochi.* & paulo post: *Porrò commisso acri prælio, cùm fortiùs pugnaretur* 42.

Antiochus à Ptolomao victus.

ab Antiocho, Arsinoë sedulò copias obambulans, capillis solutis cum lacrymis orabat miserabiliter ferens opem audacter sibi, liberis, & uxoribus: binas victoribus auri minas daturam singulis pollicens. Ita hostes pugna confici, multósque capi contigit. Quàm verò magnam plagam acceperit Antiochus, satis exprimit apertè Daniel, dum dicit:

Vers. 12. *Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor eius, quia deiiciet multa millia.*] Et addit, *Sed non prævalebit.* Quia licèt ingenti clade concisus fuerit exercitus Antiochi, tamen ipse elapsus fuga in potestatem Ptolomæi non venit. Ita hîc Hieronymus, & cum illo frequentes alij.

43. Vers. 13. *Et convertetur Rex Aquilonis, & præparabit multitudinem.*] Licèt in priore cum Ptolomæo conflictu sic esset nudatus, & concisus Antiochus, vt nihil illi penè reliquum fuerit, præter animam; cùm tamen propter fœdus cum Ægyptio percussum, aliquandiu esset cessatum à bellis, confirmauit se, & captata occasione in Ægyptios fines vires inuexit Babylonicas. Decesserat iam Philopator, relicto filio, qui regno succederet, cuius tunc ætas non erat quadrienni maior. Hanc verò opportunitatem Rex acutus, & solers non putauit esse prætereundam, maximè cùm sub id tempus Ptolomæi Philopatoris ignauia, & plusquam regiam dignitatem deceret, profusa, & manifesta luxuries, non videbatur esse metuenda. De quo sic Hieronymus: *Per Regem Aquilonis Daniel significat Antiochum magnum, qui contempta Philopatoris ignauia, eo quòd deperiret Agathocleam Psaltrium, fratrémque eius, & ipsum Agathoclem haberet concubinum, quem postea Ægypti ducem constituit, incredibilem de superioribus locis Babylonis exercitum congregauit. Et Philopatore mortuo aduersùs filium eius, qui tunc erat quatuor annorum, & vocabatur Ptolomæus Epiphanes, rupto fœdere mouit exercitum.* Hæc Hieronymus sumpsisse videtur ex Iustino, qui lib. 30. inertiam Philopatoris, voluptatis studium in omne genus intemperantiæ proiectum, ex quo stupor nascitur, & publicæ salutis obliuio, latè describit, & eleganter, vnde tu pete. Sed in eo prudens fuit, quia cùm quadriennem, vt Hieronymus putat, seu, vt prodit Iustinus, quinquennem filium reliquisset, extremis precibus illum Romani populi fidei, atque tutelæ credidit.

Contra Ptolomæū Epiphanem intestina bella.

44. Vers. 14. *Et in temporibus illis multi consurgent aduersùs Regem Austri.*] Sub extrema tempora Philopatoris, & ineunte regnum Ptolomæo Epiphane, quem quadriennem esse diximus; quo tempore pater excessit è viuis, non solùm ab externo hoste, sed etiam domesticis, atque intestinis seditionibus res Ægyptia vndecumque turbabatur. Neque enim Ægyptij ferre poterant imperium Agathoclis concubini, quem Rex prouinciæ præposuerat: & Antiochus ad oppugnandam Ptolomæi Epiphanis infantiam ad Babylonicas vires, externa etiam auxilia comparabat. Hæc Hieronymus ex Iustino, *Tantæ dissolutionis, & superbiæ Agathocles fuit, vt subdita prius Ægypto prouinciæ rebellarent, ipsaque Ægyptus seditionibus vexaretur. Philippus quoque Rex Macedonum, & Magnus Antiochus pace facta, aduersùs Agathoclem, & Ptolomæum Epiphanem dimicarunt, sub ea conditione, vt proximas ciuitates suo regno singuli de regno Ptolomæi iungerent. Et hoc est, quod nunc dicitur, multos consurgere aduersùs Regem Austri.* Lege plura apud Iustinum lib. 31.

45. *Filij quoque præuaricatorum populi tui extollentur, vt impleant visionem, & corruent.*] Hinc apparet, cur de hoc Syrorum, atque Ægyptiorum conflictu vario tam multa fuerint ab Angelo prædicta: quia nempe aliquid ex his temporibus continenti penè dimicatione turbidis ad Iudæorum siue commoditates, siue detrimenta deriuatum est. De Philadelphi, siue bello, siue otio iam vidimus quàm fuerit in Iudaicum genus liberalis; quámque illius pater Lagi filius eandem Gentem fraudulenter inuaserit, quam tractarit inclementer. Euergetes, vt Iosephus libro secundo contra Apionem tradit, immolauit in Solymitano templo victimas, & templum ipsum variis locupletauit ornamentis. Quid religionis specie fecerit in templo Philopator, vt vrbem totam Solymitanam consilio impio, & conatu scelerato turbauerit, habes libro tertio Machabæorum, capite primo. Nunc iam aliquid maius de re Iudaica Ægyptiis rationibus implicata prædicitur ab Angelo. Neque enim, vt antea, Iudæi inter Syros, Ægyptiósque medij, illorum exitus spectabant; sed in varias partes hinc inde dissecti variam etiam fortunam subierunt. Id videtur hoc loco significatum ab Angelo, qui, ex populo Iudaico quosdam dicit fore præuaricatores, qui elati animo planè temerario, atque audaci religionis specie, quasi velint implere, quæ Prophetarum oracula prædixissent, aliquid tentabunt, propter quod aut ipsi duriùs afficiantur; aut certè quod diu stare non poterit.

Ægyptij Reges variè in Iudæos animati.

Quid verò illud sit affert Hieronymus sumptum opinor ex Iosepho libro septimo de bello, capite 30. & libro 13. Antiquitatum, capite sexto; *Pugnantibus*, inquit, *contra se Magno Antiocho, & ducibus Ptolomæi, in medio Iudæa posita in contraria studia scindebatur, aliis Antiocho; aliis Ptolomæo fauentibus. Denique Onias sacerdos assumptis Iudæorum plurimis fugit in Ægyptum, & à Ptolomæo honorificè susceptus, suscepit eam regionem, quæ Heliopoleos vocatur, & concedente Rege templum extruxit in Ægypto simile templo Iudæorum, quod permansit vsque ad Imperium Vespasiani annis ducentis quinquaginta. Ipsa autem vrbs, quæ vocabatur Onia dimicantibus postea Iudæis aduersùs Romanos, ad solum vsque deleta est, vt neque vrbis, neque templi vllum restaret vestigium. Sub occasione ergo Oniæ Pontificis infinita agmina Iudæorum in Ægyptum confugerunt: asserebat enim Onias se vaticinium implere Isaiæ scribentis in capite decimonono: Erit altare Domini in Aegypto, & titulus Domini in terminis eius. Et hoc est quod nunc dicit Daniel, filij præuaricatorum populi tui, scilicet qui dereliquerunt legem Domini volentes in alio loco præterquam iussum erat, victimas Deo immolare. Extollentur in superbiam, & visionem, hoc est Domini præceptum se implere iactabunt. Sed corruent, templum, & dux postea destruentur. Cùmque Antiochus teneret Iudæam, missus Scopas Aetoli filius dux Ptolomæi partium aduersùs Antiochum fortiter dimicauit, cepitque Iudæam, & Optimates Ptolomæi partium secum abducens in Aegyptum reuersus est.* Hæc Hieronymus. Vide plura hac de re apud Ioseph. lib. 13. Ant. c. 6. & lib. 7. de bel. c. 30. Neque credo ad huius loci explicationem aliquid aliud esse necessarium. 46.

Iudæi templum in Ægypto ædificant, & eò multi commeant.

Vers. 15. *Et veniet Rex Aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet vrbes munitissimas, & brachia Austri non sustinebunt.*] Hunc etiam locum ex antiquorum scriptis, quæ nobis exciderunt, explicuit Hieronymus. *Antiochus*, inquit, *magnus volens Iudæam, & Syriæ vrbes plurimas priori bello à se amissas recuperare, maximo cum exercitu venit in eam regionem, & Scopam ducem Ptolomæi iuxta fontes Iorda-* 47.

nis,

nis, vbi nunc Paneas condita est, inito certamine fugauit, & cùm decem millibus armatorum obsedit clausum in Sidone. Ob quem liberandum misit Ptolomæus duces inclytos Europum, & Menoclem, & Damaxenum; sed obsidionem soluere non potuit, donec fame superatus Scopas manus dedit, & cum sociis nudus dimissus est. Quod autem hic dicitur, comportabit aggerem, significat præsidium Scopæ in arce Hierosolymorum admittentibus, & iuuantibus Iudæis, multo tempore fuisse ab Antiocho oppugnatum, captúmque simul cum aliis vrbibus, quæ prius à Ptolomæi partibus tenebantur. Quæ Iosephus, à quo videtur accepisse Hieronymus, latiùs explicat lib.12.Antiq.cap.3. vbi docet, quomodo Magnus Antiochus sibi Iudæam subiugârit; eadémque erepta fuerit ab Scopa Ptolomæi duce, & ab illo ibidem relictum præsidium, quod etiam Iudæorum auxilio recepit Antiochus. In cuius rei fidem Iosephus ipse Polybij aduocat testimonium. Hæc verò omnia dicta fuerant priùs ab Angelo. Comportauit enim Antiochus aggerem, vt obsideret priùs Scopam, qui se fuga in Sidonem receperat, vbi cogente fame manus dedit; deinde quos in præsidio reliquerat Hierosolymæ; cepit vrbes munitissimas, eas nempe quas in Iudæa, & Syria Scopas ante sustulerat. Neque brachia Austri sustinuerunt, nempe Scopas, & tres illi duces, de quibus suprà Hieronymus, quia hi omnes ab Antiocho superati sunt.

48. Vers.16. *Et stabit in terra inclyta, & consumetur in manu eius.*] Cùm nullus Antiochi potentiam sustinere possit, domitis, aut recuperatis Syriæ ciuitatibus, stabit victor in terra inclyta, id est, in Iudæa, seu ciuitate sancta Ierusalem. Cùm alias ciuitates, atque prouincias subiugârit; dicitur tamen stetisse in Iudæa, siue Ierusalem, quia illius prouinciæ, ac ciuitatis gratia institutus est ab Angelo tam longum de Ægyptiis, ac Syriis vaticinium. Vocatur autem illa terra inclyta tum propter vbertatem, à qua dicitur riuos habere lactis, & mellis, cuius causa vocatur sæpè terra desiderabilis; tum quia electa à Deo, & assiduis cumulata beneficiis, maximè propter templum, quod Dominus suum sibi domicilium esse voluit.

49. *Et consumetur in manu eius.*] Heb. וכלה *vecalah.* Interpretum plerique sic exponunt, vt terram promissionis, siue Hierosolymam sic accepturus sit Antiochus hostiliter, vt illam consumat; aut certè grauiter affligat, quod hyperbolicè per verbum *consumetur* explicatur. Sanè verbum Hebraicè כלה, ambiguæ significationis est, sicut verbum Latinum *consumo*, quod modò absoluere, seu perficere, in meliorem partem; modò cõsumere, & ad nihilum redigere significat: quomodo dicimus, absoluere opus, aut illi postremã manum imponere: aut in peiorem partem opus destruere, ita vt ex eo nihil reliquum sit. Ego id probo maximè, quod hoc loco videtur magis placuisse Hieronymo, cõsummatam operis perfectionem significare; non extremum exitium. Quod ideo mihi persuadeo, quia nihil ab Antiocho in Iudæorũ populũ hostile video, immò potiùs illum amanter amplexus est, & liberali manu, cùm ipsi non inutilem operam in recuperanda Syria, atque Iudæa nauauerunt. Cuius rei gratia omnia & pollicitus est prolixè, & cumu-

Antiochus magnus Ierusalem, & templum exornat.

50. latè præstitit. Extat apud Iosephum lib.12.cap.3. epistola illius ad Ptolomæum, in qua commendat Iudæorum merita, & docet quid ab ipso beneuolentiæ, atque officiorum ergò concessum sit: vbi enumerat immunitatem à quibusdam tributis; & pro templo, quæcumque ad illius cultum, & religionem necessaria sunt, & alia plurima, quæ facile cuiuis in illa legere promptum est. Et inter alia plura, ait: *Ac primùm decreuimus pietatis ergò præberi eis in pretium pecudum mactandarum, vini, olei, thuris argenteorum viginti millia: & ad similam secundùm prouincialem legem tritici medimnos mille, quadringentos, sexaginta: & salis medimnos trecentos, septuaginta quinque. Volóque vt hæc eis præbeantur, ita vt mandaui: & quod deest templo absoluatur, siue porticus, siue quid aliud ædificari opus fuerit*, &c. Deinde refert eodem capite regium edictum, quo grauissimè loquitur de Iudæorum meritis; & illorum commodis, ac religioni accuratissimè prouidet. Hæc sanè non sunt eius, qui res alicuius dissoluere, ac perdere; sed eius qui ornare, ac stabilire studeat.

Vers.17. *Et ponet faciem suam, vt veniat ad tenendum vniuersum regnum eius.*] 51.
Non satis habebit Antiochus ablatas parenti suo prouincias suo rursus imperio subiugasse; sed eò etiam adiiciet animũ, vt de vniuerso regno Ptolomæum depellat, quod tunc demum consequi se sperat, si ad vires, & arma calliditatem quoque, & solertiam adiungat: & ideo subditur,

Et recta faciet cum eo.] Id est, fœdus percutiet, 52.
quod licèt rectum videatur, & sanctum; at erit doli, atque perfidiæ plenum: eò enim spectabit, vt nouum Regem incautum opprimat, & ad paternum regnum, Ægyptiam quoque maiestatem traducat. Dicitur autem Antiochus facturus esse recta, quia licèt vbi fraus est, & dolus, rectum aliquid, & iustum esse non possit; tamen quia fœdus sanctè fieri, atque legitimè assolet, aut saltem fieri debet, recta dicitur facturus Antiochus. Sicut in Ecclesiæ incunabulis omnes Christiani dicebantur *sancti*; quia id exigebat Euangelij puritas: & candidati *boni*, quia nemo ambire magistratum honestè poterat, nisi illum explorata vitæ probitas commendaret.

REGVLA. *Talia dicuntur esse aliqua, qualia esse debent.*

Et filiam fœminarum dabit ei, vt euertat illum.] 53.
Sicut suprà Ptolomæus Philadelphus Berenicem filiam nuptui dedit Antiocho Theo, quæ nexus esset inter duos illos Principes amicitiæ, & pacis: sic etiam Antiochus quo significaret sibi cum Ptolomæo perpetuum fore sociale fœdus, filiam suam cum illo coniugali nexu sociauit; longè tamen dissimili consilio, vt per filiam, quam suis studiis obsecuturam putabat, aditum sibi ad alienum regnum aperiret. Quomodo Saul 1.Reg. cap.18. filiam suam despondit Dauidi, vt illius opera incautum opprimeret; aut propter illam vitæ subiret non dubium periculum. *Dixitque Saul, dabo eam* (filiam) *illi vt sit ei in scandalum: & sit super eum manus Philisthinorum.* Ita hoc loco Hieronymus. *Volens*, inquit, *Antiochus non tantùm Syriam, & Ciliciam, & Liciam, & alias prouincias, quæ Ptolomæi fuerant partium, possidere; sed in Ægyptum quoque regnum suum extendere, filiam suam Cleopatram per Euclam Rhodium septimo anno regni adolescentis despondit Ptolomæo, & tertiodecimo anno tradidit data ei dotis nomine Cœlosyria, & Iudæa.* Hæc eadem Iosephus lib.12. cap.3. vbi nihil de dolo Antiochi. Appianus aliam adducit causam, cur interposito connubij vinculo sociale fœdus inire Antiochus cum Ptolomæo voluerit. Cùm enim contra se à Romanis parari bellum non obscuris indiciis intelligeret, affinitatibus sibi Reges finitimos conciliare studuit:

Cleopatra Ptolomæo nubit.

Antiochus filiarũ connubiis aliorum Regum amicitiam conciliat.

& Ptolomæo quidem in Ægyptum misit Cleopatram filiam suam cognomine Syriam, gratis inferiorem Syriã illi offerens, quam ipse Ptolomæo patri eius olim ademerat. Hæc Appianus. Aut fortasse eo consilio fecit, vt aliquid sibi gratiæ apud Romanos mereretur:nam extremis precibus, vt paulo antè dicebamus, moriturus Philopator quadriennem filium, cuius ætatem ludibrio,atque iniuriæ propositam videbat, Romanæ fidei,atque tutelæ commendauit.Romani autem cùm oppugnari pupillum viderẽt ab Antiocho illi edixerunt, vt ab illo quamprimum manus abstineret. Ita Iustinus lib.30. & Appianus in Syriacis.Nullo autem modo melius probare posse Romanis videbatur, nihil se hostile contra pupillum meditari, quàm si data in matrimonium filia, noua inter illos affinitas intercederet.

Filia fœminarũ quid.

54. Hæc porrò Cleopatra *filia fœminarum* vocatur, qui dicendi modus, quia minus vsitatus, aliquid nos in eo inuestigare iubet. Hieronymus nihil hîc aliud esse putat,quàm pleonasmũ, per quem aliquid sępe in oratione redundat:quale est illud Virgilianum, *sic ore locuta est*, & illud,*vocémque his auribus hausi.* Ego in Scriptura nihil otiosum esse puto, nihil redundans:nam si quid videtur ad orationis sensum nõ esse necessarium;est tamen maximè ad affectum animi explicandum,vt pluribus ostendimus in nostris commentariis in Cantica ad illud cap.1. *Osculetur me osculo oris sui.* Ego hîc comparationem esse puto,& *filiam fœminarum* nihil esse aliud, quàm pulcherrimam, seu præstantissimam filiarum Antiochi. Quasi dicat Angelus,Regi Ptolomæo fœminarum omnium, quas ex vxore suscepit, id est, filiarum præstantissimam nuptui dabit Antiochus:aut ex fœminis vnam,id est,vnam ex filiarum numero.Dedit autem vicinis aliis Regibus alias filias, quibus studia sibi Regum vicinorum conciliaret.Ita Appianus suprà. Vt enim Cleopatram Ptolomæo; sic alteram filiam cognomine Antiochiam Ariarathi Cappadocum Regi; tertiam Eumeni Pergamo imperanti dare instituit, quam ille tamen bellum cum Romanis futurum prouidens vxorem renuit. Hæc Appianus.

55. *Et non stabit,nec illius erit.*] Non tamen, inquit hîc Hieronymus,ex antiquis, opinor, scriptoribus stetit, aut exitum habuit veteratoriũ,& fallax Antiochi consilium. *Quia Ptolomæus Epiphanes, & duces eius sentientes dolum cautiùs se gesserunt: & Cleopatra magis viri partes, quàm parentis fouit.* Illud, *neque illius erit*, referri potest ad regnum Ægypti,cuius nũquam compos erit Antiochus: vel ad Cleopatram, quæ non tam erit Antiochi filia,quàm vxor Ptolomæi, quæ postquam connubij lege in alienam migrauit familiam, oblita populi sui,atque paternæ domus sic adhæsit viro,vt pro illo steterit contra parentem. In hanc ego partem cum Hieronymo potiùs inclino.

56. Vers.18. *Et conuertet faciem suam ad insulas, & capiet multas.*] Cùm suum sibi consilium inane excidisse cognouisset Antiochus, & spes omnis obtinendi Ægyptum esset ablata,aliam iniit rationem & illustrandi nominis, & regni amplificandi. Quare instructo quàm maximo apparatu nauali, animos, & vires ad occupandas vicinas Insulas adiecit. Ex quibus, vt docet hoc loco Hieronymus, Rhodium cepit,Samum,& Colophonẽ, & Phocæam cum aliis pluribus:& Græciæ ciuitates plurimas armis debellatas suæ sibi ditioni subiecit. Qua de re fusiùs Appianus in Syriaco. Liuius lib.38. Plutarchus in Scipione: ex quibus, qui plura volet nosse de Antiocho, promptum est videre:nobis verò pro nostro instituto satis sit hæc strictim attigisse.

57. *Et cessare faciet Principem opprobrij sui.*] Locus hic in varias patet explicationes,& variè ab auctoribus accipitur. Ex his vnam, & alteram attingam,quæ minus mihi videtur aberrare à scopo. Tres hîc ego personas intueor, ad quas opprobrium istud referri potest;Ptolomæum Epiphanem, cuius ætati infantili illudere, & affinitatis specie insidias quàm occultissimas molitus est Antiochus:& Antiochum ipsum, aut parentem Seleucum,quia à Ptolomæo Euergete, & deinde à Philopatro ignominiosè victi, & magna regni parte spoliati sunt: aut denique Romanum populum,cuius auctoritatem despexisse Antiochus visus, cùm à pupillo eius fidei,atque tutelæ credito regnum eripere conatus est; & fœderatas aliquot ciuitates, & insulas in suam sibi potestatem redegit.

58. De Ptolomæo intelligit Hugo, quem oppugnare non potuit Antiochus, quia insidiæ detectæ sunt;& populi Romani interposita fides, & auctoritas: quare conuersus ad alia cessare fecit Ptolomæum à metu,& ab opprobrio, quod sustineret, si à paterni regni possessione caderet. Si in Principe,qui passus est opprobrium,intelligas Antiochum ipsum, & eius parentem Seleucum, qui variis temporibus accepta magna clade,non exiguã regni sui partem amiserunt; cessare faciet Principem ab opprobrio, aut opprobrium Principis, quia plus accidet incrementi, ac gloriæ,nouis Insulis,ac ciuitatibus adiunctis, quam olim ignominiæ cum ab antiquo, regno Syriæ,atque Iudæa decederet.Si de Romanis intelligas, accepisse illi opprobrium, & iniuriam videntur ab Antiocho,cùm illorum legati inurbanè ab illo, atque superbè repulsi sunt, vt Appianus docet,& Iustinus;ille in Syriacis; hic lib. 31. & captis ciuitatibus, atque insulis, quæ fœderatæ essent cum Romano populo,aut illius fidei, atque tutelæ creditæ. Hic igitur populus magnarum prouinciarum Dominus cessauit ab illo opprobrio, quando victo Antiocho ciuitates, atque insulas ad suum statum reuocauit, & captiuos Romanos, quos apud se retinebat Antiochus,quorum sanè numerus exiguus nõ erat, suo ordini,ac libertati restituit. Ex tribus hisce sententiis, cùm nulla mihi omnino satisfaciat; minùs tamen displicet hæc postrema,cui valde fauet,quod proximè succedit.

59. *Et opprobrium eius conuertetur in eum.*] Victus à Scipione Antiochus opprobriũ subiit,quo Romanos affecerat,ignominiosè fugatus,& illa relinquere compulsus,quæ ab aliis acceperat; immò spoliatus multis, quæ hæreditariò à maioribus obuenerant. Quo autem conditionibus staret,quas pro pacis,ac libertatis beneficio subierat,impositáque tributa sine vlla fraude,ac cunctatione dependeret, filium suum Antiochum cognomento Epiphanem,seu illustrem obsidem tradidit, vt refert Appianus in Syriacis, Iustinus lib.34.Liuius lib.44.&, quod maioris fidei momentum habet,liber 1.Machab.cap.1. *Exiit ex eis radix peccatrix Antiochus illustris filius Antiochi Regis, qui fuerat Romæ obses.* Quod autem Syriæ Reges ex pacto cum Antiocho tributa quotannis Romanis pęnsitarent,docet Liuius lib.38. Iustinus lib.31. Appianus in Syriacis, Eusebius in chronico,& docet liber Machab.2.c.8. *Constituit,* inquit,

Antiochus Romanus tributarius.

inquit, *Nicanor, ut Regi Antiocho Epiphani tributum, quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum de captiuitate Iudæorum suppleret.*

60. Verſ.19. *Conuertet faciem ſuam ad imperium terræ ſuæ, & impinget, & corruet.*] Extremam adhibet cataſtrophem Antiochus tãti modo imperij dominus. *Victus enim à Romanis,* ut ait Hieronymus, *intra Taurum regnare iuſſus eſt. Et inde fugit ad Apameam, & Suſam, & ultimas regni ſui penetrauit urbes. Cùmque aduersùs Elimæos pugnaret, cum omni eſt deletus exercitu.* Paulo aliter Iuſtinus lib.32. & Strabo lib. 16. omnes tamen genus mortis eiuſmodi eſſe tradunt, ut verè dici poſſit impegiſſe, ac corruiſſe; & locum eius inuentum non eſſe.

61. Verſ.20. *Et ſtabit in loco eius viliſſimus, & indignus decore regio.*] Duos reliquit Antiochus Magnus, de quo proximè: alterum ignobilem ignauum, qui longè aberat, ut regium nomen ſuſtinere, ac publicas curas adminiſtrare poſſet, qui Seleucus Philopator cognominatus eſt: alterum Antiochum Epiphanem, de quo ſtatim multus ſermo, qui cum aliquandiu paternæ fidei apud Romanos obſes fuiſſet; pòſt verò paterno regno potitus, cóque noua prouinciarum acceſſione amplificato, rem Iudaicam turbauit, atque afflixit vehementer. Appellat autem Propheta Seleucum illum Philopatorem viliſſimum, *quia nihil dignum,* inquit Hieronymus, *Syriæ, & patris geſſit imperio: & abſque ullis præliis inglorius periit.* Septuaginta ſic vertunt, *Et ſtabit de radice eius plantatio percutiens dignitatem imperij.* id eſt, qui moribus regio nomine indignis imperij maieſtatem pudefaciet, aut minuet. Heb. *qui auferet exactorem, gloria regni,* id eſt, qui pecuniam non coget per tributorum exactores, quæ bellorum nerui, ac dominæ ſunt. Ac ſi dicas, non erit aut honoris appetens, aut rei bellicæ ſtudioſus; atque ideo de colligenda pecunia ſollicitus non erit. Alij fortaſſe meliùs vocem Hebraicam מעביר *maabir,* non *auferre,* ſed *transferre,* aut *tranſire facere* interpretantur, quaſi exactores pecuniarum homo auarus per regiones ſibi ſubiectas dimiſerit. Quæ explicatio, ſi Hebraici textus habenda ratio eſt, non diſplicet: & hoc modo Pagninus, & Tigurina conuertunt.

62. *Et in paucis diebus conteretur, non in furore, neque in prælio.*] Honeſta exiſtimatur mors illa, quam viri ſtrenui, ac nobiles oppetunt dimicando, maximè ſi pro communi cauſa ſuſceptum eſt bellum; quam non obibit Seleucus iſte imbellis, & ignauus, ſed quam ſubeunt aut timidæ mulieres, aut qui luxui, ac voluptati nati eſſe videntur. De quo ſic Appianus in Syriacis. *Deceſſit Antiochus Magnus, cum regnum tenuiſſet triginta ſeptem annos, relictis duobus filiis, quorum natu maior Seleucus annos duodecim, exiliter tamen, & infirmè ob paternam cladem regno præfuit; & ex inſidiis Heliodori cuiuſdam ex ſuis incautè occiſus eſt. Heliodorum porrò regnum ſuſcipere conantem Eumenes, & Attalus Reges vi pepulere, Antiocho Epiphane in Regem ſubſtituto.*

63. *Et ſtabit in loco eius deſpectus: & non tribuetur ei honor regius.*] Hinc iam præcipuam huius vaticinij partem ingredimur, de qua plus nobis à Scriptura ſacra lucis eſt. Agendum eſt enim de Antiocho Epiphane, ſeu illuſtri, qui non minori ſtudio, atque ideo pluſquam hoſtili rem tentauit, aut turbauit Iudaicam, quàm qui maximè uſpiam in illam non ſolùm animos, ſed lacertos armarunt. Licèt enim, quia potentia defuit aut mors cogitationes doli, atque odij plenas interuertit, minus quàm Romani, aut Ba-

A bylonij nocuerit; animus tamen peiora, ac duriora utiens appetebat. De quo multa in Machabæorum libris, ex quibus obſcurum hoc vaticinium non parum illuſtrabitur.

Sed antequam explicare literam aggredior, obſeruo Antiochum hunc tam in vitæ modo atque inſtituto, quàm in odio contra Iudæos, illorúmque religionem, ac templum viuum eſſe typum Antichriſti: ſicut apud Ezechielem in noſtris commentariis diximus ad cap. 38. & 39. de Gog, & Magog, in quorum altero Antiochum Epiphanem, in altero Syriam, in qua dominabatur, ſignificari putabamus. Quare è Patribus multi, quod hinc ad finem uſque capitis B reliquum eſt, ad Antichriſtum pertinere putant. Ego quia Antiochum hìc propriè, & Antichriſtum tantùm figuratè, atque in umbra video, cum Hieronymo, Theodoreto, S.Thoma, & omnibus penè interpretibus, quòd in Antiocho ſeſe, quod pertineat ad Antichriſtum, efferet, illud ſtrictim attingam. 64. *Antiochus Antichriſti typus.*

Verſ.21. *Et ſtabit in loco eius deſpectus.*] Deſpectus ab Antiocho parente videri potuit Antiochus hic Epiphanes; quandoquidem Seleucum filium in regno Syriæ ſucceſſorem reliquit, & ipſum liberandæ fidei Romanis obligatæ obſidem tradidit, qui ſtatus non longè abeſt à conditione captiui. Deſpectus præterea dici potuit, C quia cùm defuncto fratre in Syriam rediit, non eſt ad regiam dignitatem admiſſus; neque illam obtinuiſſet, niſi aſtu, ac dolo aditum ſibi aperuiſſet. Id enim eſt, quod dicit Angelus, honorem regium illi non eſſe tribuendum, nempe à patre, aut ab illis, qui defuncti fratris filium in regio ſolio, ac nomine conſeruare ſtudebant. 65. *Antiochus quomodo deſpectus.*

Deſpectum quoque fuiſſe Antichriſtum, & nulla natalium commendatione nobilem, docent communiter Patres; putántque ex illegitimo, atque impuro concubitu fore naſciturum: &, ut in hoc etiam cum Antiocho conueniat, naſcetur Babylone; aut, quod idem D eſſe arbitror, in Syria, in qua Babylon eſt, ut docet Lactantius lib. 7. cap. 17. neque aliter ad regnum aſpirabit, quàm per fraudes, & artes veteratorias, inſpirante, atque fauente diabolo. 66. *Antichriſtus deſpectus.*

Et veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.] Seleucus, cùm primùm regnum iniit, uſque adeò in fratrem Antiochum officioſus fuit, ut euocaret illum Roma, ubi obſes fuerat; & eius loco Demetrium filium obſidem ſuffecerit, ut tradit Appianus in Syriacis. Cùm autem eo tẽpore è viuis exceſſiſſet Seleucus, Demetriúſque filius obſes Romæ maneret, oblatam occaſionem occupandi regnum perire noluit Antiochus: quare artificio quodam ad alienum re- E gnum aſpirauit, ac tandem, quod optabat, conſecutus eſt. Qua tamen calliditate regnum obtinuerit, quam hìc Angelus fraudulentiam appellat, docet hìc Hieronymus. *Stabit loco Seleuci frater eius Antiochus Epiphanes; cui primùm ab his, qui in Syria Ptolomæo fauebant, non dabatur honor regius: ſed poſtea ſimulatione clementiæ obtinuit regnum Syriæ.* Clementia verò illa ſimulatio fuit, quia videri voluit pupilli tutor, & pro illo, & illius nomine rem adminiſtrare Syriacam. Deinde ex Suctorio antiquo Scriptore ſubdit, *Cùm ipſe obtuliſſet pacem Ptolomæo, & fuiſſet dux fœderis; poſtea eſt ei molitus inſidias. Ptolomæus autem hic non Epiphanem ſignificat, qui quintus regnauit in Ægypto; ſed* 67. *Qua fraude Antiochus regnum occuparit.*

Ptolomæum Philometorem filium Cleopatræ sororis Antiochi, cuius hic auunculus fuit. Et cùm post mortem Cleopatræ Eulaius Eunuchus nutritius Philometoris,& Lenæus Ægyptum regerent; & repeterent Syriam quam Antiochus fraude occupauerat, ortum est inter auunculum, & Ptolomæum prælium. Cúmque inter Pelusium, montem Casium commisissent, victi sunt duces Ptolomæi. Porrò Antiochus parcens puero, & amicitias simulans ascendit Memphim,& ibi ex more Ægypti regnum accipiens, puerique rebus se prouidere dicens, cum modico populo omnem Ægyptum subiugauit sibi, & abundantes,atque vberrimas ingressus est ciuitates. Et tam callidus fuit,vt prudentes cogitationes eorum,qui duces pueri fuerant,sua fraude subuerteret. Hæc Suctorius,& ex eo Hieronymus.

68. Vers.22. *Et brachia pugnantium expugnabuntur.*] Brachia dicuntur exercitus illi, quibus duo Ptolomæi, & Demetrij duces Eulenus, & Lenæus præerant,qui inter Pelusium, & Casium ab Antiocho superati sunt, vt nuper ex Suctorio, atque Hieronymo vidimus.

69. *Insuper & dux fœderis.*] Hieronymus ducem fœderis Iudam Machabæum esse putat; sed deinde eò magis propendet, vt Ptolomæum Philometorem esse credat, qui auctor esse videbatur inter Antiochum, & Demetrium societatis, & pacis componendæ. Cùm enim non tantùm Syriæ,sed etiam Ægypti imperium ambiret, non Demetrio solùm; sed etiam Ptolomæo exitium moliebatur. De bello in Ægyptum ab Antiocho comparato, quidve contra Ægypti Regem molitus fuerit, vide Iosephum lib.11.cap.6.& lib.2. Mach. cap.4. v.21.22. & lib.1. cap.1.v.15. *Intrauit in Ægyptum in multitudine graui, in curribus, & elephantis, & equitibus,& copiosa nauium multitudine, & constituit bellum aduersus Ptolomæum Regem Ægypti. Et veritus est Ptolomæus à facie eius, & fugit, & ceciderunt vulnerati multi.* Vide de his Antiochi consiliis, & de re Syriaca, atque Ægyptia Liuium à libro 44.

70. Vers.24. *Et abundantes, & vberes vrbes ingredietur, & faciet quod non fecerunt Patres eius.*] Hæc habes ex lib.1.Machab.cap.1. vt modò vidimus; additur ibidem, *Et comprehendit ciuitates munitas in terra Ægypti: & accepit spolia terræ Ægypti.* Talia verò dicitur ea profectione Antiochus fecisse, qualia pater, ac maiores ipsius, qui sæpe Ægyptum bello tentarunt, aut non potuerunt, aut non sunt ausi.

71. *Et hoc vsque ad tempus.*] Ita Ægyptum Antiochus populatus est, vt tamen Ægyptum regnum non occupauerit; quia fortasse non sic erat aut domesticis viribus, aut auxiliaribus copiis instructus, maximè post varios cum hoste congressus, in quibus diminutum, ac debilitatum exercitum oportuit, vt faciles sibi, & ex voto exitus promitteret. Cogitationes ergo suas ad tempus maturum, & opportunũ magis reseruabit: aut, quod Maldonato visum est,consilia inuadendi, atque capiendi Ægyptum premet apud se tacitus; neque illa prodet, donec adsit belli suscipiendi maturitas.

72. Vers.25. *Et concitabitur fortitudo eius, & cor eius contra Regem Austri in exercitu magno.*] Hactenus bellum susceptũ videbatur cum Ptolomæo Philometore Demetrij causa, quem cùm oppugnaret Antiochus, & de Syriæ possessione pellere statuisset, illius se consiliis Ptolomæus obiecerat. Nunc iam aliquid aggreditur audacius: neque enim satis habet Regem esse Syriæ, nisi ad paternum imperium Ægypti quoque regni fie-

A ret accessio. Et hoc est quod hîc prædicit Angelus; quod reipsa completum est, vt constat ex lib.2. Machab. cap.5. *Eodem, inquit, tempore Antiochus secundam profectionem parauit in Ægyptum.* Sed non credo expeditionem hanc,de qua modò Angelus, esse illam de qua hoc Machabæorum loco; sed de priori, quando adhuc agebatur causa Demetrij: quod putat Hieronymus, & cum eo Maldonatus, Pereira, Hugo,& alij plures. Et videtur non obscurè colligi posse ex ipso textu, quia posterior expeditio non successit pro votis Antiochi, vt vers. 29. liquet: hæc verò sic peracta est feliciter, vt nihil amplius optare posset Antiochus. Nam, vt statim docet Angelus, clade insigni deletus est Ægyptiorum B exercitus, quem Ptolomæus & Ægptiis viribus, & externis militibus instruxerat. Fuit autem hic secundus, non postremus in Ægyptum appulsus. Primùm enim venit cum exercitu modico, & secum retulit ingentes opes ex Ægypto captis vrbibus opulentis, & lautis vers. 23. Nunc verò, vt cogitationem continuaret antiquam, exercitum copiosum conscripsit, quo superati sunt duces, & res Ægyptia penè deleta vers.25. Tandem rediit tertiò, & successu longè dissimili, ignominiosè re prorsus infecta reuersus est vers.29.

Et non stabit, quia inibunt aduersùs eum consilia.] 73.
Licèt magnas Ægyptius copias coëgerit; non tamen stare contra Antiochum poterit: tum C quia Antiochi maior ad bellum apparatus: tum quia, qui Ptolomæo aderant, quique regio alebantur cibo, Domino suo fraudi fuerunt,& Regem adhuc puerum, neque dum ingenio ad rem administrandam firmato, cum regno prodiderunt Antiocho: qui sanè cum regno captus fuisset, nisi ad fratrem, qui tunc erat Alexandriæ, maturè se fuga corripuisset. Quinam fuerint illi, qui contra Regem, dominúmque suum consilium inierint fraudulentum, incertum est,cùm nihil habeamus ab vlla Scriptura siue prophana,siue sacra, quod sequamur. Fortasse illi sunt, qui Optimates dicuntur Ptolomæi 2. Machab. cap.4. v.21. ad quos missus est Antiochi legatus Apollonius Mnestæi filius, qui donis,aut dolo à D fide, quam Regi suo integram præstare debuerunt, ad Antiochi partes, & studia traduxit:sed hæc diuinando potius,quàm vlla probabili coniectura suadente dicuntur. Hieronymus hunc qui Ptolomæi comedit panem, & contra illius vitam, atque imperium clandestinum cogitat consilium, Antiochum esse putat, qui cùm Ægyptum esset fraudulenter ingressus, quasi sororis filio in administrando regno fidelem esset nauaturus operam: essétque ab illo sæpius aduocatus ad mensam; tunc tamen & regni præsidia corrumpebat, & tacitas Regi, ac regno moliebatur insidias. Sed sanè,si quis attentè ista consideret, facile intelliget eos, qui hîc dicuntur E *comedentes panem* esse omnino diuersos ab Antiocho. Redduntur namque causæ cur tam citò Rex Austri victus fuerit,& in fugam datus;quòd nempe ab exercitu valido oppugnatus fuerit; & quia domestici, quos sibi fideles fore existimabat, quibúsque & regnum, & seipsum gubernandum tradiderat,ad Antiochi castra, siue studia perfidiosè transfugerunt. Deinde quia *comedentes panem,* non dicuntur illi,qui aliquando officij, aut humanitatis gratia ad mensem adhibentur; sed qui eodem cum alio domicilio viuunt, aut quibus à regia mensa, seu regia liberalitate

ralitate quotidiani præbentur, & quasi legitimi sumptus. Quomodo de seruis, quos regia aluerat munificentia, querebatur Dauid Psal.40. *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.*

74. Vers.27. *Duorum quoque Regum cor erit, vt malè faciant, & ad mensam vnam mendacium loquentur, & non proficient.*] Nullam hîc historiam inuenit Hieronymus, cùm tamen plurimos legerit historicos, qui ad manus nostras non peruenere; suspicatur tamen hos duos Reges esse Antiochum auunculum, & Ptolomæum Cleopatræ sororis filium, qui cùm aliquandiu eidem accubuissent mensæ, & alter alteri amicitiæ speciem præberet; alter tamen alterius aut vitæ, aut commodis insidias moliebatur: aut certè mendaciis id quod alter in alterum peccauerat, callidè tegebat. Sed meritò hæc sententia non probatur Hieronymo, quia licèt callidus esset, & vafer Antiochus, de quo quiduis eius generis suspicari quis posset; at Ptolomæus non eius erat ætatis aut ingenij, vt meditari aliquid posset fraudulentum, & si quid aliquando cogitasset eiusmodi, non tamen illud nosset aliqua simulatione, aut artificio celare.

75. Ego hîc diuinando suspicabar Antiochū cum aliquo alio Rege, quem habuit sibi in ea cura socium, & adiutorem suum de occupanda Ægypto communicasse consilium. Licet enim nō constat, quis ille Rex fuerit; at fuisse aliquem verisimile est, cùm non tantùm Syriacas vires, sed etiam externas ad Ægypti occupationem inuexerit. Verisimile est fuisse Eumenem Regem Pergami, qui, auctore Appiano in Syriacis, defuncto Seleuco, contra Demetrium eius filium in Syriæ possessionem induxit. Mendacium autem loqui nihil aliud esse arbitror, quàm agere simulate, & cùm mens sit hostilis, aliquid tamen excogitare, quod speciem ostentet studiosi, atque amantis animi. Qui tamen ea calliditate, atque artificio profecerunt nihil, quia tandem Ægyptum nunquam sibi vendicauit Antiochus, vt statim Angelus vers. 30. non obscurè significat. Et hæc cogitatio mihi non improbatur.

76. Alia sese mihi offerebat ratio, quæ neque difficilis, neque aliena videbatur ab historia. Quo tempore superatis ad Pelusium Ptolomæi ducibus victor in Ægyptum intrauit Antiochus, cepitque ciuitates opulentas, & vberes, de quibus nuper, recepit se Ptolomæus ad fratrem suum, quem, vt dicit Iustinus lib. 35. regni sui participem fecit: quare duo tunc Reges Ægyptum obtinebant. Erat autem eo tempore Alexandriæ, ad quam victor Antiochus cùm maximè cuperet aspirare non potuit. Ita Iustinus lib. 35. & Liuius lib.44. Cùm autem duo illi Reges fratres simul essent, communique vterentur mensa, non est incredibile quæsiuisse mendaces aliquas rationes, quibus deceptus Antiochus ab Ægypto descenderet, & captas bello ciuitates restitueret. Sed illæ fallaces cogitationes profecerunt nihil vsque ad aliud tempus, de quo statim, quando nimirum à Romanis compulsus est Antiochus in Syriam redire, & quicquid ab Ægyptiis ademerat relinquere. Omnia hæc sunt incerta, neque in illis mihi satisfacio: verùm in re vsque adeò obscura satis mihi habeo, si aliquid attulisse videar, non improbabile.

77. Vers.28. *Et reuertetur in terram suam cum opibus multis.*] Non erat Antiochus sic instructus ab apparatu militari, vt speraret se posse vniuersam sibi Ægyptum subiugare: quare relicto in ciuitatibus, quas suo sibi imperio subiecerat, militari præsidio; & onustus præda luculentissima in patriam est reuersus, vt nouis confirmatus copiis Ægyptij belli, atque ipsius Ægypti reliquias persequeretur. Quod fecit, vbi satis sibi virium, & idoneam rei gerendæ maturitatem esse conspexit, vt habes statim vers.29.

Et cor eius aduersùm testamentum sanctum.] Media- 78.
m esse diximus Iudæam inter Ægyptum, & Syriam: quare ab his, qui ab vtralibet in alteram regionem essent commigrandum, necessariò regio illa traiicienda fuit. Cùm ergo ex Ægypto victor, & peregrina gaza oneratus in patriam sedem reuerteretur Antiochus, voluit in transcursu videre Hierosolymam, & templum illud, quod toto orbe tam operis maiestas, quàm eximia religio commendabat, quem ciuitas tota sic prosecuta est, vt nihil pene reliquum faceret ad gloriam. De quo lib. 2. Machab. cap.4. *Cùm cognouisset Antiochus alienum se à negotiis regni effectum, propriis vtilitatibus consulens, profectus inde venit Ioppem, & inde Hierosolymam, & magnificè ab Iasone, & ciuitate susceptus cum facularum luminibus & laudibus ingressus est.* Tunc ciuitas, ac templum nihil mali, vt videtur, passa sunt ab Antiocho. Nihilominus, vt præsens hic locus indicat non obscurè, non est animo syncero, ac pio templum Solymitanum ingressus; sed curioso, auaro, atque impio, vt quid ipso ornamentorum, atque opum esset, præsens ipse videret, & ea omnia postea secum aueheret, sicut regiam gazam, & ornamenta omnia ex Ægypto sustulerat: quod reipsa fecit postea multo crudelius, & auarius, quàm in Ægypto priùs. Id verò significasse videtur Angelus, cùm dicit: *Et cor eius aduersus testamentum sanctum*; loquebatur enim de priori hoc appulsu ad Ierusalem. Nam de alio quando cogitata perfecit, id est, postquam à Romanis ignominiosè rediit ab Ægypto, statim loquitur vers. sequenti. Illud verò quod statim additur, *& faciet*, confirmare videtur, quod modò putabamus. Quod enim impia, atque auara mente conceperat, atque animo destinarat, vt templum suis nudaret ornamentis, illud secundo in ciuitatem reditu cumulatissimè compleuit. De quo latè in eo, quod huius capitis reliquum est.

Vers.29. *Statuto tempore reuertetur, & veniet ad* 79.
Austrum; & non erit priori simile nouissimum.] Rediit vt priùs statuerat, nouis auctus copiis in Ægyptum Antiochus, cùm idoneum tempus esse cognouit, vt prouinciam illam parentum suorum adiungeret imperio: sed nouissimus ille progressus longè fuit superioribus dissimilis. Priùs enim non vulgaris consilij, ac fortitudinis gloriam consecutus est, fractis Ægyptij viribus, superatis Ptolomæi ducibus, captis præcipuis illius prouinciæ ciuitatibus, & inde ablatis maximis illius regni diuitiis. At nouissimo post maximos labores, & sumptus non modò nihil eorum, quæ designarat animo, consecutus est; sed etiam quæ priùs in Ægypto sibi compararat amisit. Quo verò modo ista contigerint, statim docet.

Vers.30. *Et venient super eum trieres, & Romani,* 80.
& percutietur, & reuertetur.] Cùm angustè premeretur Ptolomæus ab auunculo, & Ægyptiæ vires, acceptis sæpe detrimentis, essent debilitatæ, confugit ad fratrem, qui tenebat Alexandriam ciuitatum omnium munitissimam, vbi fratrem in regni societatem asciuit. Eò igitur appulit

appulit Antiochus recentes, & numerosas copias, breuíque capturus videbatur regiam illam vrbem, & cum ea totius Ægypti dominatum. Fratres qui tanto, tamque acri hosti non videbantur pares oppositurí vires, ad Romanos, quorum ante fidem contra Antiochum magnũ experta fuerat Ægyptus, Legatos mittunt, qui doceant quo in statu tunc esset res Ægyptia, quid studeat Antiochus, quid timere ab eius potentia, atque solertia possit, nisi ipsi afflictæ, ac proditæ ab auunculo causæ maturè prouideant. Hinc se primùm aperuit Ægyptiis libertatis spes; miserti namque Romani duorum fratrum, quorum ætati infirmæ adhuc, & rudi illuserat Antiochus, legatum miserunt, vt suo nomine illi bellum indiceret, nisi quamprimum à diripienda Ægypto, vexandísque duobus Regibus abstineret. Multi Legationis huius meminerunt, Liuius lib. 44. Appianus in Syriacis, Iosephus lib. 12. cap. 6. Iustinus lib. 35. cuius hîc verba referam, quia paucis, quæ alij persecuti

Romani Ptolomæo contra Antiochum fauent.

81. sunt pluribus, complexus est. *Pulsus, inquit, regno Ptolomæus ab Antiocho, ad fratrem minorem Alexandriam confugit, participatóque cum eo regno, Romam Legatos mittunt, auxilia petunt, fidem societatis implorant. Mouere Senatum preces fratrum: mittitur Legatus Publius Popilius ad Antiochum, qui abstinere eum Ægypto, aut si iam incessisset, excedere iuberet. Cùm in Ægypto eum inuenisset, osculúmque ei Rex obtulisset (nam coluerat inter cæteros Popilium Antiochus, cùm Romæ obses esset) tunc Popilius facessere interim priuatam amicitiam iubet, cùm mandata patriæ intercedant. Prolatóque Senatus decreto, & tradito, cùm Regem cunctari cerneret, & ad amicos referre vellet, ibi Popilius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, vt amicos etiam caperet, consulere iubet, nec priùs inde exiret, quàm responsum Senatui daret; aut pacem, aut bellum, cum Romanis habiturum. Adeoque hæc asperitas animum Regis fregit, vt pariturum se Senatui responderet.* Hoc est, opinor, quod ab Angelo dicitur, *percutietur, & reuertetur.* Nam reuera illa Senatus denunciatione percussus est; & maximè quia ille relinquere iubetur; quæ antè sustulerat, & spem illam abiicere, qua iam Ægypti totius imperium deuorarat.

82. Illud hîc obseruandum; pro Romanis Heb. esse כתים *kitim*: de cuius significatione varia dicunt interpretes. Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 11. Cyprum esse putat; eiusdem sententiæ est Hieronymus in cap. 23. Isaiæ, & cap. 2. Ieremiæ, Epiphanius hæres. 30. Cuius illud apparet vestigium, aliquorum cogitatione non leue; quia in ea insula nobilis dicitur esse ciuitas, nomine Citium, vbi natus est Zeno Stoicæ philosophiæ auctor, & magister. Communiter hæc vox ab interpretibus *Italia* redditur. Numer. 24. *Venient in trieribus de Italia.* Ezech. 27. Dan. 11. Mihi idem hîc videtur, quod etiam placuit in commentariis super Isaiam cap. 2. num. 21. quod item suprà docuit Hieronymus, omnes insulas, quæ à Cypro ad occidentale mare pertinent, ad Gades vsque, ascriptas esse Cethim Iauæ filio, & ab eo nomen accepisse; siue illæ ad mare Libycum, siue Italicum, siue etiam ad Græcum littus pertinerent; & ab illis insulis regiones omnes adiacentes appellari Cethim. Sanè Machab. lib. 1. c. 1. Alexãder egressus esse traditur de terra Cethim, & tamen egressus est de Græcia. Cùm autem Italia ad occidentalem plagam pertineat, alluatúrque ab eo mari, quod Cethæas insulas circumfluit, appellari optimè potuit Cethim.

Cethim quæ regio.

Et indignabitur contra testamentum sanctuarij.] 83. Cùm à Romanis prohibitus esset Antiochus, ne designatam animo prouinciam attingeret, vnde & opimam prædam, & magnum paterni imperij incrementum sperabat, redit indignatus, & mœstus, & quicquid odij conceperat, aut virus acerbitatis, id totum in Iudæam euomuit, quæ iuxta Ægypti, regníque sui fines continebatur. Quam vexauit planè hostili animo, ac modo. Sed præcipuè dicitur in sanctuarij testamentum inuectus; quia religionem Iudæorum oppugnauit acerrimè, & templum præcipua quadam ratione consecratum Deo, immunditiis contaminauit Gentilicis, & ad impiam superstitionem traduxit. De quibus multa in Machab. libris, quorum non pauca hoc loco prædicuntur ab Angelo. Hæc paucis Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 7. *Reuersus, inquit, ab Aegypto, quam metu Romanorum reliquerat Antiochus, ad vrbem Hierosolymitanam monit exercitum. Ingressus autem ad eam sine vllo negotio dominus eius factus est, admissus apertis portis per suæ factionis homines. Quam dominationem crudeliter exercuit, necatis permultis, qui diuersarum erant partium, direptísque pecuniis, & asportatis Antiochiam.* Quid sub id temporis fecerit Antiochus, ita planè, ac dolenter scriptum est lib. 1. Machab. à principio, vt nihil melius, imò nihil amplius ab aliorum scriptis ad huius vaticinij lucem afferri possit. Hunc itaque librum vide, & 2. Machab. cap. 5. & 6. Et ne multis te morer, accipe ex lib. 2. cap. 5. v. 11. specimen quoddam eius stragis, quam Rex impius in Iudæos edidit; & ex eo reliqua coniecta. *Profectus ex Aegypto* (Antiochus) *efferatis animis ciuitatem quidem armis cepit. Iussit ante militibus interficere, nec parcere occursantibus, & per domos ascendentes trucidare. Fiebant ergo cædes iuuenum, seniorum, ac mulierum, & natorum exterminia, virginúmque, ac paruulorum neces. Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti; quadraginta millia vincti; non minus autem venundati.*

Porrò *testamentum sanctuarij* dicitur templum, 84.
quia in illo erat arca testamenti. Vnde præcipua erat eius loci religio; aut quia Deus promiserat in eo populo futurum esse Dei tabernaculum, nec amplius illud esse abiiciendum, aut deserendum ab illo. Leuit. 26. v. 11. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri: & non abiiciet vos vltrà anima mea.* Cùm autem *testamentum* ex Scripturæ vsu *pactum* significet; contra testamentum sanctuarij dici potuit indignatus Antiochus, quia templum illud polluere, atque expilare voluit, propter quod Deus pactum inierat perpetui patrocinij. Quasi dicat, non est veritus Rex sacrilegus bellum suscipere contra testamentum, aut pactum Dei de tuendo populo. Aut fortasse hîc per quandam hypallagem legi posset, *Sanctuarium testamenti,* id est, templum, cui securitatis pactum esset annexum.

Et faciet, reuertetúrque.] Faciet quod designarat 85.
animo; spoliabit, contaminabítque templum; reuertetur in patriam oneratus & sacra gaza, & ciuium opibus.

Et cogitabit aduersùs eos, qui dereliquerunt testamentum Sanctuarij.] Fuerunt quamplurimi, qui 86.
aut Antiochi metu, cuius armis, atque consiliis nihil opponi posse cogitabant; aut certè quia cùm essent ingenio mobili, & parum in suscepta religione constantes, non durè in aliena sacra, & peregrinos deos afficiebantur, ad Antiochi non solùm castra, sed etiam religionem

nem impiam transfugerunt, ad quos etiam communis plagæ pars bona pertinuit. Neque enim satis habuit Antiochus innocentum sanguine suum furorem expleuisse; nisi etiam adderet illorum quoque aut cædem, aut exuuias, qui ex eo genere à patria religione defecissent. Et sanè ita accidit: multi enim ex his, qui Antiochi obsecuti sunt imperio, interfecti sunt, quorum Princeps fuit Oniæ frater, qui cùm plurimum valeret priùs apud Antiochum, tandem inuisus non solùm Iudæis, sed etiam Antiocho, profugus obiit, & insepultus extabuit. Neque est improbabile alios, quos prodita religione ad Antiochum traduxerat, aliquid esse passos non dissimile. Certè ex transfugis multos fuisse interfectos paulo post Antiochi mortem habemus lib.2.Machab.c.7.v.19.

87. Heb. *Intelliget super derelinquentes pactum sanctitatis*, & non longè Hieronymus ab hac translatione, *cogitabit de his, qui reliquerunt testamentum Sanctuarij.* Secundùm hanc lectionem non videtur dura illorum sententia, qui putant cogitasse Antiochum, quomodo ornaret illos, qui patriam, religionémque desererent, & ipsius studiis obsequerentur. Sed est explicatio prior ad textum Vulgatæ magis; & magis, vt reor, ad veritatem: tametsi hac de re in Machab. libris non inueniamus, nisi pertenue vestigium.

88. Vers.31. *Et brachia ex eo stabunt, & polluent Sanctuarium fortitudinis.*] Brachia suprà vers.15. pro ducibus, aut viribus sumuntur, quas Rex Austri Ptolomæus Antiochi viribus apposuit. Sic etiam hoc loco brachia illi dicuntur duces, qui steterunt ab Antiocho, & templum sanctum aut spoliauerunt, aut impia religione fœdarunt. Qualis fuit ille, qui lib.1. Machab. cap.1. v.30. missus fuit ab Antiocho, qui non minora edidit crudelitatis, atque impietatis documenta, quàm Rex ipse: quod item fecit Philippus quidam, de quo 2.lib.Machab.cap.5.v.22.& plures alij, de quibus latè in libris Machabæorum. Sed fortasse hoc loco brachia non tam dicuntur duces, & ministri, quàm filij; quod indicat textus Hebraicus, qui pro *brachiis* habet זרועים *Zeroaim*, quæ semen propriè, brachium non nisi figuratè significat. Neque brachij nomen quidquam incommodat: est enim brachium, quod ex corpore pullulat non aliter, quàm ex trunco ramus. Hinc fit, vt arborum rami brachia dicantur. Sic Virgilius lib.12. Æneid. vbi Latinus de suo sceptro, quod è ligno dolauit, ait,

Brachia pro ministris.

Item pro cognatis, ac filiis.

Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras,
Cùm semel in syluis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas, & brachia ferro
Olim arbos.

89. Hinc etiam fit, vt brachia pro his sumantur, qui ex eodem orti sunt stipite, pro fratribus videlicet, & cognatis: non secus atque rami dicuntur fratres, qui eadem pullulant stirpe. Sic Isaias cap.9. cùm de intestinis odiis inter fratres, filios, & cognatos ageret, ait: *vnusquisque carnem brachij sui vorabit.* Et Iob cap.15. v.32. cùm allegoriam induxisset de arbore, præmisissétque, *ramos eius arefaciet flamma*, eandem statim sententiam repetit, ac dicit, *Et manus eius arescant.* Vbi *manus*, vt vides, pro ramis vsurpantur: hæ verò in hac translatione nihil à brachiis differunt.

90. Si ergo brachia iuxta hanc metaphoram, filij sunt, cùm brachia dicuntur ab Antiocho futura, de illius filiis sermo est, qui aliter à parente

A prodeunt, quàm à corpore brachia, aut à trunco rami succrescunt, & pullulant. Quam autem Antiochus Eupator eius filius rem Iudaicam persecutus sit, constat ex libro 1.Machab. cap.6. & 2. cap. 13. Sed quod proximè sequitur, non valde probat hanc cogitationem. Neque enim tam Antiochi filius, quam eius Duces polluerunt templum, & sacrificium inde iuge sustulerunt: de quibus lib.1. Machab. c.1.v.53. vbi cùm multa contra templum, & religionem essent instituta, additur: *Et præposuit Principes populo, qui hæc fieri cogerent.*

Et polluent Sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium.] Hæc eadem dicta sunt à Propheta de Antiocho cap.8. à v.9. vbi sic Daniel de cornu modico, in quo vita exprimebatur Antiochi. *Et magnificatum est vsque ad fortitudinem cœli: & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas: & vsque ad principem fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius.* Quæ vt hanc ipsam sententiam continent, sic etiam plura necessaria non putabam, quàm quæ eo loco dicta sunt. Verumtamen aliquid addemus, quod locus iste à nobis exigere videtur. 91.

B

Vocatur templum sanctuarium fortitudinis, id est, iuxta Hebræorum idioma, fortè non tam quia ipsum instar obtinebat arcis; sed quia Deus fortissimus illius protector illud muniebat. Illud autem, polluit per brachia sua, id est, per illos, quos suæ auaritiæ, atque impietatis administros habuit. De quibus lib.1. Machab.cap.2.v.15. Polluit item per Iasonem Oniæ fratrem, qui summum ambibat sacerdotium, quod vt ab Antiocho multis emit impendiis, eóque processit impietatis, vt quo propter concessum Sacerdotium gratificaretur Antiocho, Gymnasium constituerit, & Ephebiam, & ad nefandæ Veneris quæstum optimos quosque Epheborum in lupanaribus prostituerit. Quomodo verò ex hoc consecuta sit moralis templi desolatio, habes eodem capite vers.14. vbi ex impio Iasonis consilio id videbatur effectum, *vt sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent; sed contempto templo, & sacrificiis neglectis festinarent participes fieri palestra*, &c. 92.

C

D

Et auferent iuge sacrificium.] Iuge sacrificium per Synedochem pro quocumque alio sacrificio ponitur: fuerunt autem præter quotidianum, & iuge, alia etiam vsitata non pauca. Huius verò præcipuè meminit Gabriel, quia hoc erat commune magis, vtpote quod bis offerretur diebus singulis, semel matutino, iterum vespertino tempore; vnde matutinum, & vespertinum vocabatur. Et ita planè contigit, vt ex his, quæ modò de Iasonis scelerato consilio dicebamus, perspicuum est. Qua in re, si quapiam in re alia, Antichristi fuit Antiochus viua quædam effigies. 93.

E

Et dabunt abominationem in desolationem.] Quod pessimo exemplo cœpit Iason, id Antiochus per aliud brachium suum, senem videlicet Antiochenum perficere tentauit. Spoliarat ipse templum, & in eo abominandum idolum desolationis super Dei altari constituerat: & per totam Iudæam excitabantur aræ, in quibus cremarentur thura, & impiis sacrificiis Gentium idola colerentur. At postea rem inceptam impiè, per senem quendam Antiochenum multo magis promouit. Nam templum illud tot impensis extructum, & tanta religione consecratum Deo, Io- 94.

uis

uis Olympij honori, ac nomini seruire, ac dedicari voluit, & illa exhiberi, quæ illi Olympio Ioui; id est, dæmoni, magis acciderent pro votis. Audi rem nefariam, horribilem, & nisi in Gentilium sacris nunquam auditam. lib. 2. Machab. cap. 6. *Misit Rex senem quendam Antiochenum, qui compelleret Iudæos, vt se transferrent à patriis, & Dei legibus, contaminare etiam, quod Hierosolymis erat templum, & cognominare Iouis Olympij, &c. Pessima autem, & vniuersis erat malorum incursio: nam templum luxuria, & comessationibus Gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus: sacratisque ædibus mulieres se vltro ingerebant, intro ferentes ea, quæ non licebat.*

95. *Et dabunt abominationem in desolationem.*] Posuerat Antiochus in desolato templo idolum desolationis, quod idem est atque abominatio desolationis, quo sensu mox explicabimus, vt constat ex lib. 1. Machab. cap. 1. v. 57. Quod tamen fuerit illud idolum, incertum est. Duces autem illius, & senex hic Antiochenus præcipuè in téplo constituerunt abominationem desolationis, idolum nempe Iouis Olympij: nam illud *dabunt*, aliquid indicat diuersum ab eo, quod fecit Antiochus, & quod ab illius brachiis prestari debet.

96. Meminit etiam Propheta alterius abominationis desolationis supra cap. 9. v. 27. quæ, vt eo loco pluribus ostendimus, longè ab hac est diuersa. De qua Christus apud Matthæum cap. 24. v. 5. quæ tempora spectat Romanorum. Hæc verò desolationis abominatio accidit sub Antiocho, quam ipse priùs; deinde ipsius imperio, duces illius in templum inuexerunt.

97. Quòd idolum dicatur abominatio, res est nota, & nos in cap. Danielis nouû aliquid diximus. Sed cur dicatur desolationis hoc præcipuè loco, cùm templum steterit, difficilius est. Sanè desolatum aliquid aut periisse dicimus cùm ad alios vsus translatum est ab his, quorum gratia institutû fuerat, præcipuè cùm ex glorioso, & splédido ad vile, atque ignobile traducitur: vnde periisse dicûtur leges, cùm non obseruantur, neque homines in officio continent, cuius gratia fuerunt à legûlatoribus inuentæ, licèt scriptæ sint aureis notis, aut æreis incisæ tabulis, si tamen frigent: desolatæ dicûtur Scholæ, quas Academici non frequentant, neque literariæ traduntur disciplinæ, etiamsi ibi se adolescentes exerceât palæstra, disco, gymnicisque aut militaribus ludis. Sic templum euersum non est ab Antiocho, & illius impietatis administris, sicut priùs à Chaldæis, & alio pòst tempore à Romanis. At quia neque ibi sacrificia offerebantur; aut eò homines orationis, aut pietatis ergò conueniebât, quæ in templo fieri solent; immò hæc faciût, vt ædificiû aliquod templû sit; desolatum templum, ac periisse existimatur. Quòd si pro sacrificiis, pro solennibus, atque legitimis precibus, pro sacerdotibus lenones sint, ac meretrices, scortantiû impudicæ voces, & illa quæ neque casti oculi spectare, neque pudicæ aures audire sine dolore, atque molestia possunt, longè abierit, vt domus quantumcumque sacra, templum dicâtur, nisi fortasse addas *profanatum*, aut *pollutum*: neque enim altare apparebat vllum legitimis aptum sacrificiis, nisi illud, in quo propositum erat Gentium idolum.

Regvla. Desolatum aliquid, aut periisse dicitur, cùm ad alienos vsus trâslatum, est.

98. Accedit quòd locus ille sacer herba, ac syluestri frutice sic erat horridus, vt syluam potiùs diceres, & ferarum lustra, quàm dedicatum Deo, ac religioni locû. Neque pauca sic ab hoste relicta vt pro desolatis haberi potuerint Machab. lib. 1. c. 4. v. 57. *Et congregatus est omnis exercitus, & ascenderunt in montem Sion: & viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas: & in atriis virgulta nata, sicut in saltu vel in montibus; & pastophoria diruta.* Sub eo item tempore ædificium etiam templi aliqua ex parte dirutû est lib. 1. Machab. c. 9. v. 54. *Anno centesimo quinquagesimo tertio, mense secundo præcepit Alcymus destrui muros domus sancta interioris, & destrui opera Prophetarû, & cœpit destruere.* & lib. 1. c. 1. v. 41. *Sanctificatio eius desolata est, sicut solitudo, dies festi eius conuersi sunt in luctum: sabbata eius in opprobrium; honores eius in nihilum.* In templo igitur eo modo, quem diximus, desolato statuta est abominatio, id est, Iouis Olympij simulacrum. Dicitur verò templum sic deformatum, & pollutum *desolatio* ea figura qua abstractum pro concreto sumitur; quomodo *oratio*, pro oratorio, & *congregatio* pro congregatis, *circumcisio*, pro circumcisis adhibetur.

Hác ob ré præcipuè Antichristi typus vocatur 99.
Antiochus, quia cessare fecit sacrificium iuge, & sacris omnibus cæremoniis silentiû indixit. Quâ ad rem sic se crudelem, & barbarum exhibuit, vt neque ætatem, neque sexû, neque vllum hominum ordinem immunem esse voluerit, in quibus vel cruciandis, vel ignominiosè tractandis eam adhibuit feritatem, quali maior Antichristo in mentem non putaretur esse ventura.

Vers. 32. *Et impij in testamentum simulabunt fraudulenter.*] Testamentum hîc duo significat: & spe- 100.
ciale quoddam pactum cû Iudæis; & ea ratione sumitur pro religione sancta, quam Deus populo sibi electo, & consecrato præscripsit. Significat præterea quodcumque aliud etiam profanû, & de profana etiá materia cû aliquo percussum: quomodo lib. 1. Machab. 1. v. 12. quidam Israelitæ, *testamentum cum Gentibus disposuerunt.* Si de his posterioribus intelligas, sæpe inuenies fœdus Gentes cum Iudæis pepegisse; neque tamen ab illis fuisse seruatum, vt lib. Machab. 1. c. 6. v. 60. & lib. 1. c. 1. v. 31. *Post duos annos dierum misit Rex Principem tributorum in ciuitates Iuda, & venit Ierusalem cum turba magna. Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo, & crediderunt ei, & irruit super ciuitatem repentè, & percussit eam plaga magna,* &c. Similia fecit Apollonius lib. 2. Machab. c. 5. v. 25. Sed non puto de hoc siue testamento, siue pacto hunc esse sermonem, quia hic illis, qui se testamenti simulant esse custodes, fraudulenter, & callidè illos opponit, qui verè Deum colunt, & eius testamentum obseruant. Fuerunt ergo aliqui sub illud tempus, de quo vaticinium præsens, qui simulata sanctitate Iudæorum plurimos in fraudem, atque exitium induxerût: qualis fuit Alcymus Sacerdos, de quo lib. 1. Machab. c. 7. *Conuenerunt*, inquit, *ad Alcymû congregatio scribarum requirentium ab eo pacem, & quæ iusta sunt. Dixerunt enim, homo Sacerdos de semine Aaron non decipiet nos. Et locutus est cû eis verba pacifica, & iurauit illis, dicens: Non inferemus vobis malû, neque amicis vestris, & crediderunt ei. Et comprehendit ex eis sexaginta viros, & occidit eos in vna die.* Fuerunt fortasse plures alij, qui specie religionis veræ alios aut impulerût in fraudem, aut in perniciem adduxerût: vt indicat hoc loco Gabriel, sed non omnia, quæ sub illud tempus contigere, sacris monumentis mandata sunt. Neque id mirû in hac Antiochi vexatione, & vrbis, templique vastitate, cùm alia longè maiora, ac sacratiora sciamus à sacris scriptoribus prætermissa. Sic sanè de Christo Ioannes cap. vltimo, cùm multa scripsisset,

Pacta sæpe ab Antiochi ministris violata.

ſcripſiſſet,quæ Chriſtus fecerat, ac dixerat, ſubiecit: *Sunt autem & alia multa,quæ fecit Ieſus,&c.*

101. *Populus autem ſciens Deum ſuũ obtinebit,& faciet.*] Licet multi ſint, qui aut aperta vi, aut artificio callido frangere ſtudeant,& euertere aliorum fidem, atque conſtantiam, qui tamen Deum verè ſciunt,id eſt,qui fideles illi ſe præſtare volẽt,perſtabunt in ſuſcepta religione cõſtanter,& omnes ſiue fallacis animi blãditias,ſiue furentis minas, & vim omnem hoſtilem ſuperabunt. Ex horum numero fuit Eleazarus,de quo lib.2.Machab.c.6. qui neque blanditiis,neque metu cogi potuit,vt aliquid contra patrias leges admiſiſſe videretur. Fuerunt item ſeptẽ fratres, cum matre quos feciſſe,& obtinuiſſe,id eſt, ſuperiores extitiſſe tormentis, & tyranno, ipſe confeſſus eſt Antiochus tã barbaræ crudelitatis artifex,& auctor. Fuerũt præterea cõplures alij,qui cùm Deũ ſcirent,ſciẽtia nimirũ efficaci, ac practica neque terrore fracti,neque deliniti promiſſis,atque blãditiis inuictum ſpiritũ pro patria religione reddiderũt. De quibus lib.1.Mach.c.1.& lib.2.c.6.Huc etiã referri poſſunt Machabæi,quique illorũ fidẽ & caſtra ſunt ſecuti: qui ne maiorũ ſuorũ ſacra proderẽt, nõ dom⁹ ſolùm,& opes;ſed etiã vitã perdiderũt.

Iudæorum in patria religione conſtantia.

102. Verſ.33. *Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio,& in flamma,& in captiuitate,& in rapina dierum.*]Hæc omnia fidem ſibi faciunt ex his quæ primo lib.Machab. c.1.& 6.& 7. dicta ſunt. Sanè de quibuſdã dicitur lib.1.cap.1.v.56. *Multi de populo Iſrael definierunt apud ſe,vt non manducarẽt immunda: & elegerũt magis mori,quàm cibis inquinari immundis: & noluerunt infringere legem Dei ſanctam, & trucidati ſunt.*Qui hîc docti in populo vocãtur, illi ſunt, qui proximè dicti fuerant *ſcientes Deum.* Hi verò non ſcribæ,aut legis Doctores; ſed viri qui eo animo legem didicerunt,vt illam accuratè ſeruarẽt: qualis fuit Mathathias,& Iudas Machabæus,qui ad legis obſeruantiã, propoſito etiã vitæ periculo,multos inflãmarunt; perfecerúntque,vt gladios,flammas,exilium, & ſeruitutẽ, & mille alia rerũ,ac vitæ diſcrimina ſubirent. Quã multi gladio, incendióque perierint, ex hiſtoria Machabæorũ cõſtat. De captiuitate eſt illud c.1. lib.1.v. 33. vbi dicitur de Principe ab Antiocho miſſo,qui cũ dolo ciuitatẽ eſſet ingreſſus,*Accepit ſpolia ciuitatis,& ſuccẽdit eã igni,& deſtruxit domos eius, & muros eius in circuitu. Et captiuas duxerũt mulieres, & natos,& pecora poſſederũt.* Hoc verò in mandatis dederat Antioch⁹ Apollonio 2.Machab.5.v.24.*Omnes perfectæ ætatis interficere;mulieres,& iuuenes vẽdere.*

Doctorum officium.

103. Hæc obſcura non ſunt: illud videndum,quænam hoc loco dicatur *rapina dierum.* Fortaſſe hoc loco dierum dicitur rapina, quia non ætate iam grauibus ſolùm,ſed etiã iuuenibus, atque infantibus erepta eſt lucis vſura;erepti dies,in quos illorum vita foret producenda,niſi hoſtile ferrum illam ademiſſet. Sanè ſeptẽ illi,qui lib.2.Machab. cap.7. cum matre ſunt occiſi,iuuenes erant, quibus erepti ſunt,quos ætas, atque natura promittebat,non pauci dies. Et lib.1.Machab. c.1.v.63. *Mulieres quæ circumciderant filios ſuos, trucidabantur ſecundum iuſſum Regis Antiochi,& ſuſpendebant pueros à ceruicibus per vniuerſas domos eorum;*nempe vt cum matribus ſimul interirent. Quod planè cõſtat ex lib.2. Machab. c.10. vbi eadem fortaſſe narratur hiſtoria. *Duæ,* inquit, *mulieres delatæ ſunt natos ſuos circũcidiſſe, quas infantibus ad vbera ſuſpenſis, cùm publicè per ciuitates circumduxiſſent, per muros præcipitauerũt.* De his Ioſephus lib.12.Antiq.c.7.*Qui maiorem rationẽ habuerunt legis patriæ,quàm pœnæ propoſitæ ſibi ab aduerſariis, quotidie necabãtur crudeliſſimis*

Horribile ſpectaculum in Iudæorũ infantibus editum ab Antiocho.

A *torm cruciatibus? Nã flagris vehementer cæſi,ac lacerati corpore,viui etiam nunc,& ſpirantes ſuffigebãtur crucibus. Vxores etiam, & circumciſos liberos ſtrangulabant, & ſuſpendebant,à crucifixorum parentum ceruicibus.*

Hæc fortaſſe propria huius loci ſententia: ſed credo *rapinam dierum* ſignificare potiùs diuturnã bonorum direptionem.Neque enim breue tẽpus 104.
fuit, quo Iudæorum bona externorum auaritiæ, ac prædæ patuerunt. Quod autem *dies* in plurali longam indicent moram,quanquam adiectiuum *multi, longi*, & aliquid ſimile non addatur, docet Scripturæ ſacræ frequens vſus.Daniel.c.10.v.14. *Adhuc viſio in dies,*nẽpe plurimos. Ioſue c.23.v.2. *Ego ſenui, & progreſſioris ætatis ſum,* Heb. *Ego veni in*
B *dies,* nempe plurimos. Et idem dixerat proximè verſ.1. vbi vulgata, *Ioſue iam longæuo, & perſenilis ætatis.* Idem loquendi modus eſt apud Iſaiã c.65. v. 20. vbi ſenex ſtultus alibi vocatur *puer centum annorũm,infans dicitur dierum,*nempe multorum,ita vt longæuus ſit ætate,moribus autem,atque ingenio infans. Quem dicendi modum expreſſit, credo, Hiſpanus ab Hebræis, qui cùm ſignificare vult iam pridem aliquid accidiſſe, hoc fermè modo explicat,*Diasha;* & ſenem eodem quo nũc Propheta modo vocat *hombre de dias, o entrado en dias.* Sic ergo *rapinam dierum* idẽ eſſe puto,quod diuturnam. Et huc magis inclinat aſſenſus.

Dies in plurali pro longo tempore.

Verſ.34. *Cùmque corruerint,ſubleuabuntur auxilio*
C *paruulo.*]Hæc,teſte Hieronymo,Hebręi iilis accõ- 105.
modãt,qui rem Iudaicã collapsã,ac perditã reſtituere conati sũt;qualis fuit Iulianus,qui tẽplum à Veſpaſiano deſtructũ excitare voluit,& Seuer⁹ Antoninus, qui beneuolè in Iudæorũ genus, & nomen animatus eſt.Sed errãt illi ab ſcopo,ſicut alibi ſæpè quàm longiſſimè, filúmque vaticinij ſine vlla cauſa,ac merito intercidũt. Auxiliũ igitur hoc paruulũ fuit,quod à Mathathia,& eius liberis poſt ſtragem illã,& rapinam populo à Deo comparatum,atque prouiſum eſt: quo ſubleuati ſunt, qui animo, atque ſpe iam antè ceciderant, & aliquantulum cõfirmati erexerunt ſe primùm contra inſolentem,& exultantẽ hoſtem, & dein-
D de ſecundo præliorum ſucceſſu compreſſerunt. Quomodo collectus fuerit exiguus ille exercitus,cui Iudas pręfuit,vt priùs in ſyluis egerit profugus, & vagus, habes lib.1. Machab.c.2. & clariùs lib.2.c.5.v.27.vbi ſic de Iuda Machabæo,*Seceſſerat in deſertũ locũ, ibique inter feras vitã in mõtibus cum ſuis agebat;& fœni cibo veſcentes demorabantur.*

Et applicabuntur eis plurimi fraudulenter.] De his
actum eſt ſuprà,qui beneuolẽtiæ,ac pietatis ſpe- 106.
cie abducere hos à patria religione ſtuduerunt; quales fuerunt Alcymus,Iaſon Menelaus, & qui Eleazaro ſeni, animo fortaſſe amico, perſuadere curati ſunt, vt aliquod ſaltẽ ſpecimen præberet abiuratæ religionis. Neque eſt incredibile fuiſſe
E plurimos,qui ſimulata amicitia in fraudẽ impulerint amicos,& cognatos,vt ad ipſorũ exẽplũ,obſecuti tantiſper Antiochi mãdatis,& vitã,& opes cõſeruarẽt.Quàm autẽ multi ad Antiochi caſtra, ac ſacra trãsfugerint,habes ex lib.1.Machab.c.1.

Verſ.35. *Et de eruditis ruent, vt conflentur, & eligantur, & dealbentur vſque ad tempus præfinitum.*]
Quos antè doctos, & ſcientes Deum appellarat, 107.
hos modò vocat eruditos.Hi verò ſunt viri ſancti,qui de vita maluerunt,quàm de religione diſcedere, ruent autem nõ in culpam eiuratæ fidei; ſed in vexationem,& ærumnas, ita vt extorres à patria, & ab omni vitæ ſubſidio nudi, errent incerti,& vagi, aut etiam tormenta ſubeant doloris,atque ignominiæ plena.Id verò Deus nõ ideo permittet, vt eruditos hoſce viros conficiat; ſed

vt seuera hac fornace, si quid inoleuit sordidum, excoquat, ac tergat. Sicut aurifex non eo consilio vas, quod plurimi facit, amátque, in fornacē conijcit, vt perdat, sed vt expiatoria flamma mūdum reddat, & purum. Vtitur autē duplici metaphora, altera ab aurifice, seu conflatore sumpta; altera à fullone: ille argentū cōflat, tergit, & purificat, ita vt electū fiat, id est, dignum quod eligatur ab omnibus, vtpote quod sua munditia, atque nitore oculos spectantium capiat; hic si qua inspersa est vestiměto macula, illā nitro, aut herba borith lauat iterum, ac sæpius, versátque assiduè donec tandem emaculet. Quæ tamen seuera purgatio æterna non erit, immò neque diuturna: præfiniuit nāque Dominus tempus, ad quod vsque vires suas armabit, expromētque in genus illud hominum hostilis furor. Instaurabitur enim, & purgabitur tēplum, & quæ collapsa fuerint, in suum locum, atque ordinem redibunt.

108. Permisit Deus propter Iudæorum peccata, vt populus ab Antiocho duriùs vexaretur; neque ampliùs passus est furorem procedere, quàm ad expiandum peccatū opus esse vidit. Quare lib. 2. Machab. c. 2. v. 17. propter peccata habitantium Ierusalem Deus modicè iratus esse dicitur: modicè quidem, quia non vt hostis; sed vt medicus ferrum admouit, & ignem vt sanaret, nō vt perderet. Ita sanè putabat Tobias, dum non his admodum diuersa pateretur in Niniue cap. 3. v. 21. *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quòd vita eius, si in probatione fuerit, liberabitur; & si in corruptione fuerit, ad misericordiā tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum exultationem infundis.* Hæc planè fornax est, de qua Malachias cap. 3. v. 2. *Ipse* (Deus) *quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui: & colabit eos, quasi aurum, & quasi argentum.*

Vexatio vtilis.

109. *Quia adhuc aliud tempus erit.*] Magna fuit rerū, temporúmque vicissitudo: nā qui sibi nihil nō arrogabant, & quod libebat licere sibi arbitrabantur, cadent miserè, vt accidit Antiocho; & Iudæorum populus sub Machabæis post durā vexationem plura consecutus est, quàm florente republica sub Regibus olim obtinuerat.

110. Vers. 36. *Faciet iuxta voluntatē suam Rex: & eleuabitur, & magnificabitur aduersùs omnē Deum.*] Describit tempus illud, quod Antiocho videri potuit fortunatū, quando nihil aut destinabat animo, aut etiam optabat quod non succederet ex voto. Quæ res sic inflauit vanissimos spiritus barbari, atque insipientis Regis, vt opinione sua ipsis etiam Diis, quos colebat delusa Gentilitas, non esset inferior. Ex hoc loco ad finē vsque capitis nonnulli putant ab Antiocho sermonem esse translatū ad Antichristum; quia multa putant in Antiochum conuenire non posse. In his sunt Theodoretus, S. Thom. Lyra, Vatablus. Alij quædam ad Antichristum referunt, quædā ad Antiochum; quia neque omnia Antiocho, neque Antichristo omnia accōmodari possunt. Ita Hieronymus, Petrus Comestor, Dionysius, & Pereira. Alij Antiocho omnia hæc tribuunt. In his sunt Chrysost. orat. 2. contra Iudæos, Polychronius, Hugo, & omnium acerrimè Maldonatus. Quòd si probari possit hæc omnia cadere in mores, & institutum Antiochi, ita omnino videtur esse dicendū. Neque enim videtur sic acturus Gabriel, vt modò de Antichristo, modò de Antiocho sæpius interrupta narratione, obscuriùs ageret, quàm intelligi posset etiā ab attētissimo, discēdique cupidissimo Propheta. Mihi magis probatur postrema hæc explicatio; licèt aliæ non omnino displiceant: quare conabimur, si quo id modo cōsequi poterimus, quod reliquū est capitis, cū aliis, quæ de Antiocho dicta sunt hucusque, cōtexere.

Antiochus ad diuinum nomen aspirauit.

Faciet iuxta voluntatem suam Rex, & eleuabitur, &c.] Dixerat paulo antè Gabriel, *quia adhuc aliud tempus erit.* quasi diceret, magnam futuram esse rerum conuersionem, ac vicissitudinem. Quod probat Angelus, dum enumerat, quid fecerit ante hoc tempus, de quo nunc sermo, facturúsque sit postea pro suis votis Antiochus, ac tandē post victorias multas, & opima spolia acerbam obiturus sit, & ignobilem mortem. Nunc primùm docet facturū illum quicquid volet, quia neminem futurum esse putat, cuius imperio subsit. 111.

Et eleuabitur, & magnificabitur aduersùs omnem Deum.] Hæc omnia aliena non sunt ab Antiochi instituto, ac vita. Nam si dicamus illum suscepisse bellum contra Deos, aut illorum religionem non curasse: constat illum Deorum templa spoliare voluisse, quod sanè nihil est aliud, quā supra Deum esse magnificatum, dum Deorum ad se opes, atque ornamenta transfert. Erat in Perside nobilis in primis ciuitas, quæ lib. 1. Machab. c. 6. dicitur Elymais, & lib. 2. cap. 9. Persepolis, & in ea templum, quod esse Dianæ sacrum tradit Hieronymus ex Diodoro Siculo, atque Polybius, & docet Iosephus lib. 12. cap. 13. quòd erat locuples valde, & illic velamina aurea, & loricæ, & scuta, quæ reliquit Alexander Rex Macedo. Hoc verò templum spoliare voluit Antiochus, vt habes lib. 2. c. 9. v. 2. & fecisset nisi facto ciuitatis impetu eius auaritia, & vis esset à multitudine repressa. Quod item tentauit, & assecutus est, cū tēplū Solymitanū est ingressus, ex eóque immēsos thesauros secum in Babyloniam abduxit. Hoc fortasse significatū est ab Angelo, cū dicit *magnificabitur aduersùs omnē Deum.* Neque est improbabile cùm Ægyptias opes abstulit Antiochus, opima Ægyptiorum delubra ab illo fuisse cōpilata. 112.

Antiochus templorum compilator.

Sed videtur verisimile magis diuinos sibi honores quæsiisse Antiochū, immò & Diis omnibus se superiorem aut fuisse antea, aut postea se futurū existimasse. Quod apertè colligo ex lib. 2. Machab. cap. 9. vbi ea de se cogitasse dicitur Antiochus, quę nemo nisi Deus verus præstare posset; quódque cæca Gentilitas suo Ioui, quē Deorum putabat esse maximum, tribuebat. Versu nāque octauo de illo scribitur, *Is qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montiū altitudines in statera appēdere.* & vers. 10. *Qui paulo antè sydera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex graui superbia deductus ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga per momenta singula doloribus suis augmenta capiētibus. Et cùm nec ipse iam fœtorem suum ferre possit, ita ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem nō paria Deo sentire.* Hæc postrema apertè demonstrant, aliquid Antiochum existimasse inesse sibi supra humanum; séque Deo aut superiorē, aut certè nō inferiorem esse. Quòd verò cogitationē suā non celauerit, immò quod diuinū nomen, & honores à subditis sibi, aut subactis populis exegerit, argumento est epistola illa Samaritanorū, quæ Antiocho diuinum nomen, & quod Dei propriū esse putabatur, attribuit. De qua Iosephus lib. 12. c. 7. cuius hæc est inscriptio: *Regi Antiocho Deo illustri.* Deinde ab eisdem, *seruator*, ac *beneficus* appellatur. Quod sanè non facerent nisi cognomento illo Regem oblectari cognoscerent, & compellatio 113. 114.

Antiochus sua opinione Deus.

Antiochus oblatos sibi diuinos honores admisit.

A latio illa solita esset ab aliis frequenter impendi. Qua de re egimus pluribus suprà cap. 8. vbi hæc, aut alia his affinia de Antiocho traduntur.

115. *Et aduersus Deum Deorum loquetur magnifica.*] Quæ sint illa verba, aut quo prolata tempore, nō habemus, quod ego viderim, in sacra Scriptura; sed negare, aut dubitare nefas illa blasphemum Antiochū dixisse. Neque difficile est coniectare, quænam illa fuerint ex his, quæ hoc loco prædicuntur ab Angelo, & ex aliis quæ de Antiocho tradunt Machabæorum libri. Qui enim iuge sacrificium sustulit, eius rei rationem aliquam reddidisse creditus est; nēpe Deo Iudæorum, cui sacrificium illud immolabatur, honorem illum nō deberi, neque fas esse illum tot honoribus, atque impendiis coli, qui neque domum à prædatoribus, neque populum ab hostili ferro, aut ab ignominia graui defēdisset. Thesauros porrò, & sacrā supellectilem, quæ ex tēplo sustulerat, deberi sibi potius, quàm Iudæorum Deo, cùm ipse & maiora dedisset suæ diuinitatis documēta, & tueri populū meliùs, & pluribus ornare beneficiis, & posset meliùs, & solitus esset præstare liberiùs. Vnde suspicor ab adulatoribus, qui gratiā à vanissimo Principe captare cupiebant, appellari solitum *Deum, seruatorem, beneficum*, quibus nominibus, vt vidimus ex Iosepho proximè, à Samaritanis cōpellatus est. Deinde quia à Iudæis forsitan audierat illud Isaiæ c.40.v.12. quod Dei omnipotentē manum, & sapientiam admirabilem commendat, & prædicat.

Antiochus contra Deū blasphemus.

116. *Quis mensus est pupilla aquas, & cælum palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera?* Inflatus supra pudorē, & modum eximios illos titulos deberi sibi potius, quàm Deo prædicabat. Quod coniectare posse videor ex illo lib.2. Machabæorū, cap.9.v.8. *Is qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere.* Nisi magnifica dicamus illa verba furoris, atque arrogantiæ plena, quibus Deo, eiúsque religioni, ac templo minabatur omnia, illa nempe quæ postea reipsa compleuit. Nā multos coēgit à patria religione desciscere; alios quia in ea constanter perstiterunt, nō modò propriis communibúsque commodis; sed etiam lucis vsura priuauit, templum spoliauit ornamentis, impleuit meretriciis ac Gentilicis sordibus, eòque redegit, vt syluam potiùs diceres, ferarúmque latibula, quàm consecratam Deo, ac religioni domum.

Antiochi insolens flatus.

117. *Et dirigetur donec compleatur iracundia.*] Dirigo ex vsu Scripturæ idem est quod optata, ac destinata consequi. Heb. est יצליח *iasliach*, quod prosperari valet. Consecutus est quod optabat Antiochus, & quod de se magnificè prædicabat: nā à Dei cultu plurimos abduxit, euertit sacra, & Dei nomen in stultorum hominū opinione consecutus est. At vbi diuino furori Iudæorum vexatione, ac sanguine satisfactum est; & excocta rubigo, quæ argento quondam electo, ac puro penitus inoleuerat, cessauit illa quæ magna videbatur Antiochi prosperitas, & non solùm Deo, sed etiam hominibus odiosus, & grauis à fœda luc, & vermibus cōsumptus extabuit. Hoc porrò quod paucis hic verbis Angelus explicuit, docuit

Vexatio à Deo vtilis.

118. pluribus auctor lib.2.Machab. c.6.v.12. *Obsecro,* inquit, *eos qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter aduersos casus, sed reputent ea quæ acciderunt non ad interitum, sed ad correctionem esse generis nostri. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium.* Quod verò nunc de miserabili Antiochi casu post secundos rerum euentus, futurum esse dicit Angelus, idē de Senacherib, qui quoddam eiusdem populi flagellum fuit, & expiatoria flamma, quíque rebus ad votum voluntatémque fluentibus extollebatur animo, dicitur Isaiæ cap. 10.v.8. *Cùm impleuerit Dominus* (per Senacherib) *cuncta opera sua in monte Sion, & in Ierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. Dixit enim, in fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli terminos populorum, & Principes eorum deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes*, &c. & plura in hanc sententiam stultæ cuiusdam arrogantiæ plena. Cui tamen Deus statim minatur quod accidit Antiocho, aut non valde diuer- B sum. *Propter hoc mittet Dominator Dominus exercituū in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriam eius succensa ardebit, quasi combustio ignis.* Hæc duo quàm 119. simillima sunt, quia ex eodem orta sunt studio, & successus habuere principio prosperos; ad extremum denique exitu miserabili definita sunt. Ex quibus præclara quædam documenta sumēt, qui diuinæ manus ad quodcumque opus instrumenta sunt. Quamdiu enim diuino consilio seruiunt, nihil est quod timere possint aduersi: quia ab illa mouentur, atque reguntur manu, cui parent omnia, & quæ errare, aut retardari non potest à destinato consilio. Si quid amplius, aut suo C sibi studio, aut sua voluntate persequantur, timere iure optimo possint, ne aut fœdè cadant, aut se aliis irridendos, aut deuorandos præbeant.

Deus impiis ad suorum purificationem vtitur.

Quo animo esse debeat, qui à Deo ad aliquod opus destinatur.

Perpetrata quippe est definitio.] Docet Angelus 120. non casu, atque fortuitò contigisse illam aut populi duram vexationē, aut Antiochi fortunatos euentus: Deus enim definiuit spatia tam illius calamitosæ, & acerbæ, quàm huius lætæ, ac prosperæ fortunæ. Quare neque est cur ille desperet, ac frangatur aduersis; neque hic confidat, atque insolescat prosperis.

Vers.37. *Et Deum patrum suorum non reputabit.*] 121. Vsque adeò suo indulgebit siue genio siue ingenio, vt quid lex, seu ratio, aut etiam dignitas exi- D gat, non consideret. Quare Deos omnes vsque adeò despiciet, vt neque domesticum Deum, quem sui parentes coluerunt, agnoscat; neque quicquam respuat eorum, ad quæ voluptarij sensus rapiuntur: atque ideo inefrænata libidine exardescet in fœminas; neque quicquam illum retardabit, quominus amatoriam sitim omni genere turpitudinis expleat.

Quis sit Deus, quem Antiochi parētes colue- 122. runt, incertum est. Coluisse Græcos Deos, cùm ipsi Græci fuerint, non est dubium, & docet ipse Antiochus, qui in templo Iouem Olympium cōstituit; & in Garizim hospitalem Iouem, vt habes lib.2.Machabæorum cap.2. v.2. Fuisse apud E Syros, vbi dominabatur Antiochus peculiaria quædam Deorum monstra, docet Lucianus in eo libello, quem scripsit de Syria Dea, quam appellari dicit Derceto, seu Aergatim; de cuius sacris seu execrandis cæremoniis multa eo loco nugatur Lucianus. Coluerunt item Syrij candidas columbas, habuerúntque pro Diis; item pisces, quos captare, aut attrectare apud illos nefas. De columbis est illud Catulli lib.1.Eleg.1.

Syrorū Dij.

Syria columbas colit, & pisces.

Quid referam vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæstino sancta columba Syro.

De vtrisque Xenophon lib.1.Cyroped.cap.1.vbi ait Chalon fluuium piscibus magnis, & mansuetis inuenisse se plenū, quoniam eos Syri vt Deos colunt, quibus sicut columbis parcunt. Si Deos hosce patrios contempsit Antiochus, contempsit

quidem Deos Patrum suorum, id est, Regum qui ante ipsũ regnauerunt in Syria. Verùm nihil magnum de superbia illius dixisse videbatur Angelus cũ innumeros alios coluerit Græcorũ Deos.

Quomodo Antiochus patrios Deos contempsit.

123. Hic ego ideo puto patrios Deos ab Antiocho vocari contemptos, quia non ita coluit, vt non ab illorum templis opes, & ornamenta sustulerit, vt fecit, aut facere tẽtauit in Elymaide, seu Persepoli, vbi Dianæ tẽplum compilasset, nisi illius se cupiditati nefariæ pugnans pro religione populus opponeret. Quod in aliis quoque tẽplis tentasse aut etiã perfecisse non est incredibile, licèt ea de re nihil habeamus ab historiis. Sicut Dionysius dum Æsculapio, atque Apollini ornamenta detraheret, contempsisse illos existimari potuit, licèt illis aliquid inesse numinis existimaret.

Syriæ Reges qui modò verum Deum coluerint.

124. Aut certè Deum patrum suorũ vocari existimo Deum verum, quem coluerunt Iudæi, & ex cuius templo auri talenta plurima, & vasa sacra magni pretij detraxit, & secum in Babyloniam trãsportauit Antiochus. Licèt enim illius parentes à Gentilica impietate non recesserint; tamen Iudæorum Deo, quem verum esse Deum arbitrabantur, diuinos honores deferendos esse censuerunt. Sic sanè Alexander Macedo, à quo Reges Syriæ Antiochi parentes regnũ obtinuerũt, multis donis tẽplum, in quo verus colebatur Deus, exornauit, & illum verũ agnouit Deum, & sacrificium ad Iudæorum ritum in eius honorem offerri iussit. Sic Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 8. Deinde Antiochus magnus illius pater, vt tradit idẽ Iosephus lib. 12. c. 3. pro sacrificiis, quæ offerebantur in templo, templique ipsius instauratione, numerosam pecuniam conferri iussit; & ante vtrumque Seleucus, vt habes lib. 2. Machab. c. 3. n. 2. suum in templum sanctum, & in verum Deũ studium, & amorem ostendit. *Fiebat vt Reges, & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent. Ita vt Seleucus Asiæ Rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.* Ex his constat quomodo verus Deus patrum Antiochi Deus appellari potuerit; cùm illum maiori in honore habendum esse duxerint, quàm Deos alios, quos Græcia, & Asia veneratur, & colit. Hæc mihi sententia potior est.

125. *Et erit in concupiscentiis fœminarum.*] Hebræi aliter legunt, *Et super Deum patrum suorum non intelliget; & super concupiscentiam fœminarum, & super omnem Deum non intelliget.* Et ita vertunt interpretes noui, immò & Septuaginta, neque Hieronymus in commentariis improbat. Sed si accuratè verba consideres, & expendas, non alius erit sensus, quàm repræsentat vulgata translatio. Maldonatus, qui hæc de Antiocho sumit, non de Antichristo sic putat explicari posse textum Hebraicum, non quidem quòd non sit fœminei cõcubitus appetentissimus Antiochus, & in omnẽ luxuriem intemperanter effusus; sed quòd sic erit barbaris, atque efferatis moribus, vt neque à fœminis furorem, ferrúmque contineat, cùm tamen in illas furioso libidinis æstu rapiatur. Et quidem in fœminas sæuiisse crudeliter, multa in Machabæorum libris documenta sunt. Ego ita puto vulgatam translationem cum Hebraico textu posse componi, si *&* secundo loco positum non copulet extrema, & in eandem sententiam cogat, sed potiùs vt disiungat, & in contrariam trahat. Notum est particulam *&* aliquando aduersatiuam esse, & idem valere quod *sed*, seu *verumtamen*. Vnus Psalmus 117. multa nobis exhibet exempla à versu 20. Accipe duo. v. 13. *Impulsus euersus sum, vt caderem; & Dominus suscepit me*, id est, *sed Dominus suscepit me.* v. 18. *Castigans castigauit me Dominus: & morti non tradidit me.* id est, *castigauit, sed non occidit.* Isai. c. 64. v. 5. *Tu iratus es, & peccauimus: in ipsis fuimus semper, & saluabimur*, idest, *Tu iratus es, sed nos peccauimus, & ideo iustè irascereris; in peccatis fuimus, & tamen saluabimur.* Iuxta hæc ego Hebraicum textum sic interpretor. Super Deum patrum suorum non intelliget, intelliget tamen super cõcupiscentiã fœminarum, super omnem, inquam, Deum patrum suorum non intelliget. Ac si dicat, studium quod pietati impendere debuit, totum impendet Veneri, ac libidini. Neque causa cũ negatio esset adhibita primo, atque vltimo membro, in quibus negatur studium, ac pietas in Deos; in secundo tamen, vbi de fœminarum amore sermo est, negatio non ponitur, quia turpis illa intemperantia ab illa vita corruptissima non abfuit.

Regula. Coniunctio & aliquãdo disiungit, aut in contrariũ trahit sententiam.

Antiochi inuerecunda libido.

126. Quàm fuerit Antiochus profusæ, atque inuerecundæ libidinis, ita vt scortationes suas publicè hominum oculis obiicere verecundatus non fuerit, docet Hieronymus ex illis, credo, scriptoribus quos ipse legit, neque tamẽ ad nostras manus peruenerunt. Nam cùm in suis commentariis ad hunc locum hæreret, Antichristóne hæc ascribenda sint, vel potiùs Antiocho, subiecit, *Antiochi magis personæ coaptabitur* (illud de concupiscentia fœminarum) *qui luxuriosissimus fuisse dicitur, & in tantum dedecus per stupra, & corruptelas venisse regiæ maiestatis, vt mimis quoque, & scortis publicè iungeretur, & libidinem suam populo præsente compleret.* Hoc idem, vt obseruauit hoc loco Theodoretus, satis indicat Scriptura sacra lib. 2. Machab. c. 4. v. 39. vbi legimus duas Ciliciæ nobilissimas ciuitates datas esse in sumptus regiæ cõcubinæ, quã textus Græcus Antiochidem vocat, quod insigne dedecus vsque adeò tulere ciues impatienter, vt contra Regem ipsum excitata seditione rebellarint. *Cùm hæc*, inquit, *agerentur, contigit Tharsenses, & Mallotas seditionem mouere, eo quòd Antiochi Regis concubinæ dono essent dati.* Lõgè aberat, vt libidines suas celatas esse vellet; quando duas nobilissimas ciuitates illarum testes esse voluit.

Concubinæ ciuitates donat Antiochus.

127. Hæc quæ modò diximus de sublato sacrificio iugi, Deóque contempto, & in illum assiduæ, impiæ, ac petulantes voces; libidinis æstus, & in fœminas ardens, & inuerecundus amor, quæ in Antiocho esse diximus, optimum nobis proponunt Antichristi typum, in quo hæc omnia supra omnem modum incaluerunt. Quare non mirum, si ex hac postea vmbra in historiæ, seu mauis prophetiæ lucẽ teterrimus ille coluber erepat, & ad suam vmbram statim corpus accedat.

128. *Nec quemquam Deorũ curabit, quia aduersùs vniuersa consurget.*] Heb. *super omnem Deum non intelliget.* Multi ex hoc loco planè se colligere existimant, hæc nõ tam ad Antiochum, quàm ad Antichristum esse referẽda, cùm videant Iouẽ Olympium in tẽplo, & Iouẽ hospitalẽ in Garizim esse statutos Antiochi opera. Sed hæc iã sunt à nobis suprà declarata, vt aliquos Deos coluerit Antiochus; nõ tamen ita religiosè vt suæ siue auaritiæ, siue libidini prætulerit. Quare Deorum templa, quibus ipse studere se significabat, cùm ex illis aliqua sese cõmoditas ostenderet, aut præda, nõ dubitabat, aut flagitiis polluere aut spoliare diuitiis. Quod enim tentauit de tẽplo Dianæ, quod erat in Elymaide, siue Persepoli, idẽ etiam in templis aliis voluisse perficere verisimile est, licèt id in sacris

ſacris monumentis non habeamus: neque enim omnia quæ ab aliis geſta ſunt, maxime ſi aliena, ſacra prodit hiſtoria, immò neque profana.

129. *Quia aduersùm omnia conſurget.*] Quaſi dicat, neque pietatem curabit, neque pudorem: quare contemnet omnes Deos; ſi contra ſtat, quæcumque alia, licèt ſacrilega cõmoditas; neque quid pudor, aut regij nominis auctoritas exigat, curabit, cùm ſe à Venere qualiſcumque illa ſit, aliqua ſe opportunitas oſtendet: aduersùs enim omnia conſurget, contra religionem videlicet, & pudorem, & regij nominis dignitatem.

130. Verſ. 38. *Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur.*] Hîc multa interpretes de Deo hoc incognito; neque alio in loco vſquam audito, quæ hîc repetere, ac confutare omnia longus eſſet, & forſitan inutilis labor: dicã tamen breuiter quid alij ſenſerint in re admodum obſcura: deinde quid mihi magis videatur ad veritatem, & textum. Qui vocem Hebraicam Maozim reliquerunt, oſtendunt proprium eſſe nomen alicuius Dei, quem vnum contemptis aliis, vt quidã exiſtimãt, Antichriſtus, vt autem nobis veriſimilius eſt, Antiochus coluit. Sed quis ſit iſte Deus, obſcurum eſt. Quidem ex nominis Hebraici notatione Martẽ eſſe putant, quia nomen ipſum fortitudinem ſignificat, præſidium, & robur. Ita in ſuis Lexicis Pagninus, & Marinus. Alij diabolũ eſſe putant, quem occultè adorabit Antichriſtus, à quo omne præſidiũ habebit, & robur, quo expugnet omnia, quæ oppugnare tentauerit. Nec deſunt, qui putent Maozim eſſe aut Antiochum, aut Antichriſtum ipſum, qui nullum putabãt eſſe Deum præter ſe: ſeipſos itaque amabũt, ſibi diuinos honores exhibebunt, aut vt ab aliis impẽdantur aut artificio, & fraude, aut armis, & muneribus efficient. Sic Theodoretus, cui ſubſcribunt plures alij, in quibus ſunt Anſelmus Laudenſis, Strabus, Pereira, Bellarminus de Romano Pontifice lib. 3. cap. 14. neque improbat Franciſcus Suarez tom. 2. diſp. 54. ſect. 4. Neque ſolus fuit Antichriſtus, aut Antiochus, qui ſibi diuinũ ineſſe aliquid putarunt, & diuinos ſibi honores ab aliis impendi, propoſita capitali pœna voluerunt, & vidimus apud hunc Prophetam in Nabuchodonoſor, cùm auream excitauit ſtatuam cap. 3. & in Dario qui edicto cauit, ne quis Deorum aliquem rogaret per dies triginta præter ſe: quæ cogitatio eius eſſe videtur, qui diuinos ſibi ſpiritus arrogat. Sed de Antiocho docuimus proximè, qui ſe non cogitabat eſſe mortalem, ſed Diis ſe putabat eſſe parem, aut fortaſſe maiorem, vt ex 2. lib. Machab. cap. 9. non obſcurè conſtat. Sanè vt ex Ioſepho ſuprà docuimus, num. 133. Deus à Samaritanis vocabatur Antiochus.

Maozim quis Deus.

131. Hæc omnia ego puto non improbabilia; addã tamen quod mihi valde videtur veriſimile, & ſi quem haberem Ducem, qui præiret, nõ omnino diſpliceret. Vocem Heb. מעזים *Maozim* Aquila, Hieronymo teſte, tranſtulit *Deum fortitudinũ*, Septuaginta *Deum fortiſſimum*, alij *munitionũ*, ſeu *præſidiorum*. Ex his, & ex toto vitæ genere ego ſuſpicabar Deum Maozim, eſſe pecuniã, ſeu diuitias, quas ita captauit, & coluit Antiochus, & præ his reliqua apud illum numina ſorduerint. Vnde nõ dubitauit cõpilare templa, & diuina omnia, atque humana iura peruertere: & ideo videtur Angelus repetere quoties Ægyptũ adierit Antiochus, quot inde ex ſacro, vt opinor, loco, atque prophano theſauros cõuexerit, vt oſtẽdat id quod modò dixiſſe videbatur, viluiſſe apud hunc Regẽ Deos alios, & vnã pecuniam eſſe in honore, ac pretio.

Maozim videtur eſſe pecunia.

Sanè antiqui diuitiis diuinum attribuerunt nomen, & fortiſſimum eſſe, aut fortitudinum Deum exiſtimarunt. Hæ arces expugnant, ſubruunt muros, neque illis quicquã eſt inacceſſum, & clauſum. Quod ſignificarunt in ſuis fabulis Poëtæ, dũ auro plus fortitudinis tribuunt, quàm ſuo Ioui, quem Deorum faciebant patrem, atque hominum Regem: ille enim, vt turrẽ expugnaret, vbi clauſa fuerat à parente Danaë., mutauit ſpeciem, & ſpeciem ſumpſit auri, id eſt, exuit Iouem, & aurum induit multo vtique Ioue potentius. De quo Horat. optimè lib. 3. Carm. ode 16. 132.

Pecunia vis, & poteſtas.

Incluſam Danaem turris ahenea
Robuſtaque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris,
Si non Acriſium virginis abditæ
Cuſtodem pauidum Iuppiter, & Venus
Riſiſſent, fore enim tutum iter, & patens,
Conuerſo in pretium Deo.
Aurum per medios ire ſatellites
Et perrumpere amat ſaxa potentius
Ictu fulmineo. Concidit auguris
Argiui domus, ob lucrum
Demerſa excidio. Diffidit vrbium
Portas vir Macedo, & ſubruit æmulos
Reges muneribus: munera nauium
Sæuos illaqueant Duces.

Sanè aut aurum, aut quod eodem loco pono, pecuniam Antiqui Deum eſſe finxerunt propter potentiam ſummam, qua euertit omnia, omnia moderatur, molitur, ac ſoluit. Fuit quidem Deus Plutus, qui diuitias, & Pluto, qui locupletem ſignificat, in quibus theſauros, & opes finxerunt Antiqui. De quorum natura, atque potentia multa ex Græcis Ariſtophanes in Pluto. Sed & alij de pecunia, quaſi de magno aliquo numine loquuntur. Iuuenalis Satyr. 1. 133.

Pecunia habita pro Deo.

—Inter nos ſanctiſſima diuitiarum
Maieſtas: & ſi funeſta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Vt colitur pax, atque fides, victoria, virtus,
Quæque ſalutato crepitat Concordia nido.

Hoc autem licèt templum Romæ non haberent, aut aram, ita tamen colebantur, ac ſi eſſent numina. Acutè Petronius Arbiter pecuniæ diuinas attribuit partes, illámque Ioui aut parem, aut ſuperiorem fecit.

———Quiduis nummis præſentibus opta,
Et veniet: clauſum poſſidet arca Iouem.

Præclarum eſt illud ex Anthologia, de ſtudio diuitiarum,

Nullus adeſt priſcæ virtutis cognitor, vlla
Relligio ſuperos vix putat eſſe Deos.
Nimirum ingenti congeſta pecunia cura
Eſt Deus: humanas nunc regit ipſa vices.

Hoc Gentiliũ de pecuniæ potentia, ac maieſtate iudicium; quod etiã oſtendũt quædam ſacrarum literarum teſtimonia, dum hominum ſtultorum animos ſic in pecuniarum ſtudium affectos eſſe dicunt, vt pene colant, vt ſacrum aliquid, & diuinum. De potentia, atque imperio pecuniarum eſt illud Eccli. c. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.* Et Paulus ad Coloſſ. 3. auaritiam ſimulacrorum ſeruitutẽ vocat. Quod ſi auarus idolis ſeruit, cùm pecuniæ ſeruit; conſequens eſt, vt pecunia dicatur idolum, & quia omnia præſtat, proſternit, & expugnat, iure optimo vocari poteſt Maozim, id eſt, Deus fortiſſimus, aut Deus fortitudinum. Vide quæ diximus in noſtris commentariis ſuper 134.

Oseam ad illud cap.12.v.8. *Verumtamen diues effectus sum: inueni idolum mihi.*

135. *Antiochi auaritia.* Quàm autem sitiens pecuniarum fuerit Antiochus, facile est tum ex hac Danielis prophetia, tum ex Machabæorum vtroque libro coniectare. Adiit enim Ægyptum sæpe, vt thesaurorum inde vim ingentem referret: spoliare voluit templum Dianæ, quod erat in Elmaide, quia ibi opimam esse prædam acceperat. Idem fecit in Ierusalem, vnde tam sacram, quàm profanã gazã Babylonẽ abduxit. Quo consilio cùm Apolloniũ cum exercitu mitteret Hierosolymam, in mãdatis dedit lib.2.Mach.c.5. v. 24. *vt mulieres, ac iuuenes venderet*, nẽpe vt ex illis pecuniam redigeret.

136. *Et Deum, quem ignorauerunt patres eius, colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebúsque pretiosis.*] Si aliorum sententiam sequamur, expositio difficilis non est. Illũ enim Deum quicumque sit, sic ornabit, & colet Antiochus, vt in eius honorem studiosè, ac cumulatè conferat quicquid in auro, argento, pretioso lapide spendidum, atque pretiosum est. Si tamen Deum illum pecuniam esse dicas, & quicquid auari hominis animum capit, & oblectat, quod proximè non improbabamus, immò dicebamus videri maximè probabile, significari videtur hîc ab Angelo, quis sit, & ex quo cõflari existimari possit Deus ille Maozim. Non esse videlicet aliud quàm aurum, argentum, pretiosum lapidem, résque alias, quæ apud auaros homines in pretio, honore, atque in amore sunt. Tum autem illud *&* ante *Deum, quem ignorauerunt*, particula est expositiua, vt alibi sæpè in hanc sententiam. *Deum Maozim venerabitur, id est, Deum quem ignorauerunt*, &c. Quam cogitationem aliquantulum iuuat, quòd vbi vulgatus legit, *Colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebúsque pretiosis*, Heb. est. *In auro, & in argento, & in lapide*, &c. Quasi dicat, in auro, & argento suum Deum colet; id est, nullum habebit Deum præter aurum, & argentum. Non sum nescius ב *beth*, apud Hebræos notam esse interdũ instrumẽti, at illam sententiam ב, nominibus præfixa frequentiùs ostendit. Sed modus ipse dicendi satis ostendit duos fuisse Deos, nam cùm dixisset *Deũ Maozim*, addidit, *& Deum, quem ignorauerunt*. Quod item facit statim, cùm ait: *Maozim cum Deo alieno*. Quis autem sit Deus ille secundus alienus, dicemus postea ad illud, *& dabit eis potestatem*. Est autem, vt opinor, luxuries, cui deditissimum fuisse Antiochum, docet illud vers. 37. *Et erit in concupiscentiis fœminarum*.

137. Sed dicet aliquis Deum istum Maozim ignoratum dici Antiochi parentibus: at parentes illius non ignorabant, quantum esset in pecunia potentiæ; neque illis studium defuit, atque conatus conferendæ vndecumque pecuniæ. Sed neque deest quid huic cogitationi respondeã; primùm hoc loco non esse sermonem de Maozim, quicumque ille Deus sit; sed de alio quodã Deo, quem simul cum Maozim adorauit Antiochus, de quo statim. Deinde quia licèt de pecuniis præsens esset sermo; tamen *ignorare* ex vsu Scripturæ non semper significat rem alicui non esse cõpertam: valet namque, idque non infrequenter, idem quod neque seruire, neque obsequi, aut neque aliquem superiorem agnoscere. Quomodo Pharao Exod.cap.5. *Nescio Dominum, & Israel non dimittam*: id est, licèt vos illum vobis Deum elegeritis, eidémque parendum arbitremini; at ego illum neque vt Deum colo, cum Diis supplicem, & obsequar; neque Deum agnosco, vt illius im-

A perio, aut monitis obtemperem. Sic puto Antiochi maiores, Reges nempe Syriæ amabant haud dubiè opes, illisque conquirendis sedulò studebant; non tamen eo habuerunt loco, vt illas pro Deo coluerint, aut earum cupiditate, quod fecit Antiochus Epiphanes, Deorum delubra compilarint: imò vt templa essent ornata, & sacer cultus honestus, & amplificatus magis. magnas ipsi diuitias in templorum cultum, & sacra contulerunt. De Alexandro, à quo Antiochi maiores regnum obtinuerunt Syriæ, quàm liberaliter templum ornauerit Dianæ in Elymaide, habes lib. 1. Machab.c.6. vbi post alia templi illius ornamenta dicitur: *Et illic velamina aurea, & loricæ, & scuta,* B *quæ reliquit Alexander Philippi Rex Macedo.* Quàm autem in ornando Solymitano templo fuerit idẽ Alexander, Seleucus, & Antiochus Magnus, Reges Syriæ, diximus nuper ad num. 124. Eadem responsio adhiberi potest, etiãsi Deus ille ignotus sit profusa libido, cui se totũ tradidit Antiochus. Nam licèt illius parentes illi se turpitudini tradiderint; non tamen illi tantum honoris impendendum esse existimarunt, vt pro Deo libidinem, aut muliercularum impudentiam habuerint. Quod fecisse videtur Antiochus, vt dicemus statim ad illud, *Et multiplicabit gloriam*.

Vers.39. *Et faciet, vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit* 138.
C *eis potestatem in multis: & terram diuidet gratuitò.*] *Maozim* hoc loco quidam nomẽ esse putant appellatiuum potius, quàm proprium; ita vt sensus sit: *Excitabit munitiones, seu præsidia Deo suo.* Ita planè cõuertunt auctores ferme omnes præter vulgatum. Ego eundem esse Deum existimo, de quo suprà, nempe aut Iouem; aut alium ex antiquis Gentilium Diis; aut pecuniam, vt putabamus esse nõ improbabile. Si alium Deum intelligas, quem Antiochus colet, aut ex antiqua Gentiũ religione, qualis est Olympius Iuppiter, aut Mars, aut nouus ille Deus, quem finget, & subditis populis obtrudet Antiochus, sensus est non difficilis, aut D obscurus: ædificabit nempe Rex idolo suo, cui ex omnibus vni honores impendet diuinos, munitiones, & templa, magnaque promittet, largitérque iis, quos à patria religione ad nouam aliã transfugas abducet. Quàm multa promiserit Iudæis, si eiurata parentum religione ad Gentilica sacra traducantur, habes lib.1. Machab. cap.2.v. 18.& lib.2. cap.7.v.24. & reipsa his, quos in illo colendo Deo socios habuerit, agros distribuet absque pretio.

Hæc ego non improbo, & quia & ipsa per se 139.
non admodum difficilia sunt, & pluribus placẽt; mihi quoque vel eo tantùm nomine placere debent. Sed hæc etiam ad posteriorem meam cogitationem accommodare, non est aut magni la- E boris, aut inutilis otij. Construxit Antiochus deo suo, quem ex omnibus aut solum habuit, aut præcipuum munitiones, atque præsidia; quia pecunia, nisi firmo contineatur loco, ad quem furacibus manibus aditus non pateat, secura non est: sic antiquorum thesauros in locis arte, aut natura munitissimis seruatos audimus. Sanè Persarũ Reges gazæ locum habuerunt, vbi regiæ seruarentur opes, vsque adeò clausum, atque munitũ, vt nullo artificio aperiri, nulla vi expugnari posse videretur. Qui ideo Gazæ sibi nomen assumpsit, in qua ciuitate expugnanda, vt auctor est Diodorus Siculus lib.17. duos menses consumpsit Alexander. Plura exempla locorum, vbi regiæ custodiebantur opes, vide apud Alexandrum

Neapoli

Neapolitanum lib.11, cap.1. Sic igitur locum A exponο:pro Deo suo alieno, aut vbi est Deus ille,quem vnum ex omnibus cognouit, & veneratus est,faciet munitiones,id est,ærarium, vbi regia pecunia, & copiosa præda non ab hostibus solùm,sed ab amicis etiam erepta seruetur.

140. *Et multiplicabit gloriam.*] Accommodo hæc etiá ad posterioré cogitationem,non quòd displiceat prior;sed quia hæc quoque non videatur aliena, & in re obscura tentare aliquid noui non solùm licet,sed aliquando etiam necessariú est interpreti. Gloriam hoc loco pro auro sumo,atque argéto, pro lapide pretioso; pro his denique rebus, quæ numerantur in bonis,& regiis thesauris,quę omnino diximus Antiocho fuisse pro Deo.Cùm B ergo munitiones construxerit,& loca pro seruádis opibus munita,& clausa,augebit gloriá,id est, regiam gazam, quæ quia ex lapidibus, rebúsque aliis pretiosis auro,& argento cóstat,quæ omnia pulcra sunt,latéque splendét:gloria vocatur iuxta Hebræorum idioma, apud quos splendor, & mundities; pulchritudo,& decor illo significantur nomine.Hæc fortasse vera;sed credo hæc pertinere potiùs ad secundum Deum, quem colet Rex, ad luxuriem nempe. Nam concubinam suam Antiochidem sic fecit potentem,atque gloriosam, vt illius sumptibus duas ciuitates attribuerit,de quibus statim pluribus.

141. *Et dabit eis potestaté in multis.*] Illis quos ad nouum illum Deú colendum traducet Antiochus, C ampla dabit munera, & potestatem multam siue in illorum vitam, atque fortunas,qui alia omnia, id est,saniora cogitabunt,siue vt plura possideát, & suo viuant arbitratu, ab iis vectigalibus immunes, quibus aliis supra omnem humanitatem, & modum onerantur. Hæc iuxta aliorum sententiam, quam ego non improbo:sed accommodatè ad ea, quæ proximè dixi, aliam ego expositionem instituo.

142. Suprà Propheta audierat ab Angelo duos ex Deorum omniú numero colendos ab Antiocho: alterum Maozim,quem nos pecuniam, & regias opes esse putabamus, de quo satis hactenus mul- D ta. Alterum,quem secúdo loco statuit post Maozim, & hunc existimamus esse intemperantiá illam, quæ est à venereis; vt ostendit non admodú obscurè illud v.37.*Et erit in concupiscentiis fœminarú.* De hoc secundo Deo suspicabar hunc esse sermonem,in cuius studium,& cultum nefarium sic sese effudit intemperanter, vt cùm pecuniarú esset sitientissimus, illas tamen,quo suá exaturaret libidinem,immoderatè profunderet. Hoc nobis facilè suadet,quod suprà notabamus ex lib.2.Machab.c.4.v.30.vbi duæ ciuitates dono dicútur esse datæ regiæ concubinæ, quam Græcus textus Antiochidam vocat. *Cùm hæc*,inquit,*agerentur,contigit Tharsenses,& Mallotas seditionem mouere,eo quòd* E *Antiochi Regis cócubinæ dono essent dati.*Neque est incredibile mulierosum hunc Regem habuisse cócubinas alias,quibus æqualia,aut fortasse maiora munera, atque honores decreuisset. Has igitur mulierculas,ex quibus turpes illas voluptates capiebat assiduè, pro Deo coluit Rex ille impudés, & barbarus.Ex his ego non malè explicare posse videor loca hęc,quæ proximè exponere orsus sú, quæ aliter nescio quomodo hiantem relinquút, neque omnino sedatú curiosum legentis animú.

Profusa Antiochi in cócubinas liberalitas.

143. *Et multiplicabit gloriam.*] Ornarat hoc non tam Deum,quàm immane móstrum Antiochus auro, argento,gemmis, & aliis quæ in fœminarum deliciis, aut mundo muliebri numerantur: hoc tamen non videtur satis habuisse profusa luxuries, nisi etiam aliud illustrius multo ornaméti genus meretriciæ impudentiæ, pro venali pudore tribuisset,multiplicauit gloriam,& quasi parum esset superiora fuisse concessa,ciuitates dedit,& ingenua corpora meretriciæ potestati subiecit.

Et dabit eis potestaté in multis.] Explicatio est superioris clausulæ,id est,gloriæ,quæ multiplicáda dicitur.Nam reuera potestatem dedit concubinis in ciuitates,quarum illas dominas esse iussit.

Et terram diuidet gratuitò.] Hæc multo magis explicationem nostram confirmant.Gratuitò enim, 144.
id est,sine vllo pretio terram diuisit,ciuitates videlicet suo imperio subiectas in concubinas:nisi pretij loco statuas venale corpus, quod regiæ libidini substrauerunt.Hebraicus textus habet,*terram diuidet pretio*,vel in mercedem;sed est idem omnino sensus, cùm in mercedé prostituti corporis terram, ciuitatésque diuiserit; sed erit vsque adeò vilis illa opera, pro qua merces illa tanta rependitur,vt gratuitò videatur esse data.

Vers.40. *Et tempore præfinito.*] Repetit hîc Angelus, quod antè dixerat de bellis,ac motibus quæ 145.
Antiochus contra Ægyptios Reges excitauit.Neque otiosa videri potest hæc repetitio; tú quia id vsitatum est Prophetis;tum quia hîc peculiaris aliqua ratio est, vt mox dicemus. Solet aliquid à Prophetis iterari sæpius,vt certior ostendatur,& firmior vaticinij fides.Ab exemplo abstineo,quæ plúrima occurrent attento lectori. Vnum accipe Genes.c.41. rem eandem Dominus Pharaoni duplici significauit somnio, scilicet abundantiam priùs,deinde sterilitatem frumenti:alterum priùs pinguium,& deformium vaccarum;deinde spicarum plenarum,atque aridarú spectro, quod esse firmitatis signum dixit ipse somniorum interpres Ioseph. *Quod autem*,inquit,*vidisti secundum ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est.* Sed est alia ratio huius loci,ac vaticinij propria. Dixerat paulo antè Angelus,vt putabamus non improbabile,de Antiocho vers.36. *Et faciet iuxta voluntatem suam Rex,& eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum.* Vbi in rebus suscipiendis, & adeundis audacia; & in perficiendis felicitas significatur.Illam tamen docuerat non esse perpetuam,dum dixit, *Dirigetur donec compleatur iracundia; perpetrata quippe est definitio.* Ac tandem illi Deum,aut pro Deo futurum esse Maozim,in quo diuitias accommodato satis nomine significari putabamus.Hæc omnia probare vult Angelus ab 146.
effectu: atque ideo docet quoties adierit Ægyptum;quámque in illa subiuganda, atque spoliáda fuerit fortunatus; vt denique felicitatem illam grauia quædam infortunia consecuta sint. Quòd autem Deum Maozim, id est, pecuniam pro numine coluerit, & illi se in omnibus præbuerit obsequentem,satis indicat Ægyptus toties repetita, & toties suis opibus,atque ornamentis exuta:& terra,quam gloriosam vocat, id est, Iudæam,& Ierusalem,ex qua opimas in Syriam retulit exuuias.Subire autem tot incommoda, tot se periculis obiicere propter pecuniam,&lucrum nihil est aliud,quàm subesse pecuniæ,& illi parere táquam dominæ, aut adorare tanquam Deum. Quid enim magis auderet, aut faceret Antiochus si Deus, cuius imperio prorsus esset addictus religiosè,quàm fecit non imperante solùm, sed etiam cogente pecuniarum cupiditate. Sanè 147.
pecuniæ tanquam Deo obsequitur,qui contra illius imperium mutire non audet, qui perrumpit omnia vt diuitiarum studio satisfaciat; qui mari se

Pecunia tyrannica potentia.

se committit, & ventis, & cum fluctibus assiduè luctatur, vt dixit ille,

——digitis à morte remotus
Quattuor, aut septem si sit latissima tæda.

Descripsit optimè seuerum nimis auaritiæ imperium, quo adiguntur, qui pecunias amant, aut venerantur, Persius Satyr. 5. apud quem auaritia torpentem seruum sic vrget, & exagitat,

Manè piger stertis? surge, inquit auaritia, eia
Surge: negas? surge inquit: non queo, surge.

147. Sic sanè instimulabat auaritia Antiochum, quem egit in Ægyptum, aliásque prouincias, de quibus statim, illiúsque vitam & pelagi periculis, & bellorum aleæ commisit.

148. *Et in tempore præfinito præliabitur aduersùs eum Rex Austri.*] Rex hic Austri est Ptolomæus Philometor, qui, vt suprà ostendimus, ciuitates sibi ex Syria subiugarat, Ægyptiæque ditioni subiecerat. In quem exercitum, & classem adornauit Antiochus; illúmque terra, maríque hostiliter aggressus ornamentis maximis, & thesauris copiosis, & magna Ægypti regni parte priuauit. Quæ nunc statim attigisse sat sit, cùm illa suprà pluribus persecuti fuerimus.

149. Vers. 41. *Et introibit in terram gloriosam, & multi corruent.*] Bis Antiochus ingressus est Ierusalem: primùm cùm ex Ægypto victor, onustúsque spoliis reuerteretur in Syriam, de quo lib. 2. Machab. c. 4. item cùm ex Ægypto discedere compulsus est à Romanis. Quàm verò tunc auarus, quàm crudelis exstiterit, habes lib. 2. Machab. cap. 5. & libro 1. cap. 1. Qua de re à nobis hoc ipso in capite multa dicta sunt.

150. *Hæ autem solæ saluabuntur de manu eius Edom, & Moab, & principes filiorum Ammon.*] Cùm Iudæa, vt alio in loco à nobis obseruatum est, media esset inter Ægyptum, & Syriam, modò ab Ægyptiis, modò à Syriis, cùm illac agmen agerent, in transcursu variis afficiebantur incommodis. A quibus Idumæi, Ammonitæ, atque Moabitæ immunes fuerunt; tum quia illorum fines non erant exercitibus peruij; tum maximè quia minus quàm Iudæi acriter Antiochi consiliis restiterunt. Fecerunt, opinor, quod Samaritani, dum magis arderet hostilis furor, qui, vt Iosephus tradit lib. 12. Antiq. c. 7. Antiochum, vt seruatorem, & Deum exceperunt, eóque nomine, nimis assentatorio salutarunt. Quod si id fecerunt regiones illæ Moabitides, Ammonitides, & Idumææ, sanè mirandum non est, si auaras, aut cruentas manus ab illis temperarit Antiochus.

151. Vers. 42. *Et mittet manum suam in terras: & terra Ægypti non effugiet.*] Manus hîc pro exercitu sumitur, vt alibi frequenter: terras autem illas esse arbitror, de quibus suprà c. 8. v. 9. vbi iterum Daniel de Antiocho sub cornu metaphora. *De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum, & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem.* Cur verò seorsum terræ Ægypti meminerit, ea videtur esse ratio, quia illa minus videbatur subiugari, atque spoliari posse, cùm magis esset militaribus præsidiis instructa, quibus externa vis, quantumcumque potens, atque copiosa propulsari posset. Est autem hoc tam apud sacros, quàm apud profanos auctores vsitatum, vt siqua maximè excellunt in aliquo genere, quãquam in generali aliqua voce comprehendantur; numerentur tamen seorsum ab aliis. Sic in Ps. 17. titulo; *In die qua eripuit eum Dominus de manu omniũ inimicorum eius, & de manu Saul.* Seorsum numeratur Saul, quia ille inimicorum omnium acerri-

REGVLA. Quæ in aliquo genere maximè excellunt, seorsum ab aliis numerantur.

A mus, ac potentissimus fuit. Marc. 16. Petrus post commune nomen separatim auditur: *Dicite discipulis eius, & Petro.* Sic Virgilius post commune Danaum nomen Achillem separatim apposuit,

Troas relliquias Danaum, atque immitis Achillis.

Ad hunc, credo, modum separatim numeratur Ægyptus, quia in illa plus fuit, quod sperare potuerit, aut superare debuerit Rex Antiochus.

Vers. 43. *Per Libyam quoque, & Æthiopiam transibit.*] Non est creditu difficile Antiochum cùm ad Ægyptum descenderet, vel cùm ea expugnata in Syriam rediret, transiisse per Libyam, & Æthiopiam, quæ non procul dissitæ sunt ab Ægypto, & inde quicquid lautum, atque pretiosum fuit, in 152.

B Syriam secum abstulisse. Neque incommodat, si hæc sacris literis prodita nõ sint; quia nõn omnia è sacris literis petenda sunt, quia multa silet, multa præterit tanquam aliena; neque auctor librorũ de Machabæorum gestis, id sibi negotij sumpsit, vt res ab Antiocho gestas mandaret monumentis; sed illa tantùm, quæ à Machabæorum historia separari non poterant. Multo, meo iudicio, difficilius est, tã hæc, quàm quæ antecessere proximè, aut mox subiicientur, Antichristo accõmodare, quòd Idumæis, aliísque pepercerit, quòd cõtra illum Rex Austri bella mouerit, & quæ nos statim de Antiocho explicare tentabimus.

REGVLA. Scriptura sacra multa præterit in historia, quæ non multum faciunt ad institutum.

C Vers. 44. *Et fama turbabit eum ab Oriente, & Aquilone.*] Huc vsque Antiochi felicitas, hucusque præda, hucusque victoriæ: hinc iam incipit fortuna defluere, & in peius labi. Turbabit enim illius animum exultantem nuncius ab Oriente, id est, à Ierusalem, quæ cõparatione Ægypti, in qua tunc populabundus erat, partim Orientalis est, partim Aquilonaris, in ea videlicet regione, quæ sic respicit Aquilonarem plagam, vt tamen modicè ad Orientem incliner. Turbauit autem, vt est verisimile, fama illa, de qua lib. 2. Machab. c. 5. vbi portenta quædam in aëre apparuisse dicebantur horrifica, & dissipatus rumor, quòd è viuis excessisset Antiochus; quæ fama, ne quid ipsius cõsiliis officeret, valde formidabat. Audi quid de hac perturbatione lib. 2. Machab. c. 5. v. 2. *Contigit autem per* 153.

Incipit Antiochi commutari fortuna.

D *vniuersam Hierosolymorum ciuitatem videri quadraginta diebus per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, & hastis quasi cohortes armatos,* &c. & deinde v. 5. *Sed cùm falsus rumor exiisset tanquam vita excessisset Antiochus, assumptis Iason non minus mille viris, repentè aggressus est ciuitatem: & ciuibus ad murum conuolantibus, ad vltimum apprehensa ciuitate, Menelaus fugit in arcem.* Deinde vers. 11. ostẽdit quàm grauiter Antiochi animum res ista turbauerit. *His itaque gestis suspicatus est Rex societatem deserturos Iudæos, & ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis, ciuitatem quidem armis cepit.* Alia item Antiochum fama turbauit lib. 2. Machab. cap. 4. v. 30. *Cùm hæc agerentur, contigit Tharsenses, & Mallotas seditionem mouere, eo quòd Antiochi concubinæ dono essent dati. Festinanter*

E *itaque Rex venit sedare illos.*

Hæc fortasse vera; sed credo aliud fuisse nuncium, quod Regis animũ conturbauit, & fregit, affixítque lecto præ mœrore, & tandẽ morti dedit. Nam cùm Dianæ templum, quod erat in Elymaide, spoliare nõ posset, quod optabat maximè; & insuper à ciuibus superatus ignominiosè reuertisset, vt habes lib. 1. Machab. c. 6. v. 5. *Venit qui nunciaret ei in Perside, quia fugata sunt castra, quæ erant in terra Iuda; & quia abiit Lysias in virtute forti in primis, & fugatus est à facie Iudæorum, & inualuerunt armis, & virtutibus, & spoliis multis, quæ ceperunt de castris, quæ exciderunt. Et quia diruerunt abominationem quam ædifica-* 154.

ædificauerat super altare quod erat in Ierusalem, & sanctificationem, sicut prius circũdederunt muris excelsis;sed & Bethsaram ciuitatem suam. Et factum est,vt audiuit Rex sermones istos,expauit,& commotus est valde,& decidit in lectum,& incidit in languorem præ tristitia. Hæc, opinor, fama fuit, de qua nunc ad Danielem Angelus, quam accepit in Perside, quæ respectu Iudææ, vnde illud graue vulnus fuerat inflictum, ad Orientem Aquilonarem spectat. Tunc verò non tam dicendus est Antiochus accepisse graue nuncium ab Oriente, & Aquilone, quasi res illi in Aquilone, & Oriente accidisset aduersa, quam cùm ipse ad Aquilonarem, & Orientalem regionem moraretur, rem audiisset alio in loco administratam infeliciter.

155. *Et veniet in multitudine magna,vt conterat,& interficiat plurimos.*] Vt primùm audiuit Antiochus exercitum suum à Iudæis fuisse cõcisum, fugatos duces, rémque Solymitanam sibi excidisse prorsus, inflammatus furore exercitum, quem ad aliã expeditionem instruxerat, nẽpe vt Elymaidis opes, & templi thesauros diriperet; in Iudæam conuertit, eo consilio, vt illius gentes contereret, & occideret. Sed frustrà: iam enim tẽpus aduenerat à Domino definitum, extremúsque dies, in quo illi acerbo, atque ignominioso exitu pereundũ fuit. De hoc furore, & studio vindictæ est illud lib. 1. Machab. c. 9. v. 3. *Et cùm venisset circa Ecabatanam, recognouit quæ erga Nicanorem, & Timotheum gesta sunt. Elatus autem in ira arbitrabatur se iniuriam illorum, qui se fugauerant, posse in Iudæos retorquere. Ideoque iussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter cœlesti eum iudicio perurgente, eo quòd ita superba loquutus est, se venturum Hierosolymam, & congeriem sepulcri Iudæorum eam facturum.* Et statim v. 7. *Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione mẽbra vexari.*

156. Vers. 45. *Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria super montem inclytum, & sanctum, & veniet vsque ad summitatem eius.*] Apadno appellatiuum est nomen, non proprium alicuius loci, vt cũ plerisque aliis putat Hieronymus, qui tamen cũ Theodotione nomen reliquit sicut inuenerat in Hebræo. Significat autem idem quod *palatij sui*, seu *tentorij sui.* Porrò *tabernaculũ Apadno*, seu *tabernaculum tentorij sui*, nihil aliud esse arbitror, quàm tabernaculum suum. Est enim hic loquendi modus apud Hebræos maximè familiaris: quomodo *domus carceris* pro carcere sumitur. Isai. c. 42. v. 7. Ierem. c. 37. v. 17. & cap. 52. v. 11. & v. 31. & *domus laci* pro lacu Ierem. 37. v. 15.

Apadno quid.

REGVLA. Domus carceris, domus laci, & *similia pro carcere, & lacu.*

157. Si, quod probabile suprà cẽsebamus, sermo hic foret de tẽpore, in quo ex Ægypto rediit Antiochus cũ Iason Hierosolymæ res nouas moliebatur, cùm illa edidit auaritiæ, atque crudelitatis exempla, de quibus lib. 2. Machab. c. 5. nõ videbatur difficilis expositio. Nã licèt id in Machabæorum libris non habeamus expressum; est tamen verisimile inter duo maria, Mortuum videlicet, & Mediterraneum sua constituisse tentoria. Est autẽ inter duo hæc maria Ierusalẽ, quæ mons dicitur inclytus, & sanctus, ad quem ingressus est; neque ab oppugnando destitit, donec ad fastigium vsque montis ascendit, in quo arcem sibi exædificauit, muniuítque præsidio, ac mœnibus, lib. 1. Machab. c. 1. v. 35. Cùm verò ad extremum additur, *& nemo auxiliabitur ei*, illud *ei* non adiungo Antiocho: nulli enim illi tam ex Syriis, quàm ex Iudæis auxilio fuerunt. Sed loco sancto, & inclyto, quem occupauit, & arcem sibi, atque munimentum esse voluit, quo subiectam vrbem in officio contineret, & fide.

A

Hæc expositio valde mihi videtur soluta: sed illud videtur nonnihil obstare, quod nihil in toto hoc capite narratur, quod Antiochi votis, ac reb⁹ acciderit aduersum; cùm tamen id suprà propositũ videatur ab Angelo. Neque præterea videatur id prætermitti debuisse, quia ea in re Antiochus typus Antichristi fuit. Fuerunt autem vtriusque valde inter se consentientes exitus. Quare tentabimus hæc ad posteriora tempora referre, quæ & furorem continent inflammatum Antiochi in Iudæorum genus, & illius miserabile, ac fœdum mortis genus. 158.

B

Primùm non muto, quod dixeram priùs tabernaculũ, seu quod idem est Apadno esse statuendũ inter duo maria, id est, in Ierusalem, quæ media est inter Mediterraneum, ac Mortuum mare, neque procul ab vtrolibet. Et montem inclytum, & sanctum esse montem Sion, seu ciuitatem Dauid, vbi arcem sibi antea cõstruxerat Antiochus, quã postea in fortunæ conuersione, depulso præsidio, quod ibi relictum fuerat à Rege, sibi, suæque reipublicæ vendicauerunt Machabæi, vt habes lib. 1. Machab. c. 4. in fine. Tunc autem hunc locum sic interpretor: non quòd reuera postquã ab Elymaide fugatus, & tristi nuncio de re infeliciter à Ducibus gesta perculsus est Antiochus, Apadno, id est, tabernaculum suum Hierosolymæ fixerit, & ad montis vsque Sionis fastigium ascẽderit; sed quòd ita cogitaret apud se homo superbissimus, ac vindictæ appetens, & idem apud alios verbis sæpe supra modum inflatis prædicauerit, quasi dubius non esset de successu, quem spe iam antè certa deuorauerat. 159.

C

Id verò mihi persuadet nimium sibi confidens superborum ingenium, maximè vbi quis fortunã habuit facilem, & suis votis arridentem, qui nihil futurum esse credit suis cogitationibus aduersũ. Sanè verisimile est, quo tempore ad Iudæorum cædem anhelabat, paulo antequam percussus à Deo, impuram animam exhalauit. De victoria illis sibi verbis fuisse gratulatum, in quibus nunc explicandis nostra versatur cõmentatio: *Figam tabernaculum meum Apadno in Ierusalem; veniam ad montem inclytum, & ad summum illius verticem ascendam.* Quod nõ obscurè colligere mihi videor ex lib. 2. Machab. c. 19. vbi eodem tempore quo præceps ferebatur in Iudæorum interitum, summa sibi arrogabat omnia, & nihil non sperabat. *Qui paulo ante* (quàm moreretur) *sydera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* Tùm etiam eodem incursu dicebat *se venturum Hierosolymam, & congeriem sepulcri Iudæorũ eam facturum.* Et statim, *Qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere.* Qui hæc dicebat, sanè dixisse verisimile, vsum præterito tempore pro futuro, *Fixi tabernaculum in Apadno, veni ad inclyti montis altitudinem.* aut quod idem est, existimare me iam Hierosolymæ fixisse tentoria, & montis Sionis fastigium occupasse. Qui modus dicendi vsitatus est tam in sacra, quàm in profana pagina. Quod enim quis breui faciendum esse existimat, pro facto deputat. Exprefsit hoc optimè in eodem furore, atque arrogantia Seneca in ea tragœdia, quam inscripsit *Herculem furentem*, vbi sic Theseus de Hercule, qui exulceratum animum vindicta sedare cupiebat, sic loquens inducitur: 160.

D

E

REGVLA. *Quod fieri facile existimatur, factũ esse censetur.*

Lycus Creonti debitas pœnas dabit.

Lentum

Lentum est, dabit, dat: hoc quoque est lentum, dedit.
161. Sed in Scriptura sacra id est multo frequentius, quæ quod breui, & certò existimatur esse futurũ, pro facto censetur. Sic Christus, cùm nondum datum sibi negotium à patre consummasset; dixit tamen Ioan. 19. *Opus consũmaui, quod dedisti*, quia citò erat consummaturus, nempe eo tempore cùm dixit in cruce, *consummatũ est.* & Matth. c. 9. de filia Archisynagogi, quæ iam erat mortua, quia statim erat excitanda, dixit esse viuã, *Non est mortua puella, sed dormit.* Eodem, credo, modo dicebat iracundia præceps, & insolens Antiochus, captam iam esse Hierosolymam, & occupatum Sionis fastigium. Et Angelus iuxta hanc Antiochi cogitationem dixisse, talia ab eo perfectum iri, non quidem re, sed cogitatione, & voto; cui tamen non esset responsurus euentus. Hæc mihi videntur non admodum abs re; neque tamen priorem cogitationem improbo, & ideo minus, quia non desunt, quibus illa placeat. In re tamen vsque adeò implexa varios tentare explicandi modos non solùm licet; sed etiam interdum necessarium est interpreti.

162. *Et nemo auxiliabitur ei.*] Hæc verba cuicumque explicationi consentanea sunt, si illud *ei* ad montem referas, ad cuius fastigium ascensurus dicitur Antiochus, sensus erit non extortus, aut alienus à textu: occupabit illud sacri montis fastigium, in illóque præsidium collocabit Antiochus; neque vllus erit, qui vim illam frangat, aut retardet, aut qui auxilio sit monti, ne ad eius verticem infensum illud agmen adscendat. Si verò magis posteriorem explicationem probes, in datiuo *ei*, necesse est Antiochum intelligas. Cui ad posteriorem profectionem, cùm vendicare voluit arcem Sionis à Iudæis ablatam, & iniuriam quam sibi illa tam esse arbitrabatur vlcisci, omnia defuerunt. Vt enim exercitum habuerit copiosum, quem in illã cogitationem ex Syro, ac Babylonico milite conscripserat; nemo tamen illorum auxilio fuit, quia nemo cum illo Iudæorum fines ingressus est, immò grauissimus ex colliso, ac tabefacto corpore aspirans fœtor, quem ferre neque ipsemet Antiochus posset, omnes ab eius cõuictu, atque cõgressu procul arcebat, vt cõstat ex lib. 2. Machab. c. 9.

Hæc ego de Antiocho explicari posse cõmodiùs puto: alij cum Hieronymo de Antichristo capiunt, & grauiter insectantur Porphyriũ quòd ad Antiochum hæc ab Antichristo trãsferat. 163. Est quidem indignus Porphyrius, cuius alicui sentẽtia probetur; sed tamen fieri solet, vt auctoris non boni sit aliquando non mala cogitatio. Neque desunt aliqui, vt principio diximus, qui putant hæc ab Antiocho separari non posse. In quibus est Chrysostomus orat. 2. contra Iudæos, Polychronius, Hugo, Maldonatus. Et quidem cùm hæc omnia Antiocho, vt ex supradictis apparet verisimile, conuenire possint; & in Antichristum nonnulla nisi admodum contorta; non apparet, cur adeò quis horrere deberet Antiochi nomen, vt illum ab hoc capite remouendum putet. Maximè quia statim capite sequenti horribile illud monstrum, tanquam ex vmbra sua in lucem, id est, cognitionem hominum producatur ab Angelo, vt statim videbimus. Neque video quomodo aptè sequentis capitis initium explicari posset, si sermonem hunc de Antichristo institutum esse fateamur. Ne tamen à magnis auctoribus dissentire videar; ab illorum ego quoque sententia non omnino discedo.

IN CAPVT DVODECIMVM.

ARGVMENTVM.

PRINCIPIVM huius capitis pars est antecedentis, in quo studium ostenditur Michaelis in Gentem Iudæorum, cuius ipsi tutela mandata est. Ille etenim per Antiochi mortem, quo tempore inflammatus in Iudæorum exitium ferebatur, rem grauiter afflictam, atque collapsam restituit. Deinde quia inter Antiochum, & Antichristum magna fuit tam in moribus, quàm in studiis, atque consiliis, totóque vitæ genere similitudo; ideo Gabriel, quem supra Doctorem habuit Propheta, quid animo suo designaturus, quem successum, atque exitum sit habiturus Antichristus, edocet. Primùm docet sub Antichristo talem futuram esse vexationem, qualem neque nouit vlla hominum memoria, neque ad illud vsque tempus vlla continget, quæ varia apud varios, aut incrementa aut detrimenta pariet. Rursus ad vtramque fluminis ripam duos viros constitisse videt, à quibus nihil discet, sed à viro tertio linteato, qui in medio alueo super aquas apparuit. Ab ipso didicit quandiu duratura esset illa vexatio, quid impiis incommodi, & quid iustis vtilitatis esset allatura. Tandem quantum spatij futurum esset inter Antichristi cædem, & vniuersalis iudicij extremum Diem. Appellat autem beatos, quibus vita mortalis ad tempus illud extremum producetur: neque dissimilem requiem, aut externam sortem habiturus esse dicitur Daniel.

CAPVT XII.

1. *IN tempore autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui: & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt vsque ad tempus illud. Et in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro.*

2. Et

PARAPHRASIS.

1. QVo tempore, ô Daniel, hostis ille Iudæorum acerrimus furore præceps contra populum tuum impotẽter feratur, aderit Michael Princeps magnus, cui data est à Deo populi tutela, vt commissam fidei suæ Gentem ab efferata crudelissimi Tyranni

A Tyranni rabie tueatur. Sed audi, ô Daniel, maius aliquid, atque horribilius, cuius vmbram spectare te puta in ea vexatione, quã populus patietur ab Antiocho. Aderit enim aliquando tempus horribile, ac triste, quale nulla hominum memoria audiuit antea, aut ad illud vsque vnquam videbit. In quo saluabitur de populo tuo quicũque relatus fuerit in censum illorum, quos Dominus ad vitam elegit beatorum.

2. Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper:

2. Tunc verò in extremo sæculorum articulo plurimi qui iam antè mortui fuerant,
B & illati sepulcris, reuocabuntur ad vitam, non tamen eodem omnes successu, alij enim excitabuntur, vt beato fruantur æuo, alij vt opprobria sempiterna sustineant.

3. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

3. Qui doctrinam legis sic hauserint prudenter, atque auidè, vt ab illa capiant viuendi formam, talem habebunt splendorem, quale firmamentum splendet, cœlestium luminum fulgore distinctum. Qui autem ad vitæ sanctitatem alienæ salutis procurandæ studium adiunxerint,
C vt alios ad pietatem, sanámque doctrinam instituant, erunt quasi cælestia lumina, quorum splendorem nulla extinguet, aut obscurabit æternitas.

4. Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum, vsque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.

4. Tu autem, ô Daniel, quicquid à me nunc audis, obscurum esse puta, & quasi librum obsignatum, & clausum, vsque ad tempus in quo euentus ipse rerum veritatem aperiat. Legent quidem multi, versabúntque iterum, atque iterum hunc librum, & à variis varius proferetur sensus, & explicatio multiplex.

5. Et vidi ego Daniel, & ecce quasi duo alij stabant: vnus hinc super ripam fluminis, & alius inde ex altera ripa fluminis.

D 5. Et rursus ego Daniel spectrum illud vidi. Oblati sunt enim mihi duo alij viri toto inter se disclusi fluminis alueo; alter enim erat in citeriori, alter in vlteriori fluminis ripa.

6. Et dixi viro, qui erat indutus lineis, qui stabat super aquas fluminis: Vsquequo finis horum mirabilium?

6. Tunc ego rogaui à Gabriele, qui super aquas fluminis priùs linteatus apparuit à quo illustrationẽ, de qua nuper, acceperam, quandiu duratura foret illa mirabilis vexatio, quam futuram esse terribilem proximè audieram.

7. Et audiui virum, qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cùm eleuasset dexteram & sinistram suam in cælum, & iurasset per viuentem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et cùm completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebitur vniuersa hæc.

E 7. Adhæc vir linteatus, vt verbis suis conciliaret fidem, cùm vtranque manum eleuaret in cælum, iurisiurandi religionem interposuit, dixítque obtestatus viuentis in æternum fidem, horribilem illam vexationem per tempus, & tempora, & dimidium tẽporis, id est, per tres annos cum dimidio fore duraturam. Et addidit tunc hæc omnia fore complenda, quando electi populi facta fuerit per solitudines, & occulta loca omnimoda dispersio.

8. Et ego audiui, & non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc?

8. Cúmque ego audiissem, neque tamen intelligerem, quid diceretur ab Angelo, rogaui

9. Et

A rogaui iterum, & dixi: Quid erit deinde, ô Domine mi, post hæc terribilia, quæ aliquando futura, interposito iureiurando prædixisti.

9. *Et ait: Vade Daniel, quia clausi sunt, signatíque sermones, vsque ad præfinitum tempus.*

9. Angelus tunc facessere me iubet ab illa interrogatione curiosa, edicítque sermones illos fore claudendos, obsignandósque, donec tempus illos resignet, & aperiat, quod Deus illorum complemento præscripsit.

10. *Eligentur, & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi: & impiè agent impij, neque intelligent omnes impij, porro docti intelligent.*

10. De tempore itaque, ô Daniel, nihil à me amplius accipies, illud tamen intellige tribulationem hanc, & horribilem diem, varium apud varios habiturum successum; multi etenim ab hac vexatione id consequentur, quod à fornace argentum, aut vestimentum sordidum à nitro, seu ab igne fullonio, ab illo enim scoria excoquitur, & rubigo, & ipsum redditur magis purum, & nitidum; hoc verò elutis sordibus, quas è situ, atque illuuie contraxerat, dealbatur, & nitet. Alij autem, quibus minus est in amore, aut in pretio religio, ex eo temporum conflictu occasionem arripient, vt magis agant impiè. Neque hi intelligent, tametsi hæc signa non obscura sint, aduentare extremum sæculorum diem; quod tamen viri pij, qui idem sapientes sunt, non ignorabunt. B

11. *Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.*

11. Ab illo autem tẽpore, quo Antichristi opera iuge de templis sacrificium tolletur, & eius loco in templis ab illo sacrosancto mysterio desertis execrabile idolum statuetur, ad Antichristi mortem dies intercedent mille ducenti nonaginta. C

12. *Beatus, qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille trecentos trigintaquinque.*

12. Beatus qui illis diebus obdurabit, & perferet patienter mala, & quadraginta quinque diebus postea viuet, qui ab Antichristi morte ad diem vsque iudicij reliqui sunt, ita vt ab inchoata persecutione dies viuat mille trecentos triginta quinque.

13. *Tu autem vade ad præfinitum: & requiesces, & stabis in sorte tua in finem dierum.*

13. Tu autem, ô Daniel, bono esto, atque alacri animo. Tu enim eris instar illorum, qui ad præfinitum mille trecentorum & triginta quinque dierum numerum peruenient, quíque beati futuri esse dicuntur: requiesces enim cum illis pacificè, & sors deinde fortunata tibi, atque æterna continget.

Vers. 1. *In tempore autem illo consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui.*]

1. MAGNVM est inter interpretes dissidium, neque adhuc omnino definitum quónam illud *in tempore illo* referri debeat. Quidam ad caput antecedens, ad tempus nẽpe illud in quo aduersùs Iudæos durè grassatus est Antiochi furor, & vt caput illud Antiochi historiam texere arbitrantur, sic caput hoc duodecimum nihil putant continere, aut sonare aliud præter Antiochum. Ita Iosephus indicat lib. 10. Ant. in fine. Vbi tam quę in vndecimo, quàm quæ duodecimo capite continentur, adscribit Antiocho. Idem etiam putat Scaliger de emendatione temporum lib. 6. & apertè, & latè Chrysostomus oratione 2. contra Iudæos. Ita etiam putabat olim Porphyrius, teste Hieronymo, & alij, quos in eandem sententiam traxit, quem optimè

optimè hoc loco Hieronymus reprehendit, cùm multa dicantur in hoc capite, quæ nullo modo cadunt in Antiochum.

2. Alij ad caput referunt antecedens, quod quia de rebus Antichristi, extremóque sæculo institutum arbitrantur, hoc quoque capitis principium ad Antichristum pertinere putant; ad illud nempe tempus, de quo proximè in præcedenti capite: quando videlicet extinctus fuit Antichristus. Quod Hieronymo placuit, Hugoni, & aliis.

3. Sunt qui ad caput 12. cuius principium est, partem istam referant, neque aliquid impedimenti oriri putant ab illis verbis, *in tempore autem illo*, quod graue illis argumentum videbatur, qui ad caput referebant vndecimum. Pronomen enim *illud* magis in rem antecedentem, quàm in consequentem conuenit. Hoc itaque cogitationi suæ non putant esse contrarium. Est enim Scripturæ consuetudo vti his verbis, *in illo tempore*: *In diebus illis*, & aduerbio *tunc*, & similibus, sine vllo ad superiora respectu. Quod docent Theophylactus in capite 13. Matth. Euthymius in capite 3. Matth. Augustinus lib. 2. de consensu Euangel. cap. 6. vbi ostendit quomodo cùm Matthæi cap. 3. actum esset de Christi infantia, de reditu nempe ex Ægypto post Herodis mortem, statim dicitur in principio cap. 4. *In diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto.* Idem docuit Chrysostomus homil. 77. in Matth. & homil. 26. in Acta, & iterum homil. 10. in cap. 4. Matth. cuius hic verba referam, quia valde in hanc sententiam opportuna. *Mos*, inquit, *Scripturarum est, & vtique celeberrimus, vti his verbis. In diebus illis, non solùm cùm ad præteritam narrationem aliud tempus adiungitur, verumetiam cùm illa narrantur, quæ post multorum annorum spatia contigerunt. Sed Dominus quum in Oliueti monte resideret, & accedentes ad eum sollicitè Discipuli de captiuitate Ierusalem, déque ipsius sciscitarentur aduentu (& certè nostis quàm grandi hæc medio diuidantur) cùm de vrbis subuersione dixisset, iámque ad dicendum de mundi fine transiret. Tunc, inquit, hæc, vel illa erunt. dicendo autem Tunc, non vtique tempora, quæ plurimum erant discreta, coniunxit, sed illud tantummodo, quo euentura erant, tempus notauit, dicens: In diebus illis. Non enim quasi continuò hæc secutura monstraret, hic posuit, sed illis, inquit, diebus, in quibus ista contigerunt.* Hæc Chrysostomus. Iuxta quam regulam facilè hæc verba, licèt superiora de Antiocho aliquis accipiat, quæ Antichristi tempora multis antecessit sæculis, ad subsequens caput, & extremam sæculorum ætatem accommodari possunt.

REGVLA. In illo tēpore, in diebus illis, tunc, & similia nihil interdum referunt antecedens.

4. Ego, vt iam tandem aperiam, quod mihi propiùs ad veritatem, & textum accedere videtur, primùm cum pluribus sentio caput hoc duodecimum ab Antiochi rebus esse separandum; quod facilè ex singularum rerum explicatione constabit. Agitur enim de Antichristo, cuius viua quædam effigies erat Antiochus; déque extremis temporibus, quorum aliqua sese species offerebat; in afflicta priùs, deinde recreata ac restituta Iudæorum fortuna. Si qua ergo ratione partem aliquam huius capitis, aut aliquam potiùs vmbram vindicare sibi potuit Antiochus, id sanè ideo contigit, quia illius in Antichristo apparebat exemplar. Neque præterea aliquid est aliud, quod res

Caput hoc 12. de Antichristo.

A ab Antiocho gestas, aut referat, aut oleat.

5. Secundò mihi valde probabile est prima verba cap. 12. vsque ad illud, *pro filiis populi tui*, pertinere ad finem capitis 11. & esse ad duram Antiochi vexationem referenda. Quod ideo mihi videtur satis verisimile, quia quo tempore desæuiet Antichristi furor, non iam Angelus Michael solùm præest Iudæorum Synagogæ, sed etiam Ecclesiæ toti; at illo tempore, de quo hæc verba videntur esse instituta, Michael stare dicitur pro filiis populi Danielis; hi verò Synagogæ filij sunt. Adde quòd ante hæc verba iam occisus Antichristus erat, vt putant ferme omnes; quare nihil timeri ab Antichristo B poterat. At talis cap. 12. dicitur futura tribulatio, qualis antè non fuit, illo videlicet tempore, de quo hæc verba.

6. Dixi verba illa prima pertinere potiùs ad finem vndecimi, quàm ad initium duodecimi capitis. Quod ne gratis dixisse videar, obseruo olim Scripturam sacram non esse per capita distincta, vt docuit Elias in proœmio 3. Massoreth. & ex eo Salmeron Prolegom. 4. Sed erant omnia vsque adeò continuata, atque confusa, ac si vnus esset versus, aut vna clausula. Vnde factum, vt varia à variis facta fuerit capitum diuisio. Ita vt quæ alij capitis sequentis principium esse volunt, eadem alij C finem statuant esse præcedentis. & contrà, quæ apud quosdam caput, quod antecessit, claudunt, eadem apud alios subsequens ordiantur. Actorum caput secundum sic communiter finitur: *Dominus autem augebat, qui salui fierent quotidie in idipsum.* In textu tamen Græco caput tertium incipit à verbis vltimis. *In idipsum*, quæ à capite 2. demetit, in hunc modum, *In idipsum Petrus, & Ioannes ascendebant in templum.* Et ita legit Chrysostomus, & Beda in Retractationibus, & Caietanus putat hinc tertium caput capere principium. Quod Isaiæ caput 15. claudit, illud Basilius, & Cyrillus Alexandrinus capiti 16. præfigunt. Principio secundi libri Machabæorum finem esse primi docet Bellarminus tomo 1. lib. 1. cap. 15. quod item Ca- D nus putat. Finem capitis 13. huius Prophetæ, principium esse capitis 14. sentiunt communiter interpretes, & Græci codices ab illis verbis auspicantur, sicut etiam in suis commentariis Hieronymus. Plura alia in hanc sententiam afferri possent, quæ id quod in hac cogitatione videri poterat durum, emollirent; sed hæc, quæ adduximus, pauca non sunt. Plura cadere diximus in nostris commentariis in Ieremiam, cap. 17. num. 31.

REGVLA. *Scriptura olim nō erat in capita diuisa.*

REGVLA. *Pars extremi capitis præcedentis interdum cum principio sequētis coniungēda; & contrà.*

7. Puto igitur hæc verba finem esse capitis vndecimi, & ad Antiochi infelicem exitum pertinere. Quæ ostendunt Iudæorum populum, E quo tempore duriùs vexabatur, non fuisse à Domino neglectum. Vt enim Deus captiuo apud Babylonios populo Gabrielem præfuit, qui afflictum, & mœstum solaretur, & oppressum defenderet; sic etiam, cùm Antiochus ad eius exitium conscriptas vndecumque vires inueheret, Michaeli iussit, vt contra acerrimum illum hostem pugnaret, commissámque fidei suæ gentem ab efferata Tyranni rabie tueretur. Huic fideli ac strenuæ Michaelis custodiæ tribuendum est, quod in ipso ardore sumendæ vindictæ, de curru ceciderit, collisĕritque corpus offensione graui, ac

tandem ad mortem vsque in fœtentem saniem, & tabem resolutus sit. hanc pugnam Michaeli futuram esse cum Antiocho, putat Chrysostomus supra.

8. *Et veniet tempus quale non fuit, ex quo gentes esse cœperint vsque ad tempus illud.*] Hinc, opinor, incipit caput duodecimum, in quo, quid in extremo sæculorum articulo euenturum sit, docetur Daniel ab Angelo. Incipit autem hic perquam commodè, quia illius temporis horribiles, & duri in vexata Hierosolyma, ac sublata, seu polluta religione: & Antichristi in Antiochi tyrannide species apparuerat. Ac si diceret Angelus: Audisti ô Daniel quàm grauia passurus sit Iudæorum populus ab Antiocho, quàm impiè temerandum templum, sacrificia tollenda, calcanda religio. At veniet tempus, cuius hæc omnia, fuerunt pertenuis quædam vmbra, vsqueadeo sanguinolentum & triste, quale nulla hominum memoria fuit; neque erit vnquam vsquedum illud aduenerit. De hoc tempore eodem propè modo locutus est Christus Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vsque modò, neque fiet.* De hac Antichristi crudelitate barbara, multa Patres. Vide Franciscum Suarez tom. 1. in 3. p. S. Thom. & interpretes in illum Matthæi locum, de quo proximè. Hinc constat vt optimè frequentes alij cum Hieronymo, postrema hæc non esse intelligenda de Antiocho, quando grauiora Iudæi passi sunt à Chaldæis ante illud tempus, in quo hæc ab Angelo docetur Daniel, & postea à Romanis quando excisa fuit Ierusalem exustum templum, & ipsum penè Iudæorum nomen extinctum.

9. *Et in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro.*] In fine mundi conuertendos esse Iudæos, docet Paulus ad Rom. 11. *Nolo*, inquit, *vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobisipsis sapientes: quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret.* Et in eius sententiæ firmitatem adducitur illud Isaiæ 59. *Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem Iacob.* Qua de re nos aliquid in illum Isaiæ locum. Modus ille dicendi, quo Paulus vtitur, indicat eo tempore nullum è Iudæorum genere fore damnandum: & ita esse intelligendum hunc locum, putat Chrysostomus, & sanctus Thomas, & illam sequitur Caietanus, neque displicet Soto. Sic etiam Gregorius lib. 35. Mor. cap. 9. & nonnulli alij.

10. Sed est communior sententia, quam frequenter alij sequuntur, tam in illum locum Pauli, quàm in hunc Danielis, non omnes ex Iudæis, sed illorum plurimos sub sæculorum finem fore conuertendos. Quod, meo iudicio, hoc Gabrielis vaticinium apertè conuincitur. Ait enim ex Iudæorum populo, qui idem est ac populus Danielis, fore conuertendos eos, qui scripti fuerint in libro. Vide Pereiram in hunc locum, & in epistolam ad Romanos cap. 11. disput. 1. Maluendam de Antichristo lib. 11. cap. 8. Franciscum Suarez 2. tom. in 3. p. S. Thom. disput. 56. sect. 1. Neque vox *omnis*, quam Paulus adhibuit, quicquam incommodat. Notum est enim signa vniuersalia, vt loquuntur Logici, non semper vniuersaliter sumi, sed interdum idem valere, quod *plurimi*, in affirmando, & in negando idem, quod *pauci*.

Ex Iudæis in fine sæculorū qui conuertēdi.

ab exemplis abstineo, quia res est nota.

Cùm ergo dicit Angelus, *saluabitur populus tuus*, non dicit omnes salutem, nempe spiritualem, consecutum iri, sed aliquos, eos, videlicet, qui scripti sunt in libro nempe vitæ, id est, qui prædestinati sunt, qui aliter à Christo dicuntur electi. *Sed propter electos*, inquit, *breuiabuntur dies illi.* Quis sit vitæ liber, & vnde tale nomen habuerit, diximus pluribus in nostris commentariis super Isaiam, ad illud cap. 4. *Qui scriptus est in vita in Ierusalem.* 11.

Existimare quis posset huc spectare, quod in principio capitis dictum est, *In tempore autem illo consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui.* Quasi Michaelis opera exilia suppliciorum acerbitate liberandi sint, & ad melioris vitæ frugem traducendi Iudæi. Quæ cogitatio mihi non displiceret, nisi cernerem opus illud aliorum curæ esse commendatum priùs, & deinde perfectum. Communis Patrum, Doctorúmque sententia est, in fine sæculorum eos, qui Antichristi callida, ac truculenta tyrannide defecerunt, ad illam, ex qua ceciderunt, religione fore conuertendos Eliæ, & Henoch prædicatione, quos Deus nunc viuos, ad illud opus, ad finem vsque sæculorum conseruat. Sic Eccl. cap. 48. vers. 10. de Elia, *Qui scriptus est in iudiciis temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Et Malach. cap. 4. vers. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* Et omnium clarissimè Christus. Matth. cap. 17. vers. 11. Nam rogatus à discipulis de extremo Iudicij die, respondit, *Elias quidem venturus est primùm, & restituet omnia.* 12.

Elias, & Henoch vēturi in fine sæculorum.

De Henoch sentiunt communiter Patres, quos hîc numerare longum esset, cùm illorum nemo contrà sentiat. Vide Franciscum Suarez 2. tom. in 3. p. S. Thomæ, disp. 55. sect. 1. Maluendam lib. 9. de Antichristo, cap. 10. & interpretes in illud Apocal. cap. 11. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt dies mille ducentis sexaginta amicti saccis.* Ex Scriptura de Henoch tantùm habemus, translatum esse in Paradisum, ex quo communiter coniectant Patres illum non esse mortuum, Gen. 5. *Ambulauitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Dominus.* & clariùs Paulus ad Heb. 11. Henoch translatus est, ne videret mortem. De illius prædicatione est illud Eccl. 44. *Henoch placuit Deo: & translatus est in Paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.* ex quo coniectant aliqui sicut ab Elia Iudæorum, sic etiam ab Henoch Gentilium plurimos esse conuertendos. 13.

Vers. 2. *Et multi ex his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt.*] Sicut Hebræorum idiomate *somnus* pro *morte* sumitur, & *dormire*, pro *mori*, sic etiam seruata eadem translatione, *euigilare* idem valet, quod ad vitam redire. Quocirca his verbis nil significatur aliud, quàm mortuos ad vitam fore reuocandos. Vnde quiuis intelliget hæc ad Antiochi tempora referri non posse: nam, vt reliqua adsint omnia, tamen hanc suscitationem à puluere nemo ibi factam audiuit. Scio, qui contrà sentiunt, habere quid huic oppugnationi obtendant. Dicunt enim hunc somnum, ac vigiliam, aut quod idem est, vitam, & mortem 14.

sumenda

sumenda esse metaphoricè, pro vita videlicet ærumnosa, & tristi, pòst tamen in lætiorem statum, & meliora tempora conuersa. Quod esse in sacris literis vsitatum non semel à nobis obseruatum est. Sanè Ezechielis cap. 37. exilium nomen habet sepulcri: & abiecti, atque exules appellantur mortui. Hæc dicit Dominus Deus, *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris, populus meus, & inducam vos in terram Israel.* Vide quæ nos in hunc locum pluribus. Et clariùs Isaias cap. 26. vers. 19. cùm de captiuo, & planè miserabili populo loqueretur, eodem vsus est loquendi genere, *viuent mortui tui, interfecti mei resurgent.* Sed huic cogitationi refragatur maximè, quod sequitur, *Alij in vitam æternam, alij in opprobrium.* Qui autem Antiochi tempore ex illo metaphorico sepulcro prodierunt, cùm ad priorem fortunam, & pacem remigrarunt, non habuerunt illam æternam, neque de illis dici potuit ad opprobrium inde venisse sempiternum. Fuit tamen sub Antiocho in populo ærumnoso priùs, deinde ad meliorem fortunam reuocato, vmbra quædam eorum, quæ vti priùs viuente ac dominante, deinde quæ mortuo Antichristo in sæculorum fine contigerunt.

Vita ærumnosa mors appellata.

15. Vers. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamentum.*] Hæc etiam suam quoque vmbram habuere in Iudæorum statu, quo tempore suo sibi genio, atque furori indulgebat Antiochus. Tunc enim dicuntur quidam fuisse *eruditi, & scientes Deum*, cap. 11. vers. 32. & 35. Hi verò sunt viri sancti, quos Dei cognitio ad vitæ sanctitatem informat, & allicit. Alij qui ad hæc accuratè laborant, vt alios quoque ad salutem, id est, ad veram, vtilémque sapientiam instituat; de quibus vers. 33. *Et docti in populo docebant plurimos.* Hi verò fuerunt in Iudæorum populo, qui vitæ exemplo, atque doctrina præluxerunt aliis, docuerúntque à vita potius quàm à patria religione fore discedendum. Qualis fuit Eleazarus, Mathathias, & plures alij, qui ad dandam pro religione vitam cæteros hortabantur. His similes fuerunt sine dubio plurimi, cùm Antichristi rabies simili modo grassaretur. Fuerunt namque, qui vitam per summam acerbitatem proderent, antequam fidem: fuerunt item qui docerent alios veritatis viam, nutantésque in religione ac fide confirmarent. De prioribus dicitur, illum habituros esse splendorem, quem habet firmamentum cœlestium luminum fulgore destinctum; hi verò, qui ad vitæ sanctitatem doctrinam etiam adiunxerunt, aliquod maius habituri dicuntur ornamentum, & ideo subditur,

Quis verò doctus.

16. *Et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*] In firmamento duo sunt ad aspectum præclara, & ipsa per se illustria, & corpus ipsum cœleste, quod sic illuminatur ab astris, vt splendeat; & astra ipsa corporibus affixa cœlestibus, quæ & ipsa fulgent, & corporibus, quæ illis aduersa obiiciuntur, splendorem, pulchritudinémque conciliant. Firmamento à syderibus illuminato similes dicuntur illi, qui sancti sunt, & illam scientiam assequuntur, quæ verè facit sapientes homines: non tamen aliis scientiâ, quam ab aliis accepere, communicant; atque ideo non tam cum illuminantibus astris, quàm cum illuminato firmamento comparantur. At qui alios docent, doctrinæque radios latè diffundunt, similes dicuntur Soli, ac reliquis astris, quæ non satis habent, vt splendida sint, sed communicata luce faciunt, vt alia quoque irradiata colluceant. Vt autem in cœlo splendidior est sol, & ignes alij cœlestes, quàm reliquæ firmamenti partes; sic etiam Beatorum mentibus aliquid est splendoris propter doctrinam, qua præluxerunt aliis, quod non habent indocti, quique sibi solùm & non aliis vixerunt. Quærit hîc Hieronymus, & epist. 103. quæ est ad Paulinum, *virum doctus sanctus, & simplex sanctus eamdem mercedem habeant, & vnam in cœlestibus mansionem.* Quam ipse iuxta Theodotionis conuersionem dissoluit, dicens, tantum esse inter eruditam sanctitatem, & sanctam rusticitatem, quantum cœlum distat, & stellæ. Idem ex Hieronymo sentit hîc sanctus Thomas.

Doctoris veri munus & gloria.

In quo Doctor sanctus, aliis sanctis præstet.

Dicitur splendor illorum, qui alios ad pietatem erudiunt, futurus in perpetuas æternitates, quia nullis vnquam tenebris obscurabitur, quia lux illa æterna nullas habet rerum, aut temporum vicissitudines. Et hic est sine dubio germanus sensus. Sed credo *æternum* Epithetum esse syderum, non solùm apud sacros, sed etiam apud profanos scriptores. Quare dum aliquid æternum futurum esse significamus, firmitatem illi Solis, aut lunæ, aut aliquorum syderum attribuimus. Sic Psalm. 71. Soli, & lunæ datur æternitas. *Permanebit cum Sole, & ante lunam, in generatione, & generationem.* Et statim vers. 7. *Donec auferatur luna.* & Psalm. 88. vers. 37. *Semen eius in æternum manebit; & thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum.* Sic etiam profani æterna vocant sydera, & æternos astrorum ignes, & cùm aliquid æternum fore significant, id cum astris conferunt. Sic Maro lib. 1. *conuexa polus, dum sydera pascet.* & Martialis lib. 9. epigr. 3. 17.

Æternum syderum Epitheton.

Manebit altum Flauiæ decus Gentis cum sole, & astris.

Est autem hoc præmium maximè illorum accommodatum meritis, qui docuerunt alios, doctrina nempe illa, quæ mores informat, & illos ad veram pietatem instituit. Hi à Christo lux vocantur mundi, id est, Sol. Sic Simon Oniæ filius, qui aliis ad patriam religionem, & vitæ exemplo, & verbis præluxit, curauítque, vt res sacras, templíque fabrica in suo Pontificatu esset ornatior, his nominibus nobilitatur Eccl. cap. 5. *Simon Oniæ filius, &c. Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet. Et quasi Sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.*

Doctor lux, & sol.

Vers. 4. *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum.*] Claudimus, obsignamúsque illa, quæ peruia esse nolumus, aut explorata aliis. quo modo suprà cap. 6. Darius clausit locum, in quem Danielem inclusit, & lapidem suo, atque optimatum annulo signauit, ne quis aliquid grauius in Danielis vitam moliretur. Sic iterum cap. 14. clausum est templum, & Regis annulo signatum, ne cui ad eius penetralia pateret aditus. Sic etiam scripturam, quam latere volumus ad certum vsque tempus, traiecto filo claudimus, & sigillo munimus. Hinc fit vt clausum, signatúmque dicamus, quod obscurum est, & quod neque hominum oculis, atque adeò neque cogitationi peruium esse studemus. Sic de quibusdam 18.

Clausum & obsignatum dicitur, quod obscurum est.

busdam obscuris Isaiæ verbis dixit Dominus, idem prope quod nunc ad Danielem Angelus cap. 29. *Et erunt sermones libri huius quasi verba voluminis signati: quod si dederint homini nescienti literas, dicentes ei, lege. Respondebit, nescio literas: sin autem dederint illud homini scienti literas, & dixerint, lege librum, respondebit non possum legere, signatum enim est.* Sanè prophetiam, vt optimè dixit Irenæus libro 4. cap. 43. liber est clausus, & obsignatus ad statutum vsque tempus, id est, donec veniat illius complementum. Quare librum, qui septem erat sigillis obsignatus, vnus agnus aperire potuit. Apocal. cap. 5. hic autem erat Christus, quem pleraque spectabant

19. Prophetarum oracula. Comparat autem Irenæus suprà Christum thesauro abscondito in agro, id est, in prophetiis, ac cæremoniis antiquæ legis. *Hic est*, inquit, *thesaurus absconditus in agro, id est, in isto mundo: ager enim mundus est, absconditus verò in scripturis thesaurus Christus: quoniam per typos & parabolas significabatur. Vnde poterat hoc, quod secundùm hominem est, intelligi, priusquam consummatio eorum, quæ consummata sunt, veniret, quæ est aduentus Christi. Et propter hoc Danieli Prophetæ dicebatur, muni sermones, & signa librum, vsque ad tempus consummationis, quoad vsque discant multi, & impleatur agnitio. In eo enim cùm perficietur dispersio, cognoscent omnia hæc. Sed & Ieremias ait, in nouissimis diebus intelligent ea. Omnis enim prophetia priusquam habeat effectum ænigmata, & ambiguitates sunt hominibus, cùm autem venerit tempus, & euenerit, quod prophetatum est, tunc prophetia habent liquidam, & certam expositionem.* Hæc Irenæus, quæ plurimum lucis afferunt huic Danielis loco. Quare cùm ea, quæ nunc Propheta audit ab Angelo, completa non fuerint, quia, vt est communis omnium sensus, extrema mundi sæcula respiciunt. Quid mirum si obscura sint; torqueantque varia Doctorum ingenia, cùm illorum signacula sublata non

Prophetia antequam impleatur quasi ænigma est.

20. fuerint. Tempus autem statutum est tempus Christi, qui aliquid in Euangelio reserauit eorum, quæ in hoc duodecimo capite continentur: ad cuius aduentum occultissima quæque, & ad illum vsque articulum seruata, tecta erant, & clausa sub rerum implexarum integumentis. Vt enim illo moriente velum templi scissum est; sic etiam quæ sub ænigmatum velamine latebant, illo submoto reuelata sunt. Et quidem Christus Ioannis capite 16. aperuit Discipulis sensum, vt intelligerent Scripturas. Et hoc est valde probabile, & tenent Irenæus suprà, Cyprianus lib. 1. contra Iudæos, cap. 4. Chrysostomus oratione 2. contra Iudæos. Hieronymus, Theodoretus, & quidem multa, quæ hîc erant maximè obscura, reuelata sunt Euangelij tempore tum à Christo discipulis, tum per Paulum epist. ad Thessalonicenses, & per Ioannem in Apocalypsi.

Euangelij tẽpore multa prophetia intellecta.

21. Alij in statuto tempore illud tempus intelligunt, in quo, quæ prædicta antè fuerant, impleta sunt. Tunc enim successus ipse fidem probauit vaticinij, & quod in eo clausum, & obsignatum videbatur, aperuit. Non secus, atque si quis in lucem, ac solem, extrahat, quod latebat in vmbra. Quomodo plurima, quæ antecedenti capite dicta sunt, quæ ad hoc etiam vaticinium spectant, quia contigisse vidimus, manifestè cognoscimus, quæ planè aut ignoraremus omnino, aut non nisi admodum obscurè cognosceremus; nisi rei ipsius exitus omnem obscuritatem depulisset. Et iuxta posteriorem hanc cogitationem admonetur ab Angelo Propheta, vt audiat, scribatque prophetiam, neque speret illam esse cognoscendam, donec reipsa eam impleta se prodat. Quasi dicat, erit tibi, quod nunc à me audis ô Daniel, quasi liber obsignatus, & clausus, quem non intelliges, donec res ipsa te aut alios de suipsius fide, ac veritate doceat.

Est qui his verbis significari putet hanc fore Danielis vltimam prophetiam, & re vera ita fuit. Nam in his, quæ supersunt ad finem vsque libri, non tam Prophetam Daniel, quàm historicum agit. Id autem quód absolutum est, signari solet ab artifice, & certo aliquo charactere, & nota commendari. Claudere autem idem est aliquando, quod cessare; sicut opifices officinas claudunt, cùm statuunt ab opere cessandum. Quod in opere non dissimili, id est, in oratione, expressit in Ecloga 3. Virgilius, 22.

Claudo idẽ aliquando quod cesso.

Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt.

Hîc obseruant nonnulli, quod etiam nos suprà notauimus cap. 8. ad finem, in obsignata prophetia obscuritatem indicari, & tunc præcipuè iuberi vt sigillata seruetur, quando ad eius complementum longum superest spatium. Vide quæ nos eo loco diximus, quæ non minus sunt in hunc, quàm in illum locum opportuna.

Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.] 23.
Heb. vbi Vulgatus *pertransibunt*, ישטטו *isteṭu*, à radice שוט *sut*, quæ *explorare* significat, seu *inuestigare*. Hieronymus *pertransibunt* reddidit: quia reuera, qui accuratè aliquid inquirunt, iterum atque iterum versant locum, atque percurrunt: vnde vt hîc notat Hieronymus, pertransire, seu percurrere librum; idem est, quod euoluere, seu perlegere. *Solemus*, inquit, *dicere, percurri librum, pertransiui historiam.* Hoc certè dicendi modo exprimit hanc sententiam Hispanus, dum dicit, *pase, o repase este libro.* Cùm ergo Iudæi, apud quos sacræ asseruabantur literæ, de prophetico Danielis spiritu non dubitarent, & magnum aliquid latere in obscuro hoc vaticinio sibi persuaderent, versabant iterum, atque iterum obscurum hoc oraculum, si quo modo veram illius cognitionem assequerentur. Et vt contingit plerunque in explicando ænigmate, aut obscuro problemate, vt variæ sint explicationes, pro cuiusque sensu; sic etiam in hoc ænigmate vsque adeò implexo, multiplex fuit scientia, id est, explicationes variæ, vt vides, & quia pars hæc postrema completa non est, nouæ quotidie succrescunt sententiæ, succedéntque quotidie aliæ, atque aliæ, donec tandem res ipsa curiosis hominum studiis satisfaciat. Vide quàm multa super hæc postrema verba dixerint auctores, vt inter se de vero singulorum sensu dissentiant. Quod fecerunt, 24.
credo, de temporibus aliis, quæ iam præcesserũt, antequam Syriæ, atque Ægypti Regum res gestæ omnes illius vaticinij tenebras discussissent. Hæc est multorum cogitatio; qui Hieronymum ducem secuti sunt: qui licet non omnes eodem explicent modo: dicunt tamen hac de re sententiam futuram esse multiplicem. Alij hæc ad Christi tempora pertinere putant, in quibus maior erit scientia: & quæ ad illud vsque tempus erant in tenebris, ab oriente sole lucem accipient. Ita Theodoretus, & cum eo Vatablus. Sunt qui ex eo loco colligant, plures esse Scripturæ sacræ literales sensus. De re non disputo: arbitror autem eius rei hinc aut nullum, aut non nisi leuissimum fundamentum sumi.

Varia prophetiarum explicationes antequam complerentur.

Vers. 5.

25. Verſ.5. *Et vidi ego Daniel: & ecce quaſi duo alij ſtabant, vnus hinc ſuper ripam fluminis*, &c.] Hîc diuinant interpretes, & ab ingeniis dubiis, multiplex excitatur ſententia. Neque fortaſſe aliquid hîc certum inuenient, donec lux maior accedat à reipſa iam tempore definito completa. Hieronymus, quem frequenter alij ſequuntur, putat duos illos viros, qui in vtraque fluminis ripa conſtiterant, eſſe duos Principes Perſarum, ac Græcorum, de quibus ſuprà cap. 10. quos Angelos eſſe malos ſubobſcurè docuerat; nunc verò apertè docet bonos non eſſe. Ait enim, *Ex quo intelligimus ſuperiores duos Angelos quos vidit ſtantes ſuper ripam, & non interrogat, nec putat ſciſcitatione condignos Angelos eſſe Perſarum, atque Græcorum.* Quòd ſi hi mali ſunt Angeli, vt cum Hieronymo hoc loco putat S. Thomas, dum indignos ait iudicatos à Daniele, à quibus aliquid interrogaret (quod ſanè non faceret, ſi bonos eſſe crederet) veriſimile eſt illos fuiſſe, qui turbas illas mouebunt, quæ futuræ dicuntur in fine ſæculorum. Cur verò illi non ſuper aquas, ſed hinc, atque inde in fluminis ripa viſi fuerint, neque diuinando quidem coniectare poſſum, neque alios ea de re quicquam afferre video. Fortaſſe ideo in ripis conſtitiſſe dicuntur Angeli, quia Perſæ, ac Græci, quorum tunc imperium, ac ſtatum referebant: extra aquas erant, in pace videlicet, & otio. At quia Iudæorum adhuc in aliena regione res erant anguſtæ; ideo Angelus nempe Gabriel, qui res illorum in exilio tuebatur, in ipſo aquarum decurſu ſtetiſſe traditur. Notum eſt aquas tribulationum eſſe ſymbola, atque ideo in illos, qui grauibus afficiuntur incommodis, inundaſſe dicuntur aquarum fluctus. Eodem, credo, conſilio ſub hæc ipſa tempora Zachar. c. 1. viſi ſunt Angeli, quorum tutelæ ac fidei res Iudæorum erat commiſſa in flumine, quia necdum illorum ſtatus pacificus erat, ac ſolutus; verùm, quia iam ſpes oboriebatur libertatis, ſic erant in flumine, vt etiam apparuerint inter myrteta: quæ plantæ ſunt virentes, ac lætæ, ſic etiam vigorem prænuntiant, ac lætitiam.

Perſarum & Græcorũ principes mali Angeli ſunt.

26. Aut certè ideo Angelus Tutelaris Synagogæ, ſi tamen hîc aliquid obiectum eſt, quod ad Synagogam pertineat; aut potiùs qui Eccleſiæ præſidet, quam ſub finem mundi vexabit Antichriſtus; ſuper aquas ſtetit, quia calcabit aquas omnes, quantumuis abundantes, & rapidas, id eſt, efficiet vt Antichriſti furor diu incitatus, & furens tandem frangatur. Sanctus Thomas hîc tradit hunc Angelum ſtetiſſe non ſuper aquas, ſed in arbore, quaſi arbor extaret ab aquis. Sed vnde id ſumere potuerit S.Thomas non video.

27. Verſ.6. *Et dixi viro, qui erat indutus lineis, qui ſtabat ſuper aquas.*] Si conſulas Hebraicos codices, quos nunc habemus, dicendum eſſet *dixit* in tertia perſona, potius quàm *dixi* in prima. Quo modo tranſtulerunt omnes Recentiores, imò & ſic habent plerique è Latinis codicibus. Sed correcti nuper à Sixto habent, *& dixi.* quæ ſanè lectio commodior videtur, & ſenſum habet expeditum magis. Neque enim apparet, cur duo illi viri, qui tunc primùm apparuerunt, cùm abſoluta eſt narratio, rogarent de tempore, ac duratione illorum, quæ nunquam audierant. Et ita indicat Hieronymus in commentariis: vbi docet interrogatum

A eſſe Angelum à Daniele. Vir autem ille linteatus videtur eſſe Gabriel, ille idem à quo ſuperiora audierat, qui cap. 10. v.5. linteis veſtitus propheticis oculis obiectus eſt, iuxta flumen Tygrim. Vnde etiam non leuis coniectura ſumitur, vt exiſtimemus Tygrim eſſe, vbi iterum linteatus Gabriel viſus eſt.

Vſquequo finis horum.] Nondum intellexerat Propheta, quid hæc viſio portenderit, vt ipſe fatetur ſtatim verſic. 8. intellexit tamen quicquid illud eſſet, aliquid eſſe durum, & horribile. Cùm autem de populi ſalute laboraret, quam videbat in diſcrimen adduci; rogat de tempore, & audit illud idem, quod an- B tea cap. 7. verſ. 25. duraturam grauem illam vexationem per tempora, & tempus, & dimidium temporis. Ex quo mihi veriſimile eſt, neque tunc cognouiſſe Danielem, quid pars extrema viſionis illius ſignificauerit; quando neque modò cùm eadem audiret, intellexit, intellexiſſet vtique, ſi ſuperiora cognouiſſet. 28.

Verſ.7. *Cùm eleuaſſet dextram, & ſiniſtram ſuam in cœlum, & iuraſſet per viuentem in æternum.*] Vir linteatus, vt verbis ſuis conciliaret fidem iuriſiurandi religionem interpoſuit. Eſt autem iuramenti ſignum, & quaſi legitima forma, manuum in cœlum eleuatio, quaſi aduocetur C Deus, qui in cœlis eſt in teſtimonium eorum, quæ dicuntur. Vide quæ diximus in noſtris commentariis in Ezechiel. ad illud cap. 36. *Ego leuaui manum meam.* 29.

In tempus, & tempora, & dimidium temporis.] Hoc idem audierat Daniel cap. 7. v. 25. De quo ſpatio egimus eodem cap. pluribus. Sunt autem tres anni cum dimidio. Vt enim eo loco diximus, & eſt communis omnium ſententia, Tempus pro anno ſumitur, Tempora pro duobus, Temporis dimidium pro ſemeſtri ſpatio. Tantum verò tempus duratura dicitur grauis illa perſecutio, quam ſub ſæculorum fine excitabit Antichriſtus. 30.

Et cùm completa fuerit diſperſio manus populi D *ſancti, complebuntur vniuerſa hæc.*] Hieronymus tunc putat implenda illa, de quibus paulo antè, nempe alios excitandos à mortuis, alios ad vitam, alios in opprobrium, & alia quæ ad extremum illum articulum pertinent: quando completa fuerit diſperſio, id eſt, donec omnes per montes, & ſolitudines diſperſi fuerint, vt barbaram Antichriſti crudelitatem effugiant. Iuxta quam ſententiam dicendum eſt non paucos ceſſiſſe Antichriſti furori; ſed plurimos, imò omnes, quos cum Hieronymo ſequuntur frequentes alij. Et quidem ita docent loca alia Scripturæ ſacræ, quæ extrema illa vexatione diſpergendam dicunt Eccleſiam. Apoc.cap.12.v.6. E *Mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebant locum paratum à Deo, vt ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.* Quod etiam dixit, licèt obſcuriùs, Paulus 2. ad Theſſal.2. *Niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati.* porrò *manus* hoc loco ſicut alibi perſæpe pro exercitu ſumitur, & multitudine. cùm enim hactenus de bellis actum eſſet in typo, cùm ſermo de Antiocho foret, & pòſt de Antichriſto, qui bellum contra iuſtos, & religionem mouit, verbum adhibuit militare; & pro ſanctorum multitudine, quæ ſeceſſit in ſolitudinem, & ſecreta loca, manum vſurpauit. 31.

Verſ.8. *Et ego audiui, & non intellexi, & dixi* 32.

Domine mi, quid erit post hæc?] Quænam sint hæc, quæ sibi ignota dicit Daniel, non est coniectare facile. Audierat enim multa cap. 11. & nunc cap. 12. quæ eòdem spectant. Illa, quia typus erant, & imago quædam in afflicto per Antiochum Iudæorum populo; hæc, quia persecutionem continent maiorem in alia figuratam, quam ab Antichristo patietur Ecclesia. Hieronymus de vtroque capite exponit hanc Danielis ignorantiam, & putat non tam esse rerum, quàm personarum. *Audierat*, inquit, *Regum bella diuersa, & inter se prælia, & multiplicem historiam, sed nomina non audierat singulorum.* Cum Hieronymo sentiunt S. Thomas, Hugo, Lyra, Dionysius, & Pereira. Mihi non displicet, quod Theodoreto visum est, & Maldonatus amplectitur, ignorantiam Prophetæ, de qua in præsentia, esse postremi temporis, & eorum, quæ ad Antichristi persecutionem, ad mortuorum resurrectionem, & iudicium vniuersi finale. Quod ideo mihi persuadeo, quia ignorasse videtur Propheta, id de quo interrogarat proximè v.6. *Vsquequo finis horum mirabilium.* Cui Angelus respondit, v.7. *quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis: & cùm completa fuerit*, &c. quæ ibi audiuisse se dicit, nempe attentè, atque auidè: & cùm non intelligeret, eamdem iterat interrogationem, & ait, *Domine mi, quid erit post hæc?* Quam cogitationem confirmat, quia eadem repetit Angelus de persecutionis duratione, & negat illa explorata fore Danieli. quæ omnia bellè consentiunt cum iudicij tempore, quod Christus ipsis quoque Angelis ignotum esse dixit: Marc.13.vers.32. & Matth.cap.24.v.36.

33. Vers.9. *Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones vsque ad præfinitum tempus.*] Facessere iubet Angelus ab illa curiosa interrogatione Danielem, edicitque sermones illos fore claudendos, vsque ad tempus à Domino præstitutum. Hæc porrò, quæ nosse tantopere studebat Propheta, Dominus sic esse voluit occulta; vt neque Angelis ipsis nota esse voluerit, sic Marc. 13.v.32. Matth. cap.24.v.36. *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angels cœlorum, nisi solus Pater.* Quod antè dixerat Zacharias cap. 14. v. 7. vbi cùm esset sermo de die iudicij, addidit, *Et erit dies vna, quæ nota est Domino*, nempe soli. Quare non mirum si ab Angelo repulsam tulerit Propheta, cùm neque ipse certum aliquid haberet, quod ad illam interrogationem responderet. Quare cùm dixit, *quia clausi sunt sermones*, non tantùm eorum cognitionem Danieli, sed etiam sibiipsi dixit esse negatam. Rogarunt hoc ipsum discipuli à Christo, cùm iam reditum moliretur in cœlum, Actor. 1. id enim studebant, cùm de restituendo Israelis regno quærût, quod in secundo Christi aduentu futurum putabant, quorum Deus curiositatem coarguens, non mitius repulit, quàm nunc Danielem Angelus. *Non est vestrûm nosse tempora, vel momenta*, quæ *pater posuit in sua potestate.* Tunc autem cognoscent homines postremum illud tempus, cùm aduenisse viderint. Quod sæpe clamat Scriptura, dum repentinum fore dicit iudicis aduentum. Matth.24. *Sicut autem in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis: sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noë in arcam. & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes; ita erit & aduentus filij hominis.* Sic sæpe venturus esse dicitur dies Domini *sicut fur*, id est, cùm minus timetur.

Dies iudicij incertus, ignotus.

Tunc homines tempus iudicij cognoscent, quando aduenerit.

Vers.10. *Eligentur, & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi.*] Docet, quem ex hac tribulatione fructum habituri sint iusti: nempe quem ex igne expiatorio, seu ardente fornace consequitur argentum; à quo scoria, seu rubigo excoquitur, & ipsum nitescit magis, & eligitur ad regios abacos. Sic ergo iusti, vbi vim illam crudelem, & barbaram, & expiatoriam fornacem subierint; exibunt puriores, quàm antea, dignique, quos Dominus ad æternas delicias eligat, beatorúmque conuiuia. Quare licèt dura videatur illa vexatio, non tamen erit ab hostili manu; sed à beneuola, atque amante, vtcumque Antichristus in eos, quos insectatur, & cruciat, affectus sit. Deus enim sicut pater flagellat, aut sicut medicus secat, & vrit; vterque autem non tam dolorem, aut mortem appetunt, quàm ægroti, ac filij vitam, & salutem. Illud *dealbabuntur*, aliquid sonat translatum à pannis, seu linteis, quibus à situ, vel illuuie aliquid adhæret tetrum, & sordidum, quibus si nitrum applicetur, seu herba borith, eluuntur sordes. 34.

Et impiè agent impij: neque intelligent omnes impij: porrò docti intelligent.] Obsignatos dixerat Angelus futuros esse sermones, & clausos vsque ad præfinitum tempus, ad illud nempe, quo res prædicta executioni mandabitur. Vnde coniectare posset aliquis, omnibus, quos eo tempore vita frui contingeret, esse reuelandos, ita vt ex labore, ac tentatione prouentum potius capiant nouum, quàm veterum rerum detrimentum. id verò negat Angelus, docétque tantum id exploratum iri piis, qui ex signis cognoscent esse tempus illud periculosum, & durum, de quo nunc, atque ideo se ad subeundum illud cum fructu comparabunt; non tamen impiis, quibus propter stuporem ex vsu fore videbitur Antichristi studiis, atque consiliis obsequi: ex quo id consequentur, vt à priorum felicitate decidant, sicut ab illorum semita declinarunt. Quod accidit tempore Noë: audierant alij plurimi præter Noe, imminere iam tempus, in quo Deus statuerat inducto generali diluuio vniuersum delere, idque non semel aut familiaribus verbis, sed diuturna arcæ molitione prædicabat: vnus tamen vir pius Noë cum familia credidit, cæteri tamen prorsus increduli, imò quod talia credidisset, subsannantes Noë, nubebant ipsi, aut tradebant nuptui, neque magis abstinebãt à voluptate, & luxu quàm si nullo modo forent admoniti; donec tandem illuuione repentina demersi sunt. Matth.24. *Et non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis.* Dedit quidem Christus extremi illius temporis non obscura signa. Matth. 24.& Marci 13. sed illa insipientes, & impij aut non curarunt, aut non agnouerunt. Quocirca illa tantùm piis exhibita dici potuerunt; quia illis tantùm vsi sunt pij. Sic sanè indicat illud Psal.59.v.6. *Dedisti metuentibus te significationem; vt fugiant à facie arcus: vt liberentur dilecti tui.* Hoc ipsum in typo, id est, sub Antiocho Machabæorum tempore cognouerunt viri pij; qui cognouerunt, quę sub illud tempus molitus est Antiochus, ad ipsorum esse profectum, nempe ad piandas culpas, & augendas virtutes, atque ideo multorum virtus tunc enituit, sicut etiam in ea vexatione periere non pauci. 35.

Vers. 11.

36. Vers.11. *Et à tempore cùm ablatū fuerit iuge sacrificiū, & posita fuerit abominatio in desolationē, dies mille, ducenti, nonaginta.*] Fuit, vt diximus sæpe, Antiochus Antichristi typus, tunc in aliis multis, tum præcipuè quia, vt Antiochus sublato sacrificio iugi, in Solymitanum templum abominationem desolationis introduxit, & tribus annis, atque dimidio rem Iudaicam crudelissimè vexauit: sic etiam Antichristus, quod verè dici potest sacrificium iuge, Eucharistiæ videlicet sacramentum, exemplis auferet, & ipse quasi foret numen aliquod, in templo sedebit. Et hoc est quod modò abominatio dicitur in desolationem.

37. Sed hîc multa sunt nobis obseruanda. Primùm abominationem hanc, non esse illam de qua Christus Matth.24. Marci 13. Lucæ 21. Sed de qua priùs actum est à Daniele cap.9.v.29. vt eo loco pluribus.

38. Secundò, augustissimum Eucharistiæ sacramentum vocari iuge sacrificium, ad imitationem illius, quod bis quotidie offerebatur in templo, tempore videlicet matutino, ac vespertino. Sic quia sacrificium istud sæpe quotidie immolatur in templis, iuge sacrificium iure plusquam optimo vocari potuit. De sacrificio iugi vide Num. cap.28. & Exod.cap.29. de quo nos pluribus in nostris commentariis super Ezechielem cap.46. cur Christus in Eucharistia iuge possit sacrificium vocari, vide Origenem homil.24. in Num. & August.lib.21. sententiarum, cap.2.

Eucharistia quomodo iuge sacrificium.

39. Tertiò, obseruandum horribilem Antichristi persecutionem non cœpisse primùm ab eo tempore: quo sublatum est è templo solennis, & iugis agni cœlestis immolatio, sed aliquot diebus postea, nempe duodecim; id mihi ideo persuadeo, quia Antichristi persecutio duratura dicitur, per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, vt est communis Patrum, interpretúmque consensio, per tres annos, & dimidium quæ efficiunt dies 1277. duodecim diebus minus eo spatio, quo duratura dicitur Antichristi vexatio. Scio aliter ab aliis duodecim illos dies computari; sed hanc explicationem, quia difficilis non est, interim admittamus. Maluenda de Antichristo, lib.8. cap.9. probabile putat post Antichristum mortem, inductámque pacem Ecclesiæ adhuc duodecim dies cessaturum iuge sacrificium; quia cùm sint fideles latè dispersi, euersa templa, neque sacra vestis: aliquid temporis sumendum fuit, vt congregarentur fideles, & sacra supellex ad Eucharistiæ sacrificium necessaria pararetur, quæ sanè coniectura prudens est, & fortassè vera, coniectura tamen sola.

Antichristi grauior persecutio incipiet 12. diebus à sublato iugi sacrificio.

40. Quartò, videndum quomodo grassante Antichristi truculenta rabie cessaturum dicatur sacrificium iuge. Vbi vulgatus *iuge sacrificium*, Hebraice est תמיד *tamid*, quæ vox aliquid iuge, ac perenne significat, neque tamen additur vox alia, quæ sacrificium sonet. Sicut etiam apud hunc Prophetam aliis locis. Verumtamen, quia nihil erat in templo magis legitimum, ac frequens, communiter omnes in *tamid*, etiamsi nihil addas, exprimi iuge sacrificium arbitrantur. Septuaginta transtulere ἐνδελεχισμὸν, quod quidam *sacrificium iuge*, alij *continuationem*, alij *perennitatem* conuertunt.

41. Sed in significatione *tamid*, ἐνδελεχισμῷ, seu sacrificij non omnino conueniunt interpretes. Hieronymus, & Theodoretus hic pro cultu religioso sumunt; quem de templis auferet Antichristus. Hieronymus quidem obscuriùs; *A tempore*, inquit, ἐνδελεχισμῷ, *quod nos interpretati sumus iuge sacrificium, quando Antichristus orbem obtinens Dei cultum interdixerit, vsque ad internecionem eius tres, & semis anni*, &c. Clariùs Theodoretus, *abominationem*, inquit, *desolationis, ipsum vocat Antichristum, mutationem continuitatis* (explicatio est vocis *tamid*, seu ἐνδελεχισμῷ) *Ecclesiastici cultus ordinem*. Idem sentit Vatablus, & Glossa ordinaria. Sed alij omnes de Eucharistiæ sacramento accipiunt, & verè. Neque communi sententiæ admodum aduersantur, qui de Ecclesiastico hæc ministerio capiunt, & cultu; quia quæ in eo genere præcipua sunt, ad sacrum altaris ministerium instituta sunt. Sublatum autem esse iuge hoc sacrificium è templis, maxima censebitur persecutionū omniū, quas miserrimis illis temporibus excitabit Antichristus. Sic sanè Hippolytus Martyr, *Lugebunt tunc Ecclesiæ luctum magnum, quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus. Sed & Ecclesiarum ædes sacræ instar tugurij erunt, pretiosúmque corpus, & sanguis Christi non extabit in diebus illis. Liturgia extinguetur, Psalmorum decantatio cessabit.*

Antichristus iuge sacrificiū auferet.

42. Sed quid, quod Christus dixit Matth.cap.28. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Quod de Christi præsentia in Eucharistia interpretantur. Respondeo, quantumuis arderet persecutio: & in eam curam Antichristus incumberet; per vigilantissimos, & sceleratissimos suæ crudelitatis, atque impietatis administros, non tamen perfecturum, quominus in cryptis, abditísque secessibus, aut illis in locis, quò penetrare non possent acutissimi, atque vigilantissimi insidiatorum oculi, sacra fierent. Sicut olim Romæ, vbi maior erat Imperatorum potentia, & magis ardens extinguendæ Christianæ religionis studium; fiebant tamen sacra in arenariis, subterraneísque locis; neque modò sacrum hoc ministerium cessauit in Anglia, cùm non minus regnet ibi impietas, & extinguendæ pietatis inexplebilis sitis. Impedire quidem potuit Antichristus ne in publicis, atque frequentibus locis sacræ celebrarentur liturgiæ, at in locis occultis, vbi neque ipsius, neque ministrorum sagacitas quicquam odorari poterat sacrum, impedire non potuit.

Quomodo Christus in Eucharistia futurus vsque ad consummationem sæculi.

43. Vers.12. *Beatus, qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque.*] Hîc hærent interpretes: quærúntque, quid tantum afferat illa paucorum dierum accessio, vt ideo futuri existimentur beati, quibus dies illos videre contigerit. Si dies isti ex diebus mille ducentis, & nonaginta componantur, quibus cessaturum dicitur iuge sacrificium; accedent vtique ad illum numerum dies 45. Tantum verò spatium interiectum iri putant cum Hieronymo, Theodoreto, & S.Thoma frequentes alij, inter Antichristi necem, restitutúmque iuge sacrificium, & extremi iudicij magnum diem. Quod mihi quoque dicendum videtur. Sed cur beati, qui ad numerum illum dierum vitam producent? An quia illo tempore à persecutionis æstu respirabunt: & si quid in eo peccatum est, pœnitentiam agent? Ita putant Petrus Comestor, Hugo, Dionysius, & Lyra, & probat Pereira. Aut quia eo tempore requiescent, & vitam incipient ducere vitalem; cùm antea inter mortuos numerari potuerint: ita videbatur dici posse non ineptè, iuxta hominum sensum, qui tunc vitam sibi putant esse beatam, cùm in pace viuunt, atque otio, maximè cùm restitui vident, quæ cum magno animi sui

Ab Antichristi cæde ad iudicij tempus dies intercedent quadraginta quinque.

Cur beati dicūtur, qui ad iudicij diem viui peruenient.

mœrore periisse credebant. Aut quia, qui illis 1290. diebus non perierunt, morte nimirum spirituali; tolerarunt patienter diu, famis, exilij, & aliarum tribulationum incommoda; expectantes futuram esse breuem rerum conuersionem, & finem imponendum vexationi duræ: Ita fortassis, & fauet illud, *qui expectat*, quod affectū animi indicat, qui post iactationem, & fluctus quietem sibi, & in portu tranquillitatem promittit. Ac si dicat, beati, qui obdurauerunt, contra hostis immanis truculentam rabiem, & seipsos rebus secundis seruauerunt. Ego plura referre non moror, quia illa eadem postea refutare longum, & iniucundum opus. Dicam tamen duo, quæ mihi ab argumento aliena non videntur. Vtinam ad rem.

44. Notum est, vt in principio huius capitis obseruauimus, in fine mundi Iudæos esse conuertendos. Quo tempore, incertum est, cùm mundi finis multos possit annos continere: fortasse illorum conuersio in illos quadraginta quinque dies incidet, qui inter Antichristi necem, & finale iudicium intercedent. Tunc autem superstites erunt à Iudæorum genere non ita multi, cùm plurimi cum Antichristo, cuius sequebantur signa, opprimendi sint. His verò, quia tempus illud extremum non videbunt, non continget salus, propter quam, qui ad illud peruenerint, futuri dicuntur fortunati. Quòd autem Iudæorum plurimi in Antichristi castris futuri sint, & illius causam, & nomen suscepturi, quasi verus esset Messias, quem ipsi tanta auiditate expectabant, docent frequentes Patres, dum explicant illud Christi apud Ioannem cap. 5. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Irenæus lib. 5. cap. 25. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 12. Hieronymus quæst. 11. ad Algasiam, & alibi sæpius. August. tractatu 29. in Ioannem, & plures alij, quos hîc numerare longum esset. Vide omnes penè Pauli expositores ad illud epist. 2. ad Thessalon. cap. 2. vbi apertè Paulus de Antichristo eiúsque sectatoribus Iudæis. *Cuius est aduentus secundum operationem satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt, eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent.* Porrò à Iudæis primum Regem Antichristum appellandum, & illius honori, atque dignitati seruiendum, tradit Hippolytus in oratione de consummatione mundi.

Iudæi Antichristū secuturi.

45. Deinde eos, qui secuti fuerint Antichristum, cum illo eodem tempore, atque ruina perituros, colligitur ex Ezechiele cap. 38. & 39. & Apocal. cap. 20. Vbi sub nomine Gog, & Magog, de Antichristi, eiúsque exercitus interitu sermo est. Illi ergo Iudæi, qui magno numero Antichristo, vtpote cognato, adhæserunt, cum Antichristo cadent, atque ideo felix illud tempus non videbunt, quod ad diem sæculorum omnium postremum ab Antichristi cæde reliquum erit. Illi verò ex eodem Iudæorum genere erunt verè beati, qui neque Antichristum sequentur, neque communem cum illo mortem obibunt; sed nacti tempus ad pœnitentiam, quod otiosum abire non sinent, salutem consequentur. Hanc explicationem neque omnino mihi persuadeo, neque aliis probari volo; sed quia res est admodum obscura, & non vno modo ab aliis accepta, licere mihi existimaui illam aliter, atque aliter experiri, si quo modo hinc aliquid possit lucis accipere.

Iudæi, qui Antichristo adhærebūt, cum illo simul perituri.

A De his 45. diebus aliqua hîc tractari possent, 46.
curiosa multo magis quàm certa, quorū aliqua hîc libabo potius strictim, quàm persequar accurate. Primum si hoc tantum spatium ab Antichristi interitu ad diem extremum sæculorum intercedet, quo modo Ezechielis cap. 39. post stragem exercitus Gog, & Magog, arma, quæ ab illis relicta sunt cremanda dicuntur spatio septennali, sic enim ibi vers. 9. *Et egredientur habitatores de ciuitatibus Israël, & succendent, & comburent arma, clypeum, & hastas, arcum, & sagittas, & baculos, manus, & contos, & succendent ea igni septem annis.* Hanc difficultatem nos iterum attigimus, & vtcumque exoluimus in nostris commentariis, super Ezechielem ad eundem locum. Vbi regulam
B adduximus sacrarum literarum interpreti maximè necessariam. Iuxta quam id dicitur fieri, licèt futurum nunquam sit, quod vt fiat rerum natura videtur postulare. Quo modo Isai. cap. 4. septem mulieres apprehensuræ dicuntur virum vnum ad nuptias; quod licèt non accideret reipsa, verè tamen dicitur, quia illa erit virorum paucitas post grauia bellorum detrimenta, vt vix pro septem fœminis, vnus inueniatur vir. Sic etiam hîc, quia non tantum supererit temporis, non consumentur septem anni in comburendis hastis, & clypeis, quæ ex Antichristi strage relinquentur: septem tamen annis dicuntur consumendi, quia pro septem satis videbatur futurum esse ad instruendum focum. Hæc nos eo loco,
C quam etiam regulam tradit Ribera in cap. 20. Apocal. vbi hanc etiam difficultatem vidit.

REGVLA. Id dicitur fieri, quod vt fiat rerum natura postulat.

Alterum est, an toto hoc spatio futura sint illa signa, de quibus Christus Matth. cap. 24. & 47.
Marci 13. & quidem statim, atque cessauerit tribulatio ab Antichristo comparata, futura esse signa illa horrifica, textus ipse sacer videtur ostendere. Matth. cap. 24. v. 29. *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur: & tunc parebit signum filij hominis in cœlo.* Hæc eadem Marcus suprà. Qui loquendi modus planè indicat statim ab Antichristi cæde cœlum, & ipsa rerum elementa
D turbatum iri. & fortasse ideo, quia ad hæc tempora venturi dicuntur beati, qui ab his signis cœlestibus admoniti, atque conterriti, de corrigenda vita, per pœnitentiam cogitationem suscipient. Huc faciunt duo loca, quæ non parum huic cogitationi fauent: alter est Zachariæ cap. 14. vers. 7. *Et erit dies vna, quæ nota est Domino: non dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux.* Sermo est ibi de iudicio, & videtur institui de tempore, quod illud antecessit proximè, quale est hoc spatium 45. dierum: hoc tempus vsqueadeo obscurum fore dicitur, vt neque nox vocari possit, quia præsens aderit sol, neque dies, cùm sol sic à suo splendore destituatur; vt non sit dies ca-
E liginosus minus, quàm si abesset omnino. At vesperi, id est, sub finem illorum dierum 45. erit lux, quia cessabit illa elementorum turbatio, & tenebrarum horror. Hoc etiam indicat illud 1. ad Thessal. 5. v. 2. *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet: cùm enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.* Præcesserat, opinor, grauis ab Antichristo tempestas, & ab ea, plurimorum, aut naufragium, aut naufragij metus; cui successit tempestas alia ab elementis, & cœlo, cùm sol obscuraretur, neque luna splenderet, & astra, stellæ caderent; & præ timore imminentis mali homines arescerent. His verò transactis,

Signa ante iudicium quandiu duratura.

actis, cùm iam sub finem illorum pax videretur exorta, clamabant homines ignari ac stolidi, (nam de iustis ac sapientibus alia ratio est) *pax, & securitas*, sed tunc cùm sibi de oborta tranquillitate gloriantur; repentinus eis superueniet interitus: in his ego incertas sequor coniecturas, atque ideo nihil affirmo: sed tantùm aliorum ingeniis affero, quid expendant, quid damnent, aut probent.

48. De horum signorum tempore non eodem modo cogitant Patres. Augustinus epist. 80. ad Hesychium, futura putat hæc signa antequam moriatur Antichristus, ipsa adhuc persecutione sæuiente: quod item existimauit Lactantius lib. 7. cap. 16. Alij post resurrectionem generalem in ipso Domini aduentu. ita Hieronymus, & Chrysostomus in Matth. Eusebius Emissenus homil. in Dominicam 27. post Pentecost. Cuius sententiæ illud apparet non leue fundamentũ, quia post enumerata illa iudicij signa, statim additur; *Et tunc parebit signum filij hominis in cœlo.* Sed hæ opiniones habent aliquid durius, quàm quod curiosa studiorum ingenia possint concoquere. Nam si homines iam essent à mortuis excitati, quo modo arescerent præ timore, cùm affectus ille, neque immortalium sit; neque si mortales adhuc essent, tam breui tempore maciem traherent, & ariditatem, quia vt illi sentiunt, simul cum ipso Christi aduentu erit signorum illorum tremendus horror. Ex quo nonnulla etiam coniectura sumitur, vt putem veram esse suspicionem meam, qua signa hæc statim ab Antichristi cæde, id est, in principio 45. dierum futura existimabam, cùm macies illa, atque ariditas cõtrahi breui tempore non soleat. Adde quòd post signa illa, id est, postquam sedata fuerit illa tempestas, futurus dicitur magnus iudicij dies. Ioël. 2. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini.* Neque illud *tunc* admodum vrget, quod idem interdum valet, quod deinde. Certè apud Hebræos huiusmodi nomina, quæ temporum differentiam important, latiorem habent significationem, quomodo *cras* tempus significat futurum, licèt procul absit ab eo, quod propriè sonat. Idem dicendum de *heri*, & *hodie*, de *quando*: vt pluribus ostendimus in nostris commentariis in Zachariam cap. 9. num. 61. Quòd autem Antichristo viuo, & adhuc sæuiente persecutione, hic signorum horror non ingrueret, cõtra quam putabat Augustinus, probat illud Matth. 24. v. 29. *Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, &c.* Vbi post tempestatem ab Antichristo excitatam, futura dicitur alia de cœlo, & est notandum illud *statim*, quod indicat tempestatem de cœlo, cum alia tempestate fore continuandam.

Signa iudicij ante mortuorum resurrectionẽ.

Nomina quæ temporũ differentiã significãt, latius apud Hebræos patent, quàm apud Latinos.

49. Vers. 13. *Tu autem, Daniel, vade ad præfinitum, & requiesces.*] Consolatur Angelus Danielem, dum dicit illum futurum in eorũ numero, quos beatorum nomine paulo antè notauerat: qui videlicet ex suo, vt probabile putabamus, genere ad dies 1335. essent peruenturi. Vbi duos Hebraismos obseruo, alterum in *vade*, vbi imperatiuus pro futuro ponitur: alterum, quia hîc supplètur similitudinis forma, nempe *quasi*, aut *veluti*. Quare sensus erit, tu Daniel eris quasi illi, qui ad præfinitum tempus, dierum nempe 1335. peruenient, id est, eris beatus, sicut illi beati fore dicuntur. Quod satis exprimit, quod statim sequitur, *& requiesces*. Quod ad illorum statum pertinet, qui cum morte quietem consequentur veram.

Danieli beatitudo promittitur.

Alij hanc putant esse sententiam, vt iubeat Angelus ne curiosius plura de futurorũ euentu quærat; sed quiescat, & expectet tempus, in quo, quæ latebant in tenebris, manifesta fiant. Sed est sine dubio sententia prior, expedita magis, quam probant, quæ statim succedunt. 50.

Et stabis in sorte tua in finem dierum.] Vt illi, qui culpas, adhibita pœnitentia deleuerint, beati fore dicuntur; sic tu, inquit Angelus, o Daniel in sorte tua; quæ sors etiam erit beatorum, in sempiternum vitam ages beatam. Vel magis, vt reor, consequenter, sors tua, ó Daniel, eadem erit, quæ illorum, qui in finem dierum peruenient; ad dies nempe 45. post Antichristi mortem. 51.

Antequam ex hac Antichristi persecutione, & vniuersi interitu, finalique iudicio emergat commentatio, non erit abs re, explicare quot modis, quáve differẽtia illud persecutionis tempus in sacris literis explicetur. Primùm communior est, & Scripturæ loquendi modus, & communis Patrum sententia, persecutionem illam tres annos, nempe solares cum dimidio duraturam; quod spatium hoc dicendi modo sæpius explicatur, per tempus, & tempora, & dimidium temporis. ita cap. hoc 12. v. 7. & cap. 7. v. 25. & Apocal. cap. 12. v. 14. Quòd autem *tempus*, vnus sit annus, & *tempora* duo, facile conuincunt alij numerandi modi, qui constare non possent, nisi singulis temporibus, singuli continerentur anni. 52.

Tempus persecutionis Antichristi varijs in Scriptura modis explicatur.

Per tempus, & tempora, & dimidiũ temporis.

Explicatur etiam hoc spatium per minorem mensuram, nempe mensium, & tot numerantur; quot in tribus annis cum dimidio continentur, nempe quadraginta duo. Sic Ioan. Apocal. 11. vers. 2. *Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* & iterum Apocal. 13. v. 5. Et adhuc mensura minor spatium idem metitur, & numerat, nempe dierum, qui numerus probat tres illos annos cum dimidio solares esse potius, quàm lunares. Sed in horum numero maxima reperitur in Scriptura varietas; quę interdum non implet mensuram illam annorum, interdum exuperat. Exuperant duo illi numeri, de quibus proximè hoc ipso capite: nam mille ducenti & nonaginta dies, tres annos, & semissem diebus duodecim excedunt: cuius rationem nuper ostendimus. Deinde mille trecenti, & triginta quinque dies, de quibus hoc etiam capite, 45. diebus annorum illud spatium superant, de quibus nihil hîc dicendum, cùm satis multa de hoc dierum numero dicta sint. 53.

Per quadraginta duos menses.

Per dies 1290.

Apocal. cap. 12. v. 6. alius adhibetur numerus, qui triennalem, atque semestre spatium septemdecim diebus non adæquat; cùm enim ibi sermo esset de Ecclesia, vt communis est sensus; ab Antichristo vexata, illius persecutioni mille ducenti, ac sexaginta dies ascribuntur. *Et mulier fugit in solitudinem; vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.* Idem tempus assignatur prædicationi Heliæ, & Henoch, Apocal. 11. v. 3. in hoc posteriori non est, quod multis hæreamus. cùm enim occisi ab Antichristo fuerint, facile intelligi potest, quo modo septemdecim diebus ante illius cædem, interfecti sint; tot enim dies post durauit Antichristi vexatio, tres annos nempe cum dimidio, id est, dies 1277. De Ecclesiæ persecutione, seu potiùs in solitudinem secessu, res est paulo magis impedita. Placet in hac quæstione, quod visum est Riberæ in cap. 12. Apocal. num. 24. videlicet non statim atque Antichristi sæuitie persecutio 54.

Per mille ducentos & sexaginta dies.

cutio cœperit, fugituros sanctos, in quibus Ecclesiæ nomen auditur, in deserta loca. Sed paulo pòst exactis septemdecim diebus, qui si illorum adderentur fugæ; tribus annis cum dimidio in syluis agerent, locisque desertis. Nisi mauis, vt eo etiam in loco Riberæ placet, secessisse quidem Ecclesiam in syluas in ipso persecutionis initio, rediisse tamen, cum primùm occisi sunt Henoch, & Elias ab Antichristo, tantorum enim virorum exemplo confirmata pati pro religione voluit, id quod gloriosè cognouerant illos subiisse. Quare, quamdiu illorum prædicatio durauit, tandiu Ecclesia latuit in solitudine.

55. Sed est illud difficile, quia statim Ecclesia futura dicitur in solitudine tribus annis cum dimidio. Sic enim vers. 14. *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Ribera duo hæc loca sic putat cōciliari posse: vt ex magna illorum multitudine, qui in desertum decesserant, qui erant magis in fide constantes: & ad toleranda tormenta robusti, atque audaces magis, statim atque perfunctos audierunt gloriosa morte Eliam, & Henoch, ex syluis egressi, in vrbes redierunt: alij verò quos metus à præclaro illo consilio retardabat, hæserint in syluis ad cædem vsque Antichristi. Illis attribuit dies 1260. his tempus, & tempora, & dimidium temporis. Ego hæc ita probo, vt tamen simpliciùs mihi videatur dici posse, tandiu fuisse in syluis Ecclesiam, quandiu durauit persecutio, atque ideo fuisse in secessu commoratam *per tempus, & tempora, & dimidium temporis:* quia iisdem vocibus explicata paulo antè fuerat illius persecutionis mora. In sacra verò Scriptura paucorum dierum ratio in grandiori aliqua summa, haberi non solet; quæ sæpe annos imperfectos, pro perfectis numerat; & si qui sunt supra perfectum numerum dies, illos interdum omittit: septemdecim verò dies in trium annorum ac dimidij spatio exiguus est numerus.

56. Agit hîc sæpe Daniel de Antiocho, tanquam de quodam Antichristi typo, seu mauis prototypo: cuius similitudinem in suis moribus expressit, ita tamen vt illius impiam, ac barbaram crudelitatem longè superauerit. Inter exemplar autem, & id quod ab exemplari fuerit expressum, aliqua, imò maxima similitudo sit oportet. Id ergo nunc expēdamus. Et primùm à patria comparationem ordiamur: commune fuit Antiocho,

Quanta inter Antiochū, & Antichristum similitudo.

atque Antichristo natale solum. Vterque in Syria natus; & fortasse vterque Babylone, quæ ciuitas est Syriæ. De Antiocho nil tradunt historici, quia res non erat admodum historia digna; est tamen verisimile, quia Babylon ciuitas erat Syriæ nobilissima, vbi pater ipsius Antiochus Magnus dominatus est. De Antichristo est communis Patrum, & auctorum sententia.

Vtrique cōmunis patria.

Regnauit Antiochus in Syria, eodem in loco regnaturus traditur Antichristus. Qua de re nos pluribus in nostris commētariis super Ezechielem cap. 38. num. 13. vbi probabile putabamus Gog esse Antiochum, & Magog Syriam vbi ille dominatus est. Quàm autem in Antiochi moribus adumbratus fuerit Antichristus, facile his intelliget, qui vtriusque initia, progressus, atque exitum agnouerit. Vterque enim ambitiosus fuit, vterque crudelis, & impius, vterque per vim, & iniuriam magnos collegit vndecumque thesauros, vterque iuge è templo sustulit sacrificium, alter antiquum, quod Eucharistiæ sacramentum figurabat, alter Eucharistiam ipsam, quam potuit obstinato, atque scelerato consilio. Vterque secundos habent in acquirendo, atque constituendo regno successus, vterque finem insperatum, ignominiosum, & durum, & vt omnia essent inter hæc duo monstra quàm simillima, sicut Antichristus diuinum sibi nomen asciuit, Deúsque haberi, atque vocari studuit, sic etiam eò stuporis, ac insaniæ progressus est Antiochus, vt diuinos sibi honores aut exegerit, aut admiserit oblatos. De Antiocho habes suprà cap. 11. vers. 36. *Et eleuabitur, & magnificabitur aduersùs omnem Deum.* Vbi nos hac de re, non pauca, quæ tu vide, de Antichristo res est magis nota, vt eodem loco, & clariùs ad Thessalon. epist. 2. cap. 2. Adde ad extremum temporis moram, in qua suam vterque tyrannidem exercuit. Quòd enim Antichristus, tres annos cum dimidio afflicturus sit, & iactaturus Ecclesiam, satis ex superioribus constat. Quòd tantundem spatij in vexanda Iudæa posuerit Antiochus, docet Iosephus in Prologo belli Iudaici post medium. *Antiochus,* inquit, *cognomento Epiphanes deiecta penitus Hierosolyma, cùm triennium, sexque menses eam tenuisset, ab Assamonia filiis expulsus est.* Optimè ergo ab Antiocho ad Antichristum tanquam à figura ad veritatem gradus fit. Hæc de cap. 12. atque adeò de tota Danielis prophetia; nam quæ sequuntur nō tam sunt propheticè scripta, quàm historicè. 57.

Similis crudelitas, auaritia, & ambitio.

Vterq; Deus haberi voluit.

Æquale vtriusque vexationis tempus.

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM.

ARGVMENTVM.



OTVM hoc caput historicum est, & filum habet non interruptum, quare non admodum indigebat paraphrasi, cuius id est aut solum, aut præcipuum, vt hiantia compleat, aut interrupta contexat. quod etiam de sequenti, atque extremo capite dicendum est; in vtroque enim Daniel historicum agit potius, quàm Prophetam. Addidimus tamen paraphrasim, tum quia nonnihil affert lucis rei non admodum aliquando perspicuæ; tum ne ordinem, quem hactenus in exponendo tenuimus aut omisisse, aut improbasse videremur. Continetur in hoc capite suauissima quædam historia, in qua spectare licet quàm præceps sit virium, quámque inconsideratum luxuries, in duobus senibus, in quorum corpore multis iam annis è fœto, ac frigido, pruriebat tamen indomita libido, quam vt explerent, consilium inierunt planè crudele, ac barbarum.

Aggressi

Aggressi enim sunt castissimam quandam, & pulcherrimam fœminam, Susannam nomine, cui nisi suis votis facilem se, atque obsequentem præbeat, extrema omnia minantur, mortem videlicet, & ignominiam, quæ lex Mosaica exigit ab adultera: cùm autem illa oppetere mallet mortem acerbitatis, & ignominiæ plenam, quàm aliquid admittere, quod foret à diuina lege prohibitum; accusatur à senibus, quasi adulterij rea; & eo nomine extra ciuitatem de more producitur, vt ibi intereat lapidibus oppressa. Accurrit tamen Deus opportunè, cuius ope illa damnata iam mortis inclamarat; & misso Daniele reuocat multitudinem, quæ iam contra Susannam manus armauerat; & detecto artificio quodam admirabili senum scelerata calumnia, & testimonio falso, liberatur Susanna ab imminente morte, & idem in senes retorquetur supplicium, quod ipsi in innocentis caput antè parauerant. Ex quo facto consecuta est maxima populi lætitia; & Daniel magnum apud suos nomen obtinuit.

CAPVT XIII.

1. *ET erat vir habitans in Babylone, & nomen eius Ioakim:* A

2. *Et accepit vxorem nomine Susannam, filiam Helciæ, pulchram nimis, & timentem Deum:*

3. *Parentes enim illius cùm essent iusti, erudierunt filiam suã secundùm legem Moysi.*

4. *Erat autem Ioakim diues valde, & erat ei pomarium vicinum domui suæ: & ad ipsum confluebant Iudæi, eo quòd esset honorabilior omnium.* B

5. *Et constituti sunt de populo duo senes iudices in illo anno: de quibus locutus est Dominus: Quia egressa est iniquitas de Babylone à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.* C

6. *Isti frequentabant domum Ioakim, & veniebant ad eos omnes qui habebant iudicia.* D

7. *Cùm autem populus reuertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna, & deambulabat in pomario viri sui.*

8. *Et*

PARAPHRASIS.

1. HAbitat Babylone vir Iudæus, cuius erat nomen Ioakim.

2. Hic verò sibi coniugali nexu copularat Susannam Helcia parente prognatam, quæ erat, quod ad speciem attinet, venustissima forma, quod ad religionem sic in Deum affecta vt eius timore nihil charius, aut antiquius habuerit.

3. Cùm enim iustos nacta esset parentes, ab illis sic est à primis annis instituta, vt à seuera Mosaicæ legis obseruantia nunquam discederet.

4. Erat autem, prout illa ferebant Iudæorum tempora, Ioakim à fortuna, atque opib⁹, si quis alius ex suo genere, apud Babylonios instructus, & potens, habebátque domui adiunctum hortum, tum ad alios vsus, tum ad laxandum animum opportunum. Cùm autem ille omnium haberetur honestissimus, & suæ gentis facile primus, quotidiani ad illius domum fiebant à captiuo populo conuentus.

5. Illo verò anno electi sunt è populo duo senes, quibus facta potestas est, vt de aliorum causis legitimo iudicio decernerent. Cuius mores sic erãt impuri, sic corrupta fides, & cõstuprata iudicia, vt in illos conueniret optimè id quod priùs dictum erat à Domino; iniquitatem apud Babylonios ab illis prodiisse, qui cùm ætate iam essent senili, & ad iudicium exercendum matura, ad populi clauum moderandum sedere posse, imò, & illum regere æquissimè, ac sapientissimè videbantur.

6. Isti igitur, vt aures darent disceptantium causis, & populi querelis, Ioakimi domum, vtpote publicis curis opportunam frequenter obibant, ad quos, quibus aliquid erat controuersum, iudicióque studebant disceptari legitimo, de more confluebant.

7. Cùm autem sub meridianum temqus, senatúque iam dimisso, populóque ad propria regresso, vacua esset tum à causis,

A sis, tum à concertatoribus domus; egressa Susanna ex abdito, religiosóque conclaui, cui erat assidua; & in viri sui pomarium ingressa, animum deambulando relaxabat.

8. Et videbant eam senes quotidie ingredientem, & deambulantem: & exarserunt in concupiscentiam eius:

8. Porrò duo illi senes, qui seriùs excedebant domo, vt absoluto iudicio, de causis, réque publica secum deliberarent, (è quorum ætate iam annis, & æuo confecta, nihil sibi Susanna metuendum putabat.) Cùm sæpiùs illam in horto deambulantem viderent, illius capti pulchritudine, insano illam amore deperibant.

B

9. Et euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.

9. Hic porrò turpis, & inflammatus amor sic illorum senum cepit, atque peruertit animum, vt bonam illis mentem, & omnem expectoraret sapientiam. Quare omnem à se cogitationem bonam abiicientes, de explenda libidine cogitare sæpius statuerunt, & de illa blanditiis, aut alio quouis modo captanda fœmina, cuius ipsorum animos vsque ad insaniam amor inflammabat. Et quo suæ magis indulgerent libidini, neque eleuarunt ad cœlos oculos, neque quicquam habuerũt C pensi, quid esset à diuina lege constitutum.

10. Erant ergo ambo vulnerati amore eius, nec indicauerunt sibi vicissim dolorem suum:

10. Erant igitur ambo eadem capti infamia, & eodem amoris vulnere saucij; neque tamen suas sibi curas, atque desiderium impartiti fuerant.

11. Erubescebant enim indicare sibi concupiscentiam suam, volentes concumbere cum ea:

11. Licèt enim rei studerent, cuius illos pudere debuisset, tamen pudore quodam retardabantur, ne sibi vicissim aperirent quemadmodum turpem illum, & ab ætate grandi, ac frigida alienum concubitum expeterent.

12. Et obseruabant quotidie solicitiùs videre eam. Dixítque alter ad alterum:

D 12. Et vt quotidie magis ex assiduo conspectu vires capiebat illud incendium, sic etiam maiori studio quotidie libidinosos oculos illius aspectu pascere moliebantur, quod vt commodiùs, & sine vllo pudore, atque offensione facerent, alter alterum à se distrahere studebat, quare his se verbis ad discessum hortantur:

13. Eamus domum, quia hora prandij est. Et egressi recesserunt à se.

13. Agè redeamus domum, iam enim prandendi tempus adest, & è vestigio alter ab altero digressus est.

14. Cúmque reuertissent, venerunt in vnũ: & sciscitantes ab inuicem causam, confessi sunt concupiscentiam suam: & tunc in communi statuerunt tempus, quando eam possent inuenire solam.

14. Post illum autem simulatum disE cessum, in eundem rursus locum reuersi sunt, cúmque reditus illius inopinati causam alter ab altero sciscitatus esset, suam alter alteri concupiscentiã prodidit. Quare ea de re deliberant, quærendúmque statuunt opportunum tempus, in quo seorsum ab aliis inuenire Susannam, ac conuenire possent.

15. Factum est autem, cùm obseruarent diem aptum, ingressa est aliquando sicut heri & nudiustertius, cum duabus solis puellis, voluítque lauari in pomario: æstus quippe erat:

15. In tempus igitur opportunum intenti, illud cùm primùm oblatum est, auidè captarunt: cùm autẽ grauis esset æstus, lauaríque vellet, vt se tãtisper ab illo Solis,

16. Et &

A & regionis ardore reficeret, ingressa est pomarium duabus tantùm stipata puellis, sicut aliis sæpe diebus antè fecerat.

16. Et non erat ibi quisquam, præter duos senes absconditos, & contemplantes eam.

16. Quod ideo faciendum sibi putauit honestè, ac tutò, quia neminem esse in pomario credidit, sed erant interea duo tantùm senes intus absconditi : qui illius pulchritudinem, &quid rerum fieret contemplabantur.

17. Dixit ergo puellis: Afferte mihi oleum, & smigmata, & ostia pomarij claudite, vt lauer.

17. Præcepit ergo puellis, cùm omnia tuta putaret ab insidiis, vt vnguenta portarent,& smigmata, quorũ in balneis vsus
B esse solet: tum etiam vt pomarij portas diligenter clauderent,sibi enim statutum esse inire balneum, & ibi se lauare.

18. Et fecerunt sicut præceperat : clauseruntque ostia pomarij, & egressæ sunt per posticum, vt afferrent quæ iusserat : nesciebántque senes intus esse absconditos.

18. Illæ quàm primùm, & sedulò imperata faciunt,clauserunt etenim ostia pomarij,& vt afferrent, quæ sibi ad lotionem Susanna postulauerat,per posticum,ac cæcas fores egressæ sunt, neque norant misellæ latere intus pestem,& insidias, senes videlicet obsitos quidem æuo, iuuenili tamen luxurie prurientes.

19. Cùm autem egressæ essent puellæ, surrexerunt duo senes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt:

C 19. Vix dum puellæ excesserunt, solúmque reliquerãt pomarium ab arbitris, cùm subitò conuolant ex insidiis senes, & vbi propiùs accessere, Susannæ pudorem hunc in modum sollicitant:

20. Ecce ostia pomarij clausa sunt,& nemo nos videt, & nos in concupiscentia tui sumus: quam ob rem assentire nobis, & commiscere nobiscum.

20. Ecce, ô Susanna, pomarium clausum est,neque vllus est intus cuius oculos timere, ac reuereri debeamus. Tui nos amor vehementer inflammat, cuius vim animus noster sustinere nequit. Quam ob rem desiderio nostro facilem te,atque obsequentem præbe; tuíque corporis nobis
D copiam facito.

21. Quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quòd fuerit tecum iuuenis, & ob hanc causam emiseris puellas à te.

21. Quòd si preces nostras,ac vota respueris,magnotibi stabit rustica hęc,atque inurbana repulsa;dabis etenim pęnas,quas exigunt leges ab adultera, falso à nobis testimonio conuicta. Dicemus enim te cũ adolescente miscuisse corpus,& eapropter abs te dimissas esse puellas:ne quem haberes adulterij testem.

22. Ingemuit Susanna, & ait: Angustiæ sunt mihi vndique:si enim hoc egero,mors mihi est:si autem non egero, non effugiam manus vestras.

22. Cùm in has insidias inopinatò incidisset castissima fœmina,trahens ex imo pectore suspiria,ait:Vndique me coarctant
E & premunt periculum,& pauor;neque recusare possum, quominus mihi aliquod infortuninm subeũdum sit, si enim vestræ libidini succumbo, contaminandum erit adulterio corpus,& animus peccato:quod ego mortis loco statuo: sin autẽ vestro studio parere recuso, paratam mihi mortem video acerbitatis, atque ignominiæ plenã, neque enim video quomodo fieri possit,vt è manibus vestris vspiam expediar.

23. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras,quàm peccare in conspectu Domini.

23. Multo tamen præstat puro corpore, atque animo à vestris manibus mortem, atque ignominiam experiri,quàm vt à me

A Domini vindex manus temerati coniugalis tori, & violatæ legis pœnas expoſcat.

24. Et exclamauit voce magna Suſanna: exclamauerunt autem & ſenes aduerſus eam.

24. Quare cùm videret ſe parum habere virium contra duos, ne quid ab illorum petulantia ipſius pudicitia pateretur, aduocauit clamando domeſticorum auxilium; & contra ſenes flagitioſi, & callidi Suſannæ clamoribus, ſuos quoque clamores oppoſuerunt.

25. Et cucurrit vnus ad oſtia pomarij, & aperuit.

25. Tunc autem alter illorum ſenum feſtinus horti portam aperuit, vt veriſimile faceret quod in compoſita calumnia B dicere ſtatuerant, nempe per illam portam egreſſum eſſe iuuenem.

26. Cùm ergo audiſſent clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per poſticum vt viderent quidnam eſſet.

26. Ad clamorem Suſannæ, ac ſenum exciti famuli per porticũ celeres intrauerunt in hortum, vt viderẽt, quorſum excitatus ſubitus ille, atque confuſus clamor.

27. Poſtquam autem ſenes locuti ſunt, erubuerunt ſerui vehementer, quia numquam dictus fuerat ſermo huiuſcemodi de Suſanna. Et facta eſt dies craſtina.

27. Cùm autem ſenes loquerentur, ac proderent, quod inter ſe malitioſè, ac callidè antè compoſuerant, ſuffuſi ſunt pudore ad illud turpe, atque inſperatum flagitium famuli, quia nihil quod impudentiam oleret, audierant vnquam de Suſan- C na, neque de illius honeſtate ac viuendi ratione aliquid eiuſmodi ſuſpicabantur, res tandem ſic ſe tunc habuit, donec craſtinus illuxit dies.

28. Cúmque veniſſet populus ad Ioakim virum eius, venerunt & duo presbyteri pleni iniqua cogitatione aduerſus Suſannam, vt interficerent eam.

28. Vbi in vulgus Iudæorum prodiit, quid de Suſanna dictum eſſet à ſenibus, ſequenti die conuenit populus ad domum Ioakim, adfuerunt quoque duo ſenes callida, ac fraudulenta conſilia meditati contra Suſannam, vt illam ex lege popularium manibus opprimerent.

29. Et dixerunt coram populo: Mittite ad Suſannam filiam Helciæ vxorem Ioakim. Et ſtatim miſerunt.

D 29. Et audiente, atque ſpectante populo aſtare ſibi iuſſerunt Suſannam Helciæ filiam, & Ioakimi vxorem, vt capitale de ſe iudicium audiat. Statim verò iuxta duorum iudicum mandatum nonnulli è popularibus miſſi ſunt, qui Suſannam ad iudicium adducerent.

30. Et venit cum parentibus, & filiis, & vniuerſis cognatis ſuis.

30 Siſtitur autem illa coram ſenibus, cui aderant parentes, filij, atque cognati, qui cuius gratia accerſeretur ex heſterno clamore coniectabant.

31. Porrò Suſanna erat delicata nimis, & pulchra ſpecie.

31. Porrò Suſannam ingenua quædam E mollities, ac delicatus habitus, & oris prætereа eximia venuſtas commendabat.

32. At iniqui illi iuſſerunt vt diſco operiretur (erat enim cooperta) vt vel ſic ſatiarentur decore eius.

32. Venerat illa, aut propter pudorem, quem ex illa ſceleris opinione contraxerat, aut quia ſic ferebat reorum, quibus ſupplicium capitale paratum erat, conſuetudo, cooperta facie. Sed illi non minus crudeles, quàm inuerecundi, atque procaces ſenes, vt vel illius ſpecie laſciuos oculos oblectarent, reuelari faciem ſublato integumento præcipiunt.

33. Flebant igitur ſui, & omnes qui nouerant eam.

33. Status autem ille miſer, & ſuperioris vitæ honeſta recordatio, ſic affecit omnes, vt

34. Con

A vt non solùm à cognatorum, sed etiam ab alienorum oculis lacrymas extorserint.

34. *Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput eius.*

34. Surrexerunt autem è medio populi conuentu duo senes, qui simul erant accusatores, & testes, & manus suas super Susannæ caput, quasi execrabile foret, posuerunt.

35. *Quæ flens suspexit ad cælum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.*

35. Illa verò gnara quid illa manuum impositio designaret, cum fletu, ac lacrymis suspexit in cœlum; vnde sperabat sibi in illis rerum angustiis venturū auxilium.

36. *Et dixerunt presbyteri: Cùm deambularemus in pomario soli, ingressa est hæc cum duabus puellis, & clausit ostia pomarij, & dimisit à se puellas.*

36. Senes autem contra Susannam hūc B in modum accusationem instituunt. Secesseramus, inquiunt, in pomarium vbi cū deambularemus, secreti, ac soli, ingressa est hæc fœmina, cuius nunc causa in iudicio versatur, cū duabus puellis in pomariū, & clausis portis puellas iussit inde facessere.

37. *Venitque ad eam adolescens, qui erat absconditus, & concubuit cum ea.*

37. Vix dum illæ foras abscesserant, & ecce tibi aduolat ad illam, qui ibi absconditus erat adolescens, & nefario cum illa concubitu congressus est.

38. *Porrò nos cùm essemus in angulo pomarij, videntes iniquitatem, cucurrimus ad eos, & vidimus eos pariter commisceri.*

38. Eramus eo tempore nos in secessu, seu angulo pomarij; cùm autem flagitio- C sum illud opus essemus odorati, statim, vt par erat, illuc accurrimus; ac tandem illos venereo cōgressu cōstrictos esse vidimus.

39. *Et illum quidem non quiuimus comprehendere, quia fortior nobis erat, & apertis ostiis exiliuit:*

39. Conati sumus illum comprehendere, studio tamen irrito, cùm enim nobis esset longè robustior, repugnauit fortiter, & egressus per ostium, quod duæ puellæ paulo antea obserarant, senilem sedulitatem clusit.

40. *Hanc autem cùm apprehendissemus, interrogauimus, quisnam esset adolescens, & noluit indicare nobis: huius rei testes sumus.*

40. Hanc verò, quia imbecillior erat ad resistendum, & magis ad fugam impedita, comprehendere difficile non fuit: D quam cùm constrictam iam manu, & sceleris conscientia teneremus, pro nostro iure quis adolescens ille foret, percōtati sumus. Quæ tamē neque parere voluit præcipientibus, neque adolescētis nomen indicare. Hæc porrò omnia neque incertis rumoribus, neque alieno testimonio didicimus, nos eius rei iudices sumus, & testes oculati.

41. *Credidit eis multitudo, quasi senibus & iudicibus populi, & condemnauerunt eam ad mortem.*

41. Facile sibi hoc esse verum persuasit populus, neque enim credebat à senibus ætate, & magistratu grauibus, quibus- E que alij, & forum, & multitudinis habenas tradiderāt, aliquid esse comminiscendum falsi; aut aliquid, leuissimum licet, esse affingendum veritati. Quare omnès audito senum testimonio clamant illam esse satis adulterij conuictam, neque recusare posse, quominus subeat oppressa lapidibus legitimum adulterij supplicium.

42. *Exclamauit autem voce magna Susanna, & dixit: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequā fiant,*

42. Tunc verò Susanna, cùm videret multitudinem totam duorum senum auctoritate deceptam in suum caput conspirasse, & nihil esse propius, quàm vt in se se-

43. *Tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt aduersum me.*

44. *Exaudiuit autem Dominus vocem eius.*

45. *Cúmque duceretur ad mortem, suscitauit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel:*

46. *Et exclamauit voce magna: Mundus ego sum à sanguine huius.*

47. *Et conuersus omnis populus ad eum, dixit: Quis est iste sermo, quem tu locutus es?*

48. *Qui cùm staret in medio eorum, ait: Sic fatui filij Israel, non iudicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel?*

49. *Reuertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt aduersus eam.*

50. *Reuersus est ergo populus cum festinatione, & dixerunt ei senes: Veni, & sede in medio nostrûm, & indica nobis: quia tibi Deus dedit honorem senectutis.*

A uerissima lege, quę adulteriis supplicia definit, ageretur, exclamauit ea voce, quæ ab astantibus exaudiri posset; & hunc in modum Deum allocuta est: Deus æterne, cuius sapientię nihil est celatum, & clausum, cuius oculos res etiam antequam fiant, latere non possunt.

43. Tu nosti Domine, quàm sit falsus rumor qui contra meam honestatē, & vitam dissipatur, quemadmodum testimonium falsò, ac malitiosè confictum vitam meam morte, ac lapidatione condemnat.
B Cùm autem innocens sim, & munda ab his, quæ à senibus admisisse coarguor.

44. Nec diu Dominus distulit vocem supplicis, & mœrentis audire, & cumulatè postulata concedere.

45. Damnata iam senum testimonio, ad paratum supplicij locū Susanna trahebatur. Cúmque res eò esset progressa, vt actū de fama, ac vita illius putaretur: incumbēte iam, & conspirante populo, ad sumēdas legitimas adulterij pœnas, excitauit Dominus spiritum, sanctum videlicet, qui in
C puero quodā habitabat, cui nomē Daniel.

46. Hic verò contra clamantem turbā, excitato clamore tumultum omnem, & festinationem compressit, edixítque iniustum esse iudiciū, quo damnabatur innocens, & se abesse quàm longissimè, vt illud probaret, & cum deluso populo sentiret.

47. Tunc excitatus populus sustinuit gradum, dixítque ad Danielem conuersus: Ecquis hic sermo; quē tu in ætate nondum ad iudicandum maturo locutus es?

D 48. Qui cùm in multitudinis medio constitisset, libera, ac plena dignitatis voce hunc ad turbam aliquanto minus quàm antè concitatam sermonem habuit: Siccine ô filij Israël, ô nimium creduli, ô parum in iudicando sani, ô valde in deliberando præcipites; síccine, ô filij Israël, neque verò, neque legitimo iudicio Israëlitidem fœminam condemnastis?

49. O igitur cohibete gradum, rémque totam ad iudicium, & examen legitimum reuocate: hanc etenim fœminam, in cuius
E mortem fatua istæc multitudo conspirat, non adulterij crimen, à quo longè abest, sed falsum testimonium, & duorum senum malitia condemnat.

50. Hæc vox cōtinuit multitudinis impetum, & ad examinandā accuratiùs causam reuocauit. Tunc qui erant inter alios ætate, atque consilio principes, Danieli dixerunt: Age, ô Daniel, & nobiscum sede, & quo res explorari, & definiri debeat modo, nobis ostēdito. Dedit enim tibi Deus, vt apparet, in ætate adhuc iuuenili, senile iudicium, & honorem illum, quem alij debere se putant senectuti.

51. Et 51. Sedit

51. Et dixit ad eos Daniel: Separate illos ab inuicem procul, & diiudicabo eos.

A

51. Sedit in illo senum conuentu iudicaturus Daniel, & quo magis esset explorata veritas, duos senes in totidem partes separari iussit.

52. Cùm ergo diuisi essent alter ab altero, vocabit vnum de eis, & dixit ad eum: Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius,

52. Cùm ergo essent inter se vicissim separati, ne quod inter se fingerent cõmune responsum; vocauit Daniel illorum alterum, dixitque: O à primis annis flagitiis assuete senex, cui iam ab assiduitate peccãdi cognatum est, ac naturale scelus. Nunc tandem lues peccatorum pœnas, quæ superioribus annis impune commisisti.

53. Iudicans iudicia iniusta, innocentes opprimens, & dimittens noxios, dicente Domino: Innocentem & iustum non interficies.

B

53. Iudicabas antè, neque iustè, neque legitimè aliorũ causas, efficiebásque corruptis, peruersísque iudiciis, vt detrimenta grauia paterentur innoxij, & sceleratorum culpæ abirent impunitæ, cùm staret contra diuinum præceptum, quod cauet ne noxiorum pœnas soluant insontes, neque iusti expendant supplicium illud, quod lex statuit, atque imponit iniustis.

54. Nunc ergo si vidisti eam, dic qua sub arbore videris eos colloquentes sibi. Qui ait: sub schino.

54. Nunc ergo, vt de testimonij tui fide, ac veritate constet, age iã, quando adolescenti succubuisse Susannam testatus es,

C

dic sub qua arbore nefarium illud opus aspexisti? Cui senex, sub schino, inquit, peracta res est.

55. Dixit autem Daniel: Rectè mentitus es in caput tuum. Ecce enim Angelus Dei accepta sententia ab eo, scindet te medium.

55. Mendacium sanè tuis meritis, ac testimonio attemperatũ cõfixisti; cùm enim schinus diuisionem significet; indicat planè nomen ipsum te ab Angelo Dei, cuius sententiæ minister, atque executor aderit, dissecandum esse medium. Quare tute tibi supplicij genus, & modum præfiniisti.

56. Et, amoto eo, iussit venire alium, & dixit ei; Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum:

56. Eo iam summoto, alterum Daniel

D

ad examẽ accersit, illúmque hac oratione coarguit, & increpat: O senex scelerate, atque impie, è Chananęo potius, quàm è Iudæo semine prognate, species illusit oculis tuis, & in væsanum istud consilium deduxit, & libido à qua pudor abest, & ratio, bonam tibi mentem, & prudentiam eripuit.

57. Sic faciebatis filiabus Israel, & illæ timentes loquebantur vobis: sed filia Iuda non sustinuit iniquitatem vestram.

57. Eodem, quo Susannæ pudorem, artificio Israelitidam fœminarum pudicitiæ parabatis insidias; quas obiecto à legis seueritate metu, in vestram sententiã, atque libidinem trahebatis. At filia Iuda, cuius

E

hodie vitam in discrimen adduxistis, neque precibus vestris, neque terrori cessit, vt vestræ se libidini summitteret.

58. Nunc ergo dic mihi, sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait: Sub prino.

58. Nunc ergo, vt tui testimonii fidem probes, dic cuius arboris vmbram ad venereum illud negotium elegerunt. Ille verò sub prino ait fuisse, ad impuram illam consuetudinem quæsitum diuerticulum.

59. Dixit autem ei Daniel: Rectè mentitus es & tu in caput tuum: manet enim Angelus Domini, gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos.

59. Ad quẽ Daniel, tuo te testimonio, quasi gladio iugulasti, accommodatum est hoc quoque mendacium pœnæ, quam statim pro tuis meritis exolues. Vt enim primus diuisionem sonat, sic Angelus Domi-

A ni, gladio, quem manu gestat, secabit medium, atque interimet te.

60. Exclamauit itaque omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum, qui saluat sperantes in se.

60. Cùm suo se testimonio manifestè confixissent senes; & illorum calumniam, & Susannæ innocẽtiam ad vniuersum populum permanassent: exclamarũt omnes, & clara, atque contenta voce Dei fidelitatem laudauerunt; qui illorum spem neque vacuam, neque hiantẽ relinquit, qui suum ipsi honorem, & vitam crediderunt.

61. Et consurrexerunt aduersus duos presbyteros (conuicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium) feceruntque eis sicut malè egerant aduersus proximum,

61. Et cùm iam senes illi duo, Daniele iudice, conuicti fuissent falsum contra in-B nocentem tulisse testimonium, consurrexerunt omnes, & mutuo se cohortati, tale senibus inflixere supplicium, quale ipsi priùs Susannæ parauerant.

62. Vt facerent secundùm legem Moysi: & interfecerunt eos, & saluatus est sanguis innoxius in die illa.

62. Fecerunt autem, quod olim præscriptum erat à Moyse dum quia interfecerunt illos, qui in discrimen adduxerunt; tum quia innocentem iniquo oppressam iudicio à morte liberarunt.

63. Helcias autem & vxor eius laudauerunt Deum pro filia sua Susanna, cum Ioakim marito eius, & cognatis omnibus, quia non esset inuenta in ea res turpis.

63. Qui autem Susannam, atrati, & mœsti quasi ad funus prosequebantur, nempe ipsius parentes, atque cognati, & C cum his etiam vir eius Ioakimus alio iam animo, ac vultu laudauerunt Deum, quòd nihil esset in filia indignum, ac turpe deprehensum.

64. Daniel autem factus est magnus in cõspectu populi, à die illa, & deinceps.

64. Ex eo autem tempore in annos plurimos magnam apud suos opinionem, & nomen consecutus est Daniel.

65. Et rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius.

65. Post multa deinde tempora cùm vita, & regno defunctus esset Darius, Astyagis filius; illius loco Cyrus è Persarum genere suscepit imperium.

---

1. HVc vsque Daniel Prophetam, nunc iam agit historicum. Neque enim deinceps futurum aliquid prædicit, sed præteritum narrat. Multa, quæ hîc disputari poterant, satis sunt à nobis in Prolegomenis tractata. Qua lingua primùm scripta, quis auctor, & quo modo, quæ contra horum duorum capitum fidem obiiciuntur, nihil habeant momenti, quare ab illis meo iure videor abstinere posse; cùm illa lector huc aduocare possit, solùm dicam, quod verba à Hieronymo præfixa omnino cogunt. Sic autẽ hîc Hieronymus, *Hucusque Danielem in Hebræo volumine legimus. Quæ sequuntur vsque ad finem libri, de Theodotionis editione translata sunt.* Transtulit Theodotio hauddubiè ex Hebraico, seu Chaldaicò idiomate; vt quid enim ex Græco in Græcum rursus conuerteret? Tres fuerunt ante Hieronymum, qui ex Chaldaico, seu Hebraico in Græcum sermonem sacra Biblia conuerterunt, quorum nomen propter desertam, aut oppugnatam religionem odiosum fuit, licèt eorum translatio magno olim in pretio habita. Non loquor hîc de septuaginta duobus interpretibus, quorum magna semper fuit auctoritas, sed de aliis, qui in conuertendas Scripturas sacras studium contulerunt.

2. Horum primus fuit Aquila Ponticus, qui, vt auctor est Epiphanius lib. de mensuris, & D ponderibus, sub Adriano imperatore vixit. Fuit autem Aquila primùm è Gẽtili Christianus, deinde ab Ecclesia pulsus, quòd Astrologiæ deditus esset iudiciariæ; ad Iudæos transfugit, & quia ab Ecclesia alienus translationem sacrorum bibliorum molitus est, non satis existimatur ex originali lingua transtulisse fideliter. Vide Sixtum Senensem lib. 4. Bibliothecæ. *Quis Aquila Scripturæ interpres.*

Symmachus Seueri Augusti temporibus Hebræos item libros in Græcum transtulit. Hic autem Ebionita fuit, vt auctor est Eusebius: vt autem Athanasius, & Epiphanius, Samaritanus. Qui cùm apud suos principatum obtinere non posset, Iudæis se asseclam adiunxit. 3. *Quis Symmachus.*

Theodotio sub Commodo. Græcos etiam fecit Hebræorum libros maiori quàm alij fide, vt E dicit Epiphanius. Quare, vt in Prolegomenis antea docuimus ex Hieronymo, ex omnibus aliis huius translationem in Daniele sumpsit Ecclesia. Fuit autem hic ex hæretico Marcionista Iudæorum proselytus. Huius extat Græca Danielis translatio: quæ supra illa, quæ in Hebraicis codicibus inueniuntur, seruat duo hæc extrema capita, quæ in illa tantùm vidit Hieronymus: quæ tamen minoris fidei non sunt, cùm probata fuerint, & iam olim à principio in officio sacro vsurpata ab Ecclesia. Quomodo autem multa tam ex prophanis, quàm ex sacris monumentis 4. *Quis Theodotio.*

mentis exciderint, & tantùm illorum transſatio, ſeu epitome ſint reliqua, ſatis, credo, probauimus in Prolegomenis.

5. Verſ.1. *Et erat vir habitans in Babylone.*] Quo tempore acciderit hæc hiſtoria, dictum eſt in Prolegomenis, nempe ſub ipſum captiuitatis principium, quando primùm à Nabuchodonoſor victus eſt, & captus Ioacin. Quare Septuaginta ab hac hiſtoria Danielis librum ordiuntur.

6. Verſ.2. *Et accepit vxorem nomine Suſannam, pulcram nimis.*] Vſitatum eſt in omni, credo, lingua, vt pro nomine proprio, aliud audiant homines, quod ex aliqua proprietate, ac nota ſiue ad commendationem, ſiue ad conuitium impoſitum eſt à vulgo. Exempla apud Latinos, & Græcos obuia, ex Hebræis accipe pauca. Gedon ex euentu quodam vocatus eſt Ieroboal, Iud.6. Eſau ab edulio ruſo Edom, Gen.25. Iacob à quadam lucta cum Angelo Iſrael. Sed eſt exemplum accommodatum valde in libro Eſther cap.2. vbi Eſther alieno nomine, non, credo, proprio, ſed impoſito propter eximiam pulcritudinem à Gente ſua, vocabatur Ediſſa, Heb. הדסה *hadaſah*, quæ pulcram ſignificat, ſeu myrteam, à הדס *adas*, quæ myrtum valet. Quod nomen à Latinis eandem ob cauſam datum eſt Veneri: quia myrto & gratus nitor, & perpetua viriditas. Sic fortaſſe Suſannæ aliud erat nomen, quod à parentibus olim acceperat: de quo non conſtat, quia tamen nimis erat pulcra, datum eſt illi Suſannæ nomen, quod idem valet quod lilium. Heb. שושנה. Vnde apud Hiſpanos modico flexu *Azuzena* dicitur. Quæ vox in Scriptura ſacra ad explicandam pulcritudinis præſtãtiam adhiberi ſolet, vt audis in Canticis non ſemel. Hæc videntur non inepta; neque à prudenti coniectura aliena, nihil tamen in alterutram partem affirmo.

Multa nomina ex euentu impoſita.

Suſanna, an nomen proprium, vel potius cognomen tantùm. Eſter cur dicta Ediſſa.

Suſanna idem quod lilium.

7. *Pulcram nimis, & timentem Deum.*] Artificiosè Propheta, &, vt leges exigunt narrationis, illa præmittit, quæ rem faciunt lectori probabilem. Hic enim duo præcipuè narrantur, quæ ad Suſannam ſpectant, & quòd ſenes ætate iam frigida, & inerti ad Venerem in eius cõcupiſcentiam exarſerint: & quòd ipſa maluerit mortem, & ſuſpicionem adulterij ſubire; quàm à legis obſeruantia deficere. Vtrunque verò facit probabile, & rara Suſannæ pulcritudo, quæ emortuam in ſenibus inflammauit libidinem, & Dei timor: qui non eſt paſſus illam ab eo, quod lex diuina præſcribit, declinare.

8. Verſ.4. *Erat autem Ioacim diues valde.*] Quomodo captiuus, & exul, atque in ipſo captiuitatis exordio, diues eſſe potuerit, ac domum habere ſplendidam, inſtructam tum aliis lautæ domus ornamentis, ſeruorum, atque ancillarum non exiguo numero, quæ à miſerorum, atque exulum conditione abeſſe procul aſſolent, diximus in principio Prolegomeno 6. neque eſt cur hic aliquid addamus.

9. Verſ.5. *Et conſtituti ſunt de populo duo ſenes iudices in illo anno.*] Rationes illæ, quas illo ſexto Prolegomeno produximus, probant etiam, quod hoc loco videri poterat difficile. Quis enim crederat captiuum populum in alieno ſolo, vbi aliæ leges, alia iura, atque alia iudicij forma, habituros eſſe iudices ex ſuo genere, qui non Babylonicis, ſed Iudaicis legibus, captiuorum errata, & controuerſias expenderent? At quia illi, qui primo Chaldæorum appulſu abacti ſunt Babylonem, cùm neque grauiter offendiſſent Chaldæorum animos, cùm fidem non fregiſſent antè datam;

In exilio Iudæi ſuos habuerunt Iudices, & tribunal.

A neque in ipſis debellandis plurimum moleſtiæ perculiſſent hoſtes, adde quòd etiam non tam eſſent captiui, ac ſerui, quam obſides ſeruandæ fidei; non eſt mirandum ſi honeſto eſſent loco apud Babylonios, & in ſuis cauſis non tam peregrinis, & barbaris, quàm patriis legibus vterentur. Immo neque ratio, aut Gentium conſuetudo patiebatur, vt aliter fieret: cùm enim ſuis legibus viuere permitterentur; permitti etiam debuerunt habere ſuum quoque iudiciale forum, quod de illarum legum obſeruantia cognoſceret. Sanè cùm Iudæi non minus poſtea Romanis, quàm hoc primæ tranſmigrationis tempore Babyloniis ſubeſſent; ſua habuere iudicia, quæ de religione, ac patriis legibus iudicarent. Vnde Actor. B cap.18. v.14. cùm Paulus ad Gallionem præſidem eſſet delatus, dixit Gallio: *Siquidem eſſet iniquum aliquod, aut facinus peſſimum, ô viri Iudæi rectè vos ſuſtinerem: ſi verò quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus, & lege veſtra, vos ipſi videritis: iudex ego horum nolo eſſe.* Magiſtratum autem illum fuiſſe annuum, ſatis ſuadet hic locus, dum ait: *Conſtituti ſunt de populo duo ſenes Iudices in illo anno.*

De quibus locutus eſt Dominus, quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus iudicibus.] Senſus eſt non obſcurus; valde tamen obſcurum, vbi hæc 10.
reperiantur, quæ ex alio loco citat Propheta. C Quidam dicta putant à Ieremia cap.26. v.21. vbi duobus iudicibus Achab, & Sedeciæ talia videtur prædicere, ac minari, qualia hic traduntur de duobus ſenibus. *Ecce*, inquit, *ego tradam eos in manus Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & percutiet eos in oculis veſtris. Et aſſumetur ex eis maledictio omni tranſmigrationi Iuda, quæ eſt in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus ſicut Sedeciam, & ſicut Achab. quos frixit Rex Babylonis in igne. Pro eo quòd fecerint ſtultitiam in Iſrael, & mœchati ſunt in vxores amicorum ſuorum.* Ita putant Doctores Hebræorum; quorum ſententiam probant Hieronymus, & Origenes, & cum illis plures alij. Sed plerique alij contrà ſentiunt. Egi hac de re D in commentariis ſuper Ieremiam ad locum de quo proximè, vbi dixi Hebræorum ſententiam mihi non probari. Primùm quia ſenes, de quibus hoc loco Daniel, lapidati ſunt à populo, vt ſuo poſtea loco dicemus: at illi, de quibus Ieremias, aut igne combuſti, aut frixi ſartagine à Nabuchodonoſor. Item hi dicũtur iudices, illi pſeudoprophetæ. Scio eſſe aliquid, quod qui contrà ſentiunt, his rationibus reſpondere poſſent; ſed in re coniecturali plurimum habet momenti, quod magis videtur expeditum, & promptum, quódque obuium eſt ei, qui primùm ad intelligendum animum applicuit. Grauior mihi ratio eſt, quòd hæc hiſtoria accidit paulo poſtquam abductus eſt Daniel Babylonem, vt oſtendit Da- E nielis nomen, quod tunc temporis habuit, cùm duorum ſenum cauſam damnauit. Dicitur enim tunc fuiſſe puer iunior: at illæ minæ, quas in duorum pſeudoprophetarum capita Ieremias intorſit, ſcriptæ ſunt à Ieremia poſtquam Iechonias Babylonem commigrauit, id eſt, vt minimum octauo anno poſtquam Daniel Babylonem ingreſſus eſt, tantum enim intercedit temporis inter quartum annum Ioacim, in quo Daniel; & inter annum primum Iechoniæ, in quo Iechonias ipſe cum pluribus aliis abductus eſt Babylonem. Neque eo tempore, quo illa Ieremias ſcripſit, duo illi pſeudoprophetæ perierunt, ſed longè fortaſſe poſtea. Quare tunc non eius erat ætatis Daniel, vt puer iunior vocari potuerit.

Alij credunt hîc non tam verborum, quàm sententiæ Prophetam meminisse, laborant tamen in quærendo loco, vbi talis sententia in Scriptura sacra reperiatur, illum suspicantur, qui est apud Ieremiam cap.23. vers.14. *in Prophetis Ierusalem vidi similitudinem, adulterium, & iter mendacij.*

11. Mihi non displicet hæc verba dicta fuisse ab aliquo Propheta, aut etiam scripta, quæ tunc erant in aliorum memoria; quæ tamen nunc ex scriptis, vt alia pleraque, exciderunt; neque illorum vlla nunc esset memoria, nisi ab hoc Propheta in præsentia forent renouata. Neque hoc nouum est in Scriptura, quæ aliqua sæpe citat tanquam dicta priùs à Deo, neque tamen eorum locus vllus apparet. Quis nosset dictum esse à Christo, *Beatius est magis dare, quàm accipere.* nisi id Actor. cap.20. repetitum esset à Paulo? Dixit fortasse Christus sæpe Marthæ, *Si credideris, videbis gloriam Dei.* qua nos sententia careremus, nisi Christus repeteret Ioan. cap.11, *Nónne dixi tibi, si credideris, &c.* Egimus hac de re pluribus ad illud Ezech. cap.38. *Tu ergo ille es, de quo locutus sum.* Sic ergo censeo hæc olim verba scripta fuisse, quæ tamen è sacris monumentis exciderunt: sicut plurima alia, quæ periisse constat.

REGVLA. *Multa ex scriptura exciderunt, quæ tamen alibi citantur.*

12. *Qui videbantur regere populum.*] Eam præ se ferebant grauitatem in ore, eam in moribus simulatam sanctitatis speciem, vt alios viderentur in omni officio, ac morum integritate seruaturi. Sed erat simulata sanctitas & vmbra quædam inanis senilis maturitatis, & prudentiæ. Videbantur quidem regere, non regebant populum: idolum iudicum appellares, non iudices: vt explicat ex Origene Hieronymus. Quod Zacharias dixit cap.11. *O pastor, & Idolum.*

13. *Cùm autem populus reuertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna, & deambulabat in pomario.*] Quia domus Ioacim lauta erat, ampla, ea visa fuit idonea, in qua tam senes iudices, quàm populus ipse iudiciorum causa conueniret. Erat autem vt hinc colligere posse videor, hora iudiciis, causísque disceptandis destinata non longè ante pomeridianum tempus; atque in ipso meridie discussis iam iudiciis, & soluto senatu, quilibet reuertebatur domum. Sanè apud Romanos, quod illis fortasse cum aliis nationibus commune fuit, ante meridiem, ad meridianum vsque articulum disceptabantur causæ. Sic Martialis lib.4. epig.8. vbi totius diei tempora dispensat,

Ante meridiem apud Iudæos causæ iudicabantur.

Prima salutantes, atque altera continet hora
Exercet raucos tertia causidicos.

Tertia tunc erat, quæ nunc apud Hispanos nona est; à tertia verò ad sextam, quæ apud Hispanos est duodecima, per tres horas opera dabatur controuersiis, atque iudiciis. Quare optimè, & consentaneè, iuxta hanc temporis distributionem, populus, qui iudicij gratia ad senatum illum veniebat, vbi ille esset dimissus, reuertebatur domum ad meridiem. Tunc verò cùm domus esset ab hominibus, & à strepitu forensi vacua, ingrediebatur Susanna pomarium laxandi animi gratia: nam ad illud vsque tempus modestissima fœmina, vt hominum sese oculis subduceret, secessum amabat, & domesticas latebras.

14. Vers.8. *Et videbant eam senes quotidie ingredientem, & ambulantem.*] Hoc ego colligere mihi videor, Susannam non eo semper animo pomarium ingressam vt balneum iniret, sed vt laxaret animum, aut alias ob causas: ingredientem namque, & deambulantem, non lauantem intuebantur lasciui, atque inuerecundi senes. De balneo statim: cùm autem spectaret Susanna donec populus, qui iudicij causa domum ingrediebatur, dimitteretur, vt ex conclaui, & quasi Sacrario egrederetur, non sibi putabat ab oculis duorum senum esse cauendum; quos propter ætatem grauem, & frigidam: & propter magistratum, qui solet etiam petulantem adolescentiam cohibere, nihil sibi metuendam putabat; illi verò discedebant è domo omnium vltimi, vt de rebus seorsum ab aliis secum deliberarent.

Vers.9. *Et euerterunt sensum.*] Cùm omnis affectus immoderatus peruertat sensus, & menti offundat tenebras, id maximè facit libido, vbi primùm stultorum hominum mentes occupauit, quæ senum, ac sapientum animos non solùm domat, sed etiam sternit, atque peruertit: & sapientiam omnem prorsus expectorat. Sapiens erat Dauid, & grandis ætate, at illi mentem excussit, fœminæ libido. Senex erat, & omnium sapientissimus filius eius Salomon, eius tamen animum euertit immoderata cupiditas, 3. Reg. cap.11. *Et auerterunt mulieres cor eius: cùmque iam esset senex, degrauatum est cor eius per mulieres.* Sic ergo senibus his, dum oculos à fœminarum aspectu non auertunt; cor euersum est. Planè cor suum euertunt; qui cùm illud à tentatione pulsari vident sibi, tamen non cauent, sed vltro ad eundem lapidem sæpius offendunt. Oseas cap.4. eandem potentiam libidini, atque ebrietati dat. *Fornicatio*, inquit, *vinum, & ebrietas auferunt cor.* 15.

Libido cor euertit, & aufert.

Et declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.] Fecit olim pactum Iob cap.31. cum oculis suis, ne in fœminarum vultus incurrerent: ne qua inde cogitatio turpis oriretur. Satius opinor existimabat illos in cœlum eleuare, vt cœlestium memor terrena omnia, & quæ animali lenocinantur naturæ, contemneret. Hi verò senes fœdus videntur pepigisse cum oculis, ne viderent cœlum, ne videlicet illi aspectus, & eius, qui in cœlis habitat, præceptum ac timor à terrenarum rerum studiis abducerent. Sed planè statuerunt oculos suos declinare in terram: & cogitare iterum ac sæpius de fœmina, cuius ipsorum animos, vsque ad insaniam amor inflammabat. Et vt sua captarent commoda; voluptariísque affectibus indulgerent, nil habuerunt pensi, quod esset à diuina lege, ac voluntate præscriptum. Quid sit spectare cœlum, aut oculos declinare in terram, diximus cap.4. num.62. 16.

Oculorum custodia.

Oculos ad cœlum leuare, aut ad terram declinare quid.

Vers.17. *Afferte mihi oleum, & smigmata, & ostia pomarij claudite, vt lauer.*] Rationem reddiderat paulo antè cur lauari vellet, quia, inquit, æstus erat, aut quia tempus erat æstiuum: aut certè quia regio illa sic est æstuosa; vt frequenti hoc leuamento, ac refrigeratione indigeat. Quàm tractus ille Babylonicus ab æstu ferueat, diximus ad caput quartum suprà num.77. qui sanè vsque adeò grauis est, & notus, vt iam abierit in prouerbium. Ouidius inter ea, quæ nunquam defutura existimantur, numerat Babylonis æstum, sic enim ille lib.2. de Ponto, 17.

Babylon regio calidissima.

Longa dies citior brumali tempore, nóxque
Tardior hiberna solstitialis erit.
Nec Babylon æstus, nec frigora Pontus habebit.

Videri

18. Videri alicui posset nimis delicatam, & mollem, atque adeò parum pudicam videri Susannam, quæ toties adiisset balnea, toties vestimenta deponeret. Non disputo nunc, an totum corpus lauerit; quod fortasse non fecit; sed dico eo tempore sic esse vsitatum, in regionibus maximè calidis, vt illud naturæ leuamentum neque modestissimi, neque sanctissimi refugerint. Ioannem Euangelistam adiisse balnea, docet Irenæus lib. 3. cap. 3. Epiphanius hæresi 30. Eusebius lib. 4. hist. cap. 13. Tertullianus Apolog. cap. 42. Christianorum in seipso mores describit. *Non lauor diluculo Saturnalibus, ne etiam noctem, & diem perdam; attamen lauor honesta hora, & salubri, quæ mihi, & calorem, & sanguinem seruet.* Et sanè Augustinus epist. 109. Sanctimonialibus quibusdam permittit, vt semel in mense balneis vtantur, quia ea regio æstuosa est. *Lauacrum*, inquit, *corporum vsúsque balnearum non sit assiduus, sed eo, quo solet interuallo temporis tribuatur, hoc est, semel in mense.* Hæc quidem honestæ, ac religiosæ fœminæ: nam profanæ aliæ, quàm assiduæ balnea frequentent, ostendit apud Plautum in Truculento Dinarchus,

Si proinde amentur mulieres, diu quàm lauant,
Omnes amantes balneatores fient,

Balnei vsus olim honestus, & frequens.

Iubet autem ad fontem seu ad balneum, quod eo tempore calidum esse non puto, afferri sibi vnguenta, quæ olei nomine significantur; & smigmata, quod item medicamenti genus est, concreti tamen, & crassi, non liquidi, atque stillatitij.

Vnguenta in balneis vsitata.

Smigma quid.

19. Quid tamen illud sit videndum est. Smigma Græcè σμῆγμα, aliquid significat mixtum, atque compositum ad mundandam, & detergendam cutim, qualis est sapo, lomentum fabarum, farina hordeacea cum aliquo liquore subacta, & similia. Plinius lib. 22. cap. 25. smigma quoddam commendat, quod in balneis cohibet pruritus, & papulas. Sanè in balneis vngi solere corpora, probat strigilum nomen, quod sæpe auditur in balneis, quarum ille præcipuus est vsus, vt à corpore vnguentum, smigmataque detergant, quibus illitum est. Sic sanè Persius Satyra 5.

I, puer, & strigiles, Crispini ad balnea defer.

Ad hunc igitur vsum Susanna oleum petit, &
20. smigma, vt lauet, & refrigeret corpus. Smigma autem illud, putat auctor historiæ Scholasticæ, & Lyra (quod etiam ascribit Hieronymo, apud quem ego non inuenio) factum esse ex hordeo, & palea, vnde mulieres faciunt decoctionem ad nitorem faciei. Cuiusdam smigmatis meminit Suetonius in Othone, quod fiebat ex pane, & asinino lacte, quo ad faciei nitorem vtebantur fœminæ, de quo Iuuenalis Satyra sexta,

Interea fœda aspectu, reddendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia poppæana
Spirat.

21. Quod ad vnguentum attinet, quod hîc olei significatur vocabulo, constat cum ablutione solitum esse coniungi. Sic Iudith cap. 10. postquam lauit corpus suum, vnxit se myro optimo. & Ruth cap. 3. iussit Noëmi nurui suæ, vt sese lauaret, & vngeret, quod non solùm erat olim vsitatum fœminis Hebræis, sed etiam viris. 2. Reg. cap. 12. Dauid cùm audiisset paruulum filium ex adulterio esse mortuum, *surrexit de terra, & lotus, vnctúsque est.*

Vers. 22. *Angustiæ sunt mihi vndique: si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras.*] Coarctabatur vndique angustè Susanna, cùm illa proponeretur conditio, vt aut subeunda esset mors acerbitatis, atque ignominiæ plena, aut contaminandum adulterio corpus, & animus peccato. Sed in hoc tam graui, ac periculoso conflictu, non diu deliberauit, aut hæsit; sed statim apud animum suum statuit à vita priùs esse discedendam, quàm à lege. Atque ideo subdidit, 22.

Vers. 23. *Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.*] Maluit castissima, atque honestissima fœmina falsò iudicari adulterij rea, eóque nomine in hominum manus incidere, vtique lapidanda, quàm nefario opere Domini oculos, quem præsentem nouerat, offendere. Quæ ratio ingenuos spiritus mouere debet, ne quidquam fœdum, atque impurum ad animum admittant; ne quid habeant diuini oculi in nobis, quod horreant, oderint, ac condemnent. Hæc certè ratio tam erat grauis in animo Dauidis, vt hoc vnum dolere, atque spectare, cùm peccata plangeret, quod in conspectu Domini peccasset; cætera omnia non curare videretur. Peccarat contra virum ablata non vxore solùm, sed etiam vita, peccarat contra populum, quem exemplo malo violarat, ac blasphemare fecerat, peccarat in nomen suum, ac regium, quod malè audire, & lacerare cœperat, neque de his laborare videbatur: in illud vnum totus intentus, quòd diuinos o- 23.
culos offendisset. Atque ideo clamat Psal. 50. 24.
Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, id est, in conspectu tuo. Sciebat honestissima fœmina clausa esse pomarij ostia, neque vllum esse, qui flagitiosi concubitus testis foret, at testem esse Deum sciebat; à cuius oculis non ostia, non condensæ arbores, non tenebræ submouent hominum errata, de quo Chrysostomus tom. 1. homil. de Susanna. *Angustiæ*, inquit, *mihi vndique, sed expectabat eum, qui saluam faceret à pusillanimi tempestate falsorum testium, támque ventorum malorum. In illis tamen ventis, & fluctibus, naufragium castitas non fecit, quia Dominus gubernauit: adfuit precanti, exaudiuit, quam nouerat, nec deseruit ne moraretur, cui subuenit, ne adulteraretur.*

A vita potius & honore, quàm à lege discedendum.

Diuinis oculis seruiendum.

Deus testis timendus.

25. Addo ad extremum, quod ab aliis obseruari video, non fuisse contrarium votum, aut consilium Susannæ electioni Dauidis; qui cùm in simili esset rerum discrimine, dubitarétque vtrum melius esset in hominum, an in Dei manus sui peccati vindices incidere; diuinas eligit potius, quàm humanas, contra quam hoc loco factum à Susanna. Sic autem Dauid lib. 2. Reg. cap. 24. vers. 14. *Coarctor nimis, sed melius est, vt incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quàm in manus hominum.* Sed sanè Dauidis, ac Susannæ consilia, & vota contraria non sunt. Proponebatur Dauidi corporale malum, quod à Deo, atque hominibus infligi poterat: elegit pestilentiam, quæ à Deo, non vim hostilem, quæ ab hominibus infertur. At Susannæ mors proponebatur corporis, & mors animæ, proponebatur peccatum, cuius Dominus seuerus vltor est, & externa violati tori suspicio, quam leges damnant, quia non nisi quæ humano produntur testimonio, considerant; sed maluit in hominum manus incidere, qui externam peccati speciem condemnant, & puniunt, quàm in Dei manus, qui intimos nouit sensus; neque in aliud

Susannæ ac Dauidis idem consilium in euitando malo.

lind nisi in peccatum, quod auersatur, & horret, suæ seueritatis gladium distringit. Mori ergo maluit Susanna, quàm peccare; maluit displicere hominum oculis prodita coniugalis thalami rea, quàm habere in se, quod displiceret Deo; & in quod tanquam in scopum suæ indignationis iacula vibraret.

26. Verſ.24. *Exclamauit voce magna Susanna.*] Quia viribus desperabat Susanna se quicquam effectura contra duos, neque credebat illorum æstuantem libidinem, aut metu, aut precibus restingui posse; ad arma confugit, quæ muliebrem infirmitatem armant, & muniunt, ad clamorem videlicet, quo auxilium aduocat, quo vim illam plusquam hostilem à se depellat, & eo clamat altiùs, quo rem sibi charissimam in discrimen adduci sentit.

27. Verſ.28. *Cùmque venisset populus ad Ioacim virum eius.*] Iam diximus in domo Ioacim, vtpote capaci, ac lauta obiri à populo conuentus, & ibi causas legitimo foro disceptari. Quare populus, ignarus, vt reor, quid senes de Susanna cogitassent, euulgasséntque, conuenit; vt antea sæpe iudicij causa. Tunc verò senes abire opportunitatem illam passi non sunt, sed accersiri iubent Susannam, vt capitale de se iudicium audiat.

28. Verſ.30. *Et venit cum parentibus, & filiis, & vniuersis cognatis suis.*] Norant parentes, atque cognati, quorsum à senibus accerseretur Susanna, quia quid in horto contigisset, audierant. Quare cum illa frequentes adsunt, vel vt deprecatores; vt si qua se via ad salutem aperiret, supplicium auerterent; vel saltem, vt illam quasi iam damnatam, & mortuam ad sepulturam prosequerentur. Fortasse hæc erat apud Hebræos consuetudo, vt quicunque foret capitis reus, cùm ad iudicium traheretur, adessent cognati, atque amici, & forsitan atrati, & in sordibus, quasi parentarent aut mortuo, aut certè quàm primi morituro. Sanè id in vsu, & quasi legitimum esse apud Romanos, docet Titus liuius lib.6. vbi Manlio hunc honorem non esse à cognatis habitum, rem vocat inauditam. *Tribuni*, inquit, *plebis diem Manlio dicunt, commota plebs est vtique postquam sordidatum reum viderunt: nec cum eo non modo patrum quemquam, sed nec cognatos quidem, aut affines, postremò ne fratres quidem, quod ad eam diem nunquam vsu venisset, vt in tanto discrimine non etiam proximè vestem mutarent.* Aderant autem officij, ac beneuolentiæ gratia: siue vt lugerent communem illum casum, siue vt deprecarentur; ita Cicero in oratione pro Sextio. Vbi multos pro se, quo tempore reus agebatur, & luxisse dicit, & vestem mutasse; aderant enim non secus, atque si interessent funeri, pullati omnes. Audi Ciceronem ipsum sua verba gloriosè resonantem. *O diem illum iudices funestum senatui, bonisque omnibus, Reipublicæ luctuosum: ad domesticum mœrorem grauem, ad posteritatis memoriam gloriosum. Quid enim quisque potest ex omni memoria sumere illustrius, quàm pro me vno ciue & bonos omnes priuato consensu, & vniuersum senatum publico consilio mutasse vestem? Quæ quidem tunc mutatio non deprecationis causa est facta, sed luctus. Quem enim deprecarentur, cùm omnes essent sordidati?* Eodem, credo, consilio adfuisse Susannæ in eo honoris, vitæque discrimine parentes, atque cognatos, quibus iam ante suæ vitæ integritatem, & coniugalis fidei constantiam probauerat.

Amici, & cognati reos in iudicium comitantur.

29. Verſ.32. *At iniqui illi iusserunt, vt discooperiretur.*] Qui graui in luctu, aut mœrore erant, aut certè iam capitali supplicio deuoti, caput operiebant, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Ieremiam cap.14. num.7. & super Ezechielem cap.24. Quod esse vsitatum apud Romanos probat illa solemnis, ac legitima forma; qua lictori iubetur à lege, seu edicto Prætoris, vt caput eius, qui deuotus est neci, obnubat. *I lictor, colliga manus, verberato, caput obnubito, arbori infelici suspendito.* Quod idem vsitatum apud Persas docet casus Aman: cui caput obuolutum est, ex quo addictus est cruci. Esther cap.7. de Hebræis probant duo illa capita nuper ex Ezechiele, ac Ieremia citata, ex qua consuetudine fortasse ortum est, vt Christo postquam iam à concilio proclamatum est, *reus est mortis*, velata fuerit facies, & alapis percussa.

Rei mortis, & qui in luctu sunt caput operiunt.

Cur Christo velata facies.

Vt vel sic satiarentur decore eius.] Profligatam oportet esse libidinem illam, quam non sedat, ille rerum status, vel ipsis etiam hostibus miserandus: aut dolor quem ex aliena miseria concipere potuerunt. Defendebat ab ignominia velamen obiectum oculis, quod aliquod miseris leuamentum est, illud tamen aufert luxuriosa senectus, vt ex aspectu aliquid capiat voluptatis. Addit autem ingenuis venustatis plurimum verecundia, quæ purpureo colore faciem suffundit, & fortasse nunquam Susanna magis pulcra, quàm cùm illam subiit ignominiam, & colorem contraxit à pudore gratum magis, quàm illum, quem externus fucus ori conciliat. Expressit hoc Ouidius in puella, quæ sceleris conuicta verecundata est: ex eo sine dubio, quod plerunque accedit. Sic ille, 30.

Pudor pulcritudinem auget.

Quale coloratum Tithoni coniuge cœlum
Subrubet, aut sponso visa puella nouo.
Quale rosæ fulgent inter sua lilia mixta,
Aut vbi cantatis luna laborat equis.
Aut quod ne longis flauescere possit ab annis
Mœonis Assyrium fœmina tingit ebur.

Verſ.34. *Posuerunt manus suas super caput eius.*] Erant senes illi in causa Susannæ iudices, accusatores, & testes, nunc accusatores, & testes agunt, atque ideo primum super Susannæ caput manus imponunt, quod fieri debere habes Leuit. cap.24. verſ.14. deinde testimonium proferunt, quod ipsi priùs meditati fuerant. Quod apud populum nimium credulum propter seniles annos, à quibus abesse veritas, & prudentia non solent; & propter magistratum, qui in illa exulum republica putabatur amplissimus; pondus habere magnum visum est. Quare statim subditur, *Credidit eis multitudo quasi senibus, & iudicibus populi.* 31.

Imponebant testes manus super caput rei, quo signo testabantur caput illud sceleratum esse, & morte dignum. Addit Lyra in locum citatum Leuitici hæc etiam verba à testibus siue accusatoribus addi, *Malitia tua te adduxit ad mortem, non nos.* Quasi dicant, si quid tibi grauius acciderit, tuis adscribe meritis, non nostro testimonio. Aliud etiam fortasse indicabat hæc manuum impositio; nempe eo signo reum capitali supplicio esse deuotum. Vt enim victimæ, vt constat Leuit. cap.1. verſ.4. cap.4. verſ.4. & 24. cap.16. verſ.21. illa impositione destinabantur cultro, atque aræ, sic reus quasi piacularis victima sua morte sordes moriendo eluit, quam innexit peccando. Quòd si testes omnium primi 32.

Testes reorum capiti manus imponunt, & cur.

primi lapidem mittunt; vt suo facto aliis praescribant, quid facere possint, & debeant, quantam illorum senum inuerecundiam, quantum scelus esse putabimus, qui castissimum illud corpus primi coniectu lapidum violabunt, idémque aliis, quasi sanctum aliquid esset, faciendum praescribent? Audi quid Dominus, licèt non in eadem causa, edicat Deut. cap.17.vers.7. *Manus testium prima interficiet eum; & manus reliqui populi extrema mittetur.* Sermo hic est de Idololatra, qui à populo iubetur lapidari; sed esse idem de adultera iudicium, indicat illud Christi Ioan. cap.8. ad accusatores, *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.*

33. Vers.41. *Et condemnauerunt eam ad mortem.*] Haec verba referri possunt ad populum, quasi populus persuasus verum esse, quod de Susannae adulterio senes affirmarant, illam addixerit capitali supplicio. Et ad senes, qui cùm viderent illa omnia populo existimari vera iudicium in illam capitis tulerunt. Et hoc mihi probatur magis, tum quia magis rerum, ac iudiciorum naturae consentaneum, tum etiam, quia eò magis inclinat dicendi modus; licèt enim de populo pluralis possit esse sermo; verùm cùm iam singularis antecessit, durius videtur continenti sermone tam breui numerum fuisse mutatum; non enim bene haec inter se quadrant, *credidit multitudo, & condemnauerunt eam*, neque populi est condemnare; sed eius, qui cum potestate est, & iudicium exercet.

34. Vers.42. *Exclamauit autem voce magna Susanna, & dixit, &c. & ecce maior, cum nihil horum fecerim.*] Modus ipse loquendi satis indicat Susannae vocem ab aliquibus saltem illorum, qui aderant, exauditam fuisse. Exclamasse etenim dicitur, quae vox claram indicat, atque sonantem vocem: deinde ad maiorem epitasim additur, *voce magna*; licèt enim cum hominibus tunc non loqueretur, à quibus in angusto illo rerum articulo sperabat nihil, ita tamen cum Deo loquebatur clarè, vt ab hominibus etiam audiretur. Ambrosius tom.4. in Psal.37. ad finem ita loquitur de Susanna. *Quid*, inquit, *de Domino omnium virtutum loquor; cùm mulier Susanna, nec sexus infirmitate turbata, cùm se ad periculum mortis cognouit addictam, vocem emiserit? Accusabatur, & tacebat. Ducebatur ad mortem, & silentio se tegebat, ne nudaret pudorem. Intra se tamen loquebatur Deo, qui eam magis audiuit tacentem. Quae si voluisset loqui, forsitan non esset audita.* Idem repetit tom.5.serm.49. Sed ex textu neque vi potest id extorqueri; nisi ille tacere dicatur, qui non ad homines, sed ad Deum vocem emittit; quod sanè durum est, sicut etiam quod ex Origene dicit hîc Hieronymus. *Cordis affectus, & mentis pura confessio, & bonum conscientiae vocem eius fecerunt clariorem. Vnde magna erat exclamatio eius Deo: quae ab hominibus non audiebatur.* Neque aliter nunc exclamasse voce magna videtur Susanna; quàm cùm clamauit in horto, & accurrerunt serui; aut exclamauit statim Daniel, cùm populi furorem compressit.

Cur Susanna cum exclamaret, siluisse dicitur.

35. Vers.43. *Ecce morior.*] Ex vsu Scripturae significat quenquam esse deuotum, siue addictum morti. Quomodo Gen. cap.2. dictum est Adamo, *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, id est, morti eris obnoxius. Sic Ionathas 1.Reg. cap.14. vers.43. eadem dicit, quae nunc Susanna. *Et ecce ego morior.* Sic Christus, vt scribit Marcus cap.15. vers.25. crucifixus est hora tertia, vt ait Augustinus, quia illa hora ad illud mor-

Mori dicitur qui morte damnatus est.

A tis genus damnatus est.

Vers.44. *Exaudiuit autem Dominus vocem eius.*] Praeclarè Ambrosius hunc nobis locum exponit loco nuper citato; & tom 2.lib.3. de Spiritu sancto, cap.3. *Illa quae maluit sibi casta esse, quam populo, illa, quae maluit innocentiae subire periculum, quam pudoris; quae cùm accusaretur tacebat, cùm damnaretur, silebat, conscientiae suae contenta iudicio, quae reuerentiam pudoris etiam in periculis reseruabat, ne extorsisse petulantiam viderentur, qui extorquere non potuerunt castitatem, vbi Dominum inuocauit, Spiritum meruit, qui latentem presbyterorum conscientiam reuelauit. Discant pudicae calumniam non timere: nam quae castimoniam vitae praetulit, nec vitae dispendium pertulit, & gloriam retulit* B *castitatis.* Quomodo innocentibus adsit, eósque vel à periculo, vel à falsa suspicione tueatur, vide Chrysostomum tom.1. homil. de sancta Susanna. 36.

Deus castitatis, & innocentiae patronus.

Vers.45. *Cúmque duceretur ad mortem, suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel.*] Mos, credo, fuit inter Iudaeos, vt lapidatio fieret extra ciuitatem. Sic Leuit. cap. 24.vers.14. blasphemus lapidari iubetur extra castra, & Deut. cap.17.vers.5. educi iubentur quorundam criminum rei extra portas. *Educes virum, ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt ad portas ciuitatis tuae, & lapidibus obruentur.* Idem C accidit Stephano, ex praescripto, opinor, legis Actor. cap.7. *& eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant.* Sic ergo cùm duceretur ad mortem extra ciuitatem, sine dubio producebatur Susanna. 37.

Cùm eò res esset progressa, vt actum de fama, ac vita Susannae videretur, & iam penè populus armasset manus; & sinus lapidibus onerasset, excitauit Dominus Spiritum sanctum, videlicet qui in sancto quodam adolescente habitabat; qui opportunè occurrit; & quicquid latebat insidiarum aperuit. Obseruat Ambrosius castum optimum esse iudicem castitatis; casta enim foemina ab impudicis senibus damnatur, eadem ab adolescente virgine defenditor, *Multum*, inquit, *de Deo pudicitia consequitur, cùm iudicem* D *virginem promeretur. Secura enim est de victoria castitatis, cui est iudicatura virginitas. Pudicitiae autem causam nisi vir pudicus audire non debuit. Talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia.* 38.

Castitas non nisi à castis iudicanda.

Vers.46. *Et exclamauit voce magna; mundus ego sum à sanguine huius.*] Cùm iam efferretur ad supplicij locum; perstrepente, atque clamante turba: vt in simili casu fieri solet, necesse fuit vt exclamaret Daniel, vt turbae clamorem, ac tumultum comprimeret; ac significaret iniustum esse iudicium, quo damnabatur innocens; & se abesse quàm longissimè, vt illud probaret, & cum deluso populo sentiret. Id enim valet illud, *mundus* E *ego sum à sanguine huius.* hoc loquendi genere vtebatur, qui culpam à se alicuius criminis depellebat. Sic Pilatus Matth.27. dum culpam totam in Iudaeos confert, lotis manibus ait, *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* & Paulus Actor.18.v.6. & Actor.20.v.6. *Mundus sum à sanguine omnium vestrûm.* De hac caeremonia lauandi manus, & vsurpandi verba his similia vide Deuter.cap.21. 39.

Mundum esse aliquẽ à sanguine, quid.

Vers.47. *Et conuersus omnis populus ad eum.*] Magnam oportet fuisse vocem illam, quae compressit properantem populum, illúmque tam breui, ac facile reuocauit. Forrasse ideo substitit populus, quia admiratus est, puerum cum tanta grauitate, atque imperio fuisse locutum. Atque ideo rogat, *Quis est iste sermo, quem tu locutus es.* pondero illud, 40.

quem

quem tu; ac si dicat populus, tu vnus contra tam frequentem hominum conuentum; tu puer, & priuatus contra senes, quique primum in populo magistratum obeunt?

41. Vers.48. *Sic fatui filij Israel, non iudicantes, neque verum cognoscentes condemnastis filiam Israel.*] Verba hæc grauiora sunt, quàm quæ à puero audiri, atque expectari possent. Fatuos appellat filios Israel; quia iudicio non legitimo Susannam condemnassent. Illud esse puto, *non iudicantes.* In eo verò videbatur iudicium non esse legitimum, vel quia iniquum; iudicium enim aliquid sonat æquum, & sanctum; aut quia in eo aliquid omissum, quod lex, & ratio postularet: non enim æquum videbatur, vt idem esset Iudex, accusator, & testis, quales videntur fuisse senes isti. Neque si populus iudicauit, quod locus hic indicat, videbatur res legitimè transacta: nam neque quicquam à Susanna quæsitum est, neque ab illa verbum aliquod auditum, nisi cùm oraret ad Dominum. Tunc autem magna voce, atque exclamando dixerat, falsò sibi adulterij crimen obiectum esse, quæ vox cohibere debuit præceps illud immaturúmque iudicium, atque ideo dicit, neque *verum cognoscentes. Cognosco* autem in re iudiciali examen indicat, & diligentem inquisitionem. Quare fatuos vocat filios Israel, quòd causa incognita, neque ad iudicialem normam explorata, de capite statuant innocentis. Ita putat sanctus Tomas hîc.

Iudicium quod legitimum.

Cognosco quid in re iudiciali.

42. Vers.50. *Et dixerunt ei senes: Veni, & sede in medio nostrûm, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis.*] Iam populus egredi cœperat, extra ciuitatem, vt quam putabat adulterij ream, lapidibus opprimeret; ad vocem tamen Danielis reuersus est. Ad quem senes, non hi solùm, opinor, qui iudicandi illo anno potestatem habebant; sed etiam plures alij, quibus cani, ac rugæ præter cæteros auctoritatem conciliabant, illum secum admittunt: vt quid ipse de causa sentiat omnibus edicat. Neque dedecori sibi ducunt, si puer inter senes ad iudicandum sedeat, cùm in illo agnoscant, quod senilem ætatem maximè commendat, prudentiam nempe, & in ætate adhuc immatura maturum iudicium; quæ si absint à senibus, despicabilem, ac leuem reddunt senectutem. Notum est illud Sap.cap.4.v.6. *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis: & ætas senectutis vita immaculata.* Ille auctoritatem habet, & honorem senectutis, qui in iuuenili corpore mores habet seniles. Dixit hoc optimè Ambrosius epist.12.ad Valent. Imperat. *Erubescat senectus, quæ emendare se non potest; non annorum canicies est laudanda, sed morum.* Et epist.21. *Verè senectus illa venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit: ea est enim reuerenda canicies, quæ est canicies animæ in canis cogitationibus, & operibus effulgens.* Norant senes aut ante hoc tempus in Daniele senile iudicium, aut nunc primùm, in ipso ardore, ac spiritu, quo tantam multitudinem repentè cohibuit. Quare in illo aliquid suspiciunt supra iuueniles annos, & dignum existimant, quem in honestum locum sessum admittant.

Quis moraliter senex.

43. Vers.52. *Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris priùs.*] Separauit Daniel duos illos senes; vt suo illos testimonio configeret, ne quid inter se conferre possent, quod confictum scelus artificiosè celaret; qua de re nihil antè fortasse composuerunt, quia cùm summum magistratum obtinerent, reddendam esse alicui rationem non putabant. Illud *inueterate*

A *dierum malorum*, nihil significat aliud, quàm à primis annis in peccatis consenuisse. Dies enim mali peccata sunt; sumitur enim per metonymiam tempus pro rebus, quæ fiunt in tempore, quo modo dies appellamus infelices, aut faustos; quia in illis aliquid accedit faustum, aut infelix. Quæ autem fuerint illa peccata, statim explicat, *Iudicans iudicia iniusta, innocentes opprimens & dimittens noxios.* Venisse autem dicitur peccata; quia venerunt peccatorum supplicia; eo etenim die luit illorum scelerum pœnas, quæ ab ineunte iuuentute patrauerat. *Peccatum* autem pro peccatorum supplicio sumi, nemo doctus ignorat.

B Inueteratus in peccando dicitur, qui peccatis à primis annis assueuit; illa verò sic inolescunt, vt nunquam, aut non nisi difficile exolescant; sicut illa, quæ insita sunt à natura. De quibus est illud Prouer.22.vers.6. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Imò & ab aridis ossibus, & in sepulcro, resolutis in cineres non recedunt vitia, quibus se homo à iuuentute dedit. Iob cap.20. vers.11. *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ suæ, & cum ipso in puluere dormient.* Dixit hoc optimè de his duobus senibus Cyprianus lib.de bono pudicitiæ ad medium. *Hanc (Susannam) ex senioribus duo cœperant deperire, nihil memores, nec diuini timoris, sed nec suæ annis iam marcescentis ætatis. Ita illos in flagrantia suæ iuuentutis incendia rediuiua libidinis flamma reuocabat.* 44.

Non facile exolescunt vitia, quæ à primis annis inoleuerūt.

C Vers.54. *Dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi.*] Colloqui hîc aliquid sonat magis familiare, quàm pudicos addecet: linguæ tamen sanctæ puritas multa excogitauit vocabula, quæ rem non castam castè significant. Adhibuit verbum istud honestum Daniel, quia ipse vtpote virgo virginalem in loquendo modum seruauit: at senes inuerecundè, & effrontes verbo sunt vsi, qualia à profligato pudore sperari poterant. *Venit*, inquit, *adolescens, & concubuit cum ea.* & statim, *& vidimus eos pariter commisceri.* 45.

Casta verba castis familiaria.

Qui ait sub schino.] De his nominibus, & de paronomasia, quæ existit in aliis, quæ cum similitudine quadam abiiciuntur à Propheta, diximus, vt opinor, satis Prolegomeno 6. Quare à longiore disputatione meo iure abstinere posse videor. σχῖνος Græcè idem esse creditur, quod Latinè *lentiscus.* 46.

D Vers.55. *Rectè mentitus es in caput tuum.*] Ac si dicat, tuo te testimonio, quasi tuo te gladio iugulasti; tuis enim verbis falsi te testimonij coarguam. *In caput tuum*, idem est, quod in te: per caput enim personam circumscribi, iam antè à nobis sæpe obseruatum est. 47.

Ecce enim Angelus Dei accepta sententia ab ea scindet te medium.] Lusit Propheta in vocis similitudine σχῖνος, & σχίζω, quod *scindere* significat, quæ literis magna ex parte, sonóque conueniunt. Similia multa inuenies in sacris, profanísque monumentis; aliqua nos adduximus Prologom.6. Hîc nobis duo obseruanda, quæ non bene videntur cum historia conciliari posse. Alterum est, quia cùm senes duo occisi dicantur à populo; illorum tamen cædem imminere dicantur ab Angelo, qui diuinæ sententiæ futurus sit minister. *Angelus*, inquit, *Dei accepta sententia ab eo.* (Deo nempe à quo missus est) *scindet te.* Sed est solutio facilis, aut enim paratum dicitur esse suppliciū ab Angelo, à quo scindentur medij, si homines mitiores esse velint, in senes mendaces, ita vt hoc loco aliqua sit intelligenda conditio, quasi dicat Daniel, etiamsi hominum vindices effugias 48.

Senes cur ab Angelo dicantur dissecti.

E

effugias manus; non tamen Angeli, cui id negotij datum est, vt te malum malè perdat. Aut certè scissus esse dicitur ab Angelo, quia Angelus, qui Danieli aderat, illúmque in Susannę causa dirigebat, eò rem deduxit, vt conuictos mendacij senes, & constrictos à lege populari furori lapidandos traderet. Et hoc posterius mihi magis probatur.

49. Alterum est, quòd cùm lapidibus sine dubio, vt dicemus postea, oppressi fuerint flagitiosi senes; hic tamen medij dicuntur esse scindendi. Ego hîc arbitror quod in Isaiæ Prolegomenis censui non improbabile, senes hosce nō esse aut serra, aut alio dentato, aut acuto instrumento dissectos; sed hoc supplicio, quod sanè acerbissimum est, per Synecdochen grauissimum quodque supplicij genus significari. Quod ideo mihi persuadeo, quia non à Daniele, aut à populo, qui se illius iudicio obsequentem præbuerat, aliquid videtur esse susceptum, quod non esset in reorum caput constitutum à lege. Cùm autem in lege pro scelerum natura varia pœnarum genera definita sint, de serra tamen, atque sectione nihil audimus. Dissectum esse serra Isaiam à Manasse, communis tenet tam Hebræorum, quàm nostrorum opinio; idem etiam fecisse dicitur Dauid contra Ammonitas, vt habes 2.Reg.12. vers.31. *Populum eius adducens serrauit: & circumegit super eos ferrata carpenta, diuisitque cultris.* Et de ipsis Ammonitis tradit Amos non dissimilia cap.1.v.13. *Eo quòd dissecuerint pregnantes Galaad.* Sed hæc faciebat potiùs, aut bellorum æstus, aut iniuriis prouocatus furor, quàm lex vlla, aut iudicialis forma. Hîc autem à toto populo spectante, atque iudicāte Daniele, non fuisse actum ex lege incredibile est. Accedit quòd populus consurrexisse dicitur in illos senes, & egisse in illos secundùm legem Moysis: at nisi lapidibus essent obiiciendi, non posset à toto populo afferi vis.

Scindi, prouerbialiter, pro supplicio grauissimo.

Scissio, aut serratio an inter Hebræos vsitata.

50. Quare verum omnino puto speciē hîc sumi pro genere, & nihil aliud hîc significari, quàm à populo iniquos illos iudices, & falsos testes, duro supplicio fuisse mactatos. Exemplum habemus huic valde affine Matth.cap.24. v.48. de seruo malo, qui cùm sibi persuaderet dominum suum seriùs esse venturum, neque voluptarios sensus ab intemperantia, neque à rapina, vel iniuria manus abstinuit. *Veniet* (ait Christus) *Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora quam ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis: ibi erit fletus, & stridor dentium.* quòd id significetur illa diuisio, quæ medium homines secat, probat vox Græca *διχοτομέω*, cuius ea sola, aut certè præcipua significatio est. Quod autem sit figurata illa, seu prouerbialis diuisio, & tantum valeat supplicium durum inflictum ab irato Domino, colligitur ex eo, quod in illum locum coniiciendus dicitur, vbi fletus est, ac dentium stridor, siue carcerem intelligas, seu gehennam.

51. Vers.56. *Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuū.*] Tales aliquis patres habere dicitur, qualium ingenium, & mores imitatur; vnde qui crudeli est, & barbaro ingenio, natus esse leæna, & tigridis vbera suxisse dicitur. Quare illa, quæ in Iudæo genere mores expressit Chananæos, & Cethæos, matrem dicitur habuisse Cethæam, & patrem Chananæum. Ezechielis capite 16. *Radix tua est generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Sic ergo cùm in senibus, qui sati erant ex Iudæo sanguine; mores essent planè Chananæi, id est, delibuti flagitiis, quibus nullo in loco essent pudor, fides, ac religio, iure optimo vocari potuere semen Chanaan, & non Iuda, quia à Iudæorum instituto ad Chananæam insaniam desciuerunt. Ostendit autem in quo Chananæi censeri debeant; quia sic ex corde à concupiscentia in libidinem fuiunt, quasi nulla lex esset, aut pudor, quæ immoderatum illum impetum coerceret.

Eius aliquis filius appellatur, cuius sequitur mores.

52. Vers.57. *Sic faciebatis filiabus Israël, & illæ timentes loquebantur vobis.*] Ex quo filij Israël à Dauidico dominatu, & à templi religione distracti, aureis vitulis diuinos honores impenderunt, vt Gentilicam amplexi sunt insaniam; sic etiam Gentilicos mores habuerunt. Quare vt aliis se vitiis tradiderunt; quæ non solùm permittebat, sed etiam commendabat delusa Gentilitas, sic etiam venereis sese voluptatibus intemperanter dabant. Vnde fiebat, vt quemadmodum apud Iudæos malè eo nomine olim audiebant Chananæi, sic etiam eodem postea nomine Israëlitides fœminæ laborarent. Vnde fortasse, quæ impudicæ essent, & aliis sui corporis copiam non inuitæ facerent, licèt essent ab Israëlitico genere diuersæ, vocabantur tamen Israëlitides, seu, quod idem est, filiæ Israël. Ita Dionysius indicat, neque mihi displicet. Verumtamen potiùs existimo verè fœminas illas, quæ senum libidini obsecutæ sunt, fuisse Israëlitidas, id est, ex decem tribubus. Vt enim diximus in nostris commentariis super Zachariam capite octauo, numero 29. multi se ex decem tribubus duabus sese adiunxerunt, deinde cùm regiones illæ, in quibus decem tribus erant dispersæ; Nabuchodonosori parerent, qui Assyriam potentiam imperio subiugarat Babylonio, non est difficile creditu, ex aliis locis, vbi exulabant ante decem tribus, commigrasse plurimos Babylonem, ibique cum duabus aliis tribubus simul habitasse. Fœminæ autem illæ, vtpote gentilicis moribus iam pridem assuetæ, quibus vilis est castitas, & profligatus pudor, facile se aut precibus flecti, aut muneribus corrumpi patiebantur.

Israëlitides fœminæ, minus quàm Iudææ, pudicæ.

53. In illo *sic faciebatis*, ostenditur quo artificio fœminarum pudore illuderent, eo nimirum, quo euertere voluerunt Susannæ constantiam. Minabantur enim si minus cupiditati, ac petulantiæ cederent, dicturos se falsum testimonium, neque aliter existimaturum populum cum senibus, ac iudicibus habendam esse fidem existimarent. Illæ verò ignominiam, & impositum à lege supplicium metuentes illorum votis obsequebantur, cùm non tam amarent religionem, & castitatem, quàm bonum apud homines nomen, & ignobilem vitæ, & tanto dedecore coemptam vsuram. Longè tamen aliter se habuit filia Iuda, quæ maluit ignominiosè mori, quàm vitam ducere inuisam Deo, & tanta turpitudine fœdatam.

54. Hieronymus super caput 29. Ieremiæ ex Hebræorum traditionibus refert senes hos hoc artificio decepisse simplices, & nimium credulos fœminarum animos. Dicebant enim ex Iudæorum genere nasciturum esse Christum; & tantam illam felicitatem, & gloriam ad ipsas pertinere; & sub illa spe illorum se libidini submittebant. eadem, credo, ex Hieronymo repetunt, sanctus Thomas, Petrus Comestor in Daniele

Quo artificio duo senes fœminas deceperint.

Daniele, Dionysius, & Lyra.

55. Vers.58. *Qui ait, sub prino.*] Prinus arbor est, quæ à Latinis ilex appellatur, Græcè πρῖνος, cui affinis est, πρίων serra, & πρίω quod secare, seu serrare valet. Ex illa agnominatione argumentum sumpsit Propheta, vt seni mortem prædiceret à serra, seu à gladio, à quo medius esset diuidendus. Nihil hic amplius dico, quia hac de re satis Prolegomeno sexto.

56. Vers.60. *Exclamauit itaque omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum.*] Audierant sine dubio multi, quid ad interrogata respondissent scelerati senes, & quomodo suo se testimonio iugulassent. Quare cùm de mendacio constaret, in eorum caput agendum esse lege, quamprimum statuerunt. Ortus est igitur in illo conuentu ingens clamor, quo laudabatur Dominus, qui innocentium patrocinium suscepit, neque patitur impunitam esse improborũ calumniam, & pòst ab indignato, atque incitato populo impetus fit in duos senes; & iuxta legẽ Moysis illata mors: de genere mortis res est certa, quod ex duobus locis colligere mihi videor. Primùm, quia tale supplicium illatum esse dicitur duobus senibus, quale illi innocenti parauerant. *Feceruntque ei, sicut malè egerant aduersùs proximum.* Illud autem supplicium moliebantur, quod a lege per Moysem erat definitum. In hac autem legè duo considero, aut in hoc facto duas leges: alterã, quam Deus tulit Deuteron. cap.19. vers.16. vbi iubet vt falsus criminator, aut talia patiatur, qualia innocenti comparabat incommoda. Quæ lex Talionis appellatur. Est enim maximè æquum, & congruum, vt quod innocens subiturus esset supplicium propter alterius testimonium mendax, id ferat, qui alteri irrogare studebat. *Si steterit testis mendax contra hominem accusans eum præuaricationis, stabunt ambo, quorum causa est ante Dominum, in conspectu sacerdotum, & iudicum, qui fuerint in diebus illis. Cùmque diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit,* &c. *Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Ex qua lege intelliges, quomodo tam cito, ac tanto studio populus cognito duorum senum testimonio falso, statim se ad illorum interitum accinxerint; neque enim deliberandum erat quo genere mortis essent perituri; cùm tale esset à lege definitum, quale foret Susanna subitura; & lex à falso criminatore vel teste, omne misericordiæ genus summoueret.

Testis falsi supplicium.

57. Altera lex est, quæ supplicio certo damnat adulteria. Illud verò est lapidatio, vt habes Deuteronomio cap.22. vbi violatæ virginitatis pœna lapidatio est, & eadem existimatur adulteræ, vt putat Abulensis in Matthæum p.6. cap.22.q. 171. & probat illud Ioan.cap.8. vbi cùm fœminam in adulterio deprehensam Pharisæi deducerent ad Iesum, dicunt illi: In lege mandauit nobis Moyses huiusmodi lapidare. Neque enim viri illi in lege versati dixissent contra quam sentirent omnes; & contra quam consueuisset populus adulteria punire: neque dixisset Christus, qui sine peccato est vestrûm primus in illam lapidem mittat, nisi adulterio esset decreta lapidatio. Sed meo iudicio ostendit apertè Ezechiel cap.23.vers.47.vbi cùm de Oolla, & Ooliua tanquam de adulteris loqueretur, ait; *Iudicabunt eas iudicio adulterarum; & lapidentur lapidibus populorum.* Vide quæ diximus in hunc Ezechie-

Lapidatio adulterij legitima pœna.

A lis locum. Ex quibus constat, quo supplicij genere punita fuerit horum duorum senum falsa calumnia.

Quàm graue sit supplicium lapidatio, res ipsa 58.
docet, sed illud erat ingenuis, ac verecundis ipsa lapidatione grauius, quod nudi excipiebant lapides, ita vt ad doloris acerbitatem accederet, & grauis à nuditate pudor, & ignominia. Ita putat Abulensis in cap.20. Leuit. q.21. & docet Augustinus serm.6. de sanctis nudum Stephanum esse lapidatum. ita sanè in sua republica statuebat Plato lib.11. de legibus.

Nudi homines lapidabantur.

Antequam ab hac Susannæ historia recedo, 59.
lubet adiicere Ambrosio in hoc successu adumbratam videri Christi passionem, & gloriam, quę non leuis est, & historiæ huius sacræ, & fœminæ castissimæ commendatio, cùm sermone 49. cœpisset Susannæ causam cum Christi causa, atque iudicio componere, dixissétque in eo videri Susannam Christo similem, quòd tacuisset in medio, neque se defendisset, cùm ad mortem vsque falsis testimoniis vrgeretur ab hostibus; quódque in vtraque causa iudices mundos se, atque innocentes clamarent à sanguine iusto. Totum statim sermonem 50. in persequenda hac comparatione consumit. Audi iam Ambrosium, & cum pietate facundiam singularem agnosce.

In Susanna adumbrata Christi passio.

Ambrosius quid de Susanna iudicio.

Ante dies prosecuti sumus sanctæ Susannæ iudi- 60.
cium simile admodum fuisse iudicio Saluatoris, & iisdem criminationibus laborasse memoratæ castitatem fœminæ, quibus Christi laborauit integritas. Similiter enim persecutores in Susanna passa est pudicitia, sicut & in Christo passa est iustitia. illa enim dum in adulterio conuincit presbyteros, ipsa tanquam adultera retinetur: hic dum in sacrilegio arguit Pharisæos, ipse tanquam sacrilegus accusatur. Quod quidem sacrilegium in Pharisæis magis adulterium vocari potest. Grauius est enim religionis adulterum esse, quàm corporis, & plus est integritatem diuinitatis lædere, quàm integritatem hominis violare. Condemnetur ergo Susanna, condemnetur & Dominus: illa, quia castitatem corporis tuebatur; hic, quia religionis castimoniam defendebat. Similis igitur erat in vtroque causa iudicij, nisi quòd meliori vsa est iudice Susanna, quàm Dominus. Hunc enim Præses iudicat, hanc Propheta. Hunc audit vir, qui Pharisæorum seditionibus terrebatur; hanc audit puer, qui sancto Spiritu replebatur. Iste quod sentit constanter pronunciat, non defendit: Susannæ enim iudex quam absoluit, & liberat; Dominum cognitor, quem absoluit damnat, & tradit. Et post pauca, *Sed nec locus fratres in vtraque causa videtur esse dissimilis: Susanna enim in paradiso ab accusatoribus circumuenitur, Dominus in horuli paradiso à traditoribus circumdatur.* Vide reliqua.

Vers.64. *Daniel autem factus est magnus in con-* 61.
spectu populi ab illa die, & deinceps.] Ex hoc apparet verisimile, hoc fuisse specimen primum, quod de sua sanctitate, atque prudentia edidit Daniel. Neque enim eo vsque videtur nomen aliquod eximium habuisse apud suos: quando ab illo die magnus in conspectu populi fuisse traditur.

Vers.65. *Et Rex Astyages appositus est ad patres* 62.
suos.] Explicuimus hunc locum Prolegom.6. diximúsque non tam pertinere ad finem capitis 13. de quo hactenus, quàm esse decimiquarti principiũ. Neque puer esse poterat huius Astyagis, atque Darij tempore, qui septuaginta iam annos in captiuitate transegerat. Quomodo verò variè sint, à variis sacrarum Scripturarum capita discreta, diximus illo Prolegomeno 6. & cap.12. statim in principio. Vnde Græci omnes hæc

Hæc pars principium est cap.14.

hæc verba præfigunt capiti decimoquarto, non attexunt antecedentis fini. De Astyage res obscurior; Astyages iste sine dubio Darius est auunculus Cyri, qui in regno illius loco successit. De nomine diximus plura ad initium cap. 9. vbi duo nobis dici posse videbantur, non improbabiliter. Alterum *Darium* nomen esse, non proprium alicuius, sed commune Regum Persarum, sicut etiam illorum Principum commune

A

nomen est *Assuerus, Xerxes, Artaxerxes.* Aut certè *Astyagem* nomen esse patronymicum, vsúmque pro *Astyagiade*, id est, filio Astyagis, quod esse in Scriptura sacra, atque etiam in profanis (vt absque vlla mutatione, ac flexu parentum nomine pro eorum filiis vsurpentur) diximus citato loco, fuséque probauimus: neque est cur illa inde huc aduocamus, cùm promptum sit ex eo loco petere.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM.

ARGVMENTVM.

HOC quoque caput totum est historicum, & ita perspicuum, vt interpretis lucem non desideret, primùm Daniel in Bele, quem cum Babyloniis aliis Rex ipse Cyrus religiosè colebat, miro quodam artificio probauit, neque diuinum aliquid, neque vitale aliquod opus reperiri. Quod vbi Rex non obscuris didicisset indiciis sacerdotes omnes neci dat, potestatémque facit Danieli, vt de Bele, atque ipsius templo, vt volet, statuat. Qui statim confregit simulacrum, & ab imis fundamentis templum euertit. Pòst, occiso dracone, quem pro Deo colebant Babylonij, magnam in se totius populi conflauit inuidiam, qui vi penè cogit Regem ipsum Cyrum, vt in lacum, vbi septem alebantur leones, mitteretur, vbi cibo, quem suis messoribus portabat Habacuc, diuina prouidentia, & Angelico ministerio refectus, sex dies in lacu securus inter leones & alacer transegit. Die septimo à Rege è leonum fouea iubetur educi, qui admiratus Dei prouidentiam fidelem, & potentiam singularem, coniecit in lacum eos, qui auctores fuerant, vt tali Daniel supplicio afficeretur, qui temporis momento lacerati sunt, & regionibus suæ subiectis potestati præcepit; vt omnes Danielis Deum obseruarent, & colerent, in quo vno, fidelitatem, & potentiam ad saluandum inuenerat.

CAPVT XIV.

1. *ERat autem Daniel conuiua Regis, & honoratus super omnes amicos eius.* B

2. *Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel: & impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique amphoræ sex.*

3. *Rex quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum: porrò Daniel adorabat Deum suum. Dixítque ei Rex: Quare non adoras Bel?* C

4. *Qui respondens ait ei: Quia non colo idola manufacta, sed viuentem Deū, qui creauit cælum & terram, & habet potestatem omnis carnis.*

PARAPHRASIS.

1. ERat Daniel familiaris, & assiduus Cyro Regi Persarum, & inter omnes illius familiares, & amicos honoratus magis.

2. Erat autem tunc apud Babylonios in maxima religione, ac pretio idolum, cui Belis nomen datum: in quo diebus singulis immanes fiebant, & inutiles sumptus. in eius enim cibum impendebantur quotidie artabæ duodecim similacei panis, oues quadraginta, & sex vini amphoræ.

3. Rex quoque cum multitudine reliqua illū venerabatur, & per singulos dies supplex adorabat. At Daniel licèt familiaris esset Regi, atque assiduus comes, contemnebat tamen illud idolum spectante Rege, neque vlli præter Deum verū diuinum exhibebat cultū. Ad quem Rex infit: Ecquid est, ô Daniel, quòd contra aliorum religionē, & vota Belem nō adoras, neque communem cum aliis honorem impēdis?

4. Ad quem Daniel, quia indigna puto, quibus honor exhibeatur diuinus, simulacra mortua, quæ si quid habent pretiosum, ac pulchrum, id totum acceperūt ab artificis manu. Viuentem Deum colo, à quo cœli, ac terra, & quòd sint, & quòd conseruentur habent: qui suo arbitratu de

A omni carne ſtatuere poteſt, quam habet ſuæ poteſtati ſubiectam.

5. Et dixit Rex ad eum: Non videtur tibi eſſe Bel viuens Deus? An non vides quanta comedat & bibat quotidie?

5. Erras, inquit Rex, ô Daniel, cùm vitam Beli, atque ſpiritum negas. An illum viuere non putabis, cùm quotidie latentis in eo vitæ argumenta præbeat non obſcura: nónne vides quantũ quotidie ciborum abſumat, quantum exhauriat vini?

6. Et ait Daniel arridens: Ne erres Rex, iſte enim intrinſecus luteus eſt, & forinſecus æneus, neque comedit aliquando.

6. Ad quem ſubridens Daniel, ne quæſo, ô Rex, errore labaris infantili, nec te ſpecies iſta fucata decipiat. Bel etenim iſte, in quo aliquid eſſe diuinum arbitraris, neque comedit, neque vt comedere
B poſſit facultatem habet. In quo vitale nihil eſt, intus etenim præter argillam, & lutum nihil habet, externam autem ſpeciem tum illitus fucus, tum metallum attribuit.

7. Et iratus Rex vocauit ſacerdotes eius, & ait eis: Niſi dixeritis mihi, quis eſt qui comedat impenſas has, moriemini.

7. Tunc Rex offenſus grauiter ſacerdotes aduocat, edicítque ſtatim illis ſubeundam eſſe mortem, niſi oſtendant à quo dapes illæ tam copioſæ, ac lautæ conſumerentur.

8. Si autem oſtenderitis, quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blaſphemauit in Bel. Et dixit Daniel Regi: Fiat iuxta verbum tuum.

8. Si autẽ certo aliquo argumento, & ſigno probaueritis à Bele hoſce epularum ſumptus eſſe deuoratos; luet ſuo capite
C Daniel inſignẽ hanc blaſphemiã, qua Belis nomini, ac diuinitati detraxit; quã conditionem Daniel non inuitus admiſit.

9. Erant autem ſacerdotes Bel ſeptuaginta, exceptis vxoribus, & paruulis, & filiis. Et venit Rex cum Daniele in templum Bel.

9. Erant autem ad ſacrum Belis miniſterium deſtinati non minus ſacerdotibus ſeptuaginta; quibus vxores accedebant, & filij, & reliqua familia. Aſſumpto igitur ſecum, vt antea ſæpe, Daniele, ingreſſus eſt Cyrus, Belis illud illuſtre ſacrarium.

10. Et dixerunt ſacerdotes Bel: Ecce nos egredimur foras: & tu Rex pone eſcas, & vinum miſce, & claude oſtium, & ſigna annulo tuo:

10. Tunc ſacerdotes ad Regem: Ne qua ſit fraudis, ac mẽdacij ſuſpicio, ô Rex, egrediemur nos confeſtim è templo, tu
D verò iube vt legitimæ, & conſuetæ proponantur eſcæ, & vinum ad menſuram ſolitam miſceatur; iube præterea claudi, ac regio annulo obſignari portas.

11. Et cùm ingreſſus fueris manè, niſi inueneris omnia comeſta à Bel, morte morietur, vel Daniel qui mentitus eſt aduerſum nos.

11. Quòd ſi regreſſus manè hæc intacta, & non omnino conſumpta cõpereris; non recuſamus, quominus mortem, quam minatus eſt, quamprimum infligas. Sin verò cõtrà, quod ſperamus, acciderit, eadem erit Danieli ſubeunda pœna.

12. Contemnebant autem, quia fecerãt ſub menſa abſconditum introitum, & per illum ingrediebantur ſemper, & deuorabant ea.

12. Ideo verò nihili faciebant Regis obtentas minas, & durum in ſe ſupplicium
E aſſumebant audaciùs; quia ſub menſam, quam ad Belis vſum, inſterni ſimulauerãt, occultum ſibi pararant introitum, per quem ad menſam latenter ingreſſi, oblatos Beli cibos deuorabant.

13. Factum eſt igitur poſtquã ingreſſi ſunt illi, Rex poſuit cibos ante Bel: præcepit Daniel pueris ſuis, & attulerunt cinerem, & cribrauit per totum templum coram Rege: & egreſſi clauſerunt oſtium: & ſignantes annulo Regis abierunt.

13. Cùm igitur egreſſi ſunt è templo ſacerdotes, appoſita ſunt Beli conſueta cibaria. Interim Daniel ſpectante Rege, edixit ſeruis ſuis, vt cribrato cinere totũ templi pauimentum conſpergerent. Quibus peractis clauſerunt oſtium, & annulo Regis obſignarunt.

14. Sacerdotes autem ingressi sunt nocte iuxta consuetudinem suam, & vxores, & filij eorum: & comederunt omnia, & biberunt.

15. Surrexit autem Rex primo diluculo, & Daniel cum eo.

16. Et ait Rex: Saluáne sunt signacula, Daniel? Qui respondit: Salua, Rex.

17. Statímque cùm aperuisset ostium, intuitus Rex mensam, exclamauit voce magna: Magnus es Bel, & non est apud te dolus quisquam.

18. Et risit Daniel: & tenuit regem ne ingrederetur intrò, & dixit: Ecce pauimentum, aduerte cuius vestigia sint hæc.

19. Et dixit Rex: Video vestigia virorum, & mulierum, & infantium. Et iratus est Rex.

20. Tunc apprehendit sacerdotes, & vxores, & filios eorum; & ostenderunt ei abscondita ostiola, per quæ ingrediebantur, & consumebant quæ erant super mensam.

21. Occidit ergo illos Rex, & tradidit Bel in potestatem Danielis: qui subuertit eum, & templum eius.

22. Et erat draco magnus in loco illo, & colebant eum Babylonij.

23. Et dixit Rex Daniel: Ecce nunc non potes dicere, quia iste non sit Deus viuens: adora ergo eum.

A 14. Eadem verò nocte sacerdotes sicut antè soliti, per cæcum illum aditũ ingressi sunt templũ, & illi cum vxoribus, & filiis, quæ apposita fuerant tam esculenta, quàm poculenta, ad vnum omnia deuorarunt.

15. Cùm ergo iam albente cœlo, primum affulsisset diluculum, vt experimento veritatem, aut dolum præsens ipse cognosceret, surrexit Rex, secúmque Danielem adesse iussit.

16. Ad quem Rex, vbi ad templi fores ventũ est: Experire, ô Daniel, & vide an aliquod sit in obsignata cera vitiũ, an sigillũ aliqua fraude violatũ, an denique integra omnia, sicut hesterno die relicta fuerãt. Ad quem Daniel integra dixit omnia, nullã in foribus, nullam in sigillo fraudem videri.

B

17. Cùm resignatis, atque apertis ostiis, mensam, quam priùs escis, ac poculis instruxerat, ab illo apparatu, & sumptu vacuam Rex Cyrus esset intuitus, exclamauit statim, dixitque clara, atque admirabunda voce: Magnus es, ô Bel, neque in te aliquid est aut arte fucatum, aut actu

C fraudulentum.

18. Ad hanc Regis vocem subrisit Daniel; & cùm Regem ab ingressu tẽpli continuisset, ne qui illi aderant, suis pedibus impressa cineri vestigia turbarent, admonuit illũ vt pauimẽtum aspiceret, & quod in illo signum appareret, expenderet.

19. Tunc Rex pauimentum contemplatus attentiùs, dixit, videre mihi videor vestigia non ab vno sexu, aut ætate, sed à variis impressa, à viris videlicet, & fœminis, tum etiam ab infantili planta. Post hęc

D grauem furorem in genus illud hominum ex illa pedum obseruatione concepit.

20. Tunc Rex sacerdotes cum vxoribus, & liberis comprehendi iubet, ac tandem adacti sunt, vt dolum, & artificiũ aperirent: qui licèt inuiti, ostenderunt tamen ostiola quædã, cæcósque meatus, per quæ in templũ, & mensam latẽter ingressi, magna illa ciborum impendia consumebant.

21. Quare iuxta conditionem oblatã, & acceptã Rex veteratores illos sacerdotes, eorúmque familias neci dedit, permi-

E sítque Danieli, vt de Bele, ac templo suo arbitratu statueret; qui pro facta sibi potestate cõfregit simulacrũ, & templũ excidit.

22. Erat præterea eodem in loco vasta mole horribilis draco; quem pro Deo colebant Babylonij.

23. De quo Cyrus ad Danielem, mortuum antè, ô Daniel, dicebas esse Belem, & nolle nisi Deum, qui viuus esset, adorare. Hîc iam fateare necesse est, huic inesse spiritum, & vitam, cùm eius quotidie appareant documenta plurima. Illum ergo tanquam viuentem Deum supplex adora.

24. *Dixítque Daniel: Dominum Deum meum adoro: quia ipse est Deus viuens: iste autem non est Deus viuens.*

A 24. Daniel ad hæc: Vnus est Deus, ô Rex, viuus, quem ego colo; iste autē, quem tu viuentem Deum arbitraris, longè est vt viuus appellari debeat.

25. *Tu autem Rex da mihi potestatem, & interficiam draconem absque gladio & fuste. Et ait Rex: Do tibi.*

25. Cuius rei, modò per te liceat, quāprimum tibi, atque prudentibus aliis faciam fidem. Quare mihi potestatem facito, & quamprimū sine gladio, ac telo draconem hunc maximum extinctum dabo. Cui Rex licere illi iussit, quicquid in draconem illum colliberet.

26. *Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter: fecítque massas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebatis.*

B 26. Composuit itaque Daniel ex pice, ac seuo, pilísque adiunctis in igne feruentibus, atque permixtis aliquot offas, quas in os draconis securus iniecit, quibus id effecit, vt obstrictis faucibus, & spiritu intus intercluso disrumperetur draco, quem cùm extinctū Babyloniis ostenderet; cum sanna dixit, atque amaro risu: En Deus vester, cui tanquam viuenti diuinum impendebatis cultum.

27. *Quod cùm audissent Babylonij, indignati sunt vehementer: & congregati aduersum Regem, dixerunt: Iudæus factus est Rex: Bel destruxit, draconem interfecit, & sacerdotes occidit.*

27. Hæc porrò res grauissima visa est, & nullo modo ferenda Babyloniis; quare C indignati vehementer conspiratione facta contra Regem conuenerunt simul, dixerúntque, Regem videri prodita religione patria ad Iudæorum sacra transfugisse, cuius rei nō leue videbatur indicium, quòd Bele confracto, destructo templo, & sacerdotibus occisis sublata videbantur Babylonica sacra, & auita religio.

28. *Et dixerunt cùm venissent ad Regem: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam.*

28. Ad Regem itaque conueniunt, seuerèque denunciant, nisi suæ potestati permittatur Daniel, futurum vt & Rex ipse declinare nō possit paratam sibi mor- D tem, & domus ipsius ab imis vsque fundamentis euertatur.

29. *Vidit ergo Rex quòd irruerent in eum vehementer: & necessitate compulsus tradidit eis Danielem.*

29. Verba hæc minacia tumultus etiā aliquis sequebatur, ab irruente, & coniurato populo. Quare Rex metuens ne qua sibi à multitudine infensa vis afferretur, coactus est Danielem illorum voluntati permittere, vt de illius capite suo liberè arbitratu decernerent.

30. *Qui miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex.*

30. Illi tunc nullo modo procrastinantes, suo siue iure, siue iniuria impatienter abusi; Danielem abripiunt, illúm- E que in lacum vbi leones stabulabantur, demittunt; quibus cum sex ipsos dies commoratus est.

31. *Porrò in lacu erant leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues: & tunc non data sunt eis, vt deuorarent Danielem.*

31. Erant autem in lacu leones septē, quorum erat in singulos dies ciborum demensum oues duæ, & totidem corpora eorum, qui ad eum lacum damnabantur, aut quibus propter peccatū auctoritas publica vitam ademisset; quæ tamen illo die porrecta non sunt, quo instimulante fame, & ex ea concepta rabie, ferociùs sæuirent, & Danielem deuorarent auidiùs.

32. *Erat autem Habacuc Propheta in Iudæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriuerat panes*

32. Tunc verò tēporis Habacuc Propheta agebat in Iudæa, & ex intrito pane pulmen

panes in alueolo: & ibat in campum vt ferret messoribus.

A pulmētum coxerat, illúdque ad messores, egressus iam in campum deferebat.

33. *Dixítque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum.*

33. Quem à medio cursu reuocauit Angelus, iussítque vt prandium, quod messoribus intriuerat, ad Danielem, qui cum leonibus claudebatur in fouea, Babylonem asportaret.

34. *Et dixit Habacuc: Domine Babylonem non vidi, & lacum nescio.*

34. Ad quem Habacuc, neque scio vbi sit ille locus, vbi cum leonibus conclusus est Daniel, neque Babylonem vidi, aut viam noui, quæ Babylonem ducit.

35. *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuítque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui.*

35. Tunc Angelus à capillato vertice
B illum apprehendit, & captum ab vno capitis cirro, ea celeritate, qua cœlestes spiritus moueri solent, momento temporis Babylonem vsque supra leonum lacum deportauit.

36. *Et clamauit Habacuc, dicens: Daniel serue Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.*

36. Cùm autem primùm eô ventum est, clamauit Habacuc, euocauítque Danielem, ac dixit: O Daniel, qui fidelem Deo seruitutem præstas, agnosce Dei in te fidelem, atque beneuolam prouidentiam; sume hoc prandium, quod Dominus tibi præparauit.

37. *Et ait Daniel: Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te.*

C 37. Tunc Daniel agnoscens dulcē Dei, fidelémque memoriam, & debitas illi gratias agens, inquit: Recordatus es Domine afflictionis meæ; neque passus es in his rerum angustiis aliquid mihi accidere molestum: noui ingenium, qui amantes te redamas; neque deseris, qui te vnum diligunt, neque præter te aliquid aut curant, aut expectant.

38. *Surgénsque Daniel comedit. Porrò Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo.*

38. Surrexítque Daniel, qui medius sedebat inter leones, oblatósque cibos ab
D Habacuc comedit. & eodem temporis vestigio Angelus, in eundem, vndè abduxerat, locum restituit Habacuc.

39. *Venit ergo rex die septimo vt lugeret Danielem: & venit ad lacum, & introspexit, & ecce Daniel sedens in medio leonum.*

39. Sex porrò dies transacti fuerant, ex quo Daniel coniectus fuerat in leonum stabula. Cùm dies ab illo tempore septimus illuxit, rediit ad lacum Cyrus, vt Danielem, quem extinctum putabat, interitum luctu prosequeretur familiari, ac pio. cùm igitur accessisset ad foueam, & spectandi gratia caput introrsus dimisisset, Danielem vidit, qui quasi leonum esset pastor, ac dominus, medius inter illos, &
E securus sedebat.

40. *Et exclamauit voce magna rex, dicēs: Magnus es Domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu leonum.*

40. Tunc Rex admirans in has erupit voces: Magnus es, ô Domine, quem colit Daniel, & vnum ex omnibus Deum agnoscit. Et illum de leonum fouea festinus, & alacer extraxit.

41. *Porrò illos, qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, & deuorati sunt in momento coram eo.*

41. Illos verò, qui iniquissimi illius facti auctores fuerant, in eundem, vnde Danielem eduxerat, lacum coniecit: qui momento temporis, spectante Rege, lacerati, ac deuorati sunt.

42. *Tunc rex ait: Paueant omnes habitantes*

42. Quæ cum attento animo Rex esset

tes in vniuersa terra Deum Danielis: quia ipse est saluator, faciens signa & mirabilia in terra: qui liberauit Danielem de lacu leonum.

A set intuitus; Gentilium Deorum futilitatem, & veri Dei, qui Danielem è leonum faucibus seruarat incolumem, fidelitatem, & potentiam agnoscens, edixit vt quotquot in subiectis sibi regionibus morarentur, Danielis Deum vereantur, venerentur, & colant: ipse etenim vnus ex omnibus saluat, ipse in terris edit & signa illustria, & suæ potentiæ admiranda prodigia, qui tandem recenti modo, atque præsenti miraculo de lacu leonum Danielem eripuit.

1. IXIMVS verba extrema superioris capitis, huic decimoquarto capiti esse præponenda. licèt alij aliter censeant, quorum rationes eiusmodi sunt, vt nulla sit, quæ aliquo incommodo non laboret, quas hic referre non libet, quia refutare molestum est. Illam ergo rationem potissimam arbitror, quia non video, quid extrema hæc verba conferant ad historiam Susannæ: & caput hoc totum obscurum esset admodum, & mutilum, si ab illo verba illa secludas. Cùm enim toto hoc capite multa verba fiant de Rege, nemo esset paulo studiosior, qui non in illa aliquid desideraret, quod si absit, turpis existimatur, & infantilis error. Vixit Daniel, & magno in honore fuit apud multos Reges; quotquot enim à Nabuchodonosor ad Cyrum vsque imperium tenuerunt, habuerunt apud se Prophetam, & in loco, qui regio erat proximis, honorificè locarunt. Quis horum fuerit, quis hominum nosset, nisi statim legeret in principio Astyagi, id est, Dario mortuo successisse Cyrum Persam, de quo præsens caput. Sub Cyro autem contigisse hanc historiam, docet Irenæus, lib. 4. aduersùs hæreses, cap. 11. Athanasius in Synopsi, & è recentioribus frequentes alij.

2. Sunt qui Cyrum esse negent illum, de quo caput hoc vltimum. neque coniecturæ desunt, quæ faciunt illorum sententiam verisimilem. Prima, quia eo tempore, quo ista contigisse existimantur. Non erat Babylone Cyrus, sed Susis, vbi Persici imperij prima sedes; ad quam vt ex capite octauo fit probabile, discesserat Darius, secúmque in Persidem Danielem abduxerat. Hęc verò cùm Babylone facta fuisse narrentur, consequens est vt non sub Cyro, sed sub alio aliquo Rege contigisse dicantur; puta sub Nabuchodonosor, aut sub Euilmerodach.

Secunda, quia Bel non videtur eo loco habitus à Cyro, vt eum religiosè colere debuerit, cùm alij sint Persarum, alij Babyloniorum dij; deos autem Babylonios adeò non coluit Cyrus, vt potiùs contriuerit, & confractos ad alios vsus in Persidem traduxerit, de quibus Isaias cap. 46. *Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulacra eorum bestiis, & iumentis*, nempe onera. Idem penè Ieremias cap. 50. *Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach.*

3. Hæc aut sola sunt, aut maxima illius cogitationis firmamenta, quæ sanè non sunt adeò firma, vt conuelli possint, ac dissolui. Primùm, sicut subiugata Babylone in Persidem regressus est Darius, sic etiam Cyrum, qui illi in imperio successit, in eamdem prouinciam remigrasse veri- B simile est; non tamen certum. Imò, si profanos consulas historicos, inuenies, aut non fuisse Susis, aut certè non ibi diu commoratum. Nam ex Babylonia ad regiones alias debellandas castra mouit, quod licèt obscurius, indicant tamen Iustinus, & Herodotus. Sed docet apertè Xenophon lib. 8. Cyropædiæ. Vbi sic de Cyro, vbi imperij fines, & præcipuas eius prouincias nominasset ait, *In horum medio vitam agens tempore hyemali degebat Babylone septem menses, hæc enim regio tepida est: per veris autem tempus tres menses degebat Susis, in æstatis autem vehementer duos menses agebat Ecbatanis.* Sed quid prohibet, quin Babylonem redierit; & Danielem, quem amabat, ac facie- C bat plurimi, secum aduexerit; sanè Danielem rediisse constat, quod non videbatur esse facturus, cùm esset Cyri conuiua, id est, συμβιώτης, familiaris nempe, atque assiduus comes, vt dicemus statim. Quòd autem Susis Daniel Babylonem redierit, docent, qui illum sepultum esse tradunt Babylone. Hi verò sunt Epiphanius, Isidorus, Dorotheus, à nobis alibi sæpe citati, & quod apud me multorum auctorum pondus habet, Romanum Martyrologium ad diem 21. Iulij. Quare hæc ratio perquam leuis est.

Historia Belis, & Draconis, sub Cyro.

Daniel, & Cyrus sæpe à Perside Babylonem redierunt.

Neque plus habet ponderis secunda ratio, 4.
quæ ideo negat hunc Cyrum esse, quia hic Persicos colebat, non tamen Babylonios, ac peregri- D nos deos. Vt enim verum fuerit, quod sanè negari non potest, cùm Isaiæ, ac Ieremiæ stent contra expressa testimonia, Bel & Merodach; & reliqua Chaldæorum idola fuisse confracta; quo tamen tempore præcisè non docent. Fuerunt quidem idola plurima contrita, & imposita iumentorum dorso in Persidem translata, non tamen omnia eodem tempore, sed quædam statim, atque capta est Babylon, alia aliis temporibus; vt variè occurrebant, commoditates, & causæ. Priuati quidem Chaldæorum dei, qualis erat Merodach, & Nebo, & statim, vt opinor, confracti sunt, & è suis sedibus, in alienas abducti; de E Bel aliam fuisse rationem existimo, cur & seriùs confractus, & aliquandiu in honore habitus à Cyro. Sunt enim quidam apud Gentiles aliquarum nationum proprij, atque domestici dei, quos nationes aliæ contemnunt, & respuunt.

Inter Gentiles alij dij communes omniũ, alij nationũ proprij.

Palæstini colunt Dagõ, Ammonitæ Moloch, Moabitæ Chamos, Sidonij Astartem. Ægy- 5.
ptiis in honore sunt feles, talpæ, vespertiliones, cercopitheci, porrum, & cepe; at contemnunt alij. Alij dij sunt nationibus omnibus communes, & illorum religiosum nomen; qualis sunt Iupiter, Mars, Apollo, Minerua. Horum è numero fuit Bel, quem Græci Belum, Latini Satur-

Bel, idẽ qui Saturnus.

num

num esse putant Deorum antiquissimum. Ita Hieronymus in cap. 46. Isaiæ, ad illud, *Confractus est Bel. Confractus*, inquit, *est Bel, quem Græci Belum, Latini Saturnum vocant. Cuius tanta fuit apud veteres religio, vt ei non solùm humanas hostias captiuorum, ignobiliúmque mortalium, sed & suos liberos immolarent.* Ea igitur de causa colebat Cyrus Bel, quia illius nomen Persis etiam erat religiosum, & sacrum: donec detecta fraude, in eo nihil esse numinis existimauit; quod, credo, etiam fecisset, si assistente sibi Daniele, apud Persas patrium aliquem Deum eiusdem esse naturæ, atque ordinis agnouisset. De Dracone non est, cur quisquam dubitet; cùm enim horribili esset specie, & in illo dæmon aliquid quotidie prodigiosum edidisset; licèt apud Persas nihil eiusmodi coleretur pro Deo, ipsa tamen species hominibus timidis, & nimium superstitiosis, ac credulis aliquid diuinum obiiciebat. Sanè apud Romanos serpens in honore non erat, at quia aliquid in eo rarum admirati sunt, & diuino simile, pro Æsculapio venèrati sunt; vt iam antea diximus. Quod etiam fecerunt Athenienses, vt tradit Herodotus lib. 8. qui serpenti, qui arcis credebatur esse custos, diuinos honores tribuerunt.

6. Vers. 1. *Erat autem Daniel conuiua Regis, & honoratus super omnes amicos eius.*] Sicut apud Reges alios honesto in loco fuit semper Daniel, quia illius prudentiam præclarè nouerant, & illius consiliis in arduis quibuscumque rebus vtebantur; sic etiam Cyrus auunculi sui Darij exemplo secum habuit familiarem, & domesticum, quo cum multus, ac familiaris sermo. Conuiua porrò dicitur Græcè συμβιώτης, non qui communem cum alio mensam, sed qui commune contubernium habet, qui à Latinis *pernecessarius* dicitur, ac *familiaris*. Quod nomen non bene in ætatem cadit iuuenilem, immo & puerilem, qualem Daniel habuit, cùm iudicium in senes tulit capitale, & cùm in regiam domum à Nabuchodonosore inter aulicos pueros introductus est, vt nonnulli volunt. Tunc enim non diceretur Daniel Regis συμβιώτης, id est, *familiaris*, seu *pernecessarius*, quia nomen hoc similitudinem potiùs, & æqualitatem importat, quàm vsum illum, qui est à iuuenili ætate, & conditione seruili.

Conuiua, qui eodem cum alio cõtubernio viuit, aut familiaris est.

7. Vers. 2. *Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel.*] Idolum istud omnium erat religiosissimum Babyloniis, de cuius templo, immensísque opibus diximus suprà cap. 1. num. 11. & in nostris commentariis in Isaiam cap. 45. Quanto autem apud Gentiles in honore fuerit Bel, ex eo constat, quia cùm de Babylonis excidio loquuntur, sæpe Belis meminerunt Prophetæ, quasi aliquid esset in ea ciuitate præcipuum, & penè summum.

8. *Impendebantur in eo per dies singulos simila artabæ duodecim, &c.*] Hinc apparet quantum esset illarum gentium stupor; & cæcitas, quæ æreum simulacrum indigere putabant tot sumptibus, cùm in eo neque sensum viderent vllum, neque motum, neque denique aliquod latentis animæ vestigium. Quod si viuum esse aliquo certo documento cognoscerent; in eo tamen peccarēt, quòd diuinā naturam humano cibo indigere sibi persuaderent; & tanto cibo, quantum vastissima quædam moles capere non posset. Quæ enim capedo tam ampla, quis tam laxus stomachus, qui claudere posset, & cõcoquere quotidie duodecim frumenti artabas, quarum quælibet medimnum capiebat vnum, & chœnices tres, oues quadraginta, vini amphoras sex? pudere sanè debuisset homines, quibus aliquid esset mentis, habere Deum, vsque adeò lurconem, & voracem, vt ad eius ingluuiem, tot essent sumptus, tot pecudum cædes necessariæ. De huius idoli voracitate vide, quæ diximus in nostris commentariis in Ieremiam ad illud cap. 51. *Visitabo super Bel in Babylone, & eiiciam quod absorbuerat de ore eius.*

In Belis cibo immanes sumptus.

9. Vers. 5. *Rex quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum.*] Quosdam Gentiles colebant, honoribus, & donis, & supplices adorabant deos, quia ab illorum benignitate aliquid sibi boni promittebant; alios ne ab illis aliquid mali paterentur. In horum numero, credo, habebatur à Babyloniis iste Bel, qui nullũ Babyloniis vsum afferebat; immo immensa ingluuie illorum quotidie opes attenuabat, & quæ illis vsui esse poterant, absumebant. Metus, opinor, iste adducebat superstitiosum Regem vt quotidie templum adiret, & Belis simulacro supplicaret. Vt enim ab illo nihil vnquam acceperat, sic etiam non erat, quid ab illo in posterum speraret boni.

Apud gẽtes alij dij noxij, alij benefici existimati.

Porrò Daniel adorabat Deum suum.] Non constat an Daniel cũ Rege simul ingrederetur templum Beli dedicatum. Est tamen verisimile, quia Regis erat συμβιώτης, id est, *familiaris*, & quasi assiduus comes, ingressum esse sæpe, licèt longè esset, vt muto, atque æreo simulacro diuinos exhiberet honores, cùm illud potiùs odisset, & contemneret. Sicut etiam faciebat Naaman, dum obsequij, atque officij gratia templum ingrediebatur cum Rege Syriæ. Sed neque id faciebat Daniel cùm Cyrum comitaretur, quod ante Naaman, qui genua flectebat, licèt non tam religionis gratia ad Deum Remnon, quàm vt Regi suo, ac Domino famulare præstaret obsequium. Si quando enim templum ingrediebatur, apertè significabat nihil se in Bel agnoscere diuinum, dum aliò faciem auerteret, & documenta præberet manifesta magis contemnentis, quàm adorantis ridiculum illud, & sordidum idolum. Quod videbat Rex, & non sine stomacho, vt apparet. Quare subindignatus ait, *Quare non adoras Bel.* 10.

Vers. 6. *Ne erres, ô Rex, iste est enim intrinsecus luteus, forinsecus æreus.*] Vana species decepit stultos homines, & fucatus splendor, qui alienus est, & artis lenocinio rebus interdum vilissimis inductus. Splēdebant idola ab extremo cultu, quia inaurata, aut pretiosis integumentis inducta; cùm tamen interiùs marmor esset, aut lignum, aut etiam lutum, & argilla vilis, ex qua fictus erat Bel, non secus atque figulari rota vas fingitur luteum, ad sordidos interdum, & obscœnos vsus. Tale existimo fuisse Belis simulacrũ, quod quotidie Rex Cyrus supplex salutabat, adorabátque. Quod sanè vsque adeò apertè, ac liberè Propheta non dixisset, nisi res esset nota; & facili posset experimento probari. Sanè apud Babylonios Deos esse lapideos, ac ligneos, docet Baruch cap. 6. vbi multa habes, quæ optimè historiam hanc Belis illustrare possunt. Quare iure admonet Daniel, & modestè reprehendit Regem, quod inaurato luto aliquid putauerit inesse diuinum. Sunt quidem grauissima reprehēsione digni, qui plus studij, atque solertiæ ponunt in eligendis equis, quibus insideant, quàm diis, quos adorent, & quorum tutelæ se accommendent. Sic Horatius lib. 1. Satyra 2. 11.

Equi quomodo emi soliti.

Regibus hic mos est, vbi equos mercantur, opertos
Inspiciunt, ne si facies, vt sæpe decora
Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem.

Quia

12. Quia in equis præcipua commendatio à pedibus est, quia illi conquiruntur, & emuntur ad cursum, & si hi molles sunt, & infirmi, quantacumque sit reliqua totius corporis species, contemnuntur, & existimantur indigni, quibus aliquid impendatur pretij; atque ideo ne species emptorem decipiat, operto toto corpore, nudi tantùm relinquuntur pedes, qui vt soli sunt ad cursum necessarij; sic etiam à mercatore prudenti soli examinantur. Hæc etiam ratio, atque solertia ab hominibus in eligendis diis esset adhibenda, vt non in illis species exterior, atque fucata esset exploranda, sed benignitas, vt velit, & facultas, vt possit suis cultoribus benefacere. Quid autem à luteis, impurisque visceribus boni, ac pari, quid ab argilla futili firmitatis, ac roboris sperari potest? Iure igitur Daniel lutea docet esse viscera idoli, dum interiora ficta dicit ex luto, monétque Regem ne erret, dum spem ponit in re vili, ac futili, aut si fortè ignorat, exploret, quæ sub tenui continentur bractea; & inueniet nihil præter lutum.

Reliqua, quæ ad historiam Belis pertinent, sic à Propheta clarè digeruntur, vt explicatione non egeant; quare illis omissis ad aliam partem capitis de Dracone commentationem conuerto.

13. *Dæmon sæpe draconis speciem assumit.* Vers. 22. *Et erat draco magnus in loco illo, & colebant eum Babylonij.*] Cùm varia dæmon subire soleat animalium corpora; subit tamen frequentiùs serpentis, quia statim à mundi constitutione illum habuit suis rationibus opportunum maximè, & illius ingenium cum dæmonis natura perquam aptè consentit. Serpens enim callidus est, & lubricus, ingreditur silentio, neque priùs irrepere sentitur, quàm totus est illapsus. Id habet totum satanas; quare sibi similis consortiũ amat, & quæ sibi fingi vult idola; aut serpentis interdum speciem habent, aut si qua alia sit imago, serpentium sæpe spiris implicantur. Quod non olim tantùm seruatum à Gentilibus; vt dicemus statim, sed etiam nostra ætate, vt docent eorum, qui regiones hucusque medio Oceano clausas aperuerunt; apud quos aut sacri putantur angues, aut diuinis inaugurati nominibus; aut in suis idolis angues insculpuntur. Habeo ego apud me duo Gentilium simulacra, alterum è viridi lapide, quod ex Mexicana prouincia aduectum est; alterum ex ebore, quod, credo, è Sinarum regionibus allatum, vtrunque serpentibus implicatum, in quibus non minus artis, aut operæ, quàm in idolo fingendo positum est.

14. *Serpentes Antiquis sacri.* De antiquis res est nota. Duo habes exempla apud Virgilium: alterum lib. 2. vbi dracones duo sub Mineruæ clypeo dicuntur latuisse,

At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sæuaque petunt Tritonidis arcem
Sub pedibúsque Deæ, clypeique sub orbe teguntur.

Esse autem duos illos dracones, aut partes Mineruæ, aut ad illius effigiem spectare, indicat Accius in Eriphyle,

Pallas bicorpor anguium spiras trahit.

Alter locus est lib. 5. vbi Draco aut Deus, seu genius cuiusdam loci, aut famulus, seu tutelaris Anchisæ existimabatur; de quo sic Æneas cùm astaret parentis tumulo,

----Adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,
Amplexus placidè tumulum.

Et paulo pòst,

Obstupuit visu Æneas, ille agmine longo
Tandem inter pateras, & leuia pocula serpens,
Libauitque dapes, rursúsque innoxius imo
Successit tumulo, & depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores:
Incertus, geniúmne loci famulúmne parentis
Esse putet.

Pausanias in Atticis tradit duos adolescentes 15.
Chalcinum & Dætum eo in loco sacrificasse Apollini, vbi serpentem latuisse viderunt. Quare Antiqui serpentem, quasi particeps foret diuinæ naturæ, tanquam Deum venerabantur. Sic sanè Artemidorus lib. 4. cap. 69. *Draco*, inquit, *sacer est, & mystes, præsénsque omnibus mysteriis.* In Delo insula, vt auctor est Strabo lib. 9. Draconis effigies colebatur. Hinc puto Antiquos in locis, quæ à sordibus, & fimo vendicare volebant; ne quis ibi, aut ventris onus, aut vrinam deponeret, pinxisse serpentes, sicut Christiani alicubi cruces, aut aliquid sacrum, quod reuerentiam loco conciliet, & homines, qui leuare ventrem, aut vesicam voluerint, submoueant. Audi Persium Satyr. 1. [illegible]

Hoc iuuat, hic, inquis, veto quisquam faxit oletum:
Pinge duos angues, pueri, sacer est locus, extra
Meyte.

Æsculapius sanè à Romanis sub Anguis specie 16.
colebatur; subiuit enim anguem diabolus, & sub ea specie colendum se præbuit. Vide Valerium Maximum lib. 1. cap. 8. vbi historiam narrat: & quàm illud ridiculum numen Epidauriis, atque Romanis venerationi fuerit, edocet. Quam historiam Ouidius lib. 15. Metam. ad finem, latè persequitur, ex quo pauca hæc accipe.

Incerti quid agant proceres ad templa petiti
Conueniunt operosa Dei: quoque ipse morari
Sede velit, signis cœlestibus indicet, orant.
Vix bene desierant, cum cristis aureus altis
In serpente Deus prænuncia sibila misit,
Territa turba pauet: cognouit numina castus
Euinctus vitta crines albente Sacerdos.
En Deus est, Deus est, animis, linguisque fauete,
Quisquis adest, dixit: Sis ô pulcherrime visus
Vtiliter, populósque iuues tua sacra colentes.

Sic sanè Draco, quẽ colebant Babylonij, verus 17.
erat, & viuus, illum tamen diabolus subierat, cui ad speciem horribilem aliquid etiam horroris addiderat. Et quemadmodum serpens Epidaurius cibis vescebatur, vt ait Valerius suprà, aliter enim interiret, quantumuis à diabolo possessus; sic etiam Draco hic Babylonius cibis naturæ suę conuenientibus alebatur; quare occisus fuit à Daniele oblato cibo, quem cùm ipse vorasset, diruptus est. Ait autẽ Iosephus Gorionides lib. 1. histor. cap. 10. & Comestor in historia Danielis cap. 14. & ex eo sanctus Thomas, & alij, Draconem illum non esse in templo, sed in fouea quadam, quem horribili sono tanquam tonitruo ex hydraulicis instrumentis excitato, euocabant sacerdotes. Ille verò ad strepitum illum excitatus quandoque emittebat fumum, interdum ignem, interdum visibiliter apparebat. Ita Comestor.

Vers. 26. *Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos & coxit pariter.*] Ostendit Propheta, quàm 18.
sit Deus ille Babylonicus infirmus, cui tam facile potuit spiritus, & vita eripi, non fuste, non gladio; sed quibusdam offis ita confectis, medicatísque, vt præcluderent fauces, & spiritum, & immanem belluam rumperent, & extinguerent. Erant ex adipe compositæ, cui aliquid erat admixtum pilorum, & picis; adeps inuitabat sua mollitudine ac suauitate, atque irritabat gulam; alia eius erant naturæ, vt accedente calore, aut igne,

igne, quem Draco ille vomebat è faucibus, aut gulam obstruerent; aut in stomachum demissa belluam disrumperent. Arbitror autē huic Draconi glebas ex adipe, aliisque dulcibus palati blandimentis à sacerdotibus solere porrigi, quarum figuram imitatus Daniel, glebas illas ex materia tamen dissimili confecit, quas ipse similes prioribus arbitratus, hianti rictu statim arripuit; non tamen eodem, quo alios successu. Historiam huic non valde diuersam narrat Herodotus lib. 8. vbi Draconem fuisse dicit Athenis, qui arcem custodiret, cui ciues offam porrigebant ex melle conditam: quem esse possessum, & quasi animatum à dæmone mihi verisimile est. Sanè draconem illum vim habuisse numinis putabant Athenienses, qui cùm discessisse anguem existimarent, arcem deseruerunt tanquam à Deo destitutam.

19. An illa gleba à Daniele ita concinnata vim habuerit naturalem, ad illius belluæ tam breuem interitum, an aliquid etiam supra naturam; mihi incertum est; eò magis inclinat assensio, vt existimem vim illam pestilentem, atque mortiferam ab ipsa rerum, quæ offas illas concinnarunt, natura prouenisse. Pix enim, & adeps vim habent glutinis, quare facile draconis faucibus sic adhærere potuerunt, vt spiritum intercluserint. Tunc præterea vim habent ad incendium facilem, quare ex pice, & adipe glebæ componuntur incendiariæ. Quòd si flammas ex faucibus eructabat Draco; vt dicebamus suprà ex sententia Petri Comestoris, & S. Thomæ, concipere flammas facile potuit illa materia; & serpentis viscera comburere. At dices, quis in illa compositione pilorum vsus? Sanè maximus; vt enim lateribus crudis paleas admiscemus, ne dissoluantur; sic etiam arbitror Danielem addidisse pilos, vt siue adhæreret faucibus, siue ad stomachum esset transmissa gleba; firmior esset ad obstruendas fauces, vel ad vrenda viscera potentior. Sic ego coniecto, fortasse abs re.

20. Sed si quæras an strangulatus disruptus fuerit, draco, vel exustus (nam vtroque modo disrumpi potuit) quid ad hæc respondeam promptum non habeo: ne tamen nihil dicam, arbitror obstructis faucibus, & intercluso spiritu potiùs periisse draconem, quàm aut offis in stomacho ardentibus, aut quod vis esset in pice, atque adipe mortifera; saltem quæ statim monstrum illud tam grande disrumperet. Ita putat Comestor, S. Thomas, Dionysius, & Lyra. Adducor vt hoc magis probem, quia mors illa subita prouenire non potuit ab eo, in quo præsentissimi veneni vis inesset nulla. Hæc verò in pice, atque adipe non videtur esse tanta, vt belluam vsque adeò viuacem tam subitò perimeret. Deinde, quia intercluso spiritu aut laqueo, aut alio quouis modo violento, disrupta fuisse ilia audio, & effusa viscera. Sanè Iudas laqueo se suspendit, vt dicit Matthæus cap. 27. sed idem, vt affirmat Petrus Actor. cap. 1. *suspensus crepuit medius, & diffusa sunt viscera eius.* Scio alias causas ab auctoribus reddi, quas ego in commentariis super illud Actorum caput adduxi. Sed illæ infirmæ sunt; si tamen causa quæratur naturalis, hæc videtur esse non leuis. Conatus autem ille, qui adhiberi solet ab eo qui intercluso vitali spiritu laborat, satis videbatur grauis, vt viscera conuellat, ac rumpat. Certè vir religiosus, & magnæ fidei narrauit, nouisse se hominem, cui in suspendio disrupta essent atque diffusa viscera.

A 21. Antequam hinc abeo obseruo duo, quæ ad hanc draconis historiam nonnihil fortasse conferent. Alterum est, serpentes, seu dracones maximè subesse magicis carminibus, ex quo nonnulla coniectura sumitur, in illos dæmones frequentius, quàm in aliis belluis, habitare, & habere in illis quasi proprium, & familiare domicilium: quemadmodum de hoc dracone nuper dicebamus. Id sensisse visus est Augustinus lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 28. *Quod magis*, inquit, *habeat vsus serpentes moueri carminibus hominum, quàm vllum aliud genus animantium, etiam hoc non parua testificatio est naturam primitus humanam serpentis seductam esse colloquio. Gaudent enim dæmones* B *hanc sibi potestatem dari, vt ad incantationem hominum serpentes moueant, vt quolibet modo fallant, quos possunt. Hæc autem permittuntur ad primi facti memoriam commendandam, quòd sit eis quædam cum hoc genere animantium familiaritas.* Hæc August. Alterum est ex omnibus belluis, hanc maximè, atque facillimè solere disrumpi; tum à conatu maximo, quo se ab vrgente malo liberare student; aut à præcluso spiritu, vt modò putabamus; tum cùm vrgent incantatorum carmina. Anno 1615. cùm essem in secessu Iesumontano; quò scholastici nostri valetudinis, ac studiorum gratiâ in æstate diuertunt; allatus est anguis, qui cùm cuniculum vorasset, neque illum transmittere ad C stomachum, aut foras posset è faucibus eiicere; intercluso animæ spiramēto, disrupit sese. Quod credo illi animantium generi accidisse frequenter, quia vis est magna, qua in eo cruciatu seu tolerando, seu euitando ponitur, & cutis non ita firma, vt conatum illum sustinere possit.

Serpentes valde incantationibus obnoxij.

Serpens facile disrumpitur.

22. Quod ad magica carmina, vimque incantatoriam spectat, sanè mirum est, quàm hæc duo sæpe apud profanos simul inueniātur. Medea apud Ouidium lib. 7. Metam. dum artem magicam commendat, in qua se præter cæteros præstare dicit, inter alia horribilia, hoc etiam addit,

Vipereas rumpo & verbis, & carmine fauces.

& 2. Amor. el. 1.

D *Carmine desiliunt abruptis faucibus angues.*

Vbi obseruo fauces à Medea dici disrumpi solitas, quia Iesumontanus ille serpens à faucibus se ruperat, cuius duplex assignari ratio potest, & quia pars illa animantis mollior est, & exilior; & quia, vt Ælianus docet lib. 5. de hist. animal. cap. 3. serpenti cor in gutture est, cùm autem respiratione sublata, cor laboret maximè, ab ea parte disrumpitur serpens, vbi cor & residet, & patitur. Neque aliam partem in hoc dracone arbitror esse disruptam. Alia occurrunt, apud Poëtas plurima, quæ ab incantatorio carmine disrumpi dracones ostendunt. Sic sanè Maro ecloga 8.

Carminibus circe socios mutauit Vlyssis,

E *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.*

Lucillius his antiquior,

Iam disrumpetur medius, iam vt Marsus colubras

Disrumpit cantu.

Quæ omnia probabile magis ostendunt, quod posteriori loco dicebamus, à compresso spiritu disruptum draconem; idque ab ea parte, quam occupat cor, nempe à faucibus, quas massæ illæ viscosæ præcluserunt.

23. Vers. 30. *Qui miserunt eum in lacum leonum: & erat ibi diebus sex.*] Idem, opinor, erat locus; in quem antea à Dario demissus fuerat; iidem leones, qui Danieli in simili discrimine pepercerant. Quo meliori animo ingressus est Daniel, & quia se

Deo

Deo curæ esse sciebat, cuius causa in illa se discrimina coniecerat; & quia iam antea experimento didicerat, nihil illis, qui pro religione laborant, esse metuendum. Expertus est autem sex diebus, quos inter leones, in tetro, atque obscuro carcere transegit, benignissimam Dei prouidentiam, de qua iam dicam.

24. Vers. 31. *In lacu erant leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues.*] Numerus notatur leonum, vt magis ostendatur, & inimicorum furor, & acerbitas; & Dei benigna prouidentia, obseruat hîc Propheta leonibus hisce quotidie porrigi duo corpora, & duas oues. Tũc verò nullum illis cibum esse porrectum, quo auidiùs irrumperent in prædam, & illam, quam ocyssimè lacerarent. Communiter interpretes duo illa corpora damnatorum hominum esse putant. Ita Comestor, & S. Thomas, Dionysius, & Hugo. Quod mihi improbabile non est. Tum, quia pro septem leonibus, qui voracissimi sunt, non satis videntur alimento futuræ duæ oues, tum quia, vt ex historia Danielis constat, inter alia supplicia, quibus addicebantur sontes, lacus hic annumerabatur, vbi septem isti leones claudebantur. Sic enim de hoc loco locuti sunt Babylonij; qui ad mortem Danielem exigebant, quasi illud foret vsitatum, & familiare supplicium. Sicut apud Athenienses barathrum, & alia apud alias gentes loca, vbi mors horribilis, & breuis. Cùm verò in vrbe frequentissima multi capitali supplicio damnarentur quotidie, sicut alij laqueo, alij incendio, atque fornaci; sic etiam alij leonum foueæ destinabatur. Neque mirum si duo quotidie damnatorum corpora demitterentur viua, sicut missus est Daniel; aut certè alio quouis supplicij genere defuncta. Alij illud, *& duæ oues*, sic accipiunt, vt *&* sit expositiua particula; quod in Scriptura sacra frequens est, in hunc sensum, *duo corpora, id est, duæ oues.* Ita putat Maldonatus; neque mihi displiceret, si duas tantùm oues pro septem leonum alimento satis fore putarem.

25. Vers. 32. *Erat autem Habacuc propheta in Iudæa.*] Quis fuerit hic Habacuc, diximus suprà prolegom. 8. neque est quid hîc amplius addi aut debeat, aut possit, quod ad rem ipsam faciat, aut ad euertendum illorum errorem, qui ex hac historia satis sibi argumenti fore putant, vt huic historiæ auctoritatem adimant, & canonicam fidem.

26. *Et ipse coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo.*] Pro *pulmento* Græcè est ἕψεμα, quo edulium significat, maceratum intritum, aut decoctum aqua, aut iusculo, aut aliquo alio liquore dilutum, quales pultes sunt, & polentæ; *Pulmentum,* inquit Isidorus, *vocatur à pulte: siue enim sola pultis, siue quid aliud eius permixtione sumatur, pulmentum propriè dicitur.* Quale verò fuerit illud pulmentum, statim explicat, dum ait panes fuisse intritos in alueolo, pro alueolo Græcè σκάφη, quæ *vas* significat *ligneum*; tum ad alios vsus tum etiam ad escas, quod puto in vsu fuisse præsertim rusticis; qui illa, quæ facile franguntur, qualia sunt vitrea, seu fictilia, non amant. Maiori illis vsui sunt ærea, ac lignea, quæ magis sunt diuturna, neque genus illud hominum admodum curat, quæ lauta sunt, & elegantia, quæque ad mensam adhibent, qui politioris sunt ingenij, & in cibis delicias, atque munditiem quærunt.

Pulmentum quid.

27. *Et ibat in campum vt ferret messoribus.*] Intercepit Angelus Habacuc; & quod messoribus edulium parauerat, in Babylonem deferre iussit. Addam hîc quod Dorotheus docet in Synopsi, & Epiphanius in libro de vita, & interitu Prophetarum: licèt ego aliquid ibi legam, quod non mihi omnino satisfaciat. In primis non probo, quod Epiphanius dicit hunc Habacuc fuisse è numero duodecim Prophetarum, vt latè in Prolegomenis ostendimus. Illud placet, quòd dicit longè ante hoc tempus rediisse ex eo loco, vbi inter Ismaelitas diu latuerat. Nam, vt in nostris commentariis in Zachariam diximus ad caput septimum, multi relicti sunt in Iudæa, aut certè post aliquot annos redierunt ex fuga, quorum è numero fuit Habacuc, vt ibi obseruauimus, ea adducti coniectura, quòd agros haberet, & ibi messores. Non autem videbatur agros habiturus, vt apparet, copiosos, & cultos, si tunc rediisset ex regione Ismaelitide; cùm captiui ex Babylone, vno nempe anno ante hunc temporis articulum, redierunt.

28. Dicit ergo Epiphanius eo loco de Habacuc: *Cùm reliquiæ vrbis Hierosolymæ in Ægyptum descenderent, Antistes ille reuersus in patriam ministrauit messoribus sui agelli, seminauerat enim hordea. Cæterùm statim vt esculenta praparauerat, vaticinatus est suis dicens: Proficiscar ipse in longinquam terram, & reuertar ocyus; veruntamen si cunct auero diutius, apponite meis messoribus, quod manducent. Et translatus repentè in Babylonem exhibuit prandium Danieli, qui erat in cauea cum leonibus. Deinde egressus astitit messoribus, cùm iam cœnarent, neque communicauit quicquam vel tantillum, de eo quod contigerat. Annunciauit praterea Habacuc paucis pòst diebus postliminio Hierosolymam populum remeaturum.* Hæc Epiphanius, ex quo, credo, sumpsit Dorotheus in Synopsi, Petrus Comestor, & S. Thomas.

Vers. 35. *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius.*] Ex hoc facto quidam canonicam fidem negant huic historiæ, quorum errorem suprà in Prolegomeno octauo confutauimus. Vide Hieronymum in præfatione ad Danielem. Quid sit Habacuc in vertice, seu capillo capitis à Iudæa Babylonem vsque fuisse translatum, & inde rursus in patriam restitutum, (quod credo in Scriptura sacra exemplum est singulare) paulo obscurius est. Primùm mihi verisimile est non ab vno tantùm crine apprehensum fuisse ab Angelo Habacuc; sed à tota cæsarie, quod textus ipse Græcus docet Βαστάσας τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς. posuit autem vulgatus *capillum* pro *cæsarie*, ea figura, qua pars pro toto sumitur. Aut certè capillus pro cirro seu plocamo ponitur; qui non vnus crinis est; sed crinium resticula, seu plexus. Neque id inusitatum est in sacris literis. Nam Cant. cap. 4. crinis pro cirro, seu plocamo vsurpatur; vbi enim legimus, *In vno crine colli tui.* Heb. est ענק *anac*, quod inter alia torquem significat, & Aquila conuertit πλόκαμον. Qui septem Sansonis dicuntur capilli, septem sunt capillorum plexus, seu discrimina; quæ aliter vocantur plocami, Septuaginta σειρὰς, id est, *catena*, in quibus tota continebatur cæsaries. quod ex eo fit probabile; quia si septem tantùm forent capilli, non erat cur Dalila tonsorem aduocaret, cùm ipsa facile posset per se ipsam præstare: imò multo commodiùs cùm in gremio illum dormientem haberet. Habuisse tamen Iudæos capillos in varios cirros, seu cincinnos discriminatos, mihi ex hoc Samsonis exemplo verisimile est; & probat quod sponsi caput cincinnatum dicitur Cãt. 5. Neque est improbabile, cùm nudo Iudæi incederent 29.

Capillus pro tota cæsarie, aut capillorum cirro.

Samsonis qui septem crines.

derent capite; habuisse in capillis aliquid elegantiæ, atque artis, quam non habebant ab alieno aliquo capitis ornamento. Sanè Africani, qui sicut Romani, atque Hebræi, caput videtur olim habuisse nudum, crines habuere in plura discrimina, seu plocamos distinctos. Certè apud me est argenteus numus Regis Iubæ, in quo crines sunt patrio, vt reor, more in cirros diuisi; & alij plures ærei in quibus Pœnorum spectantur Cirratæ, aut cincinnatæ formæ. Hinc ego côiecto Habacuc non ab vno capillo fuisse in Babylonem translatum ab Angelo; sed vel à tota coma, vel certè quod vulgatæ translationi Latinæ magis congruit, ab vno cirro, quem Angeli manus poterat capere commodiùs.

31. Vers. 38. *Porrò Angelus Domini restituit Habacuc confestim.*] Quomodo ex Iudæa è capitis plocamo suspensum adduxit in Babylonem; sic etiam eodem modo ex Babylone confestim reduxit in Iudæá. Illud *confestim* indicat nô diu apud Danielem fuisse commoratum Habacuc, neque erat cur diutius ibi moraretur, quàm dum porrigeret intritum in alueolo pulmentum. Quare verisimile est id quod nuper ex Epiphanio dicebamus, eodem die in patriam fuisse reuersum, qua hora messores cœnæ operam darent.

32. Vers. 39. *Venit ergo Rex die septimo; vt lugeret Danielem.*] Non putabat Cyrus tandiu à famelicis feris incolumem fore Danielem, cui si feræ pepercissent, vt antè sub Dario, tamen septem dies tolerare posse famem, non sperabat. Neque enim de prandio, quod porrectum fuerat ab Habacuc, quicquam audierat. Venit ergo non vt educeret à lacu, quem mortuum, & voratum à famelicis belluis arbitratur, sed vt lugeret, & qua ratione poterat illius ossibus, atque reliquiis parentaret.

33. *Et introspexit, & ecce Daniel sedens.*] Spectaculum planè mirum, sedebat medius inter leones Daniel, quasi illorum præses, aut domitor. Quæ species vsque adeò olim mirabilis, & grata, & optimæ spei symbolum, vt Constantinus Magnus, auctore Eusebio in vita Constantini lib. 3. cap. 48. Danielis imaginem inter leones conflatam ex ære, & ornatam auro Constantinopoli in medio fori collocauerit. Quin addit Baronius in additionibus ad Martyrologium ad diem vigesimum primum Iulij; quo die illius anniuersaria memoria recolitur, inter alia resurrectionis symbola Danielem inter leonem stantem in sepulcris insculpi solitum; cuius rei in lapideis tumulis extare adhuc exempla plurima testatur.

Daniel inter leones in tumulis insculpi solitus.

34. Vers. 41. *Porrò illos qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum.*] Hoc idem fecerat non multo antea auunculus Darius, & eodem successu. Vt enim statim accusatores tunc, antequam ad pauimentum descenderet, arrepti sunt, & extincti à leonibus; sic etiam nunc in momento occisi, ac lacerati sunt, expectante, atque exultante Rege.

35. Locus hic valde notus est, & notatus à Patribus, quorum ad extremum libuit testimonium attexere; vt aliquid habeat pius lector, in quo releuet animum seueriore literæ inuestigatione, atque commentatione fatigatum. Basilius hîc Danielis ieiunium considerat, ab côque putat accepisse Prophetam; ne quid pateretur à leonum siue famelica rabie, siue naturali sæuitia. *Daniel,* inquit, *vir desideriorum, cùm tres hebdomadas panem non edisset, nec vinum bibisset, demissus in lacum etiam leones ieiunare docuit. Neque enim leones dentes in illum impingere voluerunt, perinde quasi è lapide, aut ferro, aut*

Ieiunij laus.

A *alia quapiam rigidiore materia concretus fuisset. Adeò quemadmodum tinctura ferrum indurescit, ita ieiunium pij viri corpus durauerat, ac leonibus insuperabile reddiderat: neque enim aduersùs sanctum os aperuerunt.* idem penè Ambrosius de Helia, & ieiunio, capite septimo.

Augustinus in epist. 1. Ioannis cap. 4. tract. 8. 36.
rationem reddit, cur leones Danieli nihil ausi fuerint inferre nocumenti. quia nempe Deum honorauit, & Dei gloriæ reliqua longè posthabuit. *Præposui* (inquit Deus) *te equo, & mulo: te ad imaginem meam feci, potestatem tibi super ista dedi. Quare? quia non habent feræ rationalem mentem; tu autem rationali mente capis veritatem, intelligis, quod supra te est: subdere ei, qui supra te est, & infra te erunt illa* B *quibus præpositus es. Quia verò per peccatum homo deseruit Deum, sub quo esse debuit, subditus est eis, supra quæ esse debuit. Intendite quid dicam. Deus, homo, pecora, verbi gratia, supra te Deus, infra te pecora. Agnosce, eum, qui supra te est, vt agnoscant te, quæ infra te sunt. Ideoque cùm Daniel agnouisset supra se Deum, agnouerunt illum supra se leones. Si autem non agnoscis illum, qui supra te est, superiori contemneris, subderis inferiori.* Idem docet auctor de mirabilibus Scripturæ, qui est apud Augustinum tomo 3. lib. 2. cap. 52. vbi docet cur leones in accusatores sæuos, in Danielem cur clementes se præbuerint. *Imperante, inquit, Rege iam, iámque Daniel de lacu leonum abstrahitur, quo proditores illius protinus deuorandi; pro* C *eo mittuntur. Et quos inedia Danielis esurientes fecerat, eorû sanguinis illius criminosa corpora leones recipiebât. In hoc etiam iam insigni facto nô natura in leonibus mutatur; sed insita à conditionis initio sua parte per Angelum à Deo gubernatur. Blanditiam enim, & lenitatem, quas catulis suis leones ostendunt, in Danielem exercebant; & sæuitiam, & ferocitatem, quam in prædam faciunt, in deuoratis peccatoribus reddebant.*

Qui Deo se subdit alia sibi subiecta habet.

Ex hoc Danielis fideli in Dei obsequium animo, Deíque in illum prouidentia fideli, discat 37.
homo quàm bene suis rationibus consulat, dùm Dei causæ fideliter seruit, séque totum illius fidei, atque prouidentiæ relinquit. Audi Cyprianum de oratione Dominica ad illa verba, *Panem nostrum. Quærentibus, inquit, Regnum & iustitiam Dei* D *omnia promittit apponi. Nâ cùm Dei sint omnia, habenti Deum, nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Daniel in leonum lacu iussu Regis incluso prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes, & parcentes homo Dei pascitur. Sic Helias alitur in fuga, & in solitudine coruis ministrantibus, & volucribus cibum sibi apportantibus in persecutione nutritur. Atque, ô humana malitia detestanda crudelitas; feræ parcunt, aues pascunt, & homines insidiantur & sæuiunt.*

Sed quæret hîc aliquis cur Angelus rusticum 38.
cibum, qualem messoribus pararat, Habacuc Danieli porrigit, non delicatum, lautum, & splendidum, cùm ille multo faciliùs sumi posset, è regia mensa, aut ex illorum penu, qui delicatè, ac molliter viuebant Babylone. Huic quæstioni respon- E det Tertullianus lib. aduersùs Psychicos, cap. 9. vbi docet in tempore angustiæ non molliter esse, & abundanter viuendum, sed parcè ac duriter: ídque hoc Danielis, atque Heliæ exemplo confirmat. *Cùm corui, inquit, Heliam pane, & carne saturare consuessent. 3. Reg. cap. 17. cur postmodum apud Bersabee Iudææ excitato ei de somno quidam ille Angelus sine dubio panem solum, & aquam obtulit? Defecerant corui, qui eum liberaliùs pascerentur? An difficile Angelo fuerat aliquem alicunde de conuiuio Regis ministrum cum instructissimo ferculo raptum ad Heliam transferre? sicut Danieli in lacu leonum esurienti prandium messen-*

In tribulatione parcè viuendum ac duriter.

tium exhibitum est; sed constitui oportebat exemplum docens in tempore pressura, & persecutionis, & cuiuscunque circunstantia xerophagiis esse viuendum. Tali victu Dauid exomologesim suam expressit, cinerem quidem edens velut panem, id est, panem velut cinerem aridum, & sordidum.

39. *Veri obedientis symbolū.* Quod attinet ad Habacuc, in capillo capitis per tot terrarum spatia ab Angelo traductū: hîc ego specimen præclarum, atque exemplum intueor viri obedientis. Nam cùm abire iubetur Babylonem, & prandium afferre Danieli, non causatur viam aut longam, aut impeditam, vt laborem detrectet; neque quod malè consultum videbitur rei messoriæ, si messoribus subtrahatur edulium; sed tantùm dicit ignorare se viam; quare si modò ducē nactus fuerit, neque molestiam refugit, neque dispendium curat, si quod ex detracto cibo messis accipiat. Neque opus est funibus aut magna aliqua vi, vt abducatur à patria, suorúmque complexu, & Babylonem vsque terram inimicam, & duram traducatur: vno tantùm capillo trahitur, neque inuitus, neque aliquo modo reluctatus. neque leonum sæuitia retardatur, inter quos didicerat esse Danielem, quominus iniunctum sibi mandatum peragat. Sanè ingenuo animo, ac nobili, si quod a superiore potestate mandatum iniungitur, nulla adhibetur vis, non stimulus; ipsa quippe ingenui pectoris celsitudo, omnia exuperat impedimenta; & turpe ducitur in rerum executione lassari. *Solus amor,* inquit Augustinus, *nomen difficultatis ignorat,* quia amanti nihil occurrit arduum, nihil non superabile; sic etiàm obediens, si modò obedientis nomen otiosum non habet, nihil putat difficile, quod gratum esse credit ei, cui parere vult.

40. *Daniel Martyr existimatur.* Ad extremum quæri hîc posset an Daniel, qui bis in lacum leonum missus est, in Martyrum censum referri debeat. Egimus hac de re suprà cap. 3. vbi hoc idem de tribus pueris, qui de fornace incolumes euaserunt, quærebamus, vnde in hunc locum omnia transferri possunt, quia eadem est causa, eadem ratio. Sentit expresse Cyprianus Martyrem esse Danielem, epist. 58. ad Lucium Papam. *Neque in tribus pueris minor fuit* A *martyrij dignitas, quia morte frustrata de camino ignis incolumes exierunt, aut non consummatus exiuit Daniel in suis laudibus, quia, qui leonibus missus fuerat ad prædam, protectus à Domino vixit ad gloriā. In confessoribus Christi dilata martyria non meritum confessionis minuunt, sed magnalia diuina protectionis ostendunt.* Idem docet epist. 68. vbi ait, *Danielem nec solitudine regionis aliena, neque persecutionis assidua infestatione deterritum frequenter, ac fortiter edidisse martyria.* Et quæ de puerorum martyrio suprà diximus, hæc etiam in Danielem aptè cadunt. Neque enim minus erat à fornace, quàm à leonum ferocitate periculum. Adde quòd aliqui numerantur ab Ecclesia in Martyrum censu, qui non ferro aut igne, aut aliquo subito, ac violento cruciatu; sed B exilio, aut carcere, aut longo labore fracti mortem obierunt. *Aliqui in Ecclesia Martyres qui longo labore consumpti sūt.* Quales fuerunt quinque Pontifices, & Martyres, Sylucrius, Martinus, Ioannes, Bontianus, & Marcellus, pro quibus, quia sanguinem non fuderunt, aut vi illata non est erepta vita Ecclesia in officio Martyrum, octauū addidit Responsorium, *Domine preuenisti eum,* &c. Imò cùm S. Felix in pace vixerit, & quietam mortem, non tam à vi extrinsecus allata, quàm à naturæ infirmitate subierit, martyr tamen indicatur ab Ecclesia, & sub eo celebratur titulo, die decimaquarta Ianuarij.

Hic finis esto commentationis in obscurissimum hūc Prophetam. Feci quod potui; sed quia facultas tenuis, & ingenium exile, exiguum est C quod feci, atque vtinam illud non abs re. Si quid à me peccatum, quod fortasse non semel, habebo, credo, facilem lectorem ad veniam; si modò consideret quàm implexum opus, quàm varium, & multiplex commentatione illustrandum susceperim. Cui quam potui maximam fidelem, atque assiduam operam nauaui. Quicquid verò tam in hoc, quàm in reliquis Commentariis, qui in lucem prodierunt, aut in aliis, quos iam molior, si qui deinceps lucem aspexerint, scriptum, aut etiam cogitatum est, id totum Ecclesiæ, à cuius sensu, nec punctū quidem aberrare volo; & doctorum hominū censuræ subiicio. Absoluta hæc sunt Cópluti Kalend. Februarij, anno 1618.

Ad laudem, & gloriam Beatissimæ TRINITATIS, immaculatæ Virginis MARIAE, & B. P. N. IGNATII, quibus & meipsum millies, & huius libri tutelam committo.



INDEX



INDEX RERVM, ET VERBORVM, QVÆ IN HIS DANIELIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Primus numerus Caput, secundus numerum marginalem, tertius colomnam, P. Prolegomena, a, b, c, d, e, literas in margine designant.

Consilia

Facies.

Historia.

Iudæus.

Prolo

FINIS.